R. P. STEPHANI FAGVNDEZ,

SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

In Præcepta Decalogi

TOMI DVO.


R. P. STEPHANI
FAGVNDEZ,
VIANNENSIS,
è Prouincia Interamni,
SOCIETATIS IESV
THEOLOGI,
Lusitani,
IN
Quinque priora Præcepta
DECALOGI
TOMVS PRIMVS,
Cum SVMMARIIS, & duplici INDICE,
vno Capitum, altero Rerum
& verborum copiosissimo.
Prodit nunc primùm.
CVM PRIVILEGIO
REGIS.
LVGDVNI
SVMPT. LAVRENTII ANISSON
ET HÆRED. G. BOISSAT.
M.DC.XL

ILLVSTRIS^MO AC REVERENDIS^MO DOMINO

D. RODERICO DE ACVNHA, ARCHIEPISCOPO VLYSSIPONENSI,

P. STEPHANVS FAGVNDEZ, *è Societate* IESV, *F. P.*

SIBI iam prudens consulit, vel cùm nascitur, DOMINE ILLVSTRISSIME, meum hoc Volumen: idem enim ipsi est è tenebris exire, atque ad asylum, & aras, ad tuum, inquam, præsidium, & fauorem subinde confugere. Permitte igitur, & iube, vt magno tuo nomine, quasi sidere natalitio, eóque auspicatissimo, in lucem felix prodeat: & quò bonam fortunam strenuè speret, eam ipsi imperiosè ominare. Vnus certè, atque vnicus existis librorum æstimator, vt qui magnus item sis librorum author, & literatorum hominum patronus singularis. Quocirca eisdem te verbis alloquar, quibus olim D. Cyprianum D. Gregorius Nazianzenus: *Elaborata natura opus, & doctrina principatus, eruditionum quidem libri ipsi testantur, quos ille complures, & luculentos pro nobis composuit.* Quòd si (vt munera alia, quæ & magna, & plurima in Christiana Republica mirabiliter egisti, silentio inuoluam) Diœceses commemorem, quæ te pastorem sibi datum amant, adhuc vnicè, & ademptum inter desideria indesinenter queruntur: Te habuit Portalegrensis, Portucalensis, *D. Gregor. Nazianz. orat. 18.*

Bracharensis, Hispaniarum Primas: habebit inde (quod Regis imperium est, regni verò necessitas, erítque, vt speramus, Sanctissimi Vrbani VIII. consensus) metropolitana Vlyssiponensis: quibus omnibus, & singulis dum præfuisti, tuum crediderim illud elogium: *Pastor deinde creatur, ac pastor optimus, & probatissimus.* Tuam fecisti laudem, quam olim eidem Cypriano composuit idem Nazianzenus: *Neque enim Carthaginiensi, nec Africæ tantùm Ecclesiæ ab eo, & propter eum, etiam nunc claræ, & celebri præficitur: verùm etiam occiduis omnibus regionibus, ac propè etiam Orientali omni, atque Australi, & Septentrionali oræ: quocunque illius fama peruagata est.* vt scilicet de te illud verum sit (gratissimum enim erit D. Cypriano, si pro ipsius nomine apponam tuum) RODERICVS, hoc est, qui diebus singulis in Academiis ab vtriusque iuris, Cæsarei, & Pontificij, ac denique sacræ Theologiæ Magistris crebrò allegatur, Hispaniarum Primas, cùm in primam Decreti partem, tum in Tractatu de Primatu Bracharensi, aliísque operibus, & magnis, & lucubratissimis. RODERICVS *magnum quondam Lusitanorum, nunc autem totius Orbis nomen.* Viue ergo, DOMINE PRÆCLARISSIME, in magnum vniuersæ Ecclesiæ decus, & splendorem; Religionem nostram, imò tuam, Societatem IESV, indies ama: si tamen in te crescere magnus hic amor potest: patrium regnum (neque enim vnquam aliàs sacrâ tuâ anchorâ magis indiguit) animosè protege, & pro tuis magnis viribus constanter dignus Atlas tuere.

MVTIVS

Mutius Vitellescus, Societatis IESV *Præpositus Generalis.*

CVM R. P. Stephani Fagundez, nostræ Societatis, Commentarios in Decalogum, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 19. Iunij 1636.

MVTIVS VITELLESCVS.

CENSVRA OPERIS.

NOS infrà scripti sacræ Theologiæ Doctores fidem facimus legisse ac perlegisse librum, cui inscriptio est, R. P. STEPHANI FAGVNDEZ *in præcepta Decalogi, Tomi duo, nihilque in eo Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ fidei contrarium reperisse. Lugduni die 8. Octobris 1630.*

FR. CL. COCHET.

FR. BERNARDINVS MOLLIASSON,
Lector in Conuentu S. Bonauenturæ.

R. D. D. THOMÆ DE MESCHATIN LA FAYE, huius libri imprimendi Facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Liber, qui inscribitur, *R. P. Stephani Fagundez, è Societate* IESV, *in præcepta Decalogi Tomi duo,* vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 3. Ianuarij 1631.

MESCHATIN LA FAYE.

Summà

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis, auctoritate ſancitum eſt, ac patentibus literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos octo, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet, librum, qui inſcribitur, *R. P. Stephani Fagundez è Societate* IESV, *in præcepta Decalogi, Tomi duo*, præter IACOBVM CARDON, Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quenquam vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti IACOBI CARDON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Lugduni die duodecima Octobris, anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo.

De mandato Regis,

Signatum,

RENOVARD.

D*IE* 17. *Ianuarij* 1635. *dictus* IACOBVS CARDON *ius ſuum præſentis Priuilegij conceſſit Gabrieli Boiſſat & Socijs Bibliopolis Lugdunenſibus.*

Prima editione prælum deſiit 24. Decembris 1639.

INDEX

INDEX

Præceptorum Decalogi, Librorum item, & Capitum, quæ in hoc primo Tomo continentur.

PRÆCEPTUM I.

LIBER I.

Index Præceptorum,

PRÆ

PRÆCEPTVM II.

LIBER II.

commu-

PRÆCEPTVM III.

De tertio hoc Præcepto hîc nihil agimus, cum omnia iam sint tradita in libro primo in quinque præcepta Ecclesiæ.

PRÆCEPTVM IV.

LIBER IV.

 naste

PRÆCEPTVM V.

LIBER V.

13 An

INTRO

INTRODVCTIO TOTIVS OPERIS.

VBI primùm Deus Opt. Max. in principio hominem creauit, ſtatim illi, & in illo omnibus eius poſteris præceptum indidit, vt ſub pœna æterni interitus iuxta normam iuris naturalis viuerent. Quod præceptum indiſpenſabile omnino eſſe voluit, iuxta illud Pſal. 14. *Præceptum poſuit, & non præteribit:* neque enim Deus in eo vnquam diſpenſauit, aut vllo vnquam tempore diſpenſabit. In prima illa quam vocant legis naturalis, ætate, quamuis nonnulli floruerint Patriarchæ, qui vitam ſuam ad iuris naturalis normam rectè compoſuerint, ea tamen fuit hominum multitudo, qui contempto prorſus Dei timore,& exuta ipſa humanitate,ſe in omnium vitiorum congeriem præcipitauerunt, ac ſi nulla in iis rationis manerent veſtigia, vt hæc vna fuerit cauſa, cur Deus acerrimus ſcelerum vltor toti orbi aquarum diluuium, Sodomis verò ignis incendium ad coërcendam eorum proteruiam emiſerit. Nihil tamen profuit ſeuera adeo Dei punitio, neque hiſce coërciti flagellis ad deſerendam peſſimam morum corruptelam & amplectendam rectam rationis viam adduci ſcelerati homines potuerunt. Quid miſerator & miſericors Dominus? quos creauerat homines in ea vitiorum fæce inuolutos à ſe prorſus abijceret, & æternis ignibus traderet cruciandos? Longè alia fuit in homines Dei opt. max. clementia; nam vt denſiſſimas ab eorum mentibus tenebras depelleret, penè extinctas rationis ſcintillas beneficiorum quaſi flabello dignatus eſt excitare, vt vel ſic aliquando verecundarentur,quòd deſerto beneficentiſſimo orbis conditore Deo ad bruta animantia & ſenſuum etiam expertes creaturas aufugerint, illiſque diuinos honores detulerint, quos ſibi ſoli deferri debere natura ipſa edocebat. Vt ad ſe igitur homines pertraheret,populum ex omnibus orbis nationibus elegit,quem à mentis obſcurata caligine ad rationis lumen aſſereret, quò legis naturalis præcepta, ſibi vel ante ipſos oculos præ tenebris abſcondita, intuerentur, & ad illorum normam totius vitæ curſum feliciùs dirigerent.

Is fuit populus ille Hebræorum, quem è miſera Ægyptiorum captiuitate ſeruorum ſuorum Moyſis & Aaronis operâ mirabiliter ereptum, atque in libertatem aſſertum in deſertum eduxit, eíque ſupra Sinai verticem inter fulgura ac horribiles nubium colliſiones fragoréſque apparuit, ac decem Decalogi præcepta,de quibus agemus, in iiſque totam iuris naturalis legem veluti

in epilogo inclusam, & ad quæ reliqua omnia præcepta, normæque omnes reducerentur, tradidit. Vt verò hæc decem præcepta à populo maiori in pretio haberentur, ea dedit Moysi, non hominis tantùm, sed suo Dei digito, seu potius Dei simul & hominis manu cōscripta, apprehēdente scilicet Deo manu propria manum Moysis, & instar pædotribæ puerum edocentis illa scribente non in tabulis ligneis, ne forte iniuria temporis computrescerent, sed in tabulis lapideis ad perpetuam firmitudinem, & temporum diuturnitatem, ne tam salutaria præcepta deficerent, aut è memoria hominum delerentur.

Prima igitur & præcipua Dei intentio in hac reuelatione & præceptorum traditione facta Moysi in deserto fuit, penè emortuam in hominum animis legem naturæ excitare, quam vt facilius homines mente retinerent, ad decem præcepta vt diximus reduxit, eorúmque obseruationem perpetuò duraturam decreuit, quamuis reliqua alia cæremonialia, & iudicialia, vt accessu legis nouæ expirarent condiderit, quæ ideo à Theologis præcepta minùs principalia dici solent.

Ideo verò Deus opt. max. hæc secundaria præcepta iudicialia, ac cæremonialia Hebræis & duci eorum Moysi dedit, quia sciebat eos ad sacrificia propensos esse, vt pote qui *commisti inter gentes didicerunt opera eorum* ps... quod satis ostenderant in impia illa, & execranda vituli aurei adoratione, dum illi soli Deo debitos honores & sacrificia Ægyptiaco de more obtulerunt. Vt igitur occasionem illis amputaret colendi Deos alienos Moabiticos, Acaroniticos, Beelphegoticos, & Ægyptiacos, si illis boum ac ouium sacrificia denegarentur, illa sibi nouo tamen & pio ritu castè offerri decreuit, non quia hunc se colendi modum aliis anteponeret, quod videtur expressisse Hierem.c.7. dum ait: *Non sum locutus cum patribus vestris*, idest Moyse & Aaron, *& non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum & victimarum; sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi in populum, & ambulate in omni via, quam mandaui vobis, vt bene sit vobis*, id est, in via decem præceptorum quæ per Moysem seruum meum vobis promulgaui. Idem & clariùs adhuc colligitur ex Ezechielis 20. vbi loquens de Hebræis qui captiui detinebantur in Babylonia, prædictáque sacrificia frequentabant, arbitrantes se illorum ope absque alia interna in animo Dei veneratione educendos è misera illa captiuitate fore, ita habet. *Hæc dicit Dominus: In die qua elegi Israël, & leuaui manum meam pro stirpe domus Iacob, vt educerem eos de terra Ægypti: Dedi eis præcepta mea, quæ faciens homo viuet.* quasi diceret: Recordamini, quòd quando eduxi vos de captiuitate Ægypti, nihil vobis locutus fuerim de sacrificiis carnalibus, quasi ad salutem per se necessariis: sed solùm vt talia decem præcepta mea vos edocui, quæ si seruaueritis, absque dubio vitam consequemini nullo vnquam tempore perituram. Vt verò Deus hominibus manifestiùs adhuc ostenderet Hebræis concessisse animalium carnalia sacrificia ad eorum duritiem cordis, & vt occasionem idololatriæ auferret, non quia illa internæ animi venerationi, & præceptorum Decalogi obseruationi præponeret, mortali carne indutus nostræ salutis causa omnia illa præcepta cæremonialia legis veteris abrogauit, antiquauítque, ea ad legem naturalem decem præceptorum Decalogi inducens, quæ sola confirmauit, voluítque in æternum fore permansura.

Ex dictis facile est colligere, nihil à Deo optari potiùs in hominibus, quàm vt legem naturæ in decem Decalogi præceptis contentam perfectissimè obseruent, idque statim ab orbe condito optasse, & in posterum optaturum.

Neque

Neque alio in fine præcipuè septem Sacramenta instituit, nisi vt homines circa naturalia per peccatum sauciati, per illa robustiores facti, ad eorum præceptorum obseruationem meliùs iuuarentur.

Præcipua ergo nostrum omnium cura, & studium in hoc vno insudare debet, vt post diuinorum Sacramentorum receptionem, decem illa Decalogi præcepta intelligamus, & quæ in illis continentur, perfectissimè exequamur, nobis firmissimè persuadentes id vnum satis esse nobis ad animæ salutem, & æternam fœlicitatem comparandam, iuxta illud Christi Domini dictum, Matth. 19. dum iuueni interroganti: *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* respondit, *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Ne existimemus tamen decem hæc Decalogi præcepta esse omnia in perfectione, & obligatione æqualia, cũ alia aliis perfectiora sint, & magis obligent. Ex duplici verò coniectura venari possumus quænam perfectiora sint, & quæ consequenter magis obligent; si quidem perfectiora semper præcepta maiorem important secum obligationem. Prima est, ordo ipse quo scripta sunt; nam quæ loco priora sunt, perfectione etiam reliquis antecedunt; quod egregiè nos edocuit Christus Dominus Matth. 20. dum ait: *Hoc est maximum, & primum mandatum: secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Secunda est, perfectio virtutum, seu, quæ nobis in prædictis præceptis praecipiuntur, malitia vitiorum, quorum fuga in iisdem à nobis exigitur. Nam illud præceptum quod maiorem commendat virtutem, & à maiori consequenrer vitio fugere suadet, perfectius semper est, ac magis præcipuum.

Ex his cõiecturis colligere est, Primò, tria prima Decalogi pręcepta, quę primę tabulę dici solẽt, esse perfectiora reliquis quę secundę tabulę dicuntur. Patet, quia loco antecedũt, & hominẽ immediatiùs Deo coniungũt per nobiliores longè virtutes, fidem nimirum, spem, & charitatẽ, quàm septem præcepta posteriora, quæ ad proximorũ vtilitatẽ vergunt. Secundò, colligitur, inter tria prima præcepta, primum secundo, & secundum tertio antecellere, & item inter septem sequentia quartum in ordine quinto, quintum sexto, & sic deinceps.

Per prima tria præcepta primæ tabulæ, tria à nobis requirit Deus: Primum est, fides, spes, & amor erga ipsum in corde: secundum eius laus, & confessio in ore: tertium opera, & obsequiorum præstatio suo loco, & tempore ab ipso assignata: Qua in re Deus morem expressit prudentis Regis, ad bellum proficiscentis, vt optimè notat D. Th. 2. 2. q. 100. Quemadmodum enim Rex à Ducibus & militibus suis postulat; Primò, ne ad hostes deficiant, sed sinceram sibi ex animo fidem, ac fidelitatem præstent; Secundò, vt de illo bene sentiant & loquantur; Tertiò, ne ignaui ac desides, sed fortes sint ac strenui in pugnando: Ita etiam Deus Optimus, Maximus, à nobis omnibus, quorum vita militia est super terram, eadem illa tria in tribus illis primis Decalogi præceptis suo iure exposcit, quæ vtinam à nobis, vt par est, exactissimè persoluantur, ne vnquam deserto Deo, Duce, ac Rege nostro, infestissimo eius hosti Diabolo adhæreamus, ne illum verbo iniurioso, vel semel offendamus, bonam de eo opinionem vt par est concipientes: ne à bonis operibus otiemur, sed quæcumque nobis præcepta sunt, diligentissimè exequamur.

Trium horum præceptorum obseruatione minimè contentus Deus, reliquorum etiam præceptorum sequentium obseruationem exposcit. Nam qui in vno delinquit, factus est omnium reus. Ad illam verò quemadmodum nos præmiis inuitat, ita etiam suppliciis, & æternæ peremptionis interitu à præceptorum violatione deterret. Præmia nobis fusissimè promissa passim in sacris

litteris continentur: *Faciam misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea;* Et sæpe alibi. Quæ sanè præmia si Deum in nos eximiè liberalem ostendunt: nos etiam in Deum liberalem liberales, & in præceptorum suorum obseruatione obsequentissimos efficere oportet. Supplicia item passim in scriptura inculcantur. Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Et sæpe alibi. Quæ sanè supplicia, si sapimus, nos à præceptorum Dei violatione ita deterrere debent, vt potiùs cum vita vitæ omnia bona amittere, & tormenta tolerare eligamus, quàm Deum ita nos asperè minitantem præceptorum suorum transgressione, vel leuissimè offendere.

Ne verò hominum memoria præceptorum multitudine obrueretur, vel obscuritate eorum ingenij imbecillitas vinceretur; ita Deus Optimus, Maximus, legem totam naturalem ad breuitatem reduxit, vt decem præceptorum numerum non transcenderet, & deinde cum breuitate ita distinctionem, & claritatem mirabiliter coniunxit, vt propterea decem illa Decalogi præcepta mirabilia testimonia dixerit Propheta Rex *Psalmo* 118. dum cecinit, *Mirabilia testimonia tua; ideo scrutata est ea anima mea.* Ita enim locum interpretatur Cardinalis noster Bellarminus; nec immeritò. Quemadmodum enim parua semina iure mirabilia dici possunt, quia cum parua adeo sint, integram tamen arborem, truncum, ramos, radices, frondes, folia & fructus continent; ita etiam lex illa mirabilis dici potuit, quæ cum breuissima sit, vtpote quæ tota solis decem præceptis contineatur, in se tamen omnia iustitiæ principia, & leges omnes in quauis bene administrata Republ. hactenus conditas, vel condendas in posterum complectatur.

LIBER

LIBER PRIMVS

In primum præceptum Decalogi.

1. DVÆ lapideæ tabulæ totam Dei legem, decem præceptis explicitam, Dei digito conscriptam continebant. In prima quamuis aliqui plura fuisse scripta arbitrentur; communior, ac probabilior sententia priora tantùm tria præcepta in ea conscripta agnoscit, quæ ideo communiter præcepta primæ tabulæ dici solent. In secunda verò tabula septem reliqua præcepta visebantur, quæ similiter præcepta secundæ tabulæ appellantur.

2. Antequam igitur de iis præceptis agere aggrediamur duo aduerto. Primum est, decem decalogi præcepta vigere adhuc in lege noua gratiæ, non quidem ex vi & auctoritate immediati legislatoris Moysis, sed ex vi & auctoritate præcipui legislatoris Dei, & ex vi iuris naturalis, quod continent. Cum enim naturæ ius immutabile omnino sit, necessarium fuit, vt ea lex immutabilis fuerit, quæ prædictum ius contineret; vnde nihil mirum si vetus illa lex expirauerit quoad ceremonialia & legalia, non tamen quoad naturalia & moralia; siquidem hæc non illa legem ipsam naturalem continebant. Cum dixi permanere præcepta decalogi adhuc in lege noua, id ita intelligi debet, vt solùm permanere intelligatur præcisè quoad ius naturale, non verò quoad ceremoniale aliquod si quod continet; vt videre est in tertio præcepto de obseruatione diei Sabbathi. Nam istiusmodi præceptum viget adhuc quidem quatenus continet ius naturale de colendo Deo per opera aliqua externa: quatenus verò ceremoniale aliquid continebat, nimirum quatenus determinabat certum diem Sabbathi certúmque horarum tempus, quo Deus pro illo tempore coli voluit, omnino expirauit, vt optimè explicat Suarez *de Religione, tom. 1. lib. 2. de diebus festis initio, & lib. 9. de Legibus, cap. 6. num. 3.*

3. Secundum notandum est, neque præceptum de diligendo Deo super omnia, neque de credendo in Deum, esse primum præceptum decalogi, sed supponi ad illud, vt docet D. Thom. 2. 2 *q.* 100. tanquam fundamentum. Primum enim præceptum est Deum colere & adorare; vt patet ex sacra pagina, Exod, 20. A. Deuteroo 5. B Leuit. 19. C. Ezech. 20. B. Hierem. 7. Quia tamen Deum colere, & adorare rectè non possumus, nisi in eum credamus, in eum speremus, & eum amemus; inde est, quòd primum decalogi præceptum dicatur etiam Deum super omnia diligere, iuxta illud Christi Domini. Et hac etiam de causa, vt dicamus de primo præcepto decalogi, quo nobis præcipitur solius Dei conueniens cultus, operæ pretium erit agere priùs de præcepto credendi & sperandi in Deû, & eum diligendi, & de præcepto fidei, quia reliquarum etiam virtutum theologicarum fundamentum est, primo loco disputabimus.

CAPVT I.

Quid sit fides, an detur de illa præceptum diuinum, quando obliget, & quas personas?

SVMMARIVM.

Fides definitio. *num. 1.*
Triplex fidei differentia, qua nimirum Deum, Deo, & in Deum credimus. *num. 2.*
Datur fidei præceptum. *num. 3.*
Præceptum fidei obligat primùm ad credenda omnia mysteria fidei, deinde ad nunquam dissentiendum. num. 4. Vnde præceptum fidei affirmatiuum est & negatiuum. *ibid.*
Proponitur quæstio pro quo tempore obliget præceptum fidei, & plura numerantur tempora pro quibus dubitari solet an obliget. *num. 5.*
Obligat præceptum fidei primò, & per se cum primò sufficienter alicui proponuntur mysteria fidei. n. 6.
Quando censeantur mysteria fidei alicui sufficienter proposita, relinquendum prudentis arbitrio. num. 7.
Obligat per accidens præceptum fidei, cum vrget grauis tentatio in fide. *num 8.*
Non obligat tamen in tentationibus aliarum virtutum. *num. 9.*
Obligat item per accidens præceptum fidei, cum fides ipsa confitenda coram tyranno est. *num. 10.*
Non obligat verò præceptum fidei quando actus alterius virtutis ex præcepto eliciendus est, sed id facit præceptum alterius virtutis. *num. 11.*
Non obligat præceptum fidei ad eliciendum actum fidei semel in anno. *num. 12.*
Neque item obligat singulis diebus festis. Neque item obligat ad eliciendum actum fidei eius mysterij, quod eo die festo celebratur. *num. 13.*
Non est dicendum relinquendum vniuscuiusque arbitrio tempus pro quo obliget præceptum fidei. num. 14.
Datur obligatio eliciendi actum fidei in articulo mortis, sed ex præcepto propriæ charitatis. *num. 15.*

FIDES à Theologis communiter ita definitur; *Fides est habitus siue virtus diuinitus infusa in intellectu cum pia affectione in voluntate, qua illustratus homo certò & firmiter assentitur, atque adhæret ijs quæ sunt à Deo reuelata, & ab Ecclesia nobis ad credendum proposita.* D. Paulus ad Hebræos 11. ita fidem describit: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur *substantia,* id est basis, seu fundamentum 1.

earum rerum, quæ sperantur. Dicitur *argumentum non apparentium*, id est persuasio, quæ inclinat intellectum ad credendum illis quæ non videntur. Infunditur hæc virtus, & in intellectu quo ad ipsum habitum fidei, & in voluntate quo ad piam affectionem; & quia à Deo solo infunditur, *per se infusa* dicitur; quia verò non per modum transeuntis, sed per modum immanentis datur, & per illam intellectus illustratur, ideò *habitus* nuncupatur.

2. Triplex verò est fidei differentia: scilicet, qua credimus in Deum: qua credimus Deo: qua credimus Deum. Vnaquæque illarum ad supernaturalem virtutem spectat. *Credere Deum*, nihil aliud est quàm credere Deum existere in rerum natura, qui omnia gubernet, & remunerator sit meritorum hominum, iuxta illud D. Pauli ad Hebræos 11. *sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se, quod remunerater sit. Credere Deo*, est credere vera esse quæcumque Deus dixerit, cúmque adeo veracem & fidelem esse, vt impossibile sit eum mentiri in verbis, vel promissionibus suis, iuxta illud eiusdem D. Pao- cap. 18. *Impossibile est mentiri Deum*; & illud Psalm. 144. 13. *fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Credere in Deum*, est eum diligere, in illum sperare, & totum se illi tradere, ac committere. Omnes has fidei differentias comprehendit D. Paul. ad Rom. 10. Primam, quæ est credere in Deum, dum ait, *Omnis qui credit in illum, non confundetur.* id est, omnis, qui se totum illi per amorem & spem tradiderit, confusionem non patietur, sed certissimè sperare potest suam salutem, & saluabitur, siue ille Iudæus sit, siue Græcus, aut Gentilis; nam idem Dominus omnium est, diues in omnes, qui inuocant illum. Et iterum, dum addit, *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Secundæ, qua credimus Deo, meminit dum dicit: *Aut quomodo credent ei, quem non audierunt?* Tertia autem, quæ est credere Deum, iisdem verbis Apostoli citatis subintelligitur. Ecquis enim poterit se totum per amorem & spem tradere, & credere firmissimè illi, quem non certissimè credat existere, remuneratorémque esse meritorum omnium?

3. Explicato quid fides sit rudi, vt aiunt, Mineruа, sequitur vt discutiamus quæ in titulo capitis proposuimus inquirenda. Et circa illa statuo primò. Datur præceptum diuinum fidei, & verè obligat. Ita apertè colligitur ex illis verbis Christi Domini, Marc 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et item ex illo ad Hebr. 11. *sine fide impossibile est, placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est.* Sicut enim præceptum diuinum confessionis, & pœnitentiæ bene colligitur ex illis verbis Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et præceptum Baptismi ex illis Ioan. 6. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in Regnum Dei*; ita etiam colligi debet præceptum fidei ob paritatem rationis ex illis verbis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, &c. *qui verò non crediderit, condemnabitur.*

4. Statuo secundò. Obligat hoc præceptum omnes omnino homines ad credendum omnia mysteria fidei, à quibus nostra salus pendet, de quibus postea; & postquam crediderint, ad nunquam ampliùs dissentiendum. Conclusio habet duas partes. Prima, quæ docet hoc præceptum obligare omnes homines ad credendum mysteriis fidei necessariis ad salutem, probatur; Apostoli tenebantur prædicare Euangelium omni creaturæ, id est, omni hominum generi, siue nationi, vt est communis Patrum & interpretum explicatio: Ergo omne omnino hominum genus tenebatur ad credendum. Valet consequentia; quia aliter frustra daretur in Apostolis obligatio prædicandi. Secunda pars conclusionis, quòd scilicet postquam quis crediderit, teneatur nunquam postea dissentire, probatur; quia præceptum credendi, licet sit affirmatiuum, includit tamen negatiuum, vt cætera præcepta affirmatiua: & quanuis, vt affirmatiuum est, obliget solùm pro aliquo tempore, de quo postea; tamen, vt negatiuum est, obligat pro semper, quod proprium est præceptis omnibus negatiuis, verbi gratia, non furari, non mœchari, non occidere, &c. Ergo postquam semel credidimus, tenemur ad nunquam ampliùs dissentiendum. Quod verò dicimus de positiuo dissensu, dicendum etiam de dubio, vel formidine. Nam qui dubitat, vel formidat de obiecto reuelato, consequenter virtute asserit obiectum posse aliter se habere, quod æquè repugnat certitudini fidei, atque asserere quod aliter se habeat. Vnde colliges præceptum fidei efficere hunc sensum: Credes Deo, & mysteriis quæ sunt à Deo reuelata, ad salutem necessaria, ab Ecclesiáque proposita ad credendum, & nunquam admittes aliquid contra fidem.

Posito quòd præceptum fidei, quatenus affirmatiuum est, solùm obliget pro aliquo tempore, 5.
vt reliqua præcepta affirmatiua; præcipuum in hac re dubium est pro quo tempore obliget hoc præceptum fidei diuinæ. Circa hoc dubium varia ab Autoribus assignantur tempora. Primum est, vbi primùm fides alicui primò sufficienter explicata proponitur. Secundum est, quando quis graui aliqua tentatione contra ipsam fidem pulsatur. Tertium, in mortis articulo. Quartum, semel singulis annis, quando ex obligatione Quadragesimæ tenetur confiteri. Quintum, quando quis aliquid exterius tenetur facere, quod nequit commodè præstari sine interno actu fidei, & si coram Tyranno teneatur ipsam fidem exteriùs confiteri. Sextum, quando quis tenetur gratiam amissam recuperare. Septimum, in Dominicis, & festis diebus. Superest tamen discurrendo per singulas temporis differentias assignatas videre, vtrùm reuera in omnibus reperiatur obligatio eliciendi actum fidei: quod per conclusiones sequentes præstabo.

Statuo igitur quartò. Tunc primò per se, & 6.
ex vi propria obligat præceptum fidei ad eliciendum actum fidei, cùm fides alicui sufficienter primò proponitur. Et tunc primò peccant contra hoc præceptum, qui actum fidei non eliciunt. Ita expressè Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *puncl.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *institut. moral. cap.* 27. *quæst.* 8. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi l.* 2. *c.* 1. *num.* 3. *post initium.* Suar. *de fide disput.* 13. *sect.* 5. *n.* 8. Probatur primò, Fides cum sufficienter alicui explicatur, proponitur illi, vt medium omnino necessarium ad salutem. Atqui ratio ipsa postulat, ne acceptatio medij omnino necessarij ad salutem differatur, neque enim in re adeo graui mora interponenda est, sed statim est amplectenda. Ergo, &c. Probatur secundò, quia authoritas Dei reuelantis tanta est, vt vbi primùm sufficienter proponitur, exigat assensum, & omnis dilatio sit virtualis quædam illius dubitatio, quæ vt per se patet,

Valentia. Azor. Sanchez. Suarez.

patet, peccaminosa est. Tertiò ostenditur, quia proposita sufficienter fide, tenetur quis baptismum statim suscipere; ergo à fortiori elicere actum fidei, per quem ad baptismum disponitur. Aduertendum tamen cùm diximus proposita primò sufficienter fide statim teneri quemlibet ad eliciendum actum fidei, illud *statim* non metaphysicè, sed moraliter accipiendum esse; ita vt prudentis arbitrio notabilis mora non interponatur, vt optimè docet
Sanchez. Sanchez *suprà num.* 3. & suprà citati.

7. Quando autem fides sufficienter proposita censenda sit, vel non? Reliquendum prudentis arbitrio. Illud in vniuersum requiritur, vt fides rationibus, congruentiis, vitæ sanctitate (quæ magnum in hac materia ad veritatem confirmandam pondus habet,) errorum contrariorum confutatione, & signis aliquibus ita confirmetur, vt ratio ipsa præscribat res fidei esse credendas, & contrariam ei sectam esse falsam. Ita diuersis quidem
Sanchez. verbis, sed sensu eodem Sanchez *tom.* 1. *Decalogi*
D. Thomas. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. ex doctrina D. Thomæ 2. 2.
Aragonius. *quæst.* 16. *art.* 4. Aragonij *ibidem* & Victoriæ *re-*
Victoria. *lect.* 1. *de Indis n.* 37. Vasquez item 1. 2. *quæst.* 76.
Vasquez. *art.* 2. *disput.* 120. *cap.* 5. *initio.* Azor *tom.* 1. *lib.* 8.
Azor. *cap.* 7. *quæst.* 6. Toletus *lib* 4. *summæ cap* 2. & alij
Toletus. communiter. Optimè tamen aduertit Caietanus
Caietanus. 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4. *versu dicendum est.* Non omnes rationes, & argumenta, quæ satis sunt, vt fides vni sufficienter proposita censeatur, satis esse vt omnibus sufficienter proposita censeatur; cum non omnes eundem captum habeant, & sæpe accidat, vt vnus meliùs rationem aliquam penetret quàm alius. Et deinde cùm res & obiecta fidei ex se euidentiam non habeant; aliquam saltem rationem euidentiæ habere oportet ex parte dicentis, vt credantur; ac proinde cum euidentia quæ desumitur ex parte dicentis, non sit æqualis in omnibus, quibus res credenda proponitur, quia non æquè omnes iudicant dicentem siue prædicantem esse fide dignum; fit vt rationes quæ sufficiunt vni, vt res fidei illi sufficienter proponantur, non satis sint omnibus. Quapropter, vt diximus, id relinquendum est prudentis arbitrio.

8. Statuo quintò. Obligat etiam præceptum fidei ad actum fidei eliciendum, quoties quis grauem tentationem contra fidem patitur, quam aliter vincere non potest. Probatur. Præceptum quod obligat ad aliquid fugiendum, obligat etiam ad ea quæ necessaria sunt ad talem fugam. Atqui præceptum fidei obligat ad vincendas tentationes fidei. Ergo etiam ad eliciendum actum fidei, quoties aliter tentatio fidei vinci nequit. Ita Azor
Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 6. Petrus Ledesma *tom.* 2.
Ledesma. *summæ tractat.* 1. *cap.* 8. *conclus.* 8. Sanchez *tom.* 1.
Sanchez. *Decalogi l.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. *versu, secundum tem-*
Suarez. *pus.* Suarez *de fide disp.* 13. *sect.* 5. *n.* 5. Verum tamen etsi hanc obligationem eliciendi actum fidei, non oriri per se ex præcepto fidei, sed per accidens, quatenus nimirum id necessarium est ad vincendam tentationem illam fidei. Vnde si aliquis in eo casu actum fidei non eliceret, & succumberet tentationi, satis esset in confessione confiteri se illi succubuisse, tacendo quòd non elicuerit actum fidei. Optimè tamen Ledesma & Sanchez citati, aduertunt, eos qui scrupulis nimiùm agitantur, non statim teneri ad eliciendum actum fidei, quoties sibi persuadent graui vrgeri tentatione in fide, & quòd aliter eam vincere nequeant; quia scrupulosa conscientia facilè eos in fide alioquin firmissimos, in eam existimationem perducit.

Dixi obligare præceptum fidei ad eliciendum actum fidei, quando vrget grauis tentatio fidei ad quam vincendam necessarius existimatur talis actus: non verò in aliis tentationibus aliarum virtutum; quia in iis tentationibus aliarum virtutum obligatio eliciendi actum fidei necessarium ad illas vincendas iuxta illud 1. Petri 5. *Cui resistite fortes in fide*, non à præcepto fidei propriè oritur, sed ex alio, ex quo oritur necessitas prædicta. Ita suprà citati. Et inde est, quòd is qui in prædictis tentationibus non eliceret actum fidei, & illis succumberet, vnum tantùm committeret peccatum contra illam virtutem, & eius præceptum, circa quam versabatur tentatio; & consequenter non sit necessarium in confessione explicare, quòd non elicuerit actum fidei, vt suprà diximus in tentatione fidei. 9.

Statuo sextò. Obligat etiam præceptum fidei ad eliciendum actum fidei, quoties is necessarius fuerit ad fidem exteriùs confitendam in casu quo quis illam tenetur confiteri. Ita docet & expressè Valentia 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 1. *vers. Dicam igitur.* Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. & Suarez cit. Probatur fundamento quo quinta conclusio. Et hîc etiam aduertendum quod suprà diximus; quòd nimirum per accidens obliget præceptum fidei ad eliciendum eius actum, & quòd non sit diuersum peccatum, & in confessione explicandum, non elicere dictum actum quando quis propterea non confiteretur exteriùs fidem, ac proinde satis esse dicere se non confessum fuisse fidem, vt tenebatur. 10. Valentia. Sanchez. Suarez.

In aliis verò casibus in quibus actus fidei necessarius est ad aliquem alium actum internum vel externum cuiuscunque alterius virtutis sit, v. g. ad orandum Deum cum magna fiducia, quod requirit fidem iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt?* vel ad conterendum de peccatis, quoties quis in mortali existens tenetur ad amicitiam Dei redire, & amissam gratiam recuperare; erit quidem obligatio eliciendi actum fidei, si actus vel opus talis virtutis sit sub præcepto; attamen talis obligatio non propriè à præcepto fidei, sed à præcepto talis virtutis orietur, & contra illud tantum peccabit qui in eo euentu non eliciet actum fidei: non erit tamen diuersum peccatũ & in confessione explicandum in casu quo quis actum præceptum alterius virtutis non eliceret. Ita citati suprà. 11.

Petrus Ledesma *tom.* 2. *summæ tractat.* 1. *cap.* 8. *conclus.* 4. aliud adhuc tempus assignat, nimirum semel singulis annis; ac proinde existimat peccare contra præceptum fidei, qui intra illud tempus actum fidei non eliceret. Huius sententiæ probatio sic proponi potest. Ecclesia diuino ducta spiritu assignauit tempus vnius anni pro implendis præceptis confessionis, & communionis, pro quibus Christus Dominus nullum tempus determinauerat expressè, ergo videtur intellexisse quòd tempus intra quod impleri debeat ea diuina præcepta ad quæ nullum certum tempus determinatur, esse spatium vnius anni. Iste tamen hæc Ledesmæ existimatio displicet nostro Sanchez *num. cit. versu, Quartum tempus*; quòd obligatio confitendi & communicandi singulis annis omnino prouenit ex præcepto Ecclesiæ, non verò à præcepto diuino; quasi Ecclesia solùm explicaret tempus pro quo illud obligaret. Vnde omnes concedunt secluso præcepto Ecclesiæ non dari obligationem confitendi & communicandi singulis annis; ac proinde non bene colligitur ex eo quòd Ecclesia præceperit confiteri & commu- 12.

nicati ſingulis annis, quòd eadem obligatio per ſe detur eliciendi actum fidei; quamuis facile concedam teneri per accidens qui confitetur elicere actum fidei vt diſpoſitionem neceſſariam ad actum contritionis vel attritionis requiſitum ad confeſſionem, vt præcedenti §. diximus.

13. Sotus. Sotus etiam in 3. *diſput.* 27. *quæſt. vnic.* §. *quantum ad ſecundum*, videtur aſſignare dies feſtos tanquam tempus pro quo obliget præceptum fidei: quatenus ibi innuit Eccleſiam aſſignando tempus ad colendum Deum, deſignaſſe etiam tempus ad amandum Deum; nam iuxta hunc diſcurſum, maiori iure dicendum eſt deſignaſſe tempus ad credendum, cum fides multo magis neceſſaria ſit ad colendum Deum, quàm amor. Hæc tamen ſententia probanda non eſt; quia etiamſi dies feſti proponantur ab Eccleſia, vt Deus in illis ametur & credatur, reuera tamen amor, & fides erga Deum non eſt materia præcepti, ſed tantum finis, qui non cadit ſub præceptum; & deinde fides actualis non eſt neceſſaria ad obſeruanda præcepta de feſtis diebus; bene enim poteſt quis ſine actu fidei vacare ab operibus ſeruilibus, & ſacrum audire ad finem colendi Deum. Propter eandem etiam rationem non probo ſententiam Nider in ſuo præceptorio relatus ab Aragon. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 6. aſſerentis teneri fideles ad eliciendum actum fidei de iis myſteriis, quæ in aliquibus diebus feſtis celebrantur in iis diebus, in quibus celebrantur. Non enim vt colatur exterius myſterium aliquod fidei, quæ vt plurimùm eſt materia præcepta ab Eccleſia, neceſſarius eſt actus fidei circa tale myſterium.

14. Suarez. Ex dictis colliges nullo modo admittendam eorum ſententiam quos tacito nomine refert Suarez *de fide diſput.* 3. *ſect.* 5. *num.* 4. aſſerentes nullum poſſe aſſignari certum tempus pro quo obliget per ſe præceptum fidei, ſed relinquendum id fore vniuſcuiuſque arbitrio; ita tamen, vt aliquando in vita actum fidei eliciat. Et præter rationes ſuprà adductas, quibus probauimus obligare præceptum fidei per ſe cùm primùm res fidei ſufficienter alicui proponuntur, confutatur hæc exiſtimatio; quia aliter poſſet aliquis abſque peccato non exercere toto vitæ tempore actum fidei, ſed illum relinquere ad mortis articulum. Quod ſanè nullo modo videtur aſſerendum.

15. Suarez. Suarez *de fide diſput. illa* 13. *ſect.* 5. *n.* 6. *ad finem*, aſſerit veriſimiliter dari etiam obligationem eliciendi actum fidei in articulo mortis propter periculum, cui ſub eadem veriſimilitudine aſſentior, præcipuè cùm in eo articulo teneatur vnuſquiſque elicere actum contritionis, & confiteri ſaltem cum attritione, quæ ſine actu fidei fieri nequeunt. Obligatio tamen eliciendi prædictum actum fidei, non oritur per ſe à præcepto fidei, ſed charitatis, vel eius virtutis, ad quam talis actus fidei eliciendus requiritur.

CAPVT II.

Quæ & quomodo fidei myſteria teneamur credere, ſcire, & memoriter tenere, ſiue ex præcepto diuino fidei, ſiue ex præcepto Eccleſiaſtico?

SVMMARIVM.

ANTEQVAM quæſtiones in titulo propoſitas explicemus, aliqua à nobis præſupponenda priùs ſunt, & breuiter explicanda. Primum præſupponendum eſt, duobus modis aliquid neceſſarium eſſe ad ſalutem conſequendam: Primo ex neceſſitate medij, ſeu finis: Secundo ex neceſſitate præcepti diuini vel humani. Illud autem neceſſarium dicitur neceſſitate finis & medij, quod ita requiritur ad ſalutem, vt in nullo euentu, neque etiam interueniente ignorantia inuincibili ſalus obtineri poſſit ſine illo. Illud verò dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti diuini vel humani, quod ita requiritur ratione præcepti, vt ſine illo aliquando poſſit ſalus obtineri. Verbi gratia interueniente ignorantia, quæ excuſet à culpa; vel interueniente pœnitentia, quæ deleat culpam. 1.

Secundum præſupponendum, dupliciter à nobis credi poſſe myſteria fidei. Primò implicitè. Secundò explicitè. Implicitè creduntur ea, quæ non creduntur expreſsè, & in particulari, ſiue in ſeipſis: ſed tantùm in alio, vt verbi gratia cum quis credit ſolum quod credit Eccleſia, credit quidem Deum eſſe, Chriſtum Dominum natum, & mortuum fuiſſe &c. Sed tantum implicitè; quia ea non credit expreſsè, & in ſe ipſis. Explicitè verò creduntur ea quæ in particulari & in ſe ipſis creduntur; vt, v. g. cum quis credit Deum eſſe, Chriſtum natum, & mortuum fuiſſe; 2.

&

& id credit non in alio, sed in seipso expressè, & directè.

3. Tertium præsupponendum, est, Non esse idem aliquid explicitè credere, & explicitè scire; nam vt quis aliquod mysterium explicitè sciat, necessarium est, vt saltem interrogatus possit rationem de illo reddere; at verò, vt quis aliquod mysterium explicitè credat, satis est, si eo sibi semel proposito assensum eliciat; quamuis postea de illo rationem reddere nequeat.

4. Quartum præsupponendum, est, Obligationem explicitè credendi aliquod mysterium fidei, semper coniunctam esse cum obligatione illud explicitè sciendi. Ratio verò est; quia nisi quis sciat tale mysterium, nullo modo poterit scire an præceptum credendi illud impleuerit. Hinc est quòd DD. sæpe hanc duplicem obligationem confundunt; cùm enim tradunt obligationem credendi aliqua explicitè, vel semper adiungunt verbum credendi, & sciendi: vel vtroque indiscriminatim vtuntur.

5. Quintum præsupponendum, est, Non esse semper æquè rigorosam obligationem explicitè credendi aliquod mysterium, & obligationem illud sciendi; quamuis vt diximus simul concurrant. Quia obligatio explicitè credendi sæpe oritur ex necessitate medij, vel finis; vnde nisi impleatur, nullo modo beatitudo comparari poterit iuxta ea, quæ in primo præsupposito diximus. Obligatio verò explicitè sciendi tantùm oritur ex præcepto, vnde licet aliquando non impleatur, bene poterit quis salutem ipsam consequi, dummodo vel interuenerit causa excusans à peccato, verbi gratia, ignorantia inuincibilis, vel facti pœnitentia.

6. Sextum præsupponendum, est, ex duplici capite obligari nos ad aliquid credendum vel sciendum. Primò, per se, & propter cognitionem, quando scilicet ideo præcipimur credere, & scire aliquod mysterium, vt præcipuè sciamus, & credamus illud. Secundò, propter operationem, quando nimirum ideo præcipimur aliquid credere vel scire, vt possimus operari, & exequi conuenienter aliqua, quæ nobis præcepta sunt. Illud tamen discrimen est inter obligationem credendi; & sciendi per se, & propter ipsam cognitionem, & obligationem credendi, & sciendi propter operationem, quòd illa æqualis est in omnibus, neque enim plus aut minus scire, vel credere tenetur vnus quàm alius: hæc verò inæqualis est, quia plures sunt qui ratione officij tenentur ad plura opera facienda, ac proinde ad plura etiam scienda, & credenda, vt infrà notabimus in particulari.

7. His præsuppositis, veniendo ad quæstiones propositas, statuo primò. Fides actualis, & supernaturalis est, & fuit semper in adultis necessaria ad gratiam, & vitam æternam comparandam. Conclusio est communis. Ita D. Thomas 2.2. *quæst.*2. *art.*3. & Magister *in* 3. *d.* 23. Cano. *relect. de sacr. in genere, part.*2. *quæst.*2. Caietan. *ad loca D. Thom. citata:* è nostris Benedictus Pererius *ad Romanos, disp.* 17. *& cap.*2. *disp.*8. Valent. 2.2. *disput.*1. *quæst.*2. *punct.*2. Sanchez *lib.*2. *Decalogi cap.* 2. *num.* 3. Suar. *de fide disput.* 12. *sect.* 1. *&* 2. Becanus *summa Theologica part.*2. *cap.*12. *num.* 5. & est communis sententia, vt notant Sanchez, & Becanus, imò & fidei dogma iuxta Suarium *sect.* 2. *cit. num.* 5. Probatur primò ex sacra Scriptura ad Hebræos 11. *sine fide impossibile est placere Deo.* Ergo cum placere Deo in adultis omnino necessarium sit ad salutem, idem etiam dicendum de fide actuali de qua loquitur Apostol. Quod argumentum probat, & prosequitur D. Paulus tota Epistola ad Romanos, & tota ad Galatas. Probatur secundò ex Trident. *sess.*6. *cap.*7. vbi ita habet: *Baptismus est Sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio.* Et *cap.*1. dum ait: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire.* Probatur tertiò authoritate Patrum, inter quos Leo Papa *serm.*4. *de Natiuit.* asserit, nihil posse esse sanctum sine fide: quod ex verbis citatis D. Pauli confirmatur. Fulgent. *lib. de fide ad Petrum. Sine hac fide* (vtique supernaturali de qua loquitur) *nemò ad filiorum numerum potest pertinere.* Et vt alios omittam, qui videri possunt apud Valent. *quæst.* 2. *part.*2. D. Augustin. *serm.* 38. *de tempore.* sic scribit: *Ad veram beatitudinem peruenire volentibus primo omnium fides est necessaria.* Et infrà: *Fides namque est bonorum omnium fundamentum, humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire, quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.* Probatur quartò ratione. Nemo potest iustificari sine formali iustitia, vt per se euidens videtur, aliter esset effectus formalis sine forma; atqui adultus nulla ratione potest sine fide supernaturali consequi formalem iustitiam, id enim esset contra Tridentinum citatum. Ergo sine fide nemo potest iustificari.

D. Thomas. Magister. Cano. Caietanus. Pererius. Valentia. Sanchez. Suarez. Becanus. Leo Papa. Fulgent. D. August.

8. Dixi in conclusione, fidem actualem, & supernaturalem esse necessariam necessitate medij in adultis, non verò absolutè in omnibus, quia aliter euenire potest in iis, qui ad vsum rationis nondum perueniunt; ij enim, modò ratione baptismi, olim verò vel ratione circuncisionis, vel ratione alicuius sacrificij, aut alterius signi externi, iustificabantur sine fide actuali propria, licèt non sine habituali: Vnde licèt verum sit fidem simpliciter esse necessariam pro omnibus ad salutem, intelligendo per fidem, vel actualem, vel habitualem; non tamen id verum erit dicere de fide tantùm actuali, nisi cum aliquibus dicatur pueros in eo euentu iustificari per fidem actualem parentum, vel eorum per quos offeruntur Deo, vel saltem Ecclesiæ, cuius Sacramentum applicatur dictis paruulis, quod Diuus Augustinus passim docuit *lib.* nimirùm 10. *Genes. ad litteram, cap.* 14. & *serm.* 14. *de verbis Apostoli, cap.* 18. & *cap.* 19. & alibi. Quem modum loquendi non approbo: quia, quando dicimus fidem esse necessariam ad salutem, id intelligitur de fide propria eius qui saluatur.

D. August.

9. Hanc conclusionem impugnauit Pelagius, & ab eo dicti Pelagiani, quatenus asserebat pueros saluari posse sine fide, imò & sine iustitia, quia carebant peccato originali; & adultos cum sola cognitione naturali Dei, quod de facto eueniebat in statu legis naturæ, quamuis in lege scripta & gratiæ semper requiratur aliqua cognitio supernaturalis, non tamen necessariò simpliciter, sed ad melius esse. Hæc tamen impia existimatio per seipsam corruit cum falso nitatur fundamento, quod in materia de gratia impugnari solet. Non soli tamen hæretici à nostra conclusione recesserunt, sed Catholici etiam pauci. Vega *lib.* 6. *in Trident. cap.* 20. *&* 21. Dominicus Soto *lib.*2. *de natura, & gratia cap.*11. *in prima editione.* Quam sententiam postea in altera editione, & *lib.*4. *sentent. dist.* 1. *quæst.* 2. *artic.* 3. *& in fin.*

fine totius quarti in recognitione suorum operum. Quibus videtur fauere D. Thom. *ad Romanos* 2. quatenus proponit hanc opinionem, & tamen illam non reprobat. Et accedit Clemens Alexandrinus *lib.6.strom.* quatenus ait Gentes ante Christi aduentum potuisse saluari in alia fide. Et simile habet Iustinus Martyr *apolog.*2. *pro Christianis.* D.Chrysost.*homil.*37 *in Matth.*

10. Quatuor inter alia argumenta fieri solent pro hac opinione contra nostram & communem sententiam necessariò dissoluenda. Primum desumitur ex D. Paulo *ad Rom.*2. c.3. dum ait, Infideles ideo iure esse damnandos, quia *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt,* quasi existimaret posse cum illa cognitione Dei quam habebant, quæ sine dubio non erat cognitio fidei, Deum laudare, & illi gratias agere, & consequenter cum ea sola cognitione iustificari. Et idem colligi potest ex verbis eiusdem *cap.*2. Quatenus asserit quòd *factores legis iustificabuntur*, & tamen suprà dixerat quòd *Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.* Ex quo bene videtur posse colligi absque actu fidei supernaturali, sed cum sola cognitione naturali posse Gentiles iustificari, & consequenter saluari. Respondetur tamen D. Paulum prioribus verbis non voluisse significare Gentes quæ cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, potuisse cum illa sola cognitione Deum glorificare, & illi gratias agere, ita vt per talem glorificationem & gratiarum actionem iustificarentur; sed solùm cum dicta cognitione naturali potuisse Deum glorificare & illi gratias agere, ita vt non ponerent obicem diuinæ illuminationi, qua actum fidei elicere, & iustificari postea possent; & quia id non fecerunt, fuisse desertos. Ad alium locum dicendum cum Vasq. 1. 2. *disp.* 190. *cap.* 15. particulam illam, *naturaliter*, non poni ibi prout opponitur gratiæ, sed legi scriptæ, ita vt sensus loci sit, Gentiles qui legem Moysis non habent, loco talis legis vsos fuisse lumine siue lege naturali, sed tamen non sine auxilio gratiæ.

Ad Rom.2.

11. Secundum argumentum ita habet. Media omnino necessaria ad salutem, possibilia esse debent omnibus omnino adultis viatoribus; atqui fides actualis in re, in aliquo casu est impossibilis alicui viatori; ergo signum est quòd illa non sit medium omnino necessarium Maior inde patet, quia aliter non appatet, qua ratione velit Deus quantum ex se *omnes homines saluos fieri*, & quòd omnibus concedat media sufficientia ad salutem. Minor patet in multis, qui fidei ignorantiam habent inuincibilem, vt infrà probabimus loquendo de infidelitate. Respondetur negando minorem, quia infideles omnes nisi impedimentum ponant diuinæ prouidentiæ ratione naturali prauè vtendo, absque dubio à Deo illuminabuntur, ita vt elicere possint actum fidei, ac proinde si aliquando non possunt, per eos stetit quòd non possint.

12. Tertium argumentum desumitur ex D. Thom. 1. 2. *quæst.*89 *art.* 6. dum ait puerum, qui nihil vnquam de Deo & fide audiuit, si vbi primùm perueniet ad vsum rationis, faciat quod in se est operando quod sibi visum fuerit decere, iustificandum esse. Quo posito sic firmo argumentum: Puer ille iustificabitur sine fide, quia illam non habet, siquidem supponitur nihil de illa audiuisse; ergo sine fide aliquando iustificatio comparari potest. Respondetur, D. Thomam non docuisse illum puerum faciendo in eo euentu quod in se est, fore iustificandum immediatè, sed solùm vt piè credi potest, fore illuminandum ad eliciendum actum fidei & contritionis, quibus si eos eliciat formaliter iusticetur. Vrgebis. Non minus supernaturalis est illuminatio illa, quàm iustificatio; ergo si puer ille per opera naturalia disponi potest vt illuminetur, disponetur, etiam vt immediatè iustificetur. Respondetur. negando consequentiam, & maior ratio est, quòd illuminatio, licet sit prima gratia, est tamen prima gratia vocans siue auxilians; at verò iustificatio est prima gratia iustificans, & hæc homini adulto nunquam datur sine propria dispositione: ille verò datur non ponenti obicem; imò & prauè affecto. Sæpe enim Deus vocat peccatores in ipso actu peccati.

D.Thom.

Quartum argumentum sit. Media necessaria ad salutem non solent esse semper necessaria in re, sed satis est si dentur vel in re, vel in voto, vt videre est in Baptismo, Pœnitentia &c. ergo idem dicendum de actu fidei, ac proinde quòd non sit semper necessarius in re. Valet consequentia propter paritatem rationis; ideò enim dicimus Baptismum, Pœnitētiam, & similia sufficere aliquando in voto, quia cum sæpe sint homini impossibilia, si non sufficerent in voto, necessarium esset recurrere ad miracula; quod idem eueniret in actu fidei, necessarium enim esset recurrere ad illuminationes extraordinarias per Angelos, vel per homines miraculosè aliunde adductos; ergo &c. Respondetur distinguendo antecedens, & concedendo media necessaria ad salutem quæ consistunt in actibus externis, in casu necessitatis satis esse si dentur in voto, negandum id semper verum esse in mediis quæ consistunt in actibus internis; & maior ratio de his, quàm de illis, est, quia actus interni sunt per se dispositio animæ ad iustificationem; at verò externi solum id habent ex institutione Dei Cum ergo in adultis dari nequeat iustificatio ex diuina prouidentia sine dispositione per se, fit vt actus interni suppleri non semper possint, & consequenter quòd non semper satis sint in voto, vt satis sunt actus externi. Vrges. Actus etiam interni sæpe supplentur per alios, v. g. dolor de peccatis, per actum amoris Dei super omnia, & propositum amplius non peccandi per actum contritionis, vel attritionis ex motiuo generali, vt dicitur in materia de pœnitentia. ergo etiam si fides sit actus internus, adhuc poterit suppleri per alium actum. Respondetur negando consequentiam, & ratio est, quia actus fidei non potest contineri in alio tanquam in voto; quia si contineretur in alio, contineretur in supernaturali aliquo actu, ipsa fide perfectiori, quemadmodum dolor de peccatis & propositum non peccandi in amore Dei super omnia. Atqui in homine, qui non habet fidem, nullus datur actus supernaturalis, nedum perfectior fide; ergo licet alij actus suppleri possint aliquando, nunquam id erit admittendum in fide. 13.

Posito quòd actus fidei in re omnino requiratur ad gratiam & vitam æternam comparandam, sequitur inquirendum ad quænam obiecta se debeat extendere huiusmodi actus fidei. Statuo igitur secundò. Actus fidei, quem dicimus requiri, in primis debet esse de Deo, & de iis quæ in Deo per scientiam naturalem assequi possumus. v. g. de illius existentia, & quòd sit causa omnium, & ab omnibus independens. Quòd prædictus actus fidei debeat esse de Deo & eius existentia, colligitur apertè ex Hebræorum 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*; vnde D. Thom. 1. 2. *quæst.*16. *art.*11. ait hanc propositionem, *Deus est*, esse primam & principalem 14.

D.Thom.

inter

inter omnia credibilia; & iure optimo, quia illa est in qua reliqua credibilia fundantur. Quapropter egregiè dicere potuit D. Chrysostomus *hom. 22. in Epistolas Pauli* ad verba citata. *Nisi credamus quòd Deus sit, labuntur nobis omnia, & non stant.* Quod manifestè ostendi potest, quia quidquid creditur, necesse est credi propter authoritatem reuelantis, cum hæc sit ratio formalis fidei: at verò in Deo reuelante necessariò includitur existentia, vt patet. Ergo, &c. Quòd verò vlteriùs necessarium sit cognoscere quòd Deus sit causa prima omnium, & ab omnibus independens, ostenditur; quia necessarium est cognoscere per fidem Deum, quantum opus est, vt conceptus veri Dei habeatur, illum distinguendo à creaturis, & quantum opus est vt ipsum dignè honoremus, & glorificemus. Atqui non potest haberi conceptus veri Dei, nisi cognoscatur independens ab omnibus; neque illum dignè colere, & honorare possumus, nisi colamus eum cognitum, vt vnum & supremum Dominum, factorem omnium. Ergo, & cætera.

D. Chrysost.

15. Statuo tertiò. Actus fidei necessarius ad salutem debet etiam extendi ad aliquid supernaturale, nimirum quòd Deus sit remunerator meritorum, ita vt iustis reddat vitam æternam, & peccatoribus supplicium æternum. Probatur ex D. Paulo ad Hebræos 11. *cit. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* In his duabus assertionibus conueniunt communiter Doctores, quamuis non omnes existiment, quòd in singulis iustificationibus adultorum requiratur quòd actus fidei ad hæc omnia explicitè terminetur; quamuis enim per se id necessarium sit, vt optimè aduertit Suar. *cit. num.* 7. aliquando tamen satis erit quòd aliqua ex iis cognoscantur, & credantur expresè, reliqua virtute, & solùm in voto.

16. Suarez. Illud tamen aduerto cum eodem Suar. *cit. num.* 10. Quod diximus de necessitate fidei ad salutem, & vitam æternam comparandam in adultis, intelligendum de gratia, & vita æterna comparanda ab ipsis adultis, quatenùs adulti sunt, & non aliter. Nam si Petrus, v. g. puer ante vsum rationis baptizatus fuit, & consequenter accepit gratiam, si postea adueniente vsu rationis per aliquod breue spatium viuat absque peccato (quod non puto impossibile) & moriatur post illud, saluabitur quidem, sed tum temporis non comparauit gratiam, & gloriam propriè adultus, quia quando puer consequutus est gratiam, & ratione illius ius ad gloriam; adultus enim neque primam gratiam, vt suppono, neque eius augmentum comparauit, & consequenter neque ius aliquod ad gloriam acquisiuit. Vnde licet iam adultus possessionem gloriæ ingressus sit; illam tamen non nisi puer ante vsum rationis comparauit.

17. Statuo quartò. A lapsu Adami vsque ad aduentum Christi, imò & post illius aduentum, ante sufficientem tamen Euangelij promulgationem, requirebatur ex necessitate medij fides Christi, sed satis erat implicita. Hæc conclusio quatenus asserit requiri fidem Christi ante eius aduentum communis est Theologorum in 3. *d.* 25. & optimè illam probat Valent. 2. 2. *quæst. 2. punct.* 4. & probatur ex locis Scripturæ, in quibus ad gratiam, & gloriam comparandam dicitur necessariam esse fidem Christi, cuius meritis comparandæ erant.
Act. 4. Ita habetur Act. 4. *Nullum nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.*
AdRom. 3. 4. Similia habentur *ad Roman.* 3. 4. & 5. *ad Galat.* 2. & 3. & 1. *ad Corinth.* 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus IESVS.* Ad Galat. Ad Cor. 3.
Sufficere verò eandem Christi fidem implicitam eo temporis, satis conuincitur, eo quòd notitia Christi tunc in mundo adeo exigua fuerit, vt non appareat fuisse conueniens diuinæ prouidentiæ obligare homines sub necessitate neque medij, neque præcepti, ad illam explicitam habendam. Quatenùs verò conclusio ait sufficisse fidem Christi implicitam etiam post eius aduentum vsque ad sufficientem Euangelij promulgationem, non ita communis est. Eam tamen bene tuetur Valent. *punct.* 4. *cit.* paulò post principium. Sanchez *l.* 2. *Decalog. cap.* 2. *num.* 7. Suar. *de fide disput.* 12. *sec.* 4. *num.* 4. Sanchez. Suarez.
Probatur primò, exemplo Cornelij qui Act 10. dicitur iustus etiam antequam ad eum missus fuerit Petrus, cùm tamen eousque temporis de Christo nihil explicitè sciret. Probatur secundò ratione, ante sufficientem promulgationem Euangelij lex euangelica quoad obligationem ita se habebat, ac si non esset; sed ante euangelium sufficiebat fides Christi implicita vt probauimus; ergo etiam eadem fides Christi implicita sufficiet ante promulgationem Euãgelij.

18. Quæres verò, in quo actu fidei explicitè potuerit contineri fides Christi implicita? Respondeo cum Valent. citato, contineri in actu, quo quis expresè crederet Deum esse authorem donorum supernaturalium, quæ in remedium peccatorum necessaria sunt. Et hunc actum satis fuisse etiam cum quauis alia ignorantia Christi ad vtramque salutem gratiæ, & gloriæ comparandam, asseueramus.

19. Contra hanc conclusionem, quatenùs asserit sufficisse fidem Christi implicitam ante sufficientem Euangelij promulgationem sentit Becanus *part. 2. summæ cap.* 12. *quæst.* 2. *num.* 2. dum requirit explicitam fidem Mediatoris siue Redemptoris, licet non fuerit explicita quoad diuinitatem, & passionem eiusdem Mediatoris. Et citat pro se Alexand. 3. *part. quæst.* 82. *membr.* 3. *artic.* 1. Albert. *in* 1. *d.* 25. *artic.* 1. Bonau. ibi. *art.* 1. *quæst.* 2. Scotum *quæst.* 1. Gabr. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. Becanus. Alexand. Albert. Bonau. Scotus. Gabriel.
Fundamenta tamen quibus nititur, facilè solui possunt. Primum est: Fides Christi requirebatur ad salutem etiam in lege veteri, vt suprà diximus colligi ex scriptura passim, & ex illo ad Galatas 3. 22. *Scriptura conclusit omnia sub peccato, vt promissio ex fide IESV Christi daretur credentibus:* hæc fides Christi necessariò debet esse explicita Mediatoris, siue Redemptoris. Neganda tamen est consequentia: nam fides Christi implicita sufficiebat esse explicita de Deo auctore donorum supernaturalium quæ necessaria sunt ad salutem, vt suprà diximus. Secundum Fundamentum desumitur ex Augustino, quatenus *epistola* 89. *ad Hilarium quæst.* 5. & *epist.* 157. *ad Optatum, & lib.* 1. *contra duas Epistolas Pelagianorum*, asserit iustos veteris testamenti fuisse liberatos eadem fide, qua liberantur fideles in lege gratiæ. D. Augustin.
Ad illud tamen concesso quòd iusti veteris testamenti fuerint liberati sub eadem fide, negandum est liberatos fuisse sub eadem fide explicita Christi. Tertium fundamentum omitto, quia facilè solui potest.

20. Statuo quintò. Post sufficientem Euangelij promulgationem Christi fides explicita omnibus ac singulis necessaria est necessitate medij ad vtramque salutem gratiæ, & gloriæ consequendam. Ita Valent. *quæst.* 2. *part.* 4. *assert.* 3. circa initium. Becanus *part.* 2. *summæ cap.* 12. *quæst.* 2. *art.* 10. Valentia. Becanus.

Sanchez. Molina. *art.* 10. Sanch. *tom.* 1. *Decalogi l.* 2. *cap.* 2. *num.* 8. & 9. Molina 1. *part.* 9. *punct.* 4. *initio.* Tolet. 1. *p. summa cap.* 2. & *cap.* 2. *in Ioan. cap.* 17. ad Lorin. 12. illa verba: *hac est vita aterna*, &c. Lorin. *act.* 4. *vers.* 13. & *cap.* 8. *vers.* 37. & *cap.* 10. *vers.* 2. qui pro se citant Hugonem, Victorin. Alexand. Albertum, Bonauent. & alios, imò & S. Thom. 2.2.*d.* 25. *quæst.* 2 *art.* 2. Probatur primò ex multis Scripturæ locis. Marc. vltimo: *Qui non crediderit* (vtique in Christum, quia de Euangelio Ioan. 3. eius sermo erat) *condemnabitur.* Ioan. 3. *Oportet exaltari filium hominis, vt omnis, qui credit in illum, non pereat.* Et infrà de eo qui non crediderit additur: *Qui in eum non credit, iam iudicatus est; quia non credit in nomine vnigeniti fi-* Ioan. 17. *lij Dei.* Et Ioan. 17. *Hac est vita aterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti* Roman. 3. *IESVM Christum.* Rom. 3. *Iustitia Dei per fidem* Gal. 2. *IESV Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum.* Ad Galat. 2. *Non iustificatur homo nisi per fidem IESV Christi.* Ex quibus, & aliis multis quæ passim referuntur à citatis, satis colligitur fidem Christi explicitam in lege gratiæ esse necessariam necessitate medij ad vtramque salutem. Probatur secundò ratione; quia maximè decebat, vt in lege gratiæ, in qua fides Christi omnibus explicitè prædicatur, & quæ tota in Christo fundata est, vt ipse etiam Christus explicitè necessariò crederetur, præcipuè cùm id maximè inseruiat ad illius gloriam, & ad excitandum in hominibus amorem erga illum.

21. Conc. Trid. Duæ sunt contra hanc conclusionem sententiæ. Prima est Vegæ *lib.* 6. *super Concil. Trid. cap.* 19. Med. *l.* 4. *de recta in Deum fide cap.* 20. Sotus. Maldonat. Sot. *in* 4. *d.* 5. *quæst.* 2. *artic.* 2. & *l.* 2. *de nat. & grat. cap.* 11. & 12. Maldonat. *Ioan.* 5. *num.* 25. quibus aliqui Recentiores subscribunt; & negat absolutè fidem Christi necessariam esse necessitate medij. Fundamentum istius sententiæ est: sine fide Christi explicita potest haberi dilectio Dei, & contritio peccatorum, vt accidit in lege naturæ & in lege scripta; sed dilectio Dei, & contritio peccatorum sunt per se proximæ dispositiones ad gratiam; ergo sine fide Christi explicita potest haberi iustificatio, & consequenter potest gloria comparari. Respondetur tamen ad hoc fundamentum, non conferri in lege gratiæ nisi iis qui fidem explicitam Christi Domini habuerint, idque ex speciali Dei decreto, vt colligitur ex locis suprà citatis scripturæ.

22. Altera sententia contraria nostræ conclusioni, admittit quidem nobiscum necessariam esse fidem explicitam Christi ad comparandam gloriam, quia id colligitur ex locis citatis scripturæ; negat tamen requiri ad gratiam comparandam propter rationem factam pro prima sententia opposita. Ita Caietan. Bannes. Caietan. *in relectione de sacr. in genere part.* 2. *quæst.* 2. *conclus.* 3. Bañes 2.2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 3. *conclus.* 1. & 2. Fundamentum huius sententiæ quatenus nobis aduersatur, iam solutum manet § antecedenti. Illud tamen addo, immeritò requiri ab authoribus huius sententiæ maiorem fidem ad beatitudinem seu ad salutem gloriæ vt ipsi loquuntur, quàm ad salutem gratiæ siue iustificationem, cum de lege ordinaria qui filius adoptiuus Dei est per gratiam, hæres sit gloriæ, & ad illam obtinendam ius habeat, ac proinde quidquid non est necessarium ad gratiam, neque ad gloriam requiretur.

23. Suarez. Suarez *de fide disput.* 12. *sect.* 4. *num.* 18. concedit nobiscum fidem explicitam Christi per se necessariam esse ad gratiam, & gloriam comparandam; addit tamen per accidens satis aliquando esse fidem Christi explicitam in voto, & non semper requiri in re. Et existimat hanc fortasse fuisse mentem tum Doctorum quos pro nostra sententia citauimus: tum eorum qui sequuntur primam nostræ contrariam. Illi enim dum absolutè requirunt fidem explicitam Christi ad vtranque salutem, fortè loquuntur solùm de necessitate per se, quæ per accidens tolli possit: hi verò dum negant necessitatem fidei Christi explicitæ, id intelligunt de fide explicita in re, non verò de eadem in voto saltem. Hæc Suarij doctrina probabilis sanè est, sed tamen mihi congruentius & loquendi modo scripturæ, & rationi, videtur, vt maior fides Christi requiratur in lege Christi, quàm sit fides explicita solùm in voto, cum qua potest simul esse omnimoda ignorantia ipsius Christi. Neque est, cur timeamus inconuenientia aliqua, quæ afferri solent: quòd nimirum si ita sit, vel condemnabitur aliquis faciens quod in se est, imo in gratia, vel saltem necessarium erit confugere ad miracula, vt accidet in in puero baptizato, & educato inter gentiles, si post vsum rationis abstineat à peccatis & viuat secundùm legem naturalem. Non, inquam, est, cur hæc inconuenientia timeamus; tum quia summa Dei prouidentia iis omnibus sufficientissimè obuiabit, vt suum decretum stare possit; tum quia non debet censeri inconueniens aliquando ad miracula confugere, vt accidet in simili puero si educeretur inter eos qui nullam prorsus vnius Dei cognitionem habeant, quamuis id rarius euenire posse videatur, cùm facilius vnius Dei, quàm Christi Domini notitia habeatur.

Quæ hactenus diximus de necessitate fidei explicitæ Christi Domini in lege gratiæ, dicenda 24. etiam sunt de necessitate fidei explicitæ de sanctissima Trinitate in eadem lege, ac proinde dicendum necessariam esse necessitate medij ad vtranque salutem. Ita D.Thom. 1.2. *quæst.* 2. *art.* 8. Va- D.Thomas. lent. *quæst.* 2. *part.* 5. *assert.* 2. & reliqui, quos suprà citauimus. Probatur verò primò ex illo Matth. 28. vbi Christus Dominus postquam præ- Matth. 28. cepit Apostolis vt baptizarent *in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti*, addit, *qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verè non crediderit*, vtique mysterium etiam Trinitatis, de quo expressa facta fuerat mentio, *condemnabitur.* Probatur secundò. Explicita fides Christi necessaria est necessitate medij, vt diximus; ergo & fides explicita Trinitatis, siquidem illa sine hac haberi non potest.

Locutus sum in præcedenti conclusione de ne- 25. cessitate fidei explicitæ Trinitatis in sola lege gratiæ, quia tempore legis naturæ, vel legis scriptæ, nulla prorsus erat necessaria notitia Trinitatis; quod apertè colligitur, quia aliter non esset in lege veteri exigua adeo notitia Trinitatis, vt vix in aliis quàm prophetis reperiretur.

SVMMARIVM.

Requiritur ex necessitate præcepti quòd fideles etiam rudes aliquos fidei articulos explicitè credant. Aliqui solum assignant quæ necessaria sunt ex necessitate medij. Alij quæ Ecclesia solemni ritu celebrat. num. 26. & 27.

Secunda sententia assignat Symbolum Apostolorum. num. 28.

Tertia sententia 14. articulos fidei Catechismi. n. 29.

Displicet prima sententia. num. 30.

Conciliantur duæ posteriores. num. 31.

Soluuntur argumenta. *num.* 32.
Qua distinctione cognosci debeant mysteria in Symbolo & 14 articulis contenta. *num.* 33.
Discurritur per singulos articulos, & primò per eos qui ad diuinitatem pertinent. *num.* 34.
Discurritur per eos, qui pertinent ad humanitatem. *num.* 35. 36. & 37

26. EXplicatis iis quæ credere oportet ex necessitate medij, sequitur dicamus de iis quæ tenemur credere ex necessitate præcepti. Et quoniam præceptum fidei versatur vel circa ea quæ credenda sunt per se, & propter cognitionem, vel circa ea quæ credenda sunt propter operationem, vt diximus *cap. 2. aduertendo 6 num. 6.* priùs dicemus de iis quæ credi debent per se, & propter cognitionem; postea verò de iis quæ credi debent propter operationem.

27. In hac re certum imprimis est, fideles omnes etiam rudes teneri ad credendum explicitè aliquos fidei articulos, & non satis esse generatim credere quod credit Ecclesia, id enim damnatum

Gregor. II. Direct. Inq.

fuit à Gregorio II. cum Concilio Cardinalium & Theologorum, vt tradit Directorium Inquisitorum 2. *part. quæst.* 10 *art.* 8. Controuersum tamen est inter Doctores, quinam sint ij articuli quos ex præcepto credere tenemur. Aliqui inter

Medina. Richard. Gabriel.

quos est Medina *lib. 4. de recta in Deum fide cap. 6.* Richard. *in 3. d. 25. quæst. 2.* Gabriel 16. *quæst.* 1. *art.* 2. existimant ad nihil aliud credendum obligare præceptum fidei nisi tantùm ad ea quæ suprà diximus teneri ex necessitate medij. quibus vi-

D. Thomas.

detur fauere D. Thom. *in 3. quæst. 2 art. 1. quæstiun.* 3 Econtra verò alij ad plura mysteria credenda fideles obligari existimant, quorum tres nume-

Durandus. Sanchez.

rantur sententiæ. Prima est Durand *in 3. d. 25. q. 1. num* 9 Bonauent. *ibid. quæst.* 3. & alij apud Sanch. *in Decalogum l. 2. cap. 3. n. 6.* qui vlterius dari putant præceptum credendi omnia mysteria illa fidei, quæ Ecclesia solemni ritu celebrat, eo quòd Ecclesia solemni illo cultu ea videatur mysteria fidelibus credenda proponere.

28. Secunda sententia asserit teneri fideles ex præcepto credere mysteria omnia quæ in Symbolo Apostolorum continentur in 12. articulis. Eam

Gabriel.

tuentur Gabriel. *concl. 3. dist. 25. quæst vlt. art. 2. post. 5. conclus verb ad hoc autem* D. Bonau. Mars. Scotus, Castro, Bañes, Arag. Sayr. *in claus Regia*

Sanchez. Valentia.

apud Sanch. cit *l. 2. cap. 3. num* 4 è nostris Valentia 2. 2. *disp* 1. *quæst. 2. punct.* 3 *concl. 2. & punct. 4. in quæstione de credendis ex necessitate præcepti in dubio*

Suarez.

quod monet post 2. conclus. Suar. *de fide disp.* 13. *sect.* 14 *num.* 5. quamuis ibi non absolutè dicat omnia, sed fere omnia mysteria in Symbolo contenta

Becanus. Bellarm.

à fidelibus debere credi. Becanus *in summa Theologia part. 2. cap. 12. num,* 8. Bellarminus *in explicatione symboli* §. 3. *fine*, & 5. *prope medium.* Layman. *tract. 1. cap. 9. num. 2. assert.* 3. Et videtur

Augustin.

esse sententia Augustini, qui *sermone* 130. *de tempore*, initio, ita habet: *Symbolum est regula fidei vestra breuis & grandis: breuis numero verborum, grandis pondere sententiarum* Et serm. 181 de tempore. *Apostoli certam regulam fidei tradiderunt, quam secundum numerum Apostolorum 12. sententys comprehensam symbolum vocauerunt, per quam credentes catholicam tenerent vnitatem, & hæreticam conuincerent prauitatem.* Probatur primò ex Catechismo Pij V. dum ait: *Quæ primum Christiani homines tenere debent, illa sunt quæ sancti Apostoli diuino spiritu afflati duodecim symboli articulis distinxerunt.* Probatur secundò ratione. In dubio, quod certè magnum est, de mysteriis explicitè credendis, necessarium est vt aliqua adhibeatur regula; nulla alia certior & accommodatior videtur posito quòd non sufficiat credere quæ necessaria sunt necessitate medij, quàm illa quam Apostoli diuino ducti spiritu nobis tradiderunt., nimirum symbolum. Ergo &c. Probatur tertiò ex vsu & traditione Ecclesiæ: nulla enim alia de causa adultus neque baptizatur, neque absoluitur, neque admittitur ad matrimonij sacramentum, qui symbolum ignoret, nisi quia communiter existimatur in Ecclesia dari præceptum illa sciendi, & à fortiori illa credendi quæ in dicto symbolo continentur, siquidem ideo sciri debent, quia illa credere tenemur.

Tertia sententia docet satis esse credere explicitè mysteria illa quæ continentur in 14. articulis fidei, qui in cathechismo puerorum circunferuntur. Ita expressè Sanch. *l. 2. cap. 3. num. 6.* Tolet. *l. 4. summa cap. 2. ad finem.* Vasquez 12. *quæst.* 76. *art. 2. d. 121. cap. 2. num.* 2. Armilla, Emericus, Peña, Petr. Ledesm. Manuel. Ludou. Lop. apud Sanch. citatum. Fundamentum est, quia Ecclesia colligendo 14. illos articulos ex symbolo Apostolorum & Nicæno, videtur eos proposuisse vt necessariò credendos, ac proinde quòd ea sit regula explicitè credendorum ex præcepto. Quòd verò specialiter non sit necessarium credere omnia quæ in symbolo Apostolorum continentur, patet ex illo articulo de communione sanctorum, qui adeo excedit captum rudium, vt vix à doctis percipiatur; ac proinde non videtur probabile, quòd omnes fideles etiam rudes teneantur illum explicitè credere. 29.

Sanchez. Toletus. Vasquez.

Ex his tribus sententiis prima mihi non placet, quia multa sunt fidei mysteria quæ solemni ritu ab Ecclesia celebrantur, ad quæ tamen credenda non videntur fideles ex præcepto obligari. Qualia sunt circuncisio Christi Domini, eius transfiguratio, trium Magorum aduentus & adoratio. Duæ sequentes mihi ex æquo placent: imo mihi contrariæ non videntur. 30.

Statuo igitur sextò. Ex necessitate præcepti tenentur fideles omnes explicitè credere mysteria fidei quæ continentur vel in symbolo Apostolorum, vel in 14. articulis fidei. Ita expressè Nauar. *lib. 5. consil. tit. de pœnit. & remiss. in prima editione consil. 6. quæst. 1. in secunda consil.* 10. *quæst.* 1. & Azor. 1. *part l. 8. instit. moral cap. 6. num. 2. 3. & 4.*

Nauarr. Azor.

Fundamentum est, quia mysteria fidei quæ continentur in Symbolo Apostolorum, omnia sufficienter continentur in 14 fidei articulis Et è contra, licet quædam expressiùs in his quàm in illo, & è contra Quòd omnia quæ continentur in 14. articulis contineantur in symbolo, patet conferenti ea inter se. Quòd verò mysteria in symbolo contenta contineantur etiam 14. articulis, probari potest, quia remissio peccatorum & carnis resurrectio, quæ viderentur alicui desiderari in 14. articulis, in illis etiam reperiuntur; remissio peccatorum in articulo in quo Deus dicitur saluator; carnis resurrectio in articulo, in quo Deus dicitur glorificator, quod optimè aduertit Sanchez *n.* 7.

31. De Ecclesia Catholica quam communiter DD. docent necessariò fore explicitè credendam, quia sit fundamentum nostræ fidei, cui ipsa tanquam proponenti innititur, non video qua ratione dici possit explicitè contineri in 14. articulis, licet Azor suprà dicat contineri in articulo quo Deus dicitur saluator; sed tamen non ideo asserendum non esse satis credere 14. articulos, quia vt opti-

mè docet Vasquez suprà, hæc veritas quantum satis est ab omnibus Catholicis etiam rudibus scitur, quamuis aliqui eam sub his vocibus, *credo sanctam Ecclesiam*, ignorent; omnes enim sciunt dari multitudinem fidelium sub Summo Pontifice, & extra illam neminem saluari posse; neque enim mihi videtur necessarium explicitè
Bañes. credere, vt existimat Bañes 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub* 2. *pag.* 425. *vers. Ex hoc etiam*, dari congregationem fidelium sub vno capite, in qua sit vera sanctitas, quia id reuera excedit captum rudium. Cum igitur hæc veritas adeo fidelibus innotescat, & ad omnia credenda præsupponatur, iure dicetur, qui credit 14. articulos, satisfacere præcepto quo ad credendum tenetur, quia semper præsupponitur iam præbuisse etiam assensum fidei articulo Ecclesiæ Catholicæ si reliquis articulis assensum præbuit.

32. Argumenta suprà posita, quatenus nostram conclusionem impugnare videbantur, quia facilè ex dictis solui possunt; non est cur singillatim soluamus. Ad illud quod pro tertia sententia fecimus contra secundam ad probandum, non necessariò esse credenda explicitè omnia mysteria in Symbolo Apostolorum contenta, quia non erat opus credere communionem sanctorum, dicendum hunc articulum non esse distinctum ab illo quo credimus Ecclesiam Catholicam, ac proinde credendo explicitè dari Ecclesiam Catholicam, credimus etiam quantum satis est, dari sanctorum communionem; neque enim semper opus est vt contenta in Symbolo Apostolorum ita distincta cognoscantur, vt sunt in ipso symbolo, vt statim dicemus.

33. Quamuis absolutè diximus necessarium esse distinctè credere mysteria omnia vel in symbolo Apostolorum, vel in 14. articulis contenta; adhuc superest explicare qua distinctione credi debeant. Et imprimis generaliter dicêdum non esse necessarium omnia ita distinctè cognoscere, vt in ipso symbolo & 14. articulis continentur, sed satis esse ea distinctè cognoscere quo ad substantiam. v. g. non necessariò distinctè credere tenemur Christum Dominum fuisse mortuum sub Pontio Pilato, sed satis erit credere fuisse mortuum. Neque item necessarium erit credere, vt dicebamus in Ecclesia Catholica dari sanctorum communionem, cum id captum excedat rudium; sed satis erit credere id quoad substantiam credendo dari vnam Ecclesiam, &c.

34. Vt verò distinctius explicemus, qua distinctione credi debeant mysteria supradicta, necessarium erit per singulos articulos discurrere; & quia facilior erit discursus in 14. articulis, in iis rem conficiemus. Primus articulus eorum quæ ad diuinitatem pertinent, est, credere esse vnum Deum omnipotentem. Quoad vnitatem Dei, nihil amplius credere oportet, quàm id quòd suprà requisiuimus de necessitate medij. Quoad omnipotentiam ipsius Dei, satis erit credere
Suarez. quòd Deus sit creator Vniuersi, vt docet Suarez *disp. illa* 13. *sect.* 4. *num* 6. Neque oportebit credere creationem non fuisse ab æterno, sed in tempore, vt existimauit Bañes; non enim apparet vnde talis obligatio colligatur, cum neque contineatur in symbolo, neque alibi præceptum
Sanchez. inueniatur. Et ita docet Sanchez *l.* 2. *Decalogi cap.* 3. *num.* 17. Quoad tres sequentes articulos satis erit credere dari tres personas, quarum vna non sit alia, & omnes & singulæ sint vnus Deus, nec vlterius necesse est credere qua ratione vna procedat ab alia, nisi quantum ipsa nomina personarum important. De quinto articulo diximus in primo. De sexto & septimo quòd Deus sit saluator & glorificator, satis erit credere quod suprà diximus necessarium ex necessitate medij.

Iam verò quoad articulos pertinentes ad humanitatem Christi; circa primum credere sufficit 35.
quòd solus filius Dei homo factus sit, sine quòd Christus simul sit Deus & homo, neque requiritur distinctè credere dari in eo duas naturas, & minùs subsistentiam diuinam. ita docent Suarez *suprà*. Sanchez *num.* 57. Vasquez 1.2. *q.* 76 Suarez.
art. 2. *disp.* 121. *cap.* 2. *num.* 3. Circa secundum Sanchez.
quòd natus sit ex Maria Virgine, nihil occurrit Vasquez.
dicendum, quàm id quod verba ipsa important. Dubium tamen est, vtrùm satis sit credere Christum natum ex Virgine tempore partus, an requiratur explicitè credere quòd sanctissima mater etiam post partum virgo permanserit? Suar. *suprà num.* 7. affirmatiuam partem tuetur vt pro- Suarez.
babiliorem, quod docuerat etiam Bañes 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 2 *pag.* 425. Negatiua tamen Bañez.
pars mihi verior apparet, quam defendit Sanchez *num.* 17. *citato.* & Azor. *tom.* 1. *instit. moral lib.* 8. Sanchez.
c 6 *quæst.* 5. Ratio est, quia neque veritas hæc ne- Azor.
cessaria videtur ad vitam benè instituendam, neque in scriptura reperitur expressa, neque scitur fuisse omnibus explicitè prædicatum. Quoad tertium articulum, satis erit credere quod verbis 36.
exprimitur. Quoad quartum, existimat Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. disp* 43 *sect* 2. 5. *vltimò*, non esse Suarez.
in præcepto, eum explicitè credere, cuius quidem sententia mihi probabilior sanè apparet, quia reuera huius veritatis cognitio non videtur admodum necessaria in omnibus hominibus. Et deinde Tridentinum Concilium ea fortasse de causa hunc articulum in suo symbolo prætermisit, quemadmodum etiam D. Augustin. Iræneus, Tertullianus & Origines exponentes symbolum, eum non explicaruot. Si verò amplectamur sententiam Medinæ *in* 3 *part. quæst.* 70. *art.* 1. oppositum sentientis, quæ reuera secura & proba- Medina.
bilis est, imò & communis, quòd hic articulus expressè continetur in symbolo Apostolorum, & 14. articulis fidei, ac proinde tum ij qui docent teneri fideles ad credendum explicitè symbolum Apostolorum, tum qui existimant satis & necessarium esse ex præcepto credere 14. fidei articulos, stare videntur pro ea sententia.

Quoad quintum articulum de Resurrectione, nihil est quod addamus. Quoad sextum de Ascensione ad illam particulam, *sedet ad dexteram* 37.
Dei patris omnipotentis, quia reuera res est magis obscura quàm à rudibus capi possit, ideo satis videtur ad implendum præceptum si credatur Christus ascendisse in cælum, & ibi esse in maximo gradu gloriæ quatenus homo, æqualis ipsi patri in quantum Deus. De septimo, & vltimo nil dicendum occurrit, credendus enim necessariò est, vt verba ipsa explicant, & reuera articulus iste maximè necessarius est, & vt talis prædicatus fuit ab Apostolis, inter quos D. Paulus hinc suam prædicationem incepit, *Act.* 17. & eorum Princeps Petrus illud prædicandi præceptum speciale se habuisse dicit *Act.* 10.

SVMMARIVM.

Propter operationem debent fideles credere quoad substantiam Baptismi, Eucharistiæ & Pænitentiæ. num. 38. & 39.

Nemo

Nemo fidelis tenetur actu credere alia sacramenta nisi qui ea recipere voluerit. *num.* 40.
Tenetur fidelis credere præcepta Decalogi, & orationem Dominicam. *num.* 41.
Medina contradicens refellitur. *num.* 42.
Statuitur contra Becanum obligationem credendi supradicta oriri etiam ex præcepto fidei. 44.4.
Omnia quæ diximus debere credi ex præcepto, debent etiam sciri. *num.* 46.
Quinque præcepta Ecclesiæ ex præcepto sciri debent, non tamen credi. *num.* 47.
Plura alia credi & sciri debent pro ratione status & officij vniuscuiusque. *num.* 48.

38. Diximus de nbligatione credendi ea mysteria quæ credi debent per se & propter solam cognitionem. Dicamus modò de iis quæ cognosci seu credi debent propter operationem. Statuo igitur septimò. Tenentur fideles omnes ex necessitate præcepti credere quoad substantiam sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; scilicet Baptismum esse necessarium ad salutem, haberéque annexam obligationem seruandæ fidei in eo aceepta; sactamentum Pœnitentiæ esse iis necessarium, qui post Baptismum peccatum mortale commiserunt, in eóque esse peccata omnia sacerdoti cum dolore confitenda; Eucharistiam esse sub præcepto, in eáque contineri integrum Christum Dominum. Ita docet
Sanchez. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 3. *num* 9.
Henriq. Henriquez *l.* 6. *de pænit. cap.* 28. *num.* 2. Valent.
Valentia. 2.2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. post 2. conclusionem.
Suar. Suarez *disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 12. Becanus *cap.* 12.
Becanus. *summa parte* 2. *num.* 111. & est sententia Bañes
Bañes. 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 2. *pag.* 424. & Petri Le-
Ledesm. desmæ *tom.* 2. *summa, tract.* 1. *cap.* 2. *à conclus.* 9. *vsque ad finem decima.*

39. Probatur quoad Baptismum, quia sine fide Baptismi neque potest adultus illum petere & recipere, vt tenetur, si nondum est baptizatus; neque scire, si iam baptizatus est, quod huic obligationi satisfecerit, & quem statum profiteatur. Quoad sacramentum Pœnitentiæ ostenditur, quia omnes eo indigent, vel saltem indigere possunt, & illud tenentur recipere: quod facere nullo modo poterunt si illius fidem non habeant. Quoad Eucharistiam, idem etiam probatur ex præcepto quo omnes illam tenentur recipere, & quia præcipuum est nostræ fidei mysterium, in quo omnes tenemur præsentem Christum Dominum venerari; quod sine fide tanti sacramenti dignè fieri nequaquam poterit.

40. Aliqui quos tacito nomine refert Suar. suprà existimant eandem dari obligationem quoad reliqua sacramenta. Sed melius cum eodem Suar. & Sanchez citato dicendum absolutè non dari obligationem credendi reliqua sacramenta. Ratio est, quia solùm tenemur credere sacramenta propter operationem, siue propter eorum receptionem, vt scilicet illa dignè recipiamus. ergo cum reliqua sacramenta præter tria supradicta non necessariò recipi debeant, absolutè dicendum est non dari præceptum illa credendi. Antecedens inde probatur, quia nusquam reperitur expressum præceptum credendi dicta sacramenta, neque alia ratio assignatur vnde tale præceptum colligi possit. Quamuis absolutè loquendo nullum detur præceptum credendi reliqua supradicta sacramenta; aliter dicendum erit in casu quo quis illa sui compos recipere vel aliquo iam suscepto vti vellet; quòd tum tempori,

tenebitur illud sacramentum suscipiendum vel vtendum credere, quia aliter non poterit tale sacramentum dignè suscipere siue suscepto vti. Vt verò res exemplo clarior fiat, non tenetur quis absolutè credere sacramentum Ordinis vel Vnctionis, is tamen si sui compos recipere velit talia sacrameota, teoetur credere ea sacramenta esse vera sacramenta, gratiam conferre, & cum debita reuerentia esse suscipienda. Si tamen talia sacramenta dum oon erat sui compos v. g. Vnctionis sacramentum infirmus phreneticus, vel puer ante vsum rationis sacramentum Ordinis suscepit, is deobligabitur à fide talium sacramentorum, quia talis fides iam non est necessaria ad dignam receptionem illorum, cum iam supponantur suscepta; nisi forte velit vti sacramento Ordinis, quia tunc tenebitur ad credendum tale sacramentum, eo quod dignè vti tali sacramento non poterit, si illud nunquam credidit; aliter sæpe hæsitabit de vi & vtilitate illius, & illud sine debita reuerentia ministrabit, vel saltem periculo illud irreuerenter ministrandi se exponet. Quod dixi de vsu sacramenti, intelligendum est in sacrameoto Ordinis.

Statuo octauò. Tenentur etiam fideles crede- 41.
re præcepta Decalogi, & Orationem Dominicam, vtrumque quoad substantiam. Id est, tenentur credere præcepta Decalogi esse præcepta Dei; siue furari, occidere &c. esse offensionem & peccatum contra Deum. Et item omnia bona animæ & corporis petenda esse à Deo. Hanc conclusionem noo ita expressam inuenio in Auctoribus; solùm enim asserunt teneri fideles ad sciendum prædicta, nihil exprimendo de fide illorum. Eam tamen tuetur Suar. *de fide disp.* 13. Suar.
sect. 4. *num.* 11. Illam autem sic probo. Et primò, quòd teneantur fideles credere Decalogum prædicto modo quoad substantiam, quia sine fide Decalogi non potest haberi sufficiens ootitia ad eius obseruantiam; primò, quia omnis alia notitia est minùs certa quàm fides; secundò, quia omnis alia in rebus practicis præcipuè & moralibus à veritate deuiari potest; tertiò, quia etiam si aliqua alia certa dari possit, nequit tamen in omnibus reperiri; neque enim rudes proprio discursu illam comparare possunt. Argumentum desumptum est ex Suarez *disput. illa* 13. *de fide* Suar.
sect. 3. *num.* 4. quo probat in lege veteri, ex præcepto oecessarium fuisse credere præcepta moralia, & omnia quæ ad vitam rectè instituendam necessaria existebant. Contra tameo opi- 42.
natur Medina *lib.* 4. *de recta in Deum fide cap.* 6. Medina.
dum ait satis esse scire duo illa principia moralia. *Quod tibi non vis, alteri non facias:* & *quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Nam si nihil amplius ex Decalogo scire tenemur, neque etiam tenemur aliquid amplius credere, vt constat ex quarto aduertendo, in quo diximus obligationem aliquid credendi semper coniunctam esse cum obligatione illud sciendi. Ex quo optimè infertur, si non datur obligatio sciendi amplius de Decalogo quàm duo illa principia, neque etiam dari obligationem aliquid amplius credendi. Sed hæc existimano Medinæ sufficienter refellitur, primò, auctoritate Doctorum communiter existimantium dari præceptum de sciendo explicitè Decalogum quoad substan- Syluest.
tiam: ij sunt Syluester. *verb. scientia num. vnico*, & Angelus.
ibidem Angelus *num.* 1. Tabiena *ad finem*, Ar- Tabiena. Armilla.
mil. *num.* 2. Bañes 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 2. Bañes.
pag. 424. Petr. Ledesma *tom.* 2. *summa tract.* 1. Ledesm.

cap. 2.

Saytus. Sanchez. Suarez. Valentia. *cap. 2. conclus.* 11. & 12. Sayr. *in claui Regia l. 2. cap. 9. num.* 31. è nostris Sanch. *tom.* 1. *Decalogi l. 2. cap. 3. num.* 10. Suar. *disp. 13. de fide sect. 4. n.* 11. Valent 2. 2. *disp. 1. quæst. 2. punct. 5. post* 2. *conclus.* Et est communis sententia. Secundò refellitur, quia creditis & cognitis iis duobus principiis non est tam facile iudicare quid in casibus occurrentibus faciendum sit ad bene viuendum, vt existimat Medina, quia non satis ex iis colligitur, verùm non solùm prohibeatur operatio mali, sed etiam mali voluntas; quod tamen in Decalogo explicatur; & deinde ex illis principiis solùm colligitur obligatio in materia iustitiæ, non verò in materia religionis & aliis.

43. Quòd verò oratio Dominica necessariò credi debeat quoad substantiam saltem, credendo scilicet quod omnia corporis, & animæ bona à Deo petenda sint; probatur, quia tenemur Deum orare, vt communiter docent Theologi, & probat Suar. *tom* 2. *de relig. l. 3. sect.* 10. (Suarez.) quòd aliter diu permanere sine peccato mortali non possimus; atqui non possumus Deum orare vt idem probat Suar. & modò suppono, sine fide, & consequenter quin credamus à Deo petenda esse bona animę & corporis; siquidem fides huius rei videtur magis necessaria ad orationem, quàm fides de quolibet alio obiecto. ergo, &c.

44. Numeratis iis quæ diximus necessariò credi debere propter operationem occurrit statim quæstio verùm teneamur suprà dicta credere ex præcepto fidei, ita vt qui ea non crediderit, peccet contra præceptum fidei, atque adeo diuersum peccatum ab eo quod quis committeret si defectu actus fidei, v. g. non reciperet sacramentum aliquod cum debita reuerentia vel violaret aliquod ex præceptis Decalogi; An solùm teneamur ex alio præcepto v. g. dignè tractandi sacramenta, vel non iurandi, furandi &c. In hac quæstione Becanus *part. 2. summæ cap. 12. num.* 11. (Becanus.) existimat obligationem credendi suprà dicta oriri solùm ex præcepto dignè recipiendi sacramentum & aliorum, non verò ex præcepto fidei.

45. Econtra Suar. *disp illa 13. sect. 3. num. 6.* (Suarez.) docet loquendo generatim obligationem credendi supradictam prouenire ex speciali præcepto fidei, quamuis in particulari obligatio credendi aliquid propter operationem oriri possit ex præcepto faciendi vel fugiendi illud ad quod faciendum vel fugiendum requiritur fides illius rei. Quam sententiam magis approbo. Fundamentum est. Credere præcepta Decalogi, orationem dominicam & sacramenta ad quæ recipienda tenemur, pertinet ad statum hominis Christiani vt Christianus est, vt nimirum sit sufficienter instructus ad bene & Christianè viuendum. ergo obligatio credendi illa oritur ex aliquo speciali præcepto non alterius virtutis; ergo fidei. Negabis forte consequentiam, & dices obligationem illam oriri ex collectione præceptorum aliarum virtutum. Sed contra est; quia credere supradicta habet specialem bonitatem propter quam præcipi possit, ac proinde congruentius videtur quod specialiter præcipiatur. Quòd verò obligatio credendi rem aliquam propter operationem oriri possit ex præcepto faciendi vel fugiendi aliquid, probari potest exemplo desumpto ex sacramentis, ad quæ recipienda non obligamur. Nam fides eorum cum non sit simpliciter necessaria ad statum Christiani, siquidem per longissimum tempus & per totam vitam permanere possit, quin illi sit necessaria fides talium sacramentorum, satis est si dicamus obligationem illa credendi in casu quo recipienda sint, oriri ex præcepto quo obligamur illa reuerenter recipere. Et hinc patet, quòd non credere præcepta Decalogi, Orationem Dominicam, & Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, sit speciale peccatum necessariò in confessione explicandum, etiam quando defectu talis fidei peccaret contra aliquod præceptum Decalogi, vel dignam receptionem Sacramenti.

Hæc omnia quæ diximus ex præcepto debere credi, necessariò ex præcepto etiam sciri debent. 46.
Ita ij omnes supracitati, qui docent prædicta credi debere, & probatur facilè ex quarto præsupponendo.

Præter ea quæ credere tenemur ex præcepto, 47.
sunt aliqua alia quæ à fidelibus sciri debent, quamuis non sit necessarium ea credere. Nimirum quinque præcepta Ecclesiæ, vt docet Sayrus *in claui Regia l. 2. cap. 9. num.* 31. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi l. 2. cap. 3. num.* 10. (Sayrus. Sanchez.) cum pluribus quos ibi citat. Valent. addit 14. opera misericordiæ saltem pro tempore, quo illa debent exerceri. Existimo tamen longè probabilius vt docet Sanch. citat. satis esse in genere scire, obligari aliquando fideles ad subueniendum proximorum necessitatibus, quas vel in corpore vel in anima patiuntur. Nam maior notitia in hac re descendendo ad casus extremæ, grauis & leuis necessitatis, ita excedit captum vulgi, vt vix docti eam assequantur.

Hæ sunt obligationes omnibus fidelibus 48.
communes, neque enim loquimur de particularibus, quas aliqui ratione status, vel officij habere possunt. Solùm in genere dico certum omnino esse, vnumquemque teneri ad sciendum ea quæ ad suum statum vel officium obeundum necessaria sunt; aliter manifesto periculo se exponet non satisfaciendi illis. quod quàm sit contrarium rationi per se liquet, vt cum Azor. *tom. 2. inst. moral. l. 7. cap. 2. quæst* 3. docet Sanch. *suprà n.* 11. (Azor. Sanchez.) & est communis DD. sententia.

SVMMARIVM.

Necessaria ad salutem ex præcepto diuino credi debent. *num.* 49.
Ex eodem sciri debent. *num.* 59.
Ex præcepto etiam diuino debent credi aliqua mysteria fidei indeterminatè. *num.* 51.
Symbolum vel 14. Articuli ex præcepto Ecclesiastico credi debent. *num.* 52.
Sacramenta Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ ex præcepto diuino tenemur credere. Reliqua ex naturali. *num.* 53. 54.
Decalogum & orationem Dominicam credere, præceptum est naturale. *num.* 55.
Ecclesiasticum obligat scire quinque præcepta Ecclesiæ, & signum crucis. *num.* 56.
Quo tempore incipiat obligare præceptum credendi necessaria ad salutem remissinè, & quo tempore præceptum sciendi. *num.* 57.
Pueri vbi primum perueniunt ad annos discretionis, tenentur incipere supradicta addiscere. *num.* 58.
Debent supradicta pro captu cuiusque memoria retineri. *num.* 59.
Et non solum quoad substantiam sed verba etiam. *num.* 60.
Quoad substantiam sub peccato mortali. *num.* 61.
Quoad verba sub veniali. *num.* 62.
Non satisfacit qui non intelligit sciendo Latinè. *num.* 63.

Bene

Bene possunt Episcopi sub mortali obligari ad scienda prædicta quoad verba. num. 64.
Vt liberentur rudes à mortali satis est si prædicta ita retineant vt interrogati possint reddere rationem. num. 65.
Vtrùm ignorantia excuset eos qui viuunt inter infideles à peccato nesciendi prædicta. Negant aliqui. Resolutio tamen affirmatiua est. num. 66. & 67.
Qua ratione se habere debet confessarius cum his qui prædicta nesciunt, vel dubitat an sciant. num. 68. 69. 70.
In mortis articulo propter ignorantiam prædictorum nunquam neganda est absolutio. num. 71.
In mortis articulo & extra illum semper instruendus pœnitens ignorans. num. 72.
Non peccabit tamen confessarius prætermittendo nisi omnino careat Doctore. num. 73.
Absoluendi qui doctrinam Christianam non tenent memoria quoad verba. num. 74.

49. Aliqua dubia, circa supra dicta ad maiorem eorum explicationem à nobis resoluenda hic sunt. Quæres igitur primò ex quo præcepto diuino ne an ecclesiastico oriatur obligatio credendi ac sciendi omnia supradicta? Vt breuitati simul & claritati consulamus, dubium hoc septem conclusionibus expediemus. Prima sit Præceptum quod nos obligat ad credenda quæ necessaria diximus necessitate medij ad salutem, est diuinum. Ita Suar. *de fide disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 13. & Sanch. *tom.* 1. *decalogi l.* 2. *cap.* 3. *num.* 13. cum aliis quos citant. Probatur facilè. Definire media ad salutem necessaria, idem est atque præcipere & obligare ad talia media exequenda. Atqui solius Dei est definire vt medium necessarium ad salutem, credere aliqua mysteria fidei. ergo illius, atque adeo diuinum & non humanum est præceptum, quo obligamur credere vt medium ad salutem aliqua fidei mysteria.

50. Dico secundò. Præceptum quo obligamur scire ea quæ ex necessitate medij tenemur credere, est etiam diuinum. Ita supra citati. Ostenditur. Ex eo præcisè quod præcipiamur aliquid credere vt medium necessarium ad salutem, necessariò sequitur præceptum illud idem sciendi, vt patet ex aduertendo quarto. Atqui præceptum credendi supradicta est diuinum, vt diximus, ergo etiam præceptum illa sciendi.

51. Dico tertiò. Diuinum etiam est præceptum quo obligantur fideles ad credenda aliqua mysteria fidei indeterminata præter ea quæ sunt necessaria ex necessitate medij. Ita Suar. & Sanch. *suprà.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. cap.* 6. *quæst.* 4. & *cap.* 7. *quæst* 2. & communis sententia. Probatur. Datur præceptum de credendis aliquibus fidei mysteriis præter ea quæ necessaria sunt necessitate medij, vt patet ex supradictis; hoc præceptum non potest esse Ecclesiasticum, quia Ecclesia nō potest immediatè præcipere actus internos, siquidem nō iudicat de internis. ergo est diuinum.

Sanchez. Azor.

52. Dico quartò. Præceptum quo obligamur credere certa & determinata mysteria fidei, symbolum scilicet, vel 14. articulos, quoad determinationem materiæ est Ecclesiasticum, licet simpliciter sit diuinum positiuum. Hoc vltimum quod simpliciter sit præceptum diuinum docent Bañes 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 2 *pag.* 421. Petr. de Ledesm. 2. *tom. summæ tract.* 1. *cap.* 2. *conclus.* 5. è nostris Azor. *tom.* 1. *l.* 8. *inst. moral. cap* 6 *quæst.* 4. & *cap.* 7. *q.* 2. Sanch. *tom.* 1. *Decalogi l.* 2. *c.* 1 *n.* 12. Becanus *part.* 2. *summæ cap.* 12. *num.* 12. Probatur verò, quia credere est actus internus qui non cadit sub iurisdictionem Ecclesiæ; ergo præceptum obligans ad credendum non potest esse humanum, sed necessariò debet esse diuinum. Quod verò præceptum prædictum sit Ecclesiasticum quoad determinationē materiæ probatur sic. Nullibi in sacris litteris reperitur expressum præceptum credendi certa & determinata mysteria nostræ fidei, præter ea quæ necessaria sunt necessitate medij; ergo cùm detur de facto præceptum credendi certa & determinata fidei mysteria, necessarium est interueniat determinatio Ecclesiæ, ratione cuius præceptum quod obligat indeterminatè ad aliqua mysteria, obligat etiam ad certa & determinata. Neque hoc excedit potestatem Ecclesiæ, quia hoc non est obligare propriè ad actus internos fidei, sed posita obligatione credendi summam mysteriorum nostræ fidei, declarare summam nostræ fidei, continere talia & talia mysteria, qua declaratione facta præceptum diuinum quod antea solum indeterminatè obligabat, eo quod non satis certò constaret quænam mysteria contineret summa nostra fidei, iam incipit obligare ad determinata mysteria; eam verò declarationem posse fieri ab Ecclesia, quis non videat, cùm ad illam pertineat declarare hanc vel illam rem esse vel non esse de fide, hoc esse vel non esse reuelatum à Deo? Ita Suar. *disp.* 13. *de fide sect.* 4. *num.* 13. Quæ diximus in his duabus antecedentibus conclusionibus de præcepto credendi vel symbolum, vel 14. fidei articulos, dicenda sunt etiam de præcepto illa sciendi, propter rationem dictam, quia scilicet obligatio sciendi oriatur ex obligatione credendi.

Bañes. Ledesma. Azor. Sanchez. Becanus. Suarez.

Dico quintò. Præceptum, quo obligamur credere Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, est etiam diuinum positiuum. Probatur. Obligatio credendi supradicta sacramenta oritur ex præcepto fidei; hoc cum sit de actibus internis, non potest esse humanum; ergo est diuinum. Aliter dicendum esset si vellemus dicere obligationem credendi dicta sacramenta oriri ex eodem præcepto quo obligamur illa dignè recipere; quia illud præceptum non est diuinum positiuū, sed naturale. Ex dictis apparet præceptum sciendi dicta sacramenta esse diuinum, cùm oriatur ex præcepto illa credendi, vt iam diximus. 53.

Dico sextò. Præceptum credendi reliqua sacramenta in casu quo illa recipere tenemur, est naturale. Probatur. Ideo in casu quo volumus recipere dicta sacramenta, illa tenemur credere, quia obligamur illa dignè recipere, posito quod ea volumus recipere, sed hæc obligatio oritur ex præcepto naturali quod dictat sancta sanctè tractanda esse, ergo &c. 54.

Dico septimò. Præceptum quod obligat nos ad credenda & scienda decem præcepta Decalogi & orationē Dominicam, eo modo quo diximus, quoad substantiam est naturale. Probatur. Eodem præcepto quo tenemur obseruare Decalogi præcepta & Deum orare, tenemur etiam scire, & credere Decalogum & orationem Dominicam quoad substantiam; sed præceptum quo obligamur obseruare Decalogum & Deum orare, est naturale diuinum, vt modò suppono. Ergo & præceptum illa credendi & sciendi. 55.

Dico octauò. Præceptum quo fideles tenentur ad scienda quinque præcepta Ecclesiæ, & signare se signo crucis, est Ecclesiasticum. Patet quoad præcepta Ecclesiæ, quia oritur ex præcepto illa obseruandi, quod Ecclesiasticum est. 56.

Quoad signum crucis, quia nullum reperitur diuinum præceptum de illo sciendo. ergo si quod datur, Ecclesiasticum est.

57. Quæres secundò, quo tempore obligare incipiat præceptum credendi & sciendi supradicta mysteria? Quæstio hæc quoad præceptum credendi, iam suprà decisa est; quoad præceptum verò sciendi, aliqua hîc addenda sunt. Resolutio igitur quæstionis sit. Vbi primùm quis accedit ad annos discretionis, quod communiter accidit circa septimum ætatis annum, statim tenetur scire mysteria suprà dicta fidei. Suarez. Azor. Ita Suarez *de fide disp.* 13. *sect.* 5. *num.* 6. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. cap* 7. *quæst.* 1. Sanchez *l.* 2. *Decalog. cap.* 3. *num.* 12. cum D Bonauent. Angelo, Nauar. & Philiarcho quos citat. Confirmatur, quia hoc tempore obligant similia præcepta. v. g. Decem præcepta Decalogi, confitendi fidem, recipiendi Baptismum, &c. Hinc colliges immeritò dixisse Rodriq. Lopez. Emanuelem Rodriquez *tom.* 1. *summa in* 2. *edit. cap.* 88. *num.* 1. & Ludouicum Lopez 1. *part. instruct. cap.* 4. *col.* 2. *versu*, *Venale est*. supradictum præceptum solùm incipere obligare fideles cum ad annos pubertatis perueniunt, quod accidit

58. pueris ad 14. puellis verò ad 12. annum. Illud tamen aduerterim, cum diximus teneri pueros statim cum perueniunt ad annos discretionis scire mysteria fidei, & reliqua supradicta, id ita intelligendum esse, vt ex eo tempore teneantur ea addiscere, non verò teneri ea iam scire, ac proinde satisfacere obligationi, si in iis addiscendis eam diligentiam adhibeant, quæ prudentis arbitrio spectari debet à pueris eius ætatis; neque dicerem obligari adhibere tantam diligentiam, vt notabilem diei partem in iis addiscendis consumant; sed satis erit, si adhibeant mediocrem, qualis erit si quasi ferè singulis diebus parum aliquid temporis insumant, vel aliquid amplius si interruptis diebus id faciant, quoad vsque omnia addiscant. In aliis verò maioris ætatis, si contingat prædicta mysteria ignorare, maior diligentia requiretur, ac proinde tota hæc res prudentis arbitrio relinquenda.

59. Quæres tertiò, qua ratione prædicta mysteria sciri debeant? Pro resolutione illius Dico primò. Fideles ita tenentur scire res supradictas fidei vt illas memoria retineant quantum in ipsis D. August. est. Ita D. August. *lib. de fide & operibus. cap.* 6. *&* 9. *& lib. de fide & symbolo à principio, & in sermonibus in Vigilias Paschæ & Pentecostes.* Et est communis sententia. Ita præcipiunt expresè plura Concilia, Bracarense secundum, & Cabelonense. *cap.* 46. relata. *De consecratione dist.* 4. *cap.* 20. *& seqq.* Moguntinum tempore Caroli V. celebratum *cap.* 46. ibi: *Symbolum quod est signaculum fidei, & orationem Dominicam discere semper admoneant sacerdotes populum Christianum, volumusque vt disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt.* Foroliense sub Carolo & Papino ibi: *Symbolum verò & orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis ætas* (intellige discretionis) *omnis sexus, omnis conditio, masculi, fœmina, iuuenes, senes, liberi, pueri, coniugata innuptaque puella, quia sine hac benedictione nullus poterit in cælorum regno percipere portionem.* Concilium Rhemense, in quo præcipitur etiam, vt fideles orationem Dominicam, quam Dominus noster IESVS Christus discipulos suos orare docuit, verbis discant, & sensu bene intelligant, quia illam ignorare nulli Christiano licet. Et quamuis in prædictis Conciliis nulla fiat mentio de præceptis Decalogi; tamen tum propter paritatem rationis, tum propter vsum Ecclesiæ, idem quoad illa dicendum, cum eorum scientia ad statum etiam pertineat hominis Christiani.

Dico secundò. Teneantur fideles habere memoriter non tantum res ipsas, sed etiam verba. 60.
Ita Suarez *de fide disp.* 13. *sect.* 5. *num.* 8. Azor. *tom.* 1. *l.* 8. *instit. moral. cap* 7. *quæst.* 4. *&* 5. Sanchez *lib* 2. *cap.* 3. *num.* 19. qui citat Nauarr. Ledesmam, Penoam, Palud. Lud. Lopez & alios. Suarez. Azor. Sanchez. Medina. Et est communis sententia. Licet Medina *lib.* 4. *de recta in Deum de fide cap.* 6. & alter Medina *Cod. de Oratione cap.* 10. immeritò doceant nullum dari præceptum de addiscendis verbis. Probatur, quia id suadent apertè Concilia suprà citata præcipuè Rhemense. Secundò, quia maximè conueniens erat quòd præciperetur memoria verborum, vt pote quæ non vtilis modò, sed penè necessaria esset ad conseruandam memoriam rerum, & quia si verba memoriæ non mandarentur, facile errarent fideles vtendo verbis impropriis & quæ sensum sæpe contrarium efficerent.

Quæres quartò, vtrùm hoc præceptum obliget sub mortali, an sub veniali? Dico primò. 61.
Præceptum sciendi supradicta, ita vt memoria retineantur res ipsæ quoad substantiam, obligat sub peccato mortali. Ita communis sententia Doctorum omnium quos suprà citauimus. Et probatur facilè, tum ex grauitate materiæ, quæ adeo necessaria est ad statum Christianum profitendum, & vitam consequendam æternam: tum ex Conciliis citatis (quæ saltem de hac memoria rerum explicari debent) dum ita seuerè fidelibus iniungunt, vt memoriter sciant Symbolum & orationem Dominicam.

Secundò dico. Præceptum retinendi memo- 62.
riâ verba ipsa symboli, orationis Dominicæ, & cæterorum, obligat solum sub peccato veniali. Ita Nauarr. *in summa Hispana cap.* 22. *num.* 157. *& cap.* 11. *num.* 18. *& in Latina cap.* 11. *num* 22. *vers.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib* 8. *quæst.* 5. Ludou. Lopez 1. *part. instruct. cap.* 41. *columna* 1. *vers. Venale est.* Sanchez *lib. illo* 2. *cap.* 3. *num.* 19. Neque oppositum sentiunt Angelus *verb. scientia. num.* 1. Et ibidem Syluester *num. vnico. vers. Secundum est.* Tabiena *ad finem*, dum dicunt peccare mortaliter non addiscentem orationem Dominicam, symbolum, & præcepta Decalogi, quia statim se explicant loqui de non addiscente prædicta quoad substantiam; non verò de non addiscente memoriter verba ipsa. Nauarr. Azor. Lopez. Sanchez. Angelus. Syluest. Tabiena. Vnde Suar. *de fide disp.* 13. *sect.* 5. *num.* 8. certum ait esse non dari obligationem grauem retinendi memoria verba symboli, vel præceptorum Decalogi Itavt sit peccatum mortale contra illam delinquere. Suarez. Ratio est, quia licet Concilia & Canones in hac materia seuerissimè loquantur, sufficienter explicari possunt si dicantur loqui de memoria rerum, non verborum, præcipuè cum videatur materia leuis memoria verborum si præcisè in ipsis verbis, & eorum ordine sistatur; & ita videtur habere communis Ecclesiæ vsus.

Non satisfaciet tamen huic obligationi scien- 63.
di memoriter supradicta quoad verba, qui ignarus linguæ Latinæ, ea Latinè addiscet, nisi fortè imperfecto & confuso quodam modo percipiat sensum, quamuis non omnia verba explicare possit. Ita sentiunt Bañes 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 2. *fol.* 429. Petr. de Ledesm. *num. præcedenti* allegatus *conclus.* 8. Bañes. Ledesm.

mendus 8. Sanch. citatus, & alijcontra Nauar. *in summa Latina cap. 11. num.* 18. & Ludou. Lopez suprà citatum, dum asserunt absolutè ignaros linguæ Latinæ satisfacere præcepto, si addiscant supradicta Latinè. Sed fortè hi Autores non loquuntur de iis ignorantibus, qui nihil prorsus percipiunt. Hinc etiam colliges eum ûsdem non sufficere ita addiscere supradicta etiam in materna lingua, vt nihil sensus percipiant, quamuis more psitaci ea repetere possint. Probatur primò, quia hoc simpliciter est nescire. Secundò, quia retentio prædictorum in memoria talis esse debet, vt inseruiat ad res fidei credendas & profitendas; atqui tenere memoria verba, & nihil intelligere, nullo modo inseruit ad res fidei credendas, & confitendas. ergo &c.

64. Quamuis, vt diximus, præceptum retinendi memoria verba Symboli, Orationis Dominicæ, & Decalogi non obliget sub mortali: bene tamen poterunt Episcopi sub censuris vrgere Parochos & vicarios, vt doceant suos Parochianos, & ipsos Parochianos vt memoriter addiscant supradicta; quia possunt occurrere speciales rationes ob quas iudicent memoriam verborum esse non modò vtilem, sed etiam maximè necessariam ad professionem fidei.

65. Ex dictis colliges, vt liberentur à culpa mortali, præcipuè rudes, satis esse (quamuis non possint seriatim repetere Symbolum, orationem Dominicam, præcepta tum Decalogi, tum Ecclesiæ eo modo quo in puerorum catechismo traduntur) si ea quoad substantiam retineant, ita vt de singulis interrogati rectè respondeant, v. g. Si interrogati an sit peccatum odio habere Deum, furari, occidere, sciant respondere affirmatiuè: si interrogati item an sit vnus tantùm Deus, & an sit Trinus, cum reliquis de Symbolo, sciant etiam respondere affirmatiuè: si in Oratione Dominica sciant omnia corporis & animæ bona petenda esse à Deo. Ita suprà citati.

66. Quæres quintò, vtrùm ille qui inter Christianos educatus est, excusari possit à peccato nesciendi Symbolum, Orationem Dominicam, præcepta Decalogi & Ecclesiæ, idq; ratione ignorantiæ inuincibilis. Non est in hac quæstione dubiû, vtrùm si detur ignorantia inuincibilis, excuset à peccato; certum enim omnino est, excusare, vt in quacunque alia materia. Tota igitur dubitatio est, vtrùm inter fideles admittenda sit talis ignorantia inuincibilis in hac materia. Negant aliqui, inter quos videtur esse D. Thom. 1. *ad Corinth.* 11. *lect.* 4. D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 25. *art.* 1 *quæst.* 3. & *ibi* Durand. *quæst.* 1. *num.* 9. Gabr. *quæst. vnica, art.* 2. *post.* 5. *concl.* Manuel. *tom.* 1. *summæ* 2. *edit. cap* 88. *num.* 4. Fundamentum eorum est, quia, cum tanta sit prædicatorum copia & fidei mysteria passim in Ecclesia publicè celebrentur, non videtur quòd possit aliquis quantumcunque rudis, sine culpa ea ignorare, cùm facile adeo illi fuerit ea procurare scire quæ ad eius statum Christianum maximè pertinent.

D. Thomas. Bonauent. Durand. Gabriel. Manuel.

67. Resolutio nihilominus quæstionis sit affirmatiua. Probatur primò, quia sæpe inueniuntur homines adeo rudes, vt ne semel quidem audierint obligationem sibi esse sciendi vel interrogandi aliqua mysteria fidei, neque de hac re dubium siue scrupulum habuerint. Secundò, quia licèt aliquando id audierint, aliis tamen rebus distracti, subitò obliti sunt. Tertiò, quia tempore quo poterant & recordabantur, caruerunt doctore. quæ omnia sæpe occurrunt, & absque dubio inducunt ignorantiam inuincibilem, vt communiter docent Doctores. Neque dici potest, propterea eos esse in culpa quia non ita benè viuunt vt mereantur à Deo illuminari, neque alios interrogant de iis, quæ ad salutem sunt necessaria, vt poterant: quod si facerent, scirent suam obligationem; quia cum nullum eis occurrerit motiuum, neque scrupulus, ad dubitandum de prædicta obligatione, reuerà moraliter non possunt de illa cogitare; ac proinde ignorantia quam habent, inuincibilis reputari debet. Ita Nauar. Bañes, Petr. Ledesm. *suprà.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. cap* 6. *quæst.* 7. *& cap.* 7. *quæst.* 3. *& cap.* 8 *quæst. vlt.* Vasquez 12. *quæst.* 76. *art.* 2. *disp.* 121. *cap.* 2. *num.* 3. Sanch. *l.* 2. *cap.* 5. *num.* 10.

Nauarr. Bañes. Ledesma. Azor. Vasquez. Sanchez.

Quæres sextò, qua ratione se habere debeat Confessarius in audiendis confessionibus eorum qui vel nesciunt prædicta, vel de illis dubitari potest an nesciant? Dico ad quæstionem primò. Tenetur Confessarius interrogare pœnitentes an an prædicta sciant quoties suspicatur inte potest eos illa nescire. Ita Bañes 2. 2. *q.* 2. *art.* 8. *dub.* 2. *pag.* 429. Petrus Ledesma 2. *tom. summæ tract.* 1. *cap.* 3. *post* 7. *conclus.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. cap.* 8. *quæst. finali.* Sanch. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 21. Probatur. Confessarius tenetur interrogare peccata, quæ verisimiliter suspicatur à pœnitentibus iuxta statum suum fuisse commissa; talis supponitur esse ignorantia prædictorum. ergo &c. Hinc colliges non esse interrogandos nobiles, aut bene educatos præcipuè in studiis litterarum, aut frequenter solitos confiteri, neque enim prudenter piæsumi potest illos hæc ignorasse. 68.

Bañes. Ledesma. Azor. Sanchez.

Dico ad eandem quæstionem secundò. Si pœnitens solùm ignorat doctrinam christianam, non retinendo verba memoriâ cum res ipsas sciat, & interrogatus de iis rationem reddat, absque dubio absoluendus est. Probatur, quia is non est in statu peccati mortalis, cum solùm obligetur sub veniali ad retinendam memoria doctrinam christianam quoad verba. Erit tamen admonendus vt addiscat, imò id etiam illi poterit in pœnitentiam peccatorum iniungi. 69.

Dico ad quæstionem eandem tertiò. Si pœnitens non solùm verba, sed etiam res ipsas ignoret, cum potuerit addiscere, eodem modo se cum illo geret confessarius, atque eum aliis peccatoribus; atque adeo prima vice si dicat se dolere de negligentia præterita, & habere propositum emendæ, semper erit absoluendus; imò idem erit faciendum, si semel, & iterum admonitus non didicerit. Si verò sæpe admonitus nullam diligentiam adhibuit, differenda erit absolutio quo vsque supradicta sciat, vel saltem scire inceperit, ita vt confessarius moraliter certus reddi possit de proposito emendæ. Ita Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. cap.* 8. *quæst. finali.* cui subscribit Sanchez *suprà cit.* Fundamentum est, quia in hoc peccato negligentiæ addiscendi doctrinam Christianam, non apparet peculiaris ratio cur neganda sit absolutio, nisi in casibus in quibus neganda est in aliis peccatis. Habet verò locum conclusio etiam si ignorantia sit earum rerum quarum fides necessitate medij requiritur ad salutem. v. g. Trinitatis, Christi Domini &c. Ratio est, quia etiam scientia harum rerum non requiritur ex necessitate medij, sed tantùm præcepti, ac proinde eodem modo de ignorantia illi opposita, atque de quolibet alio peccato quoad absolutionem iudicandum est. Ex hac 70.

Azor.

doctrina colligit Sanchez *cit. num. 22. ad finem*, in praxi nunquam aot ratissimè propter hanc ignorantiam negandam esse absolutionem, quia ordinariè rustici ignorantes vel carent Doctore, & consequenter culpa, vel instrui à confessore possunt.

71. Hinc apparet in mortis articulo nemini debere negari absolutionem, eo quòd ignoret doctrinam Christianam, quocunque modo illam culpabiliter ignoret, sed fore semper absoluendum si habeat dolorem præteritæ negligentiæ & propositum addiscendi, si forte postea ei offeratur occasio; siquidem memoriter scire Doctrinam Christianam etiam quoad res ipsas (vt diximus) non requiritur ex necessitate medij sed præcepti, ac proinde negligeotia culpabilis non magis debet impedire absolutionem, quàm quodlibet aliud peccatum.

72. Aduertendum tamen est siue in mortis periculo, siue extra, semper fore pœnitentem instruendum in præcipuis mysteriis nostræ fidei & edocendum dari tres personas Sanctissimæ Trinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, easque esse vnum solum Deum; secundamque Trinitatis personam incarnatam fuisse, & esse Christum Dominum nostrum, qui natus est de Beatissima Virgine, & passus est propter nos, & à mortuis resurrexit: tum quia sic eliciet pœnitens actus fidei necessarios ex necessitate medij, quos antea forte non elicuit: tum quia hæc sunt quæ rustici fideles communiter ignorant, nam reliqua alia Deum esse saluatorem, & iudicem, vitam dari æternam, & infernum, ac peccatum esse, furari, peierare, non audire sacrum, &c. vix est qui nesciat; & sic breuissima ista instructione satisfaciet confessarius Doctoris muneri quod habet.

73. Non peccabit tamen confessarius, si extra mortis articulum hanc instructionem prætermittat, nisi pœnitens Doctore alio careret, in quo casu tanta posset esse Doctoris penuria, vt ipse ex charitate teneatur, non solùm breuem illam, sed pleniorem adhuc instructionem adhibere. Ita Ioannes à Cruce *in suo Directorio Conscientiæ præcepto 1. art. 1. §. sequitur ignorantes ista*. & supra citati. Aduerterim tamen in mortis articulo pro baptizandis non satis esse instructionem prædictam, nisi necessitas adeo vrgeret, vt non relinqueretur tempus maiori instructioni sufficiens.

Io. à Cruce.

74. Hinc colliges nimis strictè sensisse qui absolutè docent nulla ratione fore absoluendos, qui doctrinam quoad res culpabiliter ignorant, quales sunt Medina *l. 2. summæ cap. 7. fol. 282.* Emanuel Rodrig. *tom. 1. summæ 2. edit. cap. 88 in fine.* Ludou. Lopez *1. part. instruct. cap 7. col. penult.* qui limitat sententiam suam, vt non procedat quoad Æthiopes qui culpa Domini non addiscant. Cuius limitationem ideo reiicit Eman. Rodrig. cit. quia si ij absoluerentur, præberetur occasio ipsorum Dominis perseuerandi in negligentia non edocendi dictos seruos, dum vident eos absolui. Imò etiam nimis strictè videntur loqui ij, qui licet admittant prædictos pœnitentes fore absoluendos si prætia illa, quam suprà diximus, instructione sufficienter addiscant, docent nihilominus differendam omnino fore eorum absolutionem, si prædicto modo instructi non sufficienter proficiant, quoad vsque addiscant. Dixi nimis strictè loquutos fuisse omnes sopracitatos, quòd reuera non apparet cur inhabiles reddantur absolutionis, si, vt dixi, requisitum habeant dolorem & sufficiens propositum emendæ.

Medina. Rodrig. Lopez.

Capvt III.

De externa confessione Fidei, vtrùm liceat Christianis & Catholicis se Christianos, & Catholicos coram Tyrannis negare, tacere & dissimulare.

SVMMARIVM.

Præceptum de non neganda fide obligat ad eam non negandam, ad eam confitendam, & ad eam non occultandam. num. 1.

De fide est dari præceptum de non neganda fide. num. 2.

In nullo casu licet fidem negare corde simul & ore. num. 3.

Imò de fide est non licere etiam solo ore etiam ad vitandam mortem. num. 4.

Negatur fides directè negando Trinitatem, Christum &c. vel asserendo esse fallibilem. Indirectè verò negando esse Christianum Catholicum, Papistam, Pontificium Romanistam, affirmando se esse Turcam vel hæreticum. num. 5.

Aliter dicendum si nomine Christiani intelligant audientes nomen nationis vel factionis, aut similia. num. 6.

Idem dicendum de eo qui qui se diceret Turcam vel hæreticum. num. 7.

Qui sacerdotem vel Religiosum negaret, non negaret fidem. num. 8.

Supradicta possunt fieri etiam sine mendacio cum amphibologia. num. 9.

Fides (vt ait Augustinus *lib. de fide & symbolo cap. 1.*) *officium à nobis exigit cordis & linguæ.* Proinde postquam egimus de cordis officio, hoc est de actibus internis ex præcepto fidei eliciendis, sequitur dicamus de externis, id est, de externa confessione fidei, quam D. Augustinus intelligit per linguæ officium. Quia verò Fides ad tria genera actuum externorum nos obligat, nimirum, ad non negandam fidem, ad illam confitendam, & ad illam non occultandam de iis suo ordine dicemus, primò de non neganda fide, postea de aliis. 1. August.

Dico igitur primò. Certum de fide est dari præceptum diuinum de non neganda fide. Ita cum D. Thom. *2. 2. quæst. 3. art. 2.* probant DD. & speciatim Valent. *disput. 1. quæst. 3. punct. 2. initio.* & apertè colligitur ex illo Matth. 10. *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* & Luc. 9. *Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum.* & Tim. 2. *Si negauerimus eum, & ipse negabit nos* Hanc veritatem ipsius vitæ dispendio & profuso sanguine in lege veteri Machabæi, in lege verò gratiæ innomera hominum, mulierum ac puerorum agmina, constantissimè confirmarunt: qui omnes atrocissimam corporis lanienam, & inaudita antea tormẽta sustinere patientissimè elegerunt, quàm fidem negare. Et hic est communis fidelium consensus & Ecclesiæ traditio. Ita docent Concilia, Nicenum *can. 11. & 12.* Anciranum ferè per totum, Elebertinum *can. 1. & 2.* Quibus accedunt Pa- 2. D. Thom. Valentia. Matth. 10. Luc 9. Timoth. 2.

tres,

Augustinus. tres inter quos Augustinus *tract. 66. in Ioannem. Quanta*, inquit, *vita est confiteri, tanta mors negare Christum.* Plures, quia passim citantur, omitto principoè vbi res adeo certa est & euidens.

3\. Dubitabis an in aliqua circunstantia licitum esse possit fidem exterius negare? Ad resolutionem suppono dupliciter, loquendo ingenere, posse fidem exterius negari. Primò voce, aut alio signo externo simul cũ animo. Secundò voce quidem, siue signo aliquo externo, sed nõ animo. His positis indubitatũ est illicitum esse fidem voce simul & animo negare; siquidem nulla potest fingi causa excusans à malitia talis negationis saltem quoad animũ; neq; enim dari potest casus in quo necessaria sit ad euitanda tormenta, mortem, infamiam, & similia damna; ad omnia siquidem euadenda satis erat negatio externa facta voce vel alio signo externo, sed non animo, cum aliqua amphibologia ad vitandum mendacium, vt per se patet; siquidem animus semper est hominibus incognitus. De negatione externa sine animo negandi fidem maior est difficultas. In qua hæretici

Eusebius. ij, quos refert Eusebius *lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ* partem affirmantem amplexi sunt, asserentes licere fideli constituto in tormentis negare Christum, dummodo eum in corde retineat. Simili in

4\. sententia fuere etiam postea impij Priscillianistæ & alij id genus hominum. Resolutio tamen negatiua certa de fide est, quam ad vnum omnes DD. Catholici tuentur, & præterquam quod apertè ex citatis scripturæ locis colligatur, hac ratione probari potest. Mentiri ita est intrinsecè malum, vt in nulla circumstantia liceat; qui fidem voce vel aliquo alio signo externo, & non animo negaret, mentiretur, idque in re grauissima. ergo &c. Dices saltem licere vti amphibologia. Sed de hoc dicemus cum de tertio actuum genere agemus; interim dic tunc negari non reuera exterius fidem, quamuis negari videatur.

5\. Multipliciter verò poterit quis exterius negare fidem contra præceptum suprà dictum non negandi fidem. Primò directè, negando fidem Dei, Trinitatem, Christum, aut quamlibet aliam fidei veritatem. Secundò adhuc directè, negando infallibilem esse fidei veritatem; quia cum fides essentialiter sit infallibilis, qui eam infallibilem negat, directè & per locum intrinsecum (vt logici loquuntur) ipsam fidem negat. Tertiò indirectè negando se esse Christianum, quia consequenter negat quis se habere fidem Christi & eam certam ac infallibilem existimare. Ita communiter DD. Idem consequẽter dicendũ si quis se Catholicum, imo & Papistam, Pontificium vel Romanistam negaret, vt aduertunt Sanch. & Suar. citandi. Quartò affirmando se Turcam esse vel hæ-

Caietan. Azor. Suarez. Sanchez. Becanus. reticum. Ita docet Caiet. 2. 2. *quæst. 3. art. 2. dub. 1.* Aragon. *ibi dub. vlt.* Azor. *tom. 1. lib. 8. inst. moral. cap. 27. quæst. 1. in fine.* Suar. *infrà num. 11.* Sanch. *num. 9* Beccanus *in summa part. 2. cap. 9. num. 30.* Probatur, quia idem est se hæreticũ vel Turcam dicere, atque se Christianum negare, & consequenter asserere se non habere fidem veram, cum hæc in hæretico & Turca minimè reperiatur.

6\. Non procedit tamen tradita doctrina primò in eo qui se Christianum negaret, loquendo cum iis qui impropriè intelligunt nomen Christiani, illudque accipiunt quasi nomen nationis vel factionis, vt est Hispanus, Italus, Lusitanus, &c. Ratio est manifesta, quia nemo dicet esse contra fidem se Hispanum vel Italum negare; ille qui se negaret christianum, in eo casu solum se negaret Hispanum, vel Italum, ergo, &c. Ita Bañes

Bañes. Arag. Rodrig. Ledesma. Suarez. Sanchez. Azor. *22. quæst. 2. art. 2. dub. 1. concl. 4.* Arag. *ibidem. q. 3. art. 1. dub. 2.* Emanuel. Rodrig *tom. 1. summæ, secunda edit. cap. 119. num. 3.* Petr. Ledesm. *tom. 1. summæ pract. 1. cap. 4. concl. 7.* Suar. *de fide disp. 4. sect. 1. num. 10.* Sanch. *tom. 1. in Decalog. l. 2. cap. 5. num. 8.* Azor. *suprà*, & alij. Hinc colliges si in bello inter infideles & Christianos aliquis interrogaretur ab hoste an sit Christianus, non animo persequendi fidem, sed cognoscendi an sit inimicus, bene posse se Christianum negare absque peccato contra confessionem fidei, quia tunc temporis ad intentionem interrogantis respondẽdo, solum se negat esse inimicum, quod non est fidem negare. A fortiori non erit negare fidem quando interrogantes per Christianos intelligerent homines rapaces, fures & homicidas. quo modo olim accipiebatur nomen Christianorum ab Indis occidentalibus. Vnde Hispani in iis locis se Christianos negare sine peccato, & mendacio potuerunt, vt docent Bañes, Arag. Eman. Rodrig. Pe-

Ioan. à Cruce. trus Ledesm. & Sanch. citati, & Ioann. à Cruce *in suo direct. conscient. 1. part. artic. 2 fol. 6. col. 1.*

Non procedit item doctrina tradita in eo qui se Turcam & hæreticum diceret, loquendo cum iis qui nomẽ Turcę, vel hęretici acciperẽt, ac si esset nomen nationis; v. g. ac si idem esset atque Anglus vel Olandus. Probatur, quia tunc temporis loquendo ad intentionem audientis solùm se diceret huius vel illius nationis. v. g. Anglum vel Olandum; quod non repugnat cum fide Catholica: siquidem non modò in omni natione reperiri possunt, sed fortasse etiam reperiuntur veri Christiani. Ita Suar. suprà citatus. 7.

Quæres, quid dicendum sit de eo qui transiens per loca infidelium se sacerdotem, vel religiosum esse negaret cum sit? Resolutio sit, non 8.

Caietan. Azor. Sanchez. Becanus. esse contra confessionem fidei. Ita Caiet. *in summa ver. Habitus, in fine.* Azor. *tom. 1. lib. 8. instit. mor. cap. 7. quæst. 2.* Sanch. *cit. num. 10.* Becanus *num. 4.* Suar. *num. 11. in fine.* Ratio ex supradictis est manifesta, quia cum possit quis verus esse Christianus & Catholicus, quin sit religiosus & sacerdos, non propterea se Christianum & Catholicum negare censendus est, qui se sacerdotẽ vel religiosum negaret. Aduertunt verò suprà citati hoc verum etiam habere, quando hæretici in odium fidei eo animo perscrutarentur an aliquis esset sacerdos vel religiosus, vt eum interficerent, vt sæpe accidit in Anglia.

In omnibus supradictis casibus, in quibus diximus se posse quemlibet sine peccato contra confessionem fidei externam negare Christianum, Catholicum, clericum & religiosum; vel è contra, affirmare se Turcam, hæreticum; & licet aliqui ex supra citatis existiment committi mendacij culpam, meritò tamen Suar. suprà cum Na- 9.

Nauarr. uarr. *lib. 5. Consil. consilio 10. aliàs 15. num. 2. tit. de Hæreticis.* affirmat facile posse quemlibet ab illa etiam culpa liberari, si verba sciat amphibologicè componere. v. g. si dicat: Non sum Christianus, intelligendo in eo sensu quo tu accipis nomen Christiani. Non sum sacerdos vt teneat tibi dicere. Et sic de cæteris. Ratio est, quia quando interrogans non habet ius interrogandi, neque alioqui respondens habet obligationem rem manifestandi, locus datur amphibologiæ sine vllo peccato, si honestus proponatur finis.

SVMMARIVM.

Datur præceptum positiua confessionis fidei. num. 10.

Præce

Preceptum positiua confessionis fidei non obligat pro semper. *num.* 11.

Obligat in duplici tempore. Primum est, cum honor debitus Deo exigit confessionem fidei. Secundum cum eam exigit necessitas vitandi damnum, vel procurandi notabile commodum proximorum. *num.* 12.

Obligat etiam preceptum confitenda fidei cum peruenitur ad annos discretionis, cui communiter satisfit per actus Catholica religionis v.g. audiendo missam, adorando imagines, &c. *num.* 13.

Omittentes confessionem fidei, nulla pœna afficiuntur. Qui verò illam negant sine animo, olim priuabantur communione in articulo mortis, modò lata est in eos excommunicatio ferenda. *num.* 14.

10. SEquitur dicamus de ipsa positiua confessione fidei. Et in primis certum est dari præceptum ad illam obligans, vt Theologi omnes, vel cum
D. Thomas. D.Thom. 2.2.*quæst*.3.*art* 1. expositores, vel cum
Summistæ. Mag *in tertio dist* 25. Summistæ *verbo, fides*.è no-
Valentia. stris Valent.3. *tom. disp*.1. *quæst*.3. *punct*.2. Azor.
Azor. *tom*.1.*instit.moral lib*.8 *c*.7. Tolet. *in summa lib*.4.
Toletus. *cap*.2. Suar. *de fide disp*.4. *sect*.1. Sanch. *in Deca-*
Suarez. *logum lib*.4 *cap*.4. Becanus 2. *part. summa cap*.9.
Sanchez. *quæst*.2. Probatur sufficienter ex illo ad Rom.10.
Becanus. *Corde creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad*
Rom.10. *salutem*, hoc est, vel ad gratiam seruandam, vel ad vitam æternam consequendam. Ex quo optimè infertur prædictam fidei confessionem esse sub præcepto, aliter bene posset & gratia comparata conseruari, & vita æterna comparari.

11. Hoc præceptum cum sit positiuum, non obligat pro semper. Inquirendum igitur primò occurrit tempus pro quo obliget? Quod dubium triplici assertione resoluam. Prima assertio sit. Ad confitendam fidem exteriùs obligamur indirectè, quoties obligamur ad id quod de se est signum fidei internæ, vt est, v. g audire sacrum, Eucharistiam sumere, portare rosarium &c. tunc enim nisi efficiamus illum actum, & per illũ confiteamur exteriùs fidẽ. peccabimus, sed reuera peccatum tunc non erit contra præceptum confessionis fidei, sed solùm contra præceptum obligãs ad talem actum, qui sine fidei externa professio-
Suarez. ne exerceri non potest. Ita Suar. suprà citatus *n* 3.

12. Secunda assertio. Confessionis fidei præceptum in duplici tempore nos directè obligat. Primum est, quando honor Deo debitus exigit confessionem fidei. Obligari in eo tempore præceptum confitendi fidem colligitur ex illis verbis Luc. 9. *Qui erubuerit me & meos sermones &c.* Cum enim erubescere non sit negare, reuera videtur significare non confiteri quando Christi honori consulendum esset. Idem sensus videtur esse illorum verborum, *Qui non confitetur me coram hominibus* Mat. 10. id est, consulens honori meo Neque dici potest Christum id per modum consilij exigere, quia obstant apertè minæ illæ grauissimæ ad-
Luc. 9. iunctæ, *Erubescam & ego eum*, Luc. 9. *Negabo &*
Matth. 10. *ego eum*, Matth. 10. Quæ sanè solum apponi solent, quando grauis obligatio imponitur. Secundum tempus est, quando confessio mea necessaria reputatur ad vitandum notabile proximorum damnum, vel ad illorum magnum commodum acquirendum. Puta ne fideles in fide deficiant, vel vt infideles ad fidem excitentur, & conuertantur, & conuersi iam in ea bene instruantur, & confirmentur.

Dices. In tantum tenemur ad externam confessionem fidei, in quantum ex charitate vel iustitia tenemur procurare vel honorem Dei, vel bonum proximi, siue illius scandalum vitare. ergo non tenemur directè ratione præcepti confitendi exteriùs fidem. Respondeo negando antecedens, quia licet non teneamur, nisi quando occurrit honor Dei, siue proximi bonum procurandum, vel damnum citandum; reuera tamen tenemur ex motiuo fidei inclinante ad id pia affectione, quia ille est honor Dei, vt est author fidei; bonum item proximi est perseuerentia eius in fide Et scandalum etiam vitandum versatur circa fidem. Ita D. Thomas suprà & alij omnes Authores citati.

Tertia assertio. Præter assignata tempora necessariò debet assignari aliquod aliud pro quo obliget præceptum confessionis fidei. Illud verò assignari potest, sicut in aliis virtutibus Theologicis fit, cum quis ad annos discretionis peruenit, ita vt quàm primùm moraliter possit, fidem teneatur exteriùs confiteri; vel suscipiendo baptismum, si non est baptizatus, vel si iam baptizatus sit, per alia opera externa. Ita Suar. *de fide disp*.4. Suarez.
sect.1.*num*.7. Probatur, quia aliter teneremur asserere non teneri nos ad confitendam fidem, nisi per accidens, occurrente scilicet persecutione tyranni, qui nostram vel aliorum fidem destruere velit, quod sanè per accidens euenit Non assignatur verò hoc tempus ab Authoribus, quia huic præcepto communiter satisfit per actus externos Religionis Catholicæ, v.g audiendo sacrum, cõfitendo peccata, recipiendo Eucharistiam, adorando imagines, & similia, vt sæpe etiam accidit in obligationibus aliarum virtutum. 13.

Quæres hîc quas pœnas incurrant, qui delinquunt contra hoc præceptum diuinum hactenus explicatum? Ad solutionem quæstionis suppono dupliciter posse delinqui contra hoc perceptum. Primò, omittendo illã debito tempore. Secundò cõmittendo contrariam negationẽ sine animo tamen interno; (nam quando fit cum animo, dicemus infrà loquendo de pœnis hæreticorũ.) His positis, Respondeo primò, delinquẽtes primo modo nullam pœnam Ecclesiasticam incurrere, quia nulla reperitur in sacris Canonibus. Respondeo secundò. Delinquentes secundo modo olim etiam in articulo mortis Communione priuabantur, vt patet ex Concilio Ancyrano per multos Canones, & Eliberitano, primo & secundo. Modò verò lata est in eos excommunicatio non ipso facto sed ferenda. Ita Siricius Papa in Epistola ad Thimetium Tarraconensem Episcopum *cap* 3. 14.

CAPVT. IV.

De professione fidei ex præcepto Tridentini & Pij IV. & V. facienda.

SVMMARIVM.

Numerantur difficultates explicanda. *num.* 1.

Preceptum de emittenda confessione fidei à Tridentino & Pio IV. & V. impositum obligat ad mortale. *num.* 2.

Precepto Trident. tenentur omnes prouisi de beneficijs curam animarum habentibus, de canonicatu vel dignitate in Ecclesijs cathedralibus. *num.* 3.

Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarcha,

dicun

tur etiam prouisi de beneficijs curam animarum habentibus. num.4.
Non obligantur Canonici & dignitates in collegiatis. Neque coadiutores canonicorum in cathedralibus. num.5.
Ad eandem professionem tenentur Episcopi, Archiepiscopi, Primates & Patriarchæ primò conuenientes ad Concilium Prouinciale. num.6.
Item omnes qui Synodo interesse possunt. ibid.
Tenentur etiam Prælati religionum etiam militarium. num.7.
Qui veniant nomine Prælatorum religionis. ibid.
Virum receptum sit hoc præceptum obligans Prælatos religionum. num.8.
Tenentur ad professionem fidei Doctores, Magistri, Regentes, Lectores etiam extraordinarij cuiuscunque artis. num.9.
Omnes Canonici, dignitates, beneficiati & prælati qui tenentur ad professionem fidei, tenentur intra bimestre. num.10. & 11.
Neque eo transacto liberantur donec dictam professionem emittant. ibid.
Doctores & magistri, regentes &c. ante professionem. num.12.
Episcopi & reliqui in Synodo, quandiu ea durauerit. num.13.
Iuramentum & professio fidei à Canonicis & beneficiatis facienda in manibus Episcopi vel Vicarij. num.14.
Canonici & dignitates tenentur etiam coram Capitulo. num.15.
Sede vacante satis erit coram Capitulo. 16. & 17.
Tenentur ad professionem coram Episcopo Canonici cathedrales etiam exempti. num.18.

1 Vinque difficultates sub hoc titulo expediendæ à nobis sunt. Prima, vtrùm præceptum Trident. & Pij V. de professione fidei facienda sub mortali obliget. Secunda, quænam personæ ad illam faciendam obligentur. Tertia sub qua forma, quo tempore, & coram quibus facienda. Quarta, quas pœnas incurrant talem professionem omittentes. Quinta, vtrùm impleri possit prædicta obligatio per procuratorem.

2 Circa primam dico primò. Præceptum de emittenda professione fidei à Trident. & Pio IV. & V. impositum obligat sub mort. Probatur, tum quia Tridentinum & motus prædictorum Pontificum, quorum verba infrà referemus, vtuntur clausulis satis ponderosis & grauibus: tum quia graues imponunt pœnas, quæ duo signa sunt obligationis grauis præcipuè in re graui, vt hæc est, cum respiciat materiam fidei. Et ita existimant Eman. Rod. *tom.1. summæ in secunda edit.* Petr. de Ledesm. 2. *tom. summæ tract. 1. cap.4. conclus.10.* Sanchez *tom.1. Decalog. lib.2. cap.5. num.1. fine.* Et est communis sententia. Rodrig. Ledesma. Sanchez.

3 Circa secundam dico secundò. Ad professionem fidei & iuramentum prædictum ex Trident. *sess.24. cap.12. de reformat.* tenentur primò omnes prouisi de beneficiis curam animarum habentibus: secundò omnes prouisi de canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus. Patet ex verbis Concilij quæ loco citato ita habent: *Prouisi etiam de beneficijs quibuscunque curam animarum habentibus teneantur à die adeptæ possessionis ad minus inter duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito coram generali Vicario seu officiali orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ* Trident.

obedientia se permansuros spondeant ac iurent. Prouisi autem de canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus non solum coram Episcopo seu eius officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur, alioquin prædicti omnes prouisi, vt suprà, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.

Inter prouisos de beneficiis animarum curam habentibus numerantur etiam Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, quia eum nomine Parochi vocat Episcopus, vt optimè docet Toletus *in summa lib.6. cap.11.§. vocamus.* Nauar. *in cap. placuit. de Pœnit. & remiss. num.57.* & Gutierrez *lib.1. quæst. Canonic. cap.27. num.23.* Est enim solus Episcopatus & singulæ Parochiæ illius vera Parochia, sicut & totus orbis est vera Parochia respectu Papæ, vt latè docuimus *in secundo Ecclesiæ præcepto l.7. cap.3. num.9.* nihil mirum si nomine prouisi de beneficio curam animarum habente dicamus intelligi Episcopatum. Neque obstat si dicas Episcopum venire quidem nomine Parochi in fauorabilibus, non verò in pœnalibus, qualis est lex illa Tridentini, ac proinde dicendum non est in ea nomine beneficij animarum curam habentis venire Episcopatum, quia lex pœnalis restringenda est iuxta regulam *Odia de reg. iur. in 6o.* Non obstat inquam primò, quia leges etiam pœnales extendendæ sunt, quando militat eadem ratio expressa in lege; vel si non est expressa, quando militat ratio quæ reddi potest, vt in hoc casu accidit, quia quæcunque ratio assignari potest pro aliis beneficiis curam animarum habentibus, à fortiori militat in Episcopatu. Non obstat secundò, quia prædicta lex Trident. cum sit lata ob bonum commune & in fauorem fidei non verò in odium alicuius criminis, non est censenda pœnalis, ac proinde non debet restringi, sed dilatari, cum per dilatationem proueniat maior securitas earum animarum quarum curam prædicti prouisi suscipiunt. Ita colligitur ex doctrina quam tradit Sanchez *de matrimon. l.3. disput. 42. num.4.* 4 Tolet. Nauarr. Gutier. Sanchez.

Ex dictis colliges non obligari à Tridentino, neque prouisos de canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis collegialibus, eo quòd Trident. restringit suum præceptum ad canonicos & dignitates in Ecclesiis cathedralibus. Et ita declarauit sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium, cuius declarationem affert Garcia 3. *part. de benefic. cap.3. num.12.* Neque item comprehenduntur prouisi in catedralibus de capellaniis aut portionibus apud nos *racioneiros*, hispanicè *rationeros*; quia item restringitur dictum præceptum ad canonicos & dignitates. Neque etiam comprehenduntur ij, quos Episcopus parochos instituit, quin habeant beneficium parochiale, vt in non paucis Episcopatibus accidit, quia Tridentinum facit mentionem solùm parochorum habentium beneficium. Neque etiam comprehenduntur quicunque alij beneficiati, quibus cura animarum non sit iniuncta, quia horum non meminit Tridentinum. Confirmatur, quia ratio quæ militat pro canonicis & dignitatibus in cathedralibus & in beneficiatis curam animarum habentibus, non ita militat in aliis, vt facilè consideranti apparet. Ita Nicol. Garcia *de benef. part.3. cap.3. num.13.* Sanchez *d. cap.5. num.1.* August. Barbosa *de officio & potest. Episcop. part. allegat. 61.* & *de canonicis cap.17. num.12. 13. & 14.* & communiter DD. Neque tandem 5 Garcia. Garcia. Sanchez. Barbosa.

Garcia. Sarauia. Barbosa.

taodem obligaotur coadiutores dignitatum, vel canonicorum durante coadiutoria, quia ea durante non dicuntur propriè prouisi de canonicatu vel dignitate. Ita Garcia *de benef. part 4. cap. 5. num. 71.* Sarauia *tractat. de iurisdict.... quæst 29. num 37.* Barbosa *infrà cit.* Intelliguntur verò prædictæ limitationes pro locis vbi consuetudine non fuerit introductum, vt etiam beneficiati simplices & canonici cuiuscunque collegiatæ teneantur ad faciendam prædictam professionem; nam vbi talis consuetudo introducta erit, obseruanda necessariò est, quia consuetudo legitimè introducta habet vim legis.

6. Dico tertiò. Ad eandem professionem fidei tenentur iidem Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ in prima synodo Prouinciali in qua reperientur, & reliqui omnes, qui synodo interesse possunt in prima synodo, in qua reperientur. Ita Trident. sess. 25. cap. 2. de reformatione. ibi, *Præcipit sancta synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus, qui de iure & consuetudine Concilio Prouinciali interesse debent, vt in ipsa prima synodo prouinciali post finem præsentis Concilij habenda, &c.* & infrà: *Idémque in posterum quicunque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos promouendi in prima synodo in qua ipsi interfuerint, omninò obseruent.* Et infrà: *Cæteri verò omnes qui in præsenti, siue in futurum, beneficia Ecclesiastica habituri, & qui in synodo diœcesana conuenire debent, idem vt suprà in ea synodo quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant.*

7. Dico quartò. Tenentur etiam ad eandem fidei professionem faciendam omnes prælati Religionum etiam Militarium. Ita Pius IV. decreuit in motu suo incipiente, *Coniunctum nobis*, sub datum Idibus Nouembr. 1564. quem referunt Quarant. *in summar. bullarij. verb. fidei professio.* Viasce. *in praxi Episcop part. 2. cap. 5. num. 26. pag. 540.* Nomine verò Prælatorum Religiosorum veniunt non modò Prouinciales, sed etiam alij locales, qui in vnoquoque conuentu, monasterio, collegio, vel domo, reliquis omnibus præsunt, quales sunt Priores, Guardiani, Rectores, Præpositi, & reliqui, qui nullum supra se superiorem localem agnoscunt, non verò intelliguntur superiores qui subsunt prioribus, ministri qui subsunt rectoribus, & his similes.

8. Capuccin.

Capuccinus tamen super priuilegia mendicantium *ver. Professio fidei notabili* 1. asserit, non modò viros doctos respondisse, sed sacram etiam Congregationem Eminentissimorum Cardinalium declarasse non esse in vsu motum Pij IV. quoad Prælatos religiosos. Et Petrus Ledesm. 2. *tom. 1. summa, tract. 1. cap. 4. in fine*, licet non approbet, docet tamen in aliquibus Religionibus esse consuetudinem non emittendi dictam professionem fidei. Garcia verò *de beneficijs 3. part. cap 3. num. 7.* sibi videri affirmat Breue Pij IV. intelligi debere de Prælatis regularibus perpetuis, cum loquatur de iis quibus de monasterio prouidetur, qui loquendi modus perpetuitatem officij declarat. quæ explicatio fortasse non displicebit. Mihi tamen in hac re optima videtur Sanchez sententia *tom. 1. Decalogi l. 2. cap. 5. num. 3. ad finem*, cum Capuccino citato & aliis quos refert. quæ docet standum in hac re consuetudine; ac proinde in iis Religionibus, in quibus viget consuetudo emittendi dictam professionem fidei necessariò emittenda. E contra verò vbi talis non est consuetudo, prætermitti sine scrupulo potest; siquidem in iis vel motus Pij IV. non fuit receptus, vel iam antiquatus est.

Ledesma. Garcia. Sanchez.

Dico quintò. Ex motu proprio Pij V. incipiente, *In sacrosancta.* tenentur etiam ad professionem fidei & iuramentum faciendum Doctores, Magistri, Regentes, Lectores siue ordinarij siue extraordinarij, (quos substitutos vocamus) cuiuscunque artis, siue clerici, siue seculares & quicunque alij, siue publicè, siue priuatim docere eadem voluerint. Inter lectores verò cuiuscunque artis numerantur etiam, qui prima Grammaticæ, Arithmeticæ, Musicæ, & aliarum artium rudimenta docent, siue id faciant publicè, siue priuatim, & domi suæ; ita enim declarauit Congregatio Eminent. Cardinalium vt refert Capuccinus *suprà num. 4.* Hic tamen motus proprius non est in vsu in omnibus locis saltem quoad omnes personas, quas numerauimus; quapropter consulenda est consuetudo loci, illique standum, vt suprà diximus de motu Pij IV. Zerola *in praxi 1. part. ver. fidei Professio.* asserit, vlterius teneri de iure ad prædictam professionem fidei Medicos, Chirurgos, Concionatores, Confessarios, Aduocatos, Procuratores in causis Religionis, Curatos, Magistros, Doctores, Prælatos, Canonicos, dignitates & personatus habentes, & beneficiatos etiam simplices. Sed non video quo iure id affirmet, si excipias eos, quos iam suprà numerauimus. 9.

Capuccin. Zerola.

Circa tertiam difficultatem quoad formam, sub qua facienda est professio fidei, & iuramentum prædictum, nihil aliud occurrit dicendum, quàm contineri in motu Pij quarti cuius mentionem fecimus suprà Quoad tempus, Dico septimò. Prouisi de beneficio, cui annexa sit cura animarum, & de dignitate siue canonicatu in cathedrali, tenentur ad professionem fidei & iuramentum de permanendo in obedientia Ecclesiæ Catholicæ, intra bimestre à die possessionis dicti beneficij, canonicatus, vel dignitatis. 10.

Dico octauò, Prælati regulares tenentur etiam professionem & iuramentum prædictum emittere intra bimestre à die possessionis officij. Probatur. Prælati religiosi obligantur à Pio IV. eo modo, quo prouisi de beneficio curam animarum habente, seu canonicatu &c. siquidem obligationem eorum extendit ad dictos prælatos; atqui prouisi prædicti tenentur intra bimestre, ergo etiam Prælati religiosi. Ita Nauarr. *lib. 1. consil. in 1. edit. titul. de summa Trinit. consil. 1. & lib 2. titulo de iureiurando consil.* 10. Eman. Rodriguez *tom. 1. summa in 2. edit. cap. 119. num. 7. & tom. 1. de quæst. regul. quæst. 72. art. 1.* Azor. *tom 2. instit. moral. l. 7. cap. 2. quæst. 1. §. ex parte.* Sà *verbo fides, in fine.* Zerola *in praxi part. 1. versic. fidei professio.* Garcia *de benef. 3. part. cap. 3. num. 5. 6. & 7.* Hi omnes de quibus in duabus conclusionibus si intra bimestre non emiserint professionem fidei, non proptereà liberantur ab obligatione eam amplius emittendi, sed semper tenentur ad eam faciendam sub peccato Ratio est, quia terminus duorum mensium assignatur à Trident. ne differatur dicta professio, non verò vt obligatio illius emittendæ auferatur, aliter frustraretur intentio Concilij. Ita Zerola *in praxi 1. part. versic. fidei professio.* Nauarr. *consil. 11. de iureiurando.* Garcia *de benef. part. 3. cap. 3. num. 29.* Sanchez *cit. num. 5.* Azor. *part. 2. lib 7. instit. mor. cap. 2. quæst 5.* Barbosa *de Canonicis c. 17. n. 16.* vbi plures citat, & videtur omnium sententia. 11.

Nauarr. Rodrig. Azor. Sà Garcia.

Zerola. Nauarr. Garcia. Sanch. Azor. Barbosa.

Dico

12. Dico nonò. Doctores, Magistri, Lectores & similes quos suprà retulimus, tenentur ad dictam professionem & iuramentum antequam capiant possessionem cathedræ, vel gradus cuiuscunque. Ita expressè colligitur ex motu Pij V. cuius mentionem suprà fecimus.

13. Dico decimò. Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, & reliqui, ad quos de iure vel consuetudine pertinet interesse synodo prouinciali, vel diœcesanæ, tenentur ad professionem & iuramentum supradictum, quandiu durat prima synodus prouincialis vel diœcesana cui intersint. Non loquor de professione fidei, ad quam tenentur ratione possessionis Episcopatus, quia idem omnino dicendum est quoad hanc professionem de Episcopis, quod diximus de prouisis de beneficio cui annexa est cura animarum.

14. In tertia item difficultate circa personas coram quibus facienda est professio fidei & iuramentum, Dico vndecimo. Professio fidei & iuramentum à prouisis de beneficio cui annexa sit cura animarum, fieri debet in manibus Episcopi, vel
Trident. coram vicario. Ita habetur in Trident *sess. 24. c. 12. de reform. cit.* Instabis Tridentinum citatum præcipit facere supradictam professionem in manibus ipsius Episcopi vel eo impedito coram generali Vicario seu officiali. ergo non bene diximus professionem prædictam fieri debere in manibus Episcopi, vel coram Vicario nulla facta mentione impedimenti Episcopi. Respondetur negando consequentiam, quia Trident. solùm apposuit illa verba, *vel eo impedito*, ad monitionem & ad denotandum conuenientius fieri in manibus Episcopi cessante impedimento; non verò ad inferendam obligationem. Ita Garcia *de benef. part. 3.*
Garcia. Filliucius. Squillante. Barbosa. *cap 3. num. 33.* Filliucius *in quæst. moral. tom. 3. tract. 41. cap 6. num. 8.* Squillante *de obligat. cleric. part. 1. num 92.* Barbosa *de officio & potest Episc. allegat. 60 num. 16. & de canonicis cap. 17. num 3.*

15. Dico duodecimò Dignitates, & Canonici Ecclesiæ cathedralis tenentur emittere professionem prædictam cum iuramento in manibus Episcopi & coram capitulo. Ita Trident. cit. Dupliciter poterit quis Canonicus v. g. satisfacere huic obligationi. Primò, si professionem prædictam emittat semel in manibus Episcopi, semel coram generali Vicario vel Officiali. Secundò si semel emittat ipsam professionem in capitulo præsente Episcopo, vel Vicario, seu Officiali. Ita declarauit Sacra Congregatio Concilij in vna Seguntina 18. Aprilis 1590. relata per Garciam *de benef. part. 3. cap. 3. num. 51.*

16. Dubitabis primò, vtrùm sede vacante satis sit Canonico emittere professionem, & iuramentum
Garcia. Squillante. Ricciol. Barbosa. coram capitulo. Negant Garcia *de benef. part. 3. cap. 3. num. 24.* Squillante *de obligat. Cleric. part. 1. num 4.* Ricciul. *de iure personarum extra gremium Ecclesiæ existentium l. 1. cap 3. num. 15.* Barbosa *de off. & potest Episc allegat 61. num. 17. & 18.* asseruntque necessariò debere fieri coram Vicario capitulari generali. Vt verum tamen fatear, non video vrgentem rationem, cur professio fidei cum iuramento facienda necessariò sit à Canonico corã Vicario capitulari generali. Quia Tridentinum solùm requirit quòd professio fidei fiat corã Episcopo, vel eius Vicario, & corã capitulo; atqui sede vacante, professio facta à canonico corã capitulo, & fieret coram capitulo, & coram Episcopo, id est, coram habente iurisd. Episcopi. Neque videtur dicendum capitulum non posse per se, immediatè, sed solum per Vicarium suum generalem exercere iurisdictionem Episcopalem; quia licet in multis id verum habeat, non video tamen, cur non possit per se suscipere prædictam professionem fidei. Neque obstat, si dicas Concilium Trid. exigere quòd professio fidei à canonico facta habeat hæc duo, & quod sit in manibus Episcopi & corã capitulo. Nam illa etiã duo haberet professio illa facta coram capitulo sede vacante. Sed tamen, quia auctores quos reperio hanc quæstionem attigisse, asserunt, necessariò faciendam professionem fidei à prouiso de canonicatu coram Vicario capitulari generali, satius & tutius erit coram illo eam emittere.

Non dubitarem tamen prouisos de officio cui annexa sit cura animarum, posse facere professio- 17.
nem fidei & iuramentum coram capitulo, quia in iis non requiritur in quòd professio fiat coram duobus, vt requiritur in canonicis: sed solum requiritur quòd fiat coram Episcopo vel vicario disiunctiuè; vnde cum capitulum subeat vices Episcopi, videtur absque dubio quòd professio fidei satis sit fieri à prouiso de beneficio curam animarum habente coram ipso capitulo, Sede vacante.

Dubitabis secundò vtrùm à facienda profes- 18.
sione fidei in manibus Episcopi exenientur canonici cathedralis regulares vel exempti. Resolutio sit negatiua. Ita quoad regulares existimant Garcia *de benef. part. 3. cap. 3. num. 16.* Ricciull. *de iure personarum extra gremium Eccles. exist. l. 1. cap. 13. num. 13.* Barbosa *de offic. & pot. Episc. alleg 61. num 6. & de Canonicis cap. 17. n. 6.* quoad exemptos verò Nauarr. *consil. 1. de summa Trinit. à n. 64. aliàs consil. 9 de iure iurando.* Sayr. *in floribus decis. tit. de summa Trinit. decis. 1. fine.* Petr. Ledesm. *in summa part. 2. tract. 1. cap. 4. diffic. 9.* Garcia *cit. num. 21.* Felinus *cap. dilectus 2. à num. 9. de rescriptis.* Aloys. Ricc. *in collect. decis. collect. 579. ampl. 1.* Vgolinus *de officio Episc. cap. 50. §. 16. num. 2.* Sanchez *in decal. l. 2. cap. 5. num. 2.* Barbosa citatus *primo loco. alleg. 61. num. 5. secundo loco num. 8.* Fundamentum est; quia exempti quicunque illi sint, subiacent Episcopo ratione beneficij subiecti Episcopo in omnibus quæ pertinent ad assecutionem talis beneficij. Garcia. Ricciul. Barbosa. Nauarr. Sayr. Ledesm. Garcia. Felinus. Ricciul. Vgolinus. Sanchez. Barbosa.

SVMMARIVM.

De pœnis contra omittentes professionem fidei ex Trident. faciendam, & vtrùm per procuratorem fieri possit?

Non emittentes professionem fidei canonici in cathedrali non faciunt fructus suos elapso bimestri. num. 19.
Aliqui dicunt ante sententiam. num. 20.
Probabilius oppositum. num. 21.
Nomine fructuum non veniunt distributiones quotidianæ nisi beneficium vel canonicatus non habeat alios fructus. num. 22.
Non amittit quis fructus nisi post bimestre percipiendos. num. 23.
Non sufficit possessio litigiosa ad obligationem emittendæ professionis fidei. num. 24.
Neque dilata possessio etiam ex culpa. num. 25.
Non liberat à pœna amissionis fructuum ignorantia iuxta aliquos. num. 26.
Probabilius est liberare. num. 27

Non sufficit tamen ignorantia solius pœnæ. num.28.
Non excusat à pœna possessio triennalis. num.29.
Neque præscriptio triennalis. num.30.
Ordinarius non potest condonare hanc pœnam. n.31.
Neque capitulum habere pro præsenti omittentem dictam professionem. num 32.
Potest condonare hanc pœnam Papa & Congregatio Eminentiss. Cardinal. num 33.& 34.
Professio facta post bimestre iuuat ad fructus percipiendos non ad perceptos. num.35.
Qui liberantur à pœna amissionis fructuum ex eo quod alias emiserint professionem fidei. num. 36, 37. 38.& 39.
Probabilis est sententia qua asserit semper repetendam professionem fidei cum de nouo acquiritur beneficium. num.40.
Doctores, magistri, & reliqui qui tenentur ex motu Pij V. professionem fidei emittentes incurrunt gradnum & promotionis ad cathedram,&c. nullitatem. num.41.
Promouentes vel permittentes promoueri professione fidei non prædecedente incurrunt excommunicationem, priuationem beneficiorum, officiorum, & inhabilitatem ad ipsa in posterum obtinenda. num. 42.
Prælati regulares nullam incurrunt pœnam propter peccatum mortale. num.43.
Negant aliqui posse fieri professionem fidei per procuratorem à Canonicis, Dignitatibus etiam non Episcopis. num.44.
Probabilius posse fieri. num.45.
Procurator ex solo mandato de capienda possessione beneficij petentis professionem fidei potest facere professionem nomine prouisi. num.46.
Episcopi electi non possunt per procuratorem emittere professionem fidei iuxta communem sententiam. num.47.
Probabile tamen est posse. num 48.& 49.
Probabile est posse Episcopos electos professionem fidei per procuratorem non solùm in manibus Pontificis sed in manibus etiam eius cui Summus Pontifex commisit, ut eius nomine dictam professionem acceptet. num.50.
Possunt à Pontifice designati ad accipiendam professionem fidei electi in Episcopum subdelegare vices suas, si Pontifex expressit nomen dignitatis: aliter dicendum si exprimeret nomen personæ, vel apponeretur clausula, cum de tua prudentia confidamus, &c. num.51.

19. Circa quartam difficultatem, scilicet quoad pœnas quas incurrunt non emittentes professionem fidei & iuramentum intra tempus præfixũ; Dico in ordine decimotertiò. Prouisi de beneficio curam animarũ habente, vel de canonicatu in Ecclesia cathedrali, nõ faciunt fructus suos, nec eis possessio suffragatur. Ita expressè in Concil. Trident. *sess.14.cap.10.de reform.* Optimè tamen aduertunt Nauarr. *consilio 50.aliàs 3.de verb. signif & consil.7.& 8.de iureiur.* Garcia *de benef.3. part cap.3.num* 30. Flaminius Paris. *de resig.lib.10. quæst 9. num.12. 13. & 14.* Sayr. *in floribus decis. tit.de verb signif.decis.6.* Vgolinus *de officio Episc. cap.50. part. 16. num 4* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi allegat.61. num. 26. de canonicis cap. 17. num.30.* Sanch. *in decalogum l.2. cap. 5. num. 10.* Azor. *lib.8. inst. moral cap.2.quæst.3. & aly.* quos secuta est decisio Rotæ in Varmin. Canonicatus 28. Aprilis & 13. Iunij 1608.& 4 Februarij 1611. coram Cardin. Sacrato. Et fundamentum est, quia id conciliũ non expressit, tum quia agitur de pœna, quæ semper restringenda est. *reg. in pœnis de reg.iuris in 6.*

(Trident. Nauarr. Garcia. Paris. Sayr. Vgolinus. Barbosa. Sanchez. Azor.)

Sunt circa hanc conclusionem aliquot dubia explicanda. Primum est, vtrùm teneantur supradicti omittentes intra bimestre professionem fidei restituere fructus, etiam non spectata sententia condemnatoria? Duplex est in hac re sententia. Prima docet teneri. Ita Azor. *tom.2. instit. moral. l.7.cap.1 quæst.1.vers.quæres.* Garcia *de benef.3.part. cap.3.num.35* Petr Ledesm. *tom.2. summæ tract 1. cap.4. difficult.1.* Suar. *de fide disp. 14. sect.6. n.2.* Vgolinus *suprà num.4.* Squillante *de oblig. cleric. part.1. quæst. 8.* Ricciul. *de iure personarum extra Eccles. exist.lib.1. cap.13.num.43.* Fundamentum est, quia Trident. *sess.illa 24.cap.12. de reformat.* asserit prædictos non facere fructus suos. ergo in bona conscientia non possunt eos retinere; si quidem non sunt sui fructus. Deinde possessio non eis suffragatur iuxta idem Trid. ergo neque ratione dominij, neque ratione possessionis possunt eos retinere, & consequenter etiam ante sententiam eos tenentur restituere. 20.

(Azor. Garcia. Suarez. Ledesma. Vgolinus. Squillante. Ricciul.)

Altera sententia opposita, cui tanquam probabiliori adhæremus, negat supradictos teneri in conscientia ad restituendos fructus ante sententiam. Ita Nauarr. *in prima edit.consil.3.n.1.de summa Trinitate, in secunda consil.12. num.1. de iureiurand.* Eman. Rodrig. *tom.2.quæstion.reg.quæst.72. art.5.* Sanchez *tom.1. Decalogi l.2. cap.1. num.10.* Barbosa *de offic.& potest. Episc. alleg.61. num. 28. & de Canonicis cap.17, num.24.* Ratio est, quia leges quæ pœnas ipso iure infligunt, non obligant in conscientia ante sententiam ad subeundas dictas pœnas. ergo &c. Deinde, quando Tridentinum vult obligare in conscientia ad restituendos fructus beneficij propter aliquod crimen, id expressissimis verbis facit; vt patet sess.23. cap.1.de reform.ibi: *Statuit Sancta Synodus præter alias pœnas aduersus non residentes sub Paulo V. impositas & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem is incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere; nec tuta conscientia alia etiam declaratione non secuta illos sibi detinere posse*, &c. hoc non facit loco prædicto *sess.24. cap. 12.* quoad omittentes professionem fidei. ergo. Tandem ex verbis modò relatis Trid sic confirmo nostram sententiam. Diuersa pœna est teneri ad restituendos fructus ante sententiam, ab illa quæ est, non facere fructus suos. ergo illata hac non censetur inferri illa, cum illa sola subsistere possit. Consequentia valet, quia sumus in inflictione pœnæ, quæ semper restringenda est. Antecedẽs verò colligitur, quia si pœna illa non posset fructus retinere, non esset pœna omnino diuersa, sed necessariò coniuncta cum illa alia, quæ est non facere fructus suos, Trid. loco prædicto in verbis citatis in inferendis illis pœnis non vteretur disiunctione, *absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia alia etiam declaratione nõ secuta illos sibi detinere posse*: Sed potius vteretur modo aliquo illationis v.g. non facere fructus, atque adeo vel consequenter, aut simili alia clausula illos detinere non posse. Quartò. In dubio nunquam præsumitur legislatorem voluisse obligare ad pœnam ante sententiam, quia in pœnis benignior est interpretatio facienda cap. *in pœnis de reg. iuris in 6* & ita docent Nauar. *in summa Hispan. cap. 28 addit. ad numerum 66. cap.33.* Simancas *de Catholicis instit.tit 9.num.227.* sed verba Concilij reuera non indicant expressè obligationem statim restituendi fructus; siquidem 21.

(Nauarr. Rodriguez. Sanchez. Barbosa.)

(Nauarr. Simancas.)

verba

verba illa, *non faciant fructus suos*, *nec eis posses-*
sio suffragetur, ita accipi possint, ac si diceretur,
non faciant fructus suos, ita vt sequuta sententia
illos restituere teneantur à die commissi criminis,
ergo &c. Ex dictis facilè soluuntur argumenta in
contrarium Sensus enim ille verborum Tridenti-
ni ab Authoribus contrariæ sententiæ quia ni-
mis rigorosus, non prest esse germanus cum agi-
tur de pœnis, ac proinde præferendus noster
iuxta regulam citatam.

22. Secundum dubium est, de quibus fructibus
intelligendum sit Tridentinum. Et in primis cer-
tum est non intelligi nomine fructuum distri-
Azor. butiones quotidianas. Azor. *suprà cap. 2. quæst. 3.*
Sanch. Sanchez *l. 2. cap. 5. num. 10 in fine* Gonzal, Aloys.
Ricc. Galet. Moneta. Prosper de Augustino,
Garcia, Campan. Ricciul. Squillante, & plures alij
Barbosa. quos citat & sequitur Barbosa *de canonicis c. 17.*
num. 26. Idem dicendum de anniuersariis defun-
Ricciul. ctorum, vt tenet Ricciul. *cap. 13. num. 55.* &
Rota. censuit Rota *in Varmien. canonicatus* 28. *April.*
& 13. *Iuny* 1611. coram Card. sacraro. Id tamen
limitandum est, si beneficium non habeat alios
fructus, nisi distributiones vel anniuersaria, quia
tunc ea succedunt loco fructuum ne, lex Tridenr.
reddatur frustratoria. Ita suprà citati.

23. Difficultas in hoc dubio est, vtrùm nomine
fructuum quibus prædicti beneficiati, dignitates
vel canonici omittentes professionem fidei intra
bimestre priuari debent, intelligantur omnes
fructus recepti à principio possessionis beneficij,
aut potius illi soli quos receperunt, quandiu
post duos menses fuerunt in mora emittendi
professionem fidei & iuramentum prædictum?
Ledesm. Petrus de Ledesma *tom. 2. summæ tract. 1. cap. 4.*
difficult. 3. ait intelligi omnes fructus à principio
possessionis beneficij; sed meliùs Sanchez *suprà*
intelligi solos qui fuerunt recepti postquam su-
prà dicti fuerunt in mora. Probatur primò, su-
pradicti omnes quandiu nihil commiserunt con-
tra legem Concilij Trid. fecerunt fructus suos.
Atqui Concilium non priuat eos propter mo-
ram subsequentem fructibus factis, sed solum
præcipit ne vlterius faciant fructus suos. ergo
&c. Secundò, quia si Tridentinum voluisset
priuare supradictos omnibus fructibus à die
possessionis id explicaret. ergo cum id non ex-
presserit cum potuisset, præsumitur noluisse.
l. vnic. §. sin autem ad deficientis C. de caducis tol-
len. l. si seruus ff. de acquir. hered. & cap. inter cor-
poralia de translat. Episc. cum aliis citatis per Ti-
raquel. *in l. si vnquam, verbo, libertis num. 3. C.*
de reuocand. donat. & alij quos citat Barbosa *in*
collectanea ad cap. inter corporalia citatum.

24. Tertium dubium est, quænam possessio re-
quiratur, vt quis teneatur emittere professio-
nem fidei & iuramentum, quæ si non efficiat pri-
uetur fructibus? Et primò quæro, vtrùm suffi-
ciat possessio litigiosa? Resolutio fit negatiua.
Ricciul. Ita Ricciul. *de iure person. extra gremium Eccle-*
siæ exist. l. 1. c. 13. n. 62. & 63. explicat, quænam sit
possessio pacifica. Probatur, quia durante lite, non
dicitur quis rigorosè & simpliciter possidere, sed
secundùm quid tantùm, id est, litigiosè. Deinde
non videtur verisimile quòd Trident. voluerit
obligare ratione beneficij eum, quia nondum
est certus de beneficio.

25. Quæro secundò, vtrùm si quis omittat ex
culpa capere possionem alicuius ex prædictis be-
neficiis, currat ei spatium duorum mensium as-
signatum à Trident., ita vt eo transacto non fa-
ciat fructus suos. Resolutio item negatiua fit. Ita
expressè Nicol. Garcia *de benef. part. 3. cap. 3.* Garcia.
num. 32 Ricciul. *suprà.* Barbosa *de offic. & potest.* Ricciul.
Episcop. alleg. 60. num. 25. & de canonicis cap. 17. Barbosa.
num. 17. Ratio, quia solùm obligat post bimestre
à capta possessione, iste non cepit possessionem
vt supponitur ergo &c. Neque obstat aliàs paria
esse accepisse & per eum stetisse quominus non
acceperit possessionem, vt habetur *cap. commissa*
de electione. & cap. licet de prabend. in 6. quia id
non potest habere locum in hac lege Tridentini,
quia habet considerationem ad realem possessio-
nem, & administrationem beneficij; ideo enim
prouisos de prædictis beneficiis obligat ad pro-
fessionem fidei, & iuramentum, vt reuerentia
iuramenti in ipsa administratione beneficij cau-
tiùs se agant, ne ratione illius aliis noceant in re-
bus ad finem pertinentibus, & maximè procedit
hæc ratio cum sermo sit de illatione pœnæ, quæ
semper restringenda est, vt diximus.

Quartum dubium est, vtrùm huiusmodi pro- 26.
uisi omittentes intra præfixum duorum mensium
spatium professionem fidei, à pœna amittendi
fructus liberari possint aliquando? Et primò
quæro, vtrùm liberentur ratione ignorantiæ,
inaduertentiæ, siue obliuionis? Negat Petr. de
Ledesm. *tom. 2. summæ, tract. 1. cap. 4.* post pri- Ledesm.
mam conclus. *difficult. 2.* Fundamentum illius
est, quòd prædicta lex non sit pœnalis, sed con-
uentionalis: ac proinde quemadmodum non re-
citantes non faciunt fructus suos etiam propter
inuincibilem ignorantiam; ita etiam supradicta
beneficia & canonicatus, siue dignitates possi-
dentes, etiamsi propter ignorantiam eandem
omittant professionem fidei & iuramentum.

Dicendum nihilominus excusari omittentem 27.
prædictam professionem & iuramentum ex igno-
rantia inuincibili excusante à peccato, quam dari
posse in hac materia in terminis docent Nauar.
Flamin Paris. Prosper de Augustin. Squillante,
Ricciul. quos citat & sequitur Barbosa *de offic.* Barbosa.
& potest. Episcop. l. 1. alleg. 61. num. 29. & de ca-
nonicis. & è nostris Azor. *part. 2. lib. 7. instit. moral.* Azor.
cap. 2. quæst. 2. Mol. *de iustitia tract. 4. disp. 71.* Molina.
num. 8. Sanchez *tom. 1. in Decalog. cap. 2. num. 5.* Sanchez.
Ratio est: Lex concilij Trident. non est con-
uentionalis, quod probare deberet Ledesma, sed
reuera est pœnalis & punit crimen. ergo si ex
ignorantia liberatur aliquis omittens professio-
nem fidei à culpa, liberari etiam debet à pœna;
si quidem sublata culpa, non datur quid punia-
tur. Et ita hanc partem tuetur Nauarr. *lib. 1. consil.* Nauarr.
in 1. edit. titulo de summa Trinit. consil. 1. n. 2. & 3.
& consil. 4. num. 3. & consil. 3. num. 2. in 2. lib. titul.
de iure iurando num. 2. & 3. & consil. 11. num. 3.
& consil. 12. num. 2. Capuccinus *de priuil. mendi-* Capuc.
cant. vers. professio fidei not. 2. Rodriguez *tom. 1.* Rodrig.
summa in 2. edit. cap. 119. num. 7. & tom. 2. quæstio-
num regul. tom 2. quæst. 72. art. 3. Garcia *3. part.* Garcia.
cap. 3. num. 66. & 67. & 68. E nostris Suarez *de* Suar.
censuris disp. 4. sect. 8. num. 8. Sanchez *in Decale-* Sanchez.
gum l. 2. cap. 5. num. 13. & Azor. *suprà.* Quod Azor.
diximus de ignorantia, dicendum de quocun-
que alio quo interueniente excusetur quis à
culpa omissionis professionis prædictæ v. g. quia
abfuit Episcopus & eius Vicarius, vel vt notat
Sanchez suprà, quia procuratores qui benefi-
ciati loco professionem emittere deberent, absque
culpa dicti beneficiati eam non omiserunt. Dixi
absque culpa, quia aliter dicendum esset si procu-
rator eam culpa ipsius beneficiati omitteret,

quia mora communiter nocet ei per quem fit. *l. debitor ff. de vsuris, regula, mora. de regul. iuris in 6.*

28. Quid si ignorantia sit solius pœnæ? v.g. prouisus de beneficio supradicto, scit quidem dari præceptum Tridentinij, quo obligatur intra duos menses ad emittendam professionem fidei, sed ignorat præceptum obligare sub pœna amissionis fructuum. Quæritur vtrùm qui sic omittat dictam professionem fidei, faciat vel non faciat fructus suos? Resolutio huius quæstionis pendet ab illa alia, vtrùm ignorantia solius pœnæ excuset ab incursione ipsius pœnæ. In qua licet non omnino improbabile sit excusare, longè tamen probabilius est non excusare, si pœna non fuerit censura vel irregularitas quando est purè pœna, quia in his probabilius videtur excusare. Vt optimè docet Sanchez *de matr. lib. 9. disput. 32. num. 20. 21. & 22.* Hæc dicta sint pro foro interno: nam in externo non præsumitur ignorantia vt pote iuris clari, & manifesti, & quia vnusquisque præsumitur scire quæ ad suum statum pertinent.

29. Quæro secundò, in eodem dubio, vtrùm excusentur à pœna amittendi fructus qui possessionem triennalem habuerint, ita vt postea neque secuta sententia iudicis reuocantur ampliùs ad restitutionem eorum, iuxta regulam cancellariæ *de triennali possessione*. Resolutio sit negatiua, quia illa regula solum valet ad legitimandum beneficij titulum, quando is esset illegitimus, non verò iuuat ad comparandum dominium fructuum amissorum ex aliquo crimine. Ita Sanchez, Azor, & Rodriguez suprà citati. Ex dictis colliges prouisum de beneficio quolibet ex supradictis quamuis non iuuetur regula *de triennali*, ad acquirendos fructus, iuuari tamen ad effectum ne possint molestari super titulum, vt docent Flamin Paris. *de resign. benef l. 10. quæst. vlt. à num. 4.* Sanchez *supra*, ac Barbosa *de canonicis num. 32.* Nauarrus *lib. consil. 5. De verb. signif. in 1. editione & in 2. cons. 8. de iure iurando.* Rodrig. 1. *tom. summæ in 2. edit. cap. 119. num. 7.*

Barbosa. Nauar. Rodrig.

30. Quæro tertiò, vtrùm saltem excusati possint à restituendis fructibus propter præscriptionem ortam à possessione trium annorum, quæ sufficit ad præscribendum res mobiles (quales sunt fructus) vt latè cum pluribus probat Couar. *in regula possessor. 2. part. §. 2. num. 5.* Resolutio sit negatiua. Fundamentum est, quia Tridentinum expresse cauit ne prædictis ad fructus acquirendos suffragetur possessio. Et ita censent Flamin. Paris. *de resign. benef. l. 8. quæst. 9. n. 122.* Garcia *de benef part 3. cap. 3 num. 34.* Rodrig *suprà*. Prosper. de Augustino *in addit. ad* Quarant. *in summa bullary vers. beneficiorum possessio l. B. in fine.* Aloys. Ricc. *in decis. curiæ Archiepisc. Neapol. decis. 220. num. 15. part. 1.* Anton. Ricciul. *de iure personarum &c. l. 1. cap. 16. num. 13.* Sanchez *suprà n. 12.* Barbosa cit. *allegat. 61. num. 16. & de canonicis cap. 17. num. 29.*

F. Paris. Garcia. Rodrig. P. de Aug. Riccius. Ricciul. Sanchez. Barbosa.

31. Quæro quartò, vtrùm ordinarius possit condonare pœnam priuationis fructuum quam incurrunt prædicti omittentes professionem fidei? Resolutio sit negatiua: Fundamentum est, quia ordinarius non potest remittere pœnam à Concilio inflictam nisi in casibus expresse sibi ab eodem permissis. Ita Nauarr. *consil. 3. num. 1. de clericis non resident.* Garcia *suprà num. 53.* Barbosa *alleg. citata. num. 32. & de canonicis num. 27.*

Nauarr. Garcia. Barbosa.

32. Quæro quintò, vtrùm Capitulum possit habere pro præsenti canonicum qui nondum fecit primam residentiam si nondum fecit prædictæ professionem fidei. Resolutio item sit negatiua. Ita Garcia *suprà num. 50.* Rota *in Oueten. mercedis 12. decembris 1605. coram Reuerendiss. Cocino.* Ricciul. *de iure personarum &c. l. 1. cap. 16. n. 8.* Quod verum habet, etiam si canonicus pro causis & negotiis capituli absit, & ita censuit sacra congregatio pro Trident. quod refert Garcia *num. 52.*

Garcia. Rota Ricciul.

Quamuis non possint supradicti condonare pœnam supradictam, poterit tamen Summus Pontifex non solùm id expresse concedendo canonicum v. g. vel quemlibet alium ex prædictis facere fructus suos non obstante quod non emiserit professionem fidei, sed etiam implicitè v. g. si initio possessionis concedat indultum de percipiendis fructibus in absentia. Ita Ricciul. *supra num 9.* quem sequitur Barbosa *de canonicis c. 17. num. 28.* 33.

Barbosa.

Poterit etiam sacra congregatio Eminentiss. Cardinalium, vt de facto condonauit die 5. Martij fructus amissos cuidam Angelo Constantino Primicerio Ecclesiæ Cathed. Tuscanen. modò professionem fidei omissam emitteret, & aliquid eleemosynæ arbitrio sui confessarij pauperibus erogaret. Ita refert Barbosa *de canonicis cap. 17. num. 23.* 34.

Barbosa.

Quæres sextò, vtrùm qui intra duos menses non emisit professionem fidei, si postea illam emittat, acquirat fructus perceptos amissos, aut saltem percipiendos? Resolutio sit, iuuare quidem professionem post lapsos duos menses ad acquirendos fructus futuros, non verò ad recuperandos amissos. Ita communis omnium quos in hac materia suprà citauimus, & satis colligitur ex Trid. *loco citato.* & docent Emanuel. Rodrig. *in summa tom. 1. cap. 119. num. 7.* Petr. de Ledesm. *in summa part. 2. tract. 1. cap. 4. post 10. conclus. diffic. 3.* Azor. *part. 2. lib. 7. instit. moral. cap. 2. quæst. 5.* Garcia *part. 3. de benef. cap. 3. num. 29.* & plures alij quos citat & sequitur Barbosa *de canonicis cap. 17. num 56. & de offic. & potest Episcop. alleg 65. num. 22.* Sanchez *supra num. 5.* & est communis sententia. 35.

Rodrig. Ledesma. Azor. Garcia. Barbosa. Sanchez.

Quæres septimò, vtrùm prouisus de nouo beneficio cui annexa sit obligatio emittendi professionem fidei iuxta ea quæ suprà diximus, omittens talem professionem euadat culpam & pœnam, eo quod ratione alterius tituli emiserit iam supradictam professionem fidei? In hac quæstione dico primò. Certum est eum qui ratione beneficij curam animarum habentis emisit professionem fidei in manibus Episcopi, non euadere culpam & pœnam si factus canonicus in cathedrali, iam iterum non emittat coram capitulo. Probatur euidenter, quia Tridentinum obligat canonicos ad faciendam professionem fidei coram Episcopo & capitulo, ille solùm eam fecit coram Episcopo. ergo saltem debet eam emittere coram capitulo. Ita infrà citandi. 36.

Dico secundò. Qui professionem fecit ratione alicuius gradus v. g. Doctoratus, vel licentiaturæ, siue ratione cathedræ, non euadit culpam & pœnam Tridentini si prouisus de beneficio curam animarum habente, vel de canonicatu, aut dignitate in cathedrali omittat professionem fidei. Probatur. Ratione doctoratus & reliquorum non emittitur coram Episcopo professio fidei, sed tantùm coram iis ad quos attinet conferre gradus vel cathedram. ergo is qui professionem 37.

nem fidei emisit ratione gradus, non satis fuit obligationi faciendi professionem fidei in manibus Episcopi. & conseqoenter incurrit culpam & pœnam &c. Ita infrà citandi. Si verò ratione doctoratus fieri deberet professio fidei coram Episcopo infrà num. 39. dicemus quid sentiendum.

38. Dico tertiò. Qui ratione vnius beneficij emisit confessionem fidei coram hoc Episcopo prouisus de alio beneficio ratione cuius professio fidei fieri deber coram alio Episcopo quia est in alio Episcopatu, non euadit culpam & pœnam si omittat iterum emittere dictam professionem coram illo alio Episcopo. Probatur. Concilium non obligat præcisè ad professionem fidei, sed ad professionem fidei *in manibus ipsius Episcopi*, id est, Episcopi ipsius beneficij. Sed qui emisit professionem ratione alterius beneficij, non eam emisit in manibus Episcopi ipsius beneficij quod modò habet. ergo &c. Ita Azor 2 *part. lib. 7. inst. moral. cap. 2. quæst.* 8. Vgolinus *de offic. Episc. cap.* 50 §. 16. *in princip.* Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 17. Squillante *de obligat cleric. part.* 1. *num.* 90. Campan. *in diuers. iuris Canon. rubr.* 8. *cap.* 3. *num.* 20. & alij multi quos citat, & sequitur Bathosa *suprà alleg.* 61. *num.* 8. & *cap.* 17. *num.* 8.

Azor. Vgolinus. Garcia. Squillante. Campan. Batbosa.

39. Dico quartò. Qui ex quacunque causa professionem fidei emisit coram hoc Episcopo v. g. Olisipon. si prouisus de beneficio animarum curam habente in Archiepiscopatu Olisipon. vel de Canonicatu vel dignitate in Cathedrali eiusdem, etiamsi omittat reiterare professionem fidei coram Archiepiscopo Olisipon. nullum committet peccatum & euadet pœnam Tridentini. Probatur. Concilium Tridentinum propterea videtur obligare prouisum de prædictis beneficiis ad professionem fidei & iuramentum coram Episcopo, vt & religione iuramenti, & solemnitate ipsius adstrictus c. utor fi t in rebus fidei. Qui semel emisit iuramentum coram hoc Episcopo, & de nouo prouidenir de alio beneficio, eadem iuramenti religione & solemnitate astringitor, & consequenter tutior fiet, ac si de nouo emittat iuramentum & professionem ergo per primam professionem & iuramentum iam satisfecit intentioni Concilij; ac proinde non violat eius præceptum, etiam si de nouo non faciat professionem fidei, & iuramentum ratione noui beneficij. Diuersa verò ratio est, quando secundum beneficium fuerit in alio Episcopatu, quia tunc deest solemnitas iuramenti quam requirit Trident. quod nim. sit factum in manibus Episcopi, ad cuius iurisdictionem pertinet tale beneficiom, vt etiam reuerentia sui Episcopi retardetur, & cautius fiat ne à fide deficiat cum aliorum damno. Quod diximus in hac conclusione de iuramento faciendo coram Episcopo, dicendum etiam de iuramento faciendo coram Capitulo, quando quis nouam eiusdem Capituli dignitatem, vel canonicatum obtineret.

40. Opposita sententia quæ docet absolutè semper innouandam professionem fidei quoties nouum acquiritur beneficium, æquè fere probabilis est, vt propterea Azor *part. 2. instit. moral. c. 2. quæst.* 8. Sanch. *in Decal. l.* 2. *cap.* 5. 6. vtranque sententiam problematicè tueri videantur. Vnde non video cur aliqui citent Azor. pro hac, Sanchez verò pro alia, quasi opposite sentiant, cùm vterque idem omnino doceat. Fundamentum esse potest commune illud pronuntiatum, *ubi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Ac

Azor. Sanchez.

proinde cum Concilium absolutè dicat prouisos de prædictis beneficiis debere emittere professionem fidei, nos etiam id sine distinctione asserere debemus. Sed tamen pronunciatum semper intelligi debet nisi nos ratio distinguere cogat. Ex dictis colliges eum Sanchez dixit eum, qui ratione beneficij tenebatur emittere professionem, satisfacere huic obligationi si per id temporis ratione v. g. doctoratus emiserit dictam professionem quamuis immemor omnino talis obligationis ortæ ratione beneficij, id intelligendum esse, si professio fidei ratione doctoratus fiat coram eodem, quo coram fieri deberet ratione beneficij, aliter non sentio cum illo, siquidem contrarius est nostræ secundæ conclusioni.

Dico decimoquartò. Doctores, Magistri, Regentes & reliqui quos supra diximus teneri ad professionem fidei emittendam ex motu Pij quinti, præter peccatum incurrunt nullitatem gradus vel prototarij ad cathedram siue lecturam & officium si omittant professionem prædictam. Ita expresse habetur in motu cit. Pij V. 41.

Dico decimoquintò. Promouentes eos, qui fidei professionem non fecerant ad gradus, cathedras, vel lectiones; siue permittentes promoueri, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, & priuationem eo ipso beneficiorum omnium, dignitatum, officiorum, feudorum Ecclesiasticorum & inhabilitatis ad ipsa, & alia imposterum obtinenda. Ita etiam in motu citato Pij V. Emanuel Rodrig. *quæst. reg. tom.* 2. *quæst.* 72. *art.* 2. existimat easdem pœnas incurri ab ipsis promotis, sed immeritò, vt ex contextu motus supradicti constat, & docet Cappucinus *super priuileg. mendic. ver. professio fidei. not.* 4. Sanchez *in Decalog. l.* 2. *cap.* 5. *num* 4. 42.

Rodrig.

Capucinus. Sanchez.

Dico decimosextò. Prælati religiosi supradicti non emittentes professionem fidei intra bimestre, præter peccatum nullam incurrunt pœnam, nisi eam quam Concilium Tridentinum imposuit Canonicis & beneficia curam animarum habentia possidentibus; ac proinde solùm amittent fructus si quos percepturi essent modo suprà dicto; reliqui verò qui fructus nullos essent percepturi liberi à pœna manent. Patet ex bulla Pij... incipiente, *Iniunctum nobis.* §. 1. vbi Pontifex ad professionem fidei prædictos omnes obligauit: solum enim præcipit id obseruari sub pœnis à Concilio Trid. latis. 43.

Deueniendo ad vltimam difficultatem, vtrùm scilicet liceat professionem fidei facere per procuratorem, maioris claritatis gratia illam in primis explicabimus in reliquis præter Episcopos, deinde ad ipsos Episcopos deueniemus. Duplicem igitur in hac difficultate reperio sententiam circa non Episcopos. Prima negat eos per procuratorem posse emittere professionem fidei. Ita Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 75. Zerola *in praxi* 2. *part. ver. fides professio* Autor addit. *ad consil.* Nauar. *l.* 2. *tit. de iureiurando consil.* 11. *fine.* qui addit ita censuisse Sacram Congreg. Eminent. Card. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell.* §. 7. *proœm. n.* 169. *vers. similiter.* Squillante *de oblig. cleric. part.* 1. *num.* 91. Vgolinus *de offic. Episc. cap.* 50. §. 16. *num.* 1. Steph. Gratian. *discept. forens. cap.* 166. *num.* 21. & acriter hanc partem sustinet Fr. Sigismundus à Bononia *de elect. dub.* 50. *num.* 3. 44.

Garcia. Zerola. Nauarr. Squillante. Vgolinus. Gratianus. Sigis. à Bononia.

Secunda sententia, quæ sanè probabilior est, affirmat posse prouisos de beneficiis & reliquos suprà per procuratorem emittere professionem fidei & iuramentum. Illam tuentur Nauar. *consil.* 4. 45.

Nauarr.

Ledesma. Azor. Sanchez. Zerola. Campan. Nouar. Massolo. Tambur. Iul. Lauor. Ferenhl. Buratti. Barbosa. Rota.

sil.4.sub num 2. de summa Trinitate in prima edit. & in secunda consil. 25. de iureiurando Petr. Ledesm *in summa part.2. tract.1.cap.4. post 10.conclus. difficul. 6.* Azor. *instit. moral. lib. 7. cap. 2. quest.6.* Sanch *in Decalog.l.2 cap. 5.num.7.* Zerolà *in praxi Episc. part.2. ver. fidei professio.* Campan. *in diversorum Canon.rubr.8.cap.3.num.18.* Nouat. *in singularib. Canon. sing.114. num.8. fine* Massolo *in tract. de Synodo Diœcesana cap. 4. dub. 40.* Tamburin. *de iure Abbatum tom.1 disp 8.quest.3. num 11.* Iul. Lauor. *Variar. lucubrat.tom 1.tit.4. cap.21.num.2* Ferenhl *in annot.ad decis.522.* Buratti *num.16* Barbosa *de offic.& potest Episc.alleg. 61.num 20. & de Canonicis cap. 17. num. 5.* & ita iudicauit Rota *in Varmien. Canonicatus 13. Iunij 1608. coram Cardin Sacrato.* Probatur. Quidquid facere per nosmet ipsos possumus, possumus etiam per procuratorem si lex vel canon id non prohibeat *l.1.ff.de procuratorib. reg. qui per alium de regulis iuris in 6. cap. potest quis de prebendis in 6.* & idem colligitur ex *cap. epratum, sine d 100.* verbis illis. *Nec aliquem qui hæc iureiurando firmares miseris.* vbi Præpositus hoc idem aduertit. Atqui nullibi reperitur cautum nequis possit facere professionem fidei per procuratorem, sed solùm per se ipsum, quia neque Trident. nec Bulla Pij IV. hoc habet. ergo &c.

46. Illud verò aduertendum hic est vt procurator possit efficere professionem fidei pro provisio de aliquo beneficio cui annexa sit obligatio illam efficiendi, non requiri mandatum de capienda possessione talis beneficij, quia id satis est vt censeatur speciale mandatum quoad hoc. Ita Rota in Varmien illa cit.

47. Quoad Episcopos, quæ erat potior difficultatis pars, duplex etiam est sententia Prima negat electos in Episcopos posse emittere professionem fidei per procuratorem. Ita Sanch. suprà *num. 9.* qui solus quem videam hanc excitat quæstionem & addit duos doctissimos viros à se de hac re consultos idem sensisse. Fundamentum huius sententiæ sumitur ex verbis bullæ in qua Summus Pontifea committere solet certo alicui Episcopo, vt eius nomine accipiat dictam professionem, quæ ita habent; *Ne propter hoc ad Sedem Apostolicam accedendo personaliter laborare cogatur, volentes parcere laboribus & expensis fraternitati vestræ committimus*, &c. Nam si Episcopus electus poterat per procuratorem emittere professionem fidei, cur Summus Pontifex assereret se committere tali certo Episcopo vt eius nomine acciperet dictam professionem fidei? Cur adderet *se parcere velle laboribus & expensis?* siquidem eædem vel fortassis maiores fiunt in obtinenda bulla commissionis quàm fierent in designando Romæ procuratore, qui nomine electi Episcopi emitteret professionem fidei prædictam.

48. Nihilominus altera sententia, quæ affirmat posse electos in Episcopos per procuratorem emittere professionem fidei, mihi non videtur improbabilis, quod sic ostendo. Quanuis daretur lex quæ obliget electos in Episcopos ad emittendam professionem fidei in manibus Summi Pontificis, nulla tamen datur, imò nec videtur dari posse quæ illos obliget districtè ad personaliter emittendam talem professionem fidei in eius manibus ergo bene possunt per procuratores. Valet consequentia, quia non apparet alius modus quo eam possent emittere nisi vel personaliter vel per procuratorem, ac proinde si semel conceditur non teneri dictos electos determinatè emittere professionem, bene sequitur quod possint per procuratorem. Antecedens sic ostēdi potest, ea lex videtur incomportabilis & moraliter impossibilis est ferè pro vniuerso orbe, ac proinde iniusta & consequenter nulla ergo &c. Quòd esset incōportabilis & moraliter impossibilis patet, quia obligarentur electi in Episcopos, non solùm Italiæ, sed vtriusque Indiæ & noui orbis Poloniæ, Germaniæ, Angliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, & Galliæ homines iam prouectæ ætatis, quales sunt qui communiter promouentur ad Episcopatus, multa milliaria in eundo & redeundo conficere, id sæpissimè tempore incommodo media nim. hyeme vel æstate. quod vel in ipsa Italia incomportabile & moraliter impossibile nemo negabit. Et præter quàm quòd videatur dari non posse suprà dicta lex, de facto nulla assignabitur. Neque verba illa citata quibus Pontifea solet committere suas vices alicui certo Episcopo vt accipiat professionem faciendam ab electo in Episcopatum, vrgent adeo, vt subterfugi non possit illorum vis: quia reuera illa neque inducunt ius & obligationem personaliter emittendi professionem fidei in manibus Pontificis, vt per se patet: neque necessariò tale ius vel obligationem supponunt. Satis enim est, ne dicamus ea sine causa apponi in similibus bullis si asseratur illa si non legem & obligationem, supponere tamen decētiam, quasi sic eorum sensus esset: Decens erat supposito quod professio fidei in meis manibus fieri deberet, quod per Electum in Episcopatum personaliter fieret; tamen ne propter hanc decentiam ad Sedem Apostolicam accedendo personaliter laborare cogatur, volentes parcere laboribus & expensis Fraternitati vestræ committimus &c.

Neque item obstat quòd nunquam talis professio fidei emittatur per procuratorem in manibus Summi Pontificis Primò, quia facilius & decentius est quòd Pontifex assignet aliquem qui talem professionem accipiat nomine suo, quàm vt ipse intersit illi occupatus tot tantisque negotiis ad gubernationem totius orbis pertinentibus. Secundò, quia de hoc non constat imò vix constare potest præcipuè nobis, qui non commoramur & scribimus Romæ, cum Autores de hac re vt diximus non scribant. Tertiò, quia nos modò loquimur de iure non de facto, ac proinde bene pnuuit fieri quod nunquam professio fidei de facto emissa sit per procuratorem in manibus Pontifi:is propter rationem assignatam, aut similem aliam, cum tamen de iure potuerit fieri. 49.

Supposito quòd electi in Episcopos possent per procuratorem emittere professionem fidei in manibus Pontificis, consequenter iudico dicendum, posse eosdem, etiam per procuratorem dictam professionem fidei emittere in manibus eius cui Summus Pontifex commisit vt suo nomine eam acciperet, vt de facto ipse Sanchez suprà refert fuisse Episcopum Malacitanum in manibus Guadixensis, & quemdam alium quem non nominat. Probatur, quia bulla illa nullam aliam obligationem imponit electo illi in Episcopum quam antea non haberet, sed solùm in ea assignatur persona coram qua professio quæ fieri deberet in manibus Pontificis, ab eo fiat. ergo si electus in Episcopum poterat professionem emittere in manibus Pontificis per procuratorem, illam etiam per procuratorem poterit emittere in manibus eius cui vices suas quoad hoc concessit Summus Pontifex. Id dictum sit sub censura, 50.

facile

facile enim mutabo sententiam si videam non probari à melius sentiente.

51. Quæres vtrùm quemadmodum electi in Episcopos possunt per procuratores emittere professionem fidei, ita designati à Pontifice ad illam acceptandam possint subdelegare vices suas? In hac quæstione Dico primò. Si Summus Pontifex in bulla expressit nomen designati v. g. Committo tibi Petro Episcopo Conimb. vt nostro nomine accipias professionem fidei à Tito &c. non poterit designatus subdelegare vices suas. Ratio est, quia quando nomen exprimitur, censetur electa persona ipsa ad tale munus, quia præsumitur cognita, cum sciatur eius nomen. Idem dicendum, quando non expresso nomine apponeretur clausula sæpe apponi solita, *Cum de tua prudentia confidamus, te eligimus*, &c. Quia etiam tunc censetur persona electa cuius qualitas dicitur cognita. Dico secundò, si nihil horum apponatur, bene poterit talis designatus vices suas subdelegare, quia tunc currit regula, *quod delegatus Principis possit subdelegare*, quam probat latè Sanchez *de matrimon. l. 3. disput. 31. num. 1. fine.* & Bathosa *in collectan. lib. 1. titul. 29. cap. 28. num. 2.* Neque obstabit si exprimatur dignitas vel officium, vt si dicatur, *eligimus Episcopum Conimbricensem vel Lamacensem*; & quia adhuc non censetur persona, sed dignitas electa. Neque item si oneretur conscientia, quia hæc clausula solùm habet vim admonitionis, ac proinde ratione illius non præsumitur persona ratione qualitatis cognita. Sanchez.

CAPVT V.

De occultatione fidei facta verbis vel taciturnitate.

SVMMARIVM.

Duplex datur occultatio fidei, altera positiua, altera merè negatiua. Et vtriusque descriptio. num. 1.

Occultatio quasi positiua sæpe est prohibita, sæpe licita, sæpe necessaria. num. 2.

Fit verbis vel taciturnitate: actionibus & earum cessatione: rebus & earum carentia. num. 3.

An interrogatus in odium Dei an sit Christianus possit interrogantem aliò diuertere? Prima sententia negat. num. 4. & 5.

Secunda item negat quando interrogatio fit à tyranno. num. 6.

Tertia negat de tyranno qui sit persona publica, affirmat de priuato. num. 7.

Quarta negat tantum de tyranno quando vt persona publica interrogat. num. 8.

Ad veram resolutionem supponitur totam necessitatem non occultandi oriri ex iure quod Deus habet ne minuatur eius honor, vel proximus ne sibi damnum inferatur. num. 9.

Tertia sententia præfertur & explicatur. numero 10.

Quid dicendum quando non vnus sed multi indeterminatè interrogantur. num. 11.

An fidelis possit fugere ne interrogetur & teneatur respondere. num. 12.

Fuga sæpe est in præcepto. num. 13.

Non fugere item sæpe sub præcepto erit. num. 14.

1. INTER negationem & confessionem fidei media est occultatio ipsius fidei de qua modò agemus. Duplex verò potest esse occultatio fidei, vt notat Suarez *de fide c. 14. sect. 3. initio:* altera merè negatiua, quæ datur in eo qui non confitetur actu fidem etiam non interueniente obligatione, seu occasione illam confitendi: altera dicitur positiua seu physicè, seu moraliter, & datur quando occurrente morali occasione confitendi fidem, fides tacetur, vel fuga, siue quocunque alio modo occultatur. De occultatione illa merè negatiua, nihil est quod dicamus, cum pateat de se esse licitam, & sæpe necessariam fragilitati humanæ, quæ actu nequit esse semper in confessione fidei. Suarez

2. De alia quasi positiua nobis erit modò agendum. Et circa illam imprimis suppono cum Suarez suprà tria vt certa. Primum est hanc occultationem fidei sæpe esse prohibitam: secundum sæpe esse licitam, & permissam: tertium sæpe etiam posse esse necessariam, & sub præcepto. Primum probo sic Confessio fidei & eius occultatio priuatiuè opponuntur. Atqui vt præcedenti cap. diximus, confessio fidei sæpe est sub præcepto. ergo pro eo tempore prohibetur occultatio fidei. Secundum, occultationem fidei scilicet esse licitam, ostenditur; quia occultatio fidei cum ipsa sit quædam priuatio, non prohibetur per præceptum negatiuum sed per positiuum, quo præcipitur confessio fidei; sed præceptum confitendi fidem non obligat pro semper, vt diximus, ergo neque etiam prohibetur fidei occultatio, & consequenter aliquando licita est. Tertium colligitur ex dictis sic; occultatio fidei sæpe est licita, & deinde sæpe potest esse necessaria ad euitandum periculum peccati & damni proximorum, quia si hîc & nunc non occultetur fides, incurreret quis periculum eam negandi, vel sequeretur Catholicorum persecutio; ergo datur obligatio eam occultandi sub præcepto charitatis vel propriæ vel proximorum.

3. Præsuppositis quæ certa sunt, ad dubia progrediamur. Quia verò occultatio fidei tripliciter fieri potest. Primò verbis, vel taciturnitate: secundò actionibus, vel earum cessatione: tertiò rebus vel earum carentia, vt distinctiùs procedamus; primò proponemus dubia in hoc cap. circa occultationem fidei primo modo per verba & taciturnitatem, & in sequentibus de aliis suo ordine.

4. Primum dubium sit, vtrùm si quis in odium Dei interrogetur an sit Christianus vel Catholicus, possit tacere vel aliò interrogantem diuertere. v. g. respondendo, quid ad te? Vnde tibi hoc desiderium? & vel ambiguis verbis illudere? Dixi, *in odium Dei*, quia vt insinuauit D.Thom. Ioan 10. Lec 3. & docet Suar. *num. 6. fine*, si interrogatio fiat in odium personæ, vt inimicum detegat, induhitatum videtur non teneri ad respondendum apertè. Multiplex in hoc dubio sententia est. Prima indistinctè negat quoties ex eo silentio vel responsione audientes crederent tacentem vel ambiguè respondentem non habere fidem, vel putare eam non esse veram. Ita D.Thom. *2. 2. quæst. 2. art. 2.* Caiet. *6. quæst. 3. art. 2. dub 1.* Angel. *ver. fides num. 8.* Sylu. *quæst. 5. num. 8.* Armil. *num. 7.* Tabien. *quæst. 7.* Abul. *cap. 10. Math. quæst. 129.* Tolet. *lib. 4. summa cap. 2. num. 4* Fundamentum sumitur ex *cap. Nolite timere 11. quæst. 3.* vbi ex D. Chrysost. ita habetur: *Non solum ille proditor est veritatis qui transgre* Suarez. D. Thomas. Caietan. Angelus. Syluest. Armilla. Tabiena. Abulens. Tolet.

transgrediens veritatem palam pro veritate mendacium dicit, sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronunciat quando oportet. Probatur secundò, quia illa dissimulatio est virtualis negatio fidei & erubescentia quædam damnata à Christo D. Luc 9. *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam & ego eum coram patre meo.*

6\. Secunda sententia idem negat, quando interrogatio fit à Tyranno, non distinguendo an is publicam, siue priuatam authoritatem habeat. Ita Aragon 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *dub.* 2 *conclus.* 2. Emanuel Rodrig *tom.* 1. *summæ in* 2. *edit. cap.* 119. *num.* 2. Fundamentum idem est quod suprà. (Arag. Rodrig.)

7\. Tertia sententia distinguit de Tyranno interrogante, & negat esse licitum tacere vel ambiguè respondere quoties interrogat vt persona publica. Affirmat, si interroget vt persona priuata. Ita Valent. 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *dub.* 3. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. cap.* 17. *quæst.* 1. Bañes 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 3. Petr. de Ledesm. 2. *tom. summæ tract.* 1. *cap.* 4. *conclus.* 6. Ludou. Lopez 1. *part. instruct. cap* 41. *vers. peccat mort.* Neque iuxta hanc sententiam refert quòd Tyrannus sit, vel non sit superior interrogati, dummodo vt persona publica interroget. Fundamentum est, quia in primo casu detrahitur semper magnus Deo honor; non verò in secundo, quia in communi a censebitur quis fidem negare, sed interrogantem iustè decipere, siquidem scitur non magis obligari quis ad respondendum personæ publicæ, quando interrogat vt priuata quàm si esset priuata & non publica. Vnde tacens vel ambiguè respondens non propriè fallit, sed permittit falli, neque dat sed sumitur scandalum. (Valentia. Azor. Bañes. Ledesm. Lopez.)

8\. Quarta sententia idem sentit quando persona interrogans publica est & vt talis interrogat: sed tamen adhuc distinguit de persona interrogata; si enim sit communis, asserit licitum esse tacere, vel ambiguè verbis deludere, & aliò diuertere interrogationem priuatum; si tamen sit persona notabiliter grauis v. g. Episcopus, vel Doctor insignis, negat id esse licitum. Ita Valent. suprà & Sanchez *in Decal. lib.* 2. *tom.* 1. *l.* 2. *cap.* 4. *num* 6. *fine.* Fundamentum est, quia etiam quando persona interrogans priuata est; si interrogata fuerit notabiliter grauis, notabilis honor detraheretur Deo illius taciturnitate, vel amphibulogica responsione, itavt existimetur vel deseruisse fidem, vel eam paruipendere. (Valentia. Sanchez.)

9\. Vt explicem quid sentiam in hac varietate opinionum, aduerto cum Suar. *de fide disp.* 14. *sect.* 3. *num.* 6. totam obligationem non tacendi, vel non respondendi ambiguè, seu non diuertendi aliò interrogantem, oriri ex iure quod Deus habet ne auferatur vel diminuatur honor sibi debitus, vel ex iure quod proximus habet sibi ex charitate debitum ne sibi damnum vel scandalum graue inferatur: non verò oriri ex qualitate personæ interrogantis, quia nulla est omnino persona quæ iuridicè possit de fide aliquem interrogare. Ac proinde vt iudicemus an licitum sit tacere vel ambiguè respondere, semper necessarium erit perpendere circunstantias omnes quæ occurrunt, & ex iis videndum an ex silentio vel ambiguitate respondendi hic & nunc grauis diminutio honoris diuini aut graue detrimentum proximorum sequatur. (Suarez.)

10\. His prænotatis indico veram esse tertiam sententiam absolutè, quia tenetur quando persona publica vt talis interrogat, semper dabitur diminutio notabilis honoris Dei, si interrogatus taceat vel palam non confiteatur fidem. Reliquas verò sententias non existimo esse omnino veras, quia non semper dabitur notabilis diminutio honoris Dei si in circunstantiis in quibus loquuntur, taceatur, sed verbis ambiguis occultetur fides; quamuis non negem posse aliquoties euenire vt detur. Quare relinquendum videtur prudentis arbitrio quando ex taciturnitate vel ambiguitate respondendi timeri iure possit diminutio notabilis honoris Dei vel damnum proximi. Ita videtur sentire Suarez suprà.

Secundum dubium est, vtrùm idem dicendum sit, quando non vnus vel multi determinatè interrogantur, sed tantùm in generali. v. g. si tyrannus dicat, *si quis hic fidelis est, se prodat.* Resolutio sit, regulariter loquendo, neminem in eo casu per se teneri se prodere. Ratio est, quia quando multi adsunt occulti, nemo propriè interrogatur. Ita Suarez *cit. num.* 6. cum Tabiena *vers. fides.* vbi refert ita semel accidisse, & à viris doctis iudicatum licitam fuisse taciturnitatem in ea facti contingentia. 11. (Tabiena. Suarez.)

Tertium dubium est, vtrùm fidelis, ne interrogetur, & teneatur fidem confiteri, possit fugere, vel ad id teneatur. Resolutio sit, fugam in eo casu per se loquendo esse licitam, non tamen esse necessariam & sub præcepto. Conclusio quoad primam partem adeò certa est, vt existimem cum Suarez *cit. num* 9. esse de fide: Tum quia comprobatur exemplo Christi Domini, vt bene ait Nicolaus Papa cap. *sciscitaris* 7. *quæst.* 1. Tum quia idem Christus Dominus expressè ait Matth. 10. *Cum vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Et D. Paulus de se ipse dicit: *Per murum dimissus sum in sporta, & sic effugi manus eius.* D. Paulum imitati sunt innumeri è sanctis martyribus & confessoribus. Et hoc communiter docent sancti Patres & scholastici contra Tertullianum, qui in illo suo libro de fuga, in persecutione contendit probare illicitam esse in persecutionibus fugam. Ratio præcipua, qua maximè veritas hæc corroboratur, est: Fuga eo fine suscepta virtualis quædam est confessio fidei, & quædam participatio martyrij quatenus quis ne fidem deserat, patriæ exilium præeligit; neque obstat quod ea electio fiat intuitu maioris mali vitandi, quia id prudenter fieri potest, ne scilicet incurratur periculum negandi fidem aut damnum proximi. Quoad secundam partem probatur conclusio sic. Verba illa Christi D. *fugite in aliam*, Matth. 10. non continent præceptum, vt communiter interpretes & expressè Caietan. qui ita verba Christi Domini commento explicat. *Fugite in aliam* (nempe ciuitatem) *licentia est non præceptum, & appositum ne illicitum existimaretur fugere.* Deinde fuga sæpe non est necessaria aut maximè vtilis ad aliquod bonum vel proprium vel proximorum. ergo non est sub præcepto. 12. (Suarez. Nicol. Pap. Matth. 10. Matth. 10.)

Duo ex hac doctrina colliges. Primum, sæpe fugam in prædicto casu posse esse in præcepto. Ita Suarez *cit. num.* 10. Probatur. Fuga alicuius aliquando potest esse moraliter necessaria, vel maximè vtilis ad proximorum salutem, vt videre est in eo cuius vita moraliter existimatur necessaria ad corroborandos & instruendos alios in fide, vel ad vitandum proprium vel aliorum periculum negandi fidem, quod facilè colligi potest ex conditione personæ & aliis circunstantiis. ergo si fuga per se licita est vt diximus, tenetur aliquando quis in prædictis scilicet casibus 13. (Suarez.)

eam

eam arripere, ac proinde aliquando sub præcepto est.

14. Secundum quod colligitur, est, non fugere aliquando posse esse sub præcepto. Ita etiam Suarez *suprà num.* 12. Probatur. Præsentia alicuius aliquando poterit esse moraliter necessaria ad magnum Dei honorem & salutem proximorum, vt per se patet. ergo si licitum est non fugere vt diximus, necessariò tenetur quis aliquando, in eo scilicet casu non fugere. Hanc obligationem sæpe incurrunt pastores (quamuis non ad eos solos restringatur, vt per se patet) ac propterea mercenarius dicitur pastor, qui suas oues in persecutione deserit, cum è contra laudetur vt bonus, qui non fugit etiam cum periculo vitæ. Ioan. 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.* Non delinquet tamen contra hanc obligationem Episcopus, qui sui defectum sufficienter suppleret per alios, vt docet D. Thom. Luc. 3. quia is reuera non dicitur dimittere oues.

CAPVT VI.

De occultatione fidei per actiones, vel earum cessationem.

SVMMARIVM.

Quando vrget præceptum confitendæ fidei, non licet elicere actiones, vel ab eis cessare ad eam occultandam. num. 1.

Quando non vrget præceptum quid dicendum. ibidem.

Non licet elicere ad occultandam fidem actiones per se ordinatas ad vsum religiosum. num. 2.

Oppositum docuit Adrianus & quibus fundamentis. num. 3.

Refutatur hæc sententia periculosa. num. 4.

Soluitur argumentum sumptum ab Apostolis exercentibus cæremonias aliquas Iudaicas. num. 5.

Soluitur argumentum sumptum à Naaman petente ab Elisæo facultatem genu flectendi coram Idolo. num. 6.

Soluitur argumentum desumptum à Iehu. num. 7.

Et item argumentum desumptum à ratione. num. 8.

Licet ingredi templa infidelium siue hæreticorum nullo præcipiente. num. 9.

Etiam ad audiendas conciones animo eas refutandi. num. 10.

Non licet ingredi prædicta templa præcipiente principe hæretico, vel infideli ob contemptum fidei. num. 11.

Nunquam licet ingredi prædicta templa ad communicandum in ritibus cum infidelibus vel hæreticis. num. 12.

Aliter dicendum si ritus non fuerint hæretici sed catholici, idque in extrema necessitate. num. 13.

Vt ad suscipiendum baptisma vel confitendù peccata modo catholico. ibid.

Vtrùm fideles transeuntes per loca hæreticorum possint vesci carnibus diebus Quadragesimæ? affirmandum si simulentur morbus propter quem licet talis esus catholicis. num. 14.

Licet item carnes comedere inaduertenter sibi appositas. num. 15.

Licet item si apponantur à persona priuata animo tentandi an sit Catholicus, dummodo fiat ex metu grauissimi damni. num. 16.

Non licet si apponens vel iubens apponi sit persona publica, & vt talis apponat vel iubeat. ibid.

NVNQVAM licet elicere quascunque actiones, siue ab eis cessare, ad occultandam fidem, siue quando vrget præceptum confitendæ fidei: siue quando elicere tales actiones, vel ab eis cessare, virtualiter sit negare fidem. Quapropter quando vocamus in quæstionem, vtrùm liceat elicere actiones vel ab eis cessare ad occultandam fidem, solùm inquirimus vtrùm quando non vrget præceptum confitendæ fidei, possit quis tales actiones elicere, vel ab eis cessare, vt eius occultetur fides; quin virtualiter neget fidem. De tribus actionum generibus quæstionem specialiter excitatam inuenio à DD. an fieri possint. Primum est, adoratio, thurificatio, tunsio pectoris & genuflexio coram Idolo, quæ actiones ex institutione vel vsu suo solùm ordinatæ sunt ad cultum religiosum. Secundum genus est, ingressus templi, qui de se non est solùm ordinatus ad cultum religiosum cum sæpe fiat ex alio fine. Tertium est, manducatio vel abstinentia à talibus cibis, vel certis diebus. 1.

Circa primum igitur genus actionum, dubium primum occurrit, vtrùm liceat occultare fidem per actiones per se solùm ordinatas ad vsum religiosum eas fictè exercendo v. g. adorando Idolum, thurificando illud, coram illo tundendo pectus, vel genuflectendo & similia, cum tamen animus à nihilo magis abhorreat, quàm ab adoratione & honore interim exhibendo tali Idolo? 2.

Adrianus in 4 *tract. de Baptismo, quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 5. affirmauit licere vrgente grauissima causa. Hanc verò suam existimationem confirmat primò authoritate D. Hieronymi *ad Galat.* 2. *&* 3. *& Epist.* 89. *ad August.* vbi asserit Apostolos post mortem Christi Domini exercuisse cæremonialia legis, quæ tamen in sententia eius Doctoris ab eo tempore erant mortifera, & addit excusari eos à peccato, quia per prudentem simulationem, non verò intentione cultus illa exercebant. Secundò id idem probat plurimis exemplis sacræ Scripturæ. Primum desumit ex Naaman Syro *Reg.* 5. qui conuersus ad veram fidem petiit ab Elisæo, vt sibi licentiam concederet adorandi, vtrique simulatè, Idolum, cum templum illius ingrederetur comitando dominum suum iis verbis: *Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon vt adoret, & illo innitente super manum meam si adorauero in templo Remmon adorante eo eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo suo super hac re.* cui tamen Elisæus respondit: *Vade in pace.* In quo absque dubio voluit significare id illi licitum esse. Secundum exemplum desumit à Iehu 4. *Reg* 10. qui ad occidendos prophetas Baal finxit se velle sacrificare ipsi Baal, & tamen videtur propter hoc in Scriptura laudari, Ait enim Dominus ad illum: *Studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis.* Tertiò idem probat ratione. Qui simulatè adorat idolum (idem de aliis actionibus dicendum) neque intendit vt supposito exhibere cultum idolo, neque fallere circunstantes, sed solum intendit exercere illam actionem, v. g. flectere genua, non vt significatiuam, sed tantum vt materialiter talem, ad bonum finem. v. g. ad euadendam mortem. ergo neque mentitur neque fallit, sed solum permit- 3. Adrianus.

tit

tit falli circunstantes, quod licet, saltem vigente grauissima causa mortis. Valet consequentia, quia sublata mendacij & fallaciæ culpa, non apparet cur illa actio metu mortis cohonestari non possit.

4. Huic sententiæ, quæ absque dubio singularis est, atque in re morali periculosa, opponitur communis Doctorum sententia omnino certa & tenenda; asserit semper esse illicitum & sacrilegum adorare idolum, illi genu flectere, & similia. Eam tuetur D. Thom 2.2. *quæst*. 3. *art*. 2. & ibi Caiet. & Gregor. de Valentia *disp*. 1. *quæst*. 3. *punct*. 2. *dub*. 4. & alij interpretes. Alex. Alens. 3. *part*. *quæst*. 183. *memb*. 2. D. Anton. 2 *part*. *tit*. 12. *cap*. 6. Sylu. *ver*. *fides*, *quæst*. 5. Armil ibi, *num*. 9. Angel. *ver*. *infidelitas*, *num*. 8. Nauar. *cap* 11, *num*. 25. & *sequentibus*. Tolet. *lib* 4. *summæ cap*. 2. *num*. 7. Vasq. 1.2. *disp*. 1. 82. *cap*. 5. Suar. *de fide disp*. 14. *sect*. 4. *num* 4. & *lib*. 9. *de legibus cap*. 17. & *in defensione fidei lib* 6. *cap*. 9. Becanus 2. *part*. *summæ cap*. 9. *quæst*. 5. *num* 11. & alij communiter. Probatur primò ex illo 2. ad Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras, aut quæ conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fidelis cum infideli?* quibus verbis damnatur ab Apostolo communicatio cum infideli, præsertim in cultu falsi Dei; at verò qui adoraret Idolum, etiam simulatè, communicaret cum infideli, in cultu Idoli. ergo &c. Idem colligitur ex eodem cap. 10. verbis illis: *Nolo vos fieri socios dæmoniorum. non potestis calicem Domini bibere & dæmoniorum.* Ex quo loco colligunt interpretes & DD. semper esse sacrilegum exercere cæremonias infidelium. Secundò probatur ex consuetudine & ritu Ecclesiæ tot sanctorum ac martyrum exemplis confirmato, quem olim à Celso hæretico oppugnatum egregiè propugnauit Orig *lib*. 2. *contra Celsum*. Tertiò probatur ab inconuenientibus, quæ plurima inde sequerentur. Sequeretur enim posse nunc filium Iudæi seruare cæremonias Mosaicas ad vitandum indignationem patris ne priuetur hæreditate; & item baptizatum de nouo. v. g in China, vel Iaponia, sacrificia offerre Idolis, quando de sua fide non interrogatur ne se Christianum prodat & effugiat mortis periculum, quæ omnia absurdissima sunt. Quartò, adorare idolum, illi sacrificare, & similes actiones intrinsecè continent superstitiosum cultum, quia per se primò impositæ sunt ad vsum religiosum, nec alium habent moralem vsum, ideoque ab illo separari non possunt; atqui cultus superstitiosus intrinsecè malus est vtpote contra religionem ergo &c. Quintò, qui sacrificat idolo, vel genu flectit Mahometæ, ipso facto affirmat se esse Gentilem vel Turcam Qui se Gentilem aut Turcam etiam fictè diceret, peccaret contra confessionem fidei, vt suprà diximus; quia eo ipso se negaret Christianum, ac proinde nunquam id licet. ergo &c. Tandem actiones suprà dictæ ita habent annexum scandalum, vt moraliter non possint ab illo separari. ergo per se sunt fidei contrariæ, & consequenter per se malæ.

D. Thomas. Caietan. Valentia. Alensis. D. Antonin. Syluest. Armilla. Angelus. Nauarr. Tolet. Vasquez. Suarez. Becanus.

Origenes.

5. Ex dictis facilè soluuntur argumenta in contrarium, negandum enim est cum Aug. *Epistola ad Hieronymum* & TT. communiter Apostolos simulatè exercuisse cæremonias legales, sed animo verè colendi Deum; neque hoc pro illo tempore erat illicitum, quia quamuis illa lex foret iam mortua, non erat tamen mortifera, eo quòd nondum satis promulgata erat lex Euangelica. Neque obstat D. Hieronymus, quia in hac parte non probatur eius existimatio, quamuis aliqui conentur illam ad bonum sensum reducere.

Ad secundum desumptum ex facto Naaman, dupliciter responderi potest; Primò negando Naaman petiisse ab Elisæo licentiam simulandi adorationem idoli, sed genuflectendi vt dominum adorantem sustineret, quo ei solitum obsequium politicæ obseruantiæ exhiberet, vt ad eum locum explicant Abul. *quæst*. 20. Caiet ac Lyranus *ibi*, & Burg. *additione prima*. at verò huiusmodi ministerium exhibere non est intrinsecè malum, etiam si adstantes decipi possent, existimantes Naaman idolum simul cum Domino suo adorasse; quia similis deceptio aliquando ex iusta causa permitti potest. Respondetur secundò dato & non concesso, quòd Naaman licentiam simulatè colendi idolum petiisset, vt sentit Valent. 2. 2. *disp*. 1. *q*. 3. *dub*. 4 *in solutione ad* 3. dicendum Elisæum nulla ratione illam concessisse, & dato illo, dicendum verba illa, *Vade in pace*, non esse verba approbantis, sed reprobantis, quod ex gestu & vultu facilè colligi poterat. 6.

Lyran. Burg.

Valentia.

Ad tertium desumptum ab exemplo Iehu, dicendum in eo facto peccasse, vt docet Aug. *lib. contra Mendacium* & est sententia D. Thom. 2. 2. *quæst*. 3 *art*. 1. Neque scriptura laudauit eius simulationem, sed zelum & obedientiam erga Deum in occidendis prophetis; nam, vt ibi notat Caiet. non ait scriptura, quia studiosè loquutus es, sed *quia studiosè egisti*, neque nouum est in scriptura laudare intentionem, etiamsi in mediis eligendis aberretur. 7.

D. Thomas.

Ad quartum argumentum ex ratione desumptum, respondetur primò negando consequentiam; primò, quia cum illæ actiones ex primaria sua impositione impositæ sint ad significandum religiosum cultum Idoli; moraliter loquendo, non possunt separari à significatione illius; ac proinde cum semper significent cultum idoli etiam cum simulatè fiunt, saltem continent mendacium, & consequenter illicitæ sunt. Respondetur secundò negando secundam consequentiam, quia licet concederemus tales actiones liberari posse à mendacio, & vero cultu Idoli, ita tamen sunt ex natura sua coniunctæ cum scandalo, & superstitioso cultu, vt tanquam superstitiosæ intrinsecè & scandalosæ sint intrinsecè malæ, ac proinde etiam quando fiunt sine animo mentiendi, & adorandi interius Idolum, illicitæ sunt. 8.

Circa genus actionum, Dubium satis celebre est, vtrùm ingredi liceat templa infidelium siue hæreticorum: conciones eorum audire &c. Dubium in duplici euentu excitari potest. Primò, si princeps aliquis hæreticus, vel infidelis præcipiat talem ingressum vt fit in Anglia. Secundò, si nullus talem ingressum præcipiat. Dico igitur primò. Nullo præcipiente templi ingressum licitè poterit quis templum infidelium, vel hæreticorum ingredi ad negotia secularia tractanda, ad pacta & conuenta facienda: ad ipsum templum curiositatis causa videndum: ad infideles siue hæreticos & eorum errores confutandos, & cuiuscunque alterius finis liciti causa. Hæc videtur communis DD. sententia, quos per sequentes conclusiones referam. Probatur, quia huiusmodi ingressus de se non est cultus religiosus, cum passim videamus ingredi templa absque animo deferendi cultum Deo, vt v.g. ad quærendum ibi aliquem, ad fugiendam pluuiam, & similia, ergo bene poterit licitè fieri ex bono fine. Id 9.

confir

confirmat consuetudo; sæpe enim legimus Doctos & Religiosos viros in regnis infidelium eorum templa ingressos fuisse, vt quæ in eis sunt postea possint narrare vel scribere, quia vel ipsi, vel qui id postea audierunt aut legerunt, existimarint eos in hac re peccatum commisisse.

10. Dico secundò. Licitum etiam erit ingredi templa hæreticorum siue infidelium nemine præcipiente ad audiendas eorum conciones, si neque fiat animo addiscendi falsam illam sectam; neque cum scandalo aliorum siue periculo propriæ
Becanus. subuersionis. Ita expresse Becanus *part. 2. summa cap. 9 num. 16.* Probatur. Ingredi templa modo supradicto ad conciones audiendas non est per se cultus falsæ religionis. ergo sublato scandalo proprio & aliorum benè potest quis ingredi animo audiendi conciones accedente bono fine v.g. vt melius refutentur infidelium & hæreticorum rationes & fundamenta, præcipuè si aliter sciri facile non possint, in qua re semper cautè procedendum, & necessitas vel magna vtilitas spectanda.

11. Dico tertiò. Non licet ingredi templa infidelium vel hæreticorum præcipiente Principe hæretico, vel infideli talem ingressum intuitu contemnendæ fidei Catholicæ, vt videatur occultari à fidelibus fides metu damni temporalis, siue ad disponendos ipsorum fidelium animos ad negandam fidem, siue ad confirmandos hæreticos aut infideles ad retinendam suam sectam vel falsam religionem, dum vident eorum ritus ab omnibus siue libenter, siue coactè frequentari. Ita etiam communis sententia DD. quos sequenti conclusione citabo. Probatur primò. In dicto casu datur necessitas confitendæ fidei, ergo non licet eam abscondere simulando, vt absconderet qui in iis circunstantiis templa infidelium vel hæreticorum ingrederetur. Consequentia valet, antecedens probatur primò. Quando datur magnum detrimentum diuini honoris, vel graue scandalum proximorum, vrget præceptum confitendi fidem, vt suprà diximus; sed in dictis circunstantiis dabitur magnum detrimentum diuini honoris, quatenus eius fides contemnetur vt dixi, & maximum periculum tum in ipsis ingredientibus & aliis id videntibus amittendi fidem, tum in ipsis infidelibus & hæreticis persistendi in sua falsa religione vel secta. ergo &c.

12. Dico quartò. In nullo etiam casu licet ingredi templa infidelium vel hæreticorum ad communicandum cum eis in ceremoniis & ritibus suæ falsæ religionis. Ita communis sententia eorum quos suprà citaui. Probatur. Non licet prædictos ritus & ceremonias exercere, vt diximus *num.* 4. ergo neque ad eum finem ingredi in templa. Valet consequentia, quia quando finis prauus est & illicitus, omnia etiam media ad illum
13. finem suscepta praua & illicita sunt. Dixi, *in ritibus & ceremoniis suæ falsæ religionis vel sectæ,* quia si ritus non fuerint proprij suæ sectæ; poterit dari casus in quo liceat. v. g. casus extremæ necessitatis, quando vrgente morte non adesset Catholicus qui baptizare possit, poterit quis ingredi Ecclesiam Caluinistarum & Lutheranorum ad recipiendum baptismum ab eis. Probatur, quia Baptismus Caluinistarum cum sit verus baptismus, ac proinde non sectæ Caluinistæ, sed Ecclesiæ Catholicæ ritus, qui in ea necessitate reciperet baptismum, iniuria existimabitur suscipere sectam illam falsam, & non potius veram. Ita expresse Beccanus *cap. illo 9. num.* 10.

Idem dicerem de sacramento Pœnitentiæ in hæreticis qui veram pœnitentiam agnoscerent, & ministrarent saltem in articulo mortis, pro quo vel ipsi habent sufficientem iurisdictionem, si sacerdotes sint, & alij desint. Id tamen semper intelligendum, quod suprà iam monuimus, sublato scandalo proprio, vel aliorum, & non vrgente præcepto confitendi fidem. Aliter dicendum de aliis sacramentis, quæ non sunt necessaria necessitate medij, sed tantùm præcepti, quia in iis non occurrit extrema necessitas nisi fingamus casum in quo quis moribundus esset in peccato, & dubitaret de contritione, ac pœnitentiam suscipere non posset, quia non aderat qui valide absoluere posset vel vellet; is enim posset recipere Eucharistiam & extremam vnctionem ab hæretico, qui validè illam administrare voluisset, vt si forte non habeat contritionem, peccata ei indirectè remittantur, & ex attrito per tale sacramentum fiat contritus.

Circa tertium genus actionum, quod est comestio vel abstinentia à certis quibusdam cibis, 14.
certis quibusdam diebus; dubium primum sit, vtrùm fideles inter hæreticos viuentes, vel per eorum loca transeuntes possint diebus quadragesimæ & aliis, vetitis carnibus vesci ne prodantur esse Catholici. Hoc dubium per sequentes conclusiones, vt in aliis præcedentibus fecimus, enodabimus. Dico igitur primò. Quando quis in iis diebus comederet carnes, prætexendo aliam causam cur abstineat à piscibus & comedat carnes v. g. dolorem stomachi, febrim, aut aliud simile, non peccat contra confessionem fidei. Ita Azor. *tom. 1. instit. moral. l. 8. cap. 27. quæst.* 3. Azor.
Sanchez *tom. 1. Decalogi l. 2. cap. 4. num.* 24. Be- Sanchez.
canus 2. *part. summa cap. 9. num.* 22. Probatur. Becanus.
Ex eo facto non posset colligi, imò nec suspicari prædictum non esse Catholicum; siquidem in iis circunstantiis Catholicus etiam carnes comedere potest. ergo non vrgente præcepto confessionis fidei non peccaret. Habet verò locum conclusio, siue qui ita fingendo id faceret ex iusta causa v. g. metu mortis aut damni grauis, siue id faceret sine causa, imò ex prauo fine dummodo non sit finis contra fidem. Ratio est, quia ex quocunque motiuo comedat, nunquam ex vi illius facti haberi potest pro non Catholico, vt dixi; ergo licet aliunde peccet, non peccat contra fidem, siquidem nec virtualiter illam negat, & aliunde, vt suppono, non tenetur ad illam confitendam.

Dico secundò. Fidelis, qui nullam simulando 15.
causam, sed simpliciter inter reliquos hæreticos v. g. comederet carnes vetitas, quæ sibi ab aliquo apponerentur non animo explorandi an sit Catholicus, sed inaduertenter, vel existimando esse vt alios hæreticum, non peccaret contra confessionem fidei, nisi aliunde vrgeret præceptum illam confitendi, etiamsi talis esus apud hæreticos haberetur pro signo deserendi fidem. Ita suprà citati. Probatur. Neque esus carnium est institutus per se ad professionem falsæ religionis, sed est indifferens, neque abstinentia ab illis etiam in talibus diebus est introducta ab Ecclesia ad distinguendos Catholicos ab hæreticis, sed ad macerationem carnis vel alium similem finem, quamuis hæretici ex malitia sua id velint. ergo qui manducaret carnes talibus diebus non peccaret contra confessionem fidei si id fecerit ad aliquem alium finem ex iis ad quos talis esus carnium ordinatur, idque ex iusta causa, quia tum

temporis

temporis neque virtute asseretet se non esse Catholicum, nec falleret, sed permitteret alios falli, quod sæpe diximus licere ex iusta causa. Dixi *ex iusta causa*, quia vt supra diximus contra honorem fidei videtur, quod quis ita se gerat absque iusta causa, vt non existimetur Catholicus. Hinc colliget sententiam Valentiæ 1.2. *disp.7 quæst 5. punct.6.& quæst 4. casu* 4 quatenus ait in nullo casu licere eius earnium inter hæreticos apud quos talis esus diebus quibus ab Ecclesia prohibetur, introductus esset in signum animi hæretici, locum habere solùm non interueniente iusta causa, & timore cadente in virum constantem.

Valentia.

16. Dico tertiò. Si quis fidelis comederet carnes sibi ab hæretico vel infideli appositas ad explorandum an sit Catholicus, peccabit contra confessionem fidei si apponens fuerit persona publica, aut aliunde daretur notabilis diminutio honoris diuini vel scandalum proximi iuxta superiùs dicta; aliter dicendum si fuerit priuata, nec aliunde timeatur diminutio honoris diuini vel scandalum Ita Sanchez & Azor suprà. Probatur prima pars in circunstantiis personæ publicæ, & aliis, in quibus sequeretur diminutio diuini honoris & scandalum proximi; qui manducaret earnes, celaret fidem quando teneretur illam confiteri. ergo &c Secunda pars probatur, quia quando persona est priuata, & non occurrunt circunstantiæ supradictæ, nullum peccatum est celare fidem, vt diximus. Imò posset esse peccatum abstinere à carnibus, quando scilicet non daretur obligatio confitendi fidem, & ex abstinentia nullus speraretur fructus aliut quàm concitare in se hæreticorum furorem eum periculo deregendi Catholicos. Ita Becanus *cap. illo 9. num.24. in fine.*

Becanus.

Caput VII.

De occultatione fidei rebus factâ, vel earum carentia.

Summarium.

Quæritur an liceat uti vestibus infidelium ad occultandam fidem. num. 1.
Vestes quibus infideles vtuntur, vel sunt talis nationis, vt vestes quibus Turcæ vel Mauri vtuntur, vel sunt ad distinguendum infideles à Christianis, vt pileus flauus Iudæorum; vel quibus defertur cultus idolo vel falsæ sectæ, vt quæ depictum ferunt Mahometem. num. 2.
Licet gestare primum genus vestium. num. 3.
Sine tamen causa non licet. num. 4.
Proponitur sententia negans licere in vllo gestare secundum genus vestium. num. 5.
Præfertur sententia asserens licere metu mortis vel interueniente vrgenti causa. num. 6. & 7.
Ponitur sententia affirmans licere gestare tertium genus vestium ex grauissima causa. num. 8.
Opposita sententia, quæ docet in nullo casu licere, præfertur. num. 9.
Vera est prædicta sententia nisi vestes illæ gestarentur profano modo, quia sic liceret. num. 10.
Possunt Religiosi societatis IESV gestare fila quædam alba è collo appensa, idque declarauit Gregorius XV. num. 11.
In comœdiis licet gestare quascunque vestes. num. 12.
Christiani in triremibus ac nauibus portant signa Turcarum, vt eos aggrediantur tutius, vel fugiant securiùs. ibid.
Licere dimittere vestes ab infideli principe impositas vt cognoscantur, negant aliqui. Probabilius affirmandum interueniente causa iusta. num. 13. & 14.

Occultari etiam potest fides, vt diximus, per res siue earum carentiam. Quia verò id communius fieri solet assumendo vestes infidelium, vel dimittendo proprias Christianorum vel Catholicorum; in vestibus & signis quæ ad vestes reducuntur, totam quæstionem explicabimus; quia facile erit ex iis quæ de vestibus dixerimus, colligere, quid de aliis rebus, si quæ sunt, dicendum sit. 1.

Ante omnia præsuppono tria esse vestium & signorum genera, quoad præsentem quæstionem attinet. Primum genus est earum vestium & signorum quibus infideles vtuntur quatenus sunt talis vel talis nationis, quæ aliunde falsam sectam profitentur, quibus iidem vterentur etiamsi fierent Christiani vel Catholici, quales sunt, v. g. vestes quibus soli Mauri, aut soli Turcæ, aut similes infideles vtuntur, quas ipsi non dimitterent etiamsi Christiani fierent. Quemadmodum Hispani, Galli, vel Itali suas non dimiserunt cum Religionem Christianam primò susceperunt. Secundum genus est earum vestium, & signorum quibus infideles vtuntur, vt ab aliis alterius sectæ hominibus politicè tantùm distinguātur Exemplo sit tobalia alba seu linteum quo Turcæ inuoluunt caput vt à Christianis distinguantur: flauus pileus quo Romæ, vel circulus item flauus in pallio quo Francofurti Iudæi iussu Pontificis vel Principis vtuntur, quo à Christianis discernantur. Tertium genus est earum vestium & signorum per quæ specialis aliquis cultus falsæ sectæ vel Idolo defertur, eo modo quo apud Christianos vestes sacræ quibus sacerdotes cum missæ sacrificium peragunt, vtuntur; vel rosarium quod collo appensum gerunt. Tales sunt, vt exemplum de vestibus hæreticorum & infidelium afferamus, eæ vestes quæ depictam haberent effigiem Mahometis, Idoli, vel Lutheri, aut similes. 2.

His præsuppositis circa vestes, & signa primi generis, quæ scilicet sunt signa nationis non religionis, communis, & recepta sententia est omnium, quos infra citabimus, licere ex iusta causa illis fideles indui. v. g. quando per terras infidelium transeunt ne cognoscantur, & malè accipiantur. Probatur primo à priori in eum modum: Vestes supradictæ non sunt impositæ ad significandam cum qui illis induitur habere falsam religionem.ergo qui illis induitur, non dicit se profiteri falsam religionem, & consequenter non negat virtualiter fidem, sed solùm illam occultat. quod licet, vt sæpe dixi, ex iusta causa. Probatur secundò à posteriori, ex vsu multorum Religiosorum & aliorum Deum timentium, qui sæpe id faciunt absque scrupulo, & Ecclesiæ reprehensione; sæpe enim Duces exploratores mittunt vestibus & insignibus infidelium hostium indutos. In exercitu, & classe vexilla eorundem affigunt: sæpe religiosi in terris Maurorum & aliorum infidelium suppresso suæ religionis habitu vestibus eorum indui incedunt, vt eorum animas lucrentur. 3.

Quæres

4. Quæres tamen, vtrùm nulla interueniente iusta causa sit peccatum talibus vestibus indui; nam ratio allata videtur probare nullum esse peccatum. Si enim vestes non sunt signa falsæ religionis, & propterea qui illis induitur, non significat se illam habere, consequenter neque mentitur, neque virtute fidem aliquo modo exteriùs negat. quo solo pacto peccatum committi posse videtur. Nihilominus dicendum vsum prædictarum vestium nulla interueniente causa excusante illicitum esse; tum quia lex illa quæ prohibet intendere deceptionem proximi, prohibet etiam facere sine iusta causa id ex quo sequatur deceptio proximi: tum quia specialiter videtur esse contra honorē fidei, vt fidelis passim & sine causa ita se exteriùs gerat vt infidelis reputetur. Ita expresse Suar. *de fide disput.* 14. *sect.* 5. *num.* 5. *in fine.* qui addit esse communem Doctorum, ij enim communiter affirmant licere gestare prædictas vestes, interueniente iusta causa. in quo satis innuunt absque tali iusta causa non licere.

Suarez.

5. Circa secundum genus vestium maior est difficultas, in qua infideles in duas classes diuiduntur. In nullo casu etiam vrgente vitæ discrimine licere indui vestibus infideles quibus à fidelibus distinguuntur etiam solum politicè docent expresse Caiet. *in summa v. Habitus.* & 22. *q.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. *in fine.* Valent. *ibid. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 1. *dub.* 4. & 5. D. Antoninus 2. *part. tit.* 12. *cap* 6. Sylu. *ver. fides quæst.* 5. *num.* 8. *ver. Apostasia quæst.* 1. *ver. infidelitas quæstione vltima.* Angelus, Tabiena, & Armilla iisdem verbis. Nauar. *cap.* 11. *num.* 27 Philiar. *de offic. sacerd.* Et noster Cardinalis Tolet. *lib.* 4. *summæ cap.* 3 *num* 7. quamuis addat, id semper sibi visum fuisse durum, non audere tamen contra communem sententiam docere. Probatur. Qui vtitur vestibus prædictis, assumit proprium signum alicuius falsæ sectæ, & consequenter per tale signum virtute profitetur se esse talis sectæ, qui enim Romæ gestat flauum pileum, profitetur se esse Iudæum, & qui capite gestat tobaliam albam in Turcia, se similiter Turcam profitetur. ergo peccat contra confessionem fidei. Valet consequētia, quia perinde est verbis, atque facto ipso se Iudæum ac Turcam profiteri Sed qui se verbis diceret esse Iudæum vel Turcam, peccaret, vt suprà resoluimus. ergo & qui idē facto ipso diceret.

Caietan. Valentia D. Antonio. Syluest. Angelus. Tabiena. Armilla. Nauarr. Philiar. Toletus.

6. Nihilominus probabilior hodie est sententia, quæ affirmat licere ex metu mortis induere habitum proprium alicuius falsæ sectæ, institutum ad discernendam talem sectam ab aliis politicè. Ita expresse Palarios *in* 3 *d.* 25. *disp.* 4. Bañes 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *dub.* 2. *conclus.* 3. Aragon. *ibi dub.* 1. *concl.* 1. Rutilius Benzon *in tract. de fugà. l.* 1. *disp.* 1. *q.* 4. *in solutione ad* 4. Eman. Rod. *tom.* 1. *summæ. edit.* 2. *cap.* 119. *num.* 5 Petr. Ledesm. *tom.* 2. *summæ tract.* 1. *cap.* 4. *paulo ante* 10. *conclus.* Lud. Lop. 1. *part. instruct. cap.* 42. *vers. peccat mortaliter.* è nostris Suar. *de fide disp.* 14 *sect. num.* 7. Azor. *l.* 8. *instit. moral. cap* 27. *quæst.* 4. Becanus *part.* 2. *summæ c.* 9. *num.* 29. Fundamentum huius sententiæ principale & à priori est. Vestes per se primò non sunt institutæ ad significandum; hoc enim proprium est vocum, sed ad tegendum corpus & arcendas iniurias temporis; vnde quando assumuntur ad aliquid significandum, non extrahuntur à suo primario fine, sed tantùm illis de nouo adiungitur talis significatio. Ergo bene potest quis vti vestibus alioquin deputatis ad discernendam politicè aliquam falsam sectam ab alia solùm propter suū primarium, finem contempta quacunque alia significatione. Secundò, quando verba sunt æquiuoca, & habent duplicem significationem, bene potest quis vti talibus verbis in vna tantùm significatione ad occultandum secretum, quamuis videat alios decipiendos. ergo licet vestes supradictæ duplicem habeant finem, bene poterit quis ad se occultandum metu mortis vti vestibus ad vnum tantùm finem, nimirum propter suum vsum primarium tegendi corpus spreto secundo, nimirum significatione falsæ sectæ. Quod verò primus finis possit separari à secundo, confirmari optimè potest exemplo vestis monachalis. Nam licet hæc præter vsum communem imposita sit ad significandum statum monachalem, bene tamen hoc non obstante potest secularis ad euadendas iudicis manus in causa mortis indui tali veste propter communem vsum, spreta significatione quin mentiatur, vt passim fit.

Palarios. Bañes. Aragon. Benzon. Rodrig. Ledesma. Lopez. Suarez. Azor. Becanus.

Optimè tamen aduertunt AA. necessariam esse causam vrgentem ad similem licitum vsum, qualis est metus mortis, amissionis omnium bonorum, & similia. Hinc colligit Suar. suprà rarò vtendum esse similibus vestibus, quia rarò accidunt similes causæ. Addo tamen gestationem talium vestium non continere professionem falsæ sectæ, aliter peccarent & infideles gestando illas, & Summus Pontifex ac reliqui Principes præcipiendo vt illas gestent, quia inducerent, imò obligarent subditos ad committēdum peccatum; proindeque dicendum solum continere simplicem assertionem quòd sint talis sectæ. Quæ assertio nulla ratione dici potest, quòd contineat peccatum; aliter nunquam Turcæ & Iudæi possent se dicere esse Turcas & Iudæos sine nouo peccato; neque nos in dubio possemus eos interrogare an sint Iudæi vel Turcæ, quia præberemus illis occasionem peccandi, quod esset valde durum. 7.

Circa tertium genus vestium, duplex etiam reperitur sententia. Prima affirmat licitum esse ex vrgentissima causa ad fugiendam mortem, indui vestibus deputatis ad protestationem falsæ sectæ, quæ respondent iis quas gerunt nostri religiosi, quamuis non liceat vti vestibus specialiter determinatis ad exhibendum cultum & honorem falsis diis, vel authoribus falsæ sectæ, vel similibus. quales sunt quæ depictum habent Mahometem, Lutherum vel Idolum &c. Ita Azor. cit. & Sanchez *suprà num.* 20. Probatur prima pars, quia non obstante deputatione ad protestationem falsæ sectę, adhuc vestes illæ non extrahuntur à communi ratione, & vsu vestis, tegendi nimirum & defendendi corpus. ergo vrgente grauissima causa potest quis illis vti propter hunc vsum, spreto alio vsu facto & significatione; permittendo deceptionem aliorum, vt diximus de vestibus secundi generis. Neque obstat quòd infideles vtendo talibus vestibus peccent, quia id faciunt ad protestandam eorum sectam, quod non faciunt fideles. Secunda pars probatur sic: Omnis cultus exhibitus falsis diis continet idololatriam; qui vtitur supradictis vestibus deputatis ad cultum Idoli vel falsi Sancti, exhiberet cultum Idolo vel falso Sancto. ergo committeret idololatriam vel peccatum contra duliam. Dices vestem illam adhuc continere rationem illam & communem vsum. ergo propter illam poterit gestari spreta significatione falsi cultus ex voluntate infidelium imposita, vt suprà argumentabamur. Respond. tamen negando consequentiam. Ratio est, quia vestis illa ratione imaginis depictæ ita modo quo- 8.

Azor. Sanchez.

dam quasi intrinseco & à parte rei moraliter coniungitur cum tali cultu, vt non possit separari ab illo, quod non visitur in aliis vestibus cum nihil habeant intrinsecum à quo determinentur ad cultum falsæ sectæ, ac proinde bene ab eo separari possunt in casu supradicto.

9. Securior tamen & verior sententia est, quæ in vniuersum negat licere Christianis fidelibus vti quibuscunque vestibus deputatis non solùm ad cultum falsi Dei, sed etiam ad professionem falsæ sectæ. Illam sequuntur omnes supracitati numero... exceptis Sanch & Azor. Probatur. Omne signum vel cæremonia externa, quæ ordinatur ad protestationem alicuius sectæ, vel religionis, eo ipso ordinatur etiam specialiter ad cultum talis sectæ, vel religionis. ergo vestes quæ ordinantur ad protestationem alicuius sectæ vel religionis, specialiter etiam ordinantur ad cultum illius; & consequẽter quemadmodum vestes quæ ordinantur ad cultum falsæ sectæ, in nullo casu gestari possunt licitè, vt probauimus, & concedit Sanchez, ita etiam gestari nequeunt quæ ordinantur ad professionem illius. Quod verò signum vel cæremonia ordinata ad professionem sectæ ordinetur ad cultum illius, probatur primò; quia nullus esse potest maior cultus & honor externus sectæ alicuius, quàm publica eius professio & protestatio, ideo enim sacramenta & sacrificia in lege veteri, & Baptismus, & Missæ sacrificium in lege gratiæ, habentur pro maiori cultu vtriusque legis respectiuè, quia earum sunt realis quædam professio, & protestatio externa. Deinde, moraliter loquendo, vsus rei metiendus est ex primario fine ad quem instituitur; vestes illæ, vt conceduntur, primariò institutæ sunt ad protestandam falsam sectam. ergo qui illis vtitur, censendus est talem fidem protestari. Neque obstat quod de se sint indifferentes, nam ponere incensum super ignem, actio quidem est de se indifferens, & tamen si fiat præscripto modo, Idololatricus est cultus, quia primariò ad illum institutus, vt in confesso est apud omnes.

10. Optimè verò notat Suar. ad finem illius sectionis 5. hæc intelligenda esse, quando in gestandis dictis vestibus seruaretur modus religiosus & superstitiosus. Nam si gestentur modo profano, bene possent gestari absque peccato; quia eo modo vestes illæ non sunt institutæ ad protestationem falsæ sectæ. & consequenter non tam continent illius cultum, quàm irrisionem, vt apud nos vestes sacræ quibus fit missæ sacrificium si alio diuerso modo ac sacerdotes illis induuntur gestarentur.

11. Ex dictis colliges primò, absque scrupulo posse religiosos Societatis IESV zelo propagandæ fidei ductos in India Orientali gestare quædam fila alba quæ è collo fibula appensa Bragmanes gestare solent, & aliquibus aliis ritibus vti, quibus ipsi vtuntur, v. g. neminem qui Bragmanus non sit, salutare vel tangere & similia, quia reuera hæc omnia non sunt signa religionis, instituta siue ad falsæ sectæ protestationem, siue ad cultum Idoli; sed tantùm sunt signa apud eas gentes Nobilitatis. Et quamuis satis olim dubitatum sit à multis tum religione, tum literis præstantibus viris, inter quos fuit illustrissimus ac reuerendissimus Dominus D. Hieronymus à Sà Archiepiscopus Goanus, Indiarum Orientalium Primas; modò tamen de eo dubitari nequit, cum felicis memoriæ Gregorius XV. audito prædicto illustrissimo Archiepiscopo, & re maturè considerata, de consilio eminentissimorum Cardinalium, rem deciderit per Breue datum Romæ anno, quo declarauit supradicta omnia.

Colliges secundò, in comœdiis & similibus absque scrupulo posse gestari quascunque vestes, etiam quæ contineant cultum Idoli; quia ex modo & loco quo gestantur, nullus cultus tribuitur falsæ sectæ, vel Idolo, sed solum fingitur dari, & ita omnes circumstantes intelligunt. Ita communiter omnes suprà citati. 12.

Colliges tertiò, excusandos esse Christianos, qui in triremibus gestant signa Turcarum, vel vt eos tutò aggrediantur, vel vt eorum manus effugiant ne captiui ducantur, aut morte afficiantur; & item exploratores vulgo (*Espias*) qui ne cognoscantur, & vt secreta hostium scrutentur quæ postea detegant, illorum lingua & habitu incedunt, vt passim fit sine scrupulo & bona conscientia. Ita omnes.

Diximus de occultatione fidei per vestes, sequitur dicamus de eadem occultatione per vestium carentiam. In qua occultatione dubium occurrit quod primus omnium Caiet. 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2 attigit. Verùm si Turca v.g. præciperet vt sui subditi Christiani deferrẽt vestes sub certa aliqua figura vel forma, qua cognoscantur esse Christiani, liceret Christiano alicui ex causa vrgente v. g. metu mortis, dimittere tale signum ne cognoscatur Christianus. Prima sententia negat in aliquo casu id licere si lex sit in viridi obseruantia. Ita Caiet. cit. fauet Toletus & alij citati numero... Fundamentum est, quia Christiani in eo casu interrogantur de sua fide per legem. ergo tenentur illam non occultare, & consequenter ad non faciendum aliquid quo eam occultent. Et explicari vlterius potest in hunc modum: Si lex illa Turcæ est iusta, nemo potest illam transgredi; si iniusta, quia est ad Christianos persequendos, neque enim apparet, vnde alias sit iniusta, virtualiter interrogantur Christiani de sua fide à persona publica. ergo &c. 13. Caietan.

Longè probabilior est sententia quæ affirmat licere Christiano aliquando ex causa vrgente dimittere talem habitum vel signum. Fundamentum sumitur à contrario. Si non liceret dimittere talem habitum propter dictam legem, vel esset quia lex illa esset iusta, vel quia esset virtualis interrogatio publicá authoritate facta de fide Christiani. Neutrum dici potest. Non primum, quia lex ciuilis humana etiam iusta non obligat ita rigorosè, vt obliget semper in omni casu, etiam cum periculo mortis. Non secundum; primò, quia lex absolutè præscribens non censetur vim interrogandi habere, præcipuè cum dicamus finem illius fuisse ad discernendum Christianos politicè ab infidelibus; aliter in quacunque alia lege includerentur similes interrogationes quod est inauditum. Secundò, quia licet concederemus legem illam continere dictam interrogationem, modus ille interrogandi non esset sufficiens, quia nemo propriè interrogaretur, & quia ex depositione talis vestis non sequeretur diminutio alicuius momenti in honore diuino, neque per se scandalum generaretur. Ita expressè Sanchez *in Decalogum l.* 2. *cap.* 4. *numero* 20. Valent. *suprà*. Suar. *num.* 10. Becanus *num.* 39. & alij. 14. Sanchez. Valentia. Suarez. Becanus.

CAPVT

CAPVT VIII.

De disputatione circa res Fidei, & quæ personæ de ea disputare possint, & quando ad id teneantur?

SVMMARIVM.

Per se loquendo disputatio de rebus fidei licita est, si sit materialis, idque etiam inter laicos. num. 1.
Materialis datur cum fit exercitij causa. ibid.
Formalis disputatio de rebus fidei datur non solum quando disputatur cum heretico, sed etiam cum Catholico si fiat ad confirmandas res fidei. n. 2.
De se est licita, vtilis & necessaria. ibid.
Formalis disputatio de rebus fidei est illicita si fiat à fideli animo dubio experiendi causa an sint vera. num. 3.
Secus in infideli, cui nondum sufficienter est proposita fides. num. 4.
Illicita etiam est quando fit absque bono fine, vel timetur ex ea aliquid mali. num. 5.
Illicita est à laico facta. num 6.
Aliter dicendum in Germania & forte in alijs hereticorum prouincijs, quia ibi prohibitio Alexandri Papæ non est vsu recepta. num. 7.
Aliqui absolutè docent disputationem formalem de rebus fidei laicis doctis esse licitam. num. 8.
Numerantur casus in quibus laicus non obstante prohibitione Alexandri possit disputare de rebus fidei. Primus est magna necessitatis. Secundus magnæ vtilitatis. Tertius si laicus doctus disputaret non propria authoritate, sed iussus vel rogatus à clericis. num. 9.
Quinam comprehendantur nomine laici. num. 10.
Non comprehenditur laicus religiosus. ibid.
Excommunicatio imposita laicis disputantibus non est lata sed ferendæ sententiæ. num. 11.
Hanc non incurrit clericus indoctus, peccat tamen contra legem naturalem, non tamen contra aliquam positiuam. n. 12.
Disputare coram rudibus & indoctis de rebus fidei non licet. num. 13.
Limitandum primò, nisi doctor disputans adeo polleret ingenio, vt prudenter promittere posset ita rem explicaturum esse, vt rudes etiam illam quantum satis est caperent. ibid.
Limitandum secundò id est, nisi disputatio ista esset necessaria vt illis subueniatur. num. 14.
Culpa tantum venialis communiter est disputare de rebus fidei coram rudibus. num. 15.
Coram hæreticis euitanda communiter est disputatio publica. num. 16.
Coram Dynastis & Principibus tanquam coram iudicibus illicita est disputatio de rebus fidei. n. 12.
Illicita tandem est prædicta disputatio non seruata mediocritate. num. 18.

1. IN hac difficultate imprimis certum est per se loquendo licitam esse, imò maximè vtilem disputationem de rebus fidei habitam inter fideles etiam laicos doctos ad acuendum ingenium exercitij causa; quam disputationem vocat materialem Caiet. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. à quo Theologi posteriores mutuati sunt diuisionem disputationis de rebus fidei in materialem & formalem. Dixi, *per se loquendo*, quia per accidens poterit fieri inhonesta. Primò, si ex aliqua dubitatione procedat. Secundò si disputandi gratia suscipiantur defendendæ propositiones contra fidem. Tertiò si fiant materna præcipuè lingua coram vulgo, quando prudenter timeri possit, ne ipsi potius argumenta contra fidem, quàm solutiones intelligendo in fide titubent. Quartò si excedatur in modo, quem seruandum esse ratio ipsa & modestia præscribit. Et sic de aliis. — Caiet.

2. Tota igitur difficultas est de formali disputatione de rebus fidei, quæ nimirum fit animo persuadendi vel defendendi veritatem fidei, quam disputationem licet Castro dicat solùm dari quando cum hæretico disputatur, melius tamen sentit Sanchez *tom. 1. in Decalog. l. 2. cap. 6. num. 9.* dari posse etiam cum Catholico, si argumentis hæreticorum adductis disputetur ad res fidei confirmandas, quia hoc est disputare ad persuadendam fidem. Quia verò in hac difficultate indubitatum est apud omnes, hanc etiam disputationem fidei per se loquendo licitam, vtilem, & sæpe necessariam esse præcipuè in pastoribus Ecclesiæ, per accidens tamen non rarò fieri inhonestam, perniciosam & prohibitam; scopus noster in hoc capite totus erit ostendere quibusnam circunstantiis formalis disputatio per se bona reddatur per accidens praua. Quia verò Autores ad quatuor capita reducunt circunstantias quibus dehonestari solet dicta disputatio, quarum primum sit ex parte finis: secundum ex parte disputantium: tertium ex parte auditorum: quartum ex modo argumentandi, explicatis iis difficultas tota enodabitur. — Sanchez.

3. Dico igitur primò. Ex parte finis illicita erit disputatio formalis fidei, quando Catholicus, vel infidelis cui sufficienter propositæ sint res fidei disputat tanquam de fide dubitans & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens. Probatur. Catholicus tenetur in fide suscepta persistere: infidelis cui propositæ sunt res fidei tenetur illam statim amplecti, vt suprà dixi; sed sic disputando vterque se exponeret periculo, Catholicus deficiendi à fide, infidelis illam non amplectendi: ergo sic disputando peccarent contra ipsam fidem. Ita quoad Catholicum. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. Bañes *ibid.* Sanchez *in Decalog. l. 2. cap.* 10. *num.* 1. Becanus *cap.* 15. *quæst.* 7. *num.* 2. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 8. Quoad infidelem S. Thom. & Sanchez *ibid.* — D Thom. Bañes. Sanchez. Suarez.

4. Dico secundò. Infidelis cui nondum sufficienter est proposita fides ad credendum, licitè imò & valde prudenter poterit ad inquirendam veritatem disputare de rebus fidei animo amplectendi partem pro qua rationes fortiores viderit. Ita Bañes, Sanchez, & Becanus *suprà* Valent. 2. 2. *disp.* 1. *punct.* 4. *conclus.* 1. Probatur facilè. Quia disputare de rebus fidei vnum est è potioribus mediis ad cognoscendam veritatem fidei, & eam amplectendam. ergo cum alioqui infidelis non teneatur illam amplecti ante illius cognitionem, bene poterit vti tali medio ad illam cognoscendam. Quod diximus in his conclusionibus de infideli, dicendum etiam de baptizato educato inter infideles & hæreticos; is enim ante propositionem fidei sufficientem bene poterit disputare de rebus ipsius fidei, non tamen postea. Colligitur euidenter ex iis quæ diximus *suprà cap.* 1. *num.*.. vbi huiusmodi baptizatum cum infidelibus æquiparauimus quoad obligationem suscipiendi fidem. — Bañes. Sanchez. Becanus. Valentia.

5. Dico tertiò. Erit etiam illicita disputatio ex parte finis, quando nullus bonus finis ex tali disputatione sperari probabiliter potest. v. g. si quis disputaret cum hæreticis & coram solis hæreticis, quorum pertinacia, & duritics tanta esset in suis erroribus, vt inde neque eorum conuersio, neque confessio aut vtilitas sperari posset. Probatur, quia tunc temporis saltem esset otiosa talis disputatio. Habet conclusio à fortiori locum quoties damnum aliquod timeretur, vel in ipsis hæreticis, vel in circunstantibus. Illud tamen aduerterim, nimirum sæpe disputationem non posse habere bonum finem ex parte hæreticorum defendentium, illum tamen habere posse ex parte circunstantium, & tunc non esse illicitam ex parte finis, si aliunde ex aliis circunstantiis malitiam non accipiat. Ita Valent. *suprà*. Becanus. Sanchez. Becanus 2 *part. summa cap.* 15. *quæst.* 7. *num.* 11. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap* 6. *num.* 2. qui addit peccatum ex præcisa carentia boni finis non excedere culpam venialem in hac materia. Aliter dicendum, quando timeretur damnum, quia ratione illius poterit esse mortale.

6. Dico quartò. Ex parte disputantium erit item illicita disputatio formalis de rebus fidei si is qui Alex. Papa. disputat, sit laicus. Ita præcepit Alexand. Papa *capit. quicunque.* §. *inhibemus. De hæreticis in* 6. ibi: *Inhibemus quoque ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè vel priuatim de fide Catholica disputare. Qui contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Circa hanc conclusionem aliquot dubia explicanda occurrunt. Primum est, vtrùm in prædicta prohibitione comprehendantur etiam laici docti? Resolutio sit Glossa. Domin. Franc. Rosella. Syluest. Nauar. Castro. Albertin. Arag. affirmatiua. Ita glossa in dictum cap. §. *Inhibemus. vers. laica, in fine.* Dominicus ibi, *num.* 1. & 2. Franc. *num.* 1. Rosella *ver. infidelis* 1. *fine* Syluest. *ver. disputatio num* 1. Nauarr *lib.* 5. *consil. titul. de hæreticis in* 1. *edit. consilio* 17. *num.* 2. Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticorum punit. cap.* 19. Albertin. *de agnoscendis propositionibus quæst.* 13. *num* 2. Aragon. 2. 2. *quæst* 10. *art.* 7. *notab.* 2. è Valent. Azor. Sanchez. Suarez. Becanus. nostris Valent. 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 4. *post* 2. *conclus.* Azor *lib.* 8. *instit. moral. lib.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 1. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi l.* 1. *cap.* 6. *num* 5. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 9. Becanus 2. *part. summa cap.* 15. *quæst.* 7. *num.* 5. Probatur, quia licet illa lex ideo prohibeat laicis disputare, quia communiter præsumuntur indocti; tamen lex non cessat, cessante ratione vel fine legis in particulari tantùm siue negatiuè, vt aiunt: Sed necessarium est vt cesset etiam vniuersaliter, vel priuatiuè; quia leges non pro his quæ rarò accidunt, sed pro communiter accidentibus feruntur. L. *Nam ad ea. ff. de legib.* atqui in laicis doctis licet cesset ratio legis prohibentis laicos disputare, non ideo cessat vniuersaliter & priuatiuè, sed solùm in particulari & negatiuè. ergo obligat talis lex etiam laicos doctos. Secundò si lex illa non intelligeretur de laicis etiam doctis, præberetur laicis etiam minùs doctis ansa ad disputandum de rebus fidei: facile enim vnusquisque laicus, qui parum aliquid scientiæ haberet, existimaret se sufficienter doctum esse ad disputandum, & clericorum proprium munus vsurparet cum periculo sui & aliorum. Tertiò, quia si lex illa solùm intelligeretur prohibere disputationem laicis indoctis, sanè nihil ea lex de nouo prohiberet, nisi quod de lege naturæ esset prohibitum: imò nulla differentia esset inter laicos & clericos nisi solùm in pœna, quia etiam clericis indoctis ex lege naturæ prohibetur disputare de rebus fidei, quod nulla ratione videtur dicendum, quia lex ex magna parte redderetur inutilis. ergo &c.

Neque hinc inferri licet peccare mortaliter & 7.
excommunicatos esse in Germania laicos doctos, & fortasse idem erit in aliquibus aliis prouinciis siue regnis, qui cum hæreticis non rarò disputant non sine laude, & fructu; nam vt Valentia *conclus.* 2. Becanus & alij quos ipsi referunt, lex suprà dicta quoad Germanos non est in viridi obseruantia, sed per contrariam consuetudinem abrogata; vnde non obligat.

Contra hanc resolutionem sentiunt Gloss. 8. Glossa. Caiet. Bañes.
circa dictum §. Caiet. & Bañes 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. Petr. de Ledesm. 2. *tom. summa. tract.* 1. *cap.* 5. *conclus.* 13. Probatur primò, quia lex illa solùm nititur præsumptione quod laici indocti sint. ergo si contingat esse doctos, non comprehenduntur in tali lege. Probatur secundò exemplo Alberti Pighij Comitis, & Henrici VIII. Angliæ Regis, tempore quo fuit Catholicus, qui quamuis laici cum Lutheranis tamen disputarunt, quin propter eam rem reprehendantur, sed potius ab omnibus laudentur. Hæc tamen argumenta non conuincunt. Ad primum enim respondeo primò, vt iam dixi, non sufficere cessare finem legis in particulari & negatiuè. Respondeo secundò negando antecedens. Neque enim Pontifex præsumpsit, aut præsumere potuit, omnes laicos esse indoctos, sed solùm vtplurimum esse indoctos; siquidem in omni ætate reperti sunt etiam inter laicos viri doctissimi: atqui hæc præsumptio quod laici vt plurimùm sint indocti, adhuc stat & vera est; adhuc enim laici vtplurimùm indocti sunt, vt semper fuerunt. ergo adhuc lex stat & obligat omnes laicos etiam doctos. Ad secundum respondeo in locis in quibus supradicti disputarunt, non viguisse legem supradictam vsu fortè abrogatam, vel potius fuisse excusatos occurrentibus iis casibus in quibus dicemus §. sequenti laicos doctos non obstante dicta lege posse disputare.

Primum dubium circa prædictam prohibitionem est, vtrùm occurrere possit casus, in quo 9.
non obstante supradicta lege possit laicus doctus sine peccato de rebus fidei disputare? Resolutio sit affirmatiua. Tres verò assignari solent casus ab AA. Prima est, casus magnæ necessitatis, qualis esset si nullus daretur clericus qui posset sufficienter obuiare hæretico suos errores disseminanti, & periculum esset ne multi seducerentur nisi laicus doctus defensionem fidei susciperet. Imò in hoc casu non modò posset, sed teneretur etiam ex charitate disputare. Ita communiter DD. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. Arag. D. Thom. Arag. Sanchez. Valent. Suarez. *ibi notab.* 2. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi l.* 2. *cap.* 6. *num.* 7. Valent. 1. 2. *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 4. *post* 2. *conclus.* Suarez *suprà num.* 11. Ratio est, quia in eo casu obligat charitatis præceptum ad disputandum contra quod non præsumitur quòd Pontifex voluerit aliquid decernere. Secundus casus est, casus magnæ vtilitatis. Ita multi quos tacito nomine refert, & sequitur Suarez *suprà*. Probatur primò, quia magna vtilitas censetur necessitas moralis in qua benignè semper est interpretanda lex ne obliget. Secundò quando cessat finis legis contrariè etiam in particulari, cessat lex; atqui in hoc casu licet in particulari cessat finis legis contrariè, quia tunc ex obseruantia legis oriretur aliquis contemptus

fidei

fidei & damnum proximorum.ergo &c. Tertius casus est, quando laicus doctus disputaret non propria authoritate sed iussus vel rogatus à clericis. Ratio est, quia lex supradicta solùm videtur probibere laicis disputationé propria authoritate susceptam, ne munus propriú clericorum vsurparent. Colligo id, quia lex illa capitis, *Quicunque de Hereticis in.* 6. videtur esse eadem atque illa quæ habetur in sexta Synodo *can.64. Trullano*, & solum differunt inter se quòd illa capitis *Quicunque* probibet etiam priuatam disputationem, cum tamen in synodo citata solùm prohiberetur publica; atqui ratio assignata à dicta synodo cur probiberetur laicis disputatio publica, est, quia oportet ordini à Domino dato cedere iuxta illud Pauli *ad Ephes.4. Quosdã dedit pastores & doctores* &c. Ergo eadem est ratio qua fundatur lex cap. *Quicunque* cit. promulgata. Et consequenter ex consensu vel iussu clericorum licita esse potest laicis disputatio de rebus fidei. Hic casus probabilis sanè est, vt tenet Suar. cit. Et in eo probabiliùs procedet eorum doctrina quos suprà retulimus, qui absolutè asserunt laicos doctos non comprehendi in hac lege. Intelligendi enim sunt habita priùs à clericis ad quos id ex iure pertinuerit facultate, seu ex eorum iussu siue rogatu.

10. Secundum dubium est, quinam comprebendantur sub personæ laicæ nomine? Resolutio sit comprebendi omnes, & eos solùm, qui nec vllum ordinem siue primam tonsuram habent, saltem si habitum & tonsuram gestent, nec religiosi sint saltem etiam laici. Ita Azor. *tom.1. instit. moral. l.8. cap.16. quæst.* 1. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi l.2. cap. 6. num. 6.* Suar. *de fide disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 10. qui solus eorum quos legerim, expressé loquitur de religiosis laicis qui nec ordinem habent neque habebunt. Probatur, quando clerici contradiuiduntur à laicis, nomine clerici veniunt omnes in statu clericali vel religioso quales sunt etiam qui primam tonsuram habent, & religiosi laici. ergo. &c. Aduerto tamen iuxta dicta §. *dico* 4 clericos & religiosos indoctos, licet non peccent contra dictam legem disputando, & consequenter non incurrant pœnam legis, peccare tamen contra legem naturalem.

Azor.
Sanchez.

11. Tertium dubium est circa pœnam à lege fulminatam, verùm nimirum illa excommunicatio sit ipso facto incurrenda, an ferenda? Resolutio sit esse ferendam. Colligo ex verbis legis. *Excommunicationis laqueo innodetur*, non dixit, innodatur de præsenti, sed *innodetur* de futuro, quod vi sua nihil de præsenti operatur iuxta doctrinam generalem in materia de censuris. Et ita docet Suar. suprà *num.* 12. & gloss. *ad illud cap.* & reliqui DD. suprà. Licèt censura sit tantùm ferenda, nihilominus peccatum contra legem mortale est, quia censura ferri non potest propter solum veniale, vt modò suppono ex materia de censuris.

12. Quartum dubium est, vtrùm clerici indocti disputando de rebus fidei præter legem naturalem violent etiam aliquam positiuam? Resolutio sit negatiua. Ratio est, quia nulla est in iure Canonico. & *l. Nemo clericus Cod. de summa Trinit.* in qua dicta disputatio prohibetur clericis, eos non obligat, quia lex ciuilis quæ disponit de rebus spiritualibus, non obligat clericos nisi à iure canonico confirmata, qualis hæc non est. Ita Azor suprà *cap.* 169. & Sanch. *num.* 8. Becanus *cap. illo* 15. *num* 8.

Azor.
Sanchez.
Becanus.

13. Dico sextò. Ex parte auditorum communiter illicita est disputatio formalis de rebus fidei quando auditores fuerint indocti & rudes. Probatur, quia hi ferè semper meliùs percipiunt vim argumentorum contra fidem quàm eorum solutiones, præcipuè cum hæretici plausibilibus æquiuocationibus & fallaciis vtantur, quapropter communiter est ne in errorem inducantur, vel saltem non ita firmi in fide maneant, vt antea. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. Caiet. *ibi.* Valent. cit. Becanus *num.* 9. Suar. *disp. illa* 20. *sect.* 1. *n.* 14. Sanch. *tom.* 1. *Decal. l.2. cap. 6. num.* 10. Aduerto tamen cum Suar. suprà non esse censendos indoctos & rudes auditores quoad hoc, qui licet multum scientientiarum non habeant, ingenio tamen argumenta vtriusque partis perpendere possint, & quod semper attendi debet difficultas de qua disputatur. Limitari tamen debet conclusio primò, quando Doctor disputans ea polleret dicendi & explicandi claritate & persuasione prudenter sibi promittere posset cum Dei gratia auditores etiam rudes æquè percepturos rationes à se pro fide afferendas quàm quæ in contrariam afferentur. Ratio limitationis manifesta est, quia tunc cessat periculum quod timebatur.

D. Thomas.
Caietan.
Valentia.
Suarez.
Sanchez.

14. Limitanda item secundò conclusio est, quando rudiores solicitarentur ad hæresim per hæreticos, sanè defecturi in fide nisi illis per laicos doctos subueniatur, disputando cum hæreticis. Probatur, qoia in hoc casu semper sperari potest aliquis fructus talis disputationis; vel enim rudes non decipientur, vel saltem non ita facile. Ita cum eodem D. Thom. supracitati omnes.

15. Quæres, quænam culpa sit disputatio formalis de rebus fidei coram rudioribus habita. Respondeo id iudicandum ex maiori vel minori periculo quod ex tali disputatione incurrent auditores. Communiter tamen erit solum veniale imprudentiæ, quia periculum non semper, sed rarò solet esse graue. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *in Decalogum l.2. cap.6. num.* 10. quia communiter non ita infirmi sunt auditores, vt deficiant à fide, eo quod perfectè non intelligant solutionem argumentorum contra fidem, quia id propriæ ruditati & ingenij imbecillitati attribuunt.

Sanchez.

16. Illud tamen cum grauissimis AA. hîc admonuerim, per se loquendo semper vitandam esse disputationem publicam cum hæreticis, quia communiter audaciores & duriores fiunt quoties in publicum prodeunt. Quapropter magna cautela & prudentia opus est, qua præuideantur omnes omnino circunstantiæ, ex quibus indagari possit, an aliquis fructus ex tali disputatione sperari possit, vel aliquod damnum inde timendum, & tum temporis solum suscipiendæ sunt supradictæ disputationes, quando boni aliquid ex iis speretur.

17. Dico septimò. Ex parte auditorum erit etiam illicita disputatio formalis de rebus fidei, si fiat coram Dynastis & magnis Principibus sæcularibus, tanquam coram iudicibus. Ratio est, quia ad eos non pertinet neque docere, neque præsidere, sed discere. Cap. *si Imperator dist.* 96. ibi, *Discere Imperatori conuenit non docere*, tu adde, nec præsidere. Vnde si ipsi tamquam iudices iubeant disputare coram se, culpa erit grauis ex suo genere disputare, quia id esset vsurpare iurisdictionem Ecclesiasticam. Vnde D. Ambrosius vocatus ab Imperatore Valentiniano, vt cum Auxentio Ariano Episcopo coram ipso disputaret, comparere noluit propter incompetentiam iudi-

cis politici, vt ipse de se testatur Ep. 32. in qua ad eundem Imperatorem scribens ita habet. *Nec quisquam contumacem iudicare me debet, cum asseram quod augustæ memoriæ pater tuus non solùm sermone respondit, sed etiam legibus sanxit; In causa fidei vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendum? Si docendus est Episcopus à laico, quod sequatur laicus ergo disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à laico; at certè si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora tractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa inquam fidei, Episcopos solere de Imperatoribus christianis, non imperatores de Episcopis iudicare?* Hæc D. Ambros. Accedit quod ex disputatione de rebus fidei coram Dynastis & Principibus habita, præter indecentiam dictam mille alia sequantur absurda. Floremundus de Remond in sua de hæreticis historia asserit nihil calamitosius fidei Catholicæ in Gallia accidere potuisse, quàm cum præsente Regina & Regni principibus admissi sunt ministri prædicantes Caluiniani ad disputandum cum Catholicis Doctoribus, quia præsumptio, & arrogantia in ipsis hæreticis creuit quasi eorum foret par authoritas & scientia, in auditoribus etiam rudioribus hæretici plures fieri cœperunt, tum propter rationem iam dictam, tum quia melius perciperent argumenta hæreticorum, vtpote magis conformia legibus carnis, cui ipsi propensiori semper animo obsecundantur.

18. Dico tandem octauò Ex parte modi argumentandi illicita item potest esse argumentatio, quoties in ea non seruetur mediocritas ex qua speretur fructus tum eorum cum quibus, tum eorum coram quibus disputatur. In tribus autem præcipuè obseruari debet dicta mediocritas. Primò, ne potius verbis, quàm rebus & sententiis agatur. Secundò ne verba contumeliosa & iniuriosa intermisceantur. Tertiò ne contra hæreticorum personas, ad eorum confusionem potiùs, quàm contra errores ad eorum extirpationem inuehi videatur. Patet, quia sine mediocritate virtus consistere non potest, cum in ipsa mediocritate consistat.

Capvt IX.

De vitijs Fidei Christianæ contrarijs.

Svmmarivm.

Infidelitas vel reperitur in ijs in quibus nulla est notitia fidei, vel in ijs qui eam habent. num. 1.

Infidelitas priuatiua peccatum est ex suo genere mortale. num. 2.

Est peccatum grauissimum. num. 3.

Quæritur vtrùm detur Infidelitas merè negatiua, quod idem est atque quærere, vtrùm ignorantia inuincibilis in infideli dari possit. num. 4.

Antiquiores negabant posse dari prædictam ignorantiam inuincibilem. num. 5.

Potest dari ignorantia inuincibilis in infideli. n. 6.

Soluuntur argumenta pro contraria sententia. n. 7.

Ignorantia inuincibilis fidei non solùm datur in ijs qui nullam eius notitiam habuerunt, nullum dubium, nullum scrupulum: sed etiam in ijs qui habuerunt si doctore caruerunt, vel omnino obliti sunt. num. 8.

Infidelitas priuatiua diuiditur in tres species, Heresim, Iudaismum, Paganismum. num. 9.

Non tamen differunt inter se essentialiter. num. 10.

In Heresi contemnitur fides suscepta in veritate, in Iudaismo fides suscepta in figura, in Paganismo nullo modo suscepta. ibid.

POSTQVAM egimus de virtute Fidei & eius præcepto, sequitur dicamus de vitiis contrariis quæ omnia sub infidelitate quasi species sub genere continentur. Infidelitas igitur duplex est: altera quæ reperitur in iis in quibus fidei notitia nulla datur, & dicitur *Infidelitas negatiua*, qualis vt plurimum reperitur in Gentibus: altera datur in iis qui fidei notitiam habent, sed tamen illam vel contemnunt, vel contradicunt, quales sunt Iudæi, Turcæ, hæretici & plures ex Gentilibus, & dicitur *Infidelitas priuatiua.* 1.

Circa has species Infidelitatis certum de fide in primis est, Infidelitatem priuatiuam esse peccatum ex suo genere mortale: propter illam enim dicitur Marc. 9. *Qui non crediderit, condemnabitur.* & Ioann. 3 *Qui non credit, iam iudicatus est.* & 15, *Si non venissem, &c. nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, vtrique infidelitatis vt exponit August. *tract. 89. in Ioan.* Et cum eo interpretes. Et probatur rationibus Primò, quia contraria est præcepto diuino fidei in re grauissima nempe fidei, vt suprà exposuimus, & naturali rationi, quæ præscribit Deo esse credendum. Secundò, quia per illam contemnuntur media ad salutem necessaria, inter quæ primum locum obtinet Fides, vt vidimus suprà. Tertiò, quia per illam paruipenditur prima veritas, cum tamen omnem fidem à nobis iure exigat. 2. Io 3 & 15.

Constat deinde etiam esse peccatum grauissimum, quod propterea in sacris literis peccatum dicitur per antonomasiam. Ioan. 15. *Si non venissem &c. peccatum non haberent.* & 16. *Arguet mundum de peccato.* Quibus in locis, & aliis, nomine peccati intelligitur infidelitas iuxta communem interpretationem, & PP. sensum. Secundò, quia secum maxima affert nocumenta, quorum Primum est, radicitus euellere fundamentū totius iustitiæ, quod est fides. Secundum est, constituere hominem in eo statu, vt nihil quod placeat Deo efficere possit, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, ad Thimot. 5. Tertium est, difficilioris esse curationis, cum neque fidem relinquat vt reliqua peccata, qua homo possit aliquid impetrare à Deo, vel in meliorem mentem redire. Tandem quia opponitur præstantissimæ virtuti vni ex Theologalibus qualis est fides, ex quo tota eius malitia, & malitiæ grauitas pullulat, tanquam ex pessima radice pessimus fructus. 3. Io 15. 1& 6.

Econtra verò de alia specie infidelitatis, quam infidelitatem negatiuam diximus, dubium est, vtrùm sit peccatum contra fidem? Quæ quæstio coincidit cum illa, vtrùm possit dari ignorantia inuincibilis fidei Christianæ; si enim non detur, certum est infidelitatem, quam negatiuam diximus, esse peccatum contra fidem, seu potius nullam dari infidelitatem negatiuam, sed omnem esse priuatiuam, si verò datur, ab omni, absque dubio, peccato contra fidem excusabitur. 4.

Duplex

5. Duplex igitur est sententia in hoc dubio, vtrùm detur ignorantia inuincibilis Christianæ fidei? Prima negatiua apud antiquiores satis recepta. Illam tuentur Altisiodor. *in summa l. 3. tract. 3. cap. 2. quæst. 3. circa finem.* Guillelmus Paris. *tract. de fide cap. 2. & tract. de legibus cap. 21.* qui incipit, *quoniam autem.* Alex. Alens. *2. part. quæst. 112. aliàs 127. membr. 8.* Bonauent. *in 3. d. 25. art. 1. quæst. 3 art. 2. post 5. concl.* vbi idem sentit Gabriel. Et expressiùs *in 2. d. 22. quæst. 2. art. 3. dub. 1.* Durandus *ibid. quæst. 1.* Adrianus *quodl. 2. quæst. 1.* sine argumentis in fine, & *quodl. 4. quæst. 1. §. ad secundum autem.* Gerson. *tractat. de vita spirituali, lectione 2. in princip. & lect. 4. corollar. 3.* Ita etiam Syluest & Angel. verbo *ignorantia.* & Gloss. *cap. 1. de summa Trinitate in. 6.* verbo, *Ignorantia.* & alij. Probatur hæc sententia primò ex illo axiomate: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam & necessaria ad salutem.* quod non solùm ab AA. citatis, sed ab aliis etiam communiter extenditur non tantùm ad omnes fideles, sed ad infideles etiam quoscunque. Vnde sic confici potest argumentum. Vel infidelis facit quod in se est, & tunc illuminabitur, & consequenter non habebit ignorantiam, quia Deus est *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, si non ponat obicem; vel non facit quod in se est, & tunc consequenter peccat, culpâque illius est vt non illuminetur; ac proinde ignorantia in eo est culpabilis & non inuincibilis. Et quod inde sequitur, nulla potest dari de Christiana fide ignorantia inuincibilis. Probatur secundò ex absurdo: Si concedamus dari infidelem cum ignorantia inuincibili Christianæ fidei, si non committat peccatum mortale, vel saluabitur sine fide, vel condemnabitur adultus sine peccato proprio mortali; cum tamen neque sine fide detur salus, neque sine mortali condemnatio adulti. Tertiò probatur ex D. Paulo *ad Rom. 10.* vbi cum dixisset, *Quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit: & quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Statim affert quandam excusationem ex parte Gentilium dicens: *Quomodo credent, si non audierunt? Et quomodo audient sine prædicante?* Et statim excusationem reiicit. *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quasi diceret, nulla est iam excusatio, vbique datur sufficiens diulgatio fidei ex prædicatione Euangelij; proindéque omnis de illa ignorantia culpabilis est.

Altisiod.
Paris.
Alensis.
Bonauent.
Gabriel.
Durand.
Adrianus.
Gerson.
Syluest.
Angelus.
Glossa.
Ad Rom. 10.

6. Opposita sententia affirmat posse dari ignorantiam inuincibilem christianæ fidei. Vt hanc sententiam confirmem, suppono duo principia; in materia morali hodie verè recepta, quæ tradunt Sanchez cum multis Doctoribus de more citatis *in Decalogum cap. 16. num. 20. & seqq.* & Suarez *de fide disp. 15. sect. 1. num. 6.* Primum est, non posse ignorantiam aliquam esse culpabilem nisi præcedat aliqua saltem cogitatio, vel dubitatio obligationis sciendi quod ignoratur. Ratio est, quia cum lex siue præceptum non obliget hominem nisi mediante sui cognitione, & euidens sit, nullam penitus dari cognitionem legis vbi de illa nulla saltem præcessit vel cogitatio vel dubitatio; necessariò sequitur ignorantiam, quam nulla præcessit cogitatio vel dubitatio obligationis sciendi, non esse culpabilem. Secundum principium est, omissionem rei, quæ conduceret vel esset medium ad aliquem finem consequendum, non esse peccaminosam contra legem quæ obligat ad talem finem comparandum, quoties ignoratur talem rem esse vtilem ad illum consequendum. His principiis præsuppositis sic conficio argumentum. Multi sunt infideles qui nunquam audierunt, vel cogitarunt de fide Catholica, ac proinde neque de illa dubitarunt; aut si forte audierunt, ita fuit confusè, vt prorsus nescierint an fuerit vtilis ad vitam æternam, nisi vt plurimum sicut reliquæ aliæ sectæ, ergo in his reperitur ignorantia omnino inuincibilis. Antecedens patet ex relatione multorum religiosorum hominum, qui fidem Christi prædicarunt in variis Indiarum partibus, in quibus ne leue quidem vestigium aut notitiam Christianæ fidei repererunt, & cum hoc paucis antè annis acciderit, moraliter certum videtur idem fore in iis orbis partibus, quas adhuc ignoramus. Probatur deinde exemplo infidelium, tempore Christi Domini, & paulò pòst viuentium. Hi, vt authores etiam primæ sententiæ concedere tenentur, pro eo tempore inuincibiliter ignorarunt fidem Christianam, cum nondum in omnem terram exierit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum; atqui modò multi infideles eodem modo se habent atque illi, cum nihil amplius audierint, cogitauerint, vel dubitauerint de fide Christiana. ergo &c. Propter hæc fundamenta in hanc secundam sententiam conspirarunt ferè omnes DD. duce D. Thom. 2. 2. *quæst. 10. art. 1.* vbi Caiet. & alij expositores, *& 12. quæst. 76. art. 1.* vbi Medina & alij. Durand. *in 3. d. 25. quæst. 1. ad 1.* Conrad. *de contractib. quæst. 100. arg. 4. contra conclus.* Almain. *tract. 1. moral. cap. 4.* Armacanus. *lib. 8. de quæstion. Armenorum cap. 39.* Vega *lib. 6. in concil. Trident. cap. 18.* Victoria *reuelatione de Indis insulanis 1. part. propositione 1. à num. 32.* Petr. Soto *tract. de ratione medendi peccata l. 2.* Soto *in 4. d. 1. quæst. 1. art. 2.* Cano *relectione de sacramentis in genere part. 2.* è nostris Valent. 2. 2. *q. 10. art. 1.* Azor *tom. 1. lib. 1. cap. 13. quæst. 2.* Sanchez *tom. 1. Decalogi l. 1. cap. 16. num. 32.* Suarez *de fide disp. 17. sect. 1. num. 5.* Vasquez 1. 2. *quæst. 76. disp. 120. cap. 3.* Becanus *part. 2. summæ cap. 13. q. 1. num. 6.*

Sanchez.
Suar.
D. Thomas.
Caiet.
Medina.
Durand.
Almain.
Armacan.
Vega.
Victoria.
Soto.
Cano.
Valentia.
Sanch.
Suarez.
Vasquez.
Becanus.

Neque argumenta in contrarium vrgent. Non primum, quia licet infidelis non faciat quod in se est, non sequitur quòd ignorantia fidei Christianæ sit in illo peccatum, sed solùm effectus peccati, quatenus Deus ideo permittit in eo talem ignorantiam, quia ipse non fecit per obseruationem legis naturalis quod in se erat, sed per transgressionem illius posuit obicem diuinæ illuminationi. Ratio verò cur talis ignorantia non sit peccatum, est, quam suprà diximus, quia nimirum infidelis ille neque audiuit, neque dubitauit de fide Christiana, neque aduertit quòd obseruatio legis naturalis, & preces ad Deum fusæ essent medium ad hoc vt illuminaretur in fide. Ex quibus omnibus sequitur quod ignorantia illius fuerit inuincibilis licet legem naturalem transgressus sit, & preces ad Deum pro illuminatione non effuderit. Ad secundum dicendum, infidelem illum si faciat quod in se est, ad prouidentiam diuinam pertinere illum illuminare, si aliter fieri nequeat etiam cum miraculo; vnde non sequentur absurda illa. Ad tertium; dicendum, D. Paulum voluisse quidem obuiare tacitè illi excusationi gentium, non tamen quia Apostoli iam pro eo tempore prædicassent, & sufficientem notitiam omnibus orbis 7.

partibus dedissent, quia id non satis certum est, nec tenent excusationem; quia licet demus Apostolos prædicasse omnibus orbis partibus & principalioribus eius prouinciis, dici tamen cum probabilitate nequit, prædicasse omnibus omnino prouinciis, & hominibus. Quapropter solùm dicere voluit D. Paulus, Apostolos prædicasse Euangelium iis nationibus ex quibus notitia fidei facile disseminaretur ad reliquas, ac proinde licet infideles aliqui pro eo tempore habuerint excusationem suæ infidelitatis, non eam tamen semper habituros, quod fortasse spiritu prophetico præuidens more etiam prophetico locutus est per verbum præteritum, significans quod futurum erat, quod familiare esse
Salmer. prophetis docet Salm. *disput. 34. super Epist. Pauli ad Romanos* 10.

8. Neque infidelitas solùm excusatur à peccato contra fidem in iis qui nullam prorsus fidei christianæ notitiam, vel dubium, siue scrupulum habuerunt, sed in iis etiam qui licet aliquid audierint, vel dubitauerint, statim tamen obliti sunt aliò distracti, vel doctore caruerunt, nec aduerterunt ad obligationem precandi Deum pro illuminatione, quæ sine culpa accidere posse ex dictis facilè colligitur. E contra verò in iis qui vel semel crediderunt, vel sufficientem notitiam fidei ad credendum habuerunt, vel ex prædicatione siue ex ingenij acumine & scientiarum cognitione de fide dubitarũt, vel scrupulum habuerunt, quin adhiberent debitam diligentiam ad consequendam, quam poterant & aduerterunt posse adhibere, infidelitas priuatiua est & culpabilis, quemadmodum & ignorantia.

9. Diuiditur infidelitas priuatiua à D. Thom. 2. 2.
D.Thom. *quæst* 10 *art.* 5. in Hæresim, Iudaismum & Paganismum; & esse diuisionem adæquatam probat sic. In tot species diuiditur vitium, quot sunt modi, quibus contrariatur virtuti; sed infidelitas tribus modis contrariatur fidei; ergo tres sunt illius species. Consequentia bene colligitur, maior confirmatur exemplo virtutum moralium, quarum singulis ideo duæ opponuntur species vitiorum, quia duobus modis impugnantur, nimirum per excessum & defectum. Minor ostenditur, quia infidelitas contrariatur fidei vel iam in veritate susceptæ, & est hæresis; vel in figura tantùm susceptæ, & est Iudaismus; vel nullo modo susceptæ; & est Paganismus.

10. Quamuis dixerim infidelitatem priuatiuam diuidi in Hæresim, Iudaismum, & Paganismum, esseque tres illius species; non propterea agnosco inter illas discrimen essentiale, sed accidentale in ratione peccati secundùm magis & mi-
11. nus. Non intercedere discrimen essentiale colligitur, quia essentia peccati consistit in priuatione honestatis debitæ, vt modò suppono iuxta mihi probabiliorem sententiam, proindeque cum essentialiter eadem sit priuatio fidei in Paganismo, Iudaismo & Hæresi cum priuent eadem omnino honestate fidei, & eiusdem formæ non possint esse priuationes essentialiter diuersæ; necessariò dicendum est, Hæresim, Iudaismum, & Paganismum in ratione peccati essentialiter minimè distingui. Dari verò accidentarium discrimen secundùm magis & minus, inde patet; quia priuatio honestatis fidei reperitur cum maiori contemptu in Hæresi, quàm in Iudaismo, & Paganismo, & in illo quàm reperiatur in hoc; quia in Hæresi contemnitur fides semel suscepta in veritate, quod non reperitur in aliis: in Iudaismo contemnitur eadem fides suscepta in figura, quod non reperitur in Paganismo qui nullo modo suscepit fidem. ergo maior contemptus reperitur in Hæresi quàm in aliis, & in Iudaismo quàm in Paganismo. Huc enim etiam illud aptari potest. *Turpius ejicitur quàm non admittitur hospes.* Secundò idem probatur, quia maiora fundamenta credibilitatis contemnuntur in Hæresi quàm in aliis, & in Iudaismo, quàm in Paganismo. Ex his colliges Hæresim maximum esse infidelitatis peccatum, non extensiuè, quia Pagani plura obiecta materialia, quàm Iudaismus, & is plura quàm Hæresis negat; sed intensiuè ratione maioris contemptus, vt explicauimus. De duabus speciebus Iudaismo & Paganismo nihil amplius dicendum, ac proinde iis relictis de Hæresi plura disputabimus.

Caput X.

De Hæresi & Apostasia.

SVMMARIVM.

nisi ideo quis eam nollet deponere quia vult perseuerare in suo errore etiam docente contrarium Ecclesia. *num.* 22.

Hæresis in instanti committi potest. *num.* 23.

Explicatur quarta particula, contrarius illi veritati quæ certò Catholica est. *num.* 24.

Explicatur quinta, in eo qui fidem suscepit. *n.* 25.

Sententia quæ asserit requiri susceptum baptismum ad hæresim proponitur. *num.* 20.

Proponitur sententia quæ negat necessarium esse baptismum susceptum ad Hæresim. *num* 27.

Vera sententia requirit ad Hæresim punibilem ab Ecclesia baptismum, non verò ad Hæresim absolutè. *num.* 28.

Probatur non requiri ad Hæresim absolutè. *ibid.*

Probatur requiri ad Hæresim punibilem. *num.* 28.

Ad hæresim punibilem satis esse baptismum nulliter susceptum affirmant aliqui. *num.* 30.

Probatur oppositum. *num.* 31.

Ecclesiam posse cogere nulliter baptizatos vt verè baptizentur, affirmant aliqui: sed oppositum tenendum. *num.* 32.

Puer baptizatus inter Hæreticos educatus, post sufficientem fidei propositionem hæreticus est, quamuis non elicuerit antea actum fidei supernaturalem. *num* 33.

Ad Hæresim satis est fidem suscepisse siue supernaturali, siue naturali actu. *num.* 34.

Proponitur quæstio, vtrùm ad Hæresim satis sit reuelatio priuata. *num.* 35.

Reuelatio priuata satis est ad fidei actum supernaturalem. *ibid.*

Error contra reuelationem priuatam, Hæresis propria est. *num.* 36.

Non tamen punitur ab Ecclesia ordinarijs Hæreticorum pœnis. *num.* 37.

Contra sentit Sanch. & alij. soluuntur argumenta illorum. *num.* 38.

Hæresis latissimè sumpta diuiditur in Apostasiam & Hæresim pressè sumptam. *num.* 39.

Quid sit Apostasia, omnes Apostatas esse Hæreticos, non è contra. *num* 40.

Paganismus & Iudaismus in vno eodemque homine repugnant. Hæresis cum Iudaismo vel Paganismo reperiri potest. *ibid.*

Proponitur sententia negans Apostatas esse Hæreticos. Soluuntur eius argumenta, & explicatur S. Thomas. *num* 41.

Soluitur argumentum Suarij. *num.* 42.

Siue Apostasia sit Hæresis, siue non, semper est in confessione aperienda. *num.* 43.

1. HÆRESIS, vt communiter Doctores cum D. Thom. 2.2. *quæst.* 11. *art.* 1. ex Tertulliano *de præscriptionibus cap.* 6. Hieronymo *cap.* 5. *Epist. ad Galatas*, aduertunt, electionem significat à Græco *αἵρεσις*. Vnde quælibet secta quam quis sequendam eligit, hæresis dici potest. Ex communi tamen vsu semper in malam partem accipitur pro errore in fide. Vnde iam initio nascentis Ecclesiæ fidei Catholicæ odio stimulati Iudæi eam hæresim opprobrij causa vocabant, quod satis clarè innuit D. Paulus *Act.* 24. loquens cum Felice præside dum ait: *Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam, quam dicunt hæresim, deseruio Patri & Deo meo;* dum enim Christianam fidem vocat sectam, & tamen non vult vocare hæresim, apertè apparet, nomen in malem partem solere accipi, & quia minimè verisimile est Gentiles eo vti nomine, cum fidem Christianam adhuc non persequerentur, consequens est, vt illud nomen à Iudæis fuerit impositum.

Hæresis igitur in malam partem ex communi 2.
vsu accepta sic definiri solet à Doctoribus communiter: *Hæresis error est voluntarius & pertinax, contrarius illi veritati quæ certò Catholica est, in eo qui fidem suscepit.* Vt verò totius definitionis sensum & hæreseos naturam meliùs percipiamus, singulas definitionis partes explicemus, & difficultates quæ circa illas occurrerint expediamus.

Quinque partes continet definito. Prima, quæ 3.
generis locum habet, est *error*. Dicitur *error*, quia Hæresis consummatur in aliquo iudicio intellectus, vt est communis & certa assertio Theologorum, Duce D. Thom. 2.2 *art.* 11. *q.* 1. & 2. quatenus ait hæreticum esse illum qui cum dicat se in Christum credere, eius tamen dogmata corrumpit, quod sine iudicio fieri non posse patet. Ita Richard.
Richard *art.* 15. *quæst.* 1. Ioan. Arboreus *lib.* 8. I. Arboreus.
Theosoph. cap. 10. Suar. *de fide disp.* 19 *sect.* 4. *num.* 2. Suarez.
Reginald. *in praxi l.* 7. *cap.* 13. *num.* 1. Sanchez *in* Reginald.
Decal. l. 2. *cap.* 7. *num.* 1. Subscribunt etiam cano- Sanchez.
nistæ *in cap. firmiter de summa Trinit.* & sumitur Canonistæ.
ex PP. quos latè refert Suar. suprà. Probatur primò sic. Hæresis opponitur fidei non solùm priuatiuè, sed etiam contrariè. ergo quemadmodum fides licet initium habeat à voluntate ratione piæ affectionis, consummatur tamen in intellectu in aliquo illius iudicio: ita etiam dicendum de Hæresi, quòd scilicet quamuis incipiat à voluntate, vt dicemus, consummetur tamen in intellectu in aliquo errore, cum non possit assignari aliud ex parte intellectus. Secundò, malitia voluntatis quam dicemus prærequiri ad Hæresim, sumitur ex actu intellectus erronei, quem habet pro obiecto & effectu. ergo per illud consummatur, quemadmodum malitia voluntatis furandi, vel occidendi consummatur per actum homicidij vel furti, quem pro obiecto & effectu habet. Quia verò error intellectus, quamuis respectu voluntatis sit quid externum, non tamen omnino externus est, cum adhuc exteriùs prodire & manifestari possit per verba & signa: inde etiam est, quòd peccatum Hæresis quamuis primo quidem consummetur per iudicium erroneum intellectus, adhuc nihilominus consummetur per verba & signa, quibus tale iudicium erroneum manifestatur. Et peccatum illud quod in voluntate quoad substantiam est, si solo iudicio erroneo intellectus consummetur, vocant Doctores Hæresim merè internam, siue mentalem; si verò vlteriùs tale peccatum consummetur etiam per signa siue voces exteroas, quibus sufficienter manifestetur, illud dicunt Hæresim externam. Quæ diuisio valde notanda est, quia sola Hæresis externa est propter quam incurruntur pœnæ à iure impositæ contra hæreticos, non verò hæresis interna, vt suo loco dicemus infrà.

Ex dictis in explicatione huius prioris particu- 4.
læ colliges primò, non esse hæreticum, qui sponte, vel metu impulsus proferret hæresim aliquam vel idolum adoraret, illi adoleret incensum, aut per fictionem iudaismum & circuncisionem susciperet & similia, si verè in animo non habuerit assensum talis propositionis hæreticæ, vel existimarit Idolum esse Deum, vel illi deberi talem cultum, vel alium similem errorem. Quia sine errore non datur hæresis, neque hæreticus, vt ex definitione patet.

Colliges secundò quòd prædicti non incur- 5.
rant pœnas in hæreticos in iure & Bulla Cœnæ

fulmi

Bañes, Sotus. Nauarr. Sayr. Syluest. Tabiena. Valentia. Azor. Lessius. Tolet. Bull. Cœnæ. Suarez.

fulminatas. Est commuois Doctorum resolutio. Ita Baões 2. 2. *quæst.* 11. *art.*4.*dub.*2. Sotus *in* 4. *d.*22. *quæst.* 2. *art.* 3. *post* 5. *conclus. casu* 1. *art.*4. Nauarr. *in summa Latina cap.*11. *num.* 27. Sayro in claui regia *l.* 4. *cap.* 4. *num.* 11. Syluest. *verbo Hæresis quæst.* 5. 6. & 9. & *ver. Apostasia* 1. *q.* 1. Angel *verb Apostata.* Tabiena *ver. Apostasia num* 3. & plures alij, quibus citatis è oostris Valent.2.2. *disp.*1.*quæst.*12.*punct.*1. *colum.*12. Azor. *tom.*1.*lib.*8. *instit moral.cap.*9. *quæst.*9. 10. & 11. & *cap.*21.*quæst.*5.& 6. Lessius *de iust. l.*2. *cap.*43. *in dub.* 2. *num.* 11. Toletus *lib.* 4. *summæ cap.* 4. *num.* 6. & Bulla Cœnæ *excommunicatione* 1. *n.*9. Suar. *tom. de censuris disput* 4. *sect.*3. *num.*15. & *disp.*21.*sect.*2.*num* 3. & *de fide disp.*14.*sect.*6.*n.*4. & quoad idololatras externos *tom.*1. *de religione lib.*2. *de superstitione cap.*6. *fine* Sanch. *tom.*1. *Decalogi l.* 2. *cap.* 7. *num* 8. Auila *de censuris part* 1. *dub.* 11. *in fine.* Et ratio sumitur ex dictis. Nam supradicti non sunt simpliciter hæretici, vt patet ex dictis, & quia fidem retineut; atqui Canones & Bulla Cœnæ punientes hæreticos cum sint pœnales, consequenter sunt stricti iuris & restringendi ad delictum perfectum, & consummatum pro vt in Canone significatur, vt traditur in materia de legibus & censuris, ergo &c. Caietanus 2.2. *quæst* 1. . *art.*1. & *quæst.* 94. *art.*2. oppositum tenet, affirmatque hæreticos merè externos sine errore intellectus incurrere pœnas hæreticorum. Illi subscriboot nonnulli viri docti vt testatur Bañes suprà. Fundamentum eorum est, quia Ecclesia cum non iudicet de interioribus, solùm videtur punire actus externos, ac proinde hæreticos ratione actus externi, ohil curando internum. Vt punit fures, homicidas &c. Respondetur tamen Ecclesiam quanuis punire nequeat actus internos, posse tamen puoire actus externos solùm quando coniungnotur cum praua intentione vel dispositione, quod censetur facere quandn actus externus non censetur consummatum peccatum sub ea ratione qua punitur, nisi accedat talis interna intentin vel dispositio, vt in hæresi accidit, vt diximus. Oppositum est, quando actus externus sioe interuo censetur consummatus, vt occisio hominis io ratione homicidij sine actu interno.

6. Colliges tertiò prædictos omnes posse à quolibet confessario proprio absolui. Probatur. Crimen illius qui fidem exteriùs tantùm negat, non habet annexam censuram; atqui ea sola crimina sunt reseruata Papæ & iuri communi, quæ annexam habent aliquam censuram. ergo &c. Intelligendum id tamen erit, nisi in aliquo particulari Episcopatu tale crimen Ordinario esset reseruatum, quia in eo euentu, solus Ordinarius, vel qui licentiam ab illo, vel à Summo Pontifice priuilegium haberet, posset prædictos absoluere. Ita Tolet. suprà. Suar. & Sanchez locis citatis.

7. Limitatur ab aliquibus doctrina secuodi corollarij quoad illos qui ex affectu ad idolum cultum illi adhibent, quanuis sine mentis errore, quia existimant eos iuxta Extrauag Ioan. XXII, quanuis liberi sint à censura in hæreticos lata, incurrere excommonicationem ipso facto & aliàs eorum pœnam excepta confiscatiooe bonorum.

Aragon, Ledesm. Sanchez, Bañes.

Ita Aragonius 2.2.*quæst.*12. *art.* 1. *columna* 5. *conclus.*2. Petrus de Ledesm. 2. *tom. summæ tract.*1, *cap.*6. *conclus.*14. & his citatis Saochez *in Decalog. l.*2. *cap.*7. *num.* 10. Bañes 2.2.*quæst.*11. *art* 4. *dub.*2. qui addit id verum habere etiam quando quis non ex affectu, sed metu mortis, aut cupiditate id faceret. Sed reuera id ita vniuersaliter dictum nullo modo probo, qoia Extrauagans citata quam refert Directorium Inquisitorum *part* 2. *quæst.*43. *num.* in. solùm loqoitur de adorantibus Dæmonem, & qui imagines & similia magicè faciunt ad alligandos ipsos Dæmones, vt patet ex contextu ibi. *Dæmonibus namque immolant, hos adorant, fabricant ac fabricari procurant imagines, annulum, vel speculum, vel phialam, vel rem quancunque aliam magicè ad Dæmones inibi alligandos ab his petunt, responsa ab his accipiunt, & pro implendis prauis suis desiderijs auxilia postulant*, &c. Ac proinde restringenda est limitatio ad solos adorantes dæmonia, & supradicta facientes, dummodo Extrauagaos illa vsu recepta sit, quod negare aliquos tradit Aragon. cit. Non video tameo cur adorantes dæmonia, vt incurruot dictas pœnas, debeant id facere ex affectu ad dæmonia, aliter frustraretur illa Extrauagans, quia vix erit ex Christianis qui adorando dæmonium pœnas illas mereret, quia vix erit aliquis qui tale monstrum ex affectu reuereatur, & adoret. Ex dictis apparet quàm verè dixerit Suar. *tom.*1.*de relig.l* 2.*de superstitione c.*6.*n.*20 certum esse nullam reperiri pœnam in iure specialiter expressam pro idololatria merè externa, id est sine errore interno.

Direct. Inq. Suar.

Colliges quartò resolutionem illius celebris quæstionis, vtrùm dubius in fide sit hæreticus? Nam si dubius de fide, vel de aliquo eius articulo, ratione aliqua reflectat super ipsum articulum, vel reuelationem Dei, aut Ecclesiæ authoritatem, asserendo omnes, aut ex iis aliquam esse quid dubium, nulli est, aut esse potest controuersium quòd sit verè & rigorosè hæreticus, cum verè & propriè erret contra fidem (quod semper intellige si dentur reliqua in sequentibus particulis requisita.) Si verò qui dubitat, ita pendulus sit, vt perpensis rationibus nullum eliciat actum, tunc reuera nulla ratione propriè dicendus est hæreticus, aut pœnas hæreticorum incurrere, quia in eo non datur error quem ad hæresim in eius descriptione requirunt omnes communiter Authores. Vnde quæstio quæ solet agitari pro vtraque parte, vtrùm dubius in fide sit 8.
hæreticus? tota meo iudicio reducitur ad quæ- 9.
stionem, vtrùm dari possit dubius de fide vel aliquo eius articulo, quin actu eliciat aliquod iudicium; quo asserat fidem, vel articulum de quo dubitat, vel authoritatem in qua eius veritas fundatur, esse quid dubium. In qua quæstione qui absolutè docent dubium in fide esse hæreticum, videntur sentire neminem posse dubitare de fide, aut aliquo eius articulo, quin reflectendo super illum vel super authoritatem in qua fundatur, asserat esse qoid dubium. Econtra verò qui docent dubium in fide non semper esse hæreticum, videntur existimare posse dari dubium in fide, qui nec ipsum articulum fidei, neque authoritatem in qua fundatur, iudicet esse quid dubium. Ducor ad id existimandum, quia authores qui docent dubium io fide absolutè esse hæreticum, id probaot, quia qui ita dubitat, res fidei pro incertis & dubiis habet, seu quod idem est, res fidei incertas & dubias esse iudicat, quia sioe iudicio quemadmodum nihil pro certo, ita neque etiam pro dubio habetur. Et ita expressit Suar. *de fide disp.*19.*sect* 4.*num.*12. Suarez.

10. Ad solutiooem huius quæstionis, suppono primò dupliciter, quoad rem attinet, posse intellectum suspeodere ioditium circa aliquod obiectum.

iectum. Primò, quando in illo nullam videt sufficientem rationem ad assensum vel dissensum. Secundò, quando licet videat sufficientem rationem, retardatur tamen ex imperio voluntatis præcipientis suspensionem actus circa tale obiectum, quod posse fieri à voluntate communiter concedunt philosophi, quando obiectum non est euidens. Suppono secundò, dupliciter adhuc posse voluntatem præcipere suspensionem iudicij circa aliquod obiectum. Primò, propter timorem erroris conceptum ex in euidentia obiecti & rationibus oppositis. Secundò, propter quemcunque alium finem, puta ad exercitium libertatis, aut quid simile.

11. His positis, ad quæstionem Dico primò. Quando intellectus suspendit actum, quia nulla ei apparet ratio assentiendi vel dissentiendi in obiecto, certum videtur quòd intellectus tum temporis semper per actum reflexum iudicabit obiectum sibi esse dubium, nisi aliunde impediatur, quod erit propriissimè, & positiuè dubitare, vt in confesso est apud omnes. Quòd verò intellectus in eo casu semper sublato impedimento elicere debeat iudicium quo iudicet obiectum esse dubium, probatur; quia intellectus ex naturali propensione fertur ad iudicandum de obiecto sibi proposito id quod in illo sibi apparet. ergo si neque veritas, neque falsitas in obiecto vllo modo apparet, semper iudicabit obiectum neque verum neque falsum sibi apparere, siue quod idem est, sibi esse dubium, quod est positiuè dubitare. Dico secundò. Quando intellectus suspendit actum circa obiectum sibi propositum quamuis videat rationes sufficientes ad assensum vel dissensum, idque ex imperio voluntatis, non ex metu erroris, sed propter aliam causam v. g. ad exercitium libertatis, tum temporis certum etiam est, non dari rigorosè dubium, sed solum improprium & merè negatiuum, vt optimè aduertit Suarez citatus, quatenus intellectus non certificatur per actum positiuum de veritate vel falsitate obiecti.

12. Dico tertiò. Quando illuminatus suspendit actum circa obiectum propositum ex imperio voluntatis ex metu erroris, concepto ex in euidentia obiecti, & contrarietate rationum, tum temporis propriè dicitur intellectus dubitare, non quidem positiuè eliciendo actum positiuum dubij, sed negatiuè; propriè enim dicitur titubare, quatenus ex vna parte impellitur ad assentiendum, ex altera ad dissentiendum, & neque assentitur neque dissentitur ex metu erroris.

13. Obiicies contra. Si doctrina tradita esset vera, falsum esset illud proloquium satis receptum, *dubius in fide infidelis est*, vt habetur *cap. 1. de Hæreticis* Et qui dubitaret in fide, non amitteret habitum fidei, siquidem is per solam Hæresim amittitur. hæc sunt absurda. ergo &c. Obiectiones istas facilè dilues; primam, si dicas cum Cano *l. 12. de locis Theolog. cap 9. col. 9.* à versiculo, *controuersantur autem*, dubium in fide dici quidem infidelem non contrariè, quasi habeat actum fidei contrarium, sed priuatiuè, quatenus per tale dubium priuatur certitudine fidei, imò & ipso habitu fidei, vt statim dicemus. Respondere etiam potest proloquium illud habere solùm locum in foro externo, in quo præsumitur dubitans habere actum reflexum, quo iudicet res fidei incertas esse & dubias, quia difficiliter poterit quis dubitare, quin habeat similem actum reflexum. Ad secundam dices probabile admodum esse per illud dubium amitti habitum fidei; negandum tamen est fidem amitti per solam hæresim, cum amittatur etiam per omne illud peccatum contra fidem, per quod amittitur habitus piæ affectionis in voluntate, qualis est ille actus quo mediante voluntas ob metum erroris imperat intellectui, ne eliciat actum fidei; siquidem per illum redditur animus omnino indispositus ad eliciendum actus tum piæ affectionis, tum fidei, qui sine pia affectione præuia elici nequeunt, vt modò suppono. Cano.

Ex dictis colliges communem sententiam, quæ asserit dubium in fide esse hæreticum, quam sequuntur è nostris. Axor. *tom. 1. l. 8. instit. moral. cap. 9. quæst. 5.* Valent. 2. 2. *disp. 1. quæst. 11. punct. 1. difficult. 2.* Toletus *in summa lib. 4. c. 4. fine. & in bulla Cœnæ, excommunicatione 1. num. 6.* Suarez *de fide disp. 19. sect. 4. num. 10.* & plures alij, quos latè suo de more citat Sanchez citandus *num. 11.* Colliges, inquam, communem istam sententiam in solo foro externo vt certam amplectendam esse; siquidem in foro interno, qui præsumptionibus non nititur, verior est sententia, quæ docet non esse absolutè semper hæreticum dubium in fide; siquidem dari potest sine iudicio positiuo dubio iuxta tradita suprà §. *Dico tertiò*. Et hanc sententiam sustinent Canus citatus, Emanuel Sà *in summa ver. Hæresis.* Sanchez *in Decalog. tom. 1. l. 2. cap. 7. num. 12.* Becanus *in summa Theolog. part. 2. cap. 14. quæst. 2. num. 9.* 14. Azor. Valent. Tolet. Suarez. Sanchez. Eman. Sà. Sanchez. Becanus.

Aduertendum hîc etiam duxi moderatione indigere id quod addunt Castro *lib. 1. aduersus Hæreses cap. 10. in initio.* Torres *de Trinit. q. 32. art. 4. in 3. commentarij part. assert. 5.* Aragon. 2. 2. *quæst. 11. art. 2. dub. 2.* scilicet hæreticum etiam esse qui solo assensu opinatiuo assentiretur rebus fidei, eo quod talis assensus certitudinem fidei excludat. Quod non video, qua ratione verum esse possit, loquendo absolutè de omni opinatiuo assensu, in communiori hodie sententia, quæ admittit actus opinionis absque formidine extrinseca; nam in hac sententia intellectus informatus actu opinatiuo sine extrinseca formidine solùm iudicat rem esse vel non esse, quin formaliter vel virtualiter dicat rem aliter se posse habere & solùm dicitur intrinsecè formidare in quantum intellectus reflectat super talem actum, & præmissas, quibus nititur iudicare potest & debet rem quam iudicat non esse certam. Vnde talis actus solùm excludit certitudinem fidei negatiuè quatenus illam neque habet, neque supponit; non verò priuatiuè, priuando tali certitudine: siquidem talis actus optimè in hac sententia stare potest in eodem intellectu cum actu scientifico & actu fidei. Quapropter limitanda erit istorum Autorum sententia ad actus opinatiuos extrinsecè formidolosos, quibus informatus intellectus saltem virtualiter diceret rem non esse certam, sed aliter se habere posse. 15. Torres. Castro. Aragon.

Secunda definitionis pars est, *Voluntarius*, per illamque explicatur de ratione Hæresis esse, vt voluntariè fiat; quod omnino certum est, & in eo asserendo conueniunt TT. & scholastici omnes, illi ex D. Thom 2. 2. *quæst. 11. art. 1. & 2. & 1. part. quæst. 32. art. 4.* hi cum Magistro *in 3. d. 24. & 25. & in 4 d. 13.* quibus accedunt Patrum testimonia, quorum aliqua referemus in explicando tertiam partem definitionis. Rationibus probari potest hæc veritas. Primò, à contrario sic. De ratione fidei est, vt sit voluntaria. ergo idem 16. D. Thomas. Magister.

idem dicendum de hæresi eius contraria. Con-
quentia valet, quia contraria proportionem ser-
uant. Secundò. Hæresis, prout de ea loquimur,
peccatum est, peccatum verò sine voluntate
dari non potest, vt per se patet. ergo. Tertiò,
Ignorantia inuincibilis excusat ab hæresi, non alia
de causa nisi quia tollit voluntarium. ergo, &c.
Ex dictis colliges non esse hæreticos eos scrupu-
losos, qui inuiti patiuntur cogitationes blasphe-
mas, seu pessimas & hæreticas contra Deum, bea-
tissimam Virginem, & Sanctos, quamuis sibi
videantur consentire, quia deficit plena volun-
tas, cuius defectus triplici ex signo colligi po-
test. Primum est, si patiens prædictas cogitatio-
nes se hæreticum iudicat; non enim id iudicaret,
nisi iudicaret falsum & hæreticum esse quod sibi
videtur voluntariè iudicasse vt verum. Secun-
dum est, si quis eum prædictas patitur cogita-
tiones, tristitia magna afficiatur; neque enim ita
contristaretur, nisi etiam tunc fidei amantissi-
mus esset. Tertium est, si tristitia illa etiamsi
reuera non fuerit pro ipso tempore tentationis,
ea tamen transacta statim adueniret, quia si vo-
luntariè consentiret, non tam citò resipisceret.
Vnde colliges similes cogitationes in eo qui præ-
dicta signa in se experitetur, contemnendas esse,
atque eodem modo se habiturum qui eas pate-
retur, ac si nihil menti occurrisset. Vnde vt no-
Bonauent. tat D. Bonauent. *opusc. de profectu religios. cap. 3.*
facilior modus vincendi has tentationes est eas despi-
cere, & alio mentem diuertere; cum magis resistimus,
Sanchez. *fortius insurgunt.* Vide Sanchez *lib. 2. cap. 7. n. 13.*
& 14. vbi cum multis latè docet, quæ hîc breuiter
perstrinxi.

17. Tertia pars definitionis est *Pertinax*, qua si-
gnificatur hæresim debere esse non vtcunque
voluntariam, sed ita vt pertinax censeri debeat,
esse verò pertinaciam de ratione hæresis in con-
fesso est apud omnes DD. quos latè citat & se-
Farinac. quitur Farinacius *de hæresi quæst.* 196. & tradi-
tur expressè *Clement. de summa Trinit. §. Porrò*, ibi:
Quisquis defendere, seu tenere pertinaciter præ-
sumpserit, & Extrauag. Ioan. 22. *Cum inter. de*
verbor. significat. & Clement. vnic. *de Vsuris §. vl-*
timo ibi: *Pertinaciter affirmare.* Vt verò plene in-
telligatur hæc definitionis pars, necessariò priùs
explicandum est quid sit Pertinacia. Pertinacia igi-
tur formaliter ac propriè loquendo non est mul-
tum diúque adhærere suæ opinioni, vt aliqui
malè dixerunt, & tribuitur Syluestro *verb. Hæ-*
resis 1. *quæst.* 2. *num.* 5. quatenus ait cum Archi-
diacono Hæreticum esse qui vel publicè, vel la-
Alciatus. tentor diu in errore persistit. Glossæ *in Clemen-*
tinam. vnicam cap. de summa Trinit. §. Porrò, ver.
Glossa. *Pertinaciter*, quod ita exponit, vt idem sit perti-
nax, atque durus, irreuocabilis, obstinatus. & Al-
ciato *in leg. 2. cap. de summa Trinit.* Sed reuera ij
Doctores videntur loqui de pertinacia fori ex-
terni, in quo si quis subitò ab errore resipiscat,
non censetur pertinax, quia pertinacia non ita
facilè deponitur. *Pertinacia*, igitur, *est eligere ad*
credendum aliquid sciendo esse contra id quod de
de fide credit Ecclesia. Et in tantum dicitur talis
electio pertinacia, in quantum per se loquendo
exigit diuturnam durationem, quam videtur
importare nomen, *pertinacia*, quamuis aliquan-
do per accidens possit euenire vt statim euanescat.
Exigit verò prædicta electio per se diuturnam
durationem, vt dixi, quia electio fit ponderatis
pro vtraque parte rationibus, ac proinde suppo-
nit scientiam earum; vnde per se loquendo non
deponitur nisi de nouo occurrant aliæ rationes
efficaciores; siquidem voluntas nostra non faci-
lè mutatur, nisi adueniente de nouo ratione mo-
tiua, quamuis absolutè loquendo propter liber-
tatem suam sine noua ratione mutari possit;
proindéque cum nullum motiuum in fide de
nouo occurrere possit, cum illud vnicum sit,
omnium reuelatio diuina per definitionem Ec-
clesiæ proposita, quod præsupponitur cognitum;
consequenter fit, vt electio, de qua loquimur, per
se loquendo exigat diuturnam durationem.

Duo igitur requiruntur ad pertinaciam de 18.
qua loquimur. Primum est ex parte voluntatis,
& est voluntas resistendi, seu non subdendi
suum iudicium authoritati Ecclesiæ; & in tali
voluntate formaliter consistit ipsa pertinacia.
Requiri ostenditur, quia sublata hac voluntate
non datur pertinax etiamsi erret contra fidem,
vt colligitur apertè ex cap. *Damnamus. de summa*
Trinit. vbi Abbas Ioachimus ideo excusatur ab
hæresi, quia se submisit authoritati Ecclesiæ,
etiamsi errauerit in re definita ab ipsa Ecclesia:
consistere verò pertinaciam formaliter in ea vo-
luntate, inde probatur, quia posita tali volun-
tate cum sufficienti aduertentia & notitia Eccle-
siæ, statim quis intelligitur pertinax, etiam su-
blato quocunque alio, vt consideranti patebit,
Illud tamen aduerterim, non esse nimirum ne-
cessariam semper voluntatem formalem resisten-
di Ecclesiæ, sed aliquando sufficere interpreta-
tiuam. Vnde si quis posita notitia Ecclesiæ de
qua infra, velit nihilominus assentiri errori, quod
scit esse contra Ecclesiæ definitionem, quamuis
non habeat expressam & formalem volunta-
tem resistendi Ecclesiæ, erit quidem pertinax
ratione voluntatis interpretatiuæ, quatenus quis
censetur velle malum quoties vult rem quæ cum
ipso malo coniuncta est.

Secundum requisitum ex parte intellectus, 19.
est aliqualis notitia tum Ecclesiæ, tum definitio-
nis Ecclesiæ: quia si quis inuincibiliter ignora-
ret vel Ecclesiam, vel eius definitionem, non
censeretur hæreticus etiamsi erraret contra ta-
lem definitionem Ecclesiæ. Non requiritur ta-
men, vt quis censeatur pertinax, vt iudicet hanc
Ecclesiam tantam habere authoritatem, vt illi
tanquam regulæ veritatis sit credendum: sed sa-
tis est habere illius talem notitiam, per quam ita
illi proponatur Ecclesia & eius authoritas, vt
teneatur credere eam esse veram Ecclesiam, &
vera esse omnia quæ de fide ex cathedra proponit.
Quod diximus de notitia Ecclesiæ, cum propor-
tione dicendum de notitia definitionis.

Ex dictis colliges primò, quod suprà dice- 20.
bam, nimirum non satis esse hæresim esse vtcun-
que & indirectè voluntariam, sed necessariò de-
bere esse directè voluntariam, ac proinde nullum
errorem contra fidem ex ignorantia crassa & su-
pina esse hæresim, vt tenet communis senten-
tia inter Theologos & Canonistas, quam docet
D. Thom. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *ad* 3. *&* 1. *part.* D.Thom.
quæst. 32. *art.* 4. vbi ait, non incidere in hæresim
qui errat priùs quàm aduertat vel sciat contra-
rium definitum esse ab Ecclesia. Eandem tuentur
Gabr. Palud. Castro. Corduba, Driedo, Couar.
Simanc. Peña, Syluest. Angelus, quos citat
Suarez *de fide disp.* 19. *sect.* 3. *num.* 8. & alij multi Suarez.
apud Sanchez infrà. è nostris idem Suarez cita- Vasquez.
tus. Vasquez 1. 2. *disp.* 126. Tolet. *in summa l.* 4. Tolet.
cap. 4. *num.* 7. quamuis oppositum dixerit *l.* 1. Sanchez.
cap. 19. *num.* 20. Sanchez *in Decalogum l.* 2. *c.* 7.
num. 20.

Azor. Becanus.

num. 20. Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *instit. moral. cap.* 14. *quæst.* 9. Hentiq. *l.* 13. *de excommunicat. cap.* 17. *num.* 3. *in commento l.* 7 Becanus *in summa Theolog. part* 2 *cap* .4 2.*quæst.* 2. *num.* 15. Ratio ex dictis est manifesta, quia ad hæresim necessatium est, vt quis ertet pertinaciter in fide, id est, sciens se credere vel opinari contra communem sensum Ecclesiæ, vt dixi *n* 17. Atqui non errat sciens se credere & opinari contra communem sensum Ecclesiæ, qui ex ignorantia crassa & supina errat; quemadmodum non dicitur sciens sentire contra magistrum, qui ignorat etiam culpabiliter quid in ea re sentiat magister. ergo &c.

D. Thom. Bonau. Sotus. Lopez. Sayr. Valentia.

21. Neque vrget fundamentum contrariæ sententiæ asserentis errorem contra fidem ex ignorantia crassa esse veram hæresim, quam, non D. Thom. *quodlib.* 3. *art.* 10. neque D. Bonau. *in* 4. *d.* 13. *dub.* 4. *literali*, vt illis imponitur, docuerunt; docuit tamen Sotus *in* 4.*d.*22.*quæst.*2.*post* 5.*conclus.* & Lud. Lop. *instructor. part.*2. *cap.*20. *tit. de excommunicationibus reseruatis.* Sayro *in thesauro casuum tom.* 1. *l.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. & non multum, repugnat, vt ipse loquitur, Valent. 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 11. *punct.* 1. *difficult.* 4 *post solutionem ad* 4. Fundamentum est. Ignorantia culpabilis non excusat ab aliis peccatis. ergo neque à peccato hæresis. Respondetur, negando consequentiam. Et maior ratio est, quia alia peccata non includunt pertinaciam, vt diximus comprehendere hæresim, ac proinde satis est, vt voluntaria sint contra legem Dei. quod potest stare cum ignorantia culpabili, vt modò suppono ex prima secundæ. At verò hæresis cum includat pertinaciam, requirit vlterius scientiam, seu aduertentiam, & consequenter cum ignorantia etiam culpabili stare nequit.

22. Obiicies. Si hoc esset verum, ignorantia etiam affectata excusaret ab hæresi? quod non videtur asserendum. Respondetur nihilominus concedendo sequelam, quia etiamsi quis ob tædium addiscendi nolit scire hunc articulum esse de fide, & illum ignorans neget, non propterea erit hæreticus & pertinax, vt concedunt Vasquez, Suar. Sanch. & Becanus citati. Et idem maiori cum ratione quando quis, ne deponat suum errorem, non vult scire, quia tunc vt bene notat Suar. paratus est se corrigere. vbi primum norit Ecclesiam aliter sentire, & docere. Instas. Ergo etiam non erit hæreticus, qui ideo non deponeret ignorantiam, quia nihili facit definitionem Ecclesiæ, siue quia vult perseuerare in suo errore, etiam si Ecclesia doceat contrarium. Respondeo negando consequentiam, & maior ratio est, quia qui errat ex ignorantia affectata quia nihili facit Ecclesiæ authoritatem, vel quia vult perseuerare in sua opinione etiam si Ecclesia definierit oppositum, necessarium est ad talem voluntatem vt prius iudicet authoritatem Ecclesiæ nihili faciẽdam, seu posse aliquid esse verum, licet Ecclesia definiat contrarium, quod est hæreticum, vnde etiam si opinio istius esset vera, & oppositum non fuerit definitum, adhuc nihilominus esset hæreticus ratione antecedentis iudicij, quo iudicaret Ecclesiæ definitionem nihili faciendam, vel non esse omnino infallibilem, vt optimè aduertit Suar. citatus. Vide Becanum suprà *num.* 14.

Aragon. Sanchez. Caietan.

23. Colliges secundò ex dictis, peccatum hæresis posse committi in instanti. Ita speciatim notat Aragonius 2. 2. *quæst.* 11. *artic.* 1. §. 2. *conclusio.* Sanchez *tom.* 1. *Decalog. l.* 2. *cap.* 7. Caiet. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *notabili* 1. Bañez *ibi.* Suar. *suprà*, & alij. Probatur. Hæresis est error voluntarius & pertinax. Hic, vt ex supradictis patet, potest dari in instanti cum bene possit quis in instanti, errare in re quam scit esse definitam de fide ab ab Ecclesia. ergo &c. Quæres vtrùm error commissus ex ignorantia culpabili etiamsi peccatum hæresis non sit, ad illam tamen reuocetur? Negat. Vasquez 1. 2 *disput.* 16.*cap.* 3. *quæst.*6. probabilius tamen videtur quod docet Sanchez *lib.* 2. ... *lo* 2;*cap.*7. *num.*24. cum Cano, Cordub, Torres, Valent. quos citat, quod talis error reuocetur ad hæresim, quia peccata ex culpabili ignorantia commissa reducuntur ad speciem cuius essent, si scientes committerentur.

Bañes.

Quarta pars definitionis erat, *Contrarius illi veritati, quæ certò Catholica est.* Et per illam declaratur materia circa quam versari debet hæresis, per quam distinguitur hæresis ab aliis erroribus. puta in materia physica, siue metaphysica. 24.

Quinta & vltima pars est. *in eo qui fidem suscepit.* Per quam declaratur quodnam sit subiectum capax hæreseos. Vt verò distinctè intelligatur, necessariò explicandum est quinam dicatur fidem suscepisse, & priùs inquirendum, an necessarium sit suscipere fidem per baptismum, quod idem est atque inquirere, vtrùm hæreticus necessariò debeat esse baptizatus? Deinde inquirimus quamnam fidem habuisse necessarium sit, supernaturalem ne, an naturalem; Catholicam ne, id est, toti Ecclesiæ communem, an priuatam?

Caiet. Aragon. Vgolinus. Sayr. Tolet. D. Thomas. D. August.

Circa primam quæstionem partem affirmantem ad hæresim requiri vt prius baptismus iure fuerit susceptus, tuentur Caiet. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *dub.* 3 & Aragonius *ibid.* Vgolinus *de censuris Pontifici reseruatis* 2. *parte cap.* 1. §. 1. *num.* 2. & 3. Sayrus *thesauro casuum tom.* 1. *l.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. è nostris Toletus *in summa l.* 4. *cap.* 3. Sanchez *in Decalog. l.* 2. *cap.* 7. *num* 34. Fundamentum est. Ad hæresim requiritur, vt qui illam committit, Christianus sit, vt expressè docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 5. & August. *l.* 18. *de ciuitate Dei cap.* 51. dum ibi ait, *hæreticum esse qui sub nomine Christi falsa dogmata in fide Christi docet vel sequitur.* Origenes circa 3. *cap. ad Titum* vt refert Pamphilius in Apologia. atqui solus ille Christianus propriè dicitur qui baptismum suscepit. ergo ad hæresim requiritur, vt Baptismus priùs susceptus sit. 25.

Secunda sententia extremè contraria docet ad hæresim etiam punibilem ab Ecclesia non esse necessarium baptismum, vnde addit, posse Ecclesiam punire cathecumenos à fide aberrantes. Ita Castro *de iusta hæretic. punitione cap* .4. Fundamentum huius sententiæ quoad primam partem, quod ad hæresim non requiratur baptismus, apponemus sequenti §. vbi nostram sententiam trademus. Quoad secundam partem verò quòd nimirum neque ad hæresim punibilem ab Ecclesia requiratur baptismus, sic proponi potest: Cathecumeni sine baptismo sunt propriè membra Ecclesiæ, vt docet D. August *tract.* 4. *in Ioannem* Nauarr *in comment. de iubileo. notab.* 31. *num.* 48. Andreas ab Exc. *in cap.* 2 *de constit. num.* 2. *& seqq.* & sumitur *ex cap. Veniens. de presbytero non baptizato*, vbi dicitur hominem fieri membrum Christi non solùm per sacramenta, sed etiam per fidei sacramenta. Et ratione ita ostenditur. Cathecumeni possunt saluari cum baptismo in voto in fide Christi. igitur sunt membrum Christi, & 26.

D. August. Nauarr. Andreas ab

consequenter Ecclesiæ : nemo enim qui membrum Christi & intra Ecclesiam Christi non sit, saluari potest. ergo si recedentes à fide, in quam inceperont credere, hæretici sunt, bene possunt ab Ecclesia puniri : siquidem negari non potest quòd Ecclesia quemadmodum quælibet alia respublica, possit punire membra sua.

27. Tertia denique, cui assentimur, sententia est, ad hæresim quidem absolutè non requiri baptismum susceptum, requiri tamen ad hæresim punibilem per Ecclesiam. Prima pars probatur primò ex Concil. Niceno *can.* 19. vbi statuitur eos qui ab hæresi Pauli Samosateni redirent ad Ecclesiam, baptizandos esse. Et item ex sexta synodo generali *can.* 95. vbi docetur, quinam hæretici baptizandi sint cum fiunt Catholici. Ex quibus locis apertè colligitur dari hæreticos ante baptismum. Secundò probatur authoritate

D. August.

Augustini *lib. de vnico baptismo contra Petilianum cap.* 3. *& in præfatione ad lib. de hæresibus*, vbi etiam apertè supponit quosdam hæreticos reuertentes ad Ecclesiam esse baptizandos, quosdam non, eo quod apud eos baptismus inualidus fuerit. Tertiò ostenditur ratione. Cathecumenus si contra aliquem articulum fidei culpabiliter erret, erit quidem infidelis, non paganus, neque Iudæus, cum credat in Christum. ergo hæreticus atque adeo sine baptismo datur hæresis. Consequentia valet, quia aliter necessariò multiplicandæ essent infidelitatis species, cum tamen tres tantùm communiter assignentur.

28. Secunda verò pars quòd ad hæresim punibilem ab Ecclesia requiratur baptismus, certa est. Probatur primò tum ex communi consensu Doctorum, omnes enim præter Castrum suprà ita docent : tum ex communi praxi & vsu Ecclesiæ, quæ semper priusquã contra aliquem & hæreticum procedat, inquirit an sit baptizatus. Probatur secundò ratione. Ianua, per quam intratur in Ecclesiam visibilem, est baptismus, & character in eo impressus signum est subiectionis ad Ecclesiam, vt apertè colligitur & ex traditione communi fidelium, & ex modo loquendi Patrum, & Conciliorum. ergo qui nondum est baptizatus, neque intrauit in Ecclesiam, neque illi subiicitur, ac proinde eius hæresis non est punibilis ab ipsa Ecclesia, vt crimen non subiecti Ecclesiæ. Probatur tertiò. Ecclesia non potest obligare Catechumenum ad recipiendum baptismã si nolit, quia ille non se obligauit nec promisit obedientiam Ecclesiæ per fidem quam inchoauit, quod verum est, etiam si talis Catechumenus petiisset baptismum, quia sola petitio nullam inducit obligationem. ergo &c. Hanc sententiam quoad secundam partem tuentur omnes vno excepto Castro, quoad primam verò defendunt, Bañes 2.2. *quæst.* 10. *artic.* 5. *ad tertium argum. & quæst.* 15. *art.* 2. Farinac. *de hæresi quæst.* 178. *num.* 131. & 535. è nostris Azor. *lib.* 8. *instit. moral. cap.* 9. *quæst.* 3. Suarez *tom* 5. *in* 3. *part. disput.* 25. *sect.* 2. *num.* 4. *& in defensione Catholica l.* 1. *cap.* 24. *& de fide disp.* 19. *sect.* 5. *num.* 4. Becanus *part.* 2. *summa cap.* 14. *quæst.* 2. *num.* 4. Ad fundamentum contrariæ sententiæ negandum, Cathecumenos esse actu membra Ecclesiæ visibilis. Neque absurdum est quòd in aliquo casu possit quis saluari, quia re sit intra Ecclesiam Christi, sed tantùm in voto : quemadmodum potest saluari sine baptismo re suscepto, sed tantùm in voto. Concedimus autẽ Catechumenos esse membrum Christi, sed negamus propterea debere etiam dici membrum Ecclesiæ visibilis. Neque D. Thomas 2.2. *quæst.* 10. *art.* 5. contra nostram sententiam est, dum ait, hæreticum illum esse qui recedit à fide in veritate ; neque enim per fidem susceptam in veritate intelligitur fides suscepta in baptismo; sed fides suscepta non in vmbra & figura, qualis erat fides legis veteris.

Bañes. Farinac. Azor. Suarez. Becanus.

Quid si baptismus fuerit nullus, poterit sic nulliter baptizatus ob hæresim puniri ab Ecclesia? Affirmant Simancas *de Catholicis instit. tit.* 31. *num.* 5. Azor, *tom.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. cap.* 9. *q.* 3. Gabr. *in* 4. *d.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *notab.* 3. Castro *de iusta hæreticorum punit. cap.* 8. *dub.* 3. Felinus *in cap. si verò de sentent. excommunicat.* Igneus *in leg.* 1. *§. hoc autem. ff. ad Sill.* Fundamentum est, vt Ecclesia habeat iurisdictionem in hæreticos nulliter baptizatos, satis est quòd pro baptizatis se publicè gesserint, & quòd pro talibus habiti fuerint ; in his enim, quæ ex publica opinione, & existimatione pendent, plus operatur opinio quàm veritas. Sic vt quis pro legitimo filio reputetur, sufficit quòd in figura matrimonij natus sit. ergo &c. Secundò, qui sentit commodum, debet sentire onus & incommodum ; prædicti gaudebant commodis Christianorum. ergo sentire debent etiam pœnas, & incommoda, atque adeo puniri ob defectionem à fide semel à se suscepta. 29.

Simancas. Azor. Gabriel. Castro. Felinus. Igneus.

Probabilior tamen eorum sententia, qui negant hæreticos nulliter baptizatos per se loquendo ordinariis hæreticorum pœnis puniri posse. Ita Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis* 2. *part. §.* 5. *num.* 3. *in fine.* Sayrus *de censuris tom* 1. *l.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. è nostris Sanchez *lib. illo* 2. *cap.* 7. *num* 36. Suarez *de fide disp. illa* 19. *sect.* 5. *num* 8. & Becanus *suprà num.* 4. Fundamentum est, quia prædicti hæretici adhuc non sunt ingressi in Ecclesiam sensibilem, cum reuera non sint ingressi ianuam Ecclesiæ quæ est baptismus; ergo Ecclesia non potest illos punire, cum in extraneos non habeat iurisdictionem iuxta illud Pauli 1, *ad Corinth.* 5. *De his qui foris sunt nihil ad nos.* Quod in hunc sensum vsurpat Concilium Trident. *sess.* 14. *cap* 2. vbi hæc verba, *habet Ecclesia in neminem iudicium qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus.* Neque fundamenta in contrarium vrgent. Ad primum enim dices, antecedens solum verum esse, quando non constat de veritate, sed statur præsumptione. Tunc enim plus valet opinio siue præsumptio quàm veritas ignorata. Vnde nihil colligit consequentia, quia solùm colligitur ex ignorantia & per accidens posse puniri hæreticos non baptizatos, non verò per se. Quo sensu accipienda est sententia à nobis approbata. Ad secundum, dices illos non gaudere commodo aliquo, nisi fortè per accidens; neque enim consecuti sunt gratiam, characterem &c. Quamuis hæretici nullo modo vel nulliter baptizati nequeant puniri ab Ecclesia propter hæresim, bene tamen poterunt puniri propter sacrilegia commissa contra Sacramenta, vel Sanctorum imagines vel reliquias, si quæ ipsi commiserint, non tamen per censuras, sed alias pœnas. 30.

Vgolinus. Sayrus. Sanchez. Suarez. Becanus. Ad Corinth 5. Trident.

Quæres vtrùm saltem possit Ecclesia hæreticos nulliter baptizatos cogere, vt verum baptismum suscipiant. Affirmant Sanchez *in Decalog. tom.* 5. *l.* 2. *cap.* 7. *num.* 36. *ad finem* Henriq. *l.* 2. *de baptismo cap.* 25. *num.* 6. & id probabile esse docet Sayrus *thezau. casuum tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 11. Sed reuera distinctione opus est. Vel enim baptismus 31.

Sanchez. Henriq. Sayrus.

mus ita fuit nullus, vt præsumptio sit pro validitate ipsius, vt accidit v.g. quando defectus fuit intentionis baptizantis vel suscipientis baptismum; vel talis fuit defectus, vt constet de illius nullitate, v.g. quando constat non fuisse adhibita verba necessaria, vel aquam naturalem, aut quid simile. Et in hoc secundo casu indubitatum mihi est, non posse Ecclesiam cogere huiusmodi nulliter baptizatos ad suscipiendum verum baptismum: non enim apparet ex quo capite id possit Ecclesia; in secundo casu è contra bene poterit Ecclesia cogere nulliter baptizatos ad suscipiendum verum baptismum, vel saltem, vt se gerant ac verè baptizatos; id tamen est per accidens, quatenus non constat de veritate, & status præsumptione.
Suarez. Vide Suarez *tom. 3. in 3 part. disp. 24. sect. 1. & disp. 14. sect. 2. ad finem.*
Conc. Tolet. Neque exemplum quod afferri potest in contrarium ex Concilio Toletano 4. *relato in cap. Iudæis. dist. 45.* vrget, quia solùm decreuit Iudæos per vim baptizatos cogendos esse, vt in fide suscepta permaneant, quia licet per vim baptismum suscepissent, præsumebantur tamen eum simpliciter voluntariè & liberè suscipere voluisse, quamuis inuoluntariè secundùm quid, atque adeo præsumebantur validè baptizati, vt glossa ibi, *vers. saluandi sunt.*

32. Posito quòd non requiratur baptismus ad hæresim, explicandum adhuc superest, quinam dicantur fidem suscepisse, vt hæretici censeri debeant, si eam postea relinquant? Et imprimis certum est, non dici solùm fidem suscepisse, qui aliquando actum fidei supernaturalem elicuerint; nam si puer baptizatus & inter hæreticos educatus, cum peruenerit ad annos discretionis post sufficientem fidei catholicæ propositionem hæreticorum erroribus adhæserit, is quidem propriè hæreticus erit, cum sit infidelis, & non paganus, neque Iudæus. ergo quin aliquando elicuerit actum supernaturalem, poterit dici fidem suscepisse.

33. Neque item necessarium est, vt dicatur quis fidem sucepisse, vt habitum fidei supernaturalem habuerit sibi aliquando infusum. Patet in puero inter hæreticos nulliter baptizato, qui ad annos discretionis eorum erroribus adhæsisset post sufficientem propositionem fidei; is enim similiter diceretur hæreticus cum non sit paganus, vel Iudæus, cum tamen neque actum, neque habitum supernaturalem fidei habuerit.

34. Dicendum igitur est illum dici fidem suscepisse, qui quacunque ratione christianam religionem suscepit, siue id faciat fide supernaturali, siue naturali. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 5. quatenus in eo distinguit Iudæum ab hæretico, quòd ille credit Christum in figura & vmbra; is verò credit in Christum in veritate, id est, in se, & non in figuris. Inde enim bene sequitur, quòd quemadmodum non est necessarium quod Iudæus credat, vel crediderit in Christum in figura per fidem supernaturalem; ita etiam non est necessarium, vt hæreticus credat, vel crediderit in Christum in veritate per fidem supernaturalem. Ita etiam communis sententia à qua Caietanus & Thomistæ recedunt, quia existimant D. Thomam oppositum docuisse, cum tamen reuera nobiscum sentiat, vt vidimus.

35. Vltimò explicanda est illa quæstio, vtrùm ad hæresim satis sit deserere solam fidem priuatam; seu, vt clariùs loquamur, vtrùm satis sit errare aliquem circa rem per specialem reuelationem sibi propositam, vel necessariò debeat errare circa rem toti Ecclesiæ propositam. In hac quæstione imprimis suppono cum Soarez *de fide disp. 3. sect.* 10. Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 7. num.* 32. Becano *part. 2. summæ cap. 1. quæst. 4. num. 7.* Azor. *tom. 1. lib. 8. instit. moral. cap. 9. n. 4.* Vega *lib. 9. de iustificat. cap. 3.* Catherino *Apologia de certitudine gratiæ cap. vltim.* Bellarm. *lib. 3. de iustif. cap. 3.* Salm. *lib. 1. in Epist. Pauli part. 3. disp. 2.* Caiet. 2. 2. *quæst. 1. art. 1. & quæst. 5. art. 3.* Bañes *ibid. dubio 3.* Sotus *lib. 3. de natura & grat. cap. 11.* Cano *lib. 12. de locis cap. 3. & 4.* Valent. *tom. 3. quæst. 1. punct. 1. difficult. 5.* specialem reuelationem à Deo conceptam esse sufficiens fundamentum ad actum fidei supernaturalem eliciendum. Et probatur ex fide Abrahami, quæ quidem eiusdem naturæ & essentiæ fuit cum nostra, vt clarè colligitur ex Paulo *ad Rom. 4.* & tamen priuata tantùm reuelatione ipsi Abrahamo facta nitebatur. Et idem confirmat ratio sumpta à fide humana, quæ absque dubio eiusdem naturæ est siue credat Petro v.g. sibi soli, siue multis aliquid dicenti.
Suar. Sanchez. Becanus. Azor. Vega. Catherin. Bellarm. Salmer. Caietan. Bañes. Sot. Cano. Valentia.

His positis, Dico primò. Error contra priuatam reuelationem à Deo, conceptam, vera hæresis est. Hæc assertio est contra Sotum suprà. Cordubam *in quæstion. lib. 1. cap. 17. §. 1. dub. 2. col. 5. vers. Respondet magister.* Emanuel *in bulla Cruciat. §. 9. num. 74* Viuald. *in Candelabro sacram. editione anni 1602. in Bulla Cœnæ casu 1. num. 30* & eos, quos suprà proximè citaui contra suppositionem factam; illam tamen tenentur omnes quos pro dicta suppositione adduximus, & ex illa optimè probatur. Nam contrariorum eadem ratio, atque adeo si reuelatio priuata sufficiens est, vt quod per illam proponitur, certa fide credatur; satis erit vt error contra illam conceptus sit hæresis. Et confirmatur, quia error contra priuatam reuelationem expellit habitum fidei in homine Christiano. ergo est hæresis. 36.
Sotus. Cordub. Emanuel. Viuald.

Dico secundò. Hæresis contra solam priuatam reuelationem non punitur ab Ecclesia ordinariis hæreticorum pœnis. Ita Azor. *suprà.* Suarez *de fide disp. 19. sect. 5. num. 12.* Corduba *in quæstion. lib. 1. quæst. 17. §. 1. dubio 2. col. 5. vers. Respondet Magister.* Probatur primò, quia Ecclesia non intendit punire nisi apostatas à sua fide, hoc est à doctrina per ipsam propositam, quæ dici solet catholica propter eius vniuersalitatem. Secundò, Hæresis præcisè contra reuelationem specialem semper est interna. ergo ab Ecclesia non punitur solitis hæreticorum pœnis. Consequentia valet, vt ex infrà dicendis meliùs constabit. Antecedens verò ostenditur, quia dupliciter potest quis manifestare suam hæresim, vel simpliciter proferendo propositionem contrariam illi quæ sibi fuit relata. Vt si v. g. ille cui facta esset reuelatio propriæ salutis diceret, *non saluabor*: Vel si simul diceret posse aliter se rē habere quàm Deus reuelauit v. g. si diceret, *non saluabor*, vel, *possum non saluari*, quia non necessariò erit id quod Deus reuelat. Si primo modo, nulla ratione manifestatur hæresis, cum neque constet, neque constare naturaliter possit de reuelatione, sine cuius notitia nemo cognoscere potest illam propositionem esse hæreticam: si secundo modo, iam hæresis non solùm erit contra priuatam reuelationem, sed contra communem, atque adeo contra fidem catholicam. Vnde licet tum temporis talis hæreticus incurrat ordinarias pœnas hæreticorum, nihil mirum cum illius hæresis sit contra 37.
Azor. Suar. Cord.

fidem catholicam; nos verò solùm loquimur de hæresi præcisè contra reuelatiooem priuatam.

38. Contra hanc secundam assertionem sentiunt Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 7. num. 32.* & alij. Fundamentum eorum est, quia etsi Ecclesia noo proponat rem reuelatam voi, vt credendam, vel ab ipso solo vel ab omoibus, oihilominus proponit vt rem credendam Deum esse summè verum, nec falli aut fallere posse; sed qui negat propositionem sibi reuelatam à Deo, necessariò consequenter negat Deum vel falli vel fallere. ergo hæreticus est contra fidem catholicam, & vt talis incurrit pœnas hæreticorum. Secundò, qui negat aliquid quod putat definitum ab Ecclesia cum non sit, hæreticus est, & incurrit pœnas hæreticorum, quia consequenter asserit posse aliquid ab Ecclesia definitum esse falsum. ergo &c. Respondetur tameo facilè ad primum fundamentum. Primò, negando minorem: potest enim quis negare rem sibi reuelatam, quia pertinaciter credit non esse sibi reuelatam cum sit, & teneretur credere esse sibi reuelatam. Secundò, oegaodo consequentiam, quia licet sit hæreticus contra fidem catholicam, non tamen talis est externus, sed tantùm internus, vt explicauimus. Ad secnndum respondetur illo argumento bene probari eum qui negaret rem sibi reuelatam, esse hæreticum, quod oos concedimus & probauimus, non tamen probatur incurrere pœnas hæreticorum, vt reuera eas non incurreret qui negaret rem, quam putaret definitam ab Ecclesia, cum noo esset; nisi simul explicaret se negare rem definitam ab Ecclesia. Et ratio est quia illius hæresis esset interna, & prorsus occulta.

Sanchez.

39. Hæresis igitur sic vniuersim accepta vlterius diuiditur in apostasiam, & hæresim magis pressè sumptam, non vt genus in species rigorosas, vt existimarunt Syluest. *verb. Hæresis 1. quæst. 2. d. 4.* & Canus *lib. 12. de locis Theologicis cap. 9. col 3.* quia solùm diuiditur in duo membra secundùm magis & minus distincta, quatenus hæresis pressè sumpta prout distinguitur ab apostasia, error est solùm circa aliquam vel aliquas propositiones fidei: apostasia verò vt definitur à Toleto *in summa lib. 4. cap. 6. est error hominis baptizati, siue Christiani, fidei Catholicæ ex toto contrarius.* Ita docet expressè Valent. 2. 2. *quæst. 11. punct. 1. difficult. 1. & quæst. 12. punct. 1. notabili 1.* Bañes *ibidem art. 1. dub. 1.* Sanchez *tom. 1. in Decalog. l. 2. cap. 7. n. 16.* Layman. *n.*.. Hinc colliges non esse modò sermonem de apostasia latiùs sumpta, quæ definitur ab Ostiensi & Tabiena *ver. Apostasia num. 1. temerarius recessus à statu fidei, obedientiæ, & religionis,* qua ratione comprehendit tum apostasiam à religione de qua differuimus iam in secundo præcepto Ecclesiæ *c. 15. per totum*: tum apostasiam à clericatu, de qua commodiùs disputari solet in materia de excommunicatione & irregularitate; solùm enim hîc intendimus agere de apostasia prout præcisè

Syluest.
Canus.
Tolet.
Valentia.
Bañes.
Sanchez.
Tabiena.

40. fidei opponitur. Colliges secundò, omnes apostatas esse hæreticos, non tamen omnes hæreticos esse apostatas. Colliges tertiò grauius esse peccatum apostasiæ quàm hæresis; quemadmodum enim qui plura furatur, semper cæteris paribus grauiùs peccat, quàm qui furatur pauciora; sic qui plures articulos negat in fide, grauiùs peccat, quàm qui pauciores, & qui omnes qualis est apostata, magis quàm qui aliquos tantùm, qualis est hæreticus, pressè sumptus. Colliges quartò optimè posse Hæresim, & Iudaismum, vel Paganismum simul inueniri in eodem homine, vt videre est in eo qui ex Christiaoo fieret Iudæus, vel pagaous; quamuis repugnet simul esse Paganismum & Iudaismum, eo quod sint inter se ita contraria vitia, vt qui vnum amplectatur, necesse sit alterum deserere. Hanc doctrinam de Apostasia defendunt Caiet. 2. 2. q. 10. *art. 5. & quæst. 11 art. 1.* Bañes *ibid. concl. quæst 12. art. 1.* Aragon. *ijsdem locis.* Valent. *quæst. 10. punct. 1. dub. 3. & quæst. 11. punct. 1. & quæst. 12 punct. 1.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 17. quæst. 3.* Sanchez *in Decalog. l. 2. cap. 7. num. 15.* Layman. *lib. 2. tract. 1. cap. 16. num. 2.* & Syluest. *ver. apostasia in principio.* Castro *lib. 1. de iusta hæreticor. punit. cap. 7. & lib. de hæresib. cap. 4.* Probatur quòd apostasia sit hæresis; cætera enim hoc probato per se patent, vt vel ostendi, vel consideranti facile innotescet. Potest dari apostasia quæ neque sit coniuncta cum Iudaismo, neque cum Paganismo. ergo necessariò dicendum est esse hæresim. Valet consequentia, quia aliter necessariò deberent admitti plures species infidelitatis quàm tres. Antecedens verò ostenditur in eo qui sibi persuaderet religionem Catholicam esse falsam, & dubitaret de Iudaismo & omni Paganismo, quæreretque rationes vt vel paganus vel Iudæus fieret in tali homine, vt patet ex suppositione, neque Iudaismus neque Paganismus esset, sed apostasia. ergo &c.

Caietan.
Bañes.
Arag.
Valentia.
Azor.
Sanchez.
Layman.
Castro.

Alij inter quos est Cano *lib. 12. de locis cap. 9. ad 2.* cum Turrecremata quem citat & sequitur Simancas, Syluest. *ver. Hæresis 1. quæst. 2.* Angelus *ver. Apostasia.* Palud. *in 4. dist. 13. quæst. 3.* Pezant. 22. *ad quæst. 12. D. Thom. disp. 1.* Suarez *de fide disp. 16. sect. 5. num. 8.* quibus accedunt non pauci Canonistæ *cap. 7. de Apostatis,* oppositum docent. Probant primò authoritate D. Thom. 2. 2. *quæst 12. art. 1. ad 3.* quatenus ait apostasiam non esse speciem infidelitatis, sed posse esse earum circunstantiam. Vt respondeat Sanchez ad argumentum, aduertit apostasiam duo includere. Vnum est negatio fidei siue recessus à fide, quod est illi essentiale. Aliud est conuersio ad aliquam sectam falsam, v. g. Iudaismum, vel Paganismum, quod est accidentale, cum illud sine hoc reperiri possit, vt in exemplo suprà allato ostendimus. Quo posito dicit D. Thomam, cum dicit apostasiam esse circunstantiam specierum infidelitatis, locutum fuisse de apostasia prout includit conuersionem ad alias sectas. Obscura tamen mihi videtur solutio, quia conuersio in apostasia ad alias sectas non datur, nisi ratione aliarum specierum cum quibus coniungitur; nihil enim est Paganismus v. g. quàm conuersio siue amplexus sectæ, quæ negat Christum, & in veritate & in figura; & Iudaismus item nihil aliud est quàm conuersio siue amplexus eius legis quæ solum agnoscit Christum in figura, vnde non apparet qua ratione apostasia qua conuersio est, sit circunstantia aggrauans ipsum Iudaismum vel Paganismum. Clariùs mihi videtur posse solutio argumenti tradi, si dicamus apostasiam duo includere. Alterum est deserere omnino fidem, quod illi est essentiale quatenus apostasia est, & semper cum illa coniunctum. Alterum est præferre sectam aliam vt meliorem & securiorem ipsi fidei, & hoc est illi accidentale, quia ab illa separari potest, vt vidimus in casu suprà allato, & solum reperitur in apostasia quando coniungitur cum Iudaismo vel 41.

Cano.
Turrecr.
Simanc.
Syluest.
Angelus.
Palud.
Pezant.
Suarez.
Canonistæ.
D. Thom.

vel Paganiſmo, quatenus qui ex Chriſtiano fit Iudæus vel Paganus, conſequenter non ſolùm dicit fidem Chriſtianam non eſſe veram ſeu bonam, ſed ſimul dicit veriorem & meliorem eſſe Iudaiſmum vel Paganiſmum.

His poſitis, dico D. Thomam ſuprà non negaſſe apoſtaſiam eſſe hæreſim, dum ait non eſſe ſpeciem infidelitatis, ſed ſolum voluiſſe dicere apoſtaſiam ſecundùm id, quod addit ſupra malitiam hæreſis, eſſe circunſtantiam aggrauantem ſpecies infidelitatis, quia nimirum in quantum includit præcisè receſſum omnimodum à fide ſuſcepta eſt circunſtantia aggrauans ipſam hæreſim; in quantum verò includit præferre alias ſectas fidei Chriſtianæ, circunſtantia eſt aggrauans illam ſpeciem quæ fidei præfertur ratione contemptus qui in illa tunc includitur.

Inſtabis. Quando aliquis Iudæus vel Paganus propoſita ſibi ſufficienter fide eligit remanere in ſua ſecta quàm fidem Chriſti ſuſcipere; æquè contemnit fidem ſeu præfert talem ſectam fidei, ac ille qui primò Chriſtianus illam ſectam eligit. Vterque enim poteſt talem ſectam eligere, quia exiſtimat illam meliorem. ergo apoſtaſia non eſt circunſtantia aggrauans illas ſpecies infidelitatis ratione illius prælationis. Reſpondetur tamen negando antecedens, ad cuius probationem concedendum quidem in vtroque caſu dari contemptum fidei, & prælationem falſæ ſectæ reſpectu fidei, negandum tamen eſſe æqualem. Quemadmodum enim maior erat obligatio in Chriſtiano non relinquendi fidem, quàm in Pagano amplectendi ipſam fidem, tum quia ille ſtringitur præcepto negatiuo, hic poſitiuo; tum quia ipſa fides in ipſo Pagano ſolùm quodammodo priuatur iure quod habebat vt ſuſciperetur; in Chriſtiano verò priuatur iure ſimul & poſſeſſione quam iam habebat.

42. Obijcit Suar. ſuprà citatus contra noſtram ſententiam. Hæreſis eſt crimen hominis Chriſtiani, vt patet ex communi deſcriptione patrum dicentum hæreticum eſſe qui ſub nomine Chriſtiano & retinendo Chriſti confeſſionem, fidem eius corrumpit. Sed Apoſtaſia non poteſt dari in eo qui retinet Chriſti confeſſionem, vt per ſe patet. ergo neque hæreſis omnis Apoſtaſia, & multo minus hæreſis, quæ ſit Apoſtaſia. Reſpondetur Patres cum deſcribunt hæreticum prædicto modo, locutos fuiſſe de hæretico expreſsè ſumpto, non verò de hæretico ſimul apoſtata, qui non venit communi modo loquendi nomine hæretici, licet vt diximus propriè ſit hæreticus; aliter ſi Patres iudicarent hæreſim non poſſe eſſe cum Apoſtaſia, non dicerent hæreſim eſſe grauius peccatum quacunque alia infidelitatis ſpecie, ſcilicet Iudaiſmo & Paganiſmo; quia hæ ſpecies eum circunſtantia Apoſtaſiæ quæ iuxta hanc ſententiam non mutat ſpeciem, abſque dubio continerent maiorem grauitatem quàm quælibet hæreſis, vt videtur per ſe manifeſtum.

43. Illud ad calcem huius quæſtionis aduertit Sanchez *num.* 24. vtrauis opinionem ſequaris, ſemper indubitanter aſſerendum, neceſſarium eſſe in confeſſione exprimere apoſtaſiam, ſiue dicas eſſe circunſtantiam ſolùm notabiliſſimè aggrauantem, ſiue eſſe hæreſim. Ac proinde nunquam ſatis erit dicere quemlibet ſe fuiſſe hæreticum, ſed vlterius neceſſe erit fateri fuiſſe etiam apoſtatā; idque non ſolum quando ſimul amplexus eſt aliam ſpeciem infidelitatis, Iudaiſmi ſcilicet vel Paganiſmi, ſed etiam quando nullam amplectebatur, vt in caſu ſuprà propoſito, in quo quis indicaret falſam fidem Chriſtianam, nihil cogitando de alia ſecta. Imò addit etiam cum Valentia 2.2. *quæſt.* 11. *punct.* 1. *difficult.* 1. eandem neceſſitatem eſſe in hæreſi explicandi qualitatem erroris; multum enim, vt ipſe ait, refert an quis Trinitatem negauerit, an Paulum fuiſſe Hieroſolymis.

Illud etiam cum eodem Sanch. Suar. & aliis communiter vt indubitatum aſſerendum, nimirum apoſtatas, ſiue apoſtaſia hæreſis ſit ſiue non; eaſdem pœnas excommunicationis & quaſcunque alias hæreticis in iure canonico & ciuili ac in Bulla Cœnæ inflictas incurrere. Ratio eſt manifeſta, quia illæ omnes æquè impoſitæ ſunt pro hæreticis & apoſtatis, vt ex ipſis patet, & aduertunt DD. communiter. 44.

CAPVT XI.

Quinam hæretici ab Eccleſia puniantur & puniri poſſint.

SVMMARIVM.

Eccleſia non punit hæreticos non baptizatos etiam ſi ſint catechumeni. num. 1.
Neque etiam qui negarent aliquid quod exiſtimarent eſſe de fide cum non ſit. ibid.
Neque etiam punit Eccleſia hæreticos purè mentales. num. 2.
Oppoſitum aliqui docuerunt. num. 3.
Probatur vera ſententia. num. 4.
Soluuntur argumenta contraria. num. 5.
Hæreticum externum omnino per accidens occultum non poteſt Eccleſia punire per ſententiam ſpecialem. Poteſt verò per ſententiam generalem. n. 6.
De facto Eccleſia punit omnes omnino hæreticos externos, etiam per accidens occultiſſimos. num. 7.
Qui ſint hæretici externi per accidens occulti. n. 8.
Signa neceſſaria ad manifeſtandam hæreſim exteriùs non debent eſſe adiaphora, num. 9.
Non eſt hæreticus externus qui in mente iudicaret Chriſtum v. g. non eſſe hominem, & exteriùs diceret: verè non eſt homo. Ita iudico, & ſimilia. num. 10.
Neque qui aliquid diceret non eſſe verum quod exiſtimat eſſe de fide cum non ſit. ibid.
Neque item qui exiſtimant fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum, & ideo rem haberet cum ſoluta. ibid.
Neque ille, qui aliquoties omitteret ſacrificium miſſa, quia illud non crederet. ibid.
Neque qui nutu aliquos efficeret v. g. percuteret famur, manibus plauderet &c. indicando interius hæreſim. ibid.
Eſt hæreticus externus qui ve rbis æquiuocis hæreſim explicaret. num. 11.
Oppoſitum non videtur omnino improbabile. ibid.
Hæreticus externus habendus, qui animo hæretico iniuriam inferret imaginibus ſacris. num. 12.
Vel non aperiret caput dum in miſſa eleuatur Hoſtia ſacroſancta, vel aliquid aliud faceret vnde ſuſpicio hæreſis non temere oriretur. num. 13.
Signa debent eſſe hæreſis præſentis vt hæreticus ſit externus. num. 14.
Per iocum vel ex ignorantia aliquid dicens contra fidem

fidem sensisse non est hæreticus externus. n.15.
Neque item qui diceret se habere propositum incidendi in hæresim num.16.
Non est item hæreticus qui in somno & ebrietate hæresim internam quam habet profert. num.17.
Signa manifestatiua hæresis debent esse de se mortalia. num.18.
Non est hæreticus externus qui confitetur suam hæresim etiam præsentem. num.19.
Neque qui illam proferret animo petendi consilium. num 20.
Neque qui interrogatus ab Inquisitoribus an aliquando crediderit, vel credat aliquid contra fidem, responderet credere, si id faciat vel animo obediendi vel non mentiendi. Idque latè explicatur. num.21.

1. POSTQVAM egimus de hæresi, eiusque naturam, & definitionem explicauimus, sequitur vt de pœnis agamus, quibus tantum crimen Ecclesia alioquin piissima mater seuerissimè punit, ac punire possit. Et primò præmittendum, quosnam hæreticos Ecclesia punire possit, & quos de facto puniat. Tandem quasnam pœnas in eos fulminet, enumerabimus pariter, & explicabimus. Et io primis certum est Ecclesiam non punire neque punire posse eos hæreticos qui verè baptizati non fuerint, etiam si essent cathecumeni, vt cap. *præcedenti num. 26. & seqq.* diximus. Deinde probabilius longè est Ecclesiam non punire communibus hæreticorum pœnis hæreticos errantes præcisè contra priuatam reuelationem sibi adeo factam, imò neque eos punire posse, siquidem vt vidimus supra semper sunt hæretici purè mentales, de quibus statim dicemus non posse puniri ab Ecclesia. Neque item punit eos hæreticos qui existimantes aliquid esse de fide, illud tamen negant, (nisi forte id ipsum explicent, nimirum se existimare talem propositionem esse definitam: nihilominus oppositum sentire) non solùm quia ij etiam hæretici sunt purè mentales, & per se occulti, de quibus Ecclesia non iudicat, vt statim probabimus; sed etiam quia Ecclesia solùm punire intendit eos hæreticos qui aliquid à se verè definitum negant, quales ij non sunt, siquidem negant solùm quod existimant definitum, cum reuera non sit.

2. Quæstio verò est, vtrùm Ecclesia ordinariis hæreticorum pœnis puniat vel punire possit eos qui in mente aliquid ab Ecclesia de fide propositum pertinaciter negant? seu quod idem est, vtrùm punire possit & puniat hæreticos purè mentales & per se occultos Partem affirmatiuam tuentur non pauci. Gloss. *in cap. cogitationes, ver. patitur, de pœnitent. d.1.* Gloss. *in Clement. 1. §. verum ver. eo ipso, de hæret.* si attentè legatur, vt ibi docet Vitalis. *num. 183.* Gloss. *in cap. vnic. §. omnem, de schismat. in 6. & in summa 24. q. 14.* Albertinus *tract. de cognoscendis assertion. q. 33. n. 31. & seqq.* Et multi ex Canonistis quos latè citat Sanctarellus *de hæresi tract. 1. c. 3. dub. 1. n. 6.* Fundamentum eorum est. Ecclesia potest punire actus internos peccaminosos. Ergo punire potest & de facto punit hæreticos purè mentales & per se occultos. Consequentia bona est; prima eius pars, quia non assignabitur ratio, cur possit punire alios actus internos, & non hæresim internam. Secunda, quia si semel concedatur posse Ecclesiam punire hæresim internam, verba quibus hæreticos excommunicatione & aliis pœnis punit, talia sunt, vt non possint ad solam hæresim externam coarctari, præcipuè cum hæresis in sola mente consummetur, vt videre est *in cap. Excommunicamus, el 1. §. credentes, & el 2. § si qui autem, de hæreticis,* & aliis. Vbi excommunicantur qui non credunt in aliquem articulum fidei, quæ verba satis videntur significare iudicium internum. Antecedens probatur primò, quia in Concilio Basiliens. *sess. 38.* excommunicatur qui legerit quendam librum, aut ei ausus fuerit credere. In *Clement. 1. §. verum, de hæret.* excommunicatur Inquisitores, qui ex odio vel amore aliquid omittunt vel faciunt in causa fidei. In Clement. *1. §. quia verò. de statu monachorum.* excommunicantur monachi qui adeunt curias Principum, cum animo inferendi malum suis prælatis, aut monasteriis. Hæc omnia crimina quæ puniuntur, sunt actus interni, ergo &c. Probatur secundò. Ecclesia habet iurisdictionem in actus internos, ideo enim potest præcipere actus internos, vt de facto præcipit attentionem in recitandis horis Canonicis. Cap. *dolentes de celebratione miss.* contritionem & & dilectionem cum obligat ad confessionem. Et item absoluit à peccatis internis. ergo etiam potest punire actus internos. Valet consequentia, quia si ex defectu iurisdictionis non oritur in Ecclesia impotentia puniendi actus internos, non apparet vnde ea oriri possit.

3. Pars negatiua quam sequimur absolutè vera est. Eam tuentur communiter DD. Paludanus *in 4. d. 13 quæst. 3. art. 1. conclus. 8. num. 15.* Maior. *in 3. d. 25 quæst. 5. fine.* Caiet. *2. 2. quæst 11. art. 3. fine.* Antonin. *3. part. tit. 24. cap. 4. in principio.* Angel. *ver. hæreticus num. 2.* Armilla *eodem ver. num. 17.* Sylu. *excommunic. 7. num. 3. & 4.* Castro *lib. 2. de lege pœnali c. vlt. & lib. 2. de iusta hæreticorum punit. cap. 18.* Bañes *2. 2. quæst. 11. artic. 4 dub. conclus. 1. vers. his suppositis.* Graffius *lib. 2. decisio. cap 9. num. 3. & lib 4. cap. 18. num 14.* Clarus *in praxi crimin. lib. 5. § hæresis.* Vgolin. *tract. de casibus Papæ reseru. part. 2. §. 1. num. 16. & §. 4. num. 12. & de irregul. cap. 34. in principio num. 6.* Almaynus *in 4. dist. 17. quæst. 1.* Sotus *ibid. d. 22. quæst. 2. art. 3. conclus. 9.* Couar. *in regul. peccatum 2 part. in initio num. 7.* Barbosa *de officio Episc. part. 2. alleg. 40. num. 6.* Nauar. *in summa cap. 11. num. 17. & cap. 27. num. 56.* & in cap. *cogitationes. de Pœnit. dist. 1. in principio de pœnitent. d. 5. n. 19. & 20. & rub. de indiciis num. 67.* Decianus *in tract. criminalium lib. 5. cap. 48. num 40.* Garcia *de benef. part. 11. cap. 10. num. 91.* Arag. *2. 2. quæst 11. art. 3. §. Propter hæc argumenta.* Peña in scholio ad Rojas *1. part. num. 240 & 2. part. num. 319.* Simanch. *de Cathol. instit. tit. 41. num. 3.* Bursat. *volum. 3. cons. 289 incip. in subhastatione num. 13.* Farinac. *de hæresi quæst. 192. num 6.* E nostris Valent. *2. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 7. & quæst. 11. punct. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 10. & lib 8. cap. 10. à quæst. 3. & cap. 19. quæst. 4.* Tolet. *lib. 1. cap. 19. num. 3. & lib 4 cap. 4. num. 2.* Sà *ver. excommunicatio in casibus Bullæ Cœnæ.* Henriq *lib 6 de pœnit. cap. 14. num 6. & lib. 14. cap. 4. §. 1. in comment. litera D.* Suar. *tom. 5. de censuris disp. 21. sect. 2. n. 1. & disp. 4. sect. 2. num. 4. & lib. 4 de legibus cap. 12. & lib. 3. cap. 13. & disp. 21. de fide, sect. 1. num. 4.* Vasquez *1. 2. disput. 160. num 20.* Sanchez *l. 2. in Decalog. cap. 8. num. 2.* Turrianus *de fide, disp. 56. dub. 2* Salas *de leg. d. p. 9. sect. 1.* Reginaldus *lib. 17. quæst. 5. num. 58.* Auila *de censuris, part. 1. dub. 10.* Becanus *de fide cap. 15. quæst. 1. num. 2. & quæst. 2. num. 3.* Filliucius *tom. 1. tract. 22. cap. 6. num. 182.* Ægid. de Conink. *tom. 1. quæst. 83. art. 6. num. 292.*
&

Sanctarell. Layman.

& tom. 2. disp. 13. dubio 8. num. 71. Sanctarell. *de haeresi cap. 3. dub. 1. num. 5.* Layman. *l. 2. tract. 1. cap. 14 num. 1.*

4. Fundamentum primum sit. Ecclesia per se & directè non habet iurisdictionem in actus mentales & internos. ergo non potest illos punire, & consequenter haeresim internam. Consequentia bona est, quia sine iurisdictione nemo punire potest. Antecedens verò fatentur esse verum Summi Pontifices in pluribus Canonum decretis. Ita habetur cap. *A nobis l. 2. de sent. excom. cap. Tua de sponsal. cap. de clandest. despons. cap. Consuluisti 2. quaest. 5. cap. Si quando 15. quaest. 6. cap. Sicut tuis litteris de simonia*, in quibus dicitur: *Ecclesia non iudicat de occultis.* & cap. *Tua nos eodem titulo.* ibi: *nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare.* & cap. *cogitationis. distinct.* ibi: *Cogitationis poenam patiatur*, & cap. *Erubescant. dist. 32.* ibi: *de manifestis loquimur, secretorum autem iudex est Deus.* Probatur secundò idem antecedens. Ecclesia nullo vnquam tempore tali potestate vsa est, ergo signum est illam non habere: otiosa enim esset illa potestas, quae nunquam reduceretur ad actum.

5. Neque rationes pro contraria sententia conuincunt: negari enim debet antecedens primi argumenti, & ad primam illius probationem dicendum non excommunicari ibi in eo concilio qui internè tantùm, sed qui externè etiam crediderit libro illi. Eodem modo dicendum est non excommunicari in Clementina illa inquisitores procedentes ex odio, & amore, nisi ex eo aliquid externè commiserint, id est, nisi ex odio, vel amore aliquid iniustè egerint, vel omiserint, quod non agere, vel non omittere ex officio tenerentur. Quod attinet ad monachos, dicendum etiam eos non excommunicari, nisi externè aliquid committant, vt si v. g. animo inferendi malum praelatis, vel religioni sine debita licentia ad curiam accedant, vel ibi aliquid contra iustitiam, vel charitatem agant, quod in damnum praelatorum, vel religionis vergat, siue quouis alio modo animum suum illicitè manifestent. Ad secundum argumentum negandum Ecclesiam posse praecipere actus mentales, nisi forte per accidens, & indirectè, qua ratione praecipit attentionem, & contritionem, quatenus nimirum sine illa oratio vera, & sine hac verum sacramentum poenitentiae stare nequeunt. Exemplum de absolutione sacramentali non venit ad rem, quia est in diuerso foro: & licet Ecclesia possit in actus merè internos exercere iurisdictionem voluntariam, quam vocant Iurisperiti, quae scilicet non operatur in subditum contra voluntatem eius, sed ex voluntate, & consensu eius; non tamen potest in eos exercere iurisdictionem inuoluntariam, per quam subditus etiam inuitus puniri potest. Ex dictis colliges in iis locis, vbi excommunicatio fertur in haereticos, vt in cap. *excommunicamus il 1. §. credentes* in cap. *credentes il 2. §. si quis autem.* etiamsi peccatum haeresis tale sit, vt in voluntate consummetur, semper tamen debere intelligi dummodo talis haeresis non sit tantùm interna. Ex dictis colliges haereticos purè mentales non esse excommunicatos in bulla coenae Domini, nequealias iuris poenas incurrere; proindeque à quolibet confessario posse absolui, vt communiter docent Theologi; quod tamen intellige, nisi in aliquo Episcopatu haeresis interna esset reseruata, vt de facto reseruatur in constitutionibus Conimbricensibus editis à Dom. Alphonso ab Albicastro: optimè enim potest fieri reseruatio peccatorum merè internorum, quamuis iure Suarez noster existimet non conuenire reseruari, nisi forte in aliquibus circunstantiis necessitas talis reseruationis maximè vrgeret. Vide quae diximus *lib. 8. 2. praecepti. cap. num. 16.* & Henriquez *lib. 6. de poenitentia cap. 14. num. 6.* Suarez *tom. 4. de poenitentia disp. 29. sect. 3. num. 3.* Suarez. Henriq.

Secunda quaestio est, vtrùm Ecclesia possit punire quamlibet haeresim externam? Tota quaestionis dubitatio est in haeresi per accidens omnino occulta, quae nimirum ita occultè commissa fuit, vt nullus hominum eius testis esse potuerit? Vt quaestionem decidamus, sciendum est duplici ratione posse haeresim ab Ecclesia puniri, vel per sententiam particularem, vel per sententiam generalem, siue legem. Quo posito,

Prima resolutio quaestionis sit. Ecclesia non potest per sententiam specialem punire haereticum omnino, licet per accidens occultum, quandiu occultus est. Et ratio est manifesta, quia sententia specialis requirit iuridicam causae cognitionem, aliter inualida, & iniusta erit; haec cognitio dari nequit vbi haeresis omnino occulta fuerit per accidens. ergo &c. Dixi, *quandiu occultus est*, quia si ipse manifestet suum crimen siue in iudicio, siue extra illud coram testibus, bene poterit puniri: sed tunc punietur propter peccatum iam publicum, seu de quo datur scientia publica, non verò propter peccatum quod sit per accidens occultum, licet tale aliquandiu fuerit.

Secunda resolutio sit. Bene potest Ecclesia punire haeresim externam quantumcumque per accidens occulta sit, per sententiam generalem, & à fortiori per legem. Ratio est, quia haeresis eo ipso quòd externa, & sensibilis est, cadit sub iurisdictionem Ecclesiae, neque enim iurisdictio, siue potestas puniendi pendet à cognitione, quamuis aliquando pendeat effectus, siue actus puniendi: ergo benè poterit Ecclesia punire talem haeresim externam per sententiam generalem, & per legem, quia hic modus puniendi non requirit cognitionem publicam, actualem in iudice, vel legislatore; sed satis est, quòd sit notum ipsi haeretico, quòd poena inflicta hoc modo infligitur quasi sub conditione, *si hoc feceris*, ac proinde nullum periculum est, quod possit iniustè infligi, si aliunde iusta sit ex defectu cognitionis, quod periculum vnica ratiò est, cur cognitio ad sententiam particularem requiratur, cum hoc non inferat poenam quasi sub conditione, sed absolutè, vt mos est. 6.

Ita explicata prima parte quaestionis, sequitur secunda explicanda. Quinam haeretici ab Ecclesia puniantur per legem, aut sententiam generalem? neque enim ex eo quod Ecclesia illos punire possit, sequitur quòd de facto illos puniat. Resolutio sit. Ecclesia punit omnes omnino haereticos externos etiam per accidens occultissimos. Resolutio ita certa est, vt nullus omnino sit, qui eam expressè neget, quamuis aliqui in generali dixerint censuras, & irregularitates per legem inflictas non incurri ab iis, qui eam legem occultè omnino, licet per accidens, violant. Probatur. Ecclesia per leges imponit censuras, & alias poenas ipso facto pro omni peccato haeresis sub sua iurisdictione comprehenso, 7.

preheoso, siquidem loquitur in talibus legibus generaliter, & sine vlla limitatione; atqui omne peccatum hæresis externum, etiam per accidens occultum, est sub iurisdictione Ecclesiæ, vt suprà ostendimus: ergo omne etiam per accidens occultum punitur ab Ecclesia. Ita communiter Theologi, ac Iurisperiti, quos citauimus suprà.

Obiici potest. Si Ecclesia puniret de facto hæreticos per accidens occultos, sequeretur eos, qui occultissimè deliquerunt, sæpe fore coactos se infamare, tenerentur enim abstinere ab administratione, & receptione sacramentorum ratione excommunicationis maioris, & irregularitatis, quam incurrerent, cum hæ sint pœnæ inflictæ ab Ecclesia in hæreticos, vt infrà videbimus; sed hoc videtur absurdum: ergo dicendum est pœnas impositas pro hæreticis ipso iure non esse inflictas pro hæreticis per accidens omnino occultis, sed coarctandas ad hæreticos externos publicos, vel per accidens occultos, sed probabiles, id est, quorum hæresis, licet occulta sit, probari tamen potest, licet nondum probata sit. Et sic explicari debent iura, in quibus tales censuræ, vel pœnæ infliguntur. Neque videri debet mirum, si ita restringantur, cum sint leges pœnales, quæ semper restringi debent. Quamuis propter hanc rationem Castro *l. 2. de lege pœnali cap. vltim. conclus. 3.* quem sequuntur aliqui recentiores, vt refert Suarez *de censuris disp. 40. sect. 4. num. 21.* existimet irregularitatem, & suspensionem à iure inflictam non incurri propter peccatum per accidens occultum. Nihilominus infirmum adeo est fundamentum, vt meritò existimet Suarez citatus improbabilem, & falsam esse eius sententiam, & nullo modo in praxi secutam.

Castro.
Suarez.

Ad argumentum igitur dicendum non sequi teneri qui in hæresim inciderunt, se infamare, quia possunt secretò procurare absolutionem censurarum, & dispensationem irregularitatum, & quandiu eam obtinere non possunt, abstinere à sacramentorum administratione, & susceptione prætensa quacunque alia causa, & si aliquando ea vitari non potuerit, id per accidens erit, ac proinde nullum censetur inconueniens. Neque iura, quæ censuras, & irregularitatem hæreticis infligunt, nulla ratione explicari commodè possunt quoad hæreticos publicos tantum, & occultos per accidens, sed probabiles, quæ sine distinctione loquuntur, ac proinde nec nos distinguere debemus.

8. Vt doctrina tradita fiat manifestior, sequitur tertia quæstio. Quinam sint hæretici per accidens occulti; neque enim caret difficultate separare hæreticos purè mentales à per accidens occultis. Vt autem hoc præstemus, satis, & necessarium erit examinare quænam verba, vel signa satis sint, vt hæresis, quæ primò in animo latebat, & ideo purè mentalis dicebatur, exteriùs prodire censeatur, & solum per accidens occulta dici possit? Multa solent Autores in hac re explicanda congerere; nos vt breuitati consulamus, omnia reducemus ad tres conditiones, quæ omnino necessariæ sunt ad hoc vt verba, siue quæcunque alia signa hæresim exteriùs manifestent ad hunc finem, vt ab Ecclesia censeantur puniri.

9. Prima conditio est, vt signa quæcunque illa sint, non adiaphora, & indifferentia, sed ex se certificabilia, & declaratiua talis hæresis, seu, vt loquitur Suarez infra, completa, determinata, & integra sint ad exprimendam hæresim, ita vt ex vi illorum posset quis, si adesset, cognoscere eum, qui talia signa edidit, in tali hæresi esse. Ita Doctores communiter. Aragon. *2. 2. quæst. 11. art. 3.* Nauarr. *in cap. Cogitationis n. 10. corollario 3. de pœnit. dist. 1.* Sayrus *in Claui regia. tom. 1. l. 3. cap. 4. num. 26.* Castro *l. 2. de iusta hæreticorum punitione. cap. 18.* Simancas *tit. 42. num. 7.* Bañes *2. 2. quæst. 11. art. 4. dub. 2. argumento 3. contra 3. conclusionem.* Ex nostris Suarez *de fide disp. 21. sect. 2. num. 9. & tom. 5. in 3. part. disput. 4. sect. 2. num. 10. & 16. & disp. 21. sect. 2. n. 2.* Azor *tom. 1. l. 8. cap. 10. quæst. 4. & l. 5. cap. 10. quæst. vnica.* Sanchez *tom. 1. Decalogi l. 2. cap. 8. num. 7.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 6.* Valent. *tom. 3. disp. 1. quæst. 11. punct. 3. in fine.* Vasquez *1. 2. quæst. 96. art. 4. disp. 160. cap. 5. num. 20. & 21.* Auila *de censuris part 1. dub. 11. conclus. 2.* Becanus *in summa Theologia p. 2. cap. 15. de pœnis hæretic. quæst. 1. num. 8* Sanctarellus *tract. de hæres. quæst. 3. dub. 1. quæst. 7.* ac plures alij, quos citat. Requiri hanc conditionem probatur, quia quandiu talia signa non exprimuntur, adhuc hæresis ita manet incognita aliis, ac si nulla signa præcessissent. Vt verò signa dicantur per se certificabilia hæresis, siue completa, & satis determinata ad exprimendam hæresim, satis erit, vt vel ex se, vel ex circunstantiis adiunctis antecedentibus, vel consequentibus habeant, vt possint præsentes, si adessent, ducere in cognitionem hæresis. Vt verò res fiat planior, discutiemus per aliquot signa, quæ exempli loco esse poterunt, vt de aliis iudicium fieri possit. Quia verò signa tria, loquendo in genere, esse possunt, scilicet verba, res aliæ, & horum carentia, per singula discutiemus.

Aragon.
Nauarr.
Sayrus.
Castro.
Simanc.
Bañes.
Suarez.
Azor.
Sanchez.
Henriq.
Valentia
Vasquez.
Auila.
Becanus.
Sanctarel.

Et vt incipiamus à vocibus, quas primo loco posuimus, defectu prædictæ conditionis non erit hæreticus per accidens externus, qui mente iudicaret Christum non esse hominem, & ore diceret, *verè non est homo*, siue, *ita iudico*, & similia, nisi aliunde exprimeret de quo loqueretur. Ratio est, quia ea verba cum indifferentia sint, vt huic vel illi subiecto applicentur, iure adiaphora dici possunt. Idem dicendum est, si ille, qui iudicat aliquid hæreticum, quod putat esse de fide, cum reuera non sit, idque verbis exprimat. Ratio est, quia adhuc non declarat suam hæresim, quæ non consistit in eo iudicio, quo iudicat contrarium eius, quod putat esse de fide, sed in alio, quod præsupponitur, quo iudicat res de fide posse aliter se habere; ac proinde quandiu hoc secundum iudicium non explicat, v. g. asserendo se iudicare talē rem, cum existimet oppositum esse de fide, manet hæreticus merè internus. Non aliter sentiendum de eo, qui veram propositionem credat, cum animo tamen non deponendi eam, etiamsi oppositum ab Ecclesia definiatur, quamuis quod credit exprimat, non est hæreticus externus, quia adhuc non exprimit suam hæresim, quæ item non in iudicio, quo rem illam credit, sed in eo, quo iudicat aliquid definitum ab Ecclesia non esse credendum. Idem dicendum, vt exemplum ponamus in rebus, de eo, qui existimaret fornicationem simplicem esse licitam, & ideo rem haberet cum libera non sua. Ratio est, quia etiam hoc signum non satis explicat animum hæreticum, cum passim oriatur ex aliis causis; & à fortiori idem dicendum, si quis iudicando hæresim nutus aliquos efficeret, 10.

percu

perculeret femur, manibus plauderet, & similia. Neque item erit hæreticus per accidens externus (afferendo exemplum in carentia rerum) qui eo quod non crederet sacrificium Missæ esse verum sacrificium, illud per aliquot vices non audiret, quia etiam hoc sæpe fit propter alias causas, ac proinde non satis explicat hæresim suam internam, qui propter illam omitteret per aliquot dies sacros audire Missam: neque enim statim iudicaret aliquis hæreticum eum, qui aliquoties Missam non audit, nisi diuinando.

11. E contra verò hæreticus esset externus, qui hæresim internam vocibus æquiuocis explicaret. Ratio est, quia licet illa verba possint habere sensum catholicum, nihilominus de se satis sunt ad explicandam hæresim, & vt plurimum ea ambiguitas verborum per accidens solùm occultaret hæresim. Et confirmatur, quia illa non minus significant hæresim internam, quàm si nullum haberent alium sensum catholicum: ergo propter illum alium sensum, quem habent, solum occultatur aliqua ratione sensus hæreticus non per se, sed per accidens, vt dixi. Ita Suar. *tom. 5. in 3. part. disp. 4. sect. 3. num.* 17. *& de fide disp. 21. sect. 2. num.* 10. Sanch. *l. 2. Decalogi cap* 8. *num.* 26. Santarellus *tract. 1. de heresi cap. 3. n.* 13. Oppositum sentit Ricciulus *lib. 5. cap. 9. num.* 5. non improbabiliter omnino; quod vbi primum verbum æquiuocum est, statim inhabile est ad plenè significandam rem indeterminatam, nisi aliunde colligatur animus loquentis. Et probatur, quia nullus hominum posset assequi mentem loquentis in eo euentu: Vnde optimè per se occultam hæresim in eo casu..... nam per accidens tunc solum videtur occultari, quando ideo occultatur, quia non videntur signa externa illius, eo quòd secretò exhibita sunt, non verò quando etiamsi viderentur, adhuc non cognosceretur hæresis. Sed verisimilior est nostra sententia, quia id totum, vt dixi, per accidens euenit, non per se.

Suarez.
Sanchez.
Santarell.
Ricciul.

12. Esset item hæreticus externus, qui animo hæretico iniuriam grauem inferret imaginibus sacris, sacramentis, v. g. rebaptizaret. Ratio est, quia ista, & similia de se satis produnt animum hæreticum: neque obstat quòd hæc aliquando fieri possint sine hæresi, puta per obliuionem, vel fictionem; quia si hoc esset verum, non foret etiam hæreticus externus, qui hæresim internam verbis apertè exprimeret, quia hæc etiam dici possunt, & solent per fictionem, & inaduertentiam. Deinde hoc vt plurimum solùm probaret, interuenire ibi quandam æquiuocationem; sed hæc, vt dixi, solùm reddit hæresim per accidens occultam, non verò per se; quoties enim mens per signum sufficiens ostenditur, per se loquendo nota fit aliis, quanuis per accidens occultetur.

13. Similiter externus esset hæreticus, qui animo hæretico Eucharistiæ, dum eleuatur in sacrificio Missæ tum vigentis, non aperiret caput, non genu flecteret, vel ea opera omitteret, quorum omissio ratione hæresis, vel aliunde suspicionem hæretici animi non temere ingereret, v. g. si nunquam ingrederetur templum, nunquam ieiunaret, vel Missam audiret. Ita Caiet. 2. 2. *quest. 11. art. 4 vers. Ex his siquidem.* Sayrus *thesauro casuum. tom. 1. lib. 3. num.* 30. è nostris Sanchez *in Decalog. l. 2. cap. 8. num.* 16. Tolet. *summa in expositione Bullæ, excommunicatione* 1. *num.* 10. Suarez *de fide disp. 21 sect. 2. num.* 11. Santarellus *tract. de heresi dub. 2. cap. 3. num.* 13. Oppositum docet Azor. *tom. 1. l. 8. cap. 9. quest.* 12. Leonard. Duard. *in Bullam Cœnæ l. 2. quest.* 20. *num.* 15. Sed non videtur sustinenda eius sententia nisi fortè quando ex aliis circunstantiis id tribui posset inaduertentiæ, quanuis etiam tunc id solum videatur procedere in foro externo, nam in interno eæ circunstantiæ solum videntur facere hæresim per accidens occultam. Ita Simancas *de catholica institutione tit.* 42. *num.* 10. & Azeuedo *lib. 8. recopilation. tit. 3. l. 1. num.* 157. dicunt fortè benignitatis gratia defendi posse, limitant verò vt procedat solum.....

Caietan.
Sayrus.
Sanchez.
Tolet.
Suarez.
Santarell
Azor.
Duardus.
Simancas.
Azeuedo.

Secunda conditio est, vt signa externa supradicta signa sint hæresis præsentis. Ratio est, quia signa manifestatiua hæresis non ita præcisè requiruntur, vt cognoscatur hæresis interna, quæ in cognitionem humanam aliunde non cadit; sed vlterius requiruntur, vt peccatum hæresis, quod erat internum, ac proinde non cadebat sub iurisdictionem Ecclesiasticam, fiat peccatum externum, quod puniri ab Ecclesia possit: sed nisi signa sint hæresis præsentis, non possunt id præstare. ergo &c. Minor, de qua sola dubitari potest, sic probatur. Signa & actus externi vt cum actu interiori constituant vnum peccatum, debent esse aliqua ratione effectus talis actus interioris, ideo enim furtum externum cum voluntate interna furandi constituit vnum peccatum, quia illud ab hac voluntate imperatur, & quodammodo fit; sed signa extèrna non possunt aliqua ratione fieri ab hæresi, quam significant, nisi sit præsens; quia quod non existit, non potest operari; ergo &c. Hanc conditionem non requirunt Vasquez 1. 2. *q. 96. art. 4. disp. 160. cap. 5. n.* 22. Suarez *tom. 5. in 3. part. disp* 4. *num.* 14. Sanchez *tom. 1. Decalogi l. 2. cap. 8. num* 25. 14.

Vasquez.
Suarez.
Sanchez.

Hinc colliges primò, non esse hæreticum per accidens, sed merè occultum eum, qui ex ignorantia, vel per iocum fingit, vel dicit se aliquando credidisse aliquid contra fidem. Ita Victoria, cuius sententiam Simancas *de catholic. instit. tit. 42. num.* 10. & Azeuedo *lib. 8. recopilat. tit. 3. l. 1. num.* 157. dicunt benignitatis gratia defendi posse; ita etiam Azor. *tom. 1. lib. 8. instit. moral. cap. 10. quest.* 6. Sayrus *thesauro casuum. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num.* 31. Sanchez *suprà num.* 21. Imò & idem dicendum etiam si seriò idem asseuerasset: ita Vasquez suprà & Sanchez *num.* 25. Probatur, quia adhuc ea verba non significant hæresim præsentem. Limitant aliqui hanc doctrinam quando id non fit animo confitendi eandem hæresim, seu in ea complacendi; iure tamen limitatio quoad animum complacendi non placet Sancio, quia animus iste adhuc omnino occultus est, quia bene potest quis esse iam catholicus, & complacere de hæresi præterita, quamuis grauiter in eo peccet. Quoad animum confitendi procedit bene limitatio, sed necesse erit, vt talis animus ex aliis circunstantiis, v. g. ex modo dicendi colligatur: verba enim, quibus solùm quis assereret se credidisse aliquid contra fidem, non satis essent, sed tunc iam significaretur præsens hæresis. 15.

Victoria.
Simanc.
Azeued.
Azor.
Sayrus.
Sanchez.

Colliges item secundò, non esse hæreticum per accidens occultum, qui diceret se habere propositum incidendi in hæresim, vel amplectendi aliam sectam, sed adhuc non incidisse, nec amplexum esse. Ita Sanchez cit. *num.* 23. qui qui addit, & bene, propter hoc propositum puniri posse. Fundamentum est, quia id non est mani 16.

Sanchez.

manifestare formaliter hæresim, eam profiteri. Dubium tamen id videtur ex duplici capite. Primò, quia impossibile videtur habere propositum incidendi in hæresim, nisi quis iudicet posse esse verum id, quod fidei opponitur; inde enim est quòd non possit quis habere propositum iudicandi oppositum eius quod euidenter cognoscit. Secundò, quia licet propter ignorantiam, & inaduertentiam posset quis habere tale propositum sine eo iudicio, non potest negari ex tali proposito reddi aliquem suspectum de hæresi; siquidem ad minimum difficile admodum, & quasi moraliter impossibile est propter dictam rationem, dari tale propositum sine eo iudicio. Ergo quemmodum ex eo quod aliquis faciat rem aliquam, propter quam redditur suspectus de hæresi, v.g. quia, vt suprà diximus, non aperit caput, vel genuflectit cum eleuatur Eucharistia in Missa, censetur quis hæreticus per accidens occultus; ita etiam ex eo quod habeat, & dicat se habere propositum incidendi in hæresim. Propter hæc longè probabilem iudico oppositam sententiam.

17. Colligo tertiò, non esse eum hæreticum per accidens occultum, qui in somno, vel ebrietate profert eas hæreses, quas habet, etiamsi compos sui aduertat se in somno, & ebrietate tales propositiones solere proferre, & id non caueat, quàuis possit. Ita Petrus de Ledesma *tom. 2. summa. tract. 1. cap. 6. post* 10. *conclus. difficultate* 5. Sanchez *suprà num.* 24 Suarez *de fide disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 12. Ratio est, quia illæ propositiones non procedunt ab hæresi præsenti, cùm illa non detur; siquidem neque in dormiente, neque in somniante, qui necessariò operantur, dari potest error voluntarius, qualis est hæresis. Addo, neque præterita hæresis manifestari, siquidem bene possent tales propositiones oriri à cogitatione, & apprehensione talium hæresum, quin præcessent illarum iudicium. Instas. Qui in somno, & ebrietate occidit clericum, si aduertit antea similia sibi accidere, incurrit pœnas iniustè occidentium, si non vitet eum possit: ergo etiam qui dicit propositiones hæreticas, si non vitet cum potest, incurret pœnas hæreticorum. Respondetur, negando consequentiam. Maior ratio est. Ecclesia punit homicidium voluntarium vel in se, vel in causa, non verò punit verba illa externa continentia hæresim, nisi quatenus coniunguntur cum actu interno hæretico, quod non habent verba illa hæretici ebrij, vel dormientis.

Ledesma. Sanch. Suar.

18. Tertia conditio est, vt signa externa sint ex se, & ex natura sua mala, & mortalia intra rationem hæresis, & non solùm per relationem ad actum internum hæresis. Fundamentum est Excommunicatio, & aliæ pœnæ grauissimæ non imponuntur, nisi ob peccatum mortale; ergo eæ, quas incurrunt hæretici externi, vt videbimus infrà, non imponuntur nisi ob peccatum hæresis mortale externum: ergo signa propter quæ hæreticus fit externus, & incurrit prædictas pœnas, debent esse de se grauia, & continere secundùm operis quantitatem peccatum mortale. Ita Emmanuel Sà *in summa, verbo Excommunicatio in expositione Bullæ Cœnæ, num.* 3. Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap.* 14 *num.* 6. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi.* Suarez *de fide. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 12. Doctores loquendo generaliter de excommunicatione.

Eman. Sà. Henriq. Sanchez. Suarez.

19. Ex hac doctrina inferes primò, non fieri hæreticum externum, qui suam hæresim internam detegit in confessione sacramentali, non solùm quando illam confitetur præteritam, de qua dolet, sed etiam quando confitetur præsentem, de qua non dolet, nec illam vult relinquere; dummodo non confiteatur fraude, ac dolo malo, puta animo peruertendi confessarium, aut quid simile; neque enim requiritur, vt ita confiteatur, vt dignus sit absolutione, sed ita, vt non committat nouum peccatum hæresis. Probatur, quia quoties ita confitetur, non facit actum malum, saltem in specie hæresis: ergo non incurrit pœnas hæreticorum, quæ, vt dixi, solùm propter peccatum hæresis externum incurruntur. A fortiori habet hæc conclusio verum, quando ex tali confessione oritur obligatio sigilli in confessario; quia tunc detectio hæresis esset extra forum humanum, & alterius rationis. Ita Sanchez citatus *num.* 19. cum aliis multis, quos refert Suarez *de fide. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 12. Becanus *part. 2. summa cap.* 15. *quæst.* 1. *num.* 8. Santarellus *tract. de hæresi cap.* 3. *dubio* 2. *num.* 10. Quando verò ex confessione hæretici posset prouenire obligatio sigilli, colligendum est ex iis, quæ de sigillo tractant Doctores in materia de pœnitentia, vt diximus.

Sanchez. Suarez. Becanus. Santarel.

Inferes secundò, non esse item hæreticum per accidens occultum, qui consilij capiendi causa ex bono fine, non animo astruendæ, aut asserendæ hæresis propriæ, illam detegeret amico, vel inquisitoribus. Ita Aragon. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. Simancas *de catholic. instit. tit.* 42. *num.* 7. Gutierrez *lib.* 1. *quæst. canon. cap.* 13. *num.* 9. Sayrus *de censuris l.* 3. *cap.* 4. *num.* 29. Azeuedo *lib.* 8. *tit.* 3. *l.* 1. *num.* 156. Couar. *regul. peccatum* 2. *part. initio num.* 7. *in fine.* è nostris Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 4 Sanchez citatus *num.* 20. Suarez *de fide suprà num.* 12. Santarellus *suprà num.* 11. Becanus citatus *num* 8. Ratio est, quia hic actus optimus est, & necessarius, quia alioqui præcluderetur via hæretico interno se liberandi ab hæresi, quin incurrat pœnas hæreticorum, & quin eius peccatum maneat reseruatum; ergo &c. Ex ratione opposita colligitur habere conclusionem locum non solùm quando detegitur hæresis præterita, sed quando detegitur præsens, quamuis oppositum dixerit Azor. *suprà, quæst.* 5. quia etiam quādo detegitur hæresis præsens consilij capiendi causa dumtaxat, detectio illa non est mala, & hæretica. Neque etiam limitanda est doctrina tradita, vt intelligatur quando hæreticus amicum consulit, vt acquiescat Ecclesiæ, non verò quando illum consulit, vt eius iudicio acquiescat, vt voluit Bañes 2. 2. *quæst.* 21. *art* 4. *dub.* 2. *in solutione ad* 5. *contra* 2. *concl.* Petr. Ledesma *tom.* 1. *sum tract.* 1. *c.* 6. *post.* 10. *concl. diff.* 4. Primò, quia, vt optimè aduertit Sanchez suprà, cum illa intentio hæretici in mente lateat, non apparet cur talis hæreticus ratione illius debeat incurrere pœnas hæreticorum, cum actus petendi consilij externus bonus sit. Secundò, quia hæreticus, qui existimaret non esse necessariò acquiescendum Ecclesiæ definitioni, non posset consulere virum doctum, si quidem is solùm posset talem virum consulere animo acquiescendi eius consilio, & deinde Ecclesiæ, si ita illi visum fuerit, vel eius rationes sibi placuerint, vt patet. Quapropter absolutè dicendum detectionem hæresis etiā præsentis petendi consilij causa dūtaxat, non reddere hæreticum per accidens occultum. 20.

Aragon. Simanc. Gutier. Sayrus. Azeuedo. Couar. Azor. Sanchez. Suarez. Santarel. Becanus.

Bañes. Ledesm.

Colliges tertiò, hæreticum per se occultum, qui interrogaretur ab Inquisitoribus an aliquando crediderit vel credat aliquid contra fidem? & responderit non solùm credidisse, sed etiam credere, dummodo id non faciat animo se ia- 21.

ctandi,

ctandi, & profitendi suam hæresim, non fieri hæreticum externom, neque incurrere pœnas hæreticorum. Fundameorum est, quia ea confessio est actus obedientiæ, non verò professio hæresis, & peccatum externum hæresis: quia tamen Becanus *suprà num.*4. & Suarez *cit. num.*7. (Becanus. Suarez.) negant id habere verum quando hæreticus hæresim de præsenti fatetur, quia existimant per illam confessionem peccatum hæresis fieri externum, oportet, vt rem meliùs declaremus. Duplici igitur ratione possunt inquisitores fidei interrogare hæreticum an credat aliquid contra fidem, primò iuridicè, quia habent sufficientia aliqua indicia secundùm allegata, & probata contra ipsum, vel non iuridicè; & si primo modo interrogent, in foro externo poterunt punire eum, quia concordat confessio rei cum testibus, vel indiciis, quæ contra ipsum erant: in foro verò interno, si ipse reus respondit existimaos teneri se ex obedientia respondere, non video cur ratioοe talis confessionis, quæ verè fuit actus obedieotiæ, maneat talis hæreticus externus, & iocurrat pœnas hæreticorum, si antea talis non erat, quia v. g. actus, de quo testes, vel indicia erant, vel reuera non fuit, vel si fuit, non fuit tamen factus animo hæretico. Idem à fortiori dicendum in foro interiori, si inquisitores non interrogauerunt iuridicè, & hæreticus ideo respondit, vel ne mentiretur, vel quia existimabat teneri ad mentem iudicis respondere. Quoad forum verò externum, id faciant inquisitores, quod iudices tenentur. facere si quando non iuridicè extorquent crimen à reis, nunquam tamen iudicare poterunt hæreticum illum vt externum propter talem confessionem præcisè nisi præsumatur facta ex complacentia. Instat (Suarez.) Suarez *tom.*5. *disp* 4. *sect.*2. *num.* 14. Inquisitores cum interrogant hæreticos vtrùm aliquid contra fidem crediderint, vel credant, exigunt ab illis professionem fidei, ac proinde confessio eorum non tam actus est obedientiæ, quàm professio hæresis mortaliter peccaminosa. Sed tamen non video cur dicatur, inquisitores in eo casu exigere professionem fidei, & non potius facti veritatem, ac proinde negari debet eum actum esse professionem fidei, si fiat modo supradicto. Verum quidem est posse, & debere inquisitores, vbi primum cognouerint statum rei, præcipere illi, vt deponat hæresim, idque eo modo, quo iustitia, & charitas præscribunt, & forte necessarium est concedere illi aliquod tempus, quo rem consideret; quod si nolit, tum temporis vt hæreticus verè externus poterit condemnari, imò statim incurreret pœnas hæreticorum à iure inflictas, non verò præcisè ratione primæ confessionis, in qua videtur nullum contineri peccatum.

CAPVT XII.

De pœnis, quæ in iure statuuntur contra hæreticos, & fidem negantes, fautores, & receptatores.

SVMMARIVM.

Prima pœna spiritualis, qua hæretici puniuntur, est excommunicatio, quæ habetur in iure. n.1. & 2.
Habetur etiam in bulla cœnæ Domini. num.3.
Excommunicatio ab homine requirit admonitionem, non verò à iure. ibid.
Excommunicatio bullæ cœnæ extenditur ad hæreticorum credentes; qui dicantur credentes? 4. & 5.
Extenditur etiam ad receptatores, & qui receptatores dicantur? num.6.
An in illa comprehendantur amici, noti, & consanguinei, aut proximi, qui hæreticos recipiunt animo auerso ab hæresi, solùm quia amici, infirmi, miseri, aut noti sunt. ibid.
Quid si recipiant, & faueant animo, & causa ne comprehendantur ab inquisitoribus, non tamen causa hæresis, quam reuera animo detestantur. num.7.
Refertur prima opinio affirmans censura bullæ cœnæ ligari. ibid.
Præfertur opinio negatiua. num.9. & 10.
Quid nomine receptatoris intelligatur? An sufficiat semel tantum recepisse? num.9.
An qui metu mortis hæreticum recipit, hanc censuram incurrat? num.11.
Vt hæc excommunicatio incurratur, an necesse sit receptatores, fautoresve hæreticorum esse hæreticos? num.12.
An necesse sit, vt hæreticus receptatus, aut cui fauetur, sit denunciatus de hæresi, & excommunicatione illius? num.13.
An receptatores, & fautores hæreticorum incurrant hanc censuram effectu nonsecuto. num.14. & 15.

1\. DEFINIVIMVS hactenus hæresim, & vidimus in quo consistat, conditionesque apposuimus requisitas, vt quis hæreticus externus, & punibilis ab Ecclesia censeatur. Nunc videndum est, quænam pœnæ in iure humano statutæ sint contra ipsos hæreticos, siue eæ sint Ecclesiasticæ, siue politicæ, & ciuiles, aut quod idem est, vel spirituales, vel temporales. Loquor tantùm de pœnis in iure statutis, quia licet aliqui existimauerint iure diuino inflictam esse pœnam excommunicationis, quos latè citat Santarellus *tract. de hæresi. cap.*3. *dub.*1. *num.* 3. (Santarel.) oppositum tamen mihi certum videtur, neque enim quæ in cootrarium afferuntur, plus aliquid probant, quàm iuri diuino maximè conforme esse, vt hæretici externi à fidelium communicatione arceantur, & excommunicentur. Vide Santarellum cit. *num.*1.

2\. Prima igitur pœna spiritualis, qua hæretici externi puniuntur, est excommunicatio ipso facto, quæ comprehendit omnes hæreticos externos etiam per accidens, vt hactenus capite præcedenti explicuimus. Patet ex *capite, Cum Christus. & cap. Sicut ait. & cap. Ad abolendam. & cap. Excommunicamus. de hæreticis*; imò excommunicatio in hæreticos videtur esse vetustissima omnium excommunicationum, quæ in iure canonico sunt contentæ, vt insinuatur *in cap. Achatius. & cap. Audiuimus.* 24. *quæst.* 1. Nam ex quo tempore cœperunt concilia celebrari ad extirpandas hæreses, ex eo tempore introductus fuit vsus excommunicandi hæreticos, id est, arcendi illos ab vsu sacramentorum, & priuandi communibus Ecclesiæ suffragiis, repellendique à consortio piorum hominum, ac fidelium. Tandem habetur hæc excommunicatio in bulla cœnæ Domini, quæ à Summis Pontificibus singulis annis edi solet.

3\. Obiici potest illud Apostoli ad Titum 10. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem*

ceptionem debita. Ex quo colligitur hæreticum debere vitari, & excommunicari ipso facto, sed præuia monitione. Ad quod respondent duplicem esse excommunicationem, alteram ab homine, alteram à iure. Prior requirit præuiam monitionem, saltem quando fertur per sententiam specialem, vt constat ex cap. *In præsentia.* & cap. *Sacro. de sentent. excommunicat.* Et de hoc dicit locutum fuisse D. Paulum hic, quod patet manifestè ex eo quòd allocutus fuerit Episcopum, ac discipulum Timotheum, quasi diceret: Ne feras sententiam excommunicationis in hæreticum, nec illum excommunicatum declares, nisi post primam, & secundam monitionem. Posterior illam non requirit: nam ipsa lex, quæ statuitur talis excommunicatio, est instar præuiæ admonitionis, vt de se, & ex vsu patet. Excommunicatio supradicta intenditur in Apostatas, de quibus suprà egimus, non solùm quia & ipsi hæretici sunt, sed etiam quia expresse in prædicta bulla cœnæ continentur.

Credentes.

4. Extenditur hæc pœna excommunicationis latæ sententiæ ad hæreticorum credentes, fautores, receptatores, defensores, & ad eorum libros legentes, tenentes, imprimentes, aut defendentes, vt constat apertè ex bulla cœnæ Domini, ex cap. *Excommunicamus.* t. §. *credentes de hæretic.* de quibus singillatim agimus, vt res planior fiat. Et primò, de credentibus.

Dubitari potest quod attinet ad forum conscientiæ, de quo hîc agimus, quinam per credentes hæreticorum intelligantur. Ad solutionem dubij aduertendum duplici modo accipi posse huiusmodi credentes. Primò, pro iis, qui bonam opinionem de hæreticorum virtutibus, & indole habent, familiariterque cum illis agunt, quin tamen illorum erroribus communicent. Secundò, pro iis, qui illorum erroribus credunt, non explicitè non huic, aut illi illorum errori in particulari, sed implicitè credendo in confuso quidquid circa fidem hæretici ipsi credunt. Primi nec in Bulla cœnæ, nec in iure excommunicantur, secundi verò maximè. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 1. Azor. *tom.* 1. *instit. moralium lib.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 10. Suarez *tom* 5. *in* 3. *part disp* 4 *sect.* 2. *num.* 1. & *disp.* 21. *sect.* 2. *num* 6. Toletus *in summa in bulla cœnæ, excommun.* 1. *num.* 17. Nauarr. *in summa cap.* 27. *num.* 55. Sayro *in thesauro tom.* 1. *lib* 3. *cap.* 5. *n.* 1. Sà *verbo, hæresis. num.* 11. Paludanus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 10. & 15. Vnde credentes, qui hanc censuram incurrunt, hæretici etiam sunt, vt optimè notant Sanchez, Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 5. Toletus *lib.* 1. *summa. cap.* 19 Simancas *de catholic. instit. tit.* 15. & alij citati.

Sanchez. Azor. Suarez. Toletus. Nauarr. Sayr. Sà. Palud. Sanch. Suarez. Tolet. Simancas.

5. Credentes tamen priori modo etsi non comprehendantur in hac excommunicatione, quatenus credentes sunt, si tamen secundùm moralem hominum existimationem reputarentur, perinde esset bonam de iis opinionem concipere, & disseminare, ac illis fauorem, auxiliumve, quatenus sunt hæretici, præstare, sine dubio incurrerent ita credentes excommunicationem eiusdem bullæ cœnæ, sub alia tamen clausula, quatenus scilicet fautores hæreticorum. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 10. *num* 3. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 7. & alij passim. Consentiunt etiam credentes hæreticorum illi, qui frequenter illorum concionibus intersunt: qui verò illis semel interfuit, quamuis non reputetur credens, est tamen de hæresi suspectus, iuxta Santarellum *tract. de hæresi. cap.* 12. *dub.* 4. *num.* 31. *fol. mihi* 141. *col.* 2. Archidiaconus *in cap. Quicunque. de hæreticis in* 6. *num.* 2. Ioan. Andr. *ibi num.* 3. Geminian. *num.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *quæst.* 1. & alij. Quod intellige in iis casibus, in quibus diximus suprà illicitum esse hæreticorum concionibus interesse: neque enim ex actu licito, & honesto suspicio hæresis oriri potest.

Sanchez. Suarez. Santarell. Archidiac. Ioan. Andr. Geminian. Azor.

Receptatores.

Sequitur vt dicamus de receptatoribus. Et in primis sciendum receptatores hæreticorum, vt prædictam excommunicationem incurrant, debere esse receptatores illorum formaliter, & non tantùm materialiter, id est, debere esse receptatores illorum quatenus sunt hæretici. Vnde si quis aliquem hæreticum reciperet, quia infirmus, amicus, consanguineus, & notus est, quamuis in foro soli aliquando præsumeretur excommunicationem, & cæteras iuris pœnas contraxisse, re tamen vera in foro poli illam non contraheret, vt docent communiter Doctores, Caietanus *in summa, verbo, excommunic. cap.* 1. & ibi Fumus *casu* 9 Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2 *art.* 3. *post* 5. *conclusionem casu* 1. Nauar *in summa cap.* 27. *num.* 55. Toletus *in summa bulla cœnæ. excommunic.* 1. *num.* 22. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 10. *num* 4. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 8. Sayrus *in thesauro tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. Rodriguez *in bulla cruciata* §. 9. *num.* 75. Aragon. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3 *paulo post principium.* Sà *in summa in bulla cœnæ. num.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib* 8. *cap.* 15. *quæst.* 2. & 3. Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis* 2. *part. cap.* 1. *verbo, receptatores, initio.* Et ratio est, quia, sicut hæc censura primariò fertur in hæreticos vt hæreticos, ita extenditur ad eorum receptatores, quatenus hæretici sunt. 6.

Caiet. Fumus. Sotus. Nauarr. Tolet. Sanchez. Suarez. Sayrus. Rodriguez. Arag. Sà. Azor. Vgolinus.

7. Dubium tamen est satis celebre, vtrùm sit receptator hæretici vt hæretici, quoad hanc excommunicationis pœnam incurrendam, qui hæreticum, amicum vel consanguineum recipiat, non in iudicis Ecclesiastici, & inquisitoris manus deueniat, non quia est hæreticus, nec ratione hæresis, quam reuera animo execratur, sed quia est amicus, aut consanguineus, atque adeo ratione amicitiæ, & consanguinitatis.

Duplex in hoc dubio sententia. Prima asserit prædictum esse propriè receptatorem hæretici vt hæretici, & incurrere excommunicationem latam in receptatores hæreticorum. Ita Toletus *in excommunicationibus bullæ cœnæ. excommunic.* 1. *num.* 2. & 23. Sayrus *in thesauro tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis* 2. *p. cap.* 1. *verbo, receptatores in fine principij.* & §. 1. *num.* 2. *versic.* 6. *in fine.* Santarellus *tract. de hæresi. cap.* 12. *dub. vnico num.* 4. *folio mihi* 147. *col.* 1. Suarez *de fide disp.* 14. *sect.* 1. *num.* 7. Fundamentum illorum est, quia ad incurrendam hanc censuram non est necessaria intentio fauendi hæresi, aut fauendi homini hæretico eo quòd hæreticus est, satis est quod ipsa receptio redundet per se, & proximè in hæresis fauorem, quamuis motiuum recipiendi, fauendi, aut defendendi non sit hæresis, sed amicitia: ducuntur, quia *in*

Tolet. Sayrus. Vgolinus. Santarell. Suarez.

in l. 2. ff. de receptatoribus. Dicitur consanguineum latronicum receptatione occultantem puniendum esse receptatoris pœna, cum tamen ea receptio non propter furtum, sed propter consanguinitatem censeatur facta.

8. Secunda opinio venit, & probabilior, docet non incurrere hanc excommunicationem illum, qui hominem hæreticum receptat ne in manus Iudicis, aut Inquisitoris veniat, non intentione fauendi hæresi, quam animo detestatur, sed causa amicitiæ, aut consanguinitatis. Fundamentum primum fit. Hæc excommunicatio Bullæ Cœnæ, & iuris non incurritur, nisi à receptatoribus hæretici vt hæreticus est formaliter; atqui vbi non datur intentio fauendi hæresi siue hæretico, eo quia hæreticus est, sed solùm fauēdi personæ alia quacumque de causa, non datur formaliter recipere hæreticum; solum enim recipitur formaliter amicus, vel consanguineus, qui ratione consanguinitatis, vel amicitiæ recipitur; ergo &c.

Secundum fundamentum est. Dicta lex *2. ff. de receptat.* cui innituntur contrarij Doctores, in primis loquitur de foro externo, non interno, deinde potius fauet huic sententiæ, quàm illi aduersatur; dum enim decidit consanguineum receptantem latronis puniendum quidem esse, sed mitiùs, ac proinde non ordinaria receptatoris pœna, sed alia extraordinaria, bene videtur colligi ex ea receptatorem hæretici, non quia hæreticus est, sed quia notus, amicus, aut consanguineus, etiam quando eius receptatio est ne incidat in manus iudicis, non debere incurrere ordinariam pœnam receptatorum hæretici, excommunicationemque, præcipuè cum hæc grauissima pœna sit, sed vt plurimùm puniendum esse alia mitiori pœna, idque in foro externo: pro interno enim, si hæc non incurritur, nulla alia in iure inuenitur ipso facto inflicta. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi l. 2. cap. 10 num. 5.* consentit omnino Simancas *de catholicis instit. tit. 15. num. 21.* vbi asserit filium receptatorem parentis hæretici, aut vxorem viri, aut fratrem fratris, aut consanguineum consanguinei, vel non esse puniendos, vel leuissimâ pœna esse plectendos; cùm eadem enim sunt illos receptare tanquam consanguineos, fratres, parentes, amicus, notos, non tanquam hæreticos: nam si tanquam hæreticos receptent, animo fauendi hæresi & non personæ, ordinariè plectendi sunt, & excommunicationem incurrent; enim verò iura naturæ non facilè exuere possumus, nisi prorsus omnem humanitatem exuamus; plurimum autem amicitiæ, carni, & sanguini tribuendum est. Vnde quantumuis pater, maritus, frater, consanguineus, propinquus, amicus, notus, hæretici sint, nihilominus personæ sunt, quibus iure naturali amicitiæ, consanguinitatis, affinitatis & proximitatis deuinctì sumus: nam, vt ait Cicero de amicitia in Lelio, *Amicitiam natura ipsa peperit cum propinquis.* Apertè etiam pro hac opinione est Emanuel Rodriguez *in bulla Cruciata §. 9. num. 75.* vbi expressè ait tunc solum incurri quando causa illi fauendi, illúmque receptandi est, quia hæreticus est; & idem sentit Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2 art. 3. post. 5. conclus.* vbi ait tunc incurri, quando fauetur hæretico, & receptatur hæreticus ea ratione, qua hæreticus est. Idem Nauar. *in summa lat. cap. 27. num. 55.* vbi ait incurri, quando receptatur vt hæreticus, aut illi fauetur eo respectu, quia hæreticus est, & *lib. 5. consiliorum, tit. de hæreticis in 1. editione toto consilio 12. in 2. consilio 14.* vbi asserit liberantes

Sanchez. Simanc. Cicero. Rodrig. Sotus. Nauar.

Fagundez in Decalog. tom. I.

carcere hæreticum, aut non capientes, vt ex officio tenebantur, tunc tantùm incurrere excommunicationem quando animus fuit fauendi ipsi vt hæretico, quo quid clarius? Idem Caietanus *in summa, verbo, Excommunicatio, cap. 1.* & Aragonius *2. 2. quæst. 11. art. 3. paulo post principium,* quatenus dicunt requiri, vt hæc receptationis, & defensionis beneficia conferantur in hæreticos formaliter, & quia hæretici sunt; tenet etiam hanc opinionem expressè Tiraquel. *de pœnis temperandis, aut remittendis, causa 4. & 22.* & Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 8. cap. 75. quæst. 3.* vbi asserit in foro conscientiæ excusari, si reuera solum tanquam sibi iure amicitiæ deuinctum excepit, non tanquam hæreticum; in foro tamen exteriori haberi tanquam receptatorem, ac proinde tanquam excommunicatum, & in alias iuris pœnas prolapsum.

Caietan. Aragon. Tiraq. Azor.

Nomine autem receptatoris non est intelligendus ille, qui solitus est receptare; neque enim necessaria hîc est multiplicata receptio, sed vnica satis est, si fiat animo fauendi hæretico, vt hæreticus est, & eo solùm, quia talis est, quamuis enim hoc decretum pœnale sit, & attento vocabulo *Receptatoris,* frequens receptio videatur desiderari, tamen intentio legislatoris clara est, vt per eam vocem idem significetur, ac per vocem *Receptatores,* quæ vnica receptione contenta est. Ita docent communiter Doctores Eymiricus *in directorio inquisitorum 2. part. quæst. 51. num. 6.* & ibi Peña *commento 76.* Paludanus *in 4. dist. 13. quæst. 3. art. 1. num. 13.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæst. 3.* Toletus *in summa in Bulla Cœnæ, casu 1. num. 11.* Sanchez *tom. 1. Decalogi. lib. 2. cap. 10. num. 10.* & Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis cap. 1. verbo, Receptatores, §. 1. num. 2.* vbi multos refert, ac sequitur. Santarellus *tract. 1. de hæresi cap. 12. dub. vnico.* Suarez *de fide, disput. 29. sect. 1. num. 4* Saytus *lib 4. thesaur. cap. 5. num. 3.* & alij multi, quos citat, ac sequitur Santarellus allegatus. 9.

Eymiricus. Peña. Palud. Azor. Toletus. Sanchez. Vgolinus. Santarel. Suar. Saytus.

Ex dictis inferes illum, qui patrem, matrem, vxorem, fratrem, sororem, amicum, aut proximum recipit, defendit, aut eis fauotem, aut auxilium præstat ne in manus inquisitorum, aut iustitiæ deueniat animo fauendi hæresi illorum, & eo præcisè, quia sunt hæretici, & non animo fauendi personæ amicæ, aut causa amicitiæ, consanguinitatis, aut propinquitatis hanc excommunicationem incurrere: nam in nullo euentu licitum est fauere hæretico quatenus hæreticus est, etiam pater, amicus, frater, aut propinquus, & ideo in foro conscientiæ nemo ab hac excommunicatione liberatur. Ita docet Santarellus *tract. de hæresi. cap. 12. dub. vnico, ad medium, folio mihi 145. col. 1.* Peña *in directorio part. 2. quæst. 56. commento 81.* Menoch. *de arb. lib. 2. casu 548. num. 8.* Zanchinus *tract. de hæreticis, cap. 4. num. 3. & cap. 6. num. 3.* Calderinus *tract. de hæreticis. tit. de hæreticis credentibus, num. 1.* & alij, quos citat Santarellus allegatus. Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 10. num 8.* & quanuis Simancas *de catholicis instit. tit. 15. num. 11 initio,* & Axor. *tom. 1. num. 8. cap. 15. quæst. 4.* asserant eos, qui patrem hæreticum, vxorem, fratrem, aut sororem scienter recipiunt, aut non esse puniendos, aut leuissima pœna esse puniendos, quoniam naturæ iura non sunt hæreticis deneganda, cum illa exuere non possimus, quin prorsus omnem humanitatem exuamus, & iura naturæ sint fortiora, & antiquiora cæteris legibus; tamen non declarant, 10.

Santarell. Peña. Menoch. Zanchinus. Calderinus. Sanchez. Simanc. Azor.

an id intelligendum sit de illis, qui recipiunt parentes, amicos, propinquos, sorores, & fratres hæreticos animo fauedi illorum hæresi, & eò præcisè, quia hæretici sunt, an solùm animo fauedi personis, non hæresi illarum: stat enim posse quem scire has personas esse hæreticas, & eas recipere non causa hæresis, quam fortè animo execrantur, sed causa propinquitatis, consanguinitatis, aut amicitiæ; quare vel illi intelligendi sunt de illis, qui istos recipiunt causa amicitiæ, quanuis sciant eos esse hæreticos; sed non causa, & animo fauendi hæresi, & tunc optimè dicunt vel non esse illos plectendos, vel non nisi leuissima pœna, aliaue extraordinaria plectendos esse iuxta ea quæ diximus numero præcedenti; & falsum. Simanc. Simancas allegatus *dicto num. 11. in fine*, loquendo speciatim de consanguineis bene in hoc sensu se locutum fuisse declarat, dum ita asserit: *credendi enim sunt isti receptare consanguineos tanquam consanguineos non tanquam hæreticos*; vel intelligendi sunt de illis, qui recipiunt patres, sorores, fratres, aut vxores sciendo esse hæreticos, & causa hæresis, & quatenus hæretici sunt, non consanguinitatis (quod ego de illis non credo) & tunc quidem si velint illos excusare à pœnis ordinariis, id erit in foro externo propter præsumptionem animi, quia fortè præsumi debet in foro externo eam receptionem, & fauorem fuisse illis præstitum causa propinquitatis, non animo fauendi hæresi; tamen vt bene docet Sanchez allegatus si constet in foro externo patres hæreticos fuisse receptos à filiis causa hæresis & animo fuendi illos in hæresi, sine dubio incurrent excommunicationem Bullæ Cœnæ, siquidem in nullo euentu licitum esse potest potest fauere, aut recipere hæreticos, etiam patres, maritum, aut consanguineos causa fauendi hæresi illorum, vt iam diximus.

11. Dubitabis tamen an qui hæreticum recipit, aut fauet metu mortis, & ne ab eo, vel alio illius causa occidatur, excommunicationem, & iuris pœnas incurrat? Respondeo non incurrere, quia leges humanæ non obligant cum certo, aut probabili vitæ periculo; & qui metu mortis hæreticum recipit, non censetur illum recipere tanquam hæreticuum, aut causa hæresis, sed causa vitæ tuendæ, & conseruandæ. Ita docet Azor. Azor. Sanchez. *tom. 1. lib 8 cap. 15. quæst. 5.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 10. num. 8.* qui bene ibidem addit non posse vim inferri, vt quis recipiat hæreticum quia hæreticus est, & ratione hæresis, quia cum animus occultus omnino sit, facilè illudi posset qui vim inferret, fingendo se recipere animo fauendi hæresi, cum tamen id faciat alia de causa, quod licebit, nisi timeatur scandalum, aut graue aliud damnum, vt communiter timeri debet vtendo amphibologia.

12. Ex dictis colligitur non necesse esse, vt receptor hæreticorum sit formaliter hæreticus, vt hanc pœnam excommunicationis incurrat. Bene enim potest catholicus manens catholicus intuitu hæresis aliquem recipere, & nolle fauere illius hæresi, vt patet: vnde si receptator hæretici simul hæreticus sit, duplici excommunicatione innodabitur; altera, quia hæreticus; altera, quia receptator hæreticorum est, & ita docet, & bene Vgolinus Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis 2. part. cap. 1. verbo, Receptatores. §. 1. num. 1.*

13. Vgolinus. Non bene tamen ipse Vgolinus dicto verbo *Receptatores. §. 2. in fine.* assent ad hanc excommunicationem incurrendam desiderari, vt hæreticus receptatus sit denonciatus de excommunicatione ob hæresim incursa propter priuilegium extrauagantis Martini V. & concilij Constantiensis solos excommunicatos vitari iubentis: satis enim est, vt receptans, vel fauens, sciat illum esse hæreticum, & animo, intuitu, atque intentione fauendi hæresi illum recipiat, quia non prohibetur receptio sub excommunicatione in iure, & Bulla Cœnæ, quoniam esset participatio cum excommunicato, sed solummodo quia est receptio hæretici, vt hæreticus est. Vnde etsi hæreticus ille non esset excommunicatus eo quod v.g. ignoraret censuram, adhuc illum recipiens, vt hæreticus est, incurreret hanc censuram, & ita docent optimè Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 2. n. 9.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 1. num. 6.* & communis omnium sententia. Suarez. Sanchez.

Sed dubitabis adhuc, an receptatores hæreticorum incurrant hanc censuram effectu non sequuto, v.c. recipiunt hæreticum animo vt illum occultent, ne capiatur, vt sic possit suos errores disseminare, non tamen eum effectu impedimento fuerunt, ne caperetur, sed reuera captus est; quæro an receptores isti hanc censuram incurrant? Sayrus *in thesauro tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 4.* docet valde probabile esse incurrere illos vtramque censuram, & iure communi, & Bulla Cœnæ contentam. De censura iure communi probat, quia *in capite, sicut. de hæreticis.* videntur hi receptatores, & defensores principaliter excommunicati, & nó accessoriè, & ratione hæreticorum. De censura Bullæ Cœnæ probat, quia cum Ecclesia hos receptatores, & fautores ingenti odio prosequatur, verisimile est Summum Pontificem voluisse eos excommunicare, qui hos receptant solo intuitu fauendi hæresi, etiamsi non sequatur effectus talis receptionis, v.g. etiamsi ratione talis receptionis non disseminauerint hæresim, vel iudicem effugerint. 14. Saytus.

Secunda sententia probabilior docet neutram eos excommunicationem incurrere, impedimento comprehensionis non secuto; quia censura Bullæ Cœnæ primariò, ac principaliter fertur in hæreticos, & propter illos, & quasi accessoriè derivatur, & quasi extenditur ad fautores, defensores, & receptatores illorum, vt optimè docet Suarez *tom. 5. in 3. part disp. 21. sect. 2. num. 8.* & nos diximus *n. 3. huius capitis*; constatque ex tenore ipso Bullæ Cœnæ excommunicantis hæreticos primo loco, & dinceps in illorum odiū reliquos fautores, & receptatores &c. Qui quidem tenor similiter seruatur in iure excommunicando primò hæreticos ipsos, deinde illorum credentes, fautores, & receptores in illorum odium; at vbi primò, & principaliter aliquis excommunicatur, & accessoriè, & propter illum omnes illi fauentes, illumque recipientes, & consulentes, hi non incurrunt effectu consilij, fauoris, aut receptionis non secuto; quare etsi illum occultauerint, & illi fauorem præstiterint, si tamen fuit captus, non incurrunt hanc excommunicationem, quia non fuit secutus effectus suæ receptionis, & fauoris; fauor enim & occultatio erat ne caperetur, si tamen ob talem occultationem, & fauorem, aut receptionem non fuit captus, manent excommunicati, quia effectus prædictæ receptationis, fauoris, & defensionis fuit secutus, vt docet Sanchez, & bene *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 10. num. 9.* & est communis. Sic qui excommunicantur, si occidant, si mutilent, quanuis percutiant, si tamen effectus mutilationis, & homicidij 15 Suarez. Sanch.

micidij non fuit fecutus, non incurrunt excommunicationem, vt patet.

CAPVT XIII.

De fautoribus, & defenforibus hæreticorum, quatenus excommunicentur in iure, & in Bulla Cœnæ.

SVMMARIVM.

Quid nomine fautoris hæreticorum intelligatur. num.1.

An dicantur fautores magiſtratus ciuiles, qui requiſiti ab Inquiſitoribus nolunt hæreticos comprehendere, aut in carcere retinere, aut cuſtodire. num.2.

An Inquiſitores, vel Prælati non capientes, torquentes, aut non punientes, & ſeruantes captos. num.3.

An familiares ſancti officij non capientes hæreticos. ibidem.

Quid ſi hæc facere omittant non intuitu hæreſis, ſed affectu carnali, aut amicitia. num.4.

An dicantur fautores Gubernatores, & omnes illi requiſiti ab Inquiſitoribus, vel Prælatis, qui non capiunt ſuſpectos de hæreſi, & voluntariè perſeuerantes per annum in excommunicatione. n.5.

Aduocati, notarij & cæteri miniſtri iuſtitiæ an fautores ſint, ſi negligant hæreticos accuſare, & comprehendere eò prætextu, quòd hæretici ſint. numero 6.

Quando perſona priuata ex ſola omiſſione dicantur fauere eò quod non denuncient hæreticos, aut rogati nolint contra illos teſtificari, & veritatem negent. à num.7 vſque ad 12.

Quando perſona publica, & priuata commiſſione dicantur fauere hæreticis. num.13. 14. & 15.

An fauentes hæretico mortuo, & eum ſepelientes, fautores dicantur, & excommunicatione Bullæ Cœnæ ligentur. num.16.

Defenſores hæreticorum qui dicantur, & in quo diſtent à fautoribus? num.17. & 18.

Tales dicuntur qui in armis, potentia, fauore, arce, conſilio, & authoritate hæreticos defendunt cauſa fauendi hæreſi. ibid.

An hæreticum defendens contra vim ab aliquo ei illatam, defenſor illius dicatur, & excommunicationem incurrat? num.19.

Fautores.

1. FAVTORES hæreticorum dicuntur, qui fauore, gratia, opibus, aut quouis alio modo hæreticis vt hæretici ſunt, fauent ne à iuſtitiæ miniſtris comprehendantur, aut comprehenſi puniantur, vel quoquo modo illis opem præſtent in ſua hæreſi tuenda, aut edocenda. Ita Sayrus *tom.1. in theſauro lib.3. cap.5. num. 6.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num 11.* Tabiena *verbo, Excommunicatio.5. n.9. verſu 8.* Syluester *verbo, Hæreſis. num.10. quæſt.7.* & alij. (Sayrus. Sanchez. Tabiena. Syluest.)

2. Duobus autem modis fieri poteſt, vt quis fautor hæreticorum ſit quantum ad hanc excommunicationem incurrendam attinet; nempe, aut poſitiuè, ſiue quod idem eſt, commiſſione, aut negatiuè, ſiue omiſſione. Omiſſione autem dicuntur hæreticorum fautores, gubernatores, & magiſtratus, qui cum ratione officij, & perſonæ publicæ, quam gerunt contra hæreticos facere teneantur, hoc negligunt, & omittunt ipſius hæreſis intuitu, & illius tuendæ cauſa; v. g. ſi requiſiti ab Epiſcopis, vel Inquiſitoribus negligunt hæreticos capere, vel captos cautè cuſtodire, brachio ſæculari traditos punire, idque intuitu hæreſis. Patet ex *cap. Ad abolendam.* & ex *cap. Excommunicamus. de hæreticis.* Non ſolùm verò ſupradicti excommunicati ſunt ipſo facto, ſed vlteriùs etiam ſuſpecti de hæreſi habentur, argumento capitis. *qui alios. de hæreticis.* & 2. *quæſt.7. cap. Negligenter:* vnde *in cap. Qui poteſt.23.* dicitur. *Qui poteſt obuiare, & perturbare peruerſos, & non facit, nihil aliud eſt, quàm fauere eorum impietati; non enim caret ſcrupulo ſocietatis occultæ qui manifeſtis criminibus deſinit obuiare.* Et ita docent communiter Doctores, Sanchez *tom. 1. Decalogi lib.2. cap. 10. num. 11.* Sanchez. Toletus *lib.4 ſummæ cap.5. num.3. & in Bulla Cœnæ caſu 1. num.10* Azor. *tom.1. lib.8. inſtit.moral. cap. 15. quæſt. 7.* Toler. Azor. Sayrus *in theſauro tom. 1. lib.3. cap. 5. num. 7.* Sayrus. Vgolinus *de cenſuris Papæ reſeruatis. 2. part. cap.1. verbo, fautores. in principio. à num.1. vſque ad 10.* Vgolinus. Viualdus *in expoſit. Bullæ Cœnæ. num.4.* Viuald. & hi alios referunt, ac ſequuntur.

Hinc deducitur primò, eandem excommunicationem incurrere Inquiſitores, Prælatos, & alios miniſtros ſancti officij, quos familiares appellamus, qui hæreticos comprehendere, fideli carcere cuſtodire, punire, ſiue quocumque alio modo contra ipſos procedere, vt tenentur, omittunt, ſi hæc cauſa tuendæ hæreſis facere omittant. 3. Ita Sayrus *tom.1. theſaur. lib.2. cap.5. num.7.* Sayrus. Sanchez *tom.1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num. 12. & 13.* Sanchez. Simancas *in Enchirid. iudicum. tit.15. n.3.* Simancas. Enchirid. Penna *commento 38.* Penna. Santarellus *tract. de hæreſi. cap.11. dub.1. num.3. cap.4.* Santarel. Quæ diximus de ſupradictis, dicendum etiam de aduocatis, notariis, appatitoribus, & ſimilibus ſi omittant quæ contra hæreticos ex officio præſtare tenentur. Ita citati.

Dixi, *ſi hæc facere omittant intuitu hæreſis, & cauſa fauendi hæreſi,* quia, vt docent Archidiaconus in cap. *Quicumque de hæreticis. lib. 6.* & 8. Archidiac. Syluester *verbo, hæreſis 1. num.10. quæſt.7.* & Sayro *tom.1. theſaur. lib.3. cap.5. num.7.* Syluest. Sayrus. ſi ex negligentia, auaritia, amicitia, vel amore, & affectu quodam carnali ipſius perſonæ hæc, & alia ad eorum officia ſpectantia facere omittant, non ſunt verè fautores, nec excommunicationem Bullæ Cœnæ, aut iuris incurrunt, vt capite præcedenti *num.7.* diximus: nec etiam illi, qui ex quadam commiſeratione naturali hæc facere omittunt, quamuis aliunde ex officio contra hæreticos procedere tenerentur. Ita Santarellus allegatus *num. ſuo 17.* Santarel. Ogidphis *lib.4. cap.18. num.2.* Ogidphis. & aliqui allegati.

Quid ſi Gubernatores, & alij magiſtratus, & officiales, qui requiſiti ab Epiſcopo, vel Inquiſitore negligant capere, vel in carcere retinere perſeuerantes in excommunicatione per annum, idque faciant animo fauendi illis, quatenus de hæreſi ſuſpecti ſunt, incurrerent ne excommunicationem hanc receptatorum hæreticorum? 5. Nauarr. *in 1. edit. conſilio 11. per totum; in poſtrema toto conſilio 14.* tuetur partem affirmatiuam. Contrarium exiſtimat Sanchez *tom.1. Decalogi. lib.2. cap. 10. num. 14.* Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp.21. ſect.2. num.14.* Ratio eſt, quia Bulla Cœnæ, & iura ſupradicta ſolum loquuntur de

fautoribus hæreticorum; insurdescentes in excommunicatione per annum non sunt hæretici, sed tantùm de hæresi suspecti; ergo eorum receptatores non incurrunt excommunicationem. Consequentia valet, quia sumus in lege pœnali, quæ neque ad similes casus extenditur. Notat
Nauarr. Nauarrus *in summa lat. cap. 27. num. 55.* Magos olim comprehensos fuisse in Bulla Cœnæ Pij V. & incurrere etiam excommunicationem candem eum hæreticis, ac proinde receptatores eorum incurrisse etiam excommunicationem receptatorum hæretici; at hodie cum in Bulla Cœnæ non exprimantur magi, neque ipsi, neque eorum receptatores excommunicationem incurrent.

7. An personæ priuatæ ex sola omissione reputentur fautores hæreticorum, ac proinde incurrant excommunicationem fautorum hæretici? Dubium est, quod negatione dissoluunt Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num. 15.* Eymiricus *in directorio inquisit. 2 part. quæst. 53. num. 1.* & ibi Penna *commento 78.* Sayro *in thesauro tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 7 ad finem.* Toletus *lib. 4. summæ c. 5. num. 31 & in Bulla Cœnæ casu 1. num. 10.* Azor. *tom. 1. lib. 8. instit. moral. cap. 15. quæst. 7.* Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis 2. part. cap. 1. verbo, fautores. in principio à num. 1. vsque ad 10.* Quod verum habet, si quattuor casus excipias, quos suo ordine proponam, & confirmabo.

(Sanchez. Eymiric. Peña. Sayrus. Tolet. Azor. Vgolin.)

8. Primus casus, in quo personæ priuatæ ex omissione censuram latam in bulla cœnæ contra fautores hæreticorum incurrunt, est, si testes iuridicè, & legitimè examinati contra aliquem in causa hæresis intuitu fauendi hæresi, & hæretico quatenus talis est, taceant, dissimuleot, aut veritatem negent. Ratio est, quia ex quo legitimè examinantur, de iustitia veritatem dicere, ac fateri tenentur, & contra iustitiam, si non fatentur, delinquunt: ita Sayrus *tom. 1. thesauro. lib. 3. cap. 5. num. 7.* Syluester *verbo, Heresis 1. num. 7. in fine.* Penna *dicto commento 78.* Angelus *verbo, Hæresis nu. 14.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num. 15. vers. Tertius est,* Santarellus *tract. de heresi. cap. 11. dub. 1. num. 5. folio mihi 132. col. 2.*

(Sayrus. Syluest. Peña. Angelus. Sanchez. Santarel.)

9. Secundus casus, quando ex speciali iuramento tenetur persona aliqua priuata hæreticum capere, aut indicare, v. g. quia Inquisitores hoc iuramentum ab aliquo petierunt. Ratio est, quia Inquisitores per tale iuramentum ius iustitiæ acquisierunt, vt sibi fides data præstaretur. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num. .. versu, Quartus est.* Angelus *verbo, Heresis. num. 24.* Syluester *verbo, Heresis 1. num. 7.* D. Anton. *3. part. tit. 4. cap. 5.* Toledo *in summa in bulla cœna. excommun. 1. num. 10.* Aliter omnino dicendum, quando soli Deo voto, aut iuramento quis se astringeret capiendi, aut indicandi hæreticos, quia tunc votum, aut iuramentum violans solùs religionis transgressor est, non verò iustitiæ. Imò idem dicendum, si iuramentum præstaretur homini, cuius non interest captura hæretici, quia adhuc non violaretur ius iustitiæ, sed solius religionis: ita Sanchez cit.

(Sanchez. Angel. Syluest. D. Antonin. Tolet.)

10. Tertius est, quando siue personæ publicæ, siue priuatæ iussæ per Inquisitorum edicta hæreticos denunciare, id omittunt gratia fauendi hæresi. Ratio eadem est, quia contra iustitiam ij etiam peccant. Ita Zanchinus *de hæreticis. cap. 5. num. 4.* Penna *dicto commento 78.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi. lib. 2. cap. 10. num. 15. fine,* & mihi placet.

(Zanchin. Peña. Sanchez.)

Quartus est, quando priuatis hominibus à magistratibus aliquid iniunctum fuerit aduersus hæreticos, vt si requisiti sint ad præstandum auxilium ad capiendos hæreticos, ipsi verò id omittant intuitu fauendi hæresi illorum, quia tunc quod iubentur iuridicè, tenentur ex iustitia præstare. Ita contra Eymiricum *in direct. 2. part. quæst. 53. num. 3.* docet ibi Peña *in commento 78.* Brunus *lib. 1. de heretic. cap. 4* Simancas *in Enchirid. iudicum. tit. 15. num. 3. & de catholicis institit. tit. 15. num. 13.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num. 15. versu. Secundus est.* 11.

(Eymiric. Peña. Brunus. Simanc. Sanchez.)

Sunt qui addunt quintum casum, quando scilicet, priuatæ personæ dolosè omittunt iudicare, aut capere hæreticum, eò quòd dolus nemini patrocinari debeat. Ita Angelus *verb. Heresis num. 24.* Syluester *verbo, Heresis 1. quæst. 7.* Sayrus *tom. 1. thesaur. lib. 3. cap. 5. num. 7. in fine.* Sed reuera solus dolus non efficit, vt hi contra iustitiam peccent; atque adeo quemadmodum omissio illa dolosa non reputatur in eis iniustitia, ita etiam propter illam non sunt dicendi hanc excommunicationem incurrere. 12.

(Angelus. Syluest. Sayrus.)

Commissione dicuntur, & possunt fauere hæreticis tam magistratus, quàm priuati homines duobus modis: primo dictis, secundo factis. Dictis, eos laudando solùm, quia hæretici sunt, dicendo v. e. eos esse viros probos, sanctos, pios, innocentes; aut iniustè damnatos, vel consilium dando, vt incolumes è manu iudicis euadant, aut viam euadendi docendo &c. Item si pro eis intercedant, ne puniantur, aut eis reuelent accusatores, denunciatores, testes, aut similia, quibus iustam sententiam euadant. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num. 16.* Sayro *tom. 1. thesauri. lib. 3. cap. 5. num. 8.* 13.

Factis, vt si eos comitentur, visitent, subministrent alimenta, pecunias, rumpant, abscondant, falsificent, retardent processum contra eos formatum, aut quouis alio modo efficiant, vt euadant manus iudicis, aut iustam sententiam, & pœnas effugiant. Ita Zanchin. *de hæreticis. cap. 5. num. 5. & 6.* Toletus *in summa in Bulla Cœnæ. excom. 1. num. 10.* Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis. 2. part cap. 1. verbo, fautores. in principio à num. 1. vsque ad finem,* Sanchez *num. præcedenti allegatus.* 14.

(Zanchin. Tolet. Vgolin. Sanchez.)

Fautores item hæreticorum habendi sunt, & vt tales excommunicationem latam contra fautores hæreticorum incurrunt conferentes illis beneficia, honores, dignitates siue ciuiles, siue Ecclesiasticas, quique eis munera donant absque vlla honesta causa, qua excusentur, sed solùm quia sunt hæretici, v. g. vt eis in suis erroribus faueant. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num. 16.* Peña *in directorio inquisitor. 3. part. q. 113. commento 162.* vbi citat pro se Libertinum, Ioannem Andream, Dominicum, & Archidiaconum. Sayrus *tom. 1. thesauri. lib. 3. cap. 5. num 8.* 15.

(Sanchez. Penna. Sayrus.)

Non solùm qui viuis, sed etiam qui emortuis fauent hæreticis eò solum quia hæretici sunt, & animo fauendi hæresi fautores hæreticorum censentur: vnde si quis impediret Inquisitores aut Prælatos ne contra hæreticum mortuum procedant, vel vocatus in testem eius delictum negaret, excommunicationem latam contra fautores hæreticorum incurreret. Ita Vgolinus *dicto verbo. fautores, §. 1. num. 1. versu 3.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 10. num. 17.* Ratio est, quia satis est fauorem ei, licet iam mortuo, ratione hæresis præstare, adhuc enim qui ita faueret, hære- 16.

(Vgol. Sayrus.)

tico

tico formaliter fauere diceretur; eadem de causa addit Vgolinus *eodem verbo num.* 18. existimandum fautorem hæretici, qui illius cadauer causa fauendi hæresi sepelisset, cui cum Sancio citato subscribo.

Defensores.

17. Vgolinus. Quæ diximus de fautoribus hæreticorum cum proportione applicanda sunt ad defensores: nam vt optimè Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis* 2. *p. cap.* 1. *ver. & generaliter quoslibet eorum defensores, num.* 1. aduertit; defensores hæreticorum ab eorum fautoribus, vt inferius à superiore tantùm differunt; omnis enim defensor est fautor, non verò è contra omnis fautor est defensor. Defensores igitur hæreticorum, qui excommunicatione Bullæ Cœnæ ligantur, sunt, qui vi, potentia, armis, precibus, authoritate, aut quouis alio modo tuentur hæreticos eo solùm, quia hæretici sunt, vt tutò viuant, & ne in manus iudicis deueniant, vt capti euadant, & vt contra eos non fiat executio iustitiæ, idque siue in iudicio, siue extra iudicium faciant dummodo faciant, vt dixi, quia hæretici sunt, & causa, & intuitu fauendi hæresi. Ita Eymiticus *in director. inquisitor.* 2. *part. quæst.* 52. & ibidem latè Peña *commento* 77. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib. cap.* 1. *num.* 18. Saytus *tom.* 1. *thesaur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. vbi citat Archidiaconum. D. Antoninum, & Syluestrum, Toletus *in sum. in* 1. *excommun. Bullæ Cœnæ, n.* 18. *&* 19. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *quæst.* 6. Vgolinus *suprà.*

(Eymiticus. Peña. Sanchez. Saytus. Toletus. Azor. Vgolinus.)

Vt defensores hæreticorum, excommunicationem incurrunt etiam aduocati, notarij, & tabelliones, qui illorum patrocinium suscipiunt, instrumenta conficiunt, testium dicta in defensionem illorum, & illorum causas excipiunt, & quouis alio modo, arte, litteris & industria protegunt quatenus hæretici sunt: Ita Saytus *tom.* 1. *thesaur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 9 *fine.* Vivaldus *in expositione Bullæ Cœnæ, num.* 7. Paludanus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 3. *artic.* 1. *conclus.* 7. & omnes numero præcedenti allegati, & Hostiensis *in cap. si aduersus, de hæreticis, num.* 1. Zabarella *ibi num.* 3. Santarellus *tract.* 1. *de hæresi cap.* 11. *dub.* 2. *num.* 23. *folio mihi* 135. *col.* 2.

(Saytus. Viualdus. Paludanus. Hostiensis. Zabarella. Santarell.)

18. Aliter dicendum de iis, qui hæreticum defendunt contra vim illi à priuato homine illatam, & de aduocatis, notariis, aut tabellionibus, qui illos tuentur, & eorum patrocinia suscipiunt in causa ciuili, vel criminali extra hæresim, non quia hæretici sunt, sed quia proximi sunt; hoc enim non est formaliter defendere hæreticum, sed proximum. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 19. Toletus *in summa in* 1. *excomm. Bullæ Cœnæ num.* 7. Saytus *tom.* 1. *thesaur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. Quod si hæc præstent animo fauendi hæresi, non euadent excommunicationem, vt supradictum est de recipientibus hæreticos in domum, vel ciuitatem. Ita Sanchez *suprà.* Santarellus *tractatu de hæresi, cap.* 11. *dub.* 2. *num.* 26. *folio mihi* 140. *col.* 2. Toletus *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 4. Angelus *verbo hæresis num.* 23. Nauar. *in manuali cap.* 27. *num.* 56. Caietanus *verbo excommunicatio. cap.* 1. Quod intelligo dummodo intentionem suam externùs exprimant; quia defensio prædicta per se non satis est ad illum manifestandum; est enim actio de se bona, & non ordinata ad defensionem hæretici quia hæreticus est. Et idem dicendum de aliis requisitis, scilicet quod sequatur effectus.

(Sanchez. Toletus. Saytus. Sanchez. Santarell. Toletus. Angelus. Nauarr. Caietan.)

Caput XIV.

De legentibus, & imprimentibus, & defendentibus libros hæreticorum, quatenus excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrant.

SVMMARIVM.

Hæreticorum.

IN eadem Bulla Cœnæ eodem §. excommunicantur legentes hæreticorum libros. Quæ excommunicatio primò posita fuit in Bulla Iulij III. Cum limitatione tamen; neque enim in ea comprehendebantur, nisi legentes libros Lutheri, & aliorum hæreti- 1.

eorum eiusdem sectæ; postea cum multæ hæreses pullularent, ad omnes hæreticorum libros ob eandem causam à reliquis Summis Pontificibus meritissimò extensa est, & vlterius continetur in indice librorum prohibitorum iussu Pij V. editi. Olim verò licet lectio librorum hæreticorum prohibita fuerit, vt constat ex *cap. nullus 3. q. 4. & cap. fraternitatis* & ibid. Glos *in ver. Cælestinus, de hæret.* nulla tamen censura in legentes tales libros ipso iure ferebatur.

2. Quatuor conditiones necessariò requiruntur in Bulla Cœnæ, vt prædicta excommunicatio incurratur. Prima est, vt libri sint hominum hæreticorum. Secunda, vt contineant hæresim, vel de religione tractent. Tertia, vt scienter huiusmodi libri legantur, retineantur, imprimantur, aut defendantur. Quarta, vt fiat sine debita licentia. Antequam de singulis conditionibus agamus, expedienda quæstio est,

3. Vgolinus. Toletus.
Vtrùm ab incurrenda excommunicatione Bullæ, & indicis librorum prohibitorum, atque à peccato mortali excuset paruitas materiæ? Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis 2. part. verb. ac eorundem libros*, §. 1. *vers.* 8. & Toletus *in summa in Bulla Cœnæ, excomm. 1. num.* 24. quamuis in summa typis mandata Lugduni, & Mediolani id non reperiatur in Toleti summa, negant dari in hac re materiæ paruitatem, ac proinde nullam paruitatem materiæ. Totum eorum fundamentum situm est in verbo illo, *quomodolibet*, quod illi intelligunt aptandum esse non solùm defendentibus, sed etiam legentibus, retinentibus, imprimentibus, ita vt sensus sit, *quomodolibet defendentes, vel legentes, vel retinentes.* Constans tamen opinio Doctorum affirmat dari in hac etiam re materiæ paruitatem, eámque excusare à censura prædicta incurrenda. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num. 31.* & Sayrus *tom. 1. thesauri lib. 3. cap. 5. num. 12. §. alij tamen.* Vivaldus *in expositione Bullæ Cœnæ, num. 11.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 16. q. 3.* Emmanuel Rodriguez *in expositione Bullæ Cruciatæ, § 9. num. 68. fine.* Sà *in summa verbo, excommunicatio in Bulla Cœnæ, num. 2.* & alij. Ratio eorum est. In aliis rebus paruitas materiæ à mortali, & excommunicatione incurrenda excusat; ergo in hac quoque excusabit; neque enim assignabitur maior ratio.
Sanchez. Sayrus. Viualdus. Azor. Rodrig. Sà.

4. In assignanda paruitate materiæ maior est difficultas, in qua mihi magis placet sententia Sanchez, Emmanuelis Rodriguez, Viualdi, & Sa, asserentium esse vnam solam paginam, quod bene explicat Sanchez etiam quando liber fuerit ex voluminibus magnis, quæ vulgò vocantur *de Marca mayor.* Ratio est, quia minor quantitas videtur insufficiens (quidquid dicat Suarez *de fide, disp. 20. sect. 2. num. 20.*) ad peccatum mortale, & tam grauem censuram incurrendam. Et qui minus legit, non videtur legere librum hæretici, vt loquitur Bulla Cœnæ. Neque hoc metiendum est ex periculo, vt vult Becanus *in 2 part. summæ cap. 15. quæst. 8. num. 8.* Ratio est, quia excommunicatio non fertur ratione periculi vniuscuiusque particularis, sed communis; vnde nimis rigorosè loquuntur Azor, & Sayrus citati; ille dum ait sufficere pauca verba, hic dum solùm requirit decem lineas.
Suarez. Becanus.

5. Prima igitur conditio in Bulla Cœnæ requisita ad hanc excommunicationem incurrendam, erat, vt libri sint hominum hæreticorum. Ex ea colligitur primò eos, qui legunt, retinent, vel imprimunt, aut defendunt libros infidelium, gentilium, Maurorum, etiamsi hæreses, & errores contra fidem contineant, non incurrere excommunicationem prædictam. Probatur, quia non sunt hæretici; ergo qui eorum libros legit, non legit libros hæreticorum, ac proinde non incurrit excommunicationem legentium libros hæreticorum. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi. lib. 2. cap. 50. num. 22.* & Vgolinus *de casibus Papæ reseruatis. 2. part. cap. 1. verbo, Ac eorum libros* §. 1. *num.* 3. Id etiam extendit Sanchez ad eos, qui legunt libros Cathecumenorum, qui à fide recesserunt, quia hi non sunt verè hæretici, vel si sunt, vt cum Castro *lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap.* 8. Suario & aliis diximus, non incurrunt tamen excommunicationem Bullæ Cœnæ: neque enim vt ibi probauimus iurisdictioni Ecclesiæ subsunt, cum nondum intra Ecclesiam sint, siquidem eius portam per baptismum non sunt ingressi. Ergo cum Pontifices in Bulla Cœnæ solùm probibeant sub excommunicatione legere libros eorum hæreticorum, in quos fulminant excommunicationem, bene sequitur quòd eam non incurrant legentes libros catechumenorum, qui à fide recesserunt.
Sanchez. Vgolinus. Castro.

6. Colligitur secundò, non comprehendi in hac excommunicatione legentem librum hominis catholici etiamsi in eo sint inserti errores alicuius hæretici, idque etiamsi solùm in eo sententias, & errores hæreticorum legat & præcipua legentis intentio fuerit errores hæretici scire, & cognoscere, quia is liber non est hominis hæretici, nec punitur in hac excommunicatione affectus sciendi, sed factum ipsum legendi libros hæreticorum. Ita Nauarr. *in summa cap. 27. num. 56.* Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 10. num. 23.* Vgolinus *de casibus Papæ reseruatis 2. part. cap. 1. verbo, ac eorum libros.* §. 1. *num. 1. versiculo 3.* Sayrus *tom. 1. thesaur. lib. 3. cap. 5. num. 13* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 2.* Santarellus *tract. de hæresi. cap. 13. dub. vnico num. 3. folio mihi 151. col. 1.* Emmanuel Rodrig. *in Bulla Cruciatæ* §. 9. *n.* 78. & Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 2. num.* 10. nihil tamen loquitur Suarez de eo casu, in quo quis eos libros legit ea præcipua intentione, vt in eo errores hæreticorum sciat.
Nauarr. Sanchez. Vgolinus. Sayrus. Azor. Santarell. Rodrig. Suarez.

7. Colliges tertiò, non comprehendi etiam illum, qui libros catholici hominis legit, in quo sint multæ hæreses, quas auctor catholicus ob inscitiam, & ignorantiam dixit, quia adhuc non est liber hæreticus. Ita Sanchez modò allegatus *num.* 24. & Vgolinus: non tamen opus est, vt hæreticus sit ab Ecclesia de hæresi damnatus; sufficit enim si constet auctorem libri esse hæreticum, quamuis adhuc de hæresi damnatus non sit. Vnde quamuis libri Erasmi multis hæresibus scateant, si tamen non constet illorum auctorem fuisse hæreticum, non incurret hanc censuram Bullæ Cœnæ ille, qui illos legerit iuxta Sancium allegatum *dicto tom. 1. Decalogi, lib 2. cap. 1. n.* 24. licet incurrat aliam impositam in indice librorum prohibitorum, dum non fuerit expurgatus. Vnde non placet Graphis 1. *part. decisionum aur. lib 4. cap. 18. num. 40. & 43.* asserens opus esse vt liber sit hæretici condemnati; sufficit enim si sit hominis, qui publicè hæreticus & credatur, & habeatur, vt dixi.
Sancius. Graphis.

Hinc si liber cuiuscumque sit auctoris, aliàs sit sub excommunicatione prohibitus, illum legens, retinens, aut imprimens, non incurret hanc censuram Bullæ Cœnæ, incurret tamen aliam censuram contentam in catalogo librorum probibitorum,

rum,

Sanchez. Graphis. Tolet. Sayrus. Vgolin. Nauarr. Rodrig.

rum, quæ nulli reſeruata eſt. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2 *cap.* 10. *num.* 26. Graphis allegatus, Toletus *in ſumma Bullæ Cœnæ. excomm.* 1. *num.* 25. Sayrus *tom.* 1. *theſauri lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 15. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 5. Vgolinus *de caſibus Papæ reſeruatis. part.* 2. *cap.* 1. *verbo, Ac eorum libros.* §. 1. *num.* 2. quare malè Nauarr. *lib. conſiliorum. tit. de conſt. conſilio* 1. *quæſt.* 35. ait hunc incurrere cenſuram Bullæ Cœnæ, ſed meritò reiicitur ab omnibus, & ab Emmanuale Rodrig. *in addit in bullam cruciatæ*, §. 9. *num.* 68.

8. Colliges quartò, non comprehendi ſimiliter legentem, tenentem, aut imprimentem libros catholici hominis, quorum annotationes, & ſcholia hæreticorum hominum hæreſes contineant, etiamſi ea quoque ſcholia legat, quia is liber verè non eſt hæretici, ſed catholici. Excipit tamen Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. D. Thom. diſput.* 21. *ſect.* 2. *num.* 11. niſi talia, & tam copioſa eſſent ſcholia, vt liber potius ex iis, quàm ex textu conſtare videatur. Sed non placet limitatio, quia in communi, & vſitato loquendi modo is liber non hæretici commentatoris, & auctoris dicitur, à quo in lucem prodiuit: & ita docet Nauarr. *in ſumma cap.* 17. *num.* 56. Graphis 1. *part. deciſ. aur. cap.* 18. *num.* 43. Emanuel Rodrig. *in bulla cruciatæ*, §. 9. *num.* 78. Santarellus *tract. de hæreſi. cap.* 13. *dub. vnico. num.* 4 *folio mihi* 151. *col.* 2. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 5.

Suarez. Nauarr. Graphis. Rodrig. Santarel. Sanchez.

9. Colliges quintò, non comprehendi etiam ſub hac excommunicatione qui legit Græcorum, Armenorum, & alios huiuſmodi libros continentes ritus eorum, quia hi ritus non ſunt ab Eccleſia tanquam hominum hæreticorum habiti. Sic Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 8. & Sanchez allegatus *num.* 27.

Azor. Sanchez.

10. Colliges ſextò, legentes libros magicæ artis, retinentes, aut imprimentes, ſi auctor illorum non ſit hæreticus, non ligari hac excommunicatione Bullæ Cœnæ. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 32. & Viualdus *in* 1. *excomm Bullæ Cœnæ. num* 13. vbi animaduertit Nauarrum *in ſumma Hiſpanica cap.* 28. *in additione ad num.* 56. *cap.* 27. dixiſſe legentem hos libros hac excommunicatione innodari iuxta bullam Pij V: quæ exprimebat habentes libros magicæ artis, & illa vtentes; at bulla hodierna magos non comprehendit, niſi hæretici quoque ſint, vt docet etiam idem Nauarrus *in ſumma Latina cap.* 27. *num.* 55.

Sanchez. Viualdus. Nauarr. Nauarr.

Libri.

11. Nomine libri hæretici hominis intelligitur non ſolum typis excuſus, ſed etiam manu ſcriptus, & quia liber manu ſcriptus eſt verè liber, & quia periculum infectionis, ob quod hæc prohibitio emanauit, locum habet, etſi ſola manu liber ſcriptus ſit; Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 28. & Vgolinus *dicto verbo, Ac eorum libros, initio num.* 1. *verſu* 4. Santarellus *tract. de hæreſi. cap.* 13. *num.* 6. *folio mihi* 153. *col.* 1. Suarez *de fide diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 10. Non placet tamen Vgolinus, ibi addens, hac cenſura Bullæ Cœnæ ligari etiam illum, qui legit vnam epiſtolam hominis hæretici hæreſim continentem. Ratio illius eſt, quia licet Bulla ſolius libri meminerit eo quod ſæpius libri, quàm epiſtolæ ad manus veniant, & quòd in libris, quàm in epiſtolis frequentiùs hæreſes inſerantur; vbi tamen legiſlator mentionem vnius rei facit ob frequentiorem eius vſum, non cenſetur excludere id, quod minus frequenter contingit, argumento *l.* 1. *C de raptu virg.* At melius Sanchez citatus *num.* 29. aſſerit non ligari hac cenſura legentem, retinentem, aut imprimentem epiſtolam, concionem, aut aliam papyrum hæretici ſolutam, & non in tractatus, aut formam libri concinnatam, eo quod pœnæ non ſint ampliandæ, & in communi hominum vſu, & loquendi modo hæc non dicuntur libri. Nec militat eadem ratio in his, quæ in libris; libri enim diutiùs permanent, & latiùs extenduntur: in pœnalibus autem ita intelligenda res eſt, vt ſaluentur verba pœnæ, & non extendantur ampliùs.

Sanchez. Vgolin. Santarel. Suarez. Sanchez.

Comprehendetur tamen iuxta Vgolinum 2. *part. de peccatis Papæ reſeruatis. verbo, Eorundem libros, initio. num.* 1. hac cenſura Bullæ Cœnæ ille, qui indicem libri hominis hæretici, aut proœmium, aut præfationem, ſiue epiſtolam ad lectorem legent; quippe hæc etiam pars eius libri ſunt, & index totam libri ſummam, & ea, quæ notatu digna ſunt, amplectitur: proœmium autem, & epiſtolæ continent quæ in libro tractanda ſunt, & auctoris mentem explanant; & ita docet etiam Sanchez *lib* 2. *Decalogi cap.* 10. *num.* 30. Santarellus *tract. de hæreſi. cap.* 13. *n.* 2. *folio mihi* 151 *col.* 1. Verùm hæc intelligenda ſunt iuxta ea, quæ diximus *num.* 3. & 4 modò non detur paruitas materiæ. 12.

Vgolin. Sanchez. Santarel.

Hæreſim continentes, vel de Religione tractantes.

Secunda conditio eſt, vt libri contineant hæreſim, vel de religione tractent; itaque non ſufficit quòd libri ſint hominis hæretici, ſed opus eſt ad incurrendam hanc cenſuram quòd etiam contineant hæreſim, vel de religione tractent: quare ſi nec hæreſim contineant, nec de religione tractent, quamuis legantur, retineantur, imprimantur, vel defendantur, non propterea legens, retinens, & imprimens, vel defendens excommunicationem incurret Bullæ Cœnæ; ſufficit tamen quod alterum horum contineant, vel hæreſim, vel de religione ex inſtituto tractent, quia Bulla Cœnæ apertè loquitur diſiunctiuè, & alterutrum tantùm petit, quod bene notarunt Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 1. *num* 33. & Vgolinus *de cenſuris Papæ reſeruatis* 2. *part. cap.* 1. *verbo, vel de religione. initio. num.* 2. Suarez *de fide diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 15. Santarellus *de hæreſi dubio vnico. num.* 10. Vnde non videntur audiendi Graphis *deciſ. aur. l.* 4. *cap.* 18. *num.* 40. & 42. Sayrus *lib.* 1. *theſaur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 12. dum ibi requirunt, vt legentes libri hæretici incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ, quòd liber & contineat hæreſim, & ſimul de religione tractet. Vnde legi poſſunt, retineri, & imprimi abſque cenſura libri hæreticorum tractantes de philoſophia, & ſeptem artibus inferioribus, eo quod hi nec hæreſim contineant, nec materiam religionis tractent. Dixi *Bullæ Cœnæ*: non enim loquor modò de excommunicatione indicis librorum prohibitorum. 13.

Sanchez. Vgolin. Suarez. Santarel. Graphis. Sayrus.

Quæres, quinam hæreticorum libri cenſeantur de religione tractare? Dico primò, eos libros cenſendos eſſe de religione tractare, qui diuinam ſcripturam, vel partem eius exponunt, qui totam Theologiam, vel partem eius explanant, quia hi ad materiam fidei ſpectant, & in eis 14.

Suarez. Sanchez.

materia religionis in communi tractatur : Ita Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. D.Thom. disp.*21.*sect.*2. *num.*10 & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.*2. *cap.* 10. *num.* 21.

Dico secundò. Ij etiam libri, qui de virtute religionis speciatim tractant, hoc est de cultu Deo, ac sanctis deferendo, de clericis, de monachis, de prælatis, de visibili, & inuisibili Ecclesia, libri suot, qui de religione tractant. Probatur, quia omnes hi tituli ad religionem Christianam, & catholicam spectant, & Bulla Cœnæ generatim loquitur, intenditque ne hæreticorum errores in his libris sparsi addiscantur. Ita docet idem Sanchez allegatus, & Vgolinus *de casibus Papæ reseruatis* 2. *part. cap.* 1. *verbo*, *Vel de religione.*

Dico tertiò De religione dicendum etiam est tractare illos libros, qui de moribus Christianis, non politicis tantùm tractant: vnde si de conscientiæ quæstionibus agerent, de religione quoque tractare dicentur; id enim maximè ad religionem Christianam spectat, nec exiguum inserendi erroris periculum in illis est. Ita docet expresè Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.*10. *num* 21.

Dico quartò. Ille etiam liber dicitur de religione tractare, qui quamuis ex professo de religione non tractet sed de aliis rebus, ita tamen notabiliter de religione tractat, vt arbitrio prudentis censeatur ex professo, & non obiter de religione tractare, idque satis esse ad incursionem censuræ. Ratio est, quia verificatur, librum illum de religione tractare. Ita expresè Sanchez *suprà*, & videtur sentire Suarez *tom.*5.*in* 3. *part.disp.*21. *sect.*2. *num.*10. Azor. *tom.*1. *lib.*4 *cap.*16.*quæst.*5. & Rodrig. *in addit. ad Bullam* §.9. *num.*68. quatenus asserunt legentes libros hæreticorum, retinentes, aut imprimentes hæreses continentes, vel de fide, aut religione tractantes hanc excommunicationem incurrere, & nihil distinguunt, an ex professo, & ex instituto de hac re tractent necne.

Sanchez. Suarez. Azor. Rodrig.

15\. Quæres item, quinam libri dicantur hæresim continere, vt ea de causa incurrat excommunicationem qui eos legerit? Dico primò, satis esse vt liber hæretici vnam solam hæresim contineat de quacumque re tractet, vt dicatur absolutè hæresim continere, & qui eum legerit, excommunicationem incurrat. Ita Sanchez *tom* 1. *Decalogi. lib.*2. *cap* 10. *num* 34 Fundamentum est, quia in clausula Bullæ Cœnæ sic dicitur. *Libros hæreticorum hæresim continentes, aut de religione tractantes.* Sed verificatur de eo libro, qui hæresim vnam tantùm continet de quacumque re tractet, vt verba clausulæ præ se ferunt.

Sanchez.

Contra hanc resolutionem sentiunt Sayrus, & Graphis, hic 1. *part. decis. aur. lib.*4. *cap.*18. *n.*40. & 42. Ille *tom.* 1. *thesauri. lib.* 3. *cap.* 5. *num.*12. vbi docent ad hanc censuram incurrendam oportere, vt liber hæretici hominis ex professo, & ex instituto tractet de religione, secus si ex professo de aliis rebus tractet. Ratio illorum est, quia liber, qui ex professo de aliis rebus tractat, non dicitur simpliciter de religione tractare. Ratio tamen infirma videtur, quia id ipsum negatur: quando enim liber non obiter, sed notabiliter agit de re aliqua, de illa simpliciter dicitur agere. Illud autem animaduertendum est, quòd vbi liber hæresim continet, totus est prohibitus; & ideo si quis legat partem non continentem hæresim, innodabitur hac censura, quia reuera legit librum hæretici hæresim continentem, quod solum requirit Bulla: voluit enim Summus Pont. aditum his libris legendis occludere, vt docent Suarez, & Sanchez allegati, & Vgolinus etiam *de censuris Papæ reseruatis.* 2. *part. cap.* 1. *verbo*, *Ac eorundem libros. initio. num.* 1. *versu* 7. Imò idem quoque dicendum est etsi illa hæresis in libro deleatur, iuxta Sanchez, & Suarez allegatos, quia militat eadem ratio. Intelligendum id tamen est, nisi ea deletio fiat authoritate publica, quæ relinquat totum reliquum librum liberum ad legendum, retinendum, & imprimendum.

Sayrus. Graphis.

Sanch. Suarez. Vgolinus.

Si tamen sint diuersi tomi eiusdem auctoris hæretici tractantes eandem materiam non prohibitam, & vnus tantùm hæresim contineat, reliqui verò non contineant, nec de religione tractent ex instituto, solùm ille, qui hæresim continet, erit prohibitus sub censura Bullæ Cœnæ si nimiæ molis vitandæ gratia diuidantur, at reliqui separati non erunt prohibiti; secus si omnes tomi in vnum librum coëant, aut vnus liber ex diuersis tomis, ac voluminibus componatur, vt plerumque fit; quia tunc vnusquisque tomus pars est totius libri prohibiti, vt patet, & ita docet Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 36. Quod idem videtur docere Vgolinus *de casibus reseruatis Papæ.* 2. *part. cap.* 1. *verbo*, *Ac eorundem libros.* § 1. *num.* 1. *versic.* 6. dum asserit, si hæretici liber in multiplex volumen diuisus sit, non incurrere hanc censuram, qui eam partem libri legerit, in qua hæresis non continetur, nec de religione tractatur, quia pars illa seorsum vnus liber esse videtur, & non habet omnia requisita ad incurrendam censuram. 16. 17.

Sanch. Vgolinus.

Si ipsemet hæreticus legat suum librum, retineat, aut imprimi faciat hæresim continentem, aut ex professo de religione tractantem, hanc censuram incurret. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.*2. *cap* 10. *num.*37. & Vgolinus *num. præcedenti* allegatus. Imò si adhuc hæreticus sit, & ab excommunicatione ipsius hæresis non sit absolutus, dupliciter excommunicatus erit, semel ratione hæresis, semel ratione lectionis, retentionis, aut impressionis ipsius libri. Ita prædicti auctores, & benè. Si autem iam absolutus sit, erit tantùm posteriori excommmunicatione ligatus. 18.

Sanchez. Vgolin.

SVMMARIVM.

An hanc censuram incurrant, qui per ignorantiam, quamuis crassam & mortalem hæreticorum libros prohibitos legerint, retinuerint, aut defenderint, vel impresserint. *num.*19. & 20.

Quid si ignorent librum esse hæretici, aut hæresim continere, aut de religione tractare, aut auctorem ignorent? *num.*21.

Quid si solius curiositatis causa non dolo legant? *num.*22.

An Cardinales & Episcopi hac censura ligentur legentes hos libros sine licentia Summi Pontificis. *ibidem.*

An Inquisitores. ibid.

Quid si legant nulla verba proferendo. *num.*23.

Quid de Catholicis legentibus libros hæreticorum hæresim continentes, aut de religione ex professo tractantes in Anglia, & Germania. *num.*24.

Quid de memoriter prædictis libros recitantibus, aut partem illorum? *num.*25.

Quid de illis qui audiunt legere sine iubeant, & *sua*

suadeant & inuitent alios vt legant siue non? num. 26. 27.

An famuli iussu domini legentes hanc censuram incurrant. num. 28. & 29.

Quid si quis legat scriptos lingua, quam ipse non intelligit, scit tamen legere? num. 30.

An retinentes hos libros in sua vel aliena domo; suo, vel alieno nomine, hanc censuram incurrant? Quid si nesciant legere, aut causa ornatus bibliotheca retineant. num. 31.

Quid si partem libri prohibiti retineant, & quam partem? num. 32.

Quid si per exiguum tempus legant, retineant, & quale sit? num. 53.

Quid si propria authoritate illos comburant, & non deferant ad Inquisitores. num. 34.

Quid nomine imprimentium intelligatur? num. 35.

An facientes expensas impressionis nomine imprimentium veniant, & an hanc censuram incurrant? num. 36.

Quid de emendantibus folia impressionis. ibid.

Quid de illis, qui librum imprimi mandant, siue sint auctores illius, siue non sint? num. 37

Quid de vendentibus characteres, papyrum, & atramentum impressoribus? num. 38.

Defendentes libros hæreticorum hæresim continentes aut de religione ex professo tractantes quousque incurrant hanc censuram, & qui illi dicantur, ac sint. à num 39. vsque ad 43.

Quid si scriptis defendant quamuis in occulto ea scribant, & non veniant in publicum. num. 40.

Quid si disputando defendant? num. 41.

Quid si dicant separatos esse ad illos defendendos, non tamen defendant? ibid.

Quid si iam parati sint ad defensionem. num 42.

Quid si id, quod catholicum est in libro, hæretici defendant? num 33.

De licentia ad legendos libros hæreticorum, qui illam possint dare, an Collegium Cardinalium sede Romana vacante; an Episcopi, an Inquisitores? num. 44. 45. 46. 47.

Scienter legentes.

19. TErtia igitur conditio requisita ad incurrendam hanc censuram est, vt scienter huiusmodi hæreticorum libri hæresim continentes, aut de Religione tractantes legantur, retineantur, imprimantur aut defendantur. Ex defectu huius conditionis non incurrent hanc censuram illi, qui cum ignorantia, quamuis crassa, & lata culpa quidquam horum fecerint, hoc est, legerint, retinuerint, imprimi fecerint, aut defenderint aliquem ex his libris ignorando esse in Bulla Cœnæ prohibitos, nisi adeo sit crassa ignorantia, vt ingens temeritas arbitrio prudentis iudicetur. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 1. cap. 10. num.* 38. Ratio illius est, quia hæc clausula petit scienter hæc fieri, quando autem scientia petitur, excusat quæuis ignorantia, nisi ingens sit temeritas: quod egregiè probat idem Sanchez *lib. 9. de matrimonio disp. 32. num. 36. &* 39. & Couar. *in 4. decretalium 2. part. cap. 6. § 8. num.* 21. & capite *Alma mater, 1. part. §. 10. num. 17. versu. eadem sanè ratione.* & Lud. Lop. 2. *part. instruct. cap. 13. de excomm. §. sed iam ad secundum punctum fol.* 887. & Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 23. num.* 3. & ratio est, quia quando Ecclesia in canone apponit hanc clausulam *scienter*, intendit punire solum delictum expressè, & formaliter vetitum, quod non contingit vbi adest ignorantia etiam crassa, & cum culpa lata: quia tunc verè non adest notitia, & scientia illius, & solùm est virtute voluntarium non formaliter, & expressè.

Sanchez. Cou. Lopez. Henriq.

20. Et idem dicendum est etiamsi ignorantia sit affectata, quia nimirum quis affectauit ignorare, cuius authoris sit liber, aut qua de re tractet, vt liberiùs illum legat, quia reuera non dicitur hic scienter legere, nec est ingens temeritas, nisi quando vehementem suspicionem habuit ipsius libri, tunc enim reputabitur sciens. Ita idem Sanchez allegatus numero præcedenti.

Sanchez.

21. Rursus excusabitur ab hac censura, si hæc faciens, ignoraret, librum hæresim continere, aut de religione tractare, quamuis sciat esse hominis hæretici, & contrà si ignoraret esse hominis hæretici, sciens hæresim continere aut de religione tractare. Ratio euidens est, quia Bulla vtrumque simul petit. Ita docet Vgolinus *de casibus Papæ reseruatis 2. part. versu. Ac eorundem libros, §. 1. num.* 1. & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num.* 39. Secus autem est si vtrumque sciat, quamuis nomen authoris libri ignoret, quia tunc vtraque scientia in Bulla requisita inuenitur. Vt bene prædicti authores modò citati notant.

Vgolin. Sanchez.

22. Percelluntur igitur hac excommunicatione legentes, tenentes, imprimentes, & defendentes, etsi id non dolo malo faciant, & causa addiscendi hæreses, & experiendi an aliqua firma ratione nitantur, vel solius curiositatis gratia, quia bulla solam scientiam requirit, & his solis actibus contenta est, nec facientis animum considerat. Ita Tolerus *in summa in Bulla Cœnæ excom.* 1. *num.* 24. Saochez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 40. Vgolinus *de casibus reseruatis Papæ 2. p. verbo, eorundem libros in fine principij.* nullæque personæ excipiuntur. Quare illa etiam percelluntur Cardinales, Episcopi, & Prælati, superiores, & inferiores, nec eis ad id prosunt priuilegia aliqua, quia Iulius III. in motu proprio incipienti *Cum meditaro*, & Paulus IV. & Pius IV. ea priuilegia reuocarunt in suis constitutionibus pontificiis, quas refert Peña in fine Directorij Inquisitorum inter literas Apostolicas pro officio Inquisitionis, & ita docet Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 8. cap. 18. quæst.* 13. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap* 1. *num.* 45. vbi citat Vgolinum. Si quæ tamen postea priuilegia obtinuerunt, his standum erit donec de nouo reuocentur. Priuilegium hoc habent Inquisitores generales, habent etiam ij, quibus ipsi commiserint.

Toler. Sanchez. Vgolin. Peña. Azor. Sanchez.

23. Similiter incurrunt illam legentes, & si nulla verba proferant, sed visu tantùm percurrant, & legant; vera enim lectio nullatenus verborum pronunciationem requirit, argumento ex *l. 2. §. Inspectio, ff. quemadmodum testamentum aperiatur*, & docent Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap.* 10, *num.* 41. Graphis 1. *part. decision. aur. lib. 4. cap.* 18. *num.* 45. Vgolinus *citatus num. 2. versu* 10.

Sanchez. Graphis. Vgolin.

24. De catholicis legentibus libros hæreticorum hæresim continentes, aut de religione ex professo, & instituto tractantes in Anglia, Gallia, & Germania, aut locis vbi catholici permistim cum hæreticis commorantur, quando legunt animo confutandi eorum errores; existimant aliqui eos excusari ab hac censura, quòd Bulla Cœnæ ibi nec promulgata, nec recepta sit. Et verò id verum esse credo pro aliqua parte Germaniæ, & pro regnis, ac prouinciis in quibus Bulla Cœnæ Domini non est vsu recepta, vbi enim recepta non est, non potest obligare, vt docet Becanus

Becanus.

tom. 2.

tom.2.part.15.quæst.2.num.6. at non credo esse verum pro iis regnis, & partibus Germaniæ, in quibus prædicta Bulla recepta est; credo enim tunc hanc excommunicationem incurri à legentibus, retinentibusque huiusmodi hæreticorum libros; quia causa, & studium catholicæ religionis contra hæreticos tuendæ non eos excusat non accedente legitima Pontificis licentia. Ita docent Azor. *tom.1.lib.8. Inst.moral. cap.16.q.6.* Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2 cap.10.num.42.*

Azor. Sanchez.

25. Memoriter dictos libros hæretici recitantes hac censura Bullæ Cœnæ non ligantur; quia aliud est legere, aliud memoriter recitare. Ita Vgolinus 2. *part.de casibus Papæ reseruatis.verbo, eorundem libros* § 1. *num.4. versu* 10. & Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2. cap.10. num.* 47. Suarez *de fide disp.20.sect.2. num* 18. & Azor. *tom.1. lib.8. cap 16. quæst. 4.* & Santarellus *tractatu de hæresi cap.13. dub.vnico. num* 8. *fol. mihi* 153, *col* 2. & Nauarrus *in summa Lat.cap.27. num* 56. *versu* 7. Vnde displicet omnino Graphis, asserens eos illam incurrere, illaque ligari 1. *part. decision. aur. lib.4 cap.18.num.45* Displicet etiam Sayro *tom 1. thesaur lib 3 cap.5 num.13.* docens non incurrere quando bono fine recitant, quasi aliter sentiat, vbi malus animus, & finis adest: nam siue bono fine, & animo recitent, siue malo, id parum refert; Bulla enim solum factum considerat, & hic excommunicatione solum punit; recitare autem etiam malo fine, & malo animo, non est legere.

Vgolinus. Sanchez. Suarez. Azor. Santarell. Nauarr. Graphis. Sayrus.

26. Circa audientes verò eos qui huiusmodi libros legunt, distinguunt nonnulli DD. aut enim ita audiunt, vt iubeant legere, petant, orent, consulant, suadeant; aut id non iubent, nec petunt, nec orant, suadent, aut consulunt: si iubeant &c. asserunt eos hac censura ligari, quia etsi tunc audiant, tamen moraliter loquendo, legunt, si non per se saltem per alios; quæ enim per alios facimus, per nos ipsos facimus; quamuis enim per se ipsum dominus non legat, legit tamen per famulum, vel per alium, quem iubet legere, & cuius ministerio in hac lectione vtitur, si id non iubeant, orent, nec petant, nec suadeant, asserunt non ligari, quia nec legunt, nec sunt causa lectionis. Ita distinguit Azor. *tom.1.lib.8.instit moral.cap.16. quæst* 4. Sayrus *tom.1. thesauri lib.3. cap. 5. num* 14. Graphis 1.*part.decision. aur.lib.4. cap.18. num.45.* & alij.

Azor. Sayrus. Graphis.

27. At verius est neutros hac censura ligari, quia verè, & propriè non legunt; pœnæ enim in propria verborum significatione sunt sumendæ. Atque ita censura lata in aliquem facientem, non comprehendit consulentes, aut mandantes, nisi ipsi specialiter exprimantur, & si ipsi impropriè & moraliter dicantur facere, vt alibi probauimus, & docet Sanchez *lib. 3. de matrimonio disput* 49. *num.2.* per multos, quos allegat Et ita loquendo de audientibus in præsenti casu docent expressè Vgolinus *de casibus Papæ reseruatis* 2. *part. dicto verbo, eorundem libros,*§.1.*num.4.vers.* 8.9. *&* 10. & Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2.cap.10.num* 48. vbi bene excipiunt, nisi quis audiret, vt faueret hæresi; tunc enim non legentis, sed fauentis, aut fautoris ligaretur censura, vt patet.

Sanchez. Vgolinus. Sanchez.

28. Famuli tamen illos iussu domini legentes, vt domini ipsi audiant, incurrent hanc censuram, quia scienter legunt, neque iussus dominorum eos excusat. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num* 49. & Azor. *tom 1. inst. moral. lib.8. cap. 16. quæst. 4.* Santarellus *tractatu de hæresi cap.13 dub.vnico num.9. fol.mihi* 154.*col.1.* Excusarentur tamen si metu mortis non in fidei, Ecclesiæ ve contemptum incusso, compellerentur legere, quia omnia præcepta Ecclesiæ, quale est hoc, non legendi hos libros, non obligant cum periculo vitæ, quia Ecclesia ob benignitatem suam neminem vult obligare suis præceptis, cum tam graui detrimento vitæ, nec expedit ad commune bonum, vt hac vtatur obligandi potestate. Vnde occurrente eo periculo, ita obligatio præcepti Ecclesiastici suspenditur, vt nullo modo nec sub veniali obliget, vt docent communiter DD. Sanchez *tom.1. Decalogi lib.1.cap.18.num.4.* Valentia 1.2.*disp.7.quæst.5 puncto 6. quæst.4.* Sotus *in 4.dist.22. quæst.1. art.4 columna penultima, & lib.1.de iust quæst.6.art.4.ad finem corporis.* Couarru. *in capite, Alma mater* 1.*part.*§.3 *num.vltimo.* Henriquez *lib.13 de excomm. cap.21. num.2. in fine.* Suarez *tom.5.de cens. disp.6. sect.3. num.7, & 8.* Aragon 2.2.*quæst.62. art 3 in 1.dubio* Azor. *tom.1. inst moral.lib.8.cap.11.quæst.1.* & alij. quod adeo verum est, vt nõ incurrant hanc excommunicationem, licet mortaliter peccent contra ius naturale, & contra præceptum confitendæ fidei exteriùs qui etiam in fidei contemptum, metu tamen mortis librum hæretici hæresim continentem vel de religione tractantem legeret. Ratio est quia præceptum confitendæ fidei diuinum cum sit, & non Ecclesiæ, obligat cum vitæ etiam periculo, vt sæpe diximus cum de illo suprà egimus, quod non facit præceptum Ecclesiæ, quia Ecclesia non intendit obligare, vt dixi, ex benignitate cum tanto periculo.

Sanchez. Azor. Santarell. Sanchez. Valentia. Sotus. Couar. Henriq. Suarez. Aragon.

29. Sunt tamen qui existiment auditores, heros aliosue quoscunque qui iussu aut hortatu suo in causa sunt, vt famuli, aliive legant, licet non incurrant hanc censuram Bullæ Cœnæ faciendo eos legere, incurrere tamen aliam latam in cap. *Nuper.* & in cap *Si concubina de sent. excommun.* contra participantes cum excommunicato in crimine criminoso, quia hi participant in lectionis crimine ob quod legentes ipsi excommunicantur. At dicendum est neque hanc incurrere, quia vt censura participantium incurratur, necesse est, vt excommunicatus cum quo participatur, sit nominatim declaratus, vt habetur in dicto cap. *Nuper*, allegato, vt communiter DD. aiunt. Nauarrus *in summa Latin. cap.* 27. *n* 12. Henriq. *lib.13.de excom.cap.9. n.1. &* 2. Suarez *tom 5. in 3. part. disp.17. sect. 2. n.5.* Huiusmodi autem famuli legentes, nec sunt nominatim excommunicati, nec denunciati vt patet ergo qui illos audiunt legentes etiamsi ad id impellant, non incurrunt excommunicationem, quia non participant cum excommmunicato declarato, vt optimè docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib.2. c.1, num.50.*

Nauarr. Henriq. Suarez.

30. Sed quid si aliquis legat huiusmodi hæreticorum libros lingua aliqua, quam non calleat, vt si quis Latinè, vel Græcè sciat legere, nihil tamen intelligat? Respondet Sanchez modò allegatus *num.51.* hunc non ligari hac censura; & optimè respondet, quia finis prohibitionis est ne legentes imbibant hæresim, qui in hoc euentu cessat, vnde lex non censetur comprehendere hunc casum; attento enim fine ob quem hæc excommunicatio lata fuit, in ea nunquam fuit comprehensus, & semper fuit exceptus hic casus. Ita docent Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num.5.* Suarez *de fide disput.10.sect.2. num.18.* & Santarel.*tract. de Hæresi c.13.dub.vnic.n.2.ad fin.*

Sanchez. Suarez. Santarell.

Retinentes.

Retinentes.

31. De retinentibus illud certum est, nempe, retinentes scientet hos hæreticorum libros, qui vel hæresim aliquam contioeant, vel de religione tractent, siue in sua domo, siue in aliena, & siue suo, siue alieno nomine retineant, hac excommuoicatione ligari; quia siue causa sui, siue causa aliorum illos retineant, verè retinere dicuntur. Graphis. Saytus. Vgolinus. Ita docent Graphis 1. *part. decision. aur. lib.*4. *cap.* 18. *num* 48. Saytus *tom.* 1. *thesauri lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 16. Vgolinus *de censuris Papa reseruatis.* 2. *part. verb. Aut retinentes, initio, num.* 3. *versic.* 3. Vnde illa ligantur bibliopolæ illos retinentes, vt patet, quia verè retinent, etsi nomine alieno retineant; nec refert quauis lingua liber scriptus sit, vt retentor excusetur, eo quod illam non intelligat; quia retentio hæc non requirit libri intelligentiam; quia Summus Pontifex ideo eos prohibuit retineri, quia noluit huiusmodi libros apud aliqueos esse, sed penitus ac funditus exterminari. Ita authores allegari, & Sanchez. Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 10. *num.* 52. Neque item excusantur ab hac censura retinentes quod non legendi, sed curiositatis, ac ornatus bibliothecæ causa, aut permutandi cum aliis gratia retineant; quia hi omnes verè retineotes Vgolinus. sunt. Ita Vgolinus citatus *à num.* 1. *vsque ad* 4. & Sanchez. Sanchez item allegatus. Neque item liberantur ab hac excommunicatione, aromatarij qui hos libros vt aromata & scombros suos obuoluant, habent, quia hi quoque verè retineot.

32. Imò addo sufficere quoque ad hanc censuram incurrendam, vt partem alicuius libri ex his quis retineat, sicut suprà diximus satis esse partem libri legere; quia & is qui partem habet, verè dicitur retinere librum. Quod verum habet siue ea pars quam quis habet, hæresim contineat, siue non; quia eo ipso quod liber hæresim continet, totus est prohibitus, & legens partem etiam illam in qua non est hæresis, imò in qua hæresis iam deleta est, hanc excommunicationem incur- Sanchez. rit, vt suprà diximus. Ita docet expresè Sanchez Vgolinus. *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 54. & Vgolinus 2. *part. de casibus reseruatis Papa, verb. Ac retinentes in principio num.* 3. addens, *dummodo pars hæresim contineat*; sed hoc non bene addit propter rationem tactam. Addit verò Vgolinus suprà retinentem folium vnum horum librorum hac excommunicatione ligari; sed displicet quamuis enim *num.* 2. huius capitis dixerimus satis esse legere vnum folium si magnus sit liber vt incurrat legens excommunicationem, non tamen sufficit vnum folium vt illud retinens excommunicationem incurrat, vt bene animaduertit Sanchez allegatus. Cum enim minus periculosum sit retinere, quàm legere, minus etiam delictum erit retinere.

33. Sicut verò respectu legentis excusat paruitas materiæ, vt diximus dicto *num.* 3. & præter authores quos ibi citauimus docet Santarellus Santarel. *tract. de hæresi cap.* 13. *dub. vnic. num.* 1. *fol. mihi* Graphis. 150. & Graphis *lib.* 4. *decisionum. cap.* 18. ita respectu retinentis excusat paruitas temporis non solum quandiu expectatur tempus quo ad Inquitores commodè deferri possit liber hæretici, Saytus. vt docent Saytus *tom.* 1. *thesauri lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 16. Graphis. Graphis 1. *part decision. aur. lib* 4. *cap.* 18. *num.* 47. Vgolin. Vgolinus citatus §. 1. *num. vnic. versic.* 2. sed etiam post datam commoditatem præsentandi eos Inquisitoribus excusabit breuitas temporis, v. c. vnus aut alter dies. Ratio prioris est, quia non dicitur verè retinere contra Ecclesiæ præceptum, qui opportunum reddendi tempus expectat, sicut non dicitur rem alicoam inuito domino retinere ille, qui commodum reddendi tempus expectat. Secundi verò ratio est, quia retentio vnius aut alterius diei ad tantam pœnam incurrendam, videtur modica retentio, sicut & in restitutiooe rei alienæ, quæ strictiori iure naturæ obligat, id contingit; qui enim rem retineret inuito domino per vnum aut alterum tantùm diem, non propterea grauiter delinqueret si haberet animum restituendi statim post illum terminum. Quæstio hîc excitari solet, vtrum qui habet libros hæreticorum de quibus hactenus egimus, possit illos propria manu & authoritate comburere, quin tradat Inquisitoribus, & tamen non incurrat excommunicationem. In hac quæst. imprimis pro certo habeo non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, qui librum comburerer, etiamsi non tradat Inquisitoribus. Ratio est, quia is non esset retinens, qui solus excommunicatur in dicta Bulla. Ita Suarez *de fide* Suarez. *disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 23. Maius dubium est quoad excommunicationem latam à Iulio III. in motu proprio hac de re, ibi. *Qui verò tales libros habuerint, eos consignare debent realiter, & cum effectu Inquisitoribus ciuitatum, in quibus eiusmodi libri extiterint tradere, alioquin tanquam hæretici possint publicari.* Et habetur in Bulla Pij IV. edita anno 1564. In hoc dubio dico duo. Primum, non vrgere verba relata ex Iulij III. motu, quia in iis nulla fertur censura, forte in Bulla Pij IV. erit apposita censura, quamuis Suar. citatus citans eam Bullam nihil de censura dicat, quamuis dicat id esse præceptum, ac proinde obseruandum. Video tamen multos DD. dicentes absolutè libros vel Inquisitoribus, vel igni tradendos, vt habet Repertorium Inquis. *ver. Libri.* Idem habet Zanchinus *de Hæretic. cap* 7. Campegius *in* Zanchin. *scholio repertorij loco cit.* Ioannes Andreas *in cap.* 2. Campeg. *de Hæreticis* & Geminianus *num* 2. Albert. *tract.* Ioan Andr. *de agnosc. quæst.* 28. *num.* 14. Decianus *in tract. crim. l.* 5. *cap.* 18. *num.* 25. *& cap.* 35. *num.* 21. *&* Geminian. Albert. *cap.* 54. *num.* 28. Carrer. *tract. de Hæretic. num.* 125. Decian. Carrer. Syluest. *ver. Hæresis* 1. *num.* 10. Locatus *in Indic.* Locatus. *Inquisit. ver. Libri. num.* 1. Addent. ad Roman. Syluest. Ad Rom. *singul.* 326. *vers. limita* 2. nisi eos combusserit, fortè loquuntur attenta Bulla Cœnæ, quia post prohibitiones Iulij & Pij IV. non solum minus, vt dicit Campeg. *supra.* sed necessarium videtur li- Campeg. bros Inquisitoribus tradere vt ipsi eos comburant. Et ita tenent Suarez *suprà.* Peña *in addit.* Suarez. *ad directorium, in cap. Fraternus. de Hæret. part.* 2. Pena. *comment.* 3. *vers. Præterea ait.* Barbosa *de officio* Barbosa. *Epis. part.* 3. *allegat.* 90. *num.* 5. Farioac. *de Hæresi* Farinac. *quæst.* 180. *num.* 40. Ricciul. *l.* 5. *de iure personar.* Ricciul. *cap.* 24. Sanchez *in Decalog cap.* 10. *num.* 56. Azor. Sanchez. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 51. & alij. Hæc tamen omnia intelligenda sunt vt optimè aduertit Azor. *suprà*, dummodo quis sine graui damno & periculo possit libros tradere Inquisitoribus, aliter satis erit eos comburere.

Imprimentes.

Imprimentes hos libros censura Bullæ Cœnæ 34. innodantur, vt expresè dicitur in prima clausula illius Bullæ. Nomine autem impressorum, iotelliguntur quicunque ad impressionem proximè concurrunt, vt v. c. officinæ dominus, cu-

ius

ius auctoritate libri typis mandantur, qui typos ordinant, & componunt, & qui sic compositos attingunt atramento, qui torcularia premunt, chartas madefaciunt, aut madefactas torculari supponunt, quia omnes hi imprimere dicuntur. Et quamuis officinæ patronus non per se, sed per ministros imprimat; at verè dicitur imprimere, cum ad ipsum tanquam ad dominum typographiæ totum negotium spectet. Ita docent Graphis *lib.4. decis. aur.1.part.cap.18.num.50.* Sayro *tom.1.thesauri lib.3. cap.5. num.17.* Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis part.2. cap.1. verbo, Imprimentes.initio num.1. & 2. §.1. num.1.* Sanchez *tom.1.Decalogi lib.2. cap.10. num.57.* Santarellus *de hæres. cap.13. dub.unico num.18.*

Graphis. Sayr. Vgolin. Sanchez. Santarel.

36. Insuper addit Sayrus allegatus comprehendi facientes expensas impressionis: id tamen negat Sanchez modò allegatus; & Suar. *de fide disp.20. sect.2. num.24* quia hi non dicuntur imprimere, nec concurrere proximè ad impressionem in officina, & Bulla solùm loquitur de imprimentibus, non cooperantibus ad impressionem. Addunt etiam Sayro & Graphis comprehendi correctores exemplaris impressi, id tamen negant Vgolinus *eo §.1. ad finem*, & Sanchez & Suarez *suprà*, allegati, quòd impressores propriè non sint, sed eius rei, quæ impressa est inspectores, & his vltimis adhæreo; sunt enim pœnæ intra proprij vocabuli significationem continendæ, & non vltra extendendæ. Si tamen dum corrigunt, notabilem partem libri legant, incurrerent excommunicationem impositam legentibus, idque toties, quoties legerint.

Sanchez. Suarez. Vgolinus. Sanch. Suarez.

37. Illum verò, qui librum imprimi mandat, siue sit eius auctor, siue non, hac censura comprehendi, quia in communi loquendi modo dicitur verè imprimens, existimat Sanchez *tom.1.Decalogi lib.2.cap.10. num 57* & Suarez *de fide disp 20. sect. 2. num. 24. versu. Illum verò.* & Vgolinus eodem *verb. Imprimentes. in fine principij*, & §.1. *num.1. versu postremo.* quamuis in priori loco dicat id non sibi certum esse: Mihi tamen non videtur in illa comprehendi, quia reuera auctor libri, non est impressor illius, nec similiter tradens illum typographis ad impressionem, impressor est; in hac autem clausula solùm imprimentes, seu impressores comprehenduntur. Et quamuis communi vsu auctores librorum imprimentes, seu imprimere dicantur, ea est ad hoc negotium valde impropria locutio; nam intentio Summi Pontificis est, solùm officiales, seu impressores censura percellere, auctores enim hæretici cum sint, aliunde alia, & aliis pœnis iam percussi manebant.

Sanch. Suarez. Vgolinus.

38. Vendentes his impressoribus characteres æneos, & papyrum, atramentum, & reliqua ad impressionem necessaria, certum est hac excommunicatione non percuti, eo quòd nec imprimere dicantur, nec ad impressionem proximè tanquam officij illius socij concurrere. Et ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num.57.* & Vgolinus *2. part. de casibus reseruatis Papæ.verbo, Imprimentes §.1. num. 2. & num.3.* hi tamen omnes, quos ratione impressorum excusauimus, aliunde possunt in hanc excommunicationem incidere, vt si ministeria illa exhibeant, quò hæresi faueant: tunc enim illam incurrent non quasi impressores, sed quasi hæreticorum fautores.

Sanchez. Vgolin.

Defendentes hæreticorum libros.

39. Hoc etiam gladio censuræ percelluntur defendentes scienter, siue publicè, siue occultè prædictos hæreticorum libros, quauis causa, & quouis quæsito colore, vt habetur expressè in 1. clausula Bullæ Cœnæ; & qui quauis ratione, & & modo impediunt, ne ad manus Inquisitorum veniant, id enim est illos defendere; & qui verbis eos defendunt, affirmantes, asserentesque eos esse bonos, & Reipublicæ vtiles, & non comburendos. Ita docet Sanchez *tom.1.Decalogi lib.2. cap 10. num.58.* Toletus *in summa in Bulla Cœnæ excomm.1. num.26.* & Sayrus *tom.1.thesauri lib.3. cap. 5. num. 18.* Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis 2. part. cap.1.verb. Eorum libros quomodolibet defendentes, num.2.*

Sanchez. Tolet. Sayrus. Vgolin.

Percelluntur etiam qui scriptis defendunt. v.c. componendo apologias, quibus libros hæreticorum tueantur, quamuis in occulto, & domi suæ id solum fiat, nec scriptura vnquam prodeat in publicum; sed eam apud se custodiant, ac retineant; quia Bulla publicè, vel occultè defendentem excommunicat. Sic Vgolinus eodem *verbo num.2.versu 3.* & Sanchez modò allegatus, vbi bene addunt non illa percelli, qui solus hæc verba diceret, animo tamen ab hæresi alieno, illaque sibi non placente, *Hic liber optimus est*; quia hoc non est defensio. 40.

Vgolin. Sanchez.

Percelluntur item qui solius disputationis vel maioris inquisitionis veritatis causa hos libros defenderent, quia clausula illa Bullæ ait, *quouis quæsito colore, & ingenio.* Ita docet Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2. cap.10. num.58. versu. Insuper incurret.* Viualdus *in candelabro in penultima edit.2. part.in Bulla Cœnæ excomm. 1. num. 11.* Vgolinus citatus Suarez verò *de fide disp.20.sect.2. num.25.* videtur existimare non incurrere hanc excommunicationem, qui reuera defenderet solùm disputationis gratia. Ratio illius poterat esse & simpliciter, quia is non propriè defendit, sed secundùm quid, id est, disputationis gratia. Neque obstat clausula illa *quomodolibet*, quia debet intelligi quomodolibet. Neque illæ aliæ, *quouis quæsito colore vel ingenio*, quia verba ista solùm videntur apposita ad comprehendendos eos qui verè defenderent libros hæreticorum animo verè defendendi, sed sub prætextu defendendi disputationis gratia, nam reuera particulæ illæ *quouis quæsito colore vel ingenio* videntur innuere dolum. Dixi verò Suarum videri esse in hac sententia, quia ait loco cit *Quod etiam locũ habet*, scilicet quòd incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ, *etiamsi talis defensio sub titulo exercitationis vel maioris inquisitionis veritatis fieri dicatur*; quasi oppositum existimet, dicatur, si non solùm dicatur fieri, sed reuera fiat exercitationis & inquisitionis prædictæ causa. 41.

Sanchez. Viualdus. Vgolin. Suarez.

Non percelluntur tamen illi, qui dicerent se velle defendere tales libros, si nondum defensionem aggrediuntur; secus si iam essent in procinctu & se ad hanc defensionem pararent, prouocantes ad certamen eos qui vellent contrarium sustinere; quia hoc iam moraliter actualis defensio reputatur; sicut Dux ille arcem defendere dicitur, qui contra hostes obarmatus, etsi non pugnet, stat; & facto appellare dicitur qui audita contra se sententia in Romanam curiam iter arripit. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi.lib. 2. cap. 10.num.58.* & Vgolinus *2. part. de casibus reseruat. Papæ. cap. 1. eodem verbo. Ac eorum libros quomodolibet defendentes num.4.* 42.

Sanchez. Vgol.

Nec illam incurrunt ij, qui id quod catholicum est in eo libro defendunt, non vt contentum 43.

cum in hæretici libro; sed quod in se sumptum verum, & catholicum sit defendunt, quia hi nihil mali agunt, nec hæreticum opus sed veritatem defendunt nullo habito respectu ad hæretici opus. sic docet Sanchez allegatus, & Vgolinus eodem *cap. 1. verbo. Vel de religione. ad finem*; & idem credo cum Sanchez *dicto tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num. 58. ad finem.* & Suario *supra*, si ingenium authoris, & stylum libri laudaret, non vt opus hæretici, neque ad illud defendendum, ne comburatur, sed secundùm se, quia id non est hæretici librum defendere.

Sanchez. Vgolinus.

De licentia ad legendos hos libros.

44. Quarta & vltima conditio requisita ad hanc excommunicationem incurrendam, est; vt hi libri legantur non obtenta legitima licentia. Hanc licentiam non potest dare Episcopus, quia Papa in Bulla Cœnæ expressè eam sibi reseruat per clausulam *sine authoritate nostra & Sedis Apostolicæ scienter legentes.* ita docent Nauarrus *lib. 1. consiliorum in vtraque editione tit. de const. consilio 1. quæst. 36.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 16. quæst. 7.* Manuel Rod. *in addit ad Bullam cruciatæ* § *9. num. 68.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num. 43.* Vbi id intelligit, & bene, extra casum magnæ necessitatis; nam in his casibus communis sententia est posse Episcopus circa casus Pontificios quicquid Summus Pontifex potest.

Nauarr. Azor. Rodrig. Sanchez.

45. Et nec Inquisitores possunt hanc licentiam concedere ob eandem rationem, nisi ad id expressam habeant facultatem. Ita Azor. *dict. tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 12.* Sanchez *tom. 1. decalogi lib. 2. cap. 10. num. 43.* Graphis *1. part. decision. aur. lib. 4 cap. 18 num. 46.* & alij.

Azor. Sanchez. Graphis.

46. De collegio illustrissimorum Cardinalium in Sede vacante affirmat Vgolinus *de casibus referseruatis Papæ 2. part. verbo, Ac eorundem libros. § 1. n. 1. versic. 2.* posse prædictam licentiam dare, quia in omnem Pontificis iurisdictionem succedit, sicut succedit capitulum Episcopi sedi vacanti, vt tenent aliqui, quos tacito nomine refert glossa in capite vnico, *verbo, Sede. de Schismat in 6.* & eos sequitur Henriquez, fauet enim huic sententiæ is textus.

Vgolin. Glossa. Henriq.

47. Dicendum tamen est non posse collegium Cardinalium, Sede vacante, hanc licentiam concedere nisi seruatis omnibus circumstantiis, quibus ei conceditur vt aliquid possit in casibus Summo Pontifici reseruatis in capite, *Vbi periculum. de electíon in 6.* vbi definitur, vt nullatenus se in aliam causam intromittant, quàm in electionem Pontificis, nisi tam euidens periculum instaret, vt omnibus, & singulis Cardinalibus videretur ei celeriter occurrendum; quia in Clementina, *ne Romani de electione*, dicitur *in* § 1. Irritum, & inane fore quicquid potestaris, aut iurisdictionis exercuerit pertinentis ad Summum Pontificem, nisi quatenus illi conceditur dicto capite, *vbi periculum*, & ita nihil amplius posse tradunt, Glossa in dicto capite vnico, *verbo, Sede. de schismate*, & in dicto capite, *vbi periculum de electíon. in 6. verbo, Intromittant*; & communiter DD. ibi, & idem docet D. Anton. *3. part. titulo 21. cap. 2. § 9. & 10.* Syluester. *verbo, electio. 3. quæst. 3.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 10. num 44.* Vnde ad dandam hanc licentiam exigitur prædictum periculum euidens, quod rarò dabitur, & deinde exigitur omnes Cardinales esse conformes & non sufficere maiorem partem illorum, quia dicitur in dicto capite; Vbi periculum, *Omnibus & singulis*, quamuis aliàs factum à maiori parte capituli, dicatur à toto capitulo factum.

Glossa. D. Antonin. Syluest. Sanchez.

48. Nihil dico de iis qui licentiam habent legendi libros hæreticorum supradictos, quia id rarum admodum est vt quis eam habeat, & opus esset examinare verba, quibus ea à Summo Pontifice concederetur. Eminentiss. Cardinales & Inquisitores eam habere, testatur Santarellus concessam à Pio IV. per constitutionem, *Cum inter crimina.* Hanc tamen concedere aliis minimè possunt nisi præsente Summo Pontifice, vt decreuit S.D.N. Vrbanus VIII in quodam suo decreto, quo confirmauit aliud Gregorij XV.

CAPVT XV.

De absolutione ab hæresi, quis possit ab illa absoluere, an Episcopi post Bullam Cœnæ Domini.

SVMMARIVM.

Concilium Trid. concedit licentiam Episcopis ad absoluendum per se, & non per Vicarium ab hæresi occulta subditos in sua tantùm diœcesi, à reseruatis autem Papæ per se. & per Vicarios. num. 1. & 2.

Summus Pontif. in Bulla Cœnæ, asserit ab hæresi, & casibus ipsius Bullæ, neminem posse absolui ab alio, quàm à Summo Pontifice. An licentia data à Concilio Trid. censeatur erepta Episcopis per clausulam Bullæ Cœnæ. Refertur setentia affirmans. num. 3. & 4.

Præfertur negans num. 5. & 6.

Conuelluntur fundamenta primæ sententiæ. num. 7. & 8.

Si Episcopis hæc facultas non est adempta, vt melior fert opinio, possunt illi hodie absoluere ab hæresi occulta, & non deducta ad forum externum. An hæresis sit occulta, si nota sit sex, aut septem, & vnus tot complices in illa habeat, & quomodo occulta dicatur. num. 9.

Quid si iam delictum sit deductum ad forum externum, & quomodo hoc intelligatur? num. 10.

Quid si duo sint complices eiusdem delicti, aut hæresis, & vnus illorum sit conuictus in iudicio, & alter non, an adhuc dicatur crimen occultum respectu istius. num. 11.

Quid si delictum sit in vno loco publicum, in alio occultum? num. 12.

An requiratur, vt Episcopus existat in diœcesi propria, vt ab hæresi aut alio crimine occulto Sedi Apostolicæ reseruato absoluat? num. 13. 14. 15.

Quid de subdito absoluendo, an requiratur, quod sit in propria diœcesi. ibid.

An absolutio ab hæresi possit per Episcopum alteri committi; refertur prima opinio negans. num. 16.

Præfertur affirmans, & soluuntur fundamenta primæ. num. 17.

Sententia authoris. num. 18.

Quid de capitulo Sede vacante. num. 19.

Quid de Prælatis Ecclesiasticis & de Prælatis Religiosorum; & an Episcopi possint dare facultatem suis confessarijs, vt se absoluant, si in illam incidant. num. 20. 21. 22. & 23.

1. DE hac materia iam ſatis ſuperque egimus *lib. 8.2. Eccleſiæ præcepti cap.8. à numero* 30. & deinceps, quamobrem hîc à nobis relinquenda erat: ne tamen mutila hæc tractatio videatur, breuiter præcipua dubia, quæ ad hoc negotium pertinent attingemus, eos quî ampliores explicationes circa omnes caſus in hac materia occurrentes deſiderant, ad ſecundum Eccleſiæ præceptum, locumque citatum, remittentes.

2. In Concilio Tridentino *ſeſſ.24. de reformatione cap.6.* conceditur poteſtas Epiſcopis abſoluendi gratis ab hæreſi externa occulta ſubditos proprios in propria diœceſi per ſe ipſos, & non per Vicarium in foro conſcientiæ vt ab omnibus etiam aliis caſibus reſeruatis impoſita ſalutari pœnitentia, ibi: *liceat Epiſcopis in quibuſcumque caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in diœceſi ſua per ſe ipſos, aut per vicarium, ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſoluere impoſita ſalutari pœnitentia; idem quoque, & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantum, non eorum Vicarijs ſit permiſſum.* In Bulla autem Cœnæ Domini expreſsè dicitur nullum poſſe abſolui à caſibus in ea contentis ab alio quàm à Summo Pontifice, vel ab eo cui de illius mandato id ſpecialiter fuerit conceſſum, ibi, *à peccatis & cenſuris in hac bulla contentis nemo abſolui poteſt ab alio, quàm à Summo Pontifice non obſtante quocunque priuilegio, vel clauſula Concilij generalis.*

3. Vnde cum in Bulla Cœnæ Domini peccatum hæreſis contineatur, Primum dubium eſt, An facultas data in Concilio Tridentino Epiſcopis ad abſoluendum ab hæreſi externa, & occulta ſubditos ſuos in diœceſi ſua per ſe ipſos, & à reliquis caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis per ſe & Vicarios *dicta ſeſſ. 24. de reformat. cap. 6.* ſit iam abrogata per hanc clauſulam Bullæ Cœnæ; & An etiam hodie non obſtante prædicta Bullæ Cœnæ clauſula poſſint Epiſcopi ſuos ſubditos ab hæreſi externa & occulta abſoluere; ſicut olim poterant ante prædictam Bullæ Cœnæ clauſulam, qua de re partita eſt opinio. Prima negat poſſe: & conſequenter affirmat eam poteſtatem in Concilio Tridentino Epiſcopis conceſſam ademptam eſſe & abrogatam per clauſulam Bullæ Cœnæ. Primò, quia in Bulla Cœnæ expreſsè dicitur à caſibus ibi contentis neminem poſſe abſolui ab alio, quàm à Summo Pontifice, etiam prætextu cuiuſcunque facultatis, vel priuilegij, non obſtante quocunque priuilegio, vel decreto concilij generalis; & hæc bulla expedita fuit poſt Concilium Tridentinum, & non latuit ſummum Pontif. nullum aliud decretum, quàm Tridentini recens tunc editum hanc facultatem Epiſcopis concedere; & ſi fortè tunc latuit (quod tamen nequaquam dicendum eſt) potuit id iam emendari in prædicta bulla cum ſingulis annis expediatur; nunquam fuit emendatum, ergo ſignum eſt euidentiſſimum illam Tridentini Concilij facultatem voluiſſe ſummos PP. per clauſulam Bullæ Cœnæ abrogare. Secundò, quia ſæpe conclamatum eſt in tribunali ſanctæ Inquiſitionis id non poſſe hodie facere Epiſcopos, & hanc eſſe Summorum PP. mentem declarauit ſacra congregatio Cardinalium, vt refert Suarius *tomo 4. in 3. part. diſp. 30. ſect. 2. num. 12.* Conſulta enim congregatio Cardinalium, an prædictum concilij decretum locum haberet in caſibus poſt illud in noua Sedis Apoſtolicæ cõſtitutione, hoc eſt, in Bulla Cœnæ reſeruatis. Reſpondit *Gregorius XIII. audita relatione congregationis, non habere locum.* Cum ergo hæreſis, & alij Bullæ Cœnæ caſus reſeruentur in ea poſt Concilium Tridentinum, ſequitur non habere locum prædictum decretum in eis, atque adeo non poſſe hodie Epiſcopos ab illis abſoluere, & ita docent Azor. *tom. 1. inſtit. moralium lib. 8. cap. 19. quæſt. 3. & cap. 10. quæſt. 10.* Suar. *tom. 5. de cenſuris diſp. 21. ſect. 3. num. 5.* & idem Suarez *de fide, ſpe, & charitate diſp. 21. ſect. 4. num. 12.* Molina *tom. 4 de iuſt. diſp. 64. num. 8.* Toletus *in ſumma in Bulla Cœnæ excomm. 14.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 11. num. 26.* Gutierrez *lib. 1. quæſt. canonic. cap. 13. fine.* Nauarrus *in ſumma Lat. nouiori cap. 27. n. 275. verſu 14.* vbi aſſerit ſic declaraſſe viuæ vocis oraculo duos Sanctiſſimos Pontifices Pium V. & Gregorium XIII. Peña *in Directorio Inquiſitorum 3. part. quæſt. 92. commento 141. verſu penultimo*, aſſerens in ſupremo generalis Inquiſitionis ſenatu Romano ſæpe conclamatum eſſe, non poſſe iam Epiſcopos ab hæreſi occulta abſoluere, ſiue quia per Bullam Cœnæ ea poteſtas eis ſit adempta, ſiue quia ita declararunt Pius V. & Gregorius XIII. Maiolus *lib. 5. de irregularitate cap. 46. num. 6.* Felicianus *in ſuo enchiridio de excommunicatione cap. 18.* Fuſcius *in tractatu de viſitatione lib. 2. cap. 31. num. 5. & cap. 23. num. 4* Bartholomæus ab Angelo *in ſuo examine confeſſorum dialogo 5. §. 554.* Antonucius *in ſua catecheſi lib. 1. cap. 25. annotatione 9. & lib. 3. cap. 2.* Viualdus ſe retractans *in candelabro aur. in editione nouiori anno 1602. 1. part. titulo 11. de abſolutione ſacramentali 13.* Paramus *de origine Inquiſitionis lib. 3. q. 9. num. 141.* Vgolinus *de caſibus Pontifici reſeruatis 2. part. cap. 2. §. 4. ſuper verſicul. etiam prætextu quarumcunque facultatum num. 3.* Philiarchus *de officio ſacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 25. paulo poſt initium.* Garcia *de benefic. part. 11. cap 10. num. 255.* Ægidius *diſp. 14. de excom. dub. 10. num. 243.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 11. n. 27. ad finem*, & Santarellus *tractatu de hæreſi cap. 5. dub. 1. num. 1.* cum multis quos ibi citat, qui numero plus quàm quinquaginta excedunt.

Suarez. Azor. Suar. Molina. Tolet. Sanchez. Gutier. Nauarr. Peña. Maiol. Felic. Fuſcius. Barth. Anton. Viualdus. Paramus. Vgolin. Philiarch. Garcia. Ægid. Sanchez. Santarel.

Et quamuis nonnulli ex his auctoribus loquantur de ſola hæreſi, & non de aliis caſibus Bullæ Cœnæ, tamen in omnibus caſibus militat eadem ratio, quia clauſula Bullæ Cœnæ, reuocans facultates à concilio generali conceſſas loquitur de omnibus Bullæ Cœnæ caſibus, atque ita de omnibus illis idem tenet Sanchez, Felicianus, Vgolinus, Viualdus, Philiarcus, & Molina allegati. 4.

Sanchez. Felicianus. Vgolinus. Viuald. Philiarchus. Molina.

Secunda opinio affirmat, & docet eam facultatem non eſſe reuocatam, & ita poſſe hodie Epiſcopos exiſtentes in ſua diœceſi in foro conſcientiæ abſoluere ſuos tantùm ſubditos, non extra illam, tam ab hæreſi externa occulta, quàm ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ. Hanc tenent grauiſſimi auctores Nauarrus *in ſumma Latina cap. 27. num. 260. fine.* Et quamuis in nouiori contrarium teneant, tamen poſt illius mortem typis forte fuit excuſa, & ſic dicere poſſumus non illum mutaſſe ſententiam; ſed alium pro illo, & *lib. 5. conſiliorum edit. 2. titulo de ſentent. excommun. conſilio 21. quæſt. 1.* Gutierrez *lib. 1. de qq. canon. cap. 13 editione vltima ad finem.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 7.* Bañes *2. 2. quæſt. 11. art. 4. dub 2. poſt ſecundam concluſionem, verſu, Et ſi quis.* Aragonius *ibi artic. 3. columna 10. verſu, ſed dubium eſt;* 5.

Nauarr. Gutier. Henriq. Bañes. Aragon.

[Si. Rodrig.] est : Si verbo *Episcopus num.*37. Manuel Rodrig. *in cruciata* §.9. *num.*70 *& in summa tom.*1.*edit.*2. *cap.*131. *num.*3. [Simanc.] Simancas *in Enchirid. iud. cap.*51. *num.*5. *& de catholicis inst. tit.*5. *num.* 6. [Ceuall.] Ceuallos *in commun. tom.*3. *quæst.*802. *num.*65. [Vela.] Vela *de Pœnis delictorum cap.*14 *versu, Iure verò canon.* [Cord.] Corduba *in summa quæst.*8. *punct.* 1. [Palat.] Palatius *in* 3. *d.*25. *disp.*7. *fol.*301. [Angles.] Angles *in florib.*1. *part. vbi de confessione quæst.*4. *art.* 5. *difficultate* 6. [Campeg.] Campeg. *in additionibus ad Zanchinum de Hæreticis cap.* 34. *versu, Cum itaque.* [Barthol. Ledesma.] Bartholom. à Ledesma *in summa sacram.* vbi *de excommun. dub.* 13. *columna penultima.* [Flamma.] Flamma *in methodo curationis* 3. *part. capit.*16. *vltimo, fines.* [Catan.] Catancus *in summa verbo Episcopus* § *Episcopi quos Spiritus sanctus, casu* 10. [Gomez.] Anton. Gomez *in Bulla cruciatæ clausula* 10. *n.* 44. *in fine.* [Viuald.] Viualdus *in candelabro, edit. penultima in* 1. *part. vbi de absolutione. num.* 13. [Petr. Ledes.] Petrus Ledesma 2. *tom. summa tract.* 1 *cap.*6. *post* 20. *conclusionem, difficultate* 7. [Veiga.] Veiga 2 *tom. summæ cap.*125. *casu* 11. & probabilem dicit [Suarez.] Suarez *tom.*5. *de censur. in* 3. *part. disp.* 21. *sect.* 3 *num.*3. *& de fide, spe, & charitate disp.*21. *sect.* 4 *num.* 3. probabilissimam [Sanchez.] Sanchez *tom.* 1. *Decalogi. lib.* 2. *cap.* 11. *num.*27. *fine, versu, Fateor.* & [Becanus.] Becanus *tom* 2. *cap.*15. *de pœnis hæreticorum quæst.*2. *num* 5 *versu*, 4. *conclusio.* vbi expressè dicit respectu Episcoporum solùm hæresim publicam esse reseruatam Summo Pontifici non occultam, & posse illos à crimine hæresis occulto absoluere. & id ipsum docet [Seuer.] Iacobus Senertius *in canon. excommun. & casuum reseruat. part.*2. *excom.*5 [Lorca.] Petrus Lorca 2. 2. *disp.*45. *num.*10. [Vela.] Vela *de pœnis delict. cap.*14. *versu, Iure verò canonico.* Fundamentum est, quia Bulla Cœnæ est posterior decreto Concilij Tridentini, & loquitur generaliter, & indistinctè; posterior autem lex generaliter, & indistinctè loquens limitanda est per legem, & decretum antiquius, quando antiquior lex expresse illi contradicit, quamuis in posteriori, nouiorique sit clausula, *Nō obstante lege contraria*; vt est commune pronunciatum iurisperitorum; & per multos, & multa infra probat euidenter [Sanchez.] Sanchez *lib* 2. *de matr. disput.*24. *num.* 6. & patet ex L. *Sed & posteriores. ff de legibus.*

6. Quæstio igitur hæc vel potest procedere de facto, vel de iure. De iure, quærendo, videlicet, an verba Bullæ præcise spectata sint de se reuocatoria decreti Concilij Tridentini necne. Et in hoc puncto probabilius videtur [Suarez.] Suarez *de fide, spe, & charitate disp* 21. *sect.*4. *num.*13. & omnibus prioris opinionis auctoribus verba Bullæ sufficere ad huiusmodi reuocationem, tum propter illa verba: *etiamsi casus hi, in genere, vel specie, in prædictis facultatibus concedantur*; nam illud verbum, *in specie*, in Bulla indefinitè positum, omnes facultates etiam speciales, & in quacunque particulari forma datas comprehendit; tum etiam, quia illud verbum *cuiuscunque concilij generalis*, non videtur positum nisi propter decretum Concilij Tridentini, quia nullum est aliud concilium quod talem facultatem concedat. Quod verò de facto reuocata sit talis facultas Concilij Tridentini, habemus, inquit Suarius, testimonia grauissima, imprimis habemus testimonium Nauarri affirmantis Pium V. & Gregorium XIII. dixisse per illa verba voluisse ipsos derogare facultatem in Concilio Tridentino Episcopis concessam; habemus etiam testimonium Peñæ astruentis senatum supremum sanctæ Inquisitionis vrbis Romanæ ita sæpius declarasse; habemus etiam, inquit, duo responsa congregationis illustrissimorum Cardinalium, quibus idipsum declarant expressè; quid igitur ampliùs requiritur? hæ sunt Achilleæ rationes; hæc solida planè fundamenta, quæ Suarius, & cæteri authores prioris opinionis pro se afferunt.

Quæ tamen sic conuelli possunt: nam verba 7.
clausulæ Bullæ Cœnæ: *etiamsi casus hi in genere, vel in specie in prædictis facultatibus concedantur:* non intelliguntur de casibus Bullæ Cœnæ occultis; sed de casibus Bullæ Cœnæ publicis, siue illi concedantur in specie, siue in genere; facultas autem Concilij loquitur de absolutione casuum occultorum sedi Apostolicæ reseruatorum; quare nihil contra nos affert Suarius, vt optimè notat [Sanchez.] Sanchez *tom.*1. *Decalogi lib.*2. *c.*11. *num.*27. *versu, Nec obstat*; quod confirmatur euidenter ex quodam motu proprio Pij V. vbi adimens Episcopis facultatem concessam in Tridentino dicta *sessione* 24. *de reformat. cap.* 6. absoluendi à casibus iniquæ susceptionis sacrorum ordinum; addit hæc verba: *etiamsi crimen penitus occultum fuerit.* Signum ergo euidens est, generalem reuocationem facultatum in Bulla Cœnæ contentam *in genere, vel in specie*, non extendi ad casus occultos, vt bene notat Sanchez allegatus; & solùm intelligi debere de casibus publicis, quod notat etiam [Becanus.] Becanus *tom.*2. *cap.*15. *de de pœnis hæreticorum. quæst.*2. *num.*5. *versu*, 4. *conclusio.* vbi docet expressè Summos PP. solùm sibi reseruare casus Bullæ Cœnæ respectu Episcoporum quando publici, & notorij sunt, secus quando sunt occulti. Illud quod addit Suarez, clausulam illam, *cuiuscunque Concilij generalis*, non videri appositam in Bulla nisi propter Concilium Tridentinum, cum nullum aliud Concilium detur, in quo talis facultas concedatur Episcopis, est potiùs diuinare, quàm certò loqui, vt patet. Certè semper difficillimum creditu videtur, quòd facultas concessa à graui adeo Concilio generali, præuio maturo tantorum Patrum & Doctorum consilio, tam citò reuocata fuerit, cum vix tam breui tempore intermedio, interuenire tot inconuenientia potuerint ex concessa hac facultate in re adeò secreta, vt coëgerint Summos Pontifices ad reuocandam hanc licentiam; neque enim credi potest illam PP. nisi quodammodo coactos reuocasse.

8. Ad testimonia quibus probatur de facto iam reuocatam esse prædictam facultatem; Respondeo hæc testimonia reddere opinionem contrariam satis probabilem; in confirmatione secundæ sententiæ satisfactum esse, neque declarationes Eminentissimorum Cardinalium conuincunt ex eo, quia non constat de eis satis iuridicè, vt opus erat ad spoliandos Episcopos possessione sua.

9. Retenta verò hac secunda opinione, in ea dicendum est, si facultas hæc non est Episcopis adempta, posse illos absoluere ab hæresi occulta, & ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ similiter occultis etiamsi noti sint quinque vel sex: nam etsi quinque vel sex sciant illius hæresim, adhuc dicetur hæresis occulta, quia vt notat [Suarez.] Suar. *tom.*4. *de pœnit. disp.*30. *sect.*2. *n.*2. & [Sanchez.] Sanchez cum multis *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 11. *num.*19. & [Azor.] Azor. *tom.* 1. *lib.*8. *cap.* 10. *quæst.*9. hîc *occultum* sumitur prout opponitur publico & notorio in iure; *publicum* autem, *& notorium* in iure illud dicitur, quod notum est maiori parti viciniæ, parochiæ, collegij, aut oppidi, modò saltem decem per-

Nauarr. Lessius.

ſonæ inueniantur in vicinia, collegio, parochia, aut oppido, vt bene notant Nauarrus *in ſumma Latina cap.27. num.* 255. Leſſius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.*11. *de detract. & contumelia dub.*13. *num.* 73. Vnde crimen notum quinque, aut factum in præſentia quinque, adhuc dicitur in iure occultum, vt conſtat ex cap. *Quis aliquando de pœnit. diſt.*1.*§. Hæc ergo*,& ab illo poteſt abſoluere Epiſcopus, quia vt ſit publicum iure in collegio, vicinia, parochia, aut oppido, requiritur ad minimum quod ſit notum ſex; imò quò vicinia, oppidum,parochia, aut collegium pluribus conſtiterint, plurium notitia requiretur, vt crimen maiori parti illius notum, publicumve dicatur; quare in magna vrbe, collegio, aut vicinia non ſufficit, quòd crimen notum ſit ſex, vt publicum dicatur; pro numero enim perſonarum requiritur notitia maioris partis illarum.Etſi verò in hac propoſita opinione poſſint Epiſcopi abſoluere hæreticos occultos, vt explicatum eſt, cum tamen hoc ſit pro foro tantùm interno: nihil impedit quominus domini Inquiſitores poſſint procedere contra huiuſmodi hæreticos occultos, & teneantur illos denunciare.

10. Imò etiamſi hæreſis, aut delictum ad forum externum deductum ſit, ſi tamen probatum non ſit ſaltem vnico teſte, adhuc dicetur occultum in ordine ad abſolutionem Epiſcopi, & diſpenſationem in irregularitate, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, in qua quantumuis ſit occultiſſima, Epiſcopus non poteſt diſpenſare, ſed ſolus Summus Pontifex in ea diſpenſat; exigitur tamen, vt reo ſit intimata delatio, ſeu deductio fori externi: ſi enim ei non fuerit intimata, quantumuis crimen deductum ſit ad forum externum, & in eo probatum modo aliquo, & ſaltem vnico teſte, quamuis iudex apud ſe retineret cauſam & ſummarium, dum eam non intimat parti, adhuc dicetur occultum in ordine ad abſolutionem Epiſcopi. Ita docet Graphis *lib.*1. *deciſion. aur. cap.*13. *num.*44 & Viualdus *in candelab. aur.* vbi de excommun. *num.* 42. & Auila *de cenſuris* 2. *part. cap.*7. *diſp.*1.*dub.*11.*concluſione* 3. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.*2. *cap.*11. *num.*21.*& lib.*8. *de matr. diſp.*34. *num.*57. *&* 58. Et ratio eſt, quia verba Concilij Trident.*ſeſſ.*24. *de reform. cap.*6. *exceptis caſibus deductis ad forum externum*, cum effectu intelligenda ſunt; non cenſetur autem negotium ad forum externum cum effectu deductum, quandiu eius deductio reo non intimatur. Vnde addunt Sanchez, & Auila allegati,ſi delinquens ex defectu probationis in foro externo abſoluatur, licet falſis teſtibus ſe defenderit, & ſiue abſoluatur ab inſtantia litis, ſiue definitiuè, adhuc non dici crimen deductum ad forum externum propriè, & iuridicè, ſed in ordine ad abſolutionem ſacramentalem Epiſcopi, & diſpenſationem in irregularitate illius dici occultum.Quæ opinio eſt optima, & eam ſecuti fuimus *lib.* 8. *ſecundi precepti Eccleſiæ cap.* 8. *num.* 26. Dices: non ſufficiet ergo, vt dicatur deductum ad forum externum, quòd probatum ſit ſaltem per vnicum teſtem; vt initio huius numeri diximus; cum vnicus teſtis non ſufficiat ad damnandum aliquem in iudicio, & reus ex defectu probationis in illo non condemnabitur. Reſpondeo poſt abſolutionis ſententiam rem deduci ad priorem ſtatum, & perinde eſſe, ac ſi occulta ſit, imò ac ſi nunquam fuerit commiſſa, ante ſententiam verò datam ſufficere, ſi iam ad forum externum ſit delata, & modo aliquo ſaltem per vnicum teſtem probata, vt verè iam deducta dicatur ad forum externum, ſi deductio fuit intimata reo, quod ſolùm conſiderauit Concilium, vt crimen non ſubdatur Epiſcopi abſolutioni, quare obiectio non procedit, vt patet.

Graphis. Viuald. Sanchez.

Vnde ſi duo ſint eiuſdem criminis complices, & alter illorum ratione ipſius delicti ad forum externum deferatur, & in eo probetur delinquens, alter verò non deferatur reſpectu iſtius non delati; adhuc crimen erit occultum, & ſubiectum Epiſcopo quoad abſolutionem, & diſpenſationem; quia res inter aliquos acta iis præiudicare non poteſt, quibus iudicata non eſt. *l.* 1. *C. res inter aliquos acta.* Ita docet Sanchez *tom.*1. *Decalogi lib.* 2. *cap.*11. *num.*21. *verſu*, *Inſuper ſi duo.* & Nauarrus *lib.* 2. *conſilior. in* 2. *edit. titulo de ſententia & re iudicata, conſilio* 2. 11.

Sanchez. Nauarr.

Quid ſi delictum ſit alicubi publicum, ibi verò vbi abſolutio petitur, ſit occultum, poterit ne Epiſcopus ab eo abſoluere? Negat Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſputat.* 30. *ſect.* 2. *num.* 2. quia exiſtimat non dici occultum; ac proinde facultatem Concilij Tridentini non extendi ad hunc caſum. Probat, quia quod alicubi publicum eſt, ſimpliciter eſt publicum, & non occultum, præcipuè moraliter loquendo, quod in vno loco eſt publicum, ſtatim ad alium deferatur. Reſolutio tamen affirmatiua verior eſt. Si delictum in vno loco ita diſtanti publicum ſit, vt ſpes non ſit fore vt intra breue tempus ad alium deferatur. Probatur, quia adhuc dicitur crimen occultum in ordine ad hanc Epiſcopi abſolutionem; nam communis ſententia docet manifeſtantem publicum alicuius delictum teneri ad reſtituendam eius famam, ſed tamen crimen publicum in vno loco non dici publicum in alio ſi intra breue tempus fama delicti illuc non erat peruentura, Id idem probat exemplum de publico excommunicato vitãdo in vno loco, qui in alio vbi ignoratur nec facilè peruenit fama, non eſt neceſſariò vitandus. Reſolutionem noſtram docent Sanchez *tom.*1. *Decalogi lib.*2. *cap.*11. *num.*20. Auila *de cenſuris part.* 2. *cap.*7. *diſp.*1. *dub.*11. *concluſione* 3. Durandus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 5. *fine.*& Palud. *ibi quæſt.*6.*art.*1.*num.*5. vbi manifeſtè tenent denunciatum, & publicum excommunicatum in vno loco, non ita cenſeri debere in alio, vbi id ignoratur; & idem docuit etiam ipſe Suarez *tom.*5. *de cenſuris diſp.* 13. *ſect.* 1. *num.*17. & nos etiam docuimus in ſecundo præcepto Eccleſiæ *lib.*8. *cap.*8. *num.*28. Vnde ſi aliquis nominatim denunciatus in vno loco, & vrbe, ſe conferat in aliam vbi ignoratur, eum fuiſſe ibi denunciatum, & vitandum, licet non ignoretur fuiſſe publicè excommunicatum, fieretque in eo loco iudex, aut confeſſarius, valerent abſolutiones,& ſententia ab eo in eo loco datæ,cum in eo loco toleratus ſit & vitari non neceſſariò debeat ab aliis, vt optimè docet ipſe Suarez proximè allegatus, & Leſſius *lib.*2. *cap.*29. *dub.*7.*num.*62. & Sanchez *lib.* 3. *in octauum precept. cap.* 6. *num.*11. 12.

Suarez. Sanch. Auila. Durand. Palud. Suarez. Leſſius. Sanchez.

Non poteſt tamen Epiſcopus abſoluere ab hæreſi occulta, aut ab alio crimine occulto Sedi Apoſtolicæ reſeruato exiſtens in diœceſi aliena, aliquem ſubditum ſuum; quia Concilium Trid. *dicta ſeſſ.*24. *de reform. cap.*6. requirit vt ipſe Epiſcopus exiſtat in propria diœceſi non in aliena, vt patet ex his verbis Concilij ibi: *in diœceſi ſua per ſe ipſos in foro conſcientiæ abſoluere* &c. Et ita videtur 13.

tur

Suarez. Henriq. Rodrig. tur docere Suar. *tom. 5. de censuris disp. 41. sect. 2. num. 11.* & cum Suario idem tenent Henriquez *lib. 14. de irregularit. cap. 21. n. 5.* & Manuel. Rod. *tom. 2. summa cap. 69. num. 1. in fine*; imò nec etiam iuxta eundem Suarium existens in propria diœcesi poterit absoluere subditum suum existentem in aliena, quia vtrumque videtur requirere Conciliũ; & quòd Episcopus, & quòd subditus sint in propria diœcesi; nam vt ipse optimè ibi animaduertit, qui in diœcesi aliena versatur absens à suo Episcopo, pro tunc subditur in foro conscientiæ Episcopo loci in quo versatur, ac proinde ab illo absoluendus erit per hanc facultatem Concilij non ab alio; & ita docuimus etiam *lib. 8. secundi præcepti Ecclesiæ cap. 8. num. 54.*

14. Sanchez. At verò Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 11. num. 18.* expressè asserit non requiri quòd Episcopus sit in propria diœcesi, neque etiam quòd subditus absoluendus, aut dispensandus in illa sit, sed asserit posse Episcopum prædicta facultate vti & subditum ab hæresi occulta, & ab aliis peccatis in Bulla Cœnæ Sedi Apostolicæ reseruatis absoluere, etiam si tam ipse, quàm subditi sint extra propriam diœcesim, & id probat numero 17. in hunc modum, quia, inquit, sensus eorum verborũ, *quoscumq; sibi subditos in diœcesi sua in foro conscientiæ absoluere*, est ambiguus, & nullatenus ea verba voluit Concilium iurisdictionem Episcopi limitare, sed tantùm ea significare videntur, quod Episcopus possit absoluere quoscunque sibi subditos, quomodocumque sibi subdantur; nempe, vel quia sunt ordinarij subditi, vtpote quia in propria diœcesi domicilium habeant, & in ea existunt; vel quia eis subduntur in solo pœnitentiæ foro, eò quòd suæ diœcesi innituntur ratione domicilij; & in alia inueniũtur tanquam aduenæ, & peregrini, quia non est credendum voluisse Concilium Tridentinum ita arctare potestatem Episcoporum, & omnia iura emendare quæ docent posse illos iurisdictionem voluntariam extra propriam diœcesim in subditos exercere. Deinde quia quando Concilium aliquid extra diœcesim fieri voluit, non verbis ita ambiguis, sed apertissimis id explicuit, vt *sessione 6. cap. 5. de reformat. Nulli Episcopo liceat Pontificalia in alterius diœcesi exercere; & sess. 23. cap. 1. de reformat.* volens, vt antiquior Episcopus in propria diœcesi existens ex suffraganeis approbet causas absentiæ Archiepiscopi, *dixit Episcopo antiquiori residenti*, vbi particula, *residenti*, apertè demonstrat opus esse, vt intra propriam diœcesim existat, non enim aliàs diceretur residens. Et verò quòd Episcopus extra propriam diœcesim existens possit subditos ab hæresi occulta & reliquis casibus Bullæ Cœnæ in conscientiæ foro absoluere, tamquam probabilius docet Suarius *tom. 4. in 3. part. disp. 30. sect. 2. num. 3. fine*, & Ledesma *tom. 2. sum. tract. 1. cap. 6. post. 20. conclusionem, difficult. 1.* & quòd similiter non opus sit, vt subditus in propria diœcesi existat, apertè sentire videtur Ledesma modò allegatus; & id suadere vult Sanchez *dicto tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 11. num. 17.* quia ad maiorem pacem & tranquillitatem Episcoporum & ad melius regimen ouium potius pertinet, ne Episcopus extra suam diœcesim existens absoluat suos subditos in ea existentes, quàm intra eam existens absoluat subditos extra illam versantes: si ergo primum concedimus, à fortiori debemus concedere secundum. Ita habet opinio Sancij: quæ non est improbabilis.

Suarez. Ledesma. Sanchez.

15. Verùm pugnat, & laborat Sanchez, sed mentem meam non expugnat, & adhuc persisto in mea sententia, quam numero 13. explicui, & tenui in secundo Ecclesiæ præcepto *lib. 8. cap. 8. num. 34.* torquet enim Sanchez verba Concilij, & sensus illius est admodum violentus: nam verba Concilij ita habent: *& in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut per Vicarium gratis possint absoluere*, vbi illa verba *in diœcesi sua* propriè referuntur ad Episcopos: diœceses enim Episcoporum sunt, & potius ad Episcopos pertinent quàm ad subditos. Requirit ergo Concilium quòd Episcopi in diœcesi sua existant, vt hoc præstare possint; & fortè quia eis tam grande priuilegiũ indulgebat, voluit eos grauare in residentia, vt sic illo fruerentur, & non aliter nec alio modo, iuxta illud, *quos honoro grauo*. Circa subditos verò non multò grauabor, quòd in propria diœcesi existant, vel non existant, vt possint beneficio hoc absolutionis per suum Episcopum gaudere. nam ex vna parte ob maiorem pacem, melioremque gubernationem videtur prædictum Concilium limitare prædictam facultatem non solùm quoad personas subditas, sed etiam quoad loca, in quibus hoc priuilegio gauderent. Aliunde verò cùm ille qui in diœcesi aliena versatur absens à suo Episcopo, quoad forum conscientiæ subdatur Episcopo loci, in quo versatur, ab illo absolui poterit per hanc facultatem, & non ab alio, vt cum Suario diximus *num. 13.* & docuimus *in lib. 8. secundi præcepti Ecclesiæ cap. 8. num. 34.* solùm in hoc puncto nobis videtur probanda opinio Sancij allegati, non in alio puncto. Suarez.

Addubitant tamen DD. an absolutio ab hæresi possit per Episcopum alteri committi. Quidam enim id negant strenuè. Fundamentum illorum est, quia Concilium in prædicto decreto *dicta sessione 24. cap. 6. de reformat.* discrimen facit inter casus Sedi Apostolicæ reseruatos, & hæresim, vt illos concedat Episcopo per se, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum; hanc autem per se & non per Vicarium: at si hæresim etiam posset alteri, vel Vicario committere, nullum discrimen esset inter illam, & cæteros casus, & frustra adderetur in Concilio *Idem quoque, & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicarijs sit permissum*; illa enim particula taxatiua *eis tantum* omnem delegationem, & commissionem excludit. nam tribus modis potest Episcopus Vicarium aliquem eligere. Primò generaliter pro omnibus casibus, & causis. Secundò, specialiter pro omnibus casibus reseruatis tantùm. Tertiò specialissimè pro casu tantùm hæresis; & omnes hos modos excludit Concilium in illis verbis, *eis tantum, non eorum Vicarijs*. & ita docent Gutierrez *quæst. canon. lib. 1. cap. 13. num. 29.* & Suar. *tom 4. disp. 30. sect. 2. num. 9. & 15. & de fide. spe, & charitate disp. 21. sect. 4. num. 8.* & Simancas *de cathol. instit. titulo 3. n. 6.* & Molina *tract. 5. de iust. disp. 18. num. 2.* & Garcia *de benef. part. 2. cap. 10. num. 113.* & Lorca *2. 2. disp. 45. num. 11.* & Ledesma *tom. 2. summæ, tract. 1. cap. 6. post 20. conclusionem, difficultate 6.* & considerata vi, ac proprietate verborum hanc sententiam censet Suarius in posteriori loco allegatus omnino veram in rigore iuris. 16.

Gutierr. Suarez. Simancas. Molina. Garcia. Lorca. Ledesma.

Alij, & probabiliùs, docent posse Episcopos committere absolutionem ab hæresi alicui non specialiter committendo illi vices suas quoad hæresim tantùm, aut quoad hæresim, & alios casus, 17.

sus; sed specialissimè pro singulis vicibus, & casibus hæresis occurrentibus, nam illud, *tantum*, in Concilio Trident. appositum solùm importat quòd non possint Episcopi generaliter hunc casum committere alicui, aut Vicario, non tamen adimit omnino hanc potestatem Episcopis delegandi illis absolutionem saltem pro singulis vicibus, quia de sua natura est hæc potestas delegabilis; competit enim Episcopis ratione officij, & dignitatis pastoralis non ratione personæ. Quare discrimen constitutum in eo decreto inter hæresim, & cæteros casus reseruatos in eo consistit, vt illorum absolutionem possint Episcopi tripliciter committere. Primò generaliter, committendo alicui vices suas circa omnes casus & causas. Secundò specialiter, committendo illi solum casus reseruatos. Tertiò specialissimè, committendo illi casum hæresis dumtaxat; & hic duobus adhuc modis potest committi, vel absolutè, & pro semper & hunc modum vetat, & excludit Concilium; vel pro singulis vicibus, & casibus occurrentibus hæresis, & hunc modum nec vetat, nec excludit Concilium. Quare absolutio hæresis in hac specialissima delegatione, non potest priori modo delegati, sed tantùm posteriori & pro singulis vicibus, & ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 11. num. 23.* Nauarrus *lib. 1. consil. in vtraque edit. titulo de const. consilio 1. quæst. vltim, anum. 89, & lib. 5 in 1. titulo de sent. excom. consilio 15. quæst. 2. & 3.* Corduba *in summa quæst. 8.* Azor. *tom. 1. lib. 8. inst. moralium cap. 10. quæst. 11.* Henriquez *lib. 6 de pœnit. cap. 14. num. 7. in textu & in commento littera O.* Sà *in summa, verbo, Episcopus, num. 37.* Vega *tomo 2. summæ cap. 25. casu 12.* Emanuel Rod *in Bulla Cruciatæ, §. 9. num. 79. fine, & in additionibus ad Bullam §. 9. num. 69. & in summa tom. 1. edit. 2. cap. 131. num. 5. & quæst. regular. tom. 1. quæst. 30. artic. 11.* & ita docuimus *in 2. Ecclesiæ præcepto, lib. 8. cap. 8. num. 36.* Et ratio est quia hæc facultas absoluendi ab hæresi occulta, vt dictum est, competit Episcopis non ratione personarum, sed ratione dignitatis, ac officij Episcoporum, vnde ex natura sua est delegabilis; & non est credendum voluisse Concilium substantiam, & naturam huius facultatis, mutare priuareque Episcopos ea re, quæ illis ratione officij sui competit. Solùm igitur per ea verba illis voluit commendare, vt tantò ea delegatione vtantur, & pro singulis tantùm vicibus, eam committant, si opus fuerit, non pro semper. Nam quoties verba aliqua correctoria sunt eius potestatis, quæ in perpetuum adiuncta est dignitati, & officio Episcopali, interpretanda semper sunt, vt quam minimum fieri possit ius commune corrigant, vt testantur omnes DD. passim.

[Margin: Sanchez. Nauarr. Cordu. Azor. Henriq. Sà Vega. Rodriguez.]

18\. Vtraque opinio est probabilis: ista tamen secunda, meo iudicio probabilior propter dictam rationem, quia scilicet, verba correctoria iuris communis strictissimè interpretanda sunt, ita vt faluentur tantùm ipsa verba. Vnde cum adhuc sufficiens discrimen constituatur inter hæresim, & cæteros casus reseruatos, sine dubio huic secundæ opinioni videtur adhærendum.

19\. Nomine autem Episcopi comprehenditur capitulum Sede vacante. Vnde sicut capitulum Sede vacante olim poterat vigore prædicti decreti Concilij Tridentini *sess. 24. de reformat. cap. 6.* ab hæresi & aliis censuris occultis Bullæ Cœnæ ante prædictam Bullam absoluere; ita hodie poterit in secunda opinione, quam probabiliorem iudicamus. Quamuis enim ea, quæ iure speciali competunt Episcopis, non transeant ad capitulum, vt cum communi docet Innocentius *in capite, Cum in cunctis. num. 7. de Elect.* & Abbas *in cap. verum. num. 9. de foro competenti.* & hæc facultas iure speciali in eo Concilij decreto illis sit concessa; attamen id intelligendum est de iis, quæ Episcopis competunt ex commissione, & ex iure speciali delegato; non verò de iis quæ illis competunt iure speciali ordinario. Hæc autem facultas illis conceditur iure speciali ordinario, non delegato, quia conceditur illis ratione officij, & dignitatis, non personæ, vt optimè animaduertit Couarr. *lib. 3. var. cap. 20. num. 6.* Nauarr. *in summa cap. 27. num 45.* Corduba *in sum. quæst. 13. initio.* Henriq. *lib. 6 de pœnitentia cap. 7. num. 3 & lib. 13. cap. 24. num. 2.* Syluest. *verbo, delegatus, quæst. 8. dicto 1.* Barthol. *in l. ambitiosa, ff. de decretis ab ordinar. factis, num. 34.* Bald. *in capite finali de offic. ord. num. vnico,* & ibi Imola *in fine.*

[Margin: Innocent. Abbas. Couar. Nauarr. Henric. Cordub. Syluest. Saytus. Barth. Bald. Imol.]

Comprehenduntur etiam quo ad hanc absolutionem hæresis occultæ & casuum Bullæ Cœnæ Prælati Ecclesiastici habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, & propriam diœcesim, quia etiam ij poterant olim ante Bullam à prædictis casibus, & hæresi occulta absoluere: ita Rodriguez *tom. 2. summa cap. 10. num. 6. conclus. 6. & tom. 1. quæst. regular. quæst. 24. art. 16. & quæst. 61. art 9.* Henriquez *lib. 14. de irregular. cap. 18. num 2. & lib. 6. de pœnit. cap. 16. num. 1.* Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 11. num. 5. & lib. 8. de matrim. disp. 2. num. 12.* Sayrus *in claui regia lib. 6. 11. num. 83.* Auila *de censur. part. 7. disp. 10. dub. 6.* Flores de Mena *lib. 3. var. quæst 24. num. 18.* Probatur, quia Bulla Cœnæ non aufert illis hanc potestatem, vt probatum manet de Episcopis; ergo sicut olim ante illam ex vi decreti Concilij Trid. huiusmodi Prælati poterant ab hæresi occulta, & casibus reseruatis in ea contenta absoluere, & dispensare in irregularitatibus, excepta ea, quæ est ex homicidio voluntario occulto, ita hodie id ipsum poterunt iuxta ea quæ in prædicto Concilij decreto continentur. 20.

[Margin: Rodrig. Henriq. Sanchez. Sayrus. Auila. Flores.]

Prælati regulares non possunt de iure absoluere religiosos suos subditos ab hæresi occulta, & aliis peccatis etiam occultis contentis in Bulla Cœnæ Domini, nec sub nomine Episcoporum comprehenduntur quo ad hunc effectum. Ita Suarez *tom. 4. disp. 30. sect. 2. num. 7.* Garcia *de benef. part. 7. cap. 11. num. 13. & 20.* & Armenda *in additionibus ad recopilationem legum,* Nauarra *tit. 18. l. 7. de irregularit. num. 10.* Ratio est, quia hi ante Concilium Trident. non poterant, ergo nec etiam post illud; quia Concilium solùm loquitur de Episcopis, & de habentibus iurisdictionem Ecclesiasticam quasi Episcopalem, non regularem; loquitur enim de illis, qui ante ipsum Concilium eam iurisdictionem habebant, & eam iurisdictionē iterum illis relinquit, illisq; ius suum reddit, quod olim possidebant. Cum autem Prælati regulares id olim de iure non habuerint, nec etiam hodie virtute prædicti decreti Concilij habebunt. De priuilegio verò an illud speciale habeant, non est huius loci disputare. Consulenda sunt verba priuilegii, & an reuocata sint, sedulò inuestigandum. 21.

[Margin: Suarez. Garcia. Armenda.]

De iure ergo, & secluso priuilegio solùm possunt Religiosi exempti ab hæresi occulta à Dominis Inquisitoribus absolui, vel Episcopis, stando in probabilitate secundæ opinionis, quæ docet facultatem absoluendi ab hæresi occulta, & à reli 22.

reliquis casibus Bullæ Cœnæ Episcopis in Concilio Trident. concessam, non esse illis ademptam per Bullam Cœnæ de qua *suprà num.* 5. Ita Ancharranus *in cap. Cum nullus. de temp. ord. in* 6. *num.* 5. Suarez *tom.* 4. *disput.* 30. *sect.* 2. *num.* 3. *&* *tom.* 5. *disp.* 41. *sect.* 2. Molina *tom.* 4. *de iustitia disp.* 61. *num.* 4. Sylvester *verbo. Absolutio* 5. *n.* 2. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 8. Auila *de censuris* 2. *part c.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. Et ratio est, quia exemptio Religiosorum ab ordinariis est inducta in fauorem Religiosorum, vt Deo tranquilliùs vacare possint; huic autem priuilegio possunt illi de suorum superiorum licentia cedere, & se in suam vtilitatem Episcopis subdere, ne quod in fauorem illis datum fuit, in detrimentum conuertatur. Secundò, quia non debent religiosi esse peioris conditionis, quàm sæculares. Tertiò, quia Mendicantes, & ij qui illorum priuilegiis fruuntur, habent priuilegium, vt de suorum Prælatorum licentia se possint subdere Episcopis, vt ab illis absoluantur, vt notat Corduba *verb. Absolutio ordin.* 9. *ad fratres* §. 1. *in priuilegijs Mendicantium.* Vnde, quicquid sit de iure, saltem virtute huius priuilegij id poterunt.

Anchar. Suarez. Molin. Sylvest. Henriq. Auila. Cordub.

23. Possunt denique Episcopi committere alicui confessario potestatem, vt se à peccato hæresis occultæ absoluat, quæ enim possunt in suos subditos, possunt etiam in se: Ita Sanchez *lib.* 8. *de matr. disput.* 3. *num.* 3. *& lib.* 2. *Decalog. cap.* 11. *num.* 11. & Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 41. *sect.* 2. *num.* 9. Garcia *de benef. part.* 11. *cap.* 10. *num.* 139. & alij, inter quos est Santarellus *tract. de hæresi cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 16. vbi quamplurimos more suo citat.

Sanchez. Suarez. Garcia. Santarel.

CAPVT XVI.

An in Iubilæis, in quibus conceduntur omnes casus Bullæ Cœnæ, & omnes sedi Apostolicæ reseruati, concedatur etiam absolutio ab hæresi. Agitur de potestate Inquisitorum circa illam, & de potestate absoluendi ab hæresi in articulo mortis.

SVMMARIVM.

An quando in Iubilæo, vel bulla aliqua conceditur facultas ad absoluendum ab omnibus casibus sedi Apostolicæ reseruatis, censeatur etiam concessus casus hæresis occultæ. Refertur prima opinio affirmans. num. 1.
Refertur secunda negans. num. 2.
Iudicium authoris approbantis primam. num. 3.
In articulo mortis quilibet sacerdos, etiam irregularis, degradatus, hæreticus, & excommunicatus potest ab hæresi absoluere. num. 4.
Quid per articulum mortis intelligatur. num. 5.
In articulo mortis si sit sacerdos, qui habet facultatem ad absoluendum à reseruatis, & alius, qui illam non habet; solus ille validè potest absoluere. num. 6.
Idem si adest sacerdos approbatus, & simplex, solus enim approbatus validè potest absoluere. ibid.
Quid si sit tempus accedendi ad Papam, vel superiorem reseruantem? num. 7.
Quid si sit tempus accedendi ad Inquisitores pro absolutione peccati hæresis? num. 8.
Refertur, ac refutatur opinio asserens in articulo mortis posse quemlibet sacerdotem simplicem præsente approbato, & sacerdotem non habentem facultatem super casus reseruatos præsente illo, qui illos habet absoluere. num. 9.
Quid si incipiente confessionem sacerdote simplice veniat approbatus, & incipiente sacerdote facultatem non habente super reseruata veniat habens? num. 10.
Iurisdictio delegata morte delegantis non expirat quando res est cœpta. ibid.
Quid si casus reseruati habeant adnexam excommunicationem, an possit tunc adueniente superiore reseruante, sacerdos qui pro articulo mortis confessionem cœpit, ab ea excommunicatione pœnitentem absoluere. num. 11.
Quid si simplex sacerdos pœnitentem in articulo mortis absoluat, & postea accedat sacerdos approbatus, & pœnitens de oblitis velit de nouo confiteri? num. 12.
Absolutio data in articulo mortis habet conditionem intrinsecè adnexam præsentandi se superiori, euaso periculo, si personaliter potest; si non potest, non tenetur per procuratorem: obligatio tamen comparendi datur quando casus habet adnexam excommunicationem, aliàs non. num. 13. 14. 15.
Si se non præsentauerit, incidet de nouo in eandem excommunicationem. num. 16.
An articulus mortis in casu hæresis extendendus sit ad illas personas, quæ sunt perpetuo morbo impeditæ. num. 17.
Siue casus hæresis sit publicus, siue occultus, non conceditur Episcopo illius absolutio in eo casu, quo æger perpetuo morbo impeditur, in ea sententia, quæ docet casus hæresis occultæ esse reuocatos, & ablatos Episcopis per Bullam Cœnæ. num. 18.
An Inquisitores facultatem habeant ad absoluendum hæreticos occultos in foro interno, refertur opinio negatiua. num. 19.
Præfertur affirmatiua. num. 20.
Tunc non absoluunt per aliam potestatem, nisi per eam, quam habent ad absoluendum in foro externo. num. 21.
Illa absolutio talis est, vt non solùm valeat in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo. num. 22.
Nec tam secreta est, vt excludat notarium; debet enim esse præsens confessioni, & postea ab Inquisitore pœnitens in foro conscientiæ absoluitur. ibidem.
Ante hanc absolutionem præmittenda est abiuratio formalis, & iuridica. num. 23.
Facultas hæc sic absoluendi per se primò residet in toto senatu Inquisitionis, potest tamen vni Inquisitori committi, alijs consentientibus. num. 24.
Quid si pœnitens fictè ad Inquisitores accessit, & non ex corde conuersus, an reuera maneat absolutus ab hæresi? num. 25.

GRAVE dubium est, an quando in iubilæo, vel priuilegio, aut bulla aliqua conceditur generalis facultas absoluendi ab omnibus casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, aut ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, censeatur etiam concessus casus hæresis occultæ. Qua de re partitur opinio. Prima affirmat censeri etiam in prædicto iubilæo, Bulla, aut facultate concessam absolutionem hæresis occultæ, & necesse non esse, vt de illa fiat specialis mentio. Eam docent multi, ac graues DD. in primis Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. *art.* 3. *conclus.* 5. Corduba *in summa quæst.* 8. & plu- 1.

Sot. Cordub.

[Garcia. Sà. Reginald. Lorcatus. Farinac. Suar. Viuald. Zerola. Frechil. Garcia. Agazo. Peña. Medina. Morgon. Ouand. Decian. Graphis. Albest. Ledesm. Peña. Filliuc. Reginald.]

res alij relati à Garcia *de beneficijs part.* 11. *cap.* 10. *num.* 110. Sà *pag.* 184. *num.* 10. Reginald. *in praxi lib.* 8. *num.* 53. *in fine.* Lorca. 2.2. *disp* 45. *num.* 13. Farinac. *de hæresi quæst.* 192. *num.* 63. & probabile iudicat Suar. *tom.* 5. *de censuris disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 12. Viualdus *in candelab. aureo, vbi de absolutione num.* 13. *&* 16. *& in casibus Bullæ Cœnæ casu* 20. *num.* 14. Probabilem dicit Zerola *in praxi Episcopali* 2. *part. verbo, absolutio, versu.* dico quartò. & Doctor Frechilla *de excommun. part.* 4. *art.* 1. *n.* 7. quem refert Garcia allegatus. & eandem opinionem tenuerunt Magister Agazo, Ioannes de Peña, & Medinà lectores Theologiæ Salmanticæ, & Morgoneyus lector decreti, & multi alij consulti per Prouisorem Hispalensem doctissimum Guerrerum vt refert Viualdus *in candelabro,* 1. *part. titulo de absolut. num.* 16. Idem tenet Ouando *in* 4. *dist.* 13 *propositione* 28. *dubio* 3. *op.* 2. *folio mihi* 341. & in casu magni momenti ita consuluit Decianus *consilio* 5. *num.* 13. *fine vol.* 2. tenet etiam Graphis Neapolitanus Inquisitor. *lib.* 1. *decis. aur. cap.* 15. *num.* 25. *fine.* Quamuis enim ibi dicat contrariam opinionem esse meliorem, tamen dicit in praxi hanc esse sequendam; Antonius Albestanus *in summa sacram part.* 3. *cap.* 11. *num* 9. *fine.* Deducitur ex Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 26. *artic.* 1. *post medium* §. *sed est aliud graue dubium. fol.* 253. & idem tenet expressè Peña 2. *part. commento* 25. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 9. *num.* 265. vbi dicit ita respondisse Sacrum Pœnitentiariæ Prætorium. Reginaldus *in praxi lib* 8 *num.* 53. *in fine.* Fundamentum huius opinionis est, primò, quia casus Bullæ Cœnæ sunt omnes æquè reseruati; ergo quando Summus Pontif. in Iubilæo, bulla, vel priuilegio concedit omnes casus sibi reseruatos, nullum excipit, nec hæresim. Qui enim totum dicit, nihil excludit. Neque oportet nos distinguere, vbi ius non distinguit, maximè in re fauorabili, & ad salutem animarum necessaria; præsertim cum hoc priuilegium pro foro interno datum non impediat quominus in foro externo contra hæreticos procedatur. Tantum ergo abest, vt sit restringendum vt potius sit ampliandum. Secundò, quia cum Summus Pontif. vult excipere casum hæresis occultæ, expressè illum excipit; interdum enim in iubilæis solet concedi facultas absoluendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, aut ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, præter hæresim, ergo quando non excipitur, signum est voluisse Summos Pontifices illius absolutionem concedere.

[Suarez. Sanchez. Vasquez. Azor. Henriq. Couar. Nauarr. Simanc. Rojas. Gutier. Graphis. Petr. Ledes. Vgolinus. Philiarc. Vega. Sorbo. Arag. Garcia. Rodrig. Ceuall. Mirand. Perez. Andrad. Garcia. Benzon. Mirand. Santarell. Costa. D. Anton.]

2\. Secunda opinio id negat omnino. Eam docet expressè Suarius *de fide, spe, & charitate disp* 21. *sect.* 4. *num.* 21. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 10. Vasquez *de excom. dub.* 19. *num.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *quæst.* 12. Henriq *lib.* 8. *de pœnit. cap.* 16. *num.* 12. Couar. *in cap alma mater* 1. *p.* §. 11. *num.* 5. Nauarr. *in man. lat. cap.* 27. *num.* 275. Simancas *de catholic. inst. titulo* 2. *cap.* 3. *num.* 2. Roias *tract. de heret.* 2. *part. assert.* 39. Gutierrez *lib.* 1. *quæst. canon. cap.* 13. *num.* 26. Graphis *lib.* 1. *decis. aur. cap.* 15. *num.* 33. Petrus Ledesma *in* 1. *part. summæ tract. de sacram pœnit. cap.* 13. *dub.* 15. *col.* 2. Vgolinus *de censuris tabula* 1. *cap.* 1. §. 4. *num.* 13. Philiarcus *de offic. sacerd.* 1. *part. lib.* 3. *cap.* 27. Veiga *in summa* 1. *p. c.* 125. *casu* 12. Sorbo *in compendio. verbo, absolutio ordinaria, pag.* 20. Aragonius 2.2. *quæst* 11. *artic.* 3. Garcia *de benef.* 2 *part. cap.* 10. *num.* 109. 110. Rodrig. *in explicatione cruciata cap.* 9. *num.* 70. Ceuallos *in communibus opin. tom.* 3. *quæst.* 802. *num.* 67. Mirandula *de regulis tom* 2. *quæst.* 6 *art.* 6. *conclusione* 1. Perez *lib. ordinamenti, titulo* 4 *l.* 3. *pag.* 85. Andrada *in explicat. bullæ cruciata quæst.* 59. Garcia *de benef. part.* 2. *cap.* 10. *num* 109. Benzonius *lib.* 1. *de fuga disp.* 1. *quæst.* 6. Miranda *in suo directorio tom.* 2. *quæst.* 7. *art.* 8. Santarellus *de hæresi cap.* 6. *dub.* 4. *num.* 10. *fol. mihi* 72. *conclus.* 2. Costa *in bulla cruciata quæst.* 59 D. Antonin. 3. *part. titul.* 24. *cap.* 77. §. 1. Fundamentum est, primò, quia Concilium Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* cum prius concessisset Episcopis facultatem absoluendi à casibus occultis Bullæ Cœnæ, vt extenderetur ad hæresim, illam postea expressit, & in illa peculiarem limitationem addidit, *vt vidimus cap. præcedenti*; addens, *idem quoque in hæresi,* &c. signum ergo est hæresim non venire in generali concessione: nam iuxta regulam *in generali de regulis iuris in* 6. in generali concessione non veniunt ea quæ verisimiliter quis negaret si speciatim ab eo peterentur. Secundò, quia ita declarasse Gregorium XIII. & Pium V. & hunc esse stylum Curiæ Romanæ omnes præcitati auctores referunt. Tertiò, quia ita habet communis omnium confessorum praxis.

3\. Ita se habent huiusmodi opiniones, vtraque satis probabilis. Prima tamen videtur inhærendo iuris principiis probabilior, quam secuti sumus *in* 2. *Ecclesiæ præcepto lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 37. *&* 38. Nec fundamenta secundæ conuincunt: nam stylus Curiæ varius est pro varietate Pontificum. De praxi omnium confessariorum non constat: nec etiam constat authenticè de declaratione Pij V. & Gregorij XIII. imò si id declararunt, explicarunt quidem suam mentem, & non poterant explicare suorum successorum mentem: nec fundamentum deductum ex Concilio Tridentino, & ex regula iuris vrget; quia multi Pontifices quando volunt concedere hæresim, illam expressè in iubilæis excipiunt. Signum ergo est, velle illos illam concedere, quando illam non excipiunt. Quare ad minimum prima opinio est valde probabilis, vt patet ex dictis.

[Suarez. Sanchez. Zambrano. Sanchez. Gutier. Azor.]

4\. Dubitabis tamen, an quilibet sacerdos in articulo mortis possit à peccato hæresis absoluere. Respondeo omnino indubitatum esse in articulo mortis posse quemlibet sacerdotem, quamuis irregularis, degradatus, excommunicatus, aut hæreticus sit, hæreticum à peccato hæresis absoluere. Ita communiter omnes DD. primæ, & secundæ opinionis; & speciatim ita docet Suarez *de fide, spe, & charitate disp.* 21. *sect* 4. *num.* 22. Sanchez *dict. tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 5. vbi speciatim mentionem facit de sacerdote irregulari, etiam degradato, excommunicato, non tolerato, & hæretico. Zambrano cum multis quos citat *de casibus articuli mortis c.* 4. *dub.* 4. *n.* 20. vbi etiam id docet de his sacerdotibus irregularibus, hæreticis &c. de quibus mentionem facit Sanch. Gutierrez *lib.* 1. *quæst. canon. c.* 1. *n.* 59. Azor *tom.* 1. *lib* 8. *cap.* 19. *quæst.* 5. Et ratio est, quia extrema necessitas articuli mortis propter quam hæc concessio fit, non minus militat in peccato hæresis, quàm in aliis, imò fortè magis in eo peccato militat, quàm in aliis peccatis & censuris. Necesse ergo est, vt sub tali concessione hæresis quoque comprehendatur, & ideo in iure communi hic casus in specie est expressus, vt videre est in tota *dist.* 26. *quæst.* 6. Accedit quòd in articulo mortis quilibet sacerdos potest absoluere quemlibet pœnitentem à quolibet peccato, & censura, vt

habetur

habetur in Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. quod
Suarez. egregiè probat Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 30.
sect. 3 *à num* 2.

5. Circa hanc verò facultatem nonnulla sunt no-
tanda. Primò, per articulum mortis non solùm
intelligi statum ægritudinis, in quo homo pro-
ximus morti esse censetur, vel graue, & morale
periculum illius; sed etiam alias occasiones in
quibus homo aggreditur actionem aliquam; quæ
secum affert tale periculum, quale est nauigatio
in Indiam, & tempus partus in muliere, quæ so-
let partus experiri difficiles, aut prima vice parit;
secus si faciles experiri soleat. Et ita docet expres-
sè loquendo de periculo, seu articulo mortis re-
Suarez. Sanchez. Couar. spectu absolutionis ab hæresi occulta Suarez *de*
fide, spe & charitate disp. 21. *sect.* 4. *num.* 23. San-
chez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 3. Couar.
Zambranus. *in* 4. *Decretal.* 1. *part.* §. 11. *num.* 8. *fine*, Zambran.
de casibus articuli mortis preludio 1. *num.* 8. & idem
Cordub. docet Corduba *in summa, quæst.* 18. *punct.* 2 *dict.* 4.
de quacumque alia nauigatione periculosa,
quam quisque vrgente necessitate aggreditur,
quia tunc non dicitur constitutus in mortis peri-
Sanchez. culo, sed ipse se constituit, & id probat Sanchez
allegatus, & placet, si antequam aggrediatur na-
uigationem, non velit confiteri; secus si post-
quam illam fuit aggressus, quia tunc in periculo
mortis est. Hinc non placet Sancio allegato nu-
Sà mero 4. Nec mihi placet opinio Sà *verbo, absolu-*
tio num. 4. asserentis damnatos ad triremes esse
in hoc periculo, quia huiusmodi periculum non
est proximum, & sæpè in triremibus versantur sa-
cerdotes, qui proximis periculis has confessio-
nes poterunt excipere; sæpe etiam triremes ad
portus accedunt in quibus solet esse copia sacer-
Syluest. dotum. Neque etiam placet opinio Syluestri *ver-*
bo, absolutio 1. §. 10. astruentis censeri in periculo
mortis esse quascumque prægnantes, & proinde
posse absolui à casibus reseruatis Summo Pon-
tifici propter idem periculum; est enim hoc pe-
riculum valde remotum nisi sit primus partus,
aut illos difficiles experiantur, vt dixi.

6. Secundò animaduertendum est, necessitatem
extremam, quæ militat in articulo mortis ad
absoluendum peccatorem à reseruatis, non so-
lùm sumendam esse ex parte peccatoris, sed etiam
ex parte sacerdotis. Vnde si sit copia confessarij,
qui habeat facultatem specialem absoluendi ab
hæresi, aut ab aliis reseruatis, ille solus poterit
absoluere in eo periculo, & non alius, & abso-
lutio ab alio præstita erit nulla, & irrita ex defe-
ctu iurisdictionis; cessat enim respectu aliorum
necessitas, quam Tridentinum requirit dicta
Suarez. *sess.* 14 *cap* 7. Ita docet Suarez *de fide, spe, & cha-*
ritate, disp 21. *sect.* 4. *num.* 24. *& tom.* 4. *de pœnit.*
disp. 26. *sect.* 4. *num.* 24. *& tom.* 5. *de censures disp.* 22.
Sanch. *sect.* 1. *num.* 62. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2.
cap. 13. *num.* 7. *iuncto* 6. vbi dicit idem esse dicen-
dum si adesset sacerdos approbatus, & simplex;
tunc enim id spectaret ad approbatum non ad
Zambran. simplicem sacerdotem; quod idem tenet Zam-
brano *de casibus articuli mortis cap.* 4 *dub.* 4. *num.* 3.
Sotus. & multi quos allegat, & Sotus *in* 4. *distinct.* 18.
Vgolinus Valentia *quæst.* 4. *art.* 4. *statim in principio.* Vgolinus *de cen-*
suris tabula 1. *cap.* 4. §. 5. *num.* 2. Valentia *tom.* 4.
disp. 7. *quæst* 10. *punct.* 2. *columna* 6. Molina *tom.* 4.
de iust. disput. 63. *num.* 2. asserens sic declarasse
Azor. Gregorium XIII. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19.
Viualdus. *quæst.* 5. Viuald. *in candelabro in penultima edit.* 1.
Bonzonius. *part.* vbi *de absolut. num.* 63. Rutil. Beozon. *tract.*
de fuga lib. 1. *disp.* 1. *q.* 6. *immediate ante* 2. *conclus.*

Et idem dicendum est si constitutio in mortis 7.
periculo sit tempus accedendi per se ad Papam,
vel ad superiorem reseruantem; non enim tunc
iuxta meliorem opinionem nec licitè, nec validè
poterit alius dare absolutionem. Et ratio est, quia
si quis in illo articulo mortis absoluatur; & po-
stea conualescat, tenetur se præsentare superiori;
vt statim *num.* 13. dicemus; ergo si à parte ante
potuerit, multo magis ad id tenebitur, & ideo
sæpe in iure additur illa conditio, *si non sit recur-*
sus ad superiorem. Extrauag. 1. §. *decernimus de*
sent. excom. & Extrauag. 1. §. *Incendiarios de pri-*
uileg. & ita docet Suarez *de fide, spe, & charitate,* Suarez.
dicta disput. 21. *sect.* 4. *num.* 24. & Sanchez *tom.* 1. Sanchez.
Decalogi lib. 2. *cap.* 13. *num.* 13. *&* 14. & omnes
quos citauimus numero præcedenti.

Et ideo bene docent aliqui ex præfatis do- 8.
ctoribus si sit recursus constituti in mortis peri-
culo ad Episcopum, vel ad Inquisitores, non
licere aliis confessariis reum absoluere à peccato
hæresis (& idem dicerent de aliis reseruatis) nec
valere absolutionem ab illo datam; sed hoc, vt
optimè animaduertit Suarez modò allegatus, Suarez.
procedit, si facultas absoluendi ab hæresi non
esset reuocata Episcopis per Bullam Cœnæ Do-
mini; & Inquisitores haberent potestatem ab-
soluendi ab illa in foro conscientiæ. de quo sta-
tim dicemus.

Sunt tamen multi DD. qui simpliciter asse- 9.
runt posse quemlibet sacerdotem non approba-
tum, præsente approbato, & approbatum, non
habentem priuilegium absoluendi ab hæresi, aut
à casibus reseruatis, præsente alio habente illud
priuilegium, & habentem hoc priuilegium præ-
sente superiore reseruante, licitè, & validè absol-
uere ipsum pœnitentem in articulo mortis ab hæ-
resi, & à quibuslibet peccatis, & censuris Sedi
Apostolicæ reseruatis. Fundamentum illorum est,
quia hoc est priuilegium commune omnibus
sacerdotibus concessum pro illo articulo, vt
omnes testantur, & quia Concilium Trident.
sess. 14. *de sacramento pœnit. cap.* 7. *ad finem*, ab-
solutè, & indistinctè dicit omnes sacerdotes ea
potestate gaudere in eo articulo, & vbi lex non
distinguit, nec nos distinguere debemus; & hi
sunt Nauarr. *lib.* 5. *consiliorum titulo de pœnit. &* Nauarr.
remiss. in 1. *edit. consil.* 15. *num.* 2. *&* 3. *& in* 2. *edit.*
consil. 23. *num.* 2. *&* 3. Sà *verbo*, *Absolutio num.* 4. Sà.
Petrus Ledesma *de sacram. vbi de pœnit. cap.* 14. Ledesm.
post 1. *conclusionem difficultate* 2. Emanuel Rod. Rodrig.
tom. 1. *summa edit.* 2. *cap.* 59. *conclusione* 3. *num.* 5.
fine, *& de qq. regularibus tom.* 1. *q.* 56. *art.* 4. *fine.*
asserens hoc nunc defendere viros doctissimos.
Corradus *in suis resp. tom.* 1. *sum. cap.* 6. *casu* 16. & Corrad.
clarè videtur tenere Henriq. *lib.* 8. *de pœnit. c.* 11. Henriq.
num. 4. *in commento littera V. in fine. & num.* 6.
& 8. *& cap.* 12. *num.* 1. *ad finem.* Oppositum ta-
men iudico cum authoribus, quos citauimus
num. 6. quia Concilium Trident. ibi expressè di-
cit id esse inductum ratione extremæ necessitatis
animarum, ne æger inconfessus discedat; quæ
autem necessitas esse potest vbi adest legitimus
confessarius potens absoluere, & habens veram
iurisdictionem, & priuilegium speciale ad ab-
soluendum? Quare, dato legitimo confessario
potente absoluere, cessat necessitas confessarij,
ob quam quilibet alius simplex sacerdos ex ge-
nerali priuilegio articuli mortis poterat absolue-
re. Deinde; quia in cap. *Eos, qui. de sent. excom.*
in 6. deciditur, vt absolutus à censura reseruata
ratione instantis periculi mortis, euaso periculo,
teneatur

teneatur se præsentare superiori cui reseruata erat. Si ergo cum periculum euadit, tenetur se præsentare superiori, consequenter etiam præsente superiori, nec licitè, nec validè poterit ab alio absolui.

10. Si tamen, deficiente sacerdote approbato, simplex sacerdos in articulo mortis cœpit audire confessionem, & ea cœpta, postea veniat approbatus; & deficiente sacerdote habente speciale priuilegium ad absoluendum ab hæresi, vel reseruatis, veniat sacerdos approbatus habens hoc priuilegium, & ille similiter absente vel deficiente superiore reseruante confessionem inchoauerit, & ea inchoata, superueniat superior, potest prior confessarius confessionem cœptam perficere. Et ratio est, quia iam res non est integra; sic non expirat iurisdictio delegata morte delegantis quando res iam cœpta erat; expirat verò, re integra, vt habetur in capite *Grano*, & capite *Relatum de officio delegati*, & quamuis hi textus loquuntur de iurisdictione in foro externo, attamen idem loquendo in foro interno docet Sanchez *tom.1 Decalogi lib.2.cap. 3. num 15.* Paludanus *in 4 dist.17. quæst.4. articulo 3 conclus 7 num.25.* D.Anton 3 *part.titulo 17. cap 9. fine.* Margarita confessor *in quæstionibus moralibus folio 113. versu Sciendum quod.* Petrus Ledesma *in summa vbi de sacram. pœnit cap. 12 post. 5. conclusionem dub.2. fol.539.* vbi ait, valdè probabile esse habentem licentiam audiendi confessiones ad tempus, posse, eo transacto, prosequi confessionem iam cœptam. Et ratio est, quia esset grauissimum onus constituto iam in mortis articulo illum cogere, vt confessionem legitimè inceptam repetat, cum vix possit vni fateri. & idem tenet Henriquez *lib.6 de pœnit.cap.* [illegible] *num.8.*

Sanchez. Palud. D.Anton. Margarit. Ledesma. Henriq.

11. Hoc tamen intelligendum est, quando casus sunt reseruati sine excommunicatione: nam si reseruati sint cum illa, vt sunt omnes casus Bullæ Cœnæ, non potest, qui confessionem audire cœpit siue simplex, siue approbatus sit, absoluere ab excommunicatione, superueniente superiore, illam reseruante: sed id vel præstandum est per ipsum superiorem vt postea prædictus sacerdos absoluere possit à peccatis, vel de licentia ipsius superioris si eam concedat, absoluit dictus sacerdos pœnitentem constitutum in mortis periculo primò à censura, & deinde à peccatis. Ratio est, quia confessarius tenetur pœnitenti censurato iniungere, vt quamprimum possit, si conualescat, vel periculum euadat, se superiori censuram reseruanti præsentet, vt statim dicemus, num. sequenti; ergo si superior adest, ab illo necessariò vel de illius licentia à censura absoluendus erit. Neque hoc est grauamen pœnitentis, cum non cogatur, nec teneatur peccata repetere, sed tantùm declarare superiori præsenti eam excommunicationem, ad quod tenetur ipse pœnitens; etiamsi post absolutionem superior veniret, quia cum eo onere solùm absolui poterat. Quid si superior nollet absoluere ab excommunicatione reseruata, nisi integra sibi confessione repetita? Autumat, & benè, Sanchez *dict.tom.1. Decalogi lib.2.cap.13.num.15.versu. Quod si superior.* posse priorem sacerdotem absoluere quia superior, Papa inferior, non potest iurisdictionem perficiendæ confessionis iam cœptæ in eo articulo concessam cuilibet sacerdoti reuocare, aut limitare, & pœnitens obligationi suæ se præsentandi iam satisfecit; & si aliud dicamus, incidemus in maximum absurdum, nempe quòd iurisdictio illa confessarij, qui confessionem cœpit, fuerit incerta & pendens ex futuro euentu & voluntate superioris superuenientis, quod nunquam est concedendum.

Sanchez.

12. Fatendum tamen est, si iam simplex sacerdos in eo articulo à peccatis absoluerat, non posse eum superueniente legitimo confessore audire peccata oblita, vel quæ æger tunc reuera non potuit vel existimatus est non potuisse confiteri cum absolutus est, sed ea peccata legitimo confessori superueniente necessariò confitenda esse; siquidem diximus in articulo mortis simplicem sacerdotem solum posse in defectu legitimi confessarij absoluere pœnitentem, & res est integra cum debeat fieri noua confessio & à priori omnino independens. & ita docet Suarez *tom.4. de pœnit. in 3. & disp.23.sect.1.num.2.fine.* Sanchez allegatus *dicto num.15. fine.* Zambrano *de casibus articuli mortis cap.4 dub.5. num 2.* & alij.

Suarez. Sanchez. Zambran.

13. Tertiò igitur animaduertendum est absolutionem de peccato reseruato habente excommunicationem adnexam in articulo mortis datam, habere intrinsecè adnexam obligationem præsentandi sese, & comparendi coram superiore, si pœnitens periculum illud euadat, & possit personaliter comparere; nam si non potest, non tenetur comparere per procuratorem, vt dicemus *n.15.* Patet ex capite *Eos qui.* & *Ea noscitur de sent. excom.in 6.* & nos docuimus in expositione capitis, *Si quis.* Et ratio est quia potestas absoluendi à censuris reseruatis sub ea tantùm conditione datur, & est iusta conditio, quia eo modo subuenitur necessitati peccatoris, & per illam prouidetur melius animæ illius, & consulitur etiam bonæ fidei, & Ecclesiæ. Vnde si casus reseruatus habuerit adnexam excommunicationem, tenetur confessarius admonere pœnitentem de huiusmodi onere, aliàs non, & cautionem aliquam de implenda huiusmodi obligatione ab eo exigere; & communiter censent. DD. cautionem iuratoriam sufficere, & ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib.2 cap. 13. num 17.* cum multis quos allegat, & Suarez *de fide, spe, & charitate disp. 21. sect.4. num.25.*

Sanchez. Suarez.

14. Dixi, *aliàs non*, quia quando casui reseruato nulla est adnexa excommunicatio, non est imponendum onus pœnitenti coram superiore comparendi, quia directa, & absoluta fuit absolutio, & nullo iure præcipitur id onus imponi. Ita Suarez *tom. 4. de pœnit.in 3. part. disp. 30. sect.3. num.6.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib.2. cap. 13. num. 24.* Zambrano *de casibus articuli mortis*, cum multis, quos allegat *cap.4.dub.4.num.21.*

Suarez. Sanchez. Zambran.

15. Dixi etiam; *si personaliter comparere potest*; quia si per se non potest, non tenetur comparere per procuratorem, vt docet Nauarrus *in summa cap.27. num.90. ad 5. quæstionem*, Suarez *de fide, spe, & charitate disp.21. sect.4.num. 25.* Vgolinus *de censuris reseruatis Papæ 3. part. cap.2. sub titulo de mortis articulo quæst. 4 num.1.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib.2. cap.13.num.14.* & ratio est, quia iura non imponunt hoc onus, vt videre est in dicto capite, *Eos qui*, & in cap. vltimo *26. quæst. 6.* & in concilio Arausicano 1. *cap. 2.* & alioqui onus comparendi per procuratorem graue admodum est, & ideo non est sine iure cogente imponendum.

Suarez. Vgolinus. Sanchez.

16. Quòd si absolutus ab excommunicatione reseruata cum onere se superiori reseruanti præsentandi, se non præsentauerit, cum commodè potuerit, reincidet in eandem excommunicationem

uem vt expresse habetur in capite, *Eos qui de sent. excommun. in 6.* & ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 24. Sanchez.

17. Quartò animaduertendum est, articulum mortis in casu hæresis, quoad absolutionem peccati, & censuræ illius, non esse extendendum ad illas personas, quæ moraliter loquendo censentur perpetuò impeditæ, vel propter incurabilem ægritudinem, membrorum læsionem, aut nimiam senectutem; vel propter paupertatem, ita vt nulla sit moralis spes, quod per se comparere aliquando antè mortem valeant. Et ratio est, quia licet probabilis sit ea opinio, quæ docet in aliis casibus, & censuris hæc impedimenta computanda esse cum articulo mortis, vt ostendit Sanchez *dict. tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 56. per multos, & multa iura. At id non valet in casu hæresis propter strictissimam eius reseruationem, in quo ius, & Bulla Cœnæ solùm excipiunt articulum mortis. non licet ergo extensionem ad aliud tempus facere, cum neque necessitas alterius temporis sit æqualis, neque vllibi extra hoc tempus & articulum mortis talis potestas sacerdotibus tribuatur. Et ita docet Suarez *de fide, spe, & charitate disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 26. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 37. Sotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad finem*, Viualdus, & quos citat Sanchez, quod ego intelligo, modò possit postea facilè haberi copia sacerdotis, qui in articulo mortis possit absoluere. Nam si periculum sit, ne habeatur, locum habere potest ipsa extensio quia periculum est decedendi sine confessione, quæ est tota ratio cur in articulo mortis conceditur licentia cuicunque sacerdoti absoluendi à quibuscunque casibus. Ratio cur non debeat fieri illa extensio, est, quia illa extensio solùm admittitur in excommunicatione capitis *si quis suadente*, quæ incurritur propter percussionem clerici vt habetur cap. *Ea noscitur.* & cap. *De his. de sent. excommunicationis in* 6. in quibus extenditur periculum mortis ad eos qui perpetuò aliquo impedimento morbi, paupertatis, vel ægritudinis, senectutis impediti sunt, & comparere non possunt; tunc enim in eo casu ex quadam indulgentia iubentur absolui à prædicta excommunicatione capitis *si quis*, ac si in articulo mortis essent; ergo in sola ea percussione ea extensio facienda est. Et in dicta percussione eam admittunt Innocentius in cap. *Quamuis in fine de sent. excom. in* 6. & ibi Anton. Butrius *in fine*. & Abbas *num.* 3. & Anchatranus *num.* 1. & non in casu hæresis, neque in alio casu.

Sanchez.

Suarez.

Sanchez. Sotus. Viuald.

Innoc. Butrius. Abbas. Anchar.

18. Quare siue casus hæresis sit publicus, siue occultus, non concedetur Episcopo hæc hæresis absolutio ratione huius perpetui impedimenti ægritudinis incurabilis, nimiæ senectutis, læsionis membri, aut nimiæ paupertatis. Vnde si sententiam teneamus, quæ docet reuocatam esse per Bullam Cœnæ licentiam Concilij Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* concessam Episcopis ad absoluendum suos subditos per se tantùm in sua diœcesi à casu hæresis occultæ, nullum huic impedito superest remedium, vt absoluatur, nisi si vel ad Inquisitores confugiat, vel ad Summum Pontificem per procuratorem aut litteras tacito nomine, aut expectet mortis articulum. Si autem Concilij Trident. facultas reuocata non sit, vt probabilius diximus *suprà cap. præcedenti n.* 5. *&* 7. *& lib* 8. *cap.* 8. *secundi præcepti Ecclesiæ n.* 32. poterit à proprio Episcopo virtute prædictæ facultatis absolui in solo conscientiæ foro. Et ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 37. *in fine.* & Suarez *de fide, spe, & charitate disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 26. *fine.* Sanchez. Suarez.

19. Dubium tamen est, an facultatem habeant domini Inquisitores ad absoluendum hæreticos ab hæresi occulta in foro conscientiæ, & poli. nam de absolutione iudicii, & in foro externo, & soli, nemo dubitat illos iurisdictionem habere ad illos absoluendos siue publici, siue occulti sint, cum id eis competat ratione sui officij. De potestate verò absoluendi hæreticos occultos pro foro poli, an illam habeant, multum dubitant graues auctores; dubitat imprimis Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 3. *&* 4. Garcia *de benef. cap.* 11. *& cap.* 10. *num.* 121. Farinacius *de hæresi quæst.* 191. *num.* 54. vbi expresse id negant, & non sine magno fundamento ait Suarez *de fide, spe, & charitate disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 55. nam vel illam habent ratione sui muneris, vel ex vi priuilegij bullæ Clementis, Papæ VII. quæ ad id allegari solet, & quam affert directorium Inquisitorum in fine; vel ex consuetudine. Nullum autem potest dici cum fundamento; nam consuetudo per se non potest sufficere in hac materia, quia non est verisimile incepisse, aut continuatam esse sine præcedente potestate; & quia singulis annis per Bullam Cœnæ talis consuetudo reuocatur. Priuilegium bullæ Clementis septimi in primis non conceditur omnibus; sed fuit specialiter concessum Inquisitoribus ordinis prædicatorum in Lombardia, vt in ea dicitur. Deinde ibi eis tantùm conceditur, vt extraiudicialiter absoluere possint hæreticos occultos nondum denunciatos; neque ab alio iudice prius inquisitos, si voluntariè, & verè pœnitentes accesserint, & humiliter misericordiam petant; & non dicitur, vt in foro conscientiæ absoluere possint; & illud verbum, *extraiudicialiter*, non significat, vt in foro conscientiæ absoluant, sed tantùm non seruata integra forma, & figura iudicij maximè, quia ibi postulatur, vt præcedat abiuratio vtpote in ea forma, quæ fieri solet in eo tribunali, quæ in foro conscientiæ non postulatur; & ideo illam concessionem prædictæ Bullæ Cœnæ intelligit Peña *de foro externo* 3. *part. decretorij super num.* 59. *comm.* 11. & indicat Couarr. *in regula, Peccatum* 2. *part. initio. num.* 7. *circa finem.* dum ait, hæreticum occultum occultè absoluendum esse ab Inquisitoribus, & addit. *In tribunali & præmissa abiuratione.* Munus Inquisitoris non est institutum pro foro conscientiæ; sed pro foro externo, vt rectè docet Eymiricus 3. *part. directorij num.* 59. vnde, inquit, non pertinere ad Inquisitores absoluere in foro sacramentali.

Sanchez. Garcia. Farinac.

Suarez.

Peña. Couar.

Eymiricus.

Dicendum tamen est primò, Inquisitores posse audire, & absoluere in foro conscientiæ hæreticos sibi confiteri volentes. Et in hoc omnes conueniunt, & probat consuetudo, de qua Viualdus testatur citatus, & approbatus à Suarez *de fide, spe, & charitate disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 16. & hæc potestas, vt docet idem Suarez hanc opinionem tenens, est moraliter necessaria in Inquisitoribus ad salutem & remedium animarum; nam aliter non esset bene prouisum circa salutem illarum, præsertim supposita opinione quam alij putant probabiliorem, quæ docet sublatam esse per Bullam Cœnæ hanc potestatem Episcopis in Concilio Tridentino *dict. sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* concessam; nam si domini Inquisitores hanc potestatem non haberent, profectò nullum aliud 20.

Viuald. Suar.

aliud nunc superesset remedium huiusmodi hæreticis occultis, quàm recurrere ad Summum Pontificem, quod moraliter loquendo est valde difficile, non enim sunt peccatores occulti cogendi vt se prodant. Imò etiam, vt docet Suarez allegatus *dicto num.* 16. poterunt Inquisitores audita illorum confessione, & recepta abiuratione, & imposita conuenienti pœnitentia, & medicina, illos remittere ad confessarium, vt ab eo absoluantur, iuxta Clementinam 1. *de hæreticis*; quia licet delegati sint, tamen sunt ad vniuersitatem causarum, & ex hac parte possunt facultatem suam committere.

Suarez.

21\. Dicendum est secundò, Inquisitores in eo casu non absoluere per aliam iurisdictionem nisi per eam quam in foro externo, ac iudiciali habent. Et ita expressè docent Suarez *de fide disput.* 21. *sect.* 4. *num.* 17. Nauarrus *consilio* 11. *de priuilegijs*, Bañes 2. 2. *quæst* 11. *art.* 4. *dub.* 2. *in* 3. *argumento contra* 2. *conclusionem*, Campegius *in additionibus ad Zanchinum cap.* 34 & Gutier. *lib.* 1. *quæstionum. can. cap.* 13. *num.* 7. Viualdus *in candelabro aureo* 1. *part. tit.* 11. *de absolut. num.* 15. vbi dicit esse hanc sententiam in praxi, & vsu receptam. Et probatur, quia ex vi sui muneris non apparet vnde habeant aliam iurisdictionem, & si illam haberent per Bullam Cœnæ, quæ singulis annis promulgatur, reuocata esset, cum verba illius generalia sint, & ad omnes cuiusque dignitatis extendantur, imò inter declarationes Cardinalium tam manu scriptas, quàm typis mandatas circa caput 6. Concilij Trident. *sess.* 24. *de refor.* vna inuenitur, vt testatur Suarez *suprà*, in qua expressè dicitur, neque Episcopos, neque Inquisitores posse absoluere ab hac censura in foro conscientiæ, quod intelligo non ex vi muneris sui, nam ex vi sui muneris, & per eam iurisdictionem, quam habent in foro externo, possunt, vt diximus duobus numeris præcedentibus.

Suarez. Nauarr. Bañes. Campeg. Gutier. Viuald.

22\. Dicendum est tertiò, illam absolutionem talem esse, vt non tantùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo valeat cum à iurisdictione in illo foro procedat; & quod inde sequitur, non tam secretè accipienda est, quin de illa iuridicè possit constare: ita vt saltem notarius adsit, qui fidem de illa dare queat, vt postea de illa constare possit in foro externo, & iudiciali, & in illo valere; nam si est actus iurisdictionis iudicialis, vt reuera est, debet aliquo modo iudiciali fieri, licet præter iudicium fiat, ita vt saltem adsit notarius qui confessionem recipiat & scribat, vt docet Peña, & Suarez allegatus *de fide disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 18. & significat Couarruuias *in regula, Peccatum* 2. *part. initio. num* 7. Neque hoc debet censeri nimis onerosum pœnitentibus, si ex corde conuertantur, quia ex vna parte fama eorum illæsa manet ferè æqualiter; ex alia vt notat Campegius, & asserit Suarez *dict. num.* 18. illis valde vtile est, vt sic absoluantur, quia accepta tali absolutione non possunt vlterius puniri pro illo delicto, etiamsi postea de illo Inquisitoribus denuncientur; quamuis si in posterum in idem crimen recidant possint, & vt relapsi tradendi sunt brachio sæculari. Quare licet aliqui putent Inquisitores habere facultatem absoluendi hæreticos occultos pro foro tantùm sacramentali pœnitentiæ, quando hæretici nondum ad illos sunt delati, sed secretò cum illis in foro sacramentali volunt confiteri, inter quos est Toletus *lib.* 4. *summa cap.* 4. *num.* 2. Rodrig. *in bulla cruciata* §. 9. *num.* 7. Gutierrez *lib.* 1. *quæst. canon. cap.* 13. Viualdus 1. *part. tit.* 11. *de absol. num.* 13. Nauarrus *consil.* 11. *de priuileg.* Certum tamen mihi videtur id quod diximus, Inquisitores scilicet non posse ab hæresi occulta non denunciata pro foro tantùm pœnitentiæ sacramentali absoluere. Et ratio est, quia Inquisitores sunt iudices in causa hæresis in foro tantùm exteriori constituti, hoc autem forum nullum commercium habet cum foro sacramentali pœnitentiæ, nec vllibi in iure habetur eos talem habere facultatem pro foro interno; & præter Suarium, & authores citatos, ita docent Santarellus *tract. de hæresi cap.* 5. *dub.* 7. *num.* 31. *fol. mihi* 64. Barbosa *de offic Episcop. part.* 2. *allegat.* 40. *num.* 26. Zecbius *in summa part.* 1. *titul. de fide rubr. de hæresi c.* 11. *num.* 18. Farinac. *de hæresi. quæst.* 192. §. 4 *num.* 52. *&* 54 Ricciul. *de iure person. cap.* 15. *num.* 3. *lib.* 5. & alij quos videre poteris in Santarello allegato.

Peña. Suarez. Couar. Tolet. Rodrig. Gutier. Viuald. Nauarr. Santarell. Barbosa. Zechius. Farinac. Ricciul.

Dicendum est quartò, præmittendam esse abiurationem formalem, & iuridicam ante talem absolutionem, vt in dicta bulla Clementis VIII. quam *num.* 19. allegauimus, præscribitur: atque hoc est valde necessarium ad bonum fidei, vt remedium efficax adhibeatur: sic docet, & bene, Suarez *dict. num.* 18. 23.

Suarez.

Dicendum vltimò, facultatem hanc per se primò residere in toto Senatu, & tribunali sanctæ Inquisitionis, nam illi data est iurisdictio illius muneris; posse tamen exerceri per vnum tantùm Inquisitorem ex consensu alterius, vel aliorum; quia, vt diximus, possunt committere suam iurisdictionem, & quia reuera ita conueniens erat, vt pœnitens facilius, & cum minori onere, vel rubore accedat, & ex his principiis possunt facile definiri multa, quæ de hac facultate tractant auctores. 24.

Sed quid si contingat hæreticum occultum fictè accedere ad secretam confessionem coram dominis Inquisitoribus modò hactenus explicato faciendam, vt absoluatur exteriùs, & ita à pœnis pro foro externo liberetur, cum tamen ex corde non conuertatur, erit ne illa confessio valida, & reseruatio manebit ablata, ita vt postea, si verè doleat, possit à quolibet confessario absolui? Respondeo absolutionem illam non valere, quia intentio absoluentis tantùm fuit, absoluere hominem fidelem, & verè contritum: vnde solet etiam in ea absolutione exprimi conditio; *si ita est*; & ideo non subsistente eadem conditione, *si ita est*, deficit intentio absoluendi. Et sic consequenter fit, vt etiam reseruatio peccati non auferatur: quandiu enim durat censura, durat etiam reseruatio; censura verò durat, dum pœnitens non absoluitur. Quapropter si postea ille homo ad mentem redeat, & conuertatur, & absolui cupiat, si nolit ad Pontificem ire, necesse est, vt iterum ad Inquisitores redeat, qui poterunt absolutionem iterum secretò iterare, & tunc non erit necesse iterum adhibere notarium, quia iam adhibitus fuit, & pro foro externo sufficit solemnitas priùs adhibita ad eum modum, quo dicunt auctores, matrimonium factum coram parocho, & testibus, licet contingat esse nullum ex defectu consensus, posse postea per nouum consensum reualidari sine solemnitate externa. Eadem enim ratio in præsenti apparet, & ita docet Suarez *de fide disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 19. 25.

Suarez.

CAPVT

CAPVT XVII.

De alijs pœnis spiritualibus, quæ propter hæresim incurruntur; nempe de irregularitate, de inhabilitate ad ministrandum in ordine iam suscepto, de priuatione iurisdictionis temporalis, & spiritualis.

SVMMARIVM.

Hæretici externi, etiam occulti, sunt irregulares. num. 1. & 2.

Hæc irregularitas consistit in inhabilitate sumendi ordines, & illam etiam laici homines incurrunt, & in inhabilitate administrandi in ordinibus susceptis & promotionis ad alios ordines. num. 3.

An fictè negans fidem exteriùs, corde tamen illam retinens, irregularis fiat. num. 4. & 5.

Irregularitas contra hæreticos lata extenditur ad fautores, receptatores, & defensores hæreticorum. num. 6.

An qui abiurant de vehementi irregulares fiant, & beneficia amittant. num. 7. & 8.

Est duplex abiuratio de vehementi; altera quando hæresis est probata, non tamen perfectè; altera quando non est probata, sed adsunt graues suspiciones. Quæritur per quam fiat abiurans relapsus irregularis, & confiscationem incurrat. ibidem num. 8. & 9.

Potestas ordinis, quæ datur sacerdoti per ordinationem Episcopi catholici manet in Sacerdote hæretico, &, si non habeat adnexam iurisdictionem validè exercetur, sed non licitè. num. 10.

Quid si realiter degradetur? ibid.

An sicut in sacerdote hæretico, & degradato manet potestas consecrandi Eucharistiam, maneat etiam potestas offerendi sacrificium. num. 11. 12. 13.

An in sacerdote hæretico, aut realiter degradato, maneat potestas faciendi sacramentalia, aut aquam benedictam, & consecrandi Ecclesias, si sit Episcopus. num. 14.

Hæretici publici, & non tolerati, amittunt iurisdictionem in vtroque foro siue spiritualis ea iurisdictio sit, siue ciuilis. num. 15.

An ista iurisdictione priuentur iure diuino, an solùm iure Ecclesiastico. num. 16.

1. POST excommunicationis pœnam, quæ est prima, secunda pœna quam incurrunt hæretici, est irregularitas, de qua dubitari potest, an reuerà sit expressa talis irregularitas in iure, propter regulam illam tritam & generalem. *irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis.* Omissis opinionibus,

2. Statuo sic. Verius est, irregularitatem per sese adnexam hæresi, & ideo hæreticos externos, & Apostatas quantumuis per accidens occultos, per hæresim fieri irregulares; oritur verò hæc irregularitas ex animæ defectu. Hanc latè probant Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 25. num. 2.* Toledo *lib. 1. summæ cap. 28. num. 1.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 13. & cap. 21. quæst. 8.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 19. puncto 3. in tertia specie irregularitatis.* Suarez *tom. 5. de censuris disp. 43. & quæst. sect. 1. num. 4. & de fide, spe, & charitate disp. 21. sect. 5. num. 1.* Peña *in 4. part. directorij, commento 162.* Farinacius *de hæresi quæst. 19. n. 43. & quæst. 192. à num. 67.* Nauarrus *in summa q. 27. num. 205. versu, tertio.* Syluester. *verbo crimen q. 2. num. 3. & verbo irregularitas quæst. 5. num. 7.* Mendoça *lib. 3. ad Concil. Elibertin. cap. 28. & 29.* ex quo Concilio *cap. 51.* nostra assertio colligitur. Patet ex Constitutione Clementis VII. incipienti. *Cum sicut*, quam inter bullas Apostolicas Inquisitorum refert Peña in fine directorij: vbi concedit Summus Pontif. facultatem Inquisitoribus dispensandi in irregularitate contracta ob hæresim occultam, vbi supponitur manifestè irregularitatem hanc contrahi ex ipso delicto hæresis; ad quid enim dispensabunt in illa, si illa non incurritur? Iam verò de irregularitate quam incurrunt Clerici hæretici constat ex cap. *Saluberrimum*, & capite, *Conuenientibus 1. q. 7.* & capite, *Nos de consecrat. dist. 22.* vbi Clerici ab hæresi redeuntes permittuntur cum dispensatione irregularitatis in suscepto ordine ministrare, non tamen vlterius ascendere, & hoc non ratione infamiæ, sed ratione hæresis, ac proinde nihil refert siue publica sit, siue occulta.

(Margin: Sanchez. Toletus. Azor. Valentia. Suarez. Peña. Farinac. Nauarr. Syluest. Mendoça.)

3. Hæc irregularitas in duabus partibus consistit. Prima est in inhabilitate assumendi ordines, & hæc laicos comprehendit quoad omnes ordines, & clericos inferiores quoad ascensum ad superiores ordines; & hæc pars habetur expresse ex Concilio Elibertino *canone 51.* ex iuribus citatis. Secunda est in inhabilitate ad ministrandum in ordine iam suscepto, quæ ad Clericos tantùm pertinet, in qua solus Summus Pontifex dispensat, vt docet Suarius *tom. 5. de censuris disp. 43. sect. 1.* secutus opinionem illam, quæ docet per Bullam Cœnæ ademptam esse facultatem in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reformat.* Episcopis concessam ad dispensandum in irregularitatibus ex delicto occulto contractis, excepta ea quæ est ex homicidio voluntario. At probabilius censet Sanchez *lib. 2. Decalogi cap. 25. num. 18.* cum multis, quos ibi citat, posse Episcopos virtute eius decreti dispensare in irregularitate contracta ob hæresim, vel Apostasiam à fide, quando hæresis, & apostasia occultæ sunt, secus quando publicæ. Quod absque dubio dicendum est in nostra opinione, quam secuti sumus *cap. 15. num. 5.* asserente facultatem hanc absoluendi ab hæresi externa occulta, & dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, Episcopis in Concilio Tridentino concessam, non esse per Bullam Cœnæ Domini reuocatam; & ita cum Sancio docet etiam expresse Farinacius *de hæresi quæst. 192. num. 79.* Garcia *de beneficijs p. 11. cap. 10. num. 86.* Henriquez *lib. 4. de irregularitate cap. 15. num. 2.* Viualdus *in candelab. in penultima edit. 2. part.* vbi de irregularitate *num. 7. & 89.*

(Margin: Suarez. Sanchez. Farinac. Garcia. Henriq. Viualdus.)

4. Dubitatur tamen, an fictè negans fidem siue sponte, siue metu, & timore id faciat, corde tamen illam retinens irregularitatem incurrat. Partita est opinio. Prima affirmat, hos non incurrere irregularitatem si crimen occultum sit; si verò sit publicum, incurrere illam, quæ contrahitur ex crimine publico, & notorio, non tamen illam, quæ contrahitur ex hæresi; quia re vera hæretici non fuerunt, nec apostatæ à fide iuxta superiùs dicta. Ita de ficto spontaneo Apostata tenet Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 11. quæst. vltima*, & de ficto ob grauem metum *lib. 8. cap. 21. quæst. 8.* quod idem videtur tenere Nauarr. *lib. 5. consilior. titulo de hæret. in 1. edit. consilio 3. in fine. & in 2.* edit.

(Margin: Azor. Nauarr.)

edit. toto consilio 8. Quod fictè negans fidem non incurrat irregularitatem nisi forte sit propter infamiam si crimen publicum sit; Probatur. Hi non incurrunt irregularitatem contra hæreticos & Apostatas latam à iure, quia reuera tales non sunt: non aliam contra fictè deferentes fidem, quia nulla datur pro hoc crimine in iure expressa, ergo nullam. Valet consequentia. Minor, quæ sola indiget probatione, ostenditur. Si aliqua esset irregularitas à iure lata in fictè negantes fidem, esset in cap. *Presbyteros dist.* 50. quia alij textus qui afferuntur, non veniunt ad rem, nam Can. 6. Apostolorum, qui solet ab aliquibus afferri, loquitur de solis clericis, & solam excommunicationem ferendam continet. Cap. verò secundum § *haretici de hareticis in* 6 quo nititur Santarellus suprà, ne verbum quidem de fictè negantibus fidem, sed de solis hæreticis & eorum fautoribus &c. Quod verò prædictum cap. *Presbyteros* non inferat irregularitatem fictè negantibus fidem, ostenditur primò, quia sermo in eo est tantùm de immolantibus Idolo. ergo non debet extendi ad reliquos deferentes fidem, cum simus in lege pœnali, præcipuè cum immolare dæmoniis contineat sacrilegum cultum, ac proinde sit peccatum grauissimum contra religionem, quod non habet quælibet negatio fidei externa. Deinde caput illud loquitur in foro externo (vt patet ex contextu.) ergo in quo quis fidem exteriùs negat, præsumitur ex animo negasse, nisi ex negantis protestatione & violétia externa oppositum probetur. ergo nihil mirum si dicat illos esse irregulares. Tertiò non videtur verum quod in eo cap. sermo sit de fictè immolantibus idolo, cum dicit immolantes ex metu incurrere irregularitatem, sed loquitur de iis tantùm qui metu verè ex animo immolauerunt. Quod colligo, quia caput illud absolutè loquitur de immolantibus idolo. quæ verba non significant fictè immolantes, sed verè, nisi id aliunde colligatur. Hic verò non apparet vnde id colligi possit; neque enim colligitur quia sensus eius capitis redderetur falsus, vel minus cohærens. Primum, quia si illud caput loqueretur de solis, verè ex animo immolantibus, sensus esset verè hæreticos sine Apostatas esse irregulares quod omnino verum est. Secundum, quia nulla visitur incohærentia in supradicto sensu, præcipuè cum non ita apertum & obuium sit ex aliis iuribus, Apostatas & hæreticos esse irregulares, vt indignè aut frustra fuerit hoc in eo Concilio Ancyrano, & capite illo *Presbyteros* desumpto ex tali Concilio explicari. Iam verò quod non colligatur ex eo quod asseratur in prædicto cap. quod omnino coactè immolantes qui interim clamabant se christianos esse, ideo non esse irregulares, quia caruerunt culpa, quasi diceret irregularitatem contracturos si culpa non vacarent, vt colligit Suar. suprà, non video quantum vrgeat; quia, licet daremus non esse irregularem fictè immolantem, adhuc Concilium poterat respondere, ideo coactè omnino & inuitè immolantes non incurrisse excommunicationem, quia carebant culpa; siquidem carentia culpæ non solùm eos excusabat ab incursione irregularitatis, sed omnino reddebat incapaces illius; siquidem irregularitas, si non sit ex significatione, sine culpa incurri nequeat, vt communiter docent DD. Sed quare dicet aliquis Concilium non potuis respondit illos non contraxisse irregularitatem, quia irregularitas nō incurritur à fictè immolantibus? Respondeti potest id fuisse ex duplici causa. Primò, quia etiamsi illi fictè immolantes non incurrerint irregularitatem propriam talis criminis, fictè incurrerunt aliam propter infamiam. Secundò quia securius erat id decidere propter carentiam culpæ.

Secunda ait, eos esse irregulares siue sponte, siue metu graui fictè negent fidem, vel ab ea apostatent: fieri, inquam, irregulares non irregularitate contracta ex hæresis crimine, cum reuera non sint hæretici, vt diximus *cap.* 11. *num.* 20. sed irregularitate propria huius criminis; ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 6. & Suarez *tom.* 5. *censurarum disp.* 43. *sect.* 2. *num.* 2. Maiolus *lib.* 5. *de irregularitate cap.* 34. *num.* 2. Viualdus *in candelab sacramentor. in penult. edit.* vbi de irregular. *num.* 88. & alij, quos citat Sanchez, quod probant ex Concilio Ancyrano *cap.* 1. *&* 2. & refertur capite *Presbyteros dist.* 50. & quamuis is textus videatur loqui de solo offerente sacrificium idolis, tamen idem voluit dicere de negantibus fidem, quocumque signo externo, nam postquam dixit immolantes idolis ex graui timore arcendos esse ab ordinibus, ait, secus esse de laicis, qui cum clamarent se christianos esse, vi præcisa coacti sunt immolare, quos ab hac pœna, ait, eximi, eo quod culpæ immunes sint; comprehendit ergo fictos apostatas ob timorem, qui non sont à culpa hac, & peccato liberi. Ego huic vltimæ sententiæ adhæreo propter suos authores, & fundamentum, quia reuera cum Concilium Ancyranum ait illos qui inuitè imolarunt, liberos esse ab irregularitate, quia caruerunt culpa, aliter videntur si culpa non caruerunt, & hic sensus videtur magis connaturalis. 5.

Sanchez. Suarez. Maiol. Viuald.

Irregularitas autem contra hæreticos lata extenditur quoque ad receptatores, fautores, & defensores hæreticorum. Et quamuis Henriq. *lib.* 14. *de irregul. cap.* 4. *num.* 6. Sà *verbo Irregularitas ex defectu animæ num.* 2. hoc limitent, scilicet de ipsis hæreticis limitant quando hi sunt notorij, aut per sententiam damnati, & sic videantur sentire eos non affici peculiari irregularitate, sed solùm illa, quæ contrahitur ex infamia; tamen verius est peculiarem incurrere, & adhuc eam non euadere quamuis occulti sint. Ita expressè docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 7. Suarez *tom.* 5. *de censuris in* 3. *part. disp.* 43. *sect.* 2. *num.* 5. *in fine*, idque probant ex textu speciali *in cap.* 2. §. *Hæretici de hæreticis in* 6. & pro hac opinione citat Sanchez Nauarrum, Ledesmam, Valentiam, Maiolum, & alios. 6.

Henriq. Sà. Sanchez. Suarez.

Dubitabis tamen hic, an illi, qui tanquam de hæresi suspecti coguntur per Inquisitores abiurare de vehementi, irregularitatem incurrant. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *quæst.* 8. *in fine* autumat hos irregulares esse ratione vehementis suspicionis notoriæ. Dicendum tamen est, nullatenus irregulares esse ratione vehementis suspicionis notoriæ, nec eorum beneficia vacare virtute motus proprij Pij V. decernentis vacare hæreticorum beneficia, & ad dispositionem Apostolicam pertinere. Et ratio est, quia hi non sunt hæretici, & vtrumque docet Nauarrus *lib.* 5. *consilior. de hæret. in* 1. *edit. toto consilio* 5. *&* 6. *in secunda editione toto consilio* 18. *&* 19. Flaminius *de resignat. benefic. lib.* 4. *quæst.* 3. *num.* 17. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 12. Henriquez *lib.* 13. *de excomm. cap.* 56. *num.* 1. Emanuel Sà *summa verbo, hæresis, num.* 5. Garcia *de benef. part.* 5. *cap.* 11. *num.* 98. vbi citat pro hac re Rotæ decisionem. Santarel. *de hæresi cap.* 28. *num.* 9. Ratio est, quia licet 7. & 8.

Azor. Nauarr. Flamin. Sanchez. Henriq. Sà. Garcia. Santarel.

licet suspecti de hæresi notorij ratione infamiæ incurrant irregularitatem, tamen per abiurationem eam purgant, ac proinde purgata & ablata infamia liberi etiam fiunt ab irregularitate.

9. Tertia pœna spiritualis est priuatio potestatis spiritualis; & hæc quidem potestas duplex est. Vna ordinis, quæ datur per aliquam ordinationem, & refertur ad sacramenta conficienda, & ministranda. Altera iurisdictionis, quæ ordinatur ad populum Christianum gubernandum per actus iudiciales, vel in foro externo, vel interno.

10. Primò ergo sic statuendum est Potestas ordinis, quæ datur sacerdoti, aut Episcopo manet in illo quando fit hæreticus, imò etiam quando realiter degradatur, & per eam validè exercet actum qui non requirit iurisdictionem internam, vel externam, non tamen licitè, quia exercendo peccat. Hæc conclusio est de fide, vt tradit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 3. & probat latissimè Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part disp.* 3. *sect.* 4 *de fide, spe, & charitate, disp.* 21. *sect.* 5. *num.* 10. & idem docet etiam Santarel. *de hæresi cap.* 7. *dub.* 2. *num.* 11. Becanus *tom.* 2. *cap.* 1. *de pœnis hæret.* 43. Et est communissima sententia contra Magistrum, & Gratianum, & contra aliquos antiquiores iurisperitos, quos refert Castro *lib.* 2. *de iusta hæret. punit. cap.* 21. asserentes nec licitè, nec validè posse huiusmodi hæreticos sacerdotes, & Episcopos efficere sacramenta; aut exercere aliquos actos sacerdotales, & Episcopales Existimabant enim hæreticos ipsa degradatione priuati hac potestate. Ratio ergo nostræ conclusionis est, quia potestas ordinis consistit in charactere, qui est indelebilis, ergo qui semel accepit talem potestatem, semper illam retinet, ac proinde validè potest exercere actum, qui non requirit iurisdictionem, modò seruetur debita materia, forma, & intentio. Nec obstat, quòd aliqui canones antiqui insinuent hæreticos carere omni tali potestate. cap. *Didicimus* 24. *quæst.* 1. nam hoc intelligendum est carere illa, vt licitè, & cum fructu suo possint exercere; alioquin quod validè exerceant, constat ex cap. *Quod quidam.* 1. *quæst.* 1. quod desumptum est ex D. Augustino *lib* 2. *contra Epistolam Parmeniani cap.* 13. & ex ratione ad ipsum probatur, quia alioqui sequeretur, quod per hæresim mentalem hæc potestas amitteretur, quod valde absurdum, & inordinatum esset. Quamobrem hæreticus, etiam declaratus, denunciatus, & degradatus consecrans iuxta ritum Ecclesiæ, verum conficit sacramentum, & Episcopus similiter ordinans sacerdotem, illum efficit verum sacerdotem. Et hoc etiam est de fide, vt docet Suarez *de fide, spe, & charitate disput.* 21. *sect.* 5. *num.* 9. quia non potest Ecclesia impedire quin verum fiat sacramentum quando fit à ministro habente potestatem, & applicante debitam materiam, & formam.

D. Thom.
Suarez.
Santarel.
Becanus.
Castro.
D. Aug.
Suarez.

11. Quæres, an sicut in hæretico sacerdote manet potestas consecrandæ Eucharistiæ, ita maneat potestas faciendi, & offerendi sacrificium Missæ pro viuis, & defunctis? Affirmat D. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 7. & communiter Thomistæ, & reliqui omnes allegati numero præcedenti, quia potestas illa, vt dixi, est indelebilis, & habet vim suam ex institutione Christi; quam Ecclesia auferre non potest.

D. Thom.

12. Dices. Sacerdos, qui offert sacrificium, facit hoc in persona totius Ecclesiæ; sed hæreticus est extra Ecclesiam, ergo non potest offerre sacrificium in persona totius Ecclesiæ. Respondeo cum

D. Thom. ad 3. sacerdotem in sacrificio Missæ dum consecrat, loqui in persona Christi; dum autem orat, loqui in persona Ecclesiæ. Quando ergo fit hæreticus, & ab vnione Ecclesiæ separatur, tunc quidem amittit ministerium, quod exercet in persona Ecclesiæ, non tamen amittit ministerium, quod exercet in persona Christi. Vnde consecratio ab ipso facta vim habet, oratio non habet.

Dices. Aliqui patres docent extra Ecclesiam non esse verum sacrificium, vt D. August. D. Leo, & Innocentius, quos refert D. Thomas loco citato Respondeo huiusmodi Patres loqui de fructu sacrificij, non de veritate: volunt enim significare non prodesse hæreticorum sacrificia ipsis hæreticis, & ea conficere illicitè, non tamen volunt ea non esse vera sacrificia. Ita Becanus & Santarellus allegati *suprà*. 13.

Statuo secundò. Probabilius est idem dicendum esse de potestate conficiendi sacramentalia. Vnde aqua benedicta à sacerdote hæretico, debito ritu, manet benedicta, & Ecclesia ab Episcopo hæretico consecrata, manet consecrata & similia. Ita tenet Glossa in cap. *Ecclesijs, de consecr. dist* 4. nec refert quòd in dicto cap. *Ecclesijs*, dicatur, Ecclesias consecratas ab his, qui non habent fidem Trinitatis, esse iterum consecrandas; & idem habetur in duobus capitibus sequentibus; & de paramentis altaris ab hæreticis benedictis. idem dicitur in cap. *Agapitus de consecrat. dist.* 4. nam vt glossa ibi ait, hæc iura intelligenda sunt, quando hæreticus in his consecrationibus non seruat ritum Ecclesiæ catholicæ, & hanc nostram conclusionem tenet cum eadem glossa expressè Suarez *de fide, spe, & charitate disp.* 21. *sect.* 5. *n.* 11. *fol. mihi* 593. *col.* 1. Santarellus *tract. de hæresi cap.* 7. *dub.* 2. *num* 12. Ratio est, quia ibi concurrunt omnia necessaria ad valorem actus; nam ex parte ritus id supponitur, ex parte verò potestatis probabilius est non posse Ecclesiam illam auferre supposita institutione sacramentalium, quia etiam datur ex vi characteris, & quicquid sit de potestate Ecclesiæ an illam habeat, vel non habeat ad auferendum hanc facultatem, multo verius est adhuc non illam abstulisse, quia talis pœna nullibi in iure scripta inuenitur, neque ex aliquo vsu Ecclesiæ colligi potest, neque erat consentaneum remanente in sacerdote potestate maiore ad conficienda sacramenta, negare illi minorem ad conficienda sacramentalia, quæ quasi accessoria est. 14.

Suarez.
Santarell.

Statuo tertiò. Hæretici publicè declarati excommunicati, & consequenter non tolerati ab Ecclesia, amittunt iurisdictionem spiritualem in vtroque foro interno, & externo; vnde omnes actus iurisdictionis, qui fiunt à sacerdote, vel Episcopo non tolerato irriti sunt propter defectum illius; irritæ igitur sunt absolutiones in foro sacramentali; & pœnitentiæ irritæ, censuræ, sententiæ, pœnæ ab illis irrogatæ, & sic deinceps. Ita D. Thom. *in* 3 *part. quæst* 93. *art.* 3. dum ait. *Vnde nec possunt absoluere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid huiusmodi; quod si fecerint, nihil est actum.* Thomistæ omnes cum illo *ibidem.* Becanus *tom.* 2. *cap.* 15. *de pœnis hæreticorum quæst.* 4 *num.* 6. & 7. Suarez *de fide, spe, & charitate disp.* 21. *sect.* 5. *num.* 14. & 15. Syluester *verbo, Confessor* 1. *quæst.* 19. & 20. & præcipuè *verbo, Hæresis num.* 16. Soto *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 2. Panorm. & Innocentius in cap. *Veritatis. de dolo, & contumacia.* Nauarrus *consilio* 10. *n.* 2. 15.

D. Thom.
Becanus.
Suarez.
Syluest.
Soto.
Panorm.

H 2 de

Sanchez. Simancas. Azor.

de hæreticis in secunda editione. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib* 2. *cap.* 9 *num.* 10. Simancas *de catholicis Inst. tit.* 46. *num.* 62. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *quæst.* 7. *& cap.* 13. *q. item* 7.

Ratio est, quia publicè declarati excommunicati amittunt omnem iurisdictionem Ecclesiasticam, vt modò suppono ex materia de censuris. ergo id etiam dicendum de hæreticis publicè declaratis excõmunicatis. Non quæro hîc, vtrum necessarium sit hæreticos non solùm per sententiam publicè declarari hæreticos, sed etiam declarati excommunicatos. de quo est quæstio inter Doctores, quia id totum pendet à quæstione, vtrùm satis sit vt quis excõmunicatus euitari debeat iuxta extrauagãt. Martini V *suprà ad euitãd.* 1, quòd declaretur incidisse in crimen, cui sit annexa excommunicatio; an vlterius requiratur quod declaretur incidisse in excommunicationem, quæ quæstio pertinet ad materiam de censuris. Et quod in genere decidetur in hac quæstione, dicendum item est in quæstione particulari de hæreticis; siquidem ij non ratione hæresis formaliter, sed ratione excommunicationis iurisdictione spirituali priuantur: neque enim inuenitur speciale aliquod ius, in quo pœna priuationis iurisdictionis hæreticis ipso iure imponatur.

Castro.

Quare nulla ratione audiendus Castro *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punitione cap.* 13. dum docet, ibi hæreticos iurisdictione priuari iure ipso diuino. Verum quidem est, quod hæretici eo ipso quòd in hæresim incidant, priuentur aliqua ratione iurisdictione quoad se, quatenus nimirum ratione excommunicationis quam eo ipso incurrunt iurisdictione vtendo peccant, nisi priùs ab aliis fuerint requisiti; quamuis quod ad alios illam retineant, quatenus requisiti non solùm validè, sed etiam licitè illam exercere possint. Ita suprà citati.

Capvt XVIII.

De pœna infamiæ, inhabilitatis ad beneficia, & officia de nouo obtinenda, & priuationis obtentorum: quæritur an si detur statutum, vt filij hæreticorum non admittantur ad aliquod collegium, aut portionem vsque ad quartum gradum, intelligatur hoc tam de filiorum quàm de filiarum filijs.

Svmmarivm.

Quarta pœna, quam hæretici incurrunt, est infamia: extenditur hæc pœna ad credentes, fautores, receptatores, & defensores. num. 2.

Per lineam paternam vsque ad secundam generationem, seu gradum, per maternam vsque ad primum tantum. num. 2.

Consistit hæc infamia in eo quòd fiant inhabiles ad officia ciuilia & beneficia Ecclesiastica obtinenda. num. 3.

An hæc pœna incurratur ante iudicis sententiam declaratoriam criminis, refertur opinio affirmans. num 4. & 5.

Refertur negans. num. 6.

Iudicium auctoris propter det in primam. num. 7.

De pœna priuationis officiorum, & beneficiorum iam obtentorum, an incurrantur ante sententiam declaratoriam criminis? refertur opinio affirmans. num. 8.

Præfertur negans. num. 9. & 10.

Hæreticus occultus ante sententiam criminis potest resignare, & permutare beneficium in fauorem tertij. num. 11.

Secuta autem sententia retrotrahitur vsque ad diem commissi criminis, & aufertur beneficium ei cui fuit resignatum. ibid.

Quid si fuerit permutatum, & an tunc permutator amittat suum beneficium. num. 11.

An hæreticus externus occultus tuta conscientia retineat beneficium, & faciat fructus quandiu non fertur contra illum sententia. n. 12. & 13.

Omnes fructus beneficij percepti à die criminis commissi possunt confiscari per sententiam hæresis. num. 14 & 15.

An quando fertur lex aut statutum, quòd hæretici aut filij Hebræorum non admittantur ad aliquod collegium, aut honorem, id intelligendum sit de solis filijs ex filijs; an etiam de filijs, & filiabus. Refertur prima opinio asserens de vtrisque id esse intelligendum. num. 16.

Refertur secunda sententia dicens solùm de filijs ex filijs id intelligi. num. 17.

Soluuntur argumenta primæ. num. 18.

Sententia Auctoris. num 19.

POENÆ infamiæ, & priuationis beneficiorum Ecclesiasticorum magis temporales videntur quàm spirituales (nisi velis eas appellare mixtas) habent tamen spirituales aliquos effectus, & ideo inter has pœnas spirituales, illas numeramus. 1.

Quarta igitur pœna quam hæretici etiam occulti incurrunt, est infamia. Probatur ex iure canonico *cap. Infames* 6. *quæst.* 1. & *cap. Aliem.* 2, *quæst.* 7. Ex iure verò ciuili patet etiam incurri ab hæreticis pœnam infamiæ, quia ita habetur in Authent. *Gazaros, C. de hæret.* imò non pauci iuristæ tenent antiquiorem esse hanc pœnam ex L. *Cunctos populos. C. de summa Trinit.* Extenditur verò hæc pœna infamiæ ad hæreticorum etiam credentes, receptatores, defensores. & fautores hæreticorum, si intra annum non resipiscant. Ita habetur expressè cap. *Excommunic. l.* 1. §. *credentes de hæreticis.* Ratio cur talis pœna imponatur manifesta est, quia scilicet crimen hæresis valde odiosum est in Republica catholica, & præ cæteris pacem vrbium perturbat, charitatem ciuium scindit, fidem Christo negat; seditiones in populo excitat, tandemque tot mala secum affert, vt iis integra regna & imperia protsus nutent si iam diruta miserè non iacent, & vtinam non tot huius infortunij testes Ecclesia haberet, non ita amissa sibi doleret florentissima olim regna, Angliam & Scotiam, & in Germania, & passim alibi rerum omnium copia abundantes, quibus Deus opem aliquando ferre dignetur, vt qui de eorum infortunio doluerunt fideles, de eorum etiam salute lætentur. 2.

Supradicti omnes, quos diximus infamiam incurrere, consequenter etiam ad nullos honores ac dignitates admittuntur. Quia infamibus portæ omnes ad dignitates sunt clausæ, Regul. *Infamibus de regulis iuris in* 6. *& l.* 2. *C. de dignitatibus.* Vnde curam publicam gerere, officia publica obire, creari defensores ciuitatum, vocari ad concilia, esse milites, ad Doctoratum promoueri, 3.

iudices

iudices constitui, imò & secundum aliquos, arbi-
tri vel arbitratores, aduocari eligi, notarij nisi
ad fidem priùs redierint fieri, testes ad ferendum
testimonium admitti non possuor, vt ex multis
iuribus & Doctoribus ostendit Santarellus quem
videre poteris *tract. de haresi c. 25. toto n. 11. vbi de*
hac relate. Ratione item prædictæ infamiæ hæ-
retici etiam nobiles nobilitate priuantur, vt docet
Simanc, Roias. Simancas *de catholic inst. tit 46. n 67. & 68.* Roias
sing. 157. Inde est quod hæretici plebeiorum pœnis
sine differentia plecti possint, vt supracitati Roias
& Simanc. qui vltimus pulchrè de hac re disserit.
Extendunt aliqui hanc pœnam iofamiæ ad hę-
reticorum & ipsorum credentium, fautorum, re-
ceptatorum, defensorum filios per viam pater-
nam vsque ad secundam generationem, per viam
verò maternam vsque ad secundam. Ita explicat
cap. 2. §. *hæretici*. & cap. *statutum 2. de hæreticis*
in 6. dum ibi prædicti inhabiles fiunt ad officia
& beneficia. quod restringitur ad filios hæreti-
corum eorum, qui vel tales sunt vel tales mor-
tui sunt, vt habetur cap. *Statutum* citato ibi: *Hoc*
sanè de filijs & nepotibus hæreticorum credentium &
aliorum eiusmodi qui tales esse, vel tales etiam decos-
Simanc. *sisse probantur*, *intelligendum esse videtur*. Ita exi-
stimant Simancas *de catholicis instit. tit. 29. à n. 14.*
Calder. *ad 20.* Calderin *tract. de hæreticis. Rubrica de pæ-*
Surd. *nis filiorum hæreticorum, num. 4. & in rubrica de*
Castro. *pænis receptatorum, num. 3. & 4.* Surd. *consil. 386.*
Couar. *num 4.* Castro *de iusta hæreticorum punitione cap 9.*
Molin. Couar *lib 2. var. cap 8. num 2.* Molin. *tom. 3. 1. p.*
Suarez. *de iust. disput. 658. num 25.* & aliis apud Santarel-
lum citandum. Imò & Suar. *de fide disput. 21.*
sect. 5. num. 3. qui tamen oppositum docuerat *in*
tom. 5. disp. 48. sect. 3. num. 2. Sed reuera suprà non
quæstionem discutiebat, sed obiter rem dixit.
Reuera tamen non videtur extendenda pœna
Suarez. infamiæ ad filios hæreticos etiam appositis præ-
Menoch. dictis limitationibus. Ita Suar. *tom. 5. in 3. part.*
Santarell *disp. 48. sect. 3. num. 2.* vbi rem luculenter confir-
mat Menochius, *volum. 9. consil. 888. num. 44. &*
45. Santarel. *tract. de hæresi cap. 25. num. 12.* San-
chez *l. 2. Decalogi cap. 28. num. 5.* Probatur. Ne-
mo est afficiendus pœna quæ non fuerit in iure
expressa, vt patet ex cap. 15. *De sententia excom-*
mun in 6. Atqui pœna infamiæ nullibi pro filiis
hæreticorum inuenitur imposita. ergo. Dices
(quod est fundamentum vnicum oppositæ sen-
tentiæ, ac proinde eius solutione optimè confir-
matur nostra resolutio.) In cap. 2. §. *hæretici de*
hæret. in 6. efficiuntur prædicti filij inhabiles ad
officia & beneficia. ergo efficiuntur etiam infa-
mes, quia nihil aliud videtur infamia quàm hæc
inhabilitas ad officia & beneficia. Respondetur
tamen negando consequentiam, & ad rationem
adiunctam dicendum, infamiam præter illam in-
habilitatem concludere etiam aliam ad ferendum
testimonium, ad accusandum. vt patet ex cap.
Non potest. cum sequent. 2. quæst. 7 cap. *Testi-*
monium. & cap. *licet. de testibus*. & cap. *licet de pro-*
bationibus: quemadmodum includit etiam inha-
bilitatem ad retinenda beneficia, & vsum ordi-
num, officium & ius eligendi, qui omnes actus
sunt prohibiti infamibus iuxta iura citata, & alia
apud gloss. in cap. *Vt circa, verbo, eligentium de*
Electione in 6. quæ tamen non incorrunt clerici
filij hæreticorum & aliorum, vt est satis commu-
nis sententia Doctorum in dictum §. *hæretici*.
quam tuentur etiam DD. contrariæ sententiæ
præsertim Simancas suprà. Poterunt verò prædi-
cti dici infames quoad officia & beneficia; sed

hæc infamia non est simpliciter, sed secundùm
quid, & potius illa inhabilitas dici posset irregu-
laritas ad officia & beneficia. Ex dictis verò col-
ligitur, filios hæreticorum neque ad secundam
generationem per viam paternam, per maternam
verò vsque ad primam tantùm, esse inhabiles ad
officia & beneficia, vt colligitur ex cap. *Statutum*
2. de hæreticis in 6. quod intelligitur si parentes
hæretici discesserint, non verò si ante mortem
resipiscant, vt in eodem capite præscribitur.
Dubium tamen adhuc est, an hæretici incur- 4.
runt hanc pœnam infamiæ, & inhabilitatis ad
officia, & beneficia publica ante sententiam de-
claratoriam criminis, ita vt in foro conscientiæ
& ipso facto sint inhabiles ad officia, & benefi-
cia publica obtinenda ante vllam sententiam iu-
dicis, qua de re partita est opinio. Prima affirmat.
Eam docet Suarez de *fide disp. 21. sect. 5. num. 4.* Suarez.
Castro *lib. 2. cap. 5. & 9.* Simancas *de Cath. inst.* Castro.
titulo 46. num. 66. Roias *singulari 81.* Peregrinus Simanc.
de iure fisci, titulo 1. num. 172. versu. notandum ta- Roias.
men Azeuedo *lib. 8. recop. titulo 3. l. 3. num. 32.* Pereg
Aragonius *2. 2. quæst. 11. art. 3. fol 353.* qui om- Azeu.
nes asserunt hæreticos esse ipso iure infames ante Arag.
omnem iudicis sententiam. Primò, quia est ipso
iure irrogata. Secundò, quia in priuatione non
in actione consistit; at pœnæ, quæ in priuatione
consistunt, non indigent iudicis sententia. ergo
hæretici quantumuis per accidens occulti statim
hanc pœnam incurrunt, sicut incurrunt censurá;
quæ similibus verbis *ipso facto* seu *ipso iure* fertur.
Nec existimant prædicti AA repugnantiam 5.
quod homo fiat infamis per delictum occultum,
cum infamia in notitia hominum consistat, quia
licet impossibile sit per legem priuari aliquem
fama quæ consistit in hominum opinione,
& eius possessione, quando crimen est occultum,
non implicat tamen priuari dominio famæ; non
enim implicat quòd lex auferat alicui ius illud
quod habet ad conseruandam suam famam, id-
que ipso facto, quemadmodum potest priuare,
& de facto priuat, hæreticos iure bonorum suo-
rum, quamuis non eos priuet possessione eorum,
quia hæ priuationes bene possunt à iure inferri.
Non ita tamen intelligas hæreticos priuari iure
famæ, vt possint à quolibet infamari, quemadmo-
dum non ita priuatur iure bonorū, vt possit illis
à quolibet spoliari: sed ita vt statim reddatur
habilis ad eos actus, ad quos esset si iam spolia-
tus esset fama & redditus infamis, v. g. ad obti-
nenda officia publica & beneficia. Vnde data
sententia declaratoria criminis retrotrahitur vs-
que ad diem commissi criminis, ita vt obtentio of-
ficij & beneficij ab eo tempore sit nulla, & sic de
aliis, nisi sint actus publicæ administrationis facti
sub titulo publicè existimato vero, quia hi ra-
tione publicæ vtilitatis redduntur validi à iure
iuxta *L. Barbarius*. Vide Suar. suprà *de cens.* vbi
rem optimè explicat.
Secunda sententia negat, & ait non incurri ni- 6.
si post iudicis sententiam. Probatur, quia quem-
admodum hæreticus à die commissi criminis per-
dit bonorum dominium, at non tenetur ea di-
mittere ante sententiam iudicis, ita etiã si iure ipso
hæreticus fiat infamis, at infamiam non incurrit
ante sententiam. Ita docent Azor. *1. lib. 8. cap. 13.* Azor.
post quæstionem 8. in septima hæreticorum pæna. Fa- Farin.
rinacius *de hæresi quæst. 189. num. 56.* Sanchez Sanchez.
tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 26. num. 1. Castro *lib. 2.* Castro
de lege pœnali cap. 15. in fine, vbi ait occultum
hæreticum non incurrere infamiam iuris, vel fa-

Suarez. Salzedo. Dias. Sanchez. Cou. tiæ; & multi ex prima, vt Salzedo ad scholia Bernardi Dias *in practic cap.* 114. & Sanchez allegatus *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 8. Couart. *in* 4. *decret.* 1. *p. cap.* 6. §. 8. *n.* 8. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *q* 4 Ex hoc quod hi AA. contrariæ sententiæ dicunt, optimè colligitur non fuisse amissum beneficium quoad proprietatem, ipso facto, aliàs non posset iustè retineri præsertim perpetuò sine noua collatione.

11. Secundum colligendum est posse hæreticum resignare, & permutare beneficium in fauorem tertij, & valere huiusmodi resignationem, & permutationem, donec crimen hæresis per sententiam declaretur; declarato autem retrotrahetur sententia vsque ad diem commissi criminis, & ea resignatio, & permutatio beneficij à dicto die commissi criminis rescinditur, inualidatur, & aufertur beneficium ab eo in cuius gratiam resignatũ, aut permutatum fuit. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 8. Suarez *de fide disp.* 21. *sect.* 5. *num.* 20. Ille tamen, qui via permutationis beneficium ab hæretico accepit, si illo spolietur, potest ad suum, quod hæretico dedit, propria authoritate redire, quia hæreticus tanquam eius incapax ius nullum acquisiuit, vt dicemus *n.* 15. ac proinde est vacans, nec permutatio plenum est sortita effectum; sed perinde reuocatur, ac si facta non esset. Ita Sanchez allegatus *dict. n.* 9. & Flamin. *de resignat. beneficij lib.* 1. *quæst.* 14. *à num* 6. post multos.
Sanchez. Azor. Sanchez. Flamin.

12. & 13. Tertium colligendum est, tuta conscientia, retinere hæreticum fructus talis beneficii quandiu sententia contra ipsum non profertur, si alioquin suo muneri satisfaciat, quia est verus dominus beneficij. Ita idem Suarez allegatus *dict. num.* 19. *fine*, & omnes auctores pro prima, & secunda sententia allegati.
Suar.

14. & 15. Quartum colligendum est omnes fructus ex tali beneficio ab eodem die perceptos posse confiscari, quæ confiscatio magis ex dicendis in confiscatione aliorum bonorum patebit, licet hæreticus tuta conscientia illos possit retinere quoad vsque post sententiam latam à se repetantur. Ita Suarez allegatus *dicto num.* 20. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *post quæstionem* 8. & ita docent omnes Doctores secundæ opinionis: & id patebit infrà *cap.* 21. *num.* 16. vbi de pensionibus agemus.
Suarez. Azor.

16. Sed graue dubium hic insurgit, an si Papa lege aliqua, vel motu proprio statuat, quòd hæretici, aut ex Hebræorum genere, & filij eorum vsque ad 4. gradum, vel generationem (vtrumque enim gradus, & generatio in iure significant, vt patet ex cap. *statuimus* 2. *de hæreticis in* 6.) non admittantur ad collegium aliquod clericorum, ad canonicatum, beneficium curatum, aut ad aliquam temporalem portionem in subsidiũ studij: intelligendum hoc sit tam de filiis filiorum, quàm de filiis filiarum. Qua de re duplicem inuenio opinionem. Prima affirmat de vtrisque id esse intelligendum. Primò, quia verba legis, & mens legislatoris vtrosque attingunt, mens enim legislatoris colligenda est ex verbis, & verba satis clara sunt; hoc enim nomen filij respectu parentum, tam verè dicitur de filiis filiorum, quàm de filiis filiarum; vnde quando lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, maximè quando in distinctione recedimus à significatione verborũ, nunquam enim licitum est à significatione recedere, vt ait *lex. ff. de legibus* 3. *lex non aliter. ff. de exercit. act. l.* 1. §. *si is qui nauem*. Secundò, quia in ea lege voluit Princeps illam condens punire hæreticum non solùm in se, sed etiam in filiis, quamuis ipsi optimi sint christiani, vt patet ex cap. *Vergentis de hæret. in* 6. in quo bona parentum hæreticorum confiscari iubentur, nulla habita ratione orthodoxorum filiorum ibi: *Nec huiusmodi seueritatis censuram orthodoxorum exhæredatio filiorum quasi cuiusdam miserationis prætextu debet vllatenus impedire, cum in multis casibus etiam secundum diuinum iudicium filij pro patribus temporaliter puniantur, & iuxta canonicas sanctiones quandoque feratur vltio non in auctores scelerum solum, sed etiam in progeniem damnatorum.* Tertiò, quia finge quòd pater hæreticus non habet, nisi vnicam filiam, si excipiamus nepotem ex filia descendentem, ab hac lege, non punietur in filiis, & descendentibus vsque ad 4. gradum, seu generationem, cum alios non habeat. Quartò, quia ea lex, ea mente, facta fuit, ne quis filiam hæretici duceret in vxorem. Et meritò, quia timeri potest de corruptione mariti, & filiorum; sicut enim vir infidelis saluatur per mulierem fidelem, ita peruerti potest vir fidelis per mulierem infidelem. Et ideo dicitur Geneseos 8. *Caueat ergo vnusquisque ne contrahat cum filiabus Canaan.* Genes. 8.

Secunda opinio negat omnino comprehendi in prædictis verbis legis, & statuti filios ex filiabus, quia cum lex dicat *filios*, & non addat, *siue descendant ex filiabus, siue ex filijs*, masculos tantùm complecti videtur, & non fœminas secundùm verba, & secundùm mentem legislatoris. Ita docet Penna *in* 2. *part. directorij in adnotationibus ad caput, Vergentis de hæret. in* 6. *num.* 4. *versu, Dicendum ergo*. Anton. Gomez *de crimine læsæ maiestatis tom.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. Primò, quia ex quo quis de legitimis nuptiis progenitus est; sequitur patrem, & non matrem. *ff. de statu hom. l. Cum legitimè.* quod omnino verum est, cum agitur de dignitatibus, & honoribus, & pœnarum immunitatibus, vt patet, *C. de decur. l. eos, indulserunt, & l. Exemplo, & l. Nullus; & l. Si ille lib.* 10. *C. de pœn. decurio. & l. Decurionum filij*, & quantum ad pœnas expressiùs *ff. de pœnis. l. Moris. §. fil.* ergo non videtur hoc statutum comprehendere filios ex filiabus; sed tantùm ex filiis, cum sit pœnale, & in statutis pœnalibus strictissima interpretatio adhibenda est, itavt saluentur tantùm verba legis, quare cum saluari possint in filiis ex filiis potius lineam masculam; & paternam, quam fœmineam, & maternam, tale statutum comprehendere videtur. Secundò, quia in iure ciuili senatores vocantur ipsi senatores, & eorum filij nati ex fœminis nobilibus, id est quarum mariti fuerunt nobiles, & ex ordine senatorio, quia filius sequitur conditionem patris, non matris. *ff. de senatoribus l. Liberos*; si ergo in honoribus, beneficiis, & dignitatibus, filius conditionem patris, non matris sequitur, quanto magis dicetur eam sequi in pœnis in quibus leges sunt restringendæ non ampliandæ? Tertiò, quia si filius habeat patrem, & auum senatorem, etiamsi pater à senatu turpiter remoueatur, adhuc filius senator manebit, vt plus ei prosit aui dignitas, quàm patris indignitas, *ff. de senatoribus, l. Emancipatum §. filius.* Sic in negotio præsenti debemus asserere, vt plus prosit filio patris fidelitas, cuius conditionem sequitur, quàm matris, vel aui materni infidelitas, quorum conditionem, quoad multa non sequitur; nam cum statutum dicat, *& filij eorum*, lineam 17. Peña. Gomez.

 patet

paternam tantùm non maternam respexisse videtur.

18. Peña. Argumenta primæ opinionis sic soluit Peña. Ad primum respondet, mentem legislatoris colligi ex verbis ipsius legis; verba autem huius legis, & statuti, cum sit pœnale, strictè interpretanda esse, ita vt saluentur tantùm ipsa verba legis, saluantur autem si intelligantur de filiis filiorum tantùm, & non de filiis filiarum. Ad secundum respondet, non obstare, quod punire velit Princeps hæreticum in filiis: hoc enim est intelligendum in propriis filiis, non in alienis; at filij filiarum ex fictione iuris non sunt filij earum, sed filij patrum suorum, cum illorum conditionem sequantur. Ad tertium iam manet responsum; si enim non sint alij, nisi filij ex filia, ij non punientur, quia hoc statutum est pœnale, & solum comprehendit patres, & filios eorum. Ad vltimum asserit, non obstare, quòd Princeps voluerit punire hæreticum, ne quis contrahat cum filia illius, quia hæc pœna expressa non inuenitur in statuto; sed solum in filiis ex filiis, & non in filiis ex filiabus eius, vt punirentur in sacrorum ordinum promotione: quamobrem deberet Princeps magis explicare mentem suam si aliud voluit, interim tamen bene explicata est.

19. Ita se habent huiusmodi opiniones; & certè de iure hæc opinio Peñæ aliquibus videtur probabilior. Ego tamen existimo statutum hoc intelligendum esse iuxta ius commune, quando legislator in eo suam mentem expressè non declarat, (si enim illam declararet absque dubio ita vt ipse declarauit, seruandum est statutum) atque adeo si statutum absolutè dicit, filios hæreticorum, aut Hebræorum volumus esse inhabiles &c. puto intelligi filios per lineam paternam vsque ad secundum gradum, per maternam verò vsque ad primum tantùm. Ratio est, quia ius Canonicum ita accipit filios hæreticorum cum illos reddit inhabiles ad officia & beneficia, vt patet ex Cap. *Statutum 2. de hæreticis in 6.* Si verò statutum dicat, *filios hæreticorum, aut Hebræorum vsque ad 4 gradum, volumus ab hoc honore excludi.* tunc intelligendum id esse de filiis ex filiis vsque ad eundem 4. gradum; de filiis verò ex filiabus vsque ad primum tantùm. De consuetudine tamen, priorem opinionem credo esse in praxi, & iam hodie cum huiusmodi leges, & statuta fiunt, expressis verbis legislatores excludunt non solùm in ordinatione sacrorum ordinum; sed etiam in promotionibus ad collegia clericorum, ad honores & dignitates, filios & nepotes hæreticorum ex vtroque latere tam linea paterna, quàm materna, vt multa statuta huius generis vidi, de quorum iustitia non est ambigendum; licet sint aliqui, qui de illis ambigere velint, docti, quia ex illis sequeretur augmentum hæreticorum, & catholicorum diminutio. Nam si Principes punire velint hæreticos in illorum filiabus, ne catholici illas ducant in vxores, sequeretur, vt illæ solùm noberent hæreticis non catholicis; ac proinde sequeretur, quòd multiplicarentur hæretici, & diminuerentur catholici, & hoc inconueniens est valde remotum, imò sequeretur, vt catholicis catholicas vxores ducentibus fides purior, ac syncerior seruaretur, præcipuè cùm experientia compertum sit filias hæreticorum & Iudæorum eodem patrum contagio infectas, filios, ac filias etiam si pater catholicus & in fide satis feruens sit, inficere.

CAPVT XIX.

Confiscatio bonorum hæreticorum per quos iudices fiat, an confiscanda sint cum præiudicio legitimæ filiorum catholicorum, & an Inquisitores condonare possint bona hæreticis ad fidem redeuntibus.

SVMMARIVM.

Olim initio erectionis tribunalis sanctæ Inquisitionis confiscatio bonorum in terris tantùm Ecclesiæ per iudices Ecclesiasticos fiebat, in aliis verò per iudices sæculares. num. 1.

Hodie statutum est vt fiat per Inquisitores, & per iudices Ecclesiasticos, qui de crimine hæresis cognoscunt. num. 2.

Nec solùm fit, sed etiam executio sententiæ confiscationis ad eos pertinet. ibid.

Bona hæreticorum confiscanda sunt cum præiudicio alimentorum & legitimæ filiorum catholicorum. num 3.

An verò liceat etiam tunc, cum filij sunt pauperes. num. 5. fin.

Quid de iure ciuili? num. 4.

An hæretici non solùm in vita, sed etiam post mortem accusari, & damnari possint de hæresi, & eorum bona confiscari. num. 5.

Inquisitores, an ex benignitate possint hæreticis conuictis, & conuersis bona sua relinquere. num. 6.

Quomodo pueris & puellis orthodoxis ex parentibus hæreticis relictis prouidere possint. num 7.

Quid si bona magni alicuius principis ob hæresim, aut aliud crimen confiscata fuerint, an de illis prouidendum sit filijs. num. 8.

Ante sententiam damnationis alendi sunt filij moderatè de bonis paternis. num 9.

An legitima eorum filiorum, qui parentes de hæresi accusarunt, publicanda sit. num. 10.

An sententia confiscationis legitimæ filiorum, intelligenda sit etiam de filijs illegitimis, & quid de alimentis illorum? num. 11.

An hæc pœna intelligatur tam de filijs natis ante hæresim patrum, quàm post illam. num. 12.

DIximvs de pœnis spiritualibus, ad corporeas modò gradum faciamus. Et imprimis de confiscatione bonorum agendum nobis est. Et primo loco per quos iudices fiat explicabimus.

Olim initio erectionis tribunalis sanctæ Inquisitionis sententia confiscationis bonorum in terris tantùm Ecclesiæ iurisdictioni subiectis per Inquisitores, & iudices Ecclesiasticos contra hæreticos ferebatur, in aliis verò terris, & imperiis sæcularium principum iurisdictioni subiectis, & sententia confiscationis, & executio præfatæ confiscationis prædictorum bonorum hæreticorum ad iudices sæculares tantùm pertinebat. Patet apertissimè ex textu in cap. *Vergentis de hæreticis in 6.* ibi: *In terris verò temporali nostræ iurisdictioni subiectis bona hæreticorum statuimus publicari, in aliis idem præcipimus fieri per potestates, & Principes sæculares, quos ad id exequendum, si forte negligentes extiterint, per censuram Ecclesiasticam* 1.

Glossa. Peña. *siasticam appellatione remota compelli volumus & mandamus*; & ita docet Glossa ibi: *verb. Praecipimus*, & Peña *in 3. part. directorij lib. 3. scholio* 41. & est communis sententia.

2. Hodie statutum est, vt declaratoria sententia super confiscatione bonorum vbique feratur per iudicem Ecclesiasticum, qui de crimine hæresis cognoscit, & iudicat, insuper etiam publicationis ipsius executio, bonorumque ipsorum hæreticorum occupatio ad iudicem Ecclesiasticum, Episcopum videlicet, aut Inquisitores, vbi tribunal sanctæ Inquisitionis fuerit admissum, aut ad sæcularem, de eorum tamen commissione, spectat, & iudex sæcularis nihil se potest intromittere in hac re, nisi quatenus per iudicem Ecclesiasticum fuerit requisitus. Patet ex cap. *Vt Inquisitionis*, §. *prohibemus*. & ex cap. *Cum secundum leges*, §. *finali de hæreticis in 6.* ibi: *Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorum suorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata.* Et ita tradit Peña *dicto lib. 3. in 3. part.* Peña. *directorij schol. 41. versu. At labentibus.* Zanchinus *tract. de hæreticis cap. 25. num. 2.* labentibus enim annis ita visum statuere, & reuocare decretum cap. *Vergentis*, ad vitanda aliqua incommoda, quæ passim in hoc negotio inter vtrumque iudicem oriebantur, & quia de iure ad eosdem iudices, pœnarum executiones spectant, ad quos cognitio criminum spectat. Et quamuis Eymericus *pag. 389. col. 1. in suo directorio*, secutus dispositionem cap. *Vergentis*, sentire videatur circa confiscationem bonorũ laicorum, non posse se intromittere iudices Ecclesiasticos, & nullam mentionem faciat dispositionis huius textus capitis, *Cum secundum leges*; id parum refert, quia, vt notat Peña allegatus, fortasse suo tempore adhuc ea consuetudo vigebat, vnde cum ibidem in fine quæstionis dicat non pertinere directè ad Inquisitores, sed ad dominos temporales bona hæreticorum publicare, id de iure vetere accipiendum est, secus enim postea cautum est, vt ostendimus. Eymir.

3. An verò confiscanda sint bona hæreticorum, cum præiudicio legitimæ, & alimentorum filiorum catholicorum, itavt filiis nulla legitima, nec alimenta reseruentur, dubium est quod diu, multumque torsit antiquos; at expressè illud decidit Summus Pontifex pro parte affirmatiua in prædicto cap. *Vergentis de hæreticis in 6.* ibi: *Nec huiusmodi seueritatis censuram*; hoc est, hanc confiscationem, *orthodoxorum exhæredatio filiorum, quasi cuiusdam miserationis prætextu, debet nullatenus impedire cum in multis casibus etiam secundum diuinum iudicium filij pro patribus temporaliter puniantur, & iuxta canonicas sanctiones quandoque feratur vltio non solum in auctores scelerum; sed etiam in progeniem damnatorum.* Adstipulatur etiam iuri canonico ius ciuile in Authentica *Gazaros. C. de hæreticis*: & id tam de legitimis, quàm de alimentis docet Sanchez cum Sanchez. multis *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 16. num. 27.* Et patet ex iure Lusitano *lib. 5. ord. noua titulo 2. in fine principij*. Et ratio huius rei optima est, quia iustissimæ sunt leges ciuiles, quæ iubent reorum læsæ maiestatis bona publicari, nulla habita ratione legitimæ filiorum, ipsis filiis vita solummodò relicta. Cum ergo longè grauius sit peccatum æternam, quàm temporalem maiestatem offendere, si reis læsæ maiestatis humanæ punitis puniuntur filij, ita reis læsæ maiestatis diuinæ punitis, puniuntur filij eorum similiter. Adde alias rationes, quia hoc hoo est propriè punire filios; sed punire patres in filiis, & quia expedit Reipublicæ, vt filij hæreticorum in egestate viuant. Deinde, quia hoc ideo fit, vt parentes metu paupertatis filiorum ab impio, & exectando hæresis scelere abstineant; tantus enim est amor filiorum & tam à natura insitus parentibus, vt quæ propter Dei timorem non efficiunt, efficiant propter amorem filiorum vt optimè animaduertit Iulius Clarus *lib. 5. sententiarum, §. hæresis versu, Si dicas.* Patet ergo expressum ius esse, posse bona hæreticorum confiscari, siue non habeant filios orthodoxos, siue non habeant, & ita docent communiter DD. Peña *2. part. directorij in summario capitis, Vergentis, num. 5. fol. mihi 105. col. 1.* Paulus Chirlandus *tract. de hæret. quæst. 4.* Simancas *de cath instit. titulo 9. num. 9.* Iulius Clarus modò allegatus & idem Peña *in 2. part. directorij lib. 2. schol. 6. versu. Cæterum alij*; nam esti legitima filiorum, quasi de iure naturali eis debeatur, tamen fortius ius est naturæ, vt patrum delicta contra læsam maiestatem diuinam, & humanam puniantur in filiis puniantur; & licet sit de iure naturali alere filios, tamen id non obstat, quo minus omnia bona sua cum præiudicio legitimæ filiorum possint patres hypothecare, vt communiter omnes docent, & ratione hypothecæ amitti, vt patet. Iul.Clar. Peña. Chirland. Simanc. Iul.Clar.

Nec obstat contra hanc resolutionem ius ciuile decernens filios catholicos propter crimen hæresis paternum, hæreditate paterna, hoc est, legitima sibi ex parte patris contingente priuari non debere, *l. Manichæos C. eodem; & l. Cognouimus*, & Auth. *idem de Nestorianis*. nam ea iura ciuilia per hoc præsens iuris canonici decretum corriguntur, vt optimè notat Peña ptimo loco allegatus, & glossa prædicti cap. *Vergentis de hæret in 6. verbo. Exhæredatio*, & Castro *lib. 2. de iusta hæret. punit. c. 15.* & Rojas *in sing. fidei, sing. 66.* Nec item obstat Hostiensis *in summa, titulo de hæreticis. §. Quæ pœna*, asserens hanc decretalem habere locum in terris duntaxat Ecclesiæ, quæ subsunt temporali Pontificis dominio; in aliis autem has ciuiles leges esse obseruandas, quia maiori æquitate nituntur. Non inquam obstat, nam ius canonicum pro omnibus terris & imperiis clarum est vim habere, & deinde huic decretali adstipulatur etiam ius ciuile in Auth. *Gazaros. C. de hæreticis*. 4. Castro. Rojas.

Quod adeo verum est, vt non solùm in vita, sed etiam post mortem hæretici accusari, & damnari possint, & eorum bona confiscari, & filiis auferri, vt deducitur ex cap. *si quis Episcopus de hæreticis in 6.* & docet glossa ibi *in verbo, Post mortem*, Peña *in 2. part. directorij Inquisitor. in cap. si quis Episcopus num. 4.* & ita in praxi obseruatur in tribunali sanctæ Inquisitionis in Lusitania. Anno enim Domini 1626. vidimus in publico actu fidei nonnullos de hæresi damnatos, & eorum bona fuisse publicata, quorum tamen accusatio post eorum mortem fuit incepta. Et licet generale sit quòd crimina cum morte extinguantur, & pœna cum ipsis, vt constat ex capite *Quorundam 23. dist. & 24. quæst. 1. cap. 1. supra, Qui filij sint legit. Causam, 2. §. finali, & 14. q. 2. §. sanè proferetur, & de sent. excommun. A nobis 2. §. 1. versus finem*: at propter criminis atrocitatem hæc doctrina locum non habet, & in crimine 5. Peña.

hæreſ

hæresis, imò & in nonnullis aliis atrocissimis quæ enumerat Peña allegatus, quorum primum, est crimen læsæ maiestatis, in quo etiam post mortem inchoari potest accusatio, & inquisitio, veluti fit in hæresis crimine, vt conuicto mortuo, memoria illius damnetur, & bona publicentur, vita misera tantummodo filiis reseruata. *C. ad L. Iulia maiestatis l. penultima & finali*, hoc tamen restringitur ad solum crimen perduellionis, hoc est, illius qui hostili animo aduersus Principem, & Rempublicam fuit animatus. Quidam hoc etiam extendunt ad illos qui Ecclesiam violarunt propter paritatem criminis; at pœnæ non sunt de casu ad casum extendendæ. Secundum est, quando Episcopus in testamento suo hæredem hæreticum instituit, paganum, aut infidelem, & idem videtur dicendum de quocumque Clerico, & Catholico, quia iura indistinctè loquuntur 24. *quæst. 2. § Sanè profertur* circa medium, ibi: *Item multi Episcopi congregati &c. secundum literam de ipsis statuerunt*, sed aliter etiam legitur *de Episcopis statuerunt*; & id concordat omnino cum Capite *Episcopus de hæreticis*, & ita videtur de Episcopis solum intelligendum esse. Vide Peñam allegatum. Tertium est, in quolibet notorio peccatore v.g. vsurario, & in illo qui se violenter occidit 23. *quæst. 5. Placuit. 88. dist. cap. finali.* in his tamen casibus secundo & tertio, non confiscantur bona mortuorum, sed solùm memoria illorum damnatur, & anathematizatur, & si fuerint sepulti in locis sacris, exhumantur, & suffragia pro eis non applicantur. Solùm itaque confiscatio bonorum locum habet in crimine læsæ maiestatis humanæ, & diuinæ in crimine hæresis, &

Guill. perduellionis. Tradit autem Guillielmus Benedic. in capite *Raynutius. verbo, & vxorem decis. 6. num 206. de testam* & si publicatis parentum bonis non reseruentur legitimæ, & alimenta filiis, integrum esse illis in foro conscientiæ, si pauperes sint, occultè rapere, quæ possint; nec teneri rapta restituere; & refert pro se Guillielmum

Sanchez. de monte Laudeusi. Sanchez tamen *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 17. num 27.* & Imola in Clemen-

Lup. tina *Pastoralis de sent. & re iud. num. 57.* & Lup. *in cap per vestras de donat. inter virum & vxorem notabili 3. §. 22. num. 16.* asserunt intelligendum id esse, si extrema necessitate laborent. quo casu omnia sunt communia.

6. Possunt tamen Inquisitores (idem de Episcopis in locis in quibus non est Inquisitio) hæreticis ad fidem conuersis dummodo non sint relapsi in tempore gratiæ, hoc est, ante definitiuam sententiam, quorum bona fuerant confiscata, ea illis ex quadam misericordia condonare, patet expressè ex cap. *Vergentis de hæreticis in 6* ibi. *Nec ad eos bona eorum vlterius reuertantur, nisi eis ad cor reuertentibus misereri aliquis voluerit*; id est, aliquis iudex Ecclesiasticus ad quem id pertinet.

Eymiricus. Campeg. Ita docent communiter DD. Eymiricus. 3. *part. quæst. 109.* Campegius *in Repertor. verbo, bona §.*

Ioan. Mon. *sed vtrum Inquisitor.* Ioannes Monachus, & Archidiaconus *in capite, Accusatus §. Porro de hæret.*

D. Anton. Tabiena. Peña. *lib. 6.* D. Anton. *3. part. tit. 18. cap 2. §. 7.* Tabiena *in summa verbo hæreticus versu, quartò tertia pœna est.* Peña *2. p. directorij schol. 6. versu, nec ad eos*; quæ sententia vera est, licet Simancas in annotationibus ad Zanquinum *cap. 14.* contra sentiat, sed eius opinio est contra communem Doctorum & contra textum allegatum, & ideo communiter reiicitur; nam hoc inter alia multa ad amplissimam potestatem Inquisitorum de iure communi pertinet, vt bona propter hæresim semel confiscata, quæ ab hæreticis tanquam ab iniustis possessoribus iustissimè auferri poterant, eis ex misericordia quadam, si ad fidem redeant, condonentur, nec video quem alium sensum habere possint hæc verba. *Nisi eis ad cor reuertentibus misereri aliquis voluerit.* & in Italia ita hoc communiter solet ab Inquisitoribus fieri, vt docet idem Peña *2. part. directorij scholio 6. versu.* Peña.
Atque hæc sententia. Si tamen alicubi aliud praxis obtinuerit, ea seruetur.

Inquisitores etiam pueris, & puellis hæretico- 7.
rum damnatorum pauperibus relictis ex misericordia prouidebunt, si orthodoxi sint, aut ad fidem verè, syncerè, cordialiter, & ex animo conuertantur, ita vt rationem habeant sexus, & ætatis; masculos enim corpore valentiores artibus mechanicis addicent, fœminas honestis eiusdem ciuitatis matronis, vt eis famulentur, & ab illis in fide instruantur, assignabunt: illis verò quibus per ætatem, aut firmam valetudinem laborare non licet, tenuissima alimenta ex paternis bonis ex sola charitate, & misericordia subministrabunt, flagitantes interdum à viris principibus tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis, vt in huiusmodi filios damnatorum aliquam exerceant liberalitatem; quod negotium ad eos imprimis spectat, ad quos damnatorum bona ex confiscatione peruenerunt, vt docet Repertorium Inquisitorum verbo *filij §. filij minores, folio mihi 355.* & docet Peña statim allegandus, & habetur instructione 22. Inquisitionis.

Si verò magni alicuius Principis siue ob hoc 8.
crimen hæresis, siue ob aliud læsæ maiestatis, bona præscripta fuerint, isque filias reliquerit, honorificè ex misericordia tamen à Rege cui bona fisco obuenerunt, erunt dotandæ, exemplo Fernandi Regis Neapolitani, qui filias principis Rosani, qui læsæ maiestatis crimen commiserat, & ob id eius bona fisco regio fuerant applicata, ex iisdem bonis amplissimè, ac ditissimè dotauit, vt scribit Gigas *tractatu de crimine læsæ maiestatis* Gig.
lib. 3. titulo de pœnis quæst. 15. num. 2. & Peña *in* Peña.
2. part. directorij scholio 6. versu. Quod si magni.

Ante sententiam tamen damnationis criminis, 9.
alendi sunt filij hæreticorum moderatè ex bonis paternis; quare non laudo morem aliquarum regionum; in quibus, cum primum parentes ob crimen hæresis comprehenduntur, statim bona illorum capiuntur, & sub custodia fisci ponuntur, exclusis filiis ipsorum relictis absque vllo vitæ subsidio, id enim sine maxima crudelitatis nota fieri non potest: nam dum parentes illorum de hæresi iudicum sententia non damnantur, de illorum bonis saltem moderatè sustentandi sunt, quia id & ratio naturalis & pietas christiana videtur edocere.

Solent autem nonnulli filij errores hæretico- 10.
rum parentum Inquisitoribus detegere, illosque accusare, & de iis speciale dubium esse potest, an illorum legitima eis relinquenda sit: & certè de iure ciuili ex quadam commiseratione in ratione naturali antidoralis gratitudinis fundata eis illorum legitima relinquitur, vt habetur in quadam constitutione Frederic. Imperatoris. Quæ incipit. *Commissi. in § Nec quidem*, ibi: *Nec quidem à misericordia finibus duximus excludendum, vt si qui paterna hæresis non sequaces, latentem patrum perfidiam reuelauerint, quacumque pœna reatus illorum plectantur, prædictæ subiectioni (id est confiscationi) non subiaceat innocentia filiorum.* Et idem

etiam

etiam habetur in alia eiusdem Imperatoris Frederici quæ incipit, *Patarenorum*, in principio, & in *l. Quisquis C. ad legem Iul. maiest.* quæ est canonizata 6. *quæst.* 1. & incipit *Si quis cum militibus* in §. *sané*. De iure canonico nihil eis ex rigore iuris omnino relinquitur, vt patet *ex cap. Vergentis de hæreticis in 6.* ibi: *Nec huiusmodi seueritatis censuram orthodoxorum exhæredatio filiorum quasi cuiusdam miserationis prætextu debet vllatenus impedire, cum in multis casibus etiam secundum diuinum iudicium filij pro patribus temporaliter puniantur.* maximè quia tunc non puniuntur filij, sed parentes in filiis, vt *n* 3. probauimus. Tamen licet in rigore iuris canonici nihil omnino eis debeatur, ex misericordia poterunt domini Inquisitores illis suam legitimam relinquere, aut aliunde alio eis modo prouidere; nam si ex quadam commiseratione bona relinquere poterant parentibus hæreticis ad fidem conuersis, & ad cor verè & ex animo reuertentibus, vt cum multis doctoribus *num.* 6. probauimus, maiori cum ratione id poterunt efficere filiis catholicis, qui zelo fidei orthodoxæ parentes ipsos accusarunt, ne actus quidam tam insignis virtutis, tantæque fidei irremuneratus existat, quod & in augmentum fidei, vt alij ad similia præstanda animentur, & in maximam Dei gloriam redundabit.

11. Dubium esse potest, an prædicta pœna exhæredationis, & confiscationis legitimæ, exclusionisque alimentorum, intelligenda sit solùm de filiis legitimis, an etiam de illegitimis? Respondeo de vtrisque hoc esse intelligendum. Primò, quia bona illorum parentum deferuntur ad fiscum, vita tantùm misera filiis illorum relicta, & condonata; & si hoc intelligitur de filiis legitimis, maiori cum ratione intelligendum etiam erit de illegitimis, ne plus honoris habeat luxuria, quàm castitas matrimonialis. Quod de hac pœna confiscationis diximus, intelligendum etiam est de pœna inhabilitatis ad officia, honores & beneficia. nam filij illegitimi hæreticorum ex duplici capite erūt inhabiles ad beneficia, & propter defectum natalium, & quia filij hæreticorum. Et quamuis propria appellatione filiorum intelligantur illi, qui sunt ex legitimo thoro nati, vt constat ex *l. Filius ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris*; tamen in hoc negotio idem intelligendum est tam de filiis legitimis, quàm de illegitimis, aliàs sequeretur absurdum, videlicet, quod plus iuris & beneficij haberet luxuria, quàm castitas, quod esse non debet iuxta Authent. *detest. & ea quæ parit in vno mense §. finali collat.* 4. & ita docet expressè Repertorium Inquis. *verb. filij*, §. *sed eo præsupposito*. Archidiac. *in cap. statutum.* 2. *de hæret. in* 6. Glossa in dicto cap. *statutum.* 2. *verbo, Nolumus.* Bald. *in l. Pronunciatio. ff. de verbor. signif.* Imola *in l. ex facto* §. *si quis rogatus. ff. ad Trebellian.* & alij quos citat Repertorium loco allegato, notantes quandoque appellatione filiorum illegitimos etiam venire. Et ita certa est hæc resolutio, vt affirmet Sanchez *in Decalog. l.* 2. *cap.* 27. *num.* 1. eam ab vniuersis vt certam admitti, pluresque pro ea citet.

Archid. Baldus. Imola.

12. Vltimum dubium est, an hæc pœna confiscationis legitimarum, & alimentorum comprehendat solùm filios natos post crimen hæresis paternæ, an etiam omnes ante illam natos. Et planè in hac re magna inter iuris professores controuersia est. Nam Calderinus *tit. de hæreticis consil.* 3. expressè tenet filios ante natos non comprehendi, illum sequitur Ananias, *in cap. Vergentis num.* 18. *de hæret. in* 6. Tiraquellus *de iure primog. quæst.* 31. *num.* 4. & fatetur esse communem Alciatus *consil.* 467. *num.* 7. & Sep. *in Inst. cath. cap.* 19. *num.* 4. & idem affirmat Iulius Clarus *in pract.* §. *hæresis versic. Quæro, num. & in* §. *læsa maiestatis. versic. Fuit etiam*, & tandem Sanchez qui hanc sententiam latè confirmat adductis multis iuribus, rationibus, & Autoribus. Sed communior opinio, & vsu, & consuetudine recepta est, omnes filios, tam natos ante crimen hæresis paternæ, quàm post illud comprehendi in hac pœna. ita Ioannes Andr. & Dominicus in cap. *Vt commissi. de hæret. quæst.* 25 *num.* 5. Castro *de iusta hæretic. punitione lib.* 2. *cap. finali. & de potest. legis pœnal. lib.* 1. *cap.* 7. Couarr. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 8. *num.* 4. & Claud. Aquensis *in l. si quis id quod. num.* 14. *ff. de iurisd. omn. ind.* Rojas 2. *part. de hæret. assert.* 44. Ioannes Lup. *de iust. & iure Regni Nauarræ part.* 5. §. 8. *obiect.* 4. Et ratio est, quia hæresis est crimen spirituale, & non trahit originem à carne; & ideo nihil refert, an filij sint ex radice infecta, vel non infecta, & quia omnes rationes, quas tradidimus *num.* 3. tam militant in filiis natis ante, quàm post crimen hæresis paternæ, quare videndæ sunt, & hic applicandæ.

Calder. Ananias. Tiraq. Alciat. Sep. Iul. Clar. Sanchez. Ioan. Andr. Castro. Couarr. Claud. Aquens. Rojas. Ioan. Lup.

CAPVT XX.

An pœna confiscationis bonorum ipso facto per legem imposita, ita obliget hæreticos occultos nondum à iudice damnatos, nec ab aliquo accusatos, aut denunciatos, vt teneantur in foro conscientiæ bona sua fisco offerre.

SVMMARIVM.

An hæreticus externus occultus teneatur in conscientia bona sua offerre fisco. num. 1. & 2.
Refertur prima opinio affirmans. num. 3.
Refertur secunda distinguens inter hæreticum publicum & occultum per accidens, & de primo affirmans, & de secundo negans. num. 4.
Refertur tertia asserens hæreticum quandiu per sententiam non damnatur, non teneri sua bona in conscientia fisco offerre, sed, tuta conscientia, ea possidere, siue sit occultus, siue publicus, & dominium esse in fisco, iustam autem possessionem in hæretico dum non condemnatur. num. 5.
Non repugnat dominium vtile alicuius rei esse in vno, & iustam possessionem cum vsufructu in alio. num. 6. & 7. 8. & 9.
Præfertur quarta opinio asserens hæreticum, quandiu per sententiam non damnatur, retinere dominium, & possessionem; sed ita lassum, vt reuocari possit à fisco res per illum alienata à die commissi criminis. num. 10.
Tertia, & quarta opinio an conciliari possint. num. 11.
An illud ius quod fiscus habet ad vindicandam rem ab hæretico alienatam, vocari possit dominium. num. 12.
Hæreticus antequam condemnetur non solùm habet ius possidendi; sed etiam verè fruendi bonis suis, & facit fructus suos. num. 13.

Nec

Nec post sententiam latam tenetur hæreticus (idem erit de quocunque reo) rem confiscatam offerre, sed solùm debet esse paratus ad illam reddendam fideliter si ab eo petatur. *num.* 14.

Reyicitur Corduba cum alijs asserentibus teneri in conscientia illam post sententiam fisco offerre. *num* 15.

Quod si fiscus relinquat aliqua bona, quæ hæreticus non abscondit, an ab hæretico retineri possint in conscientia. *num.* 16.

1. CERTVM est bona hæreticorum, ipso facto, in vtroque iure ciuili, & canonico confiscati, vt vidimus toto capite præcedenti, & patet ex cap. *Vergentis*, & ex cap. *Cum secundum leges*, ibidem. ex cap. *Statutum de hæreticis in 6.* & ex L. *Manichæos*, cum duabus sequentibus, & Auth. *Gazaros C. de hæreticis* & L. *Quisquis*, & L. *vltima C. ad legem Iul. maiestat.* & in L. *vltima C de bonor. prascript.* Difficultas ergo est, an hæreticus occultus nondum à iudice condemnatus, nec ab aliquo accusatus, aut denunciatus, statim amittat dominium suorum bonorum & ea teneatur in conscientia offerre fisco, itavt si non restituat, tandiu sit in peccato mortali quandiu bona, quæ possidet, fisco non restituit, qua de re quadripartita est opinio.

2. Prima docet huiusmodi legem pœnalem confiscationis, ita obligare hæreticum externum quantumuis per accidens occultum, vt in conscientia teneatur statim se abdicare bonis, & illa fisco tradere & tandiu esse in peccato, quandiu illa non restituit. Ita docet Panor. & Felinus, *in cap* 1. *de const. num* 44. idem Panormitan in cap. *dilecti de arbitr.* Paulus *in l.* 1. §. *ad bestias de Postulando.* Barbatia *in cap.* Reynald. *de testam.* Maynerius *in L. Quod à quoquam. ff. de regulis iuris.* Tiraquel. *in l. Si vnquam C. de reuocand. donat. num.* 146. Lud. Gomez *in cap. de rescript. lib.* 6. & tenaciter Castro *lib.* 2. *cap.* 10. *de potestate legis pœnalis, & lib.* 2. *cap.* 6. *de iusta hæreticor. punitione.* Anton Gomez 3. *variar. cap.* 2. *num.* 5. Et ratio est primò, quia hæreticus, ipso facto, amittit dominium rerum suarum, vt constat ex capit. *Cum secundùm leges de hæret. in 6.* & ex iuribus allegatis, ergo amittit etiam ius possidendi illas; ergo tenetur statim in conscientia illas tradere vero domino, id est, fisco, in quem illarum rerum dominium ex vi legis translatum est. Secundò, quia lex humana potest obligare ad talem pœnam ipso facto, subeundam ante iudicis sententiam, & vt reipsa obliget, solum requiruntur verba quæ id expressè significant: at nulla alia verba possunt expressiùs hoc significare, quàm si lex dicat reum incurrere pœnam, ipso facto, ante sententiam iudicis; ergo cum leges quæ inferunt contra hæreticos pœnam confiscationis, vtantur his verbis, obligant ad tradenda bona sua etiam ante sententiam illius, alioqui prædicta verba essent superflua, inania, & nullius momenti.

Panor. Felin. Paul Barbatia. Raynald. Mayner. Tiraq Lud Gom. Castro. Anton. Gomez.

3. Ex hac opinione sequitur primò, hæreticum occultum emendatum, qui licet hæreses aliquando tenuerit, resipuit tamen, teneri in conscientia bona sua fisco restituere; iam enim peccatum admisit ob quod, ipso facto, dominio, vsu, possessionéque illorum priuatus fuit, quod sanè creditu est durissimum. Sequitur secundò, teneri hominem hæreticum occultum se infamare si ante accusationem & denunciationem teneretur sua bona fisco restituere; iam enim obligaretur ad se prodendum, & manifestandum. Vix enim quisquam potest sua bona offerre fisco, præsertim, si sit mediocriter diues, quin se ipsum simul infamet, & prodat; quod quam sit durum, nemo non videt. quare hæc sententia improbabilis videtur.

Secunda opinio distinctionem facit inter hæresim publicam, & occultam, quocunque modo occulta sit, & de hoc posteriori negat teneri hæreticum sic occultum bonis se spoliare, & fisco tradere; at verò quando delictum est publicum, affirmat teneri in foro conscientiæ ante vllam sententiam tradere bona sua eidem fisco. Hanc tuetur Adrianus *quodlibeto* 6. *art.* 1. *litera I.* Syluester *verbo hæresis, quæst.* 8. *& verbo Assassinus quæst.* 5. *& verbo pœna quæst.* 21. Angelus *verbo pœna, num.* 3. Probatur hæc opinio. Primò, ex regula illa sumpta ex D. Chrysostomo Homilia. 31. ad Hæbreos. *Non dico tibi, vt prodas.* nam ille hæreticus sic occultus sine dubio bona sua tradendo se proderet. Deinde quia sententia solùm requiritur, vt delictum sit notum, & tollatur occasio peccatori occulto hæretico se infamandi; postquam autem est publicum cum iam sit infamis, se infamare non potest; ergo tenetur bona sua fisco restituere. Confirmatur, quia si publicato, notoque delicto fiscus ea bona ab hæretico ante sententiam auferret, non teneretur ea illi restituere, quamuis fortè modum excederet. Signum ergo est, ipsum hæreticum non habere ius retinendi illa, ac proinde teneri statim ac crimen notum est, illa fisco in foro conscientiæ restituere. 4.

Adrian. Syluest. Angel.

Tertia opinio docet hæreticum, etiam notorium à die commissi criminis amittere quidem dominium suorum bonorum, quandiu tamen per iudicis sententiam non est damnatus, aut declaratus hæreticus, iustè quidem possidere, & vti bonis suis debita moderatione, nec teneri in conscientia se illis spoliare, & ea fisco tradere, quod perinde est ac dicere leges imponentes, ipso facto, pœnam priuationis bonorum, priuare quidem dominio bonorum, non tamen iusta possessione illorum, ac proinde eum, qui crimen commisit etiamsi illud sit publicum iustè sua bona retinere, nec ea debere fisco offerre. Ita docet Caietanus 2.2. *quæst.* 63. *art.* 3. Conradus *lib.* 1. *de contract. quæst.* 7. *conclus.* 2. *&* 3. Ioannes Medina *C. de rest. quæst.* 5. Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 2. *num.* 5. Adrianus *quodlibeto* 6. *artic.* 1. Sotus *lib.* 1. *de iust. & iure. quæst.* 6. *art* 6. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 2 Farinacius *de hæresi quæst.* 190. *num.* 68. Simancas *de cathol. inst. titulo* 9 *num.* 157. Ioannes Andr. *in cap. pro humani de homicidio lib* 6. Bartholus *in l. eius qui delatorem ff. de iure fisci.* Glossa in cap. *Fraternitatis* 12. *quæst.* 2. Vasquez *de successión. creata in præfat. num.* 98. *versu Simillimum est.* Gabriel. *in* 4. *dist.* 15. *quæst* 4. Bañes *in* 3 *parte directorij scholio* 41. *versu, cæterum contraria.* Victoria *in relectione de Indis.* D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. & alij. Fondamenta huius opinionis hæc sunt. Primò, quia leges humanæ debent esse tolerabiles, & iustæ; iniustæ autem & intolerabiles essent si priuarent, delinquentes dominio & possessione bonorum suorum, itavt cogerentur in conscientia ea tradere, moraliter enim hoc est impossibile, & durissimum videtur spectata fragilitate humana posse adimpleri. Vnde sicut iniustæ essent leges, quæ obligarent delinquentes, vt ipsi se ipsos occiderent, ita iniusta esset 5.

Caiet. Conrad. Medin. Ant. Gom. Adrian. Sot. Azor. Farinac. Simanc. Ioan. Andr. Barthol. Glossa. Vasq. Gabriel. Peña. Victor. D. Thom.

esset lex si delinquentem obligaret, vt ipse se ipsum priuaret bonis suis. Secundò, quia rationi naturali aduersatur, vt idem sit reus, & iudex, & vt contra se ipsum sententiam grauissimæ pœnæ exequatur; quod sine dubio fieret, si reus in conscientia obligaretur ad restituenda omnia bona sua fisco; esset enim ipse reus, quia committeret delictum, & esset iudex executor, quia teneretur cootra se ipsum pœnam exercere. Tertiò, quia, vt lex in conscientia obliget, duo sunt in legislatore necessaria; primum, potestas ad obligandum; secundum, voluntas per leges obligandi: atqui nullus Princeps habet potestatem ad obligandum subditum, vt ipse se occidat, aut vt ipse per se sibi inferat illam pœnam positiuam, quæ actionem hominis requirit, & de se est durissima, sed satis est hæc pœna priuationis omnium bonorum, est enim pœna positiua, & grauissima, & quæ actionem hominis requirit; ergo ooo habet Princeps potestatem ad illam præcipiendam.

6. Si contra hanc sententiam opponas hæc duo esse repugnantia in se & incompatibilia; scilicet priuare aliquem dominio suorum bonorum, & relinquere illi iustam possessionem, & vsum illorum eo quod ex natura rei, ablato dominio vtili rei, aufertur ius legitimè possidendi, & vtendi illa; quia hoc in dominio fundatur, & ideo vel legem non abstulisse dominium, vel iustam possessionem non reliquisse.

7. Respondeo autores illius argumentum non vrgere; quia non repugnat dominium rei esse apud aliquem, & nihilominus iustam possessionem, & vsum illius alteri concedi, consentiente, seu non repugnante illo, cuius est dominium; sic enim religiosi D. Francisci habent vsum rerum, non tamen dominium, & Patres interdum possident, & habent vsum rerum filiorum, quarum, dominium ipsorum filiorum est. Et fundamentum huius rei est, quia licet iusta possessio, & vsus rei sæpe proueniat ex proprio dominio illius, potest etiam aliunde prouenire; ergo etiam in hæretico potuit relinqui possessio, & aliquis vsus & consumptio aliquorum bonorum, sine proprio dominio.

8. Dices, id verum esse, quando possessio, & vsus specialiter conceditur, & quasi ab extrinseco; hîc autem non ita esse, quia nulla specialis concessio facta est hæreticis, sed, eo ipso, quòd non priuatur bonis, ex natura rei, & ab intrinseco censentur habere iustam possessionem, & vsum talium bonorum; ergo signum est habere illam ex vi dominij.

9. Respondent hæc omnia fieri sine actuali dominio ex vi præcedentis iuris id non prohibentis, neque enim hîc est necessaria specialis concessio vsus, & possessionis rei quasi positiuè facta à fisco, vel à lege; sed satis est, quod lex non auferat totum id quod homo ante commissam hæresim in bonis suis habebat, antea verò habebat dominium, possessionem, & vsum, nunc verò solùm dominium abstulit, & reliquit vsum, & possessionem, & eo ipso quòd hæc omnia non abstulit, censenda est lex, id quod non abstulit, reliquisse.

10. Quarta opinio vera, & tenenda docet pœnam confiscationis oon obligare ante sententiam iudicis; ac proinde hæreticos, & eos quorum bona confiscata sunt, quamdiu non accedit sententia iudicis, retinere dominium & possessionem illorum, tametsi propter ipsum delictum bona maneant ita fisco obligata, vt omnes donationes & contractus quocunque titulo facti post sententiam latam à die commissi criminis iustè rescindantur. Ita docent hodie communiter. DD. Simancas *de catholicis Instit. titulo. 9. num. 157.* Antonius Gomez *tom 3. opusc. cap. vltimo.* Vasquez 1.2. *disp.* 170. *cap.* 1. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib. 2. cap. 22. num.* 3. Auila *de cens. 1. part. dub. 7.* Vasqoez 1.2. *disp.* 170. *cap.* 3. Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 95. Becanus *tom. 2. tract. 3. cap. 8. de lege pœnali quæst 4. num. 3.* Henriquez *lib. 13. de excom. cap. 56. num. 2.* Victoria *in Relect. de Indis, Insulanis, num.* 14. Sotus *lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 6. post. 4. conclusionem*, vbi dicit poste confiscationem subsistere sine ablatione dominij. Santarell. *de heresi cap. 24. dub. 1. num.* 1. Primum fundamentum & solidum quidem huius sententiæ est; quia lex tantùm confiscat bona, ipso facto, ad confiscationem autem per se & intrinsecè, non est oecessaria ablatio dominij. ergo non aufertur per talem legem. Maior patet ex cap. *Cum secundùm leges. de hereticis in 6.* Minor probatur ex *l. vltima, ff. de Public. & Vectigal. & l. cum ancilla C. de incestis nuptijs*, & ex Capite, *Ita quorundam de Iudæis.* in quibus iuribus confiscantur bona sine ablatione dominij. De consequentia, supposita maiori, & minori, dubitari noo potest, nititur enim illo principio communissimo. *Pœnæ sunt restringendæ quantum verba legis patiuntur.* Secundò probatur, quia omnes effectus confiscationis possunt subsistere permanente dominio rerum suarum in delinquente: nam primus, & præcipuus effectus confiscationis est, quod bona illa à die criminis, ita sint obligata fisco, vt post sententiam latam, fiscus illa à quocumque possessore vendicare possit, & hoc stare potest cum dominio; sicut hypotheca obligatur creditori, quamuis dominium eius maneat apud debitorem hypothecantem. Secundus est, quod alienationes ita prohibentur, vt à die commissi criminis post latam sententiam rescindantur, & hoc etiam stare potest cum dominio; sicut bona maioratus alienari non possunt, & nihilominus dominium eorum est apud dominum maioratus.

Simanc. Ant. Gom. Vasquez. Sanchez. Auila. Molina. Becanus. Henriq. Victoria. Sotus. Santarel.

11. Et forte inter tertiam & quartam opinionem magna ex parte quæstio est de modo loquendi; nam in re, & in effectibus confiscationis ferè conueniunt, vt optimè animaduertit Suarez *citatus de fide disp. 22. sect. 3. num. 6.* negari enim non potest in hac nostra opinione, quin ante sententiam aliquod ius reale circa talia bona transferatur in fiscum, ratione cuius possit fiscus postea post sententiam latam à die criminis illa bona recuperare, vbicumque illa sint; & pro illis actionem indicere hæredibus, & quibuscumque possidentibus, etiam post mortem delinquentis; vnde fit aliquod ius in talia bona ablatum esse à delinquentibus, & consequenter dominium ipsorum delinquentium, ita infirmatum esse, vt dicatur aliquo modo ablatum.

Suarez.

12. An verò hoc ius fisci appellandum sit dominium illi per legem datum, & à delinquente ablatum, an solum sit læsio, aut vulneratio quædam dominij manentis in delinquente, quæstio videtur de vocabulo, & modo loquendi: authores enim tertiæ opinionis vocant illud realem priuationem dominij, non tamen possessionis, & ideo concedunt delinquentibus veram possessionem, & vsum suorum bonorum, quandiu per sententiam non damnantur, non tamen dominium illorum: nos appellamus illud vulnus, seu læsionem dominij, manente adhuc ipso

dominio in delinquente; sed ita infitmo, vulnerato, & affecto, vt postea post latam sententiam bona confiscata fiscus vendicare possit à quocumque illorum possessote.

13. Illud certum in vtraque opinione tertia & quarta, delinquentem, & hæteticum antequam condemnetur, non solùm habete ius possidendi; sed etiam vetè fruendi bonis suis, facit enim fructus suos. An verò hoc ius possidendi, & vetè fruendi appellandum sit dominium necne, videtur quæstio esse de vocabulo. Nos affirmamus, sed dicimus esse dominium non fitmum sed vulneratum: contrarij negant, & asserunt esse solùm nudam possessionem, & vsum illorum, & Couar. ideo Couatruuias *in 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 8. num. 9 & 10.* significat reum habere dominium in foro conscientiæ, fiscum verò in foto iudiciali. Sed hæc distinctio non placet; quia dominium fori extetni prouenit ex dominio fori in- Simanc. terni. Simancas *de cathol. Instit titulo 9. à n. 157.* distinguit de dominio naturali, & ciuili, & naturale dicit esse apud reum, ciuile apud fiscum: sed dominium non naturale & ciuile dici solet quia Suarez. termini isti propriè competunt possessioni. Suarez citatus *num. 6* melius distinguit de dominio directo & vtili, asseritque dominium vtile apud reum manere quadiu pet sententiam non condemnatur, dominium verò directum apud fiscum; quemadmodum, vt ex similitudine Emphytheusis rem explicemus, Emphyteuta habet dominium vtile, dominium verò directum manet apud dominum fundi: non negamus tamen aliquam esse diuersitatem, sed non est necesse vt exemplum in omnibus sit simile.

14. Nec solùm ante, sed & post sententiam latam non tenetur hæteticus rem offerre fisco, & illam in se ipsum exequi, quia executio spectat ad fiscum, & solùm reus tenetur esse paratus ad illa tradenda, quando à se postulata fuerint, non resistendo, nec per vim, nec per fraudem, perituium, aut similia. Et hæc est hodie communior Couar. opinio, quam docet Couarruuias *1. variar. cap. 2. num. 10. & in 4. decretal. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 9.* Sanchez. Suarez. Molina. *& 10.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 22. n. 8. & cap. 26. num. 8.* Suarez *de fide disput. 22. sect. 3. num. 7.* Molina *tom. 1. de iust. disp. 66. versu, Addit optimè, & disp. 95. columna 14. versu, Ad secundum principale.* Henriq. Azor. Nauarr. Philiarch Henriquez *lib. 13. de excom. cap 56. num. 2. in comment: litera I.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 8 quæst 4. & lib 8. cap. 12. quæst. 4.* Nauarrus *in summa cap. 23. num. 66.* Philiarchus *de officio sacerdotis tom 2. part. 2. lib. 6. cap 22. col. 3. versu, Sed dubium est.*

15. Cordub. Quare minus bene Corduba in suo quæstionario *lib. 1. quæst. 36. columna 2. notabili 2.* ait facta criminis declaratione teneri hæteticos offerre Vasquez. bona fisco non petenti, Vasquez verò *1. 2. q. 96. art. 5. disp. 172. num.* vbi ait delinquentes hos teneri post sententiam omnia detegete; intelligendus est si interrogentur; quia sententia non illos condemnat, vt bona sua tradant, sed tantùm tribuit fisco actionem ea capiendi vbicumque illa fuerint, nam durissimum esset vnumquemque acerbissimæ pœnæ suæ executorem constituere.

16. Hinc deducitur, si hæteticus post sententiam non occultet aliqua bona, nec interrogatus neget, sed negligentia fisci aliqua non compateant, non teneri hæteticum illa restituere, eo quod Sanchez. suum non sit ea tradere. Ita Sanchez allegatus *num. 10.* quod intelligit, & bene, nisi per edicta vel alio modo petat fiscus ea bona. Cætera vide apud Sancium.

SVMMARIVM.

Hæreticus ante latam sententiam hæresis licitè, & validè potest alienare omnia necessaria ad vitæ, & familiæ sustentationem, & fiscus non potest ea postea reuocare. num. 17. & 18.

Reliquæ alienationes, siue titulo gratuito, siue oneroso factæ, sunt validæ & licitæ, non tamen firmæ, & stabiles; sed per fiscum reuocabiles, etiamsi emptor, aut contrahens cum hæretico bona fide cum illo contrahat per ignorantiam illius hæresis. num. 19.

Non peccat hæreticus etiam publicus alienando bona sua ante sententiam latam contra fiscum, peccat tamen titulo oneroso ea alienando, contra illum cum quo onerosè contrahit. num. 20.

Non impeditur hæreticus per aliquod ius bona sua ante sententiam latam alienare. num. 21.

Omnis alienatio ab hæretico, non solùm post hæresim, ante sententiam, sed etiam ante hæresim facta, siue fiat titulo oneroso, siue gratioso reuocari potest à fisco. num. 22. 23, & 24.

Secuta sententia, qua hæreticus de hæresi damnatur, non potest fiscus statim apprehēdere bona in illius fraudem alienata; sed potest illa reuocare per iudicis sententiam, non procedendo via executiua, sed per citationem ordinariam. num 25.

Si tamen alienationes fuerint simulatæ, potest fiscus via executiua, bona alienata, & non ordinaria recuperare. num. 26.

Quod discrimen sit inter alienationes factas in fraudem fisci titulo lucratiuo; seu gratioso, & titulo oneroso. num. 27.

Prima coniectura ex qua præsumitur alienatio facta in fraudem fisci est, si omnia simul bona, aut maior illorum pars alienetur. num. 28.

Secunda est, quando bona venduntur non iusto pretio. ibid.

Tertia est, si donatio, vel venditio fiat personæ coniunctæ. num. 29.

Quarta est, quando post alienationem reperitur alienans aliquid rei alienatæ possidere. num. 30.

REstat videre quales sint effectus confiscationis post latam criminis sententiā, siue sit hæresis, siue quodcumque aliud, & in quibus conueniant, aut non conueniant auctores tertiæ, & quartæ sententiæ. 17.

In hoc puncto conueniunt omnes auctores tertiæ & quartæ sententiæ, posse illum cuius bona confiscata sunt ante latam sententiam confiscationis seu declarationis criminis licitè, & validè alienare ea omnia, quæ necessaria sunt ad vitæ suæ, domus, status, & familiæ sustentationem, ita vt non possit fiscus ea reuocare. Ita Suarez *de fide disp. 21. sect. 4. initio* Becanus *tom. 2. tract. 3. cap 7. quæst. 5. initio* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 22. num. 55.* expressè Couarru. *in 4. decretal. 2. part. cap. 6 §. 8. n. 9.* Molina *tom. 1. de iust. disp. 95. versu. Licet autem hæreticus.* Nam Sanchez, Molina, & Couarruuias expressè asserunt has alienationes ad vitam, & statum necessarias non posse à fisco reuocari, & reliqui id supponunt, tam tertiæ, quàm quartæ sententiæ auctores, quos ideo non refero. Et ratio huius rei est, quia per interdictas alienationes non censentur interdictæ necessariæ, sed voluntariæ *L. Alienationes 13. titulo* Suarez. Becanus. Sanchez. Couar. Molina.

familiæ

familia erciscunda. ibi: *Alienationes post iudicium acceptum interdictæ sunt, duntaxat voluntariæ;* nam quamuis concedamus tranferri statim dominium in fiscum à die commissi criminis, & relinqui solam nudam possessionem, & vsum delinquentibus, vt volunt auctores tertiæ sententiæ, tamen transfertur cum hoc onere, & conditione, vt dum sententia declaratoria non fertur, liberum illis sit has alienationes ad vitam necessarias ita licitè, & validè efficere, vt repeti à fisco non possint, quia nec illis, nec eorum filiis denegantur alimenta, nisi post sententiam latam; quia hoc est tam intrinsecum & naturale homini, vt iustè prohiberi non possit.

19. De aliis igitur alienationibus, siue gratuitis, vt sunt simplices, & liberales donationes, siue onerosis, vt venditiones, permutationes, dotium constitutiones, est controuersia. Statuo tamen sic primò, huiusmodi donationes, & alienationes siue gratuitæ, & liberales, siue onerosæ sint, ante latam sententiam factas, esse quidem validas & ratas, non tamen firmas, & stabiles, sed posse à fisco reuocari. Ita docent expressè Becanus *tom. 2. tract. 3. cap. 7. de lege pœnali quæst. 5. num. 4.* Suarez item expressè *de fide disp. 21. sect. 4. n. 3. & 6.* & videntur tenere omnes auctores quartæ sententiæ numero 10. explicatæ; sequitur enim euidenter ex illa, & speciatim expressè id tenet Victoria *in Relectione de Indis num.* 14 Vasquez *1. 2. disp. 171. cap. 2.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi cap. 21. num. 26. & 36.* Barthol. *in l. post contractum 15. num. 1. ff. de donat. ante num. 1.* & ibi Imola *num. 1.* Hannibal. *num. 16.* Alciatus *num. 28.* Montepic. *num. 11.* Angelus *in l. si quis posth. 7 ff. de donat num. 3.* Tabiena *in summa, verbo. Assassinus, quæst. vnicn.* Bossius *in practica titulo de bonor. publicat. num. 44. & num. 48.* Cardinalis Tuscbus *in suis prattic. conclus. tom. 4. conclusione 482. num. 2. & 3.* Santatellus *cap. 24. num. 3.* Quod intelligendum est, etiamsi emptor v. c. aut commutator bona fide contrahat omnino ignorans delictum venditoris: quia hæc ignorantia non purgat vitium contractus, quod in re ipsa inest, & quia qualitas ignorantiæ non priuat fiscum iure suo, vt bene animaduertunt Sanchez *dicto tom. 1. Decalogi cap. 21. num. 36.* & Suarez *dicto lib. de fide disp. 22. sect. 4. num. 6.* Ratio est, primò, quia hæreticus non perdit omne dominium bonorum suorum statim ratione delicti, vt iam probatum est *in 4. conclus. num. 10.* sed omnis vetus dominus potest voluntate sua transferre in alium, ius, & dominium, quod in suis bonis habet, & quale habet, vel liberaliter, vel per alium contractum; ergo hoc facere etiam potest hæreticus per se loquendo. Deinde probatur, quia nullus contractus per se est firmus, & stabilis qui per sententiam iudicis potest rescindi; sed omnes donationes & alienationes bonorum confiscatorum possunt rescindi per sententiam iudicis, vt probatum manet *num. 10.* ergo nullæ eiusmodi donationes, & alienationes sunt firmæ, & stabiles: deinde quia si possunt rescindi per sententiam, inde conuincitur esse validas, antequam rescindantur, id enim rescinditur propriè in iure, quod ratum antea habebatur.

Becanus. Suarez. Victor. Vasq. Barthol. Imol. Hannibal. Alciat. Montep. Angel. Tabien. Bossius. Card. Tusc. Santatel. Sanchez. Suarez.

20. Statuo secundò, non solùm huiusmodi alienationes de iure esse validas, & ratas modo explicato, sed etiam licitas. Vnde non peccat hæreticus etiam publicus alienando sua bona ante sententiam, ex eo quod impeditus sit per aliquam legem ea alienare; peccabit tamen, & illicitè faciet ea alienando titulo oneroso aliunde, ex eo videlicet, quod faceret iniuriam ementi, aut ei cum quo onerosè contrahit; exponit enim illum periculo ablationis talium bonorum per fiscum post sententiam datam. Vnde nisi ipse hæreticus reus illi manifestet huiusmodi vitium, & periculum, iniuriam emptori facit, nam qui hoc modo emit rem aliquam à reo, exponit se periculo euictionis, quia per sententiam condemnatoriam rescinduntur contractus à die commissi criminis; ex eo autem posset emptor pati aliquod damnum. Dixi *titulo oneroso*, quia si alienet titulo gratioso donationisque liberalis, nullâ ratione peccabit, cum inde nullum periculum aut damnum sequatur donatario; sed prouentus. Hæc vt iacent docentur à Becano *tom. 2. tract. 3. cap. 7. de lege pœnali quæst. 5. num. 1.* & à Syluestro *verbo, hæretici, quæst. 8.* & ab Angelo *verbo pœna. num. 3.* & Antonio Gomezio *tom. 3. opusc. cap. vltimo num. 3.* & à Simancas *de cathol. inst. tit. 9. num. 28.* & à Suar. statim initio numeri sequentis allegando; & est vera, certaque sententia, quod semper intelligendum est nisi cum dolo & fraude bona sua distrahat in damnum fisci.

Becanus. Syluest. Ant. Gom. Simanc.

Quod verò per aliquod ius, aut legem non sit impeditus ea titulo oneroso, aut gratioso alienare, docet Suarez *de fide disp. 22. sect. 4. num. 4.* Vasquez *disp. 17. cap. 1. num. 13.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 22. num. 59.* & alij quos Sanchez citat. Probatur, quia cum hæreticus retineat ex iure dominium, & administrationem suorum bonorum per se, & ex natura rei licitè potest ea vendere, donare, permutare, aut quocumque alio titulo oneroso, vel gratioso alienare; nam vt hoc illi non sit licitum, oportebat, vt inueniretur ius aliquod in quo id prohiberetur, non inuenitur, ergo iure non prohibetur. 21.

Suar. Vasq. Sanchez.

Dices. Accidere potest, vt dum res transit ad alium, difficiliùs recuperetur à fisco, vel vt in illios manu cum detrimento illius deterioretur. Respondeo imprimis inde solùm sequi aliunde, & ex alio principio, posse esse eam alienationem respectu fisci illicitam, non tamen iuxta ius inualidam, de quo solùm agimus. Deinde respondeo etiam posse contingere, vt talis res meliùs, & vtiliùs ab alio tractetur, & conseruetur; & quod eadem, vel maiori facilitate ab illo recuperetur. Tertiò respondeo hæreticum non esse procuratorem fisci, vt teneatur meliori, & optimo modo bona illa conseruare, & ideo solùm tenetur non agere fraudulenter; nam si in fraudem fisci illa bona alienaret, aut dissiparet, tunc ex ea parte grauiter peccaret; tum quia directè ageret contra ius acquisitum à fisco; tum quia ipsæ leges directè hoc prohibent, vt latè probat Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 21. num. 25. & 26. & cap. 22. num. 59.* & Simancas *de cathol. Inst. titul. 9. num. 56. & 57.* & docet Suarez *de fide disp. 22. sect. 4. num 5.*

Sanchez. Simanc. Suar.

Statuo terriò. Certum est omnem alienationem factam vtroque titulo oneroso, & gratioso ab hæretico, posse per sententiam iudicis fiscalis reuocari, si præsumatur in fraudem fisci facta quocunque fiat tempore ex quinque temporibus quæ hîc spectari solent, & alienationes fieri possunt: quorum primum est ante commissionem delicti; secundum post commissionem delicti ante illius accusationem; tertium post illius accusationem, ante litis contestationem; quartum post litis contestationem, ante tamen iudicis sententiam; 22.

quintum post iudicis feutentiam. Sic considerant vniuersi Doctores ad *legem post contractum* 15. *ff. de donationibus*, signa verò præsumptionis infrà tradimus. Esse verò alienationem factam in fraudem fisci probatur ex *l. in fraudem. ff. de iure fisci* ibi, *in fraudem fisci non solum per donationem; sed quocumque modo res alienata reuocantur*. & ex *l. Si aliqua 7. ff. de donat. causa mort.* & tradunt Glossa *in l. Si quis posthac, verb. Beatus C. de bon. damnat.* & ibi Cynus *num. 3. quæst. 3.* Fulgosius *num. 7.* Barthol. *in l. Post contractum* 15. *num. 1 ff. de donat.* & latè Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 21. num. 25.* & Scaccia *tract. de iudicijs lib. 1. cap. 98. num. 22.* & Vasquez *1. 2. quæst. 96. art. 5. & disput. 171. cap 1. num. 2.* & est communis pene omnium DD. sententia; quamuis Salicetus in *d. l. Si quis posthac in principio, num. 6.* conetur probare non posse à fisco reuocari donationes ante delictnm factas in eius fraudem; sed non est recedendum à conclusione posita, ac communiter recepta.

Glossa. Cynus. Fulgosius. Barthol. Sanchez. Scaccia. Vasq.

25. Dixi posse illas fiscum renocare per sententiam iudicis; quia non satis est sententia criminis condemnatoria vt fiscus possit apprehendere bona in eius fraudem alienata; aut procedere via executiua, sed ordinaria, intentando, indicendóque actiones reuocatorias contra possidentes. Et ratio est, quia cum alienationes illæ valuerint, & dominium fuerit translatum in eorum bonorum possessores, iniuria illis fieret si via executiua & non ordinaria contra illos procederetur. Et ita docet expresse Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 21. num. 18.* Annibal *in l. post contractum* 15. *ff. de donat. num. 16.* Montepicus ibi, *num. 50.* Cardinalis Tuschus *tom. 4. conclus. 482. num. 3. 6. & 7.*

Sanchez. Annibal. Montep. Card Tusc.

26. At contrarium dicendum est, quando alienatio non fieret in fraudem; sed esset simulata, quia si simulata est, cum sit prorsus nulla, manent ea bona in dominio delinquentis, & ideo fiscus poterit ea cum aliis apprehendere, & via executiua procedere in illis. Ita Sanchez, & Montepicus allegati, & Tuschus *dict. tom. 4. conclusione 472. num. 1.*

Sanchez. Montep. Tusch.

27. Est autem latum discrimen inter alienationes in fraudem fisci factas, titulo oneroso, & titulo lucratiuo, seu gratioso; quia quando res alienata fuit titulo gratioso, & lucratiuo; vt talis donatio reuocetur à fisco, non indiget, vt illam accipiens fuerit particeps fraudis: sed sufficit, quod detur fraus ex parte dantis, non recipientis; quando verò titulo oneroso alienata fuit, emptionis. v. c. commutationis &c. indiget vt accipiens fuerit etiam fraudis particeps; aliàs non erit reuocationis locus, ex hoc titulo quod fuerit in fraudem fisci facta, ex alio tamen titulo bene poterit reuocare quascunque alienationes ab hæretico factas post commissum crimen, quocunque titulo factæ sint siue oneroso, siue lucratiuo, quia nimirum factæ sunt à domino habente dominium vulneratum modo supradicto in res confiscatas ipso iure. ex quo capite omnes donationes & contractus factos ab hæreticis post crimen commissum diximus *num. 19.* esse reuocabiles. Quòd necessaria sit fraus in recipiente bona hæretici titulo oneroso, non verò lucratiuo, constat *ex l. ait prætor. §. si quis particeps. ff. quæ in fraudem credit.* & docet Sanchez dicto *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 21. num 29.* Et ratio est, quia in contractu lucratiuo, vt in donatione gratuita agit donatarius de solo lucro capiendo, & ideo non exigetur in eo ad renocationem participatio in fraude, at in contractu oneroso agitur de damno contrahentis vitando, & ideo exigitur ex parte illius participatio in prædicta fraude. Sic docet Sanchex *dict. num. 29.* & tradunt Barthol. *in l. Post contractum num. 3. ff. de donat.* & ibi Imola *num. 3.* Montepicus *num. 38.* Alciatus *num. 35.* Decius *consilio 235. C. de bonis damnat.* & ibi Salicetus in principio *num. 6. versic. sed an nunc.* & est communis omnium.

Sanchez. Sanchez. Imol. Montep. Alciat. Decius. Salicet.

28. Ex quibus autem coniecturis fraus in prædictis alienationibus præsumatur, vel non præsumatur, non est nostri tractare instituti; nam cum fraus in solo animo consistat, ex solis coniecturis venanda est. Aliquas tamen apponemus, ne lectores nostros hac doctrina fraudemus, & cogamus illos aliunde emendicare: multæ igitur coniecturæ iudicio iurisperitorum sunt, ex quibus indagari fraus potest. Prima est, cum delinquens alienauit omnia bona sua, aut maiorem partem illorum per donationem. Secunda, cum id fecit per venditionem, nisi venditio fieret iusto pretio; tunc enim cessaret latentis fraudis suspicio; vt autem tunc cesset, pretium à venditore non debet occultari; sed debet illud ostendere; nec purgatur hæc fraus per iuramentum alienantis, nam nihil operatur iuramentum in tertij, hoc est, in fisci præiudicium, vt patet ex cap. *Quamuis pactum. de pactis in 6.* Hæc omnia docet Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. vltimo n. 4. casu 1.* Simancas *de cathol. inst. titul. 9. num. 56.* Barthol. *in l. post contract. num. 1. ff. de donat.* & ibi Cumanus *num. 3.* & Montepicus *num. 22. & 35. & 44* Peregrinus *de iure fisci titul. 1.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 21. num. 5. & 6. 7. & 8.* per multos & multa iura, vt ibi videre poteris.

Ant Gom. Simancas. Barthol. Cuman. Montep. Pereg. Sanchez.

29. Tertia fraudis coniectura est, quando donatio, vel venditio fit personæ coniunctæ, quia præsumitur velle delinquentem potius in coniunctum, quàm in extraneum hæc bona transferri, & sic id efficere, ne ad fiscum perueniant, & tunc quidem fraus præsumitur etiam, quamuis non sit donatio omnium, vel maioris partis bonorum; sed rei particularis. Sic tradunt Sanchez allegatus *num. 9.* Barthol. *dicta lege post contractum.* Cumanus *ibi num. 3.* Romanus *num. 4.* Anton. Gomez numero præcedenti allegatus *num. 4. casu 2.* Mascardus *de probat. conclus. 815. num. 10.* & idem dicendum quando eadem alienatio fieret in amicum, in hoc tamen negotio plurimum valet iudicis arbitrium; sic Sanchex *dicto tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 21. num. 9.*

Sanchez. Barthol. Cuman. Roman. Mascard. Sanchez.

30. Quarta fraudis coniectura est, quando post alienationem reperitur delinquens possidere aliquid rei, quam alienauit, & fructus ipsius rei alienatæ percipere; quamuis per clausulam *constituti*, vel alium actum fictum exprimat se in alterum transferre possessionem, & nomine ipsius possidere, quia vt præsumptio fraudis cesset, requiritur traditio vera, & corporalis. Ita Barthol. *in l. Post contractum 15. ff de donat. num 4.* & ibi. Albericus *num. 6.* Romanus *num. 5.* Alciatus *num. 44. & 45.* Montepicus *num. 47.* Simancas *de cathol. inst. tit. 9. num. 56.* Mascardus *de probat. conclusione 815. num. 48. & duplici sequenti*: cessat tamen hæc coniectura, quando alienans reseruasset sibi vsum fructum rei alienatæ, quia tunc præsumitur sola retenta possessio ratione sui vsus fructus recipiendi. Ita Montepicus *dicto num. 47.* & Sanchex *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 21. num. 14.* quod tamen intelligendum est, quando

Alber. Roman. Alciat. Montep. Simanc. Mascard.

venditor

venditor haberet pretium solius proprietatis, non
possessionis; tunc enim retinendo possessionem
& percipiendo fructus, non datetur simulatio-
nis aut fraudis iudicium; secus si integrum vtriusque pretium percepisset. Ita Sanchez allegatus,
& bene.

31\. Quinta fraudis coniectura est si alienatio sit
clandestina; quomodo autem hoc sit intelligen-
dum, vide Sancium allegatum *num*. 17. Sexta
est, quando facta alienatio sequitur in continenti
delictum, quia ex actuum propinquitate fraus
præsumitur. *L. si ventri §. finali, ff. de priuileg.
credit.* ibi: *Si modo non post aliquod internallum id*
Sanchez. *factum sit*. Ita Sanchez allegatus *num*. 19. Notan-
dum autem semper est & ante oculos habendum
malitiam & fraudem suis non debere patrocinari
auctoribus, omnia enim iura diuina, & humana
fraudi, & iniquitati resistunt: quare sicut pecca-
ta suos tantùm tenent & ligant auctores, ita ma-
litia, & fraus suis etiam auctoribus nocere, &
non patrocinari debent, ne quisquam ex malitia,
& iniquitate sua commodum reportet. Quare
quoties ex aliqua rationabili coniectura fraus in
alienationibus præsumitur, ea donatio, & aliena-
tio erit reuocabilis, vt omnes passim affirmant.

SVMMARIVM.

Bona omnia ab hæretico alienata possunt per fiscum reuocari, nisi ad tempus præscriptionis peruenerint. num. 32.

Quando bona auferuntur per fiscum ab eo, qui bona fide ea possidebat per donationem gratuitam, ac liberalem, nihil ei tenetur fiscus relinquere. num. 33.

Si ab eo ea fiscus auferat, qui per contractum onerosum v. c. per emptionem, aut per mutationem illa possidebat, si mala fide possidebat, sciens, aut dubitans quando ea emit esse fisco obnoxia, & venditorem esse hæreticum, tenetur ea fisco reddere, non recuperato pretio post latam hæresis sententiam. num. 34.

Quid si bona fide emit, & postea scinerit esse fisco obligata. num. 35. 36.

An ista bona recuperentur à fisco cum suis melioramentis. num. 37. 38.

An fiscus recuperet bona cum omnibus fructibus perceptis à die commissi criminis, vsque ad sententiam condemnatoriam hæresis. num. 39. 40.

Quid requiratur, vt quis respectu rei fisco obligata dicatur possessor malæ fidei. Refertur prima sententia asserens solam scientiam, aut dubium de hæresi sufficere, vt constituatur ille qui ab eo rem emit, possessor malæ fidei. num. 41.

Præfertur sententia negans, & asserens requiri scientiam, aut probabile dubium sententia lata. num. 42.

32\. IN his tamen omnibus reuocationibus, hæc
necessariò limitatio addenda est, vt scilicet
bona omnia alienata possint per fiscum reuocari,
nisi ad præscriptionem peruenerint, & quamuis
Ioan. And. hanc limitationem non admittant Ioannes An-
Archid. dreas, & Archidiaconus, vt refert Roias *singu-*
Rojas. *lari* 18. *in fine*, & ipse dubitet; dubium tamen il-
lius non est admittendum, quia limitatio est mo-
raliter certa, & sumitur *ex cap. vltimo §. vltimo de*
Panorm. *præscriptionibus in* 6. & eam admittunt Panormi-
tan. in Capite, *Cum nobis de præscriptionibus n.* 7.
Couar. & Couarru. 1. *part. decretal. cap.* 6. §. 8. *num.* 10.
Castro. & Castro *lib.* 2. *de hæreticorum punit. cap.* 4. & Fa-
Farinac. rinacius *de hæresi quæst.* 190. *à num.* 119. & Suar. Suarez.
de fide disp. 22. *sect.* 4. *num.* 7. & latè Sanchez *dict.* Sanchez.
tom. 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 22. vbi benè explicat
conditiones ad hanc præscriptionem requisitas,
quæ ibi videri poterunt, & in Molina *tom.* 1. *de* Molin.
iust. disp. 73. *per totam.*

Dubium ergo primum est, an bona illa aufe- 33.
renda sint à possidente nihil ei omnino dando,
aut restituendo. Respondeo, aut illa alienatio
fuit merè liberalis, aut fuit onerosa; seu quod
idem est, aut fuit facta per contractum onero-
sum venditionis, permutationis, commutationis;
aut per donationem liberalem & gratiosam. Si
alienatio facta fuit liberalis, auferenda res est per
fiscum à possidente, nihil ei omnino dando, aut
restituendo si rigore iustitiæ fiscus vti velit. Ita
docent omnes communiter auctores; Suarez *de* Suarez.
fide disp. 22. *sect.* 4. *num.* 8. & nemo dubitat: & ra-
tio est in promptu, quia tunc possessor accepit
illam bona fide absque vllis expensis suis, vel alio
onere suo, & illa antea erat obligata fisco, & ha-
bet ius ad illam recuperandam; ergo nullus est
titulus quo ad aliquid obligetur restituendum
possidenti.

Si per contractum onerosum transiit ad possi- 34.
dentem v. c. per venditionem, aut per mutatio-
nem, tunc quidem aliter loquẽdum est de contra-
ctu bona fide facto, aliter de contractu mala fide.
Si mala fide possessor rem emit sciens, aut dubi-
tans esse fisco obligatam, tenetur possessor post
sententiam condemnatoriam criminis datam in
conscientia eam fisco restituere, non recuperato
etiam pretio, & in foro soli in eodem pretio po-
test condamnari Ita Becanus *tom.* 2. *tract.* 3 *cap.* 7. Becanus.
de lege pœnali quæst. 6. *num.* 2. Simancas *de cathol.* Simanc.
inst. titulo 9. Syluester. *verbo hæreticus* 1. *quæst.* 4. Syluest.
Conradus *tract.* 1. *de contract. conclus.* 3. Vasquez Contad.
disp. 172. *cap.* 2. & Suar. *de fide disp.* 22. *sect.* 4. Vasquez.
num. 9. Probatur, quia, qui mala fide emit, & Suarez.
permutatione accepit rem fisco obligatam, mere-
tur pretium illius amittere; ergo in foro externo
potest in illo condemnari; in foro autem inter-
no, tenetur illam fisco restituere, etiam non recu-
perato pretio, quia velit, nolit ad id se obligauit,
quando illam mala fide emit sciens esse alienam,
aut fisco obligatam; fiscus verò nihil ei tenetur
restituere, quia res illa antequam à possidente
emeretur, iam erat fisco obligata; ergo cum suo
onere ad illum transiit; ergo ratione illius oneris
& iuris proprij potest fiscus illam recuperare vbi-
cumque illa sit, nec tenetur pretium reddere,
quia illud non accepit, nec venditor poterat ma-
ius ius transferre in emptorem, quàm ipse habe-
bat, sed si res esset apud ipsum, semper esset sub-
iecta fisco, & fiscus eam poterat ab eo recupera-
re, nullo ei pretio reddito vel æstimatione illius;
ergo eodem modo possidetur ab emptore, quo
illam possidebat hæreticus venditor; ergo eodem
etiam modo potest per fiscum ab eo recuperari,
nullo ei pretio reddito, nullaque æstimatione
illius.

Si bona fide emit, vel per alium contractum 35.
onerosum possidet, ignorans rem esse fisco obli-
gatam tempore, quo illam emit, tenetur eam fi-
sco restituere, cum sibi post latam sententiam de-
claratoriam hæresis venditoris constiterit fuisse
fisco obligatam, & à se fuerit petita, recepto ta-
men pretio, quod pro illa dedit, si formaliter, vel
per æquiualentiam extet in rebus venditoris; si
autem non extet, quia v. c. hæreticus venditor
eo pretio rem aliam non emit, nec pecunia ad-

huc extat, aut illo pretio factus est ditior, si verò nec formaliter nec æquiualenter extet pretium, rem tenetur restituere etiam non recuperatu pretio. Ita idem Doctores omnes numero præcedenti allegati.

36. Quòd verò teneatur emptor restituere rem etiam non recuperato pretio quando id nullo modo extat; Probatur, quia bona fides non purgat vitium, aut obligationem rei, illa autem res iam erat obligata fisco, & cum suo onere transit ad quemcumque possessorem, siue bonæ, siue malæ fidei, emptor etiam bonæ fidei tenetur illam restituere, aliunde in fisco non datur obligatio restituendi pretia, quia non tenetur ratione rei acceptæ, quia tale pretium nullo modo extat; neque ratione iniustæ acceptionis, quod illud non accepit ergo emptor tenetur restituere rem non recuperato pretio si non extet. Alij verò in hunc modum opinionem suam probant. Qui bona fide emit, non meretur pretium amittere; ergo illud debet recipere ab eo qui rem recuperare voluerit. Sed argumentum infirmum est, quia non priuatur emptor bonæ fidei suo pretio propter culpam, sed quia pretium suum periit, & res aliena manet. Vt patet in eo qui bona fide rem emit à latrone bona fide.

37. Secundum dubium est, an ista bona recuperentur à fisco cum suis melioramentis? Respondetur melioramentum in duplici esse posse differentia. Aut enim tale est, quod sine industria, & expensis, prouenit vel decursu téporis vt si res pro diuerso tempore plus valeret; vel mutatione rerum, vt si fundus esset plantatus, & paulatim incrementum acciperet. Aut est tale, quod non nisi opera, industria, & expensis possidentis fit, vt si reficiatur vel augeatur domus, vel fundus fortè illis fertilior reddatur, aut vallis circundetur, melioramenta prioris generis totaliter cedunt in ius fisci, ideoque ab eo res recuperari potest cum illo melioramento, nulla compensatione facta: quemadmodum è contrario recuperaretur eum diminutione si res fuisset hoc modo diminuta. De secundi generis melioramentis dico licèt à fisco recuperari res possit cum illis, quando talia sunt, vt à re separari non possint, teneri tamen fiscum valorem illorum soluere melioranti, quia confiscatio ad illa non extenditur, neque est cur possessor bonorum suis expensis, & valore suæ industriæ sine vlla culpa sua priuetur. Ita Suarez *de fide disp.* 2: *sect.* 4 *num* 10. Becanus *tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 7. *de lege pœnali quæst.* 6. *num.* 3. & alij communiter. Suarez. Becanus.

38. Dices: Ergo si ex negligentia possidentis bona illa deteriorentur, ac diminuantur, poterit fiscus æstimationem ab illo petere, vt res æqualiter procedat; sicut enim fiscus manet obligatus ad huiusmodi melioramenta, ita etiam possessor debet manere obligatus ad deterioramenta. Respondeo, si mala fide processit sciens illa bona esse confiscationi obnoxia, & ideo circa illa negligenter se gessit, teneri prædictum possessorem ad deterioramenta; quia id fecit cum scientia detrimenti, ac damni bonorum fisci; si autem bona fide processit tractando rem illam tanquam suam, non teneri, quia nec tenetur titulo rei acceptæ, cum nihil acceperit, nec titulo iniustæ acceptionis; ex nullo ergo capite tenetur. Ita respondet Suarez allegatus, & optimè quidem respondet. Suar.

39. Tertium dubium est de fructibus, an scilicet fiscus recuperet bona cum omnibus fructibus qui ex illis prouenerunt à die commissi criminis vsque ad sententiam, imò vsque ad tempus, quo res ab eo postulatur, an sine illis. In quo puncto imprimis supponendum est, hos fructus per se loquendo posse confiscari, quia inter bona hæretici post crimen commissum acquisita computantur. Ita communiter docent auctores Suarez *de fide disput.* 22 *sect.* 4 *num.* 11. Tello Fernandez *in l.* 4. Tauri *num.* 45. Simancas *de catholicis instit. titulo* 9 *a num.* 27. Vasquez 1.2. *disp.* 172. *cap.* 1. Farinacius *de heresi quæst.* 190. *aliàs* 100 *num.* 19. & 80. Couarr. *in* 4.2. *part. cap.* 6. §. 8. *num* 8. Becanus *tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 7. *quæst.* 6. *num.* 4. Sanchez *tom.* 1 *lib.* 2. *Decalogi cap.* 26. *num.* 10. Vnde colligitur euidenter si fructus illi extent formaliter inter bona vltimi possessoris, quando fit bonorum publicatio, & executio, vel æquiualenter (quia nimirum ex illis factus est ditior) recuperandos esse à fisco. Ita docent omnes auctores allegati. Et ratio est. Primò, quia sicut procedunt ex re confiscata, & sub ea ratione aliena, ita cum eo onere ex illa nascuntur. Secundò, quia regula generalis est, possessorem rei alienæ teneri restituere omnes fructus perceptos ex illa, si extant saltem æquiualenter, quia nimirum ex illis fructibus factus est ditior, de quo principio videndus Couarruuias in regula *peccatum* 3. *part. in principio*. Tertiò, quia si hæreticus ipse fructus illos percepisset, essent obligati publicationi, & vendicationi fisci; ergo idem est de quocumque possessore, quia hæreticus, vt sæpe diximus, non potest maius ius in illos conferre quàm ipse habeat. Suarez. Tello Fer. Tauri. Simanc. Vasq. Farinac. Cou. Becanus. Sanchez.

Dubium tamen est, quando fructus omnino iam sunt consumpti, & possessor bonorum non factus est ditior, an teneatur illos restituere. Et tunc distinctione vtendum est; nam vel ille possessor eos consumpsit bona fide, vel mala: si bona, nihil tenetur restituere iuxta communem doctrinam de bonis alienis. Ita Suarez *dicta disp.* 22. *de fide sect.* 4. *num.* 12. & Becanus allegatus *q.* 6. *num* 4. loquentes specialiter de bonis fisco obligatis; loquens verò de bonis, quæ non sunt fisco obligata; ita Couarruuias cum multis *lib.* 1. *var. cap.* 3. *num.* 6. & 7. Et fundamentum est, quia tunc nec obligatio restituendi oritur ex re accepta, quia iam non extat; nec ex iniusta consumptione, seu acceptione, quia supponimus bona fide & sine peccato consumpta esse; ergo nec fiscus potest iustè in eo casu fructus repetere, nec possessor bonæ fidei illos tenetur restituere: at verò si possessor fructus illos consumpsit mala fide, vt repeti possunt propter iniustam consumptionem, acceptionemque, ita tenetur malæ fidei consumptor illos restituere. 40. Suarez. Becanus. Cou.

Quartum dubium est, quid in hoc casu requiratur ad bonam, vel malam fidem; sunt enim multi qui dicũt scientiam delicti constituere emptorem, possessorem malæ fidei; & consequenter asserunt tunc dari possessorem bonæ fidei, quando emptor, aut ille ad quem res contracto oneroso transierunt, ignorabat delictum hæretici, vel criminosi hominis; tunc verò malæ fidei possessorem dari, quando illud non ignorabat, ac proinde teneri illum ad restituendos fructus etiamsi consumpti sint, & ex illis non sit factus ditior ratione iniustæ consumptionis, seu acceptionis, qui sciens delictum hæretici fructus illos consumpsit à die prædictæ scientiæ. Ita Simanc. *de cathol. inst. tit.* 9. *num.* 58. & Vasq. 1.2. *disp.* 172. *cap.* 1. & alij, 41. Simanc. Vasq.

Nihilominus

42. Nihilominus dicendum est scientiam delicti hæretici non sufficere ad constituendum possessorem malæ fidei illum, qui post scientiam delicti hæresis, bona hæretici ab eo emit, vel contractu oneroso siue donatione accepit quantum ad rem attinet præsentem. Ita Suarez *de fide, disput. 22. sect. 4. num. 13.* Ratio est euidens, quia ipsemet hæreticus bona fide possidet sua bona quandiu contra ipsum non fertur sententia, etiamsi sui delicti, & confiscationis conscius sit; ergo etiam ille cui illa vendidit vel dedit eadem bona fide possidebit, etiamsi sciat delictum donantis, aut vendentis; eadem enim est de vtroque ratio, nam hæreticus venditor vel donator transtulit in emptorem totum ius, quod in eam rem habebat; ergo transtulit in illum ius possidendi illam, bona fide; quare de possessione bonæ fidei emptoris vel donatarij nemo iustè potest dubitare. Idem consequenter asserendum erit de consumptione fructuum, si nihil enim aliud obstet, quàm notitia delictum scientis, aut illam in alium quolibet titulo transferentis, bene poterit fieri sine peccato & bona fide si non fiat in fraudem, aut in detrimentum fisci, sed ad vitam sustentandam v. g. vel ad aliam commoditatem: tunc enim non fit iniuria fisco, cum iure suo possessor illius vtatur. Hinc fit, vt emptor vel donatarius non teneatur in conscientia restituere illos fructos, quos non in fraudem fisci consumpsit, quia nec ratione iniustæ consumptionis, seu acceptionis tenetur, cum non peccauerit contra iustitiam illos consumendo, nec ratione rei acceptæ, cum non extent; secus verò esset, si iniustè, & fraudulenter illos consumpserit; nam tunc meritò possent ab illo repeti. Neque est simile de præscriptione, nam præscriptio est beneficium lege concessum sub ea conditione tantùm vt possidens ignoret crimen in se transferentis bona, & ideo extendi non debet talis conditio vt requiratur ad alios effectus in quibus ex natura rei secundùm iustitiæ regulas non requiratur. Quæres verò quæ necessaria sint ad præscribendum res fisco debitas. Respondeo requiri tria. Primum est spatium 40. annorum. Secundum, vt hæretici bonorum possessor, catholicus fuerit pro toto vitæ suæ tempore reputatus. Tertium, vt possessor talium rerum sit in bona fide ignorans cum accepit, & tempore illo quadragenario illum à quo rem accepit, esse vel fuisse hæreticum. Hæc breuissimè dicta sint. Qui extensiùs illa velit, legat Sancium *in Decalog. l. 2. cap. 22. à num 37.*

43. Animaduertendum tamen est, qui emunt bona hæreticorum fisco obligata in iis locis vbi non sequitur sententia iudicis, vt fit in Germania, posse bona conscientia ea retinere, & fructum ex illis percipere, quia talis emptio est valida ante sententiam, vt dixi: sed etiam ibi non est firma, & stabilis, sed reuocabilis post sententiam si detur, vt suprà probauimus *num. 19.* non data tamen sententia ita manet valida, vt rescindi aliter non possit, si alioqui iusta & secundùm iura facta sit, vt optimè animaduertit Becanus *tom. 2. tract. 3. cap. 7. quæst. 5. num. 5.*

CAPVT XXI.

Quæ bona hæreticorum sub confiscatione comprehendantur.

SVMMARIVM.

Quod attinet ad quantitatem, & qualitatem bonorum, nulla omnino bona eximuntur à confiscatione. num. 1.
Confiscari possunt bona immobilia, mobilia, se mouentia, & se non mouentia, iura, actiones, & ius sepulturæ. num. 2.
Opus est, vt hæc bona fuerint hæretici tempore, quo commisit delictum, aut post commissum delictum ante sententiam latam ab eo acquisita. num. 3.
Si ante commissum delictum hæreticus aliquid simpliciter donauit, id non confiscatur si postea in crimen hæresis incidat. ibid.
Quid si donauit sub conditione, & conditio impleta non fuit. num. 8.
Quid si id donauit per donationem causa mortis. n. 9.
Bona quæ ab hæreticis pœnitentibus acquiruntur post sententiam latam, & post confiscationem non confiscantur nisi de nouo in hæresim incidant. n. 10.
Solùm bona illa, quæ in hæredes transferri possunt, confiscantur confiscatione perpetua. num. 11.
An hæc regula, non transit ad hæredes, ergo non confiscantur, *procedat non solùm negatiuè; sed etiam affirmatiuè.* num. 12.
An iura personalia hæretici confiscari possint, & quæ? & an bona quæ pro vita tantùm ipse comedit. num. 13. 14.
Quid de iure eligendi. num. 15.
Quid de iure dominij, quod hæreticus habet in seruum Christianum. num. 16.
Quid de iure patronatus. num. 17.
An confiscari possit & à quo iudice. à num. 17. vsque ad 19.
An pensiones hæreticorum confiscari possint à fisco, & quomodo. num 20.
Quid si sint iam decursa, vel non sint. ibid.

OMISSA quæstione de personis quænam personæ iurisdictione priuari possint, 1.
quærimus hîc quæ bona possint confiscari; & quod attinet solùm ad quantitatem, & qualitatem bonorum, certum est nulla omnino bona hæretici, aut delinquentis, quæ verè illius sint, à confiscatione eximi. Patet ex cap. *Cum secundùm leges de hæret. in 6.* ibi: *Bona hæreticorum ipso iure de fratrum nostrorum consilio duximus confiscanda*, & ex lege. *Quisquis in fine principij, C. ad legem Iuliam maiestatis*, ibi: *Bonis eius omnibus fisco nostro addictis*: nam illa vniuersalis, *omnia bona.* nullum excipit, & illa indefinita, *bona hæreticorum duximus confiscanda*, æquipollet vniuersali. Quare sine dubio omnia bona, quæ fuerint hæretici, aut delinquentis, confiscationi subiiciuntur, nullis exceptis, vt docent communiter DD. Suarez *de fide disp. 22. sect. 5. num. 1.* Suarez.
Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 14. num. 1.* Simancas *de cathol. Inst. titul. 9. num. 7.* & communiter omnes. Sanchez. Simanc.
Quæ autem sint propria hæreticorum aut delinquentium bona, in sequentibus dicemus.

Clauduntur ergo, ac intelliguntur sub bonorum hæreticorum, ac delinquentium publicatione, bona mobilia, immobilia, se mouentia, 2.

& fe non mouentia, iura, actiones, & iura fe-
pulchorum. Et ratio eft, quia hæc omnia verè,
& propriè bona hæreticorum, & delinquentium
bona dicuntur, in iuribus enim numero præce-
denti allegatis, præcipitur abfoluta bonorum
hæretici publicario; omnia autem hæc funt illius
bona. Patet enam ex *l. fi ademptis C. de fent paf-
fis.* in qua dicuntur ablatis bonis per fententiam,
Simanc. Vafq. auferri etiam iura, & actiones. Sic tradunt Si-
mancas *de cathol. Inft. tit. 9. num. 7.* Vafquez 1. 2.
quæft. 96. art. 5. difp. 169. num. 3. verfu. Equidem.
Sanchez. Suarez. Sanchez *tom. 1, Decalogi lib. 2. cap. 14. num. 3.* Sua-
Azeued. Azor. rez *de fide difp. 22. fect. 5. num. 1.* Azeuedo *lib 8.
recopilat. titul. 3. l. 1. num. 180.* Azor. *tom. 1. lib. 5.
cap. 7. quæft. 8.* non explicans iura fepulchrorum;
fed ea explicant Sanchez, Vafquez, & Siman-
cas allegati.

3. Ex parte hæretici habentis talia bona, neceffa-
rium eft, vt fuerint fua, propriumque ius in il-
la habuerit tempore, quo commifit delictum;
vel faltem, vt poft commiffum delictum, ante
fententiam latam ab eo fuerint acquifita. in quo
omnea DD. conueniunt, vt notat Suarez *de fide
Suarez. dicta difp. 22. fect. 5. num. 2.* quia hæc propriè di-
cuntur bona hæretici. Hinc fi hæreticus ante
commiffum crimen hærefis abfoluè, & fimpli-
citer aliquid alteri donauit de bonis fuis, quam-
uis poftea in illud incidat, non confifcatur, quia
iam non erit fuum; & quod fuum fuerit, parum
refert. Ita communiter DD. Suarez allegatus,
& alij.

4. Dixi autem *abfolutè, & fimpliciter donauit*;
quia fi donatio facta fuit fub conditione, & con-
ditio non fuit impleta ante commiffionem de-
licti, quamuis poftea impleatur, bona fic do-
nata confifcantur; quia donatio transfert domi-
Suarez. Farinac. nium dum conditio non impletur, vt docet Suar.
Simanc. *de fide difp. 22. fect. 5. num. 2.* Farinacius *de hærefi
quæft. 190. num. 12.* Simancas *de cathol. inft. cap. 9.
Paluf. num 9.* & Ferd. à Caftro Palauf. *de virt. p. 11. tract.
4. difp. 5. punct. 3. n. 1.* & conftat *ex l. 1. ff. de donat.*
Per hærefim autem aufertur poteftas transferen-
di dominium abfolutum, & à confifcatione li-
berum; & ideo publicatio circa bona fic donata
verè, & propriè locum habet.

5. Idem eft fi donatio non fimpliciter fiat inter
viuos, fed caufa mortis: nam illa etiam non eft
perfecta donatio, nec transfert dominium, imò
reuocari poteft ante mortem, & toto vitæ tem-
pore: & ideò fic donata comprehenduntur in
bonis, quæ fub conditione donantur, & à fifco
Simanc. etiam repetuntur. Ita Simancas *de cathol. inft.
Farinac. titul 9. num. 9.* Farinacius *de hærefi quæft. 190. §. 1.
Suarez. num 12* Suarez *de fide difp 22. fect. 5. num. 2. fi-
ne*: & multi alij quos citat Farinacius. & fumitur
ex *l. 1. ff. de donat. caufa mort.* Imò quamuis do-
nator etiam caufa mortis facto inftrumento do-
nationis ftatim rem tradat donatario, tamen ad-
huc res illa confifcatur, & à fifco reuocari po-
teft. Et ratio eft, quia licet tunc donatarius com-
paret dominium rei donatæ, non illud comparat
abfolutè, fed tot modis reuocabile, quot modis
reuocari poteft ipfa donatio caufa mortis facta,
Molin. dum donans viuit, vt bene animaduertit Molina
Ant. Gom. *tom. 2, de iuft. difp. 287. §. Additum eft.* Anton.
Molin. Gomez *tom. 2. var. cap. 4. num. 16.* Alter Molina
de primog. lib. 1, cap. 12. num. 15. & habetur *l. 2.
& l. Si mortis caufa §. fi verò, & l. Qui mortis. ff.
de mort. cauf. donat.* Manet ergo dominium ab-
folutum apud donatorem, cum donatarius non
habeat alium titulum ad comparandum domi-
nium rei donatæ caufa mortis, licet fibi traditæ,
nifi ipfam donationem caufa mortis fibi factam,
quæ non aufert dominium abfolutum à dona-
tore, nec illud confert donatario, nifi poft mor-
tem donantis. Dum igitur dominium rei manet
apud donatorem, res confifcabilis eft; fi autem
donans caufa mortis, cum tradidit rem donata-
rio, eam tradidit, vt reuera effet fua, illo viuen-
te, & idem expreffè declarauit, tunc quidem
iam non erit donatio caufa mortis, fed fimplex
donatio inter viuos; mutata eft enim natura do-
nationis per illam traditionem cum expreffa de-
claratione, & in hoc cafu non fufficit tacita de-
claratio, quamuis taciti & expreffi eadem vis,
eademque poteftas; quod fi probetur, & dona-
tio fuerit facta ante crimen commiffum, non po-
terit confifcari vt patet. Excipitur hinc donatio
caufa mortis facta à viro vxori, quia hæc pofito
delicto & confifcatione viri firma manet, vt eft
manifefta decifio *l. Sed fi mors. ff. de donat. inter
virum & vxorem.* & *l. Res vxoris C. eod. tit. l. Quif-
quis §. vxores. C. ad l. Iul. Maieft.* vt notat Re-
ginaldus *in l. Executorem col. 9. verf. quæro qui-
dam.* & Farinacius *quæft. 25. num. 30.* Sanchez Farinac.
lib. 6. de matrim. difp 17. num. 5. & lib. 2. cap. 17. Sanch.
num. 15. vbi plures referunt.

Dixi *ante fententiam latam*; quia bona, quæ 6.
ab hæreticis acquiruntur poft fententiam latam,
aut poft conuerfionem illorum, non confifcan-
tur, nifi iterum nouum crimen committant, ob
quod confifcanda fint; quia hæc vocantur bona
furtiua, & in confifcationem non veniunt, quia
nullo modo ad hæreticum pertinebant ante fen-
tentiam. Et ita docet Simancas *de cathol. inft.* Simanc.
tit. 9 num. 61. Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæft. 8.* Azor.
Iul. Clar *§. finali l 8. num. 14.* Curtius fenior *con-* Iul Clar.
filio 59. num. 13. Meres *de maiorat. in 1. edit. part.* Curtius. Meres.
1. quæft. 1. num. 107. Vafquez 1, 2. *quæft. 96. ar-* Vafq.
tic. 5. difp. 169. cap. 8 num. 8.

Et quamuis dixerimus *num* 2. fub nomine bo- 7.
norum, quæ confifcari poffunt, claudi, aut com-
prehendi omnia bona mobilia, immobilia, fe
mouentia, iura & actiones, & iura fepulchro-
rum, hæc intelligenda funt modò illa fint talia,
quæ in hæredes extraneos transferri poffint; nam
iuxta DD ftatim allegandos, illa quæ ad hæredes
etiam extraneos ab hæretico transferri non pof-
funt, non confifcantur. Ita docent communiter
DD. Iulius Clar. *§. finali quæft. 79. num. 7.* Gigas Iul Clar.
in tract. de crimin. læfæ maieftatis, titulo de pœnis Gigas.
quæft. 5. & 6. Peña *in director. comment. 191.* Peña.
Suarez *de fide difp. 22. fect. 5. num. 4.* Sanchez poft Suarez.
multos quos allegat *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 14.* Sanchez.
num. 52. & eft prima regula generalis, quæ in
hac materia traditur à doctoribus communiter.
Et ratio illius quoad primam partem quòd con-
fifcentur bona omnia quæ transferri poffunt ad
hæredes extraneos, eft, quia quoties quis poteft
transferre aliquid in hæredes extraneos, fignum
eft quod in illud habet dominium perfectum &
abfolutum, atque adeo quod res eft propriè illius,
fed omnia bona hæretici confifcantur. ergo &c.
Alia pars oftéditur, quia defectus poteftatis trans-
ferendi rem in hæredes extraneos, eft fignum
defectus dominij, & quòd res non eft domini
abfolutè, fed folùm fub conditione vt non trans-
feratur in extraneos. ergo cùm fifcus extraneus
fit, non poteft ad illum talis res deuenire. Primò,
quia fi in eos, qui verè & propriè hæredes ex-
tranei funt, nequeunt hæc bona transire; à for-
tiori in fifcum transire non poterunt, vtpote
quia

quia non propriè hæres est, sed loco hæredis
habetur in quibusdam casibus in iure disposi-
tis. Quòd autem fiscus hæres non sit patet, quia
succedit damnato viuenti, at viuens hæredem
habere nequit, vt docent communiter DD.
Barth. Sanchez. Barth. *in l. inter eos 52. ff. de fideiussor.* Sur-
dus alios allegans *de aliment. tit. 8. priuilegio 59.
à num. 1. vsque ad 5.* Sanchez post multos allegat
tom. 1. Decalogi lib. 2 cap. 14. num. 4. Secundò,
quia potestas transferendi bona ad quoscumque
hæredes etiam extraneos, est signum absoluti
dominij, & proprietaris talium bonorum, & so-
lùm illa bona confiscari possunt quæ delinquen-
tium sunt, non verò illa quæ extra illorum do-
minium, & potestatem, sunt, & ad eos non per-
tinent.

8. Sanch. Sanchez modò allegatus *num 5.* asserit hanc
regulam procedere solùm negatiuè: in hunc
modum. *Non transit ad hæredes etiam extraneos,*
ergo *non transit in fiscum:* non tamen procedere
affirmatiuè, quia hæc non est vera, *transit ad hæ-
redes* ergo *transit ad fiscum:* ratio illius est, quia
cum fiscus non sit verè, & propriè hæres, sed lo-
co hæredis succedat, vt numero præcedenti di-
ximus, non rectè deducitur argumentum ex ve-
ris, & propriis hæredibus ad fiscum, qui non est
verus, & proprius hæres, quia à diuersis non fit
Sanchez. Suarez. illatio, & pro se citat Sanchez multos. Verum
Suarez rectissimè hanc limitationem non admit-
tit *dicta disput. 22. de fide sect. 5. num. 3.* Vnde asse-
rit regulam hanc tam negatiuè, quàm affirmati-
uè procedere, quia licet à diuersis non fiat illatio
prout diuersa sunt, fieri tamen potest vt fiat illa-
tio prout in aliquo conueniunt; & sufficit, quòd
fiscus succedat loco hæredis, & illi æquipolleat,
vt cum hærede conueniat, & quia difficillimum
erit assignare exemplum, in quo hæc regula affir-
matiuè non procedat, nec illud ipse Sanchez
assignat, nec auctores ab illo allegati.

9. Vnde si solùm illa bona, quæ ad hæredes ex-
traneos transeunt, confiscari possunt, vt diximus
in regula generali numero vndecimo posita, se-
quitur manifestè non posse confiscari iura perso-
nalia ipsorum hæreticorum, aut delinquentium,
nec illa etiam bona, quæ vitalitia illorum tan-
tùm sunt, id est, quæ pro vita illorum illis relin-
quuntur. Sed hæc sequela in omnibus non ad-
mittitur, & necessariò est limitanda, nam sunt
quædam bona, quæ post mortem transferri non
possunt ad hæredes, & in vita possunt alteri do-
nari, vel quoad possessionem & vsum; vel etiam
quoad vsum fructum, & hæc sicut possunt alte-
ri donari, sic possunt etiam publicari, & de facto
confiscantur, quandiu hæreticus viuit, licet post
mortem eius, hæredibus illius reddenda sint, si-
ue iis qui ab institutoribus ad ea vocantur, vt
Suarez. docet expresè Suares *de fide disp. 22. sect. 5. num. 4.*
& ideo limitanda est regula illa generalis tradita
num. 11. qua diximus illa sola bona confiscari
posse, quæ ad hæredes transferri possunt, vt in-
telligatur de confiscatione perpetua, non tempo-
rali. Et ratio efficax est, quia illa bona durante
vita sunt hæretici, & pro eadem vita possunt
transferri in extraneum per voluntatem eiusdem
hæretici, quamuis post mortem non possint. ergo
etiam pro eadem vita confiscari possunt.

10. Iuxta hanc regulam de iuribus personali-
bus distinguendum etiam est: nam sunt quæ-
dam iura personalia, quæ cum persona extin-
guuntur, quia nimirum hoic personæ tan-
tùm committuntur, vt per se ipsam; &
non per aliam tali re & iure vti, & frui possit.
Exemplum sit ius eligendi, quando tali personæ
ita confertur, vt industria, vel dignitas illius po-
stuletur; idem dicendum de iure habitandi in
hac domo soli personæ concesso, de iure reuo-
candi libertum in seruitutem, & reuocandi do-
nationes ob ingratitudinem, & alia similia; &
de his verum est, talia iura non confiscari. Ita do-
cent Suarez *de fide disput. 22. sect. 5.* & Sanchez Suarez. Sanchez.
tom. 5. Decalogi lib. 2. cap. 14. num. 6. & Peregri-
nus de iure fisci titulo 1. à num. 90. vsque ad 97. &
est omnium communis DD. sententia. Ratio est,
quia hæc ita personalia sunt, vt nec pro vita qui-
dem hæretici ad alios transire possint. Alia verò
sunt iura personalia, quæ licèt adhæreant perso-
næ, tamen ita illi adhærent, vt ad alios transire
possint, vt ius sepulturæ. & hæc confiscari pos-
sunt, vt iam diximus *num. 6.* cum ibi citatis.

Sunt etiam aliqua bona, & iura quæ licet ab 11.
hæreticis in pœnam auferantur, non tamen con-
fiscantur, nec confiscari possunt, quia non ap-
plicantur fisco, nec transeunt, sed vel extinguun-
tur, vel ad legitimum, & quasi necessarium suc-
cessorem transeunt, vt v.g. ius eligendi, ius re-
uocandi libertum in seruitutem, & reuocandi do-
nationes ob ingratitudinem, nam his iuribus, &
aliis similibus de quibus egimus numero præce-
denti, priuatur hæreticus non per confiscatio-
nem, sed per extinctionem, vt optimè animad-
uertit Suarez allegatus. Suar.

Idem dicendum est de iure dominij, quod hæ- 12.
reticus habet in seruum Christianum; nam per
hæresim perdit illud, & seruus non confiscatur
iuxta meliorem opinionem; sed omnino fit liber,
quod in fauorem libertatis concessum est *in l.
Manichæos C. de hæret. in cap. vltimo extra de hæ-
ret.* quod in eundem fauorem ampliatur, vt
etiam locum habeat, etiamsi hæreticus conuer-
tatur, & ex misericordia sua bona ei restituantur,
semper enim seruus manet liber, quia libertas se-
mel recuperata non perditur sine noua culpa, vt
bene declarat Simancas *de cathol. inst. tit. 61. n. 8.* Simanc.
& 9. Molina *de inst. disp. 40.* & Suares *de fide* Molina.
disp. 22. sect. 5. n. 6. Sed de his latiùs redibit sermo Suarez.
in capite 23.

Idem dicendum est de iure patronatus, quod 13.
licet adnexum sit rei quæ confiscatur, & ordi-
nariè transferatur ad hæredes cum bonis, & hæ-
reditate quibus adhærebat, non tamen transit
cum illis, quando confiscantur, sed in fauorem
Ecclesiæ extinguitur, vt ab illo onere libera ma-
neat: quod licet iure expressum non sit, ita ta-
men de consuetudine receptum esse testantur
communiter DD. Suarez *de fide disp. 22. sect. 5.* Suarez.
num. 6. Lambertinus *de iure patronatus lib. 3. q. 8.* Lambert.
Farinacius *de hæresi quæst. 190. à num. 24.* Ioan. Farinac.
Lup. *in rub. de donat. inter virum, & uxorem, §.* Ioann. Lup.
37. num. 7. versu, ad hoc notanter. Rochus quem Rochus.
refert, ac sequitur Molina *lib. 1. de primog. cap. 24.* Molina.
Bernard. Dias *in sua practica in noua edit. cap. 132.* Bern. Dias
num. 5. Cantera *in quæst. criminalib. titulo de quæst.* Cantera.
tangent. punitionem delict. cap. 1. num. 50. Simanc. Simanc.
de cathol. Instit. tit. 9. num. 95. & 96. Vasquez *t. 2.* Vasq.
quæst. 56. art. 5. disp. 169. cap. 2. n. 19. Azor. *tom. 1.* Azor.
Decalogi lib. 2. cap 59. num. 16. & 57. Quod ta-
men dupliciter Sanchez temperat. Primò, nisi Sanchez.
essent alij compatroni, tunc enim non manet Ec-
clesia libera; sed ius præsentandi integrè penes
alios permanet ac persistit; delictum enim vnius
non debet aliis nocere. Sic etiam docet Cantera
allegatus. Secundò, quando nullus alius patro-
nus

nus ad ius patronatus à fundatore, & institutus illius vocatur, sed solùm cum reliquis aliis bonis quibus adhærebat ad patroni hæredes esset transiturum; tunc enim sicut alia bona auferuntur in perpetuum hæredibus condemnati, sic etiam auferetur ius patronatus, & manebit Ecclesia libera; at si institutor vocaret alios successores ad idem ius patronatus, non manebit Ecclesia libera in perpetuum; sed duranti vita tantùm condemnati, & ea finita transibit ius patronatus ad ipsos per institutorem, & fundatorem illius vocatos.

Sanchez. & ita cum Sanchez *lib. 2. cap. 19. num.* 17. docet
Marian. Soc. Marianus Socinus Iunior *consil.* 51. *num* 6. *vol.* 2.
Gigas. Gigas *de crimine læsæ maiest. lib. 2. titulo de pœnis*
Peregr. *quæst.* 4. *num.* 4. Peregr. *de iure fisci lib.* 5. *titulo* 1.
Baiardus. *num.* 72. Baiardus additionibus ad Iulium Clarum. *lib.* 5. *quæst.* 78. *n.* 26 Et ratio disparitatis est, quia in priori casu nullum ius habent hæredes ad id ius patronatus, cum ad illud vocati nõ sint, sed solùm se habent ad illud sicut ad reliqua delinquentis bona, in posteriori verò habent ius succedendi ex institutoris vocatione, quo iure priuari non debent, nisi durante eius vita, sicut in reliquis bonis fideicommisso subiectis contingit.

14. Illud animaduertendum hîc est si sententia sit iudicis laici, non posse illum per se, & directè publicare ius patronatus, nec si fecerit eius confiscationem valere, quia cum sit ius spirituale, est extra iudicis laici iurisdictionem, & id solum ad iudicem Ecclesiasticum pertinet, vt optimè animaduertit Lambertinus *de iure patronatus*

Lambertin. *lib. 3. quæst.* 8. *num.* 1 t. & Sanchez allegatus *num.* 4.
Sanchez. An autem ius patronatus deuolutè cum aliis bonis, quando illis est adnexum per sententiam iudicis laici confiscari possit confiscatis aliis bonis, est dubium, quod licet pro vtraque parte suos habeat autores, & rationes, communior tamen

Sanchez. sententia affirmat, & illam tenet Sanchez *tom.* 1.
Molin. *Decalogi cap.* 19. *num.* 101. & Molina, *lib.* 5. *de*
Surd. *primog. cap.* 14. *num.* 26. & Surdus *de alimentis*
Iul. Clar. *quæst.* 22. *num.* 28. *titulo* 9. & Iulius Clarus *in tractatu criminali lib.* 5. *quæst.* 78. *num.* 8. Ratio est, quia accessorium sequitur principale, vnde cum ius patronatus sit adnexum & accessorium ad bona delinquentis, confiscatis bonis necesse est vt ius patronatus etiam publicetur.

15. Vnde valet iuxta hanc sententiam publicatio iuris patronatus facta per iudicem laicum, si iudex laicus in sententia confiscationis dicat, *& amittat omnia bona sua cum iure patronatus fisco regio*, non valet tamen si dicat, *amittat omnia bona sua, & ius patronatus fisco regio*: Ratio est, quia illa particula, *cum*, indicat primariò, & principaliter confiscari bona cum omnibus suis pertinentiis, & accessoriis. Vnde cum ius patronatus adhæreat, & pertineat ad bona confiscata; sequitur vt confiscato principali, deuolutè etiam, & accessoriè, accessorium publicetur, illa verò particula, *&*, indicat vtrumque æqualiter confiscari; at confiscatio iuris patronatus cum istud ius sit spirituale directè per iudicem laicum validè fieri non potest, cum extra illius iurisdictionem res spirituales per se sint. Quam distinctionem

Sanchez. approbant communiter DD. Sanchez *tom.* 1. *De-*
Abbas. *calogi lib.* 2. *cap.* 59. *num.* 13. Abbas *in cap. Quere-*
Socin. Iun. *lam. num.* 6. *de Simonia.* & ibi Socinus Iunior
Rochus. *num.* 12. Rochus *de iure patronatus, verbo, Ipse,*
Lopez. *vel, Is. quæst.* 25. *num.* 49. & 50. Gregor. Lopez
Man Rod. *l.* 8. *verbo, debueras tit.* 15. *part.* 1. Manuel. Rod.
Nauarr. *tom.* 2. *summæ cap.* 63. *fine.* Nauarrus *lib.* 3. *consil.*

in 1. *edit. tit. de rer. permutat. consil. vnic.* Angelus Angel.
in summa, verbo, ius patronatus num. 12. & ibi Syl- Syluest.
uester. *quæst.* 5. *editio* 4. & deducitur ex doctrina
Barthol. authent *Ingressi in noua edit. num.* 31. *C.* Barth.
de sacrosanct. Ecclesiis, docentis dictionem, *&*, denotare vtrumque principaliter; dictionem verò, *cum*, denotare accessorium.

De pensionibus, & beneficiis, an confiscari possint, dubium est, cum ad hæredes transferri non possint. Breuiter respondeo; si loquamur de fructibus pensionum & beneficiorum iam decursis, certum est, eos posse confiscari, quia iam sunt bona propria ipsius hæretici. Et verò si illos nondum pensionarius, aut beneficiatus perceperint, id parum refert; quia iam proprium ius in illos habent acquisitum; vnde sicut fructus beneficiorum tam collecti, quàm victi, ac decursi confiscantur vt diximus *cap.* 18. *à num.* 14. ita & fructus pensionum. Si verò loquamur de fructibus acquirendis post sententiam latam non confiscantur, nec possunt confiscari, neque etiam fructus cedunt in vtilitatem hæretici quandiu viuit, etiam si conuersus sit, & ad pœnitentiam reducatur; sed pensio ipsa extinguitur; nam licet propriè & in rigore beneficium non sit, in hoc tamen beneficio æquiparatur, & sub illius nomine comprehenditur in fauorem fidei, & ita docet Suarez de fide *disp.* 22 *sect.* 5. *num.* 6. *ad finem* Suarez.
Gigas *de pensionibus quæst.* 52. *num.* 4. & *quæst.* 94. Gigas.
num. 7. Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 28. *n.* 36. Sanch.
Rebuffus *de pacif. possess. num.* 114. Felinus *cap.* Rebuff.
Postulasti de Rescript. num. 8. *versu. Quarta declaratio.* Felin.
Caetalupus *de pensionibus quæst.* 30. *num.* 3. Cacialup.
Garcia *de benef. part.* 12. *cap.* 10. *à num.* 77. tum Garcia.
cum pensio sit fructus & pars beneficij; est beneficio accessoria, & ideo iudicari debet instar principalis. Deinde probatur ex capite 2. §. *hæretici de hæreticis in* 6. vbi cum textus dicat, filios hæreticorum ad nullum beneficium admittendos esse; Glossa ibi *verbo, Beneficium,* & Dominicus Glossa.
ibi *num.* 2. aiunt beneficium ibi sumi latè, at sub Dominic.
lata beneficij significatione, venit etiam pensio, vt latè probat Gigas *de pensionibus tota q.* 28. Tandem, quia Caput, *Vt commissi. de hæreticis in* 6. priuans filios hæreticorum beneficiis, vtitur verbis illis generalibus. *Quibuscumque beneficijs.* & idem caput 2. *eodem titulo & lib.* §. *hæretici.* eadem negatiua generali vtitur. *Nullum beneficium*; quare sine dubio de ipsis pensionibus cum in lato significatu veniant sub nomine beneficij, ad instar beneficij iudicandum est.

CAPVT XXII.

Quatenus bona hæreticorum sine præiudicio tertij confiscari debent.

SVMMARIVM.

Confiscatio facienda est sine damno innocentium. num. 1.
Quid si inter bona hæreticorum reperta fuerint aliqua deposita, conducta, aut accommodata. num. 2.
Marito de hæresi damnato statim dos, & bona peculiaria vxoris catholicæ, quæ illius tantùm sunt, illi reddenda sunt. num. 3.
Excipe nisi cum vxor catholica scienter cum hæreti-
tico

1. SECUNDA regula generalis, quam tradunt DD. in hac materia ad decidendos multos casus passim occurrentes, est, confiscationem bonorum hæreticorum ita esse faciendam, ut nullo modo per se cedat in damnum tertij innocentis, licet per accidens cedere possit, non enim perdendus est pius cum impio, nec alius pro alio puniendus, delicta enim suos tantùm tenent, ac ligant auctores; ut habetur *in l. Sancimus C. de pœnis:* quare cum solùm expressum sit in iure, posse puniri filios orthodoxos in confiscatione legitimarum propter hæresim parentum, ut latè ostendimus *c.* 19. *à num.* 3. ut patres propter amorem filiorum à tam fœdo crimine abstineant: solùm in eo casu, qui in iure est expressus, confiscatio fieri poterit, cum præiudicio innocentis, excepto verò illo casu, in nullo alio confiscatio fieri poterit, cum tali præiudicio. Hinc fit primò, ut si bona confiscata habeant reale onus adnexum ad soluendam alteri pensionem cum illo onere transeant ad fiscum, ita ut ipse fiscus illam soluere teneatur. Ita Suarez *de fide disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 7. Simancas *de cathol. Institut. tit.* 9. *num.* 8. ubi bene probat prædium, & fundum cum suo onere publicari à fisco, & non exuere suum onus ex eo, quod ob delictum publicetur. Suarez. Simanc.

2. Secundò deducitur, si inter bona hæretici reperta fuerint aliqua deposita, commodata, aut conducta, ea esse statim dominis suis restituenda; par enim culpa est iniustè retinere, ac inuadere alienum *l. in fraudem §. Ex his ff. de iure fisci, capite, sæpe de rest. spoliat.* Ita Simancas allegatus, Simancas. & communiter DD. & ex se patet; res enim clarior est, quàm ut probari debeat.

3. Tertiò deducitur marito de hæresi damnato statim uxori catholicæ dotem suam, & bona omnia sua peculiaria, quæ illius tantùm sunt, reddenda esse; nam ut docent communiter Doctores, & specialiter Peña *lib.* 3. *schol.* 153. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 2. Peña. Sanchez. notissima res est, nec dotes uxorum, nec reliqua illorum bona ob hæresim, & crimen maritorum, nec è contrario bona maritorum innocentium ob crimen uxorum publicari, nisi quando uxor catholica cum marito hæretico scienter matrimonium contraxerit; si enim uxor scienter viro hæretico etiam occulto nupserit, in pœnam delicti, & dos illius, & reliqua omnia, quæ sunt tantùm propria illius bona, publicantur. Patet ex cap. *Decreuit de hæret. in 6.* ibi: *Nisi mulieres ipsæ cum viris matrimonia contraxissent quos hæreticos tunc esse sciebant.* Docent Peña allegatus, & Sanchez item citatus *num.* 17. & Rojas *singulari* a 15. Repertor. Inquisitorum *verb. Mulieres §. ultimo, & verbo, Dotes.* Glossa, Archidiaconus initio, Ioannes Andr. in dicto cap. *Decreuit in fine.* & est communis omnium sententia. Peña. Roias. Rep. Inq. Glossa. Sanchez. Archidiac. Ioan. And.

4. Hæc autem scientia hæresis viri non præsumitur, sed eius probatio fisco incumbit postulanti ob eam dotem uxoris confiscari. Ita tradunt Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 17. Peña *lib.* 3. *scholio* 153. *versu, In hac tractatione in fine.* Glossa, Francus, Dominicus & alij in dicto cap. *Decreuit. de hæret. in 6.* Sanchez. Peña. Glossa. Franc. Dom.

5. Si tamen uxor à principio ignorauit virum, cui nubebat, esse hæreticum, etiamsi id postea sciat, non amittit dotem; quoniam initium tantùm in ea pœna respicitur, ut optimè notauit Glossa in dicto cap. *Decreuit. de hæret. in 6. verbo, Tunc.* Peña dicto versu in hac tractatione: Imò si à principio ignorans contraxit; quamuis postea maritum hæreticum fuisse intelligat, dotem non amittit, nisi ipsa peccato eius consentiat, & hæretica fiat. Non tamen illam amittet, si postquam nouerit maritum hæreticum, eum non denunciauerit; quia nullibi hæc pœna in iure est statuta. Ita docet Peña *dicto lib.* 3. *schol.* 153. *versiculo, Plus tamen,* Sanchez *dict. tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 17. *fine.* Gigas *tract. de crimine læsæ maiest. lib.* 3. *titul. de pœnis, quas incurrunt filij quæst.* 19. *num.* 2. & alij. Glossa. Peña. Sanchez. Gigas.

6. Quartò, deducitur teneri fiscum alimenta præstare uxori, dum ipse non soluit dotem, sicut tenetur extraneus hæres, quia ea obligatio est doti adnexa. Ita docent Bossius *in sua practica titulo de alimentis præstandis, num.* 2. Peregrinus *tit.* 1. *num.* 82. Sanchez modò allegatus *num.* 8. Bossius. Peregr. Sanchez.

7. Est autem dos restituenda uxori, non quæ falsis, ac fucatis instrumentis conscripta fuerit, nec quæ sola mariti confessione probatur, sed quam uxor aliis probationibus, & legitimis indiciis sibi à marito promissam fuisse ostendat, nec sufficit quòd dotis promissio præcesserit, & quòd

postea

postea coofessio mariti accedat; sed aliis quoque intis adminiculis, & coniecturis id probandum est, ne confessio illa in fraudem fisci fiat, aut in damnom creditorum sit forte simulata. Ita Simancas *de cathol. inst. titul. 9 num 67. & 68.* Couarr. *lib. 1. var. cap. 7. à num* 4. Anton. Gomez *l. 52. Tauri. num.* 52 Menochius *lib. 3. de præs. præsumptione* 12, *num.* 68. Valascus *consil. 6. tom. 1.* Moliua *tom. 2. de iust. disp.* 439. *in fine.* Patet ex *l. Si quis posthac. 9 in principio. C. de bon. proscriptis*, & *l. 1. C. de dote cauta non numerata.* Nec obstat quòd hæc dos constituta, & facta fuerit à marito vxori tempore, quo iam ipse erat hæreticus, nam hoc est priuilegium dotis, & sufficit, quòd vxor eo tempore, quo cum illo matrimonium contraxit, ignorauerit illum esse hæreticum, vt dos à fisco reuocari noo possit, damnato postea de hæresi marito.

Simanc. Couar. Ant Gom. Menoch Valasc. Molina.

8. Nec item confiscantur bona paraphernalia vxoris, quia propria vxoris sunt, neque arrhæ, neque sponsalitiæ largitates, seu donationes propter nuptias; neque dimidietas bonorum ex bonis communibus vsque ad tempos prolatæ sententiæ constante matrimonio acquisitis; neque missiones muuerum, quæ missa sunt sponsæ ab ipso sponso hæretico osculo interueniente, quia in pudicitiæ præmium cedunt. Ita communiter DD. Sanchez *tom 1. Decalogi lib. 2. cap. 17. n. 3.* Simancas *de cathol. inst. tit. 9. num. 70. 71. 72. & deinceps*, & idem Sanchez latè cum multis *lib. 6. de matrim. disput.* 18. & de dote est textus expressus in cap. *Decreuit de hæret. in 6.* & *in l. Si marito. in principio. ff. soluto matrimonio*, & de ea, ac de bonis proscriptorum: de medietate verò bonorum patet lex *Tauri 77.* docet Segura *lib. de bonis lucratis.* Lupus *in rubr. de donationibus inter virum, & vxorem. §. 66.* Simancas *de cathol. inst. tit 9. num* 71. Sanchez allegatus *dicto tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 17. num. 3.* de sponsalitiis largitatibus, & illa quæ ab sponso hæretico dantur osculo interueniente, patet ex *l. Res vxoris C. de donat. inter virum, & vxorem*, & *l. Si ab sponso C. de donationibus ante nuptias*, docet Lupus *de donationibus inter virum, & vxorem §. 66.* Simancas citatus *num.* 72. & Sanchez item allegatus *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 17. num. 3.*

Sanchez. Simanc. Segur. Lup. Simanc. Sanch.

9. Nomine autem arrharum intelligendæ sunt illæ quæ sunt in vsu apud Hispanos, & Lusitanos, quæ sunt donationes, quas sponsus sponsæ, aut vir vxori facit in præmium dotis receptę, nobilitatis, aut pudicitiæ sponsæ; nam hæ donationes, seu huiusmodi arrhæ fiunt propriæ vxoris per matrimonij consummationem, vt latè docet Sanchex *lib. 6. de matrim. disp 22. num. 18. & tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 17. num.* 4. nam si sumantur, vt sunt in vsu apud omnes pro pignore, quod inter sponsos traditur, in signum complendi matrimonij, & beneuolentiæ, vulgo, *dar senal*, aliquando confiscantur, aliquando non confiscantur quidem quando licet mittantur in signum complendi matrimonium, non mittuntur tamen interueniente osculo sponsi, quia cum postea contracto matrimonio hæ arrhæ ad maritum dantem redeant, vt constat *ex l. finali C. de sponsal.* & docet Sanchez *lib. 1. de matrim. disput. 36 num.* 2. consequens est, vt en damnato, & confiscatis illius bonis, hę etiam donationes cōfiscentur, publicenturque; non confiscantur verò quando osculum sponsi interuenit, quia tunc fiunt sponsæ & in pretium censentur cedere pudicitiæ. Glossa capitis *decreta legalia 27. quæst. 2. verbo, damno consentit lex, Deo nobis C. de Episcop. & clericis.* Anton. Gomex *l. 52. Tauri num.* 8. vide Molin. *de iust. tom. 2. disp. 290 §. Quando autem*; proindeque contracto, consummatoque matrimonio solùm ob delictum vxoris possunt publicari, quod ex se manifestum est, & docet Sanchex *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 17. num. 4. fine.* & Cantera *in suis quæstion. criminalib. in qq. tangentibus punitionem delictorum cap. 1. num.* 29.

Sanchez. Ant. Gom. Molin. Sanchez. Canter.

Quintò deducitur, si vir hæreticus consensu vxoris dotalem fundum vendat, & fiscus ob viri hæresim illum postea ab emptore vindicet, posse vxorem illum à fisco repetere. Primò, quia fiscus cum vxoris innocentis detrimento locupletari non debet. Secuodò, quia non est negandum id cedere per se in damnum vxoris innocentis, confiscatio autem debet fieri sine damno per se innocenti dato, & ita docet Simancas *de cathol. inst. tit. 9. num.* 75. Vasquex 1. 2. *quæst. 96. art. 5. disp. 169. cap. 2. num.* 13. Sanchex *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap 17. num. 9.* 10.

Simanc. Vasq. Sanch.

Sextò deducitur quid dicendum sit de donationibus factis vxori à viri consanguineis: dicendum enim est eas ob viri delictum non esse publicandas, nisi donans clarè explicuerit, se ita donare, vt non vxori, sed viro acquirantur. Ita docent Simaneas *de cathol. inst. titul. 9. num.* 76. Peña *in directorio Inquis. part. 3. comment. 160. columna vltima versu, Neque propter hæresim.* Vasquex 1. 2. *quæst 96. art. 5. disp. 169. cap. 2. num. 13. fine.* Axeuedo *lib 8. recopil. titul. 3. l. 1. num.* 193. Sanchex modò allegatus *num.* 13. 11.

Simanc. Peña. Vasq. Axeued. Sanchez.

Septimò deducitur, ob viri crimen publicari vestes pretiosas festiuasque ab ipso viro vxori datas, non autem viles, seu quotidianas, & contra ob vxoris delictum publicari has viles, non autem illas pretiosas. Ratio est, quia vestes pretiosæ sunt mariti, quotidianæ autem & viles sunt vxoris. Et ita docent communiter DD. Saochex *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 7. num.* 14 Batardus *in addit. ad Iulium Clarum. lib. 5. receptarum quæst. 68. num.* 61. & alij. Quæ autem sint vestes pretiosæ, quæ quotidianæ, rectè explicat ipse Sanchez *lib. 6. de matrim tota disp.* 25. 12.

Sanchez. Batard.

Sed dubium hîc est non vulgare, an sicut publicatur dos vxoris, quando scienter nubit viro hæretico, vti diximus *num.* 23. ita publicentur etiam reliqua vxoris bona. Equidem si loquamur de arrhis & aliis dooationibus factis à viro illo hæretico vxori, etiam interueniente osculo, siue tempore sponsalium quo initum est matrimonium; siue post, nemo dubitat illa omnia publicari, quia facta sunt post viri hæresim, donationes autem omnes, & contractus omnes post hæresim facti rescinduutur, & reuocantur à fisco. Est communis doctrina. Ita docent expressè Sanchex *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 17. n.* 20. Simancas *de catholicis inst. tit. 9. num.* 73. Vasquex 1. 2. *quæst. 96. art. 5. disp. 169. cap. 1. num.* 13. Cantera *in qq. criminalib. in titul. de qq. tangentibus punitionem delicti cap. 1. num.* 28. & alij communiter. Et hoc verum est etiamsi vxor nescierit virum esse hæreticum; quia hæ donatiooes factæ sunt de bonis iam ad fiscum à tempore commissi criminis pertinentibus; sola enim dos priuilegio hoc, ne publicetur, gaudet, quando vxor viro hæretico inscienter nupsit. Ita expressè Sanchez, & Cantera allegati. 13.

Sanchez. Simanc. Vasq. Cantera.

Sola ergo dubitatio esse potest de bonis paraphernis, & de medietate lucrorum ad vxorem pertinenti ex iis, quæ matrimonio constante 14.

compa

comparantur, atque acquiruntur; & communiter doctores affirmant hæc bona publicari, quando mulier viro iam hæretico sciens illum esse hæreticum nupsit; sicut enim perdit dotem sibi à marito constitutam, arrhas & reliquas donationes illi à marito factas, ita etiam bona paraphena, & dimidietatem bonorum, quæ ex constante matrimonio acquiruntur, perdet. Ita ex- Simanc. presſè Simancas *de catholicis inst. titulo 9. num 74.* vbi loquitur expresſè de medietate bonorum Cantera. constante matrimonio acquisitorum; Cantera citatus *cap. 1. num. 23. in fine, & 24.* vbi loquitur etiam de bonis paraphernis; & expresſè etiam Azeued. Azeuedo *lib. 8. recopilat. tit. 3. l. 1. num. 193.* Et fundamentum illorum est. Si dos vxoris, quæ amplioribus priuilegiis gaudet, publicatur ob delictum quando vxor scienter hæretico viro nupsit, iuxta caput, *decreuit de hæretic. in 6.* ibi, *Nisi mulieres ipsæ cum viris matrimonia contraxissent, quos hæreticos tunc esse sciebant*; à fortiori publicabuntur omnia alia bona, qualia sunt bona paraphena, & dimidietas bonorum constanti matrimonio acquisitorum.

15. Cæterum cum hoc decretum sit pœnale, non patitur extensionem; & ita dicendum est, non confiscari in eo casu bona paraphena, quia ipsius vxoris erant, antequam nuberet viro, quem hæreticum esse sciebat, nec dimidietatem bonorum, quæ constanti matrimonio acquiruntur, quia hæc dimidietas, nec est dos, nec ad dotem reuocari potest, nec est donatio arrharum, aut quæuis alia largitas facta à viro post commissum crimen de bonis, quæ iam erant fisco obnoxia & obligata, quare nullo modo comprehenduntur Sanchez. hæc bona sub dote: & ita docet expresſè Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 17. num. 12.* Et ratio esse potest, quia ea pœna soli doti constituta est in pœnam turpitudinis vxoris scienter cum viro hæretico matrimonium contrahentis: quare non licet eam aggrauare, & extendere ad aliorum bonorum amissionem. Deinde quia in ea lucrorum medietate acquirenda nihil turpitudinis cernitur, supposito matrimonio, & ideo non est cur publicetur. Tertiò, quia peccaret quidem ille, qui contractum societatis bonorum scienter cum hæretico faceret; at nemo dicet ob huiusmodi peccatum, damnato hæretico de hæresi, & publicatis illius bonis, publicari etiam eam dimidietatem lucrorum, quæ ad virum catholicum ex hoc contractu pertinebant.

16. Sed rogas, an vir catholicus scienter hæreticam vxorem ducens similem amissionis bonorum Sanchez. pœnam subeat. Negat Sanch. *tom. 1. Decalog. lib. 2. cap. 14 num. 23.* Probat primò, quia prædictus textus capitis *Decreuit de hæreticis in 6.* solùm loquitur de catholicis fœminis, quæ viris hæreticis scienter nubunt, & non loquitur de viro catholico ducente vxorem hæreticam, & pœnæ sunt restringendæ, ita vt saluentur tantùm verba pœnalia, & non extendenda de casu ad casum, & de persona ad personam. Secundò, quia cum vir dotem non afferat, nequit commodè ad ipsum extendi. Tertiò, quia longè grauiori periculo amittendæ fidei exponitur mulier catholica nubens scienter viro hæretico, quàm catholicus ducens scienter mulierem hæreticam propter virorum constantiam, & mulierum fragilitatem; vnde non est æqua ratio imponendi æqualem pœnam vt inæquale periculum fugiatur. Quartò, quia pœnæ raptus quæ imponuntur viris fœminarum raptoribus, non extenduntur ad fœminas virorum raptrices, vt latè probat idem Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 10. à num. 24.* Quintò, quia pœna vxoricidij non extenditur ad viricidium, vt in probabiliori opinione docet idem Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 16. num. 1.* Vnde ille, qui occidit vxorem animo transeundi ad aliud matrimonium, absolutè contrahit impedimentum impediens non dirimens eo modo, quo statim explicabimus. Non tamen idem impedimentum contrahit vxor eadem de causa virum interficiens, vt latè probat Sanchez contra multos *lib. 7. de matrimonio disp. 16. num. 6.* ex eo fundamento, quòd pœnæ non sint extendendæ, vbi est diuersa ratio. Vrgentior autem ratio datur puniendi vxoricidia cum frequentius fiant, quàm viricidia, cum minus frequenter fiant, propter imbecillitatem mulierum; & ita cum Syluest. Sancio censent Syluester. *verbo, matrimonium. 7. quæst. 6. dict. 1.* Veracrux *1. part. specul. art. 24. con-* Veracruz. *clusion. 5.* Matienso *lib. 5. recopilat. titulo 1.* Ru- Matienso. *brica glossa 1. num. 140.* Toledo. *lib. 7. sum. cap. 15.* Glossa. Tolet. *num. 3.* Armilla *verbo, matrimonium num. 58.* & Armilla. alij quos citat Sanchez allegatus. Hic tamen animaduertendum est si vir vxorem occidat animo, & intentione contrahendi cum adultera non posse contrahere cum illa, & si contrahat, matrimonium esse nullum; quia respectu illius tantùm, impedimentum est non solùm impediens, sed dirimens; respectu verò aliarum cum quibus non commisit adulterium, est impediens tantùm, vt optimè animaduertit Toletus allegatus, & in vtroque casu hoc impedimentum solum propter vxoricidium, non propter viricidium contrahitur.

Ex eodem principio, & regula tradita num 1. 17. quod scilicet publicatio bonorum ob hæresim facta debet fieri sine præiudicio tertij innocentis, sequitur quid dicendum sit de bonis propriis filiorum; qui sunt sub cura paterna, & patria potestate, non de legitimis illorum; hæ enim vt probatum suprà manet cap. 19 sine dubio publicantur, quamuis filij sint orthodoxi, & verè innocentes: sed de bonis propriis illorum v. c. de bonis castrensibus, quasi castrensibus, profectitiis, & aduentitiis: inter quæ est hæc differentia, quòd bona castrensia, & quasi castrensia filiorum, quæ sunt illorum quoad dominium, seu proprietatem, & vsumfructum, non confiscantur ob delictum paternum siue hæresis, siue læsæ maiestatis; confiscantur autem solùm propter hæresim, aut delictum filij. Est communis omnium sententia de qua nemo dubitat. Ita Suarez *de fide disput. 22.* Suarez. *sect. 5. num. 9* Sanchez *tom. 1. Decalog. lib. 2. cap. 16.* Sanchez. *num. 1.* Gigas *de crimine læsæ maiestatis lib. 2. titulo* Gigas. *de pœnis committentium id crimen quæst. 13. num. 1.* Albericus *tract. de statutis lib. 3. quæst. 12. num.* Alber. *vnico.* Azeued. *lib. 8. titulo 3. l. 1. num. 207.* Azeued.

18. In bonis aduentitiis habet filius dominium, & pater vsumfructum. Et ideo si pater sit hæreticus, non possunt hæc bona confiscari quoad proprietatem & dominium, cum filiorum, non parentum sint, quoad hoc dominium & proprietatem. ita communiter Doctores, Suarez *de fide di-* Suarez. *sput. 12. sect. 5. num. 9.* Sanchez *tom. 1. Decalogi* Sanchez. *lib. 2. cap. 16. num. 9.* Azeuedo *lib. 8. recopilat.* Azeued. *tit. 3 l. 1. num. 208.* Nellus *1. part. de bannitis se-* Nellus. *cundi temporis num. 26.* & alij. Nec etiam quoad vsumfructum publicari possunt, si pater ante lapsum in hæresim cum filiis remiserat, quia iam tempore criminis extra potestatem patris talis vsusfructus erat. Ita Sanchez allegatus *num. 10.* Sanchez. Nellus item allegatus *num. 27.* Boetius *decision. 7.* Nellus. Boetius. *num. 16.*

Gigas. *num.16 fine Gigas tract. de crimine lesæ maiestatis lib.1.titulo de pœnis committentium id crimen q.19. num.1.* Si autem vsusfructus à patre filijs fuit remissus post lapsum hæresis, aut erat in patre, tempore quo fuit ob hæresim comprehensus, & de ea damnatus, amittit quidem pater propter ipsam hęresim talem vsumfructum, non tamen ille confiscatur, sed consolidatur cum dominio filij. Ratio est, quia pater per hæresim amittit ius patriæ potestatis, quod in filium, vel filios habebat, & ratione cuius habebat vsumfructum; vnde quia ius patriæ potestatis non transit in fiscum, ideo neque vsusfructus, qui in eo erat fundatus, ad fiscum pertinet, sed consolidatur cum dominio, & proprietate; & eadem ratione si filius sit hæreticus, bona illa aduentitia, quoad dominium confiscantur, quia erant delinquentis; & similiter quoad vsumfructum, quia per hæresim filij, dissoluitur patria potestas, vt patet *ex §. Cum autem. Instit. quibus modis ius patriæ potestatis amittatur cap.2. finali de hæret. in 6.* ibi *Cum dignum sit, vt propter tam atrocitatem de: lli, filij esse in parentum hæreticorum desierint potestate.* Ita docet

Suarez. Sanch. Lessius. Molin. Vasq. Suarez *de fide, dicta disp.22.sect.5.num.9.*& Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2 cap.16. num* 18. Lessius *lib.2. de iust.cap.5.dub.5. num 23. in fine.* Molina *tom.1.de iust. disp.9. versu ... hac regula.* Vasquez *1.2.quæst.96 art.5.disp.*19 *cap.2.num.*18. *versu* 8.

Simanc. Rebell. Azor. Simancas *de cathol.instit.titulo 9. num.81.* Rebellus *de iust.1.part. quæst.7. sect.2. num.* 23. Azor. *tom.1.lib.5.cap.7.quæst.8.& lib.8.cap.12.quæst.15.* & alij communiter.

19. Circa bona profectitia, aut peculium profectitium filij familias, an confiscari possint propter hæresim delictúmve patris, duas inuenio opiniones. Prima negat, & asserit reseruari filiis. Eam su-

Sanchez. Glossa. Bald. Cou. Syluest. Ant Gom. Menoch. Farinac. stinet Sanchez *tom.1.Decalogi lib.2.cap.16 n.*21. Glossa *in l. penultima, verbo Patre C. qui bonis cedere possint.*& ibi Baldus *fine.* Couarru. *lib.1.variar. cap.15. num.16.* Syluester. *in summa, verbo, Peculium* 1. *quæst.3 versu, In profectitio verò.* Anton. Gomez *lib.2.var.cap.11. num* 16. Menoch. *de recup.possess. remedio.9. num.*73. Farinac. *in sua pract. in noua edit.tom.1. part.1. quæst.*24. *num.*26.

Nauarr. Azeued. Iul.Clar. Nauarra *lib.3.de rest. cap.2. part.2. dub.*4 *in noua edit num.*79. Azeued *lib* 8. *recopilat. titulo* 3. *l.1. num.* 109. Iul. Clar. *lib.5. recept. quæst.* 78. *n.*14. Decisio Capellæ Tholosanæ 120. *num.* 5. & alij plures quos citat, ac sequitur Sanchez allegatus. Probatur *ex l.3 §. Sed virum ad finem ff. de minoribus,* ibi. *Licet aliquo casu peculium ad filium spectet, vt puta si patris eius bona a fisco propter debitum pecuniarum occupata sint, nam peculium eius ex constitutione D. Claudij separatur,* vbi glossa, *verbo, separatur,* ait, *vt saluum habeat illud filius.* Et ratio est, quia cum filius in dicto peculio profectitio habeat administrationem, non debet illa priuari ob patris delictum; quia illa priuatio est pœna criminis quæ tantùm tenet, ac ligat auctores.

20. Simanc. Caldas. Vasquez. Azor. Secunda opinio probabilior affirmat. Eam docet Simancas *de cathol. inst. tit.9.num.*17. Caldas *in l.Si curatorem, verbo Læsis.num.*119.*fine C.de in integr. rest.* Vasquez 1. 2. *quæst.96.art.5.disp.*169. *cap.1.num.10.* Azor. *tom.1.instit.moral.lib.5. cap.7. quæst.*8. Quemada *quæst.* 19. *num.* 1. *& sequentibus.*

Quemada. Farinac. Lorca. Suarez. Farinacius *de hæresi quæst.*190.*num.*15. Lorca 22. *quæst.* 46. *in* 1. *n.*5. Suarez *de fide disp.* 22. *sect.*5. *num.*9. & alij. Probatur primò; quia talia bona sunt propria patris quoad dominium & vsumfructum, vt constat *ex l. Certum, C. familiæ erciscundæ.* Ergo confiscantur, & per hæresim amittit illa tamquam sua. Item legitima filij confiscatur, quia non est sua, sed patris dum viuit, vt optimè docet Simancas, *num.79. & 80.* Ergo, & bona profectitia propter eandem rationem confiscabuntur. Vnde è contrario per lapsum filij talia bona non confiscantur, quia non sunt filij, vt etiam tradit Simancas *de cathol. Inst. cap.15.num.17.* Probatur deinde, quia id expressè definitur in *l.1. §. Quandiu seruus, & §. sed si alio, versiculo. Sed si morte. ff. quando de peculio annalis sit,* ibi: *Sed etsi morte patris, vel deportatione, sui iuris effectus fuerit filius, de peculio intra annum hæres patris, vel fiscus tenebuntur.* Vbi deportatione patris dicitur fiscum teneri soluere debita ex filij peculio. Ergo fuit publicatum. Tandem quia ea lex 3. §. *Sed vtrum ad finem ff. de minoribus.* in qua contraria sententia innititur, eam non probat, quia ibi non agit Iurisconsultus de publicatione bonorum ob crimen; sed de occupatione bonorum ob debita, vt constat ex illis verbis, *propter debita pecuniarum.* Nec decidit, fiscum tunc non lucrari peculium, vt scilicet postea discutiatur, an tale peculium ad fiscum, an potius ad creditores pertineat. Vtraque opinio est probabilis, ista tamen vltima probabilior, & tenenda.

Similiter confiscantur omnia bona donata hæretico sub conditione, & omnia, quæ illi ex contractu conditionali debebantur; nam si conditio ante commissionem delicti, & lapsum hæresis fuit impleta, donatio fuit consummata, & iam ea bona ad hæreticum pertinebant. Si verò conditio nec ante delictum, nec post delictum fuit impleta, sed adhuc pendet, transit ius promissionis cum onere ipsius conditionis implendæ ad fiscum; si modò fiscus commodè talem conditionem implere possit. Vnde si conditio fuit casualis, ius ad illa bona transit in fiscum sub ea conditione: Si potestatiua aut talis, sit quæ non possit per fiscum impleri, tunc ea bona non confiscantur; quia donatio non potest ad effectum peruenire; si autem conditio talis sit, quæ impleri possit per fiscum, & ipse velit illud onus subire, tunc confiscatio sub eadem conditione tenebit. Ita docent communiter DD. Simancas *de cathol. inst. titul.9. num.11.* Leiua in *l. intersecerum §. vltim. ff. de pactis dotalib.* Couar. *in pract. quæst. cap.39. num.* 2. addita resolutione quam in fine capitis ponit Suarez *de fide disp.* 22. *section.* 5. *num.* 10. Anton. Gomez in *l. Tauri* 4. *num.*4. 21. Simanc. Leiua. Couar. Suarez. Ant Gom.

Ex prædicto principio, & regula tradita in prædicto *num.* 21. resoluitur quid dicendum sit de bonis, & hæreditate hæretico occulto in testamento relictis, nam talia bona, & talis hæreditas ab occulto adita hæretico, non confiscantur, quia hæreticus propter hæresim iam est incapax talis hæreditatis, iuxta legem *Manichæos C. de hæret.* & consequenter non fiunt illius, ac propterea non confiscantur. vnde pertinebit hæreditas ad substitutos, vel ad consanguineos proximiores, illam testamento relinquentes. Idémque erit dicendum de legatis, & fideicommissis, Ita docent Simancas *de catholicis Instit. titulo* 9. *num.*124. Neuezanus, & Quemada quos ipse citat, & sequitur Couar. *lib.* 1. *var. cap.*8. *& lib.*2. *cap.*17. Farinacius *de hæresi quæst.* 190. *à num.*94. Suarez *de fide disp.*22.*sect.*5.*num.*11. 22. Simanc. Neuez. Quemada. Cou. Farinac. Suarez.

Si emphyteuta fiat hæreticus postquam ei facta fuit emphyteusis, non confiscantur bona illi 23.

tradita in emphiteusim quoad proprietatem, dominiumve directum, quia quod ad illud, non sunt illius; quoad vsum verò fructum, seu quoad dominium vtile confiscantur pro vita tantùm delinquentis; & post illius vitam succedent in emphyteusim hæredes in illa vocati, etiamsi sint descendentes, aut ascendentes hæretici damnati. Estque hæc regula generalis de quocumque vsufructu ad vitam, nisi titulus illius per delictum hæresis extinguatur, vt suprà diximus de pensionibus in beneficiis.

Suarez. Simanc.

Ita docent Suarez *de fide disp.* 22, *sect.* 5, *num.* 11. Simancas *de cathol. inst. tit.* 9. *num.* 98. *&* *num.* 19. & hoc ius est in vsu; & patet ex *l. Statius* §. *Cornelio ff. de iure fisci.*

24. Et id ipsum dici etiam potest de bonis feudalibus, nam in illa non cadit confiscatio perpetua quoad dominium directum, propter eandem rationem; confiscari autem possunt pro vita delinquentis, si fiscus velit omnia onera feudi sustinere,

Suarez. Simanc. Gigas.

& ita præter Simancas *de cathol. inst. tit* 9. *num.* 19. *&* 97. & Suarez *de fide dicta disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 11. Videri etiam potest Gigas *de crimine læsæ maiestatis titul.* 9. *de pœnis eiusdem criminis quæst.* 5. *&* 6.

Farinac.

& Farinac. *de hæresi quæst.* 190. *à num* 59.

25. Sed dubium est, vtrùm emphyteusis Ecclesiastica transeat in potestatem fisci (& idem de feudo Ecclesiastico) confiscarique possit. Quæstio hæc pendet ex alia: Num res Ecclesiæ in emphyteusim datæ transire possint ad hæredes extraneos, nam si non possunt ad illos transire, neque ad fiscum transibunt, qui loco extranei hæredis habetur, vt suprà diximus *num.* 11. & quidem crebrior opinio est, emphyteusim Ecclesiæ ad extraneos successores transire non posse.

Decius. Gozad. Cassan. Rubr. Roland. Felin.

Hanc defendunt Decius in cap. *in præsentia de probat.* Gozadinus *consilio* 39. Cassaneus *in consuetud. Burgund. rubr.* 2. §. 2. *num.* 10. Rolandus à Valle *consil.* 96. & alij. Alij contendunt contrariam esse veriorem, eam tenet Felinus in prædicto cap. *In præsentia, de probationibus.* vbi dicit esse communiter approbatam.

Corn.

Cum illo consentit Corneus *consil* 13. *l.* 3. Vera resolutio est, aut res Ecclesiasticas fuisse alienatas, & in emphyteusim perpetuam traditas cum omnibus solemnitatibus iuris ad id necessariis, atque requisitis, aut sine illis. Si in perpetuam emphyteusim traditæ fuerunt cum omnibus solemnitatibus ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis, sine dubio ad extraneos hæredes transire possunt, atque adeo confiscari possunt: si sine illis, neque ad pronepotes, neque ad hæredes extraneos, sic consequenter neque ad fiscum transire poterunt. Ita docent communiter DD. ex Nouella *const.* 120. *de alienat. emphyteusis*, §. *licentiam.*

Curt. iun. Gozad. Grat. Couar. Bossius. Simanc.

Afflictis *decisione* 100. Curtius Iunior *consil.* 4. Gozadinus *consil* 86. Gratus *consil.* 55. *lib.* 1. *& consil.* 128. *lib.* 2. Couarr. *lib.* 2. *var. resolut. cap.* 17. Bossius *titulo de bonorum publicatione num.* 60. Simancas *de catholicis inst. titul.* 9. *num.* 98. *vsque ad* 107. & alij.

26. Sed hoc Ecclesiæ ius est singulare, vt possit à fisco rem suam in emphyteusim datam recuperare, & fiscus eam illi restituere teneatur soluto valore vsusfructus, vtilisve dominij: & hæc optio datur Ecclesiæ vt intra biennium deliberet, an velit habere fiscum in emphyteutam; an rem suam in emphyteusim hæretico datam recuperare.

Simancas. Nouel. Barbat. Roman. Alexand.

Ita Simancas *de cathol. inst. tit.* 9. *num.* 105. ex Nouella 120. *de alienatione; & emphyteusi.* §. *Porrò si quamlibet rem.* Barbat. Roman. Alexand. in *l. si finita* § *si de vectigalib. ff. de dam. infect.*

Archidiac. Imol. Guiliel. Bald. Dec. Ruyn.

Archidiac. in cap. *Postulasti de foro compet.* Imola *in cap ex parte de feudis.* Gulielmus, & Baldus *in l. Si quis Presbyter. C. de Episcopis*, & Decius *consil.* 442. Ruynus *consil.* 23. *lib.* 5. Quemada *quæst.* 12. & alij communiter. An verò Ecclesia possit restitui aduersus lapsum huius biennij; verior ac communior resolutio est, quæ affirmat; quia melior est Ecclesiæ causa, quàm causa fisci, lucri tantum captantis,

Simanc. Quem.

& ita docet speciatim Simancas *de cathol. inst. dict. titul.* 9. *n.* 106. & Quemada *quæst.* 13.

27. Sed quid si emphyteuta hæreticus rem Ecclesiæ in emphytheusin traditam meliorem fecit? Respondet Simancas *de cathol. inst. tit.* 9. *num.* 107. plerisque doctoribus visum semper fuisse debere Ecclesiam recuperare rem suam cum iisdem meliorationibus, quando emphyteuta post hæresim rem in emphytheusim traditam meliorem fecit, & teneri Ecclesiam solummodo fisco soluere expensas illas quas hæreticus in ea melioranda fecit, non autem valorem meliorationis. Si verò emphyteuta rem Ecclesiæ meliorem fecit ante hæresim, & postea in hæresim lapsus est, quamuis alij aliter censeant, dicendum etiam est publicatis eius bonis, emphyteusim gratis reddendam esse Ecclesiæ cum melioramentis, & teneri similiter Ecclesiam fisco soluere tantùm expensas, quas hæreticus in re melioranda fecit.

Simanc.

Ita idem Simancas *num.* 108. Ratio est. Primò, quia illæ meliorationes iure accessionis, & consolidationis ad Ecclesiam pertinent. Secundò, quia fundi Ecclesiæ propterea solent pro exigua pensione in emphyteusim dari, vt meliores, pretiosioresque facti aliquando ad Ecclesiam redeant; & ea fuit olim emphyteusis origo, dabantur enim fundi in emphyteusim, idest, in plantationem, vt qui illos steriles accipiebant, plantando, & inserendo meliores redderent, fertilioresque vt patet ex *l.* 1. *&* 3. *C. de iure emphyt.*

Coras. Simanc.

& docet Corasius in *l. qui pignor. ff. de seruitute*, & Simancas *de cathol. inst. tit.* 9 *num.* 18. Tertiò, quia quoties propter culpam priuatur emphyteuta iure suo, toties res in emphyteusim data redit ad dominum etiam temporalem, & ciuilem cum melioramentis, & dominus in vtroque foro soli, & poli tenetur soluere impensas in ea re melioranda dumtaxat factas emphyteutæ melioranti, non autem valorem meliorationis.

Simanc. Dec. & Quem.

Ita idem Simancas *de cathol. inst. titul* 9 *à num.* 108. *vsque ad* 110. & Iason. *in l.* 2. *de iure emphyteut.* Decius *consil.* 171. *&* 518. Quemada *quæst.* 12. Bursatus *consil* 43. Et patet ex Auth. *Qui res. C. de sacrosanct. Eccles.* & inibi etiam Decius. Patet etiam ex *l. In fundo ff. de rei vendicat.* An autem vltra expensas factas in re melioranda teneatur etiam dominus directus rei, soluere melioranti valorem industriæ, est dubium, & videbitur alicui teneri, quia nemo potest in conscientia ditescere ex alieno, industria autem aliena est, & non est domini directi. Sed contrarium videtur dicendum; quia ex intrinseca vi, & ratione huius contractus, ea sola obligatio oritur, vt soluta emphyteusi & consolidato dominio vtili, ac vsufructu, cum dominio directo solùm teneatur dominus directus, & qui loco illius est emphyteutæ ad expensas in re in emphyteusim tradita melioranda factas, & non vltra illas ad valorem etiam industriæ, & contractus est iustus; ideo enim illi res modica pensione in emphyteusim traditur, vt melior pretiosiorque facta ad domi-

dominium directum redeat, solutis tantùm suis expensis.

Caput XXIII.

An maioratus, & fideicommissa confiscari possint & quatenus?

SVMMARIVM.

Refertur prima opinio asserens maioratum, & fideicommissum in perpetuum confiscari posse ob hæresim. num. 1.

Tamen certum est maioratum ex bonis communibus institutum pro vita tantùm delinquentis confiscari posse. ibid.

Quid si maioratus haberet expressam conditionem, vt commisso tali, vel tali crimine, statim ipso facto transeat ad alios. num. 2.

Quid si maioratus institutus fuerit ex bonis communibus cum facultate Regis obtenta sub ea conditione, vt propter hæresim, sodomiam, aut crimen læsæ maiestatis possit confiscari, & instituens in fraudem illius apponat in institutione hanc cautelam, vt si possessor maioratus de his criminibus tractandis cogitauerit, statim ipso facto, ante vllam sententiam transeat maioratus ad alios. num 3. & 4.

Quid si maioratus instituatur cum eadem cautela vt statim transeat ad alios si de his criminibus committendis possessor illius tractauerit absque regia facultate, in qua talis conditio sit inserta. num. 5.

Quid si maioratus expressam clausulam habeat, vt eo ipso amittatur, & ad alios vacatos transeat, si aliquid ex illo possessor illius alienauerit, an tunc confiscari possit ob hæresim, aut aliud delictum habens pœnam confiscationis adnexam. Refertur vera sententia affirmans, tunc nec pro vita delinquentis confiscari posse, quoad fructus, sed statim transire ad alios vocatos. num. 6.

Quid si ea conditio non fuerit expressa, sed tacita in institutione prædicti maioratus, aut fideicommissi. num. 7.

Illa expressa alienationis prohibitio facit, vt dominium maioratus statim ad alium ipso facto transeat, translato autem dominio, etiam vsusfructus transferuntur. num. 8.

Quæ differentia detur inter expressam, & tacitam alienandi prohibitionem. num 9.

Et remissiuè ad numerum 7.

Expressa alienationis prohibitio non obstat quominus creditoribus maioratus soluenda sint debita: obstat tamen ne maioratus etiam quoad fructus, & pro vita delinquentis possit confiscari. num. 10.

1. EX principiis hactenus capite præcedenti
à num. 23. iactis, deducitur quid dicen-
dum sit de confiscatione maioratuum, &
fideicommissi, aliorumque bonorum, quæ alie-
Simanc. nari non possunt; nam licet Simancas *de catho-*
licis institutionibus titul 9. *à num.* 253. *vsque ad*
Galind. 273. allegato Galindo, operosè probare con-
tendat ob hæresis crimen confiscari posse in per-
petuum maioratum quouis modo, & quauis
conditione institutum, & non pro vita tantùm
possessoris delinquentis; tamen certum est maio-
ratum ex bonis patrimonialibus institutum non
posse confiscari quoad proprietatem, confisca-
tione perpetua, sed solùm quoad vsumfructum
pro vita tantùm delinquentis, quando maiora-
tus absque regio priuilegio quod ob tale, vel ta-
le delictum publicari non possit, fuit institutus.
Ita communiter DD. Suarez *de fide disp.* 22. *sect.* 5. Suarez.
num. 12. Molina *lib.* 4. *de primog. cap.* 11. *num.* 31. Molina.
& cap. 2. *num.* 10. Vasquez 1. 2. *disp.* 169. *cap.* 4. Vasquez.
à num. 30. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 18. Sanchez.
num. 36. Farinacius *de heresi quæst.* 190. §. 4. *n.* 60. Farinac.
& Reminaldus iunior *consil.* 384. *num.* 289. Pater Remin. iun.
Molin. *de iust. tom.* 3. *disp.* 657. *à num.* 3. *vsque ad* Molina.
finem, & disp. 582. *num.* 1. Anton. Gomez *l.* 40. Ant. Gom.
Tauri num. 91. *columna penultima ad finem*, &
alij; quos citat Sanchez. Et ratio sumitur ex il-
la regula, & principio generali, quod suprà tra-
didimus, quia bona, quæ non transeunt ad hæ-
redes extraneos, non confiscantur; maioratus
autem ad illos non transeunt, ergo confiscari
in perpetuum non possunt. Ratio verò à priori
est, quia primo genitus, seu primouocatus non
succedit ex voluntate vltimi possessoris, sed ex
voluntate primi instituentis non potest nocere
delictum successoris, neque pœna confiscatio-
nis illi imposita. His tamen non obstantibus vt
dixi, possunt hæc bona vinculata, & maioratus
confiscari quoad vsum fructuum pro vita delin-
quentis, quia hoc modo transferri possunt hæc
bona, vel in totum, vel in partem in extraneum
quoad vsumfructum pro sola vita possiden-
tis, non enim hoc derogat aut nocet voluntati
instituentis.

Si tamen in ipsa institutione addita fuerit 2.
clausula, & conditio, quæ ipso facto priuet pos-
sessorem dominio & vsu maioratus, *si tale, vel*
tale crimen commiserit heresis. v. c. *sodomia, aut*
læsa maiestatis, vel quod etiam in aliquibus ma-
ioratus addi solet, *eo ipso quod de illo vel illo cri-*
mine committendo tractauerit, ipso facto maiora-
tum amittat omnino, & ad successores transeat, tunc
quidem conditio seruanda est; fuit enim iusta,
& deducitur ex illo generali principio, *quos ho-*
noro, grauo licitè. Et instituens potuit, & voluit
hoc modo, & sub hac honesta conditione, &
non aliter, nec alio modo sua bona dunare. & in
eo casu non seruata conditione non potest ma-
ioratus nec perpetua temporaria ad vitam de-
linquentis confiscatione publicari, sed excluso
hæretico deueniet ad secundum vocatum. Ita
Suarez *de fide disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 12. *fine.* Azor. Suarez.
tom. 1. *lib.* 8. *cap.* 12. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi* Azor.
lib. 2. *cap.* 18. *num.* 42. Meres *de maioratu in priori* Sanchez.
edit. part. 4. *quæst.* 23. *num.* 23. Meres.

In Regno Lusitaniæ, & Castellæ solent mul- 3.
ti maioratus ex bonis patrimonialibus institui
cum facultate regia, & in ea facultate solet apponi
hæc conditio, vt ea bona publicentur ob crimen
læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, aut crimen
sodomiæ possessoris vltimi, si hic in aliquod ho-
rum criminum incidat; & tunc quidem bona
maioratus in perpetuum confiscantur, nec ad
alios vocatos transeunt; quia cum princeps eam
facultatem cum hoc onere concedat, ea vtens
in constitutione maioratus, censetur bona ma-
ioratus voluisse ob quodlibet horum crimen per-
petuæ confiscationi subiicere. Ita docent Molina Molin.
lib. 2. *de primog. cap.* 2. *num.* 10. *& cap.* 12. *n.* 57.
& lib. 4. *cap. vltimo num.* 63. Sanchez *tom.* 1. *De-* Sanchez.
calogi lib. 2. *cap.* 18. *num.* 41. Gregor. Lopez *l.* 6. Greg Lop.
verbo quelano pudiese, quæst. 11. *part.* 6. Ant. Gom. Ant. Gom.
l. 40.

Meres. *l.40.* Tauri *num.91.columna 4. & col.vltima.* Me-
res *de maiorat. in 1. editione part.4.quæst.23.n.23.*
Cantera. Cantera *in suis qq.criminalib. titulo de quæst. tan-*
Pat. Molina. *gent. punitionem delictorum cap.1. num. 52.* Pater
Molina *de iust.tom.3.disp.582.num.1.& disp.657.*
num.2.initio.

4. Sed qoid si post obtentam facultatem à Re-
ge ad instituendum maioratum, datam ea condi-
tione, vt ob crimẽ hæresis, sodomiæ, aut læsæ ma-
iestatis publicari possit, iostitutor nihilominus
hanc publicationem interdicat, per clausulam
appositam in maioratu, vt, eo ipso, quod posses-
sor maioratus tractauerit de aliquo horum cri-
minum committendo, à die, aut hora antece-
dente transeat ad vlteriùs vocatum. Respondeo
hanc clausulam non valere, & posse nihilominus
in perpetuum confiscari; fuit enim apposita in
fraudem Regiæ licentiæ, & vt facultas Regis elu-
Molin. deretur; & ita docent Molioa *lib. 2. de primog.*
cap.12.num.57.& lib.4. capite vltimo num.63. &
Molin. Soc. Ies. Noster Molina *tom. 3. de iust. disp.657.num. 2.*
versic.6.obseruat verò. & Sanchez *tom.1. Decalogi*
Sanchez. *lib.2.cap.18.num.45.*

5. Quaodo autem maioratus non ex regia fa-
cultate instituitur, potest adiici, & valet prædicta
clausula impediens confiscationem, & tunc ne-
que quoad vsumfructum pro vita tantùm possi-
deoris, neque quoad proprietatem, & in perpe-
tuum confiscari poterit maioratus sub ea condi-
tione institutus. Nam vt opinionum varietas eui-
tetur, & fideicommissa, maioratusque ad fiscum
modo aliquo non perueniat, nec etiam duranti
possessoris vita, est optima cautela, vt testator,
aut institutor illius maioratus, vel fideicommissi
disponat; vt eo ipso, quod possessor tractauerit,
aut statuerit de cõmittendo delictu cui adnexa est
de iure bonorum publicatio, statim amittat eum
maioratum, aut fideicommissum, & ad sequentẽ
vocatum cum omnibus suis commoditatibus trã-
seat; tunc valet cõditio, clausula apposita, & à die
commissi delicti ad sequentem vocatum transibit,
nec cõmoditas & vsusfructus illius pro vita de-
linquentis ad fiscum pertinebit. Ita communiter
Sanchez. DD. Sanchez *tom.1.Decalogi cap.18. lib.2. n.24.*
Socin. Iun. Socious Iunior *consil.49. num.2.versu, Aliquando*
Farinac. *& secundo volum.3.* Farinacius *in practica in noua*
edit. tom.1.part.1.titulo de delictis, & pœnis q.25.
Baiardus. *à num. 23.* Baiardus *in addit. ad Iulium Clarum*
Mol. Theol. *lib.5.quæst.78.num.38.* Molina Theologus *tom.4.*
Nonius. *de iust. disp.656. num. vltimo.* Nonius *consil.95.*
Oddo. *num.2.vol.1.* Oddo *consil.53.à num.7.vsque ad 14.*
Molina. *volum.1* Molina *de primog.lib.4. cap vltimo.n.16.*
Peregr. Peregrin. *de iure fisci lib.5.tit.1.num.103.& 104.*
vbi alios refert, & dicit sic fuisse decisum in Se-
Cantera. natu. Cantera *in suis qq.criminalib.titulo de quæst.*
Meres. *tang punit.delict.cap 1. num.51.* Meres *de maiorat.*
Menoch. *in 1. edit. part. 4. quæst. 23. num. 20. & num.1.*
Menochius *consil.91. num 6.* Ratio est, quia hoc
non fit in fraudem fisci, nec io vtilitatem vltimi
possessoris delinquentis; sed in honorem & com-
modum familiæ; imò tantum abest, vt fiat in
fraudem fisci, vt iuxta ipsiusmet intentionem
fiat, nam leges fisci non fiunt, vt propter illas di-
tetur fiscus; sed vt propter illas vitentur delicta.
Ideo enim confiscantur bona, vt homines timore
tam acerbæ pœnæ terreantur & à peccatis absti-
neant. Ergo institutor maioratus dum similem
pœnam amissionis bonorum in institutione illius
imponit, non id facit in fraudem fisci; sed iuxta
intentionem eiusdem fisci facit vt hæredes insti-
tuti, & ad maioratum vocati similiter eadem pœ-

na à peccatis, quæ fœdant, ac dedecorant fami-
liam, abstineant. Secundò, quia io hoc casu oon
deturbatur fiscus à iure quæsito; sed indirectè
excluditur à iure quærendo, & non per se, & di-
rectè, quare similis institutio non continet præ-
iudicium illius considerabile. Neque obstat lex
filiusfamilias 117.§. diui.2 ff.de legatis 1.ibi. Ne-
que fisco fraudi esse. quia loquitur de eo casu in
quo iam fiscus habet ius aliquod quæsitum. Ne-
que obstat etiam lex fioalis cum ibi notatis per
Bartholum *ff.de stipulat.seruorum,* quia licet non
sit in potestate delinquentis euadere pœnam, &
licet similiter oon sit in potestate Institutoris ma-
ioratus liberare à pœna suum successorem delin-
quentem; tamen io potestate testatoris est id
onus suis rebus apponere, quo à peccatis, & de-
decore familiæ illius successores retrahantur, &
alium in tali, vel tali euentu fisco præferat, vt
optimè probat Sanchez *tom. 1. Decalogi lib.2.* Sanchez.
cap.18.num.27.

Eandem similiter clausulam potest institutor 6.
maioratus, aut fideicommissi in institutione illius
imponere. *vt si vltimus possessor aliquid ex illo alie-*
nauerit, statim maioratum amittat; & prædicta
clausula sic apposita valebit, imò erit vtilior cau-
tela, vt bona maioratus non alienentur si testa-
tor, aut institutor maioratus, fideicommissi iu-
beat, vt eo ipso quòd *vltimus possessor tractauerit,*
ac deliberauerit de rebus alienandis, amittat maio-
ratum, aut fideicommissum, & ad sequentem voca-
tum spectet, ac transeat cum omnibus suis commodi-
tatibus. Ita docet Sanchez *dicto tom.1. Decalogi* Sanchez.
lib.2.cap.18 num.24. & consequenter debent do-
cere omnes numero præcedenti allegati, cum
par sit vtrobique ratio. Et in eo adhuc casu
idem dubium replicatur, an scilicet quaodo in
quibusuis bonis, aut maioratibus, est expressa
alienationis prohibitio, & vocatio alterius, si eo-
rum alienatio fiat, aut de ea tractetur, ea prohi-
bitio id operetur, vt etiamsi vltimus possessor in
hæresim incidat, excludat tamen omnino fiscum,
ita vt neque duranti delinquentis vita talia bona
confiscari possint; sed statim ad sequentem per-
tineant vocatum. Qua de re duplex est sententia,
vt videri poterit apud Sancium *dicto tom.1. De-*
calogi lib.2.cap.18. num.14. & 15. Melior tamen
quam ipse *num. 15.* sequitur, sustinet huiusmodi
fructus non confiscari, etiam duranti possessoris
vita, & statim ea bona cum omnibus suis fructi-
bus ad sequentem vocatum transire; & cum
Sanchez hanc sententiam in propriis terminis de- Sanchez.
fendunt Alexander. *consilio 23.à num.3.vsque ad* Alexand.
finem volum.1. Curtius iunior *consilio 120.num.10.* Curt. Iun.
& 11. Iason. *in l.filiusfam.117.§. diui.1. in 2. le-* Iason.
ctura, notabili 6.num 19.ff de legatis 1. Iulius Cla- Iul. Clar.
rus *in practica lib.5. receptarum quæst.78.num.10.*
Farinacius *in sua etiam practica, in noua edit.tom.1.* Farinac.
part.1.titulo de delictis & pœnis quæst.25.num.35.
asserens esse communissimam sententiam, vsú-
que receptissimam. Anton. Gabriel. *in suis com-* Anton. Gab.
mun. opin.lib.7. tit. de criminalib. conclusione 24.
num.3 Hieronymus Gabriel *consil.184. n.2. & 3.* Hier. Gab.
& consil.113 à num.3.vsque ad 26.volum.1. Tello Tello.
l.27. Tauri *num. 19.* Sarmiento *lib 3.selectarum*
cap. 4. num. 5. Menochius *consil. 104. num. 42.* Sarm. Menoch.
vol 1. & plures alij quos latissimè citat Sanchez
loco allegato *dicto num 15.* Et ratio est. Primò,
quia fructuum commoditas, (seu vsusfructus)
in hoc casu non est separata à rei dominio; sed
cum eo est adnexa & coniuncta ex institutione
testatoris & institutoris maioratus; quare sicut

rerum illarum dominium nequit ad fiscum transire ob vim expressæ prohibitionis alienandi, sed statim transit ad alios vocatos, ita de fructibus dicendum est.

7. Secus erit, si prohibitio alienandi, non sit expressa sed tacita; qualis est illa quæ inest omnibus bonis vinculatis, & omnibus maioratibus; nam quando est tacita, confiscabitur maioratus, seu fructus illius pro vita tantùm delinquentis, & non in perpetuum; quia est magnum discrimen quoad hoc inter prohibitionem tacitam & prohibitionem expressam: quando enim datur expressa prohibitio alienationis, fructus non separantur à dominio, & cum tunc dominium illorum bonorum nequeat etiam ad vitam possessoris confiscari; ita nec & fructus illorum; sed statim transibunt ad sequentem vocatum. Et id rationi congruit, quia cum tacitæ alienandi prohibitioni resultanti ex ipsa fideicommissi natura, vinculóque maioratus, addatur ab institutore alia expressa prohibitio, plus debet hæc expressa operari, quàm illa tacita. Vnde nihil mirum si id operetur vt statim bona cum omnibus suis fructibus transeant ad sequentem vocatum. Tertiò, quia id patet ex *L. Imperator.* 12. *& L. Rogo* 21 *ff. de fideicommissariis libert.* Vbi Firmius legauit tres seruos Mutiano ea lege, & conditione, ne aliis seruirent; postea autem bona Mutiani publicata fuerunt, & decisum fuit in his legibus eos seruos non potuisse à fisco regio publicari, sed statim assecutos fuisse libertatem, non aliter quàm si Mutius voluntariè seruos illos alienasset; perinde autem est expresse prohibere ne serui alteri inseruirent, ac expressè prohibere ne bona maioratus, aut fideicommissi alienentur. Ergo bona expressè prohibita alienari nullatenus transeunt in fiscum, nec etiam pro vita tantùm delinquentis. Nec obstat solutio communis; id factum fuisse in fauorem libertatis, quia iden facta publicatione bonorum Mutij, serui obtinent libertatem, ne serui contra expressam voluntatem testatoris in alterius seruitutem nempe fisci deueniant, ergo pari modo, ne bona in extraneam personam, qualis est fiscus, contra voluntatem testatoris transeant; pertinebunt secuta publicatione ad alios vocatos; hæc sunt fundamenta huius opinionis traditæ; quæ meo iudicio conuincunt. Qui tamen rem diffusiùs tractatam videre cupit, legat Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2 *cap.* 18. *à num.* 13. & deinceps. Sanchez.

8. Dices. Expressa alienationis prohibitio eò tantùm tendit, ne successoribus præiudicetur; at ex hac publicatione fructuum pro delinquentis tantùm vita, nullum successoribus damnum imminet, vtpote qui illo viuente eis fruituri non erant. Respondeo, eam prohibitionem non tantùm eò tendere ne successoribus præiudicetur in tempore vitæ delinquentis quasi ipsi, sed ne etiam illis in dominio præiudicetur; quod cũ omnibus fructibus in posterum percipiendis censetur prohibens statim transferre in vocatum, statim ac sequitur cõdemnatio. Vrgebis. Possessor vltimus erat dominus verus illorum fructuum pro vita sua, poteratque eos quolibet contractu liberè alienare, nec successor ius vllum in eos habebat. Ergo cum omnia delinquentis bona transeant in fiscum, hi quoque fructus transibunt. Respondeo id verum esse dum dominium permanebat apud illum, & cum statim post secutam condẽnationem censeatur vocatus sequens dominus & successor, & dominium statim etiam in eum transeat, inde est, quod nequeunt vsus fructuum in posterum recipiendi confiscari, cum propter expressam prohibitionem alienationis sint à dominio inseparabiles. Vnde necessariò erunt successoris, cum sit verus illorum bonorum dominus.

9. Nec obstat lex, *Statius Florus* 48. §. *Cornelio Felici ff. de iure fisci.* vbi vniuersaliter & indistinctè decernitur bona fideicommisso subiecta publicari quoad fructus dum delinquens vixerit. Neque lex *Filiusfamilias* 117. §. *Diui* 2. *ff. de legatis* 1. ibi: *Sed hac neque creditoribus, neque fisco fraudi esse possunt.* Vbi videtur clarè decidi expressam testatoris alienandi prohibitionem non posse creditoribus aut fisco præiudicium afferre; nam lex *Statius* loquitur de sola tacita prohibitione alienandi non de expressa; differentiam autem inter tacitam & expressam alienandi prohibitionem satis assignauimus *num.* 7. Ad legem *filiusfamilias.* Respondet ibi glossa *in verbo, Fisco*, id intelligendum esse de creditoribus testatoris & de fisco, quando testator illis ex vectigalibus, aut ex alia ratione aliquid debebat; bona enim debita vinculo aut fideicommisso tradi non poterant.

10. Neque etiam obstat lex, *Poto* 71. §. *Prædium. ff. de legatis* 2. vbi deciditur non obstare expressam prohibitionem alienationis bonorum necessariæ illorum venditioni ad soluenda possessoris debita dum ille viuit; ergo nec eadem prohibitio impediet confiscationem pro illius vita, ibi: *Prædium quod nomine familiæ relinquitur si non voluntaria facta sit alienatio, sed bona heredis veneant, tandiu retinere emptor debet, quandiu debitor haberet, bonis non venditis post mortem eius non habiturus.* Et propter has leges, & rationes, sunt multi, & graues DD. qui nullam admittunt distinctionem inter tacitam & expressam alienationis prohibitionem, & in vtroque casu asserunt posse bona maioratus & fideicommissi expressè alienari prohibita ad fiscum transire, & confiscari pro vita tantùm delinquentis, quos latè citat, sed non sequitur Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *c.* 18. *num.* 14. inter quos est Gigas *tract. de crim. læsæ maiest. quæst.* 31 *num.* 4 Gregor Lopez *l.* 6. *versu que la no pudiesse, paulo post initium tit.* 11. *part.* 6. Anton. Gomez *l.* 40. *Tauri num.* 91. *versu, Confirmatur etiam*; Mol. *lib.* 1. *de primog. cap.* 20. *num.* 9. *& lib.* 4. *cap. vltimo num.* 11. Gama *decisione* 352. *fine.* Pater Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 470. *col.* 9. *versu, sed id preterea. & tom.* 3. *disp.* 656. *num.* 6. quorum opinio est valde probabilis. Sed opinio Sancij propter sua fundamenta præualet, & ad hanc legem *Poto.* Respondeo igitur cum Peregrino *de iure fisci lib.* 5. *titulo* 1. *num.* 101. *fine.* multum interesse inter causam creditorum; quæ de damno vitando tractat, & causam fisci intendentis lucrum; & ideo rationi dissonum esse, vt priuilegium in ea lege in creditorum fauorem inductum extendatur ad fiscum.

Sancl. Gigas. Greg. Ant Gom. Molin. Gama Molina. Peregr.

CAPVT

CAPVT XXIV.

An hæretici ob crimen hæresis in pœnam sint intestabiles. An filij hæreticorum liberentur à patria potestate, & serui Christiani à seruitute, ob hæresim dominorum.

SVMMARIVM.

De iure ciuili communi poterunt hæretici testari, instituendo tamen catholicos. num. 1.
Hæretici externi occulti possunt licitè, & validè testari ante sententiam latam, post sententiam verò hæresis non possunt. num. 2. & 3.
De bonis non publicatis poterunt hæretici etiam post sententiam latam testari. num. 4.
Et de bonis etiam quæ post latam sententiam & conuersionem acquisierunt. ibid.
Filiusfamilias propter hæresim paternam statim egreditur patriam potestatem. num. 5.
Nec requiritur sententia declaratoria hæresis ad egressum huius potestatis. num. 6.
Emancipatio & substitutio pupillaris facta à Patre hæretico etiam occulto, & ante sententiam hæresis non valet. num. 7.
An pater catholicus filium hæreticum; & filius catholicus patrem hæreticum ad inuicem alere teneatur? Refertur prima sententia affirmans. num 8.
Quando bona patris publicantur reseruata filijs aliqua portione ad illorum sustentationem, non tenentur filij ex illa Patrem alere. num 9.
Præfertur sententia negans teneri patrem catholicum filium hæreticum damnatum alere; & contra nisi tamen extremè indigeat. num. 10.
Et vtrùm coniux fidelis, coniugem conuersum teneatur admittere. ibid.
Quatenus catholici obligati hæreticis aliqua obligatione fidelitatis iurisiurandi, ab illa ante, vel post sententiam hæresis liberentur. num. 11. 12.
An mancipia illorùm qui in tribunali sanctæ Inquisitionis de hæresi damnātur libera maneant. n. 13.
Mancipia non christiana non fiunt libera damnatis dominis de hæresi. ibid.
Quid si serui nondum christiani studio religionis dominos de hæresi denuncient. num. 14.
Quid si sint catechumeni. ibid.
Quid de mancipijs christianis? Refertur prima opinio negans libertatem eo ipso consequi. n. 15.
Præfertur sententia affirmans consequi. num. 16. 17. 18. 19. 20. 21.
Hæreticus de hæresi damnatus & conuersus, cui ex misericordia bona sua donantur, non potest dominium iterum recuperare seruorum christianorum. num. 22.
Qualiter mancipia quæ patrimonio, & dote donantur, fiant libera post hæresim coniugum. à num. 23. vsque 26.

1. De iure ciuili communi poterant hæretici testari, instituendo tamen catholicos hæredes, constat ex Authent. *Vt cum de appellat. cognosc.* §. *si quis de prædictis parentibus, versu, Generalem*, & l. *Regia 7. titul. 7. part. 6. & l. 2. tit. 16. part. 7.*

At standum est iure canonico, in quo decernitur hæreticos in pœnam criminis esse intestabiles, & neque testari, neque in testamento hæredes institui posse etiam à catholicis. Patet ex cap. *excommunicamus* 1. §. *Credentes de hæret. in 6.* ibi: *Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat.* Quam pœnam nonnulli auctores ita extendunt, vt asserant prædictos hæreticos externos occultos non posse validè testari, nec institui hæredes in testamento etiam ante secutam sententiam declaratoriam criminis. Fundamentum accipiunt hi DD. ex illis verbis prædicti capitis. *Sit intestabilis*, quia verbum, *sit*, importat latam sententiam, vt in excommunicatione; & perinde est, ac dicere, *sit ipso facto intestabilis*, & ita videtur tenere Peña *in directorio 3. part.* Peña. *commento 165. versu, Rursus*, & Gregor. Lopez Greg. Lop. *l. 4. fine. titul. 26. part. 7.* vbi dicunt hæreticum à die criminis esse incapacem testandi. Quod idem tenere pariter videtur Couarr. *in clementina, si furiosus 1. part.* §. *2. num.* 2. vbi asserit sodomitam Couar. nondum condemnatum, non posse testari, eo quod infamis sit, & à die commissi criminis dominio omnium suorum bonorum priuatus; quod fortius in hæretico militat, & expressius id tenet Aragonius 2. 2. *quæst. 11. art. 3. fol. mihi* Arag. *348. col. 1. corollario 4.* vbi ait testamentum esse nullius roboris, quia est de bonis iam ad fiscum pertinentibus. 2.

3. Dicendum tamen est hæreticum ante sententiam criminis declaratoriam validè & licitè posse testari, ea verò secuta reuocari testamentum, sicut & quæcumque aliæ donationes per ipsum factæ reuocantur. Hanc sententiam tenet expressè Molin. *tom. 1. de iust. disp. 95.* Vasquez 1. 2. Molin. *quæst. 96. art. 5. disp. 171. cap. 1. num. 11.* Sanchez Vasq. *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 24. num. 3.* Tello *l. 4.* Sanchez. *Tauri num. 34.* Salzedo *in practica Bernardi Diaz* Telio. *cap. 86. versu, Punitur etiam.* Et loquens de cri- Salzed. mine læsæ maiestatis idem tenet Decianus *in sua* Decian. *practica lib. 7. cap. 40. num. 20.* Et fundamentum est. Primò, quia verbum illud *sit intestabilis*, cum sit futuri temporis, importat sententiam ferendam, non latam, vt docet Sanchez allegatus, & Tiraquellus multos referens *l. Si vnquam*, Sanchez. *verbo, Reuertatur, in noua edition. 182. & 183.* Et Tiraq. quamuis adderetur, *sit ipso facto intestabilis*, cum Greg. Lop. hæc sit pœna temporalis, adhuc requireretur sententia declaratoria criminis, vt testamentum esset nullius roboris. Sola enim excommunicationis censura secum trahit suam executionem, vt sæpe diximus. Secundò, quia similiter prohibentur omnes alienationes bonorum ab hæretico à die commissi criminis factæ, & tamen sustinentur ante sententiam, ita vt accipiens sit tutus in conscientia vsque ad illam, vt latè probauimus in *cap. 20.* & doctè ostendit Sanchez *dict. tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 22. num. 52.* Idem ergo dicendum erit in testamentis ob paritatem rationis. Quare tuta conscientia retinere possunt hæredes hæretici defuncta bona sibi ab illo in testamento relicta, quoad vsque sibi à fisco post latam sententiam petantur. Tertiò, quia in lege regia Castellæ *16. fine titul. 1. part. 6.* decernitur hæreticos post sententiam condemnatoriam non posse efficere testamentum, & Gregorius Lopez ibi ait, testamentum antea factum esse irritandum; ergo tenebat.

Imò etiam post sententiam latam poterit hæreticus de bonis non publicatis testari, quia ius 4.

canonicum illi prohibens testari intelligitur de bonis quæ à fisco publicari possunt. Ita docent Castil. Auend. Sanchez. Matienſ. Castillo *l. Tauri lib. 5. noua recopilat. verbo, fueren confiscados*, & Auendaño ibi, *Glossa 7. num. 11.* Sanchez *tom. 1. Decalogi l. 2. cap. 24. num. 4.* & Matienso *eodem tit. 4. l. 3. & glossa 7. num. 5.* quamuis dubius aliquantulum. Et idem dicendum est de bonis, quæ post conuersionem & latam sententiam acquisiuit; de his enim etiam potest testari, vt patet.

5. Certum est etiam per hæresim paternam, egredi filios patriam potestatem, & sui iuris effici. Habetur expressè *cap. 1. § finali de haret. in 6.* docet Sanchez. Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 24. num. 5.* & omnes statim allegandi *num. 6. versu, Dicendum tamen est.* Est communis. Hanc pœnam extendit Eymiric. Eymiricus *in directorio Inquisit. 3. part. quæst. 116.* ad patres receptatores, fautores, & defensores hæreticorum, & asserit eos etiam in pœnam criminis priuari patria potestate in filios, filiósque illam statim egredi & sui iuris effici, si illorum patres hæreticos recipiant, illis faueant, eos defendant; sed merito hæc extensio reiicitur Peña. à Sanchez allegato, & à Peña *ibi commento 165.* nullibi enim in iure hæc pœnæ extensio probatur, aut inuenitur.

6. An verò, vt filius hæretici hominis patriam egrediatur potestatem, requiratur sententia, qua pater de hæresi damnetur, est dubium. Simanc. Simancas *de cathol. inst. tit. 9. num. 206.* nulla ratione adducta docet exigi sententiam criminis declaratoriam. Simanc. Azor. Cum Simancas consentit Azor. *tom. 1. lib 8. cap 13. quæst. 1.* Dicendum tamen est statim nulla expectata sententia filios effici sui iuris propter hæresim paternam. Patet ex *cap. 1. §. finali de haret. in 6.* vbi appellantur filij sui iuris: & dicitur emancipationem factam per patrem hæreticum antequam declaratetur hæreticus, nullius roboris esse, quasi patria potestas ad illius valorem requisita, per hæresim paternam occultam Lessius. Sayro. cessarit. Et ita docent communiter DD. Lessius *lib. 2. de iust. cap. 3. dub. 5. num. 23. fine.* Sayro *in claui regia lib. 3 cap. 9. num. 30. & lib. 9. cap. 7. num. 7.* Rebell. Castro. Peña. Molina. Rebellus *de iust. part. 1. lib. 1. quæst. 7. sect. 2. num. 23.* Castro *lib. 2. de iusta hæretic. punit. cap. 7.* Peña *in directorio Inquisitor. 3. part. quæst. 116. commento 165.* Molina *tom. 1. de iust disp. 9. col. 7. versu, Ab hac regula. & disp. 229.* in tertio modo liberat à patria potestate. Azor. Azor. *tom. 2. lib. 2. cap. 12 quæst. 6.* & alij. Est enim hæc priuatio patriæ potestatis, pœna quædam patris, quæ est instar priuationis iurisdictionis paternæ, & non requirit sententiam latam, eum sit pœna tantùm priuatiua, & non positiua.

7. Hinc fit, vt emancipatio, & substitutio pupillaris facta à patre hæretico occulto dum est occultus, & ante sententiam latam, qua de hæresi condemnetur, non valeat: quia pater caret iam patria potestate ad horum actuum valorem requisita; priuatus enim illa à die commissi crimi-Sanchez. Peña. Castro. nis. Ita docent Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 23. num. 6. fine.* Peña, & Castro numero præcedenti allegati.

8. Dubitabis tamen, an pater catholicus filium hæreticum, vel contra, an filius catholicus patrem hæreticum alere teneatur, & an vterque ab obligatione naturali alendi se ad inuicem per hæresim eximatur. Et imprimis in hoc puncto certum est, quando lege aliqua, aut statuto præcipiuntur bona patris publicari reseruando aliquam portionem filiis ex bonis patris, non teneri filios patrem alere ex his bonis sibi reseruatis. Et hæc est frequentissima sententia, quam docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 24. num. 7.* Sanchez. & deducitur ex *cap. 1. §. Si quis hominem de pace tenenda, & eius violat. in vsu feudorum.* Et ita tradunt Baldus Auth. *bona damnatorum num 4. versu, Hic quaro. C. de bonis damnat.* Baldus. Tiraquellus Tiraq. *de tract. lignagier §. 1. glossa 9 num. 72.* Surdus Surd. *consil. 116. num 25. lib. 1. & de alimentis tit. 1. q. 31. num. 23. & quæst. 36. num. 2. & 14. & tit. 7. quæst. 14. num. 17.* & alij plurimi quos refert Ceuallos *tom. 3. comm. quæst. 779. num. 153.* Ceuall.

In speciali verò casu hæresis, de quo agimus, 9. partitur opinio. Prima asserit teneri filios catholicos patrem hæreticum, & è contra, patrem catholicum filios hæreticos de hæresi damnatos alere. Fundamentum illius est, quia hæc obligatio respectiua, est de iure naturæ, nec est aliquod ius humanum illam auferés à patre catholico in pœnam filij hæretici; aut à filio catholico in pœnam patris hæretici. Ita sentire videtur glossa capitis 1. *verbo, fidelis. dist. 30.* vbi patrem hæreticum egentem ait præferendum esse extraneo catholico in eleemosyna à filio eroganda; quod ijsdem penè verbis tradit lex regia *8. tit. 23 part. 1.* & docent Castro *de iusta hæretic. punit. cap. 7.* & Castro. Surdus *de aliment. tit. 1. quæst. 18. num. 3. & q 19. à num. item 3.* Surd.

At verius est non teneri, nisi pater extremè 10. indigeat. Quod docent Sanchez *tom. 1. Decalogi* Sanchez *lib. 2. cap. 24. num. 7. medio.* Lara *l. si quis a liberis* Lara. *§. & si impubes num. 10 ff. de liber agnosc.* Surdus Surd. *de aliment. tit. 7. quæst. 14. à num. 20. vsque ad 25.* & sic explicatur lex regia citata. Fundamentum est. Primò, quia maiori vinculo est pater obligatus ad filios alendos, quàm filij ad parentes sustentandos, vt ex se constat, natura enim descendit, non ascendit; at pater non tenetur alere filium hæreticum, vt cum multis probat egregiè Surdus *de alimentis titulo 7. quæst. 2. à num. 6.* ergo nec filius catholicus patrem hæreticum sustentare tenetur. Secundò, quia pater potest filium hæreticum exhæredare, vt constat ex iure communi Auth. *Vt cum. de appellat. cognosc. §. Causas, versiculo, si quis de pradict.* & ex nostro iure Lusit. *lib. 4. titulo 48. §. 17. in nouis, & iure Castellano ex l. regia 7. titulo 7. part. 6.* Valet autem argumentum, vt cum multis doctissimè tradit Molina *de primog. lib 2. cap. 16. num. 1.* de ex- Molina. hæredatione ad alimentorum negationem, & ex iisdem causis ex quibus potest filius exhæredari à patre; potest ei pater extra extremam necessitatem alimenta negare. Ergo similiter filius non tenebitur patrem hæreticum alere extra prædictam necessitatem extremam; quia hæc sunt correlatiua; & quod in vno disponitur, censetur in alio disponi. An verò coniux fidelis teneatur hæreticum coniugem de hæresi damnatum, & conuersum iterum admittere, satis pro negatiua parte id resoluit Sanchez *lib. 10. de matr. disp.* Sanchez. *15. & 16.* Vbi cum multis similiter resoluit posse ei debitum negare, & ab eo diuertere, cum non teneatur eum amplius admittere.

Similiter in capite *finali de haret. in 6.* decer- 11. nitur omnes aliqua obligatione hæretico adstrictos siue iurisiurandi, siue fidelitatis, siue obsequij, siue alterius pactionis, aut promissionis, ab ea liberari. Quod non obstat, quominus debentes aliquid hæreticis, teneantur id illis soluere donec de hæresi damnentur, quia possessionem & administrationem suorum bonorum habent,

at

at secuta damnatione nequeunt id hæreticis soluere, sed fisco, ad quem vniuersa hæretici bona pertinent. Ita docent Azor. *tom. 1. lib.8. cap.13. quæst.1.* & Sanchez *tom.1. Decalogi cap.24.num.8.* Azor. Castro. quamuis Abbas quem refert Azor. & Castro *lib. 2. de iusta hæret. punitione cap. 7. paulò ante principium*, asserunt etiam ante sententiam teneri illos fisco hæc debita hæreticorum soluere. Sed illi procedunt in ea sua sententia, quam satis superque suprà reiecimus, ac refutauimus, qua dicebant teneri hæreticos ante condemnationem bona omnia sua fisco offerre.

12. Vtrùm autem, vt vnusquisque ab his obligationibus erga hæreticum liberetur v.c. fidelitatis, obsequij, iurisiurandi &c. requiratur sententia iudicis, nec ne, dubium est. Et imprimis, vt filius liberetur à patria potestate & sui iuris efficiatur, non requiritur iudicis sententia declaratoria hæresis paternæ vt diximus *num. 6.* Item vt mulier eximatur ab obligatione præstandi promissionem matrimonij futuri, quam sub iuramento etiam fecit viro hæretico occulto non requiritur similiter sententia; sed sufficit quod postea sciat illum esse hæreticum, vt ad promissionem etiam iuratam matrimonij futuri non teneatur, quod deducitur ex iis, quæ diximus *cap.21. num.3.* vbi ostendimus eam, quæ nubit scienter viro hæretico etiam occulto in pœnam criminis dotem amittere, & damnato postea marito prædictam dotem publicari. nam inde sequitur non teneri illam promissionem matrimonij illi iuratam implere, aliter iuramentum obligaret ad crimen & esset ligamen iniquitatis. Debitores hæreticorum tenentur illis soluere sua debita ante sententiam latam, vt diximus numero præcedenti: An verò vt vxores catholicæ maritis hæreticis, & mariti catholici vxoribus hæreticis, debitum ac alimenta denegent, requiratur sententia; qua hi de hæresi condemnentur, iam diximus *num.10.* An item requiratur sententia vt mancipia christiana liberentur à seruiture suorum dominorum si in hæresim domini labantur, quæstio est affirmatiuè decidenda, vt statim dicemus *à n. sequenti* 13. & deinceps, & speciatim *num.16.* Quare resolutio capitis finalis *de hæreticis in 6.* in quo decernitur omnes aliqua obligatione hæretico adstrictos siue iurisiurandi, siue obsequij, siue fidelitatis, siue alterius pactionis, & obligationis, ea liberari; partim est intelligenda ante sententiam, partim post sententiam iudicis, vt ex dictis patet.

13. Dubium ergo præcipuum in hac re est, vtrùm mancipia eorum, qui in tribunali sanctæ Inquisitionis de crimine hæresis, aut apostasiæ damnantur, libera maneant; an verò ad fiscum pertineant. Et in primis præmitto certissimum esse apud omnes auctores mancipia non christiana per damnationem hæresis aut apostasiæ dominorum non consequi libertatem, sed ad fiscum pertinere, perinde ac alia hæreticorum bona; quia neque iure canonico, neque Cæsareo à captiui- Molina. tate eximuntur, libertateq; donantur. Ita Molina Franc. Peña. *tom.1. de iust. disput.40.§.* Franciscus verò Peña, Alf. Castro. *& initio disput. 5.* Alphonsus à Castro. Sanchez Sanchez. *tom.1. Decalogi lib.2.cap.24.num.11.* Azor. *tom.1.* Azor. *lib.8. inst. moral. cap.12. quæst.7. & lib. 5. cap.7.* Peña. *quæst.8.* Peña *in directorio Inquisit. 3. part. q.119. commento* 168. Castro. Castro *lib. 2. de iust. hæret. punit. cap.7.* Simanc. & Simancas *de catholic. instit. titulo 61. à num.8.*

14. Excipiunt Molina, & Azor num. præcedenti allegati seruos nondum christianos, qui studio religionis catholicæ dominos hæreticos denunciant. Secundò nisi sint cathecumeni; tunc enim in his duobus casibus libertate donari censentur. At Peña & Sanchez meliùs docent rationi id Peña. Sanchez. consonum esse, non tamen iure libertate donari, quia de solis christianis seruis id iure statutum est, vt statim dicemus; & ego ità credo; si sermo sit de seruis nondum christianis, qui studio religionis dominos hæreticos denunciant, non verò de cathecumenis; de his enim existimo veram esse opinionem Molinæ & Azoris, & ducor quia in lege *Manichæos 4. C.1. de hæreticis. & in l. vnica C. Ne christianum mancipium*, sancitur vt christiani serui eo ipso quod sint alicuius Iudæi, Pagani, aut hæretici, libertate donentur, etsi ipsi serui sint infideles, & velint transire ad religionē Christianam, eo ipso quòd baptismum susceperint, liberi fiant, quam libertatem non amittant, etiamsi domini postea christiani fiant. In quo expressè habemus solos eos alicuius infidelis seruos qui nondum christiani sunt, libertate donari, qui voluerint ad religionem christianam transire, & facto baptismum susceperint. Cum ergo catechumeni velint transire ad religionem & se præparent ad baptismum, id sufficiet, vt prædictam libertatem consequantur, vbi primùm baptizati fuerint.

His præmissis veniamus ad quæstionē propositam. An christiana mancipia eorum, qui in tribu- 15. nali sanctæ Inquisitionis de hæresi, & apostasia à fide damnantur, ipso iure libertatem acquirant. Qua de re partitur opinio; vtraque probabilis. Quidam censent non acquirere, sed ad fiscum pertinere. Ita Ioannes Andreas *cap. 2. num. 5. ad* Ioan. And. *finem de hæret. in 6.* & ibi Dominicus *in fine.* Ana- Dominic. nia *capite finali de hæreticis num. 4.* & ibi Maria- Amanias. nus, Socinus, & Geminianus, & Perusinus in Marianus. Capite *Quicumque §. illorum. eodem titulo de hæret.* Socin. *in 6.* Olim id tenuerunt nonnulli iurisperiti Lu- Geminian. sitani, qui tempore Regis Sebastiani conuenere Perusin. ad iudicium de hac re ferendum, vt refert Molina *dicto tom.1. de iust. disp. 40.* Fundamentum primum huius sententiæ est, quia nullibi in iure expressè illis libertas conceditur: neque enim vllus reperitur textus in iure canonico, aut ciuili, in quo expressè illis talis libertas concedatur. Secundum (& fuit fundamentum iurisperitorum Lusitanorum) quia stando in iure communi Cæsareo, licet in l. *Deo nobis. §. His ita. C. de Episc. & cleric. & in l. vnica. C. Ne christianum mancipium*; & *in l. Manichæos. C. de hæret.* Christiana mancipia libertate donentur, quando illorum domini sunt hæretici, & licet in cap. vltimo *de Iudæis, & Saracenis*, & in cap. *Mancipia*, & in cap. *Fraternitatem. 54. dist.* mancipia Iudæorum, qui temporali Ecclesiæ dominio sunt subiecti, sint ipso facto libera, tamen, inquiunt, in lege, *Deo nobis*, & in lege. *Ne christianum mancipium*, sermo est de hæreticis, qui publicè in sua hæresi viuere, & publica habere conuenticula permittebantur, qualiter hodie in aliquibus prouinciis permittuntur. Et verò ratio ob quam tunc statutum est, vt illorum christiana mancipia libertate donarentur, fuit, quia periculum erat, ne inter eos peruerterentur; at verò cum hæretici, & apostatæ in suo errore, viuere in Hispania & Lusitania non permittantur, statimque ac in illo deprehenduntur, omnia ipsorum bona post latam sententiam publicentur, efficitur vt ratio illius legis in his mancipiis cesset.

&

& hæretici nostri in eorum numero, de quibus in ea lege agitur, non comprehendantur. Ad legem *Manichæos* respondent, legem illam solùm habuisse locum in mancipiis Manichæorum, & Donastiratum de quibus solùm in ea lege est sermo, cum iam hodie nulli tales hæretici extent; & insuper respondent, neque his seruis borum hæreticorum donari libertatem, sed solum in ea statui extra noxam eos esse, si dominium sacrilegum deuitantes ad Ecclesiam catholicam, & seruitium fidelium transierint: quia tamen addunt; glossa Acursij, verba illa *extra noxam sint* explicat, *liberi sint*; plerique crediderunt ea lege libertatem huiusmodi seruis constitui, cum tamen verbum *Noxa* nunquam in lingua Latina seruitutem significet, quasi cos esse extra noxam, sit esse à seruitute liberos; sed significat, vel culpam; vel pœnam. Quare sensus est, à culpa, & pœna dominorum sint liberi. Ad iura canonica respondent ea iura solùm loqui de christianis mancipiis illorum Iudæorum, qui in terris christianorum in synagogis permissis viuunt, & nondum baptismum susceperunt; quales hodie sunt multi Romæ, Venetiis, & alibi, quare sine probabilitate extenduntur, inquiunt, ad christiana mancipia, eorum hæreticorum hebræi sanguinis, qui post baptismum inter nos ad Iudaismum iterum deficiunt; hi namque in iure non iam sub titulo de Iudæis, & Saracenis, sub titulo de hæreticis, & apostatis comprehenduntur. Sub hoc autem titulo nullibi in iure canonico reperitur textus, qui illorum seruis christianis tribuat libertatem.

16. Nihilominus secunda sententia, quæ asserit christiana mancipia hæreticorum, & Iudæorum, qui in tribunali Inquisitionis de hæresi, & apostasia à fide per sententiam damnantur, statim post eam sententiam libera esse, ac manere spectato iure probabilior est; licet alia probabilis etiam sit, vt dixi, quod egregiè probatur ex iuribus allegatis ex lege, scilicet *Deo nobis §. His ita C. de Episc. & cler.* & ex lege *vnica. C. Ne Christianum mancipium*; & ex lege *Manichæos. in fine. C. de hæreticis*, & ita explicar illum glossa ibi verbo, *extra noxam*, & ex capite finali *de hæreticis*, in quo omnes obligati hæreticis declarantur absoluti à debito fidelitatis, & dominij. Nec obstat si dicas inde tantum colligi, eos seruos christianos liberos manere à dominorum obsequio & seruitio, quia transeunt in obsequium & seruitium fisci; non tamen manere absolutè libertate donatos, sicut serius non christianis contingit; hæc enim solutio insufficiens omnino est; & ad rem non pertinens, vt statim ex dicendis patebit, & ita docent expressè Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 24. num. 10.* Mol. *tom. 1. de iust. disput 40.* Castro *lib. 2. de iusta heret. punit. cap. 7.* Simancas *de cathol. inst. tit. 61. num. 8. & titulo 61. num. 8. & tit. 9. num. 96.* Peña *in directorio Inquisitorum 3. part. quæst. 119. commento 168.* vbi instructionem quandam Hispalensem affert, quam refert etiam Molina Regis Ferdinandi, & Isabellæ, in qua hoc deciditur. Azor *tom. 1. lib. 8. inst. moral. cap. 12. q. 7. & lib. 3. cap. 7. q. 8.* Decius *in sua practica lib. 5. cap. 44. num. 22.* Vasquez *1. 2. quæst. 96. art. 5. disput. 169. cap. 2. num. 19. versu 12. & disput. 171. cap. 3. num. 15.* Suarez *de fide disp. 22. sect. 5. n. 6.* Probatur, & refutantur simul solutiones ad prædicta iura allatæ à doctoribus Lusitanis, qui olim consulti à Rege Sebastiano fuerunt, vt iudicium de hoc negotio ferrent.

Sanchez. Molina. Castro. Simanc.

Peña.

Azor. Decius. Vasq. Suarez.

Primò, quia in iure ciuili, & lege, *Deo nobis*, & in lege, *Ne christiana mancipia*, citatis, vniuersim sermo est de Christianis mancipiis hæreticorum nulla facta limitatione de illis tantùm hæreticis, qui viuere cum suis bonis publicè permittuntur, vt volebant iurisconsulti Lusitani, de quibus egimus *num. 15.* nam etiamsi non permittantur publicè in suis erroribus viuere; hoc tamen non tollit quin priuilegium illud christianorum mancipiorum in fidei & libertatis fauorem introductum, integrum maneat, & extendatur etiam ad christiana mancipia hæreticorum occultorum, qui non permittuntur publicè viuere in hæresi, si de illa damnantur, cum adhuc in fidei fauorem cedat, nam ea esca allecti serui infideles spe libertatis in eo euentu assequendæ, facilius conuertentur ad fidem; vel in ea perseuerabunt, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Deinde, quia in dubio in fauorem fidei est inclinandum. Quare licet verba legis dubia essent, cum tamen reuera non sint; contrarium eius quod affirmamus, dici non potest. Confirmatur, quia leges confiscationis, & publicationis bonorum non fiunt gratia ditandi Principes, neque minuendi fauorem, & priuilegia fidei, ac libertatis; sed solùm ad coercendos, & magis puniendos hæreticos Consequens ergo est, vt non obstantibus legibus confiscationis, omnia christiana hæreticorum mancipia, siue hæretici publicè viuere permittantur, siue non permittantur, post latam damnationis sententiam libertatem consequantur. 17.

Secundò quia lex *Manichæos 4. C. de hæreticis*. lata fuit ab Imperatore Theodosio, & ex vi illius vsque adeo mancipia & alia bona hæreticorum confiscabantur, vt neque filij in eis succederent, nisi christiani fierent; & eadem lege, nihil confiscatione impediente concedebatur libertas mancipiis infidelibus, si vellent ad religionem christianam transire. Vnde constat ex ipsamet lege & iure Cæsareo non solùm mancipia christiana; sed etiam ea quæ erant infidelia si vellent ad fidem transire, non confiscari, sed libertate donari. Post legem verò *Manichæos* ab Imperatore Theodosio latam, Iustinianus, qui posterior illo fuit, tulit legem *Deo nobis*, de qua est controuersia, quæ sanè minimè abrogauit legem confiscationis à Theodosio latam, imò supponit illam & legem vnicam. *C. Ne christiana mancipia.* à Constantino latam in *§. His ita*; sic enim asserit *Repetita lege iubemus*, &c. quo fit, vt quæ in ea sancita sunt, intelligenda etiam sint de christianis mancipiis eorum hæreticorum, quorum bona publicabantur à fisco. 18.

Tertiò, quia quamuis in lege *Manichæos*, de solis hæreticis Manichæis, & Donatistis sermo sit, tamen eadem est ratio de cæteris hæreticis, nam rationes quæ in ea lege redduntur, etiam in nostros hæreticos quadrant, neque solùm glossa Accursij verba illa *extra noxam sint*, de seruitute exposiut; sed etiam communes DD. sententias semper illa ita interpretata est, imò in ea lege ea verba *extra noxam*, non solùm significant seruitutem; sed etiam pœnam, quasi diceret legislator volens sensum legis breuissimis verbis complecti; mancipia verò christiana extra seruitutem & pœnam sint, sicut sunt extra dominorum culpam hæreticorum. Et certè in iure Lusitano statutum est *lib. 2. ord. tit. 5.* in veteribus, & in nouis nihil innouatur, vt in hoc regno glossæ Acursij stetur, quando nec communi Doctorum 19.

ctorum opinioni contrariæ sunt, nec lex, aut consuetudo regni legitimè præscripta contrarium præscribunt.

20. Quartò, quia quamuis in iure canonico in capite vltimo, *de Iudæis, & Saracenis.* & in cap. *Mancipia,* & in cap. *Fraternitatem.* 54. *dist.* sermo solùm sit de mancipiis Iudæorum, qui baptismum non susceperunt; nihilominus mens illorum, qui hæc iura condiderunt, non fuit, vt si ipsi Iudæi, & Saraceni baptismum suscepissent, & postea ad Iudaismum & Saracenismum defecissent, aut fictè baptizarentur, eorum mancipia christiana in captiuitate, & seruitute manerent; sed potius fuit, vt in fidei fauorem, libertate potirentur, præsertim cum illos suscepisse baptismum, non tollat eos verè Iudæos esse, vt antea erant, nec minuat, sed augeat eorum infidelitatis culpam: tales autem sunt quotquot in Hispania & Lusitania ob crimen infidelitatis, & apostasiæ de Iudaismo damnantur. Accedit, Gregorium Magnum, cuius duæ illæ sunt decretales capitis, *Mancipia,* & capitis, *Fraternitatem* 54. *dist.* & Gregorium IX. cuius est caput vltimum, *de Iudæis, & Saracenis,* secutos fuisse in sanctione huius iuris leges ciuiles, præsertim legem *Deo nobis* Constat autem christiana mancipia apostatantium à fide in lege, *Deo nobis.* §. *His autem. C. de Episcop. & clericis* comprehendi.

21. Neque obstat, si dicant iura ciuilia Imperatorum fortassis, quoad hoc punctum nunquam fuisse admissa in hoc regno. Et quòd in Lusitania ante Regem Sebastianum semper fuerit in vsu, & consuetudine confiscari prædicta mancipia christiana eorum hæreticorum, & Iudæorum, qui post baptismum à fide defecerunt; nam id forte fuit, quia redditus fisci sub publicanis ex genere Hebræorum erant; postea verò statim ac sub publicanis non fuerunt, & iterum ad Regem fiscus rediit, cæpit dubitari de iure huius confiscationis, nec contra libertatem vllo vnquam tempore præscribi potuit. Sed dicent aduersarij hic non præscribi contra libertatem immediatè; sed contra ius, ac leges positiuas, quæ fauorem libertatis seruis christianis concedunt, & quamuis directè contra libertatem præscribi nunquam possit, posse tamen mediatè, & contra hoc ius positiuum præscribi; quia talis præscriptio non præiudicat directè libertati, quasi per eam homo liber capiatur in seruum. Nam cum iura communia ciuilia, de quibus est sermo, libertatem seruis hæreticorum tribuentia, antiquissima sint, & non solùm totum ius canonicum, sed etiam ciuile in quantum iuri & consuetudinibus huius regni Lusitaniæ non repugnat, ab Emanuele Lusitaniæ Rege receptum fuerit, vt constat ex Ord. antiquis *lib.* 2. *tit.* 5. non video qua ratione affirmare possint contrarij auctores ea iura in hoc regno Lusitaniæ non fuisse recepta. Si qua ergo contraria consuetudo in hoc regno est, ea cœpit à tempore, quo cœpit tribunal sanctæ Inquisitionis; antea enim, vel rarissimè, vel nunquam fortasse se obtulit occasio hac de re deliberandi, licet verè iam hodie præcesserint ferè sexaginta anni, & in tempore Molinæ quadraginta, quo tribunal sanctæ Inquisitionis fuerit erectum; quod tempus sufficiens est ad præscribendum aduersus leges etiam canonicas. Tamen videndum est an dubia, quæ ante hos 40. annos hac de re emerserunt, impedimento fuerint ad præscribendum; si tamen praxis in tribunali sanctæ Inquisitionis alicubi aliud obtinuerit, id seruetur; quia cum in hoc tribunali viri sint doctissimi, credendum est illos rem priùs diligenter examinasse, quàm talem praxim introduxerint.

Ex hac secunda opinione infertur primò, hæreticum cui beneficio Principis, aut dominorum Inquisitorum intra gratiæ tempus ad fidem redeunti, bona sua donantur, non posse seruorum christianorum dominium iterum recuperare, eo quod libertas semel acquisita reuocari non possit. Vt patet ex *l.* 1. & 2. *C. si aduersus libertatem.* & ita docet Simancas *de cathol. inst. tit.* 61. *num* 9. Molin. *tom.* 1. *de iust. disp.* 40. Peña *in directorio Inquisitorum* 3. *part. quæst.* 119. *comm.* 168. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 12. 22.

Simanc. Molina. Peña. Sanchez.

Infertur secundò, seruos christianos comparare libertatem à tempore hæresis dominorum. Vnde deducitur, si vir post matrimonium in hæresim labatur, & attulerit ipse tempore matrimonij secum mancipium, si habeat aliunde bona ex quibus arrhas, dotem, & bona paraphernalia soluat vxori, mancipium manere liberum; quia dominus est hæreticus, & à puncto hæresis domini libertatem consecutum est; si verò dominus non habeat aliunde bona, vnde hæc soluat vxori, non manere liberum donec vel ipse, vel alius pro eo sui æstimationem soluat. Ratio est, quia omnia bona viri erant hypothecata pro his vxoris bonis, vt tradunt communiter DD. Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 7. *num.* 2. & patet ex lege 17. *tit.* 11. *part.* 4. & cum hæc hypotheca ante hæresim contracta sit; præferenda est libertati. Item, quia amissio bonorum hæretici non debet aliis innocentibus damnosa esse; sed ius suum est omnibus reddendum; vnde cum ante hæresim domini, vxor iam habuerit illum in huiusmodi seruum, non debet illud amittere, & ita docet Simancas *de cathol. inst. tit.* 9. *num.* 64. Castillo *l.* 77. *Tauri, num.* 10. *versu Quæro pro istius.* Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 17. 23.

Simanc. Sanchez.

Et idem dicendum est vbi mariti bona essent ante hæresim aliis hypothecata. Cum enim hypotheca hæc sit ante hæresim, præferenda illa est fisco, vt patet & docet Sanchez modò allegatus. 24.

Infertur tertiò, quando vxor attulit seruum, & post matrimonium facta est ipsa hæretica, distinguendum esse; nam vel illum attulit in bonis paraphernalibus, vel constante matrimonio, ante hæresim suam, hæreditate, legato, aut dono illum acquisiuit, & in omnibus his casibus manet liber, in omnibus enim amisit dominium illius; vel illum attulit in dotem, & tunc quidem si dos æstimata non fuit; itavt serui illius venditio facta non fuerit, si vir est hæreticus, non manet seruus liber; manet autem liber si vxor est hæretica. Et ratio est, quia tunc dominium serui, non est viri, sed vxoris, & improprie, ac fictione iuris dicitur vir dominus illius ad eos solos effectus, quos ius explicat l. *in rebus. C. de iur. dotium.* Et quamuis daremus (quod multi facilè concedunt) virum esse dominum huius dotis, id non obstaret huic sententiæ; nam talis est dominus, vt neque per contractum, neque per delictum vllo modo illam possit alienare, sed eandem semper specie reddere tenetur, vt bene docet Antonius Gomez *l.* 50. *Tauri num.* 42. quem sequitur Sanchez allegatus *dict. num.* 18. si verò dos fuit æstimata æstimatione venditionis, & vir habet alia bona vnde eam soluere possit, estque ipse hæreticus; manet seruus liber, quia tunc vir est dominus illius serui. 25.

Sanchez. Ant. Gom.

serui. E contra si sola vxor esset in hoc casu hæretica, non manebit seruus liber, quia ipsa eius serui dominium non habebat, sed vir. Ita Anton. Gom. *l.40. Tauri, num.4.*

26. Si verò vir non habet alia bona vnde dotem soluat, & ipse sit hæreticus, non manebit seruus liber. Constat ex dictis in præcedentibus, quæ à fortiori locum habent in hoc casu, cum vxor dominium vtile & subsidiarium habeat, quando dos æstimata non fuit in specie, & ideo potest illam vxor vendicare, & præfertur in illa quibuscumque viri creditoribus l. *In rebus. C. de iure dotium.* docet Couarruuias *in practicis quæstionibus cap. 28. num.8.* [Couar.] Si verò seruus, vel alius pro eo pretium offerat in quo æstimatus in dote fuit, manebit liber, quia reuera dominium erat viri, & tantùm erat vxoris in subsidium & defectum bonorum, vnde solueretur sibi dos; quare sicut tertius cui vir seruum vendidisset, satisfaceret vxori volenti seruum vendicare ex defectu bonorum viri, offerendo illi æstimationem; sic & seruus; quia sicut ille tertius, qui seruum emerat, est creditor viri, sic seruus respectu libertatis. At si in hoc casu vxor esset hæretica, non manet seruus liber, quia reuera non habebat dominium directum illius serui; sed vtile, & subsidiarium. Hæc quia ad nostrum institutum parum conferunt, satis sint. Vide Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 24 à num. 13. vsque 23.* [Sanchez.]

Capvt XXV.

Qui hæretici pœna mortis afficiendi sint, & quando. Agitur de relapsis, de dogmatistis, & de Curiæ sæculari dimissis. Quæritur an hi si conuerti voluerint, iure sint recipiendi?

SVMMARIVM.

Recensentur varij hæreticorum gradus. num.1.

Hæretici pertinaces qui post baptismum in suo errore permanent, & nolunt conuerti, pœna mortis iure puniuntur. num.2.

An viui sint comburendi. num.3.

Hæreticus negatiuus legitimè conuictus; qui affirmat se nunquam fuisse hæreticum, & velle in fide Christi mori, qua morte puniendus. num.4.

Referuntur aliqui censentes hos non esse morte afficiendos. num.5.

Quid de hæreticis conuictis diminutis. num.6.

An ille, qui confitetur proprios errores, & tacet omnes complices, aut aliquos illorum, pœnam mortis mereatur. num.7.

Quid de hæreticis relapsis. num.8.

Quid si prius de vehementi quis abiurauit, & postea in eandem hæresim abiuratam relapsus est. num 9.

An sit relapsus ille, & pœna mortis afficiendus, qui hæresim vnius articuli tantum abiurauit, & postea in aliam alterius articuli relabitur. num. 10. & 11.

An censendus sit relapsus ille qui de leui abiurauit. num.12.

Quid de relapsis non in hæresim, sed in crimen fautoria. num.13. & 14.

Quid de illis qui leuiter tantùm hæreticis fauent, si in idem crimen reincidant. num.15.

Quid si sæpe in idem crimen fautoriæ relabantur. num.16.

Quid de dogmatistis? Refertur prima sententia, asserens ad pœnitentiam cum vita admittendos esse; si verè conuerti voluerint. num.17.

Præfertur opinio asserens Curiæ sæculari esse tradendos. num.18.

Referuntur varij gradus dogmatizantium, & quæritur, an aliqui admittendi sint, si verè conuertantur. num.19.20.21.

An relapsis, si conuertantur, neganda sint sacramenta. num.22.

Quid de hæreticis non relapsis, qui ante sententiam latam conuertuntur. num.23.

Quid si conuertantur post latam, & intimatam sententiam. à num.24. vsque ad 29.

Dictvm est de potestate Ecclesiæ ad puniendum hæreticos, sequitur, vt dicamus qui hæretici, & quando pœna mortis afficiendi sint; sunt enim varij hæreticorum gradus, nam quidam sunt hæresiarchæ, alij magistri seu dogmatistæ, alij discipuli, seu addiscentes, illisque credentes. Deinde quidam sunt lapsi simpliciter, alij relapsi, qui post abiuratam hæresim solemniter, iterum ad vomitum illius relapsi sunt. Quidam sunt pertinaces, qui post sufficientem instructionem, & admonitionem à iudicibus etiam fidei factam, in suis erroribus perseuerant. Alij sunt qui se catholicos profitentur, sunt tamen impœnitentes, ac proinde ita de sua conuersione suspecti, vt ficti præsumantur, & tales sunt illi, qui negant delictum hæresis, de quo conuicti sunt; vel etiam qui illud confitentur, sunt tamen in sua confessione diminuti, quia vel non omnes errores, de quibus conuicti sunt confitentur, vel non omnes complices, de quibus aliunde iam satis constat, declarare nolunt. Alij verò sunt sufficienter pœnitentes, & ad fidem conuersi quantum ex signis, & confessione illorum colligi potest. Inquirimus ergo in capite præsenti, quinam illorum pœna mortis iure afficiantur. 1.

Statuo primò. Hæretici baptizati, qui post sufficientem instructionem & admonitionem Ecclesiæ in suo errore perseuerant, & pertinaces sunt, noluntque conuerti, sed in suo errore permanere, & id palam affirmant, pœna mortis irremissibiliter sunt puniendi. Patet manifestè ex iure canonico *in capite, ad abolendam.* & capite, *Excommunicamus.* cum aliis *de hæret. in 6.* & ex l. *Quicumque. C. de hæret.* & l. *Inconsutilem*, & in l. *Commissis*, quæ est in fine directorij pag. 16. editionis anni 1578. docet Castro *lib. 1. de iusta hæret. punit. verbo, Hæretici, & verbo, Pertinax.* Iulius Clarus *lib. 5. §. Hæresis,* Simancas *de cathol. inst. tit. 16. num. 50.* Rojas *tract. de hæret. part. 2. assert. 30.* Couarr. *lib. 2. var. cap. 10. num. 10.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 13. §. vltima pœna.* Suar. *de fide, disp. 23. sect. 2.* vbi multos refert. Ratio est, quia hi sunt hæretici in supremo gradu, vt sic dicam & sunt incorrigibiles, ideoque nulla est de illis spes. Ergo non est cur pœna condigna differatur, nam vt ait Symmacus Papa *capite in Canonibus 17. quæst. 1. ferro abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt;* & similia habentur 24. *quæst.* 3. per plura capita; & Plato *lib. 9. de legibus*, ita ait. *Quos legislator insanabiles sentit, hos vltimo supplicio afficit, non* 2. [Leges. Castro. Iul.Clar. Simanc. Rojas. Couar. Azor. Suarez. Sym.Pap. Plato.]

ignorans istis melius esse mori, quàm viuere.

3. Et licet in iure non decernatur, quo genere
mortis affici debeant, tamen consuetudo Eccle-
siæ habet vt viui comburantur. Quod probat,
& ostendit D. Greg. *lib. 1. dialog. cap.* 4. & exem-
plum huius rei habemus in concilio Constan-
tiensi, in quo ossa Ioannis Vuichephi concrema-
ta, & Hieronymus Praga de suis erroribus con-
uictus, & nolens illos reuocare, viuus ambu-
stus fuit. Aliud exemplum antiquius sumi po-
test ex 4. Reg 23. vbi Iosias Rex ossa Sacerdo-
tum Baal hæreticorum illius temporis combussit,
& nonnulli auctores hoc volunt colligere ex il-
lo Ioannis 15. *Si quis in me non manserit, colligent
eum, & in ignem mittent*; sed hoc per quandam
accommodationem dictum, credo, quia huius
pœnæ determinatio non tam ex iure scripto,
quàm ex consuetudine introducta est. quod de
legibus in corpore iuris contentis intelligendum
est, nam extra corpus iuris in dicta lege Friderici
Inconsutilem expressè decernitur, vt isti viui com-
burantur; quod acceptauit Ecclesia & ita in vsu
Villa Diego. seruatur. Ita docet Villa Diego *tract de heret.*
Farinac. *quæst.* 15. *num.* 4. Farinac. *de heresi quæst.* 18. *num.* 4.
Arbor. Arbor. *lib.* 8. *Theosophia cap* 9 *in 2 part* idem as-
serit, vbi multos Patres refert, & Suar. *de fide di-*
Suarez. *sput.* 23. *sect.* 2. *num.* 4. & latè & eruditè Santarel.
Santarel. *de heresi cap.* 27. *dubio vnic per totum.*

4. Statuo secundò. Si hæreticus negatiuus ple-
nè, perfectéque de hæresi, & de complicibus,
quos in illa habuit, conuictus nihilominus affir-
met, se omni tempore catholicum fuisse & esse,
& in fide orthodoxa viuere ac mori velle prote-
stetur, comburendus quidem est, non tamen vi-
uus, sed mortuus, & protestatio nihil ei ad eua-
Rojas. dendam mortis pœnam proderit. Ita Rojas 2. *part.
de heret. assert.* 10 Decisio Rotæ 87. in antiquis
Calderin. incipit *Accusatum de heresi*: Calderinus *consil.* 2.
Alberic. *titulo de heret. num.* 53. Albericus *de agnosc. assert.*
quæst. 8. *num* 7. & *quæst.* 12 *num.* 9. & *quæst* 29.
Suarez. *num* 14 Suar *de fide disp* 23. *sect.* 2. *num* 5. & 6.
Rebuff. Rebufus *in practica beneficiali fol.* 469. *num.* 20.
Simanc. Simancas *de catho instit. tit* 47 *n.* 20. Patet ex cap.
ad Abolendam in principio *de heret. in* 6. & cap. *su-
per quibusdam de verb sig*: & cap *Conuenientibus*,
& cap. *Quæties* 1. *q.* 7. & similibus, quatenus di-
cunt confessum, vel conuictum de hæresi, nisi
resipiscat, & paratus sit satisfacere Ecclesiæ, esse
curiæ sæculari relaxandum: nam hic verè per te-
stes conuictus est, & non est paratus Ecclesiæ
satisfacere, quia non vult delictum agnoscere.
Ergo sub illa pœna comprehenditur. Secundò,
quia tales probati sunt hæretici, & non osten-
dunt pœnitentiam, nec retractationem erroris.
Ergo meritò puniuntur pœna eorum, qui in hæ-
resi perseuerant, & in eis eadem species pœnæ
ignis seruatur, licet non comburantur viui; cum
enim se ostendant pœnitentes, non sunt in eo
animæ periculo constituendi, & ideo prius resti
strangulati, postea comburuntur; vt habet com-
munis consuetudo.

5. Hæc resolutio est contra Nicolaum Boërium
decisione 341. Incipit, *Et ista quæstio*: qui nimis
audacter affirmat hanc opinioné esse nimis rigo-
rosam, & dominos iudices de Rota iura, quæ
ipse allegat, non vidisse. Cum illo consentit Iu-
Iul. Cla. lius Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *heresis, num.* 10. *versu, &
nota in hoc proposito, in fine.* vbi asserit semper sibi
fuisse visam hanc opinionem rigorosam, *quia non
video*, inquit, *quomodo iste possit dici hereticus cum
non sit pertinax in errore, me tamen*, inquit, *subii-
cio iudicio sanctæ Matris Ecclesiæ.* Sed quidquid
ille dicat, non est dubitandum eos esse impœni-
tentes, & pertinaces. Et confirmatur, quia hi non
possunt reconciliari Ecclesiæ, neque absolui,
cum sine confessione non sit absolutio. Ergo
neque sunt in Ecclesia tolerandi, & in hoc sunt
peioris conditionis, quàm relapsi pœnitentes;
huiusmodi enim relapsis danda sunt sacramenta,
vt statim dicemus, illis verò dari non possunt,
quia se indispositos ostendunt, vt docet Suarez, Suarez.
disp 23. *sect.* 2. *num.* 5. *fine.*

Hæc secunda conclusio habet locum non so- 6.
lùm in his qui negant omnes errores quos com-
miserunt; sed etiam in illis, qui diminuti sunt,
quosdam confitendo, & aliquos tacendo, dum-
modo de illis etiam conuicti sint. Imo & in iis
etiam locum habet, qui licet omnes & singulos
proprios errores confiteantur, negant tamen, &
nolunt detegere suos complices. Ita docet ex-
pressè Suarez *de fide disp.* 23. *sect.* 5. *num.* 6. & ita Suarez.
prorsus habet communis praxis dominorum In-
quisitorum in hoc regno Lusitaniæ. Et ratio est,
quia vnus error constituit hæreticum, & perti-
nacem, si in illo sit contumax, etiamsi alios quis.
abiuret, & confessio diminuta non est vera con-
fessio. Deinde, quia ille, qui confitetur sua deli-
cta; & non vult confiteri delicta suorum com-
plicum, nec complices vult detegere, est verè oc-
cultor hæreticorum, & fautor hæresis, & fouet
errores aliorum, & agit contra debitum suum in
causa fidei, & ideo meritò iudicatur fictè con-
uersus.

Nec placet opinio Rojas 2. *part. de hereticis* 7.
num. 240. negans illum, qui confitetur proprios Rojas.
errores, & non detegit complices suos, non esse
habendum pro impœnitente, nec relaxandum
tradendumque curiæ sæculari, ex eo fundamento
quod non est credendum illum, qui sua delicta
ingenuè & palam fatetur, velle tenere aliena, &
qui se detegit, velle alios occultare. Verùm ra-
tio nostra præualet, & opinio Rojas solum ha-
bere locum poterit in illo, qui per confessionem
suorum complicum non esset conuictus; sed so-
lùm de illo esset aliqua suspicio, & hoc tantùm
probat motiuum illius, vt consideranti patebit.

Statuo tertiò. Hæretici relapsi, si verè pœni- 8.
tentes sint, absque remissione, comburendi sunt
non tamen viui, sed prius resti strangulati; si ve-
rò pertinaces fuerint viui comburendi sunt. ita
enim habet consuetudo. Patet expressè ex cap.
Accusatus, & capite, *super eo de heret. in* 6. & de
hoc est expressa lex Commissis Friderici, & ita
docent communiter DD. & consuetudo ostẽdit;
Repertorium Inquisitor verbo, *Pœna*, & verbo
Comburi, & Peña *commentario* 65. 2. *part.* & *in* 3. Peña.
commento 89. & 92. Farinacius *de heresi quæst.* 193. Farinac.
num. 32. vbi plures allegat. Suarez *de fide disp.* Suarez.
23. *sect.* 2. *num.* 7. & ratio est, quia relapsi etiam
censentur incorrigibiles, & moraliter loquendo
nulla de illis sperari potest emendatio, sed potius
iustè timeri potest ne aliis noceant.

Hæc conclusio est indubitata, quando hære- 9.
ticus in eundem errorem relapsus est, quem an-
tea eiurauit, etiamsi non fuerit de illo plenè con-
uictus, sed de vehementi abiurauerit, vt expres-
sè habetur in dicto capite, *Accusatus* §. *Cum verò*
de heret. in 6. & docet idem Suar. allegatus *n.* 7. Suarez.
& Peña *in* 2. *part. director. lib.* 2. *com.* 64. *versu.* Peña.
Quartus casus. & Paul Gryl. *tract. de heret, q.* 10. Paul. Gryll.
num. 1. & plurimi alij. Et ratio est, quia quando
quis abiurauit de vehementi, eo quod de illius

hæresi verè non constabat, si postea cum hæreticis communicet in errore, & in hac secunda communicatione deprehendatur, per illam censetur declarare animum hæreticum, quem antea habuit, & hæresim in qua fuit, quando prima vice fuit deprehensus, semperque in ea præsumitur cõtinuasse vsque ad secundam deprehensionem, quæ præsumptio cum sit iuris, & de iure, non admittit probationem in contrarium, vt docent Grillandus, & Peña allegati, & notant DD. in capite. *Afferte. de Præsumpt.* Item est certa & indubitata, quando prius eiurauit omnes errores fidei contrarios, & postea in aliquem incidit.

Grilland. Peña.

10. Aliqua tamen dubitatio est, an sit relapsus iudicandus in ordine ad eandem mortis pœnam, ille qui vnam tantùm hæresim commissam contra vnum articulum abiurauit, & postea in aliam hæresim contra alium incidit, nam in hoc puncto paritæ sunt opiniones. Prima negat, eam tenet Glossa & Ioannes Andr. in dicto capite *Accusatus*; & illam sequitur Eymiricus 2. *part. directorij quæst* 40. Secunda affirmat, hanc tenet Archidiaconus in eodem capite *Accusatus*, & sequitur Zanchinus *cap.* 16. & Villadiego *de hæresi quæst.* 20. doctè tamen admonet Peña hanc quæstionem in praxi non esse necessariam; quia in praxi communis consuetudo habet, vt fiat abiuratio generalis omnium errorum; si tamen casus contigerit, posterior opinio magnam habet probabilitatem. Primò, quia hæreses circa diuersas materias in ratione culpæ numero tantùm differunt, quæ sola distinctio non tollit reincidentiam, & incorrigibilitatem circa idem crimen. Secundò, quia licet abiuratio vnius hæresis formaliter sit specialis, virtualiter est generalis, videlicet non recedendi ab Ecclesia, nec contra illius auctoritatem sentiendi, nam hoc est quod formaliter abiuratur, & in hoc conueniunt omnes hæreses argumento capitis, *Excommunicamus 2 de hæret. in 6* sicut è contrario fides vnius articuli est virtualis fides omnium.

Gloss. Ioann And. Eymiric. Archid. Zanchin. Villa Dieg. Peña.

11. Prima tamen opinio considerato iure canonico, cui semper stãdum est, est probabilior. Probatur, quia non sine causa in dicto capite, *Accusatus de hæret.* initio ponitur illa conditio. *Si postea commiserit in ipsa, censeri debet quadam iuris fictione relapsus*, id est, in ipsa hæresi quam abiurauit, & non in alia. & in §. primo. *Eum verò qui in vna hæresis specie, vel secta commiserit, aut in vno fidei articulo errauit, & postmodum hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit, si ex tunc in aliam etiam hæresis speciem, aut in alio articulo, seu sacramento committat, volumus, vt relapsum in hæresim iudicari*: vbi prius dicitur si simpliciter, & generaliter abiurauit, quasi vellet dicere; nam si solùm abiurauit vnum articulum in particulari, aut vnum errorem, & postea in alium incidat, nolumus eum relapsum iudicari, & ita explicat ibi glossa verbo, *simpliciter*, ibi; *per hæc verba puto, quod si abiurasset, in illo capitulo licet laberetur in alio; non diceretur relapsus*; & ita docet etiam Suarez *de fide disp.* 23. *sect.* 2. *num.* 8. *fine.*

Suarez.

12. Notabis autem in prædicto capite, *Accusatus de hæreticis in 6.* dici illum, qui abiurauit tanquam de vehementi, suspectum esse verè relapsum, si postea in hæresim incidat propter rationem quam *num.* 9. assignauimus: quæ verba notatu sunt digna, quibus apertissimè refellitur opinio Ancharrani ad prædictum caput, *Accusatus. notabili* 6. & Afflictis *in const. Ciciliæ tit.* 2. *col.* 8. asserentium, eum etiam censendum esse relapsum, qui de leui abiurauit, & postea constitit de illo crimine, de quo antea leuiter tantùm erat suspectus, & consequenter relapsorum pœna plectendum, quæ opinio est omnino falsa, neq; vsquã est decreta, neque vnquam recepta, & misericordiam excludit à sacro tribunali sancti Officij, neq; vllam differẽtiam admittit inter abiurationẽ de leui, & vehementi, quod apertissimè aduersatur textui prædicti capitis, *Accusatus.* §. 1. *versu. si autem leuis. de hæret. in* 6. quamobrem meritò eam damnant, reiiciunt, ac confutant Peña 2. *part direct. schol.* 64. *versu. Vel potest.* Rojas *sing.* 1. *num.* 26. *in fine.* Simancas *de cathol. inst. titulo* 1. *num.* 9. & 20. Eymiricus 2. *part. directorij* citatus à Peña, & alij communiter.

Anchar. Matth. Affl.

Peña. Rojas. Simanc. Eymir.

Sed quid si quis relapsus sit non in hæresim, sed in crimen fautoris hæreticorum; quia v. g. fautoriam, vt aiunt, abiurauit, & postea in eandem abiuratam relabitur. Planè hæc quæstio olim adeo difficilis fuit, vt Campegius apud Zanchinum *tract. de hæresi cap.* 17. post Eymiricum in directorio, quem citat, asserat de illa consulẽdum esse Summum Pontificem Sed breuiter respondeo cum Peña *dicta* 2. *part. directorij lib.* 2. *schol.* 64. *versu Quidam verò.* Si simul cum fauore præstito hæreticis vel cum impedimento sancti Officij, abiurauit aliquos errores, vel hæresim, & postea in eundem fauorem vel alium diuersum relabatur, is quidem relapsus erit iudicandus; nam talis proculdubio comprehenditur in dispositione textus in capite, *Accusatus* §. *Ille quoque. de hæret. in* 6. neque de hoc puncto vlla potest esse iusta dubitatio, quare is sine misericordia, sæculari curiæ etiam si velit conuerti, tradendus est; si verò solum fauorem hæreticorum, aut impedimentum officij sanctæ Inquisitionis absque vllo alio errore, aut hæresi quod fieri potest, abiurauit, tutior opinio docet eum non esse pro relapso habendum, nec rigorosa pœna capitis plectendum. Probatur primò auctoritate Concilij Tarraconensis relati apud Eymiricum *part.* 2. *pagina mihi* 169. vbi cum ageretur de pœnitentia relapsorum in fautoriam, dicitur: *Pœnitentia illorum, qui sunt relapsi in fautoriam, similiter erit solemnis.* Ex quibus verbis apparet clarissimè sensisse concilium relapsos in fautoriam, non esse tradendos curiæ sæculari; aliàs non dixisset pœnas pœnitentiales ei esse imponendas, sed pœnam capitalem. Deinde quia natura criminis relapsi hoc postulat, vt de aliquo priùs lapsu in hæresim constet, vt postea in eam incidens relapsus dicatur, & sit, & pœna debita relapsis puniatur, vt docent Castro *lib.* 2. *de iusta hæret. punit. cap.* 2. & Simancas *de cathol. inst. tit.* 57. *num.* 5. at qui relabitur in solum, & præcisum fauorem abiuratum, vel in alium diuersum, in nulla hæresi singulari est conuictus, quia secunda fautoria solum facit eum vehementer suspectum de hæresi. ergo non poterit dici relapsus, nec curiæ tradi sæculari. Ita docet expressè Peña *in* 2 *part. directorij lib.* 2. *schol.* 64. *vers. Altera huic diuersa.* 13.

Campeg.

Peña.

Eymir.

Castro. Simanc.

Peña.

Dixi quod sentio cum Peña, non deerit tamen, cui placeat contraria sentẽtia, quæ asserit eos, qui solam fautoriam sine aliquo errore abiurarunt, relapsos censendos esse, & non esse ad pœnitentiam admittendos, sed pœna capitis veris relapsis in sacris canonibus decreta plectendos propter has rationes. Primò, quia hæc non videntur posse fieri sine suspicione iniquæ societatis in hæresis crimine illarum personarum, quibus tantopere fauent. Secundò, quia cum ex priori hære- 14.

ticorum

tiorum fauore, & impedimento sanctæ Inquisitionis orta fuerit vehemens suspicio hæresis, quam suspicionem abiurauit; talis suspicio in secundo fauore transire videtur in violentam, ex qua suspicione violenta tandem poterunt capitaliter damnari. Quis enim dicat hanc secundam suspicionem non fuisse auctam, & in aliud genus suspicionis maioris non transisse? At non potest in aliam transire, quàm in violentam. Ex ea ergo poterunt damnari. Nam, vt docet communiter recepta opinio in capite, *Excommunicamus*. 1. §. *Qui autem verbo, condemnentur, de hæreticis*. natura suspicionis violentæ postulat vt capitaliter puniatur ille de quo talis suspicio habetur. Sed in re tam graui, in qua vita, bona, & fama hominis & totius familiæ periclitatur, inclinationem in primam opinionem censeo tutiorem.

15. Illud admoneo prædictam quæstionem nō habere locum in his, qui leuiter tantùm hæreticis fauent: quoniam in his nulla dubitatio est eos nonesse plectendos pœna de iure debita relapsis, sed in his tantummodo qui magnopere hæreticis fauent, & insigniter sacrum Inquisitionis officium impediunt, iuxta illas circumstantias, quas circumspectè narrauit Concilium Narbonense cap. 14. 15. & 16. relatum à Peña *lib. 1. director. schol. 59. §. Iam si noste cupis*. v. c. si quis hæreticos incarceratos à carcere liberet, condemnatos, & curiæ sæculari traditos non puniat cum possit, & debeat, aut scienter, & malitiosè insignem aliquam iniuriam in detrimentum fidei, sanctæ Inquisitionis officio efficiat, vnde vehemens suspicio orta fuerit, quam priùs de vehementi abiurauerit, quod totum iudicio prudentis committitur. Peña.

16. Addam postremò iustissimum, & æquissimum videri eos, qui non tantùm semel & bis, sed pluries in abiuratam fautoriam relabuntur, absque misericordia, tradendos esse curiæ sæculari, quoniam in his grauissima concurrunt, & violenta perfidiæ indicia, & ob repetiti criminis grauitatem, liceret tunc secure leges transgredi si hoc verè esset illas transgredi: quod non credo, vt cum doctissimo Peña loquar loco allegato, *versu Hoc vnum*.

17. Sed grauis hîc quæstio emergit. An ij, qui hæreses docent, quos dogmatistas appellamus, recipiendi sint ad pœnitentiam si redire vellent, & errorem suum agnoscant, an statim Curiæ, & brachio sæculari sint tradendi? Duplex est opinio hac de re. Prima docet ad pœnitentiam admittendos esse. Ita tenent multi quos citat & sequitur Farinacius *de hæresi quæst. 191. n. 5.* Peña *direct. 2. part. quæst. 39. comment. 64. vers. tamen si*, Simanc. *de cathol. instit. tit 47 n. 72.* Ferdin. de Castro Palao *de virt. & vitijs, tract. 4. disp. 6. punct. 2. num. 17.* Fundamentum illius est, quia in capite. *Ad abolendam de hæret.* generaliter dicitur, recipiendos esse docentes hæreses, si tempore debito resipiscant; docentes autem, dogmatizantes sunt; nam qui docent, dogmatizant, & in capite. *Super quibusdam, de verborum signific.* de publicis hæreticis dicitur, etiam esse recipiendos; sub publicis autem hæreticis, dogmatizantes comprehenduntur. Et similis regula indistinctè traditur in capite. *Vt officium, de hæret. in 6.* Quamobrem non possumus licitè distinctionem facere contra ius, inter magistros, seu dogmatizantes, & discipulos, vt hos recipiamus, illos non recipiamus ad pœnitentiam, cum ius æquè eos recipiat, maximè, quia hîc quoque militare videtur regula illa notissima; *fauores sunt ampliandi, pœnæ restringendæ*. Neque dici potest per has leges canonicas non corrigi leges ciuiles, eo quod non apertè dicant dogmatizantes esse recipiendos, quia reuera cap. *Ad abolendam*, tam apertè de illis loquitur quàm leges ciuiles, quæ communiter afferuntur. nam l. *Quicumque. C. de hæret.* quia habet, *qui illicita docere tentauerit*, de dogmatistis dicitur loqui apertè. l. *vltima in fine. C. de Iudæis*, dicitur, *qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina*. Et in his verbis non apparet, cur magis expressè loquatur de domatizantibus quàm cap. *Ad abolendam*, quia verba legis cit. non magis significant dogmatistam, quàm verba illa cap. *Ad abolendam aliter sentire & docere*. Idem facilè apparet in aliis legibus. ergo dicendum leges canonicas restringere quoad ciuiles. Accedit quod si leges ciuiles aliquid probarent, conuincerent tradendum brachio sæculari sine remissione qui vnius tantùm peruersor esset, vt apparet ex contextu legum.

Farin. Peña. Simanc. Ferdin. Castro.

18. Secunda opinio communior docet huiusmodi hæreticos docentes, dogmatizantes, & magistros nullo modo esse admittendos; sed statim brachio sæculari ignique esse tradendos. Hanc defendit acriter Simancas *de cathol. inst. titul. 47. num. 71.* & in Enchyridio *titul. 59.* Rojas *in tract. de hæret. 2. part. assert. 43.* Repertorium *verbo, Docere*. Battol. in l. *Cunctos populos. col. 6. C. de summa Trinit. & fide cathol.* & alij. Ratio, ac fundamentum est, quia hoc non solùm iuri diuino, sed etiam canonico, ac ciuili consentaneum est. De iure diuino patet. *Deut. 13.* ibi: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius, aut vxor vel amicus clam dicens, eamus, & seruiamus dijs alienis; non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum; sed statim interficies.* De iure ciuili patet *ex lege. Quicumque. C. de hæret.* ibi: *Qui illicita docere tentauerit*, & ex lege vltima in fine. *C. de Iudæis* ibi: *Pœna sanguinis distinandus, qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina*; & idem patet ex lege penultima. *C. de Apostat.* De canonico autem iure non ita expressè constat, sed in eo nunquam reperitur expressè in particulari præscriptum, quod dogmatistæ recipiatur, nec sufficit ad corrigenda iura ciuilia generalis regula ex iure canonico deducta, omnes pœnitentes esse recipiendos; tum quia generalia verba legis loquentis de aliquo delicto non comprehendunt delictum speciale & qualificatum, in quo multa delicta concurrunt, & circumstantiæ sunt valde aggrauantes. l. *Nunquam, plura. ff. de priuatis delictis*. l. *Si adulterium cum incestu. ff. ad leg. Iul. Mai.* lex enim quæ de aliquo crimine simpliciter loquitur, seruanda non est, cum alia simul concurrunt crimina. Plura enim crimina concurrentia faciunt, vt absque dubio puniantur, etiam si singula forent condonanda. Deinde quia illa regula generalis intelligenda est de hæreticis, communibus non qualificatis, quales sunt dogmatistæ; quia dogmatistæ plus sunt, quàm hæretici, sunt enim hostes Ecclesiæ, & animarum fidelium, & dogmatistæ vel non peccant ex ignorantia, vel si peccant ex illa, est nimium affectata, vnde in illis præsumitur magna pertinacia, & subinde valde timeri potest fictio in illorum conuersione, proinde canones in priori opinione allegati nullo modo extendendi ad dogmatizantes sunt, quia hæ rationes videntur vrgentiores, & hoc cedit in maiorem fidei fauorē. Simanc. Enchyr. Rojas. Repert. Banhol.

19. Distinguendi tamen sunt varij veluti gradus dogmatizantium, nam in primo, ac supremo gradu sunt hæresiarchæ qui errores inuenerunt, & eos proseminant veluti Caluinus, Lutherus, Arius, Vuicleph & aliæ huiusmodi pestes hominum, & hi nullo modo sunt admittendi; sed igni statim tradendi, in illos enim optimè quadrant rationes & fundamenta secundæ opinionis, & ita docet Suarez *de fide, disp. 23. sect. 2 num. 11.* Imò obiectè animaduertit Simancas *de cathol: inst. tit. 47. num. 63.* Magistris Lutheranarum hæresum nullo modo ignoscendum esse, quia cum multis sint vitiis, & flagitiis scelerati, & in illorum hæresi multa, ac scelerata crimina concurrant, hostes Ecclesiæ sunt, sanctorum inimici, sacrilegi, bonorum omnium morum corruptores, & Rerumpublicarum euersores, & quando plura crimina fœda concurrunt; omnia sunt igni, ferroque vindicanda *l. Nunquam* plura de priuatis delictis. l. *Si adulterium cum incestu.* l. *Vim passam. §. præscript. ff. ad legem Iuliam de adult.*

Suarez. Simanc.

20. In secundo gradu sunt illi dogmatistæ, qui hæreses ab aliis inuentas docent, prædicant, ac disseminant, & hi propriè dicuntur, ac sunt dogmatizantes, id est, tradentes dogmata, vt docet Eymericus *2. part. direct. quæst. 39.* & ibi Peña *comm. 94.* quos refert Suarez allegatus. Requiritur autem ad gradum, vt quasi ex officio, & consuetudine hoc munus habeant, & plures doceant, vel publicè, vel occultè, & ita in his etiam procedit secunda opinio; quæ docet illos esse igni irremissibiliter tradendos, propter rationes ibi traditas. Nihilominus existimat Suarez allegatus *de fide disput. 23. sect. 2. num. 11.* in aliquo raro casu, interueniente auctoritate supremi Senatus sanctæ Inquisitionis posse illos recipi, si magna, & euidentia fuerint signa conuersionis, & maximè si aliqua vtilitas fidelium ex eorum vita speretur, & ita asserit Concilium Tarraconense ibi: *Perfecti verò hæretici & dogmatizantes si conuerti voluerint absolutione prehabita, & abiuratione facta perpetuo carceri intrudantur.* Et concilium Biterrense cap. 16. *Perfectos hæreticos, seu vestitos coram discretis aliquibus, & fidelibus examinetis, secretò ipsos ad conuersionem prout poteritis inducentes, & conuerti volentibus vos exhibeatis fauorabiles, & benignos, cum per tales multum fuerit illuminatum negotium, & promotum, ac ipsorum pœnitentias pro qualitate conuersionis, & meriti mitigetis.* Vbi per perfectos hæreticos, dogmatizantes intelligit; & cum Suarez, ita docet etiam Peña *in 2. part. directorij* Eymeric. *comm. 64. versu. Hæc sententia.*

Eymeric. Peña Suarez.

Suar.

Suar. Penna. Eymir.

21. In tertio gradu sunt illi, qui priuatim vnum, vel alium docent, ac decipiunt, & hi non comprehenduntur sub regula dogmatizantium; sed seruanda est in illis prima opinio, quia propriè dogmatizantes non sunt, & aliquæ in eis leges ciuiles sunt mitiùs interpretandæ, & de his docentibus loquuntur etiam iura canonica pro prima opinione allegata; & ita docent communiter DD. Suarez *de fide, disp 29. sect. 2. num. 11. in fine*, & vsus habet. Est autem propriè docere, vt docet Agricola *de inuent. Dial. lib. 2. cap. 4.* rem ex ignota facere notiorem.

Suar.

22. Illud denique animaduertendum est relapsis, & dogmatizantibus, si verè pœnitentes sint, non esse deneganda ante mortem sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ si fieri commodè possit; ita enim iubetur in cap. *Super eo. de hæret. in 6.* Nam licet de relapsis in particulari loquatur; tamen ex paritate rationis ad omnes verè pœnitentes hic fauor extenditur. Et ita docet etiam Suarez *de fide disp. 23. sect. 2. num. 12. in fine.*

Statuo quartò. Hæretici non relapsi, qui ante sententiam sponte ad lucem veritatis redeunt, & verè pœnitentes sunt, non pœna mortis damnandi, sed præmissa abiuratione, & præstita, ac oblata satisfactione imposita salutari pœna, ac pœnitentia recipiendi sunt, ac sanctæ matris Ecclesiæ gremio reconciliandi. Assertio hæc, non est mirum, si non habeat magnum præsidium in iure ciuili, curat enim ius ciuile magis publicam pacem Reipublicæ, & ea quæ corporalia sunt, quàm salutem animarum; iuuat tamen lex *4. de hæreticis*, quatenus in ea Theodos. Imperator dicit. *Veniam pœnitentibus damus:* at verò in iure canonico tota assertio expressa est, in cap. *Ad abolendam de hæret.* & cap. *Vt officium*, cum aliis in 6. & hæc fuit perpetua consuetudo, & traditio Ecclesiæ, vt constat ex concilio Niceno *cap. 8.* & concilio Elibertino *can. 22.* & concilio Agathensi sub Symmacho *cap. 60.* & Arelatensi *cap 9* & aliis, quæ adducit Farinacius *de hæresi quæst. 192. num 2.* Ratio firma est, quia nec Christus, nec eius Ecclesia claudit gremium redeuntibus; quærit enim Ecclesia magis salutem animarum, quàm delictorum vindictam, & ideo non vtitur his pœnis, vt vindicatiuis tantùm, sed etiam, vt medicinalibus; quo fit, vt quando remissio pœnæ mortis, aliis non nocet, & prodest ad salutem animæ delinquentibus, vitam illis libenter concedat. 23.

Theod. Imp.

Farinac.

Est autem duplex conuersio hæreticorum. Vna est omnino spontanea, quando scilicet ipsi se accusant, priusquam denuncientur, & indicati sint, & tunc facta abiuratione, vel occulta si occultum fuerit delictum; vel publica, si publicum fuerit alicubi, recipiendi sunt sine vlla graui pœna; salutari tamen pœnitentia imposita. Ita docet expresse Suarez *de fide disp. 23. sect. 2. num. 14.* Simancas *de catholicis institut. titul. 47. num. 27.* Rojas *singulari 154.* Peña *2. part. directorij comment. 65.* Farinacius *de hæres. quæst. 195. à num. 80.* 24.

Suarez. Simanc. Rojas. Peña. Farinac.

Altera est, quæ ex vi alicuius coactionis fit, vtpote post denunciationem factam, & ex metu pœnæ, in qua tres gradus distinguendi sunt. Primus est illa, quæ fit post denunciationem, & antequam reus sit conuictus per testes, & tunc recipiendi sunt imposita aliqua pœna arbitrio Inquisitorum, & iuxta institutiones suas definienda, nam de hac pœna nihil ius statuit commune; erit tamen maior, vel minor iuxta maiorem vel minorem celeritatem, & resolutionem in conuersione, & maiora, vel minora signa pœnitentiæ. Ita Suarez *de fide disput. 23 sect. 2. num. 14.* 25.

Suarez.

Secundus est post legitimam testium conuictionem, & ante sententiæ prolationem, intimationémque, & tunc quidem omnes etiam conueniunt, recipiendos esse reos, & pœnam mortis in pœnam perpetui carceris esse commutandam. Ita habetur in lege. *Commissi Friderici*, & clariùs, & apertiùs in capite. *Excommunicamus. 2.* & in cap. *Accusatus de hæret. in 6.* Dubitant tamen aliqui, quando hæreticus fuit nimis pertinax, ac peruicax, & sæpe protestatus est, se ab erroribus suis non discessurum. Ita dubitat Rojas *in tract. 2. part. num. 374.* Nihilominus Albericus *quæst. 30. num. 79.* simpliciter affirmat 26.

Rojas. Alberic.

esse

esse recipiendum adhibita prudenti animaduersione capitis, *Vt officium de haret. in 6.* vt scilicet solerter prouideatur ne fraudulenta sit conuersio, & sub ouina pelle lupum gerat; & ita docet etiam Suarez *disp. de fide 23 sect. 2. num. 15.* hodie tamen quia cum omnibus dispensatur, etiam cum imponitur pœna carceris perpetui, saltem post 8. annos iam non solent clerici in sacris degradari.

27. Tertius gradus est, quando conuertantur post latam & pronunciatam sententiam; & tunc dubium est, an hæreticus post definitiuam sententiam conuersus, qui coram iudicibus sæcularibus dicit se pœnitere velle, & alios hæreticos indicare, si ob eam rem restitutus sit Dominis Inquisitoribus, & coram illis ad illorum arbitrium plenissimam confessionem fecerit, egregièque satisfecerit, tradendus sit iterum recepta confessione brachio sæculari; dubium inquam est, an ei vita

Simanc. de iure sit donanda; Simancas *de catholicis instit. titulo 87. num 73.* affirmat, & hanc exceptionem admittit, & dicit hanc quæstionem in facti contingentia agitatam fuisse apud Dominos Inquisitores Conchenses, consultosque supremos iudices, & multos iurisperitos, & omnes vnanimi consensu respondisse, pœnitentem huiusmodi esse admittendum, & non esse iterum curiæ sæculari tradendum; tum quia veram confessionem fecit coram Inquisitoribus, & ab illis recipi debebat; tum quia sæcularis iudex iuri suo renunciasse visus est, cum hæreticum sibi relictum Inquisitoribus tradidit. Denique quia nec bonum, nec æquum patitur, vt qui iam nec impœnitens, nec relapsus est, sæculari iterum potestati tradatur. & in hanc sententiam inclinat Peña *2. part.*

Peña. *director. commentario 36..* vbi plures allegat, & multum fauet caput, *Ad abolendam, de hæreticis* & Caput, *Vt officium, de hæret. in 6.*

28. Alij verò contrarium tenent, & hi sunt glossa in cap. *Excommunicamus 2. §. sequ. de hæret. in 6.* quam multi sequuntur, & ex misericordia, non

Eymeric. Villadiego. Rojas. Suarez. de iure id fieri posse affirmat Eymeric. 3. *p n.* 201. & Villadiego *q. 15.* & Rojas *sing. 31. & 154.* At verò Suarez *de fide disp. 23 sect. 2. num. 16.* asserit re vera primam opinionem in rigore iuris videri solidiorem, & sic Inquisitores stando in rigore iuris eum debere admittere, eique vitam donare. Asserit nihilominus in aliquo casu, & propter graues circunstantias id soli arbitrio Inquisitorum relinquendum esse, quia ita expedit ad commune bonum; neque est lex, quæ id prohibeat, vel expressè præscribat, vt huiusmodi hæreticus admittatur. Et vsus ita videtur increbuisse.

Ex dictis colligitur alias pœnas corporales citra mortem hæreticis pœnitentibus conuictis non imponi nisi in commutationem pœnæ mortis, in iure tamen sola pœna perpetui carceris

Farinac. inuenitur, de qua videri potest Farinacius *de hæresi dicta quæst. 193. à num. 101.* & quamuis olim magis in vsu fuerit pœna exilij, hodie tamen vsu præualuit, quia accommodatior visa est pœna carceris perpetui, quia in exilio poterant hæretici liberius redire ad vomitum & aliis nocere. Appellatur in iure pœna perpetui carceris pœna perpetuæ immurationis; idem enim in iure est immurare & incarcerare, immuratio, & incarceratio. Cæteræ pœnæ omnes sunt arbitrariæ, de

Zanchinus. Rojas. Peña. quibus videri possunt Zanchinus *in tract. de hæres. cap. 20.* & Rojas *singulari 154.* Peña *3. part. comment. 42. & 44.*

CAPVT XXVI.

Quatenus fideles teneantur hæreticos sibi notos & consanguinitate coniunctos, iudicibus fidei denunciare, & an prætermissa correctione fraterna?

SVMMARIVM.

Per modum inquisitionis procedit iudex, quando à nemine prouocatus ex officio inquirit de hæresi, vel quouis alio delicto. num. 1.

Per modum accusationis procedit, quando manifestatio delicti ab accusatore inchoatur, num. 2.

Per modum denunciationis procedit ex officio, quando ei denunciatur aliqua persona; quæ delictum aliquod commisit. num. 3.

Quot sint species denunciationis. ibid.

Quomodo accusatio, & denunciatio inter se differant. num. 4.

Quando peccatum hæresis est publicum, tenentur omnes ex rigoroso præcepto hæreticum denunciare. num. 5.

Quid si ita sit occultum, vt vnus tantum illud sciat? refertur prima opinio negans teneri scientem hæreticum denunciare. num. 6.

Præfertur secunda, vera, & tenenda affirmans. num. 7.

Non solum ex præcepto charitatis, sed etiam ex præcepto Ecclesiastico, & edicto Inquisitoris tenetur tunc sciens hæreticum occultum denunciare. num. 8.

Testes singulares contra hæresim in fidei fauorem admittuntur. num. 9.

Soluuntur fundamenta primæ opinionis. num. 10.

An quando hæresis est secreta, necessariò ante denunciationem præmittenda sit fraterna monitio. Proponitur vera sententia negans. num. 11. 12. 13.

Refertur, sed non probatur opinio affirmans, præmittendam esse fraternam monitionem si certò, & firmiter speretur profutura. num 14. 15.

Soluuntur argumenta opinionis numero 6. explicata, quæ asserebat, hæreticum omnino occultum non esse denunciandum. num. 16.

Qui ex sola notitia confessionis, scit aliquem esse hæreticum, non tenetur illum denunciare, imò tenetur non denunciare. num. 17.

Quid si sub secreto id sciuit, iuramento etiam firmatum. num. 18.

Hæreticus occultus non tenetur se ipsum denunciare. num. 19. 20.

An quando quis non interrogatur vt reus, teneatur socios sui criminis manifestare, & quid si vt reus interrogetur. num. 21. 22.

An teneamur denunciare hæreticum occultum quem scimus omnino esse emendatum. num. 23.

An filius teneatur denunciare patrem occultum hæreticum, & pater filium. num. 24. 25.

Refertur prima opinio asserens non teneri filium catholicum patrem hæreticum denunciare, teneri tamen patrem catholicum denunciare filium hæreticum. ibid.

Præfertur sententia affirmans filium catholicum teneri denunciare patrem hæreticum, & vice versa patrem catholicum filium etiam hæreticum. num. 26. 27. & 28.

An aliqua persona excipiantur à tribunali sanctæ Inquisitionis. Agitur de Regibus, de Episcopis, de Inquisitoribus, Cardinalibus, & officialibus Papæ. num. 19.

An maritus teneatur denunciare vxorem, & vxor maritum. num. 30.

1. TRES sunt modi procedendi contra hæreticos, & quosuis alios delinquentes. Primus, per modum Inquisitionis. Secundus, per modum accusationis. Tertius, per modum denunciationis. Per modum Inquisitionis procedit iudex quando à nemine prouocatus ex officio inquirit, & interrogat de delicto & hæresi. Et hoc fieri solet dupliciter; vel in generali ex parte personarum, licet de particulari delicto fiat interrogatio, quando de nulla particulari persona præcessit infamia, aut rumor sufficiens: Vel in particulari, quando specialiter interrogatur de aliqua persona particulari, quæ iam est sufficienter infamata, & per rumorem indiciata.

2. Per modum accusationis procedit iudex quando delicti manifestatio ab accusatore inchoatur; & hic modus in hoc delicto hæresis non est in vsu ordinariè, vt docet Tabiena, verbo, *Inquisitor. num.* 27. & *sequentibus*, & Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 1. *fine.* Tabiena, Suarez.

3. Per modum denunciationis procedit iudex ex obligatione officij sui, quando ei denunciatur aliqua persona, quæ crimen aliquod commisit. Quatuor sunt autem iuxta Canonistas species denunciationis, quas tangit Farinacius *de hæresi quæst.* 185. *à num.* 60. Euangelica, Canonica, Regularis, Iudicialis, quæ ad duas tantùm, Euangelicam, & Iudicialem à Theologis reducuntur, nam aliæ duæ species ad has reuocantur, vt optimè notat Syluester verbo, *Denunciatio.* Rojas *singulari* 1. *num.* 12. Rod *in tract. de ordine iud. cap.* 4. Euangelica per se primò tendit ad emendationem fratris, & pertinet ad correctionem fraternam, de qua Christus dixit Matth. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum:* Et fit superiori, & Prælato, vt patri curam habenti salutis spiritualis subditi, & ideo solet etiam hæc denunciatio dici paterna. Iudicialis tendit ad vindictam delicti, & ordinatio fit propter commune bonum, & fit superiori, vt iudici, & ideo iudicialis appellatur. Deinde Euangelica versatur per se primò circa delicta occulta, vt colligitur ex verbo illo Euangelij Mathæi dicto cap. 18. *Si peccauerit in te*, id est, coram te: iuxta explicationem D. Augustini ibi: Iudicialis verò regulariter per se primò versatur circa delicta publica, licet in aliquo casu possit etiam fieri de delictis occultis, vt patebit infrà. Syluest. Rojas.

4. Differunt autem denunciatio, & accusatio. Primò, ex fine, quia accusatio tendit ordinariè ad satisfactionem propriam, & commodum accusantis; denunciatio verò ad bonum aliorum, & præsertim commune; licet etiam accusatio fieri interdum possit ab bonum commune, vt docet D Thom. 2. 2. *quæst.* 68. *artic.* 1. & denunciatio ob bonum denunciantis: quando scilicet denuncians accusare non potest ex defectu probibitionis. Secundo (& est differentia) ex principio, quia in accusatione accusator fit pars illius iudicij, & penitus suum aliquo modo, vrgetque & quasi obligat iudicem, vt sibi iustitiam faciat, & ideo tenetur probare delictum, alioqui punietur; denuntiator verò non fit pars iudicij, sed tantùm defert crimen ad iudicem, vt ille ex ea notitia, ex officio suo procedat prout tenetur, & melius sibi videtur, & in hæresi, & religione id facit denunciator tamquam vnus de populo, aut religione, cui interest tempublicam, & religionem in puritate veræ doctrinæ, aut religiosæ disciplinæ conseruari; & idcirco non tenetur probare delictum, neque ad id iure cogi potest, vt constat ex capite, *Super his de Accusationibus.* Tertiò, quia accusatio in scriptis, & facto libello est recipienda; denunciatio verò non est necesse, vt in scriptis recipiatur: ita docet D. Th. 2 2 *quæst.* 68. *art.* 2. Iulius Clarus § *finali quæst.* 7. Peña 3 *part. num.* 68. Aldretus *lib.* 1. *de relig. disciplina tuenda cap.* 4. & 50. Farinacius *de hæresi quæst.* 85. §. 5. *à num* 64. Vnde sic potest ex dictis describi Iudicialis denunciatio: *Est delatio criminis apud iudicem competentem, vt ex munere suo ad vindictam delicti procedat.* D. Thom. D. Thom. Iul. Clar. Peña. Aldretus. Farinac. D.Thom.

His notatis statuo primò. Quando peccatum hæresis est publicum, quomodocumq; sit publicum, tenentur omnes, qui notitiam illius habent ex rigoroso præcepto denunciare personam, quæ illud commisit Est communis, & certa doctrina. Ratio est, quia peccatum hæresis est grauissimum, & valde nocium, & eo ipso, quod modo aliquo est publicum, potest esse perniciosum non tantùm peccanti, sed etiam aliis: ergo necesse est vtrique malo remedium adhibere; atque occurrere, & ad hunc finem denunciatio est vtilissima, & moraliter necessaria. Ergo cadit sub præceptum non tantùm Ecclesiasticum, quod manifestissimum est, sed etiam Diuinum, & naturale ex obligatione charitatis. Deinde, quia in crimine læsæ maiestatis humanæ omnes tenentur publicè delinquentem denunciare, vel etiam accusare si necessarium fuerit; ergo multo magis in crimine læsæ maiestatis diuinæ, quod per hæresim committitur, vt dicitur in capite, *Vergentis de heret. in* 6. De facto tamen nulla est obligatio hæreticos publicos accusandi, sed solùm denunciandi, quia iuxta receptam Ecclesiæ consuetudinem, stylumque, hoc remedium sufficit, & ideo non imponitur fidelibus maior obligatio; quia post denunciationem minister publicus, fiscalis promotor appellatus, officium accusandi sumit, vt optimè docet Simancas *de catholicis institutulo* 4. Rojas *singulari* 1. *num.* 11. Farinacius *de hæresi quæst.* 185. *num.* 40. & alij, quos citat Farinacius, quæ doctrina tota sumitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 68. *artic.* 1. vbi de accusatione loquitur; sed à fortiori verum habet eius doctrina in denunciatione, & colligitur etiam ex capite 2. *de hereticis:* & cap. *Qua propter* 2. *quæst.* 7. & capite, *In nonnullis de Iudæis, & Sarracenis*, vbi dicitur contra hostes publicos, quales sunt hæretici, omnibus esse vigilandum. 5. Simanc. Rojas. Farinac. D. Thom.

Quando autem delictum hæresis ita est occultum, vt vnus tantùm præter delinquentem illud sciat, an tunc detur præceptum hæreticum denunciandi nulla præmissa denunciatione, maius dubium est, & tunc est duplex opinio. Prima negat omnino, imò videntur auctores illius indicare id non esse licitum. Eam tenet Ioannes And. in cap. *Nouit. de Iudæis*, Villadiego *in tractatu de heret. quæst.* 10. Probant primò, quia Christus Dominus de peccatore occulto Matth. 18. dixit. *Si peccauerit in te frater tuus*; hoc est coram te, vt explicat ibi D. Aug. *corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si te non audierit, dic Ecclesiæ*, id est, denuncia 6. Ioan. And. Villadieg.

nuncia illum Ecclesiæ; ergo ille ordo non est peruertendus, quando peccatum est omnino occultum. Secundò probant, ex generali regula iuris canonici deducta ex capite. *Si sacerdos de officio ordinarij.* ex capite. *Qualiter & quando de accusation.* & ex cap. *Christus* 1. *quæst.* 1. & ex cap. *Si omnia* 6. *quæst.* 1. *Delicta occulta iudicio diuino reseruantur.* Ergo nunquam licet peccatum sic occultum ad iudicium humanum per denunciationem, aut accusationem deferre. Tertiò ex Clementina, *Nolentes de hæreticis.* ibi: *Si rectè nouerint eos talia commouisse,* (& sermo est de peccato hæresis) *ipsos grauiter arguere, & corrigere studeant in secreto*; ergo non licet hoc medio, ac remedio prætermisso statim ad denunciationem iudicialem transire. Quartò, ex Paulo ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam, & alteram correctionem deuita*; vbi prius admonendos censet hæreticos, postea deuitandos, seu denunciandos, vt post sententiam deuitentur. Quintò efficaci ratione probatur, quia talis denunciatio est nociua homini, qui peccauit, & non est vtilis aliis; ergo non solum non est obligatoria; sed nec etiam licita. Consequentia patet, quia per illam denunciationem infamatur frater in re grauissima; quod est maximum nocumentum. Antecedens probatur, quia iudex talem denunciationem audiens, nihil omnino agere potest contra denunciatum, neque etiam ob eam de illo potest inquirere; ergo est inutilis talis actio illicita, & nociua.

D. Thom. Caiet. Alensis. D. Antonin. Sotus. Castro. Cano. Nauarr. Simanc. Rojas. Vignerius. Tolet. Azor. Bañes. Delrio. Sanchez. Valentia.

7. Secunda opinio vera, & tenenda affirmat dari de hac re præceptum non solùm diuinum, sed etiam Ecclesiasticum; & est omnino certa, & indubitata. Eam docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 7. Caietanus ibi. Alensis 3. *part. quæst.* 72. D. Anton. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 9. Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 5. *art.* 1. *& de tegendo secreto membro* 2. *q.* 5. Castro *lib.* 2. *de iusta hæret. pun. cap.* 25. Cano 12. *de locis cap.* 9. *ad finem.* Nauarrus cap. *Inter verba* 11. *quæst.* 3. Sunancas *de cathol. inst. tit.* 19. *num.* 10. *&* 12. Rojas *singulari* 11. *num.* 14. Vigueriu c. 12. *suarum inst.* §. 2. *versu* 10. Toletus *lib.* 4. *summæ cap.* 5. *num.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *quæst.* 9. Bañez 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. Delrio *disquisit. Magicar lib.* 5. *sect.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Decalogi cap.* 32. *fine.* Valentia 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 10. *punct.* 5. §. *Atque huiusmodi.* licet D. Thom. & Toletus id limitent, si denunciaturus non sit certus quòd hæreticus omnino sit emendatus. Probatur primò ex sacra pagina ex Deut. 13. *Ne parcat oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum*; idest fratrem infidelem de quo ibi sermo est: & ex D. Ambr. *lib.* 2. *de offic. cap.* 24. ibi: *In casu temporali licet tibi tacere, in causa autem Dei vbi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum est non leue.* Deinde ratione probatur efficaciter, quia talis denunciatio de peccato hæresis, aut hæreticalis blasphemiæ occultæ, & quam quis solus agnouit, est necessaria ad bonum commune Reipublicæ Christianæ & est vtilis ad spiritualem salutem illius qui denunciatur; sed bonum commune præferendum est priuato, & bonum spirituale proximi præferendum est bono temporali illius; iuxta ordinem charitatis. Ergo in eo etiam casu, in quo quis solùm hæresim, aut blasphemiam hæreticalem proximi agnouit, tenetur eam denunciare. Tertiò, quia sæpe contingit, vt qui suam hæresim vni soli ostendit, illam cum pluribus seorsim occultè communicet; sunt enim hæretici subdoli, & mille modis occultissimis suam sectam proseminant, vt experientia patet; quare hæreticus statim est denunciandus, est enim magna Ecclesiæ vtilitas, vt hæreticus non sit à denunciatione securus, etiamsi occultissimè cum vno tantùm suam hæresim communicet, ne hoc modo audeant ipsi hæretici fideles in suam hæresim inducere, cum singulis tantùm sigillatim, & occultissimè agendo: serpit enim hæresis occultissimè velut cancer, quare ex parte boni communis vtilissima est talis denunciatio. Ex parte verò ipsius denunciati probatur, non minus vtilem ei esse ipsam denunciationem, quia qui hoc modo propter metum occultus est, medicinam faciliùs inueniet, & celeriùs emendabitur, nam qui semel deprauatur, & non timet authoritatem Ecclesiæ, rarissimè ad emendationem reducetur.

D. Ambros.

Simanc. Peña.

Et verò quod detur etiam præceptum Ecclesiasticum dominorum Inquisitorum statim denunciandi huiusmodi hæreticos absque vlla fraterna correctione, patet ex dictis, quæ in singulis fidei actibus publicantur, in quibus id præceptum imponitur, vt docet Simancas *de cathol. inst. tit.* 19. *num.* 12. & Peña *in* 3. *part. directorij commento* 12. & habetur in Concilio Biterrensi *cap.* 1. quod ibi idem Peña refert ac sequitur, & idem supponit Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 15. *& num.* 7. nam supposito præcepto diuino optimè Ecclesia cum pœnis grauissimis excommunicationis suum adiunxit, vt metu pœnarum Ecclesiæ, meliùs præceptum diuinum seruaretur, & idem expressiùs docet idem Suarez *n.* 21. *fine.* 8.

Felin. Sanchez. Simanc.

Neque obstat quòd singuli seorsim hæresim istius sciant, & hi alios eam scire ignorent, quia licet in hoc delicto, sint testes singulares, multum tamen iuuant; in eo enim testes etiam singulares admitti possunt in pœnam illius, & ita si duo singulares testes existant, sufficiunt, vt contra reum procedatur, & vt tandem aliqua pœna puniatur, etiamsi maior probatio non inueniatur, præsertim quia in hoc delicto denunciator non est pars, nec quærit commodum, aut interesse suum, vt suprà diximus; sed tenetur denunciare, tamquam vnus de populo Christiano, cuius interest communem Rempublicam ab omni labe hæresis immunem reddere, & ideo potest esse testis postquam minister publicus, seu promotor Fiscalis accusationem aduersus indiciatum assumit, vt patet ex capite; *In omni de testibus,* cum omnibus, quæ ibi notat Felinus *num.* 4. Zanchin *de hæret. cap.* 13. Simancas *de cathol. inst. tit.* 59. *num.* 17. 9.

Et ex fundamentis secundæ opinionis, pene soluta manent fundamenta primæ; nam ex ratione pro secūda opinione facta satis constat hanc denunciationem esse vtilem bono publico, & ipsi etiam hæretico, quæ erat præcipua ratio in qua prima opinio nitebatur. Reliqua autem testimonia eò tendunt, an teneamur, & necessarium sit ante huiusmodi denunciationem fraternam correctionem præmittere; quæ difficultas in sequenti dubitatione enodabitur. 10.

Suar. Salmer. Sanchez.

Dubitatio ergo est non modica, an quando hæresis est secreta, necessariò ante denunciationem præmittenda sit fraterna monitio, & ad id teneamur. In qua etiam difficultate partita est opinio Prima absolutè negat Eam tenet expressè Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 11. Salmeron. *tom.* 4. *in Euangel.* 3. *part. tract.* 11. §. *Deinde.* Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 33. *in fine* Et huius opinionis est etiam Bernardinus Areualensis 11.

lensis *tractatu de fraterna conclusione 6. propositione 3.* nam licet conclusione 3. versu. *Nec mihi respondeas*, asserat nullum ferè scholasticorum doctorum à fraterna correctione excipere crimen hæresis occultum, tamen ibi remittit se ad conclusionem 6. propositione 6. & ibi ita ait. *Si quis nouerit etiam secretè aliquem esse hæreticum & ex malitia errantem, tenetur etiam non requisitus eum denunciare absque præuia admonitione.* Signanter autem dicit, *ex malitia errantem*, quia hic est propriè hæreticus: nam si quis forte ex ignorantia veritatis errauerit, hic quidem merito esset priùs admonendus, quàm denunciandus: huiusmodi enim homines facillimè corriguntur, si charitate admoneantur, eum sæpissimè errare
Simanc. doctoribus contingat. Idem docet Simancas *de cathol. inst. tit. 19. num. 12. & 13.* vbi dicit nullam esse legem, quæ iubeat hæreticum fraternè admonendum priusquam iudicibus denuncietur; nam textus ille Euangelij, inquit, Simancas Matthæi 18. in quo prima opinio nitebantur. *Si peccauerit in te frater tuus*, hoc est, coram te, *corripe eum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, si te non audierit, dic Ecclesiæ*, id est, denuncia illum iudici Ecclesiastico, de peccato commisso, contra hominem loquitur, & contra proximos, vt colligitur ex illis verbis, *si peccauerit in te*, non autem de peccatu immediatè contra Deum commisso, qualis est hæresis. Respondent etiam multi auctores, & certè non contemnendi, hoc ipsum tenentes, Christum Dominum ibi locutum fuisse de correctione, quæ ordinatur ad fratrem seu proximum fidelem, non infidelem: qualis est hæreticus. Probant, quia locutus fuit de fratre, sic enim ait, *si peccauerit in te frater tuus*; vbi per fratrem intelligit hominem fidelem. Duplex autem est proximus, alter christianitatis, alter naturæ tantùm; & Christus de proximo, & fratre christiano loquitur, non de proximo naturę: quod facilè patet, quia paulo post fratrem fidei distinguit à fratre naturæ seu Ethnico, asserens, *si te non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus*: loquitur enim de fratre fideli quem distinguit ab infideli, & quem priùs dicit esse admonendum, & non de infideli qualis est hæreticus; hic enim non est admonendus, sed statim denunciandus, & hanc
Iansen. explicationem huic loco affert Iansenius ibi *c. 12.*
Salmer. Salmeron. citatus, & Simancas vbi suprà alle-
Simanc. gatus.

12. Sed hæc explicatio non placet Suarez allegato. Primò, quia lex illa correctionis est naturalis, & est lex charitatis, & ideo ad omnes proximos naturæ extenditur sicut & charitas. Secundò, quia hæreticus ratione baptismi inter fratres numerari potest, alioqui frustra de hæretico diceretur; *dic Ecclesiæ*. Alij respondent locutum fuisse ibi Christum Dominum de solo peccato iniurioso illi, qui videt alterum peccantem; quia id indicat illa particula, *si peccauerit in te*, id est, contra te; peccatum autem hæresis non est iniuriosum videnti, & scienti, sed Deo, & toti Ecclesiæ; & ideo sub præcepto correctionis fraternæ non cadit; sed statim denunciandum est iudici. At nec etiam hæc explicatio placet eidem Suarez *de fide disp. 20. sect. 4. num. 14.* quicquid enim sit de explicatione illius particulæ, *in te*, certum planè est doctrinam Christi non limitari ad sola peccata, quæ cedunt in detrimentum, & iniuriam corrigentis; sed extendi etiam ad omnia alia; quia ratio Christi Domini, *lucratus eris fratrem tuum*, æquè in aliis procedit, & satis est illa offensio, quæ per modum scandali vnicuique fit, vt verificetur illa particula; *si peccauerit in te.*

Vera ergo explicatio illius loci est, Christum Dominum ibi locutum fuisse de correctione euangelica, quæ ordinatur ad solam emendationem solius fratris, quæ semper prærequirit fraternam monitionem, nisi quis huic admonitioni ad maiorem sui perfectionem renunciauerit, & ideo ibi seruandus est semper ille ordo extra hæresis peccatum, quia per secretam admonitionem potest finis intentus sufficienter comparari. Hic autem agimus de denunciatione iudiciali, quæ non solùm pertinet ad finem solius emendationis fratris peccantis; sed pertinet ad alium finem, nempe ad bonum commune spirituale immediatè; quod semper præferendum est bono priuato, ac particulari, & ideo hæc denunciatio iudicialis non comprehenditur sub illo præcepto, de quo ibi Christus loquitur, vt de se patet. 13.

Secunda opinio affirmat in peccato etiam hæresis ante iudicialem denuntiationem præmittendam esse fraternam admonitionem; sed cum magna limitatione. Asserit enim regulariter quidem non esse præmittendam in hoc delicto, quia non est spes fructus, ac proinde regulariter loquendo primam opinionem esse veram; si tamen firma sit spes, quòd hæreticus statim post admonitionem emendabitur, præmittendam esse talem denunciationem, & verò si cum tali monitione hæreticus emendetur, cessat talis denunciatio: hanc tenet D. Thom. 2. 2 *quæst. 33 art. 7.* Caietanus ibi. Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 5. art. 1.* Castro *lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 25.* Cano 12. *de locis cap. 9.* Nauarrus *in summa cap. 18. num. 56* & Abulensis Matthæi 18. *quæst. 97. ad octauum* Tolet. *lib. 4. summa cap. 5. num 1. ad finem.* Gundisalu. *tit. de hæret. quæst.* 10. *num. 6.* Repertorium Inquisit. verbo, *Denunciatur.* vers. *An quando proceditur.* Decian. *in tract. crimin. l. 5. cap 30. num. 3.* Martinus del Rio *lib. 5. disquis mag. sect. 4.* Et fundamentum istius opinionis est, quia licet peccatum hæresis ab ordine correctionis fraternæ ex vi illius particulæ, *in te*, excludatur cum ex sua natura non sit priuatum, & occultum; sed reputandum sit tanquam publicum ex vi sui obiecti, quia est contra Deum immediatè, & contra publicum bonum Ecclesiæ, & ideo non comprehendatur directè sub præcepto correctionis fraternæ; tamen per accidens, & à paritate rationis sub illo præcepto, & lege charitatis comprehenditur, quia quod Christus Dominus ibi intendit, est emendatio & lucrum fratris; & hic est finis, & scopus illius præcepti; quare si certi simus de fine & fratris lucro ex duobus mediis oblatis ad consequendum hunc finem scilicet correctionis fraternæ & denunciationis Ecclesiæ, eligendum videtur ex charitate, quod minus nociuum sit proximo. Vnde si certi simus de hac emendatione per correctionem fraternam, sequi videtur, quòd iam non sit licita denunciatio iudicialis, tum quia aliàs inutiliter, & sine causa præmitteretur correctio, tum quia iam cessauit finis denunciationis, & ita sine causa fieret cum nocumento proximi in fama & in aliis bonis, vt patet. 14.

D. Thom. Caiet. Castro. Cano. Nauarr. Abulens.

Hæc opinio non est improbabilis, prima tamen est tenenda, quia quamuis hæc distinctio possit habere locum spectata sola lege, & præcepto charitatis, tamen adiuncto Ecclesiastico 15.
præcepto

præcepto determinante medium denunciationis omissa fraterna correctione, iam non est locus tali electioni, etiamsi in aliquo casu particulari aliud medium vtilius appareat, quia cessante fine legis in particulari non cessat eius obligatio, & communi bono expedit, vt illud priuatum arbitrium omnino prohibeatur, quia in illo potest dari periculum peruersionis multorum, in denunciatione autem iudiciali non potest, vt patet. Quare prima opinio omnino tenenda est.

16. Restat, vt soluamus argumenta aliqua facta pro opinione numero 6. explicata, quatenus fauent opinioni, quam reiecimus. Primum argumentum deductum ex illis verbis Christi Domini, *si peccauerit in te frater tuus*, &c. iam satis solutum est. Ad secundum, quod sumitur ex generali regula iuris canonici, quòd *delicta occulta soli iudicio diuino reseruantur*, Respondeo id intelligendum esse de aliis delictis ab hæresi; quia hæresis de se est delictum publicum, & infectiuum aliorum. Ad tertium, Respondeo in Clementina *Nolentes de hæreticis*, non esse sermonem de peccato hæresis; sed de blasphemia, & quodam alio, à quo non licet argumentum sumere ad peccatum hæresis; quod habet specialem rationem, vt diximus, vt ab hac regula fraternæ denunciationis excipiatur. Ad quartum & illud Apostoli ad Titum, *hæreticum post vnam, & secundam monitionem deuita*, Respondeo Paulum locutum fuisse ibi cum Tito Episcopo, & quia Ecclesia eo tempore vires non habebat ad cremandos, & puniendos hæreticos in iudicio conuictos, solùm restabat eos diuitare, & excludere à communicatione fidelium, cogendo scilicet fideles, vt eos deuitarent, & hic est verus sensus illius loci, quem iam alibi tetigimus. Supponit ergo D. Paulus iam fuisse denunciatum illum hæreticum, atque in iudicio conuictum; quare non est casus similis, vt patet.

17. Limitanda tamen est doctrina præcedens. Primò, vt non procedat in eo qui ex notitia confessionis crimen hæresis alicuius scit, semper enim excipiendum est sigillum sacramentale confessionis. quæ sententia ita certa est, vt contraria sit erronea; & ita docet Suarez *de fide disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 16. *& tom.* 4. *de pœnit. disput.* 33. *sect.* 2. Rojas *sing.* 3. *num.* 36. Simancas *de cathol. Inst. titulo* 19. *num.* 18. Peña 2. *part. directory commentario* 18. Farinacius *tract. de hæresi quæst.* 197. §. 2. *num* 6. & procedit hæc limitatio non solùm de persona hæretici, sed etiam de complicibus illius, qui si etiam ex sola notitia confessionis agnoscantur, quia fortasse ipse hæreticus illos in sua confessione declarauit, quod tamen cauendum est, omnino denunciandi non sunt, vt communiter docent Theologi. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. Ledesma 1. *part.* 4. *quæst.* 10. *art.* 5. Et ratio est, quia iniuria fieret sacramento confessionis, si id quod ex notitia illius habetur reuelari posset, etiam si totus orbis, & fides totius Ecclesiæ periret; merito enim redderetur hominibus formidabile, & peccatores ab illo retraherentur, & circunstantia complicum est circunstantia peccati in confessione declarati: vnde sub eodem sigillo continetur tamquam pars sub toto, & tamquam accessorium sub principali, vt latè probat Suarez *dicto tom.* 4. *de pœnit. loco allegato.*

Suarez. Rojas. Simanc. Peña. Farinac. Sotus. Ledesma. Suarez.

18. Ad nullum aliud secretum iuramento etiam confirmatum extendenda est prædicta limitatio, nullû enim ab hac denunciatione excusat, vt docent etiam omnes Doctores numero præcedenti allegati. Estque res omnino certa, & ratio est primò, quia omne aliud secretum est merè humanum; & nascitur ex priuato pacto tacito, vel expresso inter loquentem & audientem; quod præiudicio esse non potest legi superioris; quæ hanc denunciationem præcepit; vt docet Rojas *singul.* 3. *num.* 23. & patet ex capite, *Quemadmodum* §. *finali de iureiur.* vbi vir qui iurauit non accusare vxorem de adulterio, non obstante iuramento, illam potest accusare, vt ibidem dicitur. Secundò, quia omne aliud secretum vel ordinatur ad temporale commodum, vel ad priuatum, & particulare commodum illius, qui secretum reuelat: denunciatio autem hæc ordinatur ad bonum commune spirituale, ac diuinum; & ideo præferenda est. Tertiò, quia nullum secretum iuramento etiam firmatum in damnum tertij obligat, non enim iuramentum vinculum est iniquitatis: hîc autem damnum tertij datur, damnum nimirum spirituale multorum, qui ab hæretico peruertuntur; quod euenit, nisi statim hæreticus reueletur. & ita specialiter docet D. Th. 2. 2. *quæst.* 7 *art.* 1. *ad* 2. Syluester. *verb. denunciatio. in fine.* Rojas *dicto singulari* 3. *num.* 23. & omnes præcedenti numero allegati. Patet ex capite, *si diligenti de foro competenti*, & ex glossa ibi, & alij.

Rojas. D. Thom. Syluest. Rojas.

Limitanda est secundò, vt non teneatur ipse hæreticus occultus se ipsum denunciare, ita Peña 3. *part. directory commento* 12. Simancas *de cathol. inst. titulo* 44. *num.* 3. & Rojas *singul.* 3. *num.* 45. Soto *de ratione tegendi secreti, membro* 2. *quæst.* 7. Suarez allegatus *num.* 18. & sumitur ex regula iuris. *Non dico tibi vt prodas*; quæ habetur in capite, *Quid aliquando de pœnit. dist.* 1. desumpta ex D. Chrysostomo *homilia* 31. *ad Hebr. &* 41. *ad populum Antiochenum.* Et ratio est, quia nemo tenetur agere contra se ipsum; esset enim hæc durissima obligatio, & valde repugnans naturæ fragilitati; imò hoc etiam extenditur, vt locum habeat etiamsi hæreticus generaliter in inquisitionibus interrogetur, neque enim tunc etiam tenetur se prodere; quia non interrogatur, vt reus, sed vt testis, seu denunciator; & ita docent prædicti authores, & Caietanus 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. & Sotus *in relectione de tegendo secreto num.* 2. *q.* 7. & Simancas *de cathol. inst. tit.* 41. *num.* 13. 19.

Peña. Simanc. Rojas. Soto. Suarez. Caiet. Sotus. Simanc.

Obiicies in Concilio Bitterrensi cap. 1. Ita haberi: *vt omnis qui sciuerit, se vel alios in crimine labis hæreticæ deliquisse, compareat veritatem dicturus.* Respondeo, aliter id accipiendum esse respectu sui, & respectu aliorum; nam respectu aliorum est præceptum absolutum, respectu verò sui est quædam concessio condiționata; nam ibi in eo concilio agitur de tempore quod domini Inquisitores appellant *tempus gratiæ*, intra quod, magna indulgentia promittitur iis, qui sponte sua se accusauerint, & correxerint, vt latè explicat Peña in 3. *part. directory commento* 12. 20.

Idem de sociis propriæ hæresis seu complicibus; quandiu enim quis non interrogatur, vt reus, non tenetur socios sui criminis manifestare: quia moraliter loquendo non potest quis manifestare socios, quin se ipsum etiam manifestet. Nam si Petrus v. c. tenetur manifestare Paulum socium sui criminis; postea Paulus interrogatus iam, vt reus, tenebitur denunciare Petrum; & sic Petrus denuncians Paulum virtute se ipsum denunciaret; includit enim ratio societatis delicti relationem ad alterum; relatiua autem sunt simul cognitione, sunt enim relata talia, quòd 21.

posito

posito vno ponitur alterum, vt patet, & ita docet optimè Suarez *de fide disp.20.sect.4. num 19.* Suar.

22. Dixi; *quando non interrogatur, vt reus*, quia si vt reus ipse hæreticus iuridicè interrogaretur, tunc sine vlla dubitatione teneretur socios sui criminis manifestare; quia tenetur, crimen suum integrè confiteri, cum iuridicè interrogatur; & similiter omnes circunstantias illius necessarias ad adhibitionem remedij ipsius criminis; non manifestaret autem integrè suum crimen, & omnes circunstantias necessarias illius, quæ remedium necessariò requirunt, nisi manifestaret socios proprij criminis. Teneretur igitur illos manifestare. Confirmatur, quia etiam in aliis criminibus perniciosis Reipublicæ datur hæc eadem obligatio; ergo multo magis in crimine hæresis. Ita docet Suarez allegatus *dict num.19. ad finem.* & Nauarrus *in summa cap.18. num.58.* & Sayrus *in clavi regia lib 11. cap.14 num.29* cum multis, quos allegat Rojas *singul. 3. num. 35.* Bernard. Dias *in practica cap 118* Nauarr. Sayrus. Rojas. Bern Dias.

23. Limitanda etiam est doctrina præcedens, quando certissimum esset, hæreticum iam esse omnino emendatum, & quæsiisse remedium ad sui conuersionem Ita Rojas *sing 3 num.32.* Soto *de tegendo secreto lib 5. art.1 post principium.* Menchaca *controuers.16. num 4.* tunc enim non tenemur illum denunciare. Et ratio est, quia deficiente causa, quæ erat efficax ad aliquem actum, effectumue producendum, deficit ipse actus, & eius effectus *l. finali, ff. de testam. tut. cap. Cum cessante, de Appellat. & capite. Cum infirmitas, de pœnit. & remission.* Vnde cum quis iam est emendatus, cessat peccatum, & periculum peruersionis aliorum, ac per consequens, cessat etiam denunciatio, quæ erat medium, ac remedium ad emendationem. Verùm quia hominum iudicium sæpe fallit, & difficillimum est posse quempiam firmum iudicium habere de conuersione, & pœnitentia alterius, & quia hæretici subdoli sunt, & sub ouina pelle lupum gerunt, & sæpe fingunt se esse emendatos, vt faciliùs noceant, & errores suos clanculum seminent; ob has rationes tutius, & rectius esse arbitror eos etiam in hoc casu denunciare. Rojas. Soto. Menchac.

24. Dubitant tamen aliqui Doctores an limitanda etiam sit præcedens doctrina; vt non procedat in personis coniunctissimis, v. g. in filio respectu patris, in patre respectu filij; in marito respectu vxoris, in vxore respectu mariti; in fratre respectu sororis, in sorore respectu fratris. Et circa hoc punctum partita est opinio. Prima docet non teneri filium patrem hæreticum occultum iudicibus denunciare, cum tamen pater filium hæreticum similiter occultum teneatur iudicibus competentibus indicare. Ita docet expresse Simancas *de cathol inst. tit.29. num.35.* Abulensis *in Deut. cap.13. quæst 3.* Fundamentum illorum est Primò, quia nulla lex extat naturalis, diuina, vel humana quæ tam graue onus humeris filiorum imponat, vt teneantur patres denunciare, nam lex humana, & edictum Inquisitorum id non præcipit expresse, nec lex Moyses Deut. 13. *Si tibi persuadere voluerit frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, vt animam tuam, dicens: Eamus, & seruiamus dijs alienis &c. non miserearis, vt occultes eum.* & Exod. 32. vbi postquam Moyses excitauit ad vindicandam iniuriam Deo illatam, fratrem, amicum, & proximum: postea laudans factum ait; Simanc. Abulens.

Consecrastis manus vestras Domino; vnusquisque in Filio & in Patre; sed non in patre, nec patrem nominat, quia portentosum prorsus, atque monstrosum esset, vt aliquis immanitate bestias vinceret, vt parentes occidat, cum etiam feras ipsas inter se partus atque educatio, & natura ipsa conciliet. Secundò, quia habet totum suum esse à Patre, & ideo maximè obligatur ad illum infra Deum amandum, & honorandum: ergo licet pater lege diuina & naturali obligetur ad denunciandum filium hæreticum, cui esse, & substantiam dat, & à quo illud non accipit: tamen non potest filius obligari ad accusandum, aut denunciandum patrem, à quo esse, & substantiam accipit. Tertiò, quia si filius teneretur patrem hæreticum occultum iudici denunciare, teneretur se ipsum infamare, & se ipsum bonis paternis, & legitima sibi à patre contingenti priuare, quo quid durius potest cogitari? iuxta caput, *Quis aliquando de pœnit. dist.* 1. capite *Cum secundum de hæret. in 6.*

Neque obstant argumenta in hunc modum fabricata Primò, iuxta legem Dei pater filium impium, & hæreticum accusare, ac punire tenebatur; ergo, & filius patrem. Secundò, quia filius tenetur magistratibus indicare patrem proditorem Principis, ac patriæ, vt eleganter docet Cicero *lib. 3. officiorum*, & in confesso est apud omnes teneri patrem ad indicandum filium; si Principem velit occidere. Cur ergo etiam filius non tenebitur patrem hæreticum denunciare, cum pluribus titulis, & nominibus obstrictus sit Deo, quàm Principi? *oportet enim obedire Deo magis quam hominibus.* Nam primum argumentum non valet propter rationem iam factam; quia filius accepit suum esse à patre, & matre, & repugnat iuri naturæ, vt illos accusare possit, & ideo non sine ratione patrem excepit Moyses legislator Dei; nam cum legem promulgaret, in qua coniunctissimos quosque recensuit, quos Hebræi accusare tenerentur, parentes omisit, quorum in primis mentio facienda erat. Nam si idem de patre, aut matre voluisset, expressisset vtique; nec enim deerant illi verba, nec obliuisci potuit legislator ille de parentibus, & cum lex illa sit pœnalis, non est extendenda ad casum dissimilem, vt bene animaduertit Tostatus Deut. 13, *quæst. 3*, Secundum argumentum, non etiam obstat, vt ait Simancas *de cathol. inst tit. 29. num. 42.* Est enim ratio, quia nisi Patriæ, & Principis proditor magistratibus indicetur, momento temporis, vniuersa Respublica perire potest, cuius salus præferenda est saluti patris; hæresis autem paulatim serpit, & neminem occidit initium; & quandiu est occulta, parum nocebit Reipublicæ, cum verò publica fuerit, & latiùs serpserit, nullo planè denunciante, iudicibus fiet manifesta, quare est dissimilis vtrobique ratio. 25. Tostat. Simanc.

Secunda tamen opinio verior & tenenda oppositum docet, asseritque non solùm teneri patrem filium hæreticum etiam occultum, sed etiam filium parentem, similiter hæreticum occultum denunciare. Hanc tenent communiter Suarez *de fide disput.20. sect.4 num. 21.* Caietan. *in cap. 3. Deut.* Nauarrus *in capite Inter verba, & in summa cap. 15.* Castro *lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. vltim.* Palat. Rub. *in repet. capitis. Per vestras §. 17. num. 7. fol. 65. de donat. inter virum, & vxorem;* Mascardus *de probat. conclusione 857. num. 18.* Ludou. à Paramo *de orig. sancta Inquisitionis lib. 8. à num. 83.* Toletus *lib. 5. summa cap. 5. num. 10.* 26. Suarez. Caiet. Nauarr. Castro. Mascard. Lud. à Par. Tolet.

Alensis. Farinac. Rojas. Peña. Azor. *num.* 10. Alensis 3. *part. quæst.* 33. *membr.* 4. Farinacius *de hæresi, quæst.* 197. *num* 40. Rojas *singulari* 3. *num.* 29. Peña *lib.* 2. *comment.* 15. Azor. *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. Dicit tamen Alensis solùm in duobus casibus teneri filios accusare parentes, nempe in crimine læsæ maiestatis humanæ; & in crimine hæresis, quando hæresis alios inficit, secus quando est occulta, & aliis non est perniciosa; sed soli patri nociua. Sed hanc limitationem non admittit Suarez, nec alij DD. admittunt. Probatur primò, *Deut.* 13. præcipitur pater denunciare filium, ergo comprehendit etiam ea lex filium respectu patris, & in ea etiam præcipitur filius denunciare patrem; quia correlatiuorum eadem est ratio, præsertim quia licet obligatio filij ad patrem sit maior, tamen amor patris ad filium est maior, & sic vterque se excedit, & vterque tenetur denunciare vtrumque. Secundò, quia in eadem lege asserit Moyses maritum teneri denunciare vxorem, & tamen non excipit maritum; sed omnes asserunt in eadem correlatiuorum lege teneri etiam maritum vxorem denunciare; ergo sufficit, quod in eadem lege nominetur pater, vt censeatur filius etiam nominatus, & vnum relatiuum sub alio contineri. Tertiò quia l. *Minimè. ff. de religiosis & sumptib. funer.* dicitur occidendum esse parentem hostem patriæ, sed hæreticus æquiparatur hosti patriæ, imò hostem patriæ excedit, quia est hostis Ecclesiæ in his, quæ ad Deum, & ad animam immediatè pertinent. Ergo si filius tenetur accusare patrem hostem patriæ, à fortiori tenebitur illum accusare si hæreticus sit, & hostis Ecclesiæ, nam ordo charitatis postulat, vt bonum animæ, & spirituale anteponatur bono vitæ & temporali. Quartò, quia præceptum Ecclesiæ, & edictum Inquisitorum est generale, & omnes præcipit denunciari, & neminem excipit; quare ad vnguem obseruandum est, nam vbi lex non distinguit, nec nos illam distinguere debemus. Simanc. Nec obstat ratio dissimilitudinis, quam assignat Simancas *de cathol. inst. tit.* 29. *num.* 42. & quam tetigimus *num.* 25. in crimine læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ: licet enim hæresis paulatim serpat, at crimen proditionis patriæ, aut Principis in momento totam Rempublicam perdat; tamen aliud crimen hæreseos est perniciosius, quia perdit animas simul cum vita, & cum bonis. Ex ex dictis solùm satis manent fundamenta primæ opinionis.

27. Rojas. Peña. Suarez. Tertium tamen argumentum multum vrget. Sed dicendum est cum Rojas *dicto singulari* 3. *num.* 23. & cum Peña; & Suarez *supra* allegatis, in eo casu, quo filius parentem denunciet, seruandum esse filium à dominis Inquisitoribus indemnem quantum fieri potest, itavt pœna confiscationis propriæ legitimæ, & pœna infamiæ remittatur, argumento legis. *Quisquis. §. vltimo. C. ad legem. Iul. Maiestatis.* Peña. Et Peña affert legem quandam Frederici Imperatoris hoc statuentem, quam à Summis PP. dicit esse approbatam, scilicet ab Innocentio IV. vt idem refert in vltima parte directorij, *pag.* 6. *&* 9. & vt benè animaduertit Castro *lib.* 2. *de iusta hæret punit. cap.* 16. est hoc moraliter necessarium, ne filij ab hac denunciatione deterreantur, & quodammodo est illis debitum propter insigne opus virtutis, vt ait Suarez allegatus *num.* 12.

28. Ex dictis sequitur nullam limitationem admittendam esse in hac denunciatione ex parte personarum, quamuis coniunctissimæ sint; omnes enim tenentur se ad inuicem denunciare, vt patet. Procedit enim hæc obligatio in filio respectu patris; in patre, respectu filij; in marito respectu vxoris; in vxore, respectu mariti; in fratre, respectu fratris, & sororis, & in reliquis omnibus personis consanguinitatis, amicitiæ, & necessitudinis vinculo coniunctissimus, vt patet.

Vltimum dubium est, An ius excipiat aliquas personas, quæ non denuncientur apud Inquisitores, quod perinde est, ac quærere, An personæ aliquæ à tribunali sanctæ Inquisitionis sint exceptæ? Et verò si loquamur de personis laicis, omnes huic tribunali fidei iure subduntur. Patet ex cap. *Vt officium*, §. *Denique de hæret. in* 6. docet Eymericus 3. *part. directorij, quæst.* 31. & Peña *ibi*, & Molin. *de iust. tract.* 5. *disput.* 28. *num.* 21. Suarez *de fide disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 14. Cenedo *collectaneo.* 14. *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *quæst.* 13. Admonent verò huiusmodi auctores omnes cum Regibus, & Principibus absolutis prudenter, & cautè agendum esse, & consulendum priùs Summum Pontificem, si forte eorum aliquis in hæresim prolaberetur, quòd ordinariò inde scandala, seditiones, & infelices exitus timeantur; in cæteris verò Dynastis hæc ratio non æquè procedit, cum aduersus illos brachium Regum implorari possit. 29. Eymiric. Peña. Molina. Suarez. Cened. Azor.

Cardinales, Episcopi, Archiepiscopi, non nisi à Summo Pontifice de hæresi iudicari possunt; excipiuntur enim in iure, vt patet ex cap. *Inquisitores. de hæreticis in* 6.. Vide Suarez hac de re numero præcedenti allegatum *num.* 25. Officiales Papæ etiam iure excipiuntur, & solùm à Summo Pontifice de hæresi iudicari possunt; nam ipsi etiam Summo Pontifici reseruantur, vt patet ex extrauaganti. *Cum Matthæus de hæreticis inter communes*; Inquisitores enim, si in hæresim incidant, à solo Summo Pontifice iudicari possunt. Ita Suarez *num.* 26. vbi asserit, neque Inquisitorem posse cognoscere de hæresi alterius Inquisitoris, Nuntij, aut Collectoris, alteriusve delegati, dum est in officio; quia hi omnes sunt officiales delegati ipsius Summi Pontificis, vt de se patet, officiales enim ob priuilegium sui tribunalis in eo solùm tribunali conueniri possunt. Circa religiosos nulla est exceptio iuris. nam licet olim circa facultatem procedendi aduersus religiosos exemptos varia statuta fuerint, vt patet ex directorio Inquisit. *part.* 3. *quæst.* 88. *commento* 77. tamen omnes tandem tribunali sanctæ Inquisitionis subiecerunt Clemens VIII. in rescripto, *Cum sicut*, & Paulus IV. in constitutione incipienti, *Pastoris æterni*; quod experientia, & vsu patet. 30. Suar.

Pœnæ verò, quas incurrunt personæ hæreticos non denunciantes cum ad id tenentur, hæ sunt. Primò, incurrunt excommunicationem ipso facto, vt patet ex edictis Inquisitorum, in quibus, cum promulgantur, excommunicatio ipso facto imponitur non denunciantibus, nisi legitima causa culpam excuset. Ita Peña *in directorio* 2. *part. comment.* 18. Secundò, asserit Castro *lib.* 2. *de iusta hæret. punit. cap.* 26. non denunciantes, cum possint, fieri de hæresi suspectos; sed hoc moderandum est, quando aliæ circunstantiæ concurrunt, quæ ad id indicandum moueant; sola enim omissio denunciationis per se non sufficit, vt docet Rojas *singulari* 3. *num.* 18. & Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4 *num.* 28. Peña addit *dicta* 2. *part. directorij comment.* 78. 31. Peña. Castro. Rojas. Suar. Peña.

punien

puniendos esse huiusmodi non denunciantes, vt fautores. Verùm excedit Peña, vt docet Suarez allegatus, moderatiùs loquitur Simancas *de cathol. inst. tit.44. num. 11.* vbi asserit hos puniendos esse arbitrio Inquisitorum tanquam inobedientes. Hactenus de fide. Simanc.

Capvt XXVII.

De præcepto charitatis Dei, quo tempore obliget, an in primo instanti vsus rationis.

Svmmarivm.

Datur præceptum de dilectione Dei super omnia; præambulum ad primum præceptum de colendo Deo. num 1.

Modus diligendi Deum cadens sub præceptum, est, vt illum amemus super omnia diligibilia appretiatiuè. num.2.

Quid sit Deum appretiatiuè super omnia diligere. num.3.

An licitum sit patrem, aut aliam creaturam magis intensiuè, quàm Deum diligere. ibid.

Deum tenemur diligere propter se tanquam rerum omnium vltimum finem. num.4.

An possimus Deum diligere propter se, & propter præmium beatitudinis, quam nobis confert, & quomodo. num.5.

An licitum sit ordinare dilectionem Dei super omnia ad res temporales obtinendas. num.6.

An præceptum dilectionis Dei obliget statim, ac quis vsum rationis habet. Refertur primùm opinio affirmans. num.7.

Præfertur negans. num.8.

Puer habens vsum rationis ante baptismum cum solo veniali peccato moriens, an in purgatorio sit expurgandus. num.7. & 9.

An ad limbum descendat. ibid.

Tempus in quo præceptum dilectionis Dei super omnia obligat, est illud, in quo quis grauibus tentationibus odij Dei vexatur, & periculum est, ne succumbat, nisi actum amoris Dei eliciat. num 10.

Quid si sit tentatio odij Dei, vt est author rerum naturalium. ibid.

Est peccatum mortale deliberatè desiderare perpetuò in hac vita manere; nulla tamen est culpa longam vitam desiderare. num.11.

Reijcitur opinio, quæ asserebat tunc obligare præceptum dilectionis Dei cum animaduertimus, aut ab alio edocemur nos ideo à Deo fuisse creatos, vt illum amaremus. num.12.

Reijciuntur aliæ opiniones circa hanc materiam. à num.13. vsque ad 16.

1. PRæmitto in primis dari præceptum de dilectione, & amore Dei super omnia: quod in primo præcepto Decalogi de colendo Deo, seu deferendo cultum, & honorem Deo continetur, imò quod communiter dicitur primum præceptum, & est veluti præambulum, ac basis colendi Deum; neque enim honorem Deo dignè deferre possumus, quin illum priùs agnoscamus & diligamus. Dari præceptum de dilectione Dei super omnia patet ex Deut.6. *Diliges Dominum Deum tuum ex* Deut. 6. *toto corde tuo*; & ex Matth. 22. *Et hoc est primum & maximum mandatum.* Probari etiam potest sic. D.Matth. Actus amoris Dei est ad salutē necessarius, oportet igitur, vt de illo detur præceptum, aliàs & non esset sub præcepto, id quod ad salutem necessarium est, & non satis esset ad salutem obseruatio mandatorum Dei, contra illud Christi Matthæi 19. dictum adolescenti propriæ salutis studiosos. *Si vis ad vitam ingredi; serua mandata.* Matthæi 19. D Matth.

Modus cadens sub hoc præcepto, & quo Deus præcipit, vt se amemus, est, vt super omnia illum diligamus. Deum autem super omnia diligere, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 22. *art.* 3. *& quæst.* 44. *art.* 4 *ad* 1. nihil est aliud, quàm Deum præ omnibus creaturis appretiatiuè diligere, hoc est, vt illum super omnes creaturas diligamus, honoremus, æstimemus, eligamus potiùs millies mori, quàm illum offendere, & denique, vt amor Dei in nobis appretiatiuè sit maior cæterarum rerum amore. 2. D Thom.

Dixi appretiatiuè, non intensiuè; quia non opus est, vt amor Dei sit in omnibus feruentior, intensior, ac vehementior cæterarum rerum amore; fieri enim potest, vt aliquis quoad feruorem, & intensionem magis sensibiliter rem aliquam diligat, v. c. Patrem, ac matrem, filium, aut amicum, quàm Deum, & id quidem absque peccato; appretiatiuè tamen tenemur Deum diligere super omnia, quia taliter dispositi esse tenemur ex præcepto amoris Dei, vt si perdendus sit Deus, aut omnes aliæ res, potius res omnes perdere velimus, quàm Deum offendere. Consistit igitur actus amoris Dei super omnia ab hoc præcepto imperatus, in actu voluntatis firmiter proponentis fore, vt in quauis necessitate velimus potius, & eligamus, res alias perire, quàm Deum offendere siue formaliter siue virtute id fiat. Vnde bene possumus præceptum de diligendo Deo super omnia obseruare, etiamsi aliquando creaturas magis sensibiliter, & intensiuè quàm Deum amemus, dummodo eum amemus magis appretiatiuè. Stat enim à quopiam magis intensiuè amicum diligi, quàm parentem, & tamen si detur ei optio, magis eliget in vrgenti, aut extrema necessitate amicum perire, quàm parentem, & si vtrique succurrere non possit, parenti potiùs, quàm amico succurrere. Hoc igitur modo poterit quis licitè aliquando magis sensibiliter, intensiuèque patrem amare, quàm Deum, non tamen magis appretiatiuè, quia ex vi præcepti dilectionis Dei, tenetur ita esse paratus, vt in occasione oblata, velit potius patrem offendere, si opus sit, quàm Deum, ac proinde licet amor ille parentis maior sit intensiuè quàm amor Dei, iste tamen maior est appretiatiuè: quæ doctrina est D. Thomæ, loco allegato, Suarez *tom.4. in 3. part. disput.4. sect. 4. num.7.* Azoris alios referentis, *tom. 1. lib.9. cap.4. quæst.3.* Toledo *lib 4 summa cap.9. num.7.* Valentiæ 2. 2. *disput.3. quæst.4 punct.2. & quæst.19. punct.1.* Nauar. *in summa cap. 1. Latinè num.4. Hispanè num.9* neque enim consonum erat suauitati legis diuinæ, vt daretur præceptum de maiori amore Dei intensiuè quàm parentis, aut rerum aliarum; alioqui enim semper homines suspensi, & anxij essent, & continuis corroderentur scrupulis, an peccarent, & præceptum implerent, nec ne, cum nihil magis eos lateat quàm gradus intensionis, qua actum amoris eliciunt. Secundò vt impleamus præceptum charitatis, satis est quod eum ordinem 3. D.Thom. Suar. Azor. Toled. Valent.

seruemus

seruemus vt charitas & amor noster eum opus fuerit circa id obiectum sit efficacior in opere quod est maiori amore dignum; hoc enim est diligete *nō verbo & lingua, sed opere & veritate*. Ioan. 1. 3 Atq; ad hoc præstandū sufficit quod amemus id obiectum quod maiori amore dignum est quahs est Deus magis appretiatiuè, vt patet ex dictis, & exemplo allato. ergo solum magis appretiatiuè tenemur amare Deum super omnia.

4. Ex dictis deducitur primò, ex vi præcepti amoris Dei teneri nos ordinare totum nostrum amorem ad Deum tamquam ad vltimum rerum finē, atq; adeo teneri omnes Deum diligere propter se, tamquam vltimum rerum omnium finem. Quod patet euidenter, quia alioqui non diligeretur super omnia appretiatiuè, si amor illius ad aliquod creatum ordinaretur, vt optimè docet

D.Thom D.August. D. Thom. 2. 2. *quæst*. 27. *art*. 3. ab omnibus receptus. & D. August. *lib*. 1. *de doctrina Christiana cap* 4.

5. Possumus tamen diligere Deum propter se tāquam vltimum rerum omnium finem, itaut simul illum deligamus propter præmium beatitudinis quam nobis confert, dummodo tamen merces beatitudinis sit finis dilectionis nostræ, non ipsius Dei; seu quod in idem recidit, dummodo merces beatitudinis sit finis minùs principalis, & Deus sit finis primarius, & principalis. Licitum ergo nobis est dilectionem Dei, & omnia opera nostra bona ad æternam beatitudinis mercedem referre tamquam ad finem minùs principalem, non tanquam ad finem vltimum, & principalem,

Dauid. quod fecisse testatur Dauid Psalmo 118. dum ait, *inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem*. Et definitur in Concilio Tridentino sess. 6. canone 31. ibi. *Si quis dixerit iustificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit*. Quo pacto Christus Dominus etiam operatus est, sustinuit enim Crucem & passionem suam primariò propter gloriam, & honorem Dei Patris, secundariò propter gaudium, gloriam, & honorem corporis sui, *vtpote qui, proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem confusione contempta*. ad Hebræos 12. quod

D Thom. bene docet D. Thom. 2. 2. *quæst*. 27. *art*. 3. & *in* 3. *sentent. dist*. 29. *quæst*. 1. *art*. 4 vbi Doctores, &

Durand. specialiter Durandus *quæst*. 3. Vnde meritò docent nonnulli auctores peccatum esse mortale Deum deligere ob mercedem vitæ æternæ, tamquam ob finem principalem. & hi sunt Syluester

Syluest. Fumus. Nauarr. Toled. *verbo charitas quæst*. 7 & ibi Fumus *fine*. & Maytonis quem refert, ac sequitur Nauarrus *in summa Latina cap*. 11. *num*. 20. *versu* 6. Toledo *lib*. 4. *summa cap* 9. *num*. 4 tunc autem ea merces est finis minus principalis, quando est causa mouens; vt faciliùs, & feruentiùs Deum diligamus, alioqui tamen dilecturi, etiamsi nō tam facilè, promptè, & expeditè, & tunc est finis principalis quando nisi ea spes præmij, mercedisque adesset, Deum non diligeremus, hic enim amor est mercenarius instar obsequij præstiti à famulo mercede conducto. Quando verò prædicti AA dicunt amare Deum propter vitam æternam tanquam propter finem vltimum, esse ita amare Deum propter vitam æternam, vt si ea non esset, non amarem Deum, idque esse peccatum mortale; tunc solum existimo verum, quando per illud *non amarem Deum*, innueretur aliqua displicentia Dei positiua, vel formalis, vel virtualis, qualis reperitur in eo qui solùm vult pharmacum propter sanitatem; is enim non solùm careret volitione pharmaci si non esset sanitas, sed vlterius actu habet displicentiam ipsius pharmaci, etiam eum illud vult, & ratione talis displicentiæ dicitur inuictus, nolensque sumere pharmacum non per nolitionem efficacem; sed inefficacem, quæ nomine displicentiæ importatur. Idem visitur in seruo, vt exemplo in hac quæstione satis familiari vtamur, qui ita obsequium præstat Domino propter metum illius, vt sibi omnino displiceat obsequium Domini, & non nisi inuitus illud velit. Dixi ita debere intelligi prædictos AA. quia aliter ita amare Deum propter vitam æternam, vt reuera non elicerem actum amoris Dei præcisè, nisi esset vita æterna, non apparet cur sit peccatum mortale saltem pro tempore quo non obligaretur quis illum amare.

Aliqui volunt quod peccatum mortale contra hoc præceptum committat ille, qui deliberatè desiderat perpetuò in hac vita degere, quia suo illo desiderio delitias huius sæculi Deo & vitæ æternæ præponeret penè atheus, licet longam vitam desiderare nullum prorsus peccatum sit etiam

vaniale. Ita Nauarr. *cap*. 11. *num*. 16. *versu* 8. Nauarr.
Adrianus *in* 4. *de confess. quæst*. 4. *ad finem*. Rodrig *tom*. 1. *summa in* 2. *edit. cap*. 21. *fine*, Sanch. *tom*. 1. *Decalog lib* 2. *cap*. 25. *num*. 11. Ledesma *in summa sacram. vbi de confess. post dub*. 51. *in interrogat. circa primum præceptum pag*. 710. Bonacina *disp*. 3. *quæst*. 4. *de charit. punct* 1. *in fine*. Adrian. Rodrig. Sanchez. Ledesm. Bonac.
Quod verum quidem est, si qui desideraret in vita hac permanere, reuerà præponeret hanc vitam & eius voluptates æternæ vitæ, & visionis claræ Dei delicijs quod non nisi sceleratissimus facere potest At verò si quis vellet in perpetuum hanc vitam conseruare, ne hoc bono priuetur, non apparet cur peccatum mortale sit, præcipuè si id fecisset, quia nescit an saluandus sit; si enim ex eo præcisè quod vellet vitam perpetuò conseruare, censeretur præponere simpliciter huius sæculi voluptates, delicijs æternæ vitæ; etiam qui longam vitam desideraret pro illo tempore præferret visioni & fruitioni Dei vitæ huius apparentia bona, ac proinde is etiam peccaret, quod prædicti AA. negant, quia summa etiam peruersitas est vel pro exigui temporis mora diuinam Dei fruitionem terrestri voluptati postponere.

Dubium tamen est, An licitum sit dilectionem Dei super omnia, & alias actiones pias, & spirituales ad res temporales obtinendas tamquam ad finem dirigere, & ordinare. Respondeo licitum esse hæc dirigere, & ordinare, ad res temporales assequendas, quatenus illæ quasi dispositiones sunt remouentes prohibens ad bona spiritualia obtinenda, illicitum verò dilectionem Dei, & res spirituales ad consecutionem harum rerum temporalium tanquam ad finem dirigere, non tamen hoc excedere culpam venialem; vt statim ostendemus. Ratio est, quia finis semper ex natura sua debet esse nobilior medio quod ad illum ordinatur, & contra rationem finis est, vt minùs bonus sit quàm media, quæ ad illum assequendum diriguntur; & sic quando Ecclesia Missas, orationes, & alia pia opera spiritualia ad res corporales assequendas instituit, pluuiam, videlicet, salutem corporalem, pacem, & alia similia, hæc ad has res temporales dirigit non per se, & tamquam ad finem principalem, sed quatenus conducunt & dispositiones sunt ad gratiam & res spirituales consequendas, vt probauimus in 1. *Ecclesiæ præcepto lib*. 4. *cap*. 4. *num*. 9. & 6.

Henriq. Bellarm. Valent. Bañes. Sanchez. ita docet Henriq. *lib. 9. de Missa cap.* 13. *num.* 3. & Bellarm. *lib. 2. de Missa cap.* 3. Valentia 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 5. *punct.* 2. Bañes 2. 2. *quæst.* 27. *art.* 3. *dub. vnic.* Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap* 35. *num.* 3 *ad finem.* Addunt tamen (& doctè) Bañez, & Sanchez non esse de se mortale, sed solùm veniale peccatum, seclusa temeritate, & contemptu si hæc bona spiritualia ordinentur, ac dirigantur ad assecutionem temporalium tanquam ad finem, quia assecutio bonorum temporalium de se licita est, & peruersio finis quando ille licitus est, non excedit culpam venialem: sic Eucharistiam sumere ob humanam gloriam, non est etiam nisi veniale; quia acquisitio gloriæ humanæ non est illicita, sed licita; & peruersitas finis, quando finis de se non est illicitus sed licitus, veniale tantùm est; vt latè probat Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. & nos alibi probauimus. Nec etiam opus est iuxta hos authores actu aliquo expresso referre ea bona temporalia à Deo per actum amoris, & per Missas, & orationes petita ad bona spiritualia; sed satis est illa simpliciter à Deo mediantibus his rebus spiritualibus petere, quia tunc virtute hæc ad Deum referuntur.

7. Sequitur explicandum tempus, pro quo obliget hoc præceptum diligendi Deum, & quidem si loquamur de præcepto negatiuo quod in præcepto positiuo amandi Deum includitur, certum est obligare pro semper, quod est proprium præcepti negatiui. Maius dubium est de præcepto positiuo, & primò occurrit in eo quæstio illa satis celebris; An præceptum dilectionis Dei obliget statim, ac quis vsum perfectæ rationis habet. Partita est opinio. Prima docet tunc statim obligare, & hoc esse tempus in quo maximè obligat hoc præceptum. Ita docet Toledo *lib.* 4. *summa cap.* 9. *num.* 9. Nauarrus *in summa Latina cap.* 11. *num.* 8. Sotus *lib.* 2. *de iustit. quæstion.* 3. *artic.* 10. *col.* 6. *versu, Responsio horum.* Bañez 2. 2. *quæst.* 44 *art.* 1. *dub.* 1. *ad* 3. Rodrig. *tom.* 1. *summæ in* 2. *edit. cap.* 11. *num* 3. (Tolet. Nauarr. Sotus. Bañez. Rodrig.) Fundamentum est. Primò, quia, vt docet D. Thom 1. 2. *quæst.* 89 *art.* 6. Caietanus *ibi*, & idem D. Thom 2. *sent. dist* 42. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 7. & *de veritate quæst.* 28. *art.* 3. *ad* 4. Syluester *versu, Oratio, quæst.* 8. Victoria *in relect. ad quid teneatur homo perueniens ad vsum rationis* 2 *part à num.* 11. Nauarr. *cap. Quando. num.* 16 & 17. (D.Thom. Caiet. Syluest. Victoria. Nauarr.) puer etiam nondum baptizatus tenetur sub mortali cum ad vsum rationis peruenit, statim ad Deum se conuertere, & in ipsum tanquam in vltimum finem sua omnia ordinare; ad id enim speciali Dei auxilio iuuatur; ergo tunc obligat præceptum diligendi Deum super omnia. Secundò, quia si non teneretur cum primùm ad vsum rationis peruenit, statim ad Deum per actum amoris conuerti; sequeretur pro eo tempore posse committere peccatum veniale v. c. mendacium officiosum dicere; hoc autem est ingens absurdum; nam si puer ille post illud peccatum veniale moreretur, quod non implicat, nullus erit locus in quo tale peccatum veniale puniatur; non enim punietur in inferno, quia illuc soli decedentes cum mortali descendunt, vt puniantur; non in purgatorio, quia illuc soli amici Dei purgandi adeunt; non in limbo, quia cum ibi nulla sensus pœna sit, minimè puniri potest propter tale veniale. Vt ergo fugiamus hoc absurdum, dicendum est, teneri puerum nondum baptizatum cum primùm peruenit ad vsum rationis, se ad Deum per actum amoris Dei conuertere, & tunc obligare præceptum diligendi Deum super omnia; nam si illud impleat, illuminabitur à Deo, ac statim consequetur gratiam; & si tunc moriatur, rectà ad cœlum tendet; si non impleat, peccabit mortaliter, & rectà ad inferos descendet. Hæc sunt fundamenta istius opinionis.

Secunda opinio negat. Hanc tenet Valentia 8. 1. 2. *disp.* 6. *quæst.* 19. *punct.* 3. Vasquez 1. 2. *q* 89. *art* 6 *disp.* 149. *toto cap.* 2. Suarez *tom.* 4 *in* 3. *part. disp.* 11. *sect.* 2. *num.* 14. & 15. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *inst. moral. cap.* 10. *quæst.* 6. & *lib.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 1. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi cap.* 35. *num.* 7. Philiarchus *de officio sacerdotis, tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 5. Victoria pro prima allegatus dicit hanc esse etiam probabilem. (Valent. Vasq. Suar. Azor. Philiar. Victor.) Fundamentum illorum est. Primò, quia non videtur rationi consonum, & suauitati legis diuinæ, vt præceptum tam arctum in tam tenera ætate obliget, eo vel maximè, quia tunc vniuersi pueri inuincibili ignorantia illius præcepti laborant, cum nec rationem dubitandi, nec rationem de illo inquirendi habeant, nec habere potuerint, cum ante illum rationis vsum, ad nullum præceptum teneantur, & statim post illum non potest puer moraliter loquendo cognoscere tempus, quo Deum diligere teneatur. Quis enim vnquam nouit primum rationis momentum? Non ergo statim post illud tenetur puer Deum diligere. Secundò, quia, asserto hoc præcepto, non effugitur absurdum quod sententia effugere intendebat. Eo enim stante, potest ille puer illo primo tempore, quo statim post vsum rationis tenebitur iuxta hanc sententiam actum dilectionis Dei elicere, peccare venialiter cum solo originali, quod inde patet, quia circa omnia præcepta in tempore, quo obligant, potest dari culpa venialis ex defectu plenæ deliberationis. Cur ergo is defectus non poterit in puero reperiri, vt sic detur prima eius culpa venialis? Profectò non apparet ratio ob quam iustè id negari possit; quare tenetur hæc sententia assignare locum in quo hoc veniale puniatur, puero illo statim post illud moriente. Deinde, quia potest etiam ille puer statim ac rationis vsum assequitur, aliquantulum mente diuagari, & ita non implere illud præceptum tempore quo illud tenebatur implere; at hæc diuagatio ad summum est venialis; etsi tunc statim cum ea culpa veniali ante baptismum moriatur, quo loco puniendus sit actus ille, venialis profectò, debet etiam assignare hæc sententia. Vnde argumentum non magis hanc secundam quàm illam primam sententiam vrget.

Ad argumentum igitur primæ opinionis omissis aliis responsionibus, quas affert Suarez *tom* 4. *in* 3. *part. disputat.* 11. *sect.* 2. *num.* 15. (9. Suarez.) Respondeo primò, negando fore, vt ille puer cum veniali discedat; nam Deus præuidens, quæ futura essent peccata in hominibus illis puniendis, loca destinauit; nullum autem locum destinauit pro adultis cum solo originali, & veniali peccato ante baptismum discedentibus, vnde impossibile est impossibilitate consequenti ex suppositione ordinationis Dei, quæ non tollit libertatem, vt ille puer cum solo veniali in originali peccato moriatur; hæc autem impossibilitas est consequens scientiam, & ordinationem Dei; quæ libertatem minimè tollit. Sic constituit Deus prædestinatum non moriturum in mortali, quia tunc moriens damnaretur; quod prædestinationi repugnat; & licet absolutè posset peccare mortaliter,

Palud.
Sotus.
Ledesma

liter, tamen supposita prædestinatione, & scientia Dei, impossibile est ob hanc suppositionem impossibilitate consequenti, ipsam prædestinationem, & scientiam Dei, quòd ille in peccato discedat, quod similiter non tollit libertatem. Non placet tamen responsio Paludani *in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2.* dum ait huic puero è viuis discedenti ex liberali Dei benignitate in vltimo instanti exitus animæ è corpore per aliquem bonum actum, quem potest homo viribus naturæ elicere, peccatum veniale dimissum iri relicto originali, quia reuera hoc improbabile est. Primò, quia nihil certum haberi potest de hac Dei liberalitate. Secundò, quia venialis culpa maior est, quàm, vt solius naturæ viribus per actum naturalem deleri possit, præcipuè ab eo qui inimicus Dei actu est. Sotus verò *in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 4.* & Ledesma *1. 4. quæst. 28. art. 4.* asserunt huiusmodi hominem cum ceteris damnatis in inferno perpetuò puniendum, mitiori tamen pœna. Verùm id licet non sit ita improbabile, nimis rigidum videtur. Potius si diuinandum esset, dicerem ex Suarez *tom. 4. de pœnitentia disput. 11. num. 18.* Coninch. *disp. 24. de charitate, dub. 8. n. 40. & 41.* puerum illum in limbo puerorum puniendum fore aliqua pœna perpetua vel temporali, orta ex displicentia sui ob talem culpæ maculam. quod nimirum repugnat scientiæ, & ordinationi diuinæ, vt quisquam cum solo veniali simul cum originali ex hac vita discedat, vt suprà diximus.

Sanchez.
Bañes.
Arag.
Petr. Ledes.
Valentia.

10. Explicata prima quæstione sequitur inuestigandum pro quo alio tempore prædictum præceptum dilectionis Dei super omnia obliget. Aliqui dicunt esse illud tempus in quo quis grauissimis odij Dei tentationibus pulsatur, & periculum est, ne succumbat, nisi actum amoris Dei eliciat; & si tentatio sit ad odium Dei, vt auctor est supernaturalis, obligatio erit ad eliciendum actum amoris Dei supernaturalem; si verò tentatio sit ad odium Dei, vt auctor est naturalis, obligatio erit ad eliciendum actum amoris, vel naturalis, vel supernaturalis. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 36 num. 9. fine.* Bañes *2. 2. quæst. 22. art. 1. dub. 2.* Aragonius *ibi.* Petrus Ledesm. *tom. 2. summa, tractatu 2. cap 4 conclus. 6.* & Valentia *2. 2. disput. 2. quæst. 4 punct. 1.* & idem Sanchez *tom. 1. Decalogi cap. 13. num. 3. versu, Vltimum tempus.* Probant, quia præceptum spei tunc obligat, cùm aliquis graui desperationis tentatione vexatur, & in periculo succumbendi est, nisi animum actu spei firmet; & item præceptum fidei tunc etiam obligat, cùm aliquis graui tentatione hæresis vrgetur, & in eodem periculo labendi est, nisi actum fidei eliciat, vt diximus *cap. 2. num. 18.* ergo tunc à paritate rationis præceptum amoris Dei obligabit, cum quis graui tentatione odij in Deum vexatur, & in periculo cadendi est, nisi actum amoris Dei eliciat, cum non detur maior vtrobique ratio. Sed reuera, vt dixi de actu fidei, hoc non est obligare hoc præceptum per se, & ex vi sua, sed per accidens ratione tentationis, seu ratione præcepti vincendi tentationem; quare non elicere tunc actum amoris Dei, non erit destinctum peccatum ab eo, quod committetur succumbendo tentationi, vt de se patet, & diximus suprà *cap. 2. cit. num. 8.*

11. Notabis verò peccatum esse mortale deliberatè desiderare perpetuò in hac vita degere, quia tunc deliciæ huius sæculi vitæ æternæ præponuntur, & qui hoc deliberatè cuperet, penè atheus esset; nulla tamen est culpa longam vitam desiderare, & licitè procurare, vt optimè docet Nauarrus *cap. 11. num. 16. versu,* Octauò. Adrianus *in 4. de confession. quæst. 4. ad finem.* Rodrig. *tom. 1. summa in secunda edit. cap. 11. in fine.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 25. num. 11.* Ledesm. *in summa sacram.* vbi *de confess. post. dub. 12. in interrogat. circa primum præceptum, pag. 710.*

Nauar.
Adrian.
Rodrig.
Sanchez.
Ledesma.

Secundò, alij dicunt tunc obligare hoc præceptum amoris Dei, cum primò animaduertimus, aut ab alio edocemur, nos ideo à Deo fuisse creatos, vt illum amaremus, & illius excellentiam veneraremur. Hanc opinionem tenuit Valentia *2. 2. disp. 3. quæst. 19. punct. 1. conclus. 1.* ex eo fundamento, quia tunc quasi nobis lex hæc diuina promulgatur, ac sui obseruationem exigit. Sed fundamentum non est firmum, vt dixit Sanchez. Primò, quia videtur satis esse, si tunc referat gratias Deo. Deinde displicet quod contrahat obligationem tanti præcepti ad initium tantùm vitæ. 12.

Valentia.

Tertiò, alij assignant tempus in quo præceptum diligendi Deum obliget, cum quis audit aliquem de Deo blasphemare, quia vera ratio amicitiæ postulat, vt tunc blasphemantem arguat, Deumque tunc diligat, vt amorem illi per blasphemiam adeptum actu amoris resarciat. Ita Sotus *lib 2. de iust. quæst. 3. art. 10. col. 6. versu. Hoc tamen.* Nauarrus *in summa Latina cap. 11. num. 16.* Rodrig. *tom. 1. summæ in secunda edition. cap. 11. num. 3.* Medina *1. 2. quæst. 106. art. 4.* At verius est tunc ex religionis, non ex charitatis præcepto teneri nos Dei honorem tueri. Cum enim blasphemia sit contra Dei honorem, obligat tunc præceptum religionis ad increpandum tantum huiusmodi blasphemantem. Ita doctè Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 35. num 9. versu. Sextum tempus est.* 13.

Sotus.
Nauarrus.
Rodrig.
Medina.
Sanchez.

Quartò, alij aliud tempus assignant, nimirum cum quis adultus baptizatur, quia sicut dynasta aliquis in suam familiam aliquem admittit, id primum ab eo iustè petit, vt suam sibi conseruandæ amicitiæ, & fidelitatis fidem adstringat; ita cùm primùm per baptismum adultus ad fidem Christi recipitur, tenetur per actum amoris Dei, fidem suam ac amorem nomen dare, ad Deo fideliter seruiendum: sic Sotus *lib. 1. de natura, & & gratia cap. 22. versu. Dicamus ergo, in casu primo. & lib. 2. de iust. quæst. 3. art. 10 versiculo. Responsio horum.* At meritò hoc improbat Nauarrus *in summa Lat. cap. 11. n. 7. 8. & 9* Axor. *tom. 1. inst. moral lib. 9. c. 4 q. 1* Sanch. allegatus *versu. Secundum tempus est*, quia ad baptismum suscipiendum, est sufficiens dispositio attritio cognita, quæ non includit amorem Dei, sed ex pœnæ timore, vel spe præmij insurgit; & sic satis est, si quis se militem Christi profiteatur, seque futurum ei in posterum fidelem proponat, quod præstabit si ad baptismum accedat cum attritione peccatorum si eam habeat, & firmum propositum cauendi in posterum peccata, quod in ipsa attritione includitur. Deinde hæc obligatio non est pro omnibus. 14.

Nauar.
Azor.
Sanchez.

Quintò, alij de peccatoribus loquentes asserunt tunc obligare huiusmodi præceptum dilectionis Dei, & tempus esse implendi illud, cùm tenentur habere veram contritionem peccatorum, vt illorum veniam extra Sacramentum pœnitentiæ comparent in articulo mortis. v. c. cum carent copia confessarij. Ita Axor. *tom. 1. inst. moral. lib. 9. cap. 4. quæst. 1. §. Alij dicunt. in* 15.

Azor.

 fine.

fine. Probat, quia hoc præceptum fuit à Deo institutum, tanquam medium ad salutem hominis necessarium, & tanquam remedium ad iustificationem impij, & ideo tunc temporis debet maximè obligare, cum non datur vllum remedium sacramenti ad salutem impij. Sed hæc ratio generalis non est, & militat in peccatoribus tantùm: At nostra quæstio de omnibus procedit tam iustis, quàm peccatoribus vt iam suprà dixi. Deinde non videtur huius præcepti obligatio ad mortem vsque differenda.

16. Sextò alij assignant tempus, quo cuiquam martyrium subeundum est, quia tunc videtur actu Dei amoris super omnia teneri se ad martyrium perferendum munire. Ita Sotus *lib. 2. de inst. quæst. 3. art. 10.* dicens sortè ita esse, & *lib. 1. de natura, & gratia cap. 22. versic. Dicamus ergo. casu 2.* & Toletus *lib. 4. summæ cap. 9. num. 10.* & Rodrig. *tom. 1. summæ in secunda edit. cap. 11. n. 3.* At licet certum sit martyrium in infantibus non requirere actum voluntatis, & esse illos capaces martyrij seu baptismi sanguinis, etiam in maternis vteris, & antequam aqua baptismi illustrentur, vt tenet Ecclesia de omnibus innocentibus, qui tempore Herodis impij propter Christum occisi sunt, & docet D. Th. *2. 2. quæst. 124. art. 1. ad 1. & quodlib. 9. art. 4.* & Richard. *in 4. dist. 4. art. 2. quæst. 3.* vbi hoc extendit ad illos infantes, qui in vteris maternis simul cum matribus occiduntur, & Suarez *tom. 3. in 3. partem quæst. 69. disp. 29. sect. 1. versu, Dicendum ergo 1. littera C, fol. mihi 385. col. 2.* vbi dicit hoc non posse sine temeritate negari propter traditionem Ecclesiæ, & festum illius in illorum honorem institutum. Licet etiam certum sit martyrium in adultis requirere actum voluntatis, & consensum in ipsum martyrium, vt docet idem D. Thom. *2. 2. q. 124. art. 1. & 2.* Caietanus ibi ferè in vltimis verbis, & Sotus *in 4 dist. 15. quæst. 1. art. 1. & lib. 2. de natura, & grat. cap. 16.* & Suarez citatus *sect. 2. versu, In hac re respondendum. fol. mihi 387. col. 2.* vbi in confirmationem asserit, si contingat aliquem fidelem in somno à tyranno occidi in odium Christi, si ipse fidelis antea nihil sciuit, nec vllam voluntatem martyrij priùs habuit, non esse fidelem illum, martyrem, neque ex illa morte fructum aliquem gratiæ, aut remissionem culpæ, vel pœnæ comparare, quia adulti cum sint capaces propriæ voluntatis, sine voluntatis consensu non consequuntur gratiam, nec vllam remissionem culpæ; quamobrem nulla actio, aut passio exterior illis prodesse potest ad salutem, nisi aliquo modo voluntaria sit. Deinde, quia de intrinseca ratione martyrij est, vt sit opus virtutis; opus autem virtutis essentialiter à voluntate pendet, quare si in martyrium nunquam consentit, opus virtutis esse non potest.

17. Dubium tamen est, an omnes adulti ante mortem martyrij subeundi, & instanti, imminentique martyrio teneantur actum amoris elicere, & an saltem in hoc temporis articulo obliget præceptum diligendi Deum super omnia? Videtur negare Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 35. num. 9.* vbi absolutè, & absque vlla distinctione dicit satis tunc esse se oratione ad huoc martyrij actum munire, auxilium, & fortitudinem à Deo petendo, quia martyrium est actus fortitudinis, & solùm à charitate imperatur, & priuilegium gloriæ statim habet. Alij distinguunt de homine, qui est in gratia, & in peccato mortali; & si est in peccato mortali, asserunt teneri instanti martyrij occasione præmittere actum amoris Dei super omnia, aut contritionem peccatorum; & si voluntariè hoc omittat, & sine dispositione moriatur, asserunt non saluari, nec illi martyrium prodesse, inter quos est Suarez *tom 3. in 3. part. quæst. 69. disp. 29. sect. 3. §. Dico primò, fol. mihi 391. col. 2.* addit tamen in *§. Dico 2.* sufficere attritionem intercedente bona fide, & ignorantia iuris diuini, & facti obligatoris ad præmittendam eo tempore contritionem, vel actum dilectionis Dei super omnia. Fundamentum illius est, quia occasio martyrij non tollit obligationem adhibendi media necessaria ad salutem. Deinde, quia opinio quæ asserit sufficere instanti martyrij occasione præmittere actum fortitudinis, & se per fortitudinem ad actum martyrij præparare licet sit probabilis, si fortasse in re est falsa, nihil illi proderit ad salutem, qui tali opinione confisus sine peccatorum contritione, martyrio se exposuerit. Quod verò sufficiat bona fides cum ignorantia iuris vel facti & cum attritione, probat in hunc modum, quia Patres attribuunt baptismo sanguinis, seu martyrio vim ad remittenda peccata mortalia, non solùm quoad pœnam temporalem, sed etiam quoad culpam; vnde si semper in te ipsa esset necessaria præmissio contritionis, aut dilectionis Dei super omnia, hæc locutio Sanctorum Patrum esset falsa; semper enim actus martyrij supponeret culpam ablatam per ipsam contritionem, aut actum dilectionis Dei; quare ne hoc dicamus, dicendum est dari casum in quo martyrium non requirat actum contritionis aut dilectionis Dei super omnia in hominibus peccatoribus, vt possit communis locutio sanctorum verificari; casus autem est ille, in quo peccator cum attritione, & cum bona fide, & ignorantia iuris vel facti ad martyrium procedit. Si est in gratia, dicunt sufficere elicere actum fortitudinis, & non esse necessarium præmittere actum contritionis, aut amoris, quia ipsa gratia est sufficiens dispositio saluris. Ita idem Suarez allegatus.

Alij dicunt neque in homine iusto, neque in peccatore necessariam esse hanc præmissionem actus amoris Dei super omnia, aut contritionis, sed sufficere ad actum martyrij per actum fortitudinis se præparare petendo à Deo fortitudinem ne deficiat. Hanc sententiam videtur tenere Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 35. num. 9.* quatenus absolutè dicit sufficere se præparare ad martyrium per actum fortitudinis, & non distinguit de homine peccatore, & in gratia existente; tenet etiam expressè Vega citatus à Suarez allegato. Fundamentum illorum est. Primò, quia voluntas martyrij est virtualis quædam dilectio Dei super omnia, & virtualis displicentia peccatorum omnium. ergo erit sufficiens dispositio ad actum martyrij. Antecedens patet, quia per eam voluntatem homo contemnit propter Deum id, quod est in hac vita maioris æstimationis, nam ponit animam suam, hoc est, dat vitam propter Deum, & diligit eum plus quàm se, & ideo dat vitam ne eum offendat, & virtute detestatur Dei offensam super omne delectabile. Secundò, quia actus martyrij est per se difficillimus, ergo non est obligandus homo vt ad alios actus diuertatur, ne virtus in pluribus actibus diuisa in singulis fiat minor. Tertiò, quia hoc singulare priuilegium est martyrij, vt ipsum per se solum ea singulari prærogatiua Christi effectum habeat remittendi omnem culpam, & pœnam, 18.

pœnam, ficut habet baptiſmus, vnde, & baptiſmus ſangninis appellatur, & de hoc priuilegio videntut loqui ſancti Patres. [Tertullian.] Vnde Tertullianus in Apologetico in fine: *Quis nen pati exoptat, vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compenſatione ſui ſanguinis expediat; omnia enim huic operi delicta donantur.* Et in Scorpiaco cap. 6. accommodat illud Pſalmi 31. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, ipſis beatis Martyribus, dum ita inquit: *Propriè enim Martyribus nihil poteſt imputari, quibus in lauacro vita ipſa deponitur.* & idem ferè habet D. Cyprianus [D.Cyprian.] de laudibus Martyrij in fine.

Verùm quicquid ſit de veritate harum opinionum, certum eſt neque etiam in prima tempus aſſignari vniterſale pro omnibus, cum ſolùm in ea aſſigoerint tempus pro Martyribus iis, qoi in mortali exiſtent. Reiectis igitur ſupradictis ſententiis, Dicendum eſt cum Suar. [Suarez.] *de charit. diſp.* 5. *ſect.* 3. *num.* 4. dari quidem tempus pro quo dictum præceptum obligat, id tamen tempus noo tam affirmatiuè, quam negatiuè aſſignari poteſt; quemadmodum accidit in reſtitutione, ad quam debitor quidem tenetur ex præcepto, cum tamen primum inſtans pro quo illud obliget, aſſignari nō poſſit. Tempus igitur pro quo obligat hoc præceptum, imprimis eſt illud quod currit poſt vſum rationis, ita vt non multum poſtquam cognouit Deum eſſe vltimum finem & vt talem diligendū teneatur quis actum amoris Dei elicere. Dein etiam obligat hoc præceptum ad reiterandum in vita hunc amorem Dei aliquoties, ita vt prudentis arbitrio non omittat per multos annos exercere amorem Dei. Huius ſententiæ videtur eſſe Sanchez. Conſulto omiſi alia tempora aſſignata ab aliis, quia ex iis quæ tradidimus loquendo de fide *cap.* 1. colligi poſſunt.

CAPVT XXVIII.

Quæ peccata charitati in Deum aduerſentur, & quæ in proximum, & quatenus inimicos diligere teneamur.

SVMMARIVM.

Peccatum odij Dei directè amori illius ſuper omnia aduerſatur. num. 1.

Aduerſatur etiam peccatum omiſſionis dilectionis Dei, quando tentatione odij Dei pulſamur, quam aliter vincere non poſſumus, niſi eliciendo actum dilectionis Dei. num. 2.

Item quando Deum indebito modo, & non appretiatiuè diligimus. ibid.

In extrema, & graui neceſſitate ſpirituali proximi quatenus teneamur pro illo vitam temporalem exponere. num. 3.

Pueros fidelium, & infidelium in extrema neceſſitate baptiſmi an teneamur baptizare cum iactura vitæ, & bonorum temporalium. num. 4. & 5.

Cum euidenti periculo ſalutis noſtræ ſpiritualis, non tenemur ſaluti ſpirituali proximorum ſuccurrere. num. 6.

Nec cum diſcrimine temporalis vitæ, vitæ temporali alterius opitulari. ibid.

Quando peccet ille mortaliter, qui peccatum alterius poteſt impedire, & non impedit. num. 7.

Damnatum iuſtè ad mortem nemo tenetur pecunia redimere. num. 8.

Quatenus teneamur inimicos diligere, & non excludere a noſtris orationibus. num. 9. 10. 11.

Tenemur ſub mortali inimicis veniam petentibus iniuriam remittere quantum ad odium, rancorem animi, & quantum ad culpam in nos commiſſam, non quantum ad ſatisfactionem iniuriæ, & damni. num. 12.

Quis prior teneatur veniam petere, offendens, ne, an offenſus, & an aliquando teneatur offenſus. num. 13. *Quid ſi vnus ſit nobilior altero?* ibid.

TRIA ſunt peccata, quæ ſuppoſita Dei cognitione charitati in Deum aduerſantur. Primum eſt directum, poſitiuum, ac deliberatum odium Dei, quod peccatum potius eſt dæmoniorum, quàm hominum, & quidem maximum eſt omnium peccatorum, vt probat D. Thom. [D.Thom.] 2. 2. *quæſt.* 34. *art.* 2. & Nauar. *in ſumma Lat. cap.* 11. *num.* 8. ſicut enim charitas Dei eſt maxima omnium virtutum, ita vitium illi oppoſitum, & odium Dei eſt maximum omnium peccatorum, oppoſita enim iuxta oppoſita magis elucéſcunt, & quia actus ſummè malus opponitur actui ſummè bono, vt docet Ariſtoteles, *ethic.* 8. & dilectio Dei ſuper omnia eſt actus ſummè bonus, inde eſt, quod actus illi contrarius, nempe Deum deliberatè odio habere, ſummè malus ſit. Dixi *deliberatè* propter ſemiebrios, qui ex defectu iudicij à mortali excuſantur. Et verò, quamuis Deus ſecundùm ſe, & vt eſt ſummum, & infinitum bonum, dignus ſit omni noſtro amore, & odio haberi non poſſit, poteſt tamen odio haberi quatenus ab aliquo, vt ſibi infeſtus apprehenditur, vt optimè animaduertit Sanchez [Sanchez.] *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 10. & Azor. [Azor.] *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 14. *quæſt.* 6. quia odium eſt actus, quo perſona alicuius tamquam infeſta, & nobis odioſa diſplicet, vnde ipſam non eſſe, aut malum aliquod ei optamus. Quamobrem cum quis poſſit Deum, vt ſibi infeſtum, concipere, poteſt illum odio habere, & Dei perſona illi poteſt diſplicere, optaréque Deum non eſſe, aut ei malum aliquod deſiderare; etſi enim electio voluntatis non poſſit dari circa impoſſibilia; poteſt tamen dari ſimplex voluntas, vt docet Philoſophus *lib.* 3. *Ethic. cap.* 2. 1.

Secundum eſt, Deum non diligere, cum id ex præcepto facere tenemur, id eſt, omittendo actum dilectionis, eo tempore quo diximus præceptum amoris Dei obligare per ſe. Tertium eſt, quando Deum diligimus indebito modo; id eſt, minori appretiatione, quàm cæteras creaturas, ſeu quod idem eſt, non maiori amore appretiatiuè, quàm reliqua omnia creata; ad id enim nos obligat diuinum hoc præceptum dilectionis Dei, vt diximus in ſuperioribus, cum tradidimus teneri nos omnes ex præcepto dilectionis Dei, Deum ſuper omnia appretiatiuè amare, licet non intenſiuè. 2.

Hæc breuiſſimè peccata ſunt quæ præcepto amoris in Deum aduerſantur, videndum modò ſequitur quænam peccata præcepto amoris in proximum aduerſentur. Et imprimis ſuppono vt quid de fide dari præceptum quo obligamur proximos diligere. Ita habetur Matth. 22. *Diliges proximum ſicut te ipſum.* Vbi particula *ſicut* vt TT. & interpretes omnes notant, non æqualitatem ſed ſimilitudinē indicat. Per *proximum* verò omnis rationalis creatura beatitudinis capax ſi credimus 3.

[August. D Thom.] Augustino *de doctr. christiana cap.* 23. 26. & 30. intelligitur. Vnde D. Thom. 2. 2 *quæst.* 25. *art.* 10. & cum eo TT. docent angelos etiam sub proximi nomine comprehendi. Nec excluduntur inimici, ij enim etiam odio habendi non sunt iuxta illud Christi Domini: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Matt. 5. Suppono deinde hoc præceptum diligendi proximum per se non obligare ad eliciendum actum internum dilectionis proximi, eo modo quo dicebamus obligare præceptum dilectionis Dei, ac proinde solum obligare per accidens quando occurrerit necessitas misericordiæ, vel periculum odij, aut similia quæ subiiciemus statim. Ita enim obligationem diligendi proximum explicabimus.

Et imprimis quamnam obligationem habeamus ex charitate subueniendi proximo in necessitate spirituali inquires. Ad resolutionem quæstionis aduerto triplicem posse dari necessitatem proximi. Prima est extrema: secunda grauis: tertia leuis. Leuis est quam proximus etiam sine tuo auxilio facile expellere potest: grauis est quam non nisi difficulter sine tuo auxilio euitare potest. Extrema est periculum æternæ damnationis quod proximus effugere sine tuo auxilio, aut simpliciter non potest, aut non nisi ita difficulter vt moraliter impossibile existimetur. His positis, certum imprimis est, & DD. ferè omnibus catholicis indubitatum in extrema necessitate teneri quemlibet proximo extremè periclitanti circa salutem æternam non solùm cum iactura bonorum fortunæ, sed ipsius etiam vitæ subuenire. [D Thom. Torres. Azor. Tolet. Coninch. Suarez.] Ita D. Thom. & eius expositores in 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. è nostris Torres *disput.* 87. *dub.* 1. *conclus.* 3. Azor. *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 4. Tolet. *lib.* 4. *summæ cap.* 10. Coninch. *disputat.* 25. *dub.* 7. *num.* 86. Suarez *de charitate disp.* 9. *sect.* 2. *num.* 2. Probatur. Debemus pro fratribus animas ponere vt habetur Ioannis 3. ergo saltem in extrema necessitate æternæ salutis eorum.

4. Vt res verò planior fiat, exemplis vtamur. Ex tradita igitur doctrina sequitur primò si filius Christiani ante vsum rationis sit in periculo moriendi sine baptismo, quia vel nullus est qui possit vel velit illum baptizare, teneris etiam cum periculo propriæ vitæ illi succurrere. [Nauar. Lorca. Suarez Valent. Coninch. Bonac. Sot.] Ita Nauarr. *cap.* 24. *num.* 29. Lorca 2. 2. *sect.* 3. *disp.* 28. *num.* 32. Suarez *de charitate disp* 9 *sect.* 2. *num.* 3. Valent. *disp.* 3. *quæst* 4 *de charitate punct.* 3. *in fin.* Coninch. *disp* 25. *dub.* 7. *num.* 88. Bonacin. *disp* 3. *quæst.* 4. *de charitate punct.* 4. *num.* 2. Sotus negat teneri te puero morienti sine baptismo occurrere, quando ab intrinseca causa in tale periculum fuerit immissus, v. g. à tyranno, quia tunc necessitas est per accidens, non per se, sed reuera impertinens videtur vnde necessitas proueniat, si tamen datur, & aliter puer illam effugere non potest. Emanuel Sà putat probabile non dari talem obligationem, quia aliter mater grauida teneretur se permittere secare, vt puer, quem gestat in vtero baptizetur, quando aliter sine baptismo mori debet, quod non videtur admittendum; sed id admitterem, si detur certitudo quod puer possit & de facto sit accepturus baptismum. Dixi suprà *si filius Christiani*, non verò absolutè si puer ante vsum rationis, quia non est ita constans doctrina quòd filius ethnici in extrema necessitate debeat baptizari inuitis parentibus, vt non sint aliqui [D.Thom.] qui oppositum doceant cum D. Thom. 2. 2. *quæst* 10. *art.* 12. & 3. *part. quæst.* 68. *art.* 10. quamuis id possit fieri sine vi illata parentibus, aut magna perturbatione pro certo habeam debere baptizari.

Obiicies ex doctrina Caiet. 3. *part. quæst.* 68. *art.* 1. Gersonis *serm. de Trinit.* & Gabr. *in* 4. *d.* 4. *quæst.* 2. [Caiet. Gerson. Gabr.] Puer, iam natus, imò & in ventre matris, qui in re non potest suscipere baptismum, potest saluari cum baptismo in voto parentum cum aliquo exteriori signo. ergo non est constitutus in extrema necessitate eo quod non possit recipere baptismum. Respondetur tamen antecedens continere doctrinam omnino contrariam sacræ scripturæ Ioan. 3. dum ibi dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Etsi quando sufficit baptismus in voto, debet esse votum ipsius non patris aut alterius. [D.Thom. Durand. Syluest.] Neque fauet D. Thom. 3. *part. quæst.* 64. *art.* 8. *ad* 2. Durand. *in* 4. *d.* 6. *quæst.* 2. Syluest *ver. Baptismus* 1. *part.* 5. dum asserunt, si quando baptismus est inualidus ratione intentionis ministri, supplere Deum illum defectum. Primò, quia licet hoc piè dictum sit, incertum tamen est. Deinde est longè diuersum, vt patet. Aliter dicendum si puer vel in vtero matris vel iam natus interficiendus esset in odium Christi, quia tunc verè non esset in extrema necessitate, supplente baptismo sanguinis baptismum aquæ, vt optimè docet Sotus *in* 4. *d.* 13. *q. vnic. art.* 2. *concl.* 2. [Sotus.]

Difficilius est exemplum afferre in adulto, 5. quia rarò in eo extrema necessitas occurrere potest, cum ferè semper per contritionem in quacunque necessitate sibi succurrere possit ne æternam salutem amittat, vt Nauarr. *in cap. Inter verba* 11. *quæst.* 3. *num.* 632. [Nauar.] Sed tamen exemplum afferri potest in adulto, qui dormiens in peccato ab inimico occidi debet, nisi eum à somno cum periculo meæ vitæ excitem, vt doleat vel confiteatur. Deinde Idem existimo dicendum in adulto rudi, de quo moraliter loquendo certus sum nescire se actum contritionis elicere, cum sciam si aliquando dolet de peccatis solùm dolere ob metum inferni, aut amore beatitudinis propriæ. Is etiam dicetur constitutus in extrema necessitate, si non habeat qui eius possit vel velit audire confessionem, nisi id ego faciam; vnde tenebor ego etiam cum periculo vitæ v. g. quia peste infectus est, subuenire. Ita quoad hoc exemplum secundum Suarez cit. & alij. Alia exempla similia vnicuique facile occurrere poterunt. Hoc tamen aduerto scilicet duas conditiones esse omnino necessarias, vt quis teneatur proximo succurrere cum periculo propriæ vitæ Prima est, vt certò sciat esse in extrema necessitate. Secunda, vt certò moraliter sciat auxilium suum profuturum. Aliter non obligabitur; si non est in extrema necessitate propter rationes quas infrà dicam loquendo de graui necessitate: si non detur scientia quod profuturum sit meum auxilium; quia salus proximi si est dubia, non videtur necessariò præferenda tanto damno & periculo meo certo. Ita communiter DD. Non esset verò in extrema necessitate qui te occidere vult, quia sponte se in illa constituit cum desistere possit, [Coninch. Bonac.] vt optimè notat Coninch. *suprà. num.* 95. Bonacina *disp.* 3. *quæst* 4. *punct.* 4. *num.* 2. *fine.* Neque item rustici qui à concionatore hæretico in hæresim inducuntur, quia vel sunt in ignorantia inculpabili, & non peccant; vel si peccant assentiendo in manu sua est, & postea poterunt pœnitere. Idem dicendum de filia quam pater læsioni tradere statueret nisi cum graui bonorum fortunæ dispendio succurras; tum quia ipse si velit,

Coninch. Valent.

velit, potest resistere; & deinde etiam si peccet, pœnitere postea poterit. Tandem in extrema necessitate etiam non sunt, qui ex ignorantia celebrarent contractum vsurarium, quia hi etiam vel ex ignorantia si inuincibilis est, liberantur à culpa, vel postea de illa dolere possunt, neque enim præsumi potest, eos semper in tali culpa perseueraturos. Vide Coninch. *disp.25.de charit. dub.7.num* 94. Quare non bene oppositum docuit Valent. *disp.3 quest.4.de charit.punct.3.*

D.Thom. Nauarr. Bonac. Suarez. Sà. Valent. Coninch.

Circa necessitatem grauem aliter dicendum, quia nemo extra necessitatem extremam proximi tenetur illi cum periculo vitæ vel amissionis membrorum, aut graui iactura bonorum fortunæ succurrere. Ita D. Thom. 2.2. *quest.26.art.5. ad* 3. Nauarr. *cap.* 24. *num.* 12. Bonacina *disp.* 3. *q.4 punct.4.n.2.* è nostris Suarez *disp.9. de charit. sect.2. num.4.* Sà *verb. charitas num.* 2. *&* 5. Valent. 2.2. *disp.3.quest.4.punct.3.vers.2.dico post* 5. *assertionem.* Coninch. *de charit. disput.* 25. *dub.7. num* 96. & est communis sententia. Quia videtur durum arctari quemlibet ad amissionem vitæ, membrorum & bonorum fortunæ ob necessitates proximi passim occurrentes quales sunt graues. Et hinc est, quòd nemo teneatur cum graui damno suo peccatum alterius impedire, neque ad Ethnicorum prouincias proficisci, præterquam quòd fructus ex hac profectione non sit certus. Teneretur verò Princeps vel Parochus; tamen ea obligatio non ex charitate, sed ex pacto saltem tacito & iustitia oritur.

Suar. Coninch. Bonac.

Contrarium dici oportet si Respub. vel communitas cuius sis pars, in graui necessitate fuerit; teneris enim illi etiam cum periculo vitæ subuenire. Ita Suarez *supra num* 4. Coninch. *num.* 99. *&* 100. Bonacina *num.* 5. & videtur communis. Probatur. Grauis necessitas alicuius communitatis grauissimum damnum est, ergo merito illi & necessariò subueniēdum est cum damno etiam & amissione vitæ alicuius particularis. Ex hac doctrina sequitur quando ab aliquo doctrina hæretica dissiminaretur in ciuitate vel prouincia, teneri te si spem habeas impediendi opponere. Et item in persecutione, vel incursione hostili teneri te administranda sacramenta si aliter periculum foret incidendi ciues in grauia peccata.

6. Nunquam tamen licitum est proximis in extrema necessitate spirituali constitutis cum euidenti periculo, & iactura nostræ salutis spiritualis succurrere; nec enim licet, etiam cum solo veniali peccato totum mundum lucrari; *quid enim prodest homini si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Marci 8. Lucæ 9. neque enim propter pietatem committenda est impietas, nec sunt facienda mala, vt eueniant bona. Nec item tenetur vnusquisque cum discrimine vitæ suæ corporalis, succurrere proximo in necessitate etiam extrema corporalis vitæ constituto, vt docet Medina 1.2.*quest.95.art.*4. & Rutilius Benzonius *lib.1.disp.1.quest.1.conclus.*1. Nauar *cap.24. num.*23. & alij. Et ratio est, quia ex debito ordine charitatis nostram salutem spiritualem debemus præferre alienæ, sicut nostram vitam; & bona temporalia debemus cæteris paribus vitæ, & bonis temporalibus aliorum anteponere.

Medina. Benzon. Nauarr.

Dices. Homo non est dominus vitæ propriæ; sed tantùm custos; dominus enim illius est solus Deus, iuxta illud Baruc. 3.13. *Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace sempiterna. Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ*; & Prouerb. 3. *longitudo dierum in dextera illius.* Vnde sub mortifero peccato tenemur ex proprio charitatis præcepto vitam nostram conseruare, vt docet D. Thom. 1.2. *quest.73.art.9.ad* 2. & Valentia 2.2. *disp.5. quest.1. puncto* 1. ergo non poterit aliquis vitam propriam exponere pro alterius salute sine peccato, cum rem alienam non propriam exponat. Respondeo licet homo non habeat dominium vitæ propriæ, habere tamen vsum illius ad omnia, quæ dictat recta ratio esse licita: quamobrem licet sub culpa mortali teneatur illam conseruare, tamen vbi recta ratio dictat, tenetur illam exponere, vt patebit amplius in 5. præcepto. Recta autem ratio dictat, vt salus spiritualis proximi, temporali bono proprio præponatur. Et ex hoc fundamento inferunt communiter DD. non solùm teneri nos vitam temporalem pro spirituali proximi periculo, ac iacturæ exponere; sed etiam licitum & meritorium esse præcisè pro temporali vita amici, proximi, aut propinqui vitam nostram etiam eidem periculo exponere, cum scilicet id facimus propter honestum aliquem finem, & exercitium virtutis amicitiæ, vt docebimus *lib.1. Quinti præcepti cap.*12. *num.6.* vbi latè hanc materiam tractabimus, & docet D. Thom. 2.2. *quest.26.art.4.ad 3.& art.5.* Bañes ibi *dub.3.* Saytus *in claui regia lib.7.cap.9. num.*23. & alij.

D.Thom. Valent. D.Thom. Bañes. Saytus.

Statuo secundò. Peccat mortaliter ille qui etiam extra casum necessitatis extremæ, aut grauis, sine detrimento proprio honoris, vitæ, aut rei familiaris, aut cum paruo suo detrimento potest alterius peccatum impedire, & non impedit. Ita docet Nauar. *in summa Latina cap.24. n.23. versu. Quod mortaliter peccat.* Sà *verb. Charitas. num.5.* D. Thom. 2.2. *quest.* 26. *art.5.* Rutilius Benzonius *lib.1.disp.1.quest.1.conclusione* 2. Toletus *lib.4.cap.10. num.* 3. vbi hoc exemplum ponit. Est. v. c. homo diues in ciuitate, qui scit aliquem pauperem velle exponere filiam, si ipse possit absque notabili detrimento subuenire, tenetur sub mortali id facere; si tamen non possit, sine graui detrimento familiæ suæ non tenetur, nisi sit extrema necessitas, vt si illi constaret nullum alium esse in ciuitate, qui vellet succurrere; tunc enim tenetur etiam cum notabili detrimento temporali succurrere, iam enim tunc extrema necessitas spiritualis potest. 7.

Nauarr. Sà. D.Thom. Benzon. Tolet.

Damnatum tamen iustè ad mortem nemo tenetur pecunia redimere, etiam si redimere possit sine detrimento suo, quia nec etiam ipse se tenetur redimere, & potest quis optare malum corporale proximo suo ob salutem animæ illius, & mortem ob Reipublicæ, aut communitatis bonum, imò & hosti suo, sibi alioqui iniustè valde nocituro, poterit mortem optare non ex odio; sed ad vitandum proprium damnum, & similiter de morte illius gaudere ob bonum inde secutum. Ita Sà *verb. Charitas num.6.* & colligitur ex D. Thom. 2.2. *quest.34. art.3. in corpore, & q 36. art.2.* Caietanus *ibi* & cæteri Thomistæ. 8.

Sà. D.Thom. Caiet.

Cum præceptum diligendi proximos, vt dixi supra, extendatur etiam ad inimicos, videndum est quantum circa eos obliget. Et imprimis quod hoc præceptum quatenus negatiuum obliget ad nunquam eos odio habendum, certum est. Vnde sequitur quemlibet obligatum esse ex corde remittere offensam iniurianti etiam non petenti; seu quod idem est, teneri quemlibet abstinere à volitione vindictæ, quatenus malum iniuriantis 9.

eſt. Videtur apertè colligi ex Matth. 18. vbi Chriſtus minatur tradendos à Patre tortoribus qui non remiſerint iniurias ſibi factas ex cordibus ſuis. Ita Nauarr. *cap.* 14. *num.* 25. Lorca 2.2. *ſect.* 3. *diſp.* 25. *num.* 33. Valent. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. *verſ.* 2. *quæritur*. Suarez *diſp.* 5. *ſect.* 5. *num* 9. Coninch. *diſp.* 24. *dub.* 6. *num.* 82. Quatenus verò affirmatiuum eſt, licet per ſe non videatur obligare ad aliquem actum amoris internum eliciendum, per accidens verò ſæpe obligat ratione vitandi ſcandali. Vnde eſt quòd circa inimicos ita ſe gerere quiſquis debet, vt neque illis, neque aliis iuſtam occaſionem præbeat ſuſpicandi quod in animo contra illos inimicitiam ac rancorem retineat. Quia verò nulla poteſt tradi regula certa ex qua cognoſci poſſit, quantum quis teneatur efficere, ne iuſtam occaſionem ſuſpicionis prædictæ, & ſcandali præbeat, quia id totum pendet ex prudentis arbitrio iuxta circunſtantias occurrentes, ſolùm poſſumus aliqua principia magis generalia afferre, ex quibus quid in ſingulis caſibus, qui occurrerint, fieri debeat, colligi poſſit.

Nauar. Lorca. Valent. Suarez. Coninch.

10. Inprimis tenetur quis circa inimicos oſtendere ſigna & affectus amoris generalis: ſigna autem amoris generalis, vt exemplis res clara fiat, ſunt. v. c. cum quis fundit orationes ad Deum pro omnibus proximis, ab illis inimicos non excludere, cum quis eleemoſynas largitur toti communitati illis indigenti, inimicos talis communitatis membro illas non denegare. Ita Syluester *verb. Charitas num.* 3. §. 5. Toletus *lib.* 4. *ſumma cap.* 10. Nauarrus *in ſumma Latina cap.* 15. *num.* 14. Item, cum quis in eadem domo, vel circulo ſtantes alloquitur; inimicos alloqui inter illos exiſtentes, inimicos nos ſalutantes reſalutare. Probatur, quia ſi ita non faciat, abſque dubio præbet fundamentum ipſi inimico, & reliquis qui id ſcierint, quòd odium & rancorem ex animo non depoſuit, illiſque ſcandalum dabit. Quæ ratio probat etiam cum nullam obligationem habet quis, orandi, ſalutandi, & faciendi eleemoſynam, quia ſiue ex obligatione fiant ſupradicta, ſiue non, vbi primùm inimicos ab iis excludit, ſemper præbetur fundamentum ſuſpicandi ſe non depoſuiſſe odium, & datur ſcandalum. Ita cum D. Thom. 2.2. *quæſt.* 25. *art.* 9. Expoſitores. & Suarez *diſp* 5. *de charit. ſect.* 5. *num.* 7. Valent. 2.2. *diſput.* 3. *quæſt.* 3. *punct* 3. *ad fin. verſ.* 3. ſequitur Coninch. *diſp.* 24. *dub.* 6 *à num.* 85. Duo hinc colligo. Primum eſt, peccatum de ſe eſſe mortale exceptionē inimicorum in ſupradictis, quia vt dixi, de ſe eſt ſignum odij, & conſequenter de ſe generat ſcandalum & odium in inimico, cui iniurioſa eſt talis exceptio, quia tanquam indignior aliis reijcitur. Ita Suarez *ſuprà num.* 7. Secundum quod colligo, eſt, tum temporis exceptionem illam eſſe peccatum mort. quando oratio & eleemoſyna publicè fiat, quia aliter ſi fiat occultò, ita vt nemo ſciat, non poteſt dari ſcandalum, vt per ſe patet, ac proinde ſolùm erit peccatum quando fuerit alicui occaſio non deponendi odium ad quod deponendum tenetur. Vno tantùm in caſu licitum erit non reſalutare, & ſigna generalis amoris ceſſante ſcandalo, & contemptu, inimicis negare; quando ſcilicet ex tali negatione, illorum emendatio ſperatur. Dixi *ceſſante ſcandalo*, quia cum ſcandalo, etiamſi ex tali negatione locutionis illorum ſperetur emendatio, peccatum erit mortale ſi illos non alloquamur; præualet enim ſcandalum, & nō ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Ita auctores allegati.

Syluest. Tolet. Nauarr.

D. Thom. Valent. Suarez. Coninch.

Signa autem ſpecialis, aut particularis amoris, nemo tenetur inimicis præbere; ſigna verò ſpecialis amoris, ſunt illa, quæ ordinariè amicis ſolùm exhibere ſolemus, vt accommodationes rerum domeſticarum, locutiones ſpeciales, crebra aſſiſtentia in menſa, viſitationes communes amicorum, hæc inimicis exhibere non tenemur, etſi antea exhiberemus. Ita Toletus *lib.* 4. *ſummæ cap.* 10. *ad finem.* imò vt optimè animaduertit Nauarrus numero præcedenti allegatus, nec poſtquam amici facti, & amicitia reconciliati ſumus, tenemur eos ſub mortali in eam familiaritatem admittere, qua antea vtebamur; tenemur tamen tunc vltra illa ſigna generalia amoris, aliqua eis ſpecialia oſtendere. Quamobrem, inquit idem Nauarrus & Caietanus 2. 2. *quæſt.* 25. *art.* 9. hoc debent confeſſarij animaduertere, ne ad id quod non tenentur, pœnitentes obligent. 11.

Tolet.

Tenemur etiam ſub mortali inimicis veniam petentibus, iniuriam remittere quantum ad odium, & quantum ad culpam in nos commiſſam, non verò quantum ad debitam ſatisfactionem, nec quantum ad actionem quam erga illos, ad hanc ſatisfactionem habemus, vt illam in iudicio vrgeamus; ita communiter DD. D. Th. 2. 2. *quæſt.* 25. *art.* 9. Caietanus, & Aragonius, *ibi.* Toletus *lib.* 4 *ſumma cap.* 10. *in fine* Syluester *verbo charitas num* 4. §. 6. Angelus *verbo, iniuria num.* 6. Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 14. *num.* 25. Ratio eſt, quia in non remittendo animi odio, & culpa in nos commiſſa, datur actus odij. Ergo tenemur hæc remittere: in non remittenda autem ſatisfactione procuratur actus iuſtitiæ, ſcilicet vt noſtra læſio reficiatur: ergo non tenemur illam condonare. nam ex iniuria alicui illata tria communiter conſurgunt. Primò, odium in animo. Secundò, culpa erga perſonam offenſam commiſſa. Tertiò, ſatisfactio talis culpæ, quam offendens offenſo præſtare tenetur. Primò ergo iuxta omnes DD. tenetur offenſus odium erga iniuriantem nunquam habere, aut admittere, & ſi admittat, tenetur illud abiicere & illius ſigna nunquam oſtendere. Secundò, offenſionem ſibi factam quoad culpam tenetur etiam quis ſtatim inimicis veniam petentibus remittere. Patet ex illo Chriſti Domini Lucæ 17. *Si inimicus tuus reuerſus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Tertiò, ſatisfactionem non tenetur remittere, imò addit Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 14. *n.* 25. eſſe nonnullas perſonas, quæ etſi velint, non poſſint remittere, quales ſunt vxor, filiusfamilias, ſeruus, & religioſus iuxta gloſſam communiter receptam in cap. *Parochianos de ſentent. excom. in verb. Satisfaciant*; nam ſatisfactio iniuriæ, & actio, qua in iudicio talem ſatisfactionem repetimus, ad noſtros ſuperiores ſpectat, talis eſt maritus reſpectu vxoris, pater reſpectu filijfamilias, dominus reſpectu ſerui, ſuperior reſpectu religioſi. Addit etiam Toletus allegatus aliquando melius eſſe iſtam ſatisfactionem non remittere, quàm remittere. Vnde vidua pauper filios habens, quos ſuſtentare nequit, non benè faciet illam homicidæ mariti remittere, niſi iuſtum alimentum ſubminiſtret. Similiter cum homicida homo eſt iniquus, non ſolùm non tenetur quis deſiſtere à cauſa, ſed meliùs illam perſequi debet, quoad vſque ſuſpendatur; opus tamen ſemper erit deponere odium perſonæ, & ſolum id facere zelo iuſtitiæ, & vt ipſe, vel alij emendentur. 12.

D. Thom. Caiet. Arag. Tolet. Syluest. Angel. Nauar.

Tolet.

Rogabis,

13. Rogabis ad vltimum, quis prior teneatur offendens in petenda venia, an offensus in danda? Respondeo ordinariè teneri priorem esse offendentem; quando verò duo se mutuo æqualiter offendunt, ille qui priùs incipit, prior debet reconciliationem petere. Ita Nauarrus *cap.* 14. *n.* 25. *fine.* (Nauarr.) Si verò vnus prior incepit, & alter posterior notabiliter excessit, in modo inintiandi: ille qui notabiliter excessit, tenetur priùs ab alterò veniam postulare. Ita Syluest. *in Rosa aurea cap.* 56. (Syluest.) Quando verò sunt æquè notabiles, & æquè iniuriati, nec vous vult prior veniam petere, fiet recompensatio mutua. Ita Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 1. *cap.* 11. *dub.* 25. *num.* 133. (Lessius.) contra Nauarr. *in summa Lat. cap.* 18. *num* 47. & contra Caietanum 2.2. *quæst.* 26. *art.* 2. qui non admittuot mutuam recompensationem in iniuriis. Ratio pro Lessio est, quia in debitis pecuniariis, quando iura sunt paria, admittitur recompensatio; ergo & fama, quæ est bonum temporale. Semper tamen attendendum est ad qualitatem & nobilitatem personæ: Vnde si offendens est valde nobilis, & offensus plebeius, & petitio veniæ cedat in dedecus nobilis, quia offensus se de hoc iactabit, dicendo nobilem metu compulsum veniam petiisse, tunc videtur non teneri cum tanto dispendio veniam petere, neque ad id erit obligandus, sed sufficiet ei famam restituere, pecunia, laudatione, amica locutione coram aliis, &c. & aliis modis de quibus agit Caietanus 2.2. *quæst.* 72. *art.* 3. (Caiet.) & nos agemus *in* 8 *præcepto lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 11.

Capvt XXIX.

Quatenus Pastores, Episcopi, & habentes curam animarum teneantur sacramenta ministrare suis ouibus tempore pestis.

Svmmarivm.

Quot quæstiones sint explicandæ. num. 1.

Episcopi, & Prælati tenentur ex iustitia tempore pestis manere in loco infecto cum periculo etiam vitæ, nisi relinquant sufficientes substitutos. num. 2.

Qui exercitui præest, tenetur non fugere, & ex officio vigilare pro incolumitate exercitus sui. num. 3.

Episcopus aut debet fugere tempore pestis cum omnibus ouibus, si id fieri potest, aut cum ouibus infectis manere. num. 4.

Episcopi, & reliqui Curati relictis Vicarijs sufficientibus, & approbatis, possunt abesse à pestilenti loco. num. 5.

Ad quid teneantur Episcopi absentes, quando alios suo loco relinquunt. num. 6.

Vituperabilior est fuga in Episcopis, quàm in Curatis. num. 7.

An Episcopi, & Prælati curati, si maneant, teneantur personaliter sacramenta ministrare. num. 8.

Ad Episcopalem dignitatem duplex actus spectat; primarius est gubernare, & prouidere de pastoribus animarum; secundarius ministrare sacramenta in defectu Curatorum. & ideo, si Episcopi maneant, solum in hoc defectu curatorum teneantur ipsi personaliter sacramenta ministrare num. 9.

Quid agere debeant Episcopi circa prouisionem ministrorum tempore pestis. num. 10.

Refertur prima opinio asserens Abbates, Priores, & cæteros curatos locales, teneri non solum non fugere, sed etiam actualiter infectis sacramenta ministrare. num. 11.

Præfertur affirmans solùm teneri in defectu aliorum, qui id velint efficere, aut quos ipsi pro se substituant. num. 12.

Quid Pastores locales, & Curati agere debeant initio pestis. num. 13.

An teneantur Eucharistiam pestilentia infectis proprijs manibus ministrare, an sufficiat ponere illam in decenti loco, vnde possint infecti illam sumere. n. 4. *An teneantur vngere infectos, illosque in lectulo confiteri.* num. 14. & 15.

Quid si sani sint trecenti, & infecti sex, an pauciores relinquere debeat, vt sacramenta sanis ministret. num 16. & 17.

Ad quid teneantur medici mercede conducti tempore pestis. num. 18.

1. Plvrimæ difficultates tanguntur in titulo quæ necessariam postulant explicationem. Prima est, An possint Episcopi, & Curati tempore pestis à loco beneficij abesse, & an tunc teneantur ipsi personaliter sacramenta ministrare suis ouibus. Secunda, An etiam canonici quibus non est adiuncta cura animarum. Tertia, Ad quid, & quando teneantur sacerdotes non curati. Quarta, An religiosi teneantur obedire Prælatis præcipientibus, vt ministrent sacramenta, & spiritualia subsidia pestis contagione infectis. Quinta, An moniales tunc possint claustra deserere, & exire. Sexta & Septima, quid de corporalibus medicis dicendum sit.

2. Et verò incipiendo à difficultate prima, statuo primò. Episcopi, & Prælati curati tenentur ex iustitia tempore pestis à loco beneficij non fugere, & ibi manere cum periculo etiam vitæ manifesto; relicto autem Vicario approbato, & sufficienti possunt sine scrupulo à loco beneficij abesse eodem tempore, & in alia esse ciuitate, vbi pestis non serpit. Hæc conclusio est communis: omnes in ea conueniunt, & à nemine negatur. Ita Ripa 2. *part. de priu. contract. cap. pestis num.* 147. (Ripa.) Rebufus *in praxi beneficiali, capite. Dispensatio de non residend. fol.* 350. (Rebufus.) malè citans Ripam in aliam sententiam. Imola *in capite finali de cleric. non resident. col.* 2. (Imola.) Benzonius *lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *versu,* 4. *conclusio.* (Benzon.) D. Thom. *super cap.* 10. *Ioannis lect.* 3. *& quodlibeto* 12. *quæst.* 18. *artic.* 3. *&* 22. *quæst.* 185. *art.* 4. *&* 5. (D.Thom.) Caietan. 2.2. *q.* 185. *art.* 5. (Caiet.) & Sotus *lib.* 10. *de iust. & iure quæst.* 3. *art.* 4. (Sotus.) Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 44. *de præceptis, & ritu extremæ vnctionis sect.* 3. *num.* 10. (Suarez.) Gallego *de obligat. Parochorum temp. pestis, part.* 1. *num.* 12. (Gallego.) vbi loquitur de Parochis. De Episcopis verò *num.* 18. & alij communiter. Probatur primò, spiritualis salus gregis præponderat corporali vitæ pastoris, & ideo cùm periculum imminet de salute gregis, tenetur pastor de iustitia, & ex officio vitam propriam exponere pro salute spirituali sui gregis; imminet autem periculum de salute gregis non solùm infirmorum, & contagione pestis infectorum, sed etiam bene valentium, si non relicto Vicario, grex deseratur tempore pestis; ergo tenentur Prælati, & Episcopi eum non deserere. Secundò probatur ex illo Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus, bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis*; ergo ex iustitia, & obligatione proprij officij

officij tenentur pastores, gregem in tempore D. Thom. necessitatis non deserere. Vide D. Thom. 2. 2. *quæst*. 185. *art*. 5. in corpore. *Vbi subditorum salus exigit persona pastoris præsentiam, non debet pastor neque etiam propter periculum vitæ gregem deserere.* Confirmatur, quia obligatio vniuscuiusque personæ sumitur ex fine eiusdem obligationis: obligant autem se Episcopi, & alij Curati ad exequendum pastorale officium in spiritualibus propter subditorum salutem, & ideo ad hunc finem, illorum decimis aluntur, & aliis subsidiis temporalibus. Igitur vbi subditorum salus exigit pastorum præsentiam, non debent pastores illos deserere; exigit autem tempore pestis, ergo tenentur non fugere eo tempore, si oues illorum præsentia indigeant, etiamsi illis periculum vitæ immineat.

Tertiò, probatur ex doctrina Caietani, & Soti locis allegatis, vbi docent tria excusare Episcopos à residentia. Primum est, necessitas impedimenti. Secundum, qualitas negotij. Tertium, conditio personæ. Impedimentum autem dicunt esse duplex, intrinsecum, vel extrinsecum; extrinsecum, vt est persecutio tyranni; intrinsecum, vt infirmitas corporis, si oporteat mutare locum ad recuperandam sanitatem, & de impedimento extrinseco asserunt non excusare à residentia; sed teneri Episcopos tunc residere, quando conuenit Ecclesiæ præsentia pastoris, etiamsi vita illius periclitetur; pestis autem numeratur inter impedimenta extrinseca iuxta sententiam Benzonij allegati *versu*, 4. *Probatur post quartam conclusionem*, & certè in aliquo tempore fingi potest præsentia pastoris necessaria tunc maximè cum pestis vrget, tum ad euitandum animarum naufragium, tum ob cæterorum sacerdotum exemplum; ergo tenentur Episcopi, & Prælati tunc residere, & non fugere nisi relicto Vicario qui vices illorum agat.

Quartò, quia maiori vinculo ad curam animarum tenetur Episcopus, quàm Curatus. Episcopus enim tenetur primò ex statu, & voto statui Episcopali adnexo, in cuius signum consecrationem, & annulum habet, & ex contractu virtuali celebrato cum ipsa Ecclesia, & mitra, cum illius possessionem accipit. *Reges me, & pasces me in spiritualibus, & ego alam te in temporalibus.* Reliqui autem Curati solùm tenentur ex prædicto contractu, non autem ex professione status. Curati enim non sunt propriissimè loquendo pastores; sed manuales operarij principalis artificis Episcopi, vt colligitur ex D. D. Thom. Turrec. Thom. *quodlib* 3 *quæst* 2. *art*. 17. *in corpore*, & Turrecremata *in summa de Ecclesia lib* 1. *à cap*. 59. *vsque ad* 63 ergo omnibus etiam rectoribus tempore pestis fugientibus tenetur Episcopus non fugere, nisi relicto Vicario approbato, qui loco suo ouibus de spiritualibus possit prouidere.

3. Quintò, probatur efficaciter à simili, quia qui exercitui præest, tenetur ex officio & iustitia vigilare pro salute sui exercitus, & non fugere, l. *Officium* §. *Officium. ff. de re militari*, ergo similiter Episcopus, qui saluti animarum præest, tenetur non fugere tempore pestis, quo illæ periclitantur. Item dominus tenetur subditos suos tueri, & defendere ab illis, qui illos impetunt, cap. 1. *Authent. de for. fidel. in fine*. ergo & Episcopus animas sibi commissas tenebitur similiter tueri, etiamsi vita illius periclitetur. Tandem, quia miles armatus, qui in pace militiam deserit, gradu honoris militaris deponitur, & si illam deserat in bello, capite plectitur l. *Non omnes*. §. *Qui pace. ff. de re militari*: sic miles cælestis si curam animarum sibi creditam in pace deserat, beneficio deponitur, vt patet ex cap. *Ex parte*, & ex cap. *Firmi. de clericis non resident.* In bello autem, hoc est in tempore pestilentiæ, in quo maiori cura, & diligentia opus est, si munus suæ militiæ subire detractet, duriori pœna debet puniri.

Probatur vltimò ex doctrina D. August. *Epistola* 180. *ad Honoratum*, quæ hoc titulo inscribitur, *quomodo, & quando, & quibus fugiendum est, imminente periculo*. vbi egregiè demonstrat, quanta mala ex fuga ministrorum in periculis nascantur, quæ omnia obligationem non fugiendi tempore pestis sub mortali sine dubio important, & tandem asserit, aut Episcopis cum omnibus ouibus è loco pestifero fugiendum esse, aut cum illis ibi permanendum: ibi. *Cum Episcoporum, & clericorum, & laicorum est commune periculum, ij, qui alijs indigent, non deserantur ab ijs quibus indigent.* Et infrà. *Aut ergo ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non derelinquantur ab ijs per quos illorum Ecclesiastica est supplenda necessitas; aut pariter viuant, aut pariter sufferant, quæ eos paterfamilias volet perpeti.* Et infrà *Fugam imperant Dominus, & acceptabile est fugere; sed ijs, quos Ecclesiastici officij non tenent vincula.* Ex quibus patet teneri Episcopos tempore pestis non abscedere è loco pestis contagione infecto, nisi optimo Vicario relicto, qui illorum loco rebus necessariis ad salutem ciuium sufficienter, prudenterque prouideat; & sicut peccatum mortale est fugere, ita magni est meriti non fugere & æquale martyrio, vt optimè probat Eusebius Cæsariensis *lib*. 7. *hist. Ecclesiast. cap*. 17. & D. Cyprian. *lib. de mortalit. circa medium*. 4.

Dixi, *nisi relicto Vicario approbato*, per quem possint populo suo necessaria sufficienter prouideri, quia tunc licitè possunt Episcopi, & cæteri Curati à loco peste infecto abesse; neque enim tunc culpandi sunt, vt mercenarij, quia mercenarius non ille est, qui fugit, hoc enim licitè fecit Athanasius, & alij pastores; sed qui dimittit oues sine pastore, vt optimè notat D. Thom. *Lectione* 3. *super cap*. 10. *Ioannis*. & Rotilius Benzonius *lib*. 1. *disp*. 1. *quæst*. 1. *versu, Dictum est autem post* 4. *conclusionem*, & D. August. *Epistola* 180. *ad Honoratum*. Quando igitur relinquunt alios pastores, qui regant, pascant, & sufficienter gregem gubernent, & pabula spiritualia ministrent, non censendi sunt mercenarij, ouesque dimittere; huiusmodi autem Vicarij tenentur sub lethali ea omnia tunc præstare quæ proprij Pastores, ac Curati tenebantur; iis autem Vicariis, ac substitutis extinctis, tenentur Episcopi ac reliqui proprij Curati in conscientia alios mittere, vel ipsi personaliter accedere, & in foro soli ad id priuatione beneficiorum, & aliis pœnis compelli possunt. Et ratio est, quia cum præsentia Pastorum, & Episcoporum, solùm requiratur propter administrationem sacramentorum, cum necessaria doctrina, & exhortatione ouium, si hæc fiant per sufficientem Vicarium, satisfacere videntur suæ obligationi, & necessitati ouium si per alios subueniant. 5. D. Thom. Rotil. Benz. D. August.

Tenentur etiam ipsi Episcopi, aut Curati, qui sic aliis suo loco relictis discedunt, sub lethali omnem curam adhibere, vt crebrò certiores fiant de incolumitate vitæ, & bono regimine

Vica

Vicariorum suorum, & inquirere, an id quod sui muneris est, præstent, & an aliquid spiritnale suis ouibus deficiat. Fundamentum est, quia cum ipsi ex officio teoeantor dirigere ad finé supernaturalé nues suas; tenentur etiam eis procurare media ad talem finem; hęc autem omnia media sunt necessaria ad talem finem, vt de se patet.

7. Et verò cum cura animarum primariò, & principaliter pertineat ad Episcopos; secundariò verò ad Abbates, Priores, & cæteros Curatos, qui habent potius officia quædam, seu subministrationes sub Episcopis, vt præfecti Vrbium sub Rege, & Imperatore, vitoperabilior est fuga, & maius peccatum, quicumque alius defectus, & negligentia in Episcopis, quàm in cæteris Curatis. Ita communiter DD.

Benzon.
D.Thom.
Caiet.

Benzonius allegatus *dicto* §. *Dictum est antem.* D. Thom. 2. 2. *quest.* 185. *artic.* 5. & ibidem Caietanus, & *opusculo* 19. c. 4. & *opusculo* 18. c. 22. & 23. 25. & 26. & *quodlibeto* 1. q. 7. *artic.* 14 *in corpore ad* 2.

8. Diximus, non posse Episcopos, & Prælatos curatos abesse tempore pestis à loco pestifero, nisi relictis Vicariis approbatis, qui possint omnia ministeria spiritualia, & sacramenta ouibus ministrare; nunc videndum est, an si maneant, teneantur ipsi personaliter sacramenta peste infectis ministrare. Et loquendo specialiter de Episcopis, statuo secundò. Episcopus si maneat in loco peste infecto, non tenetur per se & personaliter huic, vel illi singulari personæ siue infectæ, siue non infectæ sacramenta ministrare, nisi in casu, quo alij ministri, qui id possint efficere, deficiant. Est communis DD.

D.Thom.

ita D.Thom. *quodlibeto* 1. *art.* 14. & *quodlibeto* 3. *art.* 17. & 22. q. 184. *art.* 7.

Benzon.
Suarez.

Benzonius *dicto lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *versu, Verum ad quid teneantur.* Suarez *tom* 4. *de pœnit. disp.* 44. *de precept. & ritu extremæ Vnctionis sect.* 3. *num.* 10.

Tolet.
Nauarr.
Tabiena.
Sà.

Toletus *lib.* 4 *cap.* 10. *num* 5 Nauarr. *in summa Lat. cap.* 24. *num.* 18. Tabiena *verbo, Episcopus num.* 5. Sà *verbo, charitas.* & alij communiter. Probatur facile primò; quia Episcopis ratione sui officij episcopalis primaria cura incumbit regendi, & gubernandi, prouidendique, vt parochiæ bene prouisæ sint de idoneis ministris; cum enim sit vniuersalis pastor totius diæcesis, cui omnium ouium est cura commissa, propriùs, & magis obligatur multitudini; quàm singulari personæ, præsertim quando etiam vniuersæ multitudini periculum immineat; imminet autem periculum si Pastor, seu Episcopus moriatur; ergo non tenentur Episcopi per se immediatè, & personaliter sacramenta tempore pestis ministrare, nisi in subsidium aliorum ministrorum, & in casu, quo alij deficiant, qui id possint sufficienter efficere. Vnde probare non possum sententiam Malchioris Galleci *de Paroch. obligatione tempore pestis part.* 1. *num.* 22. vbi dicit non excusari Episcopos, & Parochos à personali residentia, eo quòd optimos Vicarios loco suo relinquant, etiamsi sufficientiùs per eos, quàm per se ipsos regant Ecclesias, & ministrent infirmis omnia sacramenta necessaria. Et *num.* 19. asserit consequenter eos, qui personaliter cum ouibus tempore pestis non manent, incurrere pœnas non residentibus iure impositas, & pro rata temporis absentiæ non facere fructus suos, nec tuta conscientia eos posse percipere, vt ait Concilium Trident. *session.* 6. *cap.* 1. *de reformat.* loquens de non residentibus, quod mirum est, & solum in Melchiore inueni, viro cæteroquin pio, ac docto, vt eius scripta demonstrant.

9. Obiicies cum Caietano 2. 2. *quest.* 185. *artic.* 5. Episcopi ratione sui muneris non solùm tenentur ad procurandum commune bonum animarum sibi commissarum, sed etiam bonum animæ istius aut illius particularis subditi; ergo tenentur etiam huic, aut illi subdito particulari sacramenta præbere. Respondeo secundariò teneri etiam procurare bonum particulare ipsius aut illius subditi, per se ipsos illi sacramenta ministrando, deficientibus aliis ministris, qui id possint efficere; primariò verò solùm prouidere ne suis ouibus huiusmodi ministri deficiant. habet enim duplicem actum officium Episcopale: primarium, & secundarium; ad primarium spectat procurare salutem in communi animarum sibi commissarum, & in particulari bonum istius, aut illius ouis, prouidendo illis de idoneis ministris; ad secundarium pertinet procurare bonum istius aut illius singularis per se ipsum immediatè, & personaliter, quando deficiunt idonei ministri; & non est prouisum de ministris, qui id sufficienter præstare possint. Et ideo quando Episcopi sufficienter exequuntur principalem actum suæ potestatis, deobligantur à secundario actu illius; non enim debent dimittere nonaginta nouem oues in deserto, vt vnam quærant; quando illæ nonaginta nouem non sunt in statu securitatis, vt erant illæ quas Christus in deserto reliquit, vt vnam quæreret, quæ perierat: erant enim nonaginta nouem quas in deserto, hoc est, in cœlo & in statu securitatis reliquit, & venit in mundum vt miseros homines, & ouiculas errabundas quæreret, ac in cæleste ouile humeris suis impositas adueheret. Sunt enim Angeli tam multi numero, vt comparatione hominum numerum nonaginta nouem comparatione vnius excedant.

10. Debet igitur Episcopus tempore pestis certos ministros, & sacerdotes idoneos, qui numero sibi visi fuerint sufficientes, quatuor videlicet, vel quinque deputare, & sortibus, si necessarium fuerit, eligere qui ad infirmos accedant; alios verò ad sanos; & illis extinctis, è reliquis, alios sorte eligere si nulli sint, qui se ad id sponte offerant. Neque id graue videri debet ipsis Curatis, cum ipsi ad id aliàs obligentur. Et in locis, in quibus ordinariè vnus tantùm sacerdos existit, debet alterum sacerdotem coadiutorem mittere, quorum alter ad infirmos, alter ad sanos destinetur, & si huiusmodi coadiutor sortem infirmorum eligere noluerit, tenetur Curatus loci, cui ex officio id incumbit, sortem infectorum eligere. Ita docet Turrecremata *capite, Aduersus,* §. *hoc etiam num.* 2. 7. *quæst.* 1. & Rutilius Benzonius allegatus *versu, Adde quod Rex. ad finem post dictam* 4 *conclusionem.*

Turrecrem.
Benzon.

11. Si loquamur de singulis Curatis singulorum locorum, v. e. de Prioribus, Abbatibus, aut quocumque alio nomine appellentur, partita est opinio. Prima docet huiusmodi Curatos teneri sub culpa lethali non solùm non fugere à loco peste infecto: sed etiam actualiter infectis per se, personaliter sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ & extremæ vnctionis ministrare; & non distinguit an sufficiat si per alios idoneos sacerdotes, & ministros id efficiant. Hanc videtur tenere Rebuffus in sua praxi beneficiali, capite, *Dispensatio de non residendo. fol.* 350. in illis verbis, *nec tenetur intrare domum infecti, si valeat surgere,* quasi diceret, si non valeat surgere, tenetur; & Ioannes Maior *in* 4. *dist.* 17. *quæst. vlt.* Fundamentum

Rebuff.
Ioan. Maior.

tum illorum est, quia sunt pastores, & non debent deserere oues suas in necessitatibos, alioqui mercenarij erunt, non pastores. Deinde, quia de iostitia & ex vi contractus tenentur per se illis sacramenta ministrare, etiamsi manifestum vitæ periculum incurrant, propter alimentum corporale, quod accipiunt à suis ouibus; nam inter oues, & pastores, seu curatos suos implicitè boc pactum initur, vt scilicet oues eos pascant corporali alimento, illique vicissim oues pascant spirituali cibo per se, & personaliter; vnde illi de iustitia tenentur hoc efficere, sicut de eadem tenentur etiam Prætores, & iudices conducti à Rege temporali stipendio personaliter bonum publicum procurare, etiam cum periculo vitæ, vt patet.

12. Secunda verior affirmat teneri Pastores eis prædicta Confessionis, Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis sacramenta personaliter ministrare, nisi adsint alij idonei ministri, qui id sufficienter præstent; nam si adsint, aut Vicarios idoneos, approbatosque pro se substituant, non tenentur per se illis hæc sacramenta ministrare, & similiter poterunt licitè fugere, si huiusmodi Vicarios relinquant; non poterunt verò, si eos non relinquant. Ita communiter DD. Suarez *tom. 4. de pœnit. disp. 44. sect. 3. num. 13. & deinceps.* Nam loquens de confessione id docet expresè *n. 13. de Eucharistia num. 17. de extrema Vnctione n. 20.* Benzonius loquens etiam de his tribus sacramentis *lib. 1. disp. 5. quæst. 1. conclus. 6.* Toletus *lib 4 summæ cap. num. 4.* D. Thom. *2. 2. quæst. 185. art. 5* Sà *verb Charitas num. 3.* Tabiena *verb. Episcop. num. 5.* Nauarrus *in summa Lat. cap. 24. n. 11, versu, Magna laude, & cap 25. num. 133.* vbi id de Pœnitentia, & Eucharistia expresè affirmat, de extrema verò Vnctione tacet, sed eadem est ratio. Probatur primò, quia tenentur cum periculo vitæ ex iustitia iuuare suos Parochianos iis sacramentis, quibus Ecclesia suos fideles iuuare solet in mortis articulo, sunt autem hæc tria; ergo hæc tria sacramenta eis tenentur in eo articulo præstare. Probatur etiam omnibus rationibus, quas pro prima conclusione attulimus; quod enim ibi de Episcopis diximus, à fortiori de aliis Parochis dicendum est cum illorum cura sit magis mediata erga suas oues. ergo Et verò quòd relictis idoneis Vicariis non teneantur permanere in locis peste infectis, nec si permaneant, teneantur per se ipsos sacramenta ministrare pestis contagione infectis, si prouideant de aliis idoneis ministris, qui id efficiant, patet ex iis quæ diximus *num. 5* quæ inde, hûc transferenda sunt; non enim censendi sunt mercenarij illi, qui relinquunt oues; vel illis non ministrant personaliter sacramenta, sed qui illas sine alio pastore dimittunt, qui loco suo omnia prouideat, & efficiat æque, ac bene, quæ ipsi efficere tenebantur, vt docet D. Thom. *Lectione 3. super caput 10. Ioannis.* Rutilius Benzonius allegatus. *versu, Dictum est autem*, & D. August *Epist. 180. ad Honoratum.* Deinde, quia pactum quod implicitè celebratur inter oues, & pastores cum beneficia curata accipiunt, hunc sensum efficit. *Pasces me per te, vel per alium tempore necessitatis spiritualibus alimentis, & sacramentis, & ego te pascam temporalibus.* Tandem quia in extrema, & graui necessitate, vt diximus *cap. 27. num 3.* non solùm animarum Pastores, sed etiam quilibet christianus tenetur cum periculo vitæ temporalis saluti spirituali proximi succurrere ex charitate, ergo aliũde etiam ex officio, & ex iustitia propter pactum implicitum cùm ouibus celebratum ad id Pastores tenebuntur. Pueris etiam tempore pestis tenentur Parochi ministrare baptismum, quia sacramentum baptismi in re susceptum in illis est necessarium necessitate medij ád salutem iuxta illod Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et iuxta Concilium Trid. *sess. 6. de materia iustificationis, cap. 4. & sess. 7. can. 5. de baptismo*, quia sunt in periculo mortis constituti, & si absque baptismo realiter suscepto moriantur, saluari non possunt. Et ita docet Gallego *de Parochor. oblig. temp. pestis. part. 2. num. 14.* & idem erit de adultis.

Primò igitur Parochi, Rectores, seu Curati locales, Priores, vel Abbates debent initio pestis admonere omnes suos parochianos, vt confiteantur. Præterea grassante peste debent sacrificare saltem in plateis, vel in viis publicis diebus festis, si opus fuerit ad vitandum hominum conuentum. Denique debent infectos à longè confiteri, si ipsi possint surgere; si non possint, tenentur eos in domo propria, & lecto suo audire, ea cautione, quæ tunc opus fuerit, ne inficiantur. 13.

An autem teneantur eis Eucharistiam propriis manibus ministrare, an sufficiat illam in decenti loco, vel in propriis manibus ægroti ponere, vt ipse ægrotus pestis contagione infectus inde eam sumat, est dubium. Et verò Rutilius Benzonius *lib. 1. disp. 1. quæst. 5. versu, Dico 2. post 4. conclusionem*, expresè asserit non teneri Curatum ei Eucharistiam præbere, eum, inquit, dicat Aug. Epistola ad Honoratum, *crede, & manducasti*; in quo videtur manifestè sibi contradicere; nam in conclusione sexta expresè asserit teneri curatom, quæsitis, & præparatis antidotis tria sacramenta actualiter infectis ministrare, confessionem videlicet, Eucharistiam, & extremam vnctionem Sed conciliari potest, quia in aliquibus locis Eucharistia oblonga virga in os peste infectorum immitti solet Dicendum est, teneri tunc huiusmodi curatos Eucharistiam actualiter infectis præbere, & in os mittere, & non posse illam ponere in loco tuto, ac decenti, vt illi inde eam sumant, nec in illorum manibus, vt ipsi se communicent, vt docuimus *in 3. præcepto Ecclesiæ lib 3. cap. 1. num. 13.* & optimè asserit Henriquez *lib. 8. de Eucharist. cap. 54. num 3.* & Concilium Cæsaraugustanum *canone 3.* quia aliter id in maximam iniuriam, & irreuerentiam huius augustissimi sacramenti cedit, & positio in manu sumentium, collocatioque in loco decenti, vt proprio ore sumatur, est contra communem vsum, & praxim Ecclesiæ. Voluit enim Deus, & Ecclesia, vt ministratio, & dispensatio huius sacramenti fieret per proprios ministros illius, & vt decenter fieret, ministri autem Eucharistici sacramenti, sunt sacerdotes, & in defectu illorum ex priuilegio diaconi tantùm; quare ab istis solùm possunt fideles Eucharistiam licitè accipere, sunt enim hæc correlatiua *dare, & accipere*: vt patet. Nec dictum D. August. hîc locum habet; loquitur enim ibi de manducatione spirituali, non reali; Curati autem, & Parochi tenentur realiter suos parochianos Eucharistia reficere, non spiritualiter; quia quando Ecclesia, & Christus præcipiunt sumptionem Eucharistiæ, de reali somptione loquuntur, non spirituali tantùm, vt vsu patet, & de decenti sumptione, qualis ea est, quæ ex manu ministrorum 14.

Suarez.
Benson.
Tolet.
D. Thom.
Sà.
Tabien.
Nauarr.
D Thom.
Rutil Benz.
D August.
Benzon.
Henriq.

strorum, huius sacramenti accipitur, non ex alia.

15. Bene autem asserit Benxonius teneri huiusmodi Curatos hæc tria sacramenta confessionem, Eucharistiam & extremam vnctionem illis præstare, sequens in hoc Suarium *num.* 12. allegatum, quod videntur docere alij quoque Doctores, quatenus absolutè asserũt teneri parochos tempore pestis, aut epidemiæ sacramenta actualiter infectis suis parochianis ministrare; & hi sunt idem Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 72. *sect.* 3. *col.* 1. *fol. mihi* 1016. Sà. *verbo*, *charitas*, *num.* 3. Henriquez *lib.* 8. *de Eucharistia cap.* 15. *num.* 2. Toletus *lib.* 4. *cap.* 10. *num* 4. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 133. & 24. *num.* 11. nam ad hæc omnia præstanda sacramenta se Parochus ex vi pacti cum beneficium accepit (vt consideranti patebit) obligauit; tenetur enim in ea necessitate ministrare ea sacramenta suis parochianis, quibus Ecclesia iuuare solet suos fideles in articulo mortis; iuuat autem Ecclesia his tribus; ergo hæc tria illis ministrare tenentur: quando tamen non possent Parochi singulis parochianis pestifero morbo infectis, omnia hæc tria sacramenta ministrare, semper primo loco sacramentum pœnitentiæ illis ministrandum est, vtpote magis necessarium in eo mortis articulo, vt fatentur omnes, quos vidi, authores.

Suarez. Sà. Henriq. Tolet. Nauar.

16. Obicies. Parochi tenentur vitam suam conseruare, vt sacramenta sanis ministrent, poterunt enim infecti esse 30. & sani trecenti, & eo plures. Deinde si parochianus in ignem se iniciat, non tenetur Parochus ponere vitam suam, vt illum confiteatur, etiamsi sciat illum esse in statu damnationis. Item si parochianus sit à Turcis captus, non tenetur parochus se in captiuitatem tradere, vt in sacramento pœnitentiæ illius confessionem audiat; quemadmodum si tempore Paschatis diceret Parochianus, *nolo confiteri nisi des mihi centum aureos*, non teneretur Parochus eos illi dare, vt confiteatur. ergo neque vitam suam dare, vt confiteatur tempore pestis: quæ pluris centum aureis æstimatur, maximè quia simpliciter, & absolutè confessio in re non est necessaria ad salutem; sufficit enim si habeatur in voto, & in contritione. Vnde cum parochiani saluari possint contritione, hoc medium illis sufficiet, & non tenebuntur Parochi vitam temporalem exponere pro præstando illis sacramento pœnitentiæ.

17. Respondeo. Parochos teneri vitam suam conseruare, nisi aliis obligata sit; obligata autem est suis parochianis, vt dictum manet; & quamuis omnibus sit necessaria ægrotis, & non ægrotis, & plures sint hi, quàm illi; tamen his existentibus ictu pestis vulneratis, est simpliciter necessaria, aliis non item. quare cæteris paribus seruanda erit vita pluribus, secus si sint disparia, vt hìc sunt. Ad duo exempla de eo, qui se sponte in ignem coniicit, & de eo, qui non vult tempore paschatis confiteri, nisi sibi centum aurei præstentur à Parocho: Respondeo esse diuersam rationem, quia ille malitiosè se coniicit, & iste iniustè: & per iniuriam sacramenti hoc petit. quare est diuersa ratio, nam in eo casu, nec charitas parochianum obligat, nec iustitia, vt id cum tanto suo detrimento efficiat; nemo enim tenetur dare rem suã alicui, quando irrationabiliter petit, etiamsi scandalum Pharisaicum detur, vt docet Alex. de Ales 2. *part. q.* 159. *memb.* 7. *in corpore.* At tempore pestis vtrumque obligat & charitas, & iustitia, vt probatum manet; ad hoc enim parochus à Parochianis alitur, vt sibi in hoc tempore sacramenta ministret; quæ obligatio in pacto virtuali simpliciter includitur. Exemplum de eo qui capitur à Turcis, non venit ad rem, quia is simpliciter non est in magna necessitate, cum non periclitetur illius vita, sed libertas; imò & quamuis vita tunc periclitaretur, non teneretur parochus illum cum periculo vitæ confiteri, quia talis casus censetur in pacto exceptus. nullus enim author quem inuenerim, dicit parochum teneri cum periculo vitæ audire confessionem sui parochiani dum captiuus est. Quare tunc solùm cum morbo affligitur, teneretur parochus confessionem illius audire, cum ad hoc se virtualiter obligauerit, non ad illud. Et sic nõ sunt cætera paria, vt patet. Ad id quod additur simpliciter, & absolutè sufficere contritionem: Respondeo alios esse in Ecclesia ita pios, & deuotos, vt sæpe per Dei gratiam viuant sine peccato mortali, & illis non teneri parochos cum vitæ periculo sacramenta ministrare: si enim Parochi moraliter pro certo habeant, ac præsumant infirmum non habere conscientiam peccati mortalis, sed esse rectè dispositum ad mortem, non tenerentur in eo casu ei cum periculo vitæ sacramenta ministrare, vt docet Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 44. *sect.* 3 *num.* 15. *initio*. neque etiam reprobis, & præscitis, si fortè certissima reuelatione diuina id parochis constiterit; teneri verò illis omnibus quos certo moraliter nesciunt esse in gratia, quia ad id se obligarunt ex pacto, cum beneficia acceptarunt; & ita respondent præter Suarium allegatum Sotus *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 1. *in responsione ad argumentum penultimum, & vltimum*, & Rutilius Bonzon *lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *versu. ad* 3. *post vndecimam conclusionem*: nunquam autem potest certò constare de reuelatione diuina. cum his maximè se possit illusio dæmonis immiscere; quare cum communiter nihil certi in hac re haberi possit, poterit parochus ratione talis reuelationis se ab administrandis supradictis sacramentis excusare.

Alexand. de Ales. Sotus. Benzon. Benzon.

De Medicis à communitate mercede conductis, dic teneri eos non fugere, & iustè; puniri potest aliquis si id efficiat, & reduci, ne fugam arripiat; enimuerò propter pactum ad id tenetur: sicut & miles stipendiarus tenetur non fugere belli tempore, vt de se patet, & ita docet expressè Rutilius Benzonius *versu. Medico autem, post.* 11. *conclusionem.* 18.

CAPVT XXX.

An canonici teneantur residere, & non fugere tempore pestis? Quid de monialibus? Et an Religiosi ad petitionem Episcoporum teneantur tunc ministrare infirmis?

SVMMARIVM.

Canonici quibus non est adnexa cura animarum, possunt à loco beneficij pestilentia infecto fugere, & non tenentur residere. *num.* 1.

Religiosorum quidam vitæ contemplatiuæ tantùm, alij actiuæ, alij verò contemplatiuæ simul, & actiuæ incumbunt. *num.* 2.

Religiosi qui vitæ tantùm contemplatiuæ incumbunt,

possunt abesse à loco pestis, nec tenentur seclusa extrema, aut graui necessitate sacramenta tunc ministrare, vt Carthusiani, Canonici Regulares, Heremitæ, & alij. num. 3.

An teneantur sacramenta ministrare suis Religiosis pestilentia infectis intra monasterium, & in hoc obedire Prælatis. num. 4.

Nomine Parochorum, etiam veniunt superiores locales respectu suorum Religiosorum. num. 5.

Religiosi qui habent votum ministrandi infirmis tempore pestis, tenentur id efficere, non solum ex charitate, sed etiam ex obligatione voti. num. 16.

Religiosi mendicantes, vt Dominicani, & Societatis IESV, qui vtrique vita, actiuæ, & contemplatiuæ simul incumbunt, & ex instituto suo coadiutores Episcoporum, & Curatorum sunt, ad quid tempore pestis teneantur. num. 7. & 10.

Et an possint fugere tempore pestis à locis infectis. ibid.

Religiosi licet non teneantur ad omnia consilia Euangelica, tenentur tamen ad illa, quæ inclusa sunt in suis statutis. num 8.

Quæ pertineant ad statum Religiosum, & Episcopalem. num. 9.

Religiosi Societatis ex statuto suo sunt coadiutores Episcoporum. num. 10.

Qui primo loco accedere tenentur ad ministranda sacramenta peste infectis, Curati ne, an religiosi illorum coadiutores. num. 11.

Moniales possunt egredi monasteria tempore pestis, & bello. num. 12.

1. STATVO primò. Canonici quibus nulla est adnexa animarum cura, possunt sine vllo scrupulo licitè à loco beneficij peste infecto fugere, & non residere. Ita communiter DD. (Ripa.) Ripa 2. *part. de priuat. contract. cap. Pestis. num.* 136. (D. Thom.) colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 26. *art.* 5. *ad* 3. docet Host. *in summa de cler. non resid. §. vltimo. num.* 5. (Rutil. Benz.) expressè Rutilius Benzonius *lib.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 1. *conclusione* 8. & expressè etiam (Hieron. Prævid.) Hieronym. Prævidell. *de peste, & eius priuat.* habetur *tom.* 18. *tract... fol. mihi* 182. *num.* 1. & *fol.* 179 *num.* 2. & nemo negat præter vnum (Claud. Esp.) Claudium Espenæum sup. 1. *ad Timotheum. lib* 3 *digressionum cap.* 19. Probatur facilè. Primò, quia officium canonici est de iure positiuo; nam licet de iure diuino sit Deo cultum impendere, tamen quod tali die & hora, in choro simul, tot horis, conueniant, de iure positiuo est, vt colligitur ex Concilio Trid. *de refor. sess.* 24. *cap.* 12. sed nulla lex positiua humana obligat cum periculo vitæ, nisi quando illius non obseruantia tendit in detrimentum fidei, vel boni communis, vt docet (D. Thom.) D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *artic.* 3. (Syluest.) Syluester *verbo, Excommun.* 5. §. 23. (Innoc.) Innocentius *cap. sacris. de his quæ vi, metusve causa fiunt.* (Archid.) Archidiac. *in cap. Vnum. dist.* 76. (Sotus.) Sotus *lib.* 1. *de iust. & iure quæst.* 6. *art.* 4. *dub.* 4. & *in* 4. *d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. & est commune axioma DD. Igitur non tenentur canonici cum periculo vitæ tempore pestis residere, aut manere in loco peste infecto. Secundò, quia nulla rationabilior causa fingi potest ad excusandos canonicos à residentia quàm propriæ vitæ conseruatio; ergo, quando aer est pestilentia infectus, datur respectu canonicorum causa iusta absentiæ, vt docet (Hieron. Prævid.) Hieronym. Prævidell, *de peste & eius priuat.* habetur *tom.* 18. *tractatuum fol. mihi* 182. *num* 3. (Felin.) Felinus *in cap. Accedens extra. Vt lite non contestat, conclus.* 6. textus & glossa in Clementina, *Ne in agro, §. Cæterum. in verbo, Rationabilis. de statu monachorum*; quo casu debent canonici absentes integrè gaudere omnibus suis distributionibus quotidianis & anniuersariis defunctorum, iuxta Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. & tunc tandiu, tuta conscientia, poterunt abesse, quandiu morbi contagio durauerit, & quousque securè commercium aperiatur. Probatur denique ex capite finali, *extra de cler. non residentibus*, ibi enim ait textus, non residentem, si monitus, iusta causa cessante, non redeat, priuari beneficio; & glossa finalis ibi dicit, iustam causam non redeundi esse intemperiem aëris; & postea asserit clericum absentem non teneri venire ad residentiam tempore pestis.

Religiosorum autem varia est ratio, atque differentia; aut enim sunt religiosi, qui vitæ contemplatiuæ tantùm incumbunt, vt Benedictini, Carthusiani, Canonici regulares, Heremitæ, Iesuati, Camaldulenses; aut sunt religiosi, qui incumbunt vitæ actiuæ tantùm, & speciali voto se astrinxerunt ad ministrandum infirmis, quocumque tempore, etiam pestis, vt fratres Hospitalarij, & congregationis B. Ioannis Dei, vt appellant, & fratres Sancti Spiritus de Saxia in Vrbe, & si qui sunt alij, qui pro instituto, & obiecto habent ministrare infirmis. Aut qui vtrique vitæ contemplatiuæ simul, & actiuæ operam nauant, ex instituto suo, vt fratres ordinis Dominicani, S. Francisci & Religiosi Societatis IESV, & reliqui mendicantes.. 2.

Statuo igitur secundò, Religiosi, qui vitæ contemplatiuæ tantùm incumbunt, quique ex statuto suo nulla habent opera misericordiæ spiritualia, vel charitatis, quæ erga proximos exerceant; sed solùm perfectioni vitæ propriæ incumbunt, vt Carthusiani, Camaldulenses, Canonici regulares, & cæteri, possunt fugere à loco pestis absque scrupulo, nec peste infectis laicis in spirituali sacramentorum administratione, nec in temporalibus tenentur extra monasterium inseruire, nisi in extrema, necessitate, in defectum scilicet aliorum. Ita expressè (Rutil. Benz.) Rutilius Benzonius *lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *conclus.* 8. (Bañez.) Bañez 2. 2. *quæst.* 33. *artic.* 3. (Caiet.) Caietanus 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. (Armilla.) Armilla *verb. Episcop. num.* 6. Probatur primò, quia nec ex officio, cum non sint curati; nec ex institutione, & professione, cum ex statuto suo id non habeant, ad hoc obligantur; ergo nullo modo tenentur permanere nisi ex charitate, opera autem charitatis non obligant nisi in casu extremæ, aut quasi extremæ necessitatis in defectum aliorum ministrorum. Vnde si illorum prælati id illis præciperent etiam in graui necessitate, non tenerentur obedire suis Prælatis in ea materia, nec peccabunt non contra obedientiam, licet enim id, quod illis præcipitur, sit actus virtutis, & licita sit talis obedientia, non tamen est necessaria, cum non contineatur in propriæ regulæ statutis, & constitutionibus suis, nec concernat commune bonum ordinis, & religionis, quam profitentur, quia huiusmodi Religiosi solùm vouent obedientiam iuxta modum suæ regulæ, & statuti. Ita expressè Benzonius loco allegato, versu, *Secundò, quia,* (D. Bern.) D. Bernardus *lib. de præcepto, & dispensatione cap.* 7. ibi: *Is, qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam; sed determinatam secundùm regulam;* & infrà: *Si Abbas mihi aliud imponere tentauerit, quòd non sit secundùm regulam, aut secundùm ista statuta,*

ſtatuta, quæ neceſſitas imminet obſequendi? Docet etiam Suarez *tom. 3. de relig. lib. 10. cap. 8. num. 6. folio mihi 639. colum. 2.* ibi: *In ſingulis religionibus non vouetur obedientia abſolutè, ſed ſecundum regulam, nec materia huius voti amplius extenditur.* Hæc ibi; & id videtur docere in ſequentibus numeris: & idem docet. D. Thomas *in 1. ſentent. diſt. 44 quæſt. 2. art. 3.* & Toletus *in ſumma.* vbi de ſeptem peccatis mortalib. *cap.* 16. initio, ibi: *Nullus religioſus tenetur obedire prælato in his quæ pertinent ad maiorem perfectionem. quàm ſit religionis quam profeſſus eſt.* & infra. *Si aliquis ſuperior vellet alia exigere, quæ non ſunt in regula, quamuis perfectius eſſet, obedire tamen ad id non teneretur: non enim votum extenditur ad huiuſmodi opera.*

Suarez. D.Thom. Tolet.

4. Dixi, *Extra monaſterium*; quia ſi peſtis eſſet inter Monachos in conuentu, aut monaſterio, tenentur ſub pœna peccati mortiferi obedire prælato præcipienti, vt infectis monachis tam temporalia quàm ſpiritualia miniſtrent etiam cum vitæ periculo, quia ſuperior poteſt præcipere omnes actus exteriores virtutum neceſſarios ad commune bonum, & conſeruationem ſui ordinis, & ſubditi tenentur parere, quocumque vitæ periculo exantlato; curatio autem ſuorum infirmorum, & miniſtratio ſacramentorum fratribus infirmis ad conſeruationem ſui ordinis neceſſaria eſt, vt patet, & docet Caiet. *opuſc tom. 3. tract. 9. quæſt. vnica.* nam etiam Rex poteſt præcipere militi, vt prælietur, & defendat ciuitatem, & miles tenetur obedire cum proprio vitæ periculo, ergo non minùs tenetur Religioſus in his ſimilibus obedire prælato. Confirmatur, quia ſi religioſi non tenerentur mutuo ſibi ſuccurrere, & ad id non poſſent tempore peſtis, aut alterius morbi infectiui obligari, profectò ſtatui religioſo non eſſet bene prouiſum, quod non eſt aſſerendum, cum ſint ad inuicem membra; & ſimiliter, credo, tenentur obedire ſi aliqui laici intra monaſterium peſte ſint infecti, & periculum ſit, vt illa alij Religioſi inficiantur, quia tunc iam huiuſmodi præceptum ad conſeruationem propriæ religionis ordinatur, quatenus ordinatur ad vitam, & conſeruationem ſuorum Religioſorum, & ita docet Benzonius allegatus *concluſ* 8.

Caiet.

5. Solùm animaduerto nomine Parochorum iuxta Tabienam verbo *Parochia num.* 4. & iuxta Doctores communiter, venire etiam in iure ſuperiores religioſorum reſpectu ſuorum ſubditorum; vnde id quod ſupra diximus de Epiſcopis, intelligendum eſt etiam de Prouincialibus, & id quod diximus de parochis localibus, intelligi etiam debet de ſuperioribus localibus reſpectu ſuorum religioſorum. Quare ſicut diximus *cap. 29. num.* tàm de parochis Epiſcopo inferioribus teneri illos perſonaliter ſacramenta miniſtrare tempore peſtis ſuis parochianis, niſi adſint alij miniſtri idonei, qui ſufficienter id præſtent, ſic dicendum quoque eſt teneri ſuperiores locales Religioſorum perſonaliter ſacramenta ſuis religioſis miniſtrare, niſi adſint alij religioſi, qui id velint etiam præſtare; doctrina enim ibi tradita hìc applicanda eſt, quippe primo loco tenentur ipſi, ſecundo alij religioſi, quos Prouinciales ſui deſtinauerint.

Tabiena.

6. Statuo tertiò, Religioſi qui ſpeciali voto ſe ad miniſtrandum infirmis tempore peſtis obſtrinxerunt, tenentur id efficere non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex voto & debito regulæ vt patet. Eſt communis, & nemo negat; multa enim, quæ ſunt de conſilio, & de perfectione charitatis poſſunt cadere ſub votum, quo facto tenentur vouentes illud exequi ex iuſtitia legali, & debito regulæ, & legis ſic profeſſæ, vt optimè animaduertit D. Thom. *Opuſculo 18. cap. 15. in principio.* Huiuſmodi ſunt fratres B. Ioannis Dei, & fratres ſancti Spiritus de Saxia in vrbe, & alij. D.Thom.

Statuo quartò. Religioſi, qui vtrique vitæ actiuæ, ſimul, & contemplatiuæ incumbunt, & ex inſtituto profitentur ſe eſſe coadiutores Epiſcoporum, & Parochorum ad ſalutem animarum, vt ſunt Religioſi Dominicani, Franciſcani & Societatis IESV, & reliquorum ordinum mendicantium, tenentur ex ſtatuto, & iuſtitia legali quando euidentia facti, parochi non ſuppetunt, nec ſatis ſunt numero, ad adminiſtranda ſacramenta infirmis, & ad id permanere, & non fugere tempore peſtis à loco peſtifero. Explico concluſionem. In magna Ciuitate vbi eſt numeroſa populorum multitudo, non ſufficiunt quinque, vel ſex Parochi, qui in illa tantùm ſunt, nec inueniuntur alij, qui eos iuuent, tenentur tunc Religioſi mendicãtes, ſupplere penuriã parochorum, & ſacramenta infirmis miniſtrare, quoties à ſuperioribus id eis fuerit iniunctum, & illi ex vi ſui inſtituti tenentur obedire. ita communiter. DD. Benzonius allegatus *concluſione* 10. D. Thom. 2. 2. *quæſt. 186 artic. 2. & 9. & quæſt. 188. art. 4. ad 2. & art. 5. & in opuſculo 19. cap.* 4. Bañes 2. 2. *q.* 3. *art. 3 dub.* 3 Probatur primò, quia ordines mendicantium ad ſalutem animarum præcipuè inſtituti ſunt, & deſtinatus eorum finis eſt per prædicationes, confeſſiones, & ſacramentorum adminiſtrationem ſaluti animarum incumbere; ergo ſi id recuſauerint, agent contra proprium inſtitutum, & deſtinatum illorum finem in ſuis conſtitutionibus contentum, & expreſsè promiſſum. Secundò, quia huiuſmodi finis non eſt quid voluntarium reſpectu religioſorum, qui talem ordinem profitentur, ergo nòn poſſunt illud velle, & non velle; ſed eſt quid neceſſarium; propoſitum enim fuit huiuſmodi religioſis antequam religionem profiterentur, & acceptatum, & votis profeſſionis implicitè, vel explicitè comprobatum; ergo ad iuſſum ſuperioris tenentur religioſi obedire. Tertiò, quia huiuſmodi Religiones ſunt verè inſtitutæ, & à ſummo Pontifice approbatæ vt adiutores ſint parochorum ad adminiſtranda ſacramenta multitudini populi fidelis; malè enim de facto conſultum eſſet populo Chriſtiano ſine tali adiumento. Igitur cum huiuſmodi religioſi ſint ex ſuo proprio inſtituto coadiutores Parochorum in ſpiritualibus ad ſalutem animarum, & in ciuitatibus, ac magnis populis tempore peſtis Curati ordinarij per ſe non ſufficiant; ſequitur, quod neceſſariò illi ſupplementum hoc præſtare teneantur, nòn ſolùm ex charitate, ſed ex regulæ inſtituto, & ex voto, vt patet. Quartò, quia diſceſſus horum religioſorum tempore peſtis nequit eſſe ſine maximo ſcandalo totius ciuitatis, cum à ciuibus illius, redditus, prouentus, & eleemoſynas accipiant, & quamuis ratio ſcandali ab extrinſeco, & per accidens rationem culpæ inducat, quia tamen in propoſito caſu ſcandalum vix effugi poteſt, nunquam moraliter loquendo culpa euitari poterit mortalis, cum ſit caſus publicus, & grauis neceſſitatis.

7. Benzon. D.Thom. Bañes.

8. Obiicies primò. Religioſi non tenentur omnia conſilia ad perfectionem ducentia implere; ſed illa tantùm, quæ determinata eis ſunt in ſua regula, & inſtituto, reliqua enim, etſi ſecundùm

præparationem animi in præcepto sint, non tamen tenentur ea complere, nisi quando necessitas requirit. Enimuerò in consiliis extra regulam contentis, nihil est peccatum mortale Religiosis, quod non sit etiam peccatum mortale sæcularibus, vt probat D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. D.Thom. *art.* 2. *& in 4. dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 6. *ad* 3 Respondeo verum esse, non teneri religiosos ad omnia exercitia, & consilia, quibus ad perfectionem perueniunt, sed ad illa tantùm quæ inclusa sunt in suis regulis, & institutis; at cùm institutum mendicantium tale sit, vt Episcopis, & Pastoribus in ministerio animarum cooperari, & coadiuuare debeant, præsertim quando sine eorum auxilio, multitudini succurri non potest, aut non nisi difficulter succurri potest, ideo dicimus tunc esse obligatos non fugere.

9. Obiicies secundò. Exponere vitam pro fratribus vltra casum extremæ necessitatis pertinet ad statum Episcopalem, non regularem: hæc enim tria sunt propria Episcoporum, expositio animæ suæ pro fratribus; ordinatio totalis vitæ in salutem proximorum; inimicorum singularis D Thom. dilectio, vt docet D. Thom *in opusc.* 18. *cap.* 16. at ad statum religiosum solùm pertinet quòd temporalia per votum paupertatis deserant, quòd castitatem seruent, quòd sub obedientia viuant; ergo religiosi non tenentur vitam exponere tempore pestis pro vita temporali proximorum; Caiet. maximè, quia religiosi, vt docet Caietan. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. & nos etiam docuimus *conclusione* 2. *num.* 3. possunt fugere tempore pestis. Respondeo, verum esse essentialiter illa tria ad statum Episcopalem primariò pertinere, posse tamen secundariò ad statum illorum Religiosorum spectare, qui in salutem animarum, & vitam actiuam incumbunt, & hoc in eo casu, quo Curati ad id primum obligati, non sufficiant, quia quamuis prædicatio propria Episcoporum sit, & ad illos primò spectet, vt dicitur in Concilio Tridentino *sess.* 5. *cap.* 2. *& sess.* 24. *cap.* 4. id tamen non tollit, quominus ex proprio etiam instituto religiosis conueniat; enimuerò primariò, & ex officio conuenit Episcopis, secundariò Religiosis. Ad id quod additur, religiosos posse fugere tempore pestis: Respondeo id verum esse, si loquamur de religiosis, qui vitæ contemplatiuæ tantùm incumbunt, hi enim non tenentur ex voto, & proprio instituto manere in vrbe tempore pestis; tenebuntur tamen aliunde ex præcepto charitatis in extrema necessitate, in defectum aliorum; at Religiosi mendicantes, qui vtrique vitæ actiuæ, & contemplatiuæ operam simul nauant, & ex instituto suo coadiutores Episcoporum, & Parochorum sunt, non solùm ex charitate; sed etiam ex professione sua ad id tenentur, vt patet; saltem qui & quanti ad hoc necessarij sunt.

10. Iam verò de Religiosis nostræ societatis non est dubitandum, ad id etiam ex instituto suo teneri, vt patet ex bulla Gregorij XIII. quæ est 102. & incipit. *Ascendente Domino*, vocat enim eos ibi Summus Pontifex, *Socios Ecclesiastici laboris, validos remiges ad frangendos procellosos fluctus, qui tranquillitatem nauiculæ Petri interturbant, quique ad omnia discrimina se exponentes vbique animarum salutem procurant, quorum finis est vitam agere in quauis mundi plaga, vbi maius Dei obsequium, & salus animarum speratur.*

11. Hoc tamen animaduertendum est, primo loco teneri accedere Curatos, secundò huiusmodi Religiosos, Curati enim, vt dixi, ex officio, & iure ordinario sunt proprij ministri animarum: Religiosi verò in illorum adiumentum, ad quod ratione instituti proprij tenentur. Neque hoc graue, ac durum religiosis videri debet, cum ad hoc summum charitatis opus, quo maius esse non potest, ex professione sua obligati sint.

Moniales belli, & pestis tempore possunt monasteria egredi, & ad loca tuta, & honesta, vel ad domus parentum, & cognatorum diuertere, absque violatione claustri, vt consuetudo habet de licentia Prælati, si tempus ad sit, vt petatur; si non adsit, absque illa, cum licentia Prælatæ. Ita Flamma *in appendice ad suam methodum conscientiæ fol.* 1033. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 9. *regular. q.* 46. & reliqui statim allegandi. Imò & ipsa etiam monasteria in vno loco sita, aliò possunt transferri ob pestilentem aërem, parumque salubrem, & ob frequentes hostium incursiones, vt egregiè probat Hieronym. Præuidell. *de peste num.* 1. habetur *tom.* 18. *tract. iuris fol. mihi* 183. *col.* 1. docet Lappus *allegat.* 68. & patet ex cap. *Si quis* 16. *q.* 7. & iuuat Caput, *Temporis* 9. *quæst.* 1. vbi Ciuitati Vilitrensi concessum fuit, quod sedem Episcopalem mutare posset propter frequentes hostium incursus, & belli tempus æquiparatur pestis tempori. Probatur etiam, quia confinatus, cui certa confinia sunt præscripta, non rumpit confinia si grassante peste, illa egreditur, animo redeundi, peste finita, vt optimè probat idem Hieronym. Præuidell. *num.* 1. *in eodem tom.* 28. *tract. fol. mihi* 179. *col.* 1. Est enim timor pestis iustus, & in constantissimos cadens viros, & timori belli, ac tyrannidis comparatur, iuxta doctores in l. *finali C. de testament.* vt docet Angel. *consil.* 179. incipit: Optimè, & verè consultum est; & Flamma allegatus, & Cenedo 3. *part. collectan.* 31. *num.* 2. §. *Crederem tamen*, idque siue hostes sint Christiani, siue infideles, quia in bello imminet periculum pudicitiæ, & tunc clausura non esset ad custodiam castitatis, ad quam præcipuè fuit instituta, sed ad periculum illius, & ideo moniales non censentur claustra rumpere, si pestis tempore, aut belli, illa egrediantur animo statim reuertendi eadem peste transacta, & cum licentia prælati vt diximus, & si hæc haberi non possit, ipsius prælatæ. 12.

Flam. Rodrig. Præuid. Lappus. Hier. Præu. Angel. Flamma. Cenedo.

Caput XXXI.

De Præceptis spei, ac timoris filialis Dei, quo tempore obligent, & quæ peccata illis opponantur. Agitur de peccato præsumptionis, & tentationis Dei.

Summarium.

Virtus spei est fundamentum ad colendum Deum. num. 1.

Quid sit spes. num. 1.

Actus spei, & formaliter, & essentialiter distinctus est ab actu fidei, idem de habitibus. n. 3.

Datur diuinum præceptum affirmatiuum spei, quo tenemur sperare in Deo, & à Deo sperare veniam peccatorum, & beatitudinem, gratiam, & omnia media necessaria ad hæc comparanda. num. 4.

Hoc præceptum quatenus negatiuum obligat pro semper

semper & sic nunquam licet de Deo desperare. num. 5.

Quo tempore obliget, quatenus affirmatiuum? num. 6. 7.

Peccat contra spem ille, qui desperat, se vitam auxilio Dei emendare posse. num. 8.

Item qui desperat se gratiam, & beatitudinem posse comparare. ibid.

Hoc procedit in eo, qui non ex scrupulo, sed ex iudicio firmo, quo id iudicat, desperat. num. 9.

Potest actus desperationis esse coniunctus cum haresi, & quando cum illa coniunctus sit. num. 10.

Potest etiam esse sine haresi, & quando. num. 11.

An repugnet posse Deum reuelare alicui illum reprobum esse. num. 12 & 13.

An admissa ea reuelatione intrinsecè sit malum, & peccatum M. desperationis actus. Refertur prima sententia affirmans. num. 14.

Secunda sententia multa docet, & qua, à num. 15. *vsque ad* 17.

Quid sit præsumptio, & quando ex præsumptione peccetur contra spem. num. 18. & 19.

Præsumptionis peccatum semper est mortiferum ex suo genere. num. 20.

An sit peccatum M. præsumptionis sperare se posse à Deo comparare tantam gratiam, quantam habuit Virgo Deipara. ibid.

1. TERTIVM fundamentum quod requiritur ad colendum Deum, est, vt in Deum speremus; nam primum est, vt Deum cognoscamus, in illumque credamus. Rectè enim Deum colere non possumus, quod nobis in primo præcepto Decalogi præcipitur, quin illum per fidem cognoscamus, illum amemus, & quin in illum speremus. Egimus iam de fide & amore Dei: sequitur, vt de spe etiam agamus.

2. *Est* igitur *spes motus quidam in voluntate ad bonum sub ratione boni*; & virtus spei est habitus inclinans ad actum spei, seu ad sperandum in Deum, quatenus summum bonum est, nobis post hanc vitam fruendum, & adipiscendum. Ita
Suar. Suar. *de spe disp.* 1. *sect.* 2. *num.* 5. Illud enim speramus, quod aliquo modo iudicamus bonum, &
Arist. futurum, vt docet Philosophus 2. *Rhet. cap.* 1. &
D.August. D. Augustin. *in Enchiridio cap.* 8. & communiter DD. Primarium igitur, & præcipuum obiectum seu materia huius virtutis est beatitudo æterna, iuxta illud Pauli ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ secundum spem vitæ æternæ quam promisit, qui non mentitur, Deus.* Sed animaduertendum est in beatitudine hominis esse gloriam animæ, & gloriam corporis; vtramque autem esse materiam virtutis spei, sed animæ primariam, corporis secundariam. Consistit igitur beatitudo formaliter in duobus, in obiecto, & actu, hoc est, in beatitudine obiectiua, quæ est Deus ipse, & in beatitudine formali, quæ est actus, quo possidetur Deus. Quando ergo dicimus primarium, & præcipuum obiectum spei esse beatitudinem æternam, intelligimus Deum ipsum esse primarium & præcipuum obiectum spei nostræ, quem immediatè actu spei attingimus, vt latè probat
D.Thom. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 1. *artic.* 3. & 2. 2. *quæst.* 17.
Suarez. *art.* 2. & 5. & Suarez *de spe disput.* 1. *sect.* 1. *num.* 4. vbi id latè, & doctè probat.

3. Patet igitur actum spei esse formaliter, & essentialiter distinctum ab actu fidei, & idem consequenter de habitibus dicendum est; quod
D.Paulus. docuit D. Paul. 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*; & Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. apertè hanc distinctionem supponit. Probatur facilè, quia potest quis desperare retenta fide, & sine hæresi; ergo spes, & fides distinguuntur. Potest enim quis desperare, non quia putet promissiones Dei esse falsas, sed ex alia passione: & hic quidem nullum tunc habet iudicium contra fidem. Vnde refutatur error hæreticorum, qui actus fidei ab actu spei non distinguunt, & consequenter dicunt actum spei esse in intellectu, & non in voluntate, & formale obiectū spei esse *verum & non bonum*, quos egregiè confutat Suarez *de spe disp.* 1. *sect.* 1. per totam. Suarez. Distinguuntur autem actus fidei, & spei, quia spes supponit fidem, & in illa omnino fundatur iuxta illud ad Hebræos 11. *fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium:* & quamuis spes nostra sit certa, & vera, non tamen talis dicitur per modum firmi assensus; sed quia nititur certissima, & verissima ratione sperandi, vnde per se errare non potest, nititur enim vt docet D. Paulus *ad Hebræos* 6. promissione, & iuramento Dei, ibi: *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ firmam, ac tutam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.* Duæ autem res immobiles, sunt promissio diuina, & iuramentum, quo promissionem suam firmauit Deus, per semetipsum Abrahamo *Genes.* 22. *c.* 16. daturum se nobis conspiciendum, & mercedem nostram futuram magnam nimis. Vt non segnes efficiamur, sed imitatores eorum qui fide, & patientia, bonisque operibus hæreditarunt diuinas promissiones. Distinguitur etiam spes à charitate in eo quod obiectum charitatis est Deus, vt summum bonum amabile amore beneuolentiæ; obiectum verò spei est ipse Deus, vt summum bonum amabile amore concupiscentiæ, atque adeo sperabile, quasi in commodum amantis, vt
docere videtur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 17. *art.* 8. D Thom.
& 9 & expressè docet Suarez *de spe disp.* 1 *sect.* 3. Suarez.
num. 4. Scotus *in* 2. *distinct.* 26. & 27. & Gabriel Gabriel.
dist. 26. Almaynus in suis moralibus, *tract.* 2. *cap.* 7. Almayn.
& Recentiores communiùs ad citatum locum D. Thomæ.

Statuo ergo primò. Datur diuinum præceptum 4.
affirmatiuum spei, quo tenemur sperare in Deo, & à Deo beatitudinem æternam, remissionem peccatorum, & alia ad hæc comparanda necessaria. Hæc conclusio est certa, & de fide. Patet ad Romanos 15. *vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.* Constat ex Psalm. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Et ad Titum 2. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei*; ad Hebræos 6. 8. 10.
& 13. Docent communiter DD. Suarez *de spe,* Suar.
disput. 2. *sect.* 1. *num.* 1. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi* Sanchez.
lib. 2. *cap.* 33. *num* 1. Et quamuis in his, & similibus locis nullum sit verbum, quod expressè videatur continere vim præcepti, tamen vt notat
D. Thom. 2. 2. *quæst.* 22. *artic.* 1. ex necessitate D.Thom.
materiæ sufficienter huiusmodi præceptum proponitur: qui enim promittit, hoc ipso præcipit
sperare promissa. Vnde D. Augustinus *tract.* 83. D.August.
egregiè ait, *præceptum esse nobis sperare, quæ promissa sunt.* Probatur deinde ratione, quia de omni actu necessario ad vitam æternam est, sperare

peccatorum veniam, ac gloriam à Deo obtinendam, vt constat ex concilio Trid. *sess. 6. cap. 6.* dum asserit peccatores diuina gratia excitatos liberè moueri in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, & in spem erigi fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, & inde consequenter moueri aduersus peccata per odium, & detestationem illorum. Vnde sic formatur argumentum: Actus omnis, qui est medium necessarium ad salutem, cadit sub præceptum, vt latè docet Suarez *de fide, disput. 15. sect. 2. num. 2. & lib. 8. de gratia cap. 18. & 19.* Sed actus spei est medium necessarium ad salutem, nisi enim speremus gloriam, inanis est fides nostra; ergo datur de illo præceptum.

Suarez.

5. Quo autem tempore hoc præceptum obliget, variant aliquantulum auctores: & certè quamuis hoc præceptum sit affirmatiuum, tamen per negationem explicatur, sicut & multa alia præcepta; facit enim hunc sensum: Sperabis in Deo, & nunquam de eo desperabis. In quantum ergo præceptum hoc negatiuum est non desperandi de Deo, & illius promissionibus, constat semper, & pro semper obligare instar aliorum præceptorum negatiuorum, vt bene docet Sanchez *tom. 1. Decalogi cap. 33. num. 2.* Suarez *de spe, disp. 2. sect. 1. num. 7.* D. Thom. *2. 2. quæst. 22. art. 1.* nam omnes actus desperationis sunt contrarij spei; & omnes actus spei contrarij, sunt intrinsecè semper mali, malitia contraria spei; neque de hoc est dubium, quare neque etiam in ea re nobis erat immorandum.

Sanchez. Suarez. D. Thom.

6. De præcepto autem spei, quatenus affirmatiuum est, & obligat ad eliciendos actus spei, est difficultas quo tempore obliget. Quidam quos tacito nomine refert Aragonius *2. 2. quæst. 22. art 1. dub. 1.* existimant habito semel actu spei, posse probabiliter dici hoc præceptum non amplius obligare: at iure optimo id falsum esse ipse censet, quod constabit ex dicendis.

Arag.

7. Ex solutione similis quæstionis de præcepto fidei, de qua egimus *cap. 1.* & de præcepto charitatis, de qua disseruimus *c. 27.* facilè erit minus probabiles sententias reiicere, quæ varia tempora pro quibus obliget præceptum spei assignant. Vnde omissis iis omnibus, dicendum præceptum spei obligare post vsum rationis non statim pro primo instanti quo incipit, sed ad non differendum multum tempus actum spei, & postea obligare etiam non solum bis aut semel in vita, sed aliquoties, itavt prudentis arbitrio non sit quis per multos annos sine actu spei. Fundamentum huius sententiæ vide *cap. 27. citato*, vbi de charitate id ipsum probauimus. Alia tempora quæ assignatur ad hoc præceptum, teneri sine vrgenti fundamento præscribuntur, & in iis vel solùm obligat per accidens præceptum spei, vt quando vrget tentatio desperandi, vel tenetur nulla datur obligatio, vt non datur eliciendi actum spei diebus festis, quod aliqui existimarunt. Vide Suarez *de spe, disp. 2. sect. 1. num. 2.* & quæ de fide & charitate diximus locis citatis. Ideo enim hic breuissimè agimus de hac re.

Suarez.

8. Dupliciter contra spem peccari potest. Primò omissione, non eliciendo actum spei cum obligat præceptum illius. Secundò commissione, idque vel per excessum sperando plus quàm deberemus, quod peccatum dicitur præsumptio; vel per defectum desperando, in iis circunstantiis, in quibus præceptum spei, quatenus negatiuum vrget, id est, cum datur promissio Dei de nos adiuuando & largiendo bono, de quo desperamus, nisi deficiamus ex parte nostra, quod peccatum dicitur desperatio, & est grauissimum & nunquam in eo excusat paruitas materiæ; ac proinde veniale tantùm esse potest ex defectu plenæ aduertentiæ. Quod sit grauissimum semper, ostenditur, quia siue desperatio oriatur ex iudicio, quo quis iudicaret non posse veniam consequi & saluari, &c. siue ex iudicio quo quis iudicaret non obstante auxilio Dei fore vt succumbat tentationi, & vitam æternam amittat, semper multum detrahitur aut veritati, aut potentiæ diuinæ, & consequenter grauissima in illum committitur offensa.

Quæstio verò est vtrùm posito firmo & absoluto iudicio, quo quis iudicaret se non posse veniam peccatorum aut gloriam cōparare, possit nihilominus sperare? Imprimis certum est illud iudicium non esse formaliter desperationem ipsam, desperatio enim propriè loquendo consistit non in iudicio & actu intellectus, sed in actu voluntatis & fuga illa seu retractione illa appetitus, à bono prosequendo. Deinde non videtur necessarium quòd posito illo iudicio in intellectu, statim sequatur desperatio in voluntate, quia adhuc potest quis velle facere quod in se fuerit ad consequendam veniam peccatorum & gloriam; verum quidem est hoc speculatiuè tantùm esse verum, nam moraliter loquendo vix dabitur tale iudicium sine desperatione, vt animaduertit Suar. *de fide disp. 2. sect. 2. num 2.* Non poterit tamen cum tali iudicio supradicto stare habitus spei. Ratio est manifesta, quia illud iudicium est contra fidem, proindeque per illud amittitur habitus fidei, quo amisso amittuntur etiam reliquæ aliæ virtutes theologales & per se acquisitæ, vt destructo fundamento corruit tota machina ædificij. 9.

Suarez.

Ex dictis colliges actum desperationis aliquando coniunctum esse cum hæresi, vt patet in desperatione supradicta coniuncta cum iudicio, quo quis existimaret se non posse saluari. Non tamen est necessarium, vt semper cum hæresi coniuncta sit; & patet, quia potest coniungi enim solo hoc iudicio, *Ego de facto non saluabor*, quod iudicium non est de fide; & eo posito eum vlterius quis possit apprehendere vt sibi vtile vel iucundum desperare, quia sic liberiùs poterit peccare, & à tædio in bonorum operum executione subeundo liberari, nihil videtur deesse vt actum desperationis elicere possit. Et ita docet ex mente D. Thom. Valent. *2. 2. disp. 2. quæst. 3. punct. 1.* & alij DD. 10. 11.

D. Thom. Valent.

Maius dubium est, vtrùm desperatio ita sit intrinsecè mala, vt in nullo vnquam casu licita esse possit? Et vt appareat meliùs difficultas, supponi solet casus, quo Deus reuelaret alicui suam damnationem. Respondeo in hoc puncto esse varias sententias. Quidam enim negant casum esse possibilem etiam de potentia absoluta Dei. Ita Bonauent. *in 1. dist. 48. circa litteram.* inclinat D. Thom. ibi *art. 4. ad 2.* vbi dicit illam positionem esse impossibilem. Idem habet Dionysius Carthusianus *dialogo de iudicio animæ, art. 5.* vbi refert Alensem, Guillielmum, & Altisiodorensem. Fundamentum illorum est, quia licet considerata nuda potentia Dei non inuoluat contradictionem id ipsum reuelare; at considerata illius bonitate, & sapientia, & veritate suarum promissionum, quibus promisit omnibus hominibus auxilia 12.

Bonauent. D. Thom. Dionys. Carthus.

auxilia sufficientia ad salutem, contradictionem inuoluit, & repugnat his attributis diuinis. Primò, quia talis reuelatio ad nullum bonum finem vtilis esse potest, & potest esse moralis occasio multorum malorum in homine viatore. Secundò, quia supposita ea reuelatione posset homo licitè velle suam damnationem; quia licitè posset se conformare voluntati Dei, & aliunde id non posset velle, quia esset velle omnia peccata. Quæ argumenta ad minimum pro-
D.Thom. Maior. bant, vt docet D. Thom. *quæst.* 23. *de veritate art.* 8. *ad* 2. & Maior *in* 3. *dist.* 26. *quæst.* 3. hanc reuelationem, si ordinario modo fieret, esse comminatoriam & conditionalem, non absolutam.

13. Alij docent de absoluta Dei potentia loquendo non esse negandum id Deum posse absolutè, & non comminatoriè tantùm reuelare, & affir-
D.Thom. Maior. Gabriel. mare. Ita etiam D. Thom. & Maior allegati, & Gabriel *lectione* 68. & 69. *in canone*, quia hoc nec inuoluit contradictionem apertam, nec malitiam; Nam quemadmodum Deus Ecclesiæ suæ reuelauit Antichristum esse reprobum, hominem peccati, & filium perditionis; cur non poterit Deus ipsi Antichristo reuelare illum esse reprobum? Certè non apparet ratio absolutæ repugnantiæ, quanuis reuera non congruat suauitati diuinæ prouidentiæ.

14. Admisso igitur casu reuelationis absolutę partita est sententia. Prima docet peccatum esse mortiferum adhuc desperare primò, quia antea tenebatur non desperare; illa reuelatio non abstulit præceptum spei, ergo adhuc supposita ea reuelatione tenetur non desperare, & consequenter illicitè faciet, & mortiferè peccabit desperando. Probatur. D. Paulus habebat reuelationem suæ salutis, & tamen timebat suam damnationem; igitur è contrario poterit quis habere reuęlationem suę damnationis, & procurare suam salutem. Confirmatur, quia ille homo cui facta esset talis reuelatio, posset ea non obstanti simpliciter saluari; ergo etiam potest simpliciter sperare; ergo ad id tenetur. Verùm ista opinio quamuis sit certa, tamen illius fundamenta non conuincunt, quia voluntas sequitur iudicium rationis. vnde si post illam reuelationem iudicat est reprobum, sequitur quòd non possit absoluto & efficaci actu sperare id quod iudicat sibi esse impossibile; vnde etsi voluntas per velleitatem feratur in obiectum secundùm se, tamen per actum efficacem non potest ferri nisi in obiectum, quod sibi iudicat esse possibile futurum. D. autem Paulus non propriè timebat peccata mortalia; sed venialia; & etiam occasiones, quæ poterant inducere ad peccatum mortale, ita se gerebat, ac si timeret, quia sciebat per illum timorem, & per illa media implendam esse suam reuelationem.

15. Secunda opinio, quam sequitur Suarez *de spe.*
Suarez. *disput.* 2. *sect.* 2. *num.* 8. tria docet. Primò docet non teneri huiusmodi hominem ad sperandum, non ex eo tamen, quòd reuelatio illa directè abstulerit præceptum sperandi; sed quia ratione status in quo est scilicet cum tali reuelatione, ablata est ei potestas sperandi. Vnde fit vt sola carentia spei beatitudinis non sit intrinsecè mala; & idem dicendum de carentia spei cuiuscumque alterius obiecti, quod pugnaret cum reuelatione propriæ damnationis supradicta.

16. Docet secundò, & bene Suarez, posse illum hominem in eo casu, & stante illa reuelatione sperare à Deo auxilium ad aliqua bona opera, & ad vitanda singula peccata; hoc enim non repugnat reuelationi habitæ. Vnde quod asserit
Gabriel. Gabriel *sect.* 68. & 69 in canone, posse nimirum illum hominem in eo casu licitè velle peccare, falsum est; & includit apertam implicationem. Sequeretur enim posse velle peccare & nō posse velle peccare: sequeretur posse velle peccare, quia id supponitur; item sequeretur non posse velle peccare, quia impossibile illi esset peccaret: nam si velle peccare non esset illi malum, profectò, neque ipsum peccare actu; quia actus peccandi totam malitiam haberet à voluntate; ergo impossibile illi esset velle peccare.

17. Docet tertiò, non posse huiusmodi hominem, nec debere propriè, & positiuè desperare de misericordia Dei. Primò, quia non necessitatur propriè ad desperandum; ergo potest non elicere talem actum, & aliàs ille actus desperationis malus est intrinsecè, & nullam habet honestatem propter quam quis illam licitè velle possit vt patet; Igitur, &c. Secundò, quia quamuis deberet credere se fore damnandum, tamen credere deberet id quidem esse non ex defectu misericordiæ diuinæ; sed ex suo defectu; ergo saltem non posset propriè desperare de Deo. Tertiò, quia ille homo non posset odio habere beatitudinem & Deum, sed desiderare, & conari ad faciendum id quod in se est ita docet idem Suarez *dicta disp.* 2.
Suar. *sect.* 2. *num.* 8. *de spe, & tom.* 1. *de religione lib.* 1. *de oratione cap.* 15. Similis quæstio tractatur, an possit quis orare pro illo, quem diuinitus agnouit esse reprobum, aut eius desperare salutem, quæ iuxta hic tradita seruata proportione erit decidenda.

18. Peccatur etiam contra spem vt dicebamus suprà per excessum, seu per vitium præsumptionis. Præsumptio autem in eo consistit vt quis putet se posse consequi beatitudinem, & remissionem peccatorum absque meritis, sed suis propriis viribus, & cum quis in creaturis spem collocat tamquam in præsidio sibi sufficienti ad salutem, sine Dei adiutorio comparandam. Vnde *Præsumptio* nihil aliud est, quàm *motus, quo aliquis aggreditur id quod superat vires suas.* Ita D.
D.Thom. Thom. 2. 2. *quæst.* 130. *& quæst.* 21. *art.* 1. Non tamen nobis interdictum est spem ponere in creaturis, quia cum Dei gratia, & adiutorio ad vitam æternam adipiscendam, promouere possunt, & conducere, vt bene docet Azor *tom.* 1.
Azor. Sanchez. *lib.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 7. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 7.

19. Vt verò meliùs hoc vitium cognoscatur, sciendum quòd præsumptio sumpta pro motu, quo aliquis aggreditur id quod superat vires suas, posse esse contra multas virtutes: nam in materia fortitudinis videtur coincidere cum audacia, & temeritate; in materia honoris videtur specialiter opponi prudenti magnanimitati; in materia verò spei Theologalis, vt in consecutione veniæ peccatorum, beatitudinis, gloriæ, & similium bonorum supernaturalium, est speciale peccatum contra spei virtutem; licet præsumptio interdum sumatur pro excellenti quadam fiducia, vt Iudith 6. *Non derelinquis præsumentes de te:* hoc est, confidentes, & capite 9. *Exaudi me miseram deprecantem, & de tua venia præsumentem*; id est, valde, & excellenter confidentem; tamen frequentius in malam partem accipitur, & significat inordinatum motum circa dona supernaturalia propriis viribus adipiscenda.

20. Sumpta igitur præsumptione pro vitio contra

tra ſpem theologalem modo ſupradicto, ſtatuo tertiò, præſomptionis peccatum ſemper eſſe mortiferum ex ſuo genere, nec paruitate materiæ excuſari poſſe, aut fieri veniale, nec aliunde ex alia cauſa, niſi ſolùm ex defectu plenæ deliberationis. Et ita docet expreſsè D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 21. *art.* 1. Suarez *de ſpe, diſp.* 2. *ſect* 3. *n.* 2. & 3. Saochez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 34 *num.* 7. Valentia 2. 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 2. Bañez 2. 2. *quæſt.* 21. *art.* 2. *dub.* 2. & alij. Et ratio eſt, quia hic motus præſumptionis ſupponit falſum iudicium de Deo, quo quis iudicat poſſe ab eo beatitudinem comparari abſque mediis, & remediis, à diuina prouidentia, & iuſtitia inſtitutis. Vnde Eccleſiaſt. 18. Spiritus Sanctus dicit. *Vidi præſumptionem cordis eorum, quoniam mala eſt.* Secundò, quia quatuor gradus inueniuntur præſumptionis, & vnuſquiſque grauiſſimus eſt, & ex ſe mortalis, & nullo modo venialis. Primus eſt, vt dixi, ſi quis ſperet conſequi beatitudinem, aut remiſſionem peccatorum à Deo propriis viribus; & eſt ſpes Pelagiana. Secundus eſt, ſi quis indebito ordine ſperet v. g. remiſſionem peccatorum ſine propria pœnitentia, gloriam ſine propriis meritis, ſolùm ea mera præſumptione in meritis Chriſti firmam fiduciam habendo, quæ dicitur ſpes Lutherana. Tertius eſt, ſi quis ſperet à Deo auxilium ſpeciale ad res illicitas, veluti ad peccandum, ad vindictam ſumendam de inimico, quæ eſt ſpes Caluiniana; Caluiniani enim tam ſpeciale auxilium requirunt ad proditionem Iudæ & ad negationem Petri, quàm ad conuerſionem Pauli. Quartus eſt, ſi quis ſperet à Deo ſe habiturum tantam gloriam, quantam habet Deipara Virgo, quod eſt ſperare à Deo bona ſupernaturalia præter ordinem diuinæ prouidentiæ; ad diuinam enim prouidentiam ſpectat, ratione filij ad quem Virginem in matrem ſuam elegit, ei tantam gratiam conferre, quantam nulla alia creatura debeat comparare; de lege ordinaria, quæ ſpes etiam dici poteſt Lutherana, & verè contraria ſpei veræ, ſpes enim vera nititur potentia Dei ordinata, & promiſſionibus diuinis: vnde quamuis, qui iſta præſumit, videatur magna ſperare de Deo, quatenus tamen inuertit ordinem diuinæ prouidentiæ, indignè ſentit de Deo, & perturbat ordinem ſperandi, in quo non leuis iniuria fit ipſi Deo; in omnibus verò his modis præſumptionis, eſt graue peccatum, & nunquam poteſt eſſe veniale, quia omnes corrumpunt habitum ſpei, non ſolùm quia regulariter loquendo ſupponunt hæreſim, & infidelitatem, ſed etiam quia deſtruunt formale obiectum ſpei, & reddunt hominem indiſpoſitum ad eliciendos illius actus; qui enim ſperat ſuis viribus, nihil cogitat de bonis ſupernaturalibus, quia ſperat contra debitum ordinem diuinæ prouidentiæ, & diuinarum promiſſionum, & deſtruit fundamentum, & rationem ſpei infuſæ, quæ fundatur in diuinis promiſſionibus, vt diximus, & de ſe patet.

D. Thom.
Suarez.
Sanchez.
Valent.
Bañez.

SVMMARIVM.

Quatenus ſit peccatum mortale peccatum præſumptionis, & contra ſpem pœnitentiam differre, & tam certò ſperare à Deo beatitudinem peccando, quàm non peccando. num. 21.

Quando peccatum præſumptionis eſt coniunctum cum hæreſi. num. 22.

An peccatum deſperationis ſit grauiſſimum omnium peccatorum. Quid ſi comparetur cum cæteris virtutibus moralibus. num. 23.

Quid ſi cum odio Dei: Quid ſi cum hæreſi. ibidem, & 24.

Si peccatum deſperationis oriatur non ex odio Dei, ſed ex tædio, vel ex tentatione ob quam aliquis deſiſtit ab ſtudio, & proſecutione beatitudinis, probabile eſt hæreſim eſſe grauius peccatum. num. 25.

Si comparetur peccatum præſumptionis cum peccato deſperationis, vtrum ſit grauius. num. 6.

Vtrùm dentur præcepta timoris filialis, & ſeruilis. num. 27.

Et an hæc præcepta ſint diſtincta à reliquis reliquarum virtutum. num. 28. 29.

Quid ſit peccatum tentationis Dei, & quàm graue peccatum ſit Deum tentare, & in quibus caſibus hoc peccatum committatur. à numero 30. vſque ad finem.

INſuper peccatur etiam præſumptionis crimine contra ſpem ab eo qui ſpe veniæ obtinendæ 21.
pœnitentiam in ſenectutem protendit, & qui cum diu in peccatis perſeuerет, tam facilem veniam ſperat ac tam certam, ac ſi nihil peccaret; nam hoc etiam eſt contra debitum ordinem ſpei, quia licet interdum ex fragilitate delinquere ob ſpem veniæ, poſſit aliquando non eſſe præſumptio, imò poſſit aliquando peccatum minuere, inde tamen occaſionem perſeuerandi in peccato ſumere, eſt quoddam præſumptionis genus perniciosum admodum, & ex ſe mortale. Ita docet Suarez *de ſpe, diſp.* 2. *ſect.* 4. *num* 2. *fine*, Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 7. *ad finem.* Medina *lib.* 1. *ſumma cap.* 14. §. 2. *fol.* 79. *pag.* 2. Bañez 2. 2. *quæſt.* 21. *art.* 2 *fine.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap* 2. *quæſt.* 7.

Sanchez.
Suarez.
Medin.
Bañez.
Azor.

Ex dictis patet poſſe etiam peccatum præſumptionis, vt diximus de deſperatione, eſſe cum 22.
hæreſi, & ſine hæreſi. Eſt quidem cum hæreſi, & duplex culpa neceſſariò confitenda, quando datur error in intellectu, quo quis aſſentitur, & credit beatitudinem abſque propriis meritis & abſque pœnitentia eſſe obtinendam, vel ſolis propriis viribus abſque Dei gratia, de quibus modis iam egimus. Datur verò ſine hæreſi, quando non datur quidem tale iudicium, ſed nihilominus ita quis in ſalutem æternam tendit voluntate ſua, ac ſi poſſet beatitudinem abſque propriis operibus, aut ſolis illis abſque Dei gratia obtinere, vt optimè docet Valentia 2. 2. *diſp.* 2. *quæſt* 3. *punct.* 2. & Saochez *tom* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 8.

Valent.
Sanch.

Rogas tamen, an peccatum deſperationis ſit 23.
grauiſſimum omnium peccatorum. Reſpondeo primò, ſi hoc peccatum comparetur cum cæteris virtutibus moralibus, grauius eſſe, quàm cætera peccata quæ contra illas committuntur, quod conſtat primò ex nobilitate virtutis Theologicæ ſpei, quæ eſt nobilior cæteris virtutibus moralibus. Secundò, ſi hoc peccatum comparetur cum peccatis contra charitatem v. c. cum peccato odij Dei, eſt minus graue quàm illud, quia charitas eſt maior omnibus virtutibus Theologicis, vt patet ex illo D. Pauli; *nunc autem manent ſpes, fides, charitas, maior autem horum eſt charitas.* Et id latè probat Suarez *de charitate diſp.* 6 *ſect* 1. Si comparetur cum hæreſi, D. Thom. 2. 2. *q.* 20. *art.* 3. ſimpliciter aſſerit hæreſim eſſe grauius peccatum ex obiecto, quàm deſperationem; quia opponitur veritati Dei, quæ habet maiorem,

Suarez.
D. Thom.

excel

excellentiam quàm amor concupiscentiæ in Deo; nam Deus quatenus nobis est bonus, est terminus, & obiectum spei nostræ, & quatenus absolutè est verus, est obiectum fidei nostræ; simpliciter autem, & absolute excellentius quid est, esse verum, quam esse nobis bonum, & concupiscibile. Addit tamen D. Thom. ex parte nostra periculosiorem esse desperationem, & magis irremediabilem, quàm hæresim; hæc est opinio D. Thomæ.

D.Thom.

24. Suarez tamen de spe *disp. 2. sect. 2. num. 5.* asserit primò maximum peccatum contrarium spei simpliciter, & absolute esse grauius peccato hæresis, & infidelitatis. Primò, quia est directior, & formalior auersio à Deo. Secundò, quia culpa est immediatè in voluntate, & hæresis immediatè in intellectu. Ergo est ex suo genere grauior quàm hæresis, & per se corrumpit maiorem honestatem virtutis, nam virtus spei est perfectior quàm fides; saltem vt fides est in voluntate, vt docet Suarez *disp. 1. de spe sect. 6.* Ergo maximum peccatum contrarium spei, quod est ipsum odium Dei, quod opponitur amori concupiscentiæ illius, est ex suo genere grauius maximo peccato fidei contrario; & ideo quando D. Thom. excipit odium Dei, & asserit illud esse grauius peccatum infidelitate, intelligendus est de omni odio etiam contrario amori concupiscentiæ, non beneuolentiæ tantùm.

Suar.

25. Secundò asserit si loquamur de aliis actibus desperationis, qui non oriantur ex odio Dei, sed ex tædio, vel ex tentatione ob quam aliquis voluntariè desistit ab studio, & prosecutione beatitudinis & gloriæ, tamquam à re impossibili vel nunquam sibi comparanda: probabile est hæresim esse grauius peccatum tali desperatione, propter rationem D. Thomæ; quia scilicet talis infidelitas magis repugnat Deo, quàm hæc desperatio, nam illa repugnat directè veritati Dei, hæc non ita directè omnipotentiæ vel misericordiæ illius, quia non fundatur in defectu omnipotentiæ, vel misericordiæ illius, sicut hæresis, & infidelitas fundatur in defectu veritatis diuinæ, sed oritur fortassis, & fundatur in nimia apprehensione proprij defectus. Et verò si ioterdum fundatur, & oritur ex mala existimatione de Deo, supponit iudicium erroneum, & inde accipit suam maximam grauitatem, & malitiam.

26. Si comparemus peccatum desperationis cum peccato præsumptionis, qua quis præsumit se suis propriis viribus sine adiutorio Dei beatitudinem consequi posse, aut posse cum sola fiducia meritorum Christi sine pœnitentia, & propriis operibus, grauius etiam peccatum est, ipsum peccatum desperationis, quàm peccatum præsumptionis, vt ex D. Thom. docet Suarez *de spe disp. 2. sect. 3. num. 3.* quia desperatio est magis directè contra diuinam misericordiam; præsumptio verò magis contra diuinam prouidentiam, & iustitiam; & desperatio magis attingit Deum immediatè; præsumptio verò mediante vana confidentia propriorum meritorum, & mediante fiducia meritorum Christi sine nostra pœnitentia, vt patet.

Suarez.

27. Sequitur vt agamus de præcepto timoris filialis Dei, & seruilis, & inquiramus an detur, & quo tempore obliget, & an sit actus elicitus à virtute spei. Statuo ergo quartò. Datur præceptum diuinum de timore filiali, & seruili Dei. Timor filialis est actus elicitus à charitate; timor seruilis est actus à virtute spei elicitus. Probatur, quia eodem motu, & pondere, quo terra deorsum tendit, fugit locum contrarium; & eodem habitu quo intellectus assentitur propositioni veræ, negat, & dissentit à propositione contraria: Ergo eodem habitu charitatis, quo quis amat bonum diuinum seu Deum quatenus est summum bonum, fugit etiam, & odio habet contrarium malum, illudque timet; & eodem actu, & habitu quo sperat beatitudinem, & gloriam, timet etiam & fugit pœnas inferni illi contrarias: timor enim nihil est aliud quàm fuga mali imminentis. Oritur verò timor filialis ab amore beneuolentiæ erga Deum, timor verò seruilis ab amore concupiscentiæ ipsius Dei, vt docet D. Th. 2. 2. *quæst. 22. art. 4.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 33. num. 4.* & colligitur ex Deut. 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum?* Est autem timor filialis ille, vt docet D. Thom. quo quis timet Deum offendere, & ab eo per peccatum separari. Dicitur filialis, propterea quod ex Dei amore proficiscitur, sicut timor ille, quo boni, ac obsequentes liberi verentur ne parentes suos offendant, proficiscitur ex amore filiali, quo ipsos parentes diligunt. Amor verò seruilis ille est, quo quis timet Deum propter pœnas, quas ipse peccatoribus instituit, & vt eas fugiat, inducitur ad non peccandum. Dicitur seruilis, quia similis est timori seruorum, qui dominos suos verentur non eorum amore ducti, sed timore pœnarum.

D.Thom. Sanchez.

Sed speciale dubium hîc emergit, An hæc præcepta de his timoribus sint specialia præcepta distincta à præceptis charitatis, & aliarum virtutum, & talia, vt ex defectu illorum contingat committi speciale peccatum. An verò sint coniuncta cum præceptis charitatis, imò & ipsamet charitatis & aliarum virtutum præcepta, quæ exigunt hos timores, vt per illos homines à peccatis recedant: & hac de re partitur opinio. Bañez 2. 2. *quæst. 22. artic. 2. in solutione ad 1. & 2.* existimat esse particularia præcepta, obligaréque præceptum timoris seruilis, quando necessitas vitandi peccati occurrit, & non inducimur ad illud vitandum, nisi timore pœnarum: præceptum verò timoris filialis tunc obligare, quando quis est in periculo peccandi, & solo timore orto ex amore Dei ad peccata fugienda ducitur: asserit tamen in solutione ad quartum esse probabile non esse specialia præcepta. 28.

Bañez.

Secunda opinio docet, non dari speciale præceptum horum timorum; sed esse idem præceptum aliarum virtutum obligans, & adstringens ad habendos hos timores per accidens, quatenus nimirum aliquis ex his timoribus necessarius est ad vincendam tentationem circa aliquam virtutem; vnde consequenter etiam docet peccantem in quocumque peccato, à quo horum timorum actu retrahi posset, vnum tantùm peccatum contra eam virtutem circa huius materiam peccare, proindéque sufficienter confessioni satisfacere explicando solum crimen commissum extra talem virtutem aut periculum, cui se exposuit, committendi omisso timore Dei illud. Probatur primò, quia nunquam homines, etiam timoratæ conscientiæ, de timorum horum defectu in peccatis commissis se accusant, nec confessarij etiam doctissimi de eo interrogant; ergo præceptum quod ad vincendas tentationes obligat ad eliciendos actus timoris Dei, non est speciale & distinctum à præceptis aliarum virtutum circa 29.

circa quarum materiam sunt tentationes. Secundò, quia defectus ille timoris est conditio generalis, quæ inuenitur in omnibus peccatis, quæ committuntur; vnde non constituit specialem aliquam culpam, sicut nec defectus considerationis aliorum mediorum, quæ à peccando nos possunt auertere: hanc opinionem tenet Valentia 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 4. *puncto* 2 *fine*, & Sanchex *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2 *cap.* 33. *num.* 4. *ad finem.*

Valent.
Sanchez.

30. *Tentatio Dei est irreligiositas quædam, per quam ex dubitatione de aliqua Dei perfectione v. c. de potentia, de veritate, amore, aut scientia illius, verbis, vel factis experimentum sumitur, an Deus perfectionem illam habeat necne*; veluti si quis velit mare sine nauigio transuadere, aut in fluuio deambulare ad experiendum, an Deus potens sit ad se liberandum. Ita definit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 97. *art.* 1. & 3. ab omnibus receptus. Opponitur autem hoc peccatum tentationis Dei virtuti religionis, vt docet D. Thom. allegatus *art.* 3. Sanchex *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap* 34 *n.* 4. quia cum finis religionis sit Deo reuerentiam exhibere, omnia quæ directè Dei reuerentiæ aduersantur, illi opponuntur; at tentare Deum pertinet ad Dei irreuerentiam, continet enim quandam dubitationem de diuina excellentia, nullus autem præsumit tentare eum de cuius excellentia certus omnino est; quamobrem directè, & primariò peccatum tentationis Dei, ad religionem spectat, & illi directè & primariò aduersatur.

D Thom.
Sanchez.

31. Potest etiam dici aliquo modo ad præceptum, & virtutem spei pertinere, illique opponi, quia tentans Deum indebito modo sperat ab ipso miraculum aliquod, aut actum intentum; nam si homo à Deo petat nouum, & extraordinarium modum ostendendi illi veritatem suam, potentiam suam, scientiam suam, aut charitatem suam erga homines, vt illam exploret, nouum genus peccati committit contra spem quatenus ab eo miraculum intentum indebito modo sperat, vt optimè docet Azor. *tom* 1. *lib* 9 *cap* 2. *quæst* 7. & Sanchez allegatus *num* 4. quod peccatum opponitur aliquo modo spei.

Azor.
Sanchez.

32. Est autem formalis, & expressa tentatio Dei, illa quæ ex dubitatione potentiæ, amoris, aut alicuius virtutis, aut attributi Dei procedit, & sic semper ex suo genere peccatum est mortale, & nunquam ex paruitate materiæ potest esse veniale, potest tamen ex defectu deliberationis, & aduertentiæ veniale esse; & ita docet Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 14. *punct.* 2. Suarez *tom.* 1. *de religione. lib.* 1. *de irreligiositate, cap* 2. *de tent. Dei formali, num* 4. *fol. mihi* 483 *col.* 1. Sanchex *tom.* 1. *Decalogi cap* 34. *lib.* 2. *num.* 5. & significat Caiet. *in summa, verbo, Tentatio in fine*, quod formalis Dei tentatio ex hoc solo defectu plenæ aduertentiæ à mortali culpa excusetur. Ratio est, quia velle ex dubitatione attributum Dei experiri, Dei contemptum includit, & ex infidelitate quadam procedit, & ex dubio in materia fidei, ac proinde includit hæresim, quia dubius in fide infidelis est, vt suo loco diximus. ergo com quælibet hæresis, & dubium deliberatum in materia fidei, peccatum mortale sit, & solum ex subreptione possit aliquando à mortali excusari, idem dicendum de formali tentatione Dei.

Valent.
Suarez.
Sanch.
Caiet.

33. Si autem tentatio Dei non procedat ex dubitatione potentiæ, scientiæ, aut alicuius attributi Dei, sed ex sola, & mera curiositate videndi alicuius miraculi, aut operis supernaturalis, existimant aliqui auctores tunc solùm esse culpam venialem, nisi materia sit grauissima, in qua tentans Deum se maximo periculo exponit. Ita Sayro *in claus regia lib.* 4. *cap.* 7. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 14. *punct.* 2.

Sayr.
Valent.

Alij existimant ex obiecto, & ex natura sua regulariter hoc esse mortale, nisi fortasis ex ignorantia, aut ex simplicitate id faciens excuseretur, ex quadam inepta pietatis & confidentiæ specie. Ita docet Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *de irreligiositate cap.* 2. *num.* 16. *fol. mihi* 487. *col.* 2. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 5. Et ratio est, quia notabilis irreuerentia Dei est agere cum Deo tanquam cum ludione, & vanæ curiositatis fautore; quia non solùm vult qui sic hoc miraculum petit, & expectat, vt Deus vanam curiositatem illius foueat, & ad illam cooperetur, sed etiam vult, vt sua potentia aliquid mirabile, & extraordinarium operetur, solùm ad illum finem, quod est omnino alienum à sapientia & prudentia diuina, & in substantia, hoc est à Deo petere rem aliquam, quæ non decet illius maiestatem: sic quando diabolus à Christo Domino petiit, Matth. 4. *Mitte te deorsum*, non videtur petiisse id dubitans de diuina potentia, & vt illam experiretur, cum aliunde illam expertam haberet, sed solùm ex mera curiositate, & vt videret affectum Christi erga seipsum, & ideo adiunxit, *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te, & tollant te.* Et tamen illi Christus respondit, *Non tentabis Dominum Deum tuum*; quæ responsio ostendit grauitatem delicti. Est ergo peccatum mortale ex suo genere, & vix potest esse veniale, nisi, vt dixi, ex ignorantia, & simplicitate. 34.

Suarez.
Sanchez.

Dictum est regulariter loquendo hoc esse peccatum mortale, quia tam parua, & exigua potest esse materia, vt negandum non sit esse tantùm veniale, vt bene docet Lessius *lib.* 2. *de iustitia cap.* 45. *dub.* 1. *num.* 4. *in fine.* & Sanchez allegatus dicto *num* 5. *in fine*, & exemplum apponit Sanchez in eo, qui leui morbo laborans nollet medicis vti, salutem à Deo vanè sperando, miraculo non petito. 35.

Lessius.
Sanchez.

Præter formalem datur interpretatiua Dei tentatio, & distinguitur à formali in eo, quòd formalis tentatio procedit ex dubitatione scientiæ, potentiæ, amoris, aut alicuius virtutis, aut attributi Dei, vt diximus *num.* 32. Interpretatiua verò ex hac dubitatione non procedit, sed absque prædicta dubitatione opere ipso Dei potentiam, scientiam, vel amorem explorat. sic D. Thom. 2. 2. *quæst.* 79. *art.* 1. inquit, illum tentare Deum interpretatiuè, & implicitè, qui etiamsi non intendat experimentum de illo sumere, aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud est vtile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem. Exempla communia sunt: si quis integros 40. dies abstineat à cibo, & potu; ac ad Christi imitationem ieiunet. Item si quis aperto vitæ periculo se exponat sine necessitate, vel nolit vti in graui morbo constitutus remediis ordinariis ad vitam tuendam, aut velit relicta scala à turre per aëra descendere; quamuis non animo Dei tentandi id efficeret, vt docet Toletus *lib.* 4. *summa cap.* 19. *num.* 6. *in fine.* Sanchex *tom.* 1. *de religione tract.* 3. *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 12. Suarez *tom.* 1. *de religone tract.* 3. *lib.* 1. *de irreligiositate cap.* 3. *num.* 1. *fol. mihi* 488. *col.* 1. 36.

D. Thom.

Toled
Sanchez.
Suarez.

Nauarrus in manuali Latino *cap.* 11. *num* 40. asserit 37.

Nauarr.

asserit simile peccatum mortale committere eum, qui voluntariè absque præuia meditatione concionatur. Quod verum credo si id nulla causa iuste coactus, sed solo animo tentandi Deum, vt Deus sibi dicenda inspiret, efficeret, secus si non eo animo, nec scandalum, nec aliud detrimentum sequatur; & ita mecum docet expressè
Sanchez. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 16. tunc enim erit veniale tantùm. Item peccaret M. qui in graui morbo solùm prouidentiæ diuinæ se committeret, nullo vtens humano remedio
Sanchez. Caiet. Nauarr. absque necessitate; vt docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 14. Caietan. 2. 2. *quæst.* 97. *art.* 1. Nauarr. *in summa cap.* 11. *num.* 41. & similiter erit Deum etiam interpretatiuè, & implicitè tentare, & graue peccatum ad probationem alicuius veritatis miraculoso experimento vti, v. g. vt à crimine obiecto se quis purget, ferrum ignitum manu apprehendere, aut aquam feruentem ebibere, aut duello, seu monachia quæstionem dirimere, vt veritas per victoriam patefcat, vt olim fieri solitum fuit; atque ideo meritò hoc genus probationis interdictum est iure canonico in capite *Mennam*, & in cap. *Monomachiam*, & cap. *Consuluisti* 2. *quæst.* 5. & in capite, *Ex tuarum, de purgat. canonica*, & in capite finali *de purgat. vulgari*, vbi redditur ratio huius prohibitionis, eo quod ad bonum commune tuendum satis sit mediis humanis iure statutis vti, ex quibus delictum aut innocentia delinquentis constet, & ideo hæc purgatio est quædam interpretatiua
D. Thom. Valentia. Sayro. Lessius. Dei tentatio. Ita D. Thom a 2. *quæst.* 95. *artic.* 8. *ad* 3. & 3. *part. quæst.* 80. *artic.* 6. *ad* 3. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 14. *punct.* 1. *corollario* 4. Sayro *in claui regia lib* 4 *cap.* 7. *num. vltimo.* Lessius *lib.* 2 *de iust, cap.* 45. *dub.* 1. *num.* 3. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 13. *num* 8. & Sanchez *tom.* 7. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 12. vbi hi duo posteriores colligunt hoc non esse malum, quia prohibitum; sed ideo prohibitum, quia malum; cum eiusdem malitiæ rationem textus reddat, eo quod sit Deum tentare, quod de se malum esse constat.

38. Neque obstat similes delictorum purgationes sæpe fuisse à Deo variis miraculis confirmatas, vt
Del Rio. plurimis exemplis ostendit Del Rio *lib.* 4. *de magia cap.* 4. *quæst.* 4. *sect.* 3. & *sect.* 3. & *sequentibus.* Non obstat etiam Numerorum 5. similem modum purgationis Deum præcepisse, vbi mulier de adulterio suspecta, aqua amarissima delictum purgare iubetur. Non obstat denique in Concilio Vuormatiensi *cap.* 15. vt habetur in capite *sæpe* 2. *quæst.* 5. præcipi, vt si furtum in monasterio committatur, fratres ita purgentur, vt in fine missæ omnes de manu Abbatis Eucharistiam accipiant, in hæc verba: *Corpus Domini nostri sit tibi ad probationem hodie*; & quòd *in cap.* 10. eiusdem concilij similis purgatio postuletur ab Episcopo, vel Presbytero suspectis de graui crimine, & id ipsum habeatur *in cap. vltimo* 2. *quæst.* 5.

39. Respondetur enim ad primam obiectionem de miraculis id accidisse in aliquibus casibus in quibus id fieri licuit ex speciali inspiratione diuina, vel si non factum fuerit licitè, ex inspiratione supposita, voluisse tamen Deum, etsi homines peccarint, fauere innocentiæ imperiti delinquentis, maximè quia id bona fide, & sine peccato ex ignorantia inuincibili, vel etiam crassa postulabat. Ad secundū, de muliere de adulterio suspecta responderi posset, illam fuisse permissionem tantùm, non legem Dei. Sed melius dices, ideo tunc id fuisse licitum, quia erat medium ordinarium ad purgationem illius delicti; id expressè Deo tunc per legem iubente; & ideo non fuisse Dei tentationem, sicut non est, cum speciali Dei reuelatione, aut inspiratione fit, quia tunc iam est medium proportionatum, & Deus ipse vult tale miraculum à se postulari; ea tamen lex quia cæremonialis fuit, cum lege veteri expirauit. Ad purgationem furti per Eucharistiæ sumptionem, respondetur errasse illud concilium
Valentia. Prouinciale; quod planè fatetur Valentia 3. *tom. disput.* 6. *quæst.* 14. *punct.* 1. *in fine*, vbi censet illa decreta fuisse reuocata per noua iura. Alij verò respondent eam probationem factam authoritate publica iudicis Ecclesiastici licitam fuisse, vt videri potest in Del Rio *lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 3. & Del Rio. Suarez. Sanchez.
Suario *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *de irreligiositate cap.* 3. *num.* 16. & in Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 13. vbi addunt nullibi prædictam probationem esse specialiter interdictam, sed generaliter quatenus decernitur in cap. *Ex tuarum, de purgat. canonica*, peregrina iudicia esse vitanda; addunt etiam non esse intrinsecam Dei tentationem eam Eucharistiæ sumptionem; quia non fiebat ad aliquam ostentationem miraculosam; sed solùm quasi in testimonium, & iuramentum innocentiæ: non censeo tamen esse conuenientem propter periculum animæ, & magis propter irreuerentiam sacramenti; & ita omnibus his obiectionibus respondent auctores hic citati D. Thom. 3. *part. quæst.* 80. *artic.* 6. *ad* 3. & D. Thom.
Valentia 3. *tom disp.* 6. *quæst.* 14 *puncto* 1. *in fine*, & Valentia.
Sayro *in claui regia lib.* 4. *cap.* 7. Sayro.

Vt autem in tentatione Dei implicita, & interpretatiua committatur peccatum contra religionem, necessarium est vt opus fiat cum aliquo respectu ad Deum ex intentione ipsius operantis expectato medio extraordinario ab ipso Deo vt liberetur, v. g. vel aliquid aliud fiat, & tunc solùm opponitur religioni, vt docent optimè Sua- 40.
rez *tom.* 1. *de religione tractatu* 3. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. Suarez.
& 5. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 34. Sanchez.
num. 2. *ad finem*, & Caiet. 2. 2. *quæst.* 97. *art.* 1. Pro- Caietan.
batur, quia si quis in ignem se coniiciat vt ardeat, non verò vt liber inde euadat, is non dicetur tentare Deum; sed se occidere. Item qui graui vlceri nullum remedium quæreret, quia vellet illud perpetuò pati, non verò vt ab eo virtute diuina sanetur, hic etiam non tentaret Deum; solùm enim peccaret contra charitatem propriam, non contra religionem & Dei honorem: quod intellige, nisi ex bono fine id efficiat v. g. vt dolores Christi imitetur, idque cum prudenti discretione, quemadmodum fecerunt viri sancti non pauci, quia tunc faciet quidem virtutis opus, ex obiecto patientiæ & humilitatis, aut aliquid huiusmodi, non verò religionis, quamuis ex extrinseca relatione ad illam pertinere possit, si v. g. referatur ad honorem vulnerum Christi. Ad tentationem ergo Dei nō satis est reiicere causas secundas, sed oportet, vt quis vel formaliter, vel interpretatiuè intentionem in Deum dirigat, & ab eo expectet aliquem mirabilem effectum nullo interuentu secundarum causarum; nam nemo ita stolidus est, vt possit velle effectum sine vlla causa, tam secunda, quàm prima, & ideo qui tentat Deum, etiam interpretatiuè vult effectum à causa prima sine secunda: tentatio igitur Dei, vt dicebamus, etiam interpretatiua fit semper cum hoc respectu ad Deum, & in hoc conuenit cum tentatione Dei formali, & expressa.

41. Dubitabis igitur vtrùm specie differant inter se

Suarez. se huiusmodi tentationes Dei formalis, expressáve, & tacita siue implicita. Suarez *tom. 1. de relig. tractat. 3. lib. 1. de irreligiositate cap. 3. num. 6. fine fol. mihi 490. col. 1.* asserit sibi videri esse speciē distinctas. Primò, quia formalis tentatio Dei procedit ex dubitatione potentiæ, amoris, scientiæ, aut virtutis Dei, & ideo Deus tentatur, vt experimentum de illius virtute sumatur; interpretatiua verò Dei tentatio procedit ex imprudenti, & nimia confidentia Dei. Secundò, quia in tentatione Dei formali datur exploratio diuinæ perfectionis, aut voluntatis ex intentione operantis, & ex ipsa actione; in tentatione virtuali, & interpretatiua datur ex intentione eiusdem operantis, petitio operis miraculosè facti; quod non oportet petere, maximè si per causas secundas possit obtinere. Vnde cum hæ tentationes ex longè diuersis principiis, & causis moralibus oriantur, satis probabile videtur speculatiuè specie distingui has tentationes inter se. Et verò quoad circunstantias, & mores, clarum est necessarium esse in confessione aperire, an tentatio Dei fuerit expressa, an tantùm interpretatiua; quia saltem necessarium est fateri intentionem, qua factum fuit opus, quo Deus tentatur, vt docet idem Suarez allegatus, & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 33. num. 11.* Suar. Sanch.

43. Illud autem animaduerto, dupliciter posse hominem Deum tentare, formaliter primò, vt ipse experimentum Dei capiat; secundò, non vt ipse, sed vt alij experimentum capiant, quia alij & non ipse dubitat: verè enim ille diceretur aliquem tentare, qui aliquid diceret efficerétve, vt sapientiam illius aliis faceret manifestam. Duplici etiam modo virtualiter posset quis tentare Deum. Primò, si in se vellet aliquem effectum mirabilem v. g. in graui morbo, spretis causis secundis, sanitatem à Deo speraret, si non in se, sed in aliis similem mirabilem effectum peteret, & speraret à Deo sine causis secundis, vt optimè docet Toletus *lib. 4. summæ, cap. 19. num. 4.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 33. numero 10. & 11.* Tolet. Sanchez.

44. Ex dictis deducitur nunquam esse licitum absque speciali Dei reuelatione; aut Spiritus Sancti inspiratione, quæ tali reuelationi æquipolleat, petere à Deo speciale fidei signum, pro eius fidei veritate aliis manifestanda, nisi duo concurrant, necessitas nimirum, vt quia nulla alia apparet via humana qua possit manifestari illius veritas; & vtilitas, quia scilicet speratur probabiliter cum fructu eorum, fidei veritatem illis fore manifestandam. Quare petens à Deo miracula ad fidem coram hæreticis confirmandam verè Deum tentaret, quia deest necessitas; sufficit enim eis Ecclesiæ testimonium; & qui apud infideles id peteret, quando illorum inde non speratur conuersio, similiter Deum tentaret, quia deest vtilitas; est enim tam excellens, & supernaturalis, hæc petitio, vt sine speciali Dei motione, aut reuelatione fieri rectè nequeat. Ita docet Toletus *lib. 4. summæ cap. 19. num 8. & 9.* & Suarez *lib. 1. de relig. tract. 3. cap. 2. de irreligiositate, num. 13.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 33. num. 10.* & alij. Tolet. Suar. Sanch.

45. Deducitur etiam esse tentationem Dei, & graue peccatum, se martyrio temere, & absque iusta causa offerre, seu quod idem est, quādo martyrium nec est in præcepto, quia non est necessarium ad fidem, & salutem spiritualem multorum conseruandam, aut blasphemias in Deum, & eius Sanctos deuitandas: nec est in consilio, quia ex eo aliquid aliud, quam Dei gloria & fidei exaltatio intenditur. Ita docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 124. art. 3. ad 1.* Syluester *in summa, verbo, Martyrium. num. vnico.* Nauarr. *in summa cap. 11. num. 40.* Lud. Lopez *in part. instruct. cap. 41. ad finem*, Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 34. num. 15.* D Thom. Syluest. Nauarr. Lud. Lopez Sanch. Vnde D. Thom. citatus ad 3. monet nulla ratione præbendam esse infidelibus occasionem iniustè agendi, sed solum patienter sustinendum esse martyrium ipsis iniustè agentibus. Neque enim martyres Christi prouocabant tyrannos ad mortem ipsis inferendam, vt Caiet. ibi circa eam solutionem aduertit, sed exigente iusta causa prædicabant, aut aliter ad fidei externam confessionem & alios actus religionis procedebant, ex quibus deinde tyranni ex propria malitia sumebant occasionem occidendi illos: nisi forte aliquando vel diuina inspiratio, vel magna ostendendæ fidei necessitas eos vrgeret ad se martyrio vltro ostendendos. Vnde Syluester, & Sanchez optimè dicunt nullatenus licitum esse absque necessitate occasionem infidelibus dare, imò addunt esse mortale subire mortem non principaliter propter Christum, sed propter vitæ tædium. Et idem à fortiori dicerent, si propter vanam gloriam, aut quid simile. Caiet.

Caput XXXII.

De cultu Dei, & imaginum, de adoratione Christi, Virginis, Crucis, & Sanctorum, ac humanitatis Christi.

SVMMARIVM.

Datur præceptum diuinum, & naturale colendi, & adorandi Deum. num. 1.

Hoc præceptum colendi & adorandi Deum, ad duo obligat. num. 2.

Quid sit Religio, traditur illius definitio prout est virtutis. num. 3.

An sit virtus moralis, & quod formale obiectum illius, & in quo destinguatur à fide, spe, & charitate. num. 4.

An Deus possit dici in aliquo sensu obiectum formale, & immediatum virtutis Religionis. num. 5.

Quo cultu, interno, an externo, an vtroque colendus & adorandus sit Deus. num 6.

Quæ sint signa & actiones externæ per quas adorandus sit Deus. ibid.

Cultus Religionis triplex est, Latria, Dulia, Hyperdulia. num. 7.

An huiusmodi cultus consistat in actu voluntatis, an intellectus, & vnde oriantur. num. 8.

Quo tempore obliget hoc diuinum præceptum Religionis. num. 9.

Sancti, & illorum imagines & reliquiæ sacræ Duliæ cultu sunt venerandi. num. 10.

Explicatur caput, Per latum *de consecratione dist. 3.* num. 11.

Imagines Christi, propria Crux Christi, & aliæ cruces ex qualibet materia constantes, Latriæ cultu adorandæ sunt. num. 12.

Reliqua instrumenta passionis solùm cultu Latriæ adoranda sunt, quæ corpus Domini tetigerunt, alia ad illorum similitudinem efformata cultu duliæ veneranda sunt. num. 12. & 13.

Crux

Crux in qua Christus Dominus pependit, ex duplici causa est adoranda adoratione latriæ, & quia corpus Domini tetigit; & quia est imago Christi; & nobis illum crucifixum repræsentat. num. 14.

Quare mulier Hæmorrhoissa, manus militum Christi crucifigentium, labia Iudæ, & terra Canaam, quam Christus Dominus proprijs pedibus tetigit, nullo cultu, nulla adoratione adorentur. num. 15. & 16.

1. HACTENVS de præceptis fidei, charitatis & spei egimus, quæ diximus ad primum præceptum Decalogi, tanquam fundamenta prærequiri; sequitur vt ad ipsummet primum præceptum colendi & adorandi Deum accedamus, quod dari, & esse diuinum simul ac naturale constat. Dari & esse diuinum ex ipso Decalogo, vt habetur *Exod.* 20. & *Deut.* 5. Esse verò naturale ostenditur, tum quia omnia Decalogi præcepta naturalia sunt: tum quia id ratio ipsa naturalis demonstrat, dum præscribit Deum à nobis colendum, & adorandum.

2. Ad duo obligat præceptum colendi & adorandi Deum. Primò, ad exhibendum Deo debitum cultum & honorem. Secundò ad nimirum non colendum & adorandum alium præter ipsum Deum, tanquam Deum; quamuis enim *Exod.* 20. vbi hoc præceptum traditur verbis illis, *Ego sum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos coram me: & non facies tibi sculptibile*, &c. quibus verbis solum exprimitur præceptum negatiuum non colendi & adorandi alium præter Deum; tamen satis sub illo includitur & traditur præceptum affirmatiuum colendi Deum, quia, vt D. Thom. 2. 2. *quæst.* 110. *art.* ad 2. ait, præceptum negatiuum ab affirmatiuo non distinguitur, quando vnum includitur in alio; sicut non est aliud præceptum restituendi à præcepto non furandi. Ratio verò cur potiùs apposita fuerit locu illo. *Exod.* cit & alibi passim, vbi huius præcepti mentio habetur, vt *Deutor.* 5. *Leuit.* 16. *Iosue* 24. *Psalm.* 30 *vers.* 9. & 10. forma negatiua, *Non habebis Deos alienos*, quàm affirmatiua, traditur à Suar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 17. *ad finem*, quia adeo à natura insitum & illi conforme est Deum colere, vt solum fuerit necessarium per præceptum negatiuum impedimenta abrumpere, qualis erat idololatria, maximè eo tempore, & pro eo populo in quibus maxima erat ad idololatriam pronitas, vt satis intelligeretur promulgatum præceptum positiuum colendi Deum.

D.Thom.

Suarez.

3. Vt igitur totum hoc præceptum colendi Deum expliccetur meliùs, & confusio euitetur, duplex illud præceptum in eo inclusum tam affirmatiuum, quàm negatiuum, necessarium erit explicare; quia verò ad virtutem religionis per se pertinet tota horum præceptorum obseruatio, illa enim est quæ & præscribit modum ac tempus quo Deus colendus est, & idolorum siue falsorum Deorum cultum exterminat, aliquid quatenus ad morales de hac re quæstiones quas attingemus, necessarium erit, de eius natura & officio præmittendum erit. Est igitur Religionis virtus, *habitus inclinans, imperans, ac præscribens Deo esse cultum propter se ipsum, super omnes Sanctos deferendum, Sanctisque propter Deum, & consequenter prohibens ne vllam creaturam pro Deo habeamus, dæmonumque inuocationes, diuinationes, varias obseruationes, superstitiones, & quicquid irreuerentem, ac irreligiosum cultum erga Deum, & Sanctos redolet, interdicens.* Habere virtutem religionis illa duo, ostenditur, quia ex D. Thom. *in* 3 *part. quæst.* 84. *art.* 2. *ad* 5. *in fine*, sicut vnaquæque virtus amat honestatem sui obiecti vbicumque est, illudque prosequitur, ita etiam odit, ac prohibet malum illi contrarium. ergo cum virtus religionis præscribat Deo religiosum, ac reuerentem cultum esse deferendum; ita consequenter etiam prohibet quicquid irreuerentem, & irreligiosum cultum redolet, vt patet.

D.Thom.

4. Est item Religio virtus moralis, non Theologica: ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 81. *artic.* 4. & 5. Caietan. *ibi.* Suarez *lib.* 3. *de habitu relig. cap.* 3. *num.* 3. *tom.* 5. *de relig. fol.* 51. *col.* 1. & omnes Theologi communiter *in* 3. *d.* 9. Probatur, quia virtutes Theologicæ tres tantùm sunt, fides, spes, charitas, de quibus dixit D. Paul. 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Eius formale obiectum, seu formalis ratio obiectiua, est excellentia diuina; quam respicit non immediatè, sed mediante cultu, & honore quem Deo defert, ratione cuius Deus ex virtute religionis est honorandus, & colendus, propter se ipsum super omnes sanctos; & sancti propter illum, & infra illum. Dixi virtutem respicere diuinam excellentiam mediante cultu, & honore interno, vel externo, quem Deo exhibet, quia velle Deo hanc excellentiam, & hunc honorem, est potius actus charitatis, quàm religionis, at tribuere, & deferre illi hunc honorem & cultum, & velle, & desiderare, vt tribuatur, ad virtutem Religionis propriè spectat. Vnde virtus religionis non attingit Deum immediatè, sed mediante cultu quem illi deferendum præcipit; at non sistit in eodem cultu, quo Deum colit, sed per illum in Deum transit, & Deum attingit, quia religio ex vi eiusdem affectus, qui ab illa emanat, & quasi, vt sic dicam, eudem impetu, quo circa aliquam operationem versatur, attingit etiam Deum, quia non in illa operatione sistit, sed per illam in Deum transit. Vnde Caietanus 2. 2. *quæst* 81. *artic.* 3. & 5. optimè ait Deum esse obiectum *Religionis* non *Quod*, sed *Cui*; quia obiectum *Quod* illud appellatur, quod omnino directè, & immediatè per internum actum virtutis attingitur, vt se habet Deus ad actum quo amatur; nam talis amor immediatè, & directè circa Deum ipsum versatur. Obiectum verò *Cui* est illud, quod solùm mediante aliqua actione attingitur, quamuis cum illa coniunctum non sit, vt se habet res, quam honoramus respectu voluntatis honorantis illam; & hoc etiam obiectum *Cui*, solet appellari, *finis virtutis*, & ideo D. Thom. 2. 2. *quæst* 81. *artic.* 5. Deum vocat religionis finem; sed intelligendus est de fine intrinseco, & proximo, nam remotus, & extrinsecus est quasi per accidens, ideòque sub scientiam & virtutem non cadit.

D.Thom. Caiet. Suar.

Caiet.

D.Thom.

5. Sed petes, an Deus possit dici in aliquo sensu obiectum formale, & propinquum virtutis religionis. Respondeo affirmatiuè, quod Suarez *tom.* 1. *de relig. in principio cap.* 3. *n.* 6. *fol.* 12. optimè declarat exemplo relationis, & termini; nam sicut quando relatio cognoscitur sub obiecto talis cognitionis, non solùm cadit relatio, sed etiam terminus relationis, diuerso tamen modo. Relatio enim immediatè, & directè; terminus mediante relatione, & quasi indirectè. Sic religio quamuis directè respiciat cultum Dei, & immediatum, ac propinquum obiectum illius sit hic

Suarez.

hic cultus; tamen cum non sistat in eodem cultu; sed per illum in Deum transeat, & non possit cognosci hic cultus Dei, quin Deus ipse vt terminus ad quem defertur, cognoscatur, inde est quòd Deus dici etiam possit propinquum, & immediatum obiectum Religionis, sed indirectum. Sed hæc, & alia similia ad speculatiuam cognitionem Religionis pertinent, veniamus ad moralem, quod proprium nostri instituti est.

6. Virtus sic explicata, Religionis præscribit imprimis præcepto affirmatiuo Deum esse colendum & adorandum. Vtrùm, verò obliget ad internum & externum cultum, an solum ad externum & quem, non satis constat. Nihilominus dicendum cum Suarez *tract. 2. cap. 2. num. 4.* quamuis Deo deferri possit cultus merè internus, v. g. per actus charitatis, spei, fidei & alios, eos ex imperio Religionis, id est, in finem colendi Deum eliciendo, nihilominus non videtur dari aliquod præceptum de Deo colendo per hos actus, seu eliciendi hos actus in finem colendi Deum. Probatur, quia nullum assignabitur de hac re præceptum diuinum. Ecclesiasticum dari non potest, quia Ecclesia non habet iurisdictionem saltem immediatam in actus internos. Naturale etiam non apparet, quia cum possit Deus aliter coli, nimirum per actus externos à virtute religionis imperatos, optimè per illos potest impleri præceptum colendi Deum absolutè, quod solum præscribit ratio naturalis. Hinc videtur totam obligationem colendi Deum esse per actus externos, prout coniunguntur cum internis, siue ab illis imperantur. Quinam verò debeant esse ij actus siue signa quibus Deum colere debemus, non est determinatum à lege naturæ: solùm enim videtur lex naturalis obligare ad decenter colendum Deum, seu ad non exhibendum ipsi irreuerentem cultum, quod magis videtur pertinere ad præceptum negatiuum, quàm positiuum. Non esse determinata per legem naturalem signa aliqua per quæ Deus coli debeat, satis conuincit magna quæ semper in iis fuit varietas, etiam apud eos qui Deum verum cognouerunt, illique cultum & honorem debitum piè ac deuotè detulerunt. Quidam enim Deum ipsum adorauerunt per proiectionem corporis in terram, alij per capitis inclinationem, hi per manuum eleuationem vel brachiorum extensionem, illi per genuflexionem, non pauci per pectoris tunsionem. Nam si hæc signa à natura ipsa instituta fuissent ad Deum colendum; eadem vbique adhiberentur, vt solent aliis signis naturalibus quæ eadem sunt apud omnes. Imò hæc eadem signa hominibus etiam adhiberi solent. Et quamuis de tunsione pectoris propter frequentem & communem vsum dici possit ad adorationem Dei iam nunc designatam esse, tamen id ex natura sua non habet, sed omnino indifferens est. Vide Suarez de hac *tract. 2. de relig. lib. 1. cap. 2. à num. 7.* Suar.

7. Nec solùm Deo cultum & honorem debitum religio præstare solet, sed etiam beatissimæ Virgini ac reliquis omnibus sanctis. Vnde triplex reperitur in religione cultus, nimirum latriæ, duliæ, & hyperduliæ. *Latria*, est supremus cultus diuinus qui soli Deo debetur: oritur hic cultus ex summa quadam reuerentia, & subiectione voluntatis erga Deum præeunte apprehensione, & iudicio ex parte intellectus, quo iudicamus, Deum habere supereminentem excellentiam supra omnes sanctos, & creaturas, & ideo super omnes esse colendum, & adorandum. *Dulia*, est sacer cultus, quo Sanctos propter Deum ipsum veneramur, nascitur hic cultus ex inclinatione voluntatis erga ipsos Sanctos præeunte apprehensione sanctimoniæ illorum, & iudicio intellectus, quo iudicamus illos habere excellentiam plusquam humanam, & infra diuinam. *Hyperdulia*, est cultus specialis, & eximius, quo Virginem sanctissimam propter se ipsam & propter Deum honoramus; oritur hic cultus ex inclinatione voluntatis erga Virginem sanctissimam, cum apprehensione & iudicio ex parte intellectus maioris excellentiæ sanctitatis in Virgine quàm in Sanctis, semper tamen infra Deum, cuius illa creatura est.

Vnde colliges adorationem formaliter esse actum voluntatis, cum iudicio ex parte intellectus, per quod repræsentatur voluntati excellentia illius personæ, quæ colenda est, sacro cultu, & postea subsequuntur actus exteriores, v. c. tunsiones pectoris, genuflexiones, inclinationes capitis, apertiones, manuum eleuationes, humi proiectiones, & similes actus, quibus significamus nos revereri & suspicere sanctitatem illam illius personæ, & habere propensam, & inclinatam voluntatem erga illam propter excellentiam illius sanctitatis, & in hoc distinguitur hic cultus sacer à ciuili cultu, quo homines non sanctos magis, & minus veneramur, quia in nobis erga illos præcedit iudicium, & apprehensio excellentiæ ciuilis, & merè humanæ; erga Sanctos verò præcedit iudicium & apprehensio excellentiæ ciuili & humana præstantioris, qualis est excellentia sanctitatis, nam vt docet D. Thom. 2. 2 *quæst.* 103, *art.* 1. *& in* 3. *part. q.* 25. *art.* 1. *in corpore; Cultus est honor, & reuerentia alicui exhibita propter suį excellentiam.* Vnde si excellentia est sacra, dicitur sacer cultus; si est merè ciuilis, & humana, dicitur cultus ciuilis. 8. D. Thom.

Rogabis tamen, quo tempore obliget hoc præceptum Religionis de colendo Deo. Respondeo nullum tempus certum dari, quo teneamur ex vi huius præcepti diuini & naturalis Deum colere, & adorare, sunt enim multa præcepta iuris naturalis, quæ certum tempus minimè assignant, vt præceptum fidei, dilectionis, & spei, vt suprà probauimus. Determinatio ergo temporis desumenda est, vel ex circunstantiis externis, & arbitrio prudentis, vel ex iure positiuo Ecclesiæ: & quidem ex præcepto Ecclesiæ Deum colere debemus per cessationem actuum, & operum seruilium diebus Dominicis, & festis Domini, & Sanctorum, & per auditionem sacri his diebus: quando verò detur circunstantia externa, quæ obliget ad adorandum Deum, & colendos Sanctos, id relinquitur arbitrio prudentis; nam quando Deus, aut Sancti publicè blasphemantur, vituperanturque, & nisi christiani adstantes, præsentesque Deum tunc adorent, & Sanctos venerentur, iudicabitur Deum non esse adorandum, nec Sanctos colendos, certum est obligare tunc vtrumque præceptum tam fidei, quàm Religionis. Ita docet Suarez *tom.* 1. *de relig. cap.* 2. *lib.* 1. *de diuino cultu, num.* 6. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 10. §. *Quo igitur tempore.* D. Thom. *quæst.* 83. *art.* 2. *&* 3. 9. Suar. Azor. D. Thom.

Hanc de Religione doctrinã sustinere nõ possunt Religionis infestissimi hostes Caluinistæ, Lutherani, Mennonistæ & cæteræ id genus pestes, qui nos idololatras ideo appellare impudenter 10.

non

non verentur, quia cælestes ciues eorumque imagines & sacrosanctas reliquias piè veneramur, quem illorum cultum ipsi impie damnant & persequuntur, idque probare se autumant ex definitiooe religioois suprà posita, ex qua videtur constare solum Deum esse adorandum ac religiosè colendum; veræ nihilominus sunt contra eos sequeotes coocluſiones.

Prima conclusio. Tam Sancti, quàm illorum imagines, & reliquiæ suut sacro, & religioso duliæ cultu propter Deom colendæ, & veoerandæ sunt. Hæc est omnium catholicorum, & est de fide & verissima conclusio, quæ satis confir- Conc. Trid. matur ex vnico testimonio Concilij Tridentioi *session.* 25. in secundo decreto illius, cuius titulus est, De inuocatione, veneratiooe, & reliquiis Saoctorum, & sacris imaginibus, ibi: *Mandat sancta synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus sustinentibus, vt iuxta catholicæ Ecclesiæ vsum à primæuis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem, & sacrorum conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, inuocatione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum vsu fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos vna cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum a que vtile esse suppliciter eos inuocare, & ob beneficia impetranda a Deo per filium eius IESVM Christum, qui solus est noster Redemptor, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere; illos verò qui negant Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes inuocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, vt pro nobis etiam singulis orent, inuocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, aduersarique honori vnius mediatoris Dei, & hominum IESV Christi, vel stultum esse in cælo regnantibus voce, vel mente supplicare, impiè sentire.* & infrà, *affirmantes Sanctorum reliquijs venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse; prout iam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat* Conc. Nyss. *Ecclesia.* In Nysseno concilio similis habetur huius erroris damnatio canone 2. de qua re agit Angelicus Doctor. 3. *part quæst* 25. *artic.* 6. Do- Suarez. ctissimus Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. disput.* 52. & contra Regem Angliæ *lib.* 1. *cap.* 8. *a num.* 2. ad quem huius rei curiosos lubens remitto. Ratio prima dedocitur ex perpetuo Ecclesiæ vsu, & continua traditione, quod patet ex citato Tridentini loco. Secunda & à priori deducitur ex ipsa dignitate, & excellentia, vitàque Sanctorum, quæ cum multo sit nobilior ac præstantior quauis excelleotia ciuili, & sæculari, religiosiori profectò, ac sanctiori cultu digna est. Tertia deducitur ex promissione Christi Domini Ioaonis 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus*; ergo debetur Sanctis honor, quo honorificentur; non ab aliis, quàm à nobis, quia illis inferiores sumus, ac proinde a nobis sunt David. honorandi. Vnde Dauid Psalm. 138. *mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus*, id est, D. Ambros. Sancti tui. Hinc D. Ambros. *sermone* 1. de Sanctis. *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum; & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum, cum ipse dicat ad Sanctos suos, Qui vos honorat, me honorat, & qui vos spernit, me spernit.* Vltimò probatur ex sacra pagina Geneseos 23. vbi dicitur Abraham adorasse sanctos Angelos, & Iosue 5. vbi sic dicitur: *cecidit Iosue pronus in terram & adorauit*, id est, sanctum Angelum. Quod si Angeli sunt adorandi ac colendi, cum creaturæ Dei sint, cur non etiam sancti viri, quorum æqua est sanctitas & aliquando maior?

Neque obstat caput *Perlatum de consecratione* 11. *distinct.* 3. vbi Papa Gregorius ad Episcopum Serenum Massiliensem, eo quod imagines Sanctorum inconsiderato zelo fregerit, quasi indignas adoratione: ita ait. *Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris, & quidem eas adorari vetuisse omnino laudamus, fregisse verò reprehendimus*, quia Massilienses adorabant imagines Sanctorum, cultu, & adoratione latriæ, quæ soli debetur Deo, & non duliæ, vt docet Glossa ibi verbo, *fregisse.* & patet ex Epistola eiusdem Pontificis ad eundem Episcopum, non verò cultu duliæ, qui solus cultus seruis Domini, sanctisque debetur, & ideo Summus Pontifex laudauit intentionem Episcopi; vituperauit tamen illius factum; quia potius debuisset docere populum, quàm succendere imagines: & rationem reddit, quia *quod facit scriptura, & historia legentibus, hoc facit pictura illiteratis videntibus.* Quasi diceret, sicut historia adducit in memoriam legentibus vitam & sanctimoniam Sanctorum, ita eandem vitam adducit in memoriam pictura iis, qui legere ignorant, vt illos debito honoris cultu venerentur.

Secunda conclusio. Imagines Christi, pro- 12 & 13. pria Crux Christi, & aliæ cruces ex qualibet materia constantes sacro cultu latriæ adorandæ sunt, cætera verò instrumenta passionis Christi, vt claui, lancea, spinæ &c. solum adorationem, & cultum latriæ merentur, quæ in passione Christi, corpus Domini tetigerunt. Vnde illa, quæ ad illorum similitudinem effinguntur, solo cultu duliæ coli debent. Hæc per partes est probanda. De imaginibus Christi id docet expresse D. Thom. 3. *part. quæst.* 25. D. Thom. Caiet. D. Damasc. Suarez. *artic.* 3. Caietanus *ibi*, & communiter Doctores, & D. Damascenus *lib.* 4. *cap.* 17. non longè à principio, & Suarez *lib.* 2. *contra Regem Angliæ cap.* 14. *per totum.* Et ratio est, quia honor imaginum non sistit in illis; sed tendit ad exemplar, & prototypum; sed ipsum exemplar, scilicet Christus, est adorandus adoratione latriæ, ergo & eius imago: nam imago Christi inquantum res est quædam, puta lignum auro & picturis ornatum, nulla est reuerentia digna, & inquantum est imago Christi, debetur ei eadem reuerentia, quæ Christo debetur. Cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens planè est quòd eius imago eodem cultu sit adoranda. Vnde in actu adorationis duplex potest motus inueniri; vnus tendit in ipsam imaginem, quatenus est res quædam ex ligno, & picturis effecta; alius est quatenus est imago alterius, quem repræsentat. Primus motus est illicitus, quia intrinsecè est malum adorare ligna, & sculptilia. Secundus motus est licitus, sanctus, & meritorius, quia cum tendat ad prototypum, siue ad rem cuius est imago, idem meritũ habet, ac haberet ille motus quo à nobis adoraretur, & coleretur Christus:

vnde etsi in sacra pagina *Exod.* 20. *Deuter.* 15. *Iosue* 24. *Psalm.* 80. & sæpe alibi, prohibeantur effictiones imaginum: *Non facies sculptile, Exod.* 20. *Iosue* 24. *Non facies imagines, &c.* tamen non prohibentur absolutè, sed facere adorandas cultu latriæ & Deo debito: vnde statim subditur, *non adorabis, neque eas coles*; vt optimè animaduertit D. Thom. 3. *part quæst.* 25. *art.* 3. *ad* 1.

D.Thom. 14. De cruce Christi Domini, in qua ipse Dominus fuit affixus, eadem adoratione latriæ esse colendam docuit D. Thom. dicta 3 *part. disp.* 25. *art.* 4. Caiet. *ibi*, & communis sententia interpretum & DD. imò & communis vsus & traditio Ecclesiæ. Probatur primò. Crucem Christi alloquimur, ac si Christum ipsum Dominum immediatè alloqueremur, eo quòd in ea Christum ipsum tanquam in imagine repræsentatum agnoscamus; inde enim est quod Ecclesia in hymno passionis dicat:

O Crux aue spes vnica,
Hoc passionis tempore,
Auge pijs iustitiam,
Reisque dona veniam.

Ergo etiam illam adorare possumus ac si adoraremus ipsum Christum immediatè, ac proinde cultu latriæ, quo Christus adorari debet. Secundò licet creaturæ insensibili per se nullus debeatur cultus & reuerentia, quia is proprius est naturæ rationalis; nihilominus si talis creatura insensibilis coniungatur cum aliqua rationali, vel illam repræsentet, bene potest cultu & honore respectiuo ad illam eandem naturam rationalem venerari. ergo cum Crux Christi & ipsius tactu fuerit sanctificata & eius imago sit, eadem adoratione qua ipse Christus, id est, latriæ, adoranda à nobis est. Idem dicendum cum proportione de aliis crucibus ex quacunque materia efformentur; adhuc enim & imagines Christi sunt, ipsumque repræsentant, non solùm mediatè quatenus imagines sunt veræ ac propriæ crucis Christi, sed etiam immediatè, vt est communis fidelium existimatio: omnes enim in quacunque cruce Christum Dominum crucifixum concipiunt. Ac proinde ex hoc capite eodem cultu latriæ atque ipsa Crux, in qua Christus mortuus est, reliquæ cruces venerari debent. Instrumenta alia passionis v.g. claui, lancea, columna &c. si sint ea ipsa quibus in passione sua Christus passus est, propter contactum cum Christo Domino venerari debent etiam adoratione latriæ, reliqua verò quæ vera ipsa instrumenta repræsentant, eodem modo venerari debent, quamuis non vt imagines Christi; hæc enim est differentia inter huiusmodi instrumenta, & cruces, quòd vt dixi omnes Christi imagines sunt, non verò illæ. Vide D. Thom. 3. *part. quæst.* 25. *art.* 4. *ad* 3.

D.Thom. 15. Sed oppones in hunc modum cum hæreticis nostri temporis, cum Claudio Tauriensi, & Vuiclepho iam post tot sæcula damnatis, & nouissimè cum serenissimo Rege Angliæ in sua præfatione, & opere monitorio, qui hanc hæresim ad inferos damnatam iterum suscitauit, crucem nulla esse adoratione dignam. Oppones, inquam, in hunc modum: Si veneranda esset Crux, id quidem esset ratione contactus, & coniunctionis ad corpus Domini; hæc enim sola ratio assignatur à catholicis. An igitur ratione omnis contactus, vel alicuius specialis? non primum, quia etiã mulier hæmorroissa, quæ erat in fluxu sanguinis, & omnes de quibus Lucas agit *c.* 8. Christum tetigerunt, & tamen quis dicet ratione huius contactus illos dignos esse adoratione latriæ? tum etiam quia alioquin labia Iudæ; asellus, in quo Christus sedit, manus militum cædentium, & crucifigentium Christum, & terra Canaan quotidianis Christi vestigiis tacta, essent à nobis latriâ adoranda, quod impium, & prophanum est dicere. Non secundum, quia oportet ostendere, quis ille contactus fuerit specialis, & vbi Christus singulare hoc priuilegium Cruci impertierit; & si illud impertiit Cruci, cur non etiam Virgini? nam Virgo Deipara adoratur adoratione hyperduliæ, non latriæ, vt catholici asserunt. Deinde, quia licet Christus dedisset suæ Cruci virtutem faciendi miracula, non ideo esset adoranda latriæ adoratione: nam etiam vmbra Petri faciebat miracula, quæ non ideo potest adorari.

Respondeo Crucem Christi dignam esse adoratione latriæ, ratione communis coniunctionis, & contactus corporis Christi, non ratione alicuius benedictionis, & virtutis illi impressæ, & superadditæ ab ipso Christo. Sicut enim reliquiæ Sanctorum, vt sudariola, & vestes sunt venerandæ, non ex virtute à Christo illis superaddita, sed ex coniunctione ad Sanctos, supposita enim sanctitate personarum, & excellentia illorum animorum, naturaliter sequitur, quòd in veneratione habeantur: sic etiam maiori cum ratione ex contactu Crucis ad Christum sequitur, quòd Crux adoratione latriæ colatur. 16.
Nec inde sequi potest hæmorroissam, labia Iudæ, asellum, terram Canaan, & manus militum Christum tangentes esse adorandas aliquo latriæ, aut duliæ cultu. Primò, quia non omnis tactus corporis Christi est sufficiens ratio, & fundamentum adorationis; sed tactus innoxius, & decens, qualis non fuit tactus labiorum Iudæ, aut manuum militum crucifigentium; fuerunt enim actiones istæ prauæ, & peccaminosæ, & non erat decens, vt asellus adoraretur, aut mulier, quæ ob peccata sua fluxu sanguinis vexabatur, & sic respondet venerabilis Anglus Thomas Vualdensis *tom.* 3. *cap.* 18. Secundò, quia licet spectata præcisa ratione contactus non defuerit in illis rebus sufficiens causa adorationis latriæ, respectu personæ Christi quam tetigerunt, propter illius diuinitatem, & excellentiam: aliunde tamen secundùm prudentis arbitrium in omnibus exemplis allatis datur impedimentum talis adorationis; datur enim imprimis ex parte Iudæ, & militum crucifigentium Christum impietas personarum, ex parte hæmorroissæ datur peccatum in quo erat; ex parte aselli, in quo Christus sedit, indecentia moralis, & scandalum, ex parte tangentium Christum, in concursu hominum datur etiam moralis indecentia, quia ille tactus non erat ordinatus ad opus aliquod miraculosum, quemadmodum fuit contactus crucis Christi ad corpus Christi, qui fuit ordinatus ad redemptionem totius mundi; ex parte Virginis sanctissimæ occasio, quam poterant aliqui accipere iudicando illam esse Deum, si adoratione latriæ instar Dei adoraretur; ex parte terræ Canaan mutatio illius; est enim iam adeo terra illa mutata, vt ratio illa contactus cessauerit, nam si constaret nunc permanere, quoad illas partes, quas Christus tetigit, in eadem esset habenda veneratione. Vnde D. Aug. 22. *de ciuitate Dei cap.* 8. testatur suo tempore, *miracula facta fuisse per terram sanctam Hierosolymis allatam;*

Angel. Thom. Vuald.

D. Aug. 22.

allatam, & à fidelibus fuisse terram illam in veneratione habitam: & nihilominus asserit Suarez *in defensione fidei lib.2.cap 14.num.6 ad finem.* si aliquis hodie viua fide, & pia recordatione vestigiorum Christi illam terram veneraretur, piè facere, quia tota actio ad Christum refertur, & relatio illa sufficiens fundamentum habet in Christi gressibus. Ex parte vmbræ Petri incapacitas illius, quia vmbra nihil est, & parum refert, quòd illa miracula efficeret, quia fundamentum adorationis non consistit in virtute per contactum communicata miracula faciendi, sed in sola, & præcisa ratione contactus & coniunctionis ad corpus Christi, nam ratione huius contactus, docent Sancti Patres, & præsertim Damascenus numero sequenti allegandus omnes alias Christi reliquias, vt clauos, lanceam, præsæpe, indumenta, vestes, & vinificū sepulchrum eadem veneratione latriæ adorandas esse; in cuius testimonium affert illud Psalmi 131. *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* & idem confirmat illud Esaiæ 11. *& erit sepulchrum eius gloriosum,* ita respondet Suarez allegatus *à num.4 vsque ad 8.*

Suarez. Suarez.

SVMMARIVM.

Quid sentiat Damascenus & alij Patres de adoratione Crucis. num. 17.
Virgo sanctissima, & eius reliquiæ, & imagines hyperdulià veneranda est. num 18.
Qualis sit cultus hyperdulia. ibid.
Quare Virgo sanctissima colatur cultu hyperdulia, & non latria adoretur, cum coniunctior fuerit Christo; quam illius Crux, & Crux propter hanc coniunctionem latria adoretur. num. 19.
Explicatur locus Lucæ. Quin imò beati &c. *vbi Christus videtur dicere sanctos maiori cultu dignos esse, quàm sit Virgo sanctissima mater sua.* num. 20.
Imaginum cultus & venerationes longè sunt à maledictionibus Prophetarum, & quare. num. 21.
Refertur duplex opinio an motus adorationis, & affectus venerantis terminetur modo aliquo ad ipsas imagines, quatenus habent esse repræsentationis, non quatenus res quadam sunt ex ligno, & coloribus. num 22.
Nullibi in nouo testamento inuenitur præceptum prohibens venerationem, & sacrum cultum imaginum. Neque in veteri inuenitur præceptum prohibens debitum cultum illarum, sed indebitum tantum. num. 23. & 24. & 25. *Quare imagines sancta, & sacra appellentur.* ibid. num. 24. *versu.* Vocamus autem.
Rex Angliæ admittit vsum imaginum ad cultum ciuilem, & vsum domesticum, non ad sacrum cultum, vt fugiat notam hæreticorum iconomachorum, qui omnem vsum illarum tollebant. num. 25.
Quare sacra imagines digna sint sacro cultu, non ciuili. num. 26.
Diuinitas & humanitas Christi latria adoratur. num. 27. *Humanitas Christi prout abstrahit ab vnione hypostatica est inadorabilis.* ibid.
Corpora, & reliquiæ sanctorum an sint adoranda, à num. 28. vsque ad 30.
An imagines Dei sint toleranda, & quomodo, & quatenus. num. 31. & 32.

17. EX dictis vindicata manet ab hæreticorum iniuria sanctissima Christi Crux, de cuius adoratione sic Damascenus *lib.4.cap.12. Hoc ingentis pretij lignum ac venerandum, in quo Christus* se ipsum sacrificij causa pro nobis obtulit, vt ex sancti corporis & sanguinis contactu sanctificatum optimo iure adorari solet. & statim addit infra. *Nam si eorum quorum amore flagramus, & domus nobis chara est, & lectus, & vestis, quanto magis ea, qua Dei ac Saluatoris sunt per qua nobis salus parta est?* Vnde illum quoque Dauidis versiculum; *adorate scabellum pedum eius,* interpretatur D. Hieronymus ibi de adoratione Crucis, & D. Cyrillus Alexandrinus *Homilia 6.* contra Nestorium *tomo 4. initio. Per te ô Virgo Trinitas sanctificatur, per te Crux pretiosa dicitur, & adoratur in toto orbe terrarum;* quia scilicet nobis Christum saluatorem dedit, qui in Cruce suspensus fuit. Et D. Leo sermone 8. de passione Domini. *Pulchra specie, inquit, de Christo Domino, triumphi sui portabat trophaum, & inuictissimum patientia signum salutis adorandum populis omnibus inserebat.* Et in eandem sententiam D. Ambros. oratione in funere Theodosij. *Sapiens Helena, qua Crucem in capite Regum leuauit, vt Crux à Regibus adoretur, non insolentia ista, sed pietas est cum defertur sacra Redemptioni;* id est, cum talis adoratio crucis, cultus, & honor referatur ad Christum Redemptorem ipsam tangentem & portantem Crucem. Vnde Lactantius:

D.Damasc. D. Hieron. D. Cyr Alex. D. Leo. D. Ambros.

Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora.

Tertia cōclusio. Virgo sanctissima, & illius imagines & reliquiæ omnes, ac indumenta illius, sacro hyperduliæ cultu veneranda sunt. Ita communiter DD. D. Thom. 3 *part. quæst. 25 num. 5.* Caietanus ibi, Suarez *lib.2. contra Regem Angliæ cap.7. num 4.* & omnis scola Thomistarum, qui planè cultus est infra illum cultum, quo Deum adoramus, & supra illum quo sanctos colimus. Probatur facilè, quia Virgo beatissima eminentioris fuit sanctitatis cæteris omnibus Sanctis, & in cælesti gloria infra Deum, & super omnes Sanctos, ac spiritus beatissimos collocata est; ergo maior illi debetur cultus, quàm debetur omnibus sanctis; nam cum omnibus excellentius sanctitatis emineat, necesse est, vt cum recognitione eiusdem excellentiæ in testimonium illius maiorem illi cæteris sanctis reuerentiam exhibeamus, maiorem cultum, semper tamen infra Deum, & supra Sanctos deferamus. Cum verò ex contactu illius omnes reliquiæ ipsius eandem æstimationem sanctitatis habeant, eodem adorationis cultu hyperduliæ sunt etiam colendæ. Confirmatur, quia matri Regis non debetur idem honor, qui debetur Regi; debetur tamen illi alius honor infra Regem & supra alios Regis filios, magnates, & aulicos; & licet honor matris sit honor filij, & ad filium referatur, vt docet D. Ioannes Damascen. *lib 4. cap. 15. post medium,* ideo refertur ad filium, quia ipsa mater est propter filium adoranda, non tamen eodem cultu, & honore, quo filius adoratur, nec eodem cultu, quo imagines Christi adorantur. 18. 28.

D.Thom. Caiet. Suarez. D Damasc.

19. Dices. Coniunctior est mater Christi eidem Christo, quàm Crux illius; ergo si Crux adoratur adoratione latriæ propter talem coniunctionem, à fortiori eadem adoratione colenda erit Mater Christi propter illam maiorem coniunctionem. Respondendum est, esse diuersam rationem vtrobique, nam cum Virgo sanctissima sit creatura rationalis, & capax per se adorationis, ideo ad vitandam occasionem erroris, qua vt Deus, aut imago Dei latria adoraretur, hyperdulia adoratur, qui cultus est infra Deum, & supra omnes Sanctos,

ctos, vt diximus, Crux verò Christi cum non sit creatura rationalis, nec capax adorationis per se, sed ratione illius contactus, & coniunctionis ad Christum; ideo eadem adoratione, qua Christus adoratur. Vnde est diuersa ratio, & ita docet D.Thom. D.Thom 3.*part.quæst.*25.*art.*4.*ad* 3.

20. Sed opponunt hæretici primò contra Virginem: Christus Dominus mulieri sibi dicenti Lucæ 11. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti*: respondit. *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*; ergo maiori veneratione digni sunt Sancti, qui verbum Dei audiunt, & custodiunt illud, quàm beata Virgo; ergo illa non est adoranda adoratione hyperduliæ supra Sanctos, sed ad summum duliæ, aut alia adoratione Sanctorum inferiori. Respondeo ibi non fecisse Christum comparationem Virginis cum reliquis Sanctis, sed fecisse comparationem præcilæ maternitatis illius cum virtutibus eiusdem Virginis, & in illis verbis docuisse beatiorem fuisse beatissimam Virginem credendo, & diligendo Christum, quàm illum corporaliter concipiendo; non tamen negauit quin fuerit magna dignitas Virginis Christum in ventre suo portare, neque negauit mulierem illam verè & fideliter dixisse. *Beatus venter qui te portauit*, quamuis neque omnem, neque præcipuam rationem beatitudinis Virginis ipsius in illis verbis explicauerit, vt eleganter docuit venerabilis Beda *lib.* 4. *in Lucam cap.* 49. & tetigit Suarez *lib.* 2. *contra Regem Angliæ, cap.* 13. *num.* 8. Beda Suarez.

21. Opponunt secundò, contra imagines tam Virginis, quàm Sanctorum, & contra adorationem Crucis, quia Prophetæ maledicunt cultoribus imaginum, quæ oculos habent, & non vident; pedes, & non ambulant; aures, & non audiunt *Psalm.* 113. ergo nec imagines Virginis, nec Sanctorum sunt aliquo cultu honorandæ, & à fortiori, neque etiam Crux adoratione latriæ veneranda est, cum hæc acerbiùs dicerent Prophetæ in eos, qui crucem ex ligno, non ad aurum, neque ad oculorum similitudinem formatam venerantur. Respondeo imaginum cultus, & venerationes Crucis longè esse à maledictionibus Prophetarum, illæ enim maledictiones solùm comprehendunt idolorum cultores, non verò veneratores illarum, qui non respiciunt ad formam, vel figuram ligni, sicut idololatræ, sed ad Virginem, ad Christum, ad Sanctos, qui in imaginibus repræsentantur, & quos in ligno, quatenus ea ligna illos in memoriam adducunt, venerantur, atque adorant; non enim sistit ille motus adorationis, illéve cultus in ligno, & imaginibus quatenus ipsæ imagines, res sunt ex ligno, & picturis confictæ, sed quatenus repræsentant Sanctos; quorum imagines sunt, & quatenus tendit, & transit in exemplar, & prototypum. Vnde in Concilio Trid. *sess.*25. *in decreto* 2. de sanctis imaginibus sic dicitur. *Imagines porrò in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in eis diuinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, id est, ad Sanctos quorum illæ imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, Christum adoramus, & Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt.* Conc. Trid.

22. Scire autem oportet duplicem esse opinionem circa cultum imaginum seu honorationem Sanctorum in suis extrinsecis, hoc est, in suis imaginibus. Altera est quòd sancti honorantur in illis, non quia habent esse in illis; sed quia per illas excitantur conuertunturque homines ad personam illam honorandam, quam repræsentant. Altera est quòd honorantur in illis, quia in ipsis habent quoddam esse repræsentationis; & inter has duas opiniones magnum est discrimen; nam prima ponit imagines nullo modo terminare adorationem, secunda ponit terminare illam non secundùm se, sed secundùm esse repræsentationis; quod persona sancta habet in illis imaginibus. Vnde secundùm hanc opinionem imagines dicuntur adorari, honorariue non per se; sed quatenus repræsentant personam cuius sunt imagines. Secundùm verò primam, non dicuntur adorari, nisi vulgariter, & metaphoricè; opinio autem D.Thomæ *in* 3 *part.q.*25 *art.*5. *in corpore*, est quòd imagines terminant actum adorationis secúdùm esse repræsentatiuum, quod habent illorum Sanctorum, quorum sunt imagines; asserit enim totum honorari in partibus, & quòd per hunc modum homo adoratur in imagine, in veste, in nuncio. Et *art.*4. *in corpore*, vbi dicit imaginem, aut Crucem adorandam esse terminatiuè, & sic secundùm D. Thomam, idem est motus adorationis tendens ad imaginem, & personam; semper tamen in vtraque opinione honor, & cultus adorationis transit in personam repræsentatam in talibus imaginibus. Et clariùs *in art.* 3. *in corpore*, asserit duplicem posse esse motum; vnum tendentem in ipsam imaginem in quantum est imago, & habet esse repræsentatiuum alterius; alterum in quantum est res quædam ex ligno, auro, argento, & coloribus confecta. Prior motus est ipse motus adorationis, qui terminatur ad imaginem in quantum est imago repræsentatiua alterius, & est vnus, & idem cum illo, qui tendit in personam, cuius imago est. Alter motus, qui tendit ad aurum, & picturam imaginis, non est motus adorationis; sed infidelitatis; nam imago illa, in quantum est res quædam, puta lignum, aut aurum, nulla est veneratione digna; reuerentia enim non nisi rationabili naturæ, aut ratione illius exhibetur. Nos ergo quando adoramus imagines non in ligno, & auro sistimus, sed tendimus in rem, & personam, quam repræsentant. D.Thom.

23. Opponunt tertiò. Primum præceptum Decalogi est Deum colere; ergo non debetur Religiosus cultus, nisi soli Deo; ergo idololatra est, qui Sanctos religioso cultu adorat. Confirmatur, quia Deus *Deut.* 4. *num.* 15. præcepit filiis Israël ne facerent imaginem aliquam, aut similitudinem, quam adorarent, ibi, *ne decepti faciatis vobis sculptam aliquam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ*; & Exod. 20. & Deut. 5. *Non facies tibi sculptile, neque similitudinem omnem, quæ est in cœlo desuper, aut in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra.* Quod ergo hominum ingenium? quæ Satanæ fraus? hoc tam audax imaginum commentum Ecclesiæ Christianæ contra expressum Dei præceptum obtrudere tentauit, profectò in vltimò iudicio exprobrante Christo idololatriam, nulla erit excusatio istius commenti, ac diabolicæ fraudis, propter nescio quas argutias quas catholici ad illud excusandum proferunt: sic ratiocinatur Rex Angliæ in sua præfatione monitoria *pag.* 49. & 50. contra imaginum cultum.

24. Respondeo fieri non posse, vt quod Ecclesiæ catholicæ

catholicæ definitio, ac traditio approbat, & præcipit, diuino præcepto contrarium sit, cum ab Spiritu sancto regatur; & Spiritus sanctus contrarius sibi esse non possit, alioquin falsum esset illud Christi Domini, *ille docebit vos omnem veritatem*, Lucæ 12. Negamus igitur vsum imaginum, & venerationem illarum esse contra diuinum præceptum: nam nullibi in nouo testamento inuenitur præceptum prohibens imaginum adorationem: Si autem ex veteri, & ex locis allegatis eruatur, quæro an illud fuerit ceremoniale, an morale, naturaléve. Si ceremoniale, cum lege veteri expirauit, & iam hodie non solùm est mortuum, sed mortiferum, quemadmodum, & lex vetus; translato enim testamento, necesse est, vt translatio legis, & ceremoniarum fiat. Non fuit etiam morale, seu naturale, quia negamus constanter inueniri tale præceptum morale in testamento veteri, in locis enim *num.* 1. & antecedenti allegatis, non omnis vsus imaginum prohibetur absolutè; sed vsus imaginum ordinatus ad indebitum cultum; & sic quidem quatenus prohibebat vsum imaginum ob indebitum cultum, præceptum erat naturale, imagines autem Sanctorum non sunt ordinatæ ad indebitum cultum; sed ad debitum, & honestissimum, & ideo concilium Trident. *sess.* 25. *in decreto de venerat. imag.* illas retinendas, & colendas præcipit, ibi. *Habendas, & retinendas esse imagines, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur, vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda.* Imagines enim sacræ nobis repræsentant sanctos, quorum sunt imagines, quos oramus, vt pro nobis orent (vtinam illos exoremus) & colimus propter eximiam illorum sanctitatem; nam si cultu ciuili colimus illos, qui gratiosi sunt Regibus terræ, cur non illos sanctos sacro, & religioso cultu colemus, qui gratiosi sunt Regi cœlesti? Vocamus autem ipsas imagines sanctas, non quòd ipsæ essentialiter sint sanctæ, sed quòd sanctæ dicantur ab extrinseco, & metaphoricè, quatenus viros sanctos nobis repræsentant, neque in ipsis spem ponimus, sed in sanctis quorum ipsæ imagines sunt; sacræ enim imagines, eo ipso, quod ad repræsentandas personas verè sanctas sunt formatæ, & ad honorem debitum iisdem sanctis exhibendum, & ad decentem, ac religiosum ornatum, ac templorum cultum, animarumque profectum deputatæ sunt, merito inter res sacras, ac sanctas deputantur. Sic vestimenta sacra, vasa sacra appellamus, & sacra scriptura appellat *Exod.* 25. *Numer.* 3. *num.* 3. *Deut.* 11. *num.* 32. quæ sacro vsui erant deputata. Vnde Nicephorus *lib.* 16. *histor. cap.* 28. contra illos, qui imagines sacras venerandas non esse asserebant. *O audacem animum, & os impudens, vocem illam enomuisti Antichristi, & eorum, qui illi placuerunt, Imagines venerandas non esse.*

25. Sed instant hæretici Protestantes in sacra pagina in locis allegatis omnem vsum imaginum simpliciter, & absolutè, siue ad debitum, siue ad indebitum vsum prohiberi: Sed instantia Protestantium nulla est; nam in sacro templo Hierosolymitano iussit Deus apponi, & fabricari imagines Cherubinorum, & erant in propitiatorio illius super quas Dominus sedebat, cum populum alloquebatur, iuxta illud Dauid Psalmo 98. *Qui sedes super Cherubin, manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manassen.* Ex quo colligitur non prohibuisse Deum olim absolutè per illa verba. *Non facies sculptile; non facies imagines, aut similitudines;* vsum imaginum; sed vsum illarum quæ ad indebitum cultum inducebant; alioqui enim sibi contradiceret, & aliud iuberet, aliud exerceret; nostræ autem imagines ad debitum, & religiosum cultum nos ducunt, non ad indebitum, & ideo quando illas veneramur, non illas veneramur, quatenus idola sunt, aut imagines ex auro, ligno, argento, aut coloribus pictæ; scimus enim hæc omnia indigna esse veneratione; sed quatenus Sanctos repræsentant, & ille actus adorationis non sistit in imaginibus; sed tendit ad Sanctos.

26. Sed asserunt hæretici Sanctos esse colendos cultu merè ciuili, & humano, qualis inter homines dari solet, quia homines fuerunt & sunt, non verò sacro, & religioso cultu, qualis est duliæ cultus, quia sacer cultus soli Deo viuo, & vero debetur; & ille solus est adorandus; quia præceptum illud absolutum. *Non adorabis Deos alienos.* cultum sacrum creaturis deferendum simpliciter prohibet, ac proinde licet admitti possint imagines quoad ciuilem vsum & prophanum quem domesticum appellant, non quoad sacrum, & religiosum. Cæterum impium planè est admittere imagines piorum, ac sanctorum virorum ad ciuiles, & non ad sacros vsus: quæro enim ab huiusmodi hæreticis, an credant aliquos viros habuisse aliquam excellentiam sanctitatis, & fuisse verè pios, & amicos Dei, & an sint hodie illorum animæ in cælo: si negent, impij sunt; necesse est enim etiam negent Deum esse remuneratorem sanctorum & meritorum: si affirment, victoria à nobis stabit. nam illa excellentia cum sit excellentia sanctitatis, sacro cultu digna est, sicut excellentia ciuilis digna est ciuili. & hæc ad illorum confusionem sufficiunt.

27. Quarta conclusio, diuinitas Christi, seu verbum incarnatum, & eius humanitas vna, eademque adoratione, & cultu latriæ colenda, & adoranda est. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 25. *art.* 1. *in corpore, &* 2. patet etiam ex Concilio 2. Constantinopolitano, quod est quintum concilium generale canone 9. ibi: *Si quis duabus naturis adorari dicit Christum ex quo duæ adorationes introducuntur; sed non vna adoratione Deum verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesia traditum est, talis anathema sit;* vbi anathema declaratur ille, qui verbum diuinum, & eius humanitatem bino adorationis cultu adorari dicit; ergo vna tantum adoratione latriæ adorari debent. Probatur rationibus. Primò, quia humanitas Christi est vnita verbo diuino; ergo ratione vnionis hypostaticæ eodem cultu latriæ adoranda est, quo Verbum diuinum adoratur. Secundò, quia ratio honoris debetur toti rei subsistenti per se, non enim dicimus quòd manus hominis, aut pes honoretur per se; sed quòd homo honoretur. & si aliquando contingit quòd manus, aut pes hominis, aut quælibet illius pars honoretur, id quidem non est ratione sui, sed ratione totius hominis per se subsistentis, quia in singulis illius partibus homo ipse honoratur, & partes eodem honore quo ipse honorantur, cum ille in singulis honoretur; sed in Christo sunt duæ naturæ, diuina, & humana, vnitæ in vna persona diuina, hypostasi, & supposito per se subsistenti; ergo eodem honoris cultu honorandæ sunt singulæ naturæ Christi, ac honoratur persona ipsa diuina; persona autem

D.Thom.

dioinæ adoratur cultu latriæ; ergo & humanitas Christi provt vnita est personæ diuinæ eodem cultu latriæ adoranda est; provt autem abstrahit ab hypostasi & in nuda natura sumpta, est inadorabilis, eum sit res quædam naturalis, vt

Caiet. D.Thom. docet Caietanus 3. *part.* D.Thomæ *quæst.* 25. *art.* 1. *versu, Circa primam.*

28. Opponunt tandem hæretici contra corpora, & reliquias Sanctorum in hunc modum. Sanctorum reliquiæ nullo modo sunt adorandæ. Primò; quia non est aliquid faciendum, quod possit esse occasio erroris; sed adorare mortuorum corpora, & reliquias, videtur ad errorem gentilium pertinere, qui mortuis hominibus honorificentiam impendebant; ergo reliquiæ Sanctorum non sunt adorandæ. Secundò, quia stultum videtur rem insensibilem venerari; sed Sanctorum reliquiæ, & puluisculi sunt insensibilia corpora; ergo stultum est illa venerari. Tandem, quia corpus mortuum non est eiusdem speciei cum corpore viuo, & per consequens non videtur idem numero; ergo corpus alicuius Sancti post mortem non est venerandum.

29. D.Thom. D.Hieron. Ad primum. Respondeo cum D. Thom. 3. *p. quæst.* 25. *artic.* 6. *ad* 1. illud argumentum deductum esse ex Vigilantio hæc verba astruente, vt refert D. Hieronymus *tom.* 3. in Epistola ad Riparium non procul à principio, *Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum puluisculum nescio quem in modico vasculo pretioso linteamine circundatum osculantes adorare*; Cui respondemus cum iisdem Diuis Hieronymo, & Thoma gentiles olim cultu latriæ mortuos suos adorare, nos verò etsi adoremus corpora Sanctorum, & eorum partes etiam minutissimas, vt puluisculos cultu duliæ, vt nimirum Deum cuius sunt sancti, & martyres, adoremus; & vt honor seruorum redundet in Dominum iuxta illud: *nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum*; nullo tamen modo prædictas reliquias cultu latriæ veneramur, proindeque non inducimus errorem gentilium.

30. Ad secundum. Respondeo nos non adorare corpus illud insensibile propter seipsum; sed propter coniunctionem ad animam in qua fuit vnitum, quæ nunc fruitur Deo, & propter Deum cuius fuerunt serui, & ministri, iuxta illud. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus, qui in cælis est*; fuerunt enim corpora illa Spiritus Sancti templa in eis inhabitantis, & organa illius, per illa operantis mirabilia, iuxta illud Pauli ad Tessal. cap 4. n. 4. *Vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* Ad tertium. Dico corpus mortuum alicuius Sancti non esse idem numero, quod primò fuit, propter diuersitatem formæ, quæ erat animæ; & nunc est forma cadaueris, sed esse idem identitate materiæ, quæ est iterum

D.Thom. suæ formæ vnienda. Sic respondet D. Thomas ibidem ad 3.

31. Opponunt denique contra imagines Dei, & Triadis sanctissimæ, omnino illicitum esse illarum vsum, & picturam, quia id prohibuit Deus expressissimè Deut. 4. num. 15. & Moyses dixit Deum ideo non apparuisse populo Hebræorum in imagine, ne forte decepti putarent aliquam Dei imaginem esse admittendam. *Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb, de medio ignis, ne forte decepti faceretis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ*; & hoc est quod dicitur Isaiæ 40. *Cui similem fecistis Deum; aut quam imaginem ponetis ei.* & Actor. 17. Paulus dixit. *Non debemus æstimare auro, & argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum esse simile.*

Respondeo duplicem esse posse imaginem 32.
Dei, alteram propriam naturalem, & formalem, ad viuumque expressam; alteram metaphoricam nostro modo intelligendi per figuram corpoream nobis modo aliquo repræsentantem Dei proprietates. Quod spectat ad primum genus imaginum, de fide est non esse licitum, imò esse stultissimum conari talem imaginem Dei depingere, quia cum Deus corpore careat, impossibile est per imaginem corpoream, siue depictam, siue sculptam, Deum ad viuum repræsentare; & hoc est quod in citatis locis Deuteronomij, Isaiæ, & Actorum dicitur, & in hoc sensu scholastici omnes, & Patres, & septima Synodus Act 3. & 5. constantissimè docent imagines Dei esse omnino improbandas, vt docet Suarez Suarez.
contra Regem Angliæ lib 2. *cap.* 13. *num.* 1. *fine.* Quod ad secundum genus spectat, nihil hactenus de fide stabilitum est, & ideo Concilium Trident *sess.* 25. *in decreto de imaginibus*, agens de imaginibus Christi, Deiparæ, & Sanctorum, consultò nihil de imaginibus Dei egit, & Concilium Nicænum 2. primum genus imaginum reprobans, secundum tacuit; constat tamen ex Ecclesiæ vsu introductum esse, has imagines metaphoricas depingere, & corporeas effingere, vt saltem modo aliquo nobis aliquæ proprietates Dei, & Angelorum per illas repræsententur; & negandum non est hoc esse valde vtile ad instructionem saltem populi, qui ruditate sua cum nihil videat, & nihil sciat, putat proprietates Dei, & Triadem sanctissimam esse impossibilem. Et quamuis probabile sit, quod olim *Deut.* 4. prohibitum fuerit fingere Dei imaginem sub quocumque prætextu, id quidem fuit, quia rudis ille populus, carnalisque, facilè existimaret illam esse Dei naturalem imaginem, & non metaphoricam, Deumque corporeum, non incorporeum esse; at hodie cum populus sit bene instructus, id periculum cessat. Sic olim, vt Euangelium testatur, Spiritus Sanctus in forma columbæ super Christum descendit. Neque obstat, quod si Princeps videret suam imaginem sibi dissimilem, & valde deformatam, indignaretur. Primò, quia in imaginibus metaphoricis Dei nulla est turpis deformatio, sed metaphorica significatio. Secundò, quia illæ imagines non depinguntur sine graui causa, & necessitate orta ex indigentia hominum, qui non possunt aliter spiritualia concipere, & quidem Princeps, qui videret per metaphoricas picturas fortitudinem, aut prudentiam suam repræsentari; quando aliter repræsentari non posset, vehementer lætaretur, non indignaretur.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Quæ peccata Religioni, & primo præcepto de colendo Deo opponantur. Agitur de idololatria, & quæritur vtrùm Principes Christiani possint licitè idololatras paganos suæ iurisdictioni subiectos cogere ad suscipiendam fidem.

SVMMARIVM.

Idololatria est primum peccatum quod opponitur virtuti religionis. num. 1.

Actus adorationis idolorum ex natura sua est illicitus, licet respectu gentilium habentium ignorantiam inuincibilem veri Dei, formaliter non sit peccatum: sed materialiter tantùm. num. 2.

Quid si diabolus per crucifixum alloquatur, & aliquis putans esse Christum eum adoret. num. 3.

Idololatria est peccatum M. & de se est omnium grauissimum, quæ committuntur contra virtutes morales. num. 4.

Est minus graue, quàm peccatum contra fidem, spem, & charitatem; quæ sunt virtutes Theologales, & attingunt Deum immediatè. num. 5.

Idololatria vnde incepit. num. 6.

Idololatria vt abstrahit à cultu idolorum, quam originem habuerit. num. 7.

Qui censeant primum inuentorem idololatriæ, & simulachrorum fuisse Ninum. num. 8.

Prælati Ecclesiastici, qui habent iurisdictionem spiritualem, non possunt infideles compellere ad fidem, & baptismum suscipiendum. num. 9 & 10.

Hæretici cogi possunt, & compelli ad fidem susceptam retinendam, etiamsi à principio coacti fuerint illam suscipere. num. 11.

Principes christiani non possunt infideles etiam suos subditos directò compellere ad fidem suscipiendam. num. 12.

Possunt indirectè negando illis ius habitandi in suis Prouinciis, nisi illam suscipiant. num. 13.

In extrema, aut quasi extrema necessitate suscipiendi sacramenta, potest quis dare pecuniam sacerdoti, vt illa sibi ritè & licitè ministret, si alter ritè ministrare noluerit. num. 14.

Ceremoniæ Iudæorum, quæ iam cum lege vetere expirarunt, non erant contra legem naturæ. numero 15. 16.

Iudæi nunquam baptizati possunt puniri, si exerceant suas ceremonias in contemptum nostræ fidei. num. 17.

An Principes Christiani possint iustè Iudæos suos subditos à suis Prouinciis pellere, nisi intra certum tempus Christiani fiant. num. 18. *Iudæi quo tempore sunt eiecti à regno Castellæ, & recepti in Lusitania.* ibid.

1. PRIMVM peccatum quod opponitur Religioni, est idololatria, deinde opponuntur superstitiones, dæmonum inuocationes, consultationes per sagas, diuinos, & ariolos, & quicquid indecentem, irreuerentemque Dei cultum sapit ac redolet. *Est autem idololatria cultus quo idolum, seu creatura colitur, vt Deus.* aliter, & clariùs. *Est diuinus cultus erga falsum Deum exhibitus.* Sic Toletus *lib. 4. summæ cap. 14. num. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 11.* Tolet. Azor. D. Th. 2. 2. *quæst. 94. artic. 2. & 3.* Valentia *ibi, quæst. 11.* D. Anton. *2. part. tit. 12. cap. 1. §. 2.* D. Thom. Valent. D. Anton. Componitur hoc nomen ex *idolo*, & *latria*. Vnde cum latria propriè loquendo sit cultus vero Deo debitus, idololatria nihil aliud erit quàm cultus Dei idolo attributus. ita sumitur idololatria propriè; impropriè autem & metaphoricè sumitur pro quolibet peccato mortali; cùm enim peccatum sit auersio à Deo, & conuersio ad creaturas, & ratione peccati mortalis, magis velit homo peccans creaturam honorare, se per affectum & voluntatem ad illam conuertendo, quàm Deum, illum per peccatum relinquendo, inde est, quòd omne peccatum mortale idololatria metaphoricè appelletur; sic D. Paul. *ad Ephesios. 5.* auaritiam idololatriam vocat, seu idolorum seruitutem, nam auarus totum suum affectum ponit in pecuniis, qui ponendus erat in colendo Deo.

2. Contra definitionem idololatriæ sic obiicies. Gentiles & Pagani quando adorant idolum, putant illud esse verum Deum, ergo ex intentione illorum, cultus ille tendit in Deum verum; ergo falsum est idololatriam esse cultum vero Deo debitum, falso Deo attributum. Respondeo parum referre quòd ex intentione illorum tendat illa adoratio in Deum verum, cum tamen in rei veritate falso Deo attribuatur; nam illa vana existimatio non efficit actum absolutè licitum, licet respectu gentilium, qui habent inuincibilem ignorantiam veri Dei, non sit actu peccatum formaliter; sed materialiter tantùm. Vnde ex ea sola existimatione non sequitur gentiles dirigere suum cultum in Deum verum & increatum, sed in personam creatam; seu in creaturam quam stolidè, & stultè credunt Deum verum esse, & ita respondet Lessius *tom. 1. de iustitia lib. 2. cap. 43. dub. 4. num. 21.* Lessius.

3. Dices, si diabolus in persona Christi per imaginem Christi Domini crucifixi loqueretur, & tu putans, tibique persuadens illum esse Christum, adorares illum, talis cultus esset licitus; tenderet enim in Christum, & non in diabolum; ergo similiter cultus, quem Gentiles deferunt suis idolis, quæ verum Deum putant, erit licitus, tendit enim in Deum verum ex intentione illorum. Respondeo concedendo cultum, quo adoraretur in ea circumstantia crucifixus, esse licitum, nego tamen esse licitos ex natura sua illos actus, quibus Gentiles sua idola adorant, putando veram illa diuinitatem habere. Ratio diuersitatis est, quia ille cultus, quo crucifixum tunc adorares, re vera non solùm ex intentione sua, sed etiam ex natura sua esset actus licitus, tenderet enim in Christum Redemptorem cruci affixum & in personam increatam, qualis est Christus, non in diabolum illic latentem loquentemque; at verò cultus idololatrarum licet ex intentione Gentilium posita ignorantia inuincibili non sit peccatum; tamen ex natura rei & ex intentione illorum tendit in personam quæ reuera est creata, licet illi putent esse increatam, non quia putent esse aliam personam; sed quia illa eadem persona quam putant esse, non est increata, & inde est quòd cultus idoli de se non sit licitus, sed illicitus, vt de se patet, illicitum enim est credere, & existimare idolum esse Deum verum, & illud vt talem adorare.

4. Hinc colliges de se & ex natura sua idololatriam esse grauissimum peccatum, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 94. art. 2. & 3.* Suarez *tom. 1.* D. Thom. Suarez.

de

Becanus. Toles. *de relig. lib. 2. de superstit. cap. 6. num. 2.* Becanus *tom. 2. cap. 13 quæst. 2.* Toletus *lib. 4. summæ c. 14. num 2.* nam peccata eo grauiora sunt, quo præstantiores sunt virtutes, quibus oppununtur. Vnde cum virtus Religionis coi idololatria opponitur, inter virtutes morales sit præstantissima; sequitur, quòd idololatria grauissimum sit peccatorum omnium peccatorum, quæ virtutibus moralibus opponuntur. Hæc autem idololatria si in homine baptizato detur sciente se lustrali aqua fuisse aspersum, & in Deo regeneratum, videndum est an procedat ex errore intellectus, credendò idolum, quod adorat, veram diuinitatem habere: nam tunc talis idololatra hæreticus simul erit Si verò solùm procedat ex propria malitia, vel ignorantia crassa, & facilè vincibili, nullum admittendo errorem in intellectu, aut dissensu à fide, erit solum peccatum mortale contra virtutem Religionis, quæ est omnium virtutum moralium præstantissima; qua Deum solum, verum, & verum colere debemus; nam cùm nullus est error in intellectu, sed verè indicat homo idolum quod adorat, non esse tali honore dignum; sed timore, coactione, vel alia passione motus adorat, & colit; tunc non est propriè idololatria formalis; sed dicitur exterior idololatria; & quamuis sit in foro exteriori subiecta excommunicationi, quia præsumitur fuisse integra, & cum errore intellectus, tamen in foro externo non habet adnexam excommunicationem bullæ cœnæ, & ab ea idololatria potest absoluere quilibet ordinarius confessarius, nisi fuerit in aliqua diœcesi reseruata. Sic Toletus allegatus. Tolet.

5. Ex dictis sequitur peccatum idololatriæ cum opponitur virtuti Religionis, esse minus graue, quàm peccatum contra fidem, contra spem, & contra charitatem; nam hæ sunt virtutes Theologales, & alterius ordinis, quàm morales, & illarum actus Deum attingunt directè, & immediatè: at verò Religio Deum attingit indirectè, & mediatè, mediante, scilicet, cultu quem illi defert. Sed contra hoc oppones. Pagani, & Gentiles idololatræ errant circa plura, quàm hæretici; & quàm illi qui peccant contra spem, & charitatem Dei; ergo grauius peccant. Respondeo peccare circa plura obiecta materialia, & extensiuè quoad maiorem contemptum Dei, & diuinæ authoritatis; vnde D. Petrus 2. *Epistola cap. 2. num. 21.* de hæreticis, & peccatoribus desperantibus, & Deum odio habentibus. *Melius illis erat non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum reuerti ab eo, quod illis traditum est.* D Petr.

6. Sed petes vnde incepit idololatria cum cultu, & veneratione falsarum imaginum? Respondeo incepisse ex desiderio parentum in filios demortuos, vt habetur *Sapientiæ* 14. Nam vt ibidem narratur *num.* 15. cum Princeps quidam mortuum filium amore prosequeretur, illius imaginem depingi iussit, vt eum veluti præsentem haberet, & illius recordatione tristitiam leuaret, & postea adeo creuit in amore, vt per tyrannidem à domesticis, & vasallis iussent adorari. Inde cœpta idololatria est. Ita enim ibi. *Acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra, & sacrificia; deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error, tanquam lex, custoditus est, &* *tyrannorum imperio colebantur figmenta*; & infrà, post pauca; *& tunc qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum existimauerunt.* Et id ex hoc loco colligit Lessius *de iust. lib. 2. cap 43. dub 3 num. 12. & dub. 4. num 17.* & D. Thom 2. 2. *quæst 94. art. 4.* & Suarez statim allegandus. Et sic ex hac patita scintillula magnum fuit in orbe idololatriæ excitatum incendium. Lessius. D. Thom.

7. Vnde, vt notat optimè Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superst. cap. 5. num. 2. & 3. fol. mihi 330. col. 2.* Idololatria abstrahens ab idolis sensibilibus, simulachris & imaginibus falsis, orta fuit ex ignorantia veri Dei, & imbecillitate humani discursus, adiuncta dæmonum industria & hominum negligentia, vt indicat sacra pagina sapientiæ 13. *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, nec operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex.* Idololatria verò simul enim veneratione, & cultu vanorum simulacrorum sculptilium & falsarum imaginum originem traxit, & occasionem ex nimio affectu ad aliquos homines mortuos, & desiderio præsentiæ illorum, accedente tyrannide, & nimia Principum assentatione, vt dictum est numero præcedenti. Suarez.

8. Scio aliquos auctores existimasse primum inuentorem idololatriæ cum vano imaginum, & simulacrorum cultu fuisse Ninum, qui dicitur mortuo Belo, parente suo Assyriorum Rege, in solatium doloris imaginem ipsius pinxisse, erexisseque & posuisse in loco edito, cui tantam reuerentiam exhibebat, vt omnibus reis ad eam confugientibus parceret, & ideo homines illam imaginem tanquam Dei diuinis honoribus colere incepisse, & sic potius idololatriam ortum habuisse ex desiderio filiorum in patres, quàm ex desiderio parentum in filios. Et hi sunt Abulensis *cap 4. in Genesim quæst 13. in fine.* Eusebius, & Iosephus, quos allegat D. Isidorus *lib 8. Etymolog. cap vltimo*, & D Ambr si eius sunt commentarij in Paulum in illud ad Romanos 13. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Verùm si hoc ita esset, non essent vera, quæ diuina narrat sapientia, quod non est dicendum. Non fuit ergo Ninus primus idololatriæ inuentor, fortassis fuit primus qui hanc immunitatem falsis imaginibus concessit, vt illorum reorum essent tutamen ac refugium, qui ad illas confugerent; & quia facile est inuentis addere, cultui idololatriæ addidit illis imaginibus hanc immunitatem. Vnde occasionem sumpserunt huiusmodi auctores, vt dicerent fuisse illum primum inuentorem idololatriæ cum cultu externo. Adduct verò alij Enoch fuisse primum inuentorem visus imaginum, & simulacrorum in verum, ac religiosum Dei cultum iuxta illud Geneseos 4. *Iste cœpit inuocare nomen Domini*: & inde alios occasionem sumpsisse idola pingendi, & condendi sub forma sensibili tanquam propriam Dei formam, imaginem ac figuram, quod ad idololatriam spectat. ita docet Dionysius Carthusianus *Genes.* 4. nec dissentiunt Hugo, Oleaster, & Honcala ad hunc locum: sed reuera primum initium habuit ex desiderio parentum in filios, vt testatur Sapiens dicto *cap.* 4. & antiquissimum est hoc peccatum. Abul. Euseb. Ioseph. D. Isidor. D. Ambr. Dionys. Carthus. Hugo. Oleaster. Honcal.

9. Veniamus ad præcipuam quæstionem. An liceat infideles ad fidem cogere, & compellere,

Et

Et quidem infideles alij sunt subiecti Principibus Christianis in temporalibus, alij non sunt, & de vtrisque quæri potest, an ad fidem compelli possint à Prælatis Ecclesiæ, qui habent iurisdictionem spiritualem. An à principibus sæcularibus, qui habent iurisdictionem ciuilem: & An saltem compelli possint, vt viuant secundùm legem naturalem, & deserant idololatriam. Qua de re

10. Statuo primò. Prælati Ecclesiastici qui habent iurisdictionem spiritualem, non possunt infideles compellere ad fidem, vel baptismum suscipiendum, possunt tamen eos obligare ad illam retinendam, si forte vi coacti illam susceperunt, quando coactio fuit conditionata, id est, non susciperemus baptismum, nec consentiremus in susceptione illius, nisi cogeremur; secus si fuit absoluta, & nunquam talis consensus datus fuit, tunc enim non imprimitur character. Ita docet Suar. de sacramento baptismi *tom.3. de sacramentis disp.24. sect.2. concl.1. & disp.14. sect.2.* docet etiam expressè D. Thom. 2. 2. *q.10. art.8.* & omnis Thomistarum schola, Azor. *tom.1. lib.2. cap.24. quæst.2.* Becanus *tom 2. c.15. quæst.4. conclusione 1. fol. mihi* 353. & nos suprà iam diximus. Patet expressè ex cap. *De Iudæis. dist.45.* vbi præcipitur Iudæos non esse cogendos ad fidem suscipiendam, cogendos tamen esse fidem seruare, si illam susceperunt, ne vilis & contemptilis habeatur, & deductum fuit hoc caput ex Concilio Toletano 4. cap. 25. ibi: *De Iudæis præcipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri; cui enim vult Deus miseretur, & quem vult, indurat: non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ; sicut enim homo proprij arbitrij voluntate serpenti obediens perijt, sic vocante se gratia Dei propriæ mentis conuersione homo quisque credendo saluatur, non vi sed liberi arbitrij facultate, vt conuertantur suadendi sunt, non compellendi.* Hæc ibi. Patet etiam ex cap. *Qui sincera. eadem dist.45.* vbi decernitur non asperis, sed blandis verbis ad fidem esse infideles prouocandos. Nam media, quæ Christus in Ecclesia ad conuersionem reliquit, fuerunt omnino libera, & non iniuriosa, aut coactiua de se; fuerunt enim prædicatio, miracula, virtutum opera, non vis, non iniuriæ, non metus. Nec illud, *compellite illos intrare*, Lucæ 14. num.23. explicandum est de vi aut coactione aliqua; sed de consiliis, suasionibus, prædicatione, & præmiis, & aliis mediis, quæ voluntatem alliciunt, vim non inferunt; sermonem enim Christus dirigebat ad Apostolos, qui in conuersione mundi, non vi, nec armis vtebantur, sed doctrina, prædicationeque. Colligitur etiam hæc conclusio ex illo Pauli ad Corinth. 5. 12. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? Non ne de ijs qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos qui foris sunt Deus iudicabit*; vbi per eos qui foris sunt, intelligit gentiles, & infideles, qui sunt extra Ecclesiam, & per eos qui intus sunt, intelligit fideles, qui sunt in Ecclesia. Vnde sic formatur argumentum: Prælati Ecclesiæ non habent potestatem iurisdictionis in infideles, qui sunt extra Ecclesiam, ergo non possunt eos pœnis ad fidem compellere; confirmatur, quia media quæ Christus Dominus assignauit ad conuersionem mundi, non fuerũt coactiua sed libera, iuxta illud: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, docentes eos, & baptizantes in nomine Patris*, &c. igitur &c.

Suarez. D.Thom. Azor. Becanus.

11. Dices ergo, nec hæretici possunt ad retinendam fidem compelli, quia illi sunt extra Ecclesiam. Respondeo hæreticos esse extra Ecclesiam quoad internam vnionem, quæ per fidem fit, non esse verò extra illam, sed intra per baptismum, & ideo esse subiectos iurisdictioni Ecclesiæ ratione baptismi: quamobrem ratione illius possunt cogi ad retinendam fidem quam semel susceperunt, etiamsi primò, & à principio illam coacti, & necessitate compulsi susceperint, modò tamen in actu suscipiendi voluntariè susceperint baptismum, vt decernitur eodem Concilio Toletano 4. cap. 56. & habetur in eodem cap. *De Iudæis dist.45.* ibi: *Qui autem iam pridem ad Christianitatem coacti sunt venire, oportet, vt fidem quam etiam, vi vel necessitate, susceperunt, tenere cogantur; ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis, & contemptibilis habeatur.* Vnde fides est voluntaria quoad susceptionem, non quoad retentionem.

12. Statuo secundò. Principes christiani, qui habent iurisdictionem temporalem, non possunt, etiam vllos infideles, nec quidem eos qui illis subiecti sunt in temporalibus, directè ad fidem, vel baptismum compellere; poterunt tamen indirectè, & directè etiam illos compellere ad retinendam fidem; si semel illam susceperunt, etiamsi coacti & necessitate compulsi à parte ante susceperint; dummodo tamen in actu susceptionis voluntariè baptismum susceperint. Hæc patet ex prima, & illius rationibus probatur, & illam docet expressè D. Thom. 2. 2. *quæst.10. art.8. ad 2.* Azor. *lib.8. tom.1. cap.24. quæst.2.* Becanus *tom.2. cap.13. quæst.4. num.3.* Constat ex cap. *De Iudæis. dicta dist.45* ex glossa ibi. & ita communiter DD. Ratio est. Primò, quia potestas & iurisdictio illorum Principum ordinatur tantùm ad finem naturalem, nec extenditur ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis; at susceptio fidei, & baptismi non pertinet ad finem naturalem, sed supernaturalem; igitur potestas, & iurisdictio Principum sæcularium ad eam se non extendit. Secundò, quia actus credendi, & susceptio fidei est merè voluntaria & libera, ergo vim, & coactionem externam nullomodo patitur. Tertiò, quia in Principibus secularibus, vel est iurisdictio tantùm ciuilis, vel etiam Ecclesiastica ex priuilegio, & concessione Summi Pontificis: ciuilis tantùm se extendit ad ciuilia & politica, qualis non est susceptio fidei, aut baptismi: Ecclesiastica non potest exerceri nisi in eos, qui subiecti sunt Ecclesiæ: at infideles, de quibus agimus, non sunt subditi Ecclesiæ, cum sint foris, vt ait Apostolus, ergo vi compelli non possunt ad suscipiendam fidem à Principibus sæcularibus.

D.Thom. Azor. Becanus.

13. Dictum, Principes sæculares non posse directè compellere infideles suos subditos ad suscipiendam fidem, & baptismum: quia indirectè possunt; & quidem his modis. Primo, negando illis ius habitandi in suis prouinciis, nisi audiant prædicationem Euangelij, & fiant christiani. Ita docent Azor. *tom.1. lib.8. cap.24. quæst.4. & 5.* Becanus allegatus *tom.2. cap.13. quæst.4. versu, Dixi in conclusione*; patet ex cap. *Iam verò 23. q 6.* docet etiam Simancas *de catholic. inst. tit.23. n 9.* Ratio est. Primò, quia in hoc eis directè & simpliciter vis non infertur, sed libera optio datur, vt vel christianorum, & Regis prouincias deserant intra certum tempus, vel christiani fiant. Vnde Imperator Iustinianus, vt Paulus Diaconus

Azor. Becanus. Simancas.

nus refert in eius vita *lib.16.Rerum Romanarum*, legem tulit tertio imperij sui anno; qua ex tota sua ditione Paganos, & Hæreticos exclusit, nisi intra certum tempus ad Christum, & fidem conuerterentur si vellent ibidem manere, ac viuere. Secundò, quia quod quis absolutè, & sine conditione negare alicui iustè potest, hoc multo magis negare potest sub honesta aliqua conditione, At principes Christiani possunt negare iustè infidelibus ius habitandi in suis Prouinciis. Ergo etiam negare possunt sub hac cōditione, *nisi audiant prædicationem Euangelij, & fiant Christiani.* Tertiò imponendo illis maiora tributa, quàm aliis subditis Christianis, semper tamen intra limites iustitiæ, vt hac ratione alliciantur ad fidem Christianam suscipiendam, quando vident maiori benignitate agi cum Christianis, quàm cum aliis. Quartò liberando eos à tributis, & vectigalibus, si fidem susceperint, & vitam reis mortis concedendo, sub ea conditione, *si ad fidem conuertantur*, quia non infertur vis voluntati, sed præmiis, & beneficiis allicitur, atque adeo augetur voluntas, non aufertur; & ita expressè
Molina. Sanchez. Lessius. Molina *tomo 1.de iust. disp 93 §. Ex eadem.* Sanchez *lib.1.de matrim.disp.39 num.2. & 3.* Lessius statim allegandus Neque in hoc etiam aliqua labes simoniæ incurritur, quoniam temporale commodum pro fide, & re spirituali non datur, sed potius officiis, & præmiis voluntas allicitur, vt homines faciant bono animo id ad quod alioqui iure diuino, & naturali tene-
14. bantur.

Lessius. Et ex hoc fundamento infert Lessius (& optimè) *tom 1.de iust lib.2.cap.35. dub.7.* licitum esse in extrema, aut magna necessitate pecuniam dare sacerdoti pro baptismo, confessione, & sacramentis ritè conferēdis, si nolit aliter illa ritè, & iuxta morem Ecclesiæ Romanæ conferre, quia id nō datur tamquam pretium sacramenti, sed tamquam medium allicitiuum, vt prauam voluntatem deponat, & id faciat, ad quod ex officio, & de iure naturali tenetur, & pro hac sententia citat Adrianum, & Altisiodorensem.

15. Neque obstat quòd Prouinciæ primò fuerint gentilium, ex quo enim iustè debellatæ sunt à Regibus Christianis, iustè etiam possunt negare ius habitandi in illis, ipsis gentilibus; nisi prædicationem audiant, vt fidem suscipiant, & viuant secundùm ius naturæ. Sed contra hoc oppones Caput *Qui sincera intentione. dist. 45.* deductum ex Epistola 15. Gregorij *lib. 11. ad Paschasium Episcopum Neapolitanum*, in qua reprehenditur Episcopus, eo quod Iudæis in eo regno habitantibus feriarum suarum solennia interdiceret, ita vt in posterum non possēt obseruare solennia festiuitatum suarum, vt sic conuerterentur ad fidem, ibi. *Quid vtilitatis in hoc est, quando, etsi contra longum vsum fuerint vetiti, ad fidem illis, & conuersionem nihil proficit? aut cur Iudæis qualiter cæremonias suas colere debeant, regulas ponimus, si per hoc eos lucrari non possumus? agendum ergo est, vt ratione potius, & mansuetudine prouocati sequi nos velint, non fugere.* Hæc ibi, & causam ibi reddit Glossa, verbo *licentiam, litera C. quia si Iudæi ab hoc prohiberentur, iam cogerentur ad fidem.* Quod non licet.

16. Respondeo primò, aliud esse loqui de Iudæis, aliud de Gentilibus. Nam solennitates & festiuitates Iudæorum, quamuis hodie sint mortiferæ; quia cum ea lege expirarunt, non tamen sunt contra legem naturalem, fuerunt enim olim à Deo præscriptæ pro tempore durationis illius legis, Deus autem non præcipit ea quæ sunt contra legem naturæ, indignum est enim credere voluisse olim Deum coli, & honorari per cæremonias contra legem naturæ indoctas: at cæremoniæ gentilicæ, adorationesque idolorum sunt contra legem naturæ. Quare meritò reprehendi poterat Episcopus, si cæremonias suas, & festiuitates Iudæis interdiceret, maximè cum ea prohitio nihil esset profutura, vt eos ad fidem alliceret, immeritò verò reprehenderetur si templa claudi Gentilium ex Regis licentia iuberet, aut illorum festiuitates gentilicas interdiceret; quia cum hic idololatriæ cultus sit contra legem naturæ, meritò poterat Episcopus non per se prohibere Gentilibus non baptizatis cultum idololatriæ cum ipsi foris sint, & de his qui foris sunt, nihil ad Episcopos pertineat, sed authoritate Regis, illi suadendo vt huiusmodi cultum gentilibus prohiberet, vt viuerent secundùm legem naturalem, si vellent in suis prouinciis permanere. Possunt enim Principes Christiani compellere Gentiles idololatras suos subditos ad legem naturæ seruandam; & idololatriam relinquendam, quando nolunt Christiani fieri; ita docet Azor Azor.
tom.1.lib 8. cap.24. quæst.6. D. Anton. *3. part.* D.Anton.
titulo 22. cap. 5. Syluester verbo *Papa* §.7. licet Syluest.
contrarium teneat Caietanus 2.2 *quæst.66.art.7.* Caiet.
& contra Victoriam *in Relectione de Indis*. Quod probatur ex antiquissimis legibus. Constantinus enim Magnus *L. Nemo C. de paganis.* præcipit, vt idolorum templa in toto suo imperio clauderentur; quod probauit postea D. August. *Epi-* D.August.
stola 48 & D.Ambros. *Epistola* 30. & Clemens V. D.Ambros.
in Clementina vnica de Iudæis, & Saracenis, iubet Christianis principibus, vt certos quosdam ritus Saracenorum sibi subditorum non permittant, & in concilio Carthaginensi 5. *cap.* 15. decreuerunt Patres ibi congregati, vt id ipsum ab Imperatore peterent. Et ratio est, quia Christiani Principes possunt cogere suos subditos ad seruandam legem naturalem, idololatriámque relinquendam, & vni Deo seruiendum, cum ad id ex lege naturæ teneantur.

Dices. Iudæi mortaliter peccant cæremonias suas exercendo, quomodo ergo Papa dat eis licentiam mortaliter peccandi? Item si mortaliter peccant, quare non puniuntur, cum ipsi ob vsuras, & alia peccata puniantur? nam celebrare, & exercere illa cæremonialia, est peccatū mortale, sicut est idololatrare; cultus enim legis Moysaicæ ab aduentu Christi non differre videtur ab idololatria. Respondeo Summum Pontif. non eis dare licentiam peccandi, sed permittere, cum non possit illos punire, quia non sunt subditi Ecclesiæ, sunt enim extra illam. Nec obstat quòd ob exercitium vsurarum puniantur, quia vsuræ sunt contra legem naturalem, & sunt nociuæ Christianis, & proximis; & ratione huius nocumenti possunt ipsi ob illorum exercitium puniri, sicut etiam possunt puniri ab ipso Summo Pontif. & ab Episcopis si ipsi solemnia sua, & festiuitates celebrarent in contemptum nostræ fidei, aut cum eis, Christianis nocerent, illosque peruerterent, imò & Gentilibus, cum Gentiles faciliùs ad fidem conuertantur, quàm Iudæi vt constat ex *C.de Iudæis.l.Iudæos, & extra de Iudæis, etsi Iudæos*, & docet Glossa prædicti capitis, *Qui sincera, verbo, licentiam, ad finem*: & verò, etsi in peccato mortali conueniant cæremonialia Iudæorum hodie, cum idololatria gentilium in 17.

in genere, non tamen conueniunt in specie, quia idololatria directè pugnat cum iure naturali: cæremoniæ verò Iudæorum non ita pugnant directè, vt iam dixi.

18. Hinc aliud dubium emergit. An Principes Christiani possint iustè Iudæos suos subditos à suis Regnis, & dominiis excludere, nisi intra certum tempus velint Euangelium audire, & Christiani fieri. Cui respondeo affirmatiuè; nam quamuis Oldradus *consil.* 87. *& consil.* 264. Suarez *consil.* 86. *lib.* 4. Corsetus *de potestate Regis, quæst.* 81. Albericus *in rubr. de hæret. lib.* 6. *quæst.* 7. doceant videantur Principes Christianos non posse è terris suis expellere Iudæos, quietè, & pacificè viuentes ex eo fundamento, quod eis iure naturæ charitas, æquitas, & misericordia debeantur, & nullus innocens suo domicilio sit spoliandus, & ius cannonicum vetet eos vlla molestia affici, vt patet ex dicto cap. *Qui sincera. de Iudæis dist.* 45. in quo reprehenditur Episcopus Neapolitanus, eo quod Iudæos quietè, & pacificè viuentes molestiis afficiebat, & eis sua festa, & solemnia interdicebat: tamen sine dubio affirmandum est, posse, & idem dicendum est de Mauris, & Turcis, & ita docet Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 24. *quæst.* 4. Simancas *de cathol. inst. titul.* 35. *num.* 6. *&* 7. Ratio est, quia in hoc nulla vis simpliciter eis infertur; sed libera optio eis datur, vt aut abeant intra certum tempus, & Christianorum prouincias deserant, aut Christiani fiant, & id vsu est iam receptum: nam vt refert idem Simancas, & Azor locis allegatis, Reges catholici Ferdinandus, & Isabella de consilio doctissimorum hominum sui temporis eos à tota sua ditione in Hispania expulerunt, bonis suis mobilibus priùs venditis, nisi intra quadrimestre spatium ad fidem conuerterentur, quo elapso, qui in sua perfidia permanserunt, coacti sunt abire cum vxoribus, liberis, seruis & familiaribus suis, & rebus venditis: & vetitum illis fuit sub pœna mortis, & publicationis omnium bonorum, ne vnquam in Hispaniam redirent; cautum præterea fuit vt nihil eis prodesset si fortè dicerent se in Hispaniam rediisse, vt ad fidem conuerterentur, nisi in primo regni limite id ipsum fuissent publicè protestati, & si Christianus aliquis eos receptasset, in pœnam publicationis omnium bonorum incurreret, vt habetur in lege 5. data Granatæ anno Domini 1492. & pragmatica 6. ibidem data anno Domini 1499. & licet tunc recepti fuerint à Rege Emanuele Lusitaniæ, postea tamen ab eodem Rege eiecti sunt, nisi vellent fidem Christianam profiteri & baptismum suscipere. De Iudæorum eiectione ab Hispania lege Simancam dicto *tit.* 35. *à n.* 6. *vsque* 16. vbi multa, & pulchrè de hac re.

Oldrad. Socin. Corset. Albet.

Azor. Simancas.

SVMMARIVM.

Ecclesia, & Principes Christiani possunt directè compellere paganos idololatras subditos, & non subditos, ne impediant fidei propagationem & prædicationem Euangelij. num. 19

Potest Ecclesia concedere Principibus Christianis curam introducendi Euangelium in prouincias infidelium, & iustum titulum debellandi illos ob iniurias præconibus fidei illatas. num 20.

Alexander VI. diuisit orbem conuertendum, inter coronas Lusitaniæ, & Castellæ. ibid.

Numerantur casus in quibus Reges Castellæ, & Lusitaniæ causa impediendæ fidei possint idololatras regnis suis priuare. num. 21. *&* 22.

An Ecclesia possit directè infideles ad audiendam Euangelij prædicationem, non tamen ad susceptionem illius cogere. num. 23. *&* 24.

Quid Principes Christiani in hoc negotio possint erga idololatras suos subditos, & non subditos. num. 25. *&* 26.

An exercitium liberum gentilium, & Iudæorum permitti possit inter Christianos. num. 27.

An liceat Principibus Christianis occupare infidelium terras propter solam idololatriam. num. 28. *&* 29.

Soluuntur alia dubia circa hanc materiam. à n. 30. *vsque ad finem summarij.*

Statuo quartò. Etsi Ecclesia, & Principes Christiani non possint compellere paganos, & infideles directè ad suscipiendam fidem; possunt tamen eos directè compellere etiamsi subditi non sint, ne impediant prædicationem Euangelij, & fidei propagationem, sed potius vt illam permittant; ita docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 5. *art.* 10. Victoria *in relectione de Indis.* Becanus *tom.* 2. *cap.* 12. *q.* 4. *num.* 10. Ratio est, quia Ecclesia, & Principes catholici habent ius propagandi, & defendendi fidem; ergo habent ius impediendi ea omnia, quæ iniuriæ, & impedimento sunt tali propagationi; nam Princeps, qui habet aliquod ius, & potestatem, non solum potest ius suum prosequi; sed etiam potest quoscumque alios compellere, vt non impediant proprij iuris prosecutionem, imò etiam possunt bellum inferre, & punire eos, qui ipsis iniuriam inferunt, impediendo prædicti iuris executionem; quòd vero Ecclesia habeat ius, & potestatem docendi omnes gentes, & prædicandi fidem per totum orbem, iuxtà illud Matthæi 26. 19. & Marci 16. 15. *Euntes in vniuersum orbem prædicate Euangelium omni creaturæ, docentes eos, & baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; & priùs affirmauit Christus sibi datam esse à Deo Patre plenam ad eam rem potestatem. *Data est mihi potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo* &c. iuxta illud Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quòd verò Principes Christiani eandem habeant potestatem, probatur, quia sunt protectores Ecclesiæ, ergo habent potestatem compellendi quoslibet infideles subditos & non subditos, vt non impediant fidei prædicationem; quod in maximum Ecclesiæ damnum contra eius ius cederet. 19.

D. Thom. Sot. Victor. Becanus.

Statuo quintò. (& est sequela, quasi naturalis resultans ex quarta conclusione præcedenti.) Potest Ecclesia concedere alicui Principi Christiano curam, & potestatem introducendi Euangelium in prouincias infidelium, mittendique idoneos prædicatores ad eos conuertendos, & vlciscendi omnes iniurias huiusmodi prædicatoribus ab infidelibus illatas, imò ei iustum titulum concedere debellandi, & occupandi prouincias paganorum infidelium in quibus, aut iniuria fit prædicatoribus, aut non permittitur libera Euangelij Christi prædicatio. Ita expressè Becanus dictu *tom.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 4. *num.* 11. Azot. *lib.* 8. *cap.* 24. *quæst.* 10. *tom.* 1. Couarr. regula, *peccatum.* §. 10. *num.* 3. & omnes in 4. conclusione allegati. Confirmatur exemplo Alexandri VI. qui Regibus Lusitaniæ, & Castellæ regna infidelium orientis, & occidentis diuisit sub ea conditione, vt in ea fidem catholicam suis expensis 20.

Azor. Couar. Becanus.

introducerent, mitterentque idoneos prædicatores ad fidem in illis vastissimis regionibus propagandam, ac proseminandam, & simul eis titulum concessit debellandi infidelium regna, si illi iniuriosè prædicatores acciperent, impedimentóque essent tali propagationi; nam cum Ecclesia, & Summus Pontifex ius habeat introducendi fidem in totum terræ orbem, potest ius istud diuinum prosequi, debellando eos qui tali iuri impedimento fuerint, & concedere potestatem Principibus Christianis hoc diuinum præceptum exequendi: quod opus huiusmodi Reges felicissimè aggressi sunt, & hoc iusto titulo multas infidelium prouincias vi, & armis occuparunt, qui diuinos prædicatores à se missos priùs plurimis iniuriis acceptos, fustibus, iaculis, & vario crudelitatis & tormentorum genere occiderunt, fidemque acceptam eiurarunt.

21. Ex dictis sequitur supposita hac Alexandri VI. diuisione, & concessione in his tantùm casibus posse Principes catholicos Lusitaniæ, & Castellæ bellum idololatris inferre, eosque regnis suis priuare, si opus fuerit. Primò, cum indignè, & contumeliosè prædicatores, qui ad eos conuertendos mittuntur, accipiunt, aut eos excludunt, & nolunt admittere, vituperant, eosque iniuriis afficiunt. Secundò, cum impediunt, aut remorantur eos qui ad fidem conuerti volunt, etiamsi proprij vasalli sint, aut ad illam iam conuersos cogunt vt susceptam fidem eiurent, & abiiciant, quouis modo vexant, & opprimunt. Tertiò, cum vi, metu, minis, mendaciis alios inducunt infideles, qui iuxta legem naturæ viuere volunt, ad simulacra deorum adoranda, non tamen si exemplo, verbis, monitis, precibus, muneribus ad id eos alliciant, & inuitent. Quartò, cum alios permouent ad immolandos homines, & multo magis ad illorum carnes post immolationem vescendas. Quintò, cum postquam Christi nomen audierunt, & prædicatores audire cœperunt, illud blasphemant animo, & intentione, iniuriam, & contumeliam Christo Domino inferendi. In his enim casibus ratione iniuriæ, & Christo Domino, & innocentibus irrogatæ, ius habent priuandi eos suis regnis, & hasce iniurias vindicandi, nam quilibet homo ius habet defendendi innocentem, *Prouerbiorum* 24. 11. infantes autem, & homines, qui inuiti immolantur, innocentes sunt, & iniustè opprimuntur. Ita docet Azor *tom. 1. lib.* 8.
Azot. D.Thom. Becano. *cap.* 24. *quæst* 10. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art* 8. colligitur ex Becano *tom.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 5. *num* 2. & habetur in cap. *In nonnullis*. de Iudæis, & Saracenis; hoc enim iure vsus est Innocentius Papa in concilio generali, quando præcipit puniri eos infideles, qui contra Christum blasphemant, vt
Couat. habetur in eodem capite, & Couar. in regula, *Peccatum part.* 2. § 10. *num.* 3 vbi multos pro hac opinione, quæ vera est, citat.

22. Dices: Principes Christiani possunt causa fidei bellum infidelibus inferre, etiam non subditis; eosque regnis priuare, si illi publicis blasphemiis Christum afficiant, & religionem contemnant,
D Thom. Couar. vt tenet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. & Couar. in regula, *Peccatum. part.* 2. § 10. *à num.* 3. sed huiusmodi idololatræ qui nihil de fide audierunt, & ad quos nulli vnquam prædicatores missi sunt, publicè Christum blasphemant, & contemnunt, falsa simulachra suorum Deorum adorando; ergo ex hoc solo titulo, etiamsi ad eos non mittantur priùs prædicatores causa eos docendi, quos malè accipiant, poterunt debellari, regnisque priuari. Respondeo non posse. Ratio est, quia huiusmodi idololatræ, qui nihil vnquam de fide audierunt, solùm materialiter, & non formaliter Christum blasphemant, cum id faciant, non ex intentione blasphemandi Christum; sed stolidè, & ex intentione adorandi Deos, in quibus aliquid ex ignorantia diuinitatis esse existimant. Vnde non possunt vi, & armis debellari, aut compelli, vt id non faciant, nisi priùs missis prædicatoribus, qui eos doceant. Vnde D. Paul. ad Rom. 10 num. 14. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verè prædicabunt, nisi mittantur, sicut scriptum est, quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Isaias 52. Matth. t. dict. 15.

Sed primum dubium speciale hîc est. An Ecclesia possit directè compellere infideles ad audiendam Euangelij prædicationem. Et verò circa hanc potestatem Ecclesiæ opinio negatiua certa omnino videtur. Primò, quia sicut eis liberum est credere, ac fidem habere, ita etiam sacrum Euangelium audire, vel non audire, ad actus enim liberos, & internos nemo potest ab Ecclesia cogi; Ecclesia enim non iudicat de interioribus, nec potestatem habet super actus merè internos. Secundò, quia Ecclesia nullam habet iurisdictionem in infideles, qui extra illius ditionem temporalem habitant, ac commorantur, sunt enim extra illam; ergo non potest eos directè cogere ad audiendam prædictam Euangelij prædicationem Dicitur directè, quia indirectè poterit, & nemo ea de re dubitat; negando scilicet eis ius habitandi inter christianos, nisi velint prædicationem Euangelij audire; & hanc opinionem tenet expresse Becanus *tom.* 2. *cap.* 13. Becan.
quæst. 4. *num.* 13. vbi hoc absolutè negat, & non distinguit an ad id possit infideles compellere armis spiritualibus, an materialibus. 23.

Secundum dubium est. An Principes christiani possint cogere ad audiendam prædicationem Euangelij idololatras suos subditos directè, & absolutè, & non sub conditione, vt vel illam audiant, vel abeant quæsituri alias prouincias in quibus viuant. Et imprimis si sermo sit de licentia Summi Pontificis, non est dubium admissa secunda [illegible]ione quam numero præcedenti secuti sumus, posse illos ad id cogere non solùm infideles suos subditos, sed etiam non subditos, de eadem licentia; quia sicut Summus Pontifex id potest efficere, sic etiam potest illis executionem committere. Si verò loquamur de potestate merè sæculari Principum, non autem de licentia Summi Pontificis; partita esse potest opinio hac de re; & solùm tunc potest procedere de idololatris subditis ipsorum Principum Christianorum non aliorum. Prima ergo opinio negat ex eo fundamento, quia sicut nemo potest directè cogi ad suscipiendam fidem, ita non potest cogi ad amplectenda media quæ ad talem susceptionem ordinantur: auditio autem Euangelij medium est ordinatum ad illam suscipiendam; est enim susceptio fidei libera omnino. Quod probatur, quia Christus Dominus non docuit, nec reliquit Ecclesiæ media coactiua & violenta ad conuersionem orbis, sed omnino libera, veluti prædicationem Euangelij, virtutum opera & miracula; Marc. 16. *Prædicate Euangelium; docete omnes gentes, &c.* Et hanc opinionem debet necessariò 24.

tenere

Becanus. tenere Becan. *tom. 2. cap. 13. quæst. 4. num. 46.* nam omnes rationes, quæ pro illa militant, pro ista etiam militare debent.

26. Dicendum tamen est cum secunda opinione posse Principes id efficere, quia oon idem iuris est de credendo, & de audiendo; nam adhuc possunt credere, vel nun credere, prout voluerint aut noluerint: quilibet enim post auditionem Euangelij potest doctrinam, & fidem prædicatam respuere, vel admittere: licet enim mortaliter peccet contra præceptum diuinum fidei, qui illam postquam ei sufficienter fuerit explicata, non admiserit, tamen vi cogi ad illam suscipiendam non potest. Neque eadem ratio est de fide, & de mediis ordinatis ad illam; media enim ista, licet sint ex sua oatura ordinata ad susceptionem fidei, adhuc relinquunt hominem illa audientem in sua libertate, quia non ita sunt coonexa cum fine, vt vim faciant libertati: quare videtur quod ad id possiot Principes Christiani suos subditos infideles directè cogere. Probatur secundò, quia etiam claudere templa gentilium, & impedire exercitia idololatriæ, media sunt ordinata ad fidem suscipiendam, & tamen iustè id fieri iussit Constantinus magnus Imperator initio suæ conuersioois, vt tetigimus *num. 16.* & patet ex lege *Nemo C. de Paganis.* quod probat, & laudat D. Augustinus *Epistola* 48. & D. Ambros. *Epistola* 30. & Clemens V. *Clementina vnica de Iudæis, & Saracenis.* Tertiò, quia possuot Principes Christiani, vt docet Azor *tom. 1. lib 8. cap. 14. quæst 5.* & Becanus *tom. 2. quæst. 5. num. 3.* Scotus *in 4 dist. 4 quæst. vltima.* directè vi compellere idololatras suos subditos, vt vnum Deum colant, idolorum cultum abiiciant, & iuxta naturæ legem viuant, & vt nihil in contemptum Christianorum, aut rerum sacrarum audeant efficere. Nam hoc ipso quod Christianorum Principum ditioni subiecti sunt, quemadmodum ab iisdem Principibus directè cogi possuot ad obseruationem earum legum, quæ ad commune Reipublicæ bonum, videlicet, ad salutem, pacem, ac tranquillitatem Reipublicæ pertinent & interdici eis ne noctu arma deferant, ne pacta rumpant, ne promissa violent, ita etiam possunt obligari, vt iuxta legem naturæ viuant, vt idololatria non vtantur; & consequenter etiam poterunt directè obligari vt Euangelium audiant cum hoc non excedat potestatem merè ciuilem Principum sæcularium; iurisdictio enim ciuilis Regum extenditur etiam ad naturalem finem obseruatioois legis naturalis, præsertim eorum præceptorum, quæ concernunt publicam pacem & morum honestatem; & quidem etiam hæc auditio Euangelij ipsis infidelibus inseruire poterit ad legem naturæ obseruandam. Dices infideles vi legis diuinæ obligantur ad suscipiendam fidem & baptismum; igitur non solùm ad illius auditionem poterunt cogi à Principibus Christianis: sed etiam ad illius susceptionem. sunt eoim Principes Christiani custodes legis diuinæ, & ideo poterunt cogere ad faciendum id ad quod sunt lege diuina obstricti. Negamus consequentiam, nam Principes Christiani non possunt illos cogere per iurisdictionem Ecclesiasticam, cum ipsi infideles non sint subiecti Ecclesiæ, nec per iurisdictionem ciuilem, quia illa non extenditur nisi ad ciuilia & politica. Neq obstat quod susceptio baptismi cedat in commodum illorum, quia debet esse voluntaria, & oon coacta. Vnde illis fit iniuria, & grauamen contra iustitiam si ad id compellantur. Sic Becanus docet *tom. 2. cap. 13. quæst. 4. num. 6.* Becanus.

Tertium dubium est an ritus, & exercitium gentilium, & Iudæorum permitti possint inter Christianos à Principibus Catholicis, modò illi, iis non noceant Christiaois, & an sicut huiusmodi ritus impediri possunt, ita & permitti. Respondeo ex triplici causa permitti posse. Primò, ad vitandum maius malum, & scandalum, cuiusmodi esset magna perturbatio Reipublicæ, ex doobus enim malis minus est eligendum. Secundò, ne impediatur maius boоum, cuiusmodi esset conuersio infidelium, quæ sperari posset si ad tempus tolerentur eorum ritus. Tertiò, propter præsentem aliquam vtilitatem, quo pacto faciliùs tolerari poterunt Iudæorum ritus, quàm gentilium; quia ritus Iudæorum non sunt contra legem naturalem, seruiunt enim vni soli Deo, & quia confirmant veritatem nostræ fidei, cuius figuram continent, & ideo pulchra nobis contra ipsos Iudæos suppeditant argumenta. & ita docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 10. artic. 11.* Becanus *tom. 2. cap. 13. quæst. 5. num. 4.* Valentia 2. 2. *disput 1. quæst. 1. punct. 7. versu, Ob eandem causam,* & D. Augustin *lib. 10. de ciuitate Dei cap. 46.* vbi ait Iudæos ideo non fuisse extinctos à Deo, sed permissos dispergi in totum orbem, vt salutem, & testimooium nostræ fidei ab inimicis nostris haberemus. Libri tamen Iudæorum solùm illi permittendi sunt, qui continent simplicem expositionem sacræ scripturæ, non illi verò qui contra Christum Dominum, & nostram fidem scribuntur, quoniam hi comburendi sunt, & minimè tolerandi, vt docet Valentia 2. 2. *disput. 1. quæst. 10. puncto 7. versu, Libros verò.* 27. D. Thom. Becanus. Valent. D August. Valentia.

28. An liceat Principibus Christianis propter solam idololatriam occupare infidelium terras; loquimur de infidelibus, qui habent propria regna, & non sunt subiecti Principibus Christianis, & de his inquirimus, an ex eo solùm quòd infideles sint, & contra legem naturæ peccent, liceat illorum regna occupare. Et circa hoc punctum duas inuenio opiniones. Prima asserit probabile esse posse. & ita sentiunt Hostiensis in Capite, *Quod super his. extra de voto*, Panormitanus *ibidem.* Aluarus Pelagius *de planctu Ecclesiæ lib. 1. artic. 37. circa medium.* Maior. *in 2. sent. dist. 44. quæst 3.* Genesius Sepulueda Caroli V. Historiographus, cuius meminit Bañez 2. 2. *quæst. 6. ar*[illegible]1. & ideo multi existimant auctoritate Papæ, vel Imperatoris iustè posse huiusmodi infidelibus bellum inferri, eosque priuari suis regnis propter peccata contra legem naturæ, quæ committunt; & hi sunt D. Anton. 3. *part. titulo 22. cap. 5. § 8.* Syluester *verbo Papa quæst. 7.* Castro *lib. 1. de iusta hæret punitione cap. 14.* vbi censet posse illis bellum inferri propter peccatum idololatriæ. Probatur hæc opinio primò ex scriptura, quia iofideles propter infidelitatem suam post Christi aduentum amiserunt dominium suarum rerum, idque translatum est in Christianos iuxta illud Ecclesiastici. 10. 8. *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniustitias, iniurias & contumelias, & diuersos dolos*; quo argumento vtuntur specialiter Hostiensis, & Aluarus Pelagius allegati, & Isai 60. 12. *Regnum quod non seruierit tibi, peribit.* Quibus verbis prædixit Isaias omne dominium infidelium traoferendum in Ecclesiam Christiaoorum. Secundò, ex auctoritate Sanctorum Patrum; Gregorius enim Papa *lib. 1. Registri Epistola* 73. mirificè extollit Gennadium Hostiens. Panorm. Aluar Pelag. Maior. Genes. Sep. Bañez. D Anton. Syluest. Castro. Greg. Pap.

Exarchum Africæ, quòd bello infideles ad prædicationem Euangelij audiendam coegisset. Et Alexander VI. concessit Ferdinando Regi Hispaniæ, & Emmanueli Regi Lusitaniæ, vt ille Indias occidentales, hic orientalem plagam sibi occuparent; & D. Cyprianus in tractatu de exhortatione Martyrij ad Fortunatum *cap.* 5. recenset aliqua præcepta veteris testamenti, quibus Deus præcipit idololatras interfici, & postea subiungit. *Si ante aduentum Christi circa Deum colendum & idola spernenda hæc præcepta seruata sunt, quanto magis post aduentum Christi sunt seruanda?* Et D. Augustin. Epistola 10. aliàs 60. ad Bonifacium Comitem; *Omnes*, inquit, *Reges qui populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur, & qui prohibuerunt, & euerterunt super aliorum merita laudantur.* Tertiò probatur exemplo Israëlitarum, qui Deo volente, & approbante, vi, & armis terras Gentilium propter illorum idololatriam, & transgressionem legis naturalis occuparunt, iuxta illud Deuteronomij 12. 2. *Subuertite omnia loca in quibus coluerunt gentiles Deos suos, dissipate aras eorum, & confringite statuas, & idola comminuite*; quo argumento vtitur Alphonsus à Castro vbi suprà. Quartò ratione. quia licitum est vi, & armis bellum inferre infidelibus ad vlciscendam propriam iniuriam quæ nobis infertur, & ad consulendum vitæ, & incolomitati proximi innocentis, vt patet & colligitur ex illo Psalmi 81. versu. 4. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*; Ergo multo magis ad vlciscẽdam iniuriam, quæ ab infidelibus infertur Deo per idololatriã & alia peccata contra legem naturæ; nam nisi id liceret, nullus esset modus, quo Infidelium peccata puniri possent ab hominibus, quod videtur absurdum; quod fecit laudatissimus Matathias, qui Iudæum interfecit, qui aras Gentilium sacrificaturus accessit.

29. Nihilominus secunda opinio verior, probabilior, & tenenda, docet non esse licitum huiusmodi infideles vi, & armis inuadere, & illorum terras, & regna occupare propter solam idololatriam; aut alia peccata contra legem naturæ commissa; sed tunc solùm, cum aut prædicationi fidei obsistunt, aut aliqua iniuria fidem, fideles, & prædicatores Euangelij afficiunt, aut aliquos, qui conuerti velint impediunt, vel iniurijs, & cædibus opprimunt, eósve suis immolant idolis; Ita Caietanus 2.2 *quæst.* 66. *artic* 8. *circa responsionem ad* 2. Victoria *in relectione de Indis.p.*1. Cou. *in relectione super regulam. Peccatum, part.*2.§.10. Bañez 2.2.*quæst.*6.*art.*10. D.Thom.2.2.*quæst.*12. *art.*2. quos omnes citat, ac sequitur Valentia *disput.*1.*quæst.*10.*punct.*7. *versu*, *Nihilominus contraria sententia*, & Becanus etiam *tom.* 2. *cap.* 13. *cap.* 13. *num.* 6. *versu*, 2. *conclusio. folio mihi* 364. Probatur facilè, ex tribus tantùm titulis licet aliquem punire, aut illi vim inferre, eumque vita, & dominio suo priuare. Primò, titulo iurisdictionis, vt cum Principes puniunt suos subditos, eorúmque bona proscribunt quando id merentur. Ex hoc autem titulo non possunt Principes infideles propter solam idololatriam amittere dominium rerum suarum, aut iurisdictionem in subditos suos, quia Daniel. 2. Regem Nabuchodonosor impium, & infidelem verum Regem appellat. *Tu Rex Regum es, & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit.* & Matthæi 22 *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* & Lucæ 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum*, & ad Romanos 13. 7. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*; & 1. Petri 2. 13. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tamquam ab eo missis*; & paulo post, *non tantum bonis, & modestis, sed dyscolis*: Vnde in Concilio Constantiensi *sessione* 8. absolutè damnatur inter alios articulos VViclephi hic *artic.* 15. quòd scilicet *nullus est dominus ciuilis dum est in peccato mortali*. Vbi Concilium nullum fecit discrimen inter peccatum mortale infidelitatis, & alia peccata; vnde per nullum peccatum censuit dominium temporale non amitti; atque adeo etiam per infidelitatem non amitti, qui fuit etiam error Armacani in libro quem appellauit *defensorium pacis*.

Caiet.
Victoria.
Couar.
Bañez.
D Thom.
Valentia.

Becanus.

Ex quibus locis patet Principes infideles seruare suum dominium, & iurisdictionem, ac subinde ex eo præcisè, quod infideles sunt, non transferri ius, ac potestatem suorum regnorum in Principes Christianos, neque illis subiectos esse. Vnde sub hoc titulo dominij non possunt Christiani Principes eos punire, aut eorum terras occupare. Probatur etiam hæc sententia ex auctoritate sedis Apostolicæ; nam Alexander II. 23. *quæst.* 8. *capite*, *Dispar.* asserit iustè bellum geri contra Sarracenos, ex eo quod Christianos persequuntur, non autem contra Iudæos, *Cum sint*, inquit, *seruire parati.* In quo satis apertè censuit Pontifex non licere bello infestare infideles, qui nihil mali moliuntur aduersus Christianos: sicut etiam habetur in *l. Christianis. C. de Paganis, & sacrificijs, & templis eorum.* Quo sensu rectè docet Augustinus *sermone* 6. *de verbis Domini cap.* 11. necessariam in primis esse potestatem, & auctoritatem in eos infideles, qui vi compescendi sunt; quod confirmat ex testimonio illo Deuteronomij 7. versu 1. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingrederis, & tradiderit tibi gentes, percuties eas ad internecionem*; & infrà, *aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucosque succidite.* Quam sententiam sic explicat D. August. modò allegatus. *Cum data fuerit vobis terra in potestatem*; prius ait; *in potestatem*; & sic dixit, quæ facienda sunt. *Aras*, inquit, *eorum destruetis; lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis. Cum acceperitis potestatem, hoc facite.* Vnde August. *Vbi nobis non est data potestas, non facimus: vbi data est, non prætermittimus.* & infrà *modò orandum est pro illis, non irascendum illis.* 30.

Secundò, titulo charitatis, & defensionis inculpabilis propriæ, vel proximi. At hic titulus non habet locum in nostro casu; agimus enim de illis infidelibus, qui in suis regnis, & prouincijs viuunt, non agnoscunt christianos, nec illis cupiunt nocere, vel in vita, vel in bonis temporalibus; ergo Christiani Principes ex hoc solo titulo defensionis propriæ, & proximi, non possunt vim inferre gentilibus, qui hoc modo affecti sunt; nam huiusmodi infideles (vt dixi) nullam inferunt iniuriam Christianis; iniuria verò quam per peccata contra legem naturæ afficiunt Deum, sufficienter potest, & solet ab ipso Deo, vel in hac vita, vel in altera puniri, & vindicari, vt superfluum sit eam vindicari per homines, qui neque superiores ordinarij horum infidelium sunt, 31.

sunt, neque peculiariter ab ipso Deo moniti, & iussi, vt id faciant: nam alioqui sequeretur non solùm idololatriam, & alia peccata contra legem naturæ; sed etiam odium Dei quod est peccatum omnium grauissimum; itemque furta, & omnia alia peccata contra legem naturæ, esse sufficientes causas inferendi bellum infidelibus non subditis, quandoquidem huiusmodi etiam peccatis Dei maiestas plurimùm offenditur, quod nemo dicet. Imò sequeretur licitum quoque esse Principibus christianis mouere bellum aliis populis christianis, nulla alia de causa, quàm vt in eis vlciscerentur iniuriam Deo ab illis illatam per huiusmodi peccata, quod non potest absque maximo absurdo concedi.

32. Neque respondet sufficienter Alphonsus à Castro citatus, discrimen esse inter odium Dei, & idololatriam; quia odium Dei licet sit maius peccatum, de eo non constat aliis, cum in animo solùm suscipiatur, ac geratur; de idololatria verò constat cum sit peccatum externum. Et diuersam etiam esse rationem de furto, & aliis peccatis externis, atque de idololatriæ peccato; nam de illis nullum dedit Deus mandatum, vt ab hominibus punirentur; de idololatria autem dedit tale mandatum, vt ab hominibus puniretur. *Deuter.* 32. Cum imperauit filiis Israël vt subuerterent gentes, quæ Deos falsos coluerunt.

33. Nam illud primum subterfugium, infirmum planè est: nam saltem sequeretur posse infidelibus non subditis, imò, & aliis etiam Principibus christianis bellum inferri, propter solum odium Dei, & Christi; quando de hoc odio sufficienter constaret per publicum, & constans ipsorum populorum testimonium, & assenerationem, & tamen durum est concedere solum Dei odium sic manifestatum esse sufficientem belli causam. Neque plus valet secundum illud effugium; nam præceptum illud datum filiis Israël fuit peculiare ad eos solùm pertinens, & nominatim respectu illarum gentium, quas Deus iusto suo iudicio volebat ita puniri; & ideo non pertinet hoc præceptum ad Christianos respectu quarumcumque gentilium infidelium, vt statim dicemus. Deinde priùs Deus dedit potestatem filiis Israël ad eos debellandos propter iniurias sibi & populo Israëlitico illatas, vt patet ex iis quæ diximus. 30. vnde est diuersa ratio

34. Tertiò, titulo iustitiæ vindicatiuæ; sed hic etiam titulus non habet locum in infidelibus qui non sunt subiecti iurisdictioni Principum christianorum; supponit enim iustitia punitiua, & vindicatiua iurisdictionem; infideles autem ex eo præcisè quod sint infideles, non sunt subiecti iurisdictioni christianorum Principum, nec faciunt nobis iniuriam ex eo præcisè quòd idola colant. Ergo ex eo præcisè non possumus titulo iustitiæ vindicatiuæ eos subiugare.

35. Dices: Ipsi inurunt Deo iniuriam, tum quia colunt idola, tum quia peccant contra alia præcepta legis naturalis: hanc autem iniuriam posse Christianos vendicare. Respondeo inferiorem non debere vindicare iniuriam superiori illatam, nisi fiat cum illius voluntate, & consensu; nam cum ipse superior, qui iniuriam passus est, habeat ius vindicandi se, eo modo, quo vult, non debet inferior, ipsius ius vsurpare; tum quia nescit, an superior velit vindictam; tum etiam, quia nescit modum, quo ille velit iniuriam suam vindicare. Cum igitur Deus sit supremus omnium Dominus, qui & possit vindicare, vt sæpe soleat condonare, non debemus sponte illius ius vsurpare, nisi constet de ipsius volontate, de qua sanè nihil constat in nouo testamento.

Ad argumenta prioris opinionis sic respondeo. 36. Ad primum dico Gentiles propter solam infidelitatem non amisisse dominium, & iurisdictionem suarum rerum, nec post Christi aduentum, eo ipso, translatum esse in christianos; *Non enim eripit mortalia, qui regna dat cælestia*, nec hic locus Ecclesiastici 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias*, &c. id conuincit; nihil enim aliud probat, quàm sæpe contingere, vt regna transferantur de gente in gentem; quod verissimum est. At non solùm transferuntur ab infidelibus in christianos; sed etiam à christianis in infideles, vt videre est in imperio orientali, quod olim Christianorum fuit, nunc Turcarum est. Ex loco verò Isaiæ 60. *Regnum, quod non seruierit tibi, peribit*; hoc solùm colligitur, gentem eam, quæ fuerit extra Ecclesiam, non posse saluari.

Ad secundum respondeo Pontifices & Patres nihil asserere contra nos; nam Gregorius Papa laudauit Gennadium Exarchum Africæ; quòd bellum inferret infidelibus, qui erant hæretici, & apostatæ, vt patet ex ipsius Epistola 72. ad eundem Gennadium. Alexander VI solùm concessit Regibus Lusitaniæ, & Castellæ ius introducendi Euangelium, & mittendi idoneos prædicatores in Regna infidelium orientalium, & occidentalium, & vindicandi iniurias illis factas, si causa prædicationis fierent, & ius quoddam patrocinij in infideles illos, postquam debito modo essent ad fidem conuersi. Neque enim poterat infideles illos dominio suo priuare, propterea solùm quòd essent infideles, vt iam diximus. 37.

D. Cyprianus & Augustinus locis contra nos allegatis, loquuntur de idololatris à fide apostatis in quos Ecclesia ius habet; idcoque asserunt ex veteri testamento præceptum Dei, quo iubentur interfici Israëlitæ propter defectionem ad idololatriam. Exemplum Mattathiæ qui interfecit Iudæum, qui ad aram Gentilium sacrificaturus accesserat, nihil conuincit, quia huiusmodi Iudæus à vera fide in apostasiam discesserat, & Dei monitu id fecit, & ideo D. August. laudat mitificè Reges Iudæorum, qui euertetunt aras, & idola, quæ à Iudæis apostatis erecta fuerant in populo Dei. 38.

Ad tertium partim iam est responsum, partim respondeo Israëlitas habuisse verum titulum occupandi terram Chananæorum, & eorum Reges interficiendi: primò, quia Deus hoc illis mandauerat, iuxta illud Deut. 12. *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentiles Deos suos*, &c. Secundò, quia illa terra iure hæreditatis ad illos pertinebat, nam Sem filius Noë fuit dominus illius regionis; & postea per vim, & arma Cananæi filij Cham eam vsurpauerunt; & quia filij Abrahami descendebant ex Sem, habebant ius recuperandi eam, vt docet D. August. *sermone* 105. *de tempore*. 39.

Ad quartum respondeo infideles ex eo præcisè quòd infideles sunt, nobis nullam iniuriam efficere, vt iam probatum manet. Nec nobis licet omnia peccata, quæ contra proximum innocentem committuntur, vindicare, nisi cum ipse nostrum tacitè vel expressè implorat auxilium, aut nobis constat illum iniustè vt opprimi & liberari non posse, nisi ei suppetias afferamus. 40.

Inde autem nobis constare potest huiusmodi innocentes in India, & cæteris Prouinciis remotissimis innocenter occidi, & iniustè vi opprimi à suis principipbns, ac suis idolis sacrificari; nec eriam iniurias Deo factas nobis licet vi, & armis vindicare; quia Deus ipse viodictam de illis potest sumere, quando voluerit, & eo modo, quo voluerit: nec constat nobis an eas velit vindicare per Principes Christianos, sicut olim constabat, quòd de illis vellet vindictam sumere per Moysem, & alios Principes Iudæorum.

41. Maneat itaque statutum, infideles, qui Principibus Christianis non sunt subiecti, non posse bello debellari ex eo solùm quòd infideles, & barbari; ac scelerati sunt; propter alias tamen causas aliquando id erit licitum, vt quia accipiant regiones quæ iure ad Christianos Principes spectant, quia Christianos iniuriis afficiunt, quia fidei prædicationem, & susceptionem impediunt, quia, fidem ipsam apertis blasphemiis oppugnant, quia generi mortali perniciosi sunt, vt ij, qui carnes humanas vorant, vel homines idolis sacrificant. quæ omnia patent in hoc capite, & docet Valentia 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 7. *ad finem.* Couarru. *in regula, peccatum, part.* 2. §. 10. & alij.

Valentia.
Cou.

42. Vltimum dubium huius capitis esse potest. An infidelibus permitti possit dominium in Christianos. Prima conclusio sit. Non est permittendum, quoad fieri possit, infidelibus, vt nouum acquirant dominium in Christianos, quod antea non habuerunt. Est communis, ita D. Th. 2. 2 *quæst.* 10. *art.* 10. Caietanus *ibi*, Valentia *disput.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 8. *initio versu. Si quæstio sit*; Becanus *tom.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 7. *num.* 2. Probatur ex multis canonibus in decretalibus titulo *de Iudæis, & Sarracenis*, & ratione efficaci, quia cederet hoc in scandalum, & periculum fidei. De periculo fidei patet liquidò, quia fideles subditi facilè auctoritate infidelium superiorum ad deserendam fidem permouerentur, quæ ratio mouit Apostolum 1. *Corinth.* 6. vt prohiberet, ne fideles in iudicio contenderent coram iudice infideli. *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos, & non sanctos.* & post pauca; *ad vestram verecundiam dico; sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles?* De scandalo etiam patet, quia infideles facilè notarent peccata, & defectus subditorum fidelium, & ita contemnerent ipsorum fidem.

D. Thom.
Caiet.
Valent.
Becanus.

43. Secunda conclusio. Antiquum dominium, quod infideles habebant in suos subditos, non amittitur per hoc præcisè, quòd subditi fiant Christiani. Ita D. Thom. *ibidem*. Caietanus, Becanus, & Valentia allegati. Ratio est, quia ius dominij introductum est iure humano, distinctio autem fidelium est secundùm legem gratiæ, quæ non tollit illud ius humanum quod ratione naturali nititur: nam iure gentium potest vnus homo habere dominium in alium, vt rectè notat D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. infideles autem sunt capaces huius dominij, quia non fundatur in fide; fideles autem non sunt iure diuino exempti, nullibi enim tale exemptionis ius habetur. Colligitur etiam ex D. Paulo 1. ad Timotheum 6. *Quicunque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur; qui autem fideles habent dominos; non contemnant, quia fratres sunt; sed magis seruiant, quia fideles sunt:* Quibus verbis comprehendit Apostolus duplex seruorum genus; alterum eorum qui subiecti sunt dominis infidelibus; alterum eorum, qui subduntur dominis fidelibus. Supponit ergo dominos infideles non amittere antiquum dominium ex hoc præcisè, quòd serui eorum fiant Christiani.

Dices. Videtur Christianos iure diuino esse exemptos à seruitute infidelium dominorum; nam Christus *Matth.* 17. videtur eos exemisse, cum ait, *ergo liberi sunt filij*, & sermo ibi erat de libertate à soluendo tributo; & sensus est, non debere Christianos tributum soluere infidelibus. Eodem spectat illud Apostoli ad Galatas 4. *Vos in libertatem vocati fratres*; sunt ergo liberi fideles ab infidelium tributo, & seruitute. Respondeo Christum Dominum loqui de se ipso, & argumentari hoc modo: Si filij Regum terrenorum liberi sunt à tributo: quanto magis ego, qui sum filius Regis cœlestis? An autem huiusmodi locus extendi debeat ad personas Ecclesiasticas, alibi tractari solet. Apostolus autem loquitur de libertate à peccato, & à seruitute legis Mosaicæ, iuxta interpretes communiter ibidem. 44.

Dubitant tamen aliqui, an Ecclesia possit priuare infideles dominio antiquo in seruos quando ipsi serui fiunt Christiani. Et quidem si loquamur de infidelibus subiectis Principibus Christianis, aut dominio temporali Ecclesiæ, non est dubium posse Ecclesiam priuare infideles dominio antiquo, quod habent in seruos, si ipsi serui fiant Christiani; & ita docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *articulo.* 10. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 8. *versu, quæstio autem est*, & constat ex vsu & praxi Ecclesiæ, quæ de facto eos priuauit, & statuit, vt Iudæorum serui siue vernaculi, id est, in seruitute nati, siue non vernaculi, id est, ad seruitutem empti, liberi sint, eo ipso, quòd ad fidem voluerint conuerti. Quod si fuerint empti ad mercationem, iubet, vt intra tres menses venum exponantur, vt emi possint à Christianis. Ita habetur in capite, *Fraternitatem. dist.* 54. & in decretalibus capite præsenti, & capite, *Multorum, de Iudæis, & Sarracenis*; & vide quæ diximus *cap.* 23. *à num* 13. Ratio est, primò, quia Ecclesia & Principes Christiani possunt Iudæis, & infidelibus sibi subiectis imponere tributum; ergo etiam loco tributi, & per modum tributi possint illis imponere hoc onus, vt amittant dominium in eos, qui Christiani fiunt. Secundò, Principes Christiani possunt in suo Regno iustè hanc legem ferre; vt omnes serui, qui fiunt Christiani, hoc ipso, liberi sint à seruitute dominorum, & de facto iam illam tulerunt, vt probauimus *cap.* 23. *num.* 14. *&* 15. atqui huiusmodi lex cum iusta sit, obligat omnes infideles, qui in tali Regno subiecti sunt Principi Christiano; ergo ex vi huius legis tenentur omnes infideles dimittere illud dominium quod habebant in suos seruos, quando hi ad fidem conuertuntur. Tertiò, quia Princeps potest aliquos subditos priuare dominio aliquarum rerum, quando id ad bonum commune expedire iudicauerit; ergo etiam dominio aliquarum personarum propter eandem causam. 45.

D. Thom.
Valentia.

Si loquamur de illis infidelibus, qui non sunt subiecti dominio, & iurisdictioni Principum Christianorum, aut temporali dominio Ecclesiæ, est maius dubium. Aliqui simpliciter censent posse Ecclesiam priuare huiusmodi infideles dominio 46

dominio

minio in seruos christianos, etiamsi nullum periculum saluti illis ab eis immineat. Ratio illorum est, quia infideles propter suam infidelitatem digni sunt, qui priuentur omni dominio in christianos, etiamsi nullum periculum salutis iisdem ab illis immineat; nam si immineat, non est ea de re dubitandum: ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. Caietanus *ibi*, nam idem D. Thomas, vt notat Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 10. *de infidelitate punct.* 8. *versu. Nihilominus*. (quantum ex ratione illius colligitur; quæ est, vt ratione infidelitatis mereantur infideles eo iure, quod habent in seruos christianos, cum iam sint in libertatem filiorum Dei translati, priuari) satis insinuat etiam tunc quando nullum imminet periculum salutis fidelibus subditis posse Ecclesiam huiusmodi infideles tali dominio priuare; & fundamentum huius rei potest probabiliter peti ex illo loco Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij*, vt etiam indicat D. Thom. eodem articulo 10. & in hanc sententiam D. Thomæ inclinat Valentia allegatus.

D Thom. Caiet. Valentia.

47. Durand. Alij verò simpliciter censent, non posse Ecclesiam id facere; ita Durandus *in 2. sent. dist.* 44. *quæst.* 3. *art.* 2. quoniam huiusmodi infideles sunt extra Ecclesiæ iurisdictionem temporalem, & spiritualem, & circa temporalia nullam habet Ecclesia potestatem. ergo in infideles non subditos, non est dicendum id posse Ecclesiam efficere. Et confirmatur hoc ex auctoritate D. Augustini in Psalmo 124. circa illud. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum*. Vbi ita ait. *Non vult te facere superbum Christus, contigit tibi vt Christianus efficereris, & haberes dominum hominem; non ideo Christianus factus es vt dedigneris seruire*; & infrà. *O quantum debent dimitti Christo, qui illis componit domum, vt si fiat ibi seruus infidelis, conuertat illum Christus, & non ei dicat, dimitte dominum tuum, iam cognouisti eum, qui verus est dominus: ille forte impius est, & iniquus, tu iam fidelis & iustus, indignum est vt iustus, & fidelis seruiat iniquo, & infideli, non hoc ei dixit. Sed, exemplo meo serui; quia prior ego seruiui iniquis*.

D August.

48. Sed ad hunc locum D. Augustini respondet Valentia allegatus inclinans in opinionem D. Thomæ, D. Augustinum solùm velle non esse exemptos huiusmodi seruos christianos à potestate dominorum infidelium iure diuino, non tamen negare posse eximi iure humano Ecclesiastico; nam postea idem asserit de seruo hominis hæretici, & apostatæ à fide, de quo non est dubium quin de facto liberetur per Ecclesiam à domini potestate, vt probauimus *cap.* 23. *à num.* 14.

49. Vera sententia distinguit & asserit in Ecclesia esse duplicem potestatem, seu iurisdictionem; alteram spiritualem, & Ecclesiasticam; alteram temporalem, & politicam, & Prælatos Ecclesiæ, imò & Summum Pontif. non habere iurisdictionem spiritualem in infideles non baptizatos, ac proinde, nec excommunicatione, nec aliis pœnis temporalibus illos posse directè ponire ex vi huius potestatis; habere tamen illam in seruos infidelium, si ipsi ad fidem conuertantur, manentibus dominis in sua infidelitate, ac proinde posse, & debere eorum saluti consulere, pericula amouere, iniurias illatas vendicare, vel per se, vel per Principes Christianos sæculares. Ex quo sequitur si seruis infidelium immineat à dominis periculum salutis ex eo præcise, quia manent apud dominos infideles; & domini infideles nollent hoc periculum remouere, quantum in se esset, posse illos priuari dominio per modum pœnæ, quia scilicet abutuntur illo in detrimentum filiorum Ecclesiæ. & hoc esset vti indirectè sua spirituali potestate circa infideles, quod non repugnat, quia indirectè potest quis vti iurisdictione in subditos propriè. Si autem nullum esset periculum, & infideles domini permitterent suos seruos viuere secundùm instituta Christiana, non posse tunc priuari dominio suo vi solius iurisdictionis spiritualis. Quod verò attinet ad temporalem, & politicam iurisdictionem Ecclesiæ, & Principum Christianorum, etiam asserunt non posse Principes christianos qui eam habent, directè eam exercere in infideles sibi non subiectos, vt per se patet; neque indirectè, nisi quatenus vel per se vel pro aliis vlciscuntur iniurias ab infidelibus illatas, vt sæpe dictum est; & hanc opinionem sic explicatam tenet expressè Becanus *tom.* 2. *cap.* 13. *q.* 7. *n.* 7. *concl.* 4. Probatur; quia maius vinculum est matrimonij, quàm seruitutis; sed ob infidelitatem alterius coniugis nolentis sine iniuria creatoris viuere cum altero, qui ad fidem conuertatur, dissoluitur vinculum matrimonij, ergo potest Ecclesia in proposito casu eximere fideles à dominio infidelium ob eandem rationem. Nec explicatio, quam ex D. Augustino afferunt loco citato vim habet; nam D. August. satis indicat, si nullum periculum immineat, non posse id Ecclesiam efficere; posse verò periculo imminente.

Becanus.

Caput XXXIV.

Traditur definitio superstitionis, agitur de speciebus illius, inquiritur vnde oriatur, an sit de se mortalis; & an mortale sit tres Missas simul in nocte Natalitij post mediam noctem dicere.

Summarium.

Quid sit superstitio, vnde dicta, traditur eius definitio. num. 1.
Quibus modis superstitio committatur in cultu; qui datur, vel negatur Deo. num. 2.
Falsus cultus, vel potest esse falsus ratione rei significatæ, vt si quis caremonijs Iudaicis velit Deum honorare; vel ex parte colentis, & quomodo. num. 3.
Oritur superstitio ex nimia appetentia, & desiderio, quo homines aliquid volunt consequi; & quomodo. num. 4.
Superstitio indebiti, & superflui cultus, in quibus rebus consistat. num. 5.
An sit de se mortalis. num. 6. & 9. *Quid si sit cultus publicus, & communis ex præscripto Ecclesiæ, aut vsu illius.* num. 14. ad finem.
An qui die dominico ieiunat, vt Deum eo ieiunio colat, peccet mortaliter, vel venialiter. num. 7.
Quid si id fiat ex voto, an tale votum sit validum. ibid. & num. 8.
An peccet mortaliter ille, qui in nocte sancta Natalitij Domini statim post mediam noctem omnes tres Missas continuatim dicit. Refertur opinio Suarij asserentis id nullum peccatum esse, & licitè fieri

fieri posse si loquamur de Missis priuatis, & non cantatis. num 10. & 11.
Præfertur opinio affirmans esse mortale. à num. 12. *vsque ad* 15.

1. SECVNDVM vitium, quod directè opponitur virtuti Religionis, est superstitio. Est autem superstitio, *falsa religio, seu uitio, us cultus, veri, vel falsi numinis; qua nimirum exhibetur cultus diuinus falso numini, seu creaturæ, cui non debetur; vel Deo vero cui debetur, at modo indebito, quo exhiberi non debet.* Ita deducitur ex D.Th. 2. 2. q. 92. art. 1. docet Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 43. *dub.* 1. *num* 3. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 1. Dicta est superstitio, vt placet Ciceroni *lib* 2. *de natura Deorum*, vel eo quòd homines nimis assidui erant in peccando, & immolando diis, vt liberos relinquerent sibi superstites; vel quòd relictis veteribus diis colerent loco illorum superstitem memoriam suorum maiorum, vt placet Lactantio Firmiano *lib.* 4. *diuinarum inst. cap.* 28. Vel quòd homines nimis timerent iram, & potentiam Deorum, quasi superstantem, & desuper sibi impendentem, vt vult Seruius *Æneidos* 8. Lactantius arguit Ciceronem putantem superstitionem esse excessum in vera religone, cum in hoc excedi non possit, Deum enim non posse nimiùm coli patens est. Vnde vult ipse Lactantius superstitionem tantùm esse cultum falsorum Deorum, & eos solos superstitiosos esse, qui falsos Deos colunt; eos verò religiosos, qui vnum verum Deum colunt, in quos superstitionis nota cadere non posset. Sed fallitur Lactantius; nam etiam christiani superstitiosi dici possunt, cum verum Deum colunt vero cultu, sed indebito modo, vt statim patebit.

D.Thom. Lessius Sanchez. Cicer. Lactant. Seru.

2. Est autem quadruplex species superstitionis, teste D. Thoma 2. 2. quæst 92. art 1. vt colligitur ex D. August *lib.* 2 *de doctrina christiana*, & refertur cap. *Illud* 26 *quæst.* 2. & docet Sanchez *tom* 1. *Decalogi lib* 2. *cap* 37 *num.* 1. Prima est, quando cultus diuinus exhibetur falso numini, seu creaturæ, eam loco Dei adorando. & hæc appellatur *idololatria*, de qua satis, superque præcedenti capite egimus. Secunda est, quando diuinus cultus exhibetur vero Deo, sed modo indebito, & hæc appellatur *superstitio*, indebito modo colendi Deum. Tertia est, quando homo petit à creatura auxilium, quod à solo Deo potest haberi, & ideo hunc diuinum cultum tribuit creaturæ, volens per eam instrui de futuris, aut de præteritis, aut præsentibus, & hæc appellatur *diuinatio*. Quarta, & vltima est, quando homo in suis actionibus omittit dirigi à Deo, & petit vt dirigatur à creatura, & ideo ei diuinum cultum tribuit, & hæc appellatur *superstitio vana obseruationis.*

D.Thom. D August. Sanchez.

3. Superstitionis autem colendi Deum indebito modo, adhuc duplex est species. Altera, quando cultus est falsus, ac proinde perniciosus: Est autem falsus vel ratione rei significatæ, vel ex parte colentis. Ratione rei significatæ. vt si quis modò cæremoniis Iudaicis Deum coleret, quæ falsum significant, scilicet non esse incarnatum filium Dei: ex parte colentis, vt si quis rebus turpibus, & obscœnis velit Deum colere, aut falsas reliquias populo proponeret adorandas, falsis miraculis, & testimoniis doctrinam fidei confirmare vellet. Item si quis mutaret formam, vel materiam sacramentorum, præsertim Eucharistiæ animo colendi Deum, vt faciunt hæretici nostri temporis. Altera, quando est superfluus, etiamsi alioqui verus: vt cum quis vult Deum colere, & honorare iis cæremoniis, quæ iudicio prudentum nihil ad Dei gloriam conferunt, nihil ad excitandum spiritum, aut carnis rebellem libidinem domandam. Vide D.Thom. 2. 2 *quæst.* 92. *per totam*: Lessium, & Sancium locis allegatis. Vide etiam Valentiam 2. 2. *disp.* 6. *q.* 10. *punct.* 2. Saytum *in claui regia lib.* 4 *cap.* 4. *num.* 4. Suarium *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2 *de superstitione cap.* 2. *num.* 15. 16. & 17.

D.Thom. Lessius. Sancius. Saytus. Suarez.

Oritur superstitionis peccatum plerumque ex nimia appetentia, & inordinato desiderio, quo desideramus bonum aliquod consequi, aut malum deuitare; & quia homines vident se hoc consequi non posse diligentia humana naturali, aut à Deo, & Angelis beatis, vel non tam citò, vt ipsi volunt, sibi id præstandum esse, inde est quòd vel à dæmone auxilium, opemque implorent, ei cultum soli Deo, & Sanctis debitum deferendo, vel ipsum Deum, & Sanctos, qui in cælis cum Deo regnant, indebitis modis superfluo, & inordinato cultu, ac precibus interpellant. Et quia hæc appetentia maiori impetu inuadit fœminas, quàm viros, inde est, quòd plus in fœminis, quàm in viris regnet superstitio. 4.

Datur autem superstitio superflui, & indebiti cultus, vt optimè animaduertit Lessius *lib.* 2. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 4. cum præter Ecclesiæ morem ponitur religio & verus cultus Dei, & Sanctorum, in quibusdam circunstantiis, vel rebus, in quibus non est ponenda, vt in colore, situ. v. g. quòd tot sint candelæ, non plures; tot peregrini, tali, vel tali nomine insigniti, aut indumento vestiti: vt cera candelarum sit potiùs viridis, aut alba, quàm flaua, quòd tot orationes dicantur, non plures; denique ad hanc speciem pertinere videtur, cum quis in horis canonicis dicendis, & in sacro faciendo relictis rubricis, & directione Ecclesiæ, alias cæremonias pro sua deuotione adhibet, vt si bis *Alleluia* canter, quando semel dicendum est, aut *Credo*, aut *Gloria*, quando dicenda non sunt; si fiat in Missis signum Crucis, vbi non mandatur fieri, vel vt plures acolyti solitis præter morem Ecclesiæ adhibeantur, vt oratio fiat mane ante solis ortum, vt Missa audiatur sacerdotis, qui tali, vel tali nomine appelletur; omnes enim hi modi colendi Deum ad indebitum cultum spectant, vt docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 37, *num.* 4. Caietanus, & Armilla verb. *Superstitio.num.* 2. Toletus *lib.* 4. *cap.* 14. Nauarr. *cap.* 11. *num.* 24. Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 5. *art.* 5. & Sayt. *in claui reg. lib* 4 *cap.* 4. *num.* 4. 5.

Lessius. Sanch. Sanchez. Caiet. Armil. Tolet. Nauarr. Lessius. Saytus.

Hæc tamen ordinariè non videntur esse plus quàm venialia, vt iidem doctores notant & dicemus *num.* 9. 6.

Hinc si quis quodam singularitatis studio, die dominica ieiunaret, vt Deum coleret, esset peccatum superstitionis; quia est cultus indebitus, & superfluus, non tamen esset plus quàm venialis culpa, cessante scandalo, & contemptu moris Ecclesiæ, vt docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 13. & Valentia 2. 2. *disp.* 9. *quæst.* 2. *punct.* 4. *dub.* 2. Vnde deducitur peccatum esse, & illicitum, sed veniale tantùm ieiunare diebus dominicis, solis, & non aliis; secluso semper prædicto contemptu, & scandalo, quia id ad quendam superfluum cultum, & singularitatem spectat 7.

Sanchez. Valentia.

spectat communi Ecclesiæ consuetudini aduersantem, vt testatur idem Sanchez allegatus num. 54. & Ledesma 2. part. 4. quæst. 57. artic. 4. Vnde etiam deducitur votum ieiunandi ordinatiè diebus Dominicis esse irritum, & cassum, & non valere, siue ieiunium sit afflictionis, quod, scilicet, sumitur ad satisfaciendum pro præteritis peccatis, & ad futura debita cauenda; siue sit exultationis, quod sumitur, vt mens promptior ad Deum eleuetur. Quare si quis id voueat, ad nihil tenetur, nec etiam ad ieiunium in alteram diem transferendum; quia est votum de re illicita, vt docet Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto lib. 3. cap. 6. num. 21. in fine. & Sanch. tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 37. num. 16. Suarez loquitur absolutè, & indistinctè; Sanchez loquitur cum distinctione, de voto scilicet ieiunandi ob singularitatem quandam cultus Dei; & tunc ait tale ieiunium esse illicitum, & veniale; & tale votum irritum, & non obligare, secluso etiam scandalo, & contemptu; at verò secluso vano singularitatis studio colendi Deum eo indebito cultu si votum fiat ieiunandi aliquot diebus Dominicis, non ex indebito isto cultu, sed ob bonum aliquem finem, ait obligare, cum sit de re licita. Suarez. Sanchez.

8. D. Thom. Dices D. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. 25. ad 3. & in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 3. quæstiuncula 2. in corpore, damnat ieiunium diei Dominicæ, idque constare videtur ex vsu Ecclesiæ excipientis dies Dominicos à ieiunio quadragesimæ, & transferentis vigiliam quamcumque cadentem in diem Dominicam, in sabbatthum; taleque ieiunium interdici, in capite, Si quis Presbyter. dist. 30. & capite, Sacerdos 26. quæst. 6. & capite, Ne quis ieiunet. de consecrat. dist. 3. Ergo etiamsi votum ieiunandi fiat ad bonum aliquem finem secluso singularitatis studio colendi Deum per indebitum illum cultum ieiunij, adhuc tale ieiunium erit illicitum, & tale votum irritum; siue sit ieiunium exultationis, siue afflictionis. Respondeo ieiunium die Dominica interdictum olim fuisse prædictis capitibus ad obuiandum Manichæorum hæresi, asserentium ieiunium diei Dominici necessarium esse in contemptum Resurrectionis Christi; & hoc ieiunium condemnant textus allegati, & D. Thomas, & propter hunc errorem, qui tunc vigebat, subtraxit Ecclesia dies Dominicos à ieiunio quadragesimæ, at cum iam modò hæc causa omnino cessauerit, licitum est die Dominica ieiunare ob bonum aliquem finem siue ieiunio exultationis, siue afflictionis, si id fiat sine scandalo, & contemptu, & absque singularitate quadam colendi Deum per eum cultum; quasi Ecclesiæ consuetudinem improbando. v. c. ad maiorem profectum spiritualem, ad domandam carnis libidinem. Et ita probatur ex D. Augustino. Epistola 86. ad Casularium. vbi postquam dixit scandalum esse magnum ieiunare die Dominica, modum tradidit, quo id ieiunium non esset illicitum, & ex D. Hieronymo Epistola 28. ad Lucinium, & refertur in capite, Vtinam dist. 76. vbi hoc ieiunium approbat, & dicit Apostolos illud seruasse; & ita docet Sanchez tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 37. num. 12. Metina C. de ieiunio. q. quando necesse est ieiunare. Nauarrus in summa cap. 21. num. 17 Ledesma 2. part. 4 quæst. 17. art. 4. Palatios in 4. dist. 15. disp. 8 folio mihi 125. Angles in floribus 1. part. vbi de ieiunio quæst. 4. difficultate 3. Valentia 2. 2. disput. 9. quæst. 2. puncto 4. dub. 2. Azor. tom. 1. lib. 7. Instit. moral. cap. 26. quæst. vltima. Lessius lib. 4. de iustit. cap. 2. dub 9. num. 68. D. August. D. Hieron. Sanchez. Metina. Nauarr. Ledesm. Palatios. Angles. Valent. Azor. Lessius.

9. Ex dictis deducitur primò, superstitionem colendi Deum indebito modo per cultum verum; sed superfluum, & præter Ecclesiæ morem secluso contemptu vsus, & consuetudinis ipsius Ecclesiæ, esse tantùm veniale, & non mortale, nisi tanta fieret in Missa perturbatio, & cæremoniarum transmutatio, vt iudicio prudentis mortalis censenda sit, vt diximus num. 6. & ita docent Sanchez tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 37. num. 10. Lessius tom. 5. de iustitia lib. 2. cap. 43. dub. 5. num. 5. Caietanus 2. 2. quæst. 93. artic. 1. versu, In sequenti verò, & art. 2. & in summa verbo, Superstitio cap. 1. vbi Armilla num. 2. Nauarr. in summa cap. 51. Hispana. num. 21. Latina. n. 24. Merina lib. 5. summa cap. 14. §. 2. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 10. puncto 2. fine. Suarez tom. 1. de religione lib. 2. de superstitione. cap. 2. num. 21. Sayrus in claui regia lib. 4. cap. 4. num. 4. quod tamen intelligendum est iuxta Sanctium, Caietanum, eo art. 1. Nauarrum & Suarium allegatos, nisi sit contra præceptum aliquod grauiter obligans. Et Ratio est, quia in vero cultu, sed indebito ordine applicato, non est perfecta superstitionis ratio, & quia bonus animus, & intentio, ex quo hæc superfluitas oriri solet, eius deformitatem minuit, nisi eandem augeatur. Sanchez. Lessius. Caiet. Armill. Nauarr. Merina. Valentia. Suar. Sayrus.

10. Hinc dubitari potest, an peccet mortaliter ille, qui in nocte sancta Natalij Domini, statim post mediam noctem, omnes tres Missas continuatim facit, & non iuxta morem, & consuetudinem Ecclesiæ vnam post mediam noctem, reliquas duas post auroram; videtur enim hoc non esse plusquam peccatum veniale; quia nulla fit cæremoniarum, sed tantùm temporis mutatio, quæ est extrinseca sacrificio, imò & forte, si alicubi ea consuetudo fuerit, nec peccatum erit veniale. Et hac de re partitam opinionem inuenio. Nam Suarez tom. 3. de Sacramentis in 3. part. disp. 80. sectio 40. §. Tertiò inquiri potest, folio mihi 120. col. 2. asserit id nullum peccatum esse, neque veniale si loquamur de Missis priuatis, & non de Missis solemnibus, & cantatis. Fundamenta illius hæc sunt. Primò, quia nullum datur in iure hac de re præceptum, nec vlla in contrarium consuetudo aut ratio vrgens, & ideo, ait, in quouis tempore, quo post mediam noctem prima Missa legitimè absoluitur, potest continuari secunda, & consequenter tertia. Non datur præceptum, quia in capite, Nocte sancta. de consecratione dist. 5. nec de prima Missa, nec de secunda, aut tertia in singulari sermo est; sed absolutè dicitur. Nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent presbyteri. Cur ergo, inquit, limitabimus hoc priuilegium ad primam Missam potius quàm ad reliquas Missas, maximè quia in eodem capite statim additur, in reliquis verò temporibus non esse Missas ante diem celebrandas? In illa ergo nocte, non solùm vna Missa illius festiuitatis, sed etiam omnes tres Missæ, vna post aliam continuò dici possunt, cum in illo capite non vna tantùm Missa illius festiuitatis nocturnæ excipiatur; sed solùm excipiatur tempus illius noctis, propter natiuitatem Christi, vt in eo possint Missæ celebrari. Probat etiam Suarius id ex Platina in vita Telesphori Papæ, vbi sic inquit, statuit vt in Natali IESV Christi noctu tres Missæ celebrentur, & quamuis Platina statim addat, prima in media nocte, quando Christus natus est; secunda illucescente aurora, quando à pastoribus est agnitus Suarez.

agnitus; tertia, eadem hora diei, qua nobis dies redemptionis, & veritatis illuxit: tamen ea distributio ipsius Plaonæ videtur esse, non Pontificis; nam totum fuisse videtur à Pontifice statutum, vt tempore nocturno possent illæ tres Missæ inchoari, & continuari; nihil enim legitur in vitalibus. quod indicet post primam necessariò interrumpendam esse secundam, donec aurora expectaretur, qua dici possit. Nec illa distributio temporis multum accommoda videtur; nam non constat quòd pastores manè, & auroræ tempore Christum adorauerint; imò potius asseritur *Lucæ* Angelum apparuisse pastoribus custodientibus vigilias noctis super gregem suum; & statim subditur eos festinantes iuisse ad videndum Verbum incarnatum, & sibi reuelatum; quare, inquit Suarez, de iure nihil habemus.

11. Nec etiam ex consuetudine, inquit, aliquid habemus, imò potius contrarium, quia regulariter in Missis priuatis ita fit sine scrupulo. Nec denique id suadet ratio aliqua vrgens in prædictis sacrificiis priuatis, & quia iam illud tempus designatum est, vt legitimum ad sacrificandum, & non est res admodum grauis, vel necessaria in iisdem Missis priuatis seruare ordinem Missalis, nam licet in Missali solùm in prima Missa dicatur, *Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*: in secunda autem, & tertia dicatur, *& diem sacratissimum celebrantes*: tamen id quidem in Missis solemnibus seruandum est, ad quas præcipuè respicit illa institutio & temporis distributio; deinde quia à media nocte computatur totum illud tempus dies naturalis; quod patet, quia si quis non posset Missam festiuitatis in ea nocte dicere, posset quidem eadem nocte dicere Missam de Beata Virgine; & qui non posset omnes tres Missas dicere, posset etiam in eadem nocte pro sua deuotione tertiam tantùm dicere, omissa prima, & secunda; nec verba semper referuntur ad tempus in quo dicuntur; sed ad tempus pro quo repræsentando & commemorando afferuntur; sicut in prima etiam Missa dicitur, *& noctem sacratissimam celebrantes*, & nihilominus non est necesse in Missis priuatis, quòd prima Missa nocte dicatur; sed absque vllo peccato dici potest in plena luce. Hæ sunt rationes; & fundamenta Suarij, & tandem sic concludit. Est ergo hæc sententia satis probabilis, & secura; & pro ea nullum citat auctorem. Eam tamen tuentur

Rodrig. Putean. Syluius. Zanard. Scortia. Diana. Vasq. Reginald. Coninch. Layman.

Rodriguez *capit.* 249. *numer.* 5. Puteanus *in* 3. *part. quæst* 83 *num.* 2. Syluius *in summa tom.* 1. *tract.* 3 *cap.* 10 *num.* 22. Zanard. *in direct. Theolog. part.* 1 *de Euchar cap* 9 *quæst.* 7. Scortia *de sacrific. Missæ l.* 2. *cap.* 15. *num.* 5. Diana *art.* 2. *tract.* 14. *resol.* 33. è nostris Vasquez *in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 232. *cap.* 3. *num.* 31. Reginald. *in praxi tom* 2. *cap* 9. *sect.*.. *num.* 134. Coninch *in* 3. *part. quæst* 83. *dub.* 4. *num.* 218. Layman *l* 4. *tract.* 5. *cap* 4. *n.* 2.

Io. Præp. Ioan. Præposit. *in* 3. *part. quæst* 83 *art* 2. *dub.* 4. *num.* 140 qui ait pro hac sententia stare praxim.

Filliuc. Filliucius *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 112. dicit esse probabilem sententiam, licet addat non fore introducendam, vbi non fuerit vsus.

12. Nihilominus alij affirmant peccatum esse mortale eas tres Missas simul post mediam noctem dicere; & loquuntur absolutè tam de Missis priuatis, quàm solennibus.

Syluest. Ita Syluester *verbo, Missa* 1. *num.* 6. ibi: *Ex his patet quod in nocte Natalis Domini non licet celebrare tres Missas, quia non licet nocte celebrare, nisi ex ordinatione, & licentia Ecclesiæ, quæ nihil ordinauit nisi de Missa mediæ noctis.*

Angel. Nauarr. Villalob. Fernand. Vgol. Petr. Led.

Angelus *verbo, Missa* §. 40 Nauarr. *in summa Lat. cap* 21. *num.* 87. Villalobos *in summa part.* 1. *tract.* 8. *difficult.* 22. *num.* 3 Fernandez *in exam. Theolog part.* 3. *cap.* 5. §. 7. *num.* 3. Vgolinus *de potest. Episcop. cap.* 16. *num.* 5. Petr. de Ledesm. *in summa tom.* 1. *cap.* 19. *conclus.* 9 *fol.* 128.

Did. Nugn. Mirand. Ioan de la Cruz.

Didacus Nugnus *in* 3 *part. tom.* 1. *quæst* 83 *art.* 2. *vers. Sed est dubium.* Mirand *in manuel prælat. p*.. *quæst.* 40. *art.* 8. *concl.* 2. Ioan de la Cruz *in direct. conscient. part.* 2. *de sacrif. Missæ quæst.* 2. *dub.* 1. *conclus.* 3.

Tabien. Squillan. Barthol. ab Angelo. Fumus. Henriq.

Tabiena à Costa *in exposit. bullæ cruciatæ quæst* 32. Squillante *de obligat. clericorum p.* 1. Barthol. ab Angelo *dialog.* 5. §. 169. Fumus *verb. Missa* §. 25. Henriquez *lib.* 9. *de Missa cap.* 24. *num.* 5. ibi: *Prohibet Ecclesia sub graui pœna ante lucem celebrare, nisi primam Natalis Domini Missam; quæ statim post mediam noctem dici potest*; hæc ille, & nos id etiam probauimus *in* 1. *præcep. Ecclesiæ lib* 3. *cap.* 17. *num.* 2. *&* *cap.* 16. *num.* 3

Tolet. Toletus *lib.* 2. *summæ cap.* 1. *num.* 6. *versu, Tertium verbum est*, ibi: *Ante auroram celebrare extra festum natiuitatis, & hoc quoad primum Sacrum graue esset peccatum*, *capite*, Nocte sancta, *nisi peculiare aliquod existeret priuilegium*; hæc ille. Probatur etiam ex glossa in eodem capite. *Nocte sancta, de consecrat. dist.* 1. *verbo*, *Nocte littera B* vbi ponit ordinem dicendarum Missarum, & dicit primam in media nocte esse dicendam, secundam cum diescit, tertiam in die.

Et pro hac parte faciunt omnes authores, qui expressè dicunt, aut supponunt, peccatum esse mortale nocte, & ante auroram celebrare, nisi ex priuilegio; & priuilegium esse noctis sanctæ Natalis Domini, quòd media nocte missæ celebrentur; & hi sunt 13.

Azor. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 1. *in fine*, vbi ita ait. *Si quæras, an lethaliter peccet, qui ante diem sacrificium facit; communis est opinio lethaliter peccare*;

Syluest. Nauarr. Bellarm.

& ita docet Syluester *verb. Missa* 1. *quæst.* 6 Nauarrus *in summa Lat. cap* 25. *quæst* 85. hæc ille. Id supponit etiam Bellarmin. *lib.* 2. *de Missa cap.* 14. *versu*, *De hora diei.* vbi æquiparare videtur peccatum celebrandi non ieiunè, cum peccato celebrandi ante auroram, excepta nocte Natalis Domini, ibi: *Nunc excepta Missa, quæ adhuc media nocte canitur in Natali Domini, ordinariè ab hora prima, siue ab aurora vsque ad sextam, seu meridiem, sacra celebrantur, & ieiunia de mere protrahuntur.*

Sotus. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. *ante finem*, vbi asserit speciale priuilegium esse Natalitij Domini, vt illa nocte iuxta canonem *Nocte sancta*, Missæ celebrentur, & id ipsum docet

Sum. Conf. Palud. Summa confessorum *lib.* 3. *tit.* 24. *quæst.* 126. Paludanus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art* 4. & alij communiter. Probatur ergo hæc opinio optimis rationibus, & fundamentis; quæ simul contrarias destruunt rationes, & fundamenta. Primò, quia ex iure constat solam primam Missam tam priuatam, quàm solennem, esse dicendam in nocte Natalitij Domini in prædicto capite, *Nocte sancta de consecrat. dist.* 1. nam caput loquitur absolutè de Missis, & non distinguit inter solennes & priuatas; quare nec nos distinguere debemus, nam vbi ius non distinguit, nec nos distinctionem adhibere possumus; & priuilegium concedit vt in ea nocte presbyteri Missas celebrent, quod intelligendum est distributiuè, vt singuli presbyteri singulas tantùm Missas media nocte celebrent, & non omnes simul, sicut semper intellexit, & seruauit Ecclesia; quod satis clarè Telesphorus in eodem capite

expli

explicare, dum addidit. *Reliquis verò temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ*. Vnde sicut in omni alio tempore extra noctem Natalitij Domini, nullus sacerdos sine priuilegio dicere potest nisi vnam tantùm Missam, ita in eadem nocte, non nisi vnam tantùm ex eodem priuilegio potest efficere. Secundò, probatur ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ; quæ ita habet, vt vnam tantùm Missam etiam priuatam sacerdotes faciant, & quamuis Suarez dicat vsum contrarium habere, id non probat; & pro probatione non sufficit affirmasse; nam contrarium fieri videmus; & quamuis aliquis fortasse sacerdos, vel aliqui id efficiant, tamen id non sufficit, ad introducendum vsum, & consuetudinem contrariam; debet enim esse consuetudo à maiori parte seruata vt excuset, illos tamen bona fides à peccato excusabit, qui eadem bona fide id faciunt. Tertiò, probatur ex rationibus vrgentissimis. Primò, quia illud tempus mediæ noctis solum assignatum est pro dicenda vna tantùm Missa, siue priuata, siue solenni ea nocte; Missa enim appellatur, & est sacrificium diuinum, quia ad repræsentandam Christi mortem fit, quæ die, & non nocte consummata fuit. Vnde cum non nisi die celebrari possit, necessarium erat priuilegium, vt nocte possit celebrari: & hoc concessit Telesphorus Papa in prædicto capite *Nocte Sancta*, non tamen concessit, vt omnes simul priuatim dicerentur. Nec dicas ex hac ratione fieri, vt non nisi hora illa qua Dominus expirauit, Missa dici possit, cum hoc sacrificium sit expressiuum illius mortis, nam olim ita factum fuit; postea tamen, vsu, & consuetudine Ecclesiæ fuit introductum, vt ante tempus quo Dominus expirauit, hoc diuinum Missæ fieret sacrificium, imò cautum est, vt non nisi ante meridiem dicatur Missæ, ne sacerdotes, & qui sunt Eucharistiam accepturi, ieiunium diutius protrahant, cum tanto illorum labore. Quartò, quia non est res leuis, vt dicebat Suarez, sed grauissima mutatio temporis, vt omnes Missæ priuatæ simul dicantur in media nocte natalitij Domini; si enim id res leuis erat, ad quid necessarium erat, vt Telesphorus dispensaret, vt in nocte sancta vna tantùm diceretur? & si res est leuis, ad quid necessaria sunt tot priuilegia, vt ante diem, & auroram celebretur, quot Religiones habent? Tandem quia non est res leuis, quæ inducit peccatum mortale, & omnes DD. constanter affirmant peccatum esse mortale celebrare nocte, & ante auroram citra priuilegium, & extra casum magnæ necessitatis. Quintò, quia non obstat vltima coniectura Suarij; nam etsi prima Missa non dicatur media nocte, adhuc bene potest dici in ea, *Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*, & quia tunc, vt ipse etiam dicit, apponuntur ea verba ad commemorationem temporis, in quo Christus natus est; & quia dicere Missam ea nocte, est priuilegium, quo quis potest vti, & non vti, pro suo arbitrio. Vltimò, quia totum illud tempus à media nocte in ea festiuitate computatur dies ex priuilegio ad vnam Missam; seu vnum sacrificium, & officium diurnum in eo faciendum, non ad omnes tres, vt patet. Quare ex his rationibus patet liquidò opinionem Suarij non esse omnino certam; tanti tamen viri authoritas & aliorum quos suprà citauimus, illius opinionem reddit reuera probabilem & in praxi tutam.

14. Deducitur secundò ex dictis speciem superstitionis colendi Deum indebito modo per cultum falsum, de qua egimus *num*. 3. semper esse ex suo genere mortalem, siue cultus falsus sit ratione rei per illum significatæ, vt hodie sunt cæremoniæ Iudæorum, & Mahometanorum; siue sit falsus ex parte colentis, quia falsitas in materia Religionis res est de se grauissima, & maximè periculosa. Ita docent communiter. DD. D. Augustinus *lib. de Mendacio cap*. 4. Lessius *lib. 2. de institia, cap*. 43. *dub*. 1. *num*. 4. Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 37. num. 5.* Sayro *in claui regia lib. 4. cap. 4. num.* 4 Nauarrus *in summa cap*. 11. *Lat. num*. 24. *Hispana num*. 21. Valentia 2. 2. *disput*. 6. *quæst*. 10. *punct*. 2. *versu, Si autem quæratur*. Suarez *tom*. 1. *de religione lib. 2. de superstitione cap. 2. num*. 18. Caietan. 2. 2. *quæst*. 93. *artic*. 1. *versiculo, Ad hoc dicitur ad finem*; hoc tamen bene limitant Valentia, & Sanchez, & Suarez *n*. 15. 16. *&* 17. quando cultus in quo est falsitas ex parte colentis, est communis, & publicus, secus si sit cultus particularis, tunc enim erit tantum venialis; vt si quis vellet Deum colere per orationem Dominicam eam pro se tantùm recitando, cum animo excludendi alios non ex odio, sed ex amore sui; est enim id peccatum de se veniale; quia eam orationem, quam Dominus pro omnibus instituit, omnibus enim, & singulis Christus dixit Matthæi 5. *Vos autem sic orabitis: Pater noster &c.* pro se tantùm vult fuisse dictam, cum alios ab illa in intentione excludit, vt animaduertit Sanchez *dict. num*. 5. referens se ad numerum 3. D.August. Lessius. Sanchez. Sayr. Nauar. Valentia. Suarez. Caiet.

Hinc sequitur peccare mortaliter & grauissimè illum, qui modò Deum vellet colere Iudaicis cæremoniis; significant enim rem falsam, quia significant Christum venturum, & nondum venisse; quod omnino falsum est. Item si quis vellet eum honorare per cæremonias Mahometanorum, Maurorum, & Turcarum, quia similiter rem falsam significant, ac continent; significant enim Mahometem fuisse verum prophetam, cum tamen falsus fuerit. Similiter peccatum est de se mortale falsas reliquias, aut globos piaculares amicis pro veris donare, aut in publico proponere venerandas, fingere miracula falsa, & ad id fingendum mortuorum spolia in templo alicuius Diui suspensa apponere, hæc enim omnia de se sunt peccata mortalia, quamuis non fiant ex contemptu; neque animo irreuerenti in Deum, & Sanctos, sed solùm ad acquirendam gratiam, fauorem, aut pecuniam; sicut enim actus periurij ex natura sua semper inducit Deum testem falsitatis, quamuis iurans non intendat Deum testem facere illius; ita qui per cultum falsum, honorem Deo tribuit; quamuis non intendat Deo, & Sanctis irreuerentiam facere; tamen re vera ille actus de se talis est, vt semper iniuriam & irreuerentiam illi faciat. Ita docet Caietanus *verbo, superstitio, versu, Aut enim exhibet. & 22. quæst. 93. artic*. 2. Nauarrus *in Enchiridio cap*. 11. *num*. 27. Fumus *verbo, superstitio. num*. 2. Lessius hic allegatus. Excusabuntur tamen aliqui à mortali propter ignorantiam; sic multi Æthiopes, vt docet Lessius *tom. 1. de iust, lib. 2. cap 43. dub. 1. num*. 4. à peccato mortali excusari possunt, qui hodie circunciduntur, putantes se per hoc Christum imitari, quia sic instituuntur à suis Episcopis & sacerdotibus, & nunquam contrarium audierunt. Hæc autē ignorantia teste Caietano *in summa, verbo Incantatio §. sed bene.* solùm habet locum in personis idiotis, quandiu non sunt monitæ, vt deserant. Excusabitur 15. Caiet. Nauar. Fumus. Lessius.

cuſabitur etiam à peccato mortali ille, qui ſecluſo ſcandalo, & contemptu per leuitatem quandam iocalem, & ignorantiam rei grauitatis, ſe D. Petrum v. g. vel alium Sanctum faceret, vt alios fallat, aut falſas reliquias pro veris aliis donet per iocum, eo tamen animo, vt ſtatim eos de ioco ſuo, & rei veritate aut falſitate admoneat. Abſtinendum tamen eſt ab huiuſmodi iocis, vt pote valde nociuis, & periculoſis in materia religionis.

Capvt XXXV.

De diuinatione, & dæmonum inuocatione cum pacto, & ſine pacto expreſſo, quid ſit, quæ eius ſpecies, quantum peccatum, & quomodo ab illo excuſemur.

Svmmarivm.

Quid ſit diuinatio, traditur illius definitio. n. 1.

Fit varijs modis, omnibus tamen in tacito, & expreſſo pacto dæmonis innixis. num. 2.

Aliquando fit per expreſſum pactum dæmonis, aliquando per tacitum. num. 3.

Quando fiat per tacitum, & quando per expreſſum. num. 4.

Inuocare dæmonem expreſsè, ſiue per verba, ſiue per ſigna, aut nutus, aut quemcumque alium modum, ſemper eſt peccatum mortale. num. 5.

Sæpe hoc peccatum coniunctum eſt cum hæreſi, & negatione fidei; quomodo ſe debeat habere confeſſarius, vt ſciat, an in eo peccato detur hæreſis. à num. 6. vſque ad 8.

Debet etiam attentè confeſſarius attendere ad damnum quod malefica per maleficium faciunt, quod tenentur ipſa reſtituere. num. 9.

Ex quibus rebus deprehendatur tacitum pactum cum dæmone. num. 10. 11. & 12.

An hoc ſit peccatum mortale. ibid.

An mortale ſit habere dæmonem familiarem. n. 13.

An iocosè per media vana, vt per figuras, vel per motum forcipis in cribro dæmonem inuocare, peccatum ſit mortale. num. 14.

An mortale ſit obſeruare ſomnia, ſortes, auguria, auium cantus, & volatus, non habendo illis fidem. num. 15.

Quatenus licitus, aut illicitus ſit vſus orationum, quæ dicuntur inuentæ in ſepulchro Hieroſolymitano, & aliæ ſimiles. num. 16.

Quid de illis orationibus in quarum titulis determinatur numerus dierum, in quibus dicendæ ſunt ad conſequendum effectum. num. 17.

Quid de illis orationibus quæ fiunt, vt nobis Virgo Sanctiſſima, vel Sancti in hora mortis appareant. ibid.

1. Divinatio *eſt prænunciatio futurorum euentuum indebitis modis acquiſita, minimèque à diuina prouidentia conſtitutis.* Ita definit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 1. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 1. Breuiùs, & clariùs Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 5. *num.* 23. Diuinatio *eſt prænunciatio; qua quis ope, vel diſciplina dæmonis de aliquo occulto, quod humano modo cognoſcere non poteſt, prænunciat.*

D Thom. Sanchez. Leſſius.

Dicitur *ope dæmonum*; quia hæc vana occultorum inquiſitio, & prænunciatio per diuinationem fit variis modis; omnibus tamen in tacito, vel expreſſo pacto dæmonis innixis, vt docet D. Auguſt. *lib.* 2. *de doctrina Chriſtiana cap* 22. *fine, & cap.* 23. *initio,* & D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 2. *& 3. & opuſc.* 25. *cap.* 3. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib* 2. *cap.* 38. *num.* 3. *initio*, vbi animaduerte, etſi dæmones non poſſint certo cognoſcere futura, quæ à libero alterius arbitrio pendent, vt eſt certa Theologia, & docet D Auguſt. *de diuinat. dæmon. cap.* 5. *& 6. & lib.* 2. *de Geneſ ad litteram cap.* 17. tamen poſſe longè plura de rebus futuris à libero hominum arbitrio pendentibus, per coniectutas rimari, & de aliis rebus occultis noſcere, quàm homines. Primò, quia cognoſcunt cauſas naturales, & vim earum exactè, vt Solis, Lunæ, ſiderum, elementorum, plantarum, animalium; vnde facilè coniectare poſſunt, qui effectus ex iis ſequantur, vel abſolutè, vel ſi certo modo applicentur, ſic facilè poſſint prædicere ventos, tempeſtates, naufragia, mortes. Secundò, quia ſciunt quid ipſi, & alij dæmones malorum ſuorum ſocij facturi ſint Deo permittente, & hoc modo potuerunt prædicere euerſionem familiæ Iob, & eius calamitates. Tertiò, quia cognoſcunt complexiones, & inclinationes naturales hominum, & ſummam illarum habent experientiam; millies enim obſeruarunt, quid ex quo ſequi in cauſis liberis ſoleat, quibus rebus voluntas humana flecti ad bonum, vel malum poſſit: vnde ſæpe fit vt de futuris, quæ à libertate & voluntate hominum pendent, vera coniectent. Quartò, quia vident in longinquis locis cauſas iam poſitas, & applicatas, & effectus inchoatos, & poſſunt celeritate naturæ ſuæ illos præuertere, & alibi prænunciare; ſic prædicere ſolent incrementa Nili in Ægypto, viſa copia aquarum in Æthiopia, poſſunt prædicere in Anglia venturam claſſem Hiſpanicam breui tempore viſa profectione illius ex portubus Hiſpaniæ. Quintò, poſſunt interdum aliquid de rebus futuris cognoſcere ab Angelis Deo permittente, vel ex ſcripturis, quas meliùs intelligunt, quàm homines. Ita docet Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 5. *num.* 23. Et certa eſt Theologorum ſententia, quantum Angeli naturali virtute poſſunt, tantundem poſſe dæmones, vt optimè notauit Simancas *de catholicis inſtit. tit.* 37. *num.* 6. *paulo ante finem.* 2.

D Auguſt. D Thom. Sanchez.

Leſſius.

Simanc.

Cum tamen omnis futurorum euentuum earum rerum, quæ nec humano modo ſciri poſſunt, prænunciatio, nec ex reuelatione diuina habentur, per expreſſum, vel tacitum pactum dæmonis fiat, ſeu vt Caietani verbis vtar, *in ſumma, verbo, Incantatio, initio.* per tacitam, vel expreſſam dæmonum incantationem, ſeu inuocationem habeatur; iubet ſcire quando detur expreſſum pactum dæmonis, & quando tacitum, & quando explicitè, aut implicitè inuocetur. 3.

Expreſſum pactum cum dæmone his verbis fit, *facies vt faciam*, id eſt, inuocabis me, & dabis cultum, & ego auxiliabor tibi; item pones talia, vel talia ſigna, aut hoc, vel illud facies, & ego ad poſitionem illorum, aut cum hoc, vel illud feceris, fauebo tibi, & hoc, vel illud pro te efficiam. Expreſsè autem inuocatur dæmon virtute huius pacti non ſolùm quando expreſſis verbis ab illo auxilium requiritur, ipſéve interpellatur, aut quando ipſa ſigna ponuntur, ipſóve 4.

ve facto ea fiunt, quæ quis pactus est; sed etiam quando ille qui sciens dæmonem per aliqua signa inuocari, & occulta docere, ea signa facit, vt rem aliquam ab illo edoceatur. Tacitè autem & implicitè inuocatur, quando quis cognitionem, aut effectum alicuius rei, soli Deo reseruatum, mediis vanis, & indebitis procurat; nam quamuis præter illius intentionem sit dæmonem tunc inuocare, tamen eo ipso, quòd hæc media vana tentat, quibus libentissimè dæmon se permiscet, vult à dæmone vanorum inuentore edoceri, & ab illo consequi quod sperat. Ita docent communiter DD. Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 3.* Caietanus 2. 2. *quæst. 95. art. 2. initio, & art. 3. initio.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superst. cap. 9. à num. 9. vsque ad finem.* Delrio *lib. 4. disquisit. Magicarum cap. 2. quæst. 5* Sayro *in claui regia lib. 4. cap. 5. num. 5.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 12. puncto 2. initio, & punct. 4.*

Sanchez. Caiet. Suarez. Delrio. Sayrus. Valentia.

5. Inuocare autem dæmonem expressè, siue per verba, siue per signa; siue per quemcumque alium modum, semper est peccatum mortale, & grauissimum, nec inter fideles potest aliquis ignorantia excusari, cum sæpe hac de re edoceantur. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 17.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 12. punct. 4.* Delrio *lib. 4. disquisit. magic. cap. 2. quæst. 4.* Lessius *tom. 1. lib. 2. de inst. cap. 43. dub. 5. num. 27.* Et ratio est, quia homo per hæc se quasi dedicat, ac emancipat cultui dæmoniorum; tum quia paciscitur cum ipso dæmone, perpetuo hoste Dei, ab illóque auxilium sperat, non à Deo, & cum eo amicitiam, & societatem contrahit: & sicut in politicà Republica societas, & commercium cum hoste Principis, est crimen læsæ maiestatis humanæ; ita societas, & amicitia cum diabolo perpetuo Dei hoste, est peccatum læsæ maiestatis diuinæ; vnde cum ab illo auxilium, opémve petis, perinde facis, ac si opem petas ab hoste Principis, & Reipublicæ, qui in ea ipsa ope tibi ferenda conetur te perdere. Quamobrem optimè dixit Caietanus 2. 2. *quæst. 95. art. 4.* sicut consuetudo, & amicitia cum Angelis in hac vita est inchoatio quædam æternæ beatitudinis, ita commercium cum dæmonibus est initium quoddam damnationis æternæ, cuius etiam signum est, pædor, miseria, squalor, & horridus vultus eorum, qui ipsis obstricti sunt; itáque omne commercium, & amicitia cum diabolo peccatum est Religioni aduersum, & ideo multis locis sacræ Scripturæ societas cum dæmone prohibetur. Leuitico 19. Deuter. 18. Ecclesiastici 34. & Leuitico 20. diuinatores iubentur interfici, seu pythones, aut pythonissæ; sunt enim illi qui à diabolo possidentur, & prophetæ diaboli sunt. ita docet Lessius *tom. 1. de iustitia lib. 2. cap. 43. dub. 5. num. 27.*

Sanchez. Suarez. Delrio. Lessius. Caiet. Lessius.

6. Animaduertunt autem ipse Lessius *ibi num. 28. §. Tertio,* & Toletus *lib. 4. summa cap. 16. num. 5.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 26.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superst. cap. 8. à num. 22. vsque ad finem:* & communiter Doctores, sæpe hoc peccatum coniunctum esse cum hæresi, & apostasia à fide, multáque alia peccata & grauissima inuoluere. Quamobrem prudens confessarius ad quatuor debet attendere. Primum est ad ipsum pactum, in quo sæpe promittunt homines se fidem negaturos, sacramenta, & alias cæremonias Ecclesiæ; & tunc inquirendus est maleficus, an isto pacto aliquem habuerit errorem in intellectu contra fidem, v. c. credendo eam esse veram, sacramenta non sanctificare, aut diabolum non esse miserum, & damnatum; aut habere aliquam diuinitatem, & honore esse dignum; si enim ista credat, iam est hæreticus; si verò non credat, sed propter suum commodum ex propria nequitia societatem cum diabolo habeat, & illum consulat, solum erit peccatum contra virtutem Religionis.

Lessius. Tolet. Sanchez. Suar.

Secundum, ad quod debet attendere confessarius, est, ipsamet dæmonum inuocatio; si enim inibi aliqua adoratio dæmonis interueniat, examinandus est incantator, an credat dæmonem esse dignum adoratione; similiter cum sæpe petat ea quæ diabolus non potest efficere; vt quod sibi prænunciet hominum cogitationes, & futuros euentus, qui à libera hominum voluntate pendent, inquirendus est, an credat illum habere potestatem supra hominum voluntatem, vel supra ipsas res absque diuina permissione; si ista credat, & ignorans est, & post admonitionem adhuc retinet opinionem suam, est hæreticus; si non credat, vel post admonitionem, quando est ignorans, iam non credit ea quæ credebat, solum relinquitur peccatum mortale ipsius inuocationis, & sic ignorantia poterit illum excusare à peccato hæresis, si paratus erat edoceri, non tamen à peccato inuocationis dæmonis, & fœderis cum illo. Ita Toletus *in summa lib. 4. cap. 16. versu, Inquirendus maleficus.* Sanchez, Suarez allegati numero præcedenti. 7.

Tolet. Sanch. Suar.

Tertium, attendendum est ad ipsum maleficium, ad quod faciendum, malefici auxilium à dæmone petunt; solent enim res sacras maleficiis immiscere, vt petram aræ, aquam benedictam, ceram, oleum sanctum, corporalia, & & his similia; similiter sæpe interponunt verba sacra vt verba consecrationis: sæpe etiam dæmoni fundunt sacras orationes, vt cum mulieres singulis sextis feriis media nocte expansis capillis cum certis orationibus in media domo ipsum inuocant, & tunc examinandus est incantator, vel incantatrix, an crediderit Dæmoni inesse virtutem ad faciendos illos nefarios effectus sine permissione Dei; si hoc credat, si est ignorans, excusabitur ab hæresi, & si post admonitionem id pertinaciter crediderit, absque dubio hæreticus est, & incurret ipso facto excommunicationem Bullæ Cœnæ. ita Tolet. *in summa lib. 4. cap. 14. versu, Tertium est,* & D. Anton. quem citat 2. *part. titulo 12. cap. 5. §. 5.* Si hoc non credat; sed sola malitia voluntaris absque errore in intellectu id fecerit, peccatum erit mortale horrendum; sed sine hæresi iuxta hos auctores. 8.

Tolet. D. Anton.

Quartum, quod debemus attendere, est ipsum damnum quod inferunt personis, & bonis illarum: aliquando enim occidunt, aliquando nocent in bonis, & in re familiari, quia tenentur damnum huiusmodi restituere, sicut latrones; iniustè enim illud dederunt, & qui iniustè alterum damnificat, ad restitutionem damni tenetur. 9.

Egimus hactenus de expresso pacto, & inuouocatione dæmonis, sequitur vt agamus de tacito & implicito; & animaduerto imprimis diuinationem, seu incantationem, in qua est solùm pactum tacitum cum dæmone, ex genere suo esse peccatum mortale, nec posse ex materiæ paruitate excusari; quia vsurpatio eius cognitionis, & rei quæ soli Deo reseruata est, ex se est admodum grauis, abstrahendo à quacumque materia leui, vel graui, vt docet Valentia 2. 2. *disput. 6.* 10.

Valent.

Delrio. Sanchez. *quæst.* 12. *punct.* 4. Delrio *lib.* 4. *disquisit. magicarum cap.* 2. *quæst.* 4. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 18. Potest tamen quis à mortali excusari ratione ignorantiæ, quando ea non est affectata, nec nimis crassa; quia non ita clara est eius malitia. ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 2. *versiculo*, *Ad euidentiam huius*; Valentia & Delrio modò allegatus, & Sanchez *num.* 19. & Sayro *in claui regia lib.* 4. *cap.* 5. *num. vlt.* & Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 43. *dub.* 10. *num.* 64.

Caiet. Valentia. Sanchez. Sayro. Lessius.

11. Quando verò verò intercedat tacita dæmonum inuocatio teste Caietano ex multis colligi potest. Aliqua referemus, quæ exemplo inseruire poterunt. Primum signum tacitæ inuocationis dæmonum est, si aliqua conditio vana, tanquam necessaria verbis sacris apponatur v. g. si dicatur verba aliqua Euangelij aut psalmi alicuius habere vim, si scripta sint in pelle, non verò in papyro, sine in papyro rubricata, non in alba: vel in panno, non in charta, aut tali die, hora, & tempore, à viro, vel fœmina quæ tali nomine appelletur; non ab alio, neque ab alia, & similia. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi l.* 2. *cap.* 40. *num.* 22. Probatur, quia hæc cum ex se non possint habere vim ad aliquem effectum & ad maiorem Dei honorem pertinere non possint, non appparet vnde ad talem effectum, necessaria esse possint nisi ex pacto dæmonis, qui vanis delectari solet vt dixi. Hinc colliges quid dicendum de iis orationibus, quibus die vel nocte sancti Ioannis faminæ vti solent ad cognoscendum cum quibus inire debeant matrimonium. Certum est enim peccatum superstitionis continere ex genere suo mortale, solúmque excusari posse ex ignorantia, vel inaduertentia. Ita Sanchez *suprà num.* 19.

Sanchez.

Secundum signum est, quando in verbis immiscétur falsa vel incerta. v. g. dicẽdo quòd Christus habuit febrim, vel Sanctissima Virgo in partu dolores; neque enim iure existimari potest falsa & incerta à Deo habuisse virtutem, quam vera & certa non habent, eamque voluisse potius reuelare vetulis vanis, quales sunt quæ huiusmodi preces & orationes circunferunt, quàm prudentibus, & probatæ vitæ viris. Ita Nauarr. *in summa Latina cap.* 11. *num.* 22. *in vltima editione num.* 25. & Sanchez cit. *suprà* cum aliis quos citat *num.* 22.

Nauar.

Tertium signum est, quando adhibentur nomina peregrina, vel characteres ignotæ vel obscuræ significationis, saltem quo ad rem de qua agitur pertinet. Ratio est, quia tunc ad dæmonem censentur referri tanquam ad ea intelligentem, & saltem timeri iustè possumus ne referantur. Ex quibus colligitur superstitiosum esse vsum eius artis quam notoriam dicunt, quæ præmissis quibusdam ieiuniis & orationibus per inspectiones quarundam figurarum, aut vanis aliis circunstantiis tendit ad cognitionem indagandam alicuius rei ignotæ. Cum enim non soleat Deus mediis his vanis infundere suam scientiam, planè sequitur id à solo dæmone præstari. Ita Sanchez *suprà num.* 30. cum Delrio quem citat.

Quartum signum est, quando effectus est vanus, vt est, v. g. motus annuli super filum, aut vanûs cum forcipe, ad recitationem psalmi vel alterius orationis. Neque enim præsumi potest quod virtus diuina inutilia operetur, ac proinde dæmoni id imputandum, qui honorem cæca vanitate aucupetur. Ita Sanchez *num. illo* 22.

Quintum signum est excellentia effectuum, qui promittuntur per media, quæ neque de se habent cum iis connexionem, neque ab Ecclesia ad eos obtinendos applicari solent. v. g. cum promittitur sanitas repentina adhibitis certis verbis sacris & complicationibus panniculorum. Nosse secreta cordium, fœlicitas temporalis, diuturnitas vitæ, recitata aliqua oratione ad id specialiter composita, quæ non est in vsu Ecclesiæ catholicæ: vel ex collectione seminum die sancti Ioannis Baptistæ v. g. Ratio est, quia excellentia talium effectuum satis ostendit non prouenire à talibus causis & ex earum virtute. Deinde non præsumitur prouenire à Deo, quia non solet huiusmodi effectus præstare per personas nisi probatæ vitæ vel sanctitatis: ergo à dæmone qui in omnibus homines decipere, & honorem sibi ab iis præstari exoptat. Ita Sanchez & citati suprà.

Hæc omnia sunt indicia pacti impliciti cum dæmone, & ex genere suo sunt mortalia, vt disimus *num.* 10. ex accidenti tamen excusantur aliquæ personæ ignorantes à mortali; quia nec sciunt, nec animaduertunt interuenire ibi posse dæmonum pactum, & inuocationem, & quia bona fide credunt se dare operam rei licitæ, vt diximus, eodem *num.* 10. ad finem, admonendæ tamen sunt de hoc seriò à confessariis, nec sufficit quòd aliquando ex istis verbis sacris, & benedictionibus fiant effectus admirabiles, id enim sæpe fit ratione fidei ægrotantis, & Deum inuocantis, non ratione pacti incantantis. 12.

Similiter mortale est contra Religionem habere dæmonem familiarem ad sciendum secreta, vel remotissimo loco gesta Ita Nauarrus *cap.* 11. *num.* 24. *in nona edit. num.* 26. Obseruare verò hunc diem potiùs ad nauigandum, quàm alium, communiter non est, nisi veniale, vt docet idem Nauarrus *cap.* 11. *num.* 37. 13. Nauarr.

Si tamen quis non seriò, sed ioci causa adhibeat media illa vana ad se oblectandum, non vt cognitionem occultorum inquirat, per vsum v. g. forcipis in vanu, astrolabij, chartarum, alearum, sortium, & aliarum rerum huiusmodi, sciens ea media vana esse, & inutilia, sed ad videndum quid casu accidat, non erit peccatum superstitionis mortale, sed veniale otiosæ actionis tantùm; quia tunc ea actio non est verè superstitiosa, vt docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap* 38. *n.* 10. *& num.* 20. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superst. cap* 9. *num.* 11. Sayro *in claui regia lib.* 4. *cap.* 5. *num. vltimo.* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 12. *punct.* 4. Delrio *lib.* 4. *disquisit. magicar. cap.* 2. *quæst.* 4. 14. Sanchez. Suarez. Sayro. Valent. Delrio.

Similiter veniale tantùm peccatum est obseruare somnia, auguria, sortes, auium cantus, ac volatus, & reliqua ex quibus diuinatio haberi potest, non habendo illis fidem tamquam certis, neque definitum assensum de futuro euentu ominato præbendo, sed solùm ex nouo quodam timore concepto, vel alia simili leui voluntate cessando ab aliqua actione, vel negotium aliquod inchoando; tunc enim facilè credi potest solùm committi culpam venialem per se loquendo & secluso scandalo, aliisque circunstantiis; at si quis definitè credat futurum tristem euentum, quem præsagit solùm propter vanam obseruationem, nullo modo à peccato graui, & mortali excusabitur, nisi maxima sit ignorantia, & ruditas personæ. Ita Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superst. cap.* 10. *num.* 6. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 21. Caietan. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 3. *& quæst.* 95. *art.* 6. *ad finem* Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 8. *num.* 53. Delrio *lib.* 4. 15. Suarez. Sanche. Caiet. Lessius. Delrio.

disqui

Sayro. *disquisit. magicarum cap. 2. quaest. 7. sect. 4.* Sayro *in claui regia lib. 4. cap. 7. num. 5.* Sed quamuis, hoc ita sit, optimè animaduertit Delrio allegatus, semper esse rem periculosam valde, iuxta has vanas obseruationes, actiones propriat dirigere, sub hoc etiam timore, illisque minimè credendo; quia iustissimè Deus permittere solet harum rerum obseruatores malè perire; dæmon etiam per huiusmodi, sæpe in peiora pertrahit, & in magis seriis decipit. Imò tantum ex huiusmodi vanis obseruationibus pendere, vt ad earum quasi normam actiones suas quisque dirigat, mortale est, vt docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 22. & 31.* Armilla *verbo, Somnium, numero vnico.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superst. cap. 31. num. 25.* Lessius citatus *num. 52.*

Sanchez. Armill. Suar. Lessius.

16. Rogabis tamen, Vtrùm licitum sit vti certis orationibus, quæ vulgo circumferuntur, & in sepulchro Hierosolymitano repertæ finguntur, aut aliis locis sanctis, in quibus promittitur recitanti perpetua felicitas; quòd nunquam in bello vulnerabitur, nunquam percutietur, vel subita morte rapietur, aut quòd neque aqua, neque igne peribit, & quòd erga Principes omnia sint illi prosperè, ac feliciter cessura. Respondeo ex Caietano in casu simili *in summa, verbo, In cantatio §. Quartò ex excellentia,* posse quemquam vti illis dummodo bonæ sint, & nulla verba habeant inania, & de se apta ad dæmonem inuocandum, si prius protestetur se nolle concurrere cum pacto dæmonis, si forte ibi in verbis sanctis latet; sed solùm velle legere, recitare, & vti illis verbis sanctis, quæ inibi scripta sunt, quia sancta sunt, & dummodo non assentiatur firmiter, se comparaturum certò eam felicitatem inibi promissam; sed bonam spem in Deo, tanquam in rerum omnium bonarum auctore affigendo; narrat enim ibi Caietanus se vidisse moueri annulum super filum dictis certis verbis ex Psalmis deductis, & voluisse experiri huiusmodi vanum effectum, & conuincere homines de diabolica fraude ad effectus vanos inuenta, & accepto filo, & annulo protestatum fuisse, se versum illum sacrum Deo vero cui à Psalmista dirigitur, dicere, & non tamquam institutum ad mouendum annulum, & sic dixisse versiculum illum, & annulum non fuisse motum; vt hinc, inquit, cognoscãt omnes, quod tunc diabolus mouet annulum, quãdo versus ille ei dicitur ea intentione, qua ipse instituit; dicit autem (addit Caietanus) illum diabolo ea intentione, qua ipse instituit, quicumque dicit eundem Psalmum etiam iocando, sed tamquam habentem vim illam quia illam non habet, nisi ex pacto olim inito cum dæmone ab aliquo, & idem docet etiam Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 25.* Suarez *tom. 1. de religione lib. 2 de superstitione cap. 15. num. 9. & 10.* asserit portantes, aut orationes hasce recitantes, promittentes recitantibus non decessuros morte subita, & bonam felicitatem, non peccare quando eas portant, & recitant, non expectando hos effectus tamquam certò euenturos; sed confidendo Sanctorum illorum meritis, & precibus fore, vt ab his malis præseruentur: si tamen prædictos euentus tamquam certos expectent, superstitiosum esse, licet aliunde huiusmodi orationes vitio superstitionis carere videantur. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 20.* Syluester *verbo, superstitio. quaest. 10. in fine.* Roiz *tom. 1 summa cap. 7. num. 8* Lessius *tom. 1. de iu-stit. lib. 2. cap. 43. dub. 10. num. 63.* Armilla *verbo, Sortilegium num. 3.* Nauarrus *in summa Lat. cap. 11. num. 34.* Sayro *in claui regia lib. 4. cap. 6. num. 8.* Philiarch. *de offic. sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 10.*

Sanchez. Suarez. Sanch. Syluest. Roiz. Lessius. Armill. Nauarr. Sayro. Philiarch.

17. Ciruelo. Notat etiam Ciruelo *de superstitione 3. part. cap. 11. ad finem,* superstitiosas, & vanas esse illas orationes, in quarum titulis determinatur numerus dierum & vices, in quibus dicendæ sunt ad obtinendas à Deo gratias inibi contentas, v.c. si dicant, *qui has orationes triginta dies continuos recitauerit, in fine illorum tale, vel tale beneficium obtinebit;* & ratio ob quam illas, vt superstitiosas damnat, est, quia in beneficiis à Deo obtinendis, non potest homo terminum Deo præscribere; debet enim id totum relinqui diuinæ voluntati, & misericordiæ, & ex se peccatum est mortale velle homines Deo tempus determinare, in quo ab eo beneficia accipiant. Similiter damnat, & reprobat meritò illas orationes in quibus à Christo, aut Virgine sanctissima, aut Sanctis petimus, vt nobis in mortis articulo appareant. Primò, quia magna præsumptio est velle homines, vt Sancti eorum voluntati obediant; & quia Diabolus transfigurat se in Angelum lucis, & eos sub specie illorum Sanctorum potest deludere, permittente id Deo, in pœnam vanæ illorum fiduciæ, & postulationis.

CAPVT XXXVI.

Agitur de salutatoribus, quæritur an liceat curatio Ensalmorum, & pacisci, vt qui prior obierit, alteri appareat; & an credendum sit dæmoni asserenti se esse animam defuncti; & an anima Samuelis fuerit verè euocata à Pythonissa?

SVMMARIVM.

Ensalmorum curatio an sit licita. num. 1. & 2.
Curatio salutatorum, & salutatricium per remedia naturalia applicata, quatenus licita, vel illicita sit. num. 3. & 4.
Quid si in suis curationibus verbis solis vtantur, vel signis, vel adiurationibus nullam medicinam naturalem, nullam herbam applicando. Quid si curent per halitum, aut saliuam ex ore. num. 5.
Quando, & in quibus personis curationes factæ per halitum, aut saliuam oris admittenda sunt. num. 6 & 7.
Sæpe dæmones apparent fingentes se defunctorum esse animas, vt eos infament. num. 8.
Ex malitia aliquando petunt suffragia sibi fieri, & bona restitui. num. 9.
Dæmon licet possit animam separatam secundùm se mouere, tamen de lege ordinaria Dei hoc non facit, nisi permittente Deo, & sine hac permissione non potest animas ad hanc vitam euocare. num. 10.
Animæ beatæ, & in igne purgatorij, aut in inferno detentæ, cum aliquando apparent, id non fit potestate dæmonis; sed Deo permittente, ob iustas causas, & ob quas. num. 11.
Ex quibus signis colligi possit has apparitiones esse à dæmo

dæmone, vel à Deo, & bonis Angelis. num. 12.
Semper mentitur dæmon, si dicat se esse animam alicuius damnati ad inferos. num. 13.
An sit faciendum, quod præscribit. v. c. an sit restituendum, an Missæ sint dicendæ &c. ibid.
An sint admittenda pacta, vt qui prior obierit, alteri appareat. num. 14.
An anima Samuelis verè ope Pythonissæ apparuerit, & ad hanc vitam fuerit euocata. num. 15.
Refertur prima sententia negans. ibid. n. 16. & 17.
Præfertur secunda opinio affirmans. num. 18.

1. DE Ensalmorum curatione agimus in secundo Ecclesiæ præcepto *lib. 8. cap. 4. num. 16.* vbi diximus curationem per verba Ensalmorum, in foro conscientiæ non esse licitam, sed superstitiosam, & ex se mortalem propter pactum dæmonis ibi implicitum; & id ipsum nunc iterum affirmamus, & ita docet Emanuel à Valle Lusitanus in libro, quem scripsit *de Ensalmorum curatione sect. 11. cap. 10. n. 21.* vbi refert curationem Ensalmorum fuisse suo tempore approbatam ab Ordinario Eborensi; & postea, re bene considerata, & discussa, fuisse publico edicto prohibitam; & iussam denunciari in visitationibus propter fundamenta, quæ statim iaciemus. Docet etiam hanc opinionem Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superstitione cap. 15. num 16. folio mihi 620. col. 2.* Fundamenta huius veritatis hæc sunt. Primò, quia licet negandum non sit dari gratias gratis datas, & donum curationis, quod Deus indulget, quibus vult, quomodo vult, quando vult, iuxta illud D. Pauli 1. Corinth. 7. *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Et 1. Corinth. 12. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas: tertiò Doctores; deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes &c.* tamen hoc donum, & gratia curationis inest personæ, & personis communicatur, non verbis; curatio autem, quæ fit per verba Ensalmorum inest verbis, non personis; quod inde patet, quia à quacunque persona, quæ illa sciat, proferantur, effectum curationis habent admirabilem; signum ergo est, non posse huiusmodi effectum prouenire ex gratia gratis data, & dono curationis; quia similis gratia communicatur personæ, & non verbis, & non est in potestate recipientis illam aliis communicare, in aliosque transfundere; quia aut est supernaturalis, & in alios transfundi non potest ab illo, qui eam recepit; aut naturalis pendens ex halitu, aut saliua, & complexione hominis; & quando talis est, ita est personalis, & indiuidualis ex tali complexione, & temperamento pendens, vt non possit alteri personæ cuicumque communicari, nec verbis inhærere. At virtus curandi per verba Ensalmorum verbis inest non personis, vt diximus; non potest autem nobis certò constare hanc admirabilem virtutem esse infallibiliter assistentem his verbis ad producendum illum admirabilem effectum sanitatis; quia hoc proprium est verborum sacramentalium, & aliquid simile introducere sine Ecclesiæ auctoritate superstitiosum planè est, & in fide periculosum. Secundò, quia hæc verba, vt à viro perillustri accepi, qui illa sciebat, non habent effectum illum mirabilem curationis, nisi proferantur ad certas complicationes panniculorum lineorum, in talem, vel talem modum efformatas, in quibus facile est, se dæmones immiscere ex pacto suo; nam virtus diuina non alligata est complicationibus, nec adstricta pannis lineis, & non aliis, aut huius, & non illius coloris; signum ergo est euidentissimum, hanc mirabilem virtutem non esse infallibiliter assistentem solis illis verbis, sed iisdem verbis cum talibus, vel talibus cæremoniis externis inutilibus ad curationis effectum, & nullam vim ex natura sua ad illum habentibus, ac subinde talem effectum esse ex pacto aliquo dæmonis, ibi implicito, non ex verbis.

Emman. à Val.

Suarez.

2. Oppones cum Caietano 2. 2. *quæstion. 96. artic. 4.* nos posse præsumere contulisse Deum hanc gratiam alicui Sancto sub illis complicationibus, & ab illo in alios emanasse, traditamque fuisse; quare ex hac præsumptione posse à peccato mortali excusari eos, qui talibus Ensalmorum verbis in curationibus vtuntur. Respondeo Deum non consueuisse conferre has gratias, quasi permanentes, & affixas verbis, à quocunque proferantur, neque id fuisse consentaneum prudenti operandi modo diuinæ prouidentiæ, ac sapientiæ; quia per se non confert talis modus ad salutem æternam, & alioqui esset occasio multarum illusionum, & fallaciarum dæmonum; hinc enim quasi quæsito colore possent multæ Magorum fraudes occultari. Deinde, quia quamuis pium sit cogitare à Deo simile beneficium emanasse, quando nullam redolet impietatem, nihilque falsum, aut malum præ se fert, & consequenter non sit tunc illicitum talibus verbis vti, non quia creduntur infallibiliter illum effectum ex diuina promissione habitura, id enim semper ita sperare superstitiosum est, cum per Ecclesiam non constet de tali promissione, sed quia impetratio à Deo per bona verba, & opera pietatis cum timore, & tremore sperari potest, tamen isti curatores, & largitores sanitatum non hoc modo operantur, sed cæremonias externas, & sæpe fraudes ad decipiendum adiungunt. Quare non est aperienda hæc via propter desiderium salutis, & beneficiorum temporalium; & ideo in foro conscientiæ non sunt tolerandi; quemadmodum neque in foro externo, nisi probentur sufficientia indicia ad præsumendum nullum fuisse ibi pactum dæmonis, in eoque maxima cautela vtendum.

Caiet.

Hinc deducitur quid dicendum sit de salutatoribus, seu ensalmatoribus, & salutatricibus. De his enim personis Statuo primò, eas non esse superstitiosas, nec peccare si in suis curationibus vtantur remediis aliquibus naturalibus, aut herbis medicinalibus simul cum orationibus aliquibus, aut adiurationibus licitis, absque vana aliqua circumstantia, per quas, vt per passionem Christi, & benedictiones super læsam partem corporis Deum orent, vt medicinæ naturales applicatæ prosint, quia in hoc nihil mali reperitur, & pium est eum effectum orationibus piis à Deo petere, tunc enim clarum est non interuenire ibi pactum dæmonis, neque illam curationem ad magiam pertinere, sed ad causam naturalem; ita Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superstitione cap. 15. num. 24* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 39* D. Anton. *2. part. tit. 12. cap. 1. §. 11.* Angelus *verbo, superstitio, num. 9* & ibi Syluester *quæst. 10 dict. 4.* Nauarrus *in summa Latina cap. 11. num. 36.* Margarita confessorum *in 1. præcepto, folio 60.* Manuel Roiz *tom. 1. summæ in 2. editione cap. 7. num. 6.* Ludouic Lopez *1. part. instructorij cap. 41. columna penultima, versiculo*

Suarez.
Sanch.
D. Anton.
Syluest.
Nauarr.
Margarit.
Man. Roiz.
Lud. Lopez.

Ciruelo. *ficulo, Mulieres orationibus*. Ciruelo *de superstit. part. 3. cap. 3.*

4. Solent tamen aliquando huiusmodi personæ tam occultè & artificiosè vti his remediis naturalibus, vt sine illis operari videantur, vt hoc modo in maiori æstimatione hominum habeantur, & tunc quidem poterit esse peccatum vanitatis vel auaritiæ, non tamen mortale, nisi vel in iniustitiam, aut in scandalum transeat, inducendo homines, vt sibi persuadeant id ope dæmonum fieri, vel sub illa specie curationis maiores effectus promittendo, quàm quos possunt medicinæ illæ efficere; ostium apenendo ad introducenda opera magiæ; & quia in his semper est morale periculum peccandi mortaliter, ideo non sunt huiusmodi personæ publicè in foro externo tolerandæ, nisi apud magistratus, & artis peritos rationem sui reddant, & ostendant quibus verbis, & medicinis vtantur; poterit enim contingere, vt virtus talis herbæ casu reperta sit, vel traditione accepta à medicis, vel manifestata à dæmone, non quidem illi, qui ea nunc vtitur, sed aliis, qui præcesserunt, & postea experimento compertum sit dæmonem verum dixisse, & tunc nullum erit peccatum tali herba vti; quia ille vsus iam non fundatur in societate dæmonis, sed in virtute naturali herbæ à Deo datæ. Quòd autem illa cognitio originem habeat ex doctrina
Suarez. Victoria. dæmonis, id per accidens est. & ita docet Suarez *allegatus dict. num.* 24. & Victoria *in Relectione de arte Magica, num.* 15.

5. Statuo secundò. Si huiusmodi personæ salutatores, aut salutatrices in suis curationibus, verbis solis vtantur, vel signis, vel adiurationibus, nullam applicando medicinam naturalem; nullam herbam, nullumque remedium efficax ad illius morbi sanitatem, credentes, & sibi persuadentes illis solis verbis cum signo Crucis, vel aliis signis morbos esse sanandos, licet de facto sanentur, superstitiosæ sunt, & minimè tolerandæ sunt propter expressum, vel implicitum pactum
Sanchez. Ciruelo. Suarez. dæmonis. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 39. versu, Secundo dico*. Ciruelo *de superstitione. part. 3. cap. 3.* & Suarez *tom.* 1. *de religione lib. 2. de superstitione cap. 15. num.* 25. Et ratio est, quia constat ea verba, vel signa ad eum effectum vim naturalem non habere, nec virtus supernaturalis præsumitur nisi ostendatur, nec Deus solet conferre eam virtutem his signis, & verbis, neque id consonum est prudenti operandi modo diuinæ prouidentiæ, vt dixi *num.* 2. quia per se non conferent talis modus ad salutem æternam & alioquin occasio esse potest, & ostium ad dæmonum fraudes, & fallacias. Et quamuis
Victoria. Victoria *in Relectione de arte magica à num. 16. vsque ad* 17. dubitet, an huiusmodi personæ sint superstitiosæ; quamuis sint homines vitiosi, & quæstuosi, & non audeat illos condemnare, præsertim quia gratiæ gratis datæ interdum communicantur peccatoribus, & quia in his hominibus aut fœminis potest in halitu, aut saliua esse aliqua virtus naturalis contra certos morbos. v. c. contra morsum canis, aut rabiem serpentis &c. nihilominus tamen *num.* 28. huiusmodi personas superstitionis damnat, ibi: *sæpe fœmina stultæ vtuntur bona fide rebus aliquibus, & verbis ad remedia infirmitatum, & sine dubio dæmones assistunt illis operationibus*; & bene damnat, quia gratia gratis data non inest verbis etiam sanctis, nec signis, aut figuris, sed personis; etitque id euidentius, si huiusmodi personæ alias doceant illas easdem orationes, quibus ipsæ vtuntur, & personæ sic edoctæ cum iisdem orationibus sanitatem etiam conferant. quia tunc apertè patet non esse virtutem curationis, quia non est in potestate recipientis, virtutem curationis illam aliis communicare; neque dici potest esse eam virtutem inhalitu, aut saliua, quia huiusmodi personæ non halitu, aut saliua in curationibus vtuntur, sed verbis tantùm, & figuris cum signo Crucis: non enim negamus dari posse illam virtutem naturalem in halitu aut saliua hominis ad sanandos homines sicut datur in oculis, & halitu ad fascinandos; sed tunc tam indiuidualis est hæc virtus, & à temperamento habentis pendens, vt alteri communicari non possit. At ea signa, & verba si à quacunque persona addiscantur, & applicentur, suum habent effectum non à Deo, ergo à dæmone, & ex pacto illius, ergo non sunt tolerandæ huiusmodi personæ, sed tamquam superstitiosæ damnandæ, & in foro conscientiæ non sunt absoluendæ, nisi resipiscant.

Statuo tertiò. Nec etiam huiusmodi virtutes 6.
naturales pendentes ex complexione, & temperamento hominum, halitus, aspectus, aut saliuæ admittendæ sunt, vt licitæ, nisi personæ sint bene moratæ, honestæ, & prudentes, & de quarum vita habeatur in oppido bona existimatio, nec tunc etiam illarum vsus permittendus est, si periculum sit, quòd earum exemplo aliæ personæ non ita probatæ vitæ similibus vtantur. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 39.* Sanchez.
fine, & Suarez *tom. 1. de religione lib. 2. de superstitione cap. 15. num.* 25. Ratio est, quia licet Deus Suarez.
interdum conferat donum curationis, & aliquam gratiam naturalem hominibus, ac personis, tamen non confert illam permanenter, & habitualiter, & quasi ad arbitrium illarum, sed solùm ad aliquem actum propter aliquam occasionem, & propter aliquam fidei vtilitatem, vt notauit Victoria vbi suprà *num.* 16. At isti profitentur Victoria.
se habere eandem priori modo, & ideo sunt suspecti: quando tamen huiusmodi virtus personalis non habuit malum initium, sed persona illam habens, vel casu, vel ex fide bona simpliciter cæpit operari, & postea experta est effectum sanitatis, & à Deo illum sperat cum timore, & reuerentia, non videtur damnanda, modò piè viuat, & illa gratia honestè vtatur, alioquin suspecta esse debet, vt optimè animaduertit Sanchez & Suarez, & ita docent etiam D. Anton. 2. D. Anton.
p. titulo 12. *cap.* 1. §. 11. Angelus *verbo superstitio*, Angelus.
num. 9. Ludouic. Lopez 1. *part. Instructiorij cap.* 4. Lud. Lop.
columna penultima.

Ex quibus omnibus colligo cum Sanchez, & 7.
Suarez rarò hoc permittendum esse; quia his modis curationis cum halitu, & saliua, aut cum solis verbis rarissimè vtuntur, nisi personæ viles, aut malæ, aut ignotæ vitæ, & quando sint vitæ probatissimæ, malo exemplo esse possunt aliis, quæ non ea sanctitate, ac prudentia sunt prædita, vt de se patet.

Sed dubium est, an credendum sit apparitionibus dicentium se esse animas defunctorum, & 8.
ex quibus indiciis cognoscantur, boni, an mali Angeli sint. Et antequam dubium decidam, præmitto primò, sæpe dæmones, permittente Deo, hominibus apparere, fingentes se esse animas defunctorum, vt se aspicientes errore aliquo decipiant, & mortuos infament; & ita docet D. Augustinus *lib. 2. de Ciuitate Dei cap.* 11. D. August.
à medio. Chrysostom. *homil. 29. in Matthæum*; D. Chrysost.

D.Thom. Sanchez. Sotus. Delrio. D. Thom. 1. *part. quæst.* 117. *art.* 4. *ad* 2. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 23. Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 3. *art.* 2. *columna* 4. *versiculo*, *Sed rogas*, Delrio *lib.* 2. *disquisit. magic. quæstion.* 26. *sectio*n.7.

9. Et quamuis bona consulant, petantque suffragia sibi fieri, aut aliquid restitui, id ex malitia efficiunt, gratia postea facilius decipiendi, vt bene docet Pedraza *in summa in* 1. *precepto* §. 10. Victoria *de magia quæst.* 4. *versiculo*, *Sed rogas*, Thyræus *de spirituum apparitionibus c.* 16. *num.* 9. & Sanchez allegatus *dict. suo num.* 23. (Pedraza. Victor. Thyræus. Sanchez.)

10. Præmitto secundò; licet possit dæmon secundùm se naturali virtute animam separatam loco mouere etiam coactam, tamen secundùm legem à Deo statutam sine permissione diuina hoc ei nullo modo conceditur, & ideo sine hac permissione, non potest animas ad hanc vitam euocare; nec magi consequenter possunt opera dæmoniorum veras defunctorum animas nobis ostendere. Quod de his, quæ in cœlo Dei visione fruuntur, clarum est; sanctorum enim animæ in manu Dei sunt, & soli Deo obediunt; animas verò damnatorum nequit diabolus sinere egredi è carcere sine nutu Dei; nam ita sunt ex lege diuina loco alligatæ, vt nec sua, nec omnium dæmoniorum voluntate inde egredi valeant. Vnde diues ille in inferno existens Lucæ 16. non potuit inde exire, licet id maximè cuperet; neque dæmoni hæc licentia datur: cum enim illæ damnatæ sint ad perpetuum carcerem, nec per momentum inde possunt à dæmonibus extrahi, siquidem ipsi non possunt legem Dei violare, neque ratio apparet cur eis talis licentia detur. Idem certum est de animabus purgatorij propter eandem rationem; quia lex æterna, & diuina est, vt inde non exeant, donec integrè debitas pœnas soluant, quam dæmones violare non possunt, præcipuè cum in eas animas nullam habeant potestatem, ibique à sanctis Angelis inuisantur, iuuentur, & animentur. Et ita docet Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de superstitione cap.* 16. *num.* 14. Delrio *lib.* 2. *disquisit. magicarum quæst.* 26. *sect.* 7. D.Thom. 1. *part. quæst.* 117. *art.* 4. *ad* 2. Victoria *de magia num.* 17. Mendoça *quodlibetico scholast. quæst* 5. Tertullian. *lib. de anima. cap. penultimo.* D. Isidor. *lib* 8. *Etymolog.* Chrysostomus, & D. August. quos citat, & sequitur D. Thomas loco allegato. (Suarez. Delrio. D.Thom. Victor. Mendoça. Tertul. D.Isidor. Chrysost. D.August. D Thom.)

11. Ex his sequitur primò, quamuis negandum non sit, sed libenter dandum animas beatas, aut in igne purgatorio, infernoue detentas, apparere aliquando viuentibus, id non fieri potestate dæmonis, sed permittente Deo ob aliquas iustissimas causas, vt latè probant Delrio *lib.* 2. *disquisit. magicarum quæst.* 26. *sect.* 1. Thyræus *lib. de spirituum apparitionibus à cap.* 1. Decet enim, & vtile est hoc fieri aliquando, Deo Optimo, Maximo permittente, & ad multorum hominum vtilitatem, & ad Dei honorem, & iustum illius iudicium; nam hæ apparitiones multum nobis afferunt vtilitatis; docent enim imprimis nos, animas nostras corpori manere superstites, ostendunt non esse impossibilem corporum resurrectionem, clamant Deum non viuos modò, sed etiam mortuos iudicare, nobis manifestant certa esse loca in quibus nocentes indesinenter discrucientur, innocentes immortali æuo fruantur: possunt verò huiusmodi animæ siue in proprio corpore apparere, siue in alieno; est enim illis vis innata ad corpora ingredienda, vt bene docet Delrio *lib.* 2. *disquisit. mag. quæst.* 26. *sect.* 2. *versu*, *Elementaria hæc*, licet elementaria corpora, in quibus apparent, non possint sibi componere, siquidem anima separata non potest vi propria iuxta veriorem sententiam res alias à se mouere, vt docet Suarez *in* 3. *part. quæst.* 45. *disput.* 32. *sect.* 2. Pelran. *de purgatorio cap.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 2. *art.* 1. eo quòd careant organis corporeis, quæ illis ad mouenda corpora sunt necessaria. Quapropter prædicta corpora in quibus apparent, ab Angelis vel dæmonibus Dei iussu siue permissu fieri debent, nisi Deus media aliqua qualitate vel suo concursu eleuet ad ea fabricanda, vt de facto videtur eleuare ad mouenda corpora, in quibus semel ingressa sunt, vt optimè docet Delrius *suprà*, *versu*, *Elementaria hæc corpora*. (Delrio. Thyræus. Delrio. Suarez. Pelran. Sotus. Delrius.)

12. Quia verò dæmones se in Angelos lucis transfigurant, ad iudicandum, an huiusmodi apparitiones sint bonorum Angelorum, vel malorum; & an nobis permittente Deo veræ animæ appareant, an sit illusio dæmonis, hæc signa tradunt Petrus Thyræus *lib. de spirituum apparitionibus cap.* 16. & idem Delrio *lib.* 2. *disquisit. magicar. quæst.* 26. *sect.* 3. *versu*, *Metum nobis hic obtrudunt*; & Pelran. *de purg. cap.* 5. Primò, si ad signum nomenque sanctissimum IESV, vel MARIÆ, vel aliorum Sanctorum dispareant; si ad reliquias Sanctorum, ceream sacri agni imaginem, lustralem aquam, panem, salem, cereúmve benedictum, & alia huiusmodi sacramentalia, & nostræ religionis symbola effugiant; fictæ visiones e unt, & malorum angelorum spectra: itemque si postquam semel exegerunt id quod volebant, adhuc frustra iterum appareant, & sint importunæ, nam veræ animæ cum illis satisfeceris, vel amplius non apparent, vel semel tantùm, vt gratias agant: contra verò dæmones causas ex causis, vt funiculum nectunt, vt grauiter decipiant. (Thyræus. Delrio. Pelran.)

13. Secundò sequitur ex dictis semper mentiri dæmonem, quando in dæmoniaco loquitur, & ait se talis, vel talis defuncti damnati vel non damnati animam esse, quia anima defuncti nunquam alterius hominis corpus ingreditur. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 24. Abulensis *cap.* 8. *in Matth. quæst.* 124. *ad* 1. Delrio *post librum* 6. *disquisit. magicar. in anacephaleosi, monitione* 10. & *lib.* 2. *quæst.* 26. Et ideo bene aduertunt Sanchez, & Delrio in primo loco allegatus, non esse faciendum, quod fieri præscribit, etiamsi sit opus ex consilio, tutius enim est etiam tunc tale opus omittere, aut in aliud commutare, ne quid fraudis io eo dæmon emoliatur, quia vt bene ait noster Thyræus *lib. de appar. spirituum cap.* 15. *num.* 20. dæmonibus nec bona consulentibus auscultandum est, eo quòd omnia bona, quæ nobis consulunt, tendant ad malum, & ad nostram perniciem; saltem si opus bonum à dæmoniaco præscriptum fiat, id obseruari ad minimum debet, vt fiat, quia de se bonum opus est, non quia à dæmoniaco præscriptum. Et idem dicendum, quando opus præscriptum, fuerit ex præcepto v. g. charitatis vel iustitiæ faciendum: quanquam enim opus tunc nec faciendum sit, non quia à dæmoniaco præscriptum, sed quia ad id faciendum tenemur, faciendum erit. (Sanchez. Abul. Delrio. Thyræus.)

14. Sequitur vltimò non esse facilè admittenda pacta, quæ olim à nonnullis facta legimus, vt qui prior obierit, alteri appareat, vt eum certiorem de suo statu faciat; quamuis enim id secundùm

eundùm ſe conſideratum culpa careat, vt docet
Sanch. Triburg. Del Rio. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 25. & Triburgo *in ſumma confeſſor. lib.* 1. *titulo* 11. *quæſt.*23. & Delrio *diſquiſit.mag. lib.*2. *quæſt.*26. *ſect.*7. *in medio, verſu*, *Secundò ſequitur*; tamen res eſt periculoſa, & valde obnoxia dæmonum illuſionibus, & qui amat periculum, peribit in illo, & ideo id reprehendunt Ciruelo *de ſuperſtition. part.*3. *cap.* 11. & Delrio allegatus, qui addit vix fieri poſſe, vt pactum hoc curioſitatis culpa vacet; quamobrem præſtat, vt ſalutem ſuam quiſque cum timore operetur; ſcio tamen id accidiſſe aliquando, vt ſcribitur accidiſſe olim apud Dominicanos Camoratenſes Monacho cuidam; is enim cum quodam Minorita, familiari ſuo, ſimile pactum iniuit, & cum Minorita prior moreretur poſt dies aliquot apparuit Dominicano, menſas in triclinio ſternenti, expiatorium ignem circumgeſtans, & ad cruciatus ſui indicium menſam ligneam manu tetigit, eamque altè admodum combuſſit, & vt narrat Delrio *ſuprà* ex Fr. Antonio Senenſi qui id ſcribit in Chronico Dominicanorum, manet hodie locus, hic cratulo ferreo circumtectus ad perpetuam rei memoriam. Idem legitur accidiſſe Sanctæ Lutgardi, vt tradit Surius *tom.* 3. *in eius vita, menſe Iunio*, ſed tamen beata Lutgardis cum iuſſiſſet cuidam moniali vt ſibi ſi prior moreretur appareret, ſéque de ſtatu illius certiorem redderet, præcepit tamen ei vt dicto priùs, *Benedicite: orationem Dominicam, & ſalutationem Euangelicam, recitaret, ne*, inquit, *diabolus ſuo more aliquod figmentum adducat*; quod ſi hoc ipſum, huiuſmodi ſancta tam illuminata vt periculoſum metuebat; quanto magis nos debemus metuere, cum ſciamus has apparitiones non eſſe neceſſarias, vt conſtat ex Euangelio Lucæ 16. vbi cupienti diuiti auaro, vt ſanctus Lazarus poſt mortem ſuis fratribus appareret, reſponſum ab Abrahamo fuit: *Moyſem habent & Prophetas, illos audiant*. Quod perinde fuit ac ſi apertius diceret, ſufficit illis doctrina ſacræ Scripturæ, & ſanctæ Matris Eccleſiæ, ea contenti ſint, ne petant apparitiones, in quibus plus periculi quàm commodi eſſe poteſt.

Ciruelo. Delrio.

15. Sed cum dixerimus fieri non poſſe, vt ope dæmonis animæ ſiue in cælo æterna beatitudine fruentes; ſiue purgatorio, ſiue inferno igne detentæ ad vitam redeant, nobiſque appareant, ſtatim ſe offert inquirendum; quomodo anima Samuelis ope dæmonis, & pacto Pythoniſſæ ad vitam redierit, & quomodo locutus fuerit, vt narrat ſacra pagina 1. *Reg.*28. Hæc quæſtio vulgaris eſt, an verè anima Samuelis apparuerit, cum à Pythoniſſa fuit ope dæmonum euocata, qua de re partitur ſententia. Prima docet non fuiſſe veram animam Samuelis; & hanc partem
D. Auguſt. tenet D. Auguſtinus *lib.*2. *ad Simplicianum q.* 3. poſtquam enim quæſtionem pro vtraque parte diſcuſſit, tandem hanc tenet, & ait faciliùs intelligi ſcripturam, ſi dicamus eum qui tunc apparuit, non fuiſſe Samuelem, nec quoad animam, nec quoad corpus, ſed ſpectrum, & imaginem eius; ſolent enim imagines rerum in ſcriptura res ipſæ appellari, & idem docet ad Dulcidium *lib.* 8. *quæſtion. ad illam q* 9. *& in lib.* 2. *de mira ſpec.* qui Auguſtino tribuitur *cap.* 11. Hæc ſententia conſtantiùs affirmatur *in lib. quæſtionum veteris teſtamenti*, qui ſimiliter illi adſcribitur *quæſt.* 27. vbi ita habetur: *Indignum facinus æſtimo ſi ſecundùm verba hiſtoria commendatur aſſenſus, id eſt, quòd verus Samuel apparuerit*; & Tertullianus *in* Tertull.
lib. de anima cap. 57. vbi cum exaggeratione ait. *Abſit vt animam cuiuſlibet Sancti nedum Prophetæ à dæmone credamus extractam, edocti, quòd ipſe Sathan transfiguretur in Angelum lucis.* Eandem tenet D. Iuſtinus ſi ipſe eſt auctor *qq. ad Gentiles quæſt.* 52. Cyrillus *lib. de adorat. in ſpir.* Guilliel. Pariſ. *lib. de vniuerſitat.* 1. *part.* 2. *principio circa finem* & Turrecr. *in capite, Nec mirum* 26. *quæſt.*5. Probant ſuam ſententiam primò, quia ſacra Scriptura 1. *Reg. cap* 28. vbi hiſtoria narratur, optimè explicari poteſt, quin teneamur concedere apparuiſſe ei verum Samuelem: nam cum de Pythoniſſa dicitur, *cum vidiſſet Samuelem*, intelligi debet iuxta mentem eius; quia putabat ſe videre Sumuelem. Similiter cum dicitur, *Intellexitque Saul, quod Samuel eſſet*: dicendum quod licet ille ita intellexerit, inde tamen non ſequi reuera eum vidiſſe, neque id ibi affirmatur. Rurſum cum ſubditur, *dixit autem Samuel ad Saulem, quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer?* dicendum propterea ibi dici loqui Samuelem, quia talis putabatur à Saule, & Pythoniſſa. Neque id videbitur mirum, ſi aduertatur in ſacra Scriptura ſæpe imagines appellari nominibus rerum, quas repræſentant, & qui perſonam agit alterius, nomine illius inſigniri, qua ratione Angelus loquens nomine Dei in ſacra Scriptura, appellatur Deus. Quod autem Samuel dicit. *Quare inquietaſti me?* vel fuit dictum iuxta mentem Saulis, vel fuit mendacium à dæmone prolatum; dæmon enim erat iuxta hanc ſententiam qui ibi loquebatur, & mentitus eſt, aſſerens ſe eſſe Samuelem, vt Saulem & Pythoniſſam magis deciperet, ac ludificaret. Nec obſtat item, quod dæmon loquens ad Saulem nomine Saulis futura omnia verè prophetauerit, id enim Dei permiſſio, & ordinatio fuit in pœnam, & afflictionem Saulis. Tandem illud quod dæmon inter alia dixit ad Saulem, *Tu, & filij tui cras mecum eritis*, non à Samuele vero dici potuit, ſed à dæmone, qui Samuel putabatur, quia Saul non cum Samuele in loco piorum: ſed cum dæmone in inferno futurus erat.

D. Iuſtin. D. Cyrill. Guil. Pariſ. Turrecrem.

Nec obſtat, inquiunt auctores huius primæ ſẽtentiæ, locus Eccleſiaſtici 46. in quo de vero Samuele videtur hæc apparitio exponi; ſic enim de Samuele dicitur. *Poſt hæc dormiuit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Quæ verba clara videntur; nam doctiſſimus Ianſenius ibi hunc locum explicat in priori ſenſu, aſſerens ſpiritum Sanctum in vtroque loco tenuiſſe eundem modum loquendi circa phantaſticum Samuelem, vocando illum ſimpliciter Samuelem, qualem, Saul, & Pythoniſſa decepti, eſſe putarunt. 16.

Nec etiam obſtat id quod addidit Eccleſiaſticus citato loco in laudem Samuelis, *quod*, ſcilicet, *poſt mortem prophetauerit, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis*; Nam tanta fuit apud Deum Samuelis auctoritas, vt non permiſerit, mentiri dæmonem, quia nomine eius loquebatur, & ideo prophetia illa etiamſi à dæmone proximè dicta fuerit, Samueli tamen attribuitur, quia propter illum, & propter bonum nomen illius conceſſa fuit; neque enim dæmon potuit certò ſcire, quod dixit, niſi à Deo per aliquem miniſtrum ſuum edoceretur; & fieri potuit, vt Deus ordinauerit, quod dæmon in- 17.

ſtitueretur à Samuele de his, quæ dicturus erat, & ita non fuerit locutus niſi ex reuelatione & permiſſione ſibi facta per Samuelem, ideóque tam prophetam, quàm laudem eius Samueli attribui.

18. Secunda ſententia docet, reuerà animam Samuelis fuiſſe quæ Sauli locuta fuit. Ita tenet Iuſtinus *in dialogo cum Tryphone verſus finem*, vbi probat animam eſſe immortalem ex eo quod Samuelis anima à Pythoniſſa Saulis rogatu à mortuis euocata ſit; ibique addit dæmonem quaſi generali lege illius temporis poteſtatem habuiſſe in animam Samuelis. Sed durum hoc creditu eſt, cùm animæ Sanctorum in manu Dei ſint, non dæmonis. Tenet etiam hanc ſententiam Lyra, & Caietan. *in* 1. *regum cap.*28. & Abulenſis *ibi quæſt.*28 & D. Thom. 2. 2. *quæſt.*174. *art.*5. *ad*4. *&* 1. *part. quæſt.* 89. *art.* 8. *ad* 2. vtramque ſententiam affert Pamelius *in ſcholijs ad Tertullianum lib. de anima cap.*57. Idem ferè habet Sotus *lib.*8. *de iuſt. quæſt.* 3. *art.* 2. Caſtro *lib.* 1. *de iuſta hæret. puniti. cap.*14. è noſtris hanc ſecundam ſententiam præfert primæ Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.*2. *de ſuperſt. cap.*16. *num.* 18. Benedictus Pereira *in cap.*7. *Exod.*18. Menochius, Gaſpar Sanctius, Iacobus Turinus, omnes *ad lib.* 1 *regum c.*28. *num.*23. & Cornelius à Lapide *in Eccleſiaſt. part.* 3. *cap.*46. *verſ.*23. & plures quos ipſi citant. Probatur, quia in ea propriè & verè ſine vllo incommodo explicantur verba ſcripturæ, quæ in alia ſententia non niſi impropriè & per tropum vix explicari poſſunt. Neque ex hac ſententia ſequitur, quòd animæ Sanctorum ſubſint fraudibus diaboli & magicæ arti, quia anima Samuelis non ex vi artis magicæ, petente id Pythonyſſa, per diabolum euocata fuit à Lymbo, vt cenſuit D. Iuſtinus; incredibile enim eſt diabolum talem habuiſſe poteſtatem ſuper animas Sanctorum eius temporis, quamuis Suarez citatus dicat non eſſe abſurdum id concedere pro illo tempore, & ad id citet D. Auguſt. ad Simplicianum. Sed fuit euocata iuſſu & voluntate Dei: & inde eſt, quod præuenit incantationes Pythoniſſæ, & apparuit priùs quàm magicæ illæ preces, quæ longiſſimæ eſſe ſolent, finirentur, vt colligitur ex admiratione, & metu quem Phythoniſſa concepit aduentu Samuelis. Non enim timuit mulier aſſueta ſpectris, quia vnum videbat, ſed quia præter morem ante finitas & vix inceptas incantationes, ac proinde non ex vi illarum Samuel appareret. Neque obſtant verba illa Samuelis *Tu & filij tui cras mecum eritis*, quia iis ſolùm ſignificatur Saulem & filios eius futuros apud inferos, licet in diuerſa eorum parte, & cum longè diuerſa fortuna. Præterea quamuis anima Samuelis venerit, non erat neceſſarium in proprio, & vero corpore illius venire; quia potuit faciliùs apparere in corpore aſſumpto, & formato ad ſimilitudinem ſui corporis, ſicut Angeli facere ſolent; quamuis enim anima ſeparata non poſſit virtute propria corpus aſſumere, tamen poteſt Deus virtutem illi conferre, vt illud aſſumat; & deinde licet verum corpus Samuelis ibi apparuiſſet, non eſt veriſimile eam fuiſſe propriam, & veram reſurrectionem, quia non fuit neceſſarium tantum miraculum ad effectum ibi intentum, & narratum: ſatis enim erat vt anima Samuelis in illo foret tanquam motor in mobili, vt per illud loqueretur, vt notauit Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæret. punitione cap.* 14. & Suarez *dicto tom.* 1. *de Relig. lib.*2. *de ſuperſtitione cap.*16. *n.* 18. *ad finem.* vt accidit cum Angeli aſſumunt aëria corpora, & per illa loquuntur: neque enim maior eſt repugnantia reſpectu huius quàm illius corporis.

Lyra. Caiet. Abul. D. Thom. Pamel. Sotus. Caſtro. Suarez. Bened. Per. Menoch. Gaſp. Sanct. Iacob. Tur. Corn. à Lap. Caſtro. Suarez.

Capvt XXXVII.

De Miſſis ſancti Amatoris, & de illis, quæ appellantur Miſſæ Comitis, de nominarum, & reliquiarum geſtatione, de orationibus in herbis colligendis, & animalibus cuſtodiendis; de nouenarijs, & oblationibus cerei eiuſdem magnitudinis cum offerente, & circulorum virgineorum pro parturientibus; de deuotionibus, quibus imagines Sanctorum vinculantur, aut immerguntur, an hæc ſuperſtitioſa ſint.

SVMMARIVM.

Superſtitio eſt, vti certo Miſſarum numero, certis horis, tot candelis talis coloris, itavt in illis ſolùm circumſtantijs innitatur effectus illarum. num. 1.

Miſſa ſancti Amatoris cum certis cæremonijs, vt incipiant in tali die, & tali terminentur, cum tot candelis &c. ſunt ſuperſtitioſa. num. 2.

An liceat venam animalium ſcindere ex conſuetudine a maioribus accepta, in die alicuius Sancti ad eorum incolumitatem, & iumenta noctes circumducere iuxta templum D. Antonij. num. 3.

An Itali peccent ex affectu deuotionis conficientes annulos ex prima pecunia Crucifixo oblata in die Paraſceues ad ſanandos morbos. num. 4.

Colligentes herbas in die Sancti Ioannis Baptiſtæ, & minuentes ſanguinem ſuorum animalium, an excuſandi ſint à ſuperſtitione. num. 5. & 6.

An liceat certis verbis pecus incantare, ne à lupis lædatur, vt fit plerumque apud ruſticos. num. 7.

An liceant publicæ ſupplicationes, & peculiares deuotiones, in quibus imagines Sanctorum aquis immerguntur, aut vinculis ligantur, quoad vſque aliquid à Deo nobis impetrent. num. 8.

An ſint ſuperſtitioſæ orationes, quibus ſagæ circulis virgineis vtuntur pro parturitionibus. num. 9.

An trina repetitio illorum verborum. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis *vim habeat ad pellendos morbos.* num. 10.

Nouenaria deuotiones quatenus licita, vel illicita ſint. num. 11.

Geſtatio nominarum, quatenus licita, vel illicita. num. 12.

Quid de geſtatione reliquiarum. num. 13.

An committentes peccatum veneris cum geſtatione reliquiarum teneantur eam circumſtantiam confiteri. num. 14.

An phylacteria geſtare ſit licitum. num. 15.

1. IN primis præmittendum eſt, vt iam diximus, vanum, & ſuperſtitioſum eſſe, vti in cultu diuino vanis, & inutilibus cæremoniis, v. c. certo Miſſarum numero diebus continuis dicendarum, talibus horis, tot, & talis coloris candelis, itavt iis circumſtantiis ita innita

innitatur ille qui illis vtitur; quasi existimet Missarum efficaciam cessaturam, iisdem circunstantiis deficientibus; & ideo Concilium Trident. *sessione* 22. in decreto de obseruandis & vitandis in celebratione Missarum iubet, vt hæ superstitiones in faciendis sacris tollantur omnino, ibi: *Quarumdam Missarum, & candelarum certum numerum; qui magis à superstitioso cultu, quàm à vero, & religioso inuentus est, omnino ab Ecclesia Episcopi remoueant.* & ita docet Alcocer. *in summa cap.* 14. *folio* 45. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40 *num.* 40. Ciruelo *de superst.* 3. *part. cap.* 11. & alij passim. Non tamen, vt optimè ibi animaduertit Sanchez, reprehenditur certus Missarum aut candelarum numerus in memoriam alicuius mysterij, vt duodecim in memoriam 12. Apostolorum; vndecim in memoriam vndecim millium Virginum, dummodo non illi numero ita certò fidatur, vt illum augere aut minuere statim inutile sacrificium putetur.

Alcocer. Sanchez. Ciruelo.

2. Quamobrem Missæ, quas vocant sancti Amatoris cum certis cæremoniis, vt incipiantur, ac terminentur certis diebus absque interruptione, & certo candelarum numero, superstitione laborant. Ita Ciruelo *de superstitione.* 3. *part. cap.* 11. Sanchez allegatus *num.* 41. Christophorus de Rojas Præsul Ouetensis *in sua synodo anni* 1553. *lib.* 3. *titulo de celebrat. Missar. const.* 9. Didacus Ramyrez Episcopus Conquensis *in synodo anni* 1531. *titulo de officio diuino*, vbi de abusibus in missis. Damnant etiam Ciruelo, & Sanchez allegati superstitionis Missas, quas Comitis appellant; & Trigintanarij reuelati, vt soli duo Clerici, & quidem inclusi illis intersint, nec possint pedem extra Ecclesiam ponere, per totos eos dies in quibus ex 30. Missæ celebrantur; parum enim refert quod triginta sint, 20. aut. 25. aut. 40. plus, minúsve; neque enim illarum fructus amittitur, quamuis interrumpantur. Et mera sanè vanitas, & superstitio est, prohibere sacerdoti illas dicenti, vt non exeat extra Ecclesiam, dum continuus durat numerus dierum, quo illæ dicuntur. Vanitas similiter est, & mera superstitio, ita determinare numerum, & colorem candelarum, vt existimetur eas non profuturas, nisi iis cæremoniis dicantur; & huius opinionis est etiam Caietanus 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. At verò si 30. Missæ dicantur in memoriam trigintanarij S. Gregorij, & quindecim in memoriam quindecennarij S. Catharinæ, imò & ipsæ etiam Missæ S. Amatoris si omni vana superstitione & circunstantia nudentur, nec certo illo numero ita fideles innitantur, vt eo aucto, vel diminuto, putetur fructus amittendus, licitæ erunt, & alicubi sunt hodie in vsu nudatæ iis circunstantiis; vt docet idem Sanchez allegatus *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num* 41. Et forte in hoc sensu locutus est Ildefonsus de Saux Episcopus Iecensis *in sua synodo anni* 1511. *titulo* 2. *de vita & honest. cleric. cap.* 14. dum approbat Missas, quas appellant trigintanarij reuelati; debet enim intelligi dummodo fiant absque cæremoniis, & superstitionibus, ita vt etiamsi interruptis diebus dicantur, non existimentur carere virtute & efficacia sua, alioqui non erit audiendus.

Ciruelo. Sanchez. Christoph. de Rojas. Ramyrez.

Caiet.

Sanchez.

De Sauz.

3. Ex dictis deducitur damnandum esse vsum in quibusdam locis à maioribus acceptum miscendi in quibusdam precationibus nonnulla quæ à superstitione vix liberari possunt, vt est v. g. in nonnullis in die certi alicuius Sancti, iumentis venam aperire, & circa templum D. Antonij nouies iumenta circunducere, & ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 31. ignorantia tamen, & bona fides, & intentio vtentium hoc factum à mortali excusabit. Nam si animus illorum esset adhibere eas circunstantias tanquam infallibiliter efficaces ad finem quem intendunt obtinendum, nisi nimia ignorantia interueniret, non essent à mortali excusandi.

Sanchez.

Similiter solent Itali, vt refert Caietan. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. ex prima pecunia oblata Crucifixo in die parasceues annulum efficere ad sanandos morbos contractionis membrorum. Eum vsum excusat Caiet. 2. 2. *q.* 96. *art.* 4 propter affectum deuotionis, & simplicitatem. Et *in summa verbo, Superstitio obseruationum in fine*, asserit se id non audere damnare, quando efficeretur ex mera deuotione, & non nisi eum effectum à Deo expectando, putando Deum eam deuotionem alicui Sancto inspirasse: Delrio tamen *lib.* 3. *disquisit. magicar. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 2. *paulo post principium*, & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 31. meliùs asserunt doctrinam Caietani solùm inseruire posse ad excusandos eos, qui huiusmodi bona fide vtuntur, non tamen ad dandum petentibus consilium; iis enim respondendum est, id non licere; quia cum lege ordinaria non soleat Deus ea remedia in quibus aliquid apparet vanitatis, inspirare; temerarium est, id sibi facilè persuadere; & saltem res est suspecta. Vnde in his, & similibus circunstantiis attendendus est animus; & intentio illis vtentium; si enim animus sit adhibendi eas circunstantias tamquam per se, & ex se efficaces ad sanitatem, & rerum suarum incolumitatem à Deo obtinendam, est superstitio mortalis, nisi ignorantia, & simplicitas excuset; si verò eas non tamquam per se efficaces ad sanitatem adhibeant, sed tamquam res, quæ inseruiant ad excitandam in se Christi aut Sanctorum recordationem & maiorem animi deuotionem ad intentiùs Deum orandum, & ita à Deo obtinendum quod exoptant, non erit superstitio; & cessante aliorum scandalo, & eius periculo quod timeri non debet, vbi omnes simplici animo iis circunstantiis vtuntur, sustineri posset talis vsus, vt docet Sanchez allegatus *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 31. *ad finem.* Valentia 2. 2. *disput.* 6 *quæst.* 13. *punct.* 2. *columna* 2. Sayro *in claui regia lib.* 4. *cap.* 6. *num* 7. & Delrio *lib.* 3. *disquisit. magic. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 6. *paulo post principium.* 4.

Caiet.

Delrio.

Sanchez.

Sanchez. Valentia. Sayr. Delrio.

Quid dicendum de colligentibus herbas in die S. Ioannis Baptistæ, vel minuentibus bestiarum sanguinem, illisque venam aperientibus certo die festo causa sanitatis; Delrio citatus ait prædictos si causam solam naturalem attendant, vanam committere superstitionem, si verò directè hæc Sanctorum meritis adscribant, & causa honorandi Sanctos, illum eis tribuant effectum, non audere se illos condemnare. Verùm non est conueniens actio illa ad sacrum Sanctorum cultum, & est præter morem, modúmque in Ecclesia vsitatum; quare satius erit si commodè fieri posset, hæc extirpare tamquam vana, & superstitionem redolentia, & ex natura sua scandalum afferentia; si verò commodè extirpari nequeant, non sunt condemnanda; sed docendi sunt simplices ac rudes homines de recta intentione, vt à superstitione, ac vana obseruantia liberentur. Ita Sanchez citatus *num.* 31. *ad finem.* 5.

Sanchez.

6. Nauarrus *in summa Latina cap.* 11. *num.* 36. culpæ

Nauar.

pæ mortalis reos facit illos, qui in die Sancti Ioannis Baptistæ herbas colligunt, & venas animalium scindunt, credendo tali die, aut tali hora, & tempore scissionem venæ, & collectas herbas maiorem virtutem habere ad pellendos, impediendosque morbos; id tamen totum intelligendum est iuxta dicta *num. 4. præcedenti*; quando ex eo quòd tali die, & tempore colligantur, scindanturque, credunt illas ex se, & ex natura sua efficaciam habere naturalem ad sanitatem: secus quando eas colligunt, & venas animalium scindunt, tanquam res quibus mediantibus fortiùs excitantur ad id à Deo propter memoriam illius Sancti intentiùs postulandum; & hoc docent Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 32.* Sayro *in claui regia lib. 4 cap. 6. num. 7.* Delrio *lib. 3. disquisit. magic. part. 2. quæst. 4. sect. 6.* Valentia 2. 2. *disputat. 6. quæst. 13. punct. 2. columna. 2.*

Sanchez. Sayro. Delrio. Valent.

7. Non est tamen superstitiosum, neque illicitum in floribus, herbis, fructibusve colligendis, aut animalibus custodiendis, vti certis verbis sacris; sacrasque preces adhibere, ad eam rem compositas, & accommodatas; quò ab illis morbi, & quicquid malum, aut aduersum est, auferantur; dummodo spes non ponatur in aliqua vanitate; v. c. in litteris, in syllabis, in nudis ipsis nominibus, sed in Deo. quod videtur docere D. Aug. relatus in cap. *Non obseruetis 26. quæst. 7.* & D. Thom. 2. 2. *quæst. 96. art. 4. in fine corporis*, vbi asserunt in herbarum collectione nullas vanas obseruationes esse permittendas, ad orationem Dominicam, & symbolum fidei recitanda; & docet Azor. *tom. 1. lib. 9. c. 26. quæst. 7.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 33.* Non approbo tamen morem vsitatissimum; qui apud rusticos Lusitanos prope montem stellæ percrebuit, & inde per circumuicinas illas regiones deriuatus est; ij enim in custodiendo suo pecore certis verbis vtuntur, quibus à luporum rabie tutum credunt, & nullo custode relinquunt, quod illi pecus amentare vocant; & asserunt experientia compertum esse nihil vnquam mali à lupis accepisse pecus illud, quod prædictis verbis fuit amentatum, quamuis lupi illud circumstent; ego potius dicerem pecus incantare, hoc enim esse non potest, nisi ex vi alicuius pacti dæmonis, quod certis, & determinatis verbis est obligatum. Euidens enim est, verba illa non posse esse causam naturalem talis effectus, ac subinde esse certa signa alicuius pacti; sicut enim serpentes pacto dæmonis certis verbis incantantur, vt patet ex Psalmo 57. *Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantis*; ita & oues certa verborum prolatione ex eodem pacto censendæ sunt incantari, ne luporum morsibus pateant, aut potius lupi ne eas inuadant; quod genus incantationis prohibetur passim in sacra pagina Deut. 18. Isaiæ 47. a. Paralipom. cap 33. & maximè in Leuitico cap. 20 ibi, *anima quæ secuta fuerit ventriloquos vel incantatores, obfirmabo faciem meam contra illam, & perdam de populo suo*; & ideo edocendi sunt huiusmodi rustici de fallacia dæmonis, & condemnandi ad mortalem culpam, nisi edocti à Prælatis suis ab amentatione illa, seu potius incantatione desistant; si tamen bona fide, & simplicitate illis verbis vtantur, credentes ibi nullum pactum dæmonis adesse, dum non edocentur, à mortali excusabuntur.

D August. D. Thom. Azor. Sanchez.

8. Vanæ etiam, & superstitiosæ, & minimè ferendæ sunt speciales illæ deuotiones & publicæ supplicationes, in quibus imago alicuius Sancti in flumine immergitur, vinculaturque, & sic ipse immersus, aut vinculis alligatus tenetur, donec pluat, aut beneficium aliquod à Deo obtineatur. Primò, quia hæc nec virtute naturali, nec ex institutione Ecclesiæ, nec ex reuelatione diuina effectum habent ad impetrandum à Deo beneficium petitum, & quantum est ex se, impium est velle vi à Deo, & Sanctis beneficia impetrare; nihil enim aliud est quàm velle, vt Sancti obediant taliter facienti, & ideo hæc vana, vt contraria recepto Ecclesiæ vsui à Sanctis reprobantur. Ita docet Nauarrus in cap. *Quando cap. 6. num. 46. de consecrat. dist. 1.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2 cap 40. num. 34.*

Nauar. Sanchez.

9. Vanæ rursus & superstitiosæ sunt orationes illæ, quibus sagæ circulos virgineos benedicunt pro parturientibus, vel morbo laborantibus, admixtis verbis exoticis; quæ nec ipsæ intelligunt, nec fortassis intelligibilia sunt, additisque superstitiosis cæremoniis, halitus, saliuæ, suffitus oscitationis &c. nam neque hæc vim aliquam naturalem habent ad eos effectus producendos, neque ab Ecclesia ad id sunt instituta, aut approbata; ita Nauarrus allegatus numero præcedenti *num. 49.* & Sanchez item allegatus *n. 35.*

Nauar. Sanch.

10. Hinc perspicuum est sano modo intelligendum esse id, quod docet Cassiodorus psalmo 115. multos à variis morbis fuisse recreatos, ac sanatos trina recitatione huius versiculi illius *Psalm. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*; intelligendum enim est id, itavt non propter ipsam trinam repetitionem, sed propter eleuationem ægroti ter versiculum illum in honorem Sanctissimæ Triadis repetentis, id Deus efficiat, vt optimè notant Sanch. *tom. 1. Decalog. lib. 2. c 40.* & Delrio *lib. 3 disquis. mag p. 2. q 4. sect. 3. fin.*

Sanch. Delrio.

11. Deuotiones, quæ Nouenariæ appellantur, licitæ sunt, modò illas facientes non credant valore suo destitui, si prædictæ suæ deuotiones v. c. itiones ad templum, orationes ibi fusæ, sacra, quæ fieri iubent, si minus aut plus quàm nouies fiant, & modò etiam non credant eas non prodesse nisi offeratur candela eiusdem magnitudinis, cuius est offerens, credendo maiorem, aut minorem non sufficere; & idem iudicium esto de aliis similibus. ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num 37.* Gerson. 2. *part. tractatu de absolutione sacramentali alphabeto 33. littera L.* Si tamen hæ nouenariæ ex simplicitate fiant cum aliquibus ex his circunstantiis inutilibus, non illico sunt condemnandæ; sed docendi sunt fideles piam esse eam deuotionem in memoriam mysterij nouem mensium, quibus Virgo Sanctissima Christum Redemptorem nostrum in vtero gestauit, vel in honorem Sancti, sed si fiat piè, & decenter, & non ita illi innitendum, quin eæ preces in minori numero, vel maiori nihil prosint ad beneficium obtinendum, sed ea quoque prodesse in minori numero, & candelam in minori magnitudine. Vide Delrium *lib. 3. disquisit. mag. 3. pari quæst. 4. sect. 7. & 8. & lib. 6. cap. 2. sect. 1. tota quæstione 1.*

Sanchez. Gerson. Delrium.

12. De gestatione nominarum, quæ collo appensæ afferuntur, an licita sit, dubitat Ceruelus *de superstitione part. 3. cap. 4. initio*, & tandem ponit aliquas circunstantias, in quibus illarum gestatio non est licita. Dicendum tamen est nominarum gestationem sanctarum licitam, & laudabilem esse, vsuque receptam, modo nullam habeant

Ceruel.

beant

beant vanam, & superstitiosam circunstaotiam. v. c. vt sic, vel sic sint scripta verba sacra in illis contenta in charta pergaminca, non papyracea, à Virgine puella non ab alia persooa tali tempore, tali hora, ror filis assuta, vel talibus appensa, vel inclusa in theca talis formæ, talis figuræ, talis materiæ, ant metalli, non in alia: item oportet, vt nulla adsit figura præter signum Crucis vel aliud pium, nulla imago præter Christi, aut Sancti alicuius noti, item vt nulla barbara, & incogoita nomina Aogelorum in eis scripta sint, nec quicquam aliud, quod vanitatem, vel mendacium redoleat. Ita communiter DD. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 26. D. Thom. 2.2. *quæst.* 96. *art.* 4. D. Anton. 2. *part. titul.* 12. *cap.* 1. §. 13. Angelus *verbo, Superstitio.num.* 7. & ibi Syluester *quæst.* 10. *dict.* 4. Armilla *verbo, Sortilegium num.* 3. Tabiena *verbo, Sors quæst.* 7. *n.* 8. Nauarrus *in summa cap.* 11. *num.* 35. Ciruelo *de superstitione part.* 3. *cap.* 4. Delrio *lib.* 3. *disquisit. magicar. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3 Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de superstitione cap.* 15. *num.* 11. Sayro *in claui regia lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 6.

Sanchez. D. Thom. D. Anton. Angel. Syluest. Armill. Tabiena. Nauar. Ciruelo. Delrio. Suarez. Sayr.

13. De reliquiis Sanctorum est specialis difficultas, an liceat eas collo suspensas gestare. Negat Angelus *verbo, Reliquia. num* 4. negat etiam Ciruelo *de superstitione part.* 3. *cap.* 4 Primò, ex eo quòd non constet verè, ao sint alicuius Sancti. Secundò, quia quamuis constet, tamen iure prohibentur de loco ad locum transferri absque Episcopi licentia, vt patet ex capite, *Corpora. de consecrat. distinction.* 1. & ex concilio Brachareosi 3. *cap.* 5. vbi reprehenduntur Episcopi, qui in Martyrum solénitatibus ad Ecclesiam processuri reliquias collo suspensas gestabant. Sed dicendum est id esse omnino licitum, & pium, quod, & pius Ecclesiæ vsus probat, & publica deuotio confirmat, modò nulla vana circunstantia ex iis, quas numero præcedéti retulimus, addatur: & ratio est, quia hoc non est per se, & ex obiecto suo malum, & ita non est prohibitum iure naturali, nec vllam indecentiam, aut malitiam coniuoctam habet. Nec etiam iure Ecclesiastico interdicitur, quia in capite, *Corpora.* allegato, de sola translatione corporum Sanctorum agitur, cum de propria sepultura in locum alium transferuntur. Concilium Brachatense non reprehendit Episcopos eo quod reliquiis illis collo suspensis Ecclesiam ingrederentur; sed reprehendit illos, eo quod ob vanam hominum ostentationem, & inanem gloriam in maioribus solemnitatibus faciebant, vt super Leuitarum humeros in sellulis portarentur. ita docet Vasquez *de adoration. imag. lib.* 3. *disput.* 3. *cap.* 8. *num.* 115. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *Instit. moral. cap.* 8. *quæst.* 6. Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de superst. cap.* 15. *num.* 16. Sayro *in claui regia lib* 4. *cap.* 6. *num.* 8. Delrio *lib.* 3. *disquisit mag. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. & D. Thom. 2.2. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 3. Nauarr. *in summa Lat. cap.* 11. *num* 35. & alij.

Angel. Ciruelo. Vasq. Azor. Suarez. Sayr. Delrio. D. Thom. Nauarr.

14. Dubium est, an committentes veneris peccatum reliquias è collo appensas gestando, teneantur eam malitiam, & deformitatem in coofessione explicare, & an ratione circunstantiæ gestationis illarum, reddatur illud peccatum sacrilegum? Videtur affirmare Philiarchus *de officio sacerdotis tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3 *cap.* 9. *ad finem in versiculo.* 4 *peccat*; ibi enim inter peccata abusus reliquiarum numerat, si eas gestans viuat licentiosè. Negat tamen Sanchez & veriùs *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 28. quamuis enim id sit aliqualis irreuerentia, non tamen, inquit, continet notabilem deformitatem necessariò in confessione aperiendam, cuius non mediocre signum est, quod nullus eorum Doctorum, qui de sexto præcepto tractarunt, huius circunstantiæ meminerit, cum tamen singulas exactè discutiant: & id docet etiam Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *Instiut. moral. cap.* 8. *quæst.* 6. vbi ait non grauius peccare eum qui eas gestat peierando, furando, detrahendo, maledicendo, quàm si noo gestaret, & idem diceret de fornicatione; quia illam quæstionem generaliter mouet, & illa peccata gratia exempli apposuit. Et ratio est, quia oullo iure speciali id prohibetur, nec indirectè cultui reliquiarum, aut imaginum opponitur. Cum id non sit turpis illarum contrectatio.

Philiarch. Sanchez. Azor.

Nec obstat. *cap.* 1. 26. *quæst.* 5. vbi phylacteriis vtentes anathemate vulnerantur; neque etiam obstat quod *cap.* 4. Clerici illis vtentes eiici ab Ecclesia iubeantur, nam *cap. vltimo, eadem* 26. *quæst.* 5. bene explicatur quid per phylacteria intelligendum sit, vbi D. Isidorus, cuius ille textus est, asserit phylacteria esse ligaturas execrabilium remediorum ad corporis sanitatem, quæ ars medica non commendat, & hæc phylacteria reprehendit etiam D. Augustinus *tract.* 7. *in Ioannem, & lib.* 2. *de doctrina Christiana cap.* 25. & refertur *cap. Illud* 26. *quæst.* 2. *& capite, Neque mirum* 26. *quæst.* 5. in huiusmodi enim ligaturis, quas medicorum disciplina non commendat, sed damnat, siue in precationibus, siue in characteribus, siue in quibusdam aliis rebus suspendendis, vel gestandis consistant, pactum dæmonis certò adest, & sola signa suot expressæ societatis, & amicitiæ cum dæmone; vnde hæc cuncta optimo sunt Christiano deuitanda, & omni prorsus execratione repudianda, vt docet Saochez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 29. Simancas *de cathol. Inst. titulo* 63. *num.* 19. Delrio *lib.* 3. *disq mag. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. D. Anton. 2. *part. titulo* 12. *cap.* 1. §. 13. & D. Chrysost. *homilia ad populum* 21. quem omnino lege. 15.

D. Isidor. D. August. Sanch. Simanc. Delrio. D Anton. Chrysost.

Capvt XXXVIII.

De diuinatione per astra; agitur de vera, & falsa astrologia: quæritur vtrùm omnis prædictio ex astris sit licita, vel illicita.

Svmmarivm.

Datur vera, & falsa astrologia, quæ sit vera, quæ falsa. num. 1. *Cælum & sydera habent virtutem naturalem ad producendos effectus naturales pluuiæ, siccitatis, caloris &c.* *ibid.*

Falsa, & iudiciaria astrologia, non est vera scientia, sed vana superstitio, cum effectus liberos pendentes ex hominum voluntate rimari velit. num. 2. *&* 7. *Effectus liberi cognosci non possunt nisi à solo Deo,* *ibid.*

Iudiciaria astrologia coniectans de casibus fortuitis, an sit licita, & qui sint casus fortuiti, & contingentes. *num.* 3.

Quæ prædictio ex astris sit licita, vel illicita. num. 4. 5. 6. 7.

Iudiciaria astrologia prohibetur à Xisto V. etiam si iudiciarij asserant in suis iudicijs & horoscopis se

fe id non tanquam certum affirmare. num. 7.

Peccant mortaliter iudiciarij astrologi, qui ex astris de voluntate hominis inquirunt, etiamsi credant id quod dicunt, non esse certum, sed probabile tantum. num. 8.

An liceat per astrologiam coniectare ex puerorum natalitijs, illorum temperamentum, & complexionem, ac propensionem ad iram, & mansuetudinem, aut ad venerem &c. num. 9 & 10.

Quare dæmones & astrologi aliquando certò prænuncient aliquos euentus contingentes, & effectus pendentes à libera hominum voluntate. num. 11.

Inuentores artis iudiciariæ, quæ prænunciat de euentibus contingentibus, & de effectibus pendentibus à libera hominum voluntate, diaboli fuerunt. num. 12.

1. DAri veram, & falsam astrologiam certum imprimis est; vera, quæ naturalis, falsa, quæ iudicialis appellatur; concordat vtraque nominibus, & operibus; vtraque enim ex aspectibus, & constellationibus, splendoribus, & stellarum situ futura prænunciat. Hoc tamen inter veram, & falsam astrologiam manifestum discrimen est, quòd vera, & naturalis est ars, & scientia verissima, & prænunciat res, & effectus naturales ex causis naturalibus; ex motu enim, & aspectu stellarum prænunciat futuras eclypses, & quia stellæ in terram, & elementa, ac corpora inferiora, & sublunaria influunt, & in aëre, terra, aqua, mari, & corporibus humanis effectus naturales causant physicè, inde est, quòd Astrologi per considerationem stellarum prædicunt, nonnonquam futuram pluuiam, siccitatem, ventos, morbos, sanitates. Nec mirum est; habent enim cœlum, & sydera virtutem naturalem ad producendos effectus ipsos naturales, vt sunt causæ physicæ, & naturales illorum, vt testatur manifestè sacra pagina. Cum enim Deus creauit Cœlos, Lunam, Solem, & stellas, statim addidit Geneseos 1. 14. *Diuidant diem, ac noctem. & sint in signa, & tempora, & dies. & annos.* Vnde cum sydera, Sol, Luna & plantæ ex Dei institutione creata sint ad distinguenda tempora, dies, menses, & annos, & producendos hos effectus naturales, qui illarum virtutem, & vim perfectiùs cognouerit, perfectiùs etiam hos prædiret, & prænunciabit effectus. Quamobrem in iudicijs serenitatis, temporis futuri, humiditatis, siccitatis, ventorum, pluuiarum, morborum, & sanitatum, nulla vanitas, nulla reperiri potest superstitio: habent enim hæc omnia causas naturales, certas, & stabiles, vt dixi; & quamuis nonnunquam Astrologi etiam nobilissimi in prædictis temporum iudicijs fallantur, & errent, mirum id planè non est ob duplicem causam. Primò, quia scientia in se est difficillima; pendet enim ex varijs obseruationibus, & occursibus stellarum; quarum comprehensio est difficillima. Secundò, quia volunt aliqui astrologorum nomine nobilitari, cum tamen eiusdem scientiæ parum assequantur.

2. Falsa verò & iudiciaria Astrologia non est ars, nec scientia, imò potiùs vana quædam & execranda superstitio, vt optimè notat Ciruelus *de superstitione 2. part. cap.* 4. iudiciarij enim ex constellatione, & conspectu stellarum nefario ausu præsumunt voluntates hominum scrutari, & effectus liberos à libero arbitrio pendentes prænunciare, ac diuinare, quos tamen Deus solum sibi reseruauit iuxta illud sacræ paginæ, *scrutans corda, & renes Deus*, & Ecclesiastes cap. 8. *multa hominis afflictio; quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio*; & Esaias cap. 41. *Annunciate quæ ventura sunt, & sciemus, quia dij estis vos.* Vnde D. Chrysostomus in homilia 18. in Euangelium Ioannis, *hoc vel maximè opus Dei est; quod neque dæmones imitari possunt, quamuimuis mirum in modum admitantur.* Est enim voluntas hominis partim nobis inscrutabilis, & soli Deo nota, partim varia, & mutabilis, & adeo libera, vt quod modò displicet, post parum placeat, & quod modò placet, statim displiceat. Vnde cum causa horum effectuum non sit firma, certa, & stabilis, firmos, & stabiles effectus producere non potest. Velle ergo ferre firmum, & certum iudicium circa effectus pendentes ex causa incerta, & variabili, stultum pene, ac impossibile est. Superstitiosus ergo Astrologus ille est, imò falsus diuinus, & ariolus, qui ex consideratione & aspectu iudicium certum ferre voluit v. g. quòd Comes, aut nobilis, qui ad Regem accedit, ab illo optimè, & perhonorificè excipietur, quòd vxor illius fidelitatem ei præstabit in absentia, quòd amici, & famuli ei fideles erunt, quòd odium, vel gratiam coram hominibus, & principibus sit adepturus, & sic de cæteris alijs liberis effectibus; in libera enim hominum voluntate est, non in vi, & virtute stellarum, odio, vel amore alium prosequi, ei fidum, infidumve esse amatorem, aut proditorem; & velle accommodare aspectus stellarum, & situs illarum ad hominum voluntates, quasi illæ in voluntatem hominum influant, & sint causæ horum effectuum, hæreticum planè est, & aufert liberum arbitrium, vt statim ampliùs patebit.

Præter hos effectus liberos pendentes tanquam ex vera causa ex mera hominum libertate, & voluntate, qui ideo sciri non possunt, & præter illos naturales de quibus num. 1. egimus, qui habent causas merè naturales certas, & stabiles, & propterea possunt naturaliter sciri, prædici, atque prænunciari; sunt etiam alij effectus naturales, seu contingentes; qui euentus contingentes, & casus fortuiti appellantur, quia sæpe hominibus nihil tale opinantibus contingunt, vt. v. c. quòd homini euntì in forum tegula è tecto cadens caput obrundat, quòd in via dum iter facit quis, sacculum auro plenum à præeunti amissum inueniat, item quòd ab homine fodiente sepulchrum inueniatur thesaurus, quòd iter facienti in forum, amici, vel inimici ei obuij futuri sint, quòd nauigans in Indiam hostiles naues in nauigatione inueniet, quòd in nauigatione peribit nauis; hi enim casus, & similes euentus fortuiti licet naturales sint, cum tamen non habeant causas naturales fixas, & permanentes, sed ex accidentario concursu, & impedimento causarum naturalium rarò contingant, causam certam in astris habere non possunt, & ideo ex illis hos effectus inuestigare, & coniectare vitium planè superstitiosæ diuinationis est, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 95 *art.* 1. Soarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de superst. cap.* 12. *num.* 28. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 30. Ciruelo *de superst.* 2. *part. cap.* 3. Ratio verò fundamentalis est; quia huiusmodi euentus casuales præter diuinam prouidentiam, & extra Deum, non habent causam certam per se, vt docet Aristoteles in 6. Metaphys. nam solus Deus sua infinita scientia, & prouidentia, omnia comprehendit, & ipsum etiam

Ciruelus. D. Thom. Suarez. Sanch. Ciruelo.

etiam oecursum contrariarum causarum aut intendit, aut sæpe ex certa scientia permittit. Dices, per astrologiam non inspicitur tantum vna, vel altera stella, sed concursus, & oecursus omnium stellarum; ergo in collectione omnium poterit cognosci effectus casualis futurus. Respondeo negando coosequentiam; quia homo non potest omnium stellarum etiam fixarum concursum, vim, & naturam exactè cognoscere; quod oecessarium erat ad talem cognitionem; & quia casualis effectus non solùm pendet ex collectione multarum stellarum, sed etiam ex causis inferiotibus, & materiæ dispositiooe; quæ in astris cognosci non potest, neque ab illa arte coosideratur. Vnde neque Angeli ipsi possuot naturali virtute hos casuales effectus ex solis astris prænuociare, & cognoscere; sed indigent comprehensione omnium aliarum causarum tam efficientium; quàm materialium; quæ in tali puncto oecurrere non possunt, vt optimè docet Suarez allegatus.

4. Ex dictis certa hæc, & stabilita conclusio elicitur. Non omnis prædictio ex astris per se mala, & prohibita est; sed illorum tantùm euentuum quorum astra causa esse non possunt, vt sunt ea quæ ex libero arbitrio tamquam ex integro, vel partiali principio, aut ex meta, & diuina voluntate, & prouidentia Dei pendent; vnde naturalis astrologia est licita, & non prohibita, iudiciaria verò illicita, & prohibita. ita D. Th. 2. 2. *quæst* 95 *artic.* 5. Lessius *tom* 1. *de iustitia lib* 2. *cap.* 43. *dub* 6. *num.* 32. Cirnelo *de superstitione* 2 *part. cap.* 3. & 4. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2 *de superstitione cap.* 11. *num.* 2. & 5. Sanchez cum multis *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *à num.* 17. D Thom. Lessius Ciruelo. Suarez. Sanchez.

5. Cooclusio habet quatuor partes. Prima, quæ asserit solos illos effectus naturales qui causas habere possunt, in astris licitè prædici posse, statim probabitur in tertia conclusionis parte. Secunda quæ asserit effectus liberos, vel partialiter vel totaliter non posse prædici ex astris, probabitur in quarta, & vltima parte illius; atque ita probata tertia, & quarta conclusionis parte, probata manet conclusio. Tertia igitur conclusionis pars asseritur ab omnibus & præcipuè à Suario, Lessio, & Cituelo, & Sanchex allegatis numero præcedenti. Ratione probatur. Primò, quia hæc scientia est effectuum naturalium, & considerat causas naturales talium effectuum; considerat enim ex effectibus syderum & planetarum vim naturalem, & ex situ, & oppositione, splendore, aspectúque illorum coosiderat effectus naturales, quos physicè producunt. Ergo est licita talis scientia; & aliunde nullibi in iure prohibetur, quia in Bulla Xisti V. ar. incipit *Cæli & terræ moderator Deus:* in qua astrologia idicialis damnatur, quæ de futuris euentibus prænunciat, statim hæc naturalis excipitur ibi *Exceptis dumtaxat futuris euentibus, ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent;* & infrà ferendo legem contra iudiciarios addit. *Præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam.* Et ratio est, quia hæ artes vtuntur obseruationibus effectuum naturalium, syderum, & planetarum; & pendent ex constellatioue illorum ex ventis, & pluuiis, & serenitatibus, siccitate, aut humiditate; quæ possunt causari ab stellis. Vnde prænunciare poterunt astronomi naturales bonam, vel malam nauigationem in generali, fertilem, aut sterilem fructuum nouitatem, & futuros morbos, aut sanitatem.

Nec obstat quòd sæpe fallantur, & errent in his iudiciis ferendis, quia ars, & scientia certa est, & possibilis, respectu tamen hominum illa cognitio est valde difficilis; quia effectus illi non pendent ex vna tantùm, vel ex duabus stellis, sed ex multis, quarum cognitio est perdifficilis; & sæpe stellæ fixæ possunt impedire actiones, & effectus planetarum, & econuersò planetæ possunt impedire effectus stellarum; & quia effectus hi non solùm pendent ab stellis & planetis causisve cælestibus; sed etiam à causis inferioribus, à dispositione aëris, aquæ, & terræ; non solùm prout se habent in vno loco, sed etiam in diuersis; inde non est mirum si errent: sed hoc per se loquendo non est vitium scientiæ, sed eorum qui eam profitentur, nec est res illicita per se loquendo, aut peccatum ad superstitionem pertinens; quia nullum pactum implicitum ibi interuenit, & causas naturales certas habere potest, sed est temeraria, & imprudens assertio contra putam, & synceram veritatem; & peccatum tantùm veniale ex genere suo, nisi nocumentum aliquod publicum, aut malum particulare timeatur, [illegible] erit etiam peccatum arrogantiæ. Quare debent esse huiusmodi astronomi modesti, & cauti in prænunciandis huiusmodi effectibus, & ferendis iudiciis. Ita Suarez *tom* 1. *de religione lib.* 2. *de superst. cap.* 11. *à num.* 5. *vsque ad* 8. & omnes quos citaui *num.* 4. At prædictio effectuum seu euentuum casualium de quibus egimus *num.* 3. vt quod cadens è tecto tegula caput prætereuntis obtundet, quod à fodiente sepulchrum inuenietur thesaurus, & similia, vera esse non potest, sed vana, & superstitiosa; quia effectus per accidens contingentes non habent vnam causam naturalem; cuiusmodi est virtus stellarum, quia quod per accidens fit, neque est ens propriè, neque vnum, vt quod lapide cadente fiat terræ motus; non enim est hoc simpliciter vnum, sed simpliciter multa: operatio autem naturæ, & naturalis scientiæ semper terminatur ad vnum, sicut procedit ab vno principio quod est causa, & forma rei naturalis, vt optimè docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 5. *in corpore.* 6. Suarez. D.Thom.

7. Vltima pars conclusionis; quæ asserit Astronomiam, seu astrologiam iudiciariam esse per se malam & prohibitam, probatur facile. Et imprimis quòd sit per se mala, patet manifestè, quia tollit liberum arbitrium, & libertatem, & vult reducere effectus liberos ad causas physicas & merè naturales; quod de se malum est, imò impium, & causa multorum malorum; si hoc enim ita esset, peccata hominum, furta, adulteria, & homicidia, & reliqua omnia flagitia causis naturalibus, & cælestibus signis tribuerentur, non hominum libertati, ac proinde peccata non essent, sed physicè, & naturaliter fierent. Probatur etiam, quia corpora cælestia non possunt influere in actus liberi arbitrij, & in intellectum, & rationem hominis; corpus enim non potest influere nisi in res corporeas, intellectus autem neque est corpus, nec actus organi corporei, & consequenter nec voluntas in qua formaliter consistit libertas. Vnde cum nullum corpus possit aliquid imprimere, nisi in rem corpoream, impossibile est, quod corpora cælestia directè imprimant in intellectum aut voluntatem; hoc enim perinde esset, ac dicere intellectum non differre à sensu. Ex quo fit, quòd Sol, cœlum, astra,

planetæ & corpora cœlestia oon possint esse causa operationum liberi arbitrij; possunt tamen ad boc dispositiuè inclinare, quatenus imprimunt io corpus humanum & vires sensitiuas; quæ sunt actus corporalium organorum, & inclinant ad humanos actus liberos qualitatem aliquam disponentem vires sensitiuas ad operandum; quia tamen omnes vires sensitiuæ obedire possunt rationi, vt docet Philosophus *lib. 3. de anima textu 42. & 47. tom. 2.* nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur; vnde sequitur, quòd contra ioclinationem & impressionem cœlestium corporum possit adbuc homo operari, vt docet [D.Thom. Caiet.] D. Thom. 2. 2. *quæst 95. art. 5. in corpore*, Caietanus *ibi*, & communiter DD. Quod verò iudiciaria sit prohibita, & ideo prohibita quia per se mala est; probat primò Martinus Deltio *lib 4. disquisition. magicarum cap 3. quæst. 1.* & Suarez allegatus *num. 13.* ex illo Isaiæ 47. *Stent, & saluent te augures cœli, qui contemplantur sydera vt ex eis annuncient ventura tibi:* Est enim ibi quædam imprecatio, vbi loco Augurum vertunt [D Hyerom.] Septuaginta, *Astrologi cœli*, & D. Hietonymus ibi, *qui vocantur Mathematici, & astrorum cursu, lapsuque res humanas regi arbitrantur.* Ex quo loco, inquit Suarez, intelligimus quoties scriptura augures detestatur, detestari etiam iudiciarios Mathematicos. Secundò ex illo Hieremiæ 10. *Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vana sunt.* Tertiò ex Concilio Toletano 1. in assertione fidei. *Si quis Astrologiæ existimat esse credendum, anathema sit.* Quartò ex cap. *Non liceat 26. quæst. 5.* vbi prohibentur Christiani, *obseruare Lunæ, & stellarum cursus; aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda:* id est, regenda. Intelligitur autem hoc caput, vt ait Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superstit. cap. 11. n. 14.* iuxta subiectam materiam de obseruatione Lunæ, & stellarum inani, & superstitiosa iuxta Gentilium traditionem, plura vide apud Suarium. Vltimò probibetur Astrologia iudiciaria à Xisto V. in motu proprio 21. incipit, *Moderator cœli, & terræ*, ibi: *Statuimus, vt contra facientes iudicia, & natiuitates hominum quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non certò affirmare asserant, aut protestentur, &c. inquirant & procedant, & in eos seuerius canonicis pœnis & alijs eorum arbitrio animaduertant.* Vbi, vt notat [Suarez.] Suarez *tom 1. de Relig. lib. 2. de superstitione c. 11. num. 30.* iudicia mathematicorum prohibet, & iudicia eorum qui simpliciter, & absolutis verbis bæc futura contingentia prænunciant in particulari. v. c. bune futurum esse Episcopum, vel Ducem, latronem ductutum Martham io matrimonium, liberos habiturum, diuitias, inimicitias, taliter obiturum, aut similia; vel reuelant particularia facta omnino occulta. & meritò hæc iudicia à Summo Pontifice damnantur, vt diximus, licet post latum iudicium affirment, & protestentur Mathematici se id non dicere tanquam certum, sed tanquam probabile, aut tanquam opinione dignum: quia si illa euasio concederetur, nullus posset conuinci; nunquam enim illi dicunt boc infallabiliter esse euēturum, imò fatentur in generali interdum sua principia deficere; & ideo licet in his prædictionibus expressè dicant, se noo affirmare id tanquam certum, nihilominus coram Ecclesia puniendi sunt.

Ita Suarez ibi. [Suarez.] Et ratio esse potest, quia ille modus prænunciandi futura sub illa protestatione adhuc inclinat homines ad vanas superstitiones, & quia semper præsumitur ea verba proferri ad occultandam malitiam, & diuinationem, & reuera illa est vera diuinatio.

8. Imò addit Suarez ibi *num. 31.* & doctè quidem, & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 33.* & Lessius *lib. 2. de iust. cap. 43. dub. 6. num. 42.* [Suar. Sanchez. Lessius.] & alij, quos citat Saochez allegatus, etiamsi Astrologus, qui hæc iudicia fert, credat interius id quod verbis declarat, iudicium scilicet, illud non esse certum, sed probabile, adhuc peccare mortaliter, & superstitiosè agere. Fundamentum illius est, quia ex solis astris comparari non potest notitia talium futurorum vel occultorum, ita probabilis, vt dici possit id esse probabile, ac proinde qui ex solis astris scientiam prædictam inquirit saltem vt probabilem; tacitè vult ex scientia & pacto dæmonis talem cognitionem comparare; confirmatur, quia illa diuinatio etiam sub specie probabilitatis solùm habet fundamentum in regulis artis iudiciariæ, illæ autem regulæ non possunt habere probabilitatem ex solis astris, & ideo damnantur, vt industria dæmonum introductæ, & hoc idem bene coofirmant verba illa Hieremiæ suprà relata, *& signa cœli nolite metuere*; non enim irrationabiliter timerentur, si iudicium probabile, & cognitionem humanam cooferre possent. Vnde cautè legendi sunt Toletus *lib. 4 summa cap. 15. num. 6.* Rodrig. *tom. 1. summa cap. 7. num. 3.* Sayro *in claui regia lib. 4. cap. 7. num. 4* & Valentia 2. 2. *disp 6. quæst. 12. punct 3. columna 2. versu, Iam vero.* [Tolet. Rodrig. Sayro. Valent.] Et rectè intelligendi sunt, quatenus dicunt hoc malum esse, & perniciosum, superstitiosumque, quando Astrologi hæc tanquam certa prænunciant. In quo videntur supponere non esse illicitum, neque malum, nec superstitiosum, ac proinde nec prohibitum bæc prænunciare tanquam probabiliter futura, intelligendi enim sunt de aliquali probabili suspicione non ex astris solis habita; sed ex aliis circumstantiis, & causis particularibus, vt ex temperamento personæ, & ex actionibus iuxta ea quæ dicemus num. sequenti, & ita eos intelligit Sanchez allegatus hîc *n. 33.* [Sanch.]

9. Non est tamen per se malum, nec vniuersaliter prohibitum ex constellatione stellarum, & aspectu corporum cœlestium, obseruata pueri natiuitate, coniectare temperamentum, & complexionem illius, & ex illo aliqualiter probabiliter suspicari naturalem inclinationem futuram, v. c. propensionem ad iram, ad mansuetudinem, ad libidinem, ad amicitiam, ad hæc, vel illa exercitia naturalia; bæc autem non solùm tanquam certa, sed etiam tanquam nimium probabilia prædicere, licet superstitiosum noo sit, nec iure positiuo damnatum, stultum tamen est, nec sine aliqua culpa temeritatis, & audaciæ fit. Ita docet Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superstitione cap. 11. num. 8.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 2. cap. 38. num. 82.* Salas *t. 2. quæst. 9 art. 5. disput. 2. sect. 8. num. 79.* Rodriguez *num. 79. & tom. 3. summa cap. 7. num. 3.* deducitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst. 95. art. 5. in corpore*, [Suarez. Sanchez. Salas. Rodrig. D.Thom.] quatenus asserit corpora cœlestia posse imprimere in sensus humanos, & potentias sensitiuas hominum, quæ sunt actus corporalium organorum, & disponunt, atque inclinant ad actus liberos; quia tamen omnes potentiæ corporeæ & vires sensitiuæ obediunt rationi, & voluntati hominis, nihil

nihil certum ex hoc colligi potest. Probat igitur Suarez in hac coniectatione nullam esse maliciam per se in hunc modum. Primò, quia hic actus coniectandi merè naturalis est, temperamentum enim, & complexio corporis humani à causis naturalibus procedit; ergo verosimile credi potest, magnam vim in eo habere cælestes influentias, ergo ex illis aliquid probabilitatis coniectare non est per se malum, quia nec pactum implicitum continet, nec fundamentum habet in astris, vt in puris signis; sed vt in causis naturalibus, neque etiam est de se alicui damnosum, vt patet ergo non est per se malum.

10. Neque etiam aliquo iure positiuo est prohibitum, vt ibidem docet Suarez: Xistus enim V. in suo motu proprio 21. incipit, *Cæli, & terra moderator*, non prohibet coniectoras, quæ habent causas naturales: nam hæc inclinatio, & propensio hominis, quæ venatur ad hos, vel illos effectus, & ad hæc, vel illa exercitia oratoria non fundatur solùm in astris, quæ imprimunt, influuntque in corpora humana, sed fundatur etiam in temperamento, & complexione naturali corporis. Sicut ergo coniectari potest temperamentum, ita & hæc inclinatio, atque propensio. Nihilominus animaduerto hanc coniecturam vix posse peruenire ad cognitionem probabilem, nedum certam, primò, quia cum potentiæ sensitiuæ, quæ pendent ex complexione, & temperamento hominum, obediant voluntati illorum, nihil certi ex hoc potest coniectari; imò & nihil verè probabile. Deinde quia qualitates, & inclinationes rei generandæ magis pendent ex dispositione materiæ ex qua generanda est res, quàm ex influentia cælorum; ergo ex solo aspectu syderum, & coniunctione stellarum, quæ in hora natiuitatis, aut conceptionis concurrunt, non potest satis probabiliter colligi futura complexio, & temperamentum prolis genitæ: nam causa materialis est magis propinqua, & intrinseca rei genitæ, aut generandæ, & determinat influxus vniuersales astrorum. Quod exemplo facilè probatur; nam si duæ terræ diuersæ qualitatis, & virtutis, eodem tempore, eodem tritico seminentur, terra melior meliorem fructum proferet cæteris paribus: sic si duo infantes sub eadem constellatione nascantur, si mater alterius melioris complexionis sit, & meliorem materiam conceptioni filij ministrauit, meliorem prolem generabit; si verò accedat paterna virtus fortior, & vigorosior; sine dubio multum efficiet ad meliorem filij complexionem. Tandem quia complexio, & temperamentum puerorum mutari potest ex alimentis & aliis exercitiis, cumque hæc omnia non considerentur, nec considerari possint ab his diuinatoribus, non potest non esse eorum coniectura & suspicio valde infirma, quod insinuatur D. Aug. *lib. 5. de ciuitate Dei c. 2.* D. August.

11. Diximus suprà, effectus contingentes naturales, qui non habent certam, & stabilem causam, & effectus liberos, non cadere sub scientiam hominum, ac proinde nihil certi posse Mathematicos, seu Astrologos, aut dæmones per diuinos suos de illis prænunciare; sed contra si dæmones & astrologi hæc futura non præuident, quî fieri potest, vt sæpe diuinatores, & astrologi certo futuros hos euentus liberos à libero arbitrio totaliter, & partialiter pendentes prædicant? nam ea quæ dæmones, & ars astrologiæ ignorant, certò prædici non possunt; videmus autem hæc sæpe certò prænunciare. Respondeo id mero casu contigisse, cum enim multa dicant, potest contingere, vt aliquid sit verum; vaticinia enim diaboli, & astrologorum sæpe falsa deprehenduntur; dæmones enim, vt ait D. August. *lib. de diuinatione dæmonum*; quem refert, ac sequitur Simancas *de catholicis instit. titulo 21. num. 5.* naturæ suæ subtilitate, & longissima rerum experientia faciliùs coniectare aliqua euentura possunt quàm homines, quæ suos discipulos edoceant ad eorum, & aliorum perditionem, & eum sit pater mendacij, nihil patitur verecundiæ, si in eo deprehendatur; si tamen aliquid veri conigerit, gaudet (vt ita loquar) maximè, vt prætextu illius veritatis grauioribus, & maioribus mendaciis homines decipiat. Prophetia enim potentior est, & efficacior ad conciliandam fidem quàm miracula, iuxta illud 2. Petri 1. 19. loquens de miraculis, & prophetia. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Dæmones enim possunt miracula simulare, & apparenter facere; præscientiam autem futurorum, & prædictionem veram, & euidentem de actionibus hominum liberis nullus habet, neque Angelus, quantò minùs dæmones? Vnde bene Pacuuius olim, *si qui qua euentura sunt prouideant, æquiparentur Ioui.* Vide caput, *Sciendum 26. quæst. 4.* deductum ex D. Augustino, vbi D. Augustinus rationem reddit cur dæmones sæpe aliqua vera pronuncient, & effutiant vaticinia. D. August. Simanc.

Concludamus igitur, iudiciariæ, siue falsæ Astrologiæ; quæ prænunciat de futuris contingentibus, & casualibus effectibus, qui nullam certam, fixam, & stabilem causam in stellis habent, & de actionibus hominum liberis, dæmones fuisse inuentores. Quod & Plato olim non ignorauit, qui fatetur in Conuiuio vaticinia, incantationes, diuinationes, & magiam per dæmones hominibus concedi, & id ipsum Apuleius confirmat *lib. de Deo Socratis*, & Origen. *in lib. 1. Iob. columna 40.* ita inquit, *diabolus est auctor diuinationis, & natura subtilitate, atque agilitate nonnunquam futura reuelat* (intellige eorum quæ naturaliter sciri possunt; videt enim alionde venire Euangelicos prædicatores, & hic prænunciat idololatriæ euersionem) *Maleficia auguria, diuinationes, phylacteria, incantationes, diuinationes, diaboli sunt seductiones, dæmonum irrisiones, idololatria, fax, animorum infatuatio, atque cordium scandalum.* Et id ipsum docet idem Origenes *homil. 13. in Numeros.* D. Leo *serm. 7. in Natiuitate Domini.* Isidorus *lib. 3. de summo bono cap. 5.* D. Bernard. *lib. de ordine vitæ prope fin.* D. Chrysost. *in Epistola ad Thessalonic. homilia 9.* Simancas *de cathol. Inst. titulo 21. num. 6.* 12. Plato. Apuleis. Origen. D. Leo. D. Isidorus. D. Bernard. D. Chrysost. Simanc.

Capvt XXXIX.

De diuinatione per aërem, terram, aquam, ignem, per manuum delineationem, per somnia animalium, & auguria, & per partes, & voces hominum.

Svmmarivm.

A dæmone professus fuit modus diuinandi per elementa. num. 1.

Quid sit Geomantia, & Pyromantia, & an modus diuinandi per terram, corporaque ex terrena substantia concreta, & ignem, sit licitus. num. 2.

Quid sit Chyromantia, & quatenus sit licitus modus diuinandi per lineas manuum. num. 3.

An sit peccatum mortale mulierculas Ægyptianas per manuum lineas de bona fortuna interrogare. num. 4.

Physionomia, quæ in proportione membrorum bonam, vel malam indolem, aut ingenium conijcit, quatenus sit licita. num. 5.

Ex motibus humani corporis an aliqua coniectura capi possit ad prænunciandum de futuris. n. 6.

An ex bino occursu eiusdem hominis in eadem via. num. 7.

An de hominum vocibus siue significent, siue non significent. num. 8.

Quatenus sit licita, vel illicita prænunciatio ex motu, volatu, & garritu auium. num. 9. & 10.

Somnia, quibus modis fiant. num. 11.

Si constet aut probabile sit somnia esse à Deo, licitum erit ex illis capere futurorum coniectationem. num. 12.

Quid si non constet. num. 13.

An peccet mortaliter qui per somnia quærit diuinationes componendo se certo modo ad somnia captanda. num. 14.

An mortale sit subijcere puluinaribus litia, caprarum cornua, & alia huiusmodi ad captandum somnum. num. 15.

Ex quibus signis cognosci possit somnium esse à Deo, vel à diabolo. num. 16.

Quid si dubitetur an somnia sint à Deo, vel à dæmone. num. 17.

Licitum est obseruare somnia quæ nos crebrò territant, vnde proueniant. num. 18.

Si somnia proueniant ex negotijs præteritis, nihil de futuro significant, sed suas causas indicant. num. 19.

Quatenus liceat, vel non liceat ex somnijs conijcere futura. à num. 10. vsque ad 23.

An licitum sit captare auguria, & futurorum cognitionem ex animalium intestinis. num. 24.

An sit aliquod discrimen inter diuinationem, & vanam obseruationem. num. 25.

1. CVM diabolus auctor sit artis diuinatoriæ, & iudiciariæ Astrologiæ, quæ de futuris euentibus à libertate pendentibus prænunciat, inde factum est, vt mille nocendi artibus hominibus curiosis, & deprauatis illuserit, promittens illis futurorum cognitionem varijs modis; ab illa enim Geomantia, seu diuinatio ex terra, & per terram emanauit; Hydromantia per aquam, Aëromantia per aërem, Pyromantia per ignem, Spathulamantia, siue Artumantia, id est, diuinatio per ossa artuum animalium mortuorum, Chyromantia per manuum delineationem, & cæteri diuinandi modi ex se illiciti, quibus miseros mortales delusos tenet, & ad inferos ludificatos trahit, quos ferè omnes comprehendit, atque complexus est Mantuanus, in Apologia his versiculis.

Qui fumantia consulit exta,
Qui rimatur aquas, & qui considerat ignes,
Qui pluuias, specula, & pelues, nitidasque secures
Inspicit, & temerè descripta in puluere signa.

2. Ciruelo. Geomantia igitur, vt notat Ciruelo *de superst. part.* 1. *cap.* 4. tunc fit, cum diuini hac arte vtentes edocti à dæmone, certa signa, puncta, & figuras, vel in terra, vel in puluere, vel in papyro, vel in quocumque alio corpore è terrena substantia compacto, inscribunt, & post illorum inscriptionem, mutationemque, & transpositionem prædiuinant id quod animo intendunt, quod fieri non potest sine manifesto dæmonum pacto, & inuocatione; neque enim signa illa naturales causæ esse possunt talis diuinationis, nec signa rei prænunciatæ, sed signa pacti diabolici. Aëromantia est illa (vt dixi) diuinatio, quæ per aërem, & ventos fit; vani enim isti diuinatores obseruant aëris mutationes, & sonitum arborum, flabellationem venti per angulos domorum, per portas, per ianuas, & ex his futura prænunciant. in qua vana obseruatione idem pactum dæmonis cernitur omnino, non enim similiter ista signa sunt futuri euentus, sed signa pacti. Pyromantia considerat ignem, flammas, fumum, fungos, an conglobatim flammæ ab igne emittantur, an splendidæ, an celeriter, an tenues vel crassæ sint, quem colorem efficiant, quem sonitum edant, an in modum pyramidum fastigiatim euolent, an ab igne separentur, & similes vanas obseruationes considerat, quæ similiter pacta sunt dæmonis, non prænunciati euentus causæ. Hydromantia contemplatur in aqua; motus illius, & in peluem, vel quodcumque aliud vas aqua plenum, picem, ceram, vel resinam liquefactam infundit, & ex figuris, quæ inibi fiunt & apparent cum prolatione certnium verborum futura vaticinatur, ex pacto dæmonis, non industria humanæ artis. Artumantia seu Spathulamantia obseruat ossa artuum, & viscera animalium, & hominum mortuorum, eaque iuxta ignem apponit quoad vsque calore ignis, vel crepitent, vel diffindantur, & ex sonitu, atque ex modo fissuræ futura superstitiosè ex eodem pacto colligit.

Chyromantia inspicit manus delineationes, & figuras, & ex illis futuros euentus prænunciat, an religiosus, quis futurus sit, an pauper, an diues, an vxorem sit habiturus, an liberos ex ea suscepturus, & quot, & quales, fœminæ, an masculi, an vxor illius ei sit fidem coniugalem obseruatura, an amicos, vel inimicos sit habiturus, an casus ei sint euenturi fortuiti, an illos feliciter vel infeliciter sit euasurus, & similia alia contemplatur, quæ meræ vanitates sunt, & dæmoniorum superstitiones. Quod ex duplici causa probatur manifestè. Primò, quia in huiusmodi lineis filij communiter referunt parentes; sicut, & in vultu plerumque, & in reliquis corporis partibus, & ita huiusmodi delineamenta, & manuum figuræ non ad diuinationem à natura sunt inditæ; sed ad hominis pulchritudinem: videmus enim & experientia compertum habemus, filios qui habent easdem lineas cum patribus, non eandem fortunam parentum habere; sed diuersam omnino. Secundò, quia huiusmodi delineamenta manuum ad diuersas ætates hominum, vel corporis macie, vel pinguedine, vulneribus, apostematibus, vel vario, & assiduo manuum labore demutantur, vt passim cernimus in fabris ferrariis, aut lignariis, quare certæ ac permanentes causæ prænunciati euentus esse non possunt; verum est tamen esse in manibus nonnullas lineas præcipuas, & principales, quæ ex plicatione, & explicatione manuum causantur, quæ cum sint lineæ naturales, & permanentes, de quibus asserunt Astrologi sapientiores significare aliquid non quidem euentuum futurorum, 3.

sed

sed temperamenti intrinseci & internorum membrorum.v.e.an cerebrum tenue,an firmum habeamus, an stomacbus sit debilitatus, an cor vigore plenum,an iecur, an hepar, an pulmones sint sani. Vnde hoc iudicare ex illis est licitum; iudicare autem de euentis futuris ex figura, & delineatione manuum, diabolica diuinatio est, & vana superstitio, & ideo illam damnat Sixtus V. in motu proprio 21. contra Astrologos. Incipit, *Cæli, & terræ moderator Deus.* Ita Ciruelo *de superstitione part.2. cap.4.* Nauarr. *in summa Latin. cap.11. num.31.* Alcocer. *in summa cap.14. fol 46.* Ludouic. Lupez *part.1. Instructorij cap 41.* Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2. cap.38. num.47.* Nauarr. *lib.2. de restit. cap.2. part.1. dub.7. in noua editione à num.159.* Non est tamen audiendus Nauarra *num.161.* negans cognosci posse per manuum lineas complexionem, humores, & aptitudinem hominum.

Ciruelo. Nauarr. Alcocer. Lud. Lop. Sanchez. Nauar.

4. Hinc vt docet Nauarrus, Alcocer, Ludouicus Lopez, & Sanchez, modo allegati, non licet interrogare Ægyptianum de bona, vel mala fortuna per lineas manuum deducta, eritque mortale in duplici casu. Primo, quando rogatetur animo firmiter credendi dictis illius, secus si ob curiositatem, & animo ridendi, & iocandi, vt communiter fit; tunc enim vt plurimum esset venalis tantùm vanitas. Secundo, quando interrogans animo ridendi, & ob curiositatem tantæ auctoritatis persona esset, vt videntibus graue scandalum generaret.

5. Physionomia tamen illa, quæ est pars naturalis Philosophiæ, & quæ ex corporis dispositione, membrorum habitudine, proportionéque probabiliter coniicit animi affectus, & bonam vel malam indolem, acutum ingenium, corporis temperiem, firmam, vel infirmam valetudinem, est licita; quia, vt iam diximus, ex his possunt hæc probabiliter cognosci, secus si certò hæc prædicantur, nam non possunt ita certò cognosci, quod latè probat Delrio *lib.4. disquisit. magic. cap.3. quæst.4.* Azor *tom.1. lib.9. cap.16. ad finem.* Lessius *lib.2. de iust. cap.43. dub 7. num.45.* Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2. cap.38. num.44.* Physionomia tamen illa quæ ex aspectis humani corporis partibus prosperos, & aduersos hominis euentus prædicit, superstitiosa est, & prohibita à Xistu V. & de se est mala, & mortaliter illicita. Ita præcitati auctores; & quòd sit mortaliter illicita, latè probat Sanchez allegatus à *num.18. vsque ad 22.*

Delrio. Azor. Lessius. Sanchez.

6. Ex motibus humani corporis nulla, aut valde infirma coniectura capi potest ad pronunciandum aliquid de futuris. Primò, quia sæpe non ab impressione cælesti, & constellatione stellarum, sed à libera voluntate pendent. Secundò, quia ex motibus animalium firma coniectura capi non potest; (vt statim dicemus.) ergo à fortiori neque ex motibus hominum, si enim animalia cum quietiorem babeant phantasiam, ac proinde aptiora sint ad recipiendam cælestium corporum impressionem, nihilominus inepta sunt ad prænuntiandum, multo magis id asserendum de hominibus. Vnde ex illorũ motibus aliquid prænunciare superstitiosum, & vanum est; & ita docent Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2. cap.38. num.4.* Valentia 2.2. *disp.6. quæst.12. punct.3. columna 4. versiculo, Et idem etiam.*

Sanchez. Valentia.

7. Similiter vanum, & superstitiosum est ex casibus aliquibus fortuitò homini contingentibus conicere aliquid fæliciter, aut infæliciter illi obuenturum, vt ex bino occursu eiusdem personæ in eodem itinere, ex certorum animalium, aut funeris concursu, ex fractione corrigiæ calceorum, & aliis huiusmodi casu contingentibus; hæc enim omnia cum fortuitò contingant, nihil boni, aut mali significare possunt; vnde mera superstitio, & vanitas est ex illis aliquid coniicere. Ita Sanchez *allegatus 42.* & Azor *tom.1. lib.5. cap.22. quæst. vnica.* vbi hoc variis illustrat exemplis.

Sanchez. Azor.

Idem dicendum est de hominum vocibus etiam significantibus; nulla enim ex illis sumi coniectura potest effectuum contingentium; nam cum ex placito hominum significationem habeant, non ex syderum motibus, aut cæli constellationibus, signa equidem esse non possunt euentus futuri; quare diuinatio per illas non potest non esse valde superstitiosa, nisi cognitio futurorum tunc à Deo expectetur. Ita docet Valentia 2.2. *disp. 6. quæst. 12. puncto 3. columna 4. versiculo, Quod autem attinet.* Azor *tom.1. lib.9. Instit. moral. cap 12. fine.* Dixi, nisi expectetur à Deo, quia fas est, aliquando cognitionem futuram à Deo per vocem aliquam humanam præter intentionem dictam sperare. Ita docet D.Th. 2.2. *quæst. 95. art.7. ad 3.* Caietanus *ibi in fine.* Valentia citatus *eodem puncto.3. versiculo, Per hoc etiam.* Et confirmat hoc D. Thom. exemplo Gedeonis viri sancti, qui audita recitatione cuiusdam somnij vt Iudic.7. refertur, & exemplo Eliezer fidelissimi serui Abraham; qui audita voce puellæ Rebeccæ Geneseos 14. *bibo domine, nam & ego etiam camelis tuis hauriam aquam &c.* statim coniectauit futuram illam puellam Isaac filij domini sui Abraham: in his enim exemplis tam Gedeon, quàm Eliezer cognitionem acceperunt ex vocibus humanis; sed vterque id à Deo expectauit; nam, vt ait ibi D. Thomas, Gedeon auditionem somnij accepit pro omine, quasi ea fuisset ordinata à diuina prouidentia pro sui instructione. Eliezer verò attendit verba puellæ, oratione præmissa, à Deo. Vnde, vt bene animaduertit Caietanus, oportet prius diuinum aliquod lumen aut præceptum à Deo percipere ad hanc cognitionem ex vocibus humanis accipiendam, & non ex sola facili credulitate, aut fiducia moueri ad aliquid coniectandum. 8.

Valentia. Azor. D.Thom. Caiet. Valentia.

Ex motibus, volatu, cantu, & garritu auium, & piscium motu & aliorum animalium, solùm ea futura prænunciari licitè possunt, quorum illæ sunt causæ vel signa: vt pluuiæ, tempestates, venti, serenitas. Cum enim reuera horum sint signa, nulla est superstitio, hæc tunc coniectare; & ratio est, quia hæc animalia nullum habent dominium suarum actionum; sed instinctu quodam naturali mouentur, nec habent simpliciter potentias aliquas spirituales; sed animam tantùm sensitiuam, cuius omnes illius potentiæ externæ, & internæ, si quas præter phantasiam habent, corporales sunt, & corporalium actus organorum, & ideo subiacet anima & phantasia harum auium, & animalium impressionibus corporum cælestium, vnde fit quòd aliquæ operationes illarum diligenter ab hominibus obseruatæ, sint futurorum signa, quatenus conformantur dispositionibus corporum cælestium, & aëris, ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus, mutatio enim aëris afficit spiritus animales, & cerebrum ipsarum auium; quam affectionem statim phantasia illarum percipit, & per modum conuenientis, aut disconuenientis apprehendit; & id exteriùs voce, cantu, garritu, aut volatu si- 9.

ſtitueretur à Samuele de his, quæ dicturus erat, & ita non fuerit locutus niſi ex reuelatione & permiſſione ſibi facta per Samuelem, ideñque tam prophetam, quàm laudem eius Samueli attribui.

18. Secunda ſententia docet, reuerà animam Samuelis fuiſſe quæ Sauli locuta fuit. Ita tenet Iuſtinus *in dialogo cum Tryphone verſus finem*, vbi probat animam eſſe immortalem ex eo quod Samuelis anima à Pythoniſſa Saulis rogatu à mortuis euocata ſit; ibique addit dæmonem quaſi generali lege illius temporis poteſtatem habuiſſe in animam Samuelis. Sed durum hoc creditu eſt, cùm animæ Sanctorum in manu Dei ſint, non dæmonis. Tenet etiam hanc ſententiam

Lyra. Caiet. Abul. D Thom. Pamel. Sotus. Caſtro.

Lyra, & Caietan. *in* 1. *regum cap.* 28. & Abulenſis *ibi quæſt.* 28 & D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 174. *art.* 5. *ad* 4. *&* 1. *part. quæſt.* 89. *art.* 8. *ad* 2. vtramque ſententiam affert Pamelius *in ſcholijs ad Tertullianum lib. de anima cap.* 57. Idem ferè habet Sotus *lib.* 8. *de iuſt. quæſt.* 3. *art.* 2. Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæret. punit. cap.* 14. è noſtris hanc ſecundam ſen-

Suarez. Bened. Per. Menoch. Gaſp. Sanct. Iacob. Tur. Corn. à Lap.

tentiam præfert primæ Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de ſuperſt. cap.* 16. *num.* 18. Benedictus Pereira *in cap.* 7. *Exod.* 18. Menochius, Gaſpar Sanctius, Iacobus Turinus, omnes *ad lib.* 1 *regum c.* 28. *num.* 13. & Cornelius à Lapide *in Eccleſiaſt. part.* 3. *cap.* 46. *verſ.* 23. & plures quos ipſi citant. Probatur, quia in ea propriè & verè ſine vllo incommodo explicantur verba ſcripturæ, quæ in alia ſententia non niſi impropriè & per tropum vix explicari poſſunt. Neque ex hac ſententia ſequitur, quòd animæ Sanctorum ſubſint fraudibus diaboli & magicæ arti, quia anima Samuelis non ex vi artis magicæ, petente id Pythonyſſa, per diabolum euocata fuit à Lymbo, vt cenſuit D. Iuſtinus; incredibile enim eſt diabolum talem habuiſſe poteſtatem ſuper animas Sanctorum eius temporis, quamuis Suarez citatus dicat non eſſe abſurdum id concedere pro illo tempore, & ad id citet D. Auguſt. ad Simplicianum. Sed fuit euocata iuſſu & voluntate Dei: & inde eſt, quod præuenit incantationes Pythoniſſæ, & apparuit priùs quàm magicæ illæ preces, quæ longiſſimæ eſſe ſolent, finirentur, vt colligitur ex admiratione, & metu quem Phythoniſſa concepit aduentu Samuelis. Non enim timuit mulier aſſueta ſpectris, quia vnum videtat, ſed quia præter morem ante finitas & vix inceptas incantationes, ac proinde non ex vi illarum Samuel appareret. Neque obſtant verba illa Samuelis *Tu & filij tui eras mecum eritis*, quia iis ſolùm ſignificatur Saulem & filios eius futuros apud inferos, licet in diuerſa eorum parte, & eum longè diuerſa fortuna. Præterea quamuis anima Samuelis venerit, non erat neceſſarium in proprio, & vero corpore illius venire; quia potuit faciliùs apparere in corpore aſſumpto, & formato ad ſimilitudinem ſui corporis, ſicut Angeli facere ſolent; quamuis enim anima ſeparata non poſſit virtute propria corpus aſſumere, tamen poteſt Deus virtutem illi conferre, vt illud aſſumat; & deinde licet verum corpus Samuelis ibi apparuiſſet, non eſt veriſimile eam fuiſſe propriam, & veram reſurrectionem, quia non fuit neceſſarium tantum miraculum ad effectum ibi intentum, & narratum: ſatis enim erat vt anima Samuelis in illo foret tanquam motor in mobili,

Caſtro. Suarez.

vt per illud loqueretur, vt notauit Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæret. punitione cap.* 14. & Suarez *dicto tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de ſuperſtitione cap.* 16. *n.* 18. *ad finem.* vt accidit cum Angeli aſſumunt aëria corpora, & per illa loquuntur: neque enim maior eſt repugnantia reſpectu huius quàm illius corporis.

Capvt XXXVII.

De Miſſis ſancti Amatoris, & de illis, quæ appellantur Miſſæ Comitis, de nominarum, & reliquiarum geſtatione, de orationibus in herbis colligendis, & animalibus cuſtodiendis; de nouenarijs, & oblationibus cerei eiuſdem magnitudinis cum offerente, & circulorum virgineorum pro parturientibus; de deuotionibus, quibus imagines Sanctorum vinculantur, aut immerguntur, an hæc ſuperſtitioſa ſint.

SVMMARIVM.

Superſtitio eſt, vti certo Miſſarum numero, certis horis, tot candelis talis coloris, itavt in illis ſolùm circumſtantijs innitatur effectus illarum. num. 1.

Miſſa ſancti Amatoris cum certis ceremonijs, vt incipiant in tali die, & tali terminentur, cum tot candelis &c. ſunt ſuperſtitioſa. num. 2.

An liceat venam animalium ſcindere ex conſuetudine à maioribus accepta, in die alicuius Sancti ad eorum incolumitatem, & iumenta nouies circumducere iuxta templum D. Antonij. num. 3.

An Itali peccent ex affectu deuotionis conficientes annulos ex prima pecunia Crucifixo oblata in die Paraſceues ad ſanandos morbos. num. 4.

Colligentes herbas in die Sancti Ioannis Baptiſtæ, & minuentes ſanguinem ſuorum animalium, an excuſandi ſint à ſuperſtitione. num. 5. *&* 6.

An liceat certis verbis pecus incantare, ne à lupis lædatur, vt fit plerumque apud ruſticos. num. 7.

An liceant publicæ ſupplicationes, & peculiares deuotiones, in quibus imagines Sanctorum aquis immerguntur, aut vinculis ligantur, quoadvſque aliquid à Deo nobis impetrent. num. 8.

An ſint ſuperſtitioſæ orationes, quibus ſagæ circulis virgineis vtuntur pro parturitionibus. num 9.

An trina repetitio illorum verborum. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis *vim habeat ad pellendos morbos. num.* 10.

Nouenaria deuotiones quatenus licita, vel illicita ſint. num 11.

Geſtatio nominarum, quatenus licita, vel illicita. num. 12.

Quid de geſtatione reliquiarum. num. 13.

An committentes peccatum veneris cum geſtatione reliquiarum teneantur eam circumſtantiam confiteri. num. 14.

An phylacteria geſtare ſit licitum. num. 15.

IN primis præmittendum eſt, vt iam diximus, vanum, & ſuperſtitioſum eſſe, 1.
vti in cultu diuino vanis, & inutilibus cæremoniis; v. c. certo Miſſarum numero diebus continuis dicendarum, talibus horis, tot, & talis coloris candelis, itavt iis circumſtantiis ita innita

innitatur ille qui illis vtitur; quasi existimet Missarum efficaciam cessaturam, iisdem circunstantiis deficientibus; & ideo Concilium Trident. *sessione* 22. in decreto de obseruandis & vitandis in celebratione Missarum iubet, vt hæ superstitiones in faciendis sacris tollantur omnino, ibi: *Quarumdam Missarum, & candelarum certum numerum; qui magis à superstitioso cultu, quàm à vero, & religioso inuentus est, omnino ab Ecclesia Episcopi remoueant.* & ita docet Alcocer. *in summa cap.* 14. *folio* 45. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 40. Ciruelo *de superst.* 3. *part. cap.* 11. & alij passim. Non tamen, vt optimè ibi animaduertit Sanchez, reprehenditur certus Missarum aut candelarum numerus in memoriam alicuius mysterij, vt duodecim in memoriam 12. Apostolorum; vndecim in memoriam vndecim millium Virginum, dummodo non illi numero ita certò fidatur, vt illum augere aut minuere statim inutile sacrificium putetur.

Alcocer. Sanchez. Ciruelo.

2. Quamobrem Missæ, quas vocant sancti Amatoris cum certis cæremoniis, vt incipiantur, ac terminentur certis diebus absque interruptione, & certo candelarum numero, superstitione laborant. Ita Ciruelo *de superstitione.* 3. *part. cap.* 11. Sanchez allegatus *num.* 41. Christophorus de Rojas Præsul Oxetensis *in sua synodo anni* 1553. *lib.* 3. *titulo de celebrat. Missar. const.* 9. Didacus Ramyrez Episcopus Conquensis *in synodo anni* 1531. *titulo de officio diuino*, vbi de abusibus in missis. Damnant etiam Ciruelo, & Sanchez allegati superstitionis Missas, quas Comitis appellant; & Trigintanarij reuelati, vt soli duo Clerici, & quidem inclusi illis intersint, nec possint pedem extra Ecclesiam ponere, per totos eos dies in quibus eæ 30. Missæ celebrantur; parum enim refert quod triginta sint, 20. aut 25. aut 40. plus, minúsve; neque enim illarum fructus amittitur, quamuis intermpantur. Et mera sanè vanitas, & superstitio est, prohibere sacerdoti illas dicenti, vt non exeat extra Ecclesiam, dum continuus durat numerus dierum, quo illæ dicuntur. Vanitas similiter est, & mera superstitio, ita determinare numerum, & colorem candelarum, vt existimetur eas non profuturas, nisi iis cæremoniis dicantur; & huius opinionis est etiam Caietanus 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. At verò si 30. Missæ dicantur in memoriam trigintanarij S. Gregorij, & quindecim in memoriam quindecennarij S. Catharinæ, imò & ipsæ etiam Missæ S. Amatoris si omni vana superstitione & circunstantia nudentur, nec certo illo numero ita fideles innitantur, vt eo aucto, vel diminuto, putetur fructus amittendus, licitæ erunt, & alicubi sunt hodie in vsu nudatæ iis circunstantiis; vt docet idem Sanchez allegatus *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num* 41. Et forte in hoc sensu locutus est Ildefonsus de Saux Episcopus Iceensis *in sua synodo anni* 1511. *titulo* 2. *de vita & honest. cleric. cap.* 24. dum approbat Missas, quas appellant trigintanarij reuelati; debet enim intelligi dummodo fiant absque cæremoniis, & superstitionibus, ita vt etiamsi interruptis diebus dicantur, non existimentur carere virtute & efficacia sua, alioqui non erit audiendus.

Ciruelo. Sanchez. Christoph. de Rojas. Ramyrez. Caiet. Sanchez. De Saux.

3. Ex dictis deducitur damnandum esse vsum in quibusdam locis à maioribus acceptum miscendi in quibusdam precationibus nonnulla quæ à superstitione vix liberari possunt, vt est v. g. in nonnullis in die certi alicuius Sancti, iumentis venam aperire, & circa templum D. Antonij nouies iumenta circumducere, & ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 31. ignorantia tamen, & bona fides, & intentio vtentium hoc factum à mortali excusabit. Nam si animus illorum esset adhibere eas circunstantias tanquam infallibiliter efficaces ad finem quem intendunt obtinendum, nisi nimia ignorantia interueniret, non essent à mortali excusandi. Sanchez.

4. Similiter solent Itali, vt refert Caietan. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. ex prima pecunia oblata Crucifixo in die parasceues annulum efficere ad sanandos morbos contractionis membrorum. Eum vsum excusat Caiet. 2. 2. *q.* 96. *art.* 4 propter affectum deuotionis, & simplicitatem. Et *in summa verbo, Superstitio obseruationum in fine*, asserit se id non audere damnare, quando efficeretur ex mera deuotione, & non nisi eum effectum à Deo expectando, putando Deum eam deuotionem alicui Sancto inspirasse: Delrio tamen *lib.* 3. *disquisit. magicar. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 2. *paulo post principium*, & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 31. meliùs asserunt doctrinam Caietani solùm inseruire posse ad excusandos eos, qui huiusmodi bona fide vtuntur, non tamen ad dandum petentibus consilium; iis enim respondendum est, id non licere; quia cum lege ordinaria non soleat Deus ea remedia in quibus aliquid apparet vanitatis, inspirare; temerarium est, id sibi facilè persuadere; & saltem res est suspecta. Vnde in his, & similibus circunstantiis attendendus est animus; & intentio illis vtentium; si enim animus sit adhibendi eas circunstantias tamquam per se, & ex se efficaces ad sanitatem, & rerum suarum incolumitatem à Deo obtinendam, est superstitio mortalis, nisi ignorantia, & simplicitas excuset; si verò eas non tamquam per se efficaces ad sanitatem adhibeant, sed tamquam res, quæ inseruiant ad excitandam in se Christi aut Sanctorum recordationem & maiorem animi deuotionem ad intentiùs Deum orandum, & ita à Deo obtinendum quod exoptant, non erit superstitio; & cessante aliorum scandalo, & eius periculo quod timeri non debet, vbi omnes simplici animo iis circunstantiis vtuntur, sustineri posset talis vsus, vt docet Sanchez allegatus *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 31. *ad finem.* Valentia 2. 2. *disput.* 6 *quæst.* 13. *punct.* 2. *columna* 2. Sayro *in claui regia lib.* 4. *cap.* 6. *num* 7. & Delrio *lib.* 3. *disquisit. magic. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 6. *paulo post principium.*

Caiet. Delrio. Sanchez. Sanchez. Valentia. Sayr. Delrio.

5. Quid dicendum de colligentibus herbas in die S. Ioannis Baptistæ, vel minuentibus bestiarum sanguinem, illisque venam aperientibus certo die festo causa sanitatis; Delrio citatus ait prædictos si causam solam naturalem attendant, vanam committere superstitionem, si verò directè hæc Sanctorum meritis adscribant, & causa honorandi Sanctos, illum eis tribuant effectum, non audere se illos condemnare. Verùm non est conueniens actio illa ad sacrum Sanctorum cultum, & est præter morem, modúmque in Ecclesia vsitatum; quare satius erit si commodè fieri posset, hæc extirpare tamquam vana, & superstitionem redolentia, & ex natura sua scandalum afferentia; si verò commodè extirpari nequeant, non sunt condemnanda; sed docendi sunt simplices ac rudes homines de recta intentione, vt à superstitione, ac vana obseruantia liberentur. Sanchez.
Ita Sanchez citatus *num.* 31. *ad finem.* 6.
Nauarrus *in summa Latina cap.* 11. *num.* 36. culpæ Nauar.

pæ

pæ mortalis reos facit illos, qui in die Sancti Ioannis Baptistæ herbas colligunt, & venas animalium scindunt, credendo tali die, aut tali hora, & tempore scissionem vena, & collectas herbas maiorem virtutem habere ad pellendos, impediendosque morbos; id tamen totum intelligendum est iuxta dicta *num. 4. præcedentis*; quando ex eo quòd tali die, & tempore colligantur, scindanturque, credunt illas ex se, & ex natura sua efficaciam habere naturalem ad sanitatem: secus quando eas colligunt, & venas animalium scindunt, iisque res quibus medianti-bus fortiùs excitantur ad id à Deo propter memoriam illius Sancti intentiùs postulandum; & hoc docent Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 32.* Sayro *in claue regia lib. 4. cap. 6. num. 7.* Delrio *lib. 3. disquisit. magic. part. 2. quæst. 4. sect. 6.* Valentia 2. 2. *disputat. 6. quæst. 13. punct. 2. columna. 2.*

Sanchez. Sayro. Delrio. Valent.

7. Non est tamen superstitiosum, neque illicitum in floribus, herbis, fructibusve colligendis, aut animalibus custodiendis, vti certis verbis sactis; sacrasque preces adhibere, ad eam rem compositas, & accommodatas; quò ab illis morbi, & quicquid malum, aut aduersum est, auferantur; dummodo spes non ponatur in aliqua vanitate; v. e. in litteris, in syllabis, in nudis ipsis nominibus, sed in Deo. quod videtur docere D. Aug. relatus in cap. *Non obseruetis 26. quæst. 7.* & D. Thom. 2. 2. *quæst. 96. art. 4. in fine corporis*, qui asserunt in herbarum collectione nullas vanas obseruationes esse permittendas, ad orationem Dominicam, & symbolum fidei recitanda; & docet Azor. *tom. 1. lib. 9. c. 26. quæst. 7.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 33.* Non approbo tamen morem vsitatissimum, qui apud rusticos Lusitanos prope montem stellæ percrebuit, & inde per circumuicinas illas regiones deriuatus est; ij enim in custodiendo suo pecore certis verbis vtuntur, quibus à luporum rabie sutum credunt, & nullo custode relinquunt, quod illi pecus amentare vocant; & asserunt experientia compertum esse nihil vnquam mali à lupis accepisse pecus illud, quod prædictis verbis fuit amentatum, quamuis lupi illud circumstent; ego potius dicerem pecus incantare, hoc enim esse non putest, nisi ex vi alicuius pacti dæmonis, quod certis, & determinatis verbis est obligatum. Euidens enim est, verba illa non posse esse causam naturalem talis effectus, ac subinde esse certa signa alicuius pacti; sicut enim serpentes pacto dæmonis certis verbis incantantur, vt patet ex Psalmo 57. *Sicut aspidis surda obturantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantis*; ita & oues certa verborum prolatione ex eodem pacto censendæ sunt incantati, ne luporum morsibus pateant, aut potius lupi ne eas inuadant; quod genus incantationis prohibetur passim in sacra pagina Deut. 18. Isaiæ 47. 2. Paralipom. cap. 33. & maximè in Leuitico cap. 20 ibi, *anima quæ secuta fuerit ventriloquos vel incantatores, obfirmabo faciem meam contra illam, & perdam de populo suo*; & ideo edocendi sunt huiusmodi rustici de fallacia dæmonis, & condemnandi ad mortalem culpam, nisi edocti à Prælatis suis ab amentatione illa, seu potius incantatione desistant; si tamen bona fide, & simplicitate illis verbis vtantur, credentes ibi nullum pactum dæmonis adesse, dum non edocentur, à mortali excusabuntur.

D. August. D. Thom.

Azor. Sanchez.

8. Vanæ etiam, & superstitiosæ, & minimè ferendæ sunt speciales illæ deuotiones & publicæ supplicationes, in quibus imago alicuius Sancti in flumine immergitur, vinculaturque, & sic ipse immersus, aut vinculis alligatus tenetur, donec pluat, aut beneficium aliquod à Deo obtineatur. Primò, quia hæc nec virtute naturali, nec ex institutione Ecclesiæ, nec ex reuelatione diuina effectum habent ad impetrandum à Deo beneficium petitum, & quantum est ex se, impium est velle vi à Deo, & Sanctis beneficia impetrare; nihil enim aliud est quàm velle, vt Sancti obediant taliter facienti, & ideo hæc vana, vt contrari receptio Ecclesiæ vsui à Sanctis reprobantur. Ita docet Nauarrus in cap. *Quando cap. 6. num. 46. de consecrat. dist. 1.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2 cap. 40. num. 34.* Nauar. Sanchez.

9. Vanæ rursus & superstitiosæ sunt orationes illæ, quibus sagæ circulos virgineos benedicunt pro parturientibus, vel morbo laborantibus, admixtis verbis exoticis; quæ nec ipsæ intelligunt, nec fortassis intelligibilia sunt, additisque superstitiosis cæremoniis, halitus, saliuæ, sufflatus oscitationis &c. nam neque hæc vim aliquam naturalem habeant ad eos effectus producendos, neque ab Ecclesia ad id sunt instituta, aut approbata; ita Nauarrus allegatus numero præcedenti *num. 49.* & Sanchez item allegatus *n. 35.* Nauar. Sanch.

10. Hinc perspicuum est sano modo intelligendum esse id, quod docet Cassiodorus psalmo 115. multos à variis morbis fuisse recreatos, ac sanatos trina recitatione huius versiculi illius *Psalm. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*; intelligendum enim est id, itavt non propter ipsam trinam repetitionem, sed propter eleuationem ægroti ter versiculum illum in honorem Sanctissimæ Triadis repetentis, id Deus efficiat, vt optimè notant Sanch. *tom. 1. Decalog. lib. 2. c. 40.* & Delrio *lib. 3. disquis. mag. p. 2. q. 4. sect. 3. fin.* Sanch. Delrio.

11. Deuotiones, quæ Nouenariæ appellantur, licitæ sunt, modò illas facientes non credant valore suo destitui, si prædictæ suæ deuotiones v. c. itiones ad templum, orationes ibi fusæ, tacta, quæ fieri iubent, si minus aut plus quàm nouies fiant, & modò etiam non credant eas non prodesse nisi offeratur candela eiusdem magnitudinis, cuius est offerens, credendo maiorem, aut minorem non sufficere; & idem iudicium esto de aliis similibus. ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num 37.* Gerson. 2. *part. tractatu de absolutione sacramentali alphabeto 33. littera L.* Si tamen hæ nouenariæ ex simplicitate fiant cum aliquibus ex his circunstantiis inutilibus, non illico sunt condemnandæ; sed docendi sunt fideles piam esse eam deuotionem in memoriam mysterij nouem mensium, quibus Virgo Sanctissima Christum Redemptorem nostrum in vtero gestauit, vel in honorem Sancti, sed si fiat piè, & decenter, & non ita illi innitendum, quin eæ preces in minori numero, vel maiori nihil prosint ad beneficium obtinendum, sed ea quoque prodesse in minori numero, & candelam in minori magnitudine. Vide Delrium *lib. 3. disquisit. mag. 3. part. quæst. 4. sect. 7. & 8. & lib. 6. cap. 2. sect. 1. tota quæstione 1.* Sanchez. Gerson. Delrium.

12. De gestatione nominarum, quæ collo appensæ afferuntur, an licita sit, dubitat Cerrelus *de superstitione part. 3. cap. 4. initio*, & tandem ponit aliquas circunstantias, in quibus illarum gestatio non est licita. Dicendum tamen est nominarum gestationem sanctarum licitam, & laudabilem esse, vsuque receptam, modo nullam habeant Cerrel.

beant vanam, & superstitiosam circunstantiam. v. c. vt sic, vel sic sint scripta verba sacta in illis conteota in chatta pergaminea, non papyracea, à Virgioe puella non ab alia persona tali tempore, tali hora, tot filis assuta, vel talibus appensa, vel inclusa in theca talis formæ, talis figuræ, talis materiæ, aut metalli, non in alia: item oportet, vt nulla adsit figura præter signum Crucis vel aliud pium, nulla imago præter Christi, aut Sancti alicuius non, item vt nulla barbara, & incognita nomina Angelorum in eis scripta sint, nec quicquam aliud, quod vanitatem, vel mendacium redoleat. Ita communiter DD. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 26. D. Thom. 2.2. *quæst.* 96. *art.* 4. D. Anton. 2. *part. titul.* 12. *cap.* 1. §. 13. Angelus *verbo*, *Superstitio. num.* 7. & ibi Syluester *quæst.* 10. *dict.* 4. Armilla *verbo*, *Sortilegium num.* 3. Tabiena *verbo*, *Sors quæst.* 7. *n.* 8. Nauarrus *in summa cap.* 11. *num.* 35. Citelo *de superstitione part.* 3. *cap.* 4. Delrio *lib.* 3. *disquisit. magicar. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de superstitione cap.* 15. *num.* 11. Sayro *in claui regia lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 6.

Sanchez. D. Thom. D. Anton. Angel. Syluest. Armill. Tabiena. Nauar. Citelo. Delrio. Suarez. Sayr.

13. De reliquiis Sanctorum est specialis difficultas, an liceat eas collo suspensas gestare. Negat Aogelus *verbo*, *Reliquia. num* 4. negat etiam Ciruelo *de superstitione part.* 3. *cap.* 4. Primò, ex eo quòd non constet verè, an sint alicuius Sancti. Secundò, quia quamuis constet, tamen iure prohibentur de loco ad locum transferri absque Episcopi licentia, vt patet ex capite, *Corpora. de consecrat. distinction.* 1. & ex concilio Brachareosi 3. *cap.* 5. vbi reprehenduntur Episcopi, qui in Martyrum solénitatibus ad Ecclesiam processuri reliquias collo suspensas gestabant. Sed dicendum est id esse omnino licitum, & pium, quod, & pius Ecclesiæ vsus probat, & publica deuotio confirmat, modò nulla vana circunstantia ex iis, quas numero præcedēti retulimus, addatur: & ratio est, quia hoc non est per se, & ex obiecto suo malum, & ita noo est prohibitum iure naturali, nec vllam indecentiam, aut malitiam coniunctam habet. Nec etiam iure Ecclesiastico interdicitur, quia in capite, *Corpora.* allegato, de sola translatione corporum Sanctorum agitur, cum de propria sepultura in locum alium transferuntur. Coocilium Brachatense non reprehendit Episcopos eo quod reliquiis illis collo suspensis Ecclesiam ingrederentur; sed reprehendit illos, eo quod ob vanam hominum ostentationem, & inanem gloriam in maioribus solemnitatibus faciebant, vt super Leuitarum humeros in sellulis portarentur. ita docet Vasquez *de adoration. imag. lib.* 3. *disput.* 3. *cap.* 8. *num.* 115. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *Instit. moral. cap.* 8. *quæst.* 6. Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de superst. cap.* 15. *num.* 16. Sayro *in claui regia lib* 4. *cap.* 6. *num.* 8. Delrio *lib.* 3. *disquisit. mag. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. & D. Thom. 2.2. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 3. Nauarr. *in summa Lat. cap.* 11. *num* 35. & alij.

Angel. Ciruelo. Vasq. Azor. Suarez. Sayr. Delrio. D. Thom. Nauarr.

14. Dubium est, an committentes veneris peccatum reliquias è collo appensas gestando, teneantur eam malitiam, & deformitatem in coofessione explicare, & an ratione circunstantiæ gestationis illarum, reddatur illud peccatum sacrilegum? Videtur affirmare Philiarchus *de officio sacerdotis tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *ad finem in versiculo.* 4 *peccat*; ibi enim inter peccata abusus reliquiarum numerat, si eas gestans viuat licentiosè. Negat tamen Sanchez & veriùs *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 28. quamuis enim id sit aliqualis irreuerentia, non tamen, inquit, continet notabilem deformitatem necessariò in coofessione aperiendam, cuius non mediocre signum est, quod nullus eorum Doctorum, qui de sexto præcepto tractarunt, huius circunstantiæ meminerit, cum tamen singulas exactè discutiaot: & id docet etiam Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *Institut. moral. cap.* 8. *quæst.* 6. vbi ait non grauius peccare eum qui eas gestat peierando, furando, detrahendo, maledicendo, quàm si non gestaret, & idem diceret de fornicatione; quia illam quæstionem generaliter mouet, & illa peccata gratia exempli apposuit. Et ratio est, quia nullo iure speciali id prohibetur, nec indirectè cultui reliquiarum, aut imagioum opponitur. Cum id non sit turpis illarum contrectatio.

hiliarch. anchez. Azor.

15. Nec obstat. *cap.* 1. 26. *quæst.* 5. vbi phylacteriis vtentes anathemate vuloerantur; neque etiam obstat quod *cap.* 4. Clerici illis vtentes eiici ab Ecclesia iubeantur, nam *cap. vltimo, eadem* 26. *quæst.* 5. bene explicatur quid per phylacteria intelligendum sit, vbi D. Isidorus, cuius ille textus est, asserit phylacteria esse ligaturas execrabilium remediorum ad corporis sanitatem, quæ ars medica ooo commendat, & hæc phylacteria reprehendit etiam D. Augustinus *tract.* 7. *in Ioannem, & lib.* 2. *de doctrina Christiana cap.* 25. & refertur *cap. Illud* 26. *quæst.* 2. *& capite, Neque mirum* 26. *quæst.* 5. in huiusmodi enim ligaturis, quas medicorum disciplina oon commendat, sed damnat, siue in precationibus, siue in characteribus, siue in quibusdam aliis rebus suspendendis, vel gestandis consistant, pactum dæmonis certò adest, & sola signa suot expressæ societatis, & amicitiæ cum dæmone; vnde hæc cuncta optimo sunt Christiano deuitaoda, & omni prorsus execratione repudianda, vt docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 29. Simancas *de cathol. Inst. titulo* 63. *num.* 19. Delrio *lib.* 3. *disq. mag. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. D. Anton. 2. *part. titulo* 12. *cap.* 1. §. 13. & D. Chrysost. *homilia ad populum* 21. quem omnino lege.

D. Isidor. D. August. Sanch. Simanc. Delrio. D. Anton. Chrysost.

Capvt XXXVIII.

De diuinatione per astra; agitur de vera, & falsa astrologia: quæritur vtrùm omnis prædictio ex astris sit licita, vel illicita.

Svmmarivm.

Datur vera, & falsa astrologia, quæ sit vera, quæ falsa. num. 1. *Cælum & sydera habent virtutem naturalem ad producendos effectus naturales pluuiæ, siccitatis, caloris &c.* *ibid.*

Falsa, & iudiciaria astrologia, non est vera scientia, sed vana superstitio, cum effectus liberos pendentes ex hominum voluntate rimari velit. num. 2. *&* 7. *Effectus liberi cognosci non possunt nisi à solo Deo.* *ibid.*

Iudiciaria astrologia coniectans de casibus fortuitis, an sit licita, & qui sint casus fortuiti, & contingentes. *num.* 3.

Quæ prædictio ex astris sit licita, vel illicita. num. 4. 5. 6. 7.

Iudiciaria astrologia prohibetur à Xisto V. etiam si iudiciarij asserant in suis iudicijs & horoscopis se

ſe id non tanquam certum affirmare. *num.7.*

Peccant mortaliter iudiciarij aſtrologi, qui ex aſtris de voluntate hominis inquirunt, etiamſi credant id quod dicunt, non eſſe certum; ſed probabile tantùm. *num.8.*

An liceat per aſtrologiam coniectare ex puerorum natalitijs, illorum temperamentum, & complexionem, ac propenſionem ad iram, & manſuetudinem, aut ad venerem &c. *num.9. & 10.*

Quare dæmones & aſtrologi aliquando certò prænuncient aliquos euentus contingentes, & effectus pendentes à libera hominum voluntate. *num.11.*

Inuentores artis iudiciariæ, quæ prænunciat de euentibus contingentibus, & de effectibus pendentibus à libera hominum voluntate, diaboli fuerunt. *num.12.*

1. DARI veram, & falſam aſtrologiam certum imprimis eſt; vera, quæ naturalis, falſa, quæ iudicialis appellatur; concordat vtraque nominibus, & operibus; vtraque enim ex aſpectibus, & conſtellationibus, ſplendoribus, & ſtellarum ſitu futura prænunciat. Hoc tamen inter veram, & falſam aſtrologiam manifeſtum diſcrimen eſt, quòd vera, & naturalis eſt ars, & ſcientia veriſſima, & prænunciat res, & effectus naturales ex cauſis naturalibus; ex motu enim, & aſpectu ſtellarum prænunciat futuras eclypſes, & quia ſtellæ in terram, & elementa, ac corpora inferiora, & ſublunaria influunt, & in aëre, terra, aqua, mari, & corporibus humanis effectus naturales cauſant phyſicè, inde eſt, quòd Aſtrologi per conſiderationem ſtellarum prædicunt, nonnunquam futuram pluuiam, ſiccitatem, ventos, morbos, ſanitates. Nec mirum eſt; habent enim cœlum, & ſydera virtutem naturalem ad producendos effectus ipſos naturales, vt ſunt cauſæ phyſicæ, & naturales illorum, vt teſtatur manifeſtè ſacra pagina. Cum enim Deus creauit Cœlos, Lunam, Solem, & ſtellas, ſtatim addidit Geneſeos 1. 14. *Diuidant diem, ac noctem. & ſint in ſigna, & tempora, & dies. & annos.* Vnde cum ſydera, Sol, Luna & planetæ ex Dei inſtitutione creata ſint ad diſtinguenda tempora, dies, menſes, & annos, & producendos hos effectus naturales, qui illarum virtutem, & vim perfectiùs cognouerit, perfectiùs etiam hos prædicet, & prænunciabit effectus. Quamobrem in iudiciis ſerenitatis, temporis futuri, humiditatis, ſiccitatis, ventorum, pluuiarum, morborum, & ſanitatum, nulla vanitas, nulla reperiri poteſt ſuperſtitio: habent enim hæc omnia cauſas naturales, certas, & ſtabiles, vt dixi; & quamuis nonnunquam Aſtrologi etiam nobiliſſimi in prædictis temporum iudiciis fallantur, & errent, mirum id planè non eſt ob duplicem cauſam. Primò, quia ſcientia in ſe eſt difficillima; pendet enim ex variis obſeruationibus, & occurſibus ſtellarum; quarum comprehenſio eſt difficillima. Secundò, quia volunt aliqui aſtrologorum nomine nobilitari, cum tamen eiuſdem ſcientiæ parum aſſequantur.

2. Falſa verò & iudiciaria Aſtrologia non eſt ars, nec ſcientia, imò potiùs vana quædam & execranda ſuperſtitio, vt optimè notat Ciruelus *de ſuperſtitione 2. part. cap. 4.* iudiciarij enim ex conſtellatione, & conſpectu ſtellarum neſario auſu præſumunt voluntates hominum ſcrutari, & effectus liberos à libero arbitrio pendentes prænunciare, ac diuinare, quos tamen Deus ſolum — Ciruelus.

ſibi reſeruauit iuxta illud ſacræ paginæ, *ſcrutans corda, & renes Deus,* & Eccleſiaſtes cap.8. *multa hominis afflictio; quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuncio;* & Eſaias cap.41. *Annunciate quæ ventura ſunt, & ſciemus, quia dij eſtis vos.* Vnde D. Chryſoſtomus in homilia 18. in Euangelium Ioannis, *hoc vel maximè opus Dei eſt; quod neque dæmones imitari poſſunt, quamtumuis mirum in modum admitantur.* Eſt enim voluntas hominis partim nobis inſcrutabilis, & ſoli Deo nota, partim varia, & mutabilis, & adeo libera, vt quod modò diſplicet, poſt parum placeat, & quod modò placet, ſtatim diſpliceat. Vnde cum cauſa horum effectuum non ſit firma, certa, & ſtabilis, firmos, & ſtabiles effectus producere non poteſt. Velle ergo ferre firmum, & certum iudicium circa effectus pendentes ex cauſa incerta, & variabili, ſtultum pene, ac impoſſibile eſt. Superſtitioſus ergo Aſtrologus ille eſt, imò falſus diuinus, & ariolus, qui ex conſideratione & aſpectu iudicium certum ferre voluit v. g. quòd Comes, aut nobilis, qui ad Regem accedit, ab illo optimè, & perhonorificè excipietur, quòd vxor illius fidelitatem ei præſtabit in abſentia, quòd amici, & famuli ei fideles erunt, quòd odium, vel gratiam coram hominibus, & principibus ſit adepturus, & ſic de cæteris aliis liberis effectibus; in libera enim hominum voluntate eſt, non in vi, & virtute ſtellarum, odio, vel amore alium proſequi, ei fidum, infidúmve eſſe amatorem, aut proditorem; & velle accommodare aſpectus ſtellarum, & ſitus illarum ad hominum voluntates, quaſi illæ in voluntatem hominum influant, & ſint cauſæ horum effectuum, hæreticum planè eſt, & aufert liberum arbitrium, vt ſtatim ampliùs patebit.

Præter hos effectus liberos pendentes tanquam ex vera cauſa ex mera hominum libertate, & voluntate, qui ideo ſciri non poſſunt, & præter illos naturales de quibus num.1. egimus, qui habent cauſas merè naturales certas, & ſtabiles, & propterea poſſunt naturaliter ſciri, prædici, atque prænunciari; ſunt etiam alij effectus naturales, ſeu contingentes; qui euentus contingentes, & caſus fortuiti appellantur, quia ſæpe hominibus nihil tale opinantibus contingunt, vt. v. c. quòd homini eunti in forum tegula è tecto cadens caput obtundat, quòd in via dum iter facit quis, ſacculum auro plenum à præeunti amiſſum inueniat, item quòd ab homine fodiente ſepulchrum inueniatur theſaurus, quòd iter facienti in forum, amici, vel inimici ei obuij futuri ſint, quòd nauigans in Indiam hoſtiles naues in nauigatione inueniet, quòd in nauigatione peribit nauis; hi enim caſus, & ſimiles euentus fortuiti licet naturales ſint, cum tamen non habeant cauſas naturales fixas, & permanentes, ſed ex accidentario concurſu, & impedimento cauſarum naturalium rarò contingant, cauſam certam in aſtris habere non poſſunt, & ideo ex illis hos effectus inueſtigare, & coniectare vitium planè ſuperſtitioſæ diuinationis eſt, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 95. art. 1.* Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de ſuperſt. cap. 12. num. 28.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 30.* Ciruelo *de ſuperſt. 2. part. cap. 3.* Ratio verò fundamentalis eſt; quia huiuſmodi euentus caſuales præter diuinam prouidentiam, & extra Deum, non habent cauſam certam per ſe, vt docet Ariſtoteles in 6. Metaphyſ. nam ſolus Deus ſua infinita ſcientia, & prouidentia, omnia comprehendit, & ipſum — 3. — D.Thom. Suarez. Sanch. Ciruelo.

etiam

etiam occursum contrariarum causarum aut intendit, aut sæpe ex certa scientia permittit. Dices, per astrologiam non inspicitur tantum vna, vel altera stella, sed concursus, & occursus omnium stellarum; ergo in collectione omnium poterit cognosci effectus casualis futurus. Respondeo negando consequentiam; quia homo non potest omnium stellarum etiam fixarum concursum, vim, & naturam exactè cognoscere; quod necessarium erat ad talem cognitionem; & quia casualis effectus non solùm pendet ex collectione multarum stellarum, sed etiam ex causis inferioribus, & materiæ dispositione; quæ in astris cognosci non potest, neque ab illa arte considerare. Vnde neque Angeli ipsi possunt naturali virtute hos casuales effectus ex solis astris prænunciare, & cognoscere; sed indigent comprehensione omnium aliarum causarum tam efficientium; quàm materialium; quæ in tali punctu occurrere non possunt, vt optimè docet Suarez allegatus.

4. Ex dictis certa hæc, & stabilita conclusio elicitur. Non omnis prædictio ex astris per se mala, & prohibita est; sed illorum tantùm euentuum quorum astra causa esse non possunt, vt sunt ea quæ ex libero arbitrio tamquam ex integro, vel partiali principio, aut ex mera, & diuina voluntate, & prouidentia Dei pendent; vnde naturalis astrologia est licita, & non prohibita, iudiciaria verò illicita, & prohibita. ita D. Th. 2. 2. *quæst.* 95 *artic.* 5. Lessius *tom.* 1. *de iustitia lib* 2. *cap.* 43. *dub.* 6. *num.* 42. Ciruelo *de superstitione* 2 *part. cap.* 3. & 4. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superstitione cap.* 11. *num.* 2. & 5. Sanchez cum multis *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *à num.* 7.

D Thom. Lessius Ciruelo. Suarez. Sanchez.

5. Conclusio habet quatuor partes. Prima, quæ asserit solos illos effectus naturales qui causas habere possunt, in astris licitè prædici posse, statim probabitur in tertia conclusionis parte. Secunda quæ asserit effectus liberos, vel partialiter vel totaliter non posse prædici ex astris, probabitur in quarta, & vltima parte illius; atque ita probata tertia, & quarta conclusionis parte, probata manet conclusio. Tertia igitur conclusionis pars asseritur ab omnibus & præcipuè à Suario, Lessio, & Ciruelo, & Sanchez allegatis numero præcedenti. Ratione probatur. Primò, quia hæc scientia est effectuum naturalium, & considerat causas naturales talium effectuum; considerat enim ex effectibus syderum & planetarum vim naturalem, & ex situ, & oppositione, splendore, aspectúque illorum considerat effectus naturales, quos physicè producunt. Ergo est licita talis scientia; & aliunde nullibi in iure prohibetur, quia in Bulla Xisti V. 21. incipit *Cæli & terræ moderator Deus*: in qua astrologia idicialis damnatur, quæ de futuris euentibus prænunciat, statim hæc naturalis excipitur ibi *Exceptis dumtaxat futuris euentibus, ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent*; & infrà ferendo legem contra iudiciarios addit. *Præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam*. Et ratio est, quia hæ artes vtuntur obseruationibus effectuum naturalium, syderum, & planetarum; & pendent ex constellatione illorum ex ventis, & pluuiis, & serenitatibus, siccitate, aut humiditate; quæ possunt causari ab stellis. Vnde prænunciare poterunt astronomi naturales bonam, vel malam nauigationem in generali, fertilem, aut sterilem fructuum nouitatem, & futuros morbos, aut sanitatem.

Nec obstat quòd sæpe fallantur, & errent in his iudiciis ferendis, quia ars, & scientia certa est, & possibilis, respectu tamen hominum illa cognitio est valde difficilis; quia effectus illi non pendent ex vna tantùm, vel ex duabus stellis, sed ex multis, quarum cognitio est perdifficilis; & sæpe stellæ fixæ possunt impedire actiones, & effectus planetarum, & econuersò planetæ possunt impedire effectus stellarum; & quia effectus hi non solùm pendent ab stellis & planetis causisve cælestibus; sed etiam à causis inferioribus, à dispositione aëris, aquæ, & terræ; non solùm prout se habent in vno loco, sed etiam in diuersis; inde non est mirum si errent: sed hoc per se loquendo non est vitium scientiæ, sed eorum qui eam profitentur, nec est res illicita per se loquendo, aut peccatum ad superstitionem pertinens; quia nullum pactum implicitum ibi interuenit, & causas naturales certas habere potest, sed est temeraria, & imprudens assertio contra puram, & synceram veritatem; & peccatum tantùm veniale ex genere suo, nisi nocumentum aliquod publicum, aut malum particulare timeatur, imò erit etiam peccatum arrogantiæ. Quare debent esse huiusmodi astronomi modesti, & cauti in prænunciandis huiusmodi effectibus, & ferendis iudiciis. Ita Suarez *tom* 1. *de religione lib.* 2. *de superst. cap.* 11. *à num.* 5. *vsque ad* 8. & omnes quos citaui *num.* 4. At prædictio effectuum seu euentuum casualium de quibus egimus *num.* 3. vt quod cadens è tecto tegula caput prætereuntis obtundet, quod à fodiente sepulchrum inueniretur thesaurus, & similia, vera esse non potest, sed vana, & superstitiosa; quia effectus per accidens contingentes non habent vnam causam naturalem; cuiusmodi est virtus stellarum, quia quod per accidens fit, neque est ens propriè, neque vnum, vt quod lapide cadente fiat terræ motus; non enim est hoc simpliciter vnum; sed simpliciter multa: operatio autem naturæ, & naturalis scientiæ semper terminatur ad vnum, sicut procedit ab vno principio quod est causa, & forma rei naturalis, vt optimè docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 95 *art.* 5. *in corpore*.

6. Suarez. D. Thom.

Vltima pars conclusionis; quæ asserit Astronomiam, seu astrologiam iudiciariam esse per se malam & prohibitam, probatur facilè. Et imprimis quòd sit per se mala, patet manifestè, quia tollit liberum arbitrium, & libertatem, & vult reducere effectus liberos ad causas physicas & merè naturales; quod de se malum est, imò impium, & causa multorum malorum; si hoc enim ita esset, peccata hominum, furta, adulteria, & homicidia, & reliqua omnia flagitia causis naturalibus, & cælestibus signis tribuerentur, non hominum libertati, ac proinde peccata non essent, sed physicè, & naturaliter fierent. Probatur etiam, quia corpora cælestia non possunt influere in actus liberi arbitrij, & in intellectum, & rationem hominis; corpus enim non potest influere nisi in res corporeas, intellectus autem neque est corpus, nec actus organi corporei, & consequenter nec voluntas in qua formaliter consistit libertas. Vnde cum nullum corpus possit aliquid imprimere, nisi in rem corpoream, impossibile est, quod corpora cælestia directè imprimant in intellectum aut voluntatem; hoc enim perinde esset, ac dicere intellectum non differre à sensu. Ex quo fit, quòd Sol, cœlum, astra, 7.

planetæ & corpota cœlestia non possint esse causa operationum liberi arbitrij; possunt tamen ad hoc dispositiuè inclinare, quatenus imprimunt in corpus humanum & vires sensitiuas; quæ sunt actus corporalium organorum, & inclinant ad humanos actus liberos qualitatem aliquam disponentem vires sensitiuas ad operandum; quia tamen omnes vires sensitiuæ obedire possunt rationi, vt docet Philosophus *lib. 3. de anima textu 42. & 47. tom. 2.* nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur; vnde sequitur, quòd contra inclinationem & impressionem cœlestium corporum possit adhuc homo operari, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst 95. art. 5. in corpore*, Caietanus *ibi*, & communiter DD. Quod verò iudiciaria sit probibita, & ideo prohibita quia per se mala est; probat primò. Martinus Delrio *lib 4. disquisition. magicarum cap 3. quæst. 1.* & Suarez allegatus *num. 13.* ex illo Isaiæ 47. *Stent, & salutent te augures cœli, qui contemplantur sydera vt ex eis annuncient ventura tibi:* Est enim ibi quædam imprecatio, vbi loco Augurum vertunt Septuaginta, *Astrologi cœli*, & D. Hieronymus ibi, *qui vocantur Mathematici. & astrorum cursu, lapsuque res humanas regi arbitrantur.* Ex quo loco, inquit Suarez, intelligimus quoties scriptura augures detestatur, detestari etiam iudiciarios Mathematicos. Secundò ex illo Hieremiæ 10. *Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vana sunt.* Tertiò ex Concilio Toletano 1. in assertione fidei. *Si quis Astrologia existimat esse credendum, anathema sit.* Quartò ex cap. *Non liceat 26. quæst. 5.* vbi prohibentur Christiani, *obseruare Luna, & stellarum cursus; aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda:* id est, regenda. Intelligitur autem hoc caput, vt ait Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2 de superstit. cap. 11. n. 14.* iuxta subiectam materiam de obseruatione Lunæ, & stellarum inani, & superstitiosa iuxta Gentilium traditionem; plura vide apud Suarium. Vltimò prohibetur Astrologia iudiciaria à Xisto V. in moto proprio 21. incipit, *Moderator cœli, & terræ*, ibi: *Statuimus, vt contra facientes iudicia, & natiuitates hominum quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non certò affirmare asserant, aut protestentur, &c. inquirant & procedant, & in eos seueriùs canonicis pœnis & alijs eorum arbitrio animaduertant.* Vbi, vt notat Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstitione c. 11. num. 30.* iudicia mathematicorum prohibet, & iudicia eorum qui simpliciter, & absolutis verbis hæc futura contingentia prænunciant in particulari. v. c. hunc futurum esse Episcopum, vel Ducem, latronem ducturum Martham in matrimonium, liberos habiturum, diuitias, inimicitias, taliter obiturum, aut similia; vel reuelant particularia facta omnino occulta. & meritò hæc iudicia à Summo Pontifice damnantur, vt diximus, licet post latum iudicium affirment, & protestentur Mathematici se id non dicere tanquam certum, sed tanquam probabile, aut tanquam opinione dignum: quia si illa euasio concederetur, nullus posset conuinci; nunquam enim illi dicunt hoc infallabiliter esse euenturum, imò fatentur in generali interdum sua principia deficere; & ideo licet in his prædictionibus expressè dicant, se non affirmare id tanquam certum, nihilominus coram Ecclesia puniendi sunt.

D. Thom. Caiet. D Hyerom. Suarez.

Ita Suarez ibi. Et ratio esse potest, quia ille modus prænunciandi futura sub illa protestatione adhuc inclinat homines ad vanas superstitiones, & quia semper præsumitur ea verba proferri ad occultandam malitiam, & diuinationem, & reuera illa est vera diuinatio. Suarez.

8. Imò addit Suarez ibi *num. 31.* & doctè quidem, & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 33.* & Lessius *lib. 2. de iust. cap. 43. dub. 6. num. 42.* & alij, quos citat Sanchez allegatus, etiamsi Astrologus, qui hæc iudicia fert, credat interius id quod verbis declarat, iudicium scilicet, illud non esse certum, sed probabile, adhuc peccare mortaliter, & superstitiosè agere. Fundamentum illius est, quia ex solis astris comparari non potest notitia talium futurorum vel occultorum, ita probabilis, vt dici possit id esse probabile, ac proinde qui ex solis astris scientiam prædictam inquirit saltem vt probabilem; tacitè vult ex scientia & pacto dæmonis talem cognitionem comparare; confirmatur, quia illa diuinatio etiam sub specie probabilitatis solùm habet fundamentum in regulis artis iudiciariæ, illæ autem regulæ non possunt habere probabilitatem ex solis astris, & ideo damnantur, vt industria dæmonum introductæ, & hoc idem bene confirmant verba illa Hieremiæ suprà relata, *& signa cœli nolite metuere*; non enim irrationabiliter timerentur, si iudicium probabile, & cognitionem humanam conferre possent. Vnde cautè legendi sunt Toletus *lib. 4 summæ cap. 15. num. 6.* Rodrig. *tom. 1. summæ cap. 7. num. 3.* Sayro *in claui regia lib. 4. cap. 7. num. 4* & Valentia 2. 2. *disp 6. quæst. 12. punct 3. columna 1. versu, Iam verò.* Et rectè intelligendi sunt, quatenus dicunt hoc malum esse, & perniciosum, superstitiosumque, quando Astrologi hæc tanquam certa prænunciant. In quo videntur supponere non esse illicitum, neque malum, nec superstitiosum, ac proinde nec prohibitum hæc prænunciare tanquam probabiliter futura, intelligendi enim sunt de aliquali probabili suspicione non ex astris solis habita; sed ex aliis circumstantiis, & causis particularibus, vt ex temperamento personæ, & ex actionibus iuxta ea quæ dicemus num. sequenti, & ita eos intelligit Sanchez allegatus hîc *n. 33.*

Suar. Sanchez. Lessius. Tolet. Rodrig. Sayro. Valent. Sanch.

9. Non est tamen per se malum, nec vniuersaliter prohibitum ex constellatione stellarum, & aspectu corporum cœlestium, obseruata pueri natiuitate, coniectare temperamentum, & complexionem illius, & ex illo aliqualiter probabiliter suspicari naturalem inclinationem futuram, v. c. propensionem ad iram, ad mansuetudinem, ad libidinem, ad amicitiam, ad hæc, vel illa exercitia naturalia; hæc autem non solùm tanquam certa, sed etiam tanquam nimium probabilia prædicere, licet superstitiosum non sit, nec iure positiuo damnatum, stultum tamen est, nec sine aliqua culpa temeritatis, & audaciæ fit. Ita docet Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superstitione cap. 11. num. 8.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 2. cap. 38. num. 82.* Salas 1. 2. *quæst. 9. art. 5. disput. 2. sect. 8. num. 79.* Rodriguez *num. 79. & tom. 3. summæ cap. 7. num. 3.* deducitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst. 95. art. 5. in corpore*, quatenus asserit corpora cœlestia posse imprimere in sensus humanos, & potentias sensitiuas hominum, quæ sunt actus corporalium organorum, & disponunt, atque inclinant ad actus liberos; quia tamen omnes potentiæ corporeæ & vires sensitiuæ obediunt rationi, & voluntati hominis, nihil

Suarez. Sanchez. Salas. Rodrig. D. Thom.

nihil certum ex hoc colligi potest. Probat igitur Suarez in hac coniectatione nullam esse malitiam per se in hunc modum. Primò, quia hic actus coniectandi merè naturalis est, temperamentum enim, & complexio corporis humani à causis naturalibus procedit; ergo verosimile credi potest, magnam vim in eo habere cælestes influentias, ergo ex illis aliquid probabilitatis coniectare non est per se malum, quia nec pactum implicitum continet, nec fundamentum habet in astris, vt in puris signis; sed vt in causis naturalibus, neque etiam est de se alicui damnosum, vt patet ergo non est per se malum.

10. Neque etiam aliquo iure positiuo est prohibitum, vt ibidem docet Suarez: Xistus enim V. in suo motu proprio 21. incipit, *Cæli, & terræ moderator*, non prohibet coniectoras, quæ habent causas naturales: nam hæc inclinatio, & propensio hominis, quæ vertitur ad hos, vel illos effectus, & ad hæc, vel illa exercitia naturalia non fundatur solùm in astris, quæ imprimunt, influuntque in corpora humana, sed fundatur etiam in temperamento, & complexione naturali corporis. Sicut ergo coniectari potest temperamentum, ita & hæc inclinatio, atque propensio. Nihilominus animaduerto hanc coniecturam vix posse peruenire ad cognitionem probabilem, nedum certam, primò, quia cum potentiæ sensitiuæ, quæ pendent ex complexione, & temperamento hominum, obediant voluntati illorum, nihil certi ex hoc potest coniectari; imò & nihil verè probabile. Deinde quia qualitates, & inclinationes rei generandæ magis pendent ex dispositione matriæ ex qua generanda est res, quàm ex influentia cælorum; ergo ex solo aspectu sydetum, & coniunctione stellarum, quæ in hora natiuitatis, aut conceptionis concurrunt, non potest satis probabiliter colligi futura complexio, & temperamentum prolis genitæ: nam causa materialis est magis propinqua, & intrinseca rei genitæ, aut generandæ, & determinat influxus vniuersales astrorum. Quod exemplo facilè probatur; nam si duæ terræ diuersæ qualitatis, & virtutis, eodem tempore, eodem tritico seminentur, terra melior meliorem fructum proferet cæteris paribus: sic si duo infantes sub eadem constellatione nascantur, si mater alterius melioris complexionis sit, & meliorem materiam conceptioni filij ministrauit, meliorem prolem generabit; si verò accedat paterna virtus fortior, & vigorosior; sine dubio multum efficiet ad meliorem filij complexionem. Tandem quia complexio, & temperamentum puerorum mutari potest ex alimentis & aliis exercitiis, cumque hæc omnia nec considerentur, nec considerari possint ab his diuinatoribus, non potest non esse eorum coniectura & suspicio valde infirma, quod insinuauit D. Aug. *lib. 5. de ciuitate Dei c. 2.* D. August.

11. Diximus suprà, effectus contingentes naturales, qui non habent certam, & stabilem causam, & effectus liberos, non cadere sub scientiam hominum, ac proinde nihil certi posse Mathematicos, seu Astrologos, aut dæmones per diuinos suos de illis prænunciare; sed contra si dæmones & astrologi hæc futura non præuident, qui fieri potest, vt sæpe diuinatores, & astrologi certo futuros hos euentos liberos à libero arbitrio totaliter & partialiter pendentes prædicant? nam ea quæ dæmones, & ars astrologiæ ignorant, certò prædici non possunt; videmus autem hæc sæpe certò prænunciare. Respondeo id mero casu contigisse, cum enim multa dicant, potest contingere, vt aliquid sit verum; vaticinia enim diaboli, & astrologorum sæpe falsa deprehenduntur; dæmones enim, vt ait D. August. *lib. de diuinatione dæmonum*; quem refert, ac sequitur Simancas *de catholicis instit. titulo 21. num. 5.* naturæ suæ subtilitate, & longissima rerum experientia faciliùs coniectare aliqua euentura possunt quàm homines, quæ suos discipulos edocent ad eorum, & aliorum perditionem, & cum sit pater mendacij, nihil patitur verecundiæ, si in eo deprehendatur; si tamen aliquid veri contigerit, gaudet (vt ita loquar) maximè, vt prætextu illius veritatis grauioribus, & maioribus mendaciis homines decipiat. Prophetia enim potentior est, & efficacior ad conciliandam fidem quàm miracula, iuxta illud 2. Petri 1. 19. loquens de miraculis, & prophetia. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*: Dæmones enim possunt miracula simulare, & apparenter facere; præscientiam autem futurorum, & prædictionem veram, & euidentem de actionibus hominum liberis nullus habet, neque Angelus, quanto minùs dæmones? Vnde bene Pacuuius olim, *si qui quæ euentura sunt præuideant, æquiparentur Ioui.* Vide caput, *Sciendum 26. quæst 4.* deductum ex D. Augustino, vbi D. Augustinus rationem reddit cur dæmones sæpe aliqua vera pronuncient, & effutiant vaticinia. D. August. Simanc.

Concludamus igitur, iudiciariæ, siue falsæ Astrologiæ; quæ prænunciat de futuris contingentibus, & casualibus effectibus, qui nullam certam, fixam, & stabilem causam in stellis habent, & de actionibus hominum liberis, dæmones fuisse inuentores. Quod & Plato olim non ignorauit, qui fatetur in Conuiuio vaticinia, incantationes, diuinationes, & magiam per dæmones hominibus concedi, & id ipsum Apuleius confirmat *lib. de Deo Socratis*, & Origen. *in lib. 1. Iob. columna 40.* ita inquit, *diabolus est auctor diuinationis, & naturæ subtilitate, atque agilitate nonnunquam futura reuelat* (intellige eorum quæ naturaliter sciri possunt; videt enim aliunde venire Euangelicos prædicatores, & hic prænunciat idololatriæ euersionem) *Maleficia auguria, diuinationes, phylacteria, incantationes, diuinationes, diaboli sunt seductiones, dæmonum irrisiones, idololatriæ fax, animorum infatuatio, atque cordium scandalum.* Et id ipsum docet idem Origenes *homil. 13. in Numeros.* D. Leo *serm. 7. in Natiuitate Domini.* Isidorus *lib. 3. de summo bono cap. 5.* D. Bernard. *lib. de ordine vitæ prope fin.* D. Chrysost. *in Epistola ad Thessalonic. homilia 9.* Simancas *de cathol. Inst. titulo 21. num. 6.* 12. Plato. Apuleius. Origen. D. Leo. D. Isidorus. D. Bernard. D. Chrysost. Simanc.

CAPVT XXXIX.

De diuinatione per aërem, terram, aquam, ignem, per manuum delineationem, per somnia animalium, & auguria, & per partes, & voces hominum.

SVMMARIVM.

A dæmone profectus fuit modus diuinandi per elementa. num. 1.

Quid sit Geomantia, & Pyromantia, & an modus diuinandi per terram, corporaque ex terrena substantia concreta, & ignem, sit licitus. num. 2.

Quid sit Chyromantia, & quatenus sit licitus modus diuinandi per lineas manuum. num. 3.

An sit peccatum mortale mulierculas Ægyptianas per manuum lineas de bona fortuna interrogare. num. 4.

Physionomia, qua in proportione membrorum bonam, vel malam indolem, aut ingenium conijcit, quatenus sit licita. num. 5.

Ex motibus humani corporis an aliqua conectura capi possit ad prænunciandum de futuris. n. 6.

An ex bino occursu eiusdem hominis in eadem via. num. 7.

An de hominum vocibus siue significent, siue non significent. num 8.

Quatenus sit licita, vel illicita prænunciatio ex motu, volatu, & garritu auium. num. 9. & 10.

Somnia, quibus modis fiant. num. 11.

Si constet aut probabile sit somnia esse à Deo, licitum erit ex illis capere futurorum conectationem. num. 12.

Quid si non constet. num. 13.

An peccet mortaliter qui per somnia quæris diuinationes componendo se certo modo ad somnia captanda. num. 14.

An mortale sit subijcere puluinaribus litia, caprarum cornua, & alia huiusmodi ad captandum somnum. num. 15.

Ex quibus signis cognosci possit somnium esse à Deo, vel à diabolo. num. 16.

Quid si dubitetur an somnia sint à Deo, vel à dæmone. num. 17.

Licitum est obseruare somnia quæ nos crebrò territant, vnde proueniant. num. 18.

Si somnia proueniant ex negotijs præteritis, nihil de futuro significant, sed suas causas indicant. num. 19.

Quatenus liceat, vel non liceat ex somnijs conijcere futura. à num. 20. vsque ad 23.

An licitum sit captare auguria, & futurorum cognitionem ex animalium intestinis. num. 24.

An sit aliquod discrimen inter diuinationem, & vanam obseruationem. num. 25.

1. CVM diabolus auctor sit artis diuinatoriæ, & iudiciariæ Astrologiæ, quæ de futuris euentibus à libertate pendentibus prænunciat, inde factum est, vt mille nocendi artibus hominibus curiosis, & depravatis illuserit, promittens illis futurorum cognitionem varijs modis; ab illa enim Geomantia, seu diuinatio ex terra, & per terram emanauit; Hydromantia per aquam, Aëromantia per aërem, Pyromantia per ignem, Spathulamantia, siue Artumantia, id est, diuinatio per ossa artuum animalium mortuorum, Chyromantia per manuum delineationem, & cæteri diuinandi modi ex se illiciti, quibus miseros mortales delusos tenet, & ad inferos ludificatos trahit, quos ferè omnes comprehendit, atque complexus est Mauruanus, in Apologia his versiculis.

Qui fumantes consulit exta,
Qui rimatur aquas, & qui considerat ignes,
Qui pluuias, specula, & pelues, nitidasque secures
Inspicit, & temerè descripta in puluere signa.

2. Geomantia igitur, vt notat Ciruelo *de superst. part.* 1. *cap.* 4. tunc fit, cum diuini hac arte vtentes edocti à dæmone, certa signa, puncta, & figuras, vel in terra, vel in puluere, vel in papyro, vel in quocumque alio corpore è terrena substantia compacto, inscribunt, & post illorum inscriptionem, mutationemque, & transpositionem prædiuinant id quod animo intendunt, quod fieri non potest sine manifesto dæmonum pacto, & inuocatione; neque enim signa illa naturales causæ esse possunt talis diuinationis, nec signa rei prænunciatæ, sed signa pacti diabolici. Aëromantia est illa (vt dixi) diuinatio, quæ per aërem, & ventos fit; vani enim isti diuinatores obseruant aëris mutationes, & sonitum arborum, flabellationem venti per angulos domorum, per portas, per ianuas, & ex his futura prænunciant. in qua vana obseruatione idem pactum dæmonis cernitur omnino, non enim similiter ista signa sunt futuri euentus, sed signa pacti. Pyromantia considerat ignem, flammas, fumum, fungos, an conglobatim flammæ ab igne emittantur, an splendidæ, an celeriter, an tenues vel crassæ sint, quem colorem efficiant, quem sonitum edant, an in modum pyramidum fastigiatim euolent, an ab igne separentur, & similes vanas obseruationes considerat, quæ similiter pacta sunt dæmonis, non prænunciati euentus causæ. Hydromantia contemplatur in aqua; motus illius, & in peluem, vel quodcumque aliud vas aqua plenum, picem, ceram, vel resinam liquefactam infundit, & ex figuris, quæ inibi fiunt & apparent cum prolatione certorum verborum futura vaticinatur, ex pacto dæmonis, non industria humanæ artis. Artumantia seu Spathulamantia obseruat ossa artuum, & viscera animalium, & hominum mortuorum, eaque iuxta ignem apponit quoad vsque calore ignis, vel crepitent, vel diffindantur, & ex sonitu, atque ex modo fissuræ futura superstitiosè ex eodem pacto colligit.

Chyromantia inspicit manus delineationes, & figuras, & ex illis futuros euentus prænunciat, an religiosus, quis futurus sit, an pauper, an diues, an vxorem sit habiturus, an liberos ex ea suscepturus, & quot, & quales, fœminæ, an masculi, an vxor illius ei sit fidem coniugalem obseruatura, an amicos, vel inimicos sit habiturus, an casus ei sint euenturi fortuiti, an illos feliciter vel infeliciter sit euasurus, & similia alia contemplatur, quæ meræ vanitates sunt, & dæmoniorum superstitiones. Quod ex duplici causa probatur manifestè. Primò, quia in huiusmodi lineis filij communiter referunt parentes; sicut, & in vultu plerunque, & in reliquis corporis partibus, & ita huiusmodi delineamenta, & manuum figuræ non ad diuinationem à natura sunt inditæ; sed ad hominis pulchritudinem: videmus enim & experientia compertum habemus, filios qui habent easdem lineas cum patribus, non eandem fortunam parentum habere; sed diuersam omnino. Secundò, quia huiusmodi delineamenta manuum ad diuersas ætates hominum, vel corporis macie, vel pinguedine, vulneribus, apostematibus, vel vario, & assiduo manuum labore demutantur, vt passim cernimus in fabris ferrariis, aut lignariis, quare certæ ac permanentes causæ prænunciati euentus esse non possunt; verum est tamen esse in manibus nonnullas lineas præcipuas, & principales, quæ ex plicatione, & explicatione manuum causantur, quæ cum sint lineæ naturales, & permanentes, de quibus asserunt Astrologi sapientiores significare aliquid non quidem euentuum futurorum, 3.

sed

sed temperamenti intrinseci & internorum membrorum. v.c an cerebrum tenue, an firmum habeamus, an stomachus sit debilitatus, an cor vigore plenum, an iecur, an hepar, ao pulmones sint sani. Vnde hoc iudicare ex illis est licitum; iudicare autem de euentis futuris ex figura, & delineatione manuum, diabolica diuinatio est, & vana superstitio, & ideo illam damnat Sixtus V. in motu proprio 21. contra Astrologos. Incipit, *Cœli, & terræ moderator Deus*. Ita Cituelo *de superstitione part. 2. cap. 4.* Nauarr. *in summa Latin. cap. 11. num. 31.* Alcocer. *in summa cap. 14. fol. 46.* Ludouic. Lopez *part. 1. Instructory cap 41.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 47.* Nauarr. *lib. 2. de restit. cap. 2. part. 1. dub. 7. in noua editione à num. 159.* Non est tamen audiendus Nauarra *num. 161.* negans cognosci posse per manuum lineas complexionem, humores, & aptitudinem hominum.

Cituelo. Nauarr. Alcocer. Lud. Lop. Sanchez. Nauar.

4. Hinc vt docet Nauarrus, Alcocer, Ludouicus Lopez, & Sanchez, modo allegati, non licet interrogare Ægyptianum de bona, vel mala fortuna per lineas manuum deducta, eritque mortale in duplici casu. Primo, quando rogaretur animo firmiter credendi dictis illius, secus si ob curiositatem, & animo ridendi, & iocandi, vt communiter fit; tunc enim vt plurimum esset venialis tantum vanitas. Secundo, quando interrogans animo ridendi, & ob curiositatem tantæ auctoritatis persona esset, vt videntibus graue scandalum generaret.

5. Physionomia tamen illa, quæ est pars naturalis Philosophiæ, & quæ ex corporis dispositione, membrorum habitudine, proportioneque probabiliter conijcit animi affectus, & bonam vel malam indolem, acutum ingenium, corporis temperiem, firmam, vel infirmam valetudinem, est licita; quia, vt iam diximus, ex his possunt hæc probabiliter cognosci, secus si certò hæc prædicantur, nam non possunt ita certò cognosci, quod latè probat Delrio *lib. 4. disquisit. magic. cap. 3. quæst. 4.* Azor *tom. 1. lib. 9. cap. 16. ad finem.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 43. dub 7. num. 45.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 44.* Physionomia tamen illa quæ ex aspectis humani corporis partibus prosperos, & aduersos hominis euentus prædicit, superstitiosa est, & prohibita à Xisto V. & de se est mala, & mortaliter illicita. Ita præcitati auctores; & quòd sit mortaliter illicita, latè probat Sanchez allegatus à *num. 18 vsque ad 22.*

Delrio. Azor. Lessius. Sanchez.

6. Ex motibus humani corporis nulla, aut valde infirma coniectura capi potest ad pronunciandum aliquid de futuris. Primò, quia sæpe non ab impressione cælesti, & constellatione stellarum, sed à libera voluntate pendent. Secundò, quia ex motibus animalium firma coniectura capi non potest; (vt statim dicemus.) ergo à fortiori neque ex motibus hominum, si enim animalia cum quietiorem habeant phantasiam, ac proinde aptiora sint ad recipiendam cælestium corporum impressionem, nihilominus inepta sunt ad prænuntiandum, multo magis id asserendum de hominibus. Vnde ex illorū mutibus aliquid prænunciare superstitiosum, & vanum est, & ita docent Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 4.* Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 12. punct. 3. columna 4. versiculo, Et idem etiam.*

Sanchez. Valentia.

7. Similiter vanum, & superstitiosum est ex casibus aliquibus fortuitò homini contingentibus conijcere aliquid fœliciter, aut infœliciter illi obuenturum, vt ex bino occursu eiusdem personæ in eodem itinere, ex certorum animalium, aut funeris concursu, ex fractione corrigiæ calceorum, & aliis huiusmodi casu contingentibus; hæc enim omnia cum fortuitò contingant, nihil boni, aut mali significare possunt; vnde mera superstitio, & vanitas est ex illis aliquid conijcere. Ita Sanchez *allegatus 42.* & Azor *tom. 1. lib. 9. cap. 22. quæst. vnica.* vbi hoc variis illustrat exemplis.

Sanchez. Azor.

8. Idem dicendum est de hominum vocibus etiam significantibus; nulla enim ex illis sumi coniectura potest effectuum contingentium; nam cum ex placito hominum significationem habeant, non ex syderum motibus, aut cæli constellationibus, signa equidem esse non possunt euentus futuri; quare diuinatio per illas non potest non esse valde superstitiosa, nisi cognitio futurorum tunc à Deo expectetur. Ita docet Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 12. puncto 3. columna 4. versiculo, Quod autem attinet.* Azor *tom. 1. lib. 9. Instit. moral. cap 12. fine.* Dixi, nisi expectetur à Deo, quia fas est, aliquando cognitionem futuram à Deo per vocem aliquam humanam præter intentionem dictam sperare. Ita docet D. Th. 2. 2. *quæst. 95. art. 7. ad 3.* Caietanus *ibi in fine.* Valentia citatus *eodem puncto. 3. versiculo, Per hoc etiam.* Et confirmat hoc D. Thom. exemplo Gedeonis viri sancti, qui audita recitatione cuiusdam somnij vt Iudic. 7. refertur, & exemplo Eliezer fidelissimi serui Abraham; qui audita voce puellæ Rebeccæ Geneseos 24. *bibe domine, nam & ego etiam camelis tuis hauriam aquam &c.* statim coniectauit futuram illam puellam Isaac filij domini sui Abraham: in his enim exemplis tam Gedeon, quàm Eliezer cognitionem acceperunt ex vocibus humanis; sed vterque id à Deo expectauit; nam, vt ait ibi D. Thomas, Gedeon auditionem somnij accepit pro omine, quasi ea fuisset ordinata à diuina prouidentia pro sui instructione. Eliezer verò attendit verba puellæ, oratione præmissa, à Deo. Vnde, vt bene animaduertit Caietanus, oportet prius diuinum aliquod lumen aut præceptum à Deo percipere ad hanc cognitionem ex vocibus humanis accipiendam, & non ex sola facili credulitate, aut fiducia moueri ad aliquid coniectandum.

Valentia. Azor. D. Thom. Caiet. Valentia.

9. Ex motibus, volatu, cantu, & garritu auium, & piscium motu & aliorum animalium, solùm ea futura prænunciari licitè possunt, quorum illæ sunt causæ vel signa: vt pluuiæ, tempestates, venti, serenitas. Cum enim reuera horum sint signa, nulla est superstitio, hæc tunc coniectare; & ratio est, quia hæc animalia nullum habent dominium suarum actionum; sed instinctu quodam naturali mouentur, nec habent simpliciter potentias aliquas spirituales; sed animam tantùm sensitiuam, cuius omnes illius potentiæ externæ, & internæ, si quas præter phantasiam habent, corporales sunt, & corporalium actus organorum, & ideo subiacet anima & phantasia harum auium; & animalium impressionibus corporum cælestium, vnde fit quòd aliquæ operationes illarum diligenter ab hominibus obseruatæ, sint futurorum signa, quatenus conformantur dispositionibus corporum cælestium, & aëris, ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus, mutatio enim aëris afficit spiritus animales, & cerebrum ipsarum auium; quam affectionem statim phantasia illarum percipit, & per modum conuenientis, aut disconuenientis apprehendit; & id exteriùs voce, cantu, garritu, aut volatu si-

ſtitueretur à Samuele de his, quæ dicturus erat, & ita non fuerit locutus niſi ex reuelatione & permiſſione ſibi facta per Samuelem, ideóque tam prophetam, quàm laudem eius Samueli attribui.

18. Secunda ſententia docet, tenerà animam Samuelis fuiſſe quæ Sauli locuta fuit. Ita tenet Iuſtinus *in dialogo cum Tryphone verſus finem*, vbi probat animam eſſe immortalem ex eo quod Samuelis anima à Pythoniſſa Saulis rogatu à mortuis euocata ſit; ibique addit dæmonem quaſi generali lege illius temporis poteſtatem habuiſſe in animam Samuelis. Sed dictum hoc creditu eſt, cùm animæ Sanctorum in manu Dei ſint, non dæmonis. Tenet etiam hanc ſententiam
Lyra. Caiet. Abul. D Thom. Pamel. Sotus. Castro. Lyra, & Caietan. *in 1. regum cap.* 28. & Abulenſis *ibi quæſt.* 28 & D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 174. *art.* 5. *ad* 4. & 1. *part. quæſt.* 89. *art.* 8. *ad* 2. vtramque ſententiam affert Pamelius *in ſcholys ad Tertullianum lib. de anima cap.* 57. Idem ferè habet Sotus *lib.* 8. *de iuſt. quæſt.* 3. *art.* 2. Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæret. punit. cap.* 14. è noſtris hanc ſecundam ſen-
Suarez. tentiam præfert primæ Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de ſuperſt. cap.* 16. *num.* 18. Benedictus Pe-
Bened. Per. Menoch. Gasp. Sanct. Iacob. Tir. Corn. à Lap. reita *in cap.* 7. *Exod.* 18. Menochius, Gaſpar Sanctius, Iacobus Tiitinus, omnes *ad lib.* 1 *regum c.* 28. *num.* 13. & Cornelius à Lapide *in Eccleſiaſt. part.* 3. *cap.* 46. *verſ.* 23. & plures quos ipſi citant. Probatur, quia in ea propriè & verè ſine vllo incommodo explicantur verba ſcripturæ, quæ in alia ſententia non niſi impropriè & per tropum vix explicari poſſunt. Neque ex hac ſententia ſequitur, quòd animæ Sanctorum ſubſint fraudibus diaboli & magicæ arti, quia anima Samuelis non ex vi artis magicæ, petente id Pythonyſſa, per diabolum euocata fuit à Lymbo, vt cenſuit D. Iuſtinus; incredibile enim eſt diabolum talem habuiſſe poteſtatem ſuper animas Sanctorum eios temporis, quamuis Suarez citatus dicat non eſſe abſurdum id concedere pro illo tempore, & ad id citet D. Auguſt. ad Simplicianum. Sed fuit euocata iuſſu & voluntate Dei: & inde eſt, quod præuenit incantationes Pythoniſſæ, & apparuit priùs quàm magicæ illæ preces, quæ longiſſimæ eſſe ſolent, finirentur, vt colligitur ex admiratione, & metu quem Phythoniſſa concepit aduentu Samuelis. Non enim timuit mulier aſſueta ſpectris, quia vnum videtat, ſed quia præter morem ante finitas & vix inceptas incantationes, ac proinde non ex vi illatum Samuel appareret. Neque obſtant verba illa Samuelis *Tu & filij tui cras mecum eritis*, quia iis ſolùm ſignificatur Saulem & filios eius futuros apud inferos, licet in diuerſa eorum parte, & cum longè diuerſa fortuna. Præterea quamuis anima Samuelis venerit, non erat neceſſarium in proprio, & vero corpore illius venire; quia potuit faciliùs apparere in corpore aſſumpto, & formato ad ſimilitudinem ſui corporis, ſicut Angeli facere ſolent; quamuis enim anima ſeparata non poſſit virtute propria corpus aſſumere, tamen poteſt Deus virtutem illi conferre, vt illud aſſumat; & deinde licet verum corpus Samuelis ibi appareuiſſet, non eſt veriſimile eam fuiſſe propriam, & veram reſurrectionem, quia non fuit neceſſarium tantum miraculum ad effectum ibi intentum, & narratum: ſatis enim erat vt anima Samuelis in illo foret tanquam motor in mobili,
Castro. vt per illud loqueretur, vt notauit Caſtro *lib.* 2.
Suarez. *de iuſta hæret. punitione cap.* 14. & Suarez *dicto tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de ſuperſtitione cap.* 16. *n.* 18. *ad finem.* vt accidit cum Angeli aſſumunt aëria corpora, & per illa loquuntur: neque enim maior eſt repugnantia reſpectu huius quàm illius corporis.

CAPVT XXXVII.

De Miſſis ſancti Amatoris, & de illis, quæ appellantur Miſſæ Comitis, de nominarum, & reliquiarum geſtatione, de orationibus in herbis colligendis, & animalibus cuſtodiendis; de nouenarijs, & oblationibus cerei eiuſdem magnitudinis cum offerente, & circulorum virgineorum pro parturientibus; de deuotionibus, quibus imagines Sanctorum vinculantur, aut immerguntur, an hæc ſuperſtitioſa ſint.

SVMMARIVM.

Superſtitio eſt, vti certo Miſſarum numero, certis horis, tot candelis talis coloris, itavt in illis ſolùm circunſtantijs innitatur effectus illarum. num. 1.

Miſſa ſancti Amatoris cum certis cæremonijs, vt incipiant in tali die, & tali terminentur, cum tot candelis &c. ſunt ſuperſtitioſa. num. 2.

An liceat venam animalium ſcindere ex conſuetudine à maioribus accepta, in die alicuius Sancti ad eorum incolumitatem, & iumenta noctes circumducere iuxta templum D. Antonij. num. 3.

An Itali peccent ex affectu deuotionis conficientes annulos ex prima pecunia Crucifixo oblata in die Paraſceues ad ſanandos morbos. num. 4.

Colligentes herbas in die Sancti Ioannis Baptiſtæ, & minuentes ſanguinem ſuorum animalium, an excuſandi ſint à ſuperſtitione. num. 5. & 6.

An liceat certis verbis pecus incantare, ne à lupis lædatur, vt fit plerumque apud ruſticos. num. 7.

An liceant publicæ ſupplicationes, & peculiares deuotiones, in quibus imagines Sanctorum aquis immerguntur, aut vinculis ligantur, quoad vſque aliquid à Deo nobis impetrent. num. 8.

An ſint ſuperſtitioſæ orationes, quibus ſagæ circulis virgineis vtuntur pro parturitionibus. num 9.

An trina repetitio illorum verborum. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis *vim habeat ad pellendos morbos.* num. 10.

Nouenariæ deuotiones quatenus licitæ, vel illicitæ ſint. num 11.

Geſtatio nominarum, quatenus licita, vel illicita. num. 12.

Quid de geſtatione reliquiarum. num. 13.

An committentes peccatum veneris cum geſtatione reliquiarum teneantur eam circunſtantiam confiteri. num. 14.

An phylacteria geſtare ſit licitum. num. 15.

IN ptimis præmittendum eſt, vt iam diximus, vanum, & ſuperſtitioſum eſſe, vti in cultu diuino vanis, & inutilibus cæremoniis, v. c. certo Miſſarum numero diebus continuis dicendarum, talibus horis, tot, & talis coloris candelis, itavt iis circunſtantiis ita innita 1.

innitatur ille qui illis vtitur; quasi existimet Missarum efficaciam ecessaturam, iisdem circunstantiis deficientibus; & ideo Concilium Trident. *sessione* 22. in decreto de obseruandis & vitandis in celebratione Missarum iubet, vt hæ superstitiones in faciendis sacris tollantur omnino, ibi: *Quarumdam Missarum, & candelarum certum numerum; qui magis à superstitioso cultu, quàm à vero, & religioso inuentus est, omnino ab Ecclesia Episcopi remoueant.* & ita docet Alcocer. *in summa cap.* 14. *folio* 45. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40 *num.* 40. Ciruelo *de superst.* 3. *part. cap.* 11. & alij passim. Non tamen, vt optime ibi animaduertit Sanchez, reprehenditur certus Missarum aut candelarum numerus in memoriam alicuius mysterij, vt duodecim in memoriam 12. Apostolorum; vndecim in memoriam vndecim millium Virginum, dummodo non illi numero ita certò fidatur, vt illum augere aut minuere statim inutile sacrificium putetur. Alcocer. Sanchez. Ciruelo.

2. Quamobrem Missæ, quas vocant sancti Amatoris cum certis cæremoniis, vt incipiantur, ac terminentur certis diebus absque interruptione, & certo candelarum numero, superstitiose laborant. Ita Ciruelo *de superstitione.* 3. *part. cap.* 11. Sanchez allegatus *num.* 41. Christophorus de Rojas Præsul Ouetensis *in sua synodo anni* 1553. *lib.* 3. *titulo de celebrat. Missar. const.* 9. Didacus Ramyrez Episcopus Conquensis *in synodo anni* 1531. *titulo de officio diuino*, vbi de abusibus in missis. Damnant etiam Ciruelo, & Sanchez allegati superstitionis Missas, quas Comitis appellant; & Trigintanarij teuelati, vt soli duo Clerici, & quidem inclusi illis intersint, nec possint pedem extra Ecclesiam ponere, per totos eos dies in quibus ex 30. Missæ celebrantur; parum enim refert quod triginta fiot, 20. aut. 25. aut. 40. plus, minúsve; neque enim illarum fructus amittitur, quamuis interrumpantur. Et mera sanè vanitas, & superstitio est, prohibere sacerdoti illas diceoti, vt non exeat extra Ecclesiam, dum continuus durat numerus dierum, quo illæ dicuntur. Vanitas similiter est, & mera superstitio, ita determinare numerum, & colorem candelarum, vt existimetur eas non profuturas, nisi iis cæremoniis dicantur; & huius opinionis est etiam Caietanus 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. At verò si 30. Missæ dicantur in memoriam triginta narij S. Gregorij, & quindecim in memoriam quindecennarij S. Catharinæ, imò & ipsæ etiam Missæ S. Amatoris si omni vana superstitione & circunstantiis nudentur, nec certo illo numero ita fideles innitantur, vt eo aucto, vel diminuto, puterur fructus amittendus, licitæ erunt, & alicubi sunt hodie in vsu nudatæ iis circunstantiis; vt docet idem Sanchez allegatus *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num* 41. Et forte in hoc sensu locutus est Ildefonsus de Saux Episcopus Iensis *in sua synodo anni* 1511. *titulo* 2. *de vita & honest. cleric. cap.* 14. dum approbat Missas, quas appellant trigintanarij teuelati; debet enim intelligi dummodo fiant absque cæremoniis, & superstitionibus, ita vt etiamsi interruptis diebus dicantur, non existimentur carere virtute & efficacia sua, aliqui non erit audiendus. Ciruelo. Sanchez. Christoph. de Rojas. Ramyrez. Caiet. Sanchez. De Saux.

3. Ex dictis deducitur damnandum esse vsum in quibusdam locis à maioribus acceptum miscendi in quibusdam precationibus nonnulla quæ à superstitione vix liberari possunt, vt est v. g. in nonnullis in die certi alicuius Sancti, iumentis venam aperire, & circa templum D. Antonij nouies iumenta circumducere, & ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 31. ignorantia tamen, & bona fides, & intentio vtentium hoc factum à mortali excusabit. Nam si animus illorum esset adhibere eas circunstantias tanquam infallibiliter efficaces ad finem quem intendunt obtinendum, nisi nimia ignorantia interueniret, non essent à mortali excusandi. Sanchez.

4. Similiter solent Itali, vt refert Caietan. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. ex prima pecunia oblata Crucifixo in die parasceues annulum efficere ad sanandos morbos contractionis membrorum. Eum vsum excusat Caiet. 2. 2. *q.* 96. *art.* 4 propter affectum deuotionis, & simplicitatem. Et *in summa verbo, Superstitio obseruationum in fine*, asserit se id non audere damnare, quando efficeretur ex mera deuotione, & non ob eum effectum à Deo expectando, putando Deum eam deuotionem alicui Sancto inspirasse: Delrio tamen *lib.* 3. *disquisit. magicar. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 2. *paulo post principium*, & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 31. meliùs asserunt doctrinam Caietani solùm inseruire posse ad excusandos eos, qui huiusmodi bona fide vtuntur, non tamen ad dandum petentibus consilium; iis enim respondendum est, id non licere; quia cum lege ordinaria non soleat Deus ea remedia in quibus aliquid apparet vanitatis, inspirare; temerarium est, id sibi facilè persuadere; & saltem res est suspecta. Vnde in his, & similibus circunstantiis attendendus est animus; & intentio illis vtentium; si enim animus sit adhibendi eas circunstantias tamquam per se, & ex se efficaces ad sanitatem, & rerum suarum incolumitatem à Deo obtinendam, est superstitio mortalis, nisi ignorantia, & simplicitas excuset; si verò eas non tamquam per se efficaces ad sanitatem adhibeant, sed tamquam res, quæ inseruiant ad excitandam in se Christi aut Sanctorum recordationem & maiorem animi deuotionem ad intentius Deum orandum, & ita à Deo obtinendum quod exoptant, non erit superstitio; & cessante aliorum scandalo, & eius periculo quod timeri non debet, vbi omnes simplici animo iis circunstantiis vtuntur, sustineri posset talis vsus, vt docet Sanchez allegatus *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 31. *ad finem.* Valentia 2. 2. *disput.* 6 *quæst.* 13. *punct.* 2. *columna* 2. Sayro *in claus regia lib.* 4. *cap.* 6. *num* 7. & Delrio *lib.* 3. *disquisit. magic. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 6. *paulo post principium.* Caiet. Delrio. Sanchez. Sanchez. Valentia. Sayr. Delrio.

5. Quid dicendum de colligentibus herbas in die S. Ioannis Baptistæ, vel minuentibus bestiarum sanguinem, illisque venam aperientibus certo die festo causa sanitatis; Delrio citatus ait prædictos si causam solam naturalem attendant, vanam committere superstitionem, si verò directè hæc Sanctorum meritis adscribant, & causa honorandi Sanctos, illum eis tribuant effectum, non audere se illos condemnare. Verùm non est conueniens actio illa ad sacrum Sanctorum cultum, & est præter morem, modúmque in Ecclesia vsitatum; quare satius erit si commodè fieri posset, hæc extirpare tamquam vana, & superstitionem redolentia, & ex natura sua scandalum afferentia; si verò commodè extirpari nequeant, non sunt condemnanda; sed docendi sunt simplices ac rudes homines de recta intentione, vt à superstitione, ac vana obseruantia liberentur. Ita Sanchez citatus *num.* 31. *ad finem.* Sanchez.

6. Nauarrus *in summa Latina cap.* 11. *num.* 36. culpæ Nauar.

pæ mortalis reos facit illos, qui in die Sancti Ioannis Baptistæ herbas colligunt, & venas animalium scindunt, credendo tali die, aut tali hora, & tempore scissionem venæ, & collectas herbas maiorem virtutem habere ad pellendos, impediendosque morbos; id tamen totum intelligendum est iuxta dicta *num. 4. præcedenti*; quando ex eo quòd tali die, & tempore colligantur, scindanturque, credunt illas ex se, & ex natura sua efficaciam habere naturalem ad sanitatem: secus quando eas colligunt, & venas animalium scindunt, tanquam res quibus mediantibus fortiùs excitantur ad id à Deo propter memoriam illius Sancti intentiùs postulandum; & hoc docent Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 32.* Sayro *in claui regia lib. 4 cap. 6. num. 7.* Delrio *lib. 3. disquisit. magic. part. 2. quæst. 4 sect. 6.* Valentia 2. 2. *disputat. 6. quæst. 13. punct. 2. columna. 2.*

Sanchez. Sayro. Delrio. Valent.

7. Non est tamen superstitiosum, neque illicitum in floribus, herbis, fructibusve colligendis, aut animalibus custodiendis, vti certis verbis sacris; sacrasque preces adhibere, ad eam rem compositas, & accommodatas; quò ab illis morbi, & quicquid malum, aut aduersum est, auferantur; dummodo spes non ponatur in aliqua vanitate; v. c. in litteris, in syllabis, in nudis ipsis nominibus, sed in Deo. quod videtur docere D. Aug. relatus in cap. *Non obseruetis 26. quæst. 7.* & D. Thom. 2. 2. *quæst. 96. art. 4. in fine corporis*, vbi asserunt in herbarum collectione nullas vanas obseruationes esse permittendas, ad orationem Dominicam, & symbolum fidei recitanda; & docet Azor. *tom. 1. lib. 9. c. 26. quæst. 7.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 33.* Non approbo tamen morem vsitatissimum, qui apud rusticos Lusitanos prope montem stellæ percrebuit, & inde per circumuicinas illas regiones deriuatus est; ij enim in custodiendo suo pecore certis verbis vtuntur, quibus à luporum rabie tutum credunt, & nullo custode relinquunt, quod illi pecus amentare vocant; & asserunt experientia compertum esse nihil vnquam mali à lupis accepisse pecus illud, quod prædictis verbis fuit amentatum, quamuis lupi illud circunstent; ego potius dicerem pecus incantare, hoc enim esse non potest, nisi ex vi alicuius pacti dæmonis, quod certis, & determinatis verbis est obligatum. Euidens enim est, verba illa non posse esse causam naturalem talis effectus, ac subinde esse certa signa alicuius pacti; sicut enim serpentes pacto dæmonis certis verbis incantantur, vt patet ex Psalmo 57. *Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantis*; ita & oues certa verborum prolatione ex eodem pacto censendæ sunt incantari, ne luporum morsibus pateant, aut potius lupi ne eas inuadant; quod genus incantationis prohibetur passim in sacra pagina Deut. 18. Isaiæ 47. 2. Paralipom. cap 33. & maximè in Leuitico cap. 20 ibi, *anima quæ secuta fuerit ventriloquos vel incantatores, obfirmabo faciem meam contra illam, & perdam de populo suo*; & ideo edocendi sunt huiusmodi rustici de fallacia dæmonis, & condemnandi ad mortalem culpam, nisi edocti à Prælatis suis ab amentatione illa, seu potius incantatione desistant; si tamen bona fide, & simplicitate illis verbis vtantur, credentes ibi nullum pactum dæmonis adesse, dum non edocentur, à mortali excusabuntur.

D. August. D. Thom. Azor. Sanchez.

8. Vanæ etiam, & superstitiosæ, & minimè ferendæ sunt speciales illæ deuotiones & publicæ supplicationes, in quibus imago alicuius Sancti in flumine immergitur, vinculaturque, & sic ipse immersus, aut vinculis alligatus tenetur, donec pluat, aut beneficium aliquod à Deo obtineatur. Primò, quia hæc nec virtute naturali, nec ex institutione Ecclesiæ, nec ex reuelatione diuina effectum habent ad impetrandum à Deo beneficium petitum, & quantum est ex se, impium est velle vi à Deo, & Sanctis beneficia impetrare; nihil enim aliud est quàm velle, vt Sancti obediant taliter facienti, & ideo hæc vana, vt contrarii recepto Ecclesiæ vsui à Sanctis reprobantur. Ita docet Nauarrus in cap. *Quando cap. 6. num. 46. de consecrat. dist. 1.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2 cap 40. num. 34.*

Nauarr. Sanchez.

9. Vanæ rursus & superstitiosæ sunt orationes illæ, quibus sagæ circulos virgineos benedicunt pro parturientibus, vel morbo laborantibus, admixtis verbis exoticis; quæ nec ipsæ intelligunt, nec fortassis intelligibilia sunt, additisque superstitiosis cæremoniis, halitus, saliuæ, suffitus oscitationis &c. nam neque hæc vim aliquam naturalem habent ad eos effectus producendos, neque ab Ecclesia ad id sunt instituta, aut approbata; ita Nauarrus allegatus numero præcedenti *num. 49.* & Sanchez item allegatus *n. 35.*

Nauar. Sanch.

10. Hinc perspicuum est sano modo intelligendum esse id, quod docet Cassiodorus psalmo 115. multos à variis morbis fuisse recreatos, ac sanatos trina recitatione huius versiculi illius *Psalm. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*; intelligendum enim est id, itavt non propter ipsam trinam repetitionem, sed propter eleuationem ægroti ter versiculum illum in honorem Sanctissimæ Triadis repetentis, id Deus efficiat, vt optimè notant Sanch. *tom. 1. Decalog. lib. 2. c 40.* & Delrio *lib. 3 disquis. mag p. 2. q. 4. sect. 3. fin.*

Sanch. Delrio.

11. Deuotiones, quæ Nouenariæ appellantur, licitæ sunt, modò illas facientes non credant valore suo destitui, si prædictæ suæ deuotiones. v. c. itiones ad templum, orationes ibi fusæ, sacra, quæ fieri iubent, si minus aut plus quàm nouies fiant, & modò etiam non credant eas non prodesse nisi offeratur candela eiusdem magnitudinis, cuius est offerens, credendo maiorem, aut minorem non sufficere; & idem iudicium esto de aliis similibus. ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 40. num 37.* Gerson. 2. *part. tractatu de absolutione sacramentali alphabeto 33. littera L.* Si tamen hæ nouenariæ ex simplicitate fiant cum aliquibus ex his circunstantiis inutilibus, non illico sunt condemnandæ; sed docendi sunt fideles piam esse eam deuotionem in memoriam mysterij nouem mensium, quibus Virgo Sanctissima Christum Redemptorem nostrum in vtero gestauit, vel in honorem Sancti, sed si fiat piè, & decenter, & non ita illi innitendum, quin eæ preces in minori numero, vel maiori nihil prosint ad beneficium obtinendum, sed ea quoque prodesse in minori numero, & candelam in minori magnitudine. Vide Delrium *lib. 3. disquisit. mag. 3. part. quæst. 4. sect. 7. & 8. & lib. 6. cap. 2. sect. 1 tota quæstione 1.*

Sanchez. Gerson. Delrium.

12. De gestatione nominatum, quæ collo appensæ afferuntur, an licita sit, dubitat Ceruelus *de superstitione part. 3. cap. 4. initio*, & tandem ponit aliquas circunstantias, in quibus illarum gestatio non est licita. Dicendum tamen est nominatum gestationem sanctarum licitam, & laudabilem esse, vsuque receptam, modo nullam habeant

Ceruel.

beaot vanam, & superstitiosam circunstaotiam. v. c. vt sic, vel sic sint scripta verba sacra io illis contenta in charta pergaminea, non papyracea, à Virgioe puella oon ab alia persona tali tempore, tali hora, tot filis assuta, vel talibus appensa, vel ioclusa io tbeca talis formæ, talis figuræ, talis materiæ, aut metalli, non in alia: item oportet, vt nulla adsit figura præter signum Crucis vel aliud pium, oulla imago præter Cbristi, aut Sancti alicoius noti, item vt nulla barbara, & incogoita nomioa Angelorum in eis scripta sint, oec quicquam aliud, quod vanitatem, vel meodacium redoleat. Ita communiter DD. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 26. D. Thom. 2.2. *quæst.* 96. *art.* 4. D. Antoo. 2. *part. titul.* 12. *cap.* 1. §. 13. Aogelus *verbo*, *Superstitio. num.* 7. & ibi Sylueſter *quæst.* 10. *dict.* 4. Armilla *verbo*, *Sortilegium num.* 3. Tabiena *verbo*, *Sors quæst.* 7. *n.* 8. Nauarrus *in summa cap.* 11. *num.* 35. Ciruelo *de superstitione part.* 3. *cap.* 4. Delrio *lib.* 3. *disquisit. magicar. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de superstitione cap.* 15. *num.* 11. Sayto *in claui regia lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 6.

Sanchez. D.Thom. D.Anton. Angel. Syluest. Armill. Tabiena. Nauar. Ciruelo. Delrio. Suarez. Sayr.

Angel. Ciruelo.

13. De reliquiis Sanctorum est specialis difficultas, ao liceat eas collo suspensas gestare. Negat Angelus *verbo*, *Reliquia. num* 4. oegat etiam Ciruelo *de superstitione part.* 3. *cap.* 4. Primò, ex eo quòd noo constet verè, ao sint alicuius Sancti. Secundò, quia quamuis cooster, tamen iure prohibentur de loco ad locum transferri absque Episcopi licentia, vt patet ex capite, *Corpora. de consecrat. distinction.* 1. & ex concilio Bracharensi 3. *cap.* 5. vbi reprebenduntur Episcopi, qui in Martyrum solénitatibus ad Ecclesiam processuri reliquias collo suspensas gestabaot. Sed dicendum est id esse omnino licitum, & pium, quod, & pius Ecclesiæ vsus probat, & publica deuotio confirmat, modò oulla vana circunstantia ex iis, quas numero præcedēti retulimus, addatur: & ratio est, quia hoc non est per se, & ex obiecto suo malum, & ita non est prohibitum iure natorali, nec vllam indecentiam, aut malitiam coniunctam habet. Nec etiam iure Ecclesiastico interdicitur, quia in capite, *Corpora.* allegato, de sola translatione corporum Sanctorum agitur, cum de propria sepultura in locum alium transferuntur. Coocilium Bracharense non reprebendit Episcopos eo quod reliquiis illis collo suspensis Ecclesiam ingrederentur; sed reprehendit illos, eo quod ob vanam bominum ostentationem, & inanem gloriam in maioribus solemnitatibus facicbant, vt super Leuitarum bumeros in sellulis portarentur. ita docet Vasquez *de adoration. imag. lib.* 3. *disput.* 3. *cap.* 8. *num.* 115. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *Instit. moral. cap.* 8. *quæst.* 6. Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de superst. cap.* 15. *num.* 16. Sayro *in claui regia lib* 4. *cap.* 6. *num.* 8. Delrio *lib.* 3. *disquisit mag. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. & D. Thom. 2.2. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 3. Nauarr. *in summa Lat. cap.* 11. *num* 35. & alij.

Vasq. Azor. Suarez. Sayr. Delrio. D.Thom. Nauarr.

14. Dubium est, an committentes veneris peccatum reliqoias è collo appensas gestando, teoeantur eam malitiam, & deformitatem in coofessione explicare, & ao ratione circunstantiæ gestationis illarum, reddator illud peccatum sacrilegum? Videtur affirmare Philiarchus *de officio sacerdotis tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3 *cap.* 9. *ad finem in versiculo.* 4. *peccat*; ibi enim inter peccata abusus reliquiarum numerat, si eas gestans viuat licentiosè. Negat tamen Sanchez & veriùs *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 28. quamuis enim id sit aliqualis irreuerentia, non tamen, inquit, continet notabilem deformitatem necessariò in confessione aperiendam, cuius non mediocre signum est, quod nullus eorum Doctorum, qui de sexto præcepto tractarunt, buius circuostantiæ meminerit, cum tamen singulas exactè discutiant: & id docet etiam Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *Instit. moral. cap.* 8. *quæst.* 6. vbi ait non grauius peccare eum qui eas gestat peierando, furando, detrahendo, maledicendo, quàm si oon gestaret, & idem diceret de foroicatione; quia illam quæstiooem generaliter mouet, & illa peccata gratia exempli apposuit. Et ratio est, quia oullo iure speciali id prohibetur, nec indirectè cultui reliquiarum, aut imagioum oppooitor. Cum id non sit turpis illarum contrectatio.

Philiarch. Sanchez. Azor.

15. Nec obstat. *cap.* 1. 26. *quæst.* 5. vbi phylacteriis vtentes anathemate vulnerantur; neque etiam obstat quod *cap.* 4. Clerici illis vtentes eiici ab Ecclesia iubeantur, nam *cap. vltimo, eadem* 26. *quæst.* 5. bene explicatur quid per phylacteria intelligeodum sit, vbi D. Isidorus, cuius ille textus est, asserit phylacteria esse ligaturas execrabilium remediorum ad corporis sanitatem, quæ ars medica noo commendat, & hæc phylacteria reprehendit etiam D. Augustinus *tract.* 7. *in Ioannem, & lib.* 2. *de doctrina Christiana cap.* 25. & refertur *cap. Illud* 26. *quæst.* 2. *& capite, Neque mirum* 26. *quæst.* 5. in huiusmodi enim ligaturis, quas medicorum disciplina oon commendat, sed damnat, siue in precationibus, siue io characteribus, siue io quibusdam aliis rebus suspendeodis, vel gestandis consistant, pactum dæmonis certò adest, & sola signa suot expressæ societatis, & amicitiæ cum dæmone; vode hæc concta optimo suot Christiano deuitaoda, & omni prorsus execratione repudianda, vt docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 29. Simancas *de cathol. Inst. titulo* 63. *num.* 19. Delrio *lib.* 3. *disq. mag. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. D. Anton. 2. *part. titulo* 12. *cap.* 1. §. 13. & D. Cbrysost. *homilia ad populum* 21. quem omnino lege.

D.Isidor. D.August. Sanch. Simanc. Delrio. D Anton. Chrysost.

Capvt XXXVIII.

De diuinatione per astra; agitur de vera, & falsa astrologia: quæritur vtrùm omnis prædictio ex astris sit licita, vel illicita.

Svmmarivm.

Datur vera, & falsa astrologia, quæ sit vera, quæ falsa. num. 1. *Cœlum & sydera habent virtutem naturalem ad producendos effectus naturales pluuiæ, siccitatis, caloris &c.* *ibid.*

Falsa, & iudiciaria astrologia, non est vera scientia, sed vana superstitio, cum effectus liberos pendentes ex hominum voluntate rimari velit. num. 2. *& 7. Effectus liberi cognosci non possunt nisi à solo Deo,* *ibid.*

Iudiciaria astrologia coniectans de casibus fortuitis, an sit licita, & qui sint casus fortuiti, & contingentes. *num.* 3.

Quæ prædictio ex astris sit licita, vel illicita. num. 4. 5. 6. 7.

Iudiciaria astrologia prohibetur à Xisto V. etiam si iudiciarij asserant in suis indicijs & horoscopis se

se id non tanquam certum affirmare. *num.7.*

Peccant mortaliter iudiciarij astrologi, qui ex astris de voluntate hominis inquirunt, etiamsi credant id quod dicunt, non esse certum; sed probabile tantùm. *num.8.*

An liceat per astrologiam coniectare ex puerorum natalitijs, illorum temperamentum, & complexionem, ac propensionem ad iram, & mansuetudinem, aut ad venerem &c. *num.9 & 10.*

Quare dæmones & astrologi aliquando certò prænuncient aliquos euentus contingentes, & effectus pendentes à libera hominum voluntate. *num.11.*

Inuentores artis iudiciariæ, quæ prænunciat de euentibus contingentibus, & de effectibus pendentibus à libera hominum voluntate, diaboli fuerunt. *num.12.*

1. DARI veram, & falsam astrologiam certum imprimis est; vera, quæ naturalis, falsa, quæ iudicialis appellatur; concordat vtraque nominibus, & operibus; vtraque enim ex aspectibus, & constellationibus, splendoribus, & stellarum situ futura prænunciat. Hoc tamen inter veram, & falsam astrologiam manifestum discrimen est, quòd vera, & naturalis est ars, & scientia verissima, & prænunciat res, & effectus naturales ex causis naturalibus; ex motu enim, & aspectu stellarum prænunciat futuras eclypses, & quia stellæ in terram, & elementa, ac corpora inferiora, & sublunaria influunt, & in aëre, terra, aqua, mari, & corporibus humanis effectus naturales causant physicè, inde est, quòd Astrologi per considerationem stellarum prædicunt, nonnunquam futuram pluuiam, siccitatem, ventos, morbos, sanitates. Nec mirum est; habent enim cœlum, & sydera virtutem naturalem ad producendos effectus ipsos naturales, vt sunt causæ physicæ, & naturales illorum, vt testatur manifestè sacra pagina. Cum enim Deus creauit Cœlos, Lunam, Solem, & stellas, statim addidit Geneseos c. 14. *Diuidant diem, ac noctem. & sint in signa, & tempora, & dies. & annos.* Vnde cum sydera, Sol, Luna & plantæ ex Dei institutione creata sint ad distinguenda tempora, dies, menses, & annos, & producendos hos effectus naturales, qui illarum virtutem, & vim perfectiùs cognouerit, perfectiùs etiam hos prædicet, & prænunciabit effectus. Quamobrem in iudiciis serenitatis, temporis futuri, humiditatis, siccitatis, ventorum, pluuiarum, morborum, & sanitatum, nulla vanitas, nulla reperiri potest superstitio: habent enim hæc omnia causas naturales, certas, & stabiles, vt dixi; & quamuis nonnunquam Astrologi etiam nobilissimi in prædictis temporum iudiciis fallantur, & errent, mirum id planè non est ob duplicem causam. Primò, quia scientia in se est difficillima; pendet enim ex variis obseruationibus, & occursibus stellarum; quarum comprehensio est difficillima. Secundò, quia volunt aliqui astrologorum nomine nobilitari, cum tamen eiusdem scientiæ parum assequantur.

2. Falsa verò & iudiciaria Astrologia non est ars, nec scientia, imò potiùs vana quædam & execranda superstitio, vt optimè notat Ciruelus *de superstitione 2. part. cap.* 4. iudiciarij enim ex constellatione, & conspectu stellarum nefario ausu præsumunt voluntates hominum scrutari, & effectus liberos à libero arbitrio pendentes prænunciare, ac diuinare, quos tamen Deus solum sibi reseruauit iuxta illud sacræ paginæ, *scrutans corda, & renes Deus*, & Ecclesiastes cap.8. *multa hominis afflictio; quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio*; & Esaias cap.41. *Annunciate quæ ventura sunt, & sciemus, quia dij estis vos.* Vnde D. Chrysostomus in homilia 18. in Euangelium Ioannis, *hoc vel maximè opus Dei est; quod neque dæmones imitari possunt, quamtumuis mirum in modum adnitantur.* Est enim voluntas hominis partim nobis inscrutabilis, & soli Deo nota, partim varia, & mutabilis, & adeo libera, vt quod modò displicet, post parum placeat, & quod modò placet, statim displiceat. Vnde cum causa horum effectuum non sit firma, certa, & stabilis, firmos, & stabiles effectus producere non potest. Velle ergo ferre firmum, & certum iudicium circa effectus pendentes ex causa incerta, & variabili, stultum pene, ac impossibile est. Superstitiosus ergo Astrologus ille est, imò falsus diuinus, & ariolus, qui ex consideratione & aspectu iudicium certum ferre voluit v. g. quòd Comes, aut nobilis, qui ad Regem accedit, ab illo optimè, & perhonorificè excipietur, quòd vxor illius fidelitatem ei præstabit in absentia, quòd amici, & famuli ei fideles erunt, quòd odium, vel gratiam coram hominibus, & principibus sit adepturus, & sic de cæteris aliis liberis effectibus; in libera enim hominum voluntate est, non in vi, & virtute stellarum, odio, vel amore alium prosequi, ei fidum, infidúmve esse amatorem, aut proditorem; & velle accommodare aspectus stellarum, & situs illarum ad hominum voluntates, quasi illæ in voluntatem hominum influant, & sint causæ horum effectuum, hæreticum planè est, & aufert liberum arbitrium, vt statim ampliùs patebit.

Præter hos effectus liberos pendentes tanquam ex vera causa ex mera hominum libertate, & voluntate, qui ideo sciri non possunt, & præter illos naturales de quibus num.1. egimus, qui habent causas merè naturales certas, & stabiles, & propterea possunt naturaliter sciri, prædici, atque prænunciari; sunt etiam alij effectus naturales, seu contingentes; qui euentus contingentes, & casus fortuiti appellantur, quia sæpe hominibus nihil tale opinantibus contingunt, vt v. c. quòd homini eunti in forum tegula è tecto cadens caput obtundat, quòd in via dum iter facit quis, sacculum auro plenum à præeunti amissum inueniat, item quòd ab homine fodiente sepulchrum inueniatur thesaurus, quòd iter facienti in forum, amici, vel inimici ei obuij futuri sint, quòd nauigans in Indiam hostiles naues in nauigatione inueniet, quòd in nauigatione peribit nauis; hi enim casus, & similes euentus fortuiti licet naturales sint, cum tamen non habeant causas naturales fixas, & permanentes, sed ex accidentario concursu, & impedimento causarum naturalium rarò contingant, causam certam in astris habere non possunt, & ideo ex illis hos affectus inuestigare, & coniectare vitium planè superstitiosæ diuinationis est, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.95. art.*1. Suarez *tom.*1. *de Religione lib.* 2. *de superst. cap.* 14. *num.* 28. Sanchez *tom.*1. *Decalogi lib.*2. *cap.*38. *num.*30. Ciruelo *de superst.* 2. *part. cap.*3. Ratio verò fundamentalis est; quia huiusmodi euentus casuales præter diuinam prouidentiam, & extra Deum, non habent causam certam per se, vt docet Aristoteles in 6. Metaphys. nam solus Deus sua infinita scientia, & prouidentia, omnia comprehendit, & ipsum etiam 3.

Ciruelus.

D.Thom. Suarez. Sanch. Ciruelo.

etiam occursum contratiarum causarum aut intendit, aut sæpe ex eerta scientia permittit. Dices, per astrologiam non inspicitur tantum vna, vel altera stella, sed concursus, & occursus omnium stellarum; ergo in collectione omnium poterit cognosci effectus casualis futurus. Respondeo negando consequentiam; quia homo non potest omnium stellarum etiam fixarum concursum, vim, & naturam exactè cognoscere; quod necessarium erat ad talem cognitionem; & quia casualis effectus non solùm pendet ex collectione multarum stellarum, sed etiam ex causis inferioribus, & materiæ dispositione; quæ in astris cognosci non potest, neque ab illa arte considetatur Vnde neque Angeli ipsi possunt naturali virtute hos casuales effectus ex solis astris prænunciare, & cognoscere; sed indigent comprehensione omnium aliarum causarum tam efficientium; quàm materialium; quæ in tali punctu occurrere non possunt, vt optimè docet Suarez allegatus.

4. Ex dictis certa hæc, & stabilita conclusio elicitur. Non omnis prædictio ex astris per se mala, & prohibita est; sed illorum tantùm euentuum quorum astra causa esse non possunt, vt sunt ea quæ ex libero arbitrio tamquam ex integro, vel partiali principio, aut ex mera, & diuina voluntate, & prouidentia Dei pendent; vnde naturalis astrologia est licita, & non prohibita, iudiciaria verò illicita, & prohibita. ita D. Th. 2. 2. *quæst* 95 *artic.* 5. Lessius *tom* 1. *de iustitia lib* 2. *cap.* 43. *dub.* 6. *num.* 32. Ciruelo *de superstitione* 2 *part. cap.* 3. *&* 4. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2 *de superstitione cap.* 15. *num.* 2. *&* 5. Sanchez cum multis *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *à num.* 17.

D Thom. Lessius Ciruelo. Suarez. Sanchez.

5. Conclusio habet quatuor partes. Prima, quæ asserit solos illos effectus naturales qui causas habere possunt, in astris licitè prædici posse, statim probabitur in tertia conclusionis parte. Secunda quæ asserit effectus liberos, vel partialiter vel totaliter non posse prædici ex astris, probabitur in quarta, & vltima parte illius; atque ita probata tertia, & quarta conclusionis parte, probata manet conclusio. Tertia igitur conclusionis pars asseritur ab omnibus & præcipuè à Suario, Lessio, & Ciruelo, & Sanchez allegatis numero præcedenti. Ratione probatur. Primò, quia hæc scientia est effectuum naturalium, & considerat causas naturales talium effectuum; considerat enim ex effectibus syderum & planetarum vim naturalem, & ex situ, & oppositione, splendore, aspectùque illorum considerat effectus naturales, quos physicè producunt. Ergo est licita talis scientia; & aliunde nullibi in iure prohibetur, quia in Bulla Xisti V. 21. incipit *Cæli & terræ moderator Deus:* in qua astrologia idicialis damnatur, quæ de futuris euentibus prænunciat, statim hæc naturalis excipitur ibi. *Exceptis dumtaxat futuris euentibus, ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent*; & infrà ferendo legem contra iudiciarios addit. *Præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam.* Et ratio est, quia hæ artes vtuntur obseruationibus effectuum naturalium, syderum, & planetarum; & pendent ex constellatione illorum ex ventis, & pluuiis, & serenitatibus, siccitate, aut humiditate; quæ possunt causari ab stellis. Vnde prænunciare poterunt astronomi naturales bonam, vel malam nauigationem in generali, fertilem, aut sterilem fructuum nouitatem, & futuros morbos, aut sanitatem.

6. Nec obstat quòd sæpe fallantur, & errent in his iudiciis ferendis, quia ars, & scientia certa est, & possibilis, respectu tamen hominum illa cognitio est valde difficilis; quia effectus illi non pendent ex vna tantùm, vel ex duabus stellis, sed ex multis, quarum cognitio est perdifficilis; & sæpe stellæ fixæ possunt impedire actiones, & effectus planetarum, & econuersò planetæ possunt impedire effectus stellarum; & quia effectus hi non solùm pendent ab stellis & planetis causisve cælestibus; sed etiam à causis inferioribus, à dispositione aëris, aquæ, & terræ; non solùm prout se habent in vno loco, sed etiam in diuersis; inde non est mirum si errent: sed hoc per se loquendo non est vitium scientiæ, sed eorum qui eam profitentur, nec est res illicita per se loquendo, aut peccatum ad superstitionem pertinens; quia nullum pactum implicitum ibi interuenit, & causas naturales certas habere potest, sed est temeraria, & imprudens assertio contra puram, & synceram veritatem; & peccatum tantùm veniale ex genere suo, nisi nocumentum aliquod publicum, aut malum particulare timeatur, imò erit etiam peccatum arrogantiæ. Quare debent esse huiusmodi astronomi modesti, & cauti in prænunciandis huiusmodi effectibus, & ferendis iudiciis. Ita Suarez *tom* 1. *de religione lib.* 2. *de superst. cap.* 11. *à num.* 5. *vsque ad* 8. & omnes quos citaui *num.* 4. At prædictio effectuum seu euentuum casualium de quibus egimus *num.* 3. vt quod cadens è tecto regula caput prætereuntis obtundet, quod à fodiente sepulchrum inuenietur thesaurus, & similia, vera esse non potest, sed vana, & superstitiosa; quia effectus per accidens contingentes non habent vnam causam naturalem; cuiusmodi est virtus stellarum, quia quod per accidens fit, neque est ens propriè, neque vnum; vt quod lapide cadente fiat terræ motus; non enim est hoc simpliciter vnum; sed simpliciter multa: operatiu autem naturæ, & naturalis scientiæ semper terminatur ad vnum, sicut procedit ab vno principio quod est causa, & forma rei naturalis, vt optimè docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 5. *in corpore.*

Suarez. D.Thom.

7. Vltima pars conclusionis; quæ asserit Astronomiam, seu astrologiam iudiciariam esse per se malam & prohibitam, probatur facile. Et imprimis quòd sit per se mala, patet manifestè, quia tollit liberum arbitrium, & libertatem, & vult reducere effectus liberos ad causas physicas & merè naturales; quod de se malum est, imò impium, & causa multorum malorum; si hoc enim ita esset, peccata hominum, furta, adulteria, & homicidia, & reliqua omnia flagitia causis naturalibus, & cælestibus signis tribuerentur, non hominum libertati, ac proinde peccata non essent, sed physicè, & naturaliter fierent. Probatur etiam, quia corpora cælestia non possunt influere in actus liberi arbitrij; & in intellectum, & rationem hominis; corpus enim non potest influere nisi in res corporeas, intellectus autem neque est corpus, nec actus organi corporei, & consequenter nec voluntas in qua formaliter consistit libertas. Vnde cum nullum corpus possit aliquid imprimere, nisi in rem corpoream, impossibile est, quod corpora cælestia directè imprimant in intellectum aut voluntatem; hoc enim perinde esset, ac dicere intellectum non differre à sensu. Ex quo fit, quòd Sol, cœlum, astra,

planctæ & corpora cœlestia non possint esse causa operationum liberi arbitrij; possunt tamen ad hoc dispositiuè inclinare, quatenus imprimunt io corpus humanum & vires seositiuas; quæ sunt actus corporalium organotum, & inclinant ad humanos actus liberos qualitatem aliquam disponentem vires sensitiuas ad operandum; quia tamen omnes vires sensitiuæ obedire possunt rationi, vt docet Philosophus *lib. 3. de anima textu 42. & 47. tom.2.* nulla necessitas ex hoc libero arbitrio impooitur; vnde sequitur, quòd contra ioclinationem & impressionem cœlestium corporum possit adhuc homo operari, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst 95. art. 5. in corpore*, Caietanus *ibi*, & communiter DD. Quod verò iudiciaria sit prohibita, & ideo prohibita quia per se mala est; probat primò Martinus Delrio *lib 4. disquisition. magicarum cap 3. quæst. 1.* & Suarez allegatus *num. 13.* ex illo Isaiæ 47. *Stent, & saluent te augures cœli, qui contemplantur sydera vt ex eis annuncient ventura tibi:* Est enim ibi quædam imprecatio, vbi loco Augurum vertont Septuaginta, *Astrologi cœli*, & D. Hieronymus ibi, *qui vocantur Mathematici, & astrorum cursu, lapsuque res humanas regi arbitrantur.* Ex quo loco, inquit Suarez, intelligimus quoties scriptura augures detestatur, detestari etiam iudiciarios Mathematicos. Secundò ex illo Hieremiæ 10. *Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vana sunt.* Tertiò ex Concilio Toletano 1. in assertione fidei. *Si quis Astrologiæ existimat esse credendum, anathema sit.* Quartò ex cap. *Non liceat 26. quæst. 5.* vbi prohibentur Christiaoi, *obseruare Lunæ, & stellarum cursus; aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda:* id est, regenda. Intelligitur autem hoc caput, vt ait Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2 de superstit. cap. 11. n. 14.* iuxta subiectam materiam de obseruatione Lunæ, & stellarum inani, & superstitiosa iuxta Gentilium traditionem; plura vide apud Suarium. Vltimò prohibetur Astrologia iudiciaria à Xisto V. in motu proprio 21. incipit, *Moderator cœli, & terræ*, ibi: *Statuimus, vt contra facientes iudicia, & natiuitates hominum quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non certò affirmare asserant, aut protestentur, &c. inquirant & procedant, & in eos seueriùs canonicis pœnis & alys eorum arbitrio animaduertant.* Vbi, vt notat Suarez *tom 1. de Relig. lib. 2. de superstitione c. 11. num. 30.* iudicia mathematicorum prohibet, & iudicia eorum qui simpliciter, & absolutis verbis hæc futura contingentia prænunciant in particulari, v. c. hunc futurum esse Episcopum, vel Ducem, latronem ducturum Martham io matrimonium, liberos habiturum, diuitias, ioimicitias, taliter obiturum, aut similia; vel reuelant particularia facta omnino occulta. & meritò hæc iudicia à Summo Pontifice damnantur, vt diximus, licet post latum iudicium affirment, & protestentur Mathematici se id non dicere tanquam certum, sed tanquam probabile, aut tanquam opinione dignum: quia si illa euasio concederetur, nullus posset conuinci; nunquam enim illi dicunt hoc infallabiliter esse euenturum, imò fatentur in generali interdum sua principia deficere; & ideo licet in his prædictionibus expressè dicant, se non affirmare id tanquam certum, nihilominus coram Ecclesia puniendi sunt.

D. Thom. Caiet. D Hyerom. Suarez.

Ita Suarez ibi. Et ratio esse potest, quia ille modus præonunciandi futura sub illa protestatione adhuc inclinat homines ad vanas superstitiones, & quia semper præsumitur ea verba proferri ad occultandam malitiam, & diuinationem, & reuera illa est vera diuinatio.

Suarez.

Imò addit Suarez ibi *num. 31.* & doctè quidem, 8.
& Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 33.* & Lessius *lib. 2. de iust. cap. 43. dub. 6. num. 42.* & alij, quos citat Saochez allegatus, etiamsi Astrologus, qui hæc iudicia fert, credat interius id quod verbis declarat, iudicium scilicet, illud non esse certum, sed probabile, adhuc peccare mortaliter, & superstitiosè agere. Fundamentum illius est, quia ex solis astris comparari non potest notitia talium futurorum vel occultorum, ita probabilis, vt dici possit id esse probabile, ac proinde qui ex solis astris scientiam prædictam inquirit saltem vt probabilem; tacitè vult ex scientia & pacto dæmonis talem cognitionem comparare; confirmatur, quia illa diuinatio etiam sub specie probabilitatis solùm habet fundamentum in regulis artis iudiciariæ, illæ autem regulæ non possunt habere probabilitatem ex solis astris, & ideo damnantur, vt industria dæmonum introductæ, & hoc idem bene confirmant verba illa Hieremiæ suprà relata, *& signa cœli nolite metuere*; non enim irrationabiliter timerentur, si iudicium probabile, & cognitionem humanam conferre possent. Vnde cautè legendi sunt Toletus *lib. 4 summæ cap. 15. num. 6.* Rodrig. *tom. 1. summa cap. 7. num. 3.* Sayro *in claui regia lib. 4. cap. 7. num. 4* & Valentia *2. 2. disp 6. quæst. 12. punct 3. columna 2. versu, Iam vero.* Et rectè intelligendi sunt, quatenus dicunt hoc malum esse, & perniciosum, superstitiosumque, quando Astrologi hæc tanquam certa prænunciant. In quo videntur supponere non esse illicitum, neque malum, nec superstitiosum, ac proinde nec prohibitum hæc prænuntiare tanquam probabiliter futura, intelligendi enim sunt de aliquali probabili suspicione non ex astris solis habita; sed ex aliis circumstantiis, & causis particularibus, vt ex temperamento personæ, & ex actionibus iuxta ea quæ dicemus num sequenti, & ita eos intelligit Sanchez allegatus hîc *n. 33.*

Soar. Sanchez. Lessius. Tolet. Rodrig. Sayro. Valent. Sanch.

Non est tamen per se malum, nec vniuersaliter 9.
prohibitum ex constellatione stellarum, & aspectu corporum cœlestium, obseruata pueri natiuitate, coniectare temperamentum, & complexionem illius, & ex illo aliqualiter probabiliter suspicari naturalem inclinationem futuram, v. c. propensionem ad iram, ad mansuetudinem, ad libidinem, ad amicitiam, ad hæc, vel illa exercitia naturalia; hæc autem non solùm tanquam certa, sed etiam tanquam nimium probabilia prædicere, licet superstitiosum non sit, nec iure positiuo damnatum, stultum tamen est, nec sine aliqua culpa temeritatis, & audaciæ fit. Ita docet Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superstitione cap. 11. num. 8.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 2. cap. 38. num. 82.* Salas *1. 2. quæst. 9. art. 5. disput. 2. sect. 8. num. 79.* Rodriguez *num. 79. & tom. 3. summæ cap. 7. num. 3.* deducitur ex D. Thom. *2. 2. quæst. 95. art. 5. in corpore*, quatenus asserit corpora cœlestia posse imprimere in sensus humanos, & potentias sensitiuas hominum, quæ sunt actus corporalium organorum, & disponunt, atque inclinant ad actus liberos; quia tamen omnes potentiæ corporeæ & vires sensitiuæ obediunt rationi, & voluntati hominis,

Suarez. Sanchez. Salas. Rodrig. D. Thom.

nihil

nihil certum ex hoc colligi potest. Probat igitur Suarez io hac coniectatione nullam esse malitiam per se in hunc modum. Primò, quia hic actus cooiectaodi merè naturalis est, temperamentum enim, & complexio corporis bumani à causis naturalibus procedit; ergo verosimile credi potest, magoam vim io eo habere cælestes influentias, ergo ex illis aliquid probabilitatis coniectare ooo est per se malum, quia nec pactum implicitum cootinet, oec fundamentum habet in astris, vt in puris signis; sed vt in causis oaturalibus, oeque etiam est do se alicui damnosum, vt patet. ergo non est per se malum.

10. Neque etiam aliquo iure positiuo est prohibitum, vt ibidem docet Suarez: Xistus enim V. in suo motu proprio s t. incipit, *Cæli, & terræ moderator*, non prohiber coniectoras, quæ habent causas naturales: nam hæc inclinatio, & propensio hominis, quæ veoatur ad hos, vel illos effectus, & ad bæc, vel illa exercitia natoralia ooo fundatur solùm in astris, quæ imprimunt, iofluuntque in corpora bomana, sed fundatur etiam in temperamento, & complexione naturali corporis. Sicut ergo coniectari potest tempetameotum, ita & hæc inclinatio, atque propeosio. Nihilominus animaduetto hanc cooiecturam vix posse peruenire ad cognitionem probabilem, nedum certam, primò, quia cum potentiæ seositiuæ, quæ pendent ex complexione, & temperamento hominum, obediant voluntati illorum, nihil certi ex hoc potest coniectari; imò & nihil verè probabile. Deinde quia qualitates, & inclinatiooes rei generandæ magis pendent ex dispositione materiæ ex qua generanda est res, quàm ex influentia cælorum; ergo ex solo aspectu syderum, & coniunctiooe stellarum, quæ in hora natiuitatis, aut conceptionis coocurrunt, non potest satis probabiliter colligi futura complexio, & temperamentum prolis genitæ: nam causa materialis est magis propinqua, & intrinseca rei genitæ, aot generandæ, & determinat influxus vniuersales astrorum. Quod exemplo facilè probatur; nam si duæ terræ diuersæ qualitatis, & virtutis, eodem tempore, eodem tritico seminentur, terra melior meliorem fructum proferet cæteris paribus: sic si duo iofantes sub eadem constellatione nascantur, si mater alterius meliutis complexionis sit, & meliorem maroriam conceptioni filij ministrauit, meliorem prolem generabit; si verò accedat paterna virtus fortior, & vigorosior; sine dubio multum efficiet ad meliorem filij complexionem. Tandem quia complexio, & temperameorum puerorum mutari potest ex alimentis & aliis exercitiis, cumque hæc omnia nec considerentur, nec coosiderari possint ab his diuinatoribus, non potest non esse eorum cooiectura & sospicio valde infirma, quod insinuauit D. Aug. *lib. 5. de ciuitate Dei c. 2.* D. August.

11. Diximus suprà, effectus contingentes naturales, qui non habent certam, & stabilem causam, & effectus liberos, non cadere sob scientiam hominum, ac proinde nihil certi posse Mathematicos, seu Astrologos, aut dæmones per diuinos suos de illis prænunciare; sed contra si dæmones & astrologi hæc futura non præuident, quî fieri potest, vt sæpe diuinatores, & astrologi certo futuros bos euentos liberos à libero arbitrio totaliter, & partialiter pendentes prædicant? nam ea quæ dæmones, & ars astrologiæ igoorant, certò prædici non possunt; videmus autem hæc sæpe certò prænunciare. Respondeo id mero casu contigisse, cum enim multa dicant, potest contingere, vt aliquid sit verum; vaticinia enim diaboli, & astrologorum sæpe falsa deprehenduntur; dæmones enim, vt ait D. August. *lib. de diuinatione dæmonum*; quem refert, ac sequitur Simaocas *de catholicis instit. titulo 16. num. 5.* naturæ suæ subtilitate, & longissima rerum experieotia faciliùs coniectare aliqua euentura possunt quàm homines, quæ suos discipulos edoceant ad eorum, & aliorum perditionem, & cum sit pater mendacij, nihil patiuntur verecundiæ, si in eo deprehendatur; si tamen aliquid veri contigerit, gaudet (vt ita loquar) maximè, vt prætextu illius veritatis grauioribus, & maioribus mendaciis homines decipiat. Prophetia enim potentior est, & efficacior ad conciliandam fidem quàm miracula, iuxta illud 2. Petri 1. 19. loqueos de miraculis, & prophetia. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*: Dæmones enim possunt miracula simulare, & apparenter facere; præscientiam autem futurorum, & prædictionem veram, & euidentem de actionibus hominum liberis nullus baber, neque Angelus, quanto minùs dæmones? Vode bene Pacuoius olim, *si qui quæ euentura sunt prævideant, æquiparentur Ioui*. Vide caput, *Sciendum 26. quæst 4.* dedoctum ex D. Augustino, vbi D. Augustinus rationem reddit cur dæmones sæpe aliqua vera pronuncient, & effutiant vaticinia. D. August. Simanc.

Concludamus igitur, iudiciariæ, siue falsæ Astrologiæ; quæ prænunciat de futuris contingentibus, & casualibus effectibus, qui nullam certam, fixam, & stabilem causam in stellis habent, & de actionibus hominum liberis, dæmones fuisse iouentores. Quod & Plato olim non ignorauit, qui fatetur in Conuiuio vaticinia, incantationes, diuinationes, & magiam per dæmones hominibus concedi, & id ipsum Apuleius confirmat *lib. de Deo Socratis*, & Origen. *in lib. 5. Iob. columna 40.* ita inquit, *diabolus est auctor diuinationis, & naturæ subtilitate, atque agilitate nonnunquam futura reuelat* (Intellige eorum quæ naturaliter sciri possunt; videt enim aliunde venire Euangelicos prædicatores, & hic prænunciat idololatriæ euersioem) *Maleficia auguria, diuinationes, phylacteria, incantationes, diuinationes, diaboli sunt seductiones, dæmonum irrisiones, idololatria, fax, animorum infatuatio, atque cordium scandalum*. Et id ipsum docet idem Origenes *homil. 13. in Numeros*. D. Leo *serm. 7. in Natiuitate Domini*. Isidorus *lib. 3. de summo bono cap. 5.* D. Bernard. *lib. de ordine vitæ prope fin.* D. Chrysost. *in Epistola ad Thessalonic. homilia 9.* Simancas *de cathol. Inst. titulo 21. num. 6.* 12. Plato. Apuleis. Origen. D. Leo. D. Isidorus. D. Bernard. D. Chrysost. Simanc.

CAPVT XXXIX.

De diuinatione per aërem, terram, aquam, ignem, per manuum delineationem, per somnia animalium, & auguria, & per partes, & voces hominum.

SVMMARIVM.

A dæmone profectus fuit modus diuinandi per elementa. num. 1.

Quid sit Geomantia, & Pyromantia, & an modus diuinandi per terram, corporaque ex terrena substantia concreta, & ignem, sit licitus. num. 2.
Quid sit Chyromantia, & quatenus sit licitus modus diuinandi per lineas manuum. num. 3.
An sit peccatum mortale mulierculas Ægyptianas per manuum lineas de bona fortuna interrogare. num. 4.
Physionomia, qua in proportione membrorum bonam, vel malam indolem, aut ingenium conijcit, quatenus sit licita. num. 5.
Ex motibus humani corporis an aliqua coniectura capi possit ad pranunciandum de futuris. n. 6.
An ex bino occursu eiusdem hominis in eadem via. num. 7.
An de hominum vocibus siue significent, siue non significent. num 8,
Quatenus sit licita, vel illicita pranunciatio ex motu, volatu, & garritu auium. num. 9. & 10.
Somnia, quibus modis fiant. num. 11.
Si constet aut probabile sit somnia esse à Deo, licitum erit ex illis capere futurorum coniectationem. num. 12.
Quid si non constet. num. 13.
An peccet mortaliter qui per somnia quarit diuinationes componendo se certo modo ad somnia captanda. num. 14.
An mortale sit subijcere puluinaribus litia, caprarum cornua, & alia huiusmodi ad captandum somnum. num. 15.
Ex quibus signis cognosci possit somnium esse à Deo, vel à diabolo. num. 16.
Quid si dubitetur an somnia sint à Deo, vel à damone. num. 17.
Licitum est obseruare somnia qua nos crebrò territant, unde proueniant. num. 18.
Si somnia proueniant ex negotijs prateritis, nihil de futuro significant, sed suas causas indicant. num. 19.
Quatenus liceat, vel non liceat ex somnijs conijcere futura. à num. 20. vsque ad 23.
An licitum sit captare auguria, & futurorum cognitionem ex animalium intestinis. num. 24.
An sit aliquod discrimen inter diuinationem, & vanam obseruationem. num. 25.

1. CVM diabolus auctor sit artis diuinatoriæ, & iodiaciariæ Astrologiæ, quæ de futuris euentibus à libertate pendentibus prænunciat, inde factum est, vt mille nocendi artibus hominibus curiosis, & deprauatis illuserit, promittens illis futurorum cognitionem varijs modis; ab illa enim Geomantia, seu diuinatio ex terra, & per terram emanauit; Hydromantia per aquam, Aëromantia per aërem, Pyromantia per ignem, Spathulamantia, siue Artumantia, id est, diuinatio per ossa artuum animalium mortuorum, Chyromantia per manuum delineationem, & cæteri diuinandi modi ex se illiciti, quibus miseros mortales delusos tenet, & ad inferos ludificatos trahit, quos ferè omnes comprehendit, atque complexus est Mantuanus, in Apologia his versiculis.

Qui fumantia consulit exta,
Qui rimatur aquas, & qui considerat ignes,
Qui pluuias, specula, & pelues, nitidasque secures
Inspicit, & temerè descripta in puluere signa.

2. Ciruelo. Geomantia igitur, vt notat Ciruelo *de superst. part.* 1. *cap.* 4. tunc fit, cum diuini hac arte vtentes edocti à dæmone, certa signa, puncta, & figuras, vel in terra, vel in puluere, vel in papyro, vel in quocumque alio corpore è terrena substantia compacto, inscribunt, & post illorum inscriptionem, motationemque, & transpositionem prædiuinant id quod animo intendunt, quod fieri non potest sine manifesto dæmonum pacto, & inuocatione; neque enim signa illa naturales causæ esse possunt talis diuinationis, nec signa rei prænunciatæ, sed signa pacti diabolici. Aëromantia est illa (vt dixi) diuinatio, quæ per aërem, & ventos fit; vani enim isti diuinatores obseruant aëris mutationes, & sonitum arborum, flabellationem venti per angulos domorum, per portas, per ianuas, & ex his futura prænunciant. in qua vana obseruatione idem pactum dæmonis cernitur omnino, non enim similiter ista signa sunt futuri euentus, sed signa pacti. Pyromantia considerat ignem, flammas, fumum, fungos, an conglobatim flammæ ab igne emittantur, an splendidæ, an celeriter, an tenues vel crassæ sint, quem colorem efficiant, quem sonitum edant, an in modum pyramidum fastigiatim euolent, an ab igne separentur, & similes vanas obseruationes considerat, quæ similiter pacta sunt dæmonis, non prænunciati euentus causæ. Hydromantia contemplatur in aqua; motus illius, & in peluem, vel quodcumque aliud vas aqua plenum, picem, ceram, vel resinam liquefactam infundit, & ex figuris, quæ inibi fiunt & apparent cum prolatione certorum verborum futura vaticinatur, ex pacto dæmonis, non industria humanæ artis. Artumantia seu Spathulamantia obseruat ossa artuum, & viscera animalium, & hominum mortuorum, eaque iuxta ignem apponit quoad vsque calore ignis, vel crepitent, vel diffindantur, & ex sonitu, atque ex modo fissuræ futura superstitiosè ex eodem pacto colligit.

Chyromantia inspicit manus delineationes, & figuras, & ex illis futuros euentus prænunciat, 3.
an religiosus, quis futurus sit, an pauper, an diues, an vxorem sit habiturus, an liberos ex ea suscepturus, & quot, & quales, fœminæ, an masculi, an vxor illius ei sit fidem coniugalem obseruatura, an amicos, vel inimicos sit habiturus, an casus ei sint euenturi fortuiti, an illos feliciter vel infeliciter sit euasurus, & similia alia contemplatur, quæ meræ vanitates sunt, & dæmoniorum superstitiones. Quod ex duplici causa probatur manifestè. Primò, quia in huiusmodi lineis filij communiter referunt parentes; sicut, & in vultu plerumque, & in reliquis corporis partibus, & ita huiusmodi delineamenta, & manuum figuræ non ad diuinationem à natura sunt inditæ; sed ad hominis pulchritudinem: videmus enim & experientia compertum habemus, filios qui habent easdem lineas cum patribus, non eandem fortunam parentum habere; sed diuersam omnino. Secundò, quia huiusmodi delineamenta manuum ad diuersas ætates hominum, vel corporis macie, vel pinguedine, vulneribus, apostematibus, vel vario, & assiduo manuum labore demutantur, vt passim cernimus in fabris ferrariis, aut lignariis, quare certæ ac permanentes causæ prænunciati euentus esse non possunt; verum est tamen esse in manibus nonnullas lineas præcipuas, & principales, quæ ex plicatione, & explicatione manuum causantur, quæ cum sint lineæ naturales, & permanentes, de quibus asserunt Astrologi sapientiores significare aliquid non quidem euentuum futurorum,

sed

sed temperamenti intrinseci & ioternorum membrorum. v.c. an cerebrum tenue, an firmum babeamus, an stomachus sit debilitatus, an cor vigore plenum, an iecur, ao hepar, an pulmones sint sani. Vnde hoc iudicare ex illis est licitum; iudicare autem de euentis futuris ex figura, & delineatiooe manuum, diabolica diuinatio est, & vana superstitio, & ideo illam damnat Sixtus V. in motu proprio 21. contra Astrologos. Incipit, *Cœli, & terræ moderator Deus*. Ita Ciruelo *de superstitione part.2. cap.4.* Nauarr. *in summa Latin. cap.11. num.31.* Alcocer. *in summa cap.14. fol.46.* Ludouic. Lopez *part.1. Instructorij cap 41.* Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2. cap.38. num.47.* Nauarr. *lib.2. de restit. cap.2. part. 1. dub.7. in noua editione à num. 159.* Noo est tamen audiendus Nauarra *num. 161.* oegans cognosci posse per manuum lineas complexionem, humores, & aptitudioem hominum.

Ciruelo. Nauarr. Alcocer. Lud. Lop. Sanchez. Nauar.

4. Hinc vt docet Nauarrus, Alcocer, Ludouicus Lopez, & Sanchez, modo allegati, non licet iorerrogare Ægyptianum de bona, vel mala fortuna per lineas manuum deducta, eritque mortale in duplici caso. Primo, quando rogaretur animo firmiter credendi dictis illius, secus si ob curiositatem, & animo ridendi, & iocandi, vt communiter fit; tuoc enim vt plurimum esset venialis tantùm vanitas. Secuodo, quando interrogans animo ridendi, & ob curiositatem tantæ auctoritatis persona esset, vt videntibus graue scandalum geoeraret.

5. Physionomia tamen illa, quæ est pars naturalis Philosophiæ, & quæ ex corporis dispositione, membrorum habitudine, proportioneque probabiliter coniicit animi affectus, & bonam vel malam indolem, acutum ingenium, corporis temperiem, firmam, vel infirmam valetudinem, est licita; quia, vt iam diximus, ex his possunt hæc probabiliter cognosci, secus si certò hæc prædicaotur, nam oon possunt ita certò cognosci, quod latè probat Delrio *lib. 4. disquisit. magic. cap.3. quæst. 4.* Azot *tom.1. lib.9. cap. 16. ad finem.* Lessius *lib.2. de iust. cap.43. dub 7. num.45.* Sanchez *tom.1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 44.* Physionomia tamen illa quæ ex aspectis humani corporis partibus prosperos, & adocrsos hominis euentus prædicit, superstitiosa est, & prohibita à Xisto V. & de se est mala, & mortaliter illicita. Ita præcitati auctores; & quòd sit mortaliter illicita, latè probat Sanchez allegatus à *num. 18. vsque ad 22.*

Delrio. Azor. Lessius. Sanchez.

6. Ex motibus bumani corporis nulla, aut valde infirma coniectura capi potest ad pronunciandum aliquid de futuris. Primò, quia sæpe non ab impressiooe cælesti, & constellatione stellarum, sed à libera voluntate pendeot. Secundò, quia ex motibus animalium firma cooiectura capi ooo potest; (vt statim dicemus.) ergo à fortiori neque ex motibus hominum, si enim animalia cum quietiorem habeant phantasiam, ac proinde aptiora sint ad recipiendam cælestium corporum impressionem, nihilominus inepta sunt ad prænuntiandum, multo magis id asserendum de hominibus. Vnde ex illorũ motibus aliquid prænuntiare superstitiosum, & vanum est, & ita docent Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 4.* Valentia *2.2. disp.6. quæst. 12. punct. 3. columna 4. versiculo, Et idem etiam.*

Sanchez. Valentia.

7. Similiter vanum, & superstitiosum est ex casibus aliquibus fortuitò homini cootingentibus conicere aliquid fæliciter, aut infæliciter illi obuenturum, vt ex bino occursu eiusdem personæ in eodem itinere, ex certorum animalium, aut fuoeris concursu, ex fractiooe corrigiæ calceorum, & aliis huiusmodi casu contingentibus; hæc enim omnia cum fortuitò cootingant, oihil boni, aut mali significare possuot; vode mera superstitio, & vanitas est ex illis aliquid coniicere. Ita Sanchez *allegatus 42.* & Azor *tom.1. lib.5. cap.22. quæst. vnica.* vbi hoc variis illustrat exemplis.

Sanchez. Azor.

Idem diceodum est de bominum vocibus etiam significantibus; nulla enim ex illis sumi coniectura potest effectuum contingentium; nam cum ex placito hominum significationem habeant, non ex syderum motibus, aut cæli constellationibus, signa equidem esse oon possunt euentus futuri; quare diuinatio per illas oon potest ooo esse valde superstitiosa, nisi cogoitio futurorum tuoc à Deo expectetur. Ita docet Valentia *2.2. disp. 6. quæst. 12. puncto 3. columna 4. versiculo, Quod autem attinet.* Azor *tom.1. lib. 9. Instit. moral. cap.12. fine.* Dixi, nisi expectetur à Deo, quia fas est, aliquando cognitionem futuram à Deo per vocem aliquam humanam præter intentionem dictam sperare. Ita docet D. Th. *2.2. quæst. 95. art.7. ad 3.* Caietanus *ibi in fine.* Valentia citatus *eodem puncto.3. versiculo, Per hoc etiam.* Et confirmat hoc D. Thom. exemplo Gedeonis viri sancti, qui audita recitatione cuiusdam somnij vt Iudic.7. refertur, & exemplo Eliezer fidelissimi serui Abraham; qui audita voce puellæ Rebeccæ Genescos 14. *bibe domine, nam & ego etiam camelis tuis hauriam aquam &c.* statim coniectauit futuram illam puellam Isaac filij domini sui Abraham: in his enim exemplis tam Gedeon, quàm Eliezer cognitionem acceperunt ex vocibus humaois; sed vterque id à Deo expectauit; nam, vt ait ibi D. Thomas, Gedeon auditionem somnij accepit pro omine, quasi ea fuisset ordinata à diuina prouidentia pro sui instructiooe. Eliezer verò attendit verba puellæ, oratione præmissa, à Deo. Vnde, vt bene animaduertit Caietanus, oportet prius diuinum aliquod lumen aut præceptum à Deo percipere ad hanc cognitionem ex vocibus humaois accipiendam, & oon ex sola facili credulitate, aut fiducia moueri ad aliquid coniectandum. 8.

Valentia. Azor. D. Thom. Caiet. Valentia.

Ex motibos, volatu, cantu, & garritu auium, & piscium motu & aliorum animalium, solùm ea futura prænunciari licitè possunt, quorum illæ sunt causæ vel signa: vt pluuiæ, tempestates, venti, serenitas. Cum enim reuera horom sint signa, nulla est superstitio, hæc tunc cooiectare; & ratio est, quia hæc animalia nullum habeot domioium suarum actionum; sed instinctu quodam naturali mouentur, nec habent simpliciter potentias aliquas spirituales; sed animam tantùm sensitiuam, cuius omnes illius potentiæ externæ, & internæ, si quas præter phantasiam habent, corporales sunt, & corporalium actos organorum, & ideo sobiacet anima & phaotasia harum auium; & animalium impressiooibus corporum cælestium, vnde fit quòd aliquæ operationes illarum diligenter ab hominibus obseruatæ, sint futurorum signa, quatenus cooformantur dispositionibus corporum cælestium, & aëris, ex quibus proueniunt aliqoi futuri euentus, mutatio enim aëris afficit spiritus animales, & cerebrum ipsarum auium; quam affectionem statim phaotasia illarum percipit, & per modum conuenientis, aut discoueniectis apprehendit; & id exteriùs voce, cantu, garritu, aut volatu si- 9.

D.Thom. Caiet. Azor. Lessius. Virgil. gnificant. Ita docet D. Thom. 2.2. *quæst.95.art.7. in corpore*, Caietanus *ibi*. Azor. *tom.1. lib.9. inst. moral. c. ap.15. in fine*. Lessius *lib.2. cap.43. dub.7. num.45.* Vnde Virgilius in Georgic.

Vertuntur species animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: Hinc ille auium concentus in agris, &c.

Asserit autem Caietanus 2.2. *quæst.95. art.7.* ex his vocibus, & signis auium, & animalium posse probabiliter aliqua coniici futura in hominibus; quia v. c. cœlum, & sydérum aspectus in animalibus causat dispositiones cholericas ex quibus procedunt tales voces, cantus, mugitus, aut garritus. Vnde cognitor huiusmodi cantuum, motuum, aut vocum, & conuenientiarum, quas habent, cum huiusmodi dispositionibus cholericis, poterit probabiliter prænunciare inter homines futura bella, rixas, aut discordias. Verùm cum huiusmodi effectus pendeant à libero arbitrio hominum, & voluntati sint subiecti, remotissima, & tenuissima coniectura hæc esse potest, & parum, aut nihil probabilitatis habens, vt optimè notauit Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2. c.38. num.39.* & Valentia 2.2. *disp.6. quæst.12. punct.3. col.2. versic. Similiter possunt.* Sanch. Valen.

10. Hinc manifestè colligitur superstitiosam esse diuinationem illam, quæ extenditur ad prænunciandum ex his plusquam illa indicent, & maximè si aliqua circa actus humanos per illa certiùs coniectentur, quàm ipsa significent; secus si cum dubio, & maxima formidine, aut cum leuissima coniectura, vt iam diximus; & doctè animaduertunt Sanchez, & Lessius allegati.

11. Antequam de diuinatione ex somniis aliquid dicamus, sciendum est somnia ex quinque causis prouenire posse. Primò, ex singulari Dei prouidentia, vt somnia Ioseph. Secundò, ex constellatione cœli, & impressione aëris. Tertiò, ex affectione, & dispositione corporis humani. Quartò, ex prauiis cogitationibus. Quintò, ex procuratione dæmonis.

12. Prima conclusio. Si constet, aut probabile sit somnium esse ex peculiari Dei prouidentia, licitum erit capere ex eo futurorum cognitionem. Probatur facilè; quia sæpe Deus immittit huiusmodi somnia, vt nobis suam voluntatem manifestet; tale fuit somnium Ioseph de Virgine non deserenda, & de fuga in Ægyptum, ne puer IESVS ab Herode occideretur, & de reditu ex Ægypto, Matthæi 2. Tale somnium Magorum, ne redirent ad Herodem inuento puero IESV ibidem. Tale somnium alterius Ioseph Patriarchæ, in quo ei in visione manipulorum, & stellarum significatum fuit Geneseos 37. se superiorem futurum patre, matreque, & reliquis suis fratribus: & alia passim.

13. Secunda conclusio. Si verò non sit probabile, somnia esse à Deo, tunc non erit licitum certam, aut probabilem cognitionem futurorum contingentium capere, aut eorum euentuum, qui vel totaliter, vel particulariter ex liberi arbitrij facultate pendent. Ratio est primò, quia ex somniis nequit haberi de futuris contingentibus nisi leuissima coniectura, aliqualis suspicionis limites non excedens. Cum enim somnia per se ipsa non producant effectus illos contingentes aut liberos, nequit ex illis aliquid certum, aut probabile coniici. Vt enim ex somniis aliquid probabile coniiciatur, opus est vt illarum causæ cognoscantur, comprehendanturque; quæ tamen sunt cognitu difficillimæ, eo quòd nullum somnium ita ab vna causa proficiscatur, quin ab aliis etiam multis proficisci possit. Secundò, quia somnia non possunt euentus liberos ex natura sua significare; ergo solùm ex directione Dei, ac proinde quando non est probabile esse à Deo, qui ex illis vult certò aut probabiliter capere futurorum prænotionem, se subiicit dæmonum disciplinæ; cui tacitè tribuit eam cognitionem, & hoc ex genere suo semper est mortale, & ideo prohibetur in sacra pagina Leuitic. 19. *Non augurabimini, neque obseruabitis somnia.* Ecclesiastici 34. *Vana spes, & mendacium viro insensato, & somnia extollunt imprudentes; multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Poterit tamen esse venialе. Primò, ratione simplicitatis, qua homo rudis facilè credit somnia esse à Deo. Secundò, quia leuiter, & non firmiter creduntur esse à Deo. Tertiò, si quis secum cogitet, etsi nullo fundamento, ea somnia esse à Deo, ideoque aliqua omittat, vel faciat, quæ tamen non sint contra aliquod præceptum diuinum, vel positiuum Ecclesiæ. Ita docet Lessius *tom.1. de iust. lib. 2. cap.43. dub 8. num. 52.* Caietanus *in summa, verbo, Somniorum obseruatio.* Nauarrus *cap.11. num. 35.* Si tamen quis ita deditus esset obseruationi somniorum, vt passim illa in rebus agendis vteretur, & somnia pro regula suarum actionum haberet, non posset à peccato mortali excusari, quod faciunt hodie Enthusiastæ hæretici in Germania, qui somnia captant, & hæresim quam docent, veram esse doctrinam à Deo in somniis acceptam prædicant, & sic futurorum præscientiam, & præteritorum indubitatam cognitionem vendicant, diuinitatem doctrinæ suæ per somnia captantes; quasi Deus per hæc somnia toties frustratoria, & à diabolo immissa, certæ scientiæ, & doctrinæ dona dormientibus instillet; verè dormitarunt isti, quando talem firmitatem doctrinæ suæ somniarunt, Vide Scribanium *lib. 2. contron. orthod. fid. cap.3.* Scriban.

Si quis tamen per somnia quærat diuinationes, componendo se ad capranda somnia certo ritu, & modo, id expressè inuolare diabolum est. Sic olim Ethnici præmisso ieiunio in pellibus animalium cæsorum incubare, seu dormire solebant, vt responsum in somniis à Diis, vel potius à dæmonibus acciperent. Vnde Virgilius Æneidos 7. 14. Virgil.

Pellibus incubuit stratis, somnosque petiuit.

Incubare enim dicuntur propriè hi, qui dormiunt ad accipienda dæmonum responsa in somniis, vt notat Seruius ad hunc locum. Hinc Plautus in Curculeo act.2. scena 2. *Incubare satius te fuerat Ioui*; idest, vt inquit Cicero *lib. 2. de diuina somniandi causa*: incubare, quia vera quietis oracula ducebant. Ad hæc respexit etiam Propertius lib.4. Elegia 4. Plautus. Cicero. Proper.

Experiar somnum, & de te mihi somnia quæram.

Qua de re vide Cælium Rodiginum *lib.27. antiquitat. cap.54.* facile autem est diabolo si à Deo permittatur, somnia qualia vult immittere, concitando humores, & spiritus.

Hinc inferes ex genere suo semper esse mortale, & superstitiosum opus, subiicere puluinaribus ægrotorum litia, aut subtus lectum, vel stragulum, capitarum, boum, & aliorum animalium cornua, & instrumenta textoria, quæ nullam habent virtutem naturalem, ad captandum somnum, 15.

somnum, vt eos quietè, ac pacatè dormire faciant; ibi enim quasi expressum pactum diaboli cernitur; nam cum hæc, & alia similia instrumenta nullam habeant vim propriam à natura, vt somnum concilient, neque etiam illam habeant à Deo communicatam; sequitur, vt si somnum concilient, fiat ex pacto dæmonis; qui propter huiusmodi pactum excitat humores in corpore, vt ægroti dormiant; excusabuntur tamen à mortali, qui id fecerint propter ignorantiam, quia non credebant inibi adesse pactum; & faciebant bono animo, & fide: admonendi tamen sunt ne in posterum huiusmodi veneficiis vtantur; & si post admonitionem id fecerint, mortaliter peccabunt.

16. Quando autem somnia sint à Deo, vel à diabolo, non facile est distinguere, id tamen ad prudentem confessarium spectat. Et quidem ex iisdem regulis discernenda sunt; quibus reuelationes diuinæ ab humanis discernuntur, vt doctè
Delrio. animaduertit Delrio *lib. 4. disquis. magicar. cap. 3. quæst. 6. conclusione 5.* De hac quoque re videndus est Pereira *lib. 1. in Danielem quæst. 3. & lib. 2.*
Pereira. Suarez. *de magia quæst. 3.* & Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superstitione cap. 13. num. 6.* Breuiter autem duo signa ex quibus id cognosci possit, tradunt DD. ex effectu scilicet, ad quem mouent, & inclinant, & ex affectu quem in somniantibus causant, ac relinquunt; si enim ad aliquam nequitiam, vel imprudentiam moueant, sunt à dæmone; si ad aliquod bonum prudens, vel rationabile, potest quis non temerè suspicari esse à Deo; quamuis hoc humiliter, & cum timore sit faciendum, solet enim diabolus, se in Angelum lucis transfigurare, vt sub specie bonitatis malitiam suadeat, & sub prætextu veritatis falsitatem: quare oportet cautum esse, & diu considerare euentum. Deinde si somnia causent in somniantibus confusionem, quandam animi tarditatem ad opera bona, rerum spiritualium tædium; indicium est non esse à Deo: contra si ad contraria impellant, maximè si diu homo in tali bono
Sanchez. Valentia. proposito & alacritate duret. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 52.* Valentia 2.2. *disput. 6. quæst. 12. puncto 3. in fine*, & alij communiter.

17. Si autem dubitatur an somnia sint à dæmone, vel à Deo, tutius est ea, vt à diabolo immissa contemnere, vt optimè docet Sanchez modo allegatus, & Delrio *lib. 4. disquisit. mag. cap. 3. quæst. 6. post. 5. conclusionem.* iuxta illud Ecclesiastici 34.
Sanch. Delrio. *Nisi ab altissimo fuerit immissa visitatio, ne des in somnijs cor tuum*; nam curiosa somniorum obseruatio ad hoc discriminandum superuacua esse potest. Deus enim somniū immittens solet simul hominem reddere certum à quo immittatur. Satis autem probabile iudicium est ad iudicandum de bono, vel malo somnio, arbitrium pruden-
Suarez. Lessius. Sanch. tis viri, vt docet Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de supest. cap. 13. num 24.* Lessius *lib. 2. cap. 43. dub. 8. num 52.* & Sanchez allegatus *num. 52.*

18. Vnde licitum est obseruare ex quibus causis proueniant somnia prauam aliquam affectionem animi indicantia: v. c. somnia quæ nos crebrò territant, perturbant, & infestant, vt eas denitemus: constat ex Cassiano *collatione 22.* vbi legitur veteres illos monachorum, & rerum spiritualium Magistros in inquirendis somniorum
Sanchez. Delrio. causis diligenter fuisse versatos. Ita Sanchez. *tomo 1. Decalogi lib. 2. cap. 38 num. 50.* Delrio *lib. 4. disquisit. magic. cap. 3. quæst. 6. conclusione 3.* Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superst. cap. 13. num. 6.* Suarez.

Si somnia proueniant ex negotiis præteritis, & ex frequentibus cogitationibus, quibus occupati sumus, nihil de futuro significant, sed suas causas præteritas indicant; de illis enim rebus frequenter somniamus, de quibus frequenter tractamus. Quare ex huiusmodi somniis nihil de futuro coniectari potest. 19.

Si somnia proueniant ex affectione corporis, & proprietate illius, licitum est ex illis probabilem coniecturam facere ad iudicandum de causis ex quibus proueniunt. v. c. si quis incendia in somno videat, probabiliter coniectari potest humorem biliosum in eo prædominari: si videat sanguinem, digladiatores, homines vulneratos, signum est abundantiæ sanguinis in corpore; si videat fumum, tenebras, mortuos, & funeralia, signum est melancholiæ, & terrei humoris; si niuem, glaciem, & pluuiam, signum est pituitæ; si se vel alios volitare per aërem videat, signum est lenis, & temperatæ complexionis; si montes aureos videat, aut putet, se inuenire sacculos auro onustos, signum est desiderij habendi, & maximæ auaritiæ, aut egestatis. Sed hæc ad medicos spectant, significant enim huiusmodi somnia, morbos animi, vel corporis, quibus quis laborat, & hæc obseruare nulla est vanitas, nulla superstitio. Ita Ciruelo *de superst. 2. part. cap. 6.* Nauarr. *in summa cap. 11. num. 33.* Pereira *lib. 1. in Danielem quæst. 6. & lib. 2. de magia q. 7.* Azor *tom. 1. lib. 9. cap. 17. colum. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 43. dub. 8. num. 55. & 56.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 13. num 6.* 20. Ciruelo. Nauar. Pereira. Azor. Lessius. Suarez.

Ad hæc somnia naturalia ex abundantia prædominantis humoris prouenientia, spectat illud somnium in quo aliquis spectrum in se irruere, & se opprimere de nocte videt, ac sentit, quem incubum vocant medici; prouenit enim hoc somnium à crasso, terroque humore in cerebrum irruente, & vias spirituum animalium intercipiente, vt docet Galenus *lib. 3. de locis malè affectis cap. 4.* & hoc somnium signum est crassi, & melancholici sanguinis, & cruditatis, & est periculum Epilepsiæ; si quis crebrò illud patiatur; & hoc genus somniorum vocatur Phantasma. Cicero Visum illud vocat. Qua de re vide fusè tractantem Macrobium *lib. 1. in Somnium Scipionis.* Quæ diximus, ad præsentem materiam & nostrum institutum sufficiunt. 21. Galenus. Cicero, Macrobium.

Sunt alia somnia quæ proueniunt ex constellatione cæli, & impressione aëris; hæ enim constellationes imprimunt in corpora nostra, & humores vehementer in eis commouent; vnde plerumque somnia oriuntur, indicantia humores prædominantes in nobis, de quo genere somniorum iam diximus numero 20. 22.

Captare auguria & cognitionem futurorum euentuum per mortuorum animalium exta, aliaque, omnino est illicitum, & diabolicum pactum. Nam cum hæc ex natura sua nihil significent, nulla ex illis cognitio de rebus futuris, aut præteritis, capi potest, præterquam de aliquibus effectibus naturalibus pluuiæ, ventorum, &c. nam cum aër, & constellationes cæli in his animalibus imprimere possint; nihil obstat quod ex illorum ilis sic, vel sic calidis, aut salientibus mutatio aliqua, aut varietas in tempore cognosci possit ab aliquibus curiosis obseruatoribus. At velle ex his hanc obseruationem extendere ad cognitionem futurorum contingentium, aut ad 23.

prænotionem liberorum effectuum, à voluntate homioum toraliter, vel partialiter pendentium; vana, & diabolica superstitio est, & omnino vtroque iure diuioo, & humano prohibita, vt iam capite præcedenti diximus, & colligitur ex D.Thom. D Thom. 2. 2. *quæst* 95. *art.* 7. *in corpore.* Nec obstat quòd dispensator Iosephi dixerit Geneseos 44. *Scyphum, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet*; & postea idem Ioseph iisdem fratribus suis dixerit. *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* vt inde coniiciamus vsum talis scientiæ ad diuinandas operationes hominum liberas, & futura contingentia, esse licitum, cum Ioseph vir sanctus fateatur se peritum in augurandi arte, & vsum illa fuisse. Nam. vt notat D. Thom. D.Aug. citatus ad 1. ex D. August. si illius est opus illud lib. quæstionum super Genesim *cap.* 145. *tom.* 4. Ioseph hoc per iocum dixit fratribus suis non seriò, referens hoc dictum ad opinionem illam, quam vulgus de illo in Ægypto imbiberat, & eodem etiam sensu dispensator illos locutus fuit.

24. Notandum tamen est aliquod esse discrimen inter diuinationem, & vanam obseruationem; nam in diuinatioue homo de industria quærit signa ex quibus diuinet, in obseruatione verò non quæruntur talia signa; sed coniecturam capit ex iis, quæ fortuito accidunt. Deinde quia in diuinatione ordinariè principaliter quæritur notitia, in obseruatiooe verò directio propriarum operationum. Ita & optimè docet Lessius Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 43. *num.* 66.

Capvt XL.

De Sortilegijs, & vsu sortium. Vtrùm sit licitus, & quatenus.

Svmmarivm.

Sortes quadam sunt diuisoria, quadam consultoria, quadam diuinatoria. num. 1. & 2.

De iure naturali sortes diuisoria sunt licita, de iure humano in multis euentibus sunt licita, in alijs non sunt. num. 3.

In quibus euentibus sint licita, vel non sint. n. 4.

An sint licita in componendis litibus de beneficijs. à num. 5. vsque ad 8.

Non licet vsus sortium in electionibus ad officia, & beneficia Ecclesiastica, nec etiam ad eligendum vnum vel plures compromissarios ad hanc electionem faciendam. num. 9. & 10.

Qua fuerint sortes Diui Matthia. num 11.

An saltem in eo casu, quo suffragia pluries exierunt paria, licitus sit vsus sortium ad prouidenda beneficia, si non sit aliud remedium. num. 12.

In eo casu licitum est remedium compromissariorum, modo electio illorum per sortes non fiat. ibid.

An electio per sortes ad officia, vel beneficia Ecclesiastica non solùm sit illicita, sed etiam irrita. num. 13. & 14.

An sit licitus vsus sortium in officijs sæcularibus. num. 15.

Et an prouisio illorum facta per illas sit irrita. ibidem.

Quatenus sint licita, vel illicita sortes consultoria ad cognoscendam Dei voluntatem per illas. numero 16. & 17.

An licitus sit vsus sortium inter æquè pauperes, quorum alteri eleemosyna sit elargienda. n. 18.

Diuinatoria sortes per quas futuri euentus inquiruntur, quatenus licita, vel illicita. à num. 19. vsque ad 21.

Vsvs sortium, seu sortilegium, olim magis vsitatus erat; hodie non ita in vsu hominum est. Crescente enim Dei timore, & notitia rerum diuinarum iam prope exulat: quia tamen in sortibus sicubi illarum vsus adhuc viget, peccatum dari potest, videndum est quatenus licitus, quatenus illicitus sit. 1.

Tria autem (vt communiter notant DD. D. Thom 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 8. Caietanus *ibi*: Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 56. Toletus *lib* 4. *summæ cap.* 15. *num. vltimo.* Suarez *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 9. *num* 57. *versu, Sunt autem tres,*) sunt genera sortium; aut enim sunt *diuisoria*, aut *consultoria*, aut *diuinatorio*. *Diuisoria* sortes sunt, quando ex euentu sortium quæritur quid vnicuique tribuendum sit, siue illud sit res possessa, siue honor, siue pœna, siue munus aliquod, siue sæculare, siue Ecclesiasticum officium, aut beneficium. *Consultoria* dicuntur illæ, per quas in rebus dubiis inquiritur diuinum consilium, vt sciatur quid in negotijs dubiis agendum sit. *Diuinatoria* sunt, quando per eas inuestigatur cognitio de futuris euentibus. Et quidem directio sortium vel expectari potest à Deo, vel à Dæmone, vel à casu, non enim amplius vnde expectari possit, apparet. 2. D.Thom. Caiet. Sanchez. Tolet. Suar.

Statuo primò. Stando in solo iure naturæ sortes diuisoriæ sunt licitæ, ac proinde licitus est vsus illarum in omnibus casibus, in quibus ius humanum eas non interdicit, interdicit autem ius humanum illarum vsum in pluribus euentibus, non in omnibus. Ita communiter DD. D.Thom. & Caietanus citati, Sanchez & cæteri omnes allegati num. præcedenti: Suarez *n.* 5. & 16. & Lessius *num.* 58. modò allegati *num.* 2. Probatur, quia ex natura sua non sunt malæ, nisi illis extrinsecè addatur aliqua superstitio, cum non ordinentur ad cognitionem rei incertæ, sed immediatè ad operationem dirigantur, nec etiam contineat expresè, aut tacitè aliquam dæmonis inuocationem, quia per illas sortes non petimus ab eo, nec tacitè, nec expresè, vt nos aliquid doceat, aut vt aliquam operationem nostram ad aliquid agendum dirigat; non ergo sunt de se malæ. Non sunt etiam prohibitæ sortes diuisoriæ in omnibus casibus, imò in aliquibus rebus permittuntur, & iubentur fieri, vt patet ex l. *Si duobus C. communia de legatis*, vbi in variis casibus, in quibus hæredes, vel legatarij quibus æqua datur potestas eligendi aliquem in seruum, aut rem aliam inter se, de electione contendunt, iactu sortium iubetur dirimi contentio, ibi: *Sancimus in huiusmodi rei casibus iudicem fortunam esse, & sortem inter altercantes adhibendam, vt quem sors pratulerit, is quidem habeat potestatem eligendi.* Nec ius canonicum hoc vllo in loco reprobauit; sic Saul olim sorte electus est in Regem 1. *Reg.* 10. quod licitè factum fuit, quia Deus eum modum eligendi inspirauerat, & per Samuelem huic electioni præerat. Ex quo tandem ostenditur diuisorias sortes esse indifferentes, & de se posse honestè fieri; has enim probat vsus veteris testamenti, nam licet nonnulla ex illis tunc fierent speciali Dei mandato, illud tamen non est semper necessarium cum actio de se mala non sit. 3.

Cum

4\. Cum tamen in conclusione dicamus iore humano in pluribus rebus vsum fortium esse licitum, non tamen in omnibus; quæres quando sint licitæ, quando illicitæ? Respondeo primò, esse licitas & permissas in rebus externis, & sæcularibus: quæ aliter commodè diuidi non possunt, vt in hæreditatibus componendis, & in dirimendis litibus. De rebus fecularibus, ita docet Abbas *in capite, Ecclesia, extra, de sortilegijs,* quatenus asserit in illo capite non prohiberi vsum fortium in causis, & litibus temporalibus, etiam inter Clericos & personas Ecclesiasticas. Docet etiam Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 43. dub. 9. num. 58.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 12. num. 4. & 11.* Patet ex *l. si duobus. allegata.* Secundò in functionibus, & honoribus, vbi de honore, vel periculo agitur. v.c. si inuadendum est hostile oppidum, & inter militum nationes contentio sit, quænam illarum illud prior inuasura sit, fortibus diuisoriis res decidi potest. Sic D. Augustinus *Epistola* 180. & Lessius allegatus, & nos alibi diximus sorte eligendum esse sacerdotem, qui tempore pestis, & persecutionis maneat in oppido quando non fuerint alij, qui vltrò se ad manendum offerant, & pastore earet qui res spirituales fidelibus administret. Quare simpliciter loquendo, quando in prædicto pestis tempore, aut persecutionibus Ecclesiæ, contentio fuerit, qui parochi, aut clerici, aut religiosi manere debeant in loco pestis, aut persecutionis, nec aliter commodè lis dirimi valeat, licet fortibus diuisoriis electionem committere. Ita præter auctores citatos Sanchez *tomo 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 59.* Nauarr. *in summa. Lat. cap. 11. num. 38.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 12. num. 17.* D. Thom. *2. 2. quæst. 95. art. 8.* Et id patebit amplius *infrà n. 18.* Tertiò in pœnis, vt cum duo vel plures pares culpa sunt rei mortis, & Princeps, vt clementiam ostendat & disciplinam, vult aliquos punire, aliis ignoscere. ita Sanchez allegatus *num. 60.* Lessius *lib. 2. cap. 43. dub. 9. num. 58.* Delrio *lib. 4. disquis. magicar. cap. 4. quæst. 1.* qui hoc limitandum intelligit, quando par est fontentium delictum, quia aliàs iniusta esset fortitio quoad minùs nocentes; quando tamen non constat de personis quæ delictum commiserunt, nullo modo id licet, vt infrà dicemus. Et denique quotiescunque non apparet ratio cur alter alteri in aliquo commodo, vel incommodo præferatur, id forti committi potest. Ita Lessius citatus *dicto num. 58.* Sic tempore tempestatis ne omnes pereant, fortes mitti ex omnium consensu possunt, quis proiiciendus sit in mare. ita Sanchez allegatus *num. 62.* Delrio item allegatus *num. 60.*

Abbas. Lessius. Suarez. Sanchez. Nauar. Suarez. D. Thom. Sanchez. Delrio.

5\. Maior dubitatio est, an licitus sit vsus fortium in dirimendis, & componendis litibus de rebus, & beneficiis Ecclesiasticis. Qua de re triplex est sententia. Prima affirmat, primò, quia id nullibi in iure canonico inuenitur prohibitum, nam in capite, *Ecclesia, extra, de sortilegijs.* solum prohibetur vsus fortium, in electionibus ad beneficia, ibi, *fortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnamus*; & non prohibetur vsus illarum in dirimendis litibus illorum; & cum lex sit pœnalis, est restringenda ad proprietatem verborum, & non est amplianda vltra proprietatem illorum: qui enim componunt litem beneficialem per fortes, non eligunt; aliud est enim eligere ad beneficium, aliud componere litem beneficij. Et ita docent nonnulli iuris periti, vt refert Felinus *in dicto capite, Ecclesiade, sortilegijs num. 21.* & Hostiensis *in capite, Licet causam. de Probat. num. 20.* & huius opinionis videtur esse Lessius *lib. 2. cap. 43. dub. 9. num. 58.* quatenus asserit vsum fortium esse licitum in dirimendis litibus maximè sæcularibus; id enim *maximè* omnes comprehendit etiam Ecclesiasticos.

Hostiensis. Lessius.

6\. Secunda sententia negat. Eam videtur docere Abbas *in capite, Ecclesia, extra, de sortilegijs,* quatenus asserit in prædicto capite non esse prohibitum inter Clericos vsum fortis in causis, & litibus temporalibus; & per hunc modum loquendi, videtur insinuare in causis, & litibus beneficialibus esse prohibitum, & illicitum. Expressiùs id negat Cardinalis *in capite, Licet causam. de Probat. in fine,* apertè dicens in beneficialibus causis non esse locum forti; & hoc sequitur Felinus allegatus *dicto num. 21.* addens hanc limitationem, scilicet solùm id esse licitum in Papatu ad tollendum schisma. Ratio & fundamentum illorum est, quia per vsum huiusmodi fortium incurritur periculum obtinendi beneficium sine iusto titulo, contra regulam iuris in 6. asserentem beneficium Ecclesiasticum non posse licitè sine institutione canonica obtineri, & contra *Caput vnicum de eo qui mittitur in possessionem lib. 6.* vbi dicitur in his litibus beneficialibus cauendum esse ne aliquid fiat *per quod ad beneficium vitiosus pateat ingressus*; per fortem autem periculum vitiosi ingressus incurritur, vt patet.

Abbas. Cardin. Felin.

7\. Tertia opinio media docet ex vi iuris Ecclesiastici, & capitis, *Ecclesia, extra, de sortilegijs,* non esse prohibitum, sed licitum prædictum vsum fortium in causis beneficialibus pro dirimendis litibus, modò id fiat non auctoritate propria litigantium, sed auctoritate iudicis Ecclesiastici. Ita docet expressiùs Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superstit. cap. 12. num. 12. 13. & 14.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 79.* & hæc videtur esse opinio glossæ *in capite, Licet causam, de Probationibus. in verbo, Vti possidetis.* Prima pars huius opinionis quatenus absolutè ait hunc vsum in litibus Ecclesiasticis, & beneficialibus dirimendis non esse prohibitum, & esse licitum, patet. Primò, quia non est mens Ecclesiæ, vt lites etiam beneficiorum diu protrahantur. Secundò patet ex rationibus factis, & allegatis pro prima sententia. Secunda pars, quæ asserit talem vsum non posse licitè fieri per auctoritatem priuatam ipsorum litigantium, patet ex rationibus, & iuribus allegatis pro secunda opinione. Et confirmatur, quia si litigator non habebat iustum titulum etiamsi conueniat eum parte de fortibus mittendis, & super illum cadat fors, consensus partis aduersæ non sufficit ad dandum ei titulum; ergo ex hoc capite non est licitus vsus fortium ex parium consensu priuata auctoritate factus. Tandem roboratur ex generali regula in materia beneficiali quæ habet, super beneficium de quo litigatur, non licere pactum fieri priuata auctoritate, sine auctoritate iudicis, & tale pactum simoniam censeri. Vnde colligitur peccatum hic tunc commissum non esse superstitionem de qua nunc agitur; sed ad sacrilegium, vel simoniam pertinere, vt docet Suarez citatus *num. 13.* Tertiam partem affirmantem auctoritate iudicis posse huiusmodi fortes licitè fieri, tenet vltra Suarium allegatum Glossa *in capite, licèt causam. de Probat. verbo; Vti possidetis,* Hostiensis *ibi num. 20.* Abbas *num. 37.* Probatur 1 suffi

Suarez. Sanchez. Suar.

sufficienti partium enumeratione, nam hoc licet aliquo modo non auctoritate priuata, vt probatum manet; igitur auctoritate iudicis. Probatur secundò, ex contraria regula simoniæ, nam si partes super beneficium litigiosum paciscantur in manibus iudicis, & ipse pactum admittat, & iuxta pactum sententiam proferat, valet sententia, & nulla fit simonia, nec sacrilegium; ergo idem erit si pactum fit de sortibus. Nam sicut in tali dubio, ac litigio, auctoritas iudicis facit, vt pactum valeat, & caueatur periculum vitiosi ingressus, quando fine fraude, aut vi, vel clara iniustitia bona fide processum est; sic eadem ratione tolletur illud idem periculum introitus vitiosi, etiamsi pactum sit sortium; nam illud quasi materiale est, & tota ratio in iudicis auctoritate consistit. Existimat autem Sanchez *dict. tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 79. ad finem*, iudicem hunc, cuius auctoritate sortes mittendæ sunt, necessariò futurum esse eum, cuius est conferre titulum beneficij; quia si alius fit, non caueatur periculum vitiosi ingressus. Sed Suarez absolutè dicit id faciendum esse auctoritate iudicis Ecclesiastici. Sed quamuis non limitet hoc ad eum solùm iudicem, cuius est titulum conferre, quasi satis caueatur periculum prædictum, si iudex Ecclesiasticus id faciat auctoritate Ecclesiastica, tamen non existimo, Suarium per iudicem Ecclesiasticum, alium intelligere, nisi eum, qui titulum conferre possit.

Sanch.

8. Ex his tribus opinionibus, vltima Suarij est probabilior, & tenenda; fundatur enim solidis rationibus, vt patet ex dictis, & pro omnibus rationum momentis sufficiebat auctoritas tanti doctoris. In electione tamen Summi Pontificis quando inter duos discordia esset, vter verè electus sit, poterit hæc discordia sortibus dirimi, & componi, quia non adstringit illos ius Ecclesiasticum sortes interdicens Ita Cardinalis, & Petrus de Monte, quos refert, & sequitur Felinus *in cap. Capitulum. de rescript. vers. Sed saluando*, & Sanchez citatus *num.* 80. Vbi addit Sanchez id faciendum esse de consensu Cardinalium, ad quos spectat eligere Pontificem.

Card. Petr. de Mon. Felin. Sanchez.

9. Statuo secundò. Non licet vsus sortium in electionibus ad officia, & beneficia Ecclesiastica, nec etiam ad eligendum vnum vel plures compromissarios ad hanc electionem faciendam. Hæc est omnium D. Patet ex *cap. Ecclesia vestra. de sortilegijs*, vbi priùs dicitur, *multa reprehensione dignum esse, quod sors in talibus interueniat*. Et postea concluditur, *sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnamus* Ita docet Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 12. num. 5.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 43. dub 9. num. 58. versu, Officia tamen.* Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. c. 38. num. 71. & 72.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 9. c. 12. quæst. vnica. versu, Ac verò.* Innocent. *in capite finali de elect. statim in principio.* Hostiensis *ibi, num. 3.* Cardinalis *quæst. penultima* Ananias *n. 11.* Angelus *in summa verb. Sors. num. 2.* Notat autem Suarez & optimè ex discursu huius capitis patere, non tantùm prohiberi vsum sortium in conferenda dignitate Ecclesiastica, officio, aut beneficio, sed etiam in eligendis per easdem sortes compromissariis ad electionem faciendam. Ibi enim dicitur multa fuisse reprehensione dignum, quòd potestas nominandi, eligendive compromissarios vni per sortem delata fuerit. Et ratio est, quia etiam tunc prouisio Ecclesiæ reduceretur ad sortem; nam fieri potest, vt ille qui per sortes eligitur ad compromissarios nominandos, indignus, & ineptus ad hoc munus sit; ex quo tota electio Episcopi, aut alterius similis postea pendet, & de electione horum etiam compromissariorum per sortes loquuntur expressè Sanchez, Innocentius, Hostiensis; Cardinalis, Ananias, & Angelus allegati.

Suarez. Lessius. Sanch. Azor. Innoc. Hostiens. Card. Ananias. Angel.

Sanch. Innoc. Hostiens. Ananias. Angel.

Dixi, *ad beneficia, vel officia Ecclesiastica*; quia considerata vi verborum prohibitionis, extenditur illa prohibitio ad omnem electionem Ecclesiasticam, in qua vel iurisdictio etiam ad vnum actum, vel ius eligendi, aut nominandi, vel Ecclesiastica dignitas, aut officium, vel beneficium, vel administratio Ecclesiastica confertur, & ita docet Suarez allegatus *dicto num 5.* vbi dicit in hoc conuenire omnes expositores prædicti capitis, *Ecclesia vestra. de sortilegijs*, & Glossa ibi cum D. Thom. *2. 2. quæst 95. art. 8.* & Summistæ. Et ratio id suadet, nam si ad hanc electionem licitum esset vti sortibus ad eligendum vnum, vel plures compromissarios, qui prædictam electionem officij aut iurisdictionis Ecclesiasticæ efficiant, aut nominent alium, vel alios, qui illam efficiant, consequenter totum hoc negotium reduceretur ad vsus sortium, vt iam probatum manet. Deinde, quia caput illud indefinitè loquitur, & absolutè, & sine vlla restrictione id prohibet in rebus Ecclesiasticis, & indefinità locutio æquiualet vniuersali, quod maximè est necessarium in lege prohibente; quia prohibitio includit virtualem negationem, quæ vim distributiuam habet. 10.

Suarez. D. Thom.

Dices. D. Mathias act. 1. sorte fuit electus ad Apostolatum, *cecidit* enim, inquit sacer textus, *sors super Mathiam*; ergo vsus sortis est licitus in electione Episcopatuum, officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum. Respondeo sortes ibi appellari suffragia; nam ex textu Græco ita habetur, *dederunt eis suffragia*; postquam verò per suffragia omnium Apostolorum electus fuit D. Mathias ad Apostolatum; seu, vt verbis sacræ scripturæ loquar, annumeratus est, ad tollendum populi scandalum, postularunt Apostoli à Deo, vt signo aliquo visibili è cœlo misso eam electionem confirmaret, confirmataque fuit cælesti quodam dono è cœlo lapso, caput D. Mathiæ attingente, & ideo Euangelista dicit: *cecidit sors super Mathiam*. Sic est intelligendus D. Dionysius Areopagita *lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. part. 3.* vbi sortem istam diuinum quoddam donum appellat, insinuans, & ostendens illi cætui sacratissimo quem Deus eligisset. Alij putant hoc donum fuisse diuinam quandam lucem, & splendorem caput D. Matthiæ visibiliter illustrantem. Dixi, ad tollendum scandalum; quia cum essent duo huius dignitatis canditati ex grege discipulorum Christi: D. scilicet Mathias, & D. Ioseph, Barsabas vir nobilis, iustus, & litteratus; putabant omnes propter has egregias dotes Iosephum esse digniorem, & eligendum: electioémque proinde vitium aliquod habuisse; cum tamen non ita esset, quia instinctu quodam diuino omnes reliqui Apostoli, nemine discrepante, suffragiis Mathiam elegerunt, cum forte animo prius concepissent Iosephum, vtpote digniorem, esse eligendum; & postea, vt tollerent hoc scandalum; &, vt ait D. Chrysostomus citatus à Lorino ad hunc locum, vt eum reuerendum populo efficerent, postularunt omnes à Deo confirmationem huius electionis, quæ confirmata fuit signo illo, quod D. Lucas *Actor. 1.* sortem appel- 11.

D. Dionys. Areop.

Lorin. D. Chrysost.

lauit, dum dixit. *Cecidit sors super Mathiam.* Vide Lorinum ad hunc locum *in acta Apostolorum cap.1.versu 26.fol.76.*

12\. Suarez. Sanchez. Socin. Petes, an saltem in eo casu, quo suffragia paria sunt, & duo habuerunt, bis, aut ter paria suffragia, & nullum esset aliud remedium, liceat vti sortibus in prædictis beneficiis, aut officiis Ecclesiasticis. Negat omnino Suarez *dicto tom. 1. Decalogi lib 2. de superstition. cap. 12. num. 7.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 74.* Socinus Senior *in capite vltimo de rescript. n. 26.* & alij quos citat Sanchez. Ratio est, quia tunc daretur vera electio per sortem, quæ in vniuersum, & sine limitatione, vt dixi, prohibita est; falsumque est tunc non superesse aliud remedium compromissariorum, sine vsu tamen sortium, neque enim ipsi compromissarij per sortes eligendi sunt, sed sine illis; quod remedium in iure in hoc casu approbatum est in capite *Quia propter, de electione*; & quia parum refert quòd vterque illorum paria tulerit suffragia: per illa enim nullus fuit idoneus iudicatus, vt optimè animaduertit Suarez *dicto num. 17.* quia nemo censetur idoneus iudicatus, nisi accedat iudicium totius capituli, aut maioris partis illius; quod hic defuit, vnde de neutro illorum facta est electio ad aliquid, nec approbatio sufficiens personæ alicuius; & ideo si sortes postea mittantur, reuera tota electio reducitur ad sortes. Et hæc videtur expressa sententia glossæ in capite *duobus de rescript. in 6. verbo, Teneantur*; vbi quærit, quid erit si electores pares numero discordant in eligendo inter duos? Et respondet superiorem posse eos compellere, vt concordent, & eligant intra certum tempus, aliàs ad eum deuolui electionem. Vbi supponit non posse per sortem electionem terminari; & ita sentit Felinus in capite, *Capitulum de rescr. n. 21.* cum Cardin. in capite, *Licet causam, de Probation. in fine.* vbi generalem regulam statuit in beneficialibus non esse locum sortibus. Vnde si comptomissarij à maiori parte eligantur, vt Ecclesiæ de beoeficiario prouideant, non possunt per sortes licitè id efficere, vt docet Sanch. allegatus *n. 75.* Suarez item allegatus *n. 8.* quia generalis est prohibitio, vt patet ex capite finali de sortilegiis in fine.

Felin. Cardin. Sanch. Suarez.

13\. Quæri potest vtrùm electio per sortes ad officia & beneficia Ecclesiastica non solùm illicita & prohibita sit, sed etiam de facto irrita, & inualida? Quod solùm sit irritanda, & inualidanda per iudicis sententiam, videtur colligi ex capite *Ecclesia vestra, extra de sortilegijs.* Primò, quia nusquam ibi dicitur talis electio nulla, sed solùm simpliciter prohibet illam; lex verò prohibens actum non ideo irritat, quia prohibet, vt in confesso est, nisi verbum addat irritatorum. Secundò, quia Pontifex in dicto capite confirmauit dictam electionem. Signum ergo est, quòd non fuit irrita, quia confirmatio supponit actum validum. Et ita videtur sentire Gloss. prædicti capitis ibi, verbo *ad gratiam*, dicens confirmationem illam ideo ad gratiam computari, *quia de iure debuit cassari*; non enim dicit, quia erat cassa & irrita.

14\. Nihilominus Panormitanus ibi *num. 5.* docet censendam esse electionem illam nullam quando sortibus facta fuit. Primò, quia est facta contra dispositionem legis. Verùm cum lex sit prohibens, non irritans; non valet hæc ratio. Secundò, & efficaciùs probatur, quia est contra formam eligendi datam in capite, *Quia propter de electione.* In quo capite expressè dicitur, *aliter electio facta non valeat*; & est ibi sermo de electione facta per sortes ad Ecclesiam. Nec valet ratio in contrarium sumpta ex capite, *Ecclesia vestra, de sortilegijs*, quia caput, *Quia propter, de electione*, loquitur de electione personæ ad beneficium factum per sortes; caput verò, *Ecclesia vestra, de sortilegijs*, loquitur de electione per sortes compromissariorum, qui postea per suffragia, & non per sortes erant electuri vnum ex contendentibus ad beneficium, proindeque illa prior electio irritari potest ipso facto iuxta caput, *Quia propter*; licet secunda de qua agit caput, *Ecclesia vestra*, non irritetur de facto; sed reprehendatur, & irritanda veniat. & ita docet Suarez citatus *num.* 10. Quòd verò electio compromissariorum qui postea eligant aliquem ad beneficium, non sit irrita ipso facto, colligitur etiam ex capite, *Quia propter*, primò ex verbis illis. *Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ prouideant de pastore.* quod totum per sortes fieri potest. Deinde quia in eo capite, *Quia propter*, restrictè dicitur, electionem ad Ecclesiam sortibus factam fuisse nullam, & non simpliciter omnem electionem sortibus factam ordinatam ad talem electionem: neque omnem prouisionem beneficij per sortes factam esse nullam.

15\. Statno tertiò. Prouisio, & electio per sortes ad officia ciuilia, & sæcularia nullo iure est prohibita, neque irrita, ac proinde non est superstitiosa; poterit tamen esse illicita, & iniusta contra iustitiam distributiuã, dum prætermittuntur idonei aut magis digni, & dantur indignis aut minus dignis, si aliunde id non caueatur. Ita Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 12. num. 15.* Lessius *tom. 1. de iust. lib 2. cap. 43. dub 9 n. 58. versu, Officia tamen.* Panormitanus in dicto capite, *Ecclesia vestra, de sortilegijs num. 3.* dum asserit electiones sæculares per sortes non prohiberi; melius tamen esse si ab illis abstineatur. Sanchez *tom. 1. Decalog. lib. 2. cap. 38. num. 58.* D. Thom. *2.2. quæst. 95. art. 8.* Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 21. quæst. vnica, versu, At vero.* Tolet. *lib 4. summa cap. 15. num. vltimo.* Syluester, *verbo, Superstitio quæst. 9.* Sayto *in claui regia lib. 4. cap. 5. num. 20. & 21.* Delrio *lib. 4. cap 4. quæst. 1.* & omnes communiter. Et ratio est, quia ius canonicum non disponit nisi in propria materia Ecclesiastica, vnde in prædicto textu, *Ecclesia vestra, de sortilegijs*, dicitur quod sors *in talibus interueniat, multa reprehensione dignum esse*: nec refert quod in vltimis verbis, in quibus prohibitio fertur, absolutè dicatur, *in electionibus*, quia semper id intelligitur iuxta subiectam materiam. Nec etiam obstat, quòd per sortes committatur electio fortunæ, & sæpe posse ea officia cadere in indignos: nam tunc ea electio erit iniusta, & contra iustitiam distributiuam facta, non tamen superstitiosa. Vt ergo huiusmodi iniustitiæ occurratur, oportet, vt sortes mittantur inter eos, qui ita sunt digni officio, vt vix possit inter eos manifestus excessus iudicari; sic enim vitari potest illud periculum, & non aliter, nec alio modo, vt optimè notant Suarez, & Lessius.

Suarez. Lessius. Panorm. Sanchez. D. Thom. Azor. Tolet. Syluest. Sayro. Delrio.

16\. Statuo quartò. Consultoriæ sortes ad cognoscendam in rebus dubiis diuinam voluntatem, & illam à Deo expectandã, regulariter sunt illicitæ, at poterunt esse licitæ datis his quatuor conditionibus. Prima est, necessitas, quando scilicet non suppetit aliud humanum consilium. Secunda, si

Deus

Deus alicui inspiret, vt illis vtatur. Tertiò, si fiant cum debita reuerentia. Quartò, vt non fiant circa materiam indebitam, nempe, vt non fiant circa electiones Ecclesiasticas, quia id specialiter est interdictum.

Sanchez. Lessius. Suarez.

Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 1. cap. 38. num. 85.* Lessius *tom. 1. de iustit. lib 2. cap. 3. dub 9 num. 60.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 12. num.* 18. Probatur, quia velle sine necessitate, vt Deus peculiari modo suam voluntatem manifestet, est, Deum tentare; deinde, quia Deus non promisit se has sortes directurum, aut temperaturum; ergo vanum est, credere hanc fuisse Dei voluntatem, quam sortes indicant. Tertiò, quia hoc est valde periculosum; facilè enim dæmon se in sortibus miscebit, vt homines decipiat; si tamen prudenter hæ sortes fiant, non erunt vitiosæ, quia vitium non potest esse vbi prudentia est. Quòd autem possint sortes consultoriæ prudenter fieri, probat vsus Sanctorum Patrum veteris testamenti, Iosue enim sortibus vsus est ad cognoscendum malefactorem occultum, vt constat *Iosue* 7. Electio Saulis ad regimen regni Israel 1. *Reg.* 10. ab Samuele sortibus facta est, & electio D Matth. ad Apostolatum *Actorum* 1. ab Apostolis. Fient verò prudenter sortes consultoriæ, quando interuenerint conditiones supradictæ, licet non sem-

17. per requirantur omnes. Satis enim erit si Deus illas inspiret, ita vt prudenter credi possit inspiratio esse à Deo. Aut nullum aliud humanum consilium suppetet dummodo mittantur cum bona fide, & spe, fore vt à Dei prouidentia regantur, iuxta illud Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in signum, sed à Domino temperantur*; vt de facto direxit sortes à nautis missas Ionæ 1. quamuis nautæ iis fortasse ineptè vsi sint, vt per eas veritas indicaretur, & Ionas mitteretur in mare, & sequerentur alia mirabilia, quæ ipse intendebat; adhibendus est tamen tunc vsus sortium cum magna humilitate, & debita reuerentia, præmissis precibus, vt Deus eas regere dignetur. Exempla quæ afferri solent sortium licitarum, iam suprà attulimus, nimirum in oppugnatione oppidi à militibus huius potius, quàm illius nationis facienda, si de illa contendant ad tollenda illarum nationum iurgia, iuxta illud Prouerbiorum 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat*: Et in electione sacerdotis vel medici tempore pestis. Necessarium tamen est vt sortes eo fine mittantur, vt diuina voluntas exquiratur, non vt merus casus expectetur; nemo enim casum licitè potest consulere; sed in his casibus huiusmodi sortes ad diuisorias simul

Lessius.

pertinere poterunt. Ita Lessius *tom 1. de iustitia lib. 2. cap. 43. dub. 9. num. 60 versu, Quando tamen.* Iaci etiam sortes consultoriæ licitè possunt,

Suarez.

vt docet Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 12. num. 17.* si dubium esset, stante æqualitate ministrorum mittendorum, quis eorum ad Indos mittendus esset; sic enim leguntur Apostoli diuisisse inter se missiones suas per orbem,

D Cyril. Tatian.

quod indicat D. Cyrillus *lib 5. in Isaiam cap.* 81. Turnianus *lib. 8. constit. Clementis cap* 5. Vnde rectè infert Suarez ibidem, malè dixisse Baldum *in l. Memnimus C. quando, & quibus quarta pars debeatur*; vsum sortium non licere, nisi in casibus à iure permissis, & in aliis omnibus peccatum continere; contra enim, inquit Suarez, dicere debuisset, sortes non continere peccatum, nisi vel ex circumstantia accidentaria, vel in casibus à iure expressis, extra circumstantiam verò extrinsecam, & contra casus à iure expressos per se loquendo licitas esse, vel saltem indifferentes, & non continere peccatum, & hoc sentit etiam glossa vltima in dicto cap. *Ecclesia vestra. de sortilegiis*; & Felinus in cap. *Capitulum de rescriptis*

Felin.

num. 21 & in cap. *Licet causam de probat. num. 44. circa finem*, vbi alios allegat. Similiter licent huiusmodi sortes inter æquè pauperes, quorum alteri eleemosyna sit elargienda, vt docent D. Aug. 18.

D. Aug. Syluest. Suarez.

lib. 1. de doctrina christiana cap. 28. Syluester *verbo, superstitio quæst. 9.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst cap. 12. num* 17.

Statuo sextò. Diuinatoriæ sortes, quæ sunt illæ per quas inquiruntur futuri euentus, sunt omnino illicitæ, & illis vti semper est peccatum mortale, nisi magna ignorantia excuset; vnde prohibentur cap. 1. *De sortilegiis*, & 26. *quæst.* 1. cap. *Sortes*; cap. *Peruenit*, cap. *Si quis clericus*, cap. *Contra*, cap. *Episcopi eadem* 26. *quæst.* 1. quibus locis prohibentur sortilegia, sicut aliæ diuinationes, & incantationes dæmonum. Ita docet 19.

Suarez. Lessius. Sanch.

Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap* 21. *num.* 27. & Lessius *tom. 1. de iustit. lib. 2. cap. 43. dub 9. num* 61. & Sanchez *tom 1. Decalogi lib. 2. cap. 38. num* 88. & in motu proprio Xisti V. contra Astrologos sunt etiam prohibitæ; & ratio est, quia vel expectatur earum moderatio à Deo, vel à casu, vel à cœlo, vel à dæmone. Non à Deo, quia Deus nusquam promisit se temperaturum sortes, quæ ordinantur ad præsignanda futura, vel occulta aperienda, & euentus sæpe contrarium ostendit. Non à casu, quia cum sortes sic vel sic cadant, nihil certum præsignare possunt. Non à cœlo, quia hoc esset actiones humanas, & liberas hominum è cœlo suspendere, & fato subiicere, nec sortes vi cœlorum, & astrorum temperari possunt, nisi euentus ipsi cœlo sint præcogniti, quod solum stupidi homines concedent; ergo à dæmone, ac proinde dæmoni tribuitur is euentus, & ipse tacito quodam pacto inuocatur, vt sortes regat, & effectum præsignatum procuret.

Suarez. Sanch.

Animaduertunt autem Suarez allegatus *n.* 29. 20.
& Sanchez item citatus *num.* 89. (& benè) has sortes diuinatorias interdum esse speculatiuas tantùm, ordinarique ad præcognoscenda futura; seu occulta, solùm propter cognitionem, in illa sistendo, vt cum per sortes inquiritur quis obtinebit cathedram, dignitatem, prioratum, abbatissatum, victoriam, aut similia: aliquando ordinari ad aliquid agendum, & operandum ex illarum cognitione, vt quando per illas inquiritur quis fuerit malefactor occultus ad illum puniendum: si priori modo fiant, sunt purè consultoriæ dæmonis; & ideo tantùm habent malitiam superstitionis: si fiant posteriori, non sunt sortes purè consultoriæ dæmonis, sed participant aliquid de diuisoriis; ad illas enim pertinet etiam distributio pœnæ, vel honoris, & ideo præter malitiam superstitionis interuenit ibi malitia etiam iniustitiæ infamando proximum, vel innocentem, si sors in ipsum cadat, vel nocentem occultum publicando, quod etiam ad iniustitiam spectat, & sic semper peccatur contra iustitiam: vel exponendo innocentem pœnæ periculo, quam non meretur, si sors super illum cadat; vel puniendo illum qui fecit, non probatum nocentem.

Nec qui illis vtuntur, excusari possunt asserendo se expectare à Deo dirigendas esse sortes, cum ipse sit qui illas moderatur, & temperat, *Prou.* 16. 21.
falsa

falſa enim eſt, & vana hæc excuſatio, quia Deus non ſempet temperat dirigendo, ſed permittendo, vt ſæpe alia peccata permittit; nullibi enim talem directionem promiſit. Aſſerunt verò alij in anima humana eſſe ſufficientem poteſtatein ad ſortes dirigendas, obſeruata cœli conſtellatione, quod referti ſolet ex Agrippa homine hæteticn *lib.2. Philoſophia cap.* 54. Sed illa Philoſophia nôn ſolûm vana eſt, ſed etiam diabolica, quia inuoluit antiquam ſuperſtitionem iudiciariæ Aſtrologiæ, & addit nouam ſortilegiorum; neque enim anima humana talem poteſtatem ſibi arro-
Suar. gate pteſt, niſi ex dæmonis ſuggeſtione. Ita Suarez *dict. tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de ſuperſtition.*
Leſſius. *cap.*12.*num.*30.*fine*, & Leſſius *lib.*2.*cap.*43. *dub.*9. *ad finem.*

Capvt XLI.

De Lamijs, ſeu Sagis; Magia, Filtris, poculis amatorijs, & damnis per ea allatis?

Svmmarivm.

Magia quid ſit, & quis eius auctor fuerit. num.1.
Opera Magia, & Sagarum, vnde cognoſcuntur. num.2.
Saga, Lamiæ, Striges, Venefica, cur his nominibus appellentur. num.3.& 4.
Cur ſint plures venefica, quàm venefici. num.5.
An dæmones acceſſum ad mulieres habeant, & fiant incubi, & ſuccubi. num 6.& 7.
An ſaga, & ſtriges verè corporaliter ferantur à dæmone per aera in loca longinqua, an ſola imaginatione, & illuſione phantaſia. num.8.& 9.
Explicatur capus Epiſcopus 26. *quaſt.*5. *& concilium Ancyranum, quatenus dicunt has mutationes fieri illuſione phantaſia.* num.10.
Semper in hac corporali tranſlatione ſagarum de loco ad locum datur aliqua illuſio phantaſiæ, quatenus putant ſe ferri ab hircis, aut in ala anſeris, cum tamen à dæmone ferantur. num.11.
An reuera ſtriges in catos, & anſeres, & animalia conuertantur. num.12.
*An diuina virtute res vna quoad ſpeciem in aliam transferri poſſit, agitur de conuerſione Nabuchdonoſor. à num.*13. *vſque ad* 15.
Crimen lamiarum ad quos iudices pertineat, an ad tribunal ſancta Inquiſitionis. num.16.
An lamia poſſint eſſe teſtes, & illis credendum ſit contra ſe, & contra alias. num.17.18.
Filtra, & pocula amatoria ſunt illicita, & arte dæmonis inuenta, & tenentur ſaga ad damna, qua ex illis eueniunt. Primo tamen loco tenentur illi cuius cauſa efficiuntur, & qui ea applicant. num.19.
An ceſſet obligatio reſtitutionis in ſagis, quando illa per miniſtros iuſtitia publicè puniuntur. num.20.
An præcisè pro priuatione ſenſuum, & indicij ad aliquid teneantur ſecluſo alio damno temporali. num.21.
An pocula amatoria re vera vim habeant ad alliciendos homines ad odium, vel amorem. num 22.
An hominibus vis naturalis inſit ad includendos dæmones in annulis. num.23.
An David ſono cythara dæmonem è Saule eiecerit. num.24.
An fel. piſcis Thobia vim naturalem habuerit ad pellendos dæmones. num.25.& 26.

Magia ptoptiè eſt Philoſophia natura- 1.
lis; hüic ſapientes Magi olun nominabantur; poſtea verò tranſlata eſt hæc vox ex vſu hominum ad ſignificandam iniquam Strigum & Sagarum attem. Primus huius iniquæ artis inuentor, vt ſcribunt auctores, & ſpeciatim Ciruelo *tractatu de ſuperſt.* 1. *part. cap* 3. Ciruelo.
fuit Zoroaſtes natione Perſa, cui ſucceſſit Balam ille, cuius aſina locuta eſt, cum conductus ad maledicendum populum Iſraëliticum veniret. Eſt igitur ars magiæ, ſeu magia illa, in qua homines fœdus amicitiæ cum diabolo efficiunt, vt illis faueat, aut ſecreta reuelet, vt aliquid conſequantur. Duplex igitur eſt Magia. Altera naturalis; hæc non eſt prohibita in iure, quia ſolùm eſt ars mira, & inſolita faciendi per cauſas licitas naturales, non eſt tamen multùm addiſcenda; quia docet nimias curioſitates, in quibus diabolus ſæpe facilè ſe poteſt permiſcere. Altera eſt ſuperſtitioſa; quæ eſt ratio faciendi mira, & inſolita per cauſas illicitas, & ope dæmonum; hæc eſt illicita de ſe, & prohibita in iure, & illa vti eſt grauiſſimum peccatum; grauius furto, homicidio, adulterio, periurio & quocumque alio peccato, præter deſperationem, quæ opponitur ſpei, & præter hæreſim, quæ opponitur fidei; odium Dei, quod opponitur charitati. Tum quia opponitur religioni; quæ eſt omnium virtutum moralium præſtantiſſima, ſiquidem eo eſt grauius peccatum, quo præſtantior eſt virtus, cui opponitur. Tum quia aufert honorem, & cultum Deo debitum, & illum dæmoni tribuit. Denique quia nititur pacto dæmonis. Pactum autem, quod dæmones cum lamiis, ſtrigibus, & ſagis faciunt, eſt, vt illos illæ honorent, & illi eis faueant ad ſua maleficia præſtanda. Necromantici verò, ſtriges & cæteræ peſtes, qui amicitiam & fœdus cum diabolo contraxerunt, variis modis illum ſolent inuocare; quidam illum inuocant facto circulo in terra, certis figuris, ac ſignis ibi effectis, alij in ampulla aquæ plena; alij in ſpeculis; alij in annulorum lapidibus pretioſis; alij in vnguium tranſlucentium coloribus, & infinitis aliis modis quibus factis, ſtatim eis dæmones apparent variis figuris, nunc hominis, nunc canis, hirci, aut cuiuſlibet alterius animalis immundiſſimi; aliquando etiam in figura alicuius animæ fingentis ſe animam pœnis purgatorij ignis, aut gehennæ eſſe addictam. Vide hac de re Ciruelo 1.*part. de ſu-* Ciruelo.
*perſt.cap.*3.

Cognoſcuntur opera magiæ, & ſagarum ex 2.
effectibus. Primò, ex motu citatiſſimo, cum ſcilicet, hominum aut animalium corpora de loco in locum celerrimè transferuntur. Secundò, ſi verba proferantur exotica, inſolita, & nihil ſignificantia. Tertiò, ex ſignis, ſi characteres, imagines, ſigilla, ligaturæ, phylacteria, & alia huiuſmodi fœda geſtentur, aut in loco aliquo ad malefaciendum collocentur, & ex multis aliis ſignis, de quibus ſatis ſupérque egimus *cap.*36.*n.*11. Quem locum vide omnino.

Hinc nefariæ quædam fœminæ huic arti dedi- 3.
tæ variis nominibus appellantur, nunc magicæ, nunc lamiæ, nunc ſtriges, maleficæ, veneficæ; nunc ſagæ vocitantur; magicæ à magia; maleficæ à maleficiando, veneficæ à veneficiis; ſagæ à ſagacitate, ſiue, vt ait Cicero *lib.* 2. *de diuinat.* à ſagiendo, propterea quod multa ſcire velint, & ob

ob id se dæmonum artibus immisceant, & mille aliis nocendi modis, quibus miserandum in modum hominibus nocent, nominantur. Lamiæ tamen in sacra Scriptura frequentiùs vocantur, iuxta illud Hieremiæ 4. *Sed & lamiæ nudauerunt mamman, lactauerunt catulos suos; filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto*: Est autem lamia animal quoddam monstrosum & crudele, speciem humanam habens, & corpus bestiale, cuius crudelitas in eo maximè visitur, quòd puerulos iugulet, rapiat, perdatque, & illorum sanguinem exugat. Vnde quia huiusmodi nefariæ mulieres huic scelerato operi sunt intentæ, lamiæ appellantur; vt docet Simancas *de catholicis instit. titulo* 37. *num.* 1. ex Philostrato *lib.* 4. *de vita Apollonij cap.*8. vbi ait Philostratus lamias à nonnullis laruas appellari, & lemures, esseque ad amorem, & venerem promptissimas. Alij fabulosè putarunt mulierem pulchram fuisse Lamiam, Beli, & Lybies filiam, quam Iupiter adamauit, ex eaque filium genuit; sed Iunonem zelotypia infensam eum infantem perdidisse, ipsamque in feram conuertisse, quæ nunc rapti sui filij desiderio, alienos rapiat, laniet, ac perdat.

4. Striges etiam Lusitanè *Bruxas* appellantur, ab auibus huius nominis inauspicatis, quæ stridore volant, & similes sunt bubonibus, & infantium corpora noctu inuadunt, suffocant, & illorum sanguinem exugunt. Vnde quia huiusmodi nefariæ mulieres noctu præcipuè in maleficiis, & infantium sanguinem fugendo versantur, inde ab stridore striges vocitantur. Hinc Ouidius *lib.*6. *Fastorum*.

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactantia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis strigibus nomen, sed nominis huius
Causa, quod horrenda stridere nocte solent.
Siue igitur nascuntur aues, seu carmine fiunt,
Neniaque in volucres falsa figurat anus.

5. Inquirunt autem DD. cur in hac arte fœminæ plerumque, rarò viri exerceantur. Causæ hæ sunt. Primò, quia fœminæ ob innatam leuitatem, & facilitatem citiùs mouentur dæmonum pollicitationibus, quàm viri, & faciliùs decipiuntur. Secundò, quia ob humiditatem, qua abundant, promptiores sunt ad recipiendas dæmonum impressiones. Tertiò, ob curiositatem; natiua enim sua curiositate multa sagire volunt, & ideo facillimè se dæmonum artibus immiscent. Quartò, quia præcipuus scopus ad quem sagarum ars collimat, est insatiabilis veneris libido; vnde cum fœminæ propter humiditatem promptiores sint ad venerem, quàm viri, inde est quòd plures fœminæ, quàm viri in hac libidinis arte se exerceant. Compertum quippe est, multisque probatum exemplis, totam illam nefariam tragœdiam, quam maleficæ hæ mulieres cum incubis diabolis solent peragere, tripudia, choreas, saltationes, conficta conuiuia & spurcissimas cæremonias, aliaque id genus omnia, eo tendere, vt post fœdissima plurima, hanc quoque sceleratissimam consuetudinem patiantur, vt nefariis complexibus, impudentissimisque connubiis, dæmonibus, qui humana forma eas ludificant, libidinosè commisceantur. Vnde D. Hieronymus *in cap* 5. *Epistolæ ad Galatas*, & refertur in cap. *Ireo* 32. *quæst.*2. *Per vitia luxuriæ vel maximè dæmones colu tur.* D.Hieron.

6. Dubitant tamen DD. an fieri possit, vt dæmones sint incubi, & succubi, & sic accessum ad mulieres possint habere. Quidam negant, quia cum diaboli spiritus sint corporis expertes, vt satis apertè docet Apostolus in Epistola ad Hebræos *cap.*1. & patet ex illo miraculo quod Christus Dominus in dæmoniaco Gerazenorum patrauit, cum legionem dæmonum in eo commorantium eiecit, *Marc.* 5. *num* 9. & *Luca* 8. *n.* 26. si enim delicatissima etiam aërea, & subtilia corpora haberent, profectò non posset vna mulier tot numero, & corpore distinctos diabolos capere; vnde fieri non potest, quòd cum corpore careant, cum lamiis commisceri queant, & incubi, aut succubi illarum fiant Et hanc opinionem tenet August. Eugub *lib.* 8. *de Perenni Philosophia cap.*26. Et fundamentum illius est, quia vbi non est corpus, non est cibus, neque potus, non est sperma; vbi non est sperma, nec natura adhibitit cupiditatem generandi. Cum ergo spiritus corporibus nudi sitire, & esurire non possint, sic nec veneris libidine inflammari, nec fœminis copulari. Aug Eug.

Alij meliùs affirmant; horum fundamentum est, quia assumunt dæmones ex aëre corpora, eaque sibi ita aptant, & compingunt, vt in illis assumptis hanc fœdam libidinosamque consuetudinem cum lamiis exerceant, licet sperma habere non possint, nec filios generare. Nec mirum est, quòd possint ex aëre corpora sibi assumere, & compingere, quia id possunt naturali virtute efficere; apparuit enim Euæ in assumpto, efformatóque ex aëre corpore serpentis; & Christum Dominum in deserto assumpto corpore humano tentauit; transfigurat enim se in Angelum lucis. Vnde mirum videri non debet, si dæmones in assumptis corporibus humanis incubi fiant, & succubi, licet non habeant virtutem generandi; quamuis suffurato aliunde viriliseminе, & nefariæ illi copulæ applicato homines generari possint, & multos sic fuisse generatos sapientior doceat Philosophia; & verò quòd dæmones in huiusmodi corporibus assumptis fiant incubi, docent D. Isidorus *lib* 8. *Etymologiar. in fine*; Beda *lib.* 3 *in Euangelium Lucæ c.* 31. & alij fatentur; & D. August. *lib.* 15. *de ciuitate Dei cap.*23. Idem scriptura testatum esse dicit, & tandem asserit à multis scriptum esse, de quorum fide dubitandum non est, Syluanos, & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, cum mulieribus sæpe pr̃egisse concubitum, & tempore D. Bernardi, vt testatur Simancas *de catholicis inst. titulo* 37. *num.*5. palam omnibus notum fuit, dæmone quodam incubo mulierem persequente, precibus sanctissimi viri fuisse liberatam, & Cordubæ id ipsum horrendo ac memorabili casu superioribus annis deprehensum fuisse testatur idem Simancas ibi, & huius opinionis sunt D.Thom. 1. *part. quæst.* 51. *art.* 2. & 3. Gerson *part.* 4. *in collatione de Angelis*, & *lib.*2. *de vita S. Bernardi cap.*6. Alex. de Ales 2 *part. quæst.*78. *mem.*3. *art.*2. & 158. *memb.* 6. Psellus *de dæmonibus cap.*1. *cum sequentibus* Lud. Cælius *lib.* 2. *lect.* 4. *antiquar. cap.* 6. Brunus *lib. de imag. cap.* 14. Bartholom. Spineus *lib. de strigibus cap.* 6. & alij quos citat, ac sequitur Simancas *de cathol. instit. titulo* 37. *num.* 5. 7. D. Isid. Beda. D. Aug. Simanc. D.Thom. Gerson. de Ales. Psellus. Cælius. Brun. Spin.

8. Sæpe vidi dubitari de lamiis, seu strigibus, quæ dicuntur per aëra volitare, an verè ferantur à dæmonibus ad loca distantissima, & breuissimo tempore ad eundem locum reducantur, an solùm per phantasiæ illusionem hoc illis contingat.

gat. Omissis disputatinnibos, & opinionibus, dicendum est, & pro certo tenendum aliquando dæmonum illusionibus decipi huiusmodi lamias, & extra domos proprias corpore non ferri: quando verò non feruntur, ita diabulus illarum corpus subintrat, ac mouet, vt eas omni prorsus sensu destituat, & dum ita sunt sensu destitutæ, nihil omnino sentiunt, quamuis flagellis cædantur, vulnerentur, per ignemque ferantur, aut per aquam; neque actiones illarum sunt humanæ; in terram enim velut emortuæ corruunt, & immediatè antequam surgant ita illas illudit, talesque species illis imprimit, vt falsò sibi persuadeant, se aëre volitasse, domo egressas fuisse, domos alienas ingressas; finito tamen tempore pacti sanæ, ac bene valentes surgunt, & postea mira enarrant. Ita docet Cituelo *de superstitione cap.* 4. & Simancas *de cathol. inst. titulo* 27. *num.* 12.

Cituelo. Simanc.

9. Quod autem corpore verè ad loca distantissima à diabolo ferantur, & iterum in domum propriam breuissimo temporis spatio reducantur, tam certis testimoniis, ac tam euidenti rerum experientia comprobatum est, vt id negare sit prorsus insanire: & anno 6.6 Eboræ in Lusitania in publicum theatrum, & fidei actum, insignis Lamia data est, quæ in iudicio coram dominis Inquisitoribos confessa fuit se à diabolo ferri sæpissime in ala anseris per aera in loca remotissima; & de illis publicè dicitur, & experimento cognitum est sæpe accidisse in illis conuentibus, ac locis ad quæ à diabolo corporaliter feruntur, vt nonnullæ fœdis, ac turpissimis illis actionibus, quibus inibi cum diabolis operam dant, deterritæ, facto signo Crucis, vel inuocato Christi IESV nomine, statim conuentus ille soluatur, omnes disparerant, dæmones fugiant, & ipsæ, quæ nomen IESV inuocarunt, solæ maneant, in eoque loco, in quo erant, se inueniant, & magno labore domum redire cogantur, & interdum propter non seruatum pactum nequissimum, seuerissimè à diabolis verberantur. Et ita docent communiter DD Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superst. cap.* 16. *num* 24. D. Thom. 2.2. *quæst.* 95. *art.* 5. & inibi Caietan *art.* 3 Bonauent. *lib* 3. *sent dist.* 19. Abulens. Mathæi 4 *quæst.* 47. Maior. *lib.* 2. *sent. dist.* 14. *quæst.* 3. Syluester *in summa, verbo hæresis* 3. §.6. Malleus maleficarum *part.* 2. *q.* 1. *cap.* 3. Paulus Grillandus *de sortileg. quæst.* 7. Victoria *in relectione de magia quæst.* 7. Castro *lib.* 2. *de iusta hæret punitione cap* 16. Nider. *precepto* 1. *cap.* 11. *quæst.* 4. Albertin. *lib. de agnosc. assert. catholicis quæst.* 24. Spineus plenissimè *lib de strigib. cap.* 1 *cum sequentibus*, Simancas *de Cathol. Inst. titulo* 37. *num.* 8. Ratio autem huius rei moralis est, quia non deest dæmoni potestas, vt Deo id permittente hoc verè faciat; nam mouent Angeli orbes cælestes, mouere etiam dæmones possunt humana corpora de loco ad locum; dæmonibus enim omnia naturalia manserunt integra. Vnde naturali virtute hæc, & multo maiora possunt ipsi efficere. Accedit quòd diabolus Christum assumpsit, & transtulit in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & inde etiam detulit in montem excelsum valde, *Math.* 4. Cur ergo non idem facere poterit de corporibus strygum, ac lamiarum? Deinde, quia quantum Angeli naturali virtute sua possunt, tantundem dæmones possunt; At scimus quosdam à bonis Angelis momento temporis ad longissima locorum spatia translatos fuisse; nam spiritus Domini, hoc est, Angelus rapuit Philippum, & postea inuentus est in Azoto. *Actor.* 8. & Angelus Domini apprehendit Abacucio Iudæa, & capillo capitis sui illum portauit Babylonem, & confestim restituit loco suo, *Daniel* 14. Voluntas autem dæmonis promptissima est ad has mutationes verè, ac realiter faciendas, si videat se posse illo modo ad maiora peccata infaustas illas mulierculas inducere, vt ab illis maiorem cultum, & reuerentiam consequatur. Quare non potest hoc prudenter negari.

Soarez. D. Thom. Caietan. Bonauent. Abulens. Syluest. Paul. Grill. Victoria. Castro. Nider. Albertinus. Spineus. Simanc.

Sed contra hanc resolutionem solùm videtur obstare caput *Episcopus*, deductum ex Concilio Aocyrano 26. *quæst.* 5. vbi prima fronte decretum esse videtur, hæc omnia fieri in strigibus illusionibus dæmonum. Vnde cum solùm in phantasia ea patiantur, mens illarum hæc non in animo; sed in corpore postea opinatur euenire. Cæterum vt docent Simancas *de catholicis inst. tit.* 27. *num* 9. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 16. *num.* 27. & Spineus *lib. de strigibus cap.* 21. *cum sequentibus.* Syluester *verbo, hæresis* 3. Delrio *lib.* 5. *disq. mag. sect.* 16. *versus finem.* Turrecremata in dicto capite *Episcopus* 26. *quæst.* 5. *artic.* 3. Conciliom Ancyranum, & caput, *Episcopus* 26. *quæst.* 5 non loquitur de strigibus; sed de quibusdam mulieribus hæreticis, quæ credebant dari aliquam Deam Dianam, quæ ex muliere fuerit in Deam conuersa, & veram potestatem haberet, vt ipsæ illius virtute per aëra equitando ad illius obsequium vocarentur, ferrenturque vt Herodiadi inseruirent, & quòd creaturas mutare posset, & transformare ex vna substantia in aliam; quæ omnia hæretica sunt; neque enim Patres illi Cocilij Ancyrani negant, fieri posse ea quæ sæpe à dæmonibus cum lamiis perpetrantur; vnde huiusmodi credulitas ibi magis damnatur, quàm opus transferendi striges corporaliter de loco ad locum, dæmonum naturali virtute ex pacto illorum 10.

Simanc. Suarez. Spineus. Syluest. Delrio. Turrecr.

Notat autem Suarez modò allegatus, & optimè, semper in his mutationibus inueniri aliqua quæ non verè, sed apparenter fiunt, vt cum dicuntur huiusmodi sagæ ferri in hircis, in anseribus, aut auium alis, id enim præstigium est: stultum enim esset credere dæmones esse veros hircus, aut anseres; formant enim ex aëre talia corpora, & sub tali specie sunt; vnde sicut sensus in hac visione illuduntur, sic possunt aliæ illusiones contingere, & nihilominus mutationes, & actiones locales ipsarum strigum, ac sagarum veræ & reales esse. 11.

Inquires hîc: si dæmon non habet potestatem transmutandi creaturas ex vna substantia in aliam, qua ratione, modòve illusiones illæ, quibus sæpissimè falluntur homines, cum striges in catos, in simias, vulpes, anseres, & similia transmutantur? Respondeo talem deceptionem, quæ dæmonum fallacia fieri solet, interuenire ex parte eorum, qui alios transfiguratos putant, cum tamen quod repræsentant, præstigiosum sit. Solet enim diabolus diuersimodè decipere; aliquando enim aliud corpus substituit, & illis absentibus, vel alicubi assumpto vulpis corpore, in loco abditu, vel ex aëre efformato, & sibi circundato illa gerit, quæ putant homines ab illo misero absente, vel dormiente patrata: aliquando ferarum pelles, atque exuuias strigibus, ac hominibus aptissimè circundat: aliquando verò & sæpiùs circundat aëream belluæ effigiem, & membra membris accommodat, caput capiti, os oris, brachia brachiis, pedes pedibus; quod solet 12.

contingere quando certis vnctionibus, vel conceptis verbis vtuntur. Vnde mirum non est, si postea inueniantur sauciæ iisdem membris, quibus in corpore ferino vulnus acceperunt; leuiter enim cedit aër circuniectus, & vulnus vero corpori inhæret; sed quando verum corpus abfuit, tunc dæmon in absentium corpore illam partem vulnerat, quam in ferino corpore sauciauerat, vt sic exhibitum sibi obsequium remuneretur.

13. Sed dubium est, an diuina virtute fieri possit hæc corporum & formarum substantialium transmutatio; nam quod fieri possit, videntur comprobare testimonia sacræ paginæ; siquidem nobis Nabuchodonosor in bouem transformatum inter pecora pascentem ob oculos proponunt *Danielis* 4. his verbis. *Cor eius ab humano commutetur, & cor ei feræ detur, & fœnum sicut bos comedat.* Ipse verò in pristinum hominis statum reuersus, de se ita testatur apud eundem vatem: *Sensus meus redditus est mihi, & figura mea versa est ad me.* Quis enim Loth vxorem contemplatus in salis statuam conuersam, virgam Moysis in serpentem, aquam in vinum à Christo Domino conuersam, de diuina potentia dubitabit? aut illusiones hasce dixerit, cum sint miracula omnis fallaciæ aliena? Sed quid ad diuinam virtutem confugimus cum naturaliter fieri possit, vt vna

Philosoph. species in alteram transmutetur teste Philosopho *lib. 5. de historia animalium cap. 19. Nascuntur,* inquit, *papiliones ex erucis, erucæ ex virentibus folijs, maximéque ex brassica, primum minus quid milio consistit in folio, mox vermiculi vnde contrahuntur, & accrescunt, tunc intra triduum erucula efformantur,* &c. Et apud Japponios testes habemus oculatissimos ex nostratibus, animal quoddam terrestre corporis magnitudine, figuraque cani non dissimile, mollissimo pilo, & suauissimis ad edendum carnibus, primo quidem in terra viuere, postea incipere mare appetere, ipsumque frequentare, & sese paulatim mersans efformari in piscem, tandem exuta prorsus animantis terrestris figura, membrisque iam in membra piscis figuratis pelago se date, fierique marinam belluam, vnam de squamigerorum grege, ita vt totum in piscis similitudinem, ac naturam commutatum appareat, imò superioribus annis quoddam ex his Romam allatum multi conspexerunt dimidium iam piscem, dimidium adhuc canem. Ex quibus, alijsque naturæ miraculis liquidò constare potest, naturam vnius speciei in naturam alterius naturaliter transmutari.

14. Nihilominus tamen pars negatiua certa est, & multorum calculis approbata. Asserimus ergo nulla virtute etiam diuina, fieri posse hanc specierum, & substantiarum transmutationem, idque & naturæ, & rationi repugnare, si per transformationem, seu transmutationem intelligas vnionem substantiarum inter se: quod ratione probatur efficaci; nam rerum naturæ, & essentiæ, ita in tempore fiunt actuales, & producuntur à Deo, vt ideæ diuinæ illas repræsentant, & vt illis non repugnat fieri quamdiu sunt in esse possibili: sed rerum essentiæ in esse possibili non possunt transmutari, nec permisceri, nec ideæ diuinæ illas transmutatas, & permixtas repræsentant; sed distinctè secundùm suas peculiares naturas; ergo nullo modo natura vnius speciei, v. c. vnius animalis, potest in naturam alterius transmutari. Et confirmatur, quia nulla forma substantialis potest vniri cum alia ad componendam vnam tertiam; quia cum vtraque sit actus physicus, & substantialis, neutra posset habere rationem materiæ, & potentiæ. Deinde nulla amissa propria essentia posset aliam inducere, ergo nullo modo potest natura vnius speciei in naturam alterius transformari. Declaratur magis, quia forma essentialiter est actus, ergo non potest nec per diuinam virtutem habere rationem potentiæ: deinde, quia si vniretur alteri, efficeret vnum per accidens; ergo inhæreret, quod impossibile credunt Philosophi communiter, & ita docet Delrio *lib. 2. disquis. magicarum quæst.* 18. Delrio
vbi citat D. August. *lib. 18. de ciuitate Dei cap.* 18. D.Aug.
& de Spiritu & littera cap. 28.

Ad fundamenta contraria respondeo, mutationes illas naturales non esse vnius speciei in aliam, ita vt vna forma aliam inducat, & cum alia vniatur, sed vel vna forma substantiali amissa aliam ipsius loco in materiam subrogari, ipsamque materiam primam sub diuersis dispositionibus, varias, ac diuersas formas recipere, vel nec nouam formam inducere, nec antiquam speciem deserere; sed tantùm id fieri quoad externam figuram duntaxat, vt contingit in animali Japponensi, retenta enim propria forma, sola illi externa effigies ad natandum accommodatur. Transformationes verò, quæ diuina virtute factæ sunt, ad declarandam omnipotentis Dei summam potestatem, fiunt suspendente Deo concursum, quo formam aquæ v. c. conseruabat, & aliam v. c. vini eius loco cum dispositionibus accommodatis substituente: talis fuit mutatio aquæ in vinum apud Cana Galilææ. De conuersione Nabuchodonosor Regis Lyranus, & Lyran.
Carthusianus referunt, Iosephum sensisse Nabu- Carth.
chodonosor mutatum esse in bouem testante sa- Ioseph.
cra pagina; *fœnum sicut bos comedes* Medina *lib.* 2. Medin.
de recta in Deum fide cap. 7. existimat hanc mutationem non fuisse veram, sed simulatam tantùm, & apparentem; vel quia Deus immutabat sensum eorum, qui Regem aspiciebant, vt bouem putarent; vel potiùs, quia circa corpus ipsius, figuram bouis Deus circumposuit sub quo quod
non erat, videbatur. Dorotheus, & Epiphanius Doroth.
idem arbitrantur. D Thomas *lib. 2. de Regimine* Epiph.
Principum cap. vltimo, indicat Nabuchodonosor, D.Thom.
nec reuera mutatum esse in bestiam, nec existimatione aliorum; sed sua tantùm, & secundùm suam duntaxat imaginationem, quæ adeò deprauata erat, vt ille sibi non alijs bestia videretur.
Et videtur hæc sententia desumpta ex D Hiero- D.Hieron.
nymo ad illa verba: *sensus meus redditus est mihi:* vbi ait: *Quando dicit sensum sibi redditum, ostendit non formam se amisisse, sed mentem.* Et hæc vi-
detur mens D. Gregorij, Ruperti, & aliorum, D.Greg.
quos sequuntur nostri Benedictus Pereira, & Pereira.
Cornelius in Danielem *loco citato cap.* 4. Corn.

Lamiarum criminum punitio, & cognitio ad 16.
tribunal sanctæ Inquisitionis spectat, vt bene
docet Simancas *de cathol. inst. tit.* 37. *num.* 13. Simanc.
Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticor. punitione cap.* 16. Castro.
Spineus *lib. de stryg. cap.* 3. Malleus Maleficarum Spin.
part. 1. *quæst.* 14. Syluester *in summa, verbo, Here-* Mal.Malef.
sis 3. *in fine*. Et ratio est. Primò, quia in principio Syluest.
suorum scelerum, cum pactum cum diabolo ineunt, solent semper fidem abnegare. Secundò, quia dæmones adorant, & cum illis fœdus percutiunt; vnde si eiurata fide cum diabolo paciscantur, pronum est intelligere, illas esse hæreticas, & apostatas à fide, & ideo quatuor Summi Pontifices Inquisitoribus fidei lamiarum

causas

causas commiserunt, vt refert Simancas allegatus, Adrianus VI. Clemens VII. Innocentius III. Iulius II.

17. Sed si lamiæ plerumque illusionibus decipiuntur, qui fieri potest, vt fides eis in iudicio sit habenda, & contra seipsas, & contra alias? Respondeo illas vigilantes, & bene sui compotes amicitiam & pactũ cum diabolo ante omnem illusionem iniisse; vnde ratione huius consensus præcedentis omnem illusionem, eis fides adhibetur; similiter etiam eis credi potest, quando ipsæ fatentur se suis vnguentis vnxisse ad volandum, & in aliis similibus actionibus, quæ ipsæ vigilantes faciunt. Et ita docet Simancas *de cathol. inst. titulo 37. num. 14.* Albert. *de assert. cath. agnosc. quæst. 24 num. 15, & quæst. 2.* Bartholom. Spineus *lib. de strigib. cap. 14.* Felinus in capite *sicut tuus de simon.* Alexand. Alensis 2. *part. q. 121. memb. 10. § 14.* & alij. Simanc. Albert. Spineus. Felin. Alensis.

18. Sic testes esse possunt de criminibus aliarum lamiarum; quæ perpetrata esse dixerint alio tempore & loco quo ipsæ congregantur, & ad quem per aëra deferuntur: de illis enim criminibus, quæ aliæ maleficæ vigilantes coram ipsis perpetrarunt, aut sibi narrauerunt, vel persuadere tentarunt, non video cur eis fides non sit adhibenda; præsertim contra alias infamatas; & verisimile est ea crimina commisisse. *l. testium. C. de testibus. capite, Cum causam de test. l. 3. §. 1. eodem titulo*; & ita docet Lucerna Inquisitor *cap. vltimo num. 13.* Simancas *de cathol. instit. tit. 37. num. 15.* Lucerna. Simanc.

19. De filtris, & poculis amatoriis, illud certum est: illicita esse omnino, vtpote arte dæmonis inuenta; nam licet demus herbas, quibus in illis conficiendis vtuntur sagæ, naturalem habere virtutem ad alterandos humores, & conciliandum amorem, tamen eæ proprietates, & virtutes ope dæmonis fuerunt inuentæ, & patefactæ. Quare certissimum etiam est præcisè, ad damna temporalia per eadem filtra, & pocula amatoria illata, tam ipsas sagas, & magos, quàm illos qui eas consulunt, & illarum filtris & poculis amatoriis vtuntur, teneri; primo tamen loco illos, qui eas consulunt & qui pocula præbent aliis propinanda; secundo loco ipsas sagas, quæ illa efficiunt; & verò quòd sagæ ad huiusmodi damna teneantur, docet expressè Suarez *tom. 1 de Relig. lib. 2. de superst. cap 14 n. 12.* Toletus *lib. 4. sum. cap. 16. num. 3.* Lessius *tom. 1. lib 2. cap. 8. dub. 2.* Nauarr. *cap. 15 num. 19.* Ratio est, quia qui causam damni iniusti dat, damnum fecisse censetur; sagæ autem, & sagi huiusmodi filtra, & pocula amatoria conficiunt, quæ sæpe nocent vitæ hominum, & saluti illorum, animalia occidunt, & bona temporalia dilapidant; ergo ipsæ censentur damnum inferre, teneanturq; huiusmodi damna iniustè data restituere. Nec sufficit vt à restitutione excusentur, quòd illæ non faciant damnum, sed diabolus interuentu filtrorum; ipsæ enim etiam fuerunt causæ talis damni; nam quæ per alios facimus, per nos ipsos facimus. Primo tamen loco illi qui eas consulunt, & quorum causa sagæ ea filtra faciunt, ad hanc restitutionem tenentur; tum quia eo ipso, quòd illas consulunt, ad hanc restitutionem, velint, nolint, se obligant; tum quia ipsi sunt causæ immediatæ talis damni, quæ immediatè, & primo loco ad hanc restitutionem tenentur. Suarez. Toler. Lessius. Nauar.

20. Vnde, vt communiter omnes docent Doctores, non cessat nec extinguitur hæc restitutionis obligatio etiamsi ipsæ sagæ ministerio iustitiæ corporaliter puniantur; nam per illam pœnam satisfaciunt Reipublicæ, & iustitiæ legali, non non parti læsæ, nec iustitiæ commutatiuæ; & ideo si tales maleficæ bona aliqua reliquerunt, quæ ad hæredes transferunt, tenentur illi ad hanc restitutionem iuxta caput, *In literis. de raptoribus*, & caput vltimum *de sepultur.* Si verò ad fiscum peruenerunt, tenetur fiscus priùs damna illata restituere, iuxta legem. *Non possunt*, & legem, *In summa, ff. de iure fisci*, vbi optima huius rei ratio redditur, quia quæ æri alieno obnoxia sunt, in bonis defuncti non computantur, quod commune est omnibus aliis debitis; & ita docent Suarez allegatus *dicto num. 12.* iuxta doctrinam Nauarri *in capite 15. num. 25.* & Petrus Binsfeldius *tractat. de confess. malefic. prælud. 13* & alij. Suarez. Nauarr. Petr. Binsf.

Dixi præcisè ad restitutionem damnorum temporalium teneri tam ipsas sagas, quàm illas consulentes; quia pro ratione iudicij. v. c. vsu rationis, & sensuum, non tenentur quidquam restituere, ita Nauarrus *cap. 15. num. 19. & 20.* Lessius & Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. 6. n. 12.* Ratio est, quia hæc damna iudicij, rationis, & sensuum nullam recipiunt æstimationem, nec quicquam in rerum natura est, quod eis censeatur æquiualens; & pro iis satis est pœnitere coram Deo, & petere veniam pro iniuria illata. ita habetur in *l. finali ff. de his, qui deiecerunt, vel effuderunt.* Solùm ergo tenentur ad restitutionem damnorum temporalium. Vnde inter damna temporalia numeratur etiam lucrum, quod quis comparabat ex arte sua & industria; & ex seruitio corporis, quod præstare non potest; quamobrem ad hæc omnia debet prudens confessarius attendere. 21. Nauar. Lessius. Ant. Gom.

Duo hic supersunt dubia Primum est, vtrùm reuera pocula amatoria vim habeant, vt homines inuitos etiam alliciant ad odium, vel amorem. Respondeo duo esse, quæ in hac re dici possunt probabiliter Primum est, constare inter medicos quasdam esse proprietates & vires naturales in certis herbis, & lapidibus, quæ calorem excitare, & ardorem possunt, quæ ad amorem vel odium disponant: habet enim amor, & odium sedem in potentia sensitiua, quæ spirituum & humoris abundantia, vel extinqui, vel accendi potest. Secundum est, nullam esse virtutem in rebus naturalibus quæ suapte natura excitet vel incendat alium ad certam, & indiuidualem personam amandam, vel odio habendam: neque enim apparet vnde talis vis in iis prouenire possit igitur quamuis in nobis dispositio ad odium, & amorem excitari possit poculis amatoriis, imò, & certo etiam genere cibi: vt tamen erga hanc aut illam personam in particulari excitetur amor aut odium, non est vis in rebus naturalibus, quæ eduntur aut potantur; ex dæmone ergo solùm prouenit, quòd hunc potius, quàm illum amemus, vel odio habeamus; nam ille, cum homo est iam per pocula, & filtra excitatus ad amorem, vel odium, frequenter obiicit illius memoriæ, nomen, opera, & species, atque imagines istius potiùs, quàm illius, & sæpe etiam illius similitudinem ei repræsentat, & ante oculos ponit: quo fit vt tunc ad illum vel odio, vel amore habendum vehementer accendamur; ita docet Azor *tom. 1. Inst. mor. lib. 9. c. 16. q. 1.* & Medina *lib. 1 de recta in Deum fide c. 7.* 22. Azor. Medina.

Secundum dubium est, an in hominibus insit vis naturalis ad includendos dæmones, quos vocant familiares, in annulis, speculis, vel vasculis, vel ipsos è corporibus pellendos. Breuiter respon

respondeo, io hominibus, cum sint natura, & potestate longè inferiores eam vim naturalem non esse; vnde cum dæmones certis locis includuntur, vel alligantur, id fit imperio dæmonum superiorum, cum quibus pactum fuit initum, vt minores includerent, & alligarent, vel ipsi dæmones sponte sua seipsos includunt & alligant pacto cum eis inito tacitè, vel expressè, vt id efficiant cum primum certa quædam verba, vel carmina audierint, aut incantamenta, vel veneficia persenserint: & eodem modo posse etiam è corporibus eiici, & iterum aduocari; & ita respondet Azor. *tom. 1. instit. moral. lib 9. cap. 26. quæst. 2. ad finem.*

Azor.

24. Nec refert, quòd scriptura sacra 1. *Reg. 16.* de Dauide commemoret iucundissimo sono cytharæ Saulem spiritu malo, quoties ab illo corripiebatur, liberasse; nam ibi per spiritum malum atra bilis, & melancholia intelligitur, quæ musicis instrumentis paulatim sedari, & naturaliter relaxari poterat, vt multi doctores interpretantur, vel dæmon ipse, vt vult D. August *lib. 2. ad Simplicianum, quæst 1.* & D. Gregor. *lib. 2. moral. c. 6.* & Glossa ordinaria *lib. 1. Regum cap. 16.* non vi musici instrumenti per se proximè pellebatur, sed potestate, & virtute Dei id volentis efficere per Dauidem cytharam pulsantem.

D Aug. D Greg.

25. Nec refert etiam, quòd Tobiæ 6. Angelus eidem Tobiæ dixerit, vt retineret sibi iecur piscis capti, & fel illius, & igni subiiceret cordis eius particulam ad pellendos dæmones. *Si super carbones ponas: fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, itavt vltra non accedant ad eos*; Nec refert quod cap. 8. eiusdem libri legamus. *Recordatus Tobias sermonum Angeli tulit partem iecoris de cassidili suo, & posuit eam super carbones viuos, & tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti*; vt inde coniiciamus iecoris certi piscis odore, dæmones naturaliter fugari, sed vel imperio Dei, & virtute bonorum Angelorum, vel à Deo ipso dæmones illi fugabantur; & ideo illud fuit quasi ad id ab Angelo consecratum, sicut Ecclesia suis exorcismis, in quibus ob preces ipsius Ecclesiæ diuina virtus adest, dæmones expellit, ac fugat, vt optimè docet Azor allegatus *quæst. 2. ad finem.*

Azor.

26. Nec denique refert id quod asserit Iosephus *lib 8. Antiquitatum cap. 2.* se vidisse quendam Eleazarum de gente Iudaica, qui coram Vespasiano, & eius filiis, & tribunis curauit eos, qui à dæmonibus vexabantur, & modum medicinæ hunc fuisse, inferebat naribus illius, qui à dæmonio vexabatur, annulum habentem radicem herbæ à Salomone monstratæ, cuius odore dæmon statim egrediebatur è corpore, relicto homine velut emortuo, & postea coniurabat dæmonem per iuramentum Salomonis, ne ad eum hominem ampliùs remearet, & volens ipse probare præsentibus se hanc virtutem naturalem ad eiicienda dæmonia habere, ponebat ante eos pelnim, seu vasculum aquæ plenum, & dæmoniis imperabat, vt egressi ab hominibus, aquam ingrederentur, & videntibus omnibus, sui ingressus præberent indicium; quod ipsi faciebant; vnde ait Iosephus Salomonem sapientia sua inuenisse modum curandi, quo dæmones eiicerentur. Nam hoc quod ait Iosephus, nec auctoritatem habet, nec fidem meretur; & hic liber Iosephi prohibitus est in catalogo sacræ Inquisitionis vt falsus & impius in multis. Et fortassè ipse Eleazarus de quo hæc narrat, insignis necromanticus erat, & dæmonum iucantator, cuius pacto omnia faciebat si verè illa effecit, vt narrat Iusepbus.

CAPVT XLII.

Quatenus liceat, vel non liceat sagas adire, & consulere, vt maleficia faciant, vel tollant?

SVMMARIVM.

Refertur opinio asserens licitum esse sagas paratas adire ad maleficium tollendum tantum, non tamen imparatas; ad inferendum verò illud nunquam esse licitum illas adire, & consulere, siue parata sint, siue non parata. n. 1. & 2.

Præfertur vera opinio, asserens, nunquam esse licitum sagas adire, & consulere siue paratas, siue non paratas; siue ad tollendum, siue ad faciendum maleficium siue per se, siue per alios. num. 3.

Non licet etiam illas adire, aut consulere paratas, vel non paratas siue per se, siue per alios ad maleficia maleficys tollenda. num 4.

Licitum est vsuras petere ab vsurario parato. & iuramenta ab infideli ad confirmandos contractus. num. 5.

Quomodo explicandum est ius ciuile statuens maleficos bono fine maleficia exercentes, ne fructus terræ pereant, non peccare. num. 6.

Non solum illicitum est petere à sagis precibus, vt maleficia maleficys tollant; sed etiam eas ad id vi, ac pœnis cogere. num. 7.

Peccant grauiter iudices, qui eas cogunt ad tollenda maleficia quadam benedictione. num 8.

Quid si malefica plura media sciat ad tollenda maleficia, quædam licita, alia illicita, an tunc licitum sit illam adire, & ab illa petere, vt maleficia tollat. Refertur prima opinio negans. n. 9.

Præfertur secunda opinio affirmans, etiamsi certus quis moraliter sit, illam illicito modo vsuram. num. 10. & 11.

An tunc teneatur quis saltem ex charitate ab ea petere, vt velit tollere licito modo, non illicito. num. 12. & 13.

Quid si petens sciat certo magas scire tollere maleficia licito, & illicito modo, dubitat tamen an velit illud tollere modo licito. num. 14.

Quid si dubitet, an sciant tollere maleficia licito, & illicito modo, an tunc licitum sit illas adire & consulere. num. 16.

QVIDAM distinguunt inter sagas paratas, & non paratas ad tollendum, vel faciendum maleficium; & quando non sunt paratæ, dicunt nunquam licitum esse illas adire, siue ad tollendum, siue ad inferendum maleficium; si verò sint paratæ ad maleficium iam positum tollendum, asserunt licitum esse illas adire, nunquam tamen esse licitum illas adire, vel consulere per se, vel per alios ad maleficia inferenda quamuis ad id sint paratæ. Hanc opinionem tenet Angelus *in summa, verbo, superstitio num. 13.* & refert pro illa Aureolum *in 4. dist. 34. quæst. 2.* Fundamentum illius est, quia ad inferendum maleficium de nouo, sagas adire vel consulere, esset 1.

Angel. Aureol.

esset suadere ipsis malum, & ad illud illas prouocare, quod nunquam licet, nutiquam enim licitum est malum alicui suadere, aut ad illud aliquem prouocare, maximè quando ad id non est paratus: at verò sagas adire ad maleficia tollenda, videtur licitum, quia licitũ cuique est ad bonum finem vti malitia hominis ad id parati: vnde licitum est propter bonum finem subleuãdæ meæ necessitatis & mutuum ab vsurario parato petere, & iuramentũ ab infideli, qui per Deos falsos iuraturus est petere. Cõfirmatur, qui petit à saga vt maleficia tollat, nõ petit auxilium per sagam à dæmone ad aliquem effectum positiuũ; hoc est ad aliquid faciendum, sed solùm petit illud ad effectum negatiuum, hoc est vt destruat maleficium factum, & cesset à malefaciendo: at licitum est petere à dæmone, vt desistat à malefaciendo, ergo & à saga vel ab alio ministro dæmonis licitum erit idem postulare. Antecedens patet, quia Sancti Angeli, & interdum homines præcipiunt, & imperant dæmoniis, vt desistant à malo faciendo; ergo qui hoc non valent impetare, poterunt petere. ita se habet ista opinio, quæ est erronea, & contra fidem.

2. Ad solutionem quæstionis notandum est sagas in triplici esse differentia; vel enim sunt paratæ, vel non paratæ: & vel sunt paratæ ad maleficium de nouo faciendum, vel ad illud iam factum tollendum; & quando sunt paratæ ad illud tollendum, vel illud sciunt licito tantùm modo tollere, vel illicito tantùm, vel licito; & illicito modo simul, & pro suo arbitratu. His notatis rem decidamus per sequentes conclusiones.

3. Prima conclusio. Nemini licet sagas adire, & consulere siue per se, siue per alium, siue sint paratæ, siue non paratæ ad maleficium de nouo faciendum. Hæc est communis omnium DD. Ratio est, quia intrinsecè est malum dæmonem consulere, & maximè, vt malum alicui faciat; sed ipsæ sagæ siue sint paratæ, siue non paratæ in maleficiis faciendis, vtuntur ope, & consultatione dæmonis; ergo illas adire, & ab illis petere, vt dæmones consulant, grauissimum est peccatum. Secundò, quia qui maleficium à saga etiam parata petit, necessariò malitiam maleficij petit; est enim malitia à tali opere, & maleficio inseparabilis; qui autem malitiam operis petit, est auctor, & causa moralis talis operis; rogans enim, suadens, & consulens auctor est, & causa moralis operis suasi, postulati, & consulti; at nemini licitum est, esse causam, & auctorem mali, & peccati, vt de se patet; ergo nemini licitum est sagas etiam paratas adire, vt maleficia efficiant. Tertiò, quia non licet petere à saga parata, vt tollat maleficiũ, vt statim dicemus; ergo neque, vt illud inferat. Ita docent Suarez *tom. 1. de relig. lib 2. de superst. cap. 18. num. 4.* Gaietanus 2. 2. *quæst. 78. art. 4.* D. Thom. *in 4. dist. 34. quæst. vnica. artic. 4. ad 3.* & omnes quos allegabimus numero sequenti. Constat ex Leuitico 19. vbi Deus absolutè prohibet aditiones, & consultationes magorum, ibi: *Non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid sciscitemini.* Et cap. 20. *Anima quæ declinauerit ad ariolos, & magos, & pacta fuerit cum eis, ponam faciem meam contram eam, & interficiam eam.* Idem patet ex Deut. 18.

Suarez. Caiet. D.Thom.

4. Secunda conclusio. Non licet à sagis, quantumuis paratissimæ ad id adsint, petere, vt maleficia maleficiis tollant, neque illas ad eadem maleficia maleficiis tollenda adire, aut consulere. Ita communiter DD. Sanchez *lib. 7. de matrimon. disp. 95. num. 7.* Albertus Magnus *in 4. dist. 34. art. 9.* & ibi Sotus *quæst. vnica art. 3. column. 5. versu, Est tamen citra dubium:* Palatios ibi *disp. 1. post quintam conclusionem.* Caietanus in *summa, verbo, maleficium ad finem; & in opusc. tract. 12. de maleficiis quæst. vnica.* Abulensis *cap. 19. Math. quæst. 90. in solutione ad 3.* Castro *lib. 1. de iust. hæreticor. punit. cap. 15. columna 7.* Ledesma *2. p. 4. quæst. 60. art. 2. ad finem.* Ciruelo *de superst. part. 3. cap. 15.* Margarita confessor. *in 1. præcepto fol. 60.* Viguerius *lib. instit. cap. 16. §. 7. versu 9. impedimento 11.* Angles in florib. 1. *part. vbi de matrimonio quæst. 8. artic. 2. dub. 2.* Toledo *lib. 4. summa cap. 16. num. 9.* Bañez *2. 2. quæst. 68. art. 4. dub. 2. in solutione ad 4.* Petrus de Ledesma *de matrimonio quæst. 58. art. 2. dub. 2.* Henriq. *lib. 5. de pœnit. cap. 6. in fine, & lib. 12. de matrimonio cap. 8. fine.* Philiarchus *de offic. sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 11. ad finem* Delrio *lib. 6. disquisit. magic. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. pag. 7. dicto 3.* Bartholom. à Ledesma *de matr. dub. 49. conclusione 5.* Nauarrus *in summa cap. 11. num. 29.* Couar. *in capite, Quamuis pactum. 1. part. §. 1. num. 10.* Ludou. Lopez *2. part. Instruct.* vbi de matrim. *cap. 52. columna 7. versu, Præterea quæritur,* Rodrig. *tom. 1. summa in 2. edit. cap. 7. conclusione 11. num. 11.* Flamma *3. part. method. cap. 8. §. 11. ad finem.* Graphis *1 part. decis. lib. 2. cap. 6. num 10.* Vega *tom. 2. summa cap. 34. casu 110.* Rosella *verbo, imped. imped. 15. num. 19.* & ibi Tabiena *imped. 12. quæst. 9. num. 10.* Syluester *verbo, Maleficium, quæst. 8.* & ibi Armilla *num. 2.* Petrus Binsfeldus *in lib. 1. cap. de Mathem. quæst. 5.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 18. num. 4.* Probatur ex Paulo ad Roman. 3. *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona:* atqui intrinsecè malum est opem, & auxilium postulare à dæmone; ergo non est illud per sagam à dæmone postulandum, etiamsi postuletur vt eueniat bonum, & tollatur maleficium. Patet etiam ex sacra pagina Leuit. 19. & 20. Deut. 18. vbi Deus consultationem magorum, & ariolorum absolutè sub pœna mortis prohibet tam ad tollenda, quàm ad inferenda maleficia. Constat etiam ex cap. 2. *de sortilegijs;* vbi Alexander III. presbyterum damnauit qui bono fine superstitiosam diuinationem expertus fuit; patet etiam ex capite. *Qui sine saluatore 26. quæst. 2.* deducto ex D Augustino ibi: *Omnis curatio quæ à diuinis, vel magis, vel ab ipsis dæmonijs in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est, quàm vita, & qui ea sectantur, si se non correxerunt, ad æternam perditionem tendunt.* Ratio, & fundamentum est, quia maleficæ etiam paratæ ob nullum bonum finem possunt licitè maleficium maleficio tollere, ergo non possumus licitè id ab illis postulare: nam vt illud tollant, & soluant, consulturæ sunt diabolum, & id facturæ sunt ope & auxilio illius, in nullo autem euentu, & ob nullum etiam finem quantumuis bonus sit, licitum est opem & auxilium petere à diabolo cum sit intrinsecè malum clamante Paulo ad Romanos 3. *Non sunt facienda mala vt eueniant bona;* ergo non licet id à sagis petere quamuis paratæ sint. Neque obstat quod qui sagas adit, ab ipsis non à dæmone auxilium petat, nam qui petit à sagis, vt illud auxilium à diabolo petant illudque inuocent, moraliter loquendo, est causa, & auctor illius peccati, quia cooperatur ad illud, illudque petit, & suadet, vt diximus in conclusione præcedenti; quare id nunquam licitum est; bonus enim finis qui intenditur, non reddit actum licitum de se

Sanchez. Albertus. Sotus. Palat. Caiet. Abulens. Castro. Ledesm. Ciruelo. Margarit. Viguer. Angles. Toledo. Bañez. Petr de Led. Henriq. Philiarch. Delrio. Barth. à Led. Nauarr. Cou. Lud. Lop. Rodrig. Flamma. Graphis. Rosell. Tabien. Syluest. Armill. Binsfeld. Suarez. D. August.

illicitum; quia malitia ita est intrinseca tali actui & inseparabilis ab illo, vt nullo modo fieri licitè possit.

5. Neque obstat quòd licitum sit petere vsuras ab vsurario parato, ob bonum finem subleuandæ propriæ necessitatis, & ad redimendam propriam vexationem, vt aiunt, & licitum etiam sit petere iuramentum ab infidelibus ad firmandos contractus quos cum illis celebramus, quamuis sciamus per falsos Deos illos esse iuraturos, & ad id promptos, & paratos esse: nam est diuersa ratio omnino; quia vsurarius potest licitè illum actum facere, & mutuum date gratis, & sine vsuris, si voluerit; vnde res quæ petitur, potest licitè, & illicitè ab eo fieri, & malitia illius fit vt illicitè fiat. Quare petens mutuum ab vsurario sub vsuris, offert illi materiam, quam ille potest licitè, & illicitè præstare, & si non vult præstare, nisi illicitè & sub vsuris, id sibi imputet: nam qui petit, solùm permittit illius opus, & non cooperatur ad illius peccatum; cum enim qui petit sub vsuris ab vsurario, solùm ex charitate teneatur vitare illius peccatum; charitas autem non obliget ad vitandum vsurarij peccatum, cum tanto detrimento suo; petit enim illud mutuum sub vsuris ad redimendam proptiam vexationem, & subleuandam præsentem miseriam; quam ex eadem charitate tenebatur vsurarius subleuare, nulla ratione dicitur concurrere ad illius peccatum. Idem dicendum est de illo qui iuramentum petit ab infideli; petit enim ab infideli rem, quam ille licitè potest efficere, iurando scilicet per verum Deum cognitum saltem lumine naturali; quod si non vult iurare nisi per Deos falsos, sibi imputet, id enim culpa illius fit, non christiani cum illo contrahentis, qui ex charitate non tenetur vitare peccatum infidelis cum tanto detrimento suo; at malefica nunquam potest licitè maleficium maleficio tollere: vt enim illud tollat, vtendum est ope, & inuocatione dæmonis; quod intrinsecè malum est. Ita respondent Sanchez *dicto lib. 7. de matrim. disp. 95. num. 7.* & Suarez *tom. 1. Relig. lib. 2. de superst. cap. 18. num. 4.* Sanch. Suarez.

6. Ex dictis patet, alienum esse omnino à veritate id, quod deciditur in *l. Eorum 4. C. de maleficiis, & l. Regia 3. titul. 23. part. 7.* & tradit Azor. *in summa, titulo de maleficiis*, maleficos bono fine maleficia exercentes, ne fructus terræ pereant, ac vi ventorum, vel grandinis deperdantur, à peccato excusari; id enim falsum est, vt patet ex dictis, cum non possint hæc mala auertere nisi per inuocationem dæmoniorum, & optimè docet Barthol. *in dicta l. Eorum, num. vnico*, & ibi Salicetus *numero etiam vnico*, & Gregor. Lopez *in l. 3. verbo, Razon*, & Azeuedo *lib. 8. recopilat. tit. 1. l. 5. num. 23.* vbi dicunt in foro conscientiæ hoc nullo modo esse licitum, quamuis in foro externo iure ciuili huiusmodi delictum non puniatur. Quare illæ leges intelligendæ sunt, vt tale delictum vacet pœna in foro soli, non tamen vt culpa careat in foro poli, vt docet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 95. num. 1. ad finem.* Azor. Barthol. Salicet. Greg Lop. Azeued. Sanchez.

7. Tertia conclusio. Non solùm illicitum est precibus à sagis, & maleficis petere, vt maleficia maleficiis soluant, sed etiam eas vi, & pœnis, vel publicis, & authoritate iustitiæ, vel priuatis à quolibet particulari homine inflictis ad eadem tollenda cogere. Ita docet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 95. num. 9.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 18. num. 7.* Delrio *lib. 6. disquisit. magicarum cap. 2. sect. 1. quæst. 3. pagina 6.* Ratio est, primò, quia minæ, & pœnæ non possunt separare malitiam intrinsecam ab eo actu, intrinsecè enim malum est, quòd sagæ dæmonem consulant, & auxilium ab eo postulent, illumque ad ea maleficia tollenda inuocent; quare siue vi, & metu coactæ, siue sponte id faciant, semper illicitum actum faciunt. Secundò, quia hoc cedit in dæmonis honorem, cum cogatur malefica à dæmone opem, & auxilium inuocare, vt patet. Tertiò, quia solùm habere potest locum illa coactio, quando saga potest maleficium, quod fecit, licitò, & illicitò modo tollere, & absque nouo maleficio destruere, vt statim dicemus in conclusione 4. *num. 9.* Sanchez. Suarez. Delrio.

Hinc deducitur, nullo modo posse excusari à culpa graui eos iudices, qui cogunt ipsas maleficas, aut maleficos benedictione quadam maleficium aufer re, vt optimè docet Delrio *lib. 6. disquisit. mag. cap. 2. quæst. 1. sect. 1. pag. 3. corollario 1.* & Sanchez *lib 7 de matrim. disp. 95. num. 10.* Et ratio est, quia illa benedictio maleficæ nihil aliud est, quàm quædam formula, & cæremonia, qua ex pacto dæmon cessaturum promisit; nam si sola benedictione à quacumque persona edita obtinenda sit salut, præstat vti benedictione sacerdotis, vel cuiuscumque alterius personæ quàm ministri diaboli: & similiter peccat malefica iudici obtemperans; cum nulla ratione id licitè facere possit, & id fit per talem benedictionem ex pacto dæmonem inuocare; fuit enim pactum tale, *si tu, malefica, hoc vel illud feceris, nocebo; si benedictionem feceris, à nocumentis cessabo.* 8. Delrio. Sanch.

Potest tamen contingere, vt malefica plura media ad soluendum maleficium sciat, quædam licita, & quædam illicita; hoc præsupposito, dubium est, an licitum sit ab ea absolutè, & in communi petere, vt maleficia tollat. Qua de re partita est opinio. Prima docet non licere petere absolutè à malefica sciente media licita, & illicita, ad tollendum maleficium, vt illud tollat quando petens moraliter certus est illam medio illicito in illo tollendo vsuram. Ita docet Delrio *lib. 6. disquisit. magicar. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. pag. 8. dicto 4. in fine*; & hoc dicit sibi certum esse, nulla tamen ratione probat; & Caietanus *tom. 1. opusc. tract. 12. de malef. quæst. vnica in fine*; & fundamentum Caietani est, quia tunc illa petitio ab ea saga postulatur, vt ell auctrix, & artifex maleficiorum; ac proinde, vt ministra diaboli est; petere autem aliquid à ministro diaboli, vt ministet illius est; peccatum mortiferum est. 9. Delrio. Caiet.

Secunda opinio docet, licitum esse à malefica tunc absolutè, & in communi petere, vt maleficium soluat, quamuis certò, & moraliter petenti constet, fore vt illa medio illicito in illo tollendo vtatur. Ita docet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 95. num. 11.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 18. num. 9.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 44. dub. 6. num. 35. conclusione 1.* Ledesma *de matrimonio cap. 58. art. 2. dub. 2. cap. 3.* Henriquez *lib. 2. aliàs 12. de matrim cap. 8. num 3. fine.* Et ratio est, quia petens, rem petit, quam saga licitè præstare potest absolutè loquendo, idque sibi constat, & ipse petens habet ius petendi ad redimendam propriam vexationem, qua maleficio sibi facto iniquè vexatur, & ligatur, nec maleficam per eam petitionem inducit ad malum, nec ei moralem præbet occasionem peccandi, cum ipsa licitè, & illicitè maleficium sciat, 10. Sanchez. Suarez. Lessius. Ledesm. Henriq.

sciat, & possit soluere ; & quamuis moraliter sciat maleficium ab illa non nisi illicito modo fore soluendum, id parum refert, & per accidens est, quia solum ex charitate tenetur tunc vitare peccatum ipsius maleficæ, quod non tenetur vitare cum tāto detrimento suo; non enim charitas cum tanto dispendio obligat ; sicut qui petit ab vsurario mutuum, quo eget, quando scit illum, non nisi sub vsuris illud daturum, nullo modo peccat contra charitatem, quia petit ad redimendam necessitatem, qua premitur, non tenetur cum tanto suo detrimento ex charitate peccatum proximi vitare, quando ille potest mutuum illud sine vsuris dare ; sic cum saga licitè, & illicitè pro arbitratu suo possit rem illam efficere, & maleficium licitè tollere, si nolit tollere nisi illicitè, sibi imputet : nam cum aliquis rem petit, quam alius licitè præstare potest, & habet ius petendi, non inducit illum ad malum, nec moralem præbet occasionem peccandi ; quia vtitur iure suo, & per accidens est, quòd alius malitia sua vsurus sit ; petens enim tunc nec talem occasionem vult, nec suadet, nec consentit, sed permittit illam, & sic nullo modo est causa moralis talis peccati.

11. Nec fundamentum Caietani vllius momenti est, quia licet hoc remedium à saga, & ministra diaboli petatur, non ab illa petitur quatenus talis est, quia non petitur opus, quod ex se requirat talem artem, vt ex suppositione, quòd licitè, & illicitè sciat tollere, constat. Vnde talis petitio ex vi verborum non dirigitur ad ministrum diaboli, vt sic ; sed ad personam quæ tenetur maleficium licitè dissoluere ; quæ petitio ita est intelligenda, etiamsi absolutè proponatur.

12. Dixi simpliciter licitum esse absolutè, & in communi à saga petere, vt maleficium soluat, quando petenti certò, & moraliter constat illam licito, & illicito modo illud scire, & posse soluere, etiamsi sciat petens illam non nisi illicito modo in eo tolleodo vsuram. Addo tamen si spes sit quòd petendo, & rogando, vt medio licito vtatur, retrahi possit à peccato, & propter eas preces medio illicito non sit vsura, obligare charitatem ad eas preces adhibendas : quando verò non est talis spes, charitas non obligat; quia petens (vt dixi) vtitur iure suo, & illa petitio, absoluta, est tantùm permissio. ita docet Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superstition. cap. 18. num. 10. in fine*, & res est clara. Cauendum tamen est, ne desiderio salutis adhibeatur aliqua cooperatio ad maleficium tollendum, si fortasse saga illicitè illud velit soluere ; talis enim cooperatio nunquam licet ; quia determinatè est ad actum per se illicitum, vt patet.

Suarez.

13. Ex dictis sequitur primò, si probabiliter credat petens magam non vsuram mala arte, & modo illicito in tollendo illo maleficio, licitè id posse ab ea absolutè petere : nam si id potest licitè efficere quando sibi certò, & moraliter constat quòd non nisi illcito modo soluet, vt *num. 10.* probauimus, multo magis id licebit, quando petens credit illam non vsuram mala arte, modòque illicito ; & ita docet Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 18. num. 9. §. Atque hinc ad medium.*

Suarez.

14. Sequitur secundò, ob eandem rationem id etiam posse licitè efficere, quando ipse petens certus est, quod saga sciat maleficium licito, & illicito modo tollere ; dubitat tamen an illicito modo id efficiat, quia ipsa petitio est de se indifferens, & potest licito & honesto modo impleri, & in dubio voluntatis sagæ scientis licito, & illicito modo maleficia tollere, potest præsumi bonum potius, quàm malum ; & ita docet etiam ipse Suarez citatus, & patet ex dictis. Nam si id licitum est, quando constat quod non nisi mala arte tollet, à fortiori id licebit, quando de ea re, hoc est, de voluntate sagæ dubitamus. Ita idem Suarez modò allegatus.

Si tamen petens dubitat, an maga sciat, licitè, & illicitè maleficium illud tollere : nunquam licebit id ab ea postulare. Primò, quia, vt probauimus *num. 10.* id nunquam licet ab ea petere absolutè, & in communi, nisi quando nobis certò, & moraliter constat illam posse licitè, & illicitè illud tollere. Secundò, quia illud dubium tunc non est dubium voluntatis sagæ ; sed potestatis, seu scientiæ, & in dubio potestatis non est licitum id ab ea petere ; quia cum constet illam esse maleficam & ministram diaboli, & non constet illam scire tollere maleficium licito modo, & sine vsu artis suæ, præsumendum semper est contra illam, quia illæ frequentius nesciunt soluere maleficia, nisi per artem suam, & ex vi pacti diaboli. Deinde quia si petens dubitat, an saga sciat soluere sine nouo maleficio, dubitat profectò, an illa dissolutio licitè possit fieri ; id autem de quo est dubium an licitè fieri possit, non peti potest, nec agi, nec consuli ; dum durat idem dubium, saltem dum præsumptio stat pro illicito modo. Ita docet Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de superst. cap. 18. num 9. §. Atque hinc ad finem.* & Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 95. num. 13.* Delrio *lib. 6. disquis. mag. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. pag. penultima, versu, Caietanus cautelam proponit.* Quare ad vincendum, & deponendum hoc dubium consulit ibi Delrio, quærendum esse à malefica, quæ media nouerit ad tollenda maleficia ; si tentat explicare, ait vehementem esse suspicionem contra illam, quòd non nisi media illicita sciat ; si autem explicet, tunc videndum este an media sint licita, vel illicita ; & si fuerint licita, id poterit ab ea postulari, & cum Delrio consentire videtur Sanchez allegatus *dicto num. 13.* refert enim doctrinam Delrij, & non illam improbat, & mos illius est doctrinam quæ sibi non placet, improbare ; quæ autem media sint licita, videbimus capite sequenti. vide numerum 13. illius. 15.

Suarez.
Sanch.
Delrio.

CAPVT XLIII.

De remedijs ad tollenda maleficia, an liceat capillos, chartas, ligaturas, & alia veneficiorum signa, è terra eruere, soluere, & destruere, & res alias loco illorum ponere.

SVMMARIVM.

Quæ remedia sint licita ad tollenda veneficia. n. 1.

Quid si remedijs diuinis, & vsui sacramentorum, & gestationi reliquiarum adiungantur aliqua conditiones. ibid.

Licitum est signa maleficiorum, vt capillos, ligaturas, nodos, & id genus alia rumpere, tollere & in ignem conijcere vbi inuenta fuerint. num. 2. & 3.

In

Iudex in foro exterieri iustè potest sagam cogere ad maleficium tollendum per dissolutionem horum signorum sine noua dæmonis inuocatione. n. 4.

Quid si pactum cum dæmone sit, si hæc signa posita fuerin, nocebo; si rupta, & sublata, non nocebo, sed pristina sanitas recuperabitur; *an tunc licitum sit ea signa rumpere.* num. 5.

Quid si pactum sit, si hæc signa posueris nocebo; si ea substuleris, & loco illorum res alia posita fuerit v. c. lapis, tegula, vel aqua benedicta locus aspergatur, non nocebo, *an tunc licitum sit rem aliam loco illorum ponere.* num. 6. 7. & 8.

Quid etiam si pactum tale sit, si percusseris sagam, inficieris; si eam repercusseris à tergo, *vel* te laueris in flumine, sanabetis; *an liceat id efficere.* ibid.

Id tunc efficere non est expectare effectum sanitatis à dæmone, sed est intendere destructionem signi diaboli, & vt dæmon non habeat signum per quod noceat. num. 9 & 10.

Non solum hoc est licitum, sed etiam in præcepto iustitiæ, vel charitatis. num. 11. & 12.

An licitum sit adire, & consulere aliam maleficam, vt interrogetur, an norit in quo maleficium consistat, & an illud sciat tollere modo aliquo licito. num. 13.

Quid si quis addiscat ex nouo pacto dæmonis maleficia tollere, an eo pacto transacto, mutata intentione possit licitè ea scientia vti ad illud tollendum. num. 14.

1. REMEDIA licita ad tollenda maleficia, diuina quidem multa sunt, vt gestatio reliquiarum, aqua benedicta, frequens peccatorum confessio, susceptio Eucharistiæ, Missarum sacrificia, eleemosynæ, Sanctorum inuocationes, exorcismi Ecclesiæ, & alia huiusmodi de se sancta, & ab Ecclesia approbata. Illud tamen aduertendum, licet res illæ virtutem habeant ad eum effectum, si tamen illis adiungantur res vanæ, & nihil ad rem conducentes, tanquam conditiones necessariæ ad solutionem maleficiorum v. g. quod nihil ipsæ res per se efficient, nisi eis similes conditiones vanæ adiungantur, non esse licitum illis sub talibus conditionibus vti, quia cum eæ conditiones vanæ sint, non à Deo, vel à natura procedunt, sed ex pacto dæmonis effectum habere possunt. Quod bene præter alios docet Nauarrus *in summa Lat. cap. 11. num. 25.* Sanchez *lib. 7. de matrimon. disput. 95. num. 5. ad finem* Malleus Malefic. *part 2. quæst. 2. cap. 6* & Caietanus *in summa verbo, Incantatio*, vbi ait deprehendi tacitam dæmonis inuocationem ex conditionibus vanis appositis in rebus sacris, vt si apponatur virtus in rebus sacris, si scripta in pelle, vel tali hora, aut in Missa, si tamen oleo, vel seuo dicatur non cera, si à sacerdote talis nationis, vel nominis fiat, non ab alio; vel si ponantur aliæ similes conditiones, quæ nec ad Dei cultum, nec ad rectam rationem spectant; vel in modo dicendi, vt si dicatur Pater noster ad aures equi, aut psalmus sine Gloria Patri. Alia sunt remedia naturalia, & physica ad sanandos morbos relictos ex maleficiis, vt corporis ægritudinem, capitis dolorem, de quibus consulendi sunt medici. Et verò si hæc mala semper pendeant ab arte sagarum, & à dæmone, parum proderunt naturalia media, & remedia medicinæ; quia si hæc mala permittuntur à Deo, facilè hanc remediorum efficacitatem dæmon ipse impedire potest; qua de re legendus est Martinus Deltio *lib. 6. disquisit. mag. cap. 2. quæst. 3. sect. 3.*

Nauar. Sanch. Mal. Malef. Caiet.

Delrio.

2. Solum superest inquirere de quodam humano remedio; vtrùm licitum sit signa maleficiorum inuenta, veluti capillos, nodos, ligaturas, & alia id genus, vbicumque reperta fuerint, amouere, soluere, destruere & in ignem coniicere, siue à saga, siue ab alio, & potest hoc reduci ad remedia humana. Et videtur id esse illicitum. Priorò, quia potest tale esse pactum diaboli initum cum malefico, vel malefica: *quicumque hoc vel illud signum posuerit in tali, vel tali loco, in terra vel infra terram, nocebo; & à quocumque inde sublatum fuerit, inuentum, destructum, & combustum, desinam nocere, & cessabo*; & sic qui id tunc fecerit, consequenter diabolum inuocabit, & maleficium ope diaboli tollet: semper autem ex se & intrinsecè malum est dæmonem inuocare, & maleficium maleficio, aut ex directione dæmonis, & cooperatione illius tollere. Secundò, quia si hoc esset licitum, etiam licitum esset apponere res alias ad tollendum maleficium. Fingamus enim pactum tale fuisse, *quamdiu Petrus maleficiatus annulum in tali digito gestauerit, nocebo; illum si non gestauerit, aut in alio digito gestauerit, nocere cessabo.* Item, *quamdiu in tali loco defossa terra ossa fuerint, nocumentum afferam; si inde eruta fuerint, & loco illius fuerit apposita res alia v. c. hic aut ille lapis, non nocebo.* Item *si maleficiatus sagam tetigerit, nocebo; si illam à tergo repercusserit, desinam nocere.* Hæc autem efficere, videtur esse manifestè, aut saltem tacitè, dæmonem inuocare, & cum pacto illius cooperari. Tertiò, quia interdum pactum potest esse tale, vt ablato signo, & destructo non solùm obligetur dæmon ad cessandum; sed etiam ad restituendam subito homini pristinam sanitatem; qui ergo illud tunc auferret, peteret à dæmone restitutionem sanitatis, quod apertè videtur illicitum. Quartò, quia vt refert D. Hieronym. in vita Sancti Hilarionis, cum virgo à dæmone vexaretur, ad Hilarionem, vt eam liberaret, delata est. Respondit dæmon. *Exire, me cogis, & ligatus subter limen teneor, non exeo. nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit*; intellige ablatis signis maleficij; addit verò D. Hieron. *Noluit autem Sanctus antequam purgaret virginem, vel adolescentem, signa iubere perquiri, ne aut solutis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipso sermoni eius accommodasse fidem.* Vbi duo mala significat D. Hieronymus esse in auferendis signis. Primum, quia id pertinet ad vsum incantationum, & ad pactum dæmonis. Secundum, quia datur fides dæmoni.

D Hier.

3. Nihilominus dicendum est primò; licitum esse ea signa tollere, comburere, & in ignem coniicere. Ita communiter DD. Lessius *tom. 1. de iust lib. 2. cap 44. dub. 6. num. 36. & 39.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 17. num 9.* Scotus *in 4. dist. 34. quæst. vnica*, vbi dicit, *ridiculum esse quærere an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum; non enim, inquit, solum licet; sed etiam est meritorium destruere opera diaboli*; & idem pene iisdem verbis docet Gabriel *in 2. distinct. 8. quæst. 2. art 4. dub. 2.* & Caietanus *tom. 2. opusc. 12.* vbi ita ait: *Duobus modis contingit maleficium tollere; primo per simplicem destructionem pacti soluendo ligaturas, & hoc sine dubio est licitum; si homo sciat id esse impedimentum boni proximi sui, quia nulla hic dæmonis inuocatio est, sed sola dissolutio signi, quo durante dæmon constituerat malum*

Lessius. Suarez. Scotus. Gabriel. Caiet.

Syluest. Castro. Sotus. *malum continuare. Secundo per nouam inuocationem dæmonis,& hoc sine dubio est peccatum mortale.* Syluester. *verbo, Maleficium num.*2. Castro *lib.*1. *de iusta hæret. punit. cap.* 15. Sotus *dist.* 34. *quæst.* *vnica art.* 3. ibi. *Potest quisque conuenire maleficum,& rogare,& pecunia ab illo extorquere, vt illas ligaturas, quas habet sepultas aut suspensas, aut alicubi asseruatas, inde dimoueat; quia illud maleficium facere virtus est.* Docet etiam Angles in floribus *quæst.* 6. *de maleficiatis.* Nauarr. *cap.* 11. *num.*29. Petr. Binsfeld *in titulo de malefic. & Mathem. quæst.* 5. Delrio *lib.*6. *disquis. magic. cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 3. Sanchez *lib.*7. *de matr. disput.* 96. *num.* 3. & 4. Lud. Lopez 2. *part. instruct. cap.* 52. *de matrim. column. antepenultima, versu, Concluditur ergo.* Rodrig. *tom.* 1. *summa in* 2. *editione cap.*235. *num.*3. Graphis 1. *part. decis. lib.* 2. *cap.*6. *num. vltimo.* Bañez 2.2. *quæst.* 78. *art.* 4. *dubio* 2. *in solutione ad* 4.& multi alij quos citat, ac sequitur Sanchez allegatus *num.* 3.

(Margin: Angles. Nauarr. Binsfeld. Delrio. Sanchez. Lud.Lop. Rodrig. Graphis. Bañez.)

4. Fundamentum est, Primò, quia destruere hæc non est per se malum, nec est aliquo iure prohibitum, & bona intentione fieri potest; ergo licitum est illa destruere: nam si loquamur de iure positiuo, nulla extat lex, nullus canon qui hæc prohibeat signa destruere; si loquamur de iure diuino, sæpe scriptura præcipit aras idolorum destruere, statuas confringere, *Exodo* 33. *Deut.* 7. cum similibus. Vt autem rectè notauit Suarez *suprà num.* 9. periode est signa magiæ destruere, ac idola tollere. Nam si pactum dæmonis esset, *Quandiu hæc ara extiterint, nocebo; cum fuerint destructa, cessabo nocere*, licitum erit illas destruere vt patet. Sic quoque si pactum fuerit, *quandiu hæc olla sub terra fuerit, nocebo; si inde erit eruta & fracta, nocere cessabo.* Secundò, quia iudex in foro externo iustè potest sagam cogere ad maleficium tollendum per dissolutionem signorum sine noua inuocatione dæmonis; ergo etiam, & confessarius, maximè quia id vsitatissimum est; confessarij enim cum ad illorum manus hæc signa veniunt, statim illa dissoluunt, & in ignem conijciunt, in quo prudenter faciunt, quia illa combustio, nihil aliud est, quàm destructio amicitiæ & pacti dæmonis; ergo etiam id licitè poterit efficere, quicumque talia signa inuenerit. Tertiò, quia ordinariè solùm hic datur vnum pactum; scilicet, vt posito eo signo dæmon noceat, postea verò ex natura rei per ablationem illius à tali loco, & destructionem, dæmon nocere desinit; tota enim vis pacti, quo dæmon obligatus erat ad nocendum, destructo signo, destruitur. (Margin: Suarez.)

5. Quartò, quia licet pactum dæmonis cum malefica tale sit, *si hæc signa posueris, nocebo; si illa destruxeris, non nocebo, & pristina sanitas recuperabitur*; potest malefica si pœnitere velit, & mutare intentionem, & tantùm intendere rescissionem pacti antecedentis, & nihil à dæmone exigere, ex vi prioris pacti illa destruere; eadem enim actio vna intentione facta potest esse mala, & mutata intentione potest esse bona, quando ea ex se, & ex natura sua non est mala. Vnde potest confessarius obligare sagas ad destruenda ea signa, eas priùs instruendo de intentione, quam id debent facere, vt scilicet, id faciant animo destruendi amicitiam illius, & non inuocandi illum, imò etiam quamuis inuentor talium signorum sciat ibi esse hoc duplex pactum, *si posueris, nocebo, si abstuleris, non nocebo, aut pristina valetudo recuperabitur*; licitè, & meritoriè poterit ea destruere, & comburere, quia animo destruendi dæmonem, & rescindendi pactum illius, & non concurrendi cum illo id facit. quia illa destructio non est superstitiosa, neque inuocatiua dæmonis ex sua natura; sed ex malitia diaboli, & ille qui destruit, non intendit illum inuocare, nec cooperari malitiæ illius, sed illum destruere, eumque vincere suis armis. Dices, illa destructio est signum pacti initi cum dæmone; & id liquet inuentori illorum signorum, ergo est illicita. Respondeo repertorem illorum signorum etiamsi sciat eam destructionem esse signum prioris pacti, non facere eam destructionem vt signum prioris pacti, sed vt rescissionem amicitiæ diaboli, & prioris pacti initi cum illo, vt optimè notauit Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.*44. *dubio* 6. *num.*39. (Margin: Lessius.)

6. Dicendum est secundò. Non solum fas est tollere signa magica, destruere, & comburere, sed etiam, per se loquendo, ponere res alias quibus positis expiret, & destruatur pactum prius, & dæmon desinat nocere, & sanitas statim restituatur. Ita docet Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de superst. cap.* 17. *num.* 16. & 17. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 6. *num.* 45. Syluest. *verbo, maleficium. quæst.*9. Hostiensis. *in capite litteras* §. *Mulieres de frigidis & maleficiatis* Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 96. *num.* 3. Exemplis res declaratur. Ponamus pactum cum dæmone fuisse hoc: Quandiu hæc olla è terra non extrahatur, & loco illius aliquid ponatur. v. c. lapis, hæc tegula, aut locus ille aquæ benedictæ aspergine non lauatur, non cessabit maleficium, nec recuperabitur sanitas. Item, si saga te percusserit, à tergo inficieris; si illam repercusseris, cessabit maleficium. Item, si domo egressus fueris per talem portam, maleficio ligaberis; si corpus laueris in tali flumine, vel aqua, maleficium soluetur. Item, si annulum gestaueris in tali digito, ægrotabis; si illum inde abstraxeris, vel illo alium digitum ornaueris, continuò sanaberis. Licitum erit tibi ollam eruere, & loco illius res alias ponere; & aqua benedicta locum aspergere, sagam repercutere, corpus flumine lauare, annulo alium digitum ornare, & his similia facere, modò hæc omnia fiant non animo colendi dæmonem, sed destruendi pactum illius, nec affectu amicitiæ erga illum, sed ex odio ipsius. Hæc omnia exempla ponit Suarez *dicto tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superst. cap.* 17. *num.* 9. & confirmat illa *ibidem num.* 15.16.17. & Lessius citatus *num.* 45. Ratio est, quia hæc omnia non fiunt modo deprecatorio, aut affectu aliquo beneuolentiæ erga dæmonem, sed fiunt animo, & intentione destruendi artes dæmonis, & tollendi signum, cui adstrictus est ad nocendum, quod per se est omnino licitum. (Margin: Suarez. Lessius. Syluest. Hostiens. Sanchez. … Suarez. Lessius.)

7. Dices licitam esse ablationem signi positi, & destructionem illius, quia per ablationem destruitur signum, & pactum dæmonis; quod bonum est: at non esse licitam positionem alterius rei loco illius, nec esse licitam repercussionem sagæ, lauationem corporis maleficiati in flumine, mutationem annuli, & gestationem in alio digito, quia hæ actiones positiuæ sunt, & per illas videtur continuari idem pactum diaboli, & non destrui, & videtur etiam per illas actiones positiuas expectari ille effectus positiuus, & euentus sanitatis à dæmone; at nunquam est licitum aliquod beneficium à dæmone expectare perpetuo hoste Dei.

8. Respondeo primò cum Suario *num.* 16. & cum Lessio *num.*45. Licet posito alterius rei loco signi (Margin: Suarez. Lessius.)

figni ablati, & destructi; tepercussio fagæ, lauatin in flumine &c. dictiones positiuæ fint, cum tamen de se indifferentes fint, & non malæ, & ordinentur ad aufetendum, & impediendum fignum diaboli, non esse illicitas, nec superstitiosas, si mutata intentione fiant, & non animo colendi, & excitandi dæmonem, nec magis pertinere ad honorem dæmonis, ac continuationem, & focietatem pacti cum illo initi; quàm pura ablatio positiui figni. Probatur facilè, quia fupactum esset tale: quandiu hæc olla fub terra fuerit, ægrotabit Petrus, vbi primum fe figno cruceis munierit, vel tales reliquias gestauerit, talesque orationes ad Deum fuderit, aut tot Missas dixerit, statim fanabitur; numquid propter prauam dæmonis conditionem, & intentionem, non licebit hoc facere? Licebit fine dubio. Nunquid id censebitur continuatio pacti, & amicitiæ cum dæmone? Non profectò; fed censebitur destructio illius, fi recta intentione fiat, & id licebit non folùm propter fpecialem fanctitatem talium rerum; fed etiam ad destruendum fignum à dæmone datum, vt optimè respondet Suarez dicto *tom.1. de Relig. lib.2. de superst. cap.17. n.16.* Suarez.

10. Nec mutata intentione expectatur effectus ille fanitatis à dæmone, expectare enim vt maleficiatus falutem per industriam dæmonis, & ex manu illius confequatur, intrinfecè malum est, quia est inuocare dæmonem, & excitare illum; fed folùm intendit hanc negationem, vt dæmon non habeat fignum per quod noceat, & quo excitetur ad nocendum, quod ipse homo, & ipsa faga naturali fua virtute, & actione efficere potest tollendo fignum, & mutando intentionem; iam verò si actio illa positiua fiat, vt tollatur fignum, & postea dæmon non folùm cesset à malo, fed etiam operetur aliquid ad falutem restituendam, id per accidens est; nam id faciet malitia fua, non tamen faciet prouocatus ab eo qui fignum abstulit, quia ipse tunc, & in ea circumstantia folùm fe habet vt permittens illam dæmonis operationem, non vt cooperans ad illam, nec vt rogans aliquo modo, aut vt honorans dæmonem; fed potius, vt rescindens pactum, & amicitiam diaboli, quantum in fe est.

11. Deinde non est necessarium certò sperare dæmonem cessaturum, aut restituturum fanitatem ablato figno; fed fatis est id probabiliter existimare, ex his, quæ communiter accidunt, nam id fatis est ad prudentem actionem faciendam; experientia enim constat dæmonem folere hæc pacta feruare, & folùm nocere, quandiu fignum extat, & fanitatem restituere, illo destructo, fiue hoc fiat quia Deus non permittit dæmoni liberè nocere hominibus arbitratu fuo, fed tantùm cooperante homine cum eodem dæmone per figna magiæ, vt eius bonitas in vno, & hominum malitia ex alio ostendatur, vt fignificat Victoria *in relect. de magia num.36. ad 4.* fiue quia dæmon ipse voluntariè confueuit feruare hæc pacta, non vt fidelitatem feruet, mendax enim est, & pater mendacij; fed vt postea magis homines decipiat; dum autem quis destruit fignum, non curat de causa, cur dæmon cessetà nocendo ablato figno, fed folùm intendit fugare illum tollendo incentiuum, quo nocere folet, vnde parum refert, quod ex priori pacto fe obligauerit dæmon ad ad cessandum; quia qui aufert fignum, non intendit obligare illum ex vi prioris pacti, fed intendit folùm tollere, & amouere obiectum quo moueri folet ad nocendum. Victor.

Et adeo vera est hæc doctrina, vt asserat Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. de superst. cap.17. n.13.* non folùm hoc esse licitum, fed etiam in præcepto, vel iustitiæ, vel charitatis per fe loquendo; nam in primis respectu fagæ, quæ pactum cum dæmone fecit, & fignum posuit ad nocendum, manifesta est obligatio iustitiæ, quia tenetur non folùm non inferre damnum proximo, fed etiam illud restituere, postquam est illatum; ergo maiori cum ratione tenetur ad non inferendum vlterius fimilia nocumenta; ergo ad rescindendum pactum cum dæmone, quod est causa ipsius damni. Respectu verò aliorum non est hæc obligatio ex iustitia; nisi forte in Iudice aut Prælato, qui tenentur ex officio confulere vniuerfali bono Reipublicæ, & impedire grauiora nocumenta fubditorum, cum facilè possint: si ergo illis constet de maleficio, & de modo, quo potest tolli, tenentur iubere, & facere vt tollatur. Respectu aliorum est obligatio, & præceptum charitatis; quia vnusquisque tenetur fubuenire proximo necessitatem patienti, & impedire illius iniuriam, fi commodè, & fine detrimento fuo potest. 12. Suarez.

Restat foluere argumenta, & quidem priora tria iam funt ex dictis foluta. Ad locum D. Hieronymi *num.2* adductum. Respondeo ibi Hieronymum non dicere, Hilarionem noluisse inuestigare, & perquirere figna, quia id malum esset; fed fimpliciter noluisse, vnde potius in tali locutione tam absolutè indicat non ex necessitate; fed ex perfectiori virtute id egisse, ac proinde non id omisisse, quia esset malum; fed quia plus Deo confidebat. Deinde fortassis timuit Hilarion aliquod fcandalum, quod fignificant illa verba *Ne solitus incantationibus recessisse dæmon videretur*, id eft, ne adstantes id putarent, & aliquo modo fcandalum paterentur, & fumerent. Ita explicat hunc locum Suarez allegatus *num.18.* 13. Suarez.

Sed ad finem petes, num licitum fit adire aliam maleficam, vt interrogetur; an norit in quo maleficium consistat, vt fignum destruatur, & an illud possit tolli, & fciat illud tollere modo aliquo licito. Respondet Sanchez *lib.7. de matrimon. disp.96. num.4.* & Delrio *lib.9. disquis. mag. cap.2 sect.1. quæst.2. versu, Caietanus cautelam proponit pag. penultima*, licitè posse interrogari aliam maleficam, an norit in quo maleficium consistat, vt fignum destruatur; quod si respondeat fe ignorare, in quo consistat maleficium, nullo modo posse licitè induci vt fua arte id perquirat; quia id esset illam rogare, vt diabolum ea de re confulat, quod femper est illicitum. Item fi dicat, fe fcire maleficia, & nescire ea tollere, in hoc etiam casu nullo quidem modo licet eam inducere, vt per artem fuam id inquirat; quia perinde est tunc, ac ei confulere, vt diabolum confulat, quod est intrinfecè malum, & illicitum: fi asserat fe fcire modo licito ea tollere, & explicet modum, quo tollenda funt, tunc videndum erit, an talis modus fit licitus, vel illicitus, fi fuerit destructio figni iuxta modum, quem toto hoc capite explicauimus, licitum erit illa destruere, fi verò non fuerit, erit illicitum. Duo tamen hic animaduertenda funt. Primum est fi faga dubitauerit, vel renuerit explicare modum, quo maleficium tolli potest, fignum esse illam illud tollere nescire, nisi per nouum maleficium, quod nunquam licet, vt fæpè diximus. Secundum est, cauendum femper 14. Sanchez. Delrio.

esse

esse, ne ex nimio desiderio sanitatis amicitia diaboli tacitè procuretur, & ab illo fauor aliquis, vel auxilium petatur.

14. At si fortè quis addiscat nouo pacto dæmonis ea maleficia tollere, peccabit grauissimè; transacto tamen eo peccato, poterit in suum commodum ea scientia vti ad destruendum signum maleficij iuxta hactenus dicta, modò de nouo, nullo modo nec tacitè, nec expressè dæmon inuocetur. ita docet Sanchez *lib. 7. de matrimon. disp. 90. num. 4.* Ouandus *in 4. dist. 34. disp. vnica, pagina penultima.* Et ratio est, quia quamuis culpa sit grauissima inquirere à dæmone, vt ex cognitione ab ipso parta vtilitati nostræ consulamus, id enim est quoddam amicitiæ fædus; tamen si veritatem aliquam ab ipso edocti sumus, præter culpam in ea inquisitione commissam, non est culpa vti ea scientia ad bonum finem, quando ea vera est, nec dæmonis opera in illa concurrit, vt si quempiam veram Grammaticam, aut Philosophiam dæmon doceret, peccaret lethaliter sic addiscendo, at postea careret culpa illa vtens tamquam vera scientia, non tamquam à dæmone accepta.

Sanchez. Ouandus.

CAPVT XLIV.

De pœnis à iure statutis in veneficos, striges, sortilegos, diuinos, & magos, & illos consulentes; & ad quem iudicem spectet hoc crimen, Ecclesiasticum ne an secularem; an indices seculares possint inspicere processus relaxatorum; & an Inquisitores illis remittere striges pueros occidentes teneantur, etiamsi conuertantur.

SVMMARIVM.

Olim in lege vetere morte puniebantur. num. 1. & 2.
Iure canonico communi excommunicabantur tam ipsa venefica, vel venefici, quàm illos consulentes. num. 3.
Hac excommunicatio non est ipso facto, sed inferenda. num. 4. 5. & 6.
Si tamen huiusmodi persona malefica simul sint heretica, tunc ratione haresis excommunicationem ipso facto incurret. num. 7.
Prater excommunicationem in iure etiam Canonico varys pœnis puniuntur; sed iam hodie non sunt in vsu: tamen in Lusitania est dehonestatio mitra demoniaca, qua publicè ad ostium Ecclesia in loco edito collocantur. num. 8. & 9.
In qualibet diœcesi standum est pœnis in has personas, & consulentes decretis. num. 10. In diœcesi Bracharensi excommunicantur ipso facto. ibid.
Ius ciuile commune pœna mortis venefices afficit. num. 11. Hanc pœnam etiam habent de iure Lusitano. ibid.
Si hoc delictum adnexam habeat haresim, aut granem illius suspicionem, ad Inquisitores punitio illius spectat. num. 12.
Si consistat in pura superstitione, & non habet suspicionem haresis, crimen hoc est mixti fori. num. 13.
An crimina mixti fori postquam punita fuerint per vnum iudicem, possint per alium puniri. num. 14.
Quid si iudex secularis processit contra aliquam personam huius criminis ream, putans esse secularem, postea inueniens esse Ecclesiasticam eam cum processu remittat ad iudicem Ecclesiasticum, an teneatur tunc iudex Ecclesiasticus stare eo processu. num. 15.
In criminibus mixti fori, si persone non sint exempta, regulariter loquendo, tenentur iudices Ecclesiastici stare processu facto per iudices seculares, & vice versa. num. 16.
An in crimine haresis, quando haretici relaxantur brachio seculari, teneantur iudices seculares stare sententys dominorum Inquisitorum, & iudicum Ecclesiasticorum. num. 17. 18. 19.
Quid de crimine sodomia. ibid.
Quando censeantur venefica suspecta de haresi, vt ad dominos Inquisitores remittantur, & qualis suspicio requiratur. num. 20. & 21.
An Inquisiteres, & Iudices Ecclesiastici conuersas striges teneantur remittere ad iudices seculares propter homicidia, seu infanticidia perpetrata. num. 22. & 23.

OMNES has pestes, veneficos, sagas, striges, ariolos, sortilegos, diuinos, & magos sub iisdem pœnis comprehendimus; quia, vt notat Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 19. num. 1.* ferè omnia iura tam ciuilia, quàm canonica, eos iisdem pœnis afficiendos decernunt; omnes enim ferè idem crimen superstitionis, pacti, & amicitiæ cum dæmone sub diuersis modis committunt, vt statim patebit. 1. Suarez.

2. Pœnæ igitur in huiusmodi sceleratos in iure statutæ grauissimæ sunt. Olim in lege vetere, capite damnabantur, Exod. 22. *Maleficos non patiaris viuere*; vbi nomine maleficorum omnes isti comprehenduntur, iuxta Suarium allegatum Leuit. 22. *Vir, siue mulier in quibus pythonicus, siue diuinationis fuerit spiritus, morte moriatur*; & in Deuteron. 18. ferè omnes modi huius peccati distinctè numerantur, & subditur: *Omnia hac abominatur Dominus, & propter huiusmodi scelera delebit eos.* Vnde D. Paulus ad Galatas 5. omnia hęc vitia vno vocabulo complexus est, inter opera carnis ponens veneficia, vt fit Apocalyp. 18. ibi, *in veneficys tuis errauerunt omnes gentes.* Itaque omnia hæc flagitiorum genera idem peccatum in iure censentur, & ita iisdem pœnis generaliter puniri solent, vt videre licet tota causa 26. in decreto, & toto Codice, titulo de maleficis, & mathematicis.

3. In iure canonico excommunicantur tam ipsi arioli, venefici, veneficæque, quàm illos consulentes, vt patet ex capite, *si quis ariolos*, 26. q. 5. ibi: *Si quis ariolos, aruspices, aut incantatores obseruauerit, aut phylacterys vsus fuerit, anathema sit*: & ex capite, *sortes, eodem titulo*, ibi: *Ne exerceantur, sub anathematis interdicto prohibemus.* Quidam censent hanc excommunicationem esse ipso facto. Ita censet Tabiena, *verbo, excommunicatio 1. casu 4.* allegans quandam extrauagantem Ioannis 22. cui adnumerare posthumus Nauarrum *in Manualibus antiquis, cap. 27. num. 52.* vbi dicit hæc verba, *Sit excommunicatus*, significare excommunicationem ipso facto; in nouis tamen mutauit sententiam, & asserit significare excommunicationem non latam, sed ferendam, vt optimè, notauit Stephanus de Auila *in compendio Nauarri, verbo, Excommunicatio 1. littera H.* Tabiena. Nauar. Auila.

4. Sed dicendum est in iure canonico propter hoc crimen nullam excommunicationem ipso facto

facto incurri, de iure tamen vniuſcuiuſque diœceſis aliud eſſe poterit, vnde videndæ erunt conſtitutiones illarum, & iuxta illas iudicandum erit. Ita cenſet Suarez *tom 1. de Relig. lib. 2. de superſt. cap. 19. num.* 3. Syluester *verbo, Superſtitio, quæſt. vltima* Alenſis 2. *part. quæſt.* 164. *membr.* 5. Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib* 2. *cap.* 43. *dub.* 5. *num.* 29. Et ratio eſt. Primò, quia illa verba, *anathema ſit, ſit excommunicatus*; extra crimen hæreſis, non important ſententiam excommunicationis latam, ſed à iudice, probato crimine, ferendam; ſicut iſta, *ſit extorris, ſit exul*; non ſignificant ſententiam exilij ipſo facto latam; ſed per iudicem ferendam. Secundò, quia authores qui numerant diligenter caſus in iure expreſſos, propter quos excommunicatio, ipſo facto, incurritur, vt Syluester, & Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 27. *num.* 12. hunc prætermittunt. Tertiò, quia ſaltem eſt dubium, an in illo textu capitis; *ſi quis Ariolos* 16. *quæſt.* 5. vt optimè animaduertit Suarez *allegatus num.* 3. excommunicatio ipſo facto huic crimini inferatur; & in dubiis in pœnalibus mitior pars eſt intelligenda; & verò quòd in iure canonico non excommunicentur, ipſo facto, huiuſmodi venefici, arioli, & aruſpices, optimè probat idem Suarez *allegatus num.* 4. diſcurrens per omnia concilia antiqua, quæ hac de re loquuntur.

Suarez. Syluest. Alensis. Lessius. Nauar. Suarez.

5. Aſſerit tamen Suarez *num.* 5. non videri improbabile in prædicto cap. *Si quis, Ariolos*, & in cap. *Sortes* 26. *quæſt.* 5. imponi veneficis excommunicationem, ipſo facto; quia licet in antiquioribus canonibus, & concilus in illis verbis, *Anathema ſit*, & *ſub anathematis interdicto prohibemus*; Excommunicatio non latæ ſententiæ, ſed ferendæ ponatur; tamen tempore Gregorij II. & tempore Zachariæ Papæ, qui paulò poſt Gregorium II. floruit, & eodem etiam illo modo loquendi: *Anathema ſit*, vtitur, vt videre eſt in cap. *Si quis* 26. *quæſt.* 7. vbi eadem vitia, eadem excommunicatione punit; ita vitia illa percrebuerant, vt videantur prædicti Pontifices rigorem cenſuræ addidiſſe, & velle, vt ipſo facto deinceps incurreretur, prout verba ſonant; addit tamen ſtatim Suarez. *Sed licet hoc non ſit improbabile in rigore iuris loquendo, non videtur tamen ita in conſuetudine receptum, vnde vel conſuetudo derogauit huic de iure, vel certè cum ſit optima legum interpres, ita verba illa*, Anathema ſit, *interpretata eſt, vt perinde ſonet ac dicere*, excommunicetur anathematizetur. *Quod autem hæc conſuetudo ſit, conſtat ex gloſſis, & doctoribus communiter, qui hanc cenſuram ibi non cognoſcunt tanquam iure ipſo facto latam, ſed ferendam*; hæc Suarez.

Suar. Suarez.

6. Extrauagans autem Ioannis 22. de qua Tabiena *verbo, Excommunicatio* 1. *caſu* 4. mentionem facit, non extat in iure, nec in bullario Romano edito anno 1586. inter conſtitutiones illius Pontificis. Refert tamen illam Eymiricus *in directorio Inquiſitor. part.* 2. *quæſt.* 43. Nihilominus tamen licèt in ea excommunicatio hæc, ipſo facto, in ſortilegos, & veneficos feratur, non videtur ita promulgata, nota, & recepta, vt illum inducat effectum; maximè, quia in concilio Lateranenſi ſub Leone 10. *ſeſſ.* 9. *tit. de reformat. Curia in fine*, de his ſortilegis generatim dicitur. *Si fuerint clerici, per ſuperiores infamia notentur. Si verò non deſtiterint, deponantur, & in monaſterium detrudantur, & beneficijs priuentur: Laici verò excommunicationi, & alijs pœnis iuris tam ciuilis, quàm canonici ſubiaceant.* Ex quibus verbis non ſatis colligitur cenſura quæ ipſo facto feratur, & in pœnis mitior pars in dubiis eſt intelligenda.

Tabien. Eymiric.

7. Hæc autem intelligenda ſunt, niſi huiuſmodi ſortilegi, arioli, & venefici ſimul ſint hæretici, tunc enim ratione hæreſis excommunicationem Bullæ Cœnæ ipſo facto incurrent; ſecus ſi hæretici non fuerint, vt docet Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de ſuperſt. cap.* 19. *num.* 8. Leſſius *lib.* 1. *de iuſt. cap.* 43. *dub.* 5. *num.* 29. Notandum tamen aliquando committi hæc crimina cum magna, & vehementi ſuſpicione hæreſis, licet de tali hæreſi non conſtet manifeſtè; & tunc licet in foro conſcientiæ non cenſendi ſint hæretici, quia in hoc foro veritas attenditur, non ſuſpicio, nec præſumptio, in foro verò externo iudicandum erit iuxta qualitatem ſuſpicionis leuis, aut vehementis, vt bene docet Suarez dicto *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de ſuperſt. cap.* 19. *num.* 9. Quando autem hæ perſonæ propter ſuſpicionem hæreſis remittendæ ſint ad dominos Inquiſitores, aut coram illis accuſandæ, dicemus *num.* 20.

Suarez. Lessius. Suarez.

8. In iure etiam canonico præter excommunicationem variis pœnis hæ peſtes puniuntur; nam ſi venefici, aut arioli fuerint laici, pœnitentia quadraginta dierum pro hoc delicto illis imponitur, vt patet ex cap. 1. *De ſortilegijs* Sed vt notat ibi Panor. hæc pœnitentia intelligenda eſt in foro confeſſionis, & per confeſſarios imponenda: nam in foro externo grauior pœna illis infligenda eſt; ſed pro foro conſcientiæ iam huiuſmodi canones non ſunt in vſu, vt paſſim DD. animaduertunt.

9. In cap. *Epiſcopi* 26. *quæſt.* 5. ita dicitur. *Epiſcopi ſi aliquem virum, aut fœminam huiuſmodi ſceleris ſectatorem inuenerint, turpiter dehoneſtatum de parochijs ſuis eijciant.* Et hæc pœna ſolet hodie magis in vſu eſſe; ſolent enim hi cum mitra verberati publicè, vel in ſcala in Eccleſiæ portis collocari; de quo negotio videndus eſt Salzedo *in practica criminali cap.* 107. hæ ſunt pœnæ de iure communi canonico. De conſulentibus verò huiuſmodi magos, & veneficos, & ariolos, dicitur in cap. *Quiſquis* 2. *quæſt.* 8 *Qui ad ſortilegos, magóſque concurrerint, nullatenus ad accuſationem eſſe admittendos.* Vnde colligit Syluester *verbo, Superſtitio, quæſt.* 11. omnes iſtos eſſe infames; ſed omnes huiuſmodi pœnæ tam pro foro interno quàm externo non ſunt in vſu, & ſic omnes ſunt iam hodie arbitrariæ, & arbitrio iudicis vtriuſque fori imponendæ.

Salzed. Syluest.

10. In vnaquaque diœceſi ſtandum eſt pro conſuetudine illius, & pro pœnis, quæ inibi in iure conſtitutionum his criminibus imponuntur; & in Archiepiſcopatu Bracharēſi, vt patet ex *tit.* 28. excommunicantur, ipſo facto, tam ij, qui ſagas conſulunt, quàm illi, qui veneficiis dæmonumque incantationibus vtuntur, cuiuſcumque qualitatis, & conditionis ſint; & eadem excommunicatione innodantur illi, qui ex aliquo loco ſacro, vel non ſacro aram ſacram, corporalia, aut purificatoria, vel partem aliquam iſtorum ad ea veneficia facienda deſumpſerint; mulctantur etiam certa pœna pecuniaria; quæ inibi videri poterit. Hac tamen excommunicatione, non niſi illæ perſonæ innodantur, quæ notitiam illius habent, & ſciunt illam eſſe impoſitam; quod commune eſt omnibus excommunicationibus. Nunquam enim incurruntur, niſi ſpecialem notitiam illarum quis habeat. Vnde, etſi aliquis committat crimen, cui adnexa eſt excommunicatio, ſi illam probabiliter ignorabat, peccabit quidem illud committendo, non tamen illa ligabitur, vt optimè notat Nauarr. *in ſumma Lat. cap.* 23.

Nauar.

cap. 13. *num.* 47. *& cap.* 17. *num.* 16. & est commune in materia excommunicationis; ignorantia enim inuincibilis excommunicationis excusat ab illa, quantumuis actus sit prohibitus iure naturali, vel diuino, & quamuis sit lata à Papa.

11. Ius ciuile grauissimas etiam pœnas in veneficos, & veneficas statuit, nam morte esse damnandos decernitur in toto titulo *C. de malefic. & Mathemat.* Cauendum tamen est ab iis, quæ interdum in his legibus asseruntur, non esse scilicet dignos supplicio eos, qui his artibus vtuntur, non ad malefaciendum, sed potius ad medendum corporibus, vel impedienda aliqua nocumenta in fructibus terræ, vt patet in *l. eorum. C. eodem titulo*; nam leges illæ solùm volunt excusare à pœna ciuili eos qui id fecerint, non tamen à culpa, & peccato. Vnde cùm dicant id esse licitum, intelligendæ sunt id fieri impunè, vt alibi diximus. De iure Lusitano pœna mortis plectuntur maximè illi, qui rem aliquam sacram furati, aut illa vsi fuerint ad veneficia facienda; & similiter eadem mortis pœna afficiuntur illi qui circulis, aut signis dæmones inuocant, aut filtra, vel pocula amatoria ad amandum, vel odiendum, alicui dederint propinanda, modo tamen priùs quàm sententia executioni mandetur, Rea admoneatur de qualitate personæ, & de modo quo crimen commisit. Qui verò vsi fuerint sortibus, virgis, vel instrumentis aliis, aut ossibus mortuorum ad prænoscendam rem aliquam, vel inueniendos thesauros, aut aqua, gladio, vel quacumque re alia vsi fuerint, specie aliqua veneficiorum, publicè per plateas resti collo appensa, præeunte præcone, verberantur. Patent hæc omnia *lib. 5. titulo 3. nouæ recopilationis.* De iure regni Castellæ etiam morte afficiuntur. Patet ex lege vltima *tit. 23. part. 7.*

12. Si delictum hoc adneaam habeat hæresim, aut aliquam eapressam suspicionem illius inuoluat, ad Inquisitores fidei cognitio illius pertinet, vt patet ex capite, *Causam. §. sanè de hæreticis in 6.* & docet Suarez *tom. 1. de religione lib. 2. de superst. cap. 18. num. 12.* & Simancas *de cathol. inst. tit. 37. num. 16.* & ita solent officiales ordinarij eas veneficas statim ad dominos Inquisitores remittere, in quibus vitium hæresis inueniunt: & quidem in motu Xisti V. contra iudiciarios eapedito ampliatur hac in parte iurisdictio Inquisitorum, præsertim in diuinationibus; *etiam quoad casus in quibus antea procedere non valebant*, vt ibidem dicitur.

Suarez. Simanc.

13. Si verò sit pura superstitio sine eapressa suspicione hæresis, non pertinet cognitio huius criminis ad Inquisitores, vt in eo capite, *Causam.* ordinatur, & tunc censetur communiter esse mixti fori, nisi ratione personæ ad iudicem tantùm Ecclesiasticum pertineat; vnde si delinquens sit clericus, vel persona Ecclesiastica, à Prælato suo iudicabitur. Si laicus, siue vir, siue fœmina, mixti fori est, & à præoccupante iudice siue laico, siue Ecclesiastico iudicanda erit: & ita docet Abbas in capite 1. *de sortilegijs num.* 3. *&* 4. Castro *lib. 1. de iusta hæretic. punitione cap.* 16. Iulius Clarus *lib. 5. sent. § hæresis num* 25. Binsfeldius *de confessione maleficar. præludio* 14. Suarea *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 18. num.* 11. Deltio *lib. 5. disquisit. mag. sect. 2. versu: Sextò quæritur.* Vnusquisque autem iudex Ecclesiasticus vel sæcularis in puniendo hoc delicto pœnis in suo iure canonico, vel ciuili impositis accommodabitur, iuxta probationes, & circumstantias illius; sed ad nos hoc non attinet.

Abbas. Castro. Iul. Clar. Binsfeld. Suarez. Delrio.

Sed dubium est; vtrùm crimina mixti fori, quale est hoc crimen magiæ, postquam punitum fuerit per vnum iudicem; possit iterum per alium puniri, v. c. postquam punitum fuerit per iudicem laicum, possit iterum puniri per Ecclesiasticum. Breuiter respondent auctores citandi: si criminosus punitus fuerit per iudicem sæcularem, non poterit iterum puniri à iudice Ecclesiastico, nisi in eo casu, in quo iudex sæcularis minorem imposuisset pœnam quàm par erat, & quam iudex Ecclesiasticus potuisset imponere; si verò fuit damnatus à iudice Ecclesiastico, tunc quidem, quia in tam grauibus criminibus iudices Ecclesiastici non solent punire pœna condigna delicto, vt faciunt iudices sæculares, ideo semper poterunt prædicti criminosi à sæcularibus iudicibus iterum puniri. Ita docet Martinus Delrio *lib. 5. disquisit. mag sect. 2. §. Sextò quæritur*, & Antonius Gomea *tom. 3. de delictis cap. 1. num.* 40. & Prosper Farinacius *in praxi criminali quæst. 4. à num. 7.* Idem dicendum erit in eo casu quo collusio, & præuaricatio accusatoris, vel primi iudicis interuenerit, tunc enim iteratò poterit de nouo inquiri, & puniri, si de ea collusione constiterit. Item si criminosus coram vno iudice purgauit indicia per torturam; postea superuenientibus nouis probationibus, aut indiciis, poterit ab alio iudice in iudicium vocari intra tempus consuetudine, vel iure ad hoc negotium præscriptum. Ita Delrius, & Prosper Farinacius allegati. 14.

Delrio. Ant. Gom. Prosp. Farin.

Fieri tamen potest, vt aliquando procedat iudex sæcularis contra aliquam personam Ecclesiasticam putans esse sæcularem, & postea reperta veritate, eam remittat cum processu culparum, aut sententia iam lata ad suum legitimum iudicem Ecclesiasticum; & in hoc puncto quæro an iudex Ecclesiasticus teneatur stare processu culparum, & inquisitione facta à iudice sæculari, & sententia ab eo lata, & similiter quæro an quando iudex Ecclesiasticus procedit contra personam laicam, putans eam sibi esse subiectam in tali, vel tali crimine, & postea reperta veritate eam sibi non esse subiectam ad iudicem laicum remittit, teneatur iudex laicus stare sententia, & processu facto à iudice Ecclesiastico? Respondeo in vtroque casu negatiuè. Ratio est, quia hæc omnia fuerunt facta, & processata per iudicem incompetentem; ac proinde sunt de iure nulla, & nulliter facta; & ita docet Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. finali. quæst* 36. *num.* 49. *& quæst.* 96. *num.* 7. *&* 8. Decius in capite, *Atsi Clerici. de iudicib.* Grammat. *consilio criminal.* 42. *num.* 1. Felinus in dicto capite. *At si Clerici, in principio num.* 14. & patet ex eodem capite. ibi: *Atsi Clerici coram sæculari iudice conuicti fuerint, vel confessi de crimine, non sunt propter hoc à suo Episcopo aliquatenus condemnandi; sicut enim sententia à non suo iudice lata non tenet, ita nec facta confessio coram ipso.* Et ex glossa ibi, *verbo*, *Non tenet.* vbi allegat multa iura. 15.

Iul. Clar. Decius. Felin. Grammat.

In criminibus verò mixti fori, vt sunt crimina Magiæ, & Sodomiæ, regulariter loquendo, si personæ non sint eaemptæ, tenentur iudices Ecclesiastici stare sententia, inquisitione, & processu facto per iudices laicos; & iudices Ecclesiastici stare sententia, & processu facto facto per iudices Ecclesiasticos; hæc enim omnia fuerunt facta, & processata per iudices competentes, nisi tam euidens sit criminosos manere penè impunitos, vt ratio euidens contrarium postulet; 16.

tunc enim perinde esset, ac si iudex incompetens esset, quo casu videtur procedere sententia *num.* 14. exposita; quod videtur decisum in cap. *Cum quidam. de exceptionibus*, & Glossa ibi, *in propositione casus*, vbi præcipitur iudicibus Ecclesiasticis, vt obligent iudices sæculares censuris, & excommunicationibus ad standum sententiis, & processibus latis per ipsos iudices Ecclesiasticos competentes, & iudicibus Ecclesiasticis similiter præcipitur, vt sententiis per iudices competentes laicos latis acquiescant.

17. Speciale tamē dubium est, an in crimine hæresis teneantur semper iudices sæculares stare sententiis latis per dominos Inquisitores Ecclesiasticos, quando hæretici relaxantur? & quidem negant aliqui DD. & à fortiori id negabunt in crimine sodomiæ, cùm crimen hæresis sit merè Ecclesiasticum, & ad solos iudices Ecclesiasticos pertineat priuatiuè, crimen verò sodomiæ non sit merè Ecclesiasticum, sed mixti fori de iure nouo, & hi sunt Menchaca *de successione creata lib.* 1. §. 6. *num.* 16. *versu, Denique*. Barthol. *in l. Non dubium, & in l. Diuus ff. de custodia reorum*. Imola *in cap.* 1. *de offic. ordinat.* vbi Alciatus *num.* 119. & 100. & idem Imola, & Felinus *in Auth. de Sanct. Episcopis*, §. *Si verò de crimine*. Barthol. Bald. Angel. Alber. Paulus; & Fulgosius *in l. Magistratibus, de iurisdict. omn. iud.* Igneus *in l.* 1. §. *Cum dominus num.* 41. *ff. ad Syllan.* quos ferè omnes citat, sed non sequitur Simancas *de cath. inst. toto tit.* 16 *à num* 4. vbi Igneus asserit Mediolani suo tempore fuisse per iudices sæculares absolutas nonnullas mulieres, quæ propter hæresim per iudices Ecclesiasticos, Episcopum scilicet Parmensem & Inquisitorem, morte fuerant damnatæ; visis enim illarum sententiis, & processibus bene inspectis, fuisse omnino inuentas innocentes; & addit etiam Rothomagi in Gallia mulierculam quandam veluti ream hæresis flammis destinatam fuisse, & à sæcularibus iudicibus absolutam, & qui eam damnauerant in expensis condemnatos. Vnde asserunt primò, non teneri iudices laicos statim, vt aiunt, oculis clausis damnare reos ab Inquisitoribus sibi, & brachio sæculari relaxatos, sed debere inspicere processum maximè id requirentibus reis, & suam innocentiam protestantibus, nec prius teneri ad exequendam sententiam Inquisitorum quàm eis de iustitia processus, causa cognita, plena fides facta fuerit. Et fundamentum illorum est, quia si constet sententiam Inquisitorum esse iniustam, & iniquam, non tenentur illam exequi contra suam conscientiam, auxilium enim brachij sæcularis non est dandum ad iniustitiam; sed ad ea quæ licita sunt exequenda; neque possunt in conscientia iudices sæculares occidere illos quos sciunt innocentes. Quamobrem aiunt, visis, & inspectis processibus Inquisitorum si eos innocentes inueniant, causam referendam esse ad Inquisitores, vt eam rectiùs inspiciant, & indicent; & ita specialiter docent Alciatus *in cap.* 1. *de officio ord.* Gonxal. *de heret. præstat. quæst.* 19. & Conradi Bruni, quos omnes refert, sed non sequitur Simancas *de cathol. inst. tit.* 36. *num.* 6. Addunt etiam iudices sæculares de nullitate sententiæ Inquisitorum cognoscere posse, si sententia propter defectum iurisdictionis nulla esse dicatur, quia talis sententia exequenda non est. Neque obstat, quòd sæcularis iudex de crimine hæresis cognoscere non possit, eo enim casu non cognoscit de hæresi; sed de modo, & ratione iudicandi, atque adeo de sententia nulla; tandem quia iuxta ius canonicum cap. *Principes*, cap. *Regum.* cap. *Administratores* 23. *quæst.* 5. Reges, & Principes sæculares sunt Patres communes, ad quos spectat defendere vi oppressos, & innocentes, est enim de iure naturali innocentem defendere.

Mench.
Barthol.
Imol.
Alciat.
Felin.
Barthol.
Fulgos.
Igneus.
Simanc.
Alciat.
Gonzal.

Sed hæc sententia est falsa omnino, & temeraria. Primò, quia iudices sæculares in causa hæresis sunt meri executores; & ideo nec de Inquisitorum processu, nec de sententia illorum, nec de crimine cognoscere possunt; sed absque mora, & absque nouo processu, cognitione, & inspectione, tenentur statim exequi id quod Inquisitores iudicauerint. Quæ sententia receptissima est, & vsu comprobata, & auctoritate, & constitutione Bonifacij VIII. apertè confirmata in cap. *Inquisitionis.* §. *Prohibemus de hæreticis lib.* 6. ibi: *Prohibemus quoque districtiùs Potestatibus, Dominis temporalibus, eorumque officialibus, ne ipsi de hoc crimine (cum merè sit Ecclesiasticum) quoquo modo cognoscant, vel iudicent, &c.* Et ita docent Simancas *de cathol. inst. titul.* 36. *num.* 5. Bald. *in Authent. clericus. C. de Episcopis, & cleric.* Angel. *in l. Diuus* 2. *de custodia reorum*, Abbas, & Anchartan. *in cap. At si clerici de iudicib.* Salicetus *in l. Ea quidem. C. qui accus. non poss.* Iason. Decius Purpura *in l. Magistrat. de iurisdict. omnium iud.* Ioannes Imola, & Alciatus *in cap.* 1. *de offic. Ordinarij.* Afflictis *in proœmio const. Siciliæ* Albert. *lib. de agnoscend. assert. cathol. quæst.* 25. *num.* 44. Et probatur, quia vnde constare potest iudicibus sæcularibus reos esse innocentes, quos Inquisitores hæreticos pronunciant? Nunquid ex actis? at hæc examinare non possunt vt diximus; & id iure regio in Hispania expressè prohibetur, ne quisquam sæcularium iudicum quantacumque dignitate, & potestate fulgeat, cognoscere vllo modo præsumat de causis ciuilibus, aut criminalibus, quarum cognitio pertinet ad Inquisitores, nec sub prætextu subleuandi vi oppressos, vt constat ex mandato regio dato Burgis die Martij 17. anno salutis 1508. renouato anno 1553. Nunquid vt priuati homines? At secundùm propriam conscientiam, & notitiam iudicare non debent; sed secundùm allegata, & probata. Secundò, quia officium iudicum sæcularium in prædictis causis non in cognoscendo, sed in exequendo consistit; vnde hanc executionem statim tenentur efficere cum fuerint ab Inquisitoribus requisiti; nam si Ecclesia hæreticos conuertere non potuit, non habet vltra quod faciat, nisi eos brachio sæculari flammis tradendos relinquere. Tertiò, quia si iudices sæculares possent cognoscere de causis & sententiis dominorum Inquisitorum, & iudicum Ecclesiasticorum, in iis criminibus, de quibus iudices Ecclesiastici cognoscere possunt, iam ipsi essent superiores iudicibus Ecclesiasticis contra totum titulum de maioritate, & obedientia. Quartò, quia sententia Inquisitorum coram Clero, & populo publicè profertur relatis breuiter totius causæ actis, ex quo fit non posse iudices sæculares sine graui scandalo præsumere eam fuisse nullam, imò, & cum consilio grauissimorum, & peritorum hominum fuisse prolatam; vnde difficillimè possunt esse de nullitate suspectæ prædictæ sententiæ, vt patet ex cap. *Si eo tempore de rescript. lib.* 6. & ex Archidiacono, Ioanne Andrea, & Dominico *l.* 4. §. *Condemnatum de re iudicata*; quare in Hispania, & Lusitania nihil tale inueniri, timeri, 18.

Simanc.
Bald.
Angel.
Abbas.
Anchar.
Salicet.
Dec. Purp.
Imol.
Alciat.
Afflict.
Albert.

aut

aut suspicari quidem potest, & quia Inquisitores eliguntur viri prudentes, & eruditi, & quia omnia cum consilio peritorum, & probatissimorum virorum agunt, & consultissimè, & rectissimè iudicant. Vnde manifestum manet teneri iudices laicos statim eorum sententias exequi absque inspectione actuum illorum, nec vllo modo posse hanc cognitionem iudices sæculares sibi vsurpare.

19. Nec obstant iura quæ allegant, vt caput *Principes*, & caput *Regum*, & caput *Administratores* 23, *quæst*. 5. in quibus Reges, & Principes sæculares, patres communes appellantur, & defensores innocentium, & eorum qui vi contra ius naturale opprimuntur; nam hic non est timendum huiusmodi reos vi opprimi à dominis Inquisitoribus, vt dixi. Deinde quia caput *Principes* deductum est ex D. Isidoro *lib. de summo bono cap.* 53. (D. Isidor.) & in eo capitulo sermo est de ea vi, quam hæretici Ecclesiæ inferebant, & iubetur Principibus, vt Ecclesiam vi oppressam ab hæreticis defendant quando à pastoribus illius fuerint requisiti, *vt qui intra Ecclesiam positi contra fidem agunt, rigore Principum conterantur*, id est, vt hæretici baptizati, quos Ecclesia punire non potest propter eorum potentiam, puniant Principes sæculares, tamquam defensores, & protectores ipsius Ecclesiæ innocentis, & vi oppressæ, quando ad id ab Ecclesia fuerint requisiti. Caput *Regum* deductum est ex D. Hieronymo *in cap.* 22. *super Ieremiam*, (D. Hieron.) & loquitur de viduis, & peregrinis, atque miserabilibus personis, quas potentiores opprimebant; & asserit ad Episcopos, & sacerdotes spectare primò has personas miserabiles defendere, & in defectu illorum ad Reges, & Principes sæculares. Vnde, vt ibi adnotat glossa, ad vtrumque iudicem Ecclesiasticum, scilicet, & sæcularem pertinet hos miserabiles, & vi oppressos defendere. Voluit itaque D. Hieronymus, vt tam iudices sæculares, quàm Ecclesiastici, quasi contracta manu, in defensionem miserabilium conspirarent, quapropter loquitur de sæcularibus oppressis à sæcularibus, & ideo nihil ad rem præsentem. Caput *Administratores* solùm asserit ad Principes sæculares pertinere defensionem Ecclesiarum & non cognitionem causarum & sententiarum iudicum Ecclesiasticorum, idque quando fuerint requisiti ab Episcopis, & Ecclesiasticis viris, quod perinde est ac quando ab iis auxilium brachij sæcularis postulauerint.

20. Sed quoniam quoties in his veneficis, strigibus, aut ariolis, vel hæresis vel suspicio illius inuenta fuerit, statim remittendi sunt ad dominos Inquisitores; videndum est quando censeantur huiusmodi personæ de hæresi suspectæ, vt teneantur alij iudices eas ad dominos Inquisitores remittere, & alij de illis coram ipsis dominis Inquisitoribus denunciare. Et breuissimè respondeo ex his quæ doctores hac de re agunt, has duas regulas deduci posse, vt notat Suarez *tom.* 1. (Suar.) *de Relig. lib.* 2. *de superst. cap.* 19. *num.* 10. Prima est, quoties magæ, striges, aut malefici vel diuini inuocant dæmonem, aliquid ab eo postulando, quod à solo Deo cognosci potest, datur vehemens suspicio hæresis, quia nemo petit ab aliquo, nisi quod credit ipsum facere posse; credere autem dæmonem, posse facere quod solius Dei est proprium facere, suspicionem ingerit, quod qui credit eum pro Deo habeat.

Secunda regula est, si in pacto, & amicitia cum dæmone intercessit adoratio illius per latriam, vehemens generatur suspicio hæresis, quia hæc adoratio de se est infidelitatis protestatio, & ostensio: immò etiam si sit per solam duliam, eadem suspicio generatur; quia talis cultus indicat credere huiusmodi veneficas dæmonem non esse miserabilem; sed esse dignum alicuius cultus & honoris, quod hæreticum planè est, ac subinde ipse duliæ cultus, signum etiam est alicuius infidelitatis & protestatio illius. Item crescit hæc suspicio si in pacto cum dæmone interueniat exterior fidei abnegatio, vel renunciatio Christi, aut Sacramentorum, vel rerum sacrarum, & tanto maior erit hæresis suspicio, quanto hæ res fuerint sacratiores, præsertim si fuerit Eucharistia; quando verò nihil horum interuenit, & præsertim si pactum non sit expressum, sed tantùm implicitum, cessat dicta suspicio, & ideo nec sunt remittendæ ad dominos Inquisitores, nec coram illis denunciandæ. Ita Castro *lib.* 1. *de iusta hæret. punit. cap.* 13. 14. 15. *&* 16. (Castro.) Simancas *de cathol. Inst. titulo* 21. *à num.* 10. *& titulo* 62. *num.* 2. (Simanc.) *&* 3. *& titulo* 63. *num.* 24. *&* 29. Iulius Clar. *lib.* 5. *sent. §. hæresis num.* 24 *&* 25. (Iul. Clar.) vbi alios refert Eymiricus *in directorio Inquisit. part.* 2. *q.* 42. *&* 43. (Eymir.) & ibi Peña referens plures *commentario* 67. *&* 68. (Peña.) & Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de superstit. cap.* 19 *num.* 10. (Suarez.)

Sed dubium est, an lamiæ, & striges, quæ infantes occiderunt, tradendæ sint per dominos Inquisitores, & iudices Ecclesiasticos iudicibus sæcularibus propter homicidia, seu infanticidia ab ipsis perpetrata, etiam si verè resipiscant, & conuertantur? 21. Negat omnino Simancas *de catholicis Inst. titulo* 37. *num.* 17. (Simanc.) quia non nisi propter hæresim possunt Inquisitores veneficas, & striges brachio sæculari relaxare: vnde etiam si mille infantes occiderint, eas illis relaxare non possunt. Primò, quia Inquisitores non possunt claudere gremium Ecclesiæ, nisi hæreticis pertinacibus; quare si ab hæresi ad fidem reuerti voluerint, recipiendæ sunt. Secundò, quia nullibi in iure id statuitur, & ideo nullo modo ab irregularitate poterunt, si hoc fecerint, excusari, & cum Simancas idem docet Albertinus *de agnoscend. proposit. cath quæst.* 25 *num.* 66. (Albert.) vbi hanc quæstionem diligenter versat, ac discutit.

Si tamen sæcularis iudex comprehendit maleficam propter infanticidium, aut frugum perditionem, excantationemque, & postea ex causa illi constitit eam esse hæreticam; quambrem remisit illam ad dominos Inquisitores, vt de causa merè Ecclesiastica criminis hæreseos cognoscerent, peracto iudicio hæresis, etiam si conuertatur, debent domini Inquisitores eam maleficam iterum restituere iudici sæculari; vt aliorum criminum cæptum iudicium iuxta leges ciuiles peragat. 22. Ratio est, quia cognitio criminis infanticidij, & frugum excantationis ad sæculare iudicium tantùm spectat; quia fuit præuenta iurisdictio. Ita docet Simancas *de Cathol. Inst. tit.* 27. (Simanc.) *num.* 19. Mansuetus *in pract. forensi titulo de remissione prope finem. l. solemus §. vltimo de iudic.* (Mansuet.) *cap.* 2. *de priuileg. capite, Cum ad verum. capite, Duo sunt dist.* 96. Castro *lib.* 2. *de iusta hæret. punit. capite* 16. (Castro.) omnes citati à Simancas loco allegato.

CAPVT XLV.

An peccatum Lamiarum sit reseruatum, & an confessarij petita, & non obtenta licentia possint absoluere à reseruatis ob potestatem præsumptiuè à maiori superiore concessam.

SVMMARIVM.

De iure communi præter dispensationes votorum, & irregularitatum, & præter absolutionem nonnullarum excommunicationum; quæ propriè non sunt peccata, sed pœna, nulla sunt peccata reseruata. num. 1. & 2.

Quid de communi consuetudine omnium diœcesum. num. 3.

Quid de consuetudine vniuscuiusque diœcesis. n. 4. & 5.

An liceat Religiosis si in religione non possint habere copiam confessarij pro reseruatis contritus communicare, & celebrare. num. 6.

Prælatus Religionis non potest iuuari ex notitia confessionis ad actus regiminis externi. num. 7.

Sola verecundia, quam habet pœnitent accedendi ad superiorem pro absolutione à reseruatis, non est sufficiens causa, vt superior licentiam absoluendi illum alteri concedat. num. 8.

Quid si timeat graue damnum à superiore, & quale. num. 9.

In casu quo subditus licitè potest communicare contritus absque absolutione a reseruatis, tenetur omnia sua peccata reseruata, & non reseruata ordinario confessario confiteri, qui eum directè à non reseruatis absoluet, à reseruatis indirectè, & cum obligatione quærendi remedium, quo directè ab illis absoluatur. num. 10. 11. & 12.

Quomodo se gerere debeant superiores Religionum in vsu concedendi licentiam ad absoluendum à reseruatis. num. 13. & 14.

Si superior neges pio confessario licentiam instanter, & sæpe petitam, & non obtentam ad absoluendum aliquem subditum à reseruatis, non potest huius confessor illum absoluere ab ipsis reseruatis prætextu tacitæ voluntatis à maiori superiori in eo casu concessæ. num. 15.

1. VEL loqui possumus de reseruatione circa veneficia, & peccata strigum, & lamiarum; quæ facta sit de iure communi: vel de consuetudine etiam communi vbique recepta, vel de iure vniuscuiusque diœcesis, & religionis, & per hæc omnia breuiter discurremus.

2. De iure communi iam dixi in primo tomo, quem edidi in quinque præcepta Ecclesiæ *lib* 8. secundi præcepti *cap.* 2. *num.* 7. nulla esse peccata reseruata; quod idem docet Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disput.* 29. *sect.* 3. *num.* 6. Toletus *lib* 3. *summæ cap.* 14. §. *Tertium est.* & Nauar. *cap.* 27. *num.* 262. & Graphis *lib.* 1. *decision. aur. cap.* 13. *num.* 65. qui omnes asserunt, & nos etiam asseruimus præter dispensationes votorum, & irregularitatum, & præter absolutiones nonnullarum excommunicationum, quæ in iure communi Episcopis reseruantur, & quæ, propriè loquendo, non sunt peccata reseruata, sed sunt pœnæ peccatorum, quæ pertinent ad iurisdictionem fori potiùs externi, quàm interni, nulla esse in iure communi peccata reseruata, vt ibidem latè probauimus.

Suarez. Tolet. Nauar. Graph.

3. De communi etiam consuetudine vbique, & in omnibus diœcesibus recepta nihil ferè constat, nam licet Syluester *verbo*, *Casus*, *num.* 4. & Nauarrus *in summa Latina cap.* 27. *à num.* 262. & Angelus, & Armilla *verbo*, *Casus.* & Viualdus *in candelabro aureo*, vbi de absolutione. *num.* 54. & Graphis *lib.* 1. *decision. aur. cap.* 13. *num.* 65. dicant de consuetudine communi vbique ferè terrarum recepta, hos quinque casus esse Episcopis reseruatos, videlicet, homicidium voluntarium, & consilium vel auxilium ad illud, secuto effectu, peccatum falsarij, qui falsificat quascumque scripturas cum præiudicio tertij, vel illas in iudicio præsentat, & non loquitur de falsificatione litterarum Ecclesiasticarum; quia hoc peccatum iam erat reseruatum in Bulla Cœnæ; sed de falsificatione quarumcumque scripturarum in præiudicium tertij. Tertium est peccatum violationis immunitatis Ecclesiæ. Quartum veneficia, sortilegia, & diuinationes. Quintum peccatum violationis personæ Ecclesiasticæ. Tamen cum de hoc non constet, nec huiusmodi DD. ausi sint affirmatiuè asserere hanc esse communem consuetudinem, sed esse ferè communem; nihil de hoc certum habere possumus, & ideo consulendæ vniuscuiusque regionis consuetudines. 4.

Syluest. Nauar. Angel. Armil. Viuald. Graph.

De iure autem vniuscuiusq; diœcesis videndæ sunt cõstitutiones synodales, vt sciamus quæ peccata in qualibet reseruata sint; in omnibus enim, quas vidi, peccatum veneficorum reseruatur.

5. Inter vndecim peccata, de quibus egimus *in tom.* 1. *in quinque præcepta Ecclesiæ cap.* 2. *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 3. quæ ex decreto Clementis VIII. in Religionibus reseruari possunt; vnum est, veneficia, incantationes, seu sortilegia: quid autem nomine isto comprehendatur, ibi fusiùs explicauimus, quare ibi videri poterunt *à num.* 7. neque enim fas est, ea quæ sunt iam tractata, iterum explicare.

6. Sed dubium est, an quando in monasterio peccatum hoc veneficiorum, vel quodlibet aliud reseruatum est, & ex statuto, vel consuetudine illius certo mensis, vel hebdomadis die Eucharistia est accipienda, nec haberi potest confessarius pro reseruatis, liceat præmissa contritione sacrificare, aut communicare. Respondeo casum esse in religionibus moraliter impossibilem, semper enim in illis præsens est superior, qui poterit subditum de reseruatis audire, aut dare licentiam aliis religiosis prudentibus, & maturioribus, vt illum audiant; quod si superior motus sufficientibus rationibus frequentis reincidentiæ, relaxationis disciplinæ religiosæ, aut damni aliorum, eam noluerit concedere nisi sub ea conditione, vt sibi pœnitens præsentetur, poterit id iustè efficere, & non poterit subditus pœnitens contritus communicare, aut celebrare, & tenetur se illi præsentare, si nihil aliud timeat, quàm verecundiam, aut diligentiorem custodiam sui, quantum sigilli obseruatio permittet, quia tunc non timet malum, sed bonum, in quo timore omnino irrationabilis est. At Graphis *lib. de casibus reseruatis. cap.* 10. *num.* 2. quem citat ac sequitur Coriolanus *de casibus reseruatis*, *part.* 1. *sect... artic.* 17. *num.* 15. asserit non teneri subditum superiorem adire pro reseruatis, si suspicetur, quòd eum postea toruis oculis aspiciat: at melius cum Syluestro contrarium. Ita tenet Graph. Coriol.

Suarez

(Suarez.) Suarez *tom. 4 de pœnit. disp. 27. sect. 4. num. 4. & eadem disp. sect. vlt. num. 22.* vbi in vltimo loco dicit solam verecundiam, quam pœnitens adeundi superiorem haber, si aliud incommodum non interueniat, non sufficere, vt contritus ad communionem accedat; & idem docet Victoria *de confessione num. 146.* & Ludouicus de Miranda *in directorio Prælator. Regular. tom. 2. quæst. 34. art. 10. versu, secunda limitatio.* & nos id latè probauimus eum multis *in tomo in quinque præcepta Ecclesiæ in 2 præcepto lib. 8. cap. 3. à numero 6. folio 530. col. 2.* (Suarez.) & ratio est, quam reddit Suarez *dicto tom. 4. de pœnit. disp. 30 sect. 4. num. 5. §. secunda conclusione, & num. 7.* quia superior non semper tenetur hanc facultatem ad absoluendum à reseruatis alteri dare; quia aliàs ferè nullius momenti esset reseruatio, & in speciali hoc euidentissimum erit, si moraliter timeat talem facultatem non esse futuram vtilem pœnitenti; sed potius facilitatem concedendi illam futuram esse illi occasionem reincidendi, & maximè si peccatum tale sit, vt vergat in damnum communitatis, vel alterius tertiæ personæ, cui poterit Prælatus remedium adhibere si illius notitiam habeat, seruato confessionis sigillo; in his enim, & similibus casibus tantum abest vt teneatur, vt non possit licitè superior faaultatem dare.

7. Dixi, *seruato confessionis sigillo*, quia, vt probauimus *tomo in quinque præcepta Ecclesiæ, in præcepto 2. lib. 6. cap. 3. à num. 1.* nullo modo potest Prælatus Religionis ex notitia confessionis iuuari ad regimen externum v.c. ad mutationem ab officio, ad negationem suffragij, ad aliquod munus; (Bañez. Sanchez. Armilla. Suarez. Coninck.) & ita docet Bañez *2. 2. quæst. 33. art. 8. in fine §. ad confirmationem respondetur.* Sanchez *lib. tertio de matr. disp. 16. num. 4.* Armilla *verbo, confessor. n. 7.* & Suarez *tom. 4 de pœnis. disp. 33 sect. 7. num. 4* noster Ægydius *de sacramentis disp. 8. de ministro sacram. pœnit. dub. 14. num. 108.* (Delrio. Valentia.) Delrio *lib. 6. disquisit. mag. sect. 2.* & Valentia *tom. 4. disp 7. quæst. 13. puncto 3.* & auctor adnotationum ad Toletum, *lib. 3. summæ cap. 16. §. confessario nunquam.* Et certè in nostra Religiooe Societatis IESV, vsus notitiæ confessionis ad regimen externum omnino prohibetur ex decreto Reuerendi admodum Patris Claudij Aquæuiuæ anno 1590. prohibuit enim contrariam doctrinam publicè, aut priuatim doceri, huiusque notitiæ vsum, & tandem sic concludit: *Ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant cõfessarij, ac si in confessione nihil audiuissent, sibique persuadeant, vt humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissimè distat, ita debere nullatenus ab eo pendere*; imò noo solùm in nostra Societate ex præfato decreto; sed etiam, vt ait (Suarez.) Suarez *dicto tom. 4. de pœnit. disp. 33. sect. 7. num 4. in edit. Conimbricensi*, videtur hic vsus in omnibus Religionibus generatim à Clemente VIII. prohibitus; nam in decreto de casibus reseruatis pro religiosis edito, sic inquit: *Tam superiores pro tempore existentes, quàm confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur*; atque ita per quoscumque regularium superiores obseruari mandauit. Vnde, inquit Suarez, cum Summus Pontifex indistinctè loquatur, non est cur hoc limitetur; sed simpliciter obseruandum est tale mandatum. Et ratio est, quia confessarius post confessionem, non potest loqui cum pœnitente de rebus in confessione auditis, nec ei licet pœnitentem verbis corripere, aut peccatum illi obiicere; ergo nec factis; est enim id occasio, vt homines retardentur à confessione, quia fiet valde onerosa pœnitentibus, quas rationes affert Suarez ibidem.

8. Licet solus timor verecundiæ in pœnitente non sit satis, vt superior teneatur concedere subdito facultatem vt ab alio absoluatur, bene tamen (Nauar.) docet Nauarrus *in capite, Placuit num. 149.* solam verecundiam pœnitentis esse aliquando sufficientem causam, vt hæc facultas danda sit, cui (Ægid.) subscribit Ægydius *de sacramentis disp. 8. de ministro sacramenti pœnit. dub. 14. num. 109. conclus. 1.* dum ait teneri superiorem ex officio hanc licentiam petenti concedere, quoties credit quod subditus non sit confessurus, aut non integrè confessurus, quamuis hoc proueniat ex sola inordinata illius verecundia, aut alia apprehensione ipsius (Coriol.) inferioris, & idem tradit Franciscus Coriolani *de casibus reseruatis part. 1. sect. 1. art. 17. num. 2.* & (Rodrig.) Emanuel Rod. *tom. 1. summæ cap. 184. num. 16.* vbi id ipsum tenet. Non erit vt dixi satis subditi verecundia, vt superior teneatur concedere prædictã facultatem iuxta Ægydium, si constet superiori peccatum subditi vergere in scandalum, aut detrimentum aliorum; quod aliter impediri non possit, nisi superior illud sibi reseruaret, si hoc modo speraret se posse omnino illud impedire, saluo, sartoque sigillo confessionis, vel crederet eiusmodi concessionem cessuram in aliorum perniciem, qui inde sumerent occasionem faciliùs peccandi ex spe similis facultatis obtinendæ; tunc enim magis tenetur prospicere multorum saluti, quàm vnius, & consequenter hanc facultatem negare, vt iam suprà dixi.

9. Si tamen subditus iustissimè sibi timet graue scandalum, & graue damnum spirituale, vel temporale, vt quod eum superior infamabit, vel ad peccandum in confessione solicitabit, vel quod confessionem illius manifestabit, aut odium in se concipiet, aut aliqua bona magna spiritualia, vel temporalia impediet, quæ consequi sperat, & quòd in electione aliqua non sibi præstabit suffragium, & non sit præsens alius superior maior ad quem pro licentia reseruati recurrere possit; tunc quidem poterit cum prædicto casu reseruato, imò, & cum excommunicatione, & irregularitate, verè contritos communicare vel celebrare, (Sotus. Cou. Ledesma. Syluest.) vt docent Sotus *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 5. §. Hoc autem dubium.* Couarruuias *in capite, Alma mater 1. part. §. 2. num. 11.* Ledesma *24. quæst. 25. artic. 1. circa finem.* Syluester *verbo, Eucharistia 2. quæst. 7. num. 9. §. Si verè ad finem numeri*; & (Nauarr.) Nauarrus *cap. 27. num. 239.* vbi asserit licere irregulari ex homicidio facere sacrum post debitam contritionem, & confessionem ante dispensationem, si probabiliter credit se infamatum iri, si illud non efficiat, & nullam ob id incurrere pœnam, & mooiali incidenti in censuram Papalem occultam ante absolutionem communicare, & interesse choro, si periculum sit, quod fama eius (Castro. Miranda.) periclitaretur. Castro *lib. 2. de lege pœnali cap. vltimo*; Ludouicus de Miranda *tom. 2 directorij Superiorum Regular. quæst. 34. art. 10. in medio initij.* (Sotus.) & iuxta hanc doctrinam intelligendus est Sotus *in 4 dist. 12. quæst. 5. art. 4. §. Quartus casus*, vbi dicit in nullo casu nec ad vitandum scandalum licitum esse excommunicato celebrare, quod intelligi debet, vt animaduertit prædictus Miranda allegatus, quando scandalum fuerit paruum & exiguum; secus si fuerit maximum, indéque magnum periculum timeatur. Et ratio est, quia

præceptum non scandalizandi proximum & vitandæ infamiæ est diuinum & naturale, ac proinde fortius, ac vrgentius, quàm præceptum non communicandi, aut celebrandi cum excommunicatione præmissa debita contritione, quod tantùm est humanum: quando autem duo præcepta simul seruari non possunt, seruandum est fortius, & vrgentius, relicto minus forti & vrgenti.

10. Tenetur tamen Religiosus in omnibus occasionibus, in quibus habet casus reseruatos, & superior non vult petenti confessario licentiam concedere, vt eum absoluat, quando hæc grauissima sibi detrimenta probabiliter timet, de quibus numero superiori egimus, præmissa debita dispositione, omnia sua peccata tam reseruata, quàm non reseruata confiteri, & ipse confessarius eum absoluet directè à non reseruatis à quibus potest absoluere, indirectè verò à reseruatis; & postea tenebitur recurrere ad maiorem superiorem pro directa absolutione à reseruatis, & ab excommunicatione, & pro dispensatione irregularitatis, si irregularis erat, qui eum à reseruatis directè absoluet, vt docet Syluester *verbo, Confessio* 1. *num.* 2. §. 19. Soto *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. Caietanus *verbo, Confessio. conclusione* 10. Lud. de Miranda *tom.* 2 *directorij superior Regular. quæst.* 23. *art.* 11. *initio.* Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 8. *art.* 1. *dub.* 4. quos omnes citat idem Miranda ibi, & deducitur ex Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 47. §. 3. & §. *Quartus casus*, & §. *Ex his sequitur.* Vbi duos tantùm casus numerat, in quibus censeri possit deesse copia confessarij. Primus est, cum vnus tantùm confessarius adest, & timet pœnitens eum non obseruaturum sigillum, vel aliud grauamen multum, dummodo sit verum periculum, & non habeat alia peccata mortalia; nam si habeat, vult ea priùs esse confitenda. Secundò, cum quis habet reseruatum & non potest superiorem adire, aut facultatem ab eo petere, & in hoc etiam casu si præter reseruatum habet alia peccata mortalia, probabilius putat teneri omnia confiteri. Primus casus in religione vix euenire potest, sunt enim prælati illius viri pij, & prudentes, qui rationem sigilli, & famæ subditorum integrè, & inuiolatè custodire sciunt.

Syluest. Soto. Caiet. Mirand. Ledesm. Suar.

11. Ex quo sequitur, non deesse copiam confessarij quando religiosus habet aliquem casum reseruatum, & superior non vult concedere pro confessario licentiam, vt subditum absoluat, nisi sub ea conditione, vt sibi præsentetur; iustissimè enim eam conditionem potest ponere, imò poterit superior ei nominare virum, aut viros pios, doctos, & confidentes suæ religionis, de quibus maiorem habeat confidentiam, qui eum absoluant, vt docet Ægygidius *de sacramentis disp.* 8. *de ministro confessionis sect.* 14 *n.* 112. *fol. mihi* 485. *col.* 1. Suar. *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 30. *sect.* 4 *n.* 11 & Ludou. de Mirand. *tom.* 2. *directorij Prælat. Regul. q.* 34. *art.* 9. vbi affert statutum quoddam ordinis Minorum factum in capitolo generali in conuentu Palenzuelæ anno Domini 1470. qui tunc erat Prouinciæ Conceptionis, & nunc est Prouinciæ Castellæ. Quod sic habet; *Prælati non leuiter, sed aliquibus fratribus maturis, & discretis committant casus sibi reseruatos, eosdem quibus commiserint fulciendo fidelibus consilijs, pro vt secundum Deum salutis animarum viderint expedire.* Nam reseruatio peccatorum ad hoc fit, vt grauiùs corripi, & meliùs subditi emendari possint, ad quod necesse est, vt iudicio grauioris personæ, doctioris, & melioris delicta subditorum. Vnde quamuis superior cedat iuri suo committendo casum alteri, semper tamen habet ius committendi illum personæ confidentiori, prudentiori, & proportionatæ tali causæ, vt notat Suar. *d. tom.* 4. *de pœnit. disp.* 30. *sect.* 4. *n.* 11. Suarez. & sæpe contingere potest, quòd persona quam pœnitens designat, & per quam licentiam petit, superioris iudicio talis non sit, ergo non est obligandus superior, vt id concedat nec potest subditus iustè conqueri, aut eandem difficultatem respectu aliorum, qui illi à superiore designantur, allegare: vnde non probo sententiam Francisci Coriol Capuc. *de casib. reseruatis* 1. *p. sect.* 1. *art.* 17. *n.* 14. vbi sic ait: *Quando verò confessarij à superioribus facultatem petunt pro casu aliquo reseruato, & superiores renuunt, tunc pro illa vice possunt confessarij absoluere suos pœnitentes, etiam non obtenta à superiore facultate, vt habetur in decretis generalibus ad regularium reformationem nuper editis, & publicatis à Sanctissimo D. Nostro Papa Paulo V.* Hæc ille. Nam nobis non constat an hoc prædictum decretum sit vbique receptum, nec etiam nobis constat an superiores religionum, aut saltem aliquarum aliquid proposuerint Sanctissimo, & propter hoc fuerit pro omnibus, aut pro aliquibus suspensum, cum non reperiatur in bullario.

Conínch. Suar. Mirand.

12. Ex dictis infertes non bene ab aliquibus intelligi Suar. *tom.* 4. *de pœnit. disp* 34. *sect.* 4. *n* 15. vbi ait. *Ordinare antecedenter confessionem subditi sibi fieri, vt per illam accipiat notitiam aliorum quos possit corrigere, periculosum est, ideoque cauendum; duobus enim modis id fieri potest, primo, cogendo moraliter subditos, vt sibi confiteantur, vel præceptum illis imponendo, vel totam iurisdictionem ad se reuocando, & hoc sine dubio est valde violentum, & tyrannicum (vt sic dicam) in hoc foro, quia non potest non reddere confessionem odiosam, & valde onerosam, exponitque subditos periculo morali committendi sacrilegia, & tacendi peccata in confessione, propter quod Sanctiss. Dominus N. Clemens VIII. in decreto de casuum reseruatione pro regularibus §. 2. dixit. Non liceat superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet sponte, aut proprio motu id ab eis petiuerint.* Et paulò post addit infrà. *Alio modo posset hoc fieri non necessitatem imponendo, sed suadendo, consulendo, aut petendo:* (scilicet, vt subditi sibi confiteantur vt possint complices, corrigere.) *Et in hoc minus quidem periculi est: tamen quia superioris suasio, aut petitio solet esse moralis coactio, ideo hoc etiam vitandum est, imò videtur prohibitum à Summo Pontifice in verbis citatis:* si attentè expendantur verba illa. *Aut sponte & proprio motu id ab eis petiuerint.* Nam loquitur ibi Suarez quantum ex illo conijci potest, de illis superioribus, qui volunt iuuari ex notitia confessionis ad corrigendos cumplices illius subditi, qui sibi confitetur, atque adeo ad actus regiminis externi, quod omnino prohibitum est, vt probauimus *num.* 7. non negat tamen Suarez, nec Summus Pontifex Clemens VIII. posse superiores, non concedere aliquando licentiam subdito, eam per aliquem sacerdotem petenti, nisi sub ea conditione vt sibi præsentetur, quando nihil mali subditus sibi iustè timere potest, imò id expressè fatetur, vt patet ex verbis, quæ affert Clemens VIII. *Non liceat superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte,*

aut

proprio motu id ab eis petiuerint. Non loquitur ibi Summus Pontifex disiunctiuè. & expressè dicit licitum esse superioribus confessiones subditorum audire. Primò, quando habuerint reseruata, & nihil sibi iustè timent subditi; ita enim intelligenda sunt verba, vt patet. Secundò, quando id subditi ab ipsis postulauerint.

13. Nec obstant primò verba constitutionis Pij V. in quadam bulla, quæ incipit. *Romani Pontificis circunspecta benignitas*, vbi prohibens, ne fratres ordinis Prædicatorum possint eligere confessorem & absolui à peccatis reseruatis vittute Bullæ Cruciatæ sine suorum superiorum licentia, addit: *Eisdem tamen in vsu huiusmodi potestatis cum sibi subditis benignos, & faciles se exhibeant, præcipimus.* Vbi notandum est verbum illud, *præcipimus*, quod præceptum importat, & cum sit in materia graui, mortaliter videntur peccare superiores si in huiusmodi licentiis se præbeant difficiles, non potiùs benignos, & faciles. Nec etiam obstat Soto *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. §. Circa tertium*; & Syluester *verbo, Confessor. 1. num. 13.* & D. Thom. *in 4. dist. 17. quæst. 3 art. 3. quæstiuncula 4. ad 6.* asserentes debere, imò teneri superiorem inferiori petenti licentiam alteri confitendi præbere se facilem; & D. Thom. ibi hæc addit. *Vnde illi superiores, qui sunt nimis solliciti, vt conscientias subditorum per confessiones sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibi ipsis.* Nam id intelligendum est, vt optimè notat Ægydius *de sacramentis disp. 8. dub. 14. n. 111. folio mihi 484* quando superior non habet iustas causas, & rationes in contrarium ad illam negandam, quia tunc communiter grauius malum oritur ex negatione, quàm ex concessione: semper autem habet iustam causam negandi, quando superior timet frequentem reincidentiam aut aliorum infectionem, non enim superiores ita faciles esse tenentur, & saluris animarum suorum subditorum parum soliciti, vt in alterum extremum sua facilitate, hoc est, in relaxationem disciplinæ religiosæ sui ordinis incidant, & sic non teneotur facilè id cuilibet sacerdoti petenti absque delectu, & discrimine committere; sed prudentioribus & maturioribus de quibus maiorem confidentiam habeant, vt optimè etiam notat frater Ludouicus de Miranda *tom. 2. directory Prælator. Regul. quæst. 24. artic. 9* & ad id affert decretum generale sui ordinis Minorum editum anno 1470. de quo suprà egimus, quod habet. *Vt prælati non leuiter, sed aliquibus fratribus maturis, & discretis committant casus sibi reseruatos, eosdem quibus commiserint fulciendo fidelibus consilijs, prout secundum Deum saluti animarum viderint expedire.*

Soto. Sylueſt. D.Thom. Conink. Miranda.

14. Suarez. Non obstant secundò verba illa Suarij *dicto tom. 4. de pœnit. disp. 30 sect. 4 n. 9.* in medio numeri. *Imò licet aliquando superiori videatur interuenire rationem ad negandam facultatem, si tamen aliunde ex relatione alterius, vel alia via, ei constiterit subditum nullo modo velle superiorem adire, nec alijs remedijs tentatis* (hoc est, vt confiteatur vito graui à superiori assignato) *ad id posse induci, tunc superior nunquam debet negare facultatem, nec potest licitè, excepto illo casu de damnificatione aliorum, quia non obstante quacumq; ratione occurrente, & pensatis omnibus tunc id magis expedit, imò & necessarium est, & iuxta leges charitatis. Item, quia reseruatio hæc est quædam medicina subditi, ergo si cum rigore applicata cedat in perniciem eius, cui applicatur, temperanda est, ideoque facultas concedenda. Vnde Nauarrus dicto cap. Placuit. num. 149. ait solam verecundiam nimiam pœnitentis esse aliquando sufficientem causam vt hæc facultas danda sit.* hæc ibi Suarez. Non obstant, inquam, hæc verba. Primò, quia in illis expressè excipit casum infectionis aliorum, ibi: *Excepto illo casu de damnificatione aliorum.* Secundò, quia quando nullum sibi graue damnum subditus timet præter verecundiam, quam habet confitendi superiori, vel illi, quem superior ei assignat; est irrationabilis, nec superior cum periculo aliorum ad amplius tenetur, alioquin nullius fere momenti esset reseruatio, vt ex eodem Suar. diximus *n. 6.* Tertiò, quia hæc medicina est moralis, & conuenienter applicatur, & ex verecundia pœnitentis prouenit, quòd in damnum illius vertatur. Si tamen timeat superior quòd ex negata licentia subditus in desperationem illius obtinendæ adactus, faciliùs alios corrumpet; tunc quidem iam non agitur de remedio voius; sed de auertendo malo, & impediendo periculo aliorum, & in eo casu tenebitur eam licentiam dare. Nec obstat quòd videatur indignus misericordia, qui in eo proposito non confitendi est, cumad id teneatur, ac proinde est in statu peccati; nam obtēta facultate potest se disponere, & de illamet culpa pœnitere, verèque dolere, & hoc clarè docet Suarez *tom. 4. de pœnit. dicta disp. 30. sect. 3. num. 10. ad finem*, ibi: *Imò prudens superior debet præcauere, nec inducat subditum in huiusmodi quasi desperationem, & aliquando potius hoc ipsum illi ad culpam imputari, si ob negatam facultatem subditus temerarium voluntatem, ac propositum concipiat; deinde dico, etiamsi subditus in eum statum deueniat, dandam omnino ei esse hanc facultatem, vt remedium aliquod illi malo adhibeatur, nam licet durante illo proposito subditus sit indispositus ad absolutionem; tamen obtenta facultate potest se disponere, & de illamet culpa dolere, eamque cum alijs confiteri*; hæc ille, & id ipsum docere videtur Ægydius *de sacramentis disput. 8. dub. 14 num 109. fine.* Suarez. Conink.

Huic dubio affine est illud, an cùm superior alicuius domus, negat pio, ac religioso confessario facultatem absoluendi suum subditum ab aliquo reseruato, sæpe, & instanter requisita, petita, & negata licentia, eo ipso, possit illum absoluere ex tacita voluntate, & concessione facultate maioris superioris, nempe Prouincialis, Generalis, vel etiam Papæ? Quidam videntur affirmate quibus videtur fauere Henriquez *lib. 5. de Pœnit. cap. 13. num. 6. & cap. 15. num. item 6.* Rodtig. *tom. 1. summa cap. 55. §. In octaua conclusion*; qui sequitur opinionem Henriquez, qui in priori loco duas adhibet limitationes. Prima est, si subditus timet malum graue ex eo quòd suo Prælato peccatum reseruatum confiteatur. Secunda est, si Prælatus inferior iniustè negat licentiam, quia tunc maior Prælatus iniustè negatam iustè eam videtur concedere, & idem absoluté nulla adhibita limitatione docet Coriolan. citatus *n. 11. de reseruatis part. 1. section. 1. artic. 17. num. 41.* Verùm ista sententia periculosa omnino est, & improbabilis, aduersaque disciplinæ religiosæ; nam vnde constabit quòd maior superior eam licentiam de facto concessit? Profectò id certò constare non potest, quare cùm certum sit ratihabitionem de futuro non sufficere quoad vsque aliquid circa hoc negotium per Ecclesiam declaretur, nullo modo id erit asserendum; neque etiam dicendum est iniustè superiorem localem negare licentiam; quando iudicat ad maiorem 15. Henriq. Rodtig. Coriol.

profe

profectum spiritualem pœnitentis, & bonum religionis eam daodam non esse.

16. Sed oon deetunt aliqui, qui id velint confirmare his argumentis (propter quæ nubis probabilis visa fuit opinio Henriquez, Rodriguez & Coñnlani *in tomo de preceptis Ecclesiæ*, quamuis illam non secuti simus; sed nunc re meliùs coosiderata, nec probabilis quidem videtur.) Primò, quia non minus est reseruatum in religione quodlibet peccatum superioribus illius, quàm sit reseruatum votum simplex castitatis Papæ, & tamen quando res vrget, & in casu magnæ necessitatis propter paupertatem contrahentium, aut periculum animarum in mora, aut vitandum scandalum, poterit Episcopus ex tacita voluntate Papæ dispeosare io tali voto ad contrahendum, quia in eo casu censetur eam licentiam ad dispensandum ei concedere, vt tradit
Sanchez. Sanchez *lib. 2. de matrim. cap. 40. num. 7.* &
Nauarr. Nauarrus *in summa cap. 12. num. 76.* ergo etiam vrgente periculo manifestationis pœnitentis, & scandali aliorum, nisi die consueto communicet, poterit pius, ac religiosus confessarius huiusmodi pœnitentem absoluere ex tacita voluntate, & concessiooe maioris superioris, qui instanter petita, requisita, ac negata licentia eam censetur concedere, ne reseruatio, quæ in bonum religionis, & animarum subditorum facta est, in illarum perniciem vertatur. Secundò, quia Episcopus ex voluntate tacita, & coocessione Summi Pootificis potest dispensare io impedimento dirimente matrimonium ex grauissima causa, vt docet Sanchez *lib. 2. de matrimonio loco allegato*; ergo etiam ex eadem causa poterit confessarius prædictum pœnitentem absoluere à reseruato ex tacita concessione maioris superioris, vel etiam Papæ; nulla autem grauior esse potest in hoc negotio, quàm cum imminet scandalum, si non communicet aliis communicantibus, aut detur periculum communicandi in mortali: neque enim est minùs de iure humano illa reseruatio prædicti impedimenti respectu Summi Pontificis, quàm sit ista casus reseruati respectu superioris reseruantis in ordine ad quemlibet confessarium. Tertiò, quia quæ sunt ioducta propter charitatem, & bonum conscieotiæ subditorum, non debent contra illam militare; reseruatio autem introducta est propter charitatem, & bonum conscientiæ subditorum, & contra hanc militaret, si ex defectu tacitæ concessionis maioris superioris, non possit hic subditus in prædictis angustiis absolui. igitur intentum. Quartò, quia hîc non est timendum quòd superior maior nolit postea eam facultatem concedere, aut quod id ratum non habeat; quia hæc opinio non fundatur in ratihabitione de futuro, sed in tacita concessione de præsenti; nam saltem Papa in eo caso libenter eam facultatem concedit; & cum omnis superior religionis iurisdictionem habeat à Papa diriuatam, & communicatam, dicendum est in ea communicatione intrinsecè hanc concessionem includi ex voluntate Papæ.

17. Hæc enim argumenta quamuis in specie, & apparentia videantur aliquam probabilitatem habere, tamen funditus inspecta, nullam habent. Primum enim, & secundum argumentum nihil conuincunt; nam ideo Episcopus in voto, & in impedimento matrimoniũ dirimente in casibus propositis poterit ex tacita voluntate Papæ dispensare, quia ob paupertatem, & alia impedimenta extrinseca non est in manu contrahentium, qui votum, aut impedimentum habent, recurrere ad superiorem, vt patet; at in manu subditi habentis reseruatum, est accedere ad superiorem pro absolutione à reseruato, vel acceptare vnum aliquem ex viris prudentibus, & confidentibus, quos ipse nominauerit, vt eum in eo casu à reseruatis absoluat; quæ ratio plana est, & meo iudicio omnino concludens.

Ad 3. respondeo non militare in eo casu hanc reseruationem contra charitatem, & bonum animarum subditorum; quia superior vtitur iure suo, nec illam absolutionem negat absolutè, nec relinquit sine remedio, & in desperatiooe animarum subditos, cum ipse paratus sit eos absoluere, & fouere, & amplecti tanquam verus & pius Pater, & cum postea eis ob sigillum nocere non possit, & maximè, quia eis concedit viros pios confidentes, & doctos, qui eos possint absoluere. Quare profectò iudicarem ego huiusmodi subditos non esse dispositos, sicut oportet, ad accipiendam talem absolutiooem, vt consideranti patebit. 18.

Ad argumentum 4. respondeo, non posse constare de maioris superioris voluntate, nec etiam Papæ, nisi id ipsum expresse declaret; imò constare euidenter contrarium ex ipsa natura reseruationis, & ex vsu Ecclesiæ; quæ semper aliquos casus maioris momenti iudicio grauiorum virorum reseruauit, vt constat ex Concilio Tridentino *session. 14. cap. 7. de casuum reseruatione*, ibi: *Magnopere verò ad christiam populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, vt atrociora quadam, & grauiora crimina, non à quibusdam, sed à summis dumtaxat sacerdotibus absoluantur.* Et canone 11. id ipsum defioit. Quare dum Ecclesia contrarium non declarat, nihil potest hac de re constare, & temerarium videbitur contra vsum communem Ecclesiæ seotire, præsertim in re tam graui, & tam periculosa. 19.

Vera ergo sententia negat omnino posse huiusmodi confessarium ordinarium, qui sæpe, & instanter petita licentia eam à superiori locali non obtinet, nisi sub ea conditione, vt subditus sibi præseotetur, aut sub ea conditione, vt accedat ad alterum, qui eum absoluat, iudicio superioris prudentiorem, talem subditum à casu reseruato absoluere, quia non potest constare eam in eo casu eo ipso maiores superiores, aut Papam concedere. Vnde enim id coostabit? Non ex vsu Ecclesiæ, cum illius vsus contrarius sit, & ex eo vsu reseruatio fuerit introducta, & adhuc circa hoc negotium nihil ipsa Ecclesia in contrarium declarauerit. Deinde, quia si superior localis moreretur, aut absens sit, non posset huiusmodi confessarius non habens iurisdictionem super reseruatos talem subditum absoluere ex tacita voluntate maioris superioris in casu quo alij Religiosi essent communicaturi, & sequeretur scandalum si ipse tunc non communicaret; ergo neque, præsente illo, petita, & non obtenta licentia poterit illum absoluere, non enim est maior ratio in vno casu, quàm in alio. Deinde, quia DD. asserunt, nihil efficere eum sacerdotem, qui alium absoluit, qui non est sibi subditus, absque licentia proprij sacerdotis. Cum igitur huiusmodi ordinarius confessor nullam habeat iurisdictionem super casus reseruatos; consequens est, vt qui illos habet, subditus illius non sit, nec illum validè possit absoluere. Denique probatur ex rationibus vrgentissimis. Prima deducta ex capite. 20.

Omnis

Omnis vtriusque sexus. de pænit. & remiss. vbi, nullo casu excepto, iubet Summus Pontifex *vt quoties subditus voluerit iusta ex causa alieno sacerdoti confiteri, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio sacerdote, cum aliter illum non possit ligare, nec absoluere*; non ergo sufficit instanter petita, & requisita, & non obtenta. Et eadem ratio est de casibus reseruatis erga proprium superiorem; non enim malitia superioris negantis tribuit iurisdictionem sacerdoti pio, ac docto ad absoluendum ipsum religiosum habentem reseruatum; sicut nequitia proprij sacerdotis negantis licentiam subdito, vt alteri confiteatur, non tribuit ei ius, vt possit absolui ab alio. Vltimò, quia faciliùs præsumi potest maiorem Episcopum concedere facultatem, vt quis simpliciter cuiuis alteri alieno sacerdoti præter proprium immediatum confiteatur, quàm vt à quouis absoluatur à casibus reseruatis. Quare etsi nonnulli antiquiores Canonistæ, & Theologi velint, quòd negata à proprio sacerdote licentia subdito, vt alteri confiteatur, possit illum alter absoluere; tamen inde nullum argumentum potest ad casum præsentem deduci; quare his bene inspectis nobis visum fuit corrigere id quod diximus *in lib. 3. tertij præcepti Ecclesiæ cap. 9. num. 17. versu, manus dubium est*, vbi asseruimus videri probabilem opinionem Henriquez, & Roderici, quamuis illam secuti non simus; quod libentius facimus, quia malitia temporis (heu dolor est!) relaxationem non postulat, sed restrictionem, vt consideranti patebit.

LIBER

LIBER SECVNDVS

In secundum Decalogi Præceptum.

DE IVRAMENTO.

EXPLICATO primo Decalogi Præcepto, sequitur, vt explicationem secundi aggrediamur: & hic Tractatus est valde assimilis Tractatui de Voto. Quamobrem visum nobis fuit, iuramentum simul & votum permistim tractare: prius tamen quæ ad iuramenti naturam præcisè spectant explicabimus, ac primùm de natura iuramenti agemus; de circumstantiis, quæ illud, vt rectè fiat, comitantur; de iuramentis æquiuocis, iurandi consuetudine, & iuramentorum formis. Deinde de obligatione orta ex iuramento. Tandem quomodo tollatur hæc obligatio, explicabimus.

Non instituimus autem in hac materia peculiarem aliquam disputationem de iuramento in genere, prout abstrahit ab assertorio, promissorio, execratorio, & comminatorio; quia, vt videbimus infrà, omne execratorium, & comminatorium, partim ad promissorium, partim ad assertorium reuocatur; re enim vera, comminatoria, & execratoria iuramenta, aut promissoria sunt, aut assertoria, & solùm accidentaliter, & in modo iurandi differunt. Et quamuis in duas tantùm species iuramentum diuidatur in assertorium, scilicet, & promissorium, tamen omne etiam promissorium cum assertorio in veritate de præsenti conuenit, vt videbimus infrà *cap. 6. num. 6.* Vnde fit, vt omne promissorium assertorium etiam sit, non tamen è contra omne assertorium sit promissorium; & ideo necessaria non est abstracta, seu communis consideratio, & disputatio de iuramenti in communi, quia explicando assertorium iuramentum, exponemus etiam quicquid habet commune cum promissorio, & in quo conueniant, & in quo differant.

CAPVT I.

Quid sit iuramentum, an ad illud verba exigantur, an signa, an tactus alicuius sacræ scripturæ, crucis, vel rei sacræ; an sit actus Religionis, & sæpe exercendus.

SVMMARIVM.

Quid sit iuramentum, traditur eius definitio. *num. 1.*
In quo formaliter consistat ratio testimonij, & inuocatio diuini nominis. *num. 2.*
In quo iuramentum ab oratione differat, cum vtrumque sit diuini nominis inuocatio. *num. 3.*
Finis iuramenti vltimus, ac præcipuus, est cultus & honor Dei. *num. 4.*
Vt iuramentum quoad Deum in foro interno obligationem inducat, non requiruntur verba, & contactus rei sacræ. *num. 5.*
Quid quoad homines. *num. 6.*
Quid de contactu rei sacræ. *num. 7.* *Quid de his, qui iuramentum aliquod subscribunt.* *ibid.*
Quomodo intelligantur iura quæ appellant iuramenta, verba & sermones. *num. 8.*
An iuramentum factum ab Ethnicis per idola, & falsa numina, eos obligent. Refertur opinio affirmatiua.

iuratina. num.9.10. Ex hac opinione sequitur, si Ethnici ad fidem conuertantur, teneri adhuc ad iuramenta ex vi religionis per falsos Deos facta. num.10.

Praefertur opinio negatiua, & docens solum teneri ad iuramenta ex conscientia erronea. num.11.12.

In hac veriori opinione dicendum est eos si ad fidem conuertantur, non teneri amplius ad talia iuramenta. num.13.14.

Referuntur authores, qui dicebant teneri Christianos iurantes per falsos Deos ad tale iuramentum. num.15.

Per quaecumque verba quis iuret etiamsi non contineant formam iuramenti, falsò credens esse iuramentum, manet ad illud ex conscientia erronea obligatus. num.16.

Iuramentum per creaturas, quatenus sunt creatura Dei, est verum iuramentum: num.17. & quo maiores sunt Sancti, & creaturae, eo excellentius est iuramentum. ibid.

An nobis sit licitum passim iurare, explicatur dictum Christi Domini, Sit sermo vester, Est, est, non, non. *num.18.*

1\. IVRARE est Deum in testem adducere, & inuocare. Vnde *Iuramentum nihil aliud est, quàm adductio, seu inuocatio Dei, diuinique nominis in testimonium veritatis illius rei quam affirmamus, vel negamus.* Ita D. Th. 2.2.*quaest.89.art.*1 & communiter Theologi. Dicitur *iuramentum* à iure. Primò, quia per iuramentum ius à Deo acquiritur, vt illum verum testem faciamus eius rei, quam ipsius diuini nominis inuocatione confirmamus, iuxta illud Matthaei 5. *Reddes Domino iuramenta tua*; id est, seruabis Deo speciale ius quod acquisiuit per iuramenta tua; iurans enim quando iurat, & Deum in testem inuocat, recognoscit Deum esse dignum omni honore, & cultu, & habere rerum omnium cognitionem, & infallibilem veritatem. Vnde iurando, & illum in testem adducendo, ius acquirit Deus ne res iurata negetur. Secundò, dicitur *iuramentum*, quia pro illo tamquam pro iure standum est. Dicitur etiam *iusiurandum* iuxta illud. *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis.* Ius quidem, quia pro illo standum est, tamquam pro iure, vt dixi; iurãdum, quia confirmandum est diuini nominis inuocatione. Dicitur tandem *sacramentum* vt patet ex capite, *Qui sacramento 22. quaest. 4.* quòd reconditam habeat sanctitatem, & ideo summo cum timore, ac reuerentia exercendum sit, non temerè, non leuiter, neque in rebus prauis; sed de se licitis, ac honestis. Vnde, vt patet ex eodem capite, ille qui iurauit, se nunquam in pacem cum alio rediturum pro periurio, (hoc est, vt ibi glossa bene explicat, pro illicito iuramento seu pro materia illicita, quam iuramento confirmauit) per integrum annum à communione corporis, & sanguinis Christi segregatur, vt reatum suum, eleemosynis, fletibus, ac ieiuniis deleat, & abstergat; & iubetur insuper, vt ad charitatem statim, & amicitiam redire cum inimico festinet.

D.Thom.

2\. Haec autem inuocatio diuini nominis in eo consistit, vt iurans quantum in se est velit, & cupiat, & à Deo oret, & postulet, vt Deus publicam efficiat, ac manifestet eam rem, quam ipse suo iuramento confirmat, ac ab ipso Deo, veram esse sciri, idque siue in hac vita, siue in altera, vt optimè docent Valentia 2.2 *disput.6. quaest. 7. punct.1.* & Sanchez *tom.2. Decalogi lib.3. cap.1. num.1.* abstrahit enim iurans, & à praesenti vita, & à futura. Quamobrem videant iurantes, quo modo, & qua ratione iurent, ne dum à Deo per iuramentum postulant, vt veritatem suam confirmet, & publicam efficiat, mendacium pro veritate ad illorum confusionem ostendat, vt cuidam contigit, qui cum certam pecuniam furto ablatam apud se haberet, & coram multis iurasset, se illam non fuisse furatum, insuperque à D. Antonio precaretur vt latronem ipsum manifestaret, subitò delapsa è sinu pecunia in terram panniculo illigata, manifestatus est ipse, videntibus omnibus, stupescente illo prae confusione.

Valentia. Sanch.

Differt tamen iuramentum ab oratione, quia per orationem diuinum nomen inuocatur gratia petendi à Deo auxilij tamquam à benigno omnipotenti, & à misericorde: per iuramentum verò ab eo petitur, vt tanquam testis infallibilis testetur, & publicam faciat veritatem rei affirmatae, aut negatae iuramento. Dicitur, *diuini nominis inuocatio*, intellige, siue expressa, siue tacita: expressa, vt cum per Deum ipsum expressè iuramus; tacita, vt cum iuramus per creaturas, quatenus in ipsis Deus elucet, & vt ipsae ad Deum referuntur; non enim iurans per creaturam aliquam, illam in se respicit, nec illam, vt in se est, in testem veritatis adducit; id enim esset blasphemia; iurare etenim per quamcumque creaturam, quantacumque sanctitate excellentem, etiam per beatam Virginem, & per Angelos sistendo in iis, & non ad Deum referendo, vt in iis Deus elucet, non est iurare, sed blasphemare; quia iurare est Deum in testem tamquam summam veritatem inuocare; quae nec fallere, nec falli potest. Cum ergo per creaturam in ea sistendo, quis iurat, ei attribuit honorem, qui soli Deo est debitus, & non illi, sed soli Deo conuenit, quod est blasphemia, vt docet D. Thom. 2.2. *q* 89. *art.6.* Sotus *lib.8. de iust. q.1. art.6.* Sanch. *tom.1. Decalogi lib. 2. c.32. n.10. & tom.2. lib.3. cap 2. num.9* & communiter omnes. Iurat igitur, qui per creaturam iurat, aut per Deum in ea relucentem; atque ita creaturam in testem vocat tanquam aliquid Dei seu potius Deum inuocat, prout in ea creatura visitur, & splendet, vt de se patet, & notum omnibus est; nec opus est, vt iurans intentionem habeat referendi ad Deum creaturam per quam iurat, cum ipsa semper ad Deum ex sua natura referatur, cum per illam iuratur, & hoc modo praesumuntur semper iurare fideles, quoties iurant per creaturas; neque enim credendum est, velle ipsos idololatrare, vt bene docent Caietanus *in summa, verbo, iuramentum*; & Nauarrus *in summa cap* 12. *num.4* & Sanchez *tom.2. Decalogi lib.3. cap.1. n.9.* 3.

D.Thom. Sotus. Sanch.

Caiet. Nauar. Sanch.

Hinc colligitur finem praecipuum & vltimatum iuramenti esse honorem, cultum & reuerentiam Dei, in quem iuramentum ipsum tamquam in scopum collimat; cum enim iuramentum seu iusiurandum sit actus religionis, & latriae, reliquum est, vt ad Deum vltimatè referatur. Finis minus praecipuus est veritatis confirmatio. Terminus totius altercationis hominum est ipsum iuramentum valens, & conducens ad confirmandam eam rem de qua inter homines ambigitur, & altercatur. 4.

Vt autem iuramentum obligationem inducat, non requiritur, vt fiat per verba externa, aut per contactum rei alicuius sacrae: nam vel agere possumus de obligatione, quam inducit quoad 5.

Deum, vel quoad homines; & verò, vt quoad Deum, & in foro interno obliget, satis est interna locutio, nullis verbis, aut signis externis expressa, cum Deus cor, & mentem intueatur. 1 Reg. 16. num. 17. *Neque iuxta intuitum hominis ego iudico, homo videt ea, quæ apparent, Deus autem intuetur cor.* Et ita vt rem certam, & indu-
Azor. bitatam tradunt Azor. *tom 1. lib. 11. c. 2. quæst. 4.*
Sanchez. Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 1. num. 2.* Couar.
Couar. *de pactis 1. part § 1. num. 1.* Ceuallos *in quæstio-*
Ceual. *nibus practicis quæst. 407. num. vnico.* Petrus de
Ledesm. Ledesma *tom 2. summæ tractatu 11. cap. 1. dub. 2.*
Suarez. Suarez *tom. 2. de Religione tractatu de iuramento lib. 1. cap. 1. num. 4.* & nemo negat.

6. De obligatione autem quoad homines, & forum externum, dubium est, an necessariò faciendum sit verbis, an sufficiat quod fiat signis, quâ de re triplicem opinionem refert Ceuallos in suis quæstionibus practicis tota quæstione 406. Prima ait, verba esse omnino necessaria. Secunda ait, ea esse necessaria in valentibus loqui; secus in non valentibus. Doctores vtriusque ipse refert. Tertia & verissima docet sufficere nutus, & signa externa iuramentum indicantia; hanc
Couar. tuentur Couarr. *de pactis 1. part. initio num. 4.*
Sanchez. multos pro hac parte allegans, Sanchez *lib. 2. de matrim disp. 31. num. 5. & tom. 2. Decalogi lib. 3.*
Azor *cap. 1. num. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 44.* Suarez
Suarez. *lib. 1. cap. 11. num 4. 5. & 6.* Sayro *in claui regia*
Sayro. *lib. 5. cap. 1. num. 8. 9. & 10.* Ratio est. Primò, quia nec leges, nec canones ad obligationem iuramenti verba requirunt. Quare si quæ iura id indicent, intelligenda sunt non ea requirere ad inducendum obligationem; sed ad certiorem iuramenti probationem, & maiorem mentis declarationem. Secundò, quia reliqua pacta, & etiam matrimonium solis nutibus validè ineuntur, etiam à potentibus loqui iuxta verissimam sententiam, quam latè defendit Sanchez primo loco allegatus; ergo etiam iuramenta, non enim magis verba ad illius valorem requiruntur, quàm ad cæteros contractus. Vnde licet Ioannes de
Selua. Selua *de iureiurando 1. part. quæst 2. num. 12.* & deinceps per multos, quos allegat, & multa iura, intendat probare verba esse de substantia iuramenti, intelligendus quidem est de iuramento pro foro externo, non interno, & per verba debet etiam intelligere nutus & signa externa, quibus homines se obligare possunt; nam iuramentum in iure dicitur obligatio c. *Debitores de iureiur* obligatio autem inter homines non solùm per verba, sed etiam per signa externa fieri potest, vt constat in matrimonio, cap. *Cum locum*, c. *Tuæ de spons. l. 1 ff de verb. oblig. ii.* & habet Ioannes de Selua *tom 4. tractatuum iuris fol. mihi 348. col. 3.*

7. Hinc deducitur, nec ad obligationem iuramenti requiri verba, cum neque ad se Deo per illud obligandum, neque ad Dei inuocationem in testem, in quo iuramenti substantia, & obligatio consistit, illa requirantur; sed satis est iurandi consensus, nullis verbis, expressus, vti diximus. *num.* 5. Nec etiam requiritur contactus aliquis rei sacræ vt crucis, aut Euangeliorum, cum similiter ad absolutã Dei inuocationem in testem, & inde ortam obligationem; quæ est substantia iuramenti, id nequaquam requiratur; quamuis aliquando ad maiorem testimonij firmitatem petatur in iure præstatio iuramenti per tactus crucis, rei sacræ, aut Euangelij; quare, qui rogatus, vt iuret, tangit Euangelia, vel crucem, vel aliud signum exhibet, quo se iurare indicet, is censetur iurare, & se obligare, quamuis nulla verba proferat; & qui verba profert absque huiusmodi contactibus, similiter censetur iurare, & se obligare: sufficiunt enim quæcumque signa externa ad iurandum, & se quoad homines obligandum.
Ita Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap 2. num. 12.* Sanch.
& cap 1. num. 3. Couar. *de pactis 1. part. § 1. n. 1.* Couar.
Ceuallos *in suis quæstionibus practicis quæst 407.* Ceual.
num. vnico. Syluester *verbo, Iuramentum 1. vario,* Syluest.
notabili 1. Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 1 co-* Sotus
lumna penultima. Aragon. *2. 2. quæst. 89. art 1. an-* Arag.
te dubium circa primam conclusionem, notabili vltimo. Rodriguez *tom. 1. summa in 2 edit. cap. 101.* Rodrig.
num. 2. Similiter est dicendum de subscribenti scriptum aliquod, in quo iuramentum continetur, is enim etiam censetur iurare: quia illa subscriptio est quædam ipsius scribentis contestatio iuramento firmata; ac proinde tantundem valet, ac dicere, *ita iuro*, vt optimè notat Sanch. *tom. 2.* Sanch.
Decalogi lib. 3 cap. 2. num. 12. ad finem.

Sed obiicies primò contra dicta, quia cap. 8.
Clericos, de iureiurando, dicitur iuramentum non extendi vltra id quod verba significant. Et cap. *Etsi Christus, eodem titulo*, iuramentum sermo appellatur, vt & Auth. *de mandatis Princip. § Sed neque*, vbi præcipitur iudici, ne verbum, idest, iuramentum temerè alicui dare festinet; ergo requiruntur verba ad valorem iuramenti, & non sufficit sola impositio manus supra rem sacram, aut sola subscriptio scripturæ, in qua iuramentum continetur. Respondeo primò, in cap *Clericos*, agi de illis iuramentis, quæ in iudicio fiunt, quæ ordinariè verbis expressis fieri solent, & non excludi ea, quæ per signa, aut contactus tantùm rei sacræ fiunt. Respondeo deinde cum Azor. Azor.
tom 1. lib. 11 c. 1. voluisse ibi Summum Pontificem vt iuramentum in vno casu factum non extenderetur ad alium similem, nisi de nouo expressè fieret, vt patet ex contextu. Ad alia iura respondeo in illis, & similibus iuribus appellari iuramenta verba, & sermones: quia iusiurandum ordinariè verbis, & sermonibus exercetur, non ad excludenda alia signa, nam si in cæteris pactis, & promissis, in matrimonio etiam, vt valida sint, & firma, nullum verbum requiritur, & sufficiunt hæc signa externa etiam inter homines, qui loqui possunt, cur hoc non fiet, etiam in iuramento? par enim vtrobique ratio est, vt dixi.

Obiicies secundò, contra definitionem iura- 9.
menti: Quia quando Ethnicus, aut Paganus, & infidelis iurat per idola sua, & falsa numina obligatur iuramento, & tamen non confirmat id quod dicit diuini numinis attestatione, nec inuocatione testis infallibilis; sed testes appellat mendaciis plenos, nempe idola sua; ergo falsum est id quod dicitur, videlicet, iuramentum esse inuocationem Dei tanquam testis infallibilis veritatis ad firmandam rem præsentem, & iuratam. 10.

Respondeo argumentum petere, an iuramentum factum ab Ethnicis per falsa numina illos obliget, qua de re partita est opinio Prima affirmat huiusmodi Ethnicos obligari iuramentis factis per idola sua, & falsa numina. Primò, quia etsi materialiter errent, formaliter tamen, & ex intentione sua, non errant, putant enim Deos suos, veros Deos, & veram habere diuinitatem; ad iuramentum autem non requiritur attestatio veri Dei, sed illius qui verus Deus existimetur, vt si quis existimans librum profanum esse Euangelij, & iuraret per Euangelia in eo contenta verè iuraret; quia formaliter, & in existimatione

sua

sua taliter cogitabat, & animus illi erat per Euangelia iurare, & error fuit materialis. Secundò, quia cum illi falsi dij sint creaturæ, iuramentum per illos factum censetur per Deum factum, quatenus relucet in suis creaturis. Vnde in capite, *Etsi Christus, de iureiurando*, dicitur, non esse iurandum per creaturas; at si iuretur, seruandum esse tale iuramentum. Et hanc opinionem, quæ est valde probabilis, tenet D. Augustinus *Epistola* 154. & refertur in capite *Mouet*. 22 *quæst*. 1. & glossa in dicto capite, *Mouet, verbo, sociat*. Syluester *verbo iuramentum* 4. *quæst*. 4. Couarruuias *de pactis part*. 2. §. 1. *num*. 10. *versu, Ego sanè* Aragonius 2.2. *quæst*. 89. *art*. 2. *in solutione ad* 2. Seraphin. *de priuilegijs iuramenti priuilegio*. 30. *num*. 32. Azor. *tom*. 1. *inst. moral. lib*. 11. *cap* 2. *quæst*. 1. *versu, Sed hæc omnia. & cap*. 11. *quæst*. 11. Ledesma *tom*. 2. *tract*. 11. *cap*. 1. *dub*. 2. *ad* 1. Philiarchus *de officio sacerdot. tom*. 1. *part*. 2. *lib*. 3. *cap*. 23. *versiculo, Primò igitur*. Et pro hac parte faciunt omnes, qui dicunt Christianos iurantes per falsos Deos teneri ex vi iuramenti, & religione illius implere promissa; quos statim referemus *num*. 15. & refellemus. Et ex hac opinione, quæ est probabilis, sequitur si huiusmodi Ethnicus ad fidem conuertatur, teneri adhuc ex vi religionis, & obligationis iuramenti seruare ipsum iuramentum à se factum quando fuit gentilis; & in ea respondendum est ad argumentum, ad iuramenti valorem non requiri, quod per verum Deum à parte rei fiat, sed per id quod formaliter, & ex intentione iurantis verus Deus existimatur. Vnde cum Ethnici per falsos Deos iurant, verè iurare censentur, quia in illorum existimatione pro veris Diis habentur.

D. August. — Syluester. — Couar. — Aragon. — Seraphin. — Azor. — Ledesma. — Philiarch.

11. Secunda opinio probabilior, & tenenda, negat huiusmodi Ethnicos iurantes per Deos suos, idola, & falsa nomina, obligari ex vi talis iuramenti; sed ex sola conscientia erronea, quatenus illi putant se per verum Deum iuramentum efficere; & consequenter asserit talia iuramenta non esse in rei veritate iuramenta. Fundamentum illius est; quia ad valorem iuramenti requiritur, vt res per quam iuramentum efficitur, sit in se sacra, & non in existimatione hominum; est enim iuramentum actus verè religionis in se sumptæ, & non in existimatione hominum; quare oportet, vt per verum Deum fiat, & non per illum, qui putetur verus; & ita docet Sotus *lib*. 8. *de iustit. quæst*. 1. *art*. 3. *columna* 4. *versiculo. definitio autem, & columna* 5. *versiculo, sed rogas*. Aragon 2.2. *quæst*. 89. *artic*. 6. *dub. vltimo*; Sayro *in claui regia lib*. 5. *cap*. 3. *num*. 21. Suarez *tom*. 2. *de relig. tract. de iuramento lib*. 2 *cap*. 5. *num*. 6. Sanchez *tom* 2. *Decalogi lib*. 3. *cap*. 2. *num* 5. *post medium*. Molina *tom*. 3. *de iust. part*. 1. *disp*. 579. *num*. 13 Lessius *lib*. 2. *de iust. cap*. 42. *dub*. 2. *num*. 5. Ledesma *eo tractatu* 11. *cap* 15. *dub. vltimò*. Deinde quia & si ratio motiua in Ethnicis ad præstandum iuramentum fuerit diuinitas in iis Diis existimata; verè tamen non fuit adductus verus Deus, & infallibilis testis in testem rei iuratæ, nec per tale iuramentum exhibitus fuit verus cultus Deo viuo, & vero, sed Diis falsis, ac proinde detecto eo errore iam non pertinet ad Dei cultum obseruatio illius iuramenti: sicut enim aliquis fidem habet regiam ei, qui se Regem fingit; postea detectu errore, non tenetur ei fidem ampliùs, vt Regi habere. Nec est simile de Euangeliis, quia iurans intendit verè per vera Euangelia iurare etiam si erret, putans in eo libro vere contineri, nec intendit cultum sacrum attribuere contentis in eo libro; at Ethnici verè intendunt tribuere suis Diis veram diuinitatem, & per illam, quæ in eis existit, iurant, & sic soluitur primum argumentum opinionis contrariæ.

Sotus. — Arag. — Sayr. — Suar. — Sanchez. — Molin. — Lessius. — Ledesm.

12. Ad secundum respondeo, ibi non iurari per falsos Deos, vt sunt res creatæ, in quibus Deus splendet; sed iurari per Deos falsos, quasi veram diuinitatem habeant, & ideo non esse verum iuramentum. Vnde in capite, *Etsi Christus, de iureiurando*, sermo est de iuramento facto per creaturas, vt in eis Deus splendet, quod est verum iuramentum: dicitur tamen ibi non esse iurandum per illas, non quod non sit verum iuramentum, quod per illas fit quatenus aliquid sunt Dei, & Deus in eis splendet; sed vel quia periculum est malè iurandi, vel quando non est necessitas iurandi, vt optimè animaduertit Sanchez allegatus *dicto num*. 5. Diuus verò Augustinus pro prima opinione citatus, bene asserit Ethnicum non seruantem iuramentum quod per suos falsos Deos fecit, esse periurum, non quidem ex eo quod tale iuramentum obliget, sed ex conscientia erronea, vt docent authores huius secundæ opinionis.

Sanch. — D. August.

13. Et in hac opinione quæ probabilior est, respondendum est ad argumentum, *num*. 9. positum, iuramentum per falsos Deos factum ab Ethnicis non esse verum iuramentum, nec actum veræ religionis: nec obligare ex vi religionis iuramenti, sed ex vi conscientiæ erroneæ, & detectu errore falsorum Deorum, conuersisque Ethnicis ad veram fidem, non teneri illos ampliùs ad rem iuratam ex vi iuramenti, sed tantùm ex promissione humana; quia tota obligationis ratio erat ipsa conscientia erronea, qua putabant illos esse veros Deos, ac proinde, sublato eo errore, cessat obligatio iuramenti, quia destruitur eius fundamentum; sicut si quis erraret putans hodiernum diem esse ieiunij, teneretur durante conscientia erronea ieiunare; at scita veritate cessaret obligatio. Ita docent expressè Suarez *tom*. 1. *de Relig. tract. de iuramento lib*. 2 *cap*. 5. *num*. 7. & Sanchez *tom*. 2. *Decalogi lib*. 3. *cap*. 2. *num* 4 *ante finem*, & reliqui omnes pro hac opinione secunda allegati.

Suarez. — Sanch.

14. Ex hac opinione secunda sequitur, iuramentum factum ab infidelibus per falsos Deos, quos veros existimabant, non tribuere vim illis contractibus iuratis, qui absque tali iuramento essent irriti, quia non est verum iuramentum. Ita docent Sanchez modò allegatus, & Molina *dicto tom*. 3 *de iust. part*. 1. *disp*. 579. *num*. 13. vnde, vt bene asserit Suarez citatus *num*. 7. non habent contractus huiusmodi iuramentis firmati maiorem firmitatem, quàm illam, quam sola humana promissio dabat, nisi ex sola conscientia erronea, & id constat ex *l. Non erit, in fine ff. de iureiurando*.

Sanch. — Molin. — Suarez.

15. Sequitur etiam ex dictis, falsum esse id quod tradunt Innocent. in capite, *Etsi Christus. de iureiurando num*. 2. & ibi Ioannes Andr. *num*. 8. Hostiensis *num* 2. Anton. *in principio num*. 18. Neuo *initio num* 20. Abbas *num*. 13. Ancharranus *n*. 7. Imola *num*. 15. Alexand. *l*. 3 §. *vltimo ff. de iureiurando quæst*. 1. *ad finem*, asserentes Christianos iurantes per falsos Deos teneri ex iuramenti religione implere promissa; & videtur expressa sententia D. Augustini *sermone* 28. *de verbis Apost*. & refertur in capite *Ecce dico* 22. *quæst*. 5. nam falsitas huius rei constat ex dictis. Ethnici enim ex sola conscientia erronea eo iuramento astringebantur, quæ in Christianis non est. Et verò si ipsi

Innoc. — Ioann. And. — Hostiens. — Anton. — Neuo. — Abbas. — Anchar. — Imola. — Alex.

christiani existimassent illud iuramentum esse ve-
rum, similiter ex sola conscientia erronea, quan-
diu ea duraret, eo iuramento adstringerentur; &
Abul. ita docent Abulensis *in cap. 5. Matthæi quæst. 169.*
Sot. Sotus, Couarruuias, & Seraphinus citati *n. 11,*
Couar. Sanchez *tom. 2. Decalogi lib 3. cap 2. num. 6* Sua-
Seraph. rez *tom. 2. de Relig. tract. de iuram. lib. 2. cap. 5.*
Sanchez. *num. 5. & 9.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 11. quæst 11.*
Suarez. Tenentur tamen christiani sic iurantes ex vi pro-
Azor. missionis humanæ, quæ iuramento non esset
stabilita, & sic intelligendus est D. August. alle-
gatus pro contraria parte. Vtile enim non vitia-
tur per inutile, quando separabilia sunt, quod
hîc contigit, regula *vtile de regul. iuris in 6* Ita
Sanch. docet Suarez allegatus *num. 7.* Sanchez modò
Suarez. allegatus, Gabriel *in 3. dist. 39. quæst. 2. artic. 3.*
Gabriel. *dub. 3.* Turrecremat. in cap. *Mouet 22. quæst. 1.*
Turrecr. *art. 1. num. 1.* D. Anton. 2. *part. tit. 10. cap. 4. in*
D Antõn. *fine principij*, Azor hîc, & Couarruuias *num. 11.*
Azor. allegati.
Couar.

16. Sequitur denique per quæcumque verba, &
formam iuramenti quis iuret, etiamsi in eis iura-
mentum non contineatur, falsò credens esse iu-
ramentum, obligari ex conscientia erronea ad
tale iuramentum, non ex vi, & religione iura-
menti; detecta verò veritate, & conscientia er-
ronea sublata tolli obligationem ipsius iuramen-
ti. Vnde si quis in his verbis, *Verè. Profectò. In
fide mea hoc facturus sum*, putabat esse veram iu-
randi formam, & existimabat se iurare, & inten-
tionem habebat iurandi, manet ex conscientia
Sanch. erronea obligatus iuramento. Ita docet Sanchez
tom. 2. Decalogi lib 3 cap. 2. num. 7. & videtur
Caiet. apertè sentire Caietanus 2. 2. *quæst. 89. art. 1. fine*,
vbi ait dicentem *in veritate*, vel *in fide humana*,
non iurare ex vi verborum, at per accidens, si
existimet hæc esse iuramenta, proculdubio iurare
Sà. ex intentione. Sà *in summa verbo iuramentum, n. 1.*
Azor. Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæst. 1.* vbi dicunt præ-
dicta verba non esse iuramenta, nisi ea dicens
Suarez. credat se iurare, idve intendat, & Suarez *tom. 2.
de relig. tract. in de iuramento lib. 1. cap. 13. num 2.*
vbi ait intendentem iurare per verba, quæ iura-
mentum non sunt, verè iurare apud Deum. Et
ratio est. Primò, quia, vt probauimus *num. 5.* vt
iuramentum coram Deo obliget, nulla externa
verba desiderantur, sed sufficit sola intentio iu-
randi, & locutio interna; ergo maiori cum ra-
tione sufficient ad valorem iuramenti, saltem ex
conscientia erronea, verba externa cum eadem
intentione iurandi, quamuis in iisdem verbis in
rei veritate nulla contineatur forma iuramenti,
contineatur tamen ex existimatione iurantis. Se-
cundò, quia verba illa re vera sunt apta ad iu-
randum, quatenus in ea veritate humana, quæ
per ea confirmatur, Deus relucet. Vnde cum ea
proferens existimet se iurare, & intentione iuran-
di ea dicat, & adducendi Deum in testem veri-
tatis, quam confirmat, profectò tenebitur iura-
mento, si non ex verbis, saltem ex conscientia
erronea.

17. Obiicies tertiò, contra definitionem iuramen-
ti. Cum quis per creaturas, vt per cœlum, per
mare, per lucem, per diem hodiernum, iura-
mentum efficit; verè iuramento ligatur, & tamen
nec Deum testem adhibet, nec rem diuini nomi-
nis attestatione, aut inuocatione confirmat; ergo
frustra dicitur in definitione; iuramentum nihil
aliud esse, quàm adductionem, seu inuocatio-
nem Dei in testimonium veritatis, quam iura-
mento confirmamus, vel negamus. Respondeo
Deum duplici modo inuocari in iuramento tan-
quam testem infallibilem. Vno modo explicitè,
cum expressè nominatur; vt cum dicimus. *Iuro
per Deum, per Christum, per Dei nomen, per sum-
mam veritatem, testis est Deus*, &c. Altero impli-
citè, vt cum iuramus per creaturas, non per ipsas
præcisè, sed per ipsas relatiuè ad Deum, & qua-
tenus Deus in illis splendet; vnde eo maius est
iuramentum, quo nobiliores sunt creaturæ per
quas quis iurat, quia in illis magis Deus elucet.
Sic iurare verum per beatissimam Virginem ma-
ius iuramentum, maiorque actus religionis est,
quàm iurare per Sanctos, maior per Sanctos,
quàm per cœlum, maior per cœlũ, quàm per ter-
ram & sic de cæteris. Falsum similiter iurare per
excellentiores creaturas, eo grauius peccatum est,
quò excellentiores sunt, & in illis magis Deus
splendet, quia eò maior iniuria Deo fit, quo
magis illum testem mendacij efficimus. Non est
autem opus, vt iurans semper habeat intentio-
nem referendi ad Deum, creaturas per quas iu-
rat; satis enim est quòd ex se, & ex natura sua
sint ad Deum referibiles, semper enim præsu-
muntur fideles iurare per creaturas, quatenus in
eis diuina bonitas elucet quoties per illas iurant,
vt benè docent Caietanus *in summa, verbo, Iu-* Caiet.
ramentum, & Nauarrus *in summa cap. 12. num. 4.* Nauar.
& Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num 9.* Sanch.
paulò post initium; & ita docent communiter
auctores; & speciatim omnes, quos citauimus
num. 3. & Toletus *lib 4. summa cap. 21.* Toler.

Vltimò contra finem iuramenti sic obiicio. 18.
Finis iuramenti est honor Dei, vt probatum
manet *num. 4* Et iuramentum est actus religionis,
ergo licitum est nobis iuramentum passim fre-
quentare, & exercere laudabiliter; passim enim
nobis licet Deum honorare, & actus Religionis
exercere. At hoc est expressè contra doctrinam
Christi, Matthæi 5. *Ego autem dico vobis non iu-* Matth. 5.
*rare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei
est; neque per terram, quia scabellum est pedum
eius; neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni
Regis; neque per caput tuum iuraueris; sit autem
sermo vester. Est, est, non, non; quod autem his
abundantius est, à malo est.* Respondeo iuramen-
tum non esse actum religionis primæ intentionis
Dei; sed secundæ intentionis, & esse inuentum
in remedium, & medicinam mali, & ideo non
esse licitum vti illo semper, & vbique, sed cum
maxima reuerentia, & cum necessitas postulat;
quia enim homo post primum Adami peccatum
fidem perdidit, quæ simplicibus illius dictis ha-
beri debebat, ob eam causam Deus opt. max vt
huic vulneri, & malo mederetur, prouidit de
iuramenti remedio, & medicina, tanquam fi-
deiussoris, per quod homines iam in creditu, &
fide infirmi sua dicta firmarent, vt quod eis abla-
tum fuerat per peccatum, suppleretur per iura-
mentum. Vnde cum medicina non sit vtendum,
nisi postulante necessitate, & infirmitate, & tunc
cum maxima cautela, & animaduersione, ita
etiam iuramento vti non debemus passim, &
sine necessitate, sed cum necessitas, veritas, &
discretio id postulant: & sic intelligendum est il-
lud Christi Domini, *sit autem sermo vester, est,
est, non, non. quod autem his abundantius est, à malo
est*, id est, à peccato Adami processit, & à malo
pœnæ illius peccati est, quam homo incurrit post
peccatum perdendo creditum, & fidem, & ita
explicat hunc locum Toletus *lib. 4 summæ cap. 20.* Tolet.
num. 1. seu, vt explicat Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 2.* Azor.
quæst. 3.

quæst. 5. §. Nec Christus: ideo Christus dixit, quod amplius est, à malo est, quia voluit arguere contumaciam, ac pertinaciam illius hominis, ob quem iuramus, & cuius causa iuramus, qui, vt crederet, aliter adduci non potuit, nisi id ei iuramento affirmaremus, quæ contumacia mala est, & sic etiam hunc locum interpretatur D. Augustinus relatus in capite, Ita ergo 22. quæst. 1. Nec Christus Dominus per illa verba antecedentia. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per Cœlum, neque per terram: sit autem sermo vester, est, est; non, non: voluit prohibere vniuersim iuramenta licita, sed iuramenta illicita, & malo modo exercita; neque enim illa particula, omninò, excludit omnes casus iurandi; sed omnes casus iurandi illicito modo; nam si, ait, in illis verbis, Non occides, non prohibetur occisio in vniuersum: sed occisio iniusta, & illicita; ita etiam in istis, Ego autem dico vobis non iurare omninò: non prohibetur in vniuersum iuramentum, sed omne iuramentum illicitum, & indebito modo factum, & propterea ea verba dixit Christus ad Iudæos, vt illorum pessimam iurandi consuetudinem, etiã in rebus leuissimis, deprauatum iudicium, atque existimationem tolleret; quia io animum sibi induxerant nihil in iuramento cauendum esse præter mendacium: hanc ergo consuetudinem, quæ apud eos adoleuerat, & hoc deprauatum iudicium, vt Christus reprehenderet, iubet à iureiurando omnino abstinere, nisi ad id nos necessitas impellat. Et hoc patet euidenter ex iure canonico, capite Omne; capite, Non est; capite, In nouo; capite Vt noueritis. 2. 2. quæst. 5.

19. Ex quo manet perspicuus sensus illorum verborum. Non assumes nomen Dei tui in vanum: quibus Deus olim Hebræis vetuit iuramenta; nam hæc verba triplicem sensum efficiunt. Primus est; Non assumes in vanum, hoc est, non iurabis pro re parui momenti, futili, & inani. Secundus est; Non iurabis frustra, ac si clariùs dicat, non iurabis nisi pro veritate, vrgente necessitate, & maxima consideratione præeunte. Tertius est; non assumes in vanum, hoc est, non confirmabis falsum aliquid, & mendacium iuramento tuo: quicquid enim apud Hebræos falsum est, vanum & inane appellatur; & ita explicat, & optimè hæc verba Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 1. quæst. 5. Azor.

Capvt II.

De varijs iuramenti formis, ac modis.

Svmmarivm.

Quæ sint iurandi formæ indubitatæ. num. 1.
Ad iuramentum, an exigatur verbum Iuro. num. 2.
Si rigorem huius verbi, Iuro, spectemus, illud solum nudè, & solitariè sumptum sufficit ad iuramentum, de consuetudine tamen non ita est. num. 3.
An hæc verba, Vouco Deo, Confesso Deo, iuramenta contineant. num. 4.
Si verè Iuro addatur aliquid per quod rigor illius temperetur, vt si dicas, Iuro à Dioz. Iuro à San Pedro del Palo, nec etiam in rigore erit iuramentum. num. 5.
Vt iuramentum validum sit, nihil refert, an fiat per prepositionem In, an per prepositionem Per. num. 6. Vt Per Deum: In Deo: per vitam meam; io vita mea. ibid.
Quid de ista forma Par Dios. num. 7. Quid de istu verbu Por Dios que si; Por Dios es tezia cosa. ibid.
Quid de istu. Per animam meam; io anima mea, viuit anima mea. num. 8. 9.
Quid de istu. In mea conscientia; per meam conscientiam. num. 10. 11.
Quid si quis ita dicat. Iuro per meam conscientiam. num. 12.
Quid de istis. Testis mihi est conscientia mea. num. 13.
Quid de istis. Iuro mihi, Iuro per me, Iuro pro me, Iuro ami. num. 14.
Quid de istis, Iuro in fide mea, per fidem meam. Promitto, vel iuro sub fide mea. num. 15. Refertur prima opinio docens contineri iuramentum. num. 15.
Refertur opinio negatiua docens non contineri nisi quis velit specialiter per illa iurare. num. 16.
Quid de istis, in bona fide iurata. num. 17. 18. & 19.
Vbi dubium est, an iurans per ea verba velit specialiter iurare In mea fide; Per meam fidem; Promitto sub mea fide, credendum est noluisse iurare. num. 20.
Quid de his verbis, In fide Christiani. num. 21.
Quid de illis, in fide Religiosi. num. 22.
Quid de illis, per has manus sacras, per habitum D. Francisci, per hunc habitum. num. 23.
Quid de istis per fidem Christi; per fidem Dei. num. 24. 25.
Quid de istis, in fide bona; per fidem bonam. num. 26.
An homagia vera iuramenta sint. num. 27.
An sit iuramentum, si quis dicat, In veritate, per veritatem, in realitate veritatis, verè & sincerè, certè, profectò, sanè, reuerà. num. 28.
Quid si quis dicat, Iuro per has herbas, per has vestes, per filum huius meæ tunicæ, per hunc capillum, per hanc paleam, per calceos, per passeres, per hunc ignem, per hunc aërem, per hanc plumam, & similia vilia, & nullius pretij. num. 29.
An sit licitum iurare per quascunque creaturas viles etiam vt referuntur ad Deum, vt, per hanc paleam Dei, &c. num. 30.
Sit ne iuramentum ita iurare, per meam vitam, vel salutem, aut, per vitam vel salutem fratris mei, &c. num. 31.
Quid de his formis, Deus scit, Deus audit quod dico, &c. num. 32. 33. 34. & 35.
Quid de his verbis, testis est mihi Deus, Deum testor, Deum testem aduoco, adhibeo, appello. num. 36.
Quid de his, viuit Deus, Deus est veritas, quòd hoc ita est. num. 37.
Quid de his, quibus multi solent vti ad vitandum ipsum iuramentum, per totum, vel, per vitam eius quod iurare possum. num. 38.
Quid si quis diceret, Iuro ad talem, per vitam talis, voueo talem; Hispanè, Iuro à tal, por vida de tal, voto à tal. num. 39.
Quid de hac forma iurandi, Iuro à San Oy, Iuro à San Iunco, aut, à San Pedro el del Palo. num. 40.
Quid de verbis quibus vti solemus, dum pueros minamur digito, naso, aut fronti applicato, & dicimus, per istam, Hispanè, por esta. num. 41.
Sit ne iuramentum, cum per Deum aut per pro

propriam vitam interrogaris, an ita se res habeat. num. 42.

1. De materia iuramenti diximus breuiter capite præcedenti, numero vltimo, debere esse veram, & non falsam. De formis modò dicendum est, ac modis iurandi. Variæ igitur sunt formæ iurandi. Indubitatæ apud omnes auctores hæ sunt. *Deum testor, Deum inuoco, Deum testem appello, per Deum iuro.* Ex quo sequitur, vt verum iuramentum fiat, non esse necessarium vti hoc verbo, *Iuro*; nam licet Cardinalis hoc affirmet *in cap. 2. de sponsalibus*, id sine fundamento dicit, vt ait Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuramento cap. 13. num 1.* sæpe enim ponuntur in iure formæ iurandi; vt in capite. *Ego N.* & in cap. *Etsi Christus. de iureiurando*, sine hoc verbo *Iuro*. Vt, *sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia*, & alia similia, & D. Paulus non dixit, *Iuro*; sed, *Testis mihi est Deus*, & Prophetæ olim dicebant, *Viuit Dominus, viuit Deus*; & est res certa; & constabit statim, & eam docent Panot. in cap. *Querelam, de iureiurando num. 1.* & Syluester *verbo, iuramentum 1. q. 1. & 6.* & Sotus, & Couarruuias, quos citat, ac sequitur Suarez allegatus *num. 1.*

Suar.

Panot. Syluest. Sot. Couar. Suarez.

2. Primò ergo statuo. Ad iuramentum non exigitur verbum *Iuro*; sed eo tacito, verum iuramentum est, cum fit verbis id significantibus, vt si quis dicat. *Per Deum: per Diuum Petrum*, &c. quia re vera his, & aliis similibus verbis diuinum testimonium inuocatur, & affertur Deus, quatenus in creaturis splendet in testem rei affirmatæ, aut negatæ, in quo consistit tota ratio, & substantia iuramenti. Ita reprobato Cardinali docet Abbas in cap. *Etsi Christus. num. 3. de iureiurando.* Syluester *verbo, Iuramentum 1. num. 1.* Couar. *de pactis 1. part. cap. 15. num 1.* Sayro *in claui regia lib. 5. cap. 1. num. 7.* Suarez modò citatus, & alij.

Abbas. Syluest. Couar. Sayro. Suarez.

3. Statuo secundò. Si rigorem significationis huius verbi *Iuro*, spectemus, per illud, verum iuramentum inducitur, etiamsi absolutè, & nudè proferatur, non exprimendo per quid iuretur, neque addita aliqua determinatione; vt, *Iuro me facturum hoc*, vel *hoc ita esse*, quia significat Deum in testem inuocare; at attento communi vsu, & consuetudine hominum, qui quoties iuramentum faciunt, aut ab aliis postulant, solent exprimere per quid iurent, existimo non esse iuramentum, nisi de animo, & intentione iurantis constet; esse verò iuramentum vt constat, quando ex adiunctis res facta intelligitur, vt si iuramentum petens dicat: *Iuras per Euangelia*, aut, *Per Diuum Petrum*, & alter respondet, *Iuro*; aut, *iuras te facturum*, vel *non facturum hoc*; & respondet *Iuro*; & si quis dicat, *Iuro in forma iuris*, vt solet fieri in nonnullis petitionibus in iudicio præsentatis; quia sensus est, *Iuro eo pacto, quo ius præscribit iurandum.* Ita docet expressè Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num 4* & consonat Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuram. assertor. cap. 13. num. 3.* & omnes qui dicunt in formis iuramentorum vsus, & consuetudinis patriæ rationem esse habendam, an, scilicet iuxta talem vsum ea verba pro iuramento vsurpentur; & hi sunt Valentia *2. 2. disp 6. quæst. 7. punct. 2. colum. 2. vers. Neque verò omnes*, & Sanchez allegatus *num. 1.*

Sanchez. Suarez.

Valent. Sanch.

4. Hinc deducitur, hæc verba: *Voueo Deo, Consecro Deo*, quamuis ex se iuramentum non sint, sed votum significent, aut consecrationem, tamen ex accommodatione, & vsu hominum pro iuramento accipi, & iuramenta esse, licet homines ineptissimè vtantur his verbis pro verbo iurandi. Ita expressè docent Suarez *tom. 2 de Relig. lib. 1. de iuram promiss cap. 13. num. 2.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 14* Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 1. colum penultima.* Alcocer *in summa cap. 5. paulo post principium in 3. doctrina.* Aragon. *2. 2. quæst. 89. art. 1. in dubio*, quod mouet circa primam conclusionem Rodriguez. *tom. 1. summa in 2. edit. cap. 191. num. 1.* & idem dicendum est de his verbis. *Promitto tibi Deo, yo os prometto a Dios*; iuxta Sancium allegatum; quia eundem sensum habent, ac *Voueo Deo*, neque in iis attento vsu promissio aliqua dirigitur in Deum; sed in hominem; & Deus solùm adducitur vt testem quamuis impropriè. Valascus *consultatione 99. num. 14. tom. 1.* existimat non esse iuramentum, & ita iudicasse viros doctissimos, ac Senatum Lusitanum; sed licet attento verborum rigore id verum esset, ex vsu tamen & acceptione hominum, oppositum dici debere videtur.

Suarez. Sanch. Sot. Alcocer.

Arag. Rodrig.

Valasc.

5. Statuo tertiò. Si tamen verbo, *Iuro*, additur aliquid per quod illius rigorosa significatio temperetur, & denotetur diuinum testimonium non inuocari, non est iuramentum; vt *Iuro per non Deum*; *Iuro per decem*; *iuro per S. Petrum ex ligno*; *Iuro per cœlum oris*; *Iuro per S. Scirpum.* Hispanè, *iuro adies, iuro a no Dios, iuro a S. Pedro del Palo, por el Cielo de la boca, a San Iunco.* Et ratio est, quia illud additum significat hominem non habere intentionem iurandi, & spoliat verbum *Iuro*, sua rigorosa significatione iurandi; sicut cum dicitur. *Homo pictus*, particula, *Pictus*, spoliat verbum *homo*, à vera significatione hominis. Ita Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 3.* Suarez *tom. 2. de Religione lib. 1. de iuram. assert. cap. 13. num. 4.* & Ledesma *tom. 2. summa tract. 11. cap. 1. dub. 1.* Idem dicendum est, si post verbum *Iuro*, statim quis addat, *per hanc barbam*, vel, *Iuro per me ipsum: Iuro ami; Iuro por quien soy; Iuro atal.* Ratio est, quia, eo ipso, quod illud additamentum ponitur, indicatur animus loquentis esse iuramentum non perficere, vt optimè notauit Suarez allegatus *num. 3. in fine.*

Sanch. Suarez Ledesm.

6. Statuo quartò. Nihil refert ad verum iuramentum, siue fiat per præpositionem, *In*, siue per præpositionem, *Per*; ac proinde si res inuocata per præpositionem, *In*, non est iuramentum, neque etiam erit, si inuocetur per præpositionem *Per*; si verò è contra inuocata per præpositionem, *In*, fuerit iuramentum, etiam erit per præpositionem, *Per.* Et ratio est, quia licet Sotus *lib. 8. de iustitia quæst. 1. art. 1. colum. 5.* inter vtrumque loquendi modum: vnde ait non esse iuramentum, *In fide mea: In mea conscientia*, cum dicat esse iuramentum, reuera tamen idem est vtriusque orationis sensus, & idem valet, *in Deo hoc affirmo*; atque, *per Deum hoc affirmo. In Deo ita est*, atque, *per Deum ita est.* Ita docent communiter DD. Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3 cap. 2. num. 8.* D. Bonau. *in 3. dist. 39. in exposit. littera. num. 5. in fine.* Syluester *verbo, Iuramentum 1. quæst. 5.* Aragon. *2. 2. quæst. 89. art. 1. in dubio*, quod mouet circa primam conclusionem in solutione ad 3. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuram. cap. 13. num. 14.* Lessius *lib. 2. de iust. cap 41. dub. 1. num. 4.* Petrus Ledesma *tom. 2. summa tract. 11. cap. 1. dub. 1. in solutione ad 4.* Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 7. punct. 2. col. 3.*

Sanch. D. Bonau. Syluest.

Arag.

Suarez.

Lessius. Petr Led. Valent.

Azor. Rodrig. Says. Suar.

col. 3. Azot tom. 1. *Inst. moral. lib. 11. cap. 3. quæst. 1.* Manuel *tom. 1. summæ in 2. edit. cap. 191. num. 3.* Sayro *in claui regia lib. 5. cap. 1. num. 13.* imò addunt DD. citati, & speciatim Suarez *num. 5.* indubitatam esse hanc iuramenti formam *Per Deum* etiam apud hæreticos, & id probat D. Aug. *Epistola 89. in fine*, & ex communi vsu, & consensu hominum, & ex vi illius particulæ *Per*, & quia illius locutionis non potest alius esse sensus. Quod verò *in Deo ita est*, vel *in Deo iuro*, sit iuramentum, conuincit ex D. Paulo, qui etiam in opinione Soti iurauit, dum ait; *Veritatem dico in Christo* ad Rom. 9.

7. Alcocer. Sanch.

Vnde similiter est iuramentum dicere, *Par Dios*, vt bene docet Alcocer *in summa cap. 15.* & Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 13.* quia idem est sensus; ac dicere, *per Deum*. Contingit tamen aliquando dicere *per Deum quod sic. Por Dios que sy: Por Dios que es rezia cosa.* Et hoc non est iuramentum, sed modus quidam dicendi, & ostendendi tædij, quod quis habet, & ita tradunt, tamquam regulam generalem Angelus *verbo, Periurium, in fine principij.* Syluester *ibi quæst. 1. versicul. 1. quando iurat. in fine*: Sanchez modò allegatus.

Angel. Syluest.

8. Et ex hac quarta conclusione, sequitur iuramentum contineri in his verbis; *Per meam animam; In anima mea*; quia cum in anima rationali specialissimè Deus splēdeat tamquam in sua imagine, censetur Deus in ipsa splendens adduci in testem; & ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 29.* Syluester *verbo iuramentum 1. quæst. 5.* Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. artic. 1. col. 5.* Pedraza *in summa precepto. 2. §. 1.* Azot. *tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæst. 1.* Ledesma *tom. 2. sum. tract. 11. cap. 1. dub. 1. ad 4.* Suarez *tom 1. de relig. lib. 1. de iuram. assert. cap. 13. num. 22.* Potest tamen in illis verbis, *In anima mea*: non contineri iuramentum, si nimirum hoc sensu proferantur; *id quod dico, est quod habeo in anima mea*; quia tunc nihil adducitur in testimonium. Ita Sanchez allegatus *dict. num. 29.* Syluester, & Petrus Ledesma hic modò citati. Credo tamen vt non sit iuramentum, deberi hac speciali intentione proferri, quia in communi vsu, & sensu hominum pro iuramento vsurpantur.

Sanch. Syluest. Sotus. Pedraza. Azor. Ledesm. Suar. Sanch. Syluest. Ledesm.

9. Similiter est iuramentum, *Viuit anima mea, vel tua*; quia Deus in animæ vita tamquam in re nobilissima splendens adducitur in testem. Ita Syluester, *verbo, iuramentum 1. quæst. 1.* Azor. *tom 1. lib. 11. cap. 3 quæst. 1.* Sanchez *dict. num. 29.* Item iuramentum continetur in his verbis: *In periculo anima mea, super animam meam*; vt docet Sanchez *ibidem.* Innocentius in cap. *Etsi Christus num. 3.* & ibi Baldus *num. 7.* Est enim iuramentum execratorium; & faciunt hunc sensum *hoc damnum patiatur anima mea, si hoc ita non est*; at quando sensus non est execratorius, nec adducuntur hæc verba in testimonium alicuius veritatis à nobis assertæ, sed ad reddendum aliquem certum, & tutum circa opinionem aliquam amplectendam; hæc solemus dicere vulgo, *yo lo tomo sobre mi anima, o sobre mi consciencia, hazed isto*; tunc quidem non continent iuramentum iuxta auctores citatos, speciatim Sanchez *dicto num. 29.* Ex quibus liquidum manet non rectè dicere Salicetum Butrionum, & alios, quos refert, & sequitur Gutierrez *authent. sacramenta puberum num 148. Cod. si aduersus vendit.* & Gregor. Lopez *lege 26. verbo, o le fiziere, titulo 11. part. 3.* non esse iuramentum, *per meam animam.*

Syluest. Azor. Sanch. Innoc. Bald. Sanch. Salicet. Gutierr. Greg. Lop.

10. De his verbis; *in mea conscientia, per meam conscientiam*; ambiguum est, an contineant formam iuramenti. Quidam enim asserunt *in mea conscientia* non esse iuramentum, esse verò *per meam conscientiam*; quia in priori loquendi modo non videtur Deus adduci in testem, secus in posteriori. Ita docet Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 1. colum. 5.* Alij in vtroque modo loquendi dicunt contineri iuramentum. Ita Syluester *verbo Iuramentum 1. quæst. 5.* Aragon. *2. 2. quæst. 89. art. 1. in dubio*; quod mouet circa primam conclusionem in solutione ad 3. Azot. *tom. 1. lib. 11. Inst. moral. cap. 3. quæst. 1.* Nauarrus *in summa Lat. cap. 11. num. 6.* vbi asserit in his verbis; *per meam conscientiam*; contineri iuramentum; & de verbo, *In mea conscientia*; idem tenet Pedraza *in summa precepto 2. §. 1.* & pro hac parte faciunt omnes, qui dicunt nihil referri ad veram iuramenti formam; quod iuramentum fiat per præpositionem *In*, an per præpositionem *Per*: quoties enim in vna præpositione continetur iuramentum, toties in alia contineri affirmant, & si non continetur in vna, neque etiam contineri in alia, quos retulimus, & secuti sumus *num. 6. conclusione 4.*

Sotus. Syluest. Arag. Azor. Nauar. Pedraza.

11. Dicendum tamen est, nisi homo per has formulas velit specialiter iuramentum efficere, in illis iuramentum non contineri, nam nihil in eis adducitur in testimonium rei assertæ: sed purus, ac nudus sensus horum verborum, hic est, *hoc quod dico, est, quod sentio in mea conscientia, in corde meo*; vel, *hoc quod dico, est id, quod mihi dictat mea conscientia*; & ita docet Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. de iuram. assertorio cap. 13.* Petrus de Ledesma *tom. 2. summa tract. 11. cap. 1. dub. 1. n. 4.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. dub. 1. num. 4* asserens idem esse *super meam conscientiam.*

Suar. P. de Led. Lessius.

12. Addit tamen Sotus *dicto lib 8. de iust. quæst. 1. art. 1. columna 5.* Si ita dicatur. *Iuro per meam conscientiam*, esse indubitatum iuramentum; sed meliùs Ledesma & Sanchez modò allegati id negant, nisi specialiter quis velit iurare; & ratione confirmant, quia licet verbum *Iuro* sufficiat ad iuramentum, tamen ratione illius additamenti, in quo non continetur iuramentum *per meam conscientiam*, distrabitur à propria significatione, vt diximus *num. 5.*

Sotus. Ledesm. Sanch.

13. Nec etiam continetur iuramentum aliquod in his verbis; *testis est mihi conscientia mea*; quia hæc verba solùm simplex, & plenum dictamen propriæ conscientiæ significant, & id enunciant, & tantundem valent, ac si diceretur: *Hoc mihi dictat mea conscientia.* & ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 30. in fine.* Vnde minus bene asserit Syluester *verbo, iuramentum 1. quæst. 1.* in hisce verbis veram formam iuramenti contineri.

Sanch. Syluest.

14. Sed quid de his verbis, *Iuro mihi. Iuro per me. Iuro pro me. Iuro ami, Iuro por mi*: Sotus *de iuramentorum abusu cap. 4.* videtur supponere esse iuramenta, quia homo est creatura nobilissima in qua specialiter splendet Deus, & sic Deum in homine splendentem in testem rei assertæ iurans adducit; & ita specialiter tenet Alcocer *in summa cap. 15. paulo post principium in prima doctrina*; sed melius Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de iuramento assertor. cap. 13. num. 3.* & Sanch. *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 31.* asserunt non esse iuramenta; quia sensus est, *Iuro a quien soy*, id est, *iuro in qualitate aut bonitate meæ personæ, Iuro à quien soy ami qualidad, o bondad.*

Sotus. Alcocer. Suar. Sanch.

15. Maior dubitatio est de his verbis. *Iuro in fide mea, per fidem meam. Promitto sub mea fide, in fide Regia; & per fidem Regiam: iuro, aut promitto per fidem, sub fide, aut in fide bona boni viri, aut nobilis hominis.* Et quidem in his omnibus verbis putant esse iuramentum Gail *in suis obseruationibus lib. 2. obseruat. 59 num. 1.* Surdus *de* [...] *sione 234. à num. 3. pa. t. 1 glossa finalis cap. 2. de fidei iussione.* vbi ait idem esse venire contra fidem promissam, & contra iuramentum; & Ioannes And. *cap. 1. de sepult. in 6. num. 1.* & ibi Dominicus *in principio num. 7.* Franeus *num 4* vbi asserunt nullam esse differentiam, siue quis dicat, *Iuro per sancta Dei Euangelia*, siue *promitto sub fide mea.* Et Abbas in cap. *Ad aures de his, quæ vi num. 3.* vbi ait fidei præstationem, esse quandam iuramenti speciem; & Cardinalis *ibi quæst. vltima*, & Tabiena *verbo, Iurare quæst. 32. num. 32.* volunt etiam esse iuramentum. Et hoc solum discrimen constituunt Abbas, Cardinalis, & Tabiena, quòd cum exprimitur verbum, *Iuro*, & dicitur, *Iuro per meam fidem*, iuramentum appelletur in eo cap. *Ad aures*, si autem non exprimatur, & dicatur, *promitto in fide mea*, aut *sub fide mea*, aut *per fidem meam*, sit veræ fidei interpositio, ac proinde iuramentum: si verò dicatur solùm nudum verbum, *Promitto*, & non addatur particula, *in fide mea*, aut *sub fide mea*, aut *per fidem meam*, sit simplex promissio, siue iuramentum, & glossa in cap. *Constitutus. verbo, fide de transact.* explicat textum ibi dicentem, *fide præstita*, idest, *iuramento.* Et tandem *in fide mea, per fidem meam, sub fide mea; in fide*, aut *per fidem nobilis*: vulgo *a fé de Cauallero, in fide*, aut *per fidem Regis*, aut *Iuro in fide mea: in fide nobilis, in fide Regis, in fide Regia*, &c. esse iuramentum tenent expressè aliis citatis, Alciatus *l. Si quis maior. num. 51. C. de transact.* & ibi Padilha *num. 35.* Auendaño *de exequend. mandat. 2. part. cap. 27. num. 6.* Azeuedo *lib. 5. recopil. tit. 10 lege 3. fine* Et ratio est, quia cum hæc verba dicuntur, nititur id quod asseritur fidei christianæ, & diuinæ, non fidelitati humanæ, videntur enim efficere hunc sensum, *Iuro per fidem in qua credo, quod absque dubio est iuramentum.*

Gail. Surd. Ioan. Andr. Dominic. Franc. Abbas. Card. Tabiena. Alciat. Padilha. Auendaño. Azeued.

16. Secunda tamen opinio verior, & probabilior, docet ex rei natura ibi non esse iuramentum, nisi quis specialiter per ea verba iuramentum intenderet efficere; & ratio est, quia ibi per ea verba, *Iuro per meam fidem, in mea fide, sub mea fide*, aut *promitto*, &c. non intelligitur fides diuina, sed fidelitas humana; quippe eorum verborum sensus est, *Iuro per meam fidelitatem, veritatem*, aut *nobilitatem*, aut *vt sum fidelis in promissis*, aut *in dicendo verax.* Et quamuis verbum illud, *Iuro*, sufficiat per se ad iuramentum inducendum, vt diximus *num. 3.* tamen id quidem ita est, vt ibidem diximus, attento, & considerato communi hominum vsu & consuetudine, quando ei res aliqua sacra adiungitur, vt fides diuina Euangelium, aut Sanctus aliquis &c. Hic autem iam diximus per illud verbum, *fides mea*, non intelligitur fides diuina, sed fidelitas humana: ac proinde per hoc verbum, *fides mea*, seu *fidelitas mea*: videtur temperari rigor illius verbi, *Iuro*, iuxta ea quæ diximus *num. 3.* & ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 32.* vbi dicit veritatem sermonum humanorum fidelitati hominum inniti, non virtuti fidei Theologicæ, & Nauarrus *in summa cap. 12 num 2. & 5.* Caietanus *2. 2. quæst 89 art. 6.* Couarruuias *de pactis 1. part. §. 2. num. 2. versic. 9.* Alcocer. *in summa cap. 15. paulo post principium in sexta doctrina* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 42. dub. 1. num. 4.* Sayro *in claui regia lib. 5 cap. 1. num. 13. fine.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 2. col. 3.* Aragon *2. 2. quæst. 89. art. 1. in dubio quod mouet circa primam conclusionem in solut. ad 3.* Petrus de Ledesma *tom. 2. summa tract. 11. cap. 1. dub. 1. in corpore, & ad 4.* Rodriguez *tom. 1. summæ in 2. edit. cap. 191. num. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæst. 1.* Suarez *tom. 2. de Relig lib. 1. de iuram. assert. cap. 13. num. 10. & 17. & sequentibus*, vbi meritissimò reiicit Mendoçam *de pactis lib. 1. cap. 6. quæst. 3. num. 9.* asserentem in homine nobili non esse iuramentum, secus in vili, & plebeio, quia cum vilis, & plebeius non habeat qualitatem personæ, per quam iuret, sequitur, vt per fidem diuinam iuret. Idem tenent multi alij, quos refert, ac sequitur Sanchez *lib 7. de matrim disp. 29.* Vnde non placet Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 1. col. 5.* asserens esse iuramentum, *per meam fidem*, non tamen *in mea fide*; id enim iam suprà reiecimus; & diximus ad valorem iuramenti parum referre quod fiat per particulam, *In*, aut per particulam, *Per.*

Sanchez. Nauarr. Caiet. Couar. Alcocer. Lessius. Sayro. Valenc. Aragon. Petr Ledes. Rodrig. Azor. Suarez. Sanch. Sotus.

17. Ex dictis infertur primò, non esse iuramentum *in bona fide.* Ita Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 1. col. 1.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iur. assert. cap. 13. num. 17.* Sanchez *tom 2. Decalogi lib 3. cap. 7. num. 31.* Alcocer. *in summa cap. 15. paulo post principium in 6. doctrina.* Petrus de Ledesma *tom. 2. summa tract. 11. cap. 1 dub. 1. in corpore, & ad 4.* & addunt bene Sanchez, & Ledesma, idem esse, licet quis dicat: *Iuro in bona fide, Iuro per bonam fidem*, iuxta ea quæ diximus *num. 6* Erit tamen iuramentum si dicatur, *in fide* aut *per fidem in qua credo*, quia ibi iam veritas assertionis, aut negationis innititur fidei diuinæ, non fidelitati humanæ.

Sotus. Suar. Sanch. Alcocer. Petr. Ledes.

18. Infertur secundò, idem esse dicendum si dicatur, *in bona fide iurata*, vel, *per bonam fidem iuratam*: similiter enim iuramentum non est, quia idem est sensus, & innititur veritas assertionis fidelitati humanæ, non fidei diuinæ, & virtuti Theologicæ. Ita Sanchez allegatus.

Sanch.

19. Hæc tamen omnia limitanda sunt. Primò, vt iam diximus, nisi quis specialiter intendat per ea verba iurare. Ita Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæst. 1.* Sanchez *lib. 3. cap. 2. num. 31. tom. 2. Decalogi* iuxta ea quæ diximus *num. 16. cap. 1.* Secundò, nisi in more positum esset apud homines inter quos hæc verba vsurpans habitat, per ea verba iurare, vt tradit Sanch. *dict. tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. n. 32.* nam, vt suprà iam diximus, semper in iuramentis habenda est ratio consuetudinis patriæ, & videndum, an ea verba pro iuramento in terra, & vrbe, & oppido vsurpentur, vt docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuram. cap. 12 n. 2.* ac Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 7. punct. 2. col. 2. versiculo, Neque verò omnes.*

Azor. Sanch. Suarez. Valenc.

20. Vbi autem res dubia est, an iurans intenderit per ea verba *num. 16. & 17.* relata iurare, censendum est ea non esse iuramentum; quia ex se iuramenta non sunt, & in dubiis melior est conditio possidentis, & homo est in possessione suæ libertatis. Ita Sanchez allegatus *dicto num. 32.* & Couar. *de pact. 1. part. §. 2. num. 2. versiculo 9.* & Sayro *in claui regia lib. 5. cap. 1. num. 13. fine.* & Caietano *2. 2. quæst 89. art. 6.*

Sanch. Couar. Sayro. Caiet.

21. Similiter non est iuramentum ex vi verborum, nisi quis per ea verba intendat iurare, aut in eo loco positum sit in more, ita homines iurare; si quis dicat, *Iuro in fide christiani*, aut *boni christiani*,

christiani, nisi fides Christi specialiter intelligatur: quia hæc verba de se efficiunt hunc sensum, *ea veritate loquor, qua loqui debet bonus Christianus*, & sic veritas asserti fundatur in fidelitate humana, quam boni Christiani seruare solent; non
Cou. Sanch. Suarez. Lessius. io fide diuina, & virtute Theologica. Ita Couar. proximè allegatus, Sanchez *dicto tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num 32.* Suarez *tom. 2. de Religion. lib. 1. de iuramento assert cap. 13. num. 19.* Lessius
Sayr. Sà. Azor. *lib. 2. de iust. cap 42. dub. 1. num. 4.* Sayro *in claui regia lib. 5. cap. 1. num. 13.* Sà *verbo iuramentum in summa num. 1.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæst. 1.*
Petr. Ledes. Petrus de Ledesma *tom. 2. summa tract. 11. cap. 1. dub. 1.* & ex dictis colligitur in dubio non esse iuramentum: & quamuis Sotus *de iuramentor. abusu cap. 4.* dicat secus esse si quis dicat *per fidem Christiani*, tunc enim existimat esse iuramentum; at nihil refert vtrauis forma vtatur, vt iam sæpe diximus, ac probauimus.

22. Neque etiam est iuramentum ex vi verborum nisi specialiter intendat quis per ea verba iurare, aut mos sit io ea regione ea verba pro iuramento vsurpare, dicere, *in fide Religiosi, in fide sacerdotis*, aut *per fidem religiosi, vel sacerdotis*. Ita San-
Sanch. Azor. Sayr. chez *tom. 2. Decalogi lib. 2. cap. 2. num. 32.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 3* Sayro *in claui Regia lib. 5. cap. 1.*
Suarez. Sà. Lessius. *num. 13.* Suarez *tom. 2. de Religione lib. 1. de iuram. assertorio cap. 13 num 19.* Sà *in summa, verbo, iuramentum, 1.* Lessius *lib. 2. de iust. cap 42. dub. 1. n. 4.* faciunt enim hæc verba hunc sensum, *ea veritate loquor, qua loqui debet sacerdos, vel religiosus*; & sic veritas asserta fundatur io fidelitate humana sacerdotis, aut religiosi, non in fide diuina.

23. At erit iuramentum ex vi verborum; si quis dicat, *Per has manus sacras*; *per hunc habitum D. Petri*, aut *D. Francisci*; quia sunt res sacræ in
Sotus. Suarez. Sayr. Sanch. quibus Deus honoratur. Ita Sotus *lib 8. de iust. quæst. 1. art. 1 colum. 5.* Suarez *tom 2. Relig. lib. 1. iurament. assert. cap 13. num. 23.* Sayro *in claui regia lib. 5. cap. 1. in fine* Sanchez *tom. 2. Decalogi lib 3 cap. 2. num. 25.* Et idem dicendum est iuxta eundem Sancium si eorum Sanctorum nulla fieret mentio; sed Clericus, aut Religiosus diceret, *Per hunc habitum, quem gero*, vel *per vestes sacras, quibus celebratur*. Et ratio est, quia hæc omnia sacra sunt, in quantum rem sacram repræsentant. Similiter erit iuramentum dicere, *Per ordinem sa-*
Sanch. Sylueſt. *crum quem recepi*. Ita Sanchez allegatus *dict. n. 2.* & Syluester *verbo, iuramentum 1. quæst. 1.* & idem credit Sanchez (& bene) si iuramentum fiat per primam tonsuram, aut per quatuor ordines minores, & cum Sancio videtur consentire Suarez allegatus *dicto num 13.* quatenus indistinctè ait esse iuramentum si Clerici iurent per ordines.

24. Si quis autem dicat *per fidem Christi, per fidem Dei*, aut *in fide Christi*, vel *in fide Dei*, aut *per Christianam, in fide Christiana*; manifestum iuramentum esset, quia tunc veritas fidei diuinæ in
Sanch. Suarez. Sotus. testimonium adducitur. Ita Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 32.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuram. assertor. cap. 13. num. 18.* Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 1. col. 5.* Ratio est, quia fides Christiana est res valde sacra; attestatio autem per rem sacram, eo ipso, est iuramentum, quia illa quasi per se inuoluit respectum ad Deum; sicut qui iurat per cœlum, & per terram Dei, eo ipso, per illud additum *Dei*, satis exprimit vim iuramenti; ergo multo magis, qui iurat per fidem Dei, aut per fidem Christi, aut per fidem Christianam; quod idem est, vt docet Suarez allegatus. At io verbo sacerdotis est iuramentum; quia quamuis in rigore hæc verba iuramentum non soneot, tamen sic vsus accepit; est communis. Ita docet Sanchez *dicto tom. 2. Decalogi lib. 3.* Sanch.
cap. 2. num. 32. in fine.

25. Itaque quando non absolutè fides, sed cum aliquo addito interponitur, interdum res est clarior, interdum obscurior. Erit quidem res clara, si additum sit diminuens, & quasi distrahens fidem ad meram fidem & conditionem humanam, qualia suot omoia illa de quibus supra diximus, *in fide Regia*; *in fide viri nobilis*, Hispanè *à fe de hyo dalgo*, *in fide boni viri Christiani*, aut *boni Christiani*; *Religiosi*, aut *boni Religiosi, sacerdotis*, aut *boni sacerdotis*; & similia: quia per huiusmodi particulas clarè determinatur fides ad fidem humanam, & sub respectu humano, seu purè morali, & ideo tota illa assertio oon transcendit humanæ fidei testificationem, ac proinde non est iuramentum; & ita docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1.* Suarez.
de iuram. assert. cap. 13. num. 17. vbi asserit in hoc omnes conuenire.

26. Idem dicendum est de his verbis, *in fide bona, per fidem bonam*; nam licet omnes, quos citauimus *num. 15.* asserant continere hæc verba verum iuramentum, tamen *num. 16.* contrarium ostendimus, & contrarium latè probat Suarez modò allegatus *dicto n. 17.* quia fides humana bona est, & ideo per illud additum non determinatur ad diuinam; vnde gratis, & sine fundamento dicitur in his verbis verum iuramentum contineri.

27. Maius dubium est de homagiis, vulgo *pleito, omenaie*, id est, de formulis in quibus promittuot Duces, Proreges, & Præfecti, qui in custodiam arces Regias accipiunt, se illas fideliter seruaturos sub Regis, aut Principis patrocinio, à quo eas accipiunt. Quidam enim censent non esse propriè iuramenta, sed quasdam promissiones simplices, ac proinde non esse periuros, qui eas non seruant, sed infideles io promissis, vulgo
fementidos. Ita latè probat Sanchez *lib. 6. de matr.* Sanch.
disp. 11. num. 9. & 10. & hanc opinionem tenet
etiam Sayro *in claui regia lib. 5. cap. 1. num. 13.* & Sayr.
Gregor. Lopez *lege 26 tit. 11. part. 3.* & multi alij Greg Lop.
quos ibidem refert, ac sequitur Sanchez. At verò Couarr. *in capite, Quamuis pactum §. 1. num. 1.* Cou.
& 2. & Auendaño *de exequend. mand. cap. 7. à* Auendaño. Suarez.
num. 6. & Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuramento assertorio cap. 13 num. 25.* & Baldus *consil. 26.* Bald.
vol. 2. & multi alij, quos refert Sanchez allegatus, existimant in homagiis verum contineri iuramentum; quia homagium adhibetur in pactis, aut promissionibus inter personas excellentiores, & in grauioribus materiis, & ad summam quandam firmitatem; ergo non est verosimile fieri sine iuramento, cum illud sit quasi primum principium, & fundamentum moralis firmitatis in rebus humanis. Vnde glossa *in cap. vltimo de Regulis iuris*, homagium interpretatur *Sacramentum* fidelitatis, id est, *iuramentum*, iuxta ea quæ diximus *cap. 1. num. 1.* & constat ex capite, *Qui sacramento 22. quæst. 4* & in capite, *Grauem, de excessibus prælat.* violator homagij periurus dicitur, & tamquam periurus grauiter punitur. Ego in hanc sententiam inclino; nam, vt bene deducit Couar. allegatus, homagium nomen est Græcum veniens ab hoc vocabulo *Agios*; quod sanctum, aut sacrum significat, & hoc modo periode est dicere, homagiom facio: *hago pleno, y omenaie*, atque dicere *iuramentum facio*. In hoc tamen consideranda est consuetudo patriæ, quæ est optima interpres huiusmodi rituum, & legum.

Non

Sanch. Azor. Syluest. Sotus. Alcocer. Arag. Sá. Suar. Lessius.

28\. Non est iuramentum si quis dicat. *In veritate, per veritatem, in realitate veritatis, verè, & sincerè, certè, profectò, sanè, re verà.* Seclusa peculiari intentione iurantis; si enim iurare intenderet, aut existimaret, se iurare adducendo summam veritatem, quæ est Deus, in testem; manifestum esset iuramentum. Ita docet Sanchez *tom.2. Decalogi lib.3.cap.2. num.34.* Azor. *tom.1. lib.11.cap.3. quæst. 1.* Syluester *verbo, Iuramentum 1. quæst.3.* Sotus *de iuramentor. abusu cap.4. & lib.8. de iust. quæst. 1. art. 1. col. 5.* Alcocer. *in summa cap. 15. paulo post initium in 6. doctrina.* Aragon.2. 2. *quæst.89. art.1.* Sà *in summa verbo, Iuramentum num.1.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.1. de iuram. assertor. cap. 13. num. 21.* Lessius *tom.1. de iust. lib.2 cap.41. dub.1.num.4.*

Sanch. Sayro. Suarez. Rodrig. Syluest. Nauarr.

29\. Non etiam est iuramentum, si quis dicat. *Iuro per has barbas, per has vestes, per filum huius meæ tunicæ, per hunc capillulum, per hanc paleam, per calceos, per passeres; per hunc ignem, per hunc aerem, per hanc pluuiam*; & similia vilia, & nullius pretij, quia cum in illis diuina bonitas specialiter non reluceat, non censetur Deus adduci in testem. Ita docet Sanchez *tom.1. Decalogi lib.3. c.2. num.35. & num. 10.* Sayro *in claui regia lib.5. cap.1. in fine & 14.* Suarez *tom.2. Relig. lib 1. de iuram. assert. cap.13.num 23.* Rodrig. *in summa tom.1. in 2. edition. cap 191. num.1.* Syluester *verbo, Iuramentum 1.quæst.4.* Nauarrus *in summa Lat.cap 12. num. 5.* Bene tamen temperant hoc Syluester, Aragon. Sayro, Rodriguez, Sanchez, nisi adducatur in obliquo Deus, nam si dicatur, *per hunc aerem, ignem, aut terram Dei, per hanc pluuiam, aut paleam Dei*; nam tunc verum erit iuramentum, quia nomen Dei in obliquo positum efficit, vt Deus illius creaturæ conditor adducatur in testem, ac proinde sit iuramentum. Nec similiter erit iuramentum, *Iuro per vitam harum barbarum*: quia eadem est ratio, & quoties per barbas iuratur, interponitur auctoritas personæ, non fides diuina, nec Dei testimonium. Nec etiam est iuramentum si quis dicat. *Per lac, quod sugi*, quia lac est creatura infima, vt docet idem Sanchez *dicto num.35.* semper tamen hæc intelligenda sunt, nisi specialiter quis per hæc verba intendat iurare; nam qualemcumque creaturam vero iurandi animo adducamus in testem, verum est iuramentum; quia adducitur illa, vt refertur ad Deum iuxta ea, quæ diximus *num. 28.* & docet Sanchez *ibi, & num. 10.* & Suarez *tom. 2. de Relig. lib.1. de iuram.assert. cap.13.num 23.*

Sanch. Suar.

30\. Animaduerte autem nunquam licitum esse iurare per quascunque creaturas viles, etiam vt referuntur ad Deum, vt, *per hanc paleam Dei, per hanc barbam*, &c. quia non sunt conuenientes creaturæ, vt in eis diuina bonitas repræsentetur. Quare etsi iuramentum sit validum, non tamen licito modo fiet, & ideo non licet iurare per dæmones, per idola, per damnatos, per Mahometum, etiamsi sint creaturæ Dei; quia dæmones, & idola non sunt conuenientes creaturæ, vt in illis diuina bonitas splendeat, & prout splendet in illis adducatur in testem, cum potius hæ creaturæ ponantur, vt aduersantes diuino honori. Deinde quia iurans per illas, videtur eas honorare, & dæmonum authoritati fauere, confirmans promissionem suam nominibus illorum inuocatis; quare peccatum erit mortale per dæmones, & per idola iurare; si tamen reuera iurans per has creaturas, eas referret ad Deum, tanquam testem, vel vindicem, verè iuraret, quamuis mortaliter peccaret; quia realiter Deus in illis, testis illius dicti, adhibetur. Ita docet Sanchez *tom.2. Decalogi lib 3.cap.2.num.11.* Abulensis *cap. 5. in Matth. quæst. 268.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.1.de iuram. assert.cap 5. num.9.* Illud tamen animaduertendum est, fideles vsurpantes huiusmodi creaturas in iuramentis, id facere causa irrisionis, non religionis, ac proinde, & à iuramento, & à peccato lethali, & veniali excusari: & ita docet Sanchez *dicto num.11.* & Abulensis *dicta quæst.168.* & Alcocer. *in summa c.15. paulo post initium in 7. doctrina.*

Sanchez. Abul. Suarez. Sanch. Abul. Alcocer.

31\. Est tamen iuramentum, *per meam vitam, vel salutem*; aut *per vitam, vel salutem fratris mei, vel alicuius alterius hominis*: quia illius sensus est execratorius, id est, *Deus mihi auferat, vel fratri meo vitam, si hoc non ita est.* Ita D. Thom.2. 2. *quæst.89. art 6.* Sotus *lib.8. de iust. quæst.1. art.1. columna 5. & art.6. col.2. & de iuramentor. abusu, cap.4.* Nauarrus *in summa cap.12* Couar *de pactis, 1 part. § 1. num.5.* Alcocer. *in summa cap.15. post initium in 1. doctrina.* Lessius *lib.2. de iust.cap.42. dub.2. num 8.* Sayro *in claui regia lib.5.cap.2.n.3. & cap.3. num. 14* Aragon.2. 2. *quæst.89. art.5.* Azor. *tom 1. lib.11. cap.3. quæst.1.* Manuel Rod. *tom. 1. summæ in 2. edit. cap. 191. num. 3.* Quare non est credendum id, quod quidam, quos tacito nomine refert Emanuel Sà *verbo, Iuramentum.num.1.* aiunt, videlicet, non esse iuramentum, *per vitam meam; sic me Deus adiuuet*; ait autem ipse pendere hoc ex intentione dicentis. At sine dubio tenendum est ex vi verborum hoc esse iuramentum nisi hæc verba proferens expressè intenderet non iurare; vt docet Sanchez *tom.2. Decalogi lib.3.cap.2.num.36. ad finem*, potest enim esse sensus non execratorius; & sic non esse iuramentum. Similiter est iuramentum. *In periculo animæ meæ: & per vitam mei equi*; siue per conseruationem rei inanimatæ; nisi ex circunstantiis appareat id dici causa vitandi veri iuramenti. Ita Sanchez *tom.2. Decalogi lib.3 cap.2. n.36. fine.* Suarez *tom.2. Religionis lib.1.de iuram. assert. cap. 13. num. 27.* sed de formis iuramenti execratorij dicemus statim cap sequenti.

D.Thom. Sotus. Nauar. Couar. Alcocer. Lessius. Sayro. Aragon. Azor. Rodrig. Sanch. Sanch. Suarez.

32\. Has formas, *Deus scit, Deus audit, quod dico*; putant aliqui continere verum iuramentum. Ita Sotus *lib.8 quæst.1 art.1. circa finem*, & D.Thom. *2. 2. quæst.89. art. 1. ad 3.* & Azor. *tom.1. cap.3. quæst. 1.* vbi sentiunt D. Petrum iurasse cum dixit Ioannis 21. *Domine tu scis, quia amo te.* Quod etiam sensit Maldonatus *ibi*, Patres referens; at Nauarrus *in summa cap.12. num. 2.* ait hæc verba, *Deus scit, an verum dicam*, non esse iuramentum; esse verò hæc, *Deus scit me verum dicere*, Caietanus verò *2. 2. quæst. 89. art. 5.* simpliciter dicit non esse iuramentum.

Sot. D.Thom. Azor. Nauar.

33\. Dicendum tamen est hæc omnia verba, *Deus scit, Deus audit, quod loquor; coram Deo, & Christo IESV dico*: vel *Deus scit ita esse sicut dico*; esse æquiuoca; possunt enim proferri inuocatiuè, id est, inuocando Deum ad confirmandum id, quod dicitur; & tunc sine dubio rationem iuramenti habent, aut enunciatiuè, hoc est, per modum simplicis enunciationis, & tunc nec sunt iuramenta, nec rationem iuramenti habent: quia tunc id non est inuocare Deum in testem, sed narrare Deum id scire, & videre, atque ita tandem docet Caiet.2.2. *quæst.89. art.1. circa solutionem ad 3.* Tabiena *verbo, Iurare. quæst. 32.* Sotus *lib.8. de iust. quæst.1. art. 1. colum. 6.* Suar. *tom.2. de Relig lib.1. de iuram. assert. cap.13. n.7, & 8.*

Caiet. Tabiena. Sot. Suar.

Sayt. Pedraza. Sanch. Arag. Rodrig. Sà.

& 8. Sayto *in claui regia lib* 5. *cap.* 1. *num.* 5. Pedraza *in summa precepto* 2. §. 1. Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. Aragon. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 1. *ante dubium circa* 1. *conclusionem, notabili vltimo* Rod. *tom.* 1. *summæ in* 2. *edit cap.* 191. *num.* 2. Valentia 2. 2. *disp* 6. *quæst.* 7. *punct.* 2. *col.* 3. Sà *verbo iuramentum num.* 1. & alij.

34. Quando autem non constat de proferentis animo & intentione; an scilicet per hæc verba velit iurare nec, ne; tuoc in viris bonæ conscientiæ, & qui non solent iurare, censetur animus esse non iurandi, sed enunciatiuè dicendi. Ita idem Sanchez *ibi*, Caietanus, Suarez Sotus, & Sayto proximè allegati. At in hominibus solitis iurare censebuntur hæc verba in dubio iuramenta, quia magis ad naturam iuramenti accedunt, & in eo sensu solent ab illis vsurpari, vt aiunt Sanchez allegatus, & Petrus de Ledesma *tom.* 2. *summa tract.* 11. *cap* 1. *dub.* 1.

35. In iudiciis verò in iis rebus, quæ damnum tertij concernunt, accipienda erunt iuxta communem sensum, & intelligentiam audientium. Ita docent Caietan. Tabiena. Pedraça, & Sayto *num.* 3. *allegati*, & Sanchez *dicto num.* 20. *ad finem.* & ratio est, quia tunc in eo sensu tenebatur proferens ea verba intelligere, ne iudicium deludatur, damnumve alteri inferatur.

Sayt. Sanch.

36. Hæc verò verba. *Testis est mihi Deus*, verum iuramentum continere expressè asserunt D. Thom. 2. 2 *quæst.* 89 *art.* 1. *ad* 3. Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 1. *art.* 1. *columna* 6. Aragon, 2. 2. *quæst.* 89. *art* 1. *ante dubium circa primam conclusionem, notabili vltimo.* Manuel. Rod. *tom.* 1. *summa in* 2. *edit. cap.* 91. *num.* 2. Syluester *verbo iuramentum* 1. *quæst.* 1. & idem Sotus *de iuramentorum abusu cap.* 4. Cæterum Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 3. *quæst.* 1. & alij asserunt in his verbis latere æquiuocationem, quæ latet in illis *coram Deo loquor*; & ideo si proferantur inuocatiuè esse iuramenta, secus si enunciatiuè dicantur; Sanchez verò *tom* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 21. asserit maiorem iuramenti speciem habere quàm illa, *scit Deus, & coram Deo loquor*; & ideo in dubio iusiurandum continere: at inter iuramenta ex communi vsu illa ponunt Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 1. *de iuram. assert. cap.* 13. *num.* 7. & Sayto *in claui Regia lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 3. & Lessius *tom* 1. *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 2. *num* 8. & ita iuramentum sine dubio continere hodie ex vsu hominum credo.

D. Thom. Sotus. Arag. Rodrig. Syluest. Sotus. Azor. Sanch. Suar. Sayto. Lessius.

Hæc autem verba. *Testis sit Deus, Deum testor, Deum testem aduoco, adhibeo, appello*: verum sine dubio iuramentum continent; nullum enim alium sensum nisi inuocatiuum patiuntur. Quare hodie etiam in vsu hominum pro vera forma iuramenti vsurpantur. Ita docet Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap* 2. *num.* 21. *fine* Suarez, Sayro, & Lessius modò allegati; & idem tenet etiam Azor *dicto tom* 1. *lib.* 11 *cap.* 2. *quæst.* 1.

Sanch. Suar. Lessius. Azor.

37. Hæc verò; *Viuit Deus, Deus est veritas, quòd hoc ita est*: numerat Ledesma *tom.* 2. *sum. tract.* 11. *cap.* 1. *dub.* 1. inter verba æquiuoca; at immeritò, continent enim manifestam formam iuramenti; vt docent Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 21. Syluester *verbo iuramentum* 1. *quæst.* 1. Sotus *de iuramentor. abusu cap.* 4. & *lib* 8. *de iust. quæst.* 1. *art.* 1. *col.* 6. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 3. *q.* 1. Suarez *tom.* 2. *Relig lib.* 1. *de iuram. assertor. cap.* 13. *num.* 6. quamuis *num.* 8. hæc verba *Deus est veritas*, ponat inter ambigua iuramenta. Et verò fuit olim hæc forma iurandi vsitatissima apud Prophetas, vt colligitur ex illo Hieremiæ 5. *& iurabunt, viuit Dominus*, ad diuertendum illum populum idololatriæ deditum à iurando per falsos Deos & idola, quæ distinguuntur in sacra pagina à Deo viuente Daniel. 14. *Erant enim inania simulachra, & non Deus viuēs.* Vnde non solùm verbo, sed etiam exemplo voluit Deus hunc iurandi modum; *viuit Deus, viuit Dominus*, populum illum edocere, vt constat Num. 14. *Dixit Dominus: Dimisi iuxta verbum: viui ego.* Et iterum. *Dic ergo eis: Viuo ego. dicit Dominus; sicut locuti estis, audite me, sic faciam vobis.* Nec ratio contrarium asserentium multum conuincit, nam licet illa verba. *viuit Dominus, viuit Deus*, hunc sensum efficiant, *Deus est viuens*; nihilominus ex speciali impositione, & vsu hominum desumpto ex sacra Scriptura, vsurpantur pro iuramento ad inuocandum Deum viuentem in testem rei assertæ, aut negatæ.

Ledesm. Sanch. Syluest. Sotus. Azor. Suar.

Non sunt autem iuramenta illa verba quæ multi dicere solent ad vitandum, & fugiendum ipsum iuramentum, *per totum*, vel *per vitam eius per quod iurare possum*: nam, vt experientia constat, id tantùm volunt dicere. *Cum per nullam rem iurare liceat absque necessitate per nullam iuro*; aliàs posteriora illa verba; *per vitam eius per quod iurare possum*; continerent blasphemiam, cum intelligerentur de vita Dei. Ita docet Sanch. *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 13. 38.

Sanch.

At si quis diceret, *iuro ad talem, per vitam talis, voueo talem*, Hispanè *iuro à tal, por vida de tal, voto a tal*; nullo modo efficeret iuramentum, ea enim verba clarum est vsurpari ad vitandum iuramentum; quod per Deum fit Si quis tamen sub vocabulo illo *Tal* Deum intelligeret, sine dubio iuramentum esset. Ita docent Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 24. & Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 1. *de iuramento assert. cap.* 3. *num.* 3. 39.

Sanch. Suarez.

Est autem hæc forma iurandi; *Iuro à San Oy*, æquiuoca, & ideo si specialiter intelligatur de illo sancto, qui eo die colitur, erit iuramentum; si autem per illa verba intelligatur dies præsens, & hodiernus, vt communiter iurantes intelligere solent, non erit iuramentum. Sicuti nec etiam erit si dicant. *Iuro a San Iunco*, aut *a San Pedro el de Palo.* Vnde in dubio hæc verba non continent iusiurandum, vt docet Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib* 3. *cap.* 2. *num.* 27. 40.

Sanch.

Verba autem quibus vti solemus, dum pueros minamur digito, naso, aut fronti applicato, & dicimus, *Per istum*, Hispanè *Por esta*, nullo modo iuramenta continent, quia non intendimus crucem, aut iuramentum facere: sed est quidam comminandi modus ad pueros deterrendos. Ita Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 27. Tandem non est iuramentum dicere iuxta eundem auctorem *Per hanc crucem*, nulla de industria, & animaduertenter cruce efformata, quia tunc non simpliciter iuratur per crucem; sed per crucem tunc efformatam; quæ cum minimè formata sit, nullo omnino efficitur iuramentum. 41.

Sanch.

Vltimò non erit iuramentum, nec censeberis iurare cum per Deum, aut per propriam vitam interrogaris, an ita res se habeat, si respondeas absolutè ita rem se habere, quia illa interrogatio tunc non est modus exigendi iuramenti; sed est quædam adiuratio. Ita Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib* 3. *cap.* 2. *num.* 28. Imò addit Sanchez ibi, & si rogans diceret, *iuras mihi per Deum ita rem se habere?* & tu interrogatus responderes: *ita res se habet*, non censeberis iurare; quia non annuis, 42.

Sanch.

nec

nec conniues iuramento interrogantis; sed soli eius interrogationi per simplicem assertionem respondes; secus esset si duntaxat responderes. *Ita*.vulgò, *Si*, vel tantùm capite annueres; quia tunc perinde est, ac dicere, *ita iuro*; quæ omnia probo, rectæ enim rationi sunt conformia.

Capvt III.

De formis Iuramenti, quæ habent adnexam blasphemiam in Deum, & Sanctos. Ad quem iudicem pertineat punitio blasphemiæ, an ad dominos Inquisitores tantùm? Agitur de obligatione denunciationis illius.

Svmmarivm.

Quid sit blasphemia. num. 1.

Qui seriò verum, vel falsum per Deos falsos iurant, vt per Martem, per Iouem, per Mahometum, blasphemi sunt. num. 2.

An sit blasphemia iurare per quamcumque creaturam etiam Sanctam sistendo precisè in ea, & non referendo eam ad Deum. num. 3.

Quid de illis verbis, Credo, descredo Deum, nego, renego Deum. *num. 4. Et quid de illis*, pœniteat, Deum pœniteat & Sanctum Petrum. *ibid.*

Quid de illis, velit, nolit Deus, hoc ita erit, *hoc est*, apezar de Dios, quera, no quera Dios esto se a de hazer. *num. 5.*

Quid de illis, Pezete a Dios. *num. 6.*

Quid de istis, Peze a tal. Nego, Renego a tal. *num. 7.*

Quid de illis, Non credo in Deum, Renego Deum, *vel* Sanctos. *num. 8.*

An sit blasphemia iurare per hæc verba, Iuro per vitam Dei, per vitam Sanctorum. *num. 9.*

An sit blasphemia dicere, Pœniteat Deum, pœniteat Sanctos *vel* Virginem. *num. 10.*

Quid de iuramentis, quæ fiunt, per pudenda Christi, & Sanctorum. *num. 11.*

An sit blasphemia hæc membra Christi nominare absque iuramento. num. 12.

Quid si quis iuret, per capillos, per caput, per intestina, per sanguinem, & per alia membra Christi, *an sit blasphemia. num. 13. 14. 15. Et quid si hæc membra sine iuramento nominentur, sed cum quadam indignatione.* ibid.

Quid si iniuriosè, & per modum vituperij membra honesta Christi nominentur. num. 16.

An blasphemia sit dicere fato omnia regi & gubernari. num. 17.

An sit dicere. Natus sum in hoc fato, in hac constellatione astrorum. *num. 18.*

Quid de his verbis, tam verum est hoc quod dico, quàm Deum fuisse incarnatum; quàm Virginem fuisse Virginem. *num. 19.*

An absolutè hæc verba iudicanda sint blasphema antequam constet de proferentis intentione. n. 20.

Quid si aliquid vituperabile dicatur in Sanctos, non quatenus Sancti sunt, sed quatenus homines ex tali natione, vt de D. Petro ideo Christum negasse, quia Iudæus erat. num. 21.

An sit blasphemia maledicere creaturis irrationalibus, vt ventis, pluuijs, animalibus. num. 22.

In omni blasphemia; quæ in Sanctos iactatur, quamuis membra, & defectus naturales illorum nominentur, semper inuenitur falsitas, quatenus hæc per modum vituperij de illis dicuntur, cum nihil habeant vituperabile. num. 23.

An qui eodem impetu, & calore iracundiæ plures blasphemias contra vnum Sanctum profert; vnum tantùm peccatum committit. num. 24.

Quæ blasphemia sint hæreticales, quæ non hæreticales. num. 25. & 26.

Domini Inquisitores de solis blasphemijs hæreticalibus agnoscunt. num. 27. De cæteris agnoscunt tam iudices seculares, quàm Ecclesiastici, sunt enim mixti fori. ibid.

Non hæreticales omnes sunt eiusdem speciei, distinguuntur tamen specie ab hæreticalibus. num. 28.

Quid si non hæreticales procedant ex odio formali Dei, an tunc distinguantur specie ab illis, quæ non sunt hæreticales. num. 29.

Quæ circunstantia in blasphemijs sint de necessitate confessionis. num. 30. Et quid circunstantia blasphemiæ, quæ est contra sanctissimam Virginem immediatè. ibid.

Soluitur obiectio contra suprà dicta. n. 31.

Quatenus blasphemiam audientes, blasphemos denunciare teneantur, & quibus iudicibus. n. 32. 33. 34. & 35.

VT plenius, quæ dicenda sunt, percipiantur, oportet imprimis scire quid sit blasphemia, & quot modis fiat, quo explicato cætera clarescent. Est igitur blasphemia, *maledictio, & conuitium in Deum, vel Sanctos iactatum*; & tunc fit quando quis mente, vel ore loquendo, aut negat Deo, vel Sanctis, quod eis conuenit, aut tribuit quod non conuenit; aut quod solius Dei est, attribuit creaturæ, aut Deo, Sanctisve, iniuriam facit contumeliosum aliquid in illos dicendo, aut saltem modo contumelioso, idque siue fiat asserendo, siue imprecando, siue optando. Hæc definitio deducitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. Breuiùs definiri potest in hunc modum, vt ibi definitur à Bañez *notabili* 2. *Est locutio falsa contra Deum per modum conuitij*; & non opus est dicere; *vel contra Sanctos*, quia quæ contra Sanctos dicuntur, contra Deum dicta censentur. Potest autem blasphemia aliquando esse coniuncta cum hæresi, aliquando ab illa separata: nam si quis dicat aliquid diuino honori derogans in Deum, vel Sanctos, credens ita esse, erit simul hæreticus, & blasphemus: si credit, & non dicit, erit tantùm hæreticus: si dicit & non credit erit solùm blasphemus. Ita docet Castro *lib.* 1. *de iusta hæret punit. cap.* 12. & Sanchez *tom* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 32 *num* 3. *fine.* Quamobrem propriè, & essentialiter consistit blasphemia in dicendo internè, vel externè aliquid contra Deum, quod eius honori deroget. Vnde blasphemia non est propriè infidelitas, aut hæresis; quia hæresis consistit in dissensu interno à Deo, & à rebus fidei; blasphemia autem non consistit in hoc dissensu, & errore intellectus; sed in locutione tantùm interna, vel externa, vt patet. Vnde blasphemia opponitur propriè, & verè Religioni, non fidei, quia proprium est virtutis religionis Deum, & Sanctos revereri: hanc autem reuerentiam violat blasphemus loco illius tribuens conuitium. Vnde quando D. Th. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. *in corpore, fine*, ait blasphemiam opponi confessioni fidei, intelligendus est, non quasi illa sit fidei opposita, & sit infidelitas, sed

Margin notes: 1. (beside "VT plenius"); D. Thom. (beside "ex D. Thom. 2. 2."); Castro. (beside "Ita docet Castro"); Sanch. (beside "& Sanchez"); D. Thom. (beside "Vnde quando D. Th.")

Bañez.

sed quasi blasphemus cum blaphemiam dicit, personam infidelis sic sentientis inducat. Vide Bañez *2.2.quæst.13.art.1.notabili 3.*

2. In primo igitur modo blasphemandi in quo quis negat Deo, vel Sanctis id quod eis conuenit, peccant lethaliter fideles illi, qui seriò verum, vel falsũ per falsos Deos Gentilium iurant, vt per Martem, & Iouem, &c. quia cum iuramentum sit actus Religionis, quo vero Deo cultum latriæ, & Sanctis propter Deum cultum duliæ tribuimus, qui per illos iurant, consequenter negant hunc cultum Deo, & Sanctis, & dæmoniis, ac falsis Diis tribuunt; est autem idololatriæ genus, honorem, & cultum soli Deo, & Sanctis debitum, negare, & tribuere falsis diis, cum illi qui per illos seriò iurant, profiteantur, eos habere summam & infallibilem veritatem, quæ soli Deo conuenit. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. num. 9.* Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 2. art. 3. concl. 2.* Alcocer *in summa cap. 15. versiculo dizer alguna palaura.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 1. num. 13.* Dixi *seriò*, quia si quis causa ioci, aut irridendi falsos Deos, per illos iuret, nulla erit culpa, nec venialis quidem, cum tunc non honorentur, sed irrideantur.

Sanch.
Sotus.
Alcocer.
Suarez.

3. Similiter erit blasphemia iurare per quamcumque creaturam etiam sanctam, vt supra iam diximus, non referendo illam ad Deum, nec quatenus Deus in illa splendet, sed sistendo in ea, quia iurare est Deum tamquam summam, & infallibilem veritatem in testem rei iuratæ inuocare; vnde cum per creaturam in ea sistendo iuramus, ei honorem summæ, & infallibilis veritatis, qui soli Deo conuenit, tribuimus, & illum dando creaturæ, consequenter Deo negamus. Est autem aperta blasphemia, quando tribuitur aliquid creaturæ, quod est proprium Dei. Ita D. Thom 2.2. *quæst 13. art. 1. ad 3. & quæst. 89. art. 6.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. num. 10. & 34.* & Sotus *lib. 8 de iust. quæst. 1. art. 6.*

D. Thom.
Sanch.
Sotus.

4. Sunt etiam blasphemiæ omnes illi modi loquendi in quibus Deo, & Sanctis dolorem, & pœnitudinem tribuimus, & Deo fidem, aut potestatem negamus, quia ei negamus id, quod ei conuenit. & tribuimus id, quod ei non conuenit. Sic blasphemia est dicere, *Discredo, nego*, vel *reniego Deum Crucem, Chrisma, Sanctos, Virginem Deiparam*; quia hæc omnia inuoluunt abnegationem fidei Deo debitæ, & sunt blasphemiæ hæreticales. Ita Sanchez allegatus *num. 11. & n. 36.* vbi multos refert, & inter blasphemias numerantur hæc verba *in l. 5. titulo 4. lib. 8. noua recopilationis.* Blasphemia item est dicere, *Pœniteat Deum, pæniteat D. Petrum; malum Deo contingat*, vulgo *malgrado aya Dios.* Ita Couat. *de pactis 1. part. §. 7. num 9. versic. 3.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap 3. q. 2.* Rodrig. *tom. 1. summa in 2. edit. cap. 30. num. 1.* Sanchez *tom. 1. Decalogi cap. 32. num 27. lib. 2.* Suarez *tom. 1. de relig lib 1. cap. 5. num. 6.*

Sanch.

Cou.
Azor.
Rodrig.
Sanch.
Suarez.

5. Et similiter dicere, *velit, nolit Deus, hoc ita fiet, hoc ita est*; vulgo, *à despecho de Dios*; quia hæc verba manifestè tendunt in derogationem omnipotentiæ Dei, quasi illa proferens velit id agendum esse etiamsi Deus omnipotens nolit; quare necessariò negat Deo omnipotentiam ad sibi resistendum: & ita docent Couarru. *de pactis part. 1. §. 7. num. 9. vers. 1.* Menochius *de arbitr. lib. 2. centuria 4. casu 375. num. 4.* Royas *de hæret. 2. part. assertione 12. num. 171.* Salzedo *in pract. cap. 119. versu, & quia sapissime* Azor *tom. 1. lib. 12. cap. 3. quæst. 2.* Decian. *de delictis tom. 2. lib. 6. cap. 2. num. 4.* Iulius Clarus *lib. 5. Receptar. in pract. §. Blasphemia num. 2.* Toledo *lib. 4. summa cap. 13. num 6.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 5. num. 8.* & alij. Vnde non sunt audiendi quidam asserentes hæc verba blasphemiam non continere, quia cum sensum habere videntur, vt sicut multa mala fiunt quæ diuinæ maiestati displicent, ita & hoc malum fiet quamuis Deo displiceat; quibus verbis non derogatur Dei potestati, & hi sunt Baldus, Felinus, Alexander, & Angelus, quos refert, sed non sequitur Couarruuias allegatus; hic enim sensus valdè remotus est ab his verbis, & vix eis aptari potest.

Couar.
Menoch.
Royas.
Salzed.
Azor.
Decian.
Iul. Clar.
Toled.
Suarez.

6. Denique ad primum modum blasphemiæ pertinent hæc verba, *Peze à Dios, Pezete à Dios, No ay poder en Dios*: vt latè probat Sanchez post multos, quos citat *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. à num. 13. vsque ad 18.*

7. Si tamen in verbis, quæ contra Deum, vel Sanctos dicta continerent blasphemiam, nulla mentio Dei, aut Sanctorum fiat, vt si quis dicat *Renego de tal; peze a tal, por vida de tal*; tunc quidem totum negotium pendet ex proferentis intentione, ac proinde si per vocabulum illud *Tal* Deum vel Sanctus intelligat, blasphemia erit, secus si non intelligat, in dubio recurrendum ad coniecturas, & circunstantias; in viro effrænis conscientiæ, proiectæque audaciæ, qui in cœlum oculos intorqueret hæc dicens, tunc præsumeretur blasphemia pro foro externo dicta contra Deum. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 2. cap. 32. num. 23.* Rodrig *tom. 1. summa in 2. edit. cap. 34. num. 2.* Ludouic Lopez *1. part. Instructor. cap. 282. versiculo 4.* & alij Ledesma *tom. 2. summa tract. 1. cap. 9 post. 5. conclusionem dub. 1.*

Sanch.
Rodrig.
Lud. Lop.
Ledesm.

8. Sed quid si quis non absolutè, sed sub conditione verba aliqua blasphemiæ proferat, dicatque: *Non credo in Deum. Renego Deum*, vel *Sanctos*; vel *Deus est iniustus, nisi res hæc non est vera*; vel *nisi te repercussero, te mactauero &c.* Salazar *de vsu, & consuetudine, cap. 5. num. 28. versicul. Vnde possunt.* existimat, huiusmodi verba nullam blasphemiam continere; quia sunt conditionalia, & conditionalis sermo nihil ponit in re. Existimo tamen esse blasphemiam Primò, quia fidei diuinæ denegatur omnimoda fides, cum illius firmitas significetur quasi pendens ex futuro contingenti, & non procedens ex auctoritate diuina attestante. Secundò, quia in illis verbis includitur tacitè affirmatiua propositio negandæ fidei, iustitiæque diuinæ, si in eo euentu non sequatur vindicta illa percussionis, aut occisionis, vel veritas illius rei, quam is affirmat; & ita docent Couarru. *de pactis 1. part. §. 7. num. 9. vers. 2.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. num. 24.* Corduba *in summa quæst. 61.* Lud Lopez *1. part. Instruct. cap. 282. versiculo, sextò, & de qualitate.* Royas *de hæret. 2. part. assert. 12. num. 173. & 174.* Cantera, quem refert ac sequitur Azeuedo *lib. 8. recopilat. titulo 4 lib 1. num. 14.*

Couar.
Sanch.
Cordub.
Lud. Lop.
Royas.
Cantera.
Azeued.

9. In secundo modo blasphemiæ, in quo quis tribuit Deo, aut Sanctis id quod eis non conuenit, peccant illi qui iurant, *per vitam Dei, per vitam Sanctorum.* Est enim iuramentum execratorium per quod subiicitur vita Dei, & Sanctorum alicui pœnæ, sitque huiusmodi sensus, *amittat Deus, aut salus Sanctus vitam, si non est ita id quod assero.* Vnde in illis verbis non adducitur simpliciter vita Dei, & Sanctorum in testimonium rei assertæ, aut negatæ, vt in istis in quibus, vt iam diximus, continetur verum iuramentum,

Viuit Deus; sed submittitur, & subiectatur amissionis pœnæ, vt patet; & sic ex modo iurandi falso tribuitur Deo, & Sanctis id, quod eis non conuenit, scilicet vitam posse amittere. Et ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. n. 25. & 26.* Sotus *de iuramentor. abusu cap. 6. lib. 8. de iust. quæst. 2. art. 3. colum. 6.* Couarr. *de pactis 1. part §. 7. num 9. versiculo 6.* Menochius *de arbitr. lib. 2. centuria 4. casu 375. num. 12.* Rojas *de hæretic. 2. part. assert. 12. num. 171.* Salzedo *in pract. cap. 110. versiculo, & quia sæpissimè.* Lud. Lopez *1. part. instruct. cap. 282. versiculo, Postquam de malitia,* Medina *lib. 1. summa cap. 14. §. 2.* Axeuedo *lege 6. regia tit. 4. lib. 8. recopilat. num. 36.* Alcocer. *in summa cap 15 paulo post principium, versiculo, La segunda doctrina.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 3. quæst. 2.* Suarez *tom. 1. de Religione tract. 3. lib. 1. cap. 5. num. 8.*

Sanch. Sot. Couar. Menoch. Rojas. Salzed. Lud. Lop. Medina. Azeued. Alcocer. Azor. Suarez.

10. Similiter peccat in hoc secundo modo blasphemiæ, in quo tribuit Deo, & Sanctis id, quod eis non conuenit, qui dicit. *Pœniteat D. Petrum. Pœniteat Virginem Sanctissimam. Malum D. Petro contingat, a mal grado de S. Pedro*, vt iam diximus *num 4.* & docet Suarez *tom. 1. de Religion. tract. 3. lib. 1. cap 5. num. 6.* vbi optimè animaduertit non opus esse expressa habitudine ad Deum qui splendet in Sanctis; sed satis esse virtualem, & implicitè contentā in vituperio Sanctorum; quia vt optimè ait D. Thom. 2. 2 *quæst. 13. art. 1.* Sicut Deus in Sanctis suis laudatur mirificatorque quatenus laudantur opera, quæ ipse in Sanctis, & per Sanctos efficit; ita contumelia in Sanctos iactata, in Deum, qui in ipsis splendet, censetur refundi. Si tamen quis contumeliosa verba in Sanctos proferens præscindat præcisè respectum, quem ad Deum habent, solámque excellentiam Sanctorum consideret, quatenus Sancti sunt homines excellentes, adhuc dicit Suarez esse blasphemiam; quia reuera non ita potest hæc præcisio fieri, quin aliquid vituperij in Deum refundatur; sed verius est non esse peccatum blasphemiæ, sed contra cultum duliæ, & contra obseruantiam Sanctis debitam, quæ est virtus religioni annexa, congruam ipsis Sanctis reuerentiam deferens. Et ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. num. 7. fine, & num. 27.* Valentia 2. 2. *disp 1. quæst 13 punct 2.* Vasquez *de adorat imag lib 1. disp 6. cap. 4* & alij.

Suarez. Sanch. Valent. Vasq.

11. Rursus sunt blasphema iuramenta omnia, quæ fiunt, *per pudenda Christi, & Sanctorum*, quia etsi reuera ea membra habeant, non tamen habent illa tanquam quid vituperabile, ignominiosumque, sed tanquam partes naturales corporis, & ita in modo loquendi, Christo, & Sanctis vituperium tribuunt, quod eis non conuenit. Ita communiter DD. Caietanus 2. 2. *q. 13. art. 2. versiculo, quoad 2.* Sotus *lib. 8. de iust. q. 2. art. 3. columna 7.* Nauarrus *in summa cap 12. n. 85.* Couarr. *de pactis 1. part. §. 1. num. 6.* Azor. *tom 1. lib 9 inst moral. cap. 28 quæst. 3. & lib. 11. cap. 3. quæst 2.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. num. 8. & 9.* Valentia 2. 2. *disp 1. quæst. 13. punct. 1. versiculo. Item potest fieri.* Simancas *de cathol inst. tit. 8. num. 1.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2 cap. 32. num. 28.* & alij quos ibi citat.

Caiet. Sotus. Nauar. Couar. Azor. Suarez. Valent. Simanc. Sanch.

12. Nec solùm erit blasphemia, si quis per hæc pudenda Christi, & Sanctorum iuret, sed etiam si quis ea simpliciter nominet, aut enumeratiuè proferat, vt docet Sanchez allegatus; & Caietan. 2. 2. *quæst. 13. art. 1. versiculo, Quoad secundum*, quia in ratione vituperij vtrumque falsò dicitur, & optimè etiam animaduertunt nullam esse differentiam formalem, aut essentialem inter ignominiosè nominantem, aut iurantem per membra pudenda Christi, & Sanctorum, quæ habent, ac quæ non habent, vt si quis simpliciter nominet, aut iuret, *per sexum fœmineum Christi*, aut *Dens Petri*; quia in ratione vituperij vtrumque pessimè dicitur, quamuis in hoc secundo casu falsum etiam in re dicatur, & ideo peior est blasphemia; vt notant Sanchez & Caietanus *ibi*.

Caiet.

Si verò per membra honesta Dei, vel Sanctorum quis iuret, vt, *per caput, per barbam, per capillos, per sanguinem, per corpus, per intestina*; tunc quidem si iurans intenderet iurare per membra Dei, Deo membra, vt Deus est, attribuendo, expressa esset blasphemia, cum attribuat Deo id, quod ei non conuenit. Nunquam tamen solent homines iurare in hoc sensu, sed per membra illa honesta, quæ habet Christus Dominus quatenus homo est, iurare censentur. An verò tunc quando per illa, & per membra Sanctorum honesta iurant, sint blasphemi, est dubium. Quidam affirmant. Ita Menoch *de arbitr. lib. 2. censura 4. casu 375. num. 14* Axeued. *l. 6. regia, tit. 4. lib. 8. recopilat. num. 60.* Couarruuias *de pactis part. 1. §. 7. num. 9. versiculo 8.* & patet ex *d. l. 6. regia tit. 4. lib. 8. recopilat.* Et ratio est, quia sensus eius iuramenti est execratorius, & ita sonat, *amittat Deus*, aut *amittat Petrus, vel Paulus caput, vel barbam, nisi hoc ita est*; & Couarruuias *ibi num. 6.* asserit peccatum esse mortale, quando quis assuetus esset his iuramentis, veniale verò si nec consuetudo esset, nec contemptus, & idem tenet Angelus *verbo, Iuramentum 3 num. 12.* vbi dicit esse veniale; quando reuerenter, & non cum magna frequentia sic iuratur, & Syluester asserit non esse mortale nisi irreuerentia magna esset. 13.

Menoch. Azeued. Couar. Angel. Syluest.

Cæterum dicendum est non esse blasphemiam; quia nihil Deo, vel Sanctis attribuitur quod verè non habeant, & eis conueniat; nec sensus iuramenti per hæc verba est execratorius, sed simplex: sicut quando iuratur per Deum, per Sacrosanctum Sacramentum, per Euangelia, per Sanctos. Et ita docent Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 2. cap. 32. num. 29.* Nauarrus *in summa cap. 12. num. 85.* Lud. Lopez *1. part. instruct. cap. 282. versu, Sic postquam de malitia.* Toledo *lib. 4. summe cap. 13. num. 6.* Rodriguez *tom. 1. summa in 2. edit. cap. 34. num. 2.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 7. punct. 3. col. 4. versu, Si verò aliquis iuret.* Syluester *verbo, Iuramentum 2. fine.* Tabiena *verbo, Iurare. quæst. 5. num 6.* D. Anton. 2. *part. tit. 10. cap. 4. initio.* Et addunt Sanchez, D. Antoninus, Syluester, Tabiena, Valentia, si hoc iuramentum reuerenter fiat, nec culpam esse venialem. Vnde nec frequens consuetudo facit, vt talia iuramenta blasphemiæ censeantur, aut peccatum mortale; sicut nec alia iuramenta ex hac sola praua iurandi consuetudine mortalia redduntur. 14.

Sanch. Nauar. Lud. Lop. Toled. Rodrig. Valent. Syluest. Tabien. D. Anton.

Imò nec erit blasphemia hæc verba dicere quibus honesta membra Christi, aut Sanctorum nominantur, quando id fit cum indignatione quadam, & ita; vt si quis dicat: *O Cuerpo de Dios comigo, Cuerpo de S. Pablo cum tali homine*; quia etsi irreuerenter dicantur, non tamen per modum vituperij, aut ignominiæ dicuntur. Et ita docent Caietanus *in summa, verbo, blasphemia.* Nauar. *in summu Lat. cap. 12. num. 85.* Lud. Lopez *1. part.* 15.

Caiet. Nauar. Lud. Lop.

part. instructorij cap. 282. versiculo postquam de malitia. Armilla verbo blasphemia num. 1. Sanch. tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. num. 30. Bene tamen docent Sanchez, Caietanus, Armilla & Ludou. Lopez esse peccatum veniale graue. Hoc tamen intelligendum est, quando indignatio illa, & ira erga illum concipitur cum quo contendimus; secus si concipiatur aduersus Deum, quia tunc verba erunt blasphema; quia falso in actu exercito significant Deum scilicet mereri indignationem. Ita Valentia d. 2. disp. 1. quaest. 13. punct. 1. & Sanchez allegatus dicto num. 30. Idem dicendum est de his verbis. O fides Dei cum tali homine: ô Virgo Deipara cum tali bellua, non homine; neque enim etiam hæc verba censentur esse blasphema, nisi quando ex ira in Deum, vel Virginem concepta proferuntur, vt docet Sanchez dict. tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. num. 30. quamuis Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. num. 11. existimet hæc verba, Cuerpo de Dios com voz, semper in rigore esse blasphemiam, etiamsi ex indignatione in solo homine concepta proferantur. At plus placet opinio Sancij.

16. In eo tamen casu erunt blasphemiæ iuramenta per membra honesta Christi, & Sanctorum; vel etiam simplex ipsorum membrorum nominatio absque vllo iuramento, quando iniuriosè, & per modum vituperij, & contemptus nominarentur; quod ex circunstantiis, & modo proferendi colligendum erit, quia cum non sint in Christo, vel sanctis, vt quid vituperabile, & contemptu dignum, ea per modum vituperij proferre blasphemia erit. Ita Sanchez tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. n. 29. ad finem. Toledo in sum. lib. 4. summa cap. 13. num. 6 Suarez tom. 1. de Religione tract. 3. lib. 1. cap 6. n. 11. & sic intelligitur caput si quis 12 q. 1. vbi significatur esse blasphemiam: & forte in hoc sensu loquitur lex Regia 6 tit. 4. lib. 8. recopilat. damnans hæc iuramenta vt blasphema.

17. In tertio modo blasphemiæ peccant illi, qui creaturæ tribuunt id, quod proprium est Dei, vt si quis dicat, fato omnia gubernari, diabolum esse omnipotentem; quia qui tribuit gubernationem, prouidentiam & omnipotentiam Deo creaturæ, necessariò supponit, & dicit, ex ipso, hæc attributa non esse Dei propria, ac proinde blasphemus est, quia Deo negat id quod proprium illius est; & in hoc crimen sæpe impingunt lasciui, fœminarum amatores, qui eas ita perditè & ardenter amant, & immodicè laudant, vt nominibus Dei propriis eas appellent. Ita Sanchez tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. num. 34. Azor. tom. 1 lib. 9. Instit. moral. cap. 28. quaest. 3. D. Thom. 2. 2. q. 13. art. 1 ad 3.

18. Et verò iuxta aliquos blasphemia etiam erit dicere, Natus sum in hoc fato; in hac astrorum constellatione; vt sæpe dicere solent illi, qui deditissimi sunt alicui vitio, & peccato. Videntur enim significare fato omnia regi, & se non habere libertatem ad illud vitium, cum gratia Dei effugiendum. At melius Sanchez allegatus num. 35. & Corduba in summa quaest. 61. & Ludouic. Lop. 2. part. Instruct. cap. 282. versiculo septimò. asserunt hanc esse propositionem malè sonantem non blasphemam; & ideo ea vtentes corrigendos esse; & vera est ea propositio si intelligatur de necessitate consequentiæ non consequentis, vt vocant Theologi, hoc est, si intelligatur nō de necessitate absoluta tollente libertatem humanam, & euentus contingentes; sed de necessitate conditionali, ac ex suppositione; quam Theologi vocant necessitatem consequentiæ: quia omnia ordinata, ac præuisa à Deo necesse est euenire.

19. Ad hunc etiam tertium blasphemandi modum pertinet vsitatus ille blasphemandi modus. Tam verum est hoc, quàm Deum fuisse incarnatum: fuisse filium Virginis; fuisse mortuum. Vel, hoc, quod dico, est tam verum, quàm verum est Euangelium; & similia: habent enim hunc sensum; tanta veritas conuenit isti meo dicto; quanta illis articulis fidei; quod est blasphemia, cum fidei articulis conueniat veritas infallibilis, & supernaturalis; quæ tamen dictis humanis conuenire non potest; sed longè inferior. Quare si id quod affirmatur, & iuratur, est falsum, committitur periurium simul, & blasphemia. Non erunt tamen blasphemiæ huiusmodi comparationes, & loquendi modi, si proferens intenderet affirmare vtrumque esse verum, non æqualiter, quoad firmitatem & gradum; sed proportionaliter, & cum quadam similitudine proportionis, id est, quemadmodum est verum Deum fuisse incarnatum sua veritate supernaturali, & infallibili, ita etiam hoc quod dico est verum, sed sua veritate humana, & fallibili. Ita docent Sanchez tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 32. num. 31. Azor tom. tom 1. lib. 11. cap. 3. quaest. 2. fine Suarez tom. 1. Relig. lib. 1 cap. 6. num. 12. Ludou. Lopez 1. part. Instructory cap. 282. versiculo, Tertio de isto modo. Rodrig. tom. 1. summa in 2. edit. cap. 34. num. 2. & alij quos ibi citat Sanchez.

20. An autem huiusmodi, & alia similia verba sint absolutè iudicanda blasphema dum non constat de proferentis intentione, dubium est; quia ex communiter accidentibus, non præsumitur animus adæquandi has comparationes omnino in eadem veritate; sed est hyperbolica locutio, qua vnusquisque suam exaggerat veritatem, & personæ innocentiam, & ita docet Alcocer in summa cap. 15. pag. 3. versu, la quarta doctrina Ludou. Lopez, & Sanchez numero præcedenti allegati, dum asserunt hanc esse communem intentionem. Vnde bene ait Sanchez proferre verba hæc non esse culpam lethalem, vbi non constaret omnino de blasphemio æquiparandi animo.

21. In quarto blasphemandi modo peccant omnes illi qui modo aliquo aliquid vituperabile, vel per modum rei vituperabilis, dicunt in Deum & Sanctos, vel asserendo, vel optando; vel imprecando siue verùm, siue falsum sit: solum enim attenditur modus vituperij, & quòd ex circunstantiis vituperabilis res sit; quamuis sit vera, aut falsa, vt ex dictis patet. Sic dicere aliquid iniuriosum, ac vituperabile in Sanctos, non quatenus sancti sunt, nec animo iniuriandi, sed quatenus homines sunt ex tali natione, & conditione v.c. dicere de D. Petro ideo negasse Christum, quia Iudæus erat, volens per illa verba metû illius nationis designare, & dicere de Apostolis ideo defecisse vinum in nuptiis Cananitidis Galilææ, quia ibi erant Apostoli, qui erant piscatores, & naucleri, volens designare piscatores, & naucleros esse homines amicos vini, blasphemia mortalis est; quia hoc de se vituperabile est, & vituperium redolet. Tenemur autem Sanctos, ita honorare, vt nihil de illis vituperabile dicamus. Ita docet Aragon. 2. 2. quaest. 89. art. 2. & colligitur ex Simancas de catholicis Inst. titulo.. num. 2. Sic blasphemia est etiam diuino cultui, & cantui admiscere cantilenas turpes, & prophanas, idque siue tales cantilenæ voce proferantur ad cantum, vel organum Ecclesiasticum; vel tantùm ponantur in

in organo fine voce. Ita ex Concilio Trid. *seff.* 22. *in decreto de obferuand. & mutand. in celebr. Miffa.* docet Nauarrus *cap.* 12. *num* 87. Caietanus 2. 2. *quæft.* 91. *& in fumma verbo, Organorum.* Et ratio eft; quia in hoc, etiam cultui Ecclefiaftico iniuria irrogatur, ignorantia tamen excufabit à mortali, vt patet.

Nauar. Caiet.

22. Quærunt tamen aliqui, an fit blafphemia maledicere creaturis irrationabilibus, vt ventis, aquis, pluuiis, animalibus, tempeftatibus, &c. Refpondeo huiufmodi creaturas poffe triplici modo accipi; vel quatenus funt creaturæ Dei, vel quatenus nobis malum caufant, vel fecundùm fe abfolutè. Si primo modo accipiantur quatenus funt creaturæ Dei & maledicantur, eft peccatum mortale, & genus blafphemiæ illis maledicere, quia iam tunc maledicuntur quatenus aliquid Dei funt, & quicquid mali illis tribuitur, Deo tribuitur. Ita D. Thom 2. 2. *quæft.* 76. *art.* Caietanus *ibi.* Nauarrus *in manuali Lat. c.* 12. *num.* 86. Toletus *lib.* 4. *fumma cap* 13. *num.* 7. Filliucius *tom.* 2. *tractat.* 40. *cap.* 5. *num.* 151. Sotus *lib.* 5. *de iuft quæft.* 12. *art.* 2. Si fecundo modo fumantur, dico non effe blafphemiam illis maledicere; quia id non eft tam creaturis maledicere, quàm malis quorum nobis caufæ funt. Sic Iob. cap. 3 dixit; *pereat dies in qua natus fum*; fic Dauid 2. Regum 1. Montibus Gelboë maledictionem impertiit cum dixit. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia cadat fuper vos, quia ibi ceciderunt fortes Ifrael.* Iobus enim vir fanctus, fimplex, ac rectus non tam diei quàm peccato originali, in quo natus fuit eo die, maledixit; fimiliter Dauid non tam montibus Gelboë, quàm damno, & infortunio, quod in illis, filiis Ifrael per id tempus contigit, & eam maledictionem inflixit, vt bene explicat D. Thom. allegatus. Si tertio modo fumantur, tunc illis maledicere erit folum verbum otiofum, & vanum; & confequenter veniale tantùm. Ita auctores citati, & fpeciatim Nauarrus *dicto cap.* 12. *num* 86 & Caiet. 2. 2. *quæft.* 13. *art.* 1. *fub finem.*

D. Thom. Caiet. Nauar. Tolet. Filliuc. Sotus. Caiet. Nauar.

23. Notat autem Simancas *de cathol. inft. titul.* 8. *num* 2. & bene, in omni blafphemia inueniri aliquam falfitatem faltem in affectu maledicentium; nam, etfi vera nonnunquam dicere blafphemi videantur nominando membra pudenda Diuorum, aut defectus naturales illius nationis, & gentis, ex qua nati funt, in ordine ad illos patefaciendo, in eo tamen falfitas eft; quod cum illi nihil iam habeant vituperabile, tamen maledici, tanquam vituperabiles hos defectus narrant, & hæc membra nominant; & eodem modo falfitas ineft blafphemiæ, cum maledici ea diuis imprecantur, quæ illis euenire non poffunt. Et cum Simancas idem docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 32. *num* 6. Toledo *lib.* 4 *fumma cap.* 13. *num.* 6. Caietanus 2. 2. *quæft.* 13. *artic.* 1. *verfu, Quoad fecundum*, & ibi Bañes *notabili* 2. & Aragon. *corollario* 3. & Petrus de Ledefma *tom.* 2 *fummæ tract.* 1. *cap.* 9. *conclufione* 1. & Valentia 2. 2. *difp.* 1. *quæft.* 13. *num.* 6. Vnde non placet Suarez *tom.* 1. *de Religion. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *num* 9. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæft.* 1. *&* 2. afferentes non in omni blafphemia inueniri falfitatem, quia blafphemia quandoque fit per modum imperatiuum, & optatiuum, in quibus nulla eft falfitas; veritas enim, & falfitas in folo indicatiuo modo reperitur, nam dicimus à parte rei ita effe; at verò in modo loquendi etiam aliquid vituperabile, & confequenter aliquam falfitatem in modo imperatiuo, & optatiuo erga diuos reperiri, vt diximus.

Simanc. Sanch. Toled. Caiet. Bañes. Aragon. Petr Led. Valent. Azor.

Rogas tamen, an qui eodem impetu, & calore iracundiæ actu vno plures blafphemias erga vnum Diuum profert, vnum tantùm peccatum committat? Refpondeo affirmatiuè cum Simancas *de cathol. inft. tit.* 8. *num.* 19. Cepola *confilio criminali* 77. Alciatus in cap. *Cum non ab homine. de iudic. num.* 33. Couarr. *lib.* 2. *var. refol. cap.* 10. Boerius *decifione* 301. Hyppolitus *in l. vltima. ff. de ficar.* Et hoc intelligendum eft, etiamfi blafphemiæ diuerfi generis fint, & non fint vna, & eadem fæpius repetita; nam etiamfi diuerfi generis fint, tamen eiufdem temporis, & vnius impetus quo dicuntur, voluntur, & vna cenfentur: fi tamen erga plures diuos plures blafphemias dicat, plura erunt peccata, & tot numero, quot numero fuerint diui. Sic qui vno impetu, & tempore plura furta committit in plures homines, tot peccata furti numero diftincta committit, quot funt homines erga quos plura furta exercet, licet verò ille, qui vno impetu, plures blafphemias profert, contra vnum Sanctum, vnum dumtaxat peccatum perpetret, grauius tamen puniendus erit, quàm qui vnam tantùm blafphemiam dicit, fed vna pœna. Ita Simancas, & cæteri allegati, & patet ex *l. Inficiendo. §. Infant. ff. de furt.* & ex gloffa in *l. Nunquam plura ff. de priuat. delictis.* 24

Cepol. Alciat. Couar. Hyppo.

Blafphemiarum autem quædam funt hæreticales, quædam non hæreticales; *hæreticales*, funt illæ, in quibus per verbum Indicatiui modi aliquid contra fidem afferitur; *non hæreticales* verò funt illæ, in quibus aliquid vituperabile non fidei contrarium optando etiam, aut imprecando contra Deum & Sanctos dicitur. Exempla hæreticalium funt. *Deus eft iniuftus perfonarum acceptor; Deus non eft omnipotens; Deus eft ignorans, Chriftus non eft filius Virginis*, &c. His accedunt hæ. *Non credo in Deum, difcredo, nego, renego Deum; fidem, crucem, chrifma, puritatem Virginis Deiparæ*; nam hæc verba per modum indicatiui important fidei abnegationem & infidelitatem. Ita Eymiricus *in directorio Inquifit.* 2. *part. quæft* 41. *num.* 1. *&* 2. Rojas *de hæret.* 2. *part. affertione* 12. *num.* 170. *&* 171. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. *&* 8. Manuel Rod. *tom.* 1 *fummæ in* 2. *edit. c.* 34 *n.* 1. Salzedo *in pract. cap.* 110. *verfu, Sic.* Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib* 2 *cap.* 32. *num.* 36. Exempla verò non hæreticalium funt quæcumque aliæ maledictiones, vt, *Maledictus fit Deus. Malum Deo contingat*, vulgo, *Malgrado aya Dios, adefpecto de Dios. Tædeat Deum, velit, nolit Deus*, &c. Ita Sanchez *ibi*, Eymiricus, Rojas, Salzedo, & Suarez, & Emanuel Rodriguez allegati. Et ratio eft, quia verba modi indicatiui important reuera fidei abnegationem, & Infidelitatem ex fe, illæ verò blafphemiæ, quæ indicatiui modi non funt, non important aliquid contra fidem ex fe, ac proinde nihil falfum de Deo continent, vt poffint hæreticalia effe; fed tantùm in illis prauus quidam affectus oftenditur erga Deum volentis ex modo dicendi quafi earum ignorantiarum Deum reddere capacem. Animaduertit autem Suarez, & bene, *ibi num.* 7. effe etiam blafphemiam hæreticalem illam, qua falfa aliqua Deo attribuuntur, licet non affirmentur, vt fi quis dicat: *O Deum iniuftum, O Deum ignorantem*, &c. Et fimiliter docet ibi talem tribuere creaturis id, quod foli Deo conuenit, aut de illo, & de aliis attributis, 25

Eymiric. Rojas. Ceual. Rodeig. Salzed. Sanchez.

butis, quæ Deo conueniunt, dubitationem ostendere, qoi dicit, *O diabolum omnipotentem*, aut *diabolus est iustissimus, & omnipotens*, & similia, omnia quæ etiam approbat idem Sanchez *dict. num* 36.

26. Quando autem de Sanctis renegatur, vt si quis dicat, *Discredo; nego, renego D. Petrum*, an sit tunc blasphemia hæreticalis. Fatetur Sanchez *dict. tom.* 1. *Decalogi lig.* 2. *cap.* 32. *num.* 36. se nihil inuenire apud auctores; sed ipse existimat ibi hæreticalem blasphemiam non esse, nec de illa, aut similibus cognoscere dominos Inquisitores vt ab ipsis ipse accepit, quia ibi non negatur aliqua veritas de Sanctis pertinens ad fidem sed dicitur verbum contumeliosum duntaxat & vituperabile de ipsis Sanctis, & ideo blasphemum absque vlla hæresis specie.

Sanch.

27. De solis autem blasphemiis hæreticalibus priuatiuè cognoscunt Domini Inquisitores, inhibendo quoscunque alios iudices Ecclesiasticos vel seculares. De aliis non hereticalibus, licet Castro *lib.* 1. *de iusta heret. punit. cap.* 12. *fine*. & Corduba *in quæst. lib.* 1. *quæst.* 17. §. 15. *notab.* 4. dicant cognoscere cumulatiuè, idque ex potestate delegata, vel saltem ex communi consuetudine: oppositum tamen certum est, vt testantur communiter DD. ita Eymiricus *in directorio Inquisit.* 2. *part. quæst.* 41. *num.* 1. *&* 2. Peña *ibidem citatus*, vbi alios allegat, Simancas *de Cathol. Instit.* 8. *num.* 6. Sanchez modò allegatus *num.* 37 & habetur in quinta Instructione Hispalensi *cap.* 4. De blasphemiis igitur non hæreticalibus cognoscunt vterique iudices Ecclesiastici, vel sæculares, & datur locus præuentioni inter illos. Ita Sanchez, & Simancas hîc allegati, & ex capite 2. *de maledicis* id docet etiam Abbas *ibi n.* 9. Couar. *de pactis* 1. *part.* §. 7. *num.* 12. *versiculo crimen autem*. Royas *de heret part* 2. *assert.* 12. *n.* 171. *&* 172. Azor *tom.* 1. *lib.* 9. *Inst. moral. cap.* 28. *q.* 5. & est communis sententia vsu recepta.

Eymir. Peña. Simanc. Sanchez. Sanch. Simanc. Abbas. Couar. Royas. Azor.

28. Quæstio hic occurrit ad praxim confessionum necessaria, vtrùm omnes blasphemiæ sint eiusdem speciei? In hac quæstione mihi omnino videtur certum posse blasphemias si non præcisè considerentur, vt Religioni aduersantur, distingui specie; neque autores qui absolutè docent blasphemias omnes esse eiusdem speciei, vt optimè aduertit Azor *tom* 1. *lib* 9. *Institut. moral. cap.* 28. *quæst.* 10. aliunde distingui posse negant. Vnde pro certo habendum primò blasphemias hæreticales distingui specie à non hæreticalibus; quando procedunt ab animo hæretico ratione hæresis quam includunt; quando verò dicuntur animo non heretico, quia aduersantur externæ confessioni fidei, vt docet Suarez *tom.* 1. *de Religione tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. *&* 18. Secundò blasphemias quæ ex odio formali Dei oriuntur, ab aliis ratione odij quod includunt, specie etiam differre. Tertiò eandem distinctionem specificam reperiri inter blasphemias in Deum & blasphemias in sanctos, eo quòd blasphemiæ in sanctos non solùm opponantur religioni, quatenus sunt contra Deum in sanctis suis, sed etiam contra ipsos sanctos in se ipsis, ac proinde contra virtutem duliæ, qua ipsos Sanctos veneramur, quæ est virtus specie diuersa à Religione, vt docet & probat Suarez *tom.* 1. *de Religione tract.* 1 *l.* 2. *cap.* 5. *num* 4. & est sententia D. Thom & communis Theologorum. Vnde tota quæstio est, vtrùm blasphemiæ præcisè pro vt sunt contra Religionem, sint eiusdem speciei?

Azor. Suar. Suarez.

Negarunt aliqui quos citat Azor *cit.* existimantes blasphemias immediatè in Deum distingui à blasphemiis in Sanctos. Caiet. verò *in summa verb. blasphemia. &* 2. 2. *quæst.* 13. *artic.* 1. *fine*. & ibi Aragon. *fine*. & Bañez *notab. vltimo*. Valent. 2. 2. *disput.* 3. *quæst* 13. *punct.* 1. *vers. Quocumque igitur* Petr. de Ledesma 2. *tom. summa tractat.* 1. *cap.* 9. *conclus.* 5. Azor *supra*. & DD. non pauci dicunt omnes blasphemias etiam in Deum & in sanctos esse eiusdem speciei. Ratio illorum est: Actus Religionis quibus colimus Deum & sanctos propter Deum, sunt eiusdem speciei. ergo etiam blasphemiæ quibus Deus in se, & in sanctis suis blasphematur. Idem argumentum fieri potest à simili in iuramentis quæ siue per Deum, siue per sanctos, quatenus Deus in ipsis relucet, fiant, sunt eiusdem speciei. ergo etiam blasphemiæ.

Caiet. Aragon. Bañez. Valent. Ledesma. Azor.

Ex dictis colliges qua ratione se debeat habere blasphemus in confitendis blasphemiis, & confessarius in audienda eius confessione. Nam imprimis tenetur explicare an blasphemia hæreticalis fuerit, an processerit ex odio Dei formali, & an fuerit contra sanctos. Ratio est manifesta, quia cum necessariò sint confitenda peccata diuersa specie iuxta definitionem Concilij Trident. & prædictæ blasphemiæ ab aliis differant specie, necessariò sunt explicandæ, nisi forte quoad blasphemiam contra sanctos aliquis existimaret non continere malitiam diuersæ speciei amplectendo opinionem Marsilij *in* 3. *quæst.* 8. *art* 1. *ad* 1. quod virtus duliæ non sit distincta specie à Religione. Quoad omnes alias blasphemias si amplectatur pœnitens sententiam, quæ asserit circonstantias notabiliter aggrauantes, dummodo non mutent speciem, non esse necessariò confitendas; solum tenebitur dicere numerum blasphemiarum, quin explicet quibus verbis, an ex ira, an ex tædio. Quod item seruandum est in blasphemiis hæreticalibus, explicato enim numero talium blasphemiarum, nihil amplius tenebitur explicare, nec confessarius interrogare. Et sic cum proportione de aliis blasphemiis, quas diximus continere malitiam diuersæ speciei. 29.

Si pœnitens verò sequatur opinionem probabiliorem, quam vt talem secuti sumus in secundo præcepto Ecclesiæ *lib.* 4. *cap.* 2. quæ docet necessariò confitendas circunstantias notabiliter aggrauantes, etiamsi non mutent speciem; necessariò imprimis tenetur pœnitens explicare, an blasphemia fuerit immediatè contra Deum, an contra sanctos, etiamsi sentiat non differre specie, quia absque dubio notabiliter maior & grauior est blasphemia immediatè contra Deum prolata, quàm contra sanctos. v. g. dicere. *Pœniteat Deum, por vida de Dios, mal grade aya Dios*, grauius est intra eandem speciem peccatum, quàm dicere: *Pœniteat Diuum Ioannem, Pese te à San Iuan, por vida de San Iuan, maldito sia San Iuan &c.* Deinde tenetur vlterius explicare blasphemiam si fuerit contra B. Virginem, aut contra alios sanctos, quia in communi & verissima existimatione hominum grauior multo est contumelia in Sanctissimam Virginem, quàm in quemliber alium sanctum. Violatur enim cultus hyperduliæ, cum tamen per blasphemiam in sanctos solùm violetur cultus duliæ, qui longè inferior censetur. Non tenebitur verò explicare si blasphemia fuerit contra alios sanctos, contra quem sanctum fuerit, non quia non sit grauior contra aliquos, sed quia non sit notabiliter grauior. Tenetur vlterius pœnitens explicare mo- 30.

dum blaſphemiæ, nec ſatis erit dicere quot blaſphemias protulerit in Deum v. g. vel B. Virginem, vel Sanctos. v. g. ſi fuit, *per vitam Dei*, vel, *pœniteat Deum*, vel *per membra pudenda*. Et ratio eſt, quia quemadmodum inter homines notabiliter maior exiſtimatur iniuria per hæc verba contumelioſa, quàm per alia, ita etiam in blaſphemiis contra Deum. Si blaſphemia fuerit hæreticalis, debet etiam explicari quæ fuerit, quemadmodum diximus ſuprà hæreticum in confeſſione debere explicare qualitatem erroris. Ita quoad ſupradicta Petrus Ledeſma *tom. 2. ſumma tract.* 1. *cap.* 9. Ludou. Lopez 1. *part. inſtruct. c.* 282. *verſ. Deinde plurima.* Sanchez *num.* 39. Tandem tenetur explicare blaſphemus an expreſſo & formali affectu derogandi aut contumeliam inferendi Sanctis vel Deo, vel ſolùm ex ira vel tædio blaſphemauerit, quia ſine dubio licet ille affectus non mutet ſpeciem, notabiliter blaſphemiam aggrauat. Ita Sanchez *ſuprà*. (Petr. Led. Lopez. Sanch.)

31. Contra ſupradicta obiici ſolet. Nemo iniuramentis falſis docet neceſſariò explicandum in confeſſione an fuerint facta per Deum, an per Sanctos, per hæc vel illa verba. ergo neque id erit explicandum in blaſphemiis. Valet conſequentia ex paritate rationis, quia quemadmodum ſemper Deus adducitur in teſtimonium falſi in quibuſcunque periuriis, ſub quibuſcunque formulis verborum, ita etiam ſub quibuſcunque blaſphemiis ſemper blaſphematur Deus. Reſpondetur negando conſequentiam & ad probationem dicendum adhuc dari maiorem rationem. Ea verò eſt, quia cum periurium non ſit directa contumelia Dei, neque ex intentione directa vel indirecta iurantis in id tendat, licet ſit grauius peccatum hoc vel illo modo factum, non cenſetur tamen notabiliter grauius: at verò blaſphemiam, cum ſit directa contumelia, nemo poterit inficiari eſſe maiorem notabiliter Dei iniuriam, ſiquidem notabiliter ſemper eſt grauius aliquem in ſe quàm in aliis his vel illis verbis contumelia afficere.

32. De denunciatione blaſphemiæ ita aſſero: Tenentur audientes blaſphemos competentibus iudicibus denunciare, itavt, ſi fuerit blaſphemia hæreticalis, denuncietur ſolis dominis Inquiſitoribus, quia de illis priuatiuè cognoſcunt: ſi non hæreticalis, aliis iudicibus Eccleſiaſticis ſiue ſecularibus, quia ij ſolùm de iis cognoſcunt. Patèt ex concilio Lateranenſi *ſeſſione* 9. §. *Ad abolendam.* ibi: *Eum denique deferre, vel notificare apud iudicem Eccleſiaſticum, ſeu ſecularem intra triduum debeant; quod ſi plures dictum blaſphemantem ſimul audierint, ſinguli eum accuſare teneantur, niſi forte omnes conuenerint, vt vnus pro cunctis, tali officio fungatur.* Et ſimiliter Iulius III. in conſtitutione quadam, quæ incipit, *In multis*, id ipſum præcipit, nempe, vt audientes, blaſphemantes intra triduum denuncient; alioqui eaſdem pœnas blaſphemantium incurrant. Et in capite. *Si quis per capillum* 22. *quæſt.* 1. Pius primus olim conſtituit, non denunciantes diuina condemnatione coërcendos: & domini Inquiſitores in publicis fidei theatris, & Epiſcopi in ſuis edictis in viſitationibus iubent ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ blaſphemos denunciari.

33. Nec edicta Eccleſiaſticorum iudicum præcipientia ſibi denunciari, impediunt denunciationem fieri ſeculari iudici potenti de illis cognoſcere; quia illius iuriſdictionem non minuunt, ſed id ſolùm intendunt, vt blaſphemiæ denuncientur, ne impunitæ maneant. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 47. Sunt autem denunciandæ huiuſmodi blaſphemiæ etſi ſub conditione proferantur, quia adhuc ſunt veræ blaſphemiæ, vt tradunt Rojas *de hæreticis* 2. *part. aſſert.* 1. 2. *num.* 173. Azeuedo *lib.* 8. *recopil. l.* 1. *n.* 14. idque etiamſi in illis expreſsè non nominetur Deus, vel Sancti, vt cum dicunt, *Peſa a tal, Remego de tal*; quando ex coniecturis, & circunſtantiis apertè, & abſque vlla dubitatione colligitur blaſphemantis animus, volentis ſub illa dictione, *Tal*, Deum, vel Sanctos intelligere. Ita idem Sanchez *dict. num.* 47. (Sanchez. Rojas. Azeued. Sanch.)

Dubitabis tamen, an quando blaſphemia eſt ſecreta, & ſperatur fore, vt blaſphemus ſecretè correctus emendetur, ſit præmittenda fraterna, & chriſtiana monitio. Partitam opinionem inuenio: nam Azor. *tom.* 1. *inſt. moral lib.* 9. *cap.* 28. *quæſt.* 8. aſſerit non eſſe præmittendam talem correctionem; quia ea denunciatio in blaſphemiis non præcipitur ob criminis emendationem, ſed ob criminis punitionem; & ſic non tanquam denunciator, ſed quaſi accuſator denunciare quis præcipitur. At melius alij diſtinguunt inter blaſphemiam hæreticalem, & non hæreticalem; & de hæreticali dicunt non eſſe præmittendam talem correctionem, ſiue emendatio ſperetur, ſiue non ſperetur, quia ſpeciale eſt in crimine hæreſis, vt ob magnum periculum infectionis aliorum, & difficillimam hæreticorum emendationem, ſtatim ſit hæreticus denunciandus, nulla præmiſſa fraterna correctione; de non hæreticali, ſiue publica, ſiue ſecreta ſit, dicunt ſi non ſperetur emendatio, ſtatim eſſe denunciandam; ſi ſperetur, priùs eſſe fraternam correctionem præmittendam. Quare prædicta decreta, & edicta, quæ præcipiunt denunciari blaſphemos, de quibus egimus *num.* 32. intelliguntur ſeruato ordine euangelico, nempe, vt ſi blaſphemia non ſit hæreticalis, ſiue publica, ſiue occulta ſit, & ſperetur emendatio blaſphemi, priùs admoendus ſit; ſi non ſperetur, non ſit admonendus, ſed ſtatim denunciandus. Ita docet Emanuel Rod. *tom.* 1. *ſummæ in* 2. *edit. cap.* 34. *num.* 6. quatenus abſolutè dicit blaſphemiam non eſſe denunciandam ante correctionem fraternam, dum emendatio ſperatur, etiamſi præcipiatur ſub excommunicatione denunciari; & loquitur de blaſphemia non hæreticali, & non diſtinguit inter blaſphemiam publicam, vel occultam; docet etiam Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 47. *in fine.* Medina *lib.* 1. *ſumma cap.* 14. §. 2. *fol.* 77. *pag.* 1. Ludouicus Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 2. *in fine.* 34 (Azor. Rodrig. Sanch. Medin. Lud Lopez.)

35. Dubitant tamen aliqui, an habens conſuetudinem blaſphemandi ſit abſoluendus; ſed hac de re agemus *infra capit.* 8. *num.* 18. vbi de conſuetudine iurandi ſermo erit, & quod ibi dictum fuerit, huic dubio applicetur.

**

CAPVT

CAPVT IV.

Quot sint species iuramenti. An omnia iuramenta sint eiusdem speciei. Agitur de formis iuramenti execratorij, comminatorij, & quomodo parentes à iuramentis execratorijs in filios excusentur?

SVMMARIVM.

Quid sit iuramentum, assertorium, promissorium, execratorium, comminatorium, & quot sint species iuramenti. num. 1.

Hæ quatuor species ad duas reduci possunt, ad assertorium, & promissorium. num. 2.

Omne iuramentum siue assertorium, siue comminatorium, siue promissorium, siue execratorium formaliter spectatum, est eiusdem speciei. num. 3.

Non est opus in confessione explicare quale iuramentum fuerit violatum per Deum factum, an per creaturas, execratorium ne, an comminatorium. num. 4.

Circunstantia blasphemiæ in iuramento necessariò in confessione est explicanda. num. 5. *Item si iuramentum fuerit iudiciali circunstantia iudicij.* ibid.

Quæ, & qualis sit forma iuramenti execratorij implicita, & explicita. num. 6.

An hæc forma. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, *intelligendo malum aliquod, sit iuramenti execratorij.* num. 7.

Quid de hac forma. Non vitam, nunquam mihi Deus parcat, nunquam me saluet. num. 8.

An hac forma iuratoria sit Maledicta pecunia, quam habeo, maledicta buccella, quam edi. num. 9.

An hæc similiter iuratoria sit. Tot Angeli me seruent, quot vicibus hodie hoc fecisti, quot aureos habes. num. 10.

Quid de hac forma. Melius me Deus seruet, melius mihi faciat. num. 11.

Quid de hac. Iniquus sim, habeam vt perfidus, mendax, vel hæreticus, nisi hoc ita est. n. 12.

An hæc verba, Amputentur mihi aures. Interficiat nisi hoc ita sit, *iuramentum execratorium contineant.* num. 13.

Quo pacto patres excusentur ab implendo iuramento execratorio & comminatorio in filios. num. 14. & 15.

Discrimen iuramenti execratorij ab alijs. num. 16.

1\. DICVNTVR communiter iuramentum in quatuor species, videlicet, in iuramentum Assertorium, Promissorium, Execratorium, Comminatorium. Assertorium est illud in quo aliquid præsens, vel præteritum affirmatur, vel negatur; vt, *per Deum hoc ita est, aut non est, fuit, vel non fuit.* Promissorium est illud, in quo aliquid futurum promittitur, vt *Iuro per Deum me hoc facturum, vel non facturum.* Execratorium est illud, in quo Deus non solùm vocatur in testem veritatis à nobis assertæ; sed etiam in iudicem. Vt, *Deus me destruat; dæmon me tollat, si hoc ita est, vel non est.* Comminatorium est illud, in quo malum pœnæ, vel culpæ sub iuramento comminamur. *Pœna*, vt cum dicimus. *Per Deum te interficiam, tua bona diripiam, nisi hoc, aut illud feceris. Culpa*, vt cum dicimus. *Per Deum iurabo toties.* vel *toties te dæmoni dabo, nisi hoc egeris* ita Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 42. tota dubit. 2.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 1. & 2.* Lessius. Azor.

2\. Hæ omnes iuramentorum species ad duas reduci possunt, nempe, ad iuramentum assertorium, & promissorium: nam iuramenta execratoria, & comminatoria partim ad promissoria, partim ad assertoria reuocantur. Ita Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 1.* ex D. Thom. 2. 2 *quæst. 89. art. 1. in fine* vbi iuramentum adæquatè diuidit in duas species, nempe in assertorium, & promissorium. Vnde non placet Sanchez, quem citabimus *in cap. 42. num. 3.* dum tertiam speciem iuramenti inducit, & admittit iuramentum partim assertorium, partim confirmatorium. Sed id infra refutabimus. Azor. D. Thom.

3\. Cum verò dicimus dari duas iuramenti species, non loquimur de rigorosis speciebus: nam si cum rigore loquamur, omnia iuramenta, siue assertoria, siue promissoria, comminatoria, aut execratoria, sunt eiusdem speciei; quia cum ratio & essentia iuramenti formaliter in inuocatione Dei in testem consistat, materialiter se habet quicunque modus sub quo talis inuocatio fiat, siue per simplicem contestationem, siue per execrationem, siue tactis Euangeliis & ara, siue non, siue per creaturas, siue per Deum. Vnde quicunque sit iurandi modus, speciem, & essentiam iuramenti non distinguit: ita Caiet. 2. 2. *q. 89. art. 1. paulo post principium* Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 1. num. 9.* Sotus *lib. 8 de iust. quæst. 1. art. 1. ad finem.* Couarru. *de pactis 1. part. initio num. 3.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 7. puncto 2. initio.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 2. quæst. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 2. num 90. & 100.* Sayro *in claui regia lib. 5. cap. 2. num. 2.* Suarez *tom. 1. de Relig. 1. cap. 5. n. 13. & cap. 9. num. 2. & cap. 12. num. 10.* & plures alij. Caiet. Sanch. Sotus. Couar. Valent. Azor. Lessius. Sayr. Suar.

4\. Hinc deducitur, non esse opus in confessione periurij, aut violatæ fidei iuramento firmatæ explicare, quale iuramentum fuerit an execratorium an comminatorium, an per Deum an per creaturas, an tactis Euangeliis vel aris, quia omnia eiusdem sunt speciei, & quamuis grauius peccatum sit iuramentum falsum per Deum, quàm per creaturas, vt asserit D. Augustin. *Epistola ad Publicolam*, quem refert, ac sequitur D. Thom. 2. 2. *quæst. 89. art. 10. ad 2. & quæst. 98. art* 2. Non tamen ita notabilis est hæc grauitas, vt necessariò sit in confessione explicanda, vt optimè notat Sanchez allegatus *num. 9.* & nos suprà diximus. *cap. 3. num. 31.* D. August. D. Thom.

6\. Dixi *num. 3.* iuramenta assertoria, promissoria, comminatoria, execratoria, non distingui specie, sed accidentaliter tantùm in ratione iuramenti; quia si iuramentum sit simul blasphemia, vt cum iuratur per vitam Dei; tunc ratione blasphemiæ specie distinguitur, & circunstantia blasphemiæ vtpote mutans speciem in confessione à periuro necessariò erit explicanda, vt bene docet Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 2. quæst. 10.* & Sanchez allegatus *dicto num. 9.* Similiter si iuramentum sit iudiciale, circunstantia iudicij erit necessariò à periuro in confessione detegenda propter malitiam iniustitiæ quam committit non parendo iudici iustè interroganti, vt tenebatur, etiam si ab eo non exigeretur iuramentum, vt est communis sententia. Azor. Sanchez.

5\. Iuramentum execratorium, vt hoc primum explicemus, illud est, vt dixi, in quo Deus vocatur non

non solùm in testem, sed etiam in iudicem, id-
que vel expresè vel implicitè; & sic duplex est
huius iuramenti exectatorij forma: implicita, &
explicita. Implicita, vt cum dicimus, *per caput
meum, per caput tuum, per vitam, & salutem cor-
poralem, vel spiritualem meam, vel patris mei, fi-
lij, Regis, vel in vita, salute mea, aut Patris mei,*
& similia, quæ in rigore verborum vera iu-
ramenta sunt, vt probauimus *cap. 2. num. 31.* Di-
cuntur autem hæc iuramenta exectatoria; quia
qui sic iurat, non solùm exprefsè iurat, sed etiam
implicitè subiicit vitam, caput, vel salutem suam,
aut illius per quem iurat, periculo amissionis,
nisi verum sit id quod iurat. Vnde non solùm
Deum authorem vitæ adducit in testem rei asser-
tæ, sed etiam in iudicem, quasi ab ipso tanquam
vero iudice vita priuetur ipse, vel ille per cuius
vitam iurat, si falsum iurat; efficiunt enim hæc
verba hunc sensum, *hoc ita est*, vel, *non est sicut
sub iureiurando affirmo ad quod Deum voco in te-
stem, & iudicem, & nisi ita sit, ille, qui non solùm
est verus testis, sed etiam iudex, me vita priuet, salu-
te, capite, aut illum per cuius vitam iuro.* Explicita
forma exectatorij iuramenti datur, cum iuramen-
tum ab aliquo fit per expressam mali impreca-
tionem, vel sibi, vel rebus suis sibi charis, vt
cum iurantes dicimus. *Peream; dispeream; nun-
quam me Deus adiuuet, dæmon me, & res meas, aut
parentum meorum tollat, si verum non dico*; & hæ
formæ iurandi per expressam mali imprecatio-
nem cauendæ maximè sunt, quia, & grauissimæ
sunt, & scandalum generare solent audientibus,
Suarez. vt communiter authores docent. Ita Suar. *tom. 1.
de relig. lib. 1. de iuram. assertorio cap. 14. num. 18.*
Sanch. Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap 2. num. 36.* D.
D. Thom. Thom. 2. 2. *quæst. 89 art. 6.* Sotus *lib. 8. de iustit.*
Sotus. *quæst. 1. art. 1. col. 5. & art. 6. col. 6.* Nauarrus *in*
Nauar. *summa Lat. cap. 12. num. 6* Lessius *lib. 2. de iust.*
Lessius. *cap. 42. dub. 2. num 8.* Conar. *de pactis 1. part. § 1.*
Conar. *num. 5.* Sayro *in claui regia lib. 5. cap 2. num. 3. &*
Sayro. *cap. 3. num. 14* & alij

7. Similiter iuramentum execratorium est. *Hæc
mihi faciat Deus, & hæc addat*, mente intelligen-
do malum aliquod, *nisi hoc ita sit.* Et hæc forma
iuramenti execratorij familiaris olim fuit Pro-
phetis; dicebant enim iureiurando passim. *Hæc
mihi faciat Dominus, & hæc addat*, vt patet ex
Sanch. sacra pagina; & ita docet Sanchez *dicto tom 2.*
Lessius. *Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 36.* Sayro allegatus
Syluest. *cap 2. num. 3.* Lessius citatus *num. 8.* Syluester *ver-*
Sayro. *bo, Iuramentum 1. quæst. 1.* Aragon. 2. 2. *art. 1. in*
Arag. *dubio, quod mouet circa primam conclusionem in so-*
Azor *lut. ad 3.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæst 1.*

8. Rursus iuramentum execratorium est; si quis
dicat, *nunquam Deus mihi parcat, me saluet, tuea-
tur, mala morte obeam, non viuam vsque mane, ma-
lum Pascha mihi Deus impertiat, ardeam in infer-
Sanch. no*, & alia similia, vt docet Sanchez *dict. num. 36.*
Iuramentum etiam execratorium erit, cum Deus
tanquam boni alicuius impertitor inuocatur, vt,
*Ita me Deus adiuuet, seruet, ita det mihi gratiam,
vel gloriam: ita mihi bene faciat, ita Angeli me
seruent*, &c. Quia hæc omnia iuramenta efficiunt
hunc sensum: *Deus his bonis me priuet, atque de-*
Caiet. *stituat, si hoc ita non est*; sic Caietanus 2. 2. *q. 89.*
Syluest. *art. 1. versiculo, Ad hoc dicitur, in fine.* Syluester
Sot. *verbo, Iuramentum 1. quæst. 1.* Sotus *lib. 8. de iust.*
Arag. *quæst. 1. art. 1. in fino.* Aragon. 2. 2. *quæst. 89. art. 1.*
Nauar. *in fine.* Nauarrus *in summa Lat. cap. 12. num. 6.*
Lessius. Lessius, & Sayro *num. præcedenti allegati.* San-
Sayr. Sanch. chez *dicto num. 36.*

Non continent tamen execratorium iuramen- 9.
tum ea verba, quæ communiter dici solent ad
affirmandum se nummis omnino carere, & nihil
prorsus edisse. *Maledicti nummi, quos habeo, ma-
ledicta buccella, quam edi*, quia maledictio non
cadit in personam carentem nummis, aut non
comedentem, sed in esum, vel ipsos nummos.
Ita docet Suarez *tom. 1. de Relig lib. 1. cap. 13.* Suar.
num. 18 Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. c. 2. num. 38.* Sanch.
vbi bene animaduertunt fore nihilominus iura-
mentum, si animus esset obiicere illam rem vt
materiam diuini iudicij, seu quod idem est, si ani-
mus esset per ea verba iuramentum efficere, quod
rarò accidet.

Nec similiter sunt iuramenta execratoria ea 10.
verba, quæ solent proferri ad aliquid affirman-
dum, aut negandum. *Tot Angeli tollant animam
meam, quot vicibus hanc rem fecisti*: vel, *Tot An-
geli me seruent, quot aureos habes*; vulgo, *Tantos
Angeles vengan por mi alma, quantas vezes aueis
hecho esto, o ducados teneis*; quia hic dicendi mo-
dus nullam habet contrariam maledictionem,
imprecationemque inclusam; sed solus est sim-
plex sensus; *Gauderem vt tot Angeli me recipe-
rent.* Secus esset, si quis ita diceret. *Sic Angeli
animam meam recipiant, quot tu aureos habes*, aut
quot vicibus hoc fecisti; includitur enim tunc in
modo dicendi contraria execratio, nimirum, *aliàs
non me recipiant.* Ita docet Sanchez *tom. 2. Deca-* Sanch.
logi lib. 3. cap. 2. num. 39. & constat ex his quæ
diximus *num. 8.* & ex omnibus auctoribus ibi
allegatis; parificatur enim hæc forma iurandi,
cum illa, de qua ibi egimus. *Ita me Deus amet,
ita Angeli seruent, ita me adiuuent.*

At quid de his verbis? *Meliùs me Deus seruet,* 11.
vulgo, *Meior me guarde Dios; meliorem fortunam
habeas; meior ventura tengais, doque esso an si es.*
Respondeo hæc verba duplicem posse habere
sensum; primum comparatiuum, vt quando vo-
lumus significare aliquem, malum aliquod face-
re, dicimus, *Meliùs illi Deus faciat*, & in hoc
sensu non continent iuramentum aliquod exe-
cratorium; quia nullam execrationem inclu-
dunt; secundum affirmatiuum, vt cum volumus
affirmare nos aliquid non fecisse, dicimus; *me-
liùs mihi faciat Deus, quàm ita fecerim*; vel, *meliùs
me seruet Deus*, vulgari idiomate; *Meior lo aga
Dios comigo, meior me guarde Dios, que yo tal hize.*
Et in hoc sensu sunt iuramenta; quia contrariam
execrationem includunt; sicut diximus *num. 8.*
de his verbis, *ita me Deus adiuuet, & sic me Deus
seruet.* Ita docet idem Sanchez citatus *num. 40.* & Sanch.
probatur ex omnibus authoribus quos *d. num. 8.*
recensuimus.

Hæc autem verba, *Habear vt perfidus, mendax,* 12.
hæreticus, aut iniquus sim, id est, *Ruin sea yo, sea
tenido por vn hereie, mentiroso, si esto no es an si*;
nullo modo iuramentum aliquod execratorium
continent ex eodem fundamento; quia scilicet,
non includunt contrariam execrationem, sicut
etiam non illam includunt, nec continent iura-
mentum verba hæc. *Interfice si hoc non fecerim.*
Ita Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. n. 41.* Sanch.

Deniquc hæc verba, *Interficiar, amputentur* 13.
mihi aures, si hoc ita non est; in rigore iuramen-
tum sunt execratorium; sicut hæc quoque sunt,
diris punctis, diris pugionibus confodiar, aut, *suspen-
sus obeam tamquam infamis, si hoc ita non est.* Vt
communiter tamen ea verba proferuntur, non
continent iuramentum; quia non dicuntur qua-
si id sibi malum imprecando, ac inuocando
Deum,

Deum, vt tamquam iudex vindictam sumat de illa proferente, si mendax fuerit; sed dicuntur instar cuiusdam sponsionis, & tantundem valent, ac dicere, *que apuesto la vida; la cabeça, las oreyas, o me dexaré açotar, o enforçar, si esto no es ansi*, id est, *spondeo vitam meam, aures meas, si hoc ita est, aut non est*. Ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 42.* [Suarez.]

14. Sed quid dicendum de fractione iuramenti comminatorij, quo patres filiis, domini seruis, tutores pupillis suis, magistri discipulis castigationem comminantur, peccant ne, si ea iuramenta non impleant? Respondeo multis de causis excusari eos posse à peccato periurij, si non impleant. Primò, quando iudicant melius esse non implere, & non castigare, quàm castigare; sicut enim iuramentum non est vinculum iniquitatis, ita nec impedimentum est melioris boni. Hoc fit, vt quando iudicant melius esse parcere, aut abstinere ab executione iusti supplicij comminati, non teneatur iurans ad iuramenti executionem. Ita docet Caietanus *in summa, verbo, Periurium, versu, Iuramentum comminatorium post principium*, & Toletus *lib. 4. summæ cap 22. num. 7.* Armilla *verbo, iuramentum num. 12.* Tabiena *verbo, iurare quæst. 10. num. 11.* Nauarrus *in summa Hispana cap. 12. num. 10.* Sayro *in claui regia lib. 5. cap. 5. num. 13.* Valentia *2.2. disp 6. quæst. 7. punct. 3. columm. 11. in solutione ad 3.* Sanchez *lib. 3. Decalogi cap. 9. num. 16.* & alij. [Caiet. Tolet. Armill. Tabien. Nauar. Sayr. Valent. Sanch.] Secundò excusantur propter preces & petitiones alterius rogantis, ne puniant: hæc enim iuramenta comminatoria ex natura sua intelliguntur conditionata, id est, faciam, nisi alter rationabiliter petat, vt cessem. Tertiò, excusantur mutatione rei; mutatur autem res quando filij, & serui aut resipiscunt, aut supplices veniam petunt: comminatio enim iuramenti semper intelligitur secundùm præsentem iustitiam, testante hoc sacra pagina; Hieremia cap 18. *Repente loquar aduersum regnum, & gentem, vt disperdam; si pœnitentiam egerit gens illa, pœnitentiam agam & ego super verbo meo.* Vnde fit, vt qui iustam punitionem iurauit, postea petenti veniam tacitè vel expressè parcat absque periurio, quia cessauit illa præsens iustitia secundùm quam iurauerat ex quasi cessatione demeriti, quod etiam egregiè perspicitur in exemplo Dauid. *1. Reg. 25.* dato quòd eius iuramentum fuerit validum & licitum, qui non ad pœnitentiam Nabal, sed ad preces, & merita Abigail pepercit ipsi Nabal, non obstante iuramento, quasi cessauerit ratio præsentis iustitiæ ex humili supplicatione, & prece innocentis. Ita Caietanus, & Toletus *locis allegatis*, & Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 42. dub. 2. num. 11. versu, Deinde.* [Tolet. Lessius.] Vnde etiam cessabit obligatio iuramenti, & erit iusta causa parcendi, si amicus veniam à te pro personis comminatis petat. Ita Caietanus, Sayro, Toledo & Sanchez allegati.

15. Quartò, quando pœna iuramento comminata non vtilis speratur; pœna enim iurata, & comminata, fuit in medicinam, & medicina non est applicanda, nisi quando vtilis speratur, & sanare potest. Quintò, quando ob executionem supplicij pax domus perturbanda foret, rixæque orirentur inter virum, & vxorem, aut inter omnes domesticos seruos; quia iam tunc iuramentum communis & melioris boni esset impedimentum. Itaque quoties datur causa rationabilis cessandi, non obligant talia iuramenta; quando autem detur, id arbitrio prudentis committitur, & sic excusantur ab omni culpa pueri, transgrediendo iuramentum, iurantes se alios pueros coram Patre vel Magistro accusaturos; eo quòd vel gratia sumendæ vindictæ communiter iurent, vel si causa correctionis, id omittunt causa melioris boni, videlicet vitandi inter se rixas. Ita Sanchez allegatus.

Differt iuramentum execratorium ab aliis, vt ex eius definitione patet, in duobus. Primò, quòd Deum inuocet non solùm in testem, sed etiam in iudicem. Secundò, quòd iurans se subiiciat & obliget per illud pœnæ vel malo quod sibi imprecatur, si res vel affirmata non fuerit vera, vel promissa aut comminata non fuerit impleta. Ita communis sententia. Comminatorium verò iuramentum differt ab aliis ratione rei iuratæ: semper enim est malum aliquod personæ alicui à iurante diuersæ inferendum, quæ materia non reperitur in aliis. 16.

CAPVT V.

Agitur de iuramento assertorio. Inquiritur, quas circumstantias requirat, quæ personæ iurare possint, quæ non possint in iudicio, & extra illud. An Deus, an Angeli possint efficere iuramentum; soluuntur alia dubia.

SVMMARIVM.

Iuramentum est in præcepto quando publicus iudex illud exigit in iudicio. num. 1.

Quæ circumstantiæ requirantur, vt iuramentum in iudicio forensi licitè proferatur. num. 2. 3. & 4.

An admitti possint in iudicio tamquam testes illi, qui ante pubertatem libenter iurare volunt. n. 5. *Refertur opinio affirmans. Præfertur, quæ asserit solùm non esse cogendos; sed nec etiam admittendos de iure communi.* ibid.

Si tamen admittantur, non faciunt plenam fidem, sed faciunt præsumptionem; quid de iure Lusitano. num. 6.

Non admittuntur ad iuramentum in iudicio infames neque in causa aliena, neque in propria, si loquamur in causa propria de iuramento sibi vtili, secus de oneroso, vt iuramento calumniæ. num. 7.

Quid de sacerdotibus, an iurare possint in iudicio, & quando. num. 8.

An clericus possit puniri à iudice sæculari, si coram illo falsum iuret. num. 9.

In causa propria tenentur clerici de calumnia iurare. num. 10.

In quibus casibus nequeant clerici iurare absque licentia sui Episcopi, & Episcopi absque licentia Papæ coram iudice sæculari. num. 11.

Sacerdotes, regulariter loquendo, quando in iudicio iurant, non tenentur sacra tangere. num. 12.

Verùm ille sacerdos, qui commisit aliquod scelus, de quo est ritè confessus, quando in iudicio per iuramentum calumniæ de illo purgatur, iurare possit, se illud non habere, & liberum esse ab eo. num. 13.

Furiosi, & intellectu carentes iurare non possunt in iudicio. num. 14.

An Deus iurare possit, absolutè loquendo. num. 15.

An iurare possit iuramento execratorio. num. 16.

An

1. Circa iuramentum assertorium, quod iam aggredimur, explicandum, imprimis certum est quandoque esse in præcepto, nimirum publica potestate illud iustè, & legitimè exigente, & quoties necessarium est ad subueniendum proximo; nam publica potestas habet auctoritatem ad continendum in pace suos subditos, & ad illorum lites, & controuersias dirimendas, & lex charitatis obligat ad consulendum proximorum necessitati medio licito, & facili, quale est iuramentum, vt omnes docent, & latè Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 1.* & Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 3. num. 3.* qui bene asserunt huiusmodi præceptum non spectare ad virtutem Religionis; sed iustitiæ, aut charitatis. Suarez. Sanch.

2. Triplex autem circunstantia iure positiuo requiritur ad præstandum iuramentum licitè in foro externo Prima ex parte modi iurandi, vt iuraturus sit ieiunus *cap. honestum 22. quæst. 5. & cap. 1. de testib. & attestat.* Sed hæc est de solo consilio, & hodie non est in vsu. Ita Glossa eo *cap. 1. in fine.* Azor. *tom. 1. lib 11. cap. 11. quæst 9.* Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 7 punct. 3. columna 5. versiculo, Iam ex parte modi* Glossa. Azor. Valentia.

3 Secunda ex parte temporis, vt debito tempore iuramentum fiat; nam in diebus festis præstari non potest nisi pro bono pacis, aut pia causa, vt dicitur *in cap. Conquestus, de feriis.* qua de re latè egimus *in præcepto primo sanctæ matris Ecclesiæ.* Nec licebat olim iuramentum foreose præstare ab aduentu Domini vsque ad octauam Epiphaniæ; nec in litaniis maioribus, nec in rogationibus, & ieiuniis quatuor temporum, & à septuagesima vsque ad octauam Paschæ, vt expressè habetur *in cap. Decreuit 22. quæst. 5.* Sed hæc prohibitio abiit in dissuetudinem omnino, crescenti litium multitudine, vt glossa ibi docet *in principio.*

4. Vltima circunstantia, & conditio, quæ in forensi iudicio requiritur, desumitur ex parte personæ iurantis: multis enim personis interdicitur præstatio iuramenti in iudicio, & multi à tali iuramento excluduntur, de quibus latius agemus *in octauo præcepto cap. 27. & cap. 23* Imprimis excluduntur pueri, & puellæ ante annos pubertatis, qui in pueris quatuordecim, in puellis duodecim sunt. Patet *ex cap. Pueri, & ex capite, Paruuli 22. quæst. 5.* Rationem assignat D. Thom. *2. 2. quæst. 89. art. 10.* quia ante hanc ætatem, non adeo pleno iudicio rationis vtuntur vt debita cum reuerentia, & rei examine iurare valeant. D. Thom.

5. Dubium tamen est, an in prædictis iuribus ita excludantur pueri & puellæ ante annos pubertatis vt etiamsi sponte iurare velint, admitti non possint. Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 10. paulo post initium*, ait eiusmodi non esse admittendos tamen esse, si sponte iurare velint. Ratio illius est, quia prædicti textus tantùm dicunt non esse cogendos; supponunt igitur posse admitti, si sponte iurare velint; deinde, quia est fauor, non est pœna, & aliàs potest sufficienter constare illos esse iuramenti capaces. Cum Soto videtur consentire Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuram asser. cap. 14. num. 5. ad finem.* At verissimum est non solùm non esse cogendos iurare; sed nec etiam ad iuramentum admittendos; quia ius merito præsumit eam ætatem non esse capacem ad iuramentum in iudicio proferendum, quod maxima maturitate præstari oportet; & ita docet Syluester *verbo, Iuramentum 2. quæst. 3. initio.* Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 3. num 6.* Valentia *2. 2. disp 6. quæst. 7. punct. 3. columna 4. versu, Item est hic:* Sotus. Suarez. Syluest. Sanch. Valent.

Si tamen ad testificandum admittantur, etiam si non faciant plenam fidem in iudicio, faciunt præsumptionem. *l. Inuiti. ff. de testibus*, & habetur expressè *l. Regia 9 titul. 16. part. 3.* Non tamen eadem ætas sufficit ad testimonium proferendum in causis ciuilibus & in criminalibus. Nam in ciuilibus, non admittitur minor quatuordecim annis; in criminalibus autem, non admittitur minor viginti annis, vt constat ex dicta *l. Inuiti ff. de testibus.* Hoc tamen intelligitur, quoad plenam probationem; nam potest examinari impubes, & eius dictum facit plenum iudicium ad torturam, vt docet Sanchez *dicto tom 2. Decalogi lib. 3. cap 3. num. 6.* & allegato Bartholo, docet Syluester *verbo, Impubes, fine, & verbo, Testis, quæst. 1. dicto 3.* de iure tamen Lusitano nunc Ordinat. *lib. 3. titul. 56. num. 6.* Minor quatuordecim annis in nulla causa ciuili, aut criminali testimonium ferre potest; in causis tamen criminalibus grauissimis possunt iudices absque iuramento interrogare minores quatuordecim annis in defectu alterius probationis ad capiendam veram criminis informationem, ne delicta grauia maneant impunita. 6. Sanch. Syluest.

Non admittuntur etiam ad iuramentum præstandum in iudicio infames, & periuri, *cap. Testimonium de testibus. cap. Paruuli, & cap. Quicumque 22. quæst. 5.* Sanchez allegatus *num. 5.* idque neque in causa propria, neque in aliena. Quod intelligendum est, vt glossa ibi bene explicat, de iuramento sibi vtili, secus de oneroso, vt est iuramentum calumniæ, & fidelitatis. Est autem iuramentum calumniæ illud in quo quis cogitur iurare, ad querelæ quas aduersus alios profert, veræ sint. In casibus tamen difficilis probationis, & quando delictum aliter, & per alios testes probari non potest, admittuntur cum diminutione ad arbitrium iudicis ne delicta maneant impunita. Ita Prosper Farinac. *de hæresi quæst. 188. num. 83. & 84.* Peña *in addit. ad Eymiricum in directorio Inquisiter. part 3. quæst. 64 comment. 113. §. Cæteris tamen. fol. mihi 652. col. 1.* Paris. *consil. 2. num. 83. lib. 4.* Rojas *singulari 88. num. 11.* Et ratio est, quia non præsumuntur quòd debitam reuerentiam exhibeant iuramento, maximè periuri, quia ex quo semel peierarunt, præsumitur, quòd semper peierent iuxta regulam iuris *in 6. semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali.* Quidam censent hoc intelligendum etiam esse de omnibus periuris notoriis notorie- 7. Sanch. Farinac. Peña. Paris. Rojas.

tate

tate facti, quamuis in iudicio non fuerint conui-
Syluest. Valent. Azor. cti. Ita docent Syluester *verbo iuramentum.* 2. *quæst.*3. Valentia 2.2. *disp.*6.*quæst.*7.*punct.*3.*col.*4. Azor. *tom.*1.*lib.*11.*cap.*11. *quæst.*6. quando euidens est euidentia facti illos coram multis dixisse verba iuramenti, & fecisse id deliberatione plena, & cognouisse se falsum iurare. Alij tamen meliùs asseuerant oportere ad hanc pœnam incurrendam, quòd quis sit in iudicio de periurio conui-
Archid. Syluest. Tabiena. Sotus. Aragon. ctus, & damnatus. Et hoc tenet Archidiaconus, quem refert, & sequitur Syluester *verbo Periurium quæst.*5. Tabiena *verbo iurare quæst.* 21. Sotus *lib.*8. *de iust. quæst.* 1. *art.*10. *columna* 2. Aragon. 2.2. *quæst* 89. *art* 10. *paulo post initium*; & in
D. Anton. Sanch. hanc partem licet dubitanter, propendet D. Anton. 2. *part. tit.* 10. *cap.*4. §.2. & Sanchez *tom.*2. *Decalogi lib.*3. *cap.*3. *num.*5. Sed hac de re necessariò redibit sermo *in capite quinquagesimo primo huius operis*, vbi agemus de pœnis, quas periuri incurrunt. Suar. distinguit de infamia ciuili & indelebili per pœnitentiam ac canonica. Vide illum *lib.*3. *de iuramenti præceptis, & peccatis ei contrarijs. cap.*20 *tom.* 2. *religionis.*

8. Prohibentur etiam in iure ex leui causa in iudicio iurare sacerdotes *capite, si quis Presbyter.* 2.
Sanch. D. Thom. *quæst.*5. Sanchez *tom.*2. *Decalogi lib.*3.*cap.*3. *n.*7. D. Thom. 1.2. *quæst.*83. *art.*10. Et ratio est, quam ibi reddit D. Thomas; quia dictum hominis tunc iuramenti confirmatione indiget, cum de eius veracitate dubitatur; dedecet autem de veracitate sacerdotum in leui causa dubitare; & ideo pro tali causa interdicitur eis iurare in iudicio. Addit tamen D. Thom. licere sacerdotibus pro necessitate, vel magna vtilitate iuramentum ferre in iudicio, vt quando ex defectu probationis aliquis grauiter læditur, itemque pro fide, pro pace, pro obedientia, pro indemnitate Ecclesiæ, item quando ipsi sacerdotes se ab infamiæ nota purgare coguntur, & dum ab excommunicatione absoluendi sunt. Hæc omnia patent ex capite, *Significasti de electione.* & capite, *Ad reprimendam*
Sanchez. Syluest. Tabien. Azor. *de officio ordinarij.* & docet Sanchez *tom.*2. *Decalogi lib.*3. *cap.*3. *num.*7. Syluester, *verbo, iuramentum* 2 *quæst.*3. Tabiena *verbo, iurare quæst.*21. Azor *tom.*1 *lib.*11. *cap.*11. *quæst* 6.

9. An clericus possit puniri à iudice sæculari, si coram illo falsum iuret, & an à iudice Ecclesiastico alieno, & non suo ordinario, si similiter testimonium falsum coram illo proferat, dicemus *in octauo præcepto in capite* 42. *à num.* 14. *vsque ad* 18. Quæ etiam personæ ad testimonium in iudicio admittantur, & quæ non admittantur, dicemus latiùs *in octauo præcepto in cap.* 38. *à num.* 16. *& deinceps.*

10. Si clerici in causa propria litigent, tenentur iurare de calumnia, id est, se bona fide, & animo non calumniandi litem intendere, causámque mouere, aut aliquid in iudicio proponere; & asserere nec id in posterum se facturos. Ita glossa *in cap.* 1. *verbo, criminali, de iuramento ca-*
Syluest. Azor. *lumniæ*; Syluester *verbo, iuramentum* 2. *quæst.*3. *in fine.* Azor *dict. cap.*11. *fine.* Addunt tamen glossa, & Azor ibi, si sacerdos pro Ecclesiæ causa litem moueat in propria persona, teneri illum iuramentum calumniæ personaliter etiam præstare. Si verò per procuratorem non debere eum compelli prædictum iuramentum personaliter efficere; sed per procuratorem suum, qui pro eo petit, agit, & causam excipit.

11. In triplici autem casu nequeunt clerici coram iudice laico iurare absque suorum Episcoporum licentia, nec Episcopi sine licentia Papæ. Primus est, quando iurant coram iudice laico, tamquam suo superiori, & ab ipso ad id coguntur capite, *Nullus* 22. *quæst.* 5. secus quando coram eo iurant, non tamquam superiori; tunc enim possunt absque licentia, *capite, ex Rescripto, & capite Peruenit de iureiurando*; Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.*3. *cap.*3. *num.*8. Secundus, quando de calumnia pater, quia tunc tale iuramentum præstare non possunt, nisi illum iudicem sæcularem apud quem litigant, & coram quo de calumnia iurant, superiorem agnoscant. Tertius est, quando in actu testificandi iurant in manu laici; tunc enim etiam iurare non possunt, nisi de licentia sui Episcopi; ita docet Sanchez allegatus, idque probat ex capite, *Quamquam* 24. *quæst.*2. Syluester Sanch.
verbo, iuramentum 2. *quæst.*3. Tabiena *verbo iurare* Syluest.
*quæst.*11. Exceptis autem his tribus casibus pos- Tabiena.
sunt licitè iurare sine licentia Episcopi, vt docent Syluester allegatus, & Panormitan. *in cap.* 1. *de iureiurando*, & Sanchez allegatus. Angelus *verbo iuramentum* 3. *num.*5. Sed hoc temperandum est, quoad sacerdotes, vt liceat eis iurare in manu laici iudicis sine licentia Episcopi pro aliqua necessitate, vel magna vtilitate, v.c. ne ex defectu probationis aliquis grauiter lædatur, aut rem suam perdat. Ita Syluester & Sanchez allegati.

Sacerdotes verò cum iuramentum præstant,
non tenentur regulariter sacra tangere; sed sat est 12.
si per suam consecrationem tangendo proprium pectus iurent, vt habetur *capite, si quis Presbyter.* 2. *quæst.*5. nisi in causis grauibus, & in quibus iure expressum est, vt Episcopi, & sacerdotes
sacra tangant. Ita multis relatis docet Couarru. Couar.
de pact. 1. *part.* §. 1. *num.*3. & id ipsum docet San- Sanch.
chez *tom.* 2. *Decalogi lib* 3. *cap* 4. *n.*9. & Ioannes
de Selua *de iureiurando* 1 *part. quæst.*4 *num.*5. ha- Selua.
tur *tom.*4. *tract. iuris fol. mihi* 349. *col.*2. Vnde si Episcopus vel sacerdos esset infamatus, sacra ab illo essent tangenda, vt docet idem Selua, & Abbas *in capite finali col.* 2. *versiculo, Concluderem*
de iuram. calumniæ, quia id in iure expressum est. Abbas.

Diximus *num.* 7. licere sacerdotibus iuramen-
tum in iudicio proferre, quando ipsi se ab infa- 13.
miæ nota purgare coguntur, & hoc in iure appellatur *iuramentum purgationis canonicæ*; & solet præstari in defectu alterius probationis. Peres igitur verùm ille sacerdos, qui fuit notatus infamia aliquorũ scelerum, possit tuta conscientia iurare se ab omnibus liberum esse; intelligens, se illis carere, quia iam per confessionem ab illis fuit absolutus, & sibi in ea fuerunt dimissa. Re-
spondeo negatiuè, cum Azor *tom.*1. *lib.*11. *cap.*11. Azor.
*quæst.*1. & constat *ex capite, Accepimus de Purgatione canonica.* vbi cum quidam Archiepiscopus, qui erat de tribus sceleribus infamatus, vsuræ, simoniæ, & incontinentiæ iurare voluisset se ab his criminibus esse innocentem; intelligens, quia iam ab illis fuerat confessus, respondit S. P. ea de re consultus, vt cogatur iurare, An ab illis fuerit liber postquam fuit Archiepiscopus. Et ratio est, quia is cui sunt peccata dimissa per confessionem, satisfacit Deo pro foro conscientiæ, non hominibus pro foro externo.

Certum etiam est furiosos, & intellectu caren- 14.
tes, nec iurare, nec se iurando posse alteri obligare; sunt enim incapaces obligationis, siue in iudicio, siue extra illud. Qua de re nemo dubi-
tat, vt egregiè docet Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. Suar.
de iuram. assert. cap. 14. *num.* 1. Diximus de iis, qui spectato iure positiuo iurare vel possunt, vel probi

prohibentur, sequitur dicamus de iis qui absolutè considerata sola rei natura iurare vel possunt, vel nequeunt.

15. Et dubitabis imprimis, an Deus iurare possit. Primò, quia iuramentum est actus Religionis, Deus autem non est capax actus Religionis, quia per Religionem alterum superiorem, & excellentiorem nobis agnoscimus. Secundò, quia non potest facere votum, ergo nec iuramentum; nam hæc æquiparari videntur. Tertiò, quia iuramentum interponitur ad confirmandum dictum propter defectibilitatem veritatis ex parte personæ iurantis: diuinum autem dictum non est capax confirmationis, quia per se habet infallibilem auctoritatem & veritatem. Nihilominus dicendum est Deum capacem esse iuramenti quoad modum & formam, imò & quoad finem & effectum quoad nos, non tamen quoad se, nec quoad rem ipsam Et de facto ita sæpe iurasse, docet Suarez *tom. 2. Religionis lib. 1. de iuram. assert. cap. 14. n. 1.* Probatur ex sacra pag *Genes. 22.* vbi dicitur Deum iurasse per semetipsum. Ex psalmo 109 ex Hieremia 22. & 44. *Ecce ego iuraui in nomine meo magno*; & cap. 51. *Iurauit Dominus exercituum per animam suam.* Et Amos 4. *Iurauit Dominus in Sancto suo*, id est, in sanctitate sua; Et ex D. Paulo ad Hebræos 6. vbi rationem reddit cur per semetipsum iurare soleat. *Quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum*; & infrà addidit, *in quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus, immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum.* Et hæc est prima ratio. Secunda verò est, *vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* Id est, per promissionem eius, & per iuramentum. Nec obstat quòd iuramentum in sua proprietate dicat intrinsecam habitudinem ad auctoritatem superiorem respectu iurantis, vt indicat D. Paulus ad Hebræos 6. Deus verò neminem maiorem habeat, per quem iuret. Nec item obstat quod iuramentum dicat actum Religionis erga illum quem nobis maiorem, & excellentiorem agnouimus; quod etiam Deo conuenire non potest. Quia hæc solùm probant Deum non posse propriè & rigorosè iurare, quod concedimus; non verò probant esse impropriè & deductis imperfectionibus efficere iuramentum quoad ea tantùm quæ dicunt perfectionem Primò, vt

D.Isid. sit firmum, & stabile id quod nobis sub iuramento promittitur, iuxta illud D. Isidori de summo bono lib 2 cap 31. *Iurare Dei, est ab illa prouidentia, qua statuit non conuellere statuta*; & infrà. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, id est, *qua iurauit, non mutauit.* Secundò, vt nos per illud certi simus promissionis nobis factæ non defecturæ, & in hoc sensu potest Deus iurare, & nobis se obligare sub forma iuramenti nobis magis accommodata ad apprehendendam certitudinem suæ assertionis, & promissionis firmitatem. Vnde iurat, non quòd res propter iuramentum illius, fiat certior, quantum ad diuinum testimonium, sed quantum ad modum, quo nobis promittitur Vnde D. Hieronymus Isaiæ 14. *Cum Deus iurat, humano loquitur affectu*, id est, more, *vt nos nihil timeamus.* Quamobrem licet Deus vouere non possit, iurare tamen potest; quia votum est promissio facta Deo, iuramentum est promissio facta hominibus confirmata infallibili Dei testimonio, & licet diuina promissio non sit capax confirmationis iuramenti, quantum ad diuinum testimonium, tamen quantum ad modum, vt dixi, quo nobis Deus aliquid promittit, capax est talis iuramenti, & confirmationis.

Solum speciale dubium est, an Deus vti possit simplici tantùm attestatione, hoc est, affirmatione, vel negatione, in iurando, an etiam iuramento execratorio sua dicta confirmet. 16. Probabilius est non posse iurare per execrationem; sed solùm per simplicem attestationem. Primò, quia nullibi in sacra pagina talis modus iurandi inuenitur in Deo. Secundò, quia dedecet omnino illum talis modus iurandi; si enim execratio sit circa ipsum, sub nulla ratione, & conditione etiam impossibili potest Deus sibi imprecari malum, & vt non sit, vel quid simile; quia talis imprecatio non fit nisi circa rem aliquo modo capacem illius mali, & ideo res illa, quæ est materia execrationis, semper est inferioris ordinis, quod Deo conuenire non potest. Si verò execratio sit circa creaturam sub nulla etiam ratione, aut conditione, quantumuis impossibili, Deo conuenire potest; primò, quia Deus nullo modo vtitur creatura ad iurandum, quia maior esset creatura creatore, sed per semetipsum iurat. Secundò, quia non esset apta illa execratio ad iurandum; cum tam malum, quàm bonum cuiuslibet creaturæ, ab illius pendeat voluntate. Nec obstat quòd in scriptura dicatur, quòd Deus iurauerit per animam suam, per vitam suam, aut in anima sua, in vita sua, in ira sua, in sancto suo. Ieremias 51. *Iurauit Dominus per animam suam.* Amos 6. *Iurauit in anima sua.* Psalm. 94. *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*; & Psalmo 88. *Semel iuraui in Sancto meo si Dauid mentiar*; nam idem valet iis locis iurare per animam suam, vitam, iram &c. ac iurare per se ipsum, aut per substantiam suam, quæ nomine animæ, vitæ, sanctitatis, iræ metaphoricè significatur. Vnde illud Ecclesiast. 24. *Sapientia laudauit animam suam, id est, se.* Ad Hebræos 10. *Non placebit animæ meæ*, id est, *mihi*; vt bene exponit Ribera *Oseæ 9 num 5 Amos 6. num. 28.* Nec item obstant illa verba: *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*, quia sic illa interpretatur D. Paulus ad Hebræos 3. & 4. *Iuraui quod non introibunt.* Nec illa etiam, *semel iuraui in Sancto meo si Dauid mentiar*, quia sic accipiuntur. *Non mentior quia dixi & iuraui.* Nec tandem illa Isaiæ 14. *Iurauit Dominus exercituum dicens, si non, vt putaui, ita erit*; ita enim illa Doctores interpretantur vt idem valeant, ac si diceretur, *omnino erit*; quoties enim in ipso iuramento conditionali supponitur vna negatio, & subintelligitur alia, redditur ex phrasi scripturæ affirmatio iurata, vt notat Ribera *Amos 8. num. 20.* Vnde Ribera. non approbo modum explicandi quo vsus est Adam ad Hebræos 3. explicans enim illa verba Psalm. 88. *semel iuraui in Sancto meo si Dauid mentiar*, dum ait continere execrationem, & hunc sensum reddere. *Non sim Deus*, vel *non viuam si hoc non impleuero*, quia ea dictis iam patet hunc modum iurandi Deo non conuenire.

17. Christus Dominus, quia homo erat, & qua talis minor Patre, capax erat iuramenti, quia per maiorem se iurare poterat: quemadmodum enim in confirmationem suæ veritatis Patrem allegauit Ioannes 8 *Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater*, ita per illum iurare posset. Dubitari verò potest vtrùm de facto aliquando iurauerit? Et

primò

primò probabilius videtur non iurasse per illa verba. *In veritate dico vobis*, Luc. 4. nec per illa: *Verè dico vobis, quia vidua hac pauper plusquam omnes misit* Lucæ 21, nec per illa. *Veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam*; quia hæc verba de se non continent formam iuramenti; sed solam assertionem, & inculcationem simplicis veritatis,
Suarez. vt docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuramento assertor. cap. 13. num. 10.* & nos suprà, Illud autem verbum *Amen* probabile est prolatum à Christo continuisse iuramentum præsertim sub repetitio-
D. Thom. ne. Vnde D. Thom. *Lect. 4. in Ioannem* 8. explicans illa verba, *Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum*; sic ait: *Ponit hic Dominus, quasi quoddam iuramentum, quod ideo geminatur, vt suam sententiam magis firmet*. Intellige quoad nos. Vn-
D. Hieron. de D. Hieronymus in vltimis verbis Epistolæ ad Galatas sic ait. *Quomodo in veteri testamento quadam iurandi consuetudine Deus sua verba confirmat, dicens: Viuo ego, ita & Saluator noster in Euangelio per verbum* Amen *vera esse, quæ loquitur, ostendit*: Nam hoc verbum *Amen* triplicem habet significationem; Primò significat Deum, vt patet ex Apocalypsi 3. *Hæc dicit Amen testis fidelis*, id est, Deus. Secundò significat idem quod fiat, vnde Ecclesia in fine suarum orationum semper concludit hoc verbo *Amen*, id est, ita sit, fiat, Tertiò, significat testimonium, & iuramentum, seu esse infallibile id quod dicitur, vt iam osten-
Suarez. dimus, & docet Suarez allegatus *dicto tom. 2. de Religion. lib. 1. de iuramento assertorio cap. 14. num. 8.*

18. Angeli boni quoad homines possunt iurare: nam Apocalyps. 10. expresse legimus Angelum Sanctum *per viuentem in secula iurasse*, & simile
Innoc. legitur Daniel. 12. quod notauit Innocentius 3. *in capite, Etsi Christus*, nam cum Deus nullum se maiorem habeat per quem iurare possit; per semetipsum iurare solet; Angeli verò tamquam res creatæ per Creatorem iurant, & ea quæ dicunt propter nostram diffidentiam, & incredulitatem, cælestis numinis attestatione confirmant; Inter se verò Angeli sancti iurare non possunt, quia iuramentum non habet locum, nisi vbi per fidem aliquam vel diuinam, vel humanam, vel angelicam dictis iurantis creditur, Angeli autem non credunt dictis aliorum Angelorum per fidem humanam, vt patet; nec diuinam, quia in beatis non est fides; nec angelicam, quia semper intuentur clarè ea de quibus ab aliis illuminantur, & erudiuntur. Et quamuis fieri possit, vt vnus Angelus loquatur alteri abstractiuè tantùm, & sine intuitione rei de qua loquitur; nihilominus non est necessarius vsus iuramenti inter illos; quia etiam illa cognitio, vel fides, si ita appellanda est; efficit euidens in attestante; quia euidens est ipsi audienti, loquentem non posse mentiri saltem propter beatitudinis statum.

19. Angeli mali, siue dæmones, verisimilius est, quòd non iurent, non ex bono motiuo, sed ne Deum honorare videantur: & quia respectu bonorum Angelorum non ignorant sibi non prodesse iuramentum, cum omnia intueantur, respectu aliorum dæmonum non assumunt nomen Dei, nisi vt de illo blasphement. Respectu verò hominum ad illos decipiendos interdum iurare possunt, si permittantur; sicut interdum fingunt se religiosos, & in Angelos lucis transfigurant, maximè quando sciunt se non cognosci; nam si agnoscantur, rarò vtentur iuramento ad persua-

dendum malum hominibus, tum propter suam superbiam ne videantur indigere testimonio Dei ad firmanda dicta sua; tum quia semper affectant honorari, & credi, vt Deus: & ita docet Suarez *dict. tom. 2. de Religione lib. 1. de iuram. as-* Suar. *sertorio cap. 13. num. 15.*

Num verò Angeli in sua pura natura spectati, 20. ante statum beatitudinis, vel malitiæ habere possint vsum iuramenti, dubitant aliqui Theologi, videntur enim non esse incapaces vsus iuramenti, quia ex vi suæ naturæ, & falli & fallere possunt; est ergo fallibile illorum testimonium ex vi propriæ naturæ; ergo ex vi etiam propriæ naturæ possunt vti iuramento ad firmandas suas assertiones: Hæc tamen quæstio pendet ab illa, quomodo, scilicet, loquantur Angeli inter se, spectata illorum natura; nam si inter se loquuntur, ita quòd vnus præbeat alteri facultatem, vt suam locutionem intelligat; quod idem est, ac dicere, per directionem suorum conceptuum ad alium, aut per ostensionem suæ voluntatis, quasi præbens illi facultatem; vt eam intueatur; tunc is, qui audit, non credit propter auctoritatem dicentis, sed quia videt, & intuetur ita rem se habere, & ita non illis opus est iuramento ad credendum. Si verò vnus Angelus loquatur ad alterum, non vt illi intuitiuè ostendat suam voluntatem, sed abstractiuè, quasi teni à se dictam per suam auctoritatem alteri notificet; tunc quidem vti possunt iuramento, quia ea locutio de se, & ex natura sua infirma est, & iuramento confirmabilis; quia voluntas Angeli mutabilis est; verissimum tamen est hæc iuramentorum vincula parum esse Angelis necessaria, cum ipsi non habeant negotiationes, & voluntatem habeant firmam, & constantem in sua deliberatione. Sic docet Sua- Suarez. rez allegatus *num. 16.*

Sequitur vt de hominibus loquamur non in 21. statu beatitudinis, quia pro eo idem dicendum est de illis, quod de Angelis beatis diximus; sed in duplici alio statu, innocentiæ nimirum, & naturæ lapsæ. Et in primis quoad statum innocentiæ, probabilius videtur non fuisse homines incapaces iuramenti. Quod sic ostendo: iuramentum neque in eo qui iurat, neque in eo cui iuratur, supponit peccatum. ergo homines in statu ante peccatum iurare poterant; si quidem ex natura sua non sunt incapaces iuramenti, vt per se euidens est. Antecedens quoad iuramentum pater in Angelis, quos dicimus ante statum beatitudinis iurare potuisse. Quoad personam cui iuratur, non apparet cur peccatum supponatur; nam quemadmodum Deus promisit Abrahamo incarnationem sui filij cum iuramento, ita potuisset illam promittere Adamo, vel Angelis: neque enim iuramentum Dei factum fuit solùm propter infirmitatem & ignorantiam hominum, sed etiam propter excellentiam mysterij; conueniens enim erat vt homo eo etiam auxilio extrinseco corroboraretur ad credendum rem adeo supra captum intellectus creati. Dices primò, pro statu innocentiæ nulla erat necessitas iuramenti. ergo homines pro eo iurare non poterant. Respondetur primò, licet fortassis non foret omnimoda necessitas, potuisse tamen esse vtilitatem, quia poterant pro eo statu esse promissiones humanæ, & pacta, ad quæ confirmanda & obligandum promittentem ad perseuerandum in proposito, non parum posset conferri iuramentum, quemadmodum propter easdem causas non esset inutile pro eo statu votum factum Deo. Dices secundò

Secundò, *Matth.* 5. postquam Christus Dominus admonuit discipulos suos ne iurarent, sed sermo eorum esset. *Est, est, non, non*: addidit: *Quod amplius est, à malo est.* Circa quæ D. August. notat non dici iuramentum malum, sed ortum à malo; id est, ex incredulitate & consuetudine mentiendi in hominibus, qui effectus à peccato originali prouenerunt. ergo signum est quòd non futurum esset iuramentum ante peccatum. Respondetur, primò, D. August. non voluisse eum dixit iuramentum esse à malo, asserere iuramentum prouenisse à peccato originali, aut effectu eius, sed ex imperfectione naturæ humanæ; vel locutum esse de iuramēto prout nunc datur cum tanta frequentia & necessitate; clarum enim est quod iuramenta in statu innocentiæ nec essent tam frequentia, nec tam frequenter, sed rarissimè necessaria aut vtilia.

22\. In hoc secundo statu naturæ lapsæ incapaces sunt iuramenti, pueri ante annos discretionis, amentes & furiosi, & omnes iudicio rationis carentes; post rationis autem vsum ex natura rei omnes sunt capaces eius; neque in hoc potest assignari certa ætas, quia tempus perueniendi ad vsum rationis non idem est in omnibus; sed prudenter id coniectandum est, vt optimè animaduertit Suarez *dicto tom. 2. de Relig. lib.* 1. *de iuram. assert. cap.* 14 *num.* 5. In iudicio tamen humano iam diximus ante pubertatem neminem admitti: vide *num* 6. Suar.

23\. Homines adulti in triplici sunt differentia; aut enim sunt Pagani, aut Iudæi, aut Christiani. Pagani sunt illi, qui nullum omnino Deum agnoscunt, vt Athei; tales ergo homines, non sunt capaces iuramenti, quia nullum Deum possunt in testem inuocare, nec videntur cogitare aliquid maius homine; omnes autem qui iurant, per maiorem iurant, vt docet D. Paulus *ad Hebræos* 6. & ita docet Suarez citatus *num.* 6. D. Paulus. Suarez.

24\. Alij sunt infideles, qui licet verum Deum non cognoscant, falsos tamen Deos, & falsa numina cognoscunt, vt sunt ordinariè Gentiles, & de his iam diximus *c.* 1. *num.* 11. verè, & in re non esse capaces iuramenti, nec obligari ex vi talis iuramenti; quamuis in existimatione putent se per vera numina iurare; quia reuera iurant per falsa numina, & tale iuramentum in rei veritate non est iuramentum; obligari tamen ex conscientia erronea, ac proinde sublato errore v. g. cum baptizantur, non teneri amplius ad tale iuramentum.

25\. Iudæi, qui verum Deum, mundi creatorem agnoscunt, capaces sunt obligationis iuramenti, quia quælibet existimatio de vero Deo sufficit ad colendum illum per iuramentum, aliquo saltem modo imperfecto, vt planè tenet D. Paulus *Epistola* 1. & 2. *ad Romanos.* & docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de iuramento assertorio c.* 14. *num.* 7. Cuius signum sufficiens est, quia vsus iuramenti ad firmanda fœdera, & pacta humana, quasi iure gentium per dictamen rationis naturalis introductus est, vt colligitur ex sacra pagina *Geneseos* 26. & 31. & ad *Hebræos* 6. Et idem dicendum est de hæreticis ob eandem rationem, & de Mauris, & Turcis, & de omnibus, qui verum Deum agnoscunt; licet imperfecto modo agnoscant, nam omnes, qui illum agnoscunt, possunt illum per iuramentum in testem inuocare ex vi rationis naturalis dictantis res incertas testimonio maiori, quàm humano confirmandas esse. Erit ergo tale iuramentum verum, & solidum, D. Paul. Suar.

& habere poterit effectus iuramenti proportionatos cognitioni, & honestati naturali, vt optimè animaduertit Suarez allegatus *dicto num.* 7. Suarez.

Fideles omnes quantum est ex se, habiles sunt ad iurandum, nisi aliunde à iure ob iustas causas inhabiles reddantur, quales sunt quos numerauimus *à num.* 21. huius captis. 26.

CAPVT VI.

Qui comites, seu quæ circumstantiæ de iure diuino, & naturali requirantur ad iuramentum licitè præstandum, & quod peccatum sit defectus in iuramento assertorio & promissorio.

SVMMARIVM.

Tres comites, & circumstantia iure diuino requiruntur ad iuramentum licitè præstandum, Veritas, Iustitia, Iudicium. num. 1.

In quo consistat veritas formaliter. num. 2. *Iuramentum assertorium falsum, etiam in re minima, semper est mortale periurium.* ibid. & 3.

An iuramentum assertorium falsum causa ioci dictum sit periurium mortale. num. 4.

In iuramento assertorio triplex veritas reperiri potest. num. 5.

An iuramentum assertorium ne sit periurium requirat triplicem veritatem prædictam. num. 6.

Iurans rem falsam credens præmissa diligentia sufficienti esse veram, non peccat. num. 7.

Peccat verò si non præmittat sufficientem diligentiam. num. 8.

Peccat mort. iurans rem sibi dubiam pro certa. num. 9.

Non est iuramentum falsum quod per hyperbolem aliámve figuratam locutionem fit. num. 10.

Quid requiratur vt verum sit iuramentum quo scholastici iurant alios scholasticos continuasse tempus requisitum in scholis. num. 11.

Vt quis extra iudicium iuret rem ita se habere, satis est si à persona aliqua graui & fide digna audiuit. num. 12. *aliter in iudicio nisi statim addatur causa notitia.* ibid.

Secundus comes iuramenti necessarius ad eius honestatem est iustitia, & in quo consistat. n. 13.

Tertius comes est iudicium, id est, discretio & prudentia; & qualis esse debeat. num. 14.

Defectus iudicij secluso periculo falsitatis veniale est. num. 15.

Notabilis negligentia inquirendæ veritatis in iuramento mortale est, exigua veniale. num. 16.

Non excusatur à peccato prædicto notabiliter negligens etiam si postea res iurata inueniatur vera. num 17.

Periurium solùm ex defectu plenæ deliberationis peccatum veniale esse potest. n. 18. *Nullus finis vel causa excusat à peccato mortali iuramentum falsum.* ibid.

Res circumstantiæ, seu tres comites iure naturali, & diuino ad iurandum licitè, siue in iudicio, siue extra illud requiruntur. *Veritas* scilicet, *Iustitia*, & *Iudicium.* Patet ex Ieremia *Iurabis in iustitia. in iudicio, in veritate.* Constat ex sententia omnium DD. & ex 1.

D.Thom. ex D.Thom. 2. 2. *quaest.* 89. *art.* 3. Ratio est, quia si deest veritas, efficitur Deus mendax, improbus, & ignorans, quippe qui ad confirmandum mendacium in testem adducatur, & tunc dicitur iuramentum falsum, & periurium propriè loquendo. Si deest iustitia, efficitur Deus cooperator illius mali, quod ipsius testimonio faciendum promittitur, & tunc dicitur iuramentum iniustum, seu iniquum. Si deest iudicium, cedit in Dei irreuerentiam cum absque iusta causa adducatur in testem; quamobrem vt iuramentum sit licitum omnibus his tribus circunstantiis, & comitibus iure diuino sociatum esse debet.

2. Veritas in iuramento assertorio est vna tantùm, & consistit formaliter in eo, vt iurans existimet verum esse id quod iureiurando asserit, negat, vel affirmat.

3. Quæres quodnam peccatum sit defectus huius comitis siue veritatis de præsenti in iuramento assertorio. Resolutio sit esse semper peccatum mortale, siue res grauis sit, siue leuis & leuissima. Probatur, in quacumque materia grauissima fit iniuria Deo si in testem mendacij afferatur. ergo &c. Ita docent D.Thom. 2. 2. *quaest.* 98. *art.* 5. *ad* 1. Caiet. *in summa verb. Periurium cap.* 1. *vers. Inchoando igitur.* Sotus *lib.* 8. *de iustitia quaest.* 2. *artic.* 3. *conclus.* 1. Couar. 1. *variar. cap.* 1. *num.* 2. Sayro *in claui regia l.* 1. *cap.* 4 *num.* 15. & 16. è nostris Tolet. *lib.* 4. *sum. cap.* 21. *num* 8. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *instit moral. cap.* 4. *quaest.* 1. Sanchez *lib.* 3. *Decalogi cap.* 4. *num.* 6. Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 3. *de iuram. cap* 4. *num.* 2. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *quaest.* 7. *punct.* 3. *conclus.* 1. Lessius *de iustit. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 11. *vers. Deinde in* 1. & communis sententia.

D.Thom. Caiet. Sot. Couar. Sayro. Tolet. Azor. Sanch. Suarez. Valentia. Lessius.

4. Vnus Goffredus *cap. Quod autem. & cap. vltimo* 22. *quaest.* 1. cui adhærere videtur Glossa *in cap. Vnum.* §. *nunc in fine, verbo, Iur.imus* 25 *d.* existimauit periurium iocosum esse tantùm culpam venialem; quam sententiam ita existimat probabilem Angelus *verbo, periurium*, vt contrariam solùm dicat tutiorem. Fundamentum eius est, quòd mendacium iocosum non sit simpliciter mendacium; proindéque qui tale mendacium iurat, non dicitur simpliciter iurare mendacium, & consequenter non dicitur simpliciter periurus. Hæc sententia falsa est adeo, vt iure optimo non pauci Doctores existiment cæteris paribus eo periurium esse grauius peccatum, quo materia illius leuior & vilior fuerit: quia quo leuior est materia, eo maior est contemptus Dei, quatenus diuina maiestas, authoritas, & infallibilis veritas minoris æstimatur: si quidem pro asserenda re leuissima qui falsò iurat, priuat Deum quantum est ex se infallibili sua veritate, protestaturque non omnia scire, non esse summè bonum, & mentiri posse. Ita D. Thom. suprà *ad* 2. Syluest *verb. Periurium num.* 1. & *verb. iuramentum* 6 *quaest.* 6. Gouarru. *de pactis* §. 6. *num.* 5. Sayrus *suprà* Suarez *num.* 5. Sanchez *num.* 7. & alij. Neque fundamentum in contrarium vrget; iocosum enim mendacium verè est contra mentem. ergo verè & simpliciter est mendacium: Neque leuitas mendacij & iocus ita minuunt mendacium, vt non maneat verè mendacium, quia cum veritas in indiuisibili consistat, vbi primum quod dicitur, verum non est, falsum necessariò est, & mendax qui illud asserit.

D.Thom. Syluest. Couar. Sayro. Suarez. Sanch.

5. Ad maiorem doctrinæ supradictæ claritatem, sciendum triplicem posse esse alicuius propositionis veritatem. Prima est in re, & in existimatione, & tunc datur, quando res ita est à parte rei, & ita existimatur esse à dicente vt dicitur. Secunda veritas est in re, & non in existimatione, quæ tunc datur, quando id quod dicitur, ita de facto est à parte rei, sed non ita existimatur à dicente; Vt si quis dicat, frater meus mortuus est, & ille re vera mortuus sit, sed viuere existimabat. Tertia veritas est in existimatione, & non in re; vt si quis existimet patrem suum viuere, & ita affirmet, cum tamen mortuus sit.

His animaduersis inquiri potest an necessarium sit, vt iuramentum assertorium non sit periurium, quod habeat triplicem prædictam veritatem, an satis sit habere aliquam ex his? Et in primis euidens est, quod habere satis sit primam veritatem, quia cum illa redditur iuramentum omnino verum vt per se patet; quoad reliquas duas potest esse aliqua dubitatio. Statuo tamen primò. Non satis est habere secundam, ac proinde qui iurat pro vero quod existimat esse falsum, vel pro falso quod existimat esse verum, quamuis à parte rei, res ita habeat vt dicit, periurus est. Ita omnes suprà citati. Ratio est manifesta. Quia is reuera mentitur, & pro teste mendacij, id est, eius rei quam existimat esse falsam, adducit Deum, quod est grauissima eius iniuria, si quidem quantum est ex se, adducit Deum in testem falsi. 6.

Statuo secundò. Iurans rem falsam pro vera credens tamen præmissa debita diligentia esse veram, nullum peccatum mortale vel veniale committit. Ita communiter DD Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 14. Toletus *lib.* 4. *summæ cap.* 21. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 14. *quaest.* 1. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 5. *in fine.* Abulens. *cap.* 5. *Math. quaest.* 301. Angelus *verbo, Periurium, initio*, & ibi Syluester. *quaest.* 1. & *verbo iuramentum* 2. *quaest.* 6. & 8. Nauarr. *in summa Lat. cap.* 12. *num.* 7. Sotus *lib.* 8. *de iust. quaest.* 2. *art.* 3. *conclus.* 6. Lessius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 3. *num.* 17. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quaest.* 7. *puncto* 3. *col.* 12. Et ratio est, quia qui ita iurat, non facit contra mentem suam; sed potius id iurat quod in corde, & in mente sentit; mentiri autem est contra mentem ire; quare cum ille non eat contra mentem, verum formaliter dicit, licet materialiter per accidens sit falsum; neque se exponit periculo iurandi falsum, quia qui iurat quod præmissa debita diligentia sibi videtur verum, iurat quod moraliter certum est, vt bene notat Sanchez *suprà*; ac proinde per accidens est, quod res non ita sit à parte rei; semper enim iurans præmissa diligentia liber manet à periurio. 7.

Sanch. Tolet. Azor. Suarez. Abul. Angel. Syluest. Nauar. Sotus. Lessius. Valent.

Dixi (*præmissa diligentia*) quia qui absque illa iuraret, sine dubio peccaret propter periculum cui se exponeret, vt docent suprà citati. Ea verò dicitur debita diligentia, quæ attentis circunstantiis prudens iudicaret esse sufficiens ad indagandam veritatem vt iam supradixi: hæc autem diligentia maior, vel minor esse debet iuxta qualitatem, & dignitatem rei iuratæ, vt dicemus *num.* 17. quem vide. Ita omnes Doctores, quos ibidem allegauimus. 8.

Statuo tertiò. Qui iurat rem sibi dubiam pro certa, aut certam pro dubia, periurus est, & mortaliter peccat; nec à mortali periurio excusatur ob paruitatem materiæ, neque etiam ob quemcumque finem, etiam bonum, de priori parte si rem sibi dubiam pro certa iuret: id docet Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 8. Angelus *verbo, periurium. num.* 3. & ibi Syluester *quaest.* 1. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 7. Nauar. 9.

Sanch. Angel. Syluest. Suarez. Nauar.

Sayro. *in summa Lat. cap.* 12. *num.* 7. Sayro *in claui regia lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 7. Et ratio est. Primò, quia perintij periculo exponitur. Secundò, quia reuera mentitur assereos tanquam certam rem, de qua est dubius. Secus si rem illam asserat sub eodem dubio, vt dicendo, *suspicor ita esse, credo ita esse*, quia tunc verum iurat, & dicit. De secunda parte si rem certam pro dubia sub iuramento affirmet; id docet idem Sanchez *ibidem* ex hoc fundamento; quia sicut reuera mentitur affirmans dubium pro certo, ita è contra affirmās certum pro dubio. Deinde quia, qui in confessione peccatum mortale certum, & indubitatum, fatetur vt dubium, peccat mortaliter, & mendacium profert; ergo, & qui iurat rem certam, vt dubiam, mortaliter similiter peccabit, par enim vtrobique ratio est. Hoc tamen est intelligendum; quando iurans id consulto efficit, secus si scrupulis conscientiæ punctus hac loquendi forma vtatur, ad cauendum, fugiendúmque mendacium, vt faciunt personæ timoratæ; quas à peccato excusari constat.

10. Non est tamen iuramentum falsum, quod per hyperbolem, aliámve figuratam locutionem fit, etiamsi, vt sonat, verum non sit. Vt si quis iuret milites esse leonibus fortiores, esse in persequendis hostibus aquilis velociores, in viribus, elephantibus robustiores, Romanos omnes nationes, quas sol illuminat, suis armis superasse. Item si quis iuret se tanti calamum, quanti equum æstimare, & similia. Ita de figurata locutione D August. docet D. August. *lib.* 2. *de quæst. Euangel. cap.* 51. D.Thom. & D.Thom. 2.2. *quæst.* 111. *art.* 1. *ad* 2 & specialiter Nauar. de hyperbolica idem docet Nauarrus *lib* 5. *consilior. in* 2. *editione titul. de heret. consilio* 14. Sanch. *num.* 1. & de vtroque Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 9. & constat ex sacra pagina; vtitur enim illa passim his formis loquendi. Vnde 2. *Reg. cap.* 1. Ionathas, & Saul aquilis velociores, & leonibus fortiores dicuntur. Et ratio est, quia non eundem sensum efficit modus ille loquendi, quem verba sonant; sed est quædam exaggeratio. Quare ne huiusmodi iuramentum quando fit, veritate destituatur, debet existimare iurans rem, quam cum ea exaggeratione affirmat, valde esse exaggerationi accommodatam, vt cum iurat calamum tanti æstimare, quāti equum, vt sit verax, debet existimare calamum esse valde bonum; & quando iurat Romanos omnes nationes, quas sol illustrat, superasse, debet existimare illos multas nationes suis armis debellasse, quippe id solum ea locutio significat, & non aliud.

11. Hinc deducitur primò, verè iurare scholasticos qui testimonio suo deponunt auditorem alicuius scientiæ continuasse tempus requisitum iuxta vniuersitatis statuta (v.g. per sex menses & vnum diem iuxta aliquarum vniuersitatum morem, vel per plures vt in vniuersitatibus Lusitaniæ:) satis esse, si viderint talem auditorem, per decursum eius temporis communiter scholas frequentasse, hæc enim certitudo est moralis, & alia mathematica est moraliter impossibilis, & constitutio petens iuramenti probationem de certitudine morali intelligenda est, quia hæc sola moraliter haberi potest. Ita Sanchez *tom.* 1. *De-* Sanch. *calogi lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. qui tamen meritò putat necessarium, vt tempus intra quod auditor frequentauit mathematicè transactum fuerit, quia statuta vniuersitatum mathematicè tempus illud requirunt, vt integer vnius anni cursus reputetur, aliter iuramentum esset falsum.

Deducitur secundò, ad veritatem iuramenti extra iudicium dati; satis esse iurantem audiuisse à persona aliqua graui, & fide digna rem illam ita esse; vt moraliter loquendo certò iuret, ita rem se habere: at in iudicialibus id non sufficit, vt rem tanquam certam testis iuret, nisi statim addatur causa suæ notitiæ, vt *scio hoc, quia audiui à persona fide digna*. Et ratio est, quia in iudicio testis, ex solo auditu, non semiplenè probat, imò est conditio diminuens fidem testimonij, & qui in foro iudiciali iurat se aliquid scire, testatur se id scire ex notitia visus, & præsentiæ, ita vt eius dicto sit integra fidès habenda tanquam semiplenæ probationi. Ita docent communiter DD Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 13. Sayro *in claui regia lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 18. Gabriel *in* 3. *dist.* 39. *quæst.* 2. *art.* 2. *conclusione* 3. Probatur ex *cap. Testes* 3. *quæst.* 9. vbi iubet Calixtus Papa tales de his solùm testificari, quæ in eorum præsentia gesta fuerint. Vnde in iudicialibus exigitur iuramentum habens omnimodam certitudinem. Excipe tamen, nisi quando ex lege, aut consuetudine tale iuramentum in iudicio datum intelligitur de credulitate, eo quòd nequeat plena certitudo aliter haberi; vt quando accipitur à iudice iuramentum de idoneitate alicuius personæ, vt tradunt auctores citati, & vltra illos Scotus *in* 3. *dist.* 39. *quæst. vnica art.* 2. tunc enim sufficit se ita communiter audiuisse, vt id pro certo iuret veluti cum agitur, an quis sit habilis ad sacros ordines, & ei opponitur, quod sit spurius, & illegitimus; tunc testes debent testimonium ferre, non de veritate; quia constare non potest, an verè sit legitimus filius talis patris, & matris; sed de credulitate, quòd ita pro filio legitimo creditus, habitus, & reputatus fuerit, vt optimè docet etiam Panormitanus *in cap. Accedens de purgat. canonica. notabili* 2. nam filiatio est difficilis probationis, & ideo omnes DD. concludunt probandam esse ex coniecturis. Primò ex fama & per testes de auditu, vt tradunt Alexander, Iason, & alij *in l. Neque professio. C. de testamentis*. Abbas, Felinus, Aretinus, & Decius, *in cap. Per tuas. de probat.* Secundò, ex communi populi opinione, vt docet Cabedo 2. *part. decision.* 73. *num.* 12. Menochius *consil.* 2. *num.* 208. *&* *de arbitrarijs, casu* 89. *num.* 86. Valascus *tom.* 2. *consultat.* 176. *num.* 6. *versiculo, Allegabat secundo.* Mascard. *de probat. conclusione* 791. *num* 1. Tertiò, ex similitudine seu effigie patris, vel matris. Ita Menoch. *lib.* 6. *de præsumptionibus, præsumpt.* 53. *num.* 45. *&* *in tractatu de arbitr. casu* 89. *num* 97. Quartò si soboles nata sit ex concubina domi retenta. Ita Guillielmus Benedictus *in cap. Raynutius* 3. *part. charta* 33. *colum.* 3. *in principio de testamentis*. Mascard. *de probat. tit.* 2. *conclus.* 788. *num.* 25. 12.

Sanchez. Sayro. Gabriel. Scotus. Cabed. Menoch. Valasc. Mascard. Menoch. Guil. Bened. Mascard.

Secundus comes necessarius ad honestatem iuramenti, est iustitia, consistitque in eo, vt id quod iuratur sit iustum, ne iuramentum sit vinculum iniquitatis & iniustitiæ. Quamuis defectus huius comitis præcipuè reperiatur in iuramento promissorio, vt dicemus cum de eo sermo erit, nihilominus in assertorio etiam dari potest, cum nimirum iuramento asseritur quidem verum, sed quod dici non deberet, quia alteri perniciosum, & contra id quod iustitia postulabat, v. g. cum crimen proximi verum, sed occultum absque iusta causa detegimus. Ita Sotus *lib.* 8. *de iustit. quæst.* 2. *art.* 3. *conclus.* 3. Sanchez *in Decalog. l.* 3. *cap.* 19. 13.

Sotus. Sanch.

Aragon. Sayro Suarez.

*c.p.*19.*num.*32. Aragon. 2. 2. *quæst.*89. *art.* 3. *post principium.* Sayro *in claui reg. lib.*5.*cap.*4. *num.*4. Suar. *tom.*2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 19. *num.*6. & alij communiter.

14. Iudicium tertius iuramenti comes est discretio, & prudentia, aut prouidentia quædam in omni iuramento necessaria, ad quam tria requiruntur. Primum est, vt veritas, quæ iuramento confirmatur, nequeat alia via probari, quia patentem veritatem, vel speculatiua dubia, quæ ratione probari deberent, iuramento confirmare, imprudentia est. Secundum est, vt detur necessaria, aut pia iurandi causa. Tertium, vt præcedat maturum veritatis examen. Adde quartum si velis, quod est valde generale in omnibus iuramentis, debita in diuini nominis innocatione reuerentia.

15. Iuramentum cui deest iudicium (excluso periculo falsitatis) est tantùm culpa venialis; quia non est tam grauis hæc irreuerentia, vt inducat peccatum mortale, cum sit peccatum dumtaxat solius superfluitatis, seu non necessitatis iurandi. Ita Sanchez *tom.*2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 35. Suarez *tom* 2. *de Relig. lib.* 3. *de iuram. assert. cap.* 12. *num.*3 Sayro *in claui regia lib.*5.*cap.*4 *n.* 32 Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap* 42. *dub* 3. *num.*17. D. Anton. 2. *part. titulo* 10. *cap.* 7. §. 1. Angelus *verbo, iuramentum* 3. *num.*7. Syluester *verbo, iuram.* 2. *quæst.* 8. Nauar. *in summa Lat. cap.* 12. *num.* 3.

Sanch. Suar. Sayr. Lessius. D. Anton. Angel. Syluest. Nauar.

16. An autem sit peccatum mortale, cum deest iudicium ex parte diligentiæ, & inquisitionis necessariæ ad considerandum, an sit verum id quod iuratur, est dubium? Cui respondeo esse mortale, vel veniale pro ratione negligentiæ in veritate inquirenda, quod totum iudicio prudentis committitur; quia si negligentia fuit magna, & notabilis, mortale erit; si parua & exigua, veniale. Et ratio est, quia quando quis iudicio prudentis censetur notabiliter negligens, censetur etiam dari perfecta voluntas iurandi falsi; quando verò censetur leuiter negligens, censetur dari imperfecta. Cum enim tota ratio voluntarij indirecti, & culpæ, ex negligentia oriatur, eatenus peccatum erit perfectè, aut imperfectè voluntarium, mortale aut veniale, quatenus est perfecta, aut imperfecta negligentia. Ita docet Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib* 3 *cap.* 4. *num.* 13. Nauarrus *in summa Lat. cap.* 12. *num.* 7 Abulens. *cap.* 5. *Math. quæst* 301. Angelus *verbo, periurium, initio.* & ibi Syluester *quæst* 1 & *verbo, iuramentum* 2. *quæst.* 6. & 8. & Sotus *lib* 8. *de iust quæst.* 2. *art.* 3. *conclus.* 6. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 5. *fine.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 3. *num* 17. Sayro *in claui regia lib* 5. *cap.* 4. *num.* 6. & 18. & 33. & Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst* 7. *punct.* 3. *col.* 12.

Sanchez. Nauar. Abul. Angel. Syluest. Sotus. Suarez. Lessius. Sayr. Valent.

17. Quare, qui sic notabiliter fuerit negligens in inquirenda veritate rei, quam iurat, à mortali peccato non excusabitur, si forte postea contingit id quod iurauit esse verum, quia ex parte sua per illam negligentiam notabilem, peierandi periculo se exposuit, & per accidens contigit esse verum, vt optimè animaduertit Sanchez & Valentia modò allegati; iudicium autem prudentis in arbitranda hac negligentia leui, vel graui, ferendum est ex circunstantiis attenta rei iuratæ dignitate, & qualitate; nec enim æqualis diligentia in omni materia ad indagandam veritatem rei iuratæ exigitur; sed qualitas, & conditio illius spectanda est; multo enim maior in rebus arduis desideratur, quàm in rebus minoris momenti; imò aliquando potest res esse tam peruia, & clara, vt sine vlla inquisitione, discussionéque possit sub iuramento affirmari, vel negari. Ita docet Sotus *lib.*8. *de iust. quæst.* 2. *artic.* 3. *conclus.* 6. *paulo post principium.* Aragon. q 2. 1. 89. *artic.* 3. *fol.* 1065. *colum.* 1. Sayro *in claui regia lib.*5. *cap.* 4. *num.* 33. Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 10.

Sot. Arag. Sayr. Sanch.

Solùm in vno casu potest periurium à mortali excusari ex defectu, scilicet, plenæ deliberationis, vt si quis v. c. ex lapsu linguæ iuret pro vero id quod non sufficienter discussit, aut non aduertat se iurare; aut si aduertat, non aduertit se falsum iurare. Ita Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 3. *ad* 2. Syluester *verbo iuramentum* 2. *quæst.* 6. *versu* 2. Nauarrus *in summa cap.* 12. *num.* 7 Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *puncto* 3. *col.* 12. Si quis autem dum initio iurare cœpit, non plenè animaduertit esse mendacium, & cum aduertit non cessat, est mortale, quia tunc consultò rem falsam iurat: sic docent Sanchez & Syluester allegati. Vnde nullus finis quantumcunque aliunde bonus, & sanctus, etiam necessarius ad tuendam propriam vitam, aut salutem plurimorum satis erit ad excusandum iuramentum falsum à peccato mortali periurij, vt optimè docet Suarez *n.* 6. Caietanus, Sanchez, Sotus, Sayro, Nauarrus, Tolet. citati *suprà*, & communis sententia. Ratio est manifesta, quia cum mentiri sit intrinsecè malum, & nulla ratione cohonestari possit, iuramentum etiam illius confirmatorium nulla ratione à propria malitia, quæ mortalis est, excusari potest. 18.

Sanch. D. Thom. Syluest. Nauar. Valent.

SVMMARIVM.

Agitur de iuramento promissorio, & tres illius comites requiri vt licitè fiat traditur. num. 19. *Iustitia, id est, quòd res iuramento promissa non sit peccatum, requiritur vt iuramentum promissorium non sit peccatum. ibid. Si res promissa mortale peccatum sit, mortale est iuramentum; si sit culpa venialis, veniale. ibid. Quid si non intendat iurans facere peccatum quod iurat. ibid.*

Duplex veritas in iuramento promissorio requiritur, de præsenti altera, altera de futuro. num. 20.

Iuramentum promissorium cui deest veritas de præsenti, peccatum mortale est. num. 21. & 22.

Mortale item peccatum est aliquid promittere cum iuramento animo dubio implendi. num. 23.

Mortale item est promittere cum iuramento quod credis non posse implere. num. 24. *Aliter dicendum si credas probabiliter posse. ibd.*

Iuramentum promissorium hyperbolicum verum est, & licitum, & iuxta sensum hyperbolicum impleri debet. num. 25.

Iuramenta se ad inuicem honorantium vera esse possunt. num. 26.

Periurus est qui iuramentum promissorium suo tempore non implet. Aliqui dicunt semper esse mortale non implere, siue materia magna, siue parua sit, num. 27.

Alij dicunt esse veniale si materia parua sit, & pars alterius magna iurata. num. 28.

Probabilior sententia docet semper esse veniale, quando materia parua est secluso contemptu. num. 19. & 30.

Opponitur contra hanc sententiam. num. 31.

Soluitur oppositio, & explicatur vtrùm Deus in iuramento promissorio adducatur vt testis, an verò, vt fideiussor. num. 32.

Iuramentum promissorium nullam obligationem su-

peraddit simplici promissioni. *num.33.*

Sæpe in iuramento promissorio præter peccatum periurij reperiri aliud mortale defectu iustitiæ. *num.34.*

Non est necessarium explicare in confessione an iuraueris animo dubio, vel animo deliberato non implendi iuramentum. *num.35.*

Sit ne grauius peccatum periurium an homicidium. *num.36.*

Sit ne grauius peccatum parricidium an periurium. *num.37.*

19. SEquitur vt de iuramentn promissorio agamus. Et imprimis sciendum est ex omnium seotentia tres illos comites, quos hactenus diximus requiri ad iuramentum assertorium licitè præstandum, eosdem requiri etiam ad promissorium. Quia verò iuramentum promissorium nonnulla habet quoad prædictos comites sibi propria, necessarium erit illa specialiter explicare. De iudicio nihil noui occurrit dicendum, sed iuramento promissorio applicanda erunt, quæ tradidimus de assertorio.

20. Iustitia verò in iuramento promissorio maximè necessarius comes est, vt licitè fieri possit. Sita verò in eo est, vt non sit peccatum implere id quod iuramento promittitur, qui enim iurat se facturum aliquod peccatum, peccat: grauiter quidem si peccatum iurameoto promissum graue sit, v. g. occidere hominem, non audire sacrum in die festo. Siquidem ratio ipsa ostendit magnam inferri iniuriam Deo, quoties ipse Deus in testem affertur faciendi aliquid contra eius legem. Erit tamen veniale peccatum, si quod iuratur, peccatum tantùm veniale fuerit, v. g. dicere meodacium officiosum; quia non videtur adeo grauis Dei iniuria. Vnde aduertendum dupliciter aliquem peccare in iuramento promissorio alicuius peccati grauis, si habeat intentionem illud exequendi. Primò, volendo ipsum peccatum facere, secundò iurando se id facturum. Si verò non intendat peccatum committere quod iurat, tunc vnum tantùm erit peccatum, illudque contra tertium comitem veritatem. Ita docet Nauarrus *in summa Lat. cap.12. num.13.* Toletus *lib.4. summæ cap.12. num.10.* Syluester *verbo, Iuramentum 1. quæst. & iuramentum.2 q.7.* Caietan. 2.2. *quæst 98. art.2. paulo post principium, & in summa verbo, Periurium cap. 2.* Sotus *lib.8. de iust. quæst.1. art. 3. conclusione 3.* Couarruuias *de pactis 1: part. §.6. num.6.* Valentia 2.2. *disp.6. quæst.7. punct.3. col.11.* Azor. *tom.1. lib.2. cap.5. quæst.1.* Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap.4. num 26.* Lessius *lib.2 de iust. cap 42. dub.4. n.18.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib 3. cap. 19. à num.9.* Sayro *in claui regia lib.5. cap.4. num.35.*

Nauar. Tolet. Syluest. Caiet. Sot. Couar. Valent. Azor. Sanch. Lessius. Suar. Sayr.

21. Quoad veritatem verò proprium est iuramenti promissorij duplicem exigere veritatem: alteram de præsenti: alteram de futuro. Prima tunc datur, cum datur animus impleodi quod promittitur. Secunda verò datur, cum res ipsa iuramento promissa impletur. Quoad primam veritatem de præsenti conuenit promissorium iuramentum cum assertorio, atque adeo quemadmodum in iuramento assertorio vt licitè fiat, necessarium est vt iurans sciat, vel prudeoter existimet se verum asserere cum iurat; ita in iuramento promissorio requiritur vt iurans intendat exequi quod iuramento promittit, aliter periurus erit, & ita tenet communis sententia. Quoad veritatem verò secundam de futuro maximè differt iuramentum promissorium ab assertorio, quia qui rem solùm asserit cum iuramento, postquam iurauit, non tenetur procurare quòd res ita sit vt iurauit; qui verò cum iuramento promisit, tenetur rem implere; vel saltem procurare quantum in se est vt impleatur, aliter periurus erit. Ex hac doctrina aliqua colligenda sunt.

22. Colligitur primò, semper esse mortale iuramentum promissorium in quacunque materia magna, vel parua, licita, aut illicita, in quo deest veritas de præsenti, id est, cum sub iuramento aliquid promittitur sine animo implendi & exequendi rem promissam. Et ratio est, quia tunc non concordant verba, cum animo implendi, & faciendi id quod promisit, ac proinde iurans perfectè mendacium committit, cum contra mentem eat, Deumque testem mendacij facit, quod est grauissima eius iniuria. Ita Syluester *verbo, Periurium quæst.1.* & ibi Armilla *num.3* Caietan 2.2. *quæst. 89. art. 7. circa solutionem ad 1. & q. 98. art.2. & 3. & in summa, verbo, Periurium cap 2. initio, & cap.3. initio,* & Sotus *lib. 8. de iustit. quæst. 1. art.7. & quæst.2. art. 1. & 3.* Nauarr. *in summa Lat. cap.12. num 13.* Hispan. *num.12.* Valentia 2. 2. *disp.6. quæst. 7. punct. 3. conclusione 2.* Azor. *tom.1. lib.11. cap.4. quæst.1.* Suarez *tom. 2. de Relig lib.3. cap.15. num.2.* Lessius *lib.2. de iust. cap. 42. dub 4. num. 18.* Sanchez *tom.2. Decalogi lib. 3. cap. 4 num. 16.* Sayro *in claui regia lib.5. cap.4. num.27.* & est communis senteotia.

Syluest. Armil. Caiet. Sot. Nauar. Valent. Azor Suarez. Lessius. Sanchez. Sayro.

23. Sequitur secundò, similiter esse peccatum mortale iurare aliquid alteri animo dubio implendi illud, quia deficit similiter certa veritas; & ita docet expressè Sanchez *tom. 2. Decalogi lib.3. cap.4. num.17. in solutione ad 1.* vbi ait exigi ad iuramenti promissorij talem veritatem, vt adsit animus firmus, & certus implendi rem promissam. Et confirmatur ex his quæ diximus *num.* 17. de illo, qui iuramento assertorio affirmat rem dubiam pro certa, vbi satis probauimus falsum iurare, mentiri & periurum esse.

Sanch.

24. Sequitur tertiò, peccare mortaliter, & periurum esse illum, qui iuramento rem aliquam promittit, credens, se non posse promissionem implere, quia similiter deficit veritas de præsenti, cum non adsit firmus implendi animus. & etiam mortaliter peccat si non habeat probabilem causam credendi, fore vt promissum postea posset implere, sed leuiter id credidit; secus quando probabilem credendi causam habuit; quia hæc certitudo sufficit. Ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib.3. cap.4. num.18.* Hostiensis, quem refert, ac sequitur Angelus, *verbo, Iuramentum 5. num.31* Syluester *verbo, Iuramentum 4. quæst.18. & 25.* Abulensis *cap.5. in Matth quæst.307.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.3. de iuram. cap. 18. in fine.* Quare minus bene aiunt Aragon 2. 2. *quæst.89. art.3 fol. mihi 1062. dict.4.* & Sayro *in claui regia lib.5. cap.4. fine*, iuramentum rei impossibilis esse veniale; si enim res iuramento promissa impossibilis iudicatur, non potest adesse certus, verus, & fitious animus illud adimplemdi.

Sanch. Angel. Syluest. Abul. Suarez. Arag. Sayro.

25. Sequitur quartò, iuramentum promissorium hyperbnlycum non esse mendacium; si reuera adsit animus illud implendi iuxta seosum hyperbolicum, vt si quis alteri iuret se illum auri statera pensurum, si aliquid bene exequatur; quia in his sufficit habere animum satis, supérque, & abunde soluendi; id enim tantùm exaggeratio illa hyperbolica significat; esset autem sine dubio mendacium, & periurium si deesset animus

satis

satisfaciendi copiosa solutione ; similiter cum
quis minatur seruo, aut filio mortem, aut ossium
comminutionem nisi hoc, aut illud egerit, satis
est ad veritatem iuramenti, vt iurans animum
habeat grauiter illum tunc puniendi; hic enim
Sanchez. est sensus illius hyperboles. Ita Sanchez *tom. 2.
Decalogi lib. 3. cap. 4. num. 19.*

26. Sequitur quintò, iuramenta se ad inuicem honorantium,
affirmantiúmque sub iuramento non
priùs altero, se ostium ingressuros, vt vera sint,
non opus esse, habere animum firmum, ac immobilem
ea implendi, sed conformem, ac consentaneum
sensui, quem similia verba efficiunt. Efficiunt
autem hunc sensum; *Quod ad me attinet*,
vel *quantum est in me, non prius ingrediar.* & ita
Sanch. docet Sanchez citatus *num.* 10.

27. Collegimus aliqua ex doctrina tradita circa
veritatem de præsenti in iuramento promissorio,
dicemus modò aliqua circa veritatem de futuro.
Et primò inquirendum an peccet mortaliter qui
fecit promissorium iuramentum animo implendi
exequendíque illud, si postea iuramentum frangat
& non impleat. Hac de re tripartita est opinio.
Prima asserit semper esse mortale quæcumque
sit materia promissionis, magna, vel parua;
siue illa materia parua, sit totalis materia ipsius
iuramenti promissorij; siue partialis. Hanc docet
Valent. Valentia 2.2. *disp. 6. quæst. 7. punct. 3. conclus.* 3. Les-
Lessius. sius *lib. 2. de iust. cap. 42. dub. 5. n 23. & limit... n. 24.*
nisi credatur quòd promissarius facile condonet
rem paruam sibi iuramento promissam. Et fauet
Caietan *in summa, verbo, Periurium, cap.* 2. vbi
absolutè dicit esse mortale non adimplere promissionem
iuratam. Fundamentum huius sententiæ
est, quia huic iuramento deficit veritas;
nam iuramentum verum promissorium duplicem
veritatem requirit, vt suprà diximus. Vnam de
præsenti, quòd scilicet adsit animus implendi iuramentum.
Alteram de futuro; quòd re vera suo
tempore promissio iurata impleatur ; ergo sicut
quicumque defectus in veritate de præsenti est
culpa mortalis, vt si quis iuret daturum se alteri
mille aureos habens animum, non dandi illos integros,
sed deficiendi in modica quantitate. v. c.
in vno regali, aut asse, lethaliter peccaret. Sic culpa
mortalis erit quicunque defectus in veritate
de futuro, etiam si in re modica sit, nisi quis credat,
quòd promissarius facile illud modicum
condonabit. Et confirmatur, quia ideo iuramentum
assertorium, & promissorium, cui deficit veritas
de præsenti, est mortale in quauis materia
magna vel parua, quia alioqui Deus, testis falsus
in testimonium adduceretur, sed etiam quando
deficit plena veritas de futuro, iurans est causa,
quantum in se est, vt Deus sit testis falsus,
quia Deus in iuramento promissorio non solùm
adducitur vt testis veritatis præsentis ; sed etiam
veritatis futuræ; alioqui enim iuramentum promissorium,
vt ab assertorio distinguitur, non esset
verè, & propriè iuramentum. non enim adduceretur
Deus in testem implendæ promissionis;
quod est de ratione iuramenti. ergo siue tota res
promissa, siue quælibet pars illius iuramenti, deficiat,
non satisfit veritati iuramenti, & committitur
peccatum mortale.

28. Secunda opinio asserit esse mortale periurium
si non impleatur in re magna, in exigua verò distinguit;
nam si res exigua, quæ omittitur, erat materia
partialis iuramenti promissorij, asserit esse
tantùm veniale, non implere totaliter iuramentum,
vt si quis iurans se daturum centum aureos
omittat dare assem ; secus si res illa exigua omissa
sit materia totalis iuramenti, vt si quis assem
tantummodo iuramento promittat, tunc quidem,
ait, reus erit culpæ mortalis nun dando, quia in
priori casu non violatur omnino iuramenti fides,
sed in re minima; secus in posteriori. Hanc do-
cet Caietanus 2.2 *quæst. 87. art. 7. dub.* 1. Nauar. Caiet.
in summa Hispanic. cap. 12. *num.* 10. *& cap.* 18. Nauar.
num. 4. Couar. *lib. 1. var. cap. 1. num. 2. versiculo 2.* Couar.
ad finem. Philiarch. *de officio sacerdotis tom. 1. part. 2.* Philiarch.
lib. 3. cap. 3, Corduba *in summa quæst.* 188. Sayro Cordub.
in claui regia lib. 5. cap. 4. à num 28. *vsque ad* 31. Sayr.
& quidem obligare iuramentum promissorium
in re etiam leui docet Tabiena *verbo, iurare q.* 10. Tabiena.
num. 11. Armilla *verbo Iuramentum num.* 12. Pe- Armill.
draza *in summa, præcepto* 2. §. 5. Pedraza.

Tertia opinio probabilior, cui adhæreo, asserit 29.
quando illa materia est grauis, & de se sufficiens
ad culpam mortalem, mortale esse peccatum, iuramentum
non implere (& in hoc conspirant
omnes sententiæ :) si verò res est exigua, ait seclusso
formali contemptu, solum esse culpam venialem,
& non mortalem, siue illa sit totalis materia
iuramenti, siue partialis. Hanc tenet San- Sanch.
chez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 4. num.* 23. D. An- D. Anton.
ton. 2. *part. titulo* 10. *cap. 4. §.* 1. Angelus *verbo.* Angel.
iuramentum 4. quæst. 1. fine Sotus *lib. 8. de iust. q.* 1. Sotus.
art. 7. dubio... Nauarrus mutans sententiam *in* Nauar.
summa Lat. cap. 12. *num.* 10. *& in cap.* 18. *num.* 7.
Aragon. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 3 *fol.* 1061. Azor. *tom.* 1. Aragon.
lib. 5. cap 27. quæst. 2. versiculo, Animaduertendum Azor.
igitur est in fine, & lib. 11. cap. 5. quæst. 3. Henriq. Henriq.
lib. 5. de pœnit. cap. 20. num 4. in commento lit. M.
Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 16. à num. 9. vs-* Suar.
que ad finem, Rod. *tom. 1. summa in 2. edit. cap.* 192. Rodrig.
num. 5. Petrus de Ledesma *tom. 2. summa, tract.* 11. P. de Led.
cap. 3. dub. 5. & dicit esse probabile Alcocer *in* Alcocer.
summa cap. 55. *folio* 52. & Corduba *in summa* Cordub.
quæst. 188. *fine*. Fundamentum illius est. Primò,
quia non implere promissionem iuratam, quæ à
principio facta fuit cum animo implendi, & exequendi
illam, non est mendacium; sed infidelitas;
ergo qui non implet, quod recta intentione
iurauit implere, non in eo peccat, quia facit
Deum testem mendacij ; nec rigorosè periurus
est, sed in eo peccat, quia infideliter agit in re
promissa sub diuina authoritate ; & sic si res grauis
est, peccabit mortaliter contra fidelitatem; si
leuis, venialiter. Antecedens probatur ex D. Th. D. Thom.
2.2. *quæst.* 110. *art. 3. ad* 5. vbi ita ait. *Qui aliquid
promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit,
non mentitur; si verò non faciat quod promisit,
tunc videbitur infideliter agere per hoc quod animum
mutat.* Et confirmatur ratione, quia mentiri
est contra mentem loqui, quod non facit is,
qui promissum non implet ; infideliter autem
agere, est mutare animum contra obligationem
factam, ex quo sequitur, vt licet promissio falsa
maneat si non impleatur, id quidem non fuerit
ex intentione loquentis ; quia verum animum
habuit implendi, & exequendi id quod promisit
iuramento ; sed quasi materialiter. Vnde si
attentè res spectetur, quando non impletur promissio;
nō fit falsa prior proposito de futuro; tunc
enim quando prolata fuit, vera, vel falsa fuit, sed
latebat nos qualis esset; & postea manifestatur;
quare quando homo postea non implet, licet modo
aliquo à veritate promissa, agendo infideliter,
deficiat, non tamen formaliter mentitur ; ergo si
id non est formaliter mentiri, nec Deus affertur
in testem talis mendacij formalis. Confirmatur,

quis cum homo affertur in testem alicuius promissionis, inducitur tantùm, vt testis de contractu præsenti & obligationis inde ortæ, at respectu executionis futuræ non adducitur in testem, sed vt præstet authoritatem per modum fideiussionis. Vnde si postea promittens non impleat obligationem contractus, non facit hominem testem mendacij; ergo similiter quando iurans non implet promissionem iuratam, non facit Deum testem mendacij, si verum animum habuit implendi, & exequendi illam, dum iurauit.

30. Secundò, quia in iuramento promissorio non est eodem modo spectanda veritas de præsenti, & de futuro; nam in quauis materia, quamuis mala, & perexigua sit, semper est mortale deesse veritatem de præsenti, hoc est, animum implendi iuramentum, vt probauimus suprà: at quando materia iuramenti promissorij est mala, etiam venialiter, nulla est culpa defectus posterioris veritatis, quia nulla est culpa tale iuramentum non implere; imò culpa erit illud implere; ergo longè est diuersa ratio veritatis primariæ, & de præsenti in iuramento promissorio, & veritatis secundariæ de futuro: nam defectus primariæ veritatis est mendacium, & sic iurans facit, vt Deus sit testis sui mendacij; defectus secundariæ si postea non impleatur, est sola infidelitas, & ideo licet in defectu prioris veritatis nequeat dari paruitas materiæ, poterit vtique dari in defectu posterioris. Estque vera adeo hæc sententia, vt neque ipse iurans, quamuis velit, possit se sub mortali obligare in materia leui, quemadmodum neque quiuis alius legislator circa talem materiam legem ferendo, vt docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 12. num. 6.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. conclus. 3. vers. per hæc. & l. 8. quæst. 1. art. 7. dub. 1.* Cordub. *in summa quæst. 188. punct. 1. vers. Nisi tan poco.* Petr. de Ledesm. *tom. 2. summæ tract. 10. cap. 3. dub. 2.* Sanch. Sotus. Cord Petr. Led.

31. Oppones. Deus respectu veritatis de futuro, & solutionis, non adhibetur in testem vt præstet auctoritatem promissioni tanquam fideiussor, quia non assumit in se onus soluendi, si promissor non soluerit; ergo solùm metaphoricè, & impropriè, potest dici fideiussor, quatenus suo testimonio præbet firmitatem promissioni; ergo propriè solùm inuocatur Deus in testem veritatis, assertionis, seu solutionis de futuro; prindeque non magis Deo iniuriosum est, afferre illum in testem falsitatis de præsenti, quàm afferre illum in testem falsitatis de futuro. Deinde ideo Deus testis inuocatur veritatis de præsenti, quia omnia nouit; ergo etiam adducitur testis promissionis, & assertionis de futuro contingenti, quia omnia etiam futura contingentia prænoscit. Et consequenter eadem iniuria illi irrogatur si afferatur in testem falsitatis de præsenti, atque de futuro.

32. Respondeo, licet Deus in se non suscipiat obligationem solutionis instar fideiussoris, sed afferatur in testem rei iuratæ, & promissæ, dum ad confirmationem promissionis inuocatur illius diuini numinis testimonium, vt auctoritatem præbeat promissioni hominis, non ideo sequitur æqualem illi inferri iniuriam si afferatur in testem falsitatis de præsenti, ac falsitatis de futuro, quia ex eo quod non impleatur res iurata, neque fit Deus testis falsus vt patet, quia solùm affertur, vt videat promissionem coram se fieri, non verò vt testificet implendam; neque fit infidelis, quia nihil promisit; solùm igitur concomitatur eius authoritas eo modo quo si quis promitteret vel compromitteret, aut sponsalia faceret coram Rege, vel alio præcellentis auctoritatis viro illum offenderet, non quòd talis Rex vel excellens vir propriè fuerit fideiussor subiens obligationem loco promittentis, si ipse in ea defecerit, nec fuerit testis futuræ executionis, sed quia præbuit auctoritatem contractui, coram se facto. Inde enim prudentes iudicant eius dignitati fieri iniuriam, quatenus eius authoritas cooperatur promissioni. Et ita respondet optimè Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 16. n. 12. & num. 16.* Suarez.

33. Inde colligitur falsum posse quòd multi legis periti quos refert & improbat Sarmiento *lib. 1. selectarum cap. 3. num. 4. & 5.* dixerunt, iuramentum scilicet promissorium nullam obligationem superaddere simplici promissioni, nec constringi plus fidem seruare, qui illam iuramento suo firmauit, & stabiliuit, quàm qui non confirmauit, quia propter authoritatem Dei promissioni ratione iuramenti interuenientis magis obligatur iuxta ea quæ diximus.

34. Notabis tamen ad finem huius capitis posse aliquando in iuramento promissorio emisso absque animo implendi reperiri vltra ipsum peccatum periurij aliud peccatum mortale ex defectu commutis iustitiæ, quando nimirum id, quod iuratur, est peccatum mortale. Vt si quis alium afficiat contumelia mortali, et iurans absque animo implendi, se eum virgis cæsurum; quia vltra periurium, & contumeliam assumitur nomen Dei, vt instrumentum, & fideiussor illius rei iniquæ, & ita erit distincta malitia mortalis contra religionem necessariò confitenda. Imò in hoc peccato triplex malitia, & circunstantia specie differens, necessariò confitenda reperitur. Prima est periurij, ex defectu veritatis de præsenti, quia non habet animum implendi id, quod iurauit, quem tenebatur habere, ne falsum iuraret, siue licitum, siue illicitum fuerit id quod iurauit. Secunda est contumeliæ. Tertia est irreuerentiæ, quæ Deo fit in materia graui, eum afferendo in fideiussorem iniquæ executionis. Et ita partim docet, partim colligitur ex Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 4. num. 34. & 35.* Sanch.

35. Notabis secundò, non esse necessarium distinctè confiteri quoties quis cum mendacio, & quoties cum dubio, & quoties cum animo non implendi iurauerit; nam cum iuxta ea quæ suprà diximus, in omnibus his casibus falsum iurauerit, satis est fateri se toties falsum iurasse; quia hæc omnia mendacia iuramenta eiusdem rationis sunt, neque vnum alio notabiliter grauius videtur. Ita idem Sanchez allegatus *num. 36.*

36. Dubitant verò aliqui Doctores, quod sit grauius peccatum, homicidium ne, an periurium. Quidam censent grauius esse homicidium. Primò, quia homicidium est peccatum contra iustitiam; periurium contra Religionem: cæteris autem paribus grauiora sunt peccata contra iustitiam particularem, quàm contra Religionem; nam in peccatis contra iustitiam vltra offensionem, & iniuriam Dei, datur etiam læsio proximi, in peccatis autem contra Religionem sola nuda iniuria Dei per se, & ex obiecto reperitur. Secundò, quia homicidium infert proximo grauissimum, & irreparabile malum; & ita hanc partem tenet Durandus *in 3. dist. 39 quæst. 5. num. 8. & 9.* Angelus *verbo, Periurium num. 8.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 42. dub. 14. num. 75.* Gabriel *in 3. dist. 39.* Durand. Angel. Lessius. Gabriel.

Richard. Maior. Azor. D.Thom. Cou. Abul. Sotus. Azor. Sayr. Turrecr. Sanch.

disp. 39. *q.* 1. *artic.* 3. *dub.* 4. vbi pro eadem citat Richardum Maior *ibidem quæst.* 5. & alij quos citat Azor, *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 6. Alij docent, & est probabilior sententia, periurium ex obiecto grauius esse peccato homicidij, & cæteris aliis peccatis, quæ in proximum committuntur; hanc tenet D. Thom. *quodlibeto* 1. *art.* 18. Couar. *de pactis part.* 1. §. 7. *num.* 1. Abulensis *cap.* 5. *in Matth.* 302. Sot. *lib* 8. *de iust. quæst.* 2. *art.* 3. Azor. cum aliis quos refert loco allegato *dict. quæst.* 6. Sayro *in claui regia lib.* 5. *cap* 4. *à num.* 9. Turrecremata *in capite*, *Prædicandum* 22. *quæst.* 1. Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib* 3. *cap.* 4. *num.* 37. Et ratio est. Primò, quia periurium tendit directè, & immediatè contra diuinum honorem; priuat enim periurus Deum, quantum in se est, diuino suo honore, & cultu latriæ soli illi debito; at homicidium non est offensio directè & immediatè contra Deum, sed contra proximum; quare per se, & ex obiectu seclusis aliis circunstantiis extrinsecis, grauius est peccatum periurij, quàm peccatum homicidij; nam quamuis periurus Deum non offendat immediatè, sed mediante cultu, quem illi negat; tamen negare cultum Deo soli debitum spectat ad peccatum idololatriæ, & est grauius peccatum de se peccatu homicidij, & cæteris aliis, quæ in proximum committuntur. Secundò, quia virtus Religionis præstantior est virtute iustitiæ; attingit enim Deum non immediatè, sed mediante cultu, quem illi defert; iustitia verò proximũ attingit, & quo virtus est maior, eo grauius est peccatum, quod contra illum committitur. Tertiò, quia homicidæ interdum datur iuramentum, ad se de homicidio purgandum; est enim iuramentum finis omnium controuersiarum, & ille mauult fateri homicidium, quàm incidere in periurium; signũ ergo est grauius esse peccatum de se, & ex obiecto periurium, quàm homicidium. Verum hæc vltima ratio parum firma est, quia sequeretur periurium grauius esse peccatum, quàm hæresis, cum etiam ad purgationem hæresis iuramentum aliquando detur.

37. Metina. Sanch. Imò peccare magis periurum, quàm parricidam, tenet Metina *lib.* 1. *summæ cap.* 14. §. 5. *folio mihi* 83. quod non credit Sanchez *tom* 2. *Decalogi lib* 3. *cap.* 4. *num.* 38. & incredibile id appellat. Violat enim pietatem naturalem in patrem ipse parricida, quæ circunstantia mutat speciem peccati, & mirum in modum illud aggrauat, vt de se patet.

38. Dicendum igitur est cum Suarez *tom* 2. *de Relig. lib.* 2. *de iuramento cap.* 2. *num.* 11. hæc duo præcepta differre, & habere sese sicut excedens, & excessum in sua specie; nam periurium sine dubio excedit ex parte personæ, hoc est, ex parte Dei, cui fit iniuria; homicidium excedit ex parte damni irreparabilis, quod infert; tollit enim vitam humanam, quæ in bonis huius vitæ est maximum bonum, & reparari non potest. Deinde periurium non infert reale nocumentum Deo, sed solùm in affectu, & irreuerentia ex parte iurantis: at homicidium infert reale nocumentum homini. Rursus periurium excedit ex parte virtutis Religionis cui immediatè opponitur, at homicidium excedere videtur, quia seruata proportione magis offendit iustitiam cui opponitur, quàm periurium offendat Religionem; nam inter peccata contra iustitiam commutatiuam homicidium videtur esse maximum, periurium autem non est maximum inter peccata contra virtutem Religionis; quamuis enim religio sit virtus præstantior, quàm iustitia, tamen absolutè loquendo iustitia in se sumpta est valde perfecta, & illi propinquissima, & ideo videtur posse vnus excessus cum alio compensari. Demum, quia periurium videtur excedere in essentiali specie malitiæ, & hoc est, quod intendit D. Thomas *quodlibeto* 1. *art.* 18. quia peccatum sumit speciem essentialem vel ex obiecto, vel ex honestate, qua priuat; vtrumque autem est excellentius in peccato periurij, quia obiectum est Deus cui cultus, & reuerentia negatur; ex alia verò parte homicidium excedit in grauitate circunstantiarum; tum quia difficilius committitur, tum quia ipsi sensibili naturæ magis repugnat; vnde est signum maioris deordinationis: est etiam magis scandalosum, & ideo grauius inter homines punitur. D.Thom.

Caput VII.

An possimus iuramentum ab eo petere, quem scimus falsò, aut per falsos Deos iuraturum? Agitur de inducente alium ad iurandum id quod verum credit, si inducens sciat esse falsum. Quæritur, an grauius sit peccatum iurare verum per falsos Deos, quàm mendacium per Deum verum; & an propter causam iustam liceat petere ab infideli, vt per falsos Deos determinatè iuret; & petere mutuum ab vsurario sub vsuris.

Svmmarivm.

Nunquam est licitum iuramentum ab eo petere, quem scimus falsò iuraturum; & quomodo id intelligatur. *num.* 1.

Iudex potest petere licitè, & tenetur iuramentum illi deferre, quem scit falsò iuraturum ad instantiam partis etiam cum via inquisitionis procedit. *n.* 2.

Qui causa alterius agit, vel pecunia conductus, vel ex amicitia potest licitè, & tenetur iuramentum ab eo petere, quem scit falsò iuraturum. *num.* 3.

An in causa propria id etiam liceat. *num.* 4.

Quid si tibi alter debeat viginti aureos v. c. & tu scias illum falsò iuraturum siue in iudicio, siue extra illud, an possit licitè id illius iuramento committere; & quid si dubites, aut præsumas illum falsum iuraturum. *num.* 5.

An licitum sit iuramentum ab infidelibus petere, quos scimus per falsos Deos iuraturos, & quatenus. *num.* 6.

An liceat ad firmandos contractus factos cum ipsis infidelibus ab illis petere expressè, vt illos confirment iurando per suos Deos falsos, eis expressè dicendo: Confirma hoc mihi iuramento facto per tuos falsos Deos, aut per Mahometum. *num.* 7. *Refertur prima opinio negans.* *ibid.*

Præfertur secunda affirmans. *num.* 8.

An liceat ex causa petere ab vsurario exposito mutuas pecunias formaliter, & expressè sub vsuris. *num.* 9. *Refertur opinio negans.* *ibid.*

Præfertur opinio affirmans. *num.* 10.

Soluus

1\. CIRCA primam partem tituli, an possimus iuramentum petere ab eo, quem scimus falsò iuraturum, statuo primò. Aut ille qui ab alio iuramentum exigit, pro se ipso, & propria sponte illud exigit, aut pro alio, ex necessitate officij sibi commissi; si pro se ipso, non potest licitè illud exigere, quando scit illum falsò iuraturum si nulla datur causa iusta petendi tale iuramentum, secus si detur. Ita Lessius *tom.1. de iust.lib.2. cap 42.dub.10. num 49* cum D. August. *sermone 11. de Sanctis*, D Thom.2. 2. *q.98. art.4.* & passim aliis. Et ratio est. Primò, quia quantum in nobis est, tenemur ex charitate tantam Dei iniuriam, & proximi peccatum deuitare. Potest tamen sæpe iusta causa subesse ob quam id licitum omnino sit, si pro alio & ratione officij aliquando potest: quando verò possit & teneatur, & quæ pro se ipso iuramenti postulandi iustæ causæ sint, statim dicemus.

Lessius. D Aug. D Thom.

2\. Primò igitur iudex potest licitè, & sine peccato iuramentum ei deferre, quem scit falsò iuraturum aut promissioni non staturum, si id faciat ratione sui muneris, & ad instantiam partis, vt cum adducuntur testes, vel proceditur via inquisitionis. Ita D.Thom.2. 2. *quæst 89. art 4. in corpore.* Caietanus ibi. Couarr *in cap. Quamuis pactum. 1. part. §.6. num.1. fine.* Syluester *verbo, Iuramentum 2. quæst 9.* Toletus *lib.4 summæ c.21. num.10* Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap 8. num 2.* Sayro *in claui regia lib 5. cap. 5. num.1.* Nauar. *in summa Lat.cap.12.num 20.* Azor. *tom.1. inst moral. lib.11. cap.11. quæst.2.* Suarez *tom.2. de Relig. lib. 3. cap.14. num. 12. & 17.* Tabiena *verbo, iurare. quæst.33. num.34* Lessius modò allegatus. Fundamentum est, quia iudex cum iuridicè procedit, tenetur seruare ordinem à iure præscriptum; præscribit autem ius, vt deferantur iuramenta ad indagandam veritatem; ergo tenetur hæc iuramenta deferre, quamuis sciat aliquem falsò iuraturum; ex charitate tamen tenebitur aliunde iuramentum, si commodè potest, declinare, vt si aliud remedium facilè possit adhibere, tenebitur ex charitate illud adhibere. Vnde iudex Ecclesiasticus non potest exigere iuramentum à clerico de abiicienda è domo, aut relinquenda concubina, vt habetur *in cap. Clericos de cohabit.cler. & mulier.* propter periculum periurij; & quia alia remedia suppetunt, quæ facilè applicari possunt; & ita docet Abbas *in prædicto capite*, & tenet Lessius *tom. 1. de iustit. lib.2.cap.42 dub.1. num.49.*

D.Thom. Caiet. Couar. Syluest. Tolet. Sanch. Sayr. Nauar. Azor. Suarez. Tabiena. Lessius. Abbas. Lessius.

3\. Secundò, si alterius causam agas, vel pecunia conductus, vel ex mera amicitia; & ratio officij tui postulet, vt ab aduersario iuramentum petas, teneris illud ab eo petere, quamuis scias falsò iuraturum Ita Lessius allegatus & D. Thom. 2. 2. *quæst. 98. art.4. in corpore.* Et ratio est, quia si id omittas, peccatum præuaricationis committes, & infidelis eris erga illum, cuius negotium agis, & alioqui tu petis rem quam ille licitè præstare potest, & sibi imputet si illam licitè non præstet.

D Thom.

Tertiò in causa propria licebit tibi iuramentum ab eo petere, quem scis falsò in iudicio iuraturum ad vitandam aliquam iniuriam, v. c. si eius periurio vti postea possis ad eius fraudes detegendas, & fidem ei detrahendam, vt sic iniuriam euadas, aut iustitiam obtineas in causa iusta, quam aliter obtinere non potes. Et ratio est, quia propriè loquendo id non est petere iuramentum falsum; sed permittere in tuum commodum. Sic Deus ob bonos fines permittit multa mala; sic etiam licitum est patri, scrinium pecunia plenum apertum relinquere, & furtum famuli, & filij permittere, vt fidelitatem illorum exploret, & sibi in posterum caueat. Ita Lessius *tom.1. de iust lib.2. cap.41. dub.10.num.49. versu, Potest tamen in fine.* 3.

Lessius.

Sed quid si tibi alter debeat viginti aureos, & scias illum falsò iuraturum, si id illius iuramento committas siue in iudicio, siue extra illud. Respondeo non posse licitè exigere, secus verò, si speras illum reuerentia tanti numinis in ipso iurandi actu non ausurum peierare, tunc enim licitè id illius iuramento poteris committere; ita Lessius allegatus *dict. num. 49. versu, Potest tamen.* Vbi citat D.Thom 2. 2. *quæst 98. art 4. in corpore.* Et ratio pro prima resolutionis parte est, quia præcisa omni spe recuperandi debitum, solum manet nudum peccatum periurij, quod semper ex charitate tenemur in proximo vitare. Quoad secundam partem probatur, quia qui cum dicta spe petit, non periurium sed iuramentum petit, quod is à quo petitur licitè præstare potest; & hoc petens intendit, quia sibi magis vtile; alioqui non tenetur cum amissione suæ pecuniæ vitare periurium proximi quod ille liberè committit. ergo licitè potest iuramentum petere, & talis petitio solùm erit permissio, & non inductio ad peccatum. Argumentum habet vim siue spes magna, siue parua sit, dummodo tanta sit, vt qui illa cederet, notabile dispendium incurreret, vt per se patet. Ita Sanchez *tom.2. Decalogi lib. 3. cap 8. num. 9.* Suarez *lib 3. de iuramento tom 2. de Religione cap. 14. num. 9 iuncto num.14.* Toletus *lib. 4. summæ cap. 21. num. 10.* Sayro *in claui regia. lib. 5. cap. 5. num. 2. num.2.* Tabiena *verbo, iurare, quæst.33. num.34.* & alij. 4.

Lessius. D.Thom. Sanch. Suarez. Tolet. Sayro. Tabiena.

Circa secundam partem tituli, an possimus licitè iuramentum ab infideli petere, quem scimus per falsos Deos, aut per Mahometum iuraturum. Statuo secundò, licere cum iusta causa ratione vitandi damni siue vtilitatis acquirendæ. Ita communiter DD. D. Thom.2. 2. *quæst.89. art.4. ad 4.* Sanchez *tom 2. Decalogi lib.3. cap.8. num.11.* D. August. *Epistola 154. ad Publicolam.* Azor. *tom.1. lib. 11. cap.12. §. Vndecimo.* Lessius *tom.1. lib. 2. cap.43. dub.10. num. 50.* Ratio est, quia solùm ex charitate tenemur id peccatum vitare; at charitas non obligat cum nostro detrimento. Quando ergo datur iusta causa, vt vtilitas, seu necessitas vitandi proprium detrimentum, licitè possumus confirmationem pacti ab huiusmodi infidelibus petere; quamuis sciamus illos per falsos Deos esse iuraturos, & talem contractum firmaturos; sic licitum est mutuum ab vsurario petere ex iusta causa propriæ vtilitatis, & necessitatis, quamuis sciamus illum non nisi sub vsuris, & cum peccato pecunias mutuo da-
tuitur. 5.

D Thom. Sanch. D August. Azor. Lessius.

turum. Causa tamen non debet esse leuis, aliàs non excusabitur à mortali iuramentum petens, sicut non excusabitur à mortali ex leui causa mutuum ab vsurariro petens; quem scimus non nisi sub vsuris illud daturum: Erit tamen causa sufficiens confirmatio contractus, cum infidelibus celebrati, iuxta omnes DD. & præsertim iuxta Lessium & Azor. *locus allegatis.* Azor.

6. At difficultas est, an liceat aliquando ad firmandos ipsos contractus cum infidelibus factos ab illis petere, vt illos firment, & determinatè iurent per Deos suos falsos, quando scimus illos, non nisi per illos esse iuraturos. Et hac de re partita est sententia. Prima negat omnino. Ita D. Thom. 2. *quæst.* 98. *artic.* 4. *ad* 4. ibi: *Licet eius, qui per falsos Deos iurare paratus est, iuramentum recipere, non tamen licet, eum inducere ad hoc, quod per falsos Deos iuret; & quæst.* 78. *art.* 4. *in corpore* ibi: *si quis induceret infideles ad iurandum per falsos Deos peccat, quia peccato illorum se sociat, quo per dæmonia iurarunt.* Negat etiam Salon 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. *controuers.* 1. *fine* & Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *num.* 10. & 11. & Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 31. & Valentia 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 3. *column.* 5. *versiculo, Aduertendum est.* Et ratio est Primò, quia determinatè petitur res, quæ est intrinsecè mala, & ex obiecto iam illa petitio similiter intrinsecè mala est, & ideo hoc nunquam licet, licet tamen petere iuramentum absolutè non explicando per falsos Deos, quamuis sciamus non nisi per illos ipsos infideles iuraturos, quia infideles possunt iurare per Deum verum naturali lumine cognitum, & sibi imputent si non nisi per falsos Deos, quos veros putant iurent. Secundò, quia si expresè ab illis iuramentum per falsos Deos petatur, datur illis ansa scandali, & peccati, quia magis confirmantur in suo errore, & ea petitio moraliter loquendo est inductio infidelitatis, quia est moraliter tacita approbatio illius, & quia moraliter loquendo, nunquam est necessaria ea expressio; sed sufficit absoluta iuramenti petitio. Tertiò, quia licet demus licitum esse petere mutuum ab vsurario expresè sub vsuris; quem scimus non nisi sub illis illud daturum (de qua re statim agemus:) tamen nunquam concedendum est licitum esse petere ab infideli iuramentum expresè, & determinatè per Deos falsos, quia est diuersa ratio vtrobique. Nam etsi vtraque petitio in sensu permissiuo sit ex obiecto licita, tamen aliunde est diuersa ratio, quia in vsuris non datur ansa scandali, nec enim vsurarius magis ob eam petitionem confirmatur in peccato vsurarum; & si confirmatur, id ex malitia illius prouenit, cum sciat optimè se peccare. At in petitione talis iuramenti datur ansa scandali, cum infidelis magis confirmetur in errore suo, dum putat illos non esse falsos Deos sed veros & videt probari quodammodo iuramentum per illos factum. Quartò, quia non est licitum petere à malefico qui scit licito, & illicito modo maleficium tollere, vt maleficium maleficio tollat, etiam si sciam illum non aliter, nec alio nisi illicito modo illud sublaturum; ergo nec etiam licitum est petere ab infideli, vt contractus cum illo celebratos per falsos Deos iuret, etiam si sciamus, non nisi per illos iuraturum.

D.Thom.
Salon.
Suarez.
Sanch.
Valent.

7. Secunda docet, id licitum esse sicut est licitum mutuum ab vsurario expresè, & determinatè sub vsuris petere, quando scimus illum non nisi sub illis illud daturum, nec aliter paratum esse ad illud dandum. Ita videtur tenere Bañez 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. *statim in principio dub.* 2. Abulens. *cap.* 5. *in Math. quæst.* 270. Ledesm. *tom.* 2. *summæ tractat.* 11. *cap.* 2. *dub. vltimo notabili* 3. Ratio est, quia idem prorsus petitionis est sensus; in neutro enim casu vult petens quod verba exterius sonant, vt scilicet id cum peccato fiat, sed tantùm vult consulere propriæ necessitati, & sensus est: *Da mihi mutuum, quo egeo,* vel, *confirma mihi hunc contractum, & hanc promissionem iureiurando, & quia non vis nisi mutuum dare sub vsuris, nec iurare, nisi per tuos falsos Deos, id tibi permitto propter meam necessitatem, & tibi imputetur peccatum, cum mutuum dare licitè possis si sine vsuris dederis, & cum etiam iurare licitè possis si iuraueris per verum Deum, quatenus naturali lumine est cognoscibilis, nam cum vtramque rem licitè, & illicitè præstare possis, tibi imputetur si non nisi illicitè præstes.* Ex his duabus opinionibus, prima est tenenda propter rationes illius, ex quibus destructa manent fundamenta huius, vt patet.

Bañez.
Abul.
Ledesm.

Obiter incidit sermo illius dubij, cuius resolutio non contemnenda est, & ideo non prætermittenda; vtrùm nimirum liceat petere ab vsurio exposito mutuas pecunias formaliter, & expresè sub vsuris, dicendo: *da mihi mutuum sub vsuris;* quando petens certus est, quòd vsurarius aliter mutuum non sit daturus, & ipse eget mutuo. Negant multi, quia obiectum petitionis intrinsecè est malum; & quia quod licet petere, licet desiderare; at nullatenus licet desiderare, vt alter det ad vsuras; ergo non licet id ab eo petere: Item quia non licet ab infideli determinatè petere, vt iuret per Deos falsos ad firmandos contractus, cum illo celebratos; quamuis sit paratus ad iurandum per eos, vt resoluimus *num* 7. ergo nec etiam licet petere ab vsurario mutuum sub vsuris, cum par vtrobique sit ratio. Tandem quia non licet petere à malefico, qui scit licitè, & illicitè maleficium tollere, vt illud illicitè tollat, & vt maleficio vtatur, in tollendo maleficio, vt omnes fatentur, & in præcepto primo docuimus, etiamsi sciamus, non aliter, nec alio modo sublaturum; ergo &c. Hanc opinionem tenet Maior. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 33. *conclus.* 1. Caiet. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. Castro *lib.* 1. *de iust. hæret. punit. cap.* 15. Nauarrus *in summa vulgari cap.* 14. *versiculo, la onzena; & cap.* 17. *latinè num.* 262. Couar. *de pactis* 1 *part.* §. 1. *num.* 10. Cordub. *in sum. q.* 5. *corollario.* 5. & contrarium non esse tutum docet Arag 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. *dub.* 2. *in solutione ad vltimum.* & hanc partem esse probabilem docet Petrus de Ledesma *tom.* 2. *summæ, tractat.* 8. *cap.* 33. *post.* 29. *conclus. difficultate* 2. 8.

Maior.
Caiet.
Castro.
Nauar.
Couar.
Cordub.
Arag.
P. de Le.

Dicendum tamen id licere, modò causam iustam habeas petendi, & scias non aliter, nec alio modo vsurarium daturum eas pecunias, ne frustra tempus teras. Ratio est, quia obiectum huius petitionis, non est actio vsurarij dantis mutuum, ac proinde non est malum intrinsecè, sed est mutuum ipsum, quod petitur: nam illa actio ita est iure naturali intrinsecè mala, vt in nullo euentu, nec etiam maximæ, & vrgentissimæ necessitatis cohonestari, peti, aut desiderari possit; quod autem petas mutuum sub vsuris, est permissiuè; verba enim tuæ petitionis in eo casu diuersum sensum habent ab eo, quem sonant; nam sensus tuæ petitionis est, *da mihi mutuum; sed quia certus sum te illud mihi non daturum, nisi sub vsuris, id tibi permitto, vt meæ necessitati consulam.* Et istud obiectum sub hac forma, & conditione 9.

ditione licitè peti, & desiderari potest; quia hoc non est desiderare alterius peccatum, quòd teneat ex charitate impedire. Et confirmatur, quia licitum est mutuum ab vsurario petere sub ratione mutui, & illo respondente se nolle dare nisi sub vsuris, licitum est acceptare illam conditionem, & illas promittere ad redimendam propriam vexationem, & necessitatem; quia cum tanto detrimento proprio, nemo tenetur vitare peccatum alterius, quando ille actionem illam potest facere sine peccato; ergo licitum est etiam à principio eam conditionem offerre, quando certò scimus eam petendam esse, & non aliter, nec alio modo, nisi sub vsuris illud mutuum dandum. Ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 8. num.* 27. Durandus *in 3. dist. 37. quæst. 4. num. 5.* & ibi Paludan. *quæst. 2. art. 1. post 3. conclusionem.* D. Anton. 2. *part. tit. 1. cap. 9. §. vltimo in fine.* Canus, & plerique alij quos refert, & sequitur Salon. 2. 2. *quæst. 78. art. 4. controuersia* 2. & ibi Bañez *statim in princip. dub* 2. Molina *tom. 2. de iust. disp. 335. col. 1. conclusione* 5. Valentia 2. 2. *disput. 5. quæst. 1. puncto 4. statim in initio.* Sà *verbo, Vsura. num.* 5. & dicit esse probabile Suarez *tom. 2. de Religione lib. 3. de iuramento cap. 13. num 9. fine*, & Ledesma *num præcedenti* allegatus.

Sanch. Durand. Palud. D. Anton. Canus. Salon. Bañez. Molin. Valent. Sà. Suarez. Ledesm.

11. Nec rationes pro prima opinione allatæ aliquid conuincunt. Primum enim fundamentum iam solutum manet ex dictis; non enim obiectum petitionis est actio vsurarij dantis mutuum ad vsuras, sed est ipsum mutuum; ac proinde obiectum illius petitionis non est intrinsecè malum; sed bonum de se, & opus charitatis, & tam bonum, quàm bonum est dare mutuum gratis, & ideo peti, & desiderari potest. Ad secundum fundamentum de iuramento per falsos Deos, & ad vltimum de petitione destructionis maleficij, respondeo esse diuersam rationem; nam cum infideles credant suos Deos esse veros, per illam petitionem scandalum illis sine dubio præbetur; quia per talem petitionem magis, magisque in suo errore confirmantur; & nihil aliud est illa petitio, quàm quædam moralis inductio ad errorem, seu potius confirmatio quædam illorum in errore, quod non procedit in vsurario, cum optimè sciat grauissimum peccatum esse dare mutuum sub vsuris, & sic in vno casu datur scandalum, in altero non datur. Similiter petere à malefico determinatè, & expressè, vt maleficium maleficio destruat; etiam si quis sibi persuadear, & sciat optimè illum licito, & illicito modo illud scire, & posse destruere, & non nisi illicitè illud destructurum, intrinsecè est illicitum, & scandalosum; quia ille modus petitionis includit quandam approbationem, & significationem consensus in tali modo operandi; secus est in expressa petitione mutui sub vsuris; quia satis per se notum est, eum, qui mutuum petit, cupere non soluere vsuras, & in tali petitione, non est periculum approbandi vsuras; nec etiam quoad externam speciem, nec consentiendi in illis; quia semper constat solum permittere solutionem illarum; & ita docet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 3. de iuramento cap. 13. num. 11. ante finem.*

Suarez.

12. Non est etiam licitum petere copulam à meretrice, quantumuis parata sit, vt optimè docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 8. num. 28. & lib. 1. cap. 6. num. 14.* nunquam enim obiectum talis petitionis, quòd est fornicatio, potest esse aliquid bonum; nec refert quòd talis petitio efficiat hunc sensum. Vis consentire in copula, quam ego tibi promitto propter meam voluptatem? & quia voluptas est illicita ex parte petentis, & quia nulla iusta causa dari potest talis petitionis, & tandem quia negari non potest illam interrogationem esse occasionem, vt meretrix hanc specialem fornicationem admittat.

Sanch.

Quæ autem sit iusta causa, & necessitas petendi mutuum sub vsuris, tractat egregiè Sanchez *dicto tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 8. à num. 13.* & deinceps; & inter causas iustas ponit in nobili viro torneamentum, ludos, aut festum aliquod & spectacula honesta, quando alij eiusdem qualitatis, & status ad ea exhibenda concurrerent; quia hæc omnia ad status decentiam pertinent, & ita docet etiam Molina *tom. 2. de iust. disp. 335. col. 2. versiculo, Vtrum autem.* Sotus *lib. 6. de iustitia quæst. 1. art. 5. paulo post initium. dub 1.* & Salon. & Petrus de Ledesma quos ipse Sanchez allegat *num. 15.* 13.

Sanch. Molin. Sotus.

Non est autem mercatoribus causa iusta petendi mutuum sub vsuris siue expressè, siue tacitè sub illis petatur occasio copiosiùs lucrandi cum pecuniis per vsuram acceptis; neque vt quis negotiatione diuitias accumulet, si vterque aliàs habet, vnde decenter ad suum statum, & honestatem viuat. Et ita docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 78. art. 4.* Syluester *verbo, Vsura 7. quæst. 1.* Tabiena *verbo, Vsura, num. 3. quæst. 2.* Nauarrus *in summa cap. 17. num. 262.* Sanchez *dicto tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 8. num. 16.* Sotus *lib. 6. de iust. quæst. 1. art. 5. paulo post principium* Paludanus *in 3. dist. 37. quæst. 2. art. 1. post tertiam conclusionem.* Et ratio est, quia tunc non intenditur solùm conseruatio proprij status; sed auiditas maioris lucri simpliciter; quæ auiditas non est causa sufficiens ad eam pecuniam sub vsuris petendam, aut accipiendam Dices cum Valentia 2. 2. *disp. 5. quæst. 21. punct. 4. col. 3. versiculo, Quapropter*, non esse solùm spectandam iustam conseruationem præsentis status negotiatoris, aut hominis accipientis pecuniam sub vsuris; sed etiam iustum & rationabile augmentum status. Vnde, si licitum est, petere, & accipere pecunias sub vsuris ad conseruationem præsentis status; ita etiam licitum erit illas petere, & accipere ad rationabile augmentum illius. Respondeo id verum esse; modò tamen status, quem cogitat, deceat illius personam, & putetur fore, vt moraliter illum assequatur; secus si frustra, & sine ratione velit copiosius negotiari, quia tunc sola auiditas copiosiùs lucrandi intenditur; quæ de se non est sufficiens causa petendi pecunias sub vsuris, vt patet. 14.

D. Thom. Syluest. Tabien. Nauar. Sanch. Sotus. Palud. Valent.

Rogabis tamen ad finem huius capitis; An maius peccatum sit iurare verum per falsos Deos, quàm falsò per verum Deum. Respondeo grauius peccatum esse iurare verum per falsos Deos; quàm iurare mendacium per verum Deum. Ratio est, quia qui iurat verum per falsos Deos, si seriò iurat, quantum est ex se, tribuit diuinitatem, & infallibilem authoritatem, & veritatem dæmoniis, seu falsis diis, quod est ingens idololatria; aufert enim honorem Deo debitum ab ipso Deo, illumque defert dæmoniis; at, qui mendacium iurat, solùm periurus est, & solùm in Deo veritatem negat; idololatra autem totam diuinitatem: & quamuis negando veritatem, consequenter diuinitatem in Deo neget; tamen directè, & primariò solam veritatem in Deo periurus negat; at idololatra totam diuinitatem, & 15.

ideo

ideo grauius est peccatum idololatriæ, quàm periurij; & consequenter grauius est iurare verum per falsos Deos quàm mendacium per verum Deum; & ita docent communiter DD.
D Thom. Sanch. Sotus. Cou. Suar. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 13. *artic.* 3. *ad* 2. Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 38. Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 2. *art.* 3. *conclus.* 1. Couar. *de pactis* 1. *part.* §. 1. *num.* 10. Soares *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de iurament. cap.* 3. *num.* 6. & *tom* 1. *lib.* 1. *de irreligiositate cap.* 5. *num.* 15.
Sayro. Azor. Sayro *in claui regia lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 18. Azor *tom.* 1. *lib* 11. *cap.* 12. *q.* 12.

16. D. August. Nec refert id quod ait D. Augustin. *Epistola* 154. & refertur *in capite, Mouet.* 12. *quæst.* 1. vbi asserit grauius esse per Deum verum fallaciter iurare, quàm veraciter per Deos falsos: nam hæc sententia Diui August. vt bene explicant Azor, & Sanchez allegati, intelligenda est de eo Christiano, qui verum iurat per falsus Deos, quos falsos esse putat; si enim fidem non seruet, peccat quidem proximum decipiendo, sed non peierando; & sic fallax est, non tamen periurus; quia ad peccatum periurij opus est, vt per verum Deum iuramentum fiat, & vt res iurata infallibili auctoritate diuini testimonij confirmetur; & aliàs non est iuramentum: qui verò falsum iurat per verum Deum, periurus est & sic grauiùs peccat, quàm ille Christianus, qui verum iurat per falsos Deos, quos falsos esse credit. At ille, qui verum iurat per falsos Deos, quos veros esse putat, peccat præ omnibus grauissimè; grauiùs quidem, quàm ille Christianus, qui verum iurat per falsos Deos, quos credit esse falsus, vt patet, & grauiùs etiam, quàm ille qui falsum iurat per Deum verum, vt diximus, & probauimus *numero præcedenti.* Vel dic cum Soto *eodem numero præcedenti* citato, D. Augustinum dixisse grauius esse peccatum mendacium per Deum verum iurare in ratione periurij, quàm iurare verum per Deos falsos, quia in primo casu datur peccatum periurij; in secundo non datur, sed idololatriæ; vnde grauius peccat in ratione periurij ille, qui falsum per Deum verum iurat, quàm ille qui verum per Deos falsos, licèt absolutè grauius iste peccet, quàm ille, cum hoc peccatum sit idololatriæ, quod de se multo est grauius periurio, vt patet ex his quæ *num. præcedenti* diximus.

17. Notandum tamen est nemini licere eum ad iuramentum inducere, quem scimus falsum in re ipsa iuraturum, bona tamen fide deceptum, putando id esse verum. v. e. mea interest ad tuendum meum ius aliquid probare, & est aliqua circunstantia in qua aliquis bona fide verum esse potat id quod vult iurare; at ego scio esse falsum, non est mihi licitum eum inducere, vt id quod bona fide verum putat, iuret; quia etsi iurans non iuret falsum opinione sua; at iurat id quod re ipsa ipse inducens falsum esse scit. Quare non potest inducens à crimine periurij excusari, cum inducat ad afferendum Deum in testem rei falsæ.
Sanchez. Azor. Suarez. Ita docet Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 10. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 11. *quæst.* 2. Suar. *tom.* 2. *de Relig. cap.* 14. *num.* 8. & id esse culpam mortalem expressè docet Sanchez, quamuis reliqui dicant id non licere, non tamen asserunt sub mortali vel veniali.

18. Si tamen absque inductione mea ille se offerat ad id iurandum, quod bona fide putat verum, licet ego sciam falsum esse, & conducat ad probandum rem meam veram, ne iure meo defrauder, licebit mihi tale iuramentum acceptare; quia in hoc casu iurans, nec venialiter peccat ratione bonæ fidei, ego verò acceptando prædictam circunstantiam, quam falsam esse scio, passiuè tamen, me ago nec vtor eo testimonio ad falsum aliquid probandum; sed ad probandum id quod verum est, ac ius meum tuendum, quamuis ea circunstantia sit falsa. Ita Sanchez allegatus *dicto num.* 10. Sanch.

CAPVT VIII.

Agitur de consuetudine iurandi, quæritur an ille, qui ex praua consuetudine ad singula verba ex leuissima occasione iurat, semper peccet mortaliter, & an assuctis iurare sit differenda absolutio, quoad vsque emendentur.

SVMMARIVM.

Quot modis accipiatur consuetudo iurandi. num. 1.
Status peccati mortalis propter consuetudinem iurandi quomodo intelligatur. num. 2.
An ipsa consuetudo per se sumpta sit distinctum peccatum ab actu iurandi. num. 3.
Consuetudo iurandi passim aduertendo ad rei veritatem, non aduertendo ad iuramentum, non constituit hominem in statu peccati mortalis, sed tantùm venialis; nec omissio extirpationis illius mortalis est, sed tantum venialis, siue adiungatur consuetudo mentiendi, siue non. num. 4. & 5.
Reycitur Sotus asserens hanc consuetudinem constituere hominem in statu peccati mortalis. num. 6.
Reycitur opinio asserens tunc hanc consuetudinem esse mortalem, cum illi adiungitur consuetudo mentiendi. num. 7.
Consuetudo iurandi falsum aduertendo ad falsitatem rei, & iurandi passim omnia, siue vera, siue falsa sint, aduertendo ad iuramentum, non aduertendo ad rei veritatem, constituit hominem in statu peccati mortalis, & omissio extirpationis illius est similiter mortalis. num. 8.
An habens talem consuetudinem mortaliter semper peccet, siue verum, siue falsum iuret. num. 9. & 10.
Consuetudo iurandi non aduertendo an iuremus, nec ne, constituit etiam hominem in statu, & periculo proximo peccandi mortaliter. num. 11.
Cur inaduertentia ad iuramentum, & inaduertentia ad veritatem rei iurata, constituant hominem in statu, & periculo proximo peccati mortalis, cum tamen inaduertentia in omnibus rebus à peccato excuset. num. 12. & 13. & 14. & 15. & 16. & 17.
An neganda vel differenda sit absolutio ijs, qui habent consuetudinem iurandi, quo modo, & quando, & quatenus. à num. 18. vsque ad 20.
An teneatur pœnitens aliquam pœnam acceptare impositam a confessario tanquam medium, & remedium ad extirpandam consuetudinem iurandi. num. 11.

PRÆMITTO primò consuetudinem iurandi quadripartitò posse accipi. Prima est consuetudo passim iurandi cum debita aduertentia, vt iuramentum sit verum, siue hîc admisceatur consuetudo mentiendi absque iuramento, siue non admisceatur. Secunda est con- 1.

suetudo iurandi falsum aduertenter. Tertia est, consuetudo iurandi omnia indiscriminatim siue vera, siue falsa sint, aduertendo ad iuramentum, non aduertendo tamen ad veritatem aut falsitatem rei iuratæ. Quarta & vltima est consuetudo passim iurandi absque vlla harum rerum aduertentia an iuretur, nec ne, & per omnes hos modos in suis conclusionibus discurremus.

2. Præmitto secundò, tribus modis accipi posse statum peccati mortalis. Primò, pro statu actualis peccati, & talis status non constituitur per consuetudinem, sed per ipsum actum peccati mortalis, quicumque ille actus sit, & in qualibet materia. Secundò, pro statu purè habituali, & sic dici solet esse in statu peccati mortalis ille, qui peccatum mortale prima etiam vice commisit, & illud non retractauit, nec confessus est, in his duobus modis status peccati mortalis nihil peculiare dici potest de consuetudine iurandi, cum etiam omnibus aliis peccatis mortalibus nondum confessis communes sint. Tertiò, pro statu, quasi medio inter actum, & habitum, in quo homo versatur in proxima, & morali occasione peccandi mortaliter, vt si domi quis retineat concubinam, aut commodè restituere possit, & aduertit se esse in tali peccato, & non vult restituere, nec concubinam eiicere, cum possit; is enim quoties animaduertit se esse in tali statu, & id non efficit, vult permanere in illo formaliter, & indirectè ex vi talis status semper actu peccat, solumque interdum non peccat, quia de illo statu non considerat, quoties autem considerat, & ita permanet, actu peccat, & ita ille status de se est obiectum peccati mortalis, & est quasi continuum peccatum externum, quamuis per accidens & ex defectu attentionis, & actualis voluntatis interrumpatur, vt optimè docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 6. num. 3.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 5. num. 3.* & de hoc tertio modo status procedere potest quæstio, an consuetudo iurandi sit peccatum mortale, aut constituat hominem in statu peccati mortalis. Suar. Sanchez.

3 Præmitto tertiò, ipsam iurandi consuetudinem non esse per se peccatum mortale distinctum ab ipsis actibus iurandi, ex quibus consurgit; quia si loquamur de ipsa consuetudine formaliter non est peccatum distinctum ab ipsis actibus; est enim ipsemet actus frequenter repetitus si loquamur de consuetudine materialiter, hoc est, de effectu ipsorum actuum, est quidam iurandi habitus ab ipsa productus, & quamuis ipse sit vitiosus, quia ad malum inclinat, non tamen ipse est peccatum; quia peccatum solùm est actus iurandi: quamuis autem ipse habitus non sit peccatum formaliter & in se, omissio tamen extirpationis illius, potest esse peccatum mortale ratione periculi peccandi mortaliter moralis & proximi, cui exponit, & sic potest hominem constituere in statu peccati mortalis.

4. His præmissis inquirimus quando consuetudo iurandi, & omissio illius extirpandæ constituat hominem in statu peccati mortalis, & in tanta varietate auctorum, quantam hac de re inueni, dicam quod certius visum fuerit.

5. Sic igitur statuo primò. Consuetudo iurandi passim, cum debita aduertentia ad rei veritatem non aduertendo ad iuramentum, id est, an iuret, vel non iuret siue hic admisceatur consuetudo mentiendi absque iuramento, siue non admisceatur, solum constituit iuratorem in statu peccati venialis non mortalis, neque omissio illius extirpandæ lethalis est, sed tantùm venialis. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 5. num. 9. & 10.* Medina *lib. 1. summæ cap. 14. §. 4. ad finem.* Ludovicus Lopez *1. part. Instructorij consc. cap. 25. col. antepenultima, versiculo, postremò dicimus, & c. 42. col. 3. versiculo; sed nec alioquin.* Suarez *tom. 2. de Religion. lib. 3. cap. 6. num. 2. & 4. & 5.* Petrus de Ledesma *tom. 2. summæ tract. 11. cap. 2. dub. 1. & cap. 5. dubio 4 paulo post principium, & dub. 5. dicto vltimo.* Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 7. punct. 3. versu, respondeo diiudicandum.* Rodriguez *tom. 1. summæ in 2. edit. cap. 192. num. 11.* Veiga *tom. 1. summæ cap. 16. casu 14.* Beia *in respons. casuum cap. 4. casu 2.* Probatur primò, quia cum habitus totam suam malitiam sumat ex actibus à quibus generatur, non potest grauiorem habere, quàm ipsi actus habeant; sed actus iurandi ex quibus hæc consuetudo, & hic habitus consurgit, sunt tantùm veniales cum illis solum desit comes iudicij, quod ad debitam iuramenti reuerentiam sufficiat; ergo ea consuetudo venialis tantùm erit, ac in solo statu peccati venialis hominem constituet. Secundò, quia hic adest debita cura, & diligentia iurandi verum, ergo ea cura excludit omne periculum peierandi; ergo solùm relinquit hominem in proximo periculo iurandi absque necessitate; at periculum proximum peccandi venialiter sub solo veniali cauendum est; ergo in solo statu peccati venialis hominem constituit. Tertiò, quia ea consuetudo potius dicenda est consuetudo iurandi verum, quàm iurandi falsum, & quamuis ex defectu iudicij, & necessitatis possit aliquando homo labi, & incidere in iuramentum falsum, id per accidens est, & longè remotum à consuetudine iurandi falsum. Sanch. Medina. Lud. Lop. Suarez. Petr. de Led. Valent. Rodrig. Veiga. Beia.

Vnde non est approbanda sententia Soti *lib. de cauendo iuramentorum abusu cap. 12.* vbi asserit hanc consuetudinem iurandi passim venialiter ex defectu iudicij cum aduertentia ad iuramenti veritatem esse de se mortalem, & extirpationem illius ad salutem necessariam, quia constituit hominem in periculo peccandi mortaliter, & qui amat periculum, peribit in illo; solùm enim constituit in periculo peccandi mortaliter remoto, imò remotissimo (sicut consuetudo cæterorum venialium constituit) non in proximo, vt diximus; & ideo in sano sensu est intelligendus Sayrus *in claui regia lib. 5. cap. 5. num. 8.* vbi asserit habentes consuetudinem iurandi, non esse absoluendos tamquam constitutos in peccato mortali, nisi firmiter eam euellere proponant; explicandum enim est de consuetudine iurandi sine aduertentia veritatis iuramenti, non necessitatis, vt patet. 6. Sot. Sayr.

Similiter ex dictis colligitur non esse veram sententiam illorum, qui asserunt quidem consuetudinem iurandi cum aduertentia ad veritatem sine consideratione necessitatis, esse peccatum mortale constituere hominem in morali, & proximo periculo peccandi mortaliter: at non absolutè, sed cum illi adiungitur consuetudo mentiendi absque iuramento; & hi sunt Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 7. puncto 3. col. antepenultima, versiculo, Respondeo.* & Petrus de Ledesma *tom. 2. summa tractatu 11. cap. 1. dub. 3. dicto 2.* Ratio est, quia etsi aliquando contingat sic assuetum facilius prorumpere ex illa mentiendi consuetudine in falsum iuramentum; tamen id per accidens est, & illud peccatum periurij non est voluntarium in se, neque in causa proxima, sed remota; cum hic habeat consuetudinem aduertendi ad 7. Valent. Petr. de Led.

veri-

Suarez. veritatem iuramenti, non verò non animaduertendi, vt diximus. Vnde optimè Suarez *dicto tom. 2. de Relig. lib. 3. de iuramento cap. 6. num. 2.* tractans de habenti consuetudinem iurandi cum debita aduertentia ad vitandum periurium, ait, parum referre ad præsens; si sic assuetus iurare, soleat absque iuramento mentiri.

8. Statuo secundò. Consuetudo iurandi falsum aduertenter, & iurandi indiscriminatim omnia, siue vera, siue falsa sint, aduertendo ad iuramentum, id est, quòd iuret & non aduertendo ad veritatem rei iuratæ, constituit hominem in statu peccati mortalis, & omissio illius euellendæ est mortalis. Probatur, quia status illius consuetudinis ita est inordinatus, & contrarius bonis moribus, vt illum voluntariè admittere, aut retinere, sit peccatum mortale; nam ex vi talis consuetudinis est homo animaduertenter in proxima occasione peierandi & peccandi mortaliter; ergo ex vi illius est in statu peccati mortalis; qui enim amat periculum, peribit in illo. Vnde in tali homine ferè omnes actus iurandi siue verum, siue falsum iuretur, sunt periuria, & peccata mortalia, ratione dicti periculi cui se ita consuetus exponit. Dixi, *ferè semper, & non semper*; quia si interdum ille homo animaduertat, verum esse, quod iurat, in eo actu iurandi non erit periurus, nec peccabit mortaliter, quia tale iuramentum est verum; consuetudo autem, & habitus iurandi passim omnia siue vera, siue falsa indiscriminatim, non est circunstantia, quæ refundat grauitatem peccati mortalis in actum verum; quia solùm se habet quasi materialiter ad illum, & non afficit illum. Ita docet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 3. cap. 5. num. 6 & 8.* Petrus de Ledesma *tom 2. summa tract. 11. cap. 5. dub 4.* Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 5. num. 11.* Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 7 punct. 3.* Veiga *tom. 2. summa cap. 16. casu 14.* (Suar. Petr. Led. Sanch. Valent. Veiga.)

9. Quæres quádiu dicatur quis permanere in hoc statu consuetudinis iurandi, aduertendo, quod iuret, non verò an verùm siue verum, siue falsum iuret? Respondetur, tandiu in eo statu censeri esse, quandiu non proponit efficaciter illam consuetudinem auellere. Nam cum ille status prauæ consuetudinis per proprios actus voluntarios comparatus sit, tandiu censetur volũtarius, quandiu per contrarium propositum efficax non retractatur; si autem tale propositum retractandi habet, iam est inuoluntarius talis status respectu illius, & non poterit imputari ad peccatum iuranti, quia tunc iam illa consuetudo non est moralis, nec voluntaria; sed quasi naturalis, vt optimè animaduertit Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 6 num. 8. & 9.* & Sanchez *tom. 1 Decalogi lib. 3. cap. 5. num 12.* Aragon. *2. 2. quæst. 89. art. 3. dubio vltimo in 3. conclusione.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæst. 3.* & Petrus Ledesma *tom. 2. summa tract. 11. cap. 5. dub. 4. paulo post principium.* (Suarez. Sanch. Arag. Azor. Petr. Led.)

10. Statuo tertiò. Consuetudo iurandi absque aduertentia, an iuretur, nec ne, similiter constituit hominem in statu mortaliter peierandi, & peccat mortaliter iurans, nisi illam conetur extirpare, & quoties iurat semper mortaliter peccat, siue verum, siue falsum iuret, modò priùs non attendat ad veritatem rei iuratæ. Ita Sanchez allegatus *num. 14* & Suarez *tom. 2. de Religione lib. 3. cap. 8. num. 1.* (Sanch. Suarez.) Probatur, quia nullum discrimen est inter inaduertentiam ad iuramentum, & inaduertentiam ad veritatem rei iuratæ. Vnde si ille mortaliter peccat, qui iurat non aduertendo ad veritatem rei iuratæ, ita mortaliter peccabit ille, qui iurat non aduertendo ad iuramentum. Confirmatur ex dictis, quia tota ratio huius peccati consistit in periculo, cui iurans se exponit, iurandi falsum (supponimus enim directè non intendere iurare falsum; quia illud non esset iuramentum incautum, sed per se falsum:) sed ille, qui iurat non attendens an iuret, nec ne, vel non attendens, an sit verum, vel falsum id quod iurat, vel negligenter se gerens circa disquisitionem veritatis, quam iurat, fortuitò tantùm, & contingenter in omnibus his casibus accidit, vt id quod iurat, sit verum; ergo inde non minuitur culpa; ergo semper mortaliter peccat, siue verum, siue falsum iuret, propter periculum euidens, & moraliter certum, cui se exponit iurandi falsum. Dixi, *propter periculum*, quia si denominatio sit à materiali obiecto, clarum est peccare mortaliter, quando est falsum id, quod iuratur, non autem quando est verum. Nam sicut ebrius, qui se ideo inebriat, vt occidat, materialiter denominatur homicida ab actu occidendi, quando cum effectu occidit, formaliter verò à voluntate antecedenti, quam habuit occidendi, dum se ad id inebriauit, nam illa culpa & illud peccatum coram Deo in ordine ad homicidum commissum sufficit, vt eum formaliter denominet homicidam; sic periurus materialiter denominatur periurus, solùm quando falsum iurat, formaliter verò quando periculo morali exponitur peierandi; exponitur autem tali periculo, quoties ex consuetudine iurat, cum inaduertentia, an iuret, nec ne, seu quod idem est, cum inaduertentia ad iuramentum. Nam quoad culpam coram Deo, etiam hic illam committit, & ab eadem periurus denominari potest, vt optimè animaduertit Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 8. num. 5.* Suarez.

Rogabis tamen, cur inaduertentia ad iuramentum & inaduertentia ad veritatem rei iuratæ, à peccato mortali peierandi non excuset, cum tamen, vbi datur inaduertentia, detur inuoluntarium, & vbi datur inuoluntarium, non detur peccatum. 11. Quidam ideo dicunt peccare mortaliter, & non excusare à mortali prædictam inaduertentiam, quia ratione illius prauæ consuetudinis, ita homo est dispositus, vt si aduerteret, vel iuramentum esse falsum, vel rem, quam iurat, non esse veram, nihilominus falsum iuraret; & ita docet Caietanus *2. 2. quæst. 8. artic. 3. fine.* Quærens enim, cur inaduertentia non excuset à periurio hominem assuetum iurare, hanc rationem reddit, *quia*, inquit, *si aduerteret, similiter peccaret.* Docet etiam expresè Nauarrus *in summa cap 12. num. 6.* Toledo *lib 4 summa cap. 21. num. 8. in fine.* Sayro *in claui regia lib. 5. cap. 4. n. 17.* & loquendo de blasphemia id ipsum docet Caietanus *in summa, verbo, Blasphemia.* & Nauar. *in summa Lat. cap. 12. num 84.* vbi asserunt blasphemiam inaduertenter dictam excusare à mortali, nisi non aduertens, ita dispositus sit, propter consuetudinem blasphemandi, vt aduertendo similiter blasphemaret. (Nauar. Toledo. Sayro. Caiet. Nauar.)

Sed hanc doctrinam reiiciunt multi meritissimò, Sotus *lib. 8. de iustitia quæst. 2. art. 5. in solutione ad 3. versiculo, Vnum autem; & de iuramentorum abusu, cap 12.* Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 5. num. 23.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. de iuramento cap. 7. num. 5.* Rodriguez *tom. 2. summa in 2. edit. cap. 191. in fine.* Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 7. punct. 3. paulo ante finem.* Ledesma *tom. 2.* 13. (Sotus. Sanchez. Suarez. Rodrig. Valent. Petr. Led.)

summæ tract. 51. cap. 5. dub. 4. versiculo, Lo tercero se prueua, quia cum ea dispositio sit solum inclinatio quædam, & pronitas ad peccandum, nec sit actus, non potest esse peccatum. Nam vt
D August. optimè ait D. Augustinus contra Semipelagianos; *non imputat Deus nobis, quæ faceremus, si hoc, vel illud nobis occurreret; sed quæ facimus circa illud, quod occurrit; quod si non occurrat, nec se offerat, memoria, aut scientia, cum qua peccamus, gratiæ Dei tribuendum est.*

14. Respondent verò alij, & est probabilius, quod etiam sequimur: totam malitiam horum actuum non consistere in inaduertentia; quia illa semper ex se excusat, sed consistere in sua causa antecedenti, videlicet, in aduertentia illa, qua homo aduertit se habere consuetudinem non aduertendi, vel ad iuramentum, vel ad veritatem rei iuratæ, & non illam retractat; nam tunc omnes postea actus iurandi sunt peccata mortalia siue verum, siue falsum iuretur, cum per accidens sit quòd verum iuretur, quia tunc incipiunt habere mortalem grauitatem ex causa volita. Nam cum homo sciat, & videat se esse in actu, & statu, & periculo proximo, & morali peierandi, & id non retractat & fugit, virtute vult permanere in tali statu, & consuetudine; & virtute etiam vult omnes effectus ex tali consuetudine prouenientes; qui enim vult causam, necessariò vult effectum in ea contentum, & ad peccatum sufficit voluntarium in causa. Quod confirmatur exemplo ebrij, qui antecedenter inebriatur, videns, & animaduertens, se in illa ebrietate exponi periculo occidendi, aut mutilandi, cui sine dubio imputatur peccatum occisionis, ratione causæ illius, id est, ebrietatis antecedenter volitæ, licet tunc cum occidit, priuatus sit vsu rationis: & exemplo illius qui in vigilia voluit causam ex qua in somno sequuturam videbat pollutionem, & eius qui animaduertit, se postea audire Missam non posse in die festo, si modò illam omittat; hi enim omnes peccant mortaliter ratione causæ præcedenter volitæ. Ita
Suar. docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. iuram. cap 7.*
Sot. *num. 6. & 9.* & Sotus *de iuramentorum abusu c. 12.* Vbi ita ait: *Negligentia illa, quæ secum affert contemptum, reducitur ad eandem rationem, ac si consulto fieret periurium; quemadmodum, qui citra dictam cautelam sagittam emittit in nemora, hominemque imprudens configit, nequaquam ab homicidio est*
Sanch. *immunis*, & Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 5.*
Syluest. *num. 28.* & deducitur ex Syluestro *verbo, Blasphemia, quæst 4.*

15. Dices. Consuetudo hæc sit collectione multorum peccatorum, in qua collectione non est facile assignare vbi fuerit voluntarium periurium in causa, quod postea fuit inuoluntariè subsequutum; quia nullum peccatum illius consuetudinis per se solum spectatum, est causa talis effectus, neque in singulis peccatis hic effectus præuideri potest; tota autem illa collectio illorum actuum simul sumpta, quæ est ipsa cõsuetudo, non habet malitiam distinctam à singulis peccatis, & à numero eorum; ergo actus indeliberatus postea subsequutus non magis est voluntarius in ipsa consuetudine, quàm in singulis actibus illius.

16. Respondeo in ipsa consuetudine distinguendos esse actus præcedentes consuetudinem consummatam in tali gradu, in quo constituat hominem in morali, & proximo periculo peierandi ab actibus, quibus, vel talis consuetudo consummatur, continuatur, vel augetur; si loquamur de illis prioribus actibus præcedentibus ipsam consuetudinem consummatam, & de consuetudine generata ex illis, benè probat ratio facta, non continere virtute actus illos, qui postea ex consuetudine consummata subsequuntur. At verò quando homo iam videt consummari, ac compleri talem consuetudinem, & aduertit ad grauitatem, & periculum illius; tunc meritò dici potest tales actus incipere habere specialem grauitatem ex effectibus virtute tunc volitis; maximè verò quando post firmatam consuetudinem effectus ipsi peierandi teterre fiunt, idque experimento cognoscit, & nihilominus sciens, & videns actu vult permanere in illa consuetudine, si illam non retractat; tunc enim specialiter peccat ratione periculi sequentium actuum indeliberatorum, cui se exponit, & voluntas persistendi in illa consuetudine specialem habet grauitatem ex illis effectibus præuisis, vel qui præuideri potuerunt, & debuerunt, & ita respondet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 3. de iuramento* Suarez.
cap. 7. num 8. & 9.

Ex dictis infertur primò, iuratorem ex consuetudine, quam sub mortali corrigere tenetur, 17.
nec illam extirpare, & se emendare conantem, peccare mortaliter peccato omissionis; vt omnes docent, & speciatim Sanchez *tom. 2. Decalogi* Sanch.
lib. 3. cap. 5. num. 15.

Infertur secundò, negandam esse absolutionem quando quis non habet firmum propositum 18.
talis consuetudinis corrigendæ, sicut contingit in aliis peccatis mortalibus: quod à fortiori in hac consuetudine dicendum est, cum in alteram quasi naturam transeat, & consistat in peccato oris; quod sicut facilius committitur, ita difficilius auellitur; habenti autem propositum auellendi non est deneganda absolutio, & circa illud credendum est ipsi pœnitenti, sicut ei credendum est in aliis, quæ pro se, & contra se dicit. Tenetur etiam, vt ei absolutio impertiatur, & illius sit capax, externas occasiones, quæ morale, ac proximum periculum ex consuetudine iurandi afferunt, auferre, si id absque magno incommodo possit, sicut de aliis proximis occasionibus peccandi tradunt Doctores. Ita Sanchez Sanch.
tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 5. num. 16. Suar. *tom. 2.* Suarez.
de Religione lib. 3. cap 8. num. vltima. Sotus *lib. 8.* Sotus.
de iustitia quæst. 2. art. 3. post septimam conclusionem, & de iuramentorum abusu cap. 12. asserens, tunc statum huius peccati cessare, cum homo proponit firmiter se emendare, & tollit proximas occasiones peierandi; & id ipsum docent Va- Valent.
lentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 7. punct. 3. columna penultima, versiculo, Ab hoc tamen peccato.* & Sayro Sayro.
in claui regia lib. 5. cap. 5. num. 10. in fine, dum asserunt eadem pœnitentia, & firmo proposito liberari hominem à peccato commissionis, & à peccato omissionis, in quo adhærebat, quandiu non curabat eam consuetudinem auellere.

Sed quid si sæpe proposuit emendationem, 19.
nec tamen se emendauit, nec occasiones proximas iurandi sustulit? Respondeo, vel iste admonitus fuit à confessariis specialiter in ipsis confessionibus, vt eam prauam consuetudinem auelleret, vel non fuit, sed cum aliis peccatis simul proposuit emendationem. Si nunquam fuit specialiter admonitus, vt eam consuetudinem iurandi tolleret, statim absoluendus est, cum acri tamen admonitione, vt se corripiat, & eam euellat. Et ratio est, quia si nunquam fuit à confessariis

confessariis admonitus, non est in tanta culpa. Si autem ter, vel quater admonitus fuit, & aliquid curæ, vel laboris in ea euellenda apposuit, statim etiam est absoluendus, & non est ei differenda absolutio, quia ex parte sua aliquid contulit, & si ei differatur, forte cadet animo, & à confessione deterrebitur, & labetur in peius. Si post admonitionem nihil curæ apposuit, dico posse adhuc in rigore absolui si verè doleat de tali consuetudine, ac in posterum firmiter emendationem proponat; quia nullam occasionem extrinsecam habet propter quam necessariò ei sit deneganda absolutio; sed ex fragilitate humana in hoc vitium, sicut & in alia labitur. Quod tamen non est dicendum de eo, qui concubinam domi habet, cum proximam, & moralem occasionem extrinsecam domi habeat peccandi. Dico tamen melius esse consilium, si ei absolutio per aliquod tempus differatur; si modò ipse pœnitens id non multum ægrè ferat, & non timeatur, vt ob id à confessione retrahatur, sed potius credatur eam dilationem ad emendationem illius fore medicinam. Si autem oppositum timeatur, non erit consilium ei absolutionem differre, nisi quando ille iis periuriis ingens præberet scandalum; quod totum arbitrio prudentis confessarij

Sanch. committitur: & ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap 5. num.* 18. vbi se remittit ad *tom. 1. lib. 2. cap. 32. num* 45. & in hoc secundo loco loquens de consuetudine blasphemandi, hanc doctrinam tradit; sed in primo dicit procedere illam etiam in consuetudine peierandi, imò mitiùs se in hoc debet habere confessarius cum minùs iniqua sit consuetudo iurandi, quàm blasphemandi;

Suarez. Sayro. & id ipsum docet Suarez *tom. 2. de Religione lib 3 de iuram. cap.* 8 *num* .7. & Sayro *in claui regia lib 5. cap 5 num.*8. Vbi addunt hi duo auctores, in his non esse scrupulosè admodum confessario procedendum; quia non est necesse, vt iudicet ainum non ampliùs peieraturum; sed satis est, quòd iudicet illum in præsenti habere tale propositum, & facere, quod moraliter potest, vt vt efficax sit, quia hujusmodi humanæ infirmitates efficaciùs curari ab homine non possunt.

20. Metin. P de Led. Rodrig. Lud. Lop. Ex dictis patet non esse sequendam opinionem Metinæ *lib. 1 summa cap.* 14. §. 2. & Petri de Ledesma *tom. 2. summa tract. 1 cap. 9. fine*, & Rodriguez *tom. 1. summa in 2. edit. cap.* 34. *num.* 5. & Ludouici Lopez 1. *part. instruct. cap.* 282. *versiculo, Sed quid* Vbi loquentes de consuetudine blasphemandi, asserunt blasphemum quando in aliis confessionibus emendationem proposuit simul cum aliis peccatis, nec emendatus est, non esse statim absoluendum, sed differendam ei esse absolutionem, donec emendetur. Id enim intelligendum est modò specialiter fuerit admonitus à confessario de ea consuetudine tollenda iuxta superiùs dicta, aliter nimis rigorosa opinio illorum est, & huiusmodi rigores non sunt facilè multiplicandi.

21. Dubitant aliqui Doctores, an teneatur pœnitens in confessione acceptare aliquam pœnam, vel afflictionem veluti remedium impositum ad tollendam prauam consuetudinem iurandi, aut

Suarez. blasphemandi, qua laborat. Affirmat Suarez *lib. 3. de iuramento cap.* 8. *num.* 7. nullam tamen rationem pro se affert, nullum fundamentum; illius tamen fundamentum esse potest, quia vnusquisque tenetur ex iure diuino, & naturali procurare remedium, ne amicitiam cum Deo amittat, & consequenter illud acceptare cum à medico spirituali offertur. Negant meliùs Sotus *de iuram. abusu cap.* 12. & Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 5. num.* 17. Sotus. Sanch.

Primò, quia pro praua consuetudine in aliis peccatis hæc pœna imponi nequit, ita vt illius acceptatio obliget sub mortali; nec ratio, quæ affertur pro Suarez, aliquid conuincit, quia alioqui sequeretur teneri eos, qui hac praua consuetudine laborant, simile remedium sub mortali acceptare, non solùm à confessariis, sed etiam ab aliis viris prudentibus impositum aut oblatum; & nouum admitterent peccatum nisi illud acceptent. Sufficit ergo quod iure diuino teneantur ipsi gratiam cum Deo conseruare, non tamen opus est, vt illos obligemus sub mortali ad acceptandum medium, ac remedium à nobis oblatum, vt gratiam Dei conseruent.

Caput IX.

Quæ deliberatio necessaria sit ad iuramenti obligationem. Agitur de iuramento dolo facto absque animo iurandi, & se obligandi absque animo exequendi.

Summarium.

Ea deliberatio ad iuramenti obligationem requiritur, quæ sufficit ad peccandum mortaliter. num. 1.

Vt iuramentum, vel votum sub veniali obliget, non sufficit ea imperfecta deliberatio, quæ ad peccandum venialiter sufficiens est. num. 2.

Quotupliciter contingat quis iurare cum animo, & sine animo iurandi, aut implendi iuramentum. num. 3.

Qui iurat sine animo iurandi, & se obligandi in foro conscientiæ non manet obligatus, & quid de foro externo. num. 4.

Qui iurat alteri sine animo iurandi, & se obligandi, peccat mortaliter fictè iurando. num. 5.

Quid de eo qui iurat animo iurandi & se obligandi, non tamen implendi iuramentum. num 6.

Quid de eo, qui alteri iurat iuramento promissorio, animo iurandi & se obligandi, non tamen promittendi. num. 7.

Quid si quis iuret animo iurandi, promittendi, & se obligandi, non tamen animo, & speciali intentione se obligandi ex iustitia, aut fidelitate. num 8.

Quid si quis iuret animo iurandi, non tamen se obligandi. Refertur prima, & probabilior opinio, asserens non manere obligatum ad iuramentum. num. 9.

Refertur secunda asserens manere. num. 10.

Respondetur ad fundamenta secundæ opinionis. num. 11.

Intentio iurandi, cum expressa intentione non se obligandi, non est iuramentum, nec est Dei inuocatio in testimonium veritatis. num. 12. & 13.

Quid si iurans habeat intentionem iurandi, & non habeat expressam intentionem se non obligandi, imò de illa non cogitet. num. 14.

Quid si iurans forte ignorabat iuramentum esse obligatorium, & nihilominus voluit iurare. num. 15.

STATVO primò. Ea deliberatio ad iuramenti obligationem requiritur, & necessaria est, quæ sufficit ad peccatum mortale committendum, & idem dicendum de 1.

Sanch. Angel. Syluest. Nauar. Suarez.

voto. Ita communiter Doctores. Sanchez *tom.2. Decalogi lib.3. cap.10.num.2.* Angel.*verbo, iuramentum.5. num.8.* Syluester *verbo, iuramentum 4. quæst 9.* Nauarrus *in summa cap.12.num.10.& 14.* Suarez *tom.2.de Religione lib.2.de iuramento cap.7. num.1.& 3.* Ratio est, quia cum vtraque obligatio sit grauissima,& ad peccatum mortale adstringens, vtraque eam deliberationem necessariò petet, quæ ad peccatum mortale inducendum sufficiat.

Palud. D Anton. Nauar.

2. Statuo secundò. Vt tamen iuramentum, vel votum sub veniali obligent, non sufficit ea deliberatio imperfecta, quæ ad inducendam culpam venialem sufficiens est. Hæc est contra Paludanum *in 4 dist.58. quæst.1. art.1. num 8.* & contra D. Antoninum *2.part.tit.11. cap.2. iuncto notabili 6.* & videtur esse contra Nauarrum *cap. 12. num.24.* Vbi dicunt votum(& idem de iuramento) subitum non obligare ad peccatum perfectum, quasi censeant obligare ad imperfectum, quale est veniale; & id probant, quia non est de iuramenti, aut voti essentia, vt sub mortali obligent, vt constat in voto, aut iuramento promissorio facto de re minima. Secundò, quia imperfecta deliberatio satis est ad culpam; & meritum imperfectum; ergo & ad imperfectam iuramenti, aut voti obligationem Est tamen hæc conclusio Sanchez *tom.2. Decalogi lib.4.cap. 1. num. 8.* Soti *lib 7.de iustitia quæst.1 art. 2. columna 5.* & Maioris *in 4. dist.38. quæst.1. paulo post. initium.* Molinæ *tom.2. de iustitia disp. 267. initio.* Tolet. *lib.4. summæ cap.17. num.4.* Roderici *tom. 2.summæ cap 92. num.1.* vbi asserunt non valere votum nisi adsit deliberatio ad mortale sufficiens: at si obligaret ad veniale, valeret vtique. Aragon.*2.2. quæst 88.art.1. fol.966 col.2. in fine.* Vbi ait deliberationem imperfectam ad venialem culpam sufficientem, non sat esse ad votum, & Ledesmæ *tom.2. summæ cap 5.dub.vltimo,conclus. 2.* Viguerij *lib. Inst.cap.5.§ 5. versic.14.* Et fundamentum est, quia, vt homo sibi, vel alteri obligationem per suas actiones, videlicet, per iuramentum, aut votum, imponat, opus est, vt perfectus dominus illarum sit; non est autem perfectus illarum dominus, quando imperfectè ad illas attendit: nam nemo per actus semiplenos, & imperfectos videtur (nec etiam sub veniali) se velle obligare. Quod non est dicendum, vt homo aliqualiter præmium, aut pœnam acquirat, & mereatur; ad hoc enim sufficit libera aliqualiter rectitudo in opere, vt omnes fatentur, & ex hoc fundamento solutæ manent rationes contrariæ.

Sanch. Sotus. Maior. Molin. Tolet. Roderici. Aragd.

3. His veluti præmissis notandum est, eos qui iuramentum promissorium efficiunt, in his esse differentiis; aut enim iurant sine animo iurandi, & se obligandi; aut cum animo iurandi, non tamen se obligandi; aut cum animo iurandi & se obligandi, non tamen implendi iuramentum; aut cum intentione iurandi & se obligandi, non tamen promittendi; aut cum animo & intentione promittendi, non tamen se obligandi, neque ex fidelitate, neque ex iustitia specialiter, & per hos omnes modos discurremus.

4. Statuo ergo tertiò. Qui iurat sine animo iurandi, & se obligandi, iuramentum est nullum, & fictum, & ex vi, & religione iuramenti, non obligat in foro conscientiæ, in foro autem externo obligat ratione scandali. Ita communiter DD. D. Thom. *in 3. distinct. 39. quæst.3. artic.3. quæst.3.* Caietan. *2.2. quæst.89. artic.7. circa solutionem ad 4.versiculo, Ex quibus patet.* Couar. *de pactis 1.part. §.5. num.2.* Azor *tom. 1. lib.11. cap 4. quæst.2.* Valentia *2. 2. disp.6. quæst.7. puncto 4. columna vltima.* Suarez *tom. 2. de Religione lib.2. de iuramento cap.7. num. 2.* Lessius *lib. 2. de iustitia cap.42.dub 9. num. 47.* Sotus *lib. 8. de iustitia quæst.1. art.7. circa solutionem ad 4.versiculo Quid ergo.* Sanchez *tom.2. Decalogi lib.3.cap.10. num, 4. iuncto num. 13.* & idem Suarez citatus *cap.8.in fine.* & addit optimè Suarez, quamuis huiusmodi scandali vitatio per se primò ad charitatem pertineat, posse etiam ad religionem pertinere, quatenus illa publica species periurij in Dei irreuerentiam cedit, & quatenus est moraliter inductio ad periuria, aut similia iuramenta dolosa. Et ratio est, quia iuramentum nequit obligare in foro interno vltra intentionem iurantis, tota enim illius obligatio ex tali intentione pendet, vnde si iurare non intendat, ad nihilum iurans obligabitur. In foro tamen externo, quia intentio latitat, cogetur quis ratione scandali, vel etiam ratione damni illati, si forte illud alicui dedit, tale iuramentum seruare, iuxta communem, ac proprium intellectum, quem verba significatione sua ostendunt; vt si quis ad fœminam decipiendam iuret sponsalia cum illa, sine animo iurandi, aut cum verbis callidis, & dolosis conditionem aliquam mente retinendo ad illius deceptionem effictam, ob idque talis fæmina labore & infamia, vel patiatur se ab illo violari, alioquin id non passura tenetur in hoc casu ratione damni, etiam in foru conscientiæ, & non solùm in foro externo iuramentum seruare, & ad id cogetur in eodem foro. Patet ex D. Gregorio *cap. Humanæ aures 22.quæst. 5.* ibi: *Humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant; diuina verò iudicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* & ex *cap. Ex literis de sponsalibus, & ex lege liberorum §. Quod tamen Cassius ff. legatis 3. & ex lege finali titulo 11.part.3.* ibi: *Si el que de la iura, e el que la faze metiere palabras engañosas, o dudosas dezimos que no se deue excusar, que no sea poren de periuro.*

D.Thom. Caiet. Couar. Azor. Valent. Suarez. Lessius. Sot. Sanch. D Greg.

Dices: Ille qui alteri aliquid iurauit sine animo iurandi, aut verbis fictis, & conditione mente retenta ad eum decipiendum composita, non solùm ratione scandali, sed etiam ex vi, & religione iuramenti tenetur in foro conscientiæ iuramentum seruare; aliàs ex sua fraude commodum reportabit, contra omnem rationem; ergo falsum est, quod dicitur, non obligari tunc iurantem in foro conscientiæ ex vi iuramenti, ad obseruationem illius, sed solùm ratione scandali in foro externo. Et probatur ex D. Isidorio *lib. 2. sent.cap.31.* & refertur *in capite, Quacunque. artic.22.quæst.5.* ibi: *Quacunque arte verborum quisque iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit.* Respondeo non reportare iurantem commodum ex sua fraude cum lethaliter peccet sic fictè iurando, & in foro externo ad tale iuramentum ratione scandali obligetur. Ad D. Isidorium respondeo, illum solum velle peccare mortaliter iurantem sine animo iurandi, verbisque dolosis, & ad fallendum compositis vtendo, & manere obligatum ad seruandum iuramentum ratione scandali, non tamen velle illum ex vi, & religione iuramenti ad obseruationem illius obligari, cum iuramentum vltra intentionem iurantis non obliget, nec actus humani vltra intentionem agentium operentur. 5.

Statuo quartò. Qui iurat animo iurandi, & se obligandi 6.

obligandi, non tamen implendi eo ipſo in foro conſcientiæ ex vi, & religione iuramenti ad illius obſeruationem manet adſtrictus, & mortaliter peccat ſic iurando. Ita Azor. *lib. 11. cap. 4. quæſt. 1. & 2.* & Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 10. num. 5.* Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 7. num. 21.* Leſſius *lib. 2. de iuſtitia cap. 42. dub. 8. à num. 38.* Et eſt certiſſima opinio, & oppoſitum eſſe improbabile omnino docent Suarez, & Sanchez allegati. Et ratio eſt. Primò, quia intentio non contraria ſubſtantiæ iuramenti illud non vitiat, nec illius obligationem deſtruit, aut impedit; hæc enim obligatio neceſſariò oritur ex ipſo iuramentò valido; ſicut intentio non contraria ſubſtantiæ contractus obligationem illius non impedit, talis enim obligatio neceſſariò reſultat ex ipſo contractu valido; ſed intentio non implendi iuramentum, non eſt de eſſentia illius, nec repugnat ſubſtantiæ ipſius; ergo data intentione iurandi, & ſe obligandi, manet iuramentum validum & firmum; ergo neceſſariò erit obligatorium. Sic validum eſt matrimonium & obligans ad reddendum debitum, etiamſi ſit contractum ſine intentione reddendi debitum, vt latè probat Sanchez *lib. 2. de matrimonio diſput. 29. num. 11.* Quia redditio debiti non eſt de ſubſtantia matrimonij. Et confirmatur, quia prius eſt obligari quàm exequi obligationem; executio enim naſcitur ex obligatione: ergo animus, & intentio non exequendi, non tollit intentionem ſe obligandi; nam ſublato poſteriori, non tollitur quod prius eſt. Quòd verò ſic iurans cum intentione iurandi, & ſe obligandi, & ſine intentione exequendi, ſeu implendi iuramentum, mortaliter peccet, & periurus ſit, patet, quia tali iuramento promiſſorio deeſt veritas de futuro: ergo falſum iurauit, ergo mortaliter peccauit, & periurus fuit. Ex dictis conſtat non eſſe probabilem opinionem Bonauent. *in 3. diſt. 39 art. 3. quæſt. 2.* vbi ait Eccleſiam non compellere ad iuramenta metu extorta, quia præſumitur præſtita fuiſſe ſine animo illa implendi ad periculum euadendum. Vbi videtur ſupponere animum non implendi ſufficere ad reddendum iuramentum inualidum, & non obligatorium. Nec etiam eſſe probabile id quod aſſerit Leſſius allegatus *n. 41.* vbi dicit non eſſe improbabilem hanc opinionem, quando iuramentum, vi, aut dolo extorquetur, quod tenet etiam expreſſè Almainus *in 3. diſt. 39. quæſt. vnica.* Sed hi authores vel intelligendi ſunt de intentione ſe obligandi, vel ſi ſolùm de intentione non implendi, & exequendi iuramentum, non ſunt audiendi.

Azor. Sanch. Suar. Leſſius. Sanchez. Leſſius. Almain.

7. Statuo quintò. Qui iurat iuramento promiſſorio, animo, & intentione iurandi & ſe obligandi, non tamen promittendi, ſimiliter peccat mortaliter, & periurus eſt ſi non habeat animum implendi, & illud poſtea impleat; & iuramentum eſt validum, & obligatorium. Ita docet Sanch. *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 10. num. 6. & cap. 9. num. item 6.* Suarez *de iuramento lib. 2. cap. 1. à num. 11. & cap. 7. num. 5.* Leſſius *lib. 2. de iuſtitia cap. 42. dub. 11. num. 53. verſu, Reſpondeo tale iuramentum.* Probatur, quia obligatio iuramenti ad implendam, & exequendam rem iuratam, non pendet ex obligatione, & intentione promiſſionis, cum ſtare poſſit promiſſionem eſſe irritam, & tamen iuramentum obligare, vt conſtat ex iuramento ſoluendi vſuras, iuxta caput, *Debitores, de iureiurando,* in quo caſu conſtat ex eo capite promiſſionem illam fuiſſe irritam, & tamen iuramentum fuiſſe validum. Conſtat etiam ex iuramento promiſſorio vi extorto à latrone, in quo promiſſio eſt irrita; nullum enim ius ex illa acquirit latro, & tamen iuramentum, quo confirmatur, eſt validum, & obligatorium, niſi ab Eccleſia relaxetur. Non pendet ergo obligatio iuramenti ex intentione promiſſionis; ergo defectus ſolius intentionis promittendi non tollit ſubſtantiam iuramenti, nec efficaciam obligationis illius. Confirmatur, quia obligatio iuramenti oritur ex iurante erga Deum, quia eſt actus religionis; ergo etſi non detur animus promittendi, adhuc ex vi, & religione iuramenti manebit iurans quoad Deum obligatus ad implendum, & exequendum tale iuramentum. Roboratur adhuc magis, quia iurans ſe alicui aliquid facturum, tenetur ei dare totam veritatis firmitatem, quam poteſt habere, aliàs temerè, & falſum iurabit, ſi alter non ſit certus, ac firmus de veritate futura; hæc autem firmitas conſiſtit in intentione iurandi, & in obligatione poſtea exequendi; ergo tenetur poſtea id exequi, vt verum faciat id, quod iurauit. Quare cum aliquis iurat, ſe aliquid facturum; non ſolùm iurat, ſe tunc habere propoſitum id faciendi, ſed ſimul iurat, ſe perſeueraturum in eo propoſito, donec illud impleat, & ad hoc Deum quaſi in fideiuſſorem adducit; ergo etiamſi non habeat intentionem promittendi, ſi habet intentionem iurandi & ſe obligandi, tenetur id poſtea exequi; quod verò peccet, & periurus ſit ex defectu intentionis promittendi patet, quia deeſt illi veritas de futuro, cum deſit animus exequendi, & faciendi id quod promittit, vt patet.

Sanch. Suarez. Leſſius.

8. Statuo ſextò. Qui iurat animo, & intentione iurandi, & promittendi, & ſe obligandi, non tamen ſe obligandi ſpeciali obligatione iuſtitiæ, aut fidelitatis, eo ipſo manet obligatus ad iuramentum ratione religionis. Ita docet Sanchez *dicto tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 10. num. 6.* & Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. cap. 7. num. 5. & duplici ſequenti.* Quamuis in nullis aliis authoribus id explicatum inuenerim. Probatur facilè rationibus numero præcedenti factis, ſi rectè applicentur. Et ratio præcipua eſt, quia intentio non ſe obligandi ſpecialiter ex iuſtitia, aut fidelitate, non eſt contraria ſubſtantiæ, & eſſentiæ iuramenti, nec tollit eam obligationem, quæ ex illo oritur erga Deum; ergo tenetur promiſſor iurans ex vi iuramenti, & religionis erga Deum, iuramentum implere. Deinde quia cùm habeat animum iurandi, & ſe obligandi, parum refert quòd non habeat animum ſe obligandi ſpeciali obligatione iuſtitiæ, aut fidelitatis: ſatis enim eſt iuramentum, vt ex eo obligatio reſultet religionis.

Sanch. Suarez.

9. Tota ergo difficultas eſt, an qui iurat animo iurandi, non tamen ſe obligandi ad tale iuramentum præcisè, & ex vi, ac religione iuramenti, ad illius obſeruationem obligetur. Qua de re partita eſt opinio. Prima & probabilior id negat conſtanter, & hæc videtur hodie communior. Eam docet expreſſè Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 10. num. 8.* Syluester *verbo, Iuramentum 4. quæſt. 7. 17. & 19.* Nauarr. *in ſumma Lat. cap. 1. num. 58.* vbi agit de Voto. Sed eadem eſt ratio de iuramento, *& in commentario capitis, Humanæ aures. quæſt. 3. num. 6. verſiculo, Suboritur tamen. 22. quæſt. 5.* Armilla *verbo, Iuramentum num. 14.* Ioannes Medina *tract. de confeſſione quæſt. de diſpenſat. ſuper reuelanda confeſſione in ſo-*

Sanch. Syluest. Nauar. Armil. Ioan. Med.

Palat. Philiarc. Seraph. Gutier. Azor. Lessius. Selua D.Anton. Rosel. Angel. Anton. Abbas. Alexand. de Neuo. Scotus. D.Bonau. Gabriel. Almain. Richard. Fortun. D.Thom.

lutione ad 7. Palatios *in* 4. *dist.* 29. *disp.* 1. *fol.* 665. *col.* 1. Philiarch *de officio sacerdotis tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 16. *versiculo*, *Sed dubium est.* Seraphinus *de priuileg. iuramenti priuileg.* 110. *num.* 16. Gutier. *de iuramento* 1. *part. cap.* 57. *num.* 20. Azor. *tom.* 1. *lib* 11. *cap.* 4. *num.* 2. & dicit esse communem, & valde probabilem Lessius *lib.* 2. *de iustitia cap.* 42. *dub.* 8. *num.* 37. & Selua *de iureiurando* 3. *part. quæst.* 1. *num.* 34. & 37. D. Antoninus 2. *part. titulo* 10. *cap.* 6. *versiculo*, *Quintus casus*, *in fine.* Rosella *verbo*, *Iurare. num.* 16. Angelus *verbo*, *Iuramentum* 5. *num* 8. & 10. & 37. Antonius *in cap. Si verò. num.* 5. *de iureiurando*, & ibi Abbas *in fine.* Alexander de Neuo *num.* 37. *fine* & *num.* 38. Scotus *in* 3. *dist.* 39. *quæst. vltima art.* 3. D. Bonauent. ibi *art.* 3. *quæst.* 1. *num* 46. & ibi Gabriel *quæst.* 1. *art.* 2. *conclusione* 5. Almainus ibi. *quæst. vnica.* Richardus ibi, *art.* 1. *quæst.* 1. & 2. Fortunius *de vltimo fine, illatione* 22. *num.* 477. & fauet D. Thom. *in* 3. *dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 3. vbi ait iuramentum ex ipsa iuramenti ratione non obligare nisi iuxta iurantis intentionem. Probatur primò, quia qui iurat cum animo iurandi, & non se obligandi, reuera non iurat, & licèt putet se iurare, fallitur omnino, & vulgariter tantùm id dici potest iuramentum, non verè; nam iuramentum de futuro si quod est, obligatorium est, vnde cum ipse expressam habeat intentionem non se obligandi si putat se iurare fallitur. Secundò, quia promissio, & votum factum animo vouendi, & promittendi, non tamen se obligandi, non obligat; ergo neque iuramentum eodem modo factum obligabit; quamuis enim ex promissione, & voto naturaliter, velit, nolit vouens, ac promittens oriatur obligatio, hoc tamen est supposito valore promissionis, & voti; ille autem, qui promittit, & vouet cum animo promittendi, & vouendi; sed cum animo expresso se non obligandi, reuera non vouet, nec promittit, nec validum votum, aut promissionem facit, quia apponit conditionem contrariam essentiæ ipsius voti, & promissionis. Vnde nihil vouet, nec promittit, & si putat se vouere, decipitur; per secundam enim intentionem non se obligandi destruit intentionem vouendi. Similiter ergo dicendum erit in iuramento promissorio, cum ferè in omnibus rebus sequatur naturam promissionis; sicut si princeps legem faceret nolens per eam populum obligare, specie quadam, & nomine tantùm lex esset, re tamen vera lex non esset; lex enim, si qua est, obligatoria est. Tertiò, quia si quis vendat equum suum animo vendendi, non tamen animo alienandi illum, nec tradendi emptori, nullam efficeret venditionem: ergo etiam in iuramento si quis iuret animo iurandi, & non se obligandi, nullum efficiet iuramentum. Probatur consequentia, quia quemadmodum licet essentia venditionis non consistat in traditione rei venditæ, sed in translatione dominij in emptorem; tamen quia alienatio ipsa & traditio talis, est proprietas ipsius venditionis, & tam intimè ex ipsa essentia venditionis emanat atque necessariò ea proprietate negata, tota essentia venditionis destruitur. Sic licet tota essentia iuramenti consistat in intentione iurandi, tamen quia obligatio ipsius iuramenti talis est proprietas, & tam intima essentiæ, & naturæ iuramenti alligata, ideo negata tali proprietate, necessariò destruitur tota essentia iuramenti; sicut in homine negata proprietate risibilitatis, destruitur essentia ipsius hominis; sic licet essentia matrimonij consistat tantùm in coniunctione maritali inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinente (sic enim definitur matrimonium in cap. *Illud de præsumpt. in fine.*) At non tantùm irritum & inualidum efficiet matrimonium ille, qui sine animo habendi hanc coniunctionem maritalem, & indiuiduam vitæ consuetudinem, contraheret, sed etiam ille, qui contraheret sine animo seruandi fidem coniugalem, & se obligandi ad prolem educandam, & ad reddendum debitum. Vt latè probat Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio*, *disp.* 29. *num.* 12. Quia hæ sunt proprietates necessariò comitantes essentiam matrimonij, qui illas matrimonio negant, illius essentiam necessariò destruunt, & qui ad illas se nolit obligare, necessariò etiam se non vult ad ipsum matrimonium obligare. Quartò, quia quando opus externum est morale, & pendens ex voluntate, & intentione hominis, ex illa variari, & tolli potest; sed votum, & iuramentum est opus morale, & totum pendens ex intentione hominis; ergo ex illa variari, & tolli potest: variatur autem, & tollitur animo quando tollitur, & impeditur illorum obligatio; tollitur autem, & impeditur quando quis iurat animo iurandi, & non se obligandi; nam cum obligatio sit proprietas moralis, ipsius iuramenti, per voluntatem potest impediri, sicut ex voluntate potest oriri. Secus est in proprietatibus rerum naturalium, vt cum posito igne, necessariò resultat calor, non enim potest homo calorem impedire, quia est proprietas rei naturalis, & nullo modo pendens à voluntate hominis.

Sanchez.

Caiet. Sot. Conar. Gutier. Lud. Lopez Henriq. Rodrig. Arag. Suarez. Valent. Lessius. Sayro. Tabien. Sa.

Secunda opinio affirmat. Eam tenet Caieta- 10.
nus 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 4. Sotus *lib.* 8. *de iustitia quæst.* 1. *art.* 7. *ad* 4. Conar. *de pactis* 1. *part.* §. 5. *num.* 2. Gutier. *de quæst. canonicis lib.* 2. *c.* 22. *num.* 31. Ludouicus Lopez 1. *part. instruct. cap.* 42. *versu*, *Secundum Sotum.* Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. *num.* 12. *in commento littera Z.* Rodriguez *tom.* 1. *summæ in* 2. *edit. cap.* 192. *n.* 4. & *tom.* 2. *cap.* 92. *num.* 7. Aragon. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *versiculo*, *Quarta conclusio.* & Suar. *tom.* 2. *de Religione lib.* 2. *de iuramento cap.* 7. *à num.* 11. *vsque ad finem.* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *puncto* 4. *columna penultima*, Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap* 42. *dub* 8. *num.* 38. Sayro *in claui regia lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 8. & dicit esse tutiorem Tabiena *verbo*, *Iurare. quæst.* 21. Sà *verbo*, *Iuramentum. n.* 4. Et fundamentum illius est, quia obligatio naturaliter oritur ex iuramento promissorio, & inseparabilis ab illo est, nec est in potestate iurantis illam impedire, si vult iurare; nam hæc obligatio ex intentione iurandi, & ex facto ipso externo, hoc est ex ipso iuramento externo resultat. Sicut ex damno externo, quod alicui dedisti, licet non habuisses intentionem te ad illud obligandi, naturaliter resultat obligatio restituendi illud ex iustitia: illa enim conditio nolendi se obligare non est contra substantiam iuramenti, sed contra illius effectum: in iuramento enim datur duplex veritas; altera de præsenti, quæ cernitur in eo quòd habeas intentionem iurandi; altera de futuro, quæ cernitur in eo, quòd habeas intentionem implendi, & exequendi rem sub iuramento promissam. Is autem qui iurat vera intentione iurandi, verè iurat, licet non habeat intentionem se obligandi, quia adducit Deum in testem non solùm veritatis de præsenti, sed etiam de futuro; ergo ex eo iuramento sic

facto

facto naturaliter oritur obligatio legis naturalis implendi illud, alioquin periurus erit: non potest ergo iurans per se supposita voluntate iurandi, per contrariam voluntatem impedire vim obligandi. Secundò, quia si habens intentionem non se obligandi non maneret obligatus, nullo modo esset mortalis periurij reus habens animum non implendi, hoc autem non est dicendum. ergo. Tertiò, quia substantia iuramenti non consistit in intentione, & voluntate se obligandi, sed in intentione, & voluntate iurandi; quare si quis vult iurare, necessariò vult se obligare.

11. Sed ad fundamenta istius secundæ opinionis sic respondeo Ad primum dico hæc omnia vera esse, quando iuramentum est validum; supposito enim valore iuramenti necessariò resultat obligatio illius, quam nequit homo per contrariam voluntatem nolendi se obligare, impedire. Sed nos neganimus in nostro casu dari verum iuramentum, imò dicimus nullum iuramentum dari, & addimus eum, qui vult iurare, & non vult se obligare, non habere intentionem iurandi, & de facto non iurare, & re vera falli, si putat se habere intentionem iurandi; quia illa secunda intentio, qua quis se non vult obligare, destruit illam primam intentionem qua vult iurare, sunt enim hæc contradictoria, *volo iurare, & nolo me obligare.* Nam iuramentum de futuro si quod est, obligatorium est, aliter est vmbra tantùm iuramenti, & solùm vulgo, & imperitè dici potest iuramentum, cum tamen, re vera, iuramentum non sit, & hanc responsionem si in mente habeas, omnia aduersariorum argumenta iugulabis.

12. Sed opponit Suarez allegatus. Intentio iurandi solùm sufficit ad valorem iuramenti, quia illa est voluntaria, & humana, & Dei inuocatio in testimonium veritatis; ergo est verum iuramentum, ergo obligatorium. Respondeo, intentionem iurandi cum expressa intentione non se obligandi, non sufficere ad valorem iuramenti, nec esse Dei inuocationem in testimonium veritatis, & in hoc falli iurantem, si putat verum esse iuramentum, & veram Dei inuocationem in testimonium assertionis præsentis; si quidem per secundam intentionem, non se obligandi, destruxit primam intentionem iurandi, iuramentum enim de futuro si quod est, obligatorium est.

13. Ad illud quod addebatur oriri ex facto ipso externo, ex eo, quòd scilicet, quis verba iurandi proferat, cum intentione iurandi, & non ex intentione se obligandi: Respondeo verum id esse quando iuramentum datur, hîc autem nullum omnino datur, sed fictitium; imò datur vmbra tantùm iuramenti, & cadauer illius, & non verum iuramentum. Ad confirmationem respondebis, obligationem restitutionis oriri ex facto externo; quamuis non habeas intentionem faciendi damnum, aut te ad illud obligandi, quia re vera damnum datur, quod necessariò est restituendum; hîc autem nulla datur obligatio iuramenti, quia re vera nullum iuramentum datur.

14. Quare ex dictis patet, priorem opinionem esse sine dubio probabiliorem, quando iurans expressam intentionem habet non se obligandi. Nam si iurans habeat intentionem iurandi, & non habeat formalem intentionem se non obligandi, sed de illa non cogitet, absque dubio fatendum est tale iuramentum obligare, quia eo ipso quòd non excluditur formalis intentio se obligandi, necessariò includitur in expressa intentione iurandi. Censetur enim tunc factum tale iuramentum iuxta suam naturam & vsum; & ita docet Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 4. versu, In hac controuersia*, & expressè Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 10. num. 9.* & Suarez *tom. 2. Religionis lib. 2. de iuramento cap. 7. num.* 8. Azor. Sanch. Suar.

Quid si iurans forte ignorabat iuramentum esse obligatorium? Existimat Suarez allegatus 15.
num. 18. eam ignorantiam non excusare, quia etsi illa ignorantia quando est inuincibilis, excuset in obligationibus immediatè, & directè pendentibus ex voluntate contrahentis, non tamen excusat in consequentibus naturaliter ex priori actu, velit, nolit agens; nam tunc si actus ex quo sequitur obligatio, fit voluntariè, sequitur, necessitate naturali, obligatio, non obstante ignorantia. At rectè loquitur Suarez, & consequenter ad suam opinionem. In nostra tamen opinione dicendum est talem ignorantiam excusare, & id docet expressè Sanchez loquens de iuramento *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 10 & lib. 4. cap. 1. num.* 25. loquens de voto (sed eadem est ratio de voto, & iuramento:) vbi expressè dicit votum non obligare quando vouens existimabat illud non esse obligatorium, aut hoc ignorabat, quia de tali obligatione nunquam cogitauit. Ratio est, quia reuera nullam oligationem per illa verba intendit sibi imponere, sed id solum voluit enunciare quod per ea verba significatur, credens ea non obligare, aut ignorans obligationem, quod intelligendum est, nisi ignorans voti obligationem & promissionis naturam, velit eo modo promittere, quo cæteri promittunt; quia tunc virtute, & implicitè se obligare vult, aut nisi ignorantia sit vincibilis; quod, scilicet, dubitans de obligatione, ea verba protulerit; cum ignorantia hæc non auferat omnino voluntarium; nam cum ea verba sic dubitans potulerit, voluit consequenter, & virtute quicquid obligationis ex illis consurgit. Sanch.

CAPVT X.

An iuramentum obliget in casu dubio, & an dubitans, an fecerit iuramentum, ad illud obligandus sit?

SVMMARIVM.

Quot modis possit dari casus dubius in iuramento. num. 1.

Qui dubitat an iuramentum, vel votum fecerit, & facta diligentia adhuc manet dubius, ad tale iuramentum, & votum non obligatur. num. 2. & 3.

Facta diligentia arbitrio prudentis necessaria si iam non omnino quis dubitat, sed magis inclinat se votum, & iuramentum promissorium fecisse, adhuc probabilius est, ad nihil, & ad nullam restitutionem teneri. num. 4.

Qui teneant contrarium opinionem asserentem eum qui dubitat an votum vel iuramentum fecerit, & facta diligentia adhuc dubitat, ad votum, & iuramentum teneri, & eorum fundamenta. num. 5.

Respondetur ad fundamenta illorum. num. 6.

Tenetur quis peccatum mortale quod commisit confiteri, si facta diligentia, dubitat, an illud iam confessus fuerit. num. 7.

Quid

Quid in excommunicatione sit dubium iuris, & facti; quis dubitat, an excommunicatio lata sit in iure, aut à superiore imposita, & facta diligentia, adhu dubitat; melior est opinio ad illam non teneri. *num.* 8.

In dubio facti si post factam diligentiam arbitrio prudentis necessariam, viri docti dubitant an per hoc factum incursa sit excommunicatio, nemo tenetur se gerere pro excommunicato. *num.* 9.

Tam in irregularitate, quam in excommunicatione, siue dubium sit iuris, siue facti, semper illicitum est ratione periculi, cui quis se exponit illam incurrendi ante factam diligentiam contra irregularitatem, aut excommunicationem dubiam operari. num. 10. *Præmissa autem diligentia si dubium est iuris, & adhuc dubitatur, an talis irregularitas lata sit in iure, non tenetur quis se habere pro irregulari.* *ibid.*

Si dubium sit facti, & post factam diligentiam adhuc quis manet dubius, speciale est irregularitas ex homicidio voluntario contracta, censendum esse quemquam in vtroque foro irregularem *num.* 11.

In omnibus alijs casibus extra homicidium voluntarium in quibus contrahitur irregularitas, nec in dubio iuris, nec in dubio facti post factam diligentiam arbitrio prudentis necessariam, censendus est quisquam irregularis in probabiliori opinione. *num.* 12. & 13.

Quid de irregularitate incursa ob mutilationem in dubio facti. *num.* 14.

An præbens causam abortus sit irregularis, cum dubium est an fœtus sit animatus. *num.* 15.

Quid si consulens homicidium post factam diligentiam manet dubius an alter sine suo consilio illud perpetrarit. *num.* 16. & 17.

Ex quibus coniecturis probari possit tale consilium nihil fuisse cooperatum. *num.* 18.

Quid de restitutione homicidij si dubium est, an aliquis propter tale consilium occiderit. *num.* 19.

1\. CAsvs dubius in iuramento, & idem de voto, multifariam potest contingere. Primò, si quis facta bona diligentia adhuc dubitat an iuramentum fecerit, aut magis inclinat quòd fecerit, quàm quòd non fecerit. Secundò, potest esse certus de animo, & intentione iurandi, & vouendi; dubius autem de intentione se obligandi. Tertiò, potest quis esse certus se iuramentum fecisse, sed per talia verba, quæ possunt habere sensum ambiguum, an contineant formam iuramenti, necne; & dubitat de intentione, & significatione, qua illam dixit, vt si dixit per fidem suam; & dubitat de qua fide intellexit. Quartò, potest quis esse certus, quòd verba iurandi protulerit, & dubitare, an iurare intenderit, vel simulatè. Quintò, potest esse certus de iuramento promissorio, & dubitare an illud impleuerit necne. Sextò, potest esse certus de iuramento, dubitare verò, an fuerit factum de re licita, aut illicita: & similiter potest esse certus de iuramento facto bona fide, & dubius esse, an possit sine peccato impleri; & denique potest esse certus de iuramento à se facto, & de intentione se per illud obligandi, dubitare verò de intentione implendi illud, imò, & certus etiam de intentione non implendi illud, & per hos omnes dubitandi modos discurremus.

2\. Satis primò. Si quis dubitat, an iuramentum fecerit, nec ne, & adhuc facta diligentia arbitrio prudentis necessaria, ita dubius est, vt probabile iudicium ferre non possit, quod iuramentum fecerit, non obligatur in conscientia ad tale iuramentum. Ita Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de iuramento cap.* 33. *num.* 2. & *tom.* 5. *de censuris in* 3. *part disp.* 40. *sect.* 5. *num* 15. & Sotus *lib.* 3. *de iustitia quæst.* 3 *art.* 2. *documento* 2 *post.* 4. *conclus.* Sanchez *lib.* 2. *de matrim disp.* 9 *num* 11. & *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 36. Rebellus *de iustitia* 2. *part. lib.* 1. *quæst.* 3. *sect.* 2. *num.* 10. & 11. Rodriguez *tom* 2. *summæ cap.* 99. *num.* 5. Medina *lib.* 1. *summa cap.* 14. §. 7. *fol.* 90. Graphis *lib.* 2. *decisionum cap.* 31. *fine.* Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 11. *num.* 5. & *lib* 8 *de Eucharistia cap.* 45. §. *Dubitans de voto.* Syluester *verbo, Iuramentum num.* 27. Glossa *capitis ex parte de censibus, proximè ante verbum, Ex parte.* Probatur, quia in dubio melior est conditio possidentis, non solùm in materia iustitiæ, sed etiam in quacumque alia materia, vt latè docet idem Sanchez *lib.* 2. *de matr. disp.* 41. *num* 32. Sed in hoc dubio voluntas possidet suam libertatem, cum de vinculo contracto dubitetur; ergo in hoc dubio pro libertate iurantis standum est. Secundò, quia vbi agitur de obligatione contrahenda, stricta interpretatio facienda est *cap.* 1. *De iureiurando in* 6 *l. Quicquid astring. ff. de verborum obligat.* & hac ratione ductus Abbas *in cap. cum clerici, in fine, de verborum significatione*, an iuramentum generaliter præstitum restringendum esse, quantum fieri possit, vt non obliget. Tertiò, quia iuramentum & votum est lex quædam quam quisque sibi imponit; sed si quis dubitat de lege superioris, & facta bona diligentia adhuc dubitat de illa, an detur nec ne, ad illam non tenetur. Ergo etiam non tenebitur ad iuramentum ille, qui factâ diligentiâ dubitat an illud emiserit; admodum enim durum esse videtur obligare aliquem ad id, de quo probabile iudicium ferre non potest an id fecerit, nec ne.

Suarez. Sot. Sanch. Rebell. Rodrig. Medin. Graffis. Henriq. Syluest. Glossa. Abbas

3\. Nec obstat requiri bonam fidem possidentis, vt in dubiis melior sit conditio possidentis; nam ante hoc dubium bona fide possidebatur libertas; nec dubium superueniens, quod facta diligentia tolli non potuit; tollit bonam fidem. Vt bene probat Couar. *Regula, possessor.* 2. *part.* §. 7. *num.* 7. Sarmiento 2. *selectar. cap.* 10. *num.* 5. cum aliis; & Sanchez *lib.* 1. *de matr. disp.* 9. *num.* 11. & alij, quos referunt.

Couar. Sarm. Sanch.

4\. Si autem factâ diligentiâ arbitrio prudentis necessaria, iam non omnino dubitet, sed magis in eam partem incliner, vt iuramentum, aut votum fecerit; existimat Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 34. obligari ipsum ad votum, & iuramentum promissorium, non in integrum, sed ad partem pro maiori ratione huius inclinationis, & propensionis; sicut in materia iustitiæ pro maiori dubio obligationis restitutionis restituendum est; sed quamuis hoc sit probabile; tamen verius, & probabilius existimat ipse Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *num* 9. & 36. prope medium, mutans suam sententiam, sic dubitantem, & magis inclinantem rem non esse suam, & se fecisse votum, aut iuramentum, ad nihilum teneri, & id ipsum docet Salas 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnica sect.* 25. *num.* 254. & Vasquez 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *disp.* 66. *cap.* 7. *num.* 41. & satis fauet Sotus *lib.* 7. *de iustitia quæst.* 3. *art.* 3. *columna* 3. *versiculo, Hic verò.* Vbi ait in dubio vsus rationis non sat esse quamcumque opinionem, vt quis voto teneatur, sed oportere, vt ratio conuincat, & sit res ita certa, vt tenuissima dubitandi ratio supersit. Ratio est, quia etsi pro altera parte maior sit propensio, & fortiores rationes vrgeant, tamen

Sanch. Sanch. Salas. Vasquez. Sotus.

men si nō sint adeo efficaces, vt illios partis assensum generent; sed adhuc intellectum ancipitem relinqoant, certa possassio propriæ libertatis in voto, & iotamenio, & certa etiam possessio rei in materia restitutionis huic inæqualitati rationum præponderat, & subinde iurantem, & rem possidentem omni prorsus obligatione liberat. Si tamen rationes in contrarium solum assensum opinantiuum generent dictantem illam rem esse alienam; & pro parte contraria nullus assensus supersit; sed sola formido inclosa in opinione, tenetur restituere, & tenetur ad votum, & iuramentum, quia tunc iam res non manet dubia, cum intellectus verè assentiat alteri parti, nullum pro altera assensum habens, & iam tunc vouens, & iurans, & rem illam possidens operatur contra opinionem propriam carens probabilitate opinionis contrariæ. Si autem assensum opinatiuum habeat, & adhuc puter probabiliter se non iurasse, aut vouisse etiam si probabilius putet iurasse & vouisse, noo tenetur ad iuramentum vel votum implendum, tum qoia possessio præponderat maiori probabilitati, tum quia integrum ei est sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori.
Vasq. Ita loquens de restitutione docet Vasquez 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 66. *cap.* 7. *num.* 42.
Salas. & Salas 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnica sect.* 23.
Sanch. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 9. loquens verò de voto & iuramento idem docet ipse Sanchez *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 36. & alij.

5. Azor. Vasq. Hæc nostra doctrina in hac prima conclusione statuta, est contra Azor *tom.* 1. *de inst. moral. lib.* 11. *cap.* 4. *quæst.* 3. & contra Vasquez 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 165. *cap.* 3. *fine. quæst.* 63 *disput.* 3.
Angelo Armil. Nauar. Cord. Ant. Perez. Sayr. Salas. & Angelum *verbo*, *Votum num.* 5. & Armillam *ibi num.* 18. & Naoarr. *lib.* 3. *consil. titul. de Voto, consilio* 4. *num.* 12. & 18. & Cordubam *in summa quæst.* 147. Antonium Perez *in certamine decimo scholastico, dub.* 2. *num.* 132. Sayrum *in claui regia lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 36. & Salas 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnica . sect.* 17. *num* 161. & *sect.* 25. *num.* 252. & 253. Cum hac tamen limitatione id docet Salas, quando in voti, aut iuramenti impletione non est magni incommoditas, aut difficultas. Et fundamenta illorum hæc sunt. Primò, quia illud pronuntiatum, *In dubijs melior est conditio possidentis*, solùm habet locum in materia de iustitia, vt si dubitem, sitne res, quam possideo, aliena nec ne; non verò in materia Religionis in qua sumus: in illa enim & in alijs materiis sequendum est illud pronuntiatum, *In dubys tutior pars est eligenda, ne periculum peccandi sequatur*. Sic si quis dubitat, sit ne excommunicatus, aut irregularis necne, & adhuc facta diligentia dubius manet, tenetur à sacris abstinere, modò scandalum non detur, & periculum manifestandi se ipsum; & si quis dobitat an peccatum, quod commisit, fuerit mortale, tenetur dubium confiteri, ne forte peccatum deror. Ista opinio probabilis quidem est, sed nostra est certior, & probabilior.

6. Et ad hæc fundamenta respondeo, verius esse in quacumque materia meliorem esse in dobio
Sanch. conditionem possidentis, vt docet Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 32. (Licet illod in materia iustitiæ solùm locum habere acerrimè defen-
Azor. dat Axor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 10.) Quia possessio est titulus vniuersalis omnibus virtutibus conueniens, & per omnes transcendens eo modo, quo aliqua pars potentialis iustitiæ, vt obedientia Dei transcendit omnes virtutes: in materia ergo de Religione, seo de iuramento, & voto, pronunriatum illud, *In dubys tutior pars eligenda est*, est de perfectione, non de obligatione; sufficit enim in dubiis eligere partem tutam. Vnde quando communiter illud proountiatum vsurpatur, *In dubys tutior pars est eligenda*, intelligendum est de perfectione, & oon de obligatione, aut respectu partia non tutæ, non verò respectu tutæ; & saltem in materia de iuramento, & voto, cum sint strictæ interpretationis, standum est pro libertate iurantis, atque vouentis; est enim hæc causa fauorabilior, siquidem ipsi sibi hanc obligationem imposuerunt, & alioquin à votis, & iuramentis promissoriis in fauorem pietatis factis homines retraherentur, & ita respondet Suarex, & Syluester *num.* 2. allegati. Sylueſt.

7. Ad exemplum de confessione peccati dubij, non est simile, licet teneatur qois illud confiteri, quando dobitat, an illud commiserit mortale, quia ibi non obligatur homo ad aliquid durum, quod excedat ipsam dubitationem, siquidem in tali dubio tenetur peccatum sob dubio tantùm confiteri. Ita respondet Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 2. *de iuramento cap.* 33. *num.* 2. Suarez.

8. Ad exemplum de excommunicatione. Respondeo, aot dubium esse iuris, aut facti. Iuris, vt quando facta diligentia dubitatur, an talis excommunicatio sit à iure, aut à superiore imposita nec ne; facti, vt quando non dubitatur de excommunicatione à iure, & superiore imposita, sed dubitatur an per tale factum iocursa sit, an non sit talis excommonicatio, & an tale factum sub illa censura, aut lege comprehendatur. Si dubium est de iure, melior opinio defendit dubitantem, an aliquo casu sit imposita censura; & facta morali diligentia, adhoc in dubio manentem, non teneri se gerere pro excommunicato, & à sacris abstinere, nec in publico nec in secreto. Ita Suarez *tom.* 5. *de censuris* Suarez.
in 3. *part. disp.* 40. *sect.* 5. *num.* 15. Sanchez *tom.* 1. Sanch.
Decalogi lib. 1. *cap.* 10. *num.* 32. *in medio*, Henriquez *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 45. *num.* 3. *in commento littera P.* Sà *verbo*, *Dubium*, *num.* 2. Henriq. Sà.
Quia nemo obligatur lege aliqua, nisi illi sit sufficienter proposita, & in præsenti casu, quando facta morali diligentia non constat, an detur lex censuræ, vel non detur, non est lex sufficienter proposita; ergo etsi in genere, aut speculatiuè maneat dubius, talis censuræ lege non obligatur; quia in hoc dubio tota possessio pro libertate manet, & melior est conditio possidentis suam libertatem. Quicquid dicat Vasquez 2. 2. Vasq.
quæst. 19. *art.* 6. *disp.* 65. *toto capitulo* 3. & *disp.* 66. *cap.* 1. *initio*, & Axor allegatus. Azor. Vbi censent sic dubitantem obligari lege, aut præceptu censoræ procedentes in suo fundamento, quod non probamus, nempe in dubio extra materiam iustitiæ tutiorem partem ex obligatione esse eligendam.

Si verò dobium sit facti, & post factam moralem diligentiam arbitrio prudentis hominis literati necessariam, dubium sit, an hoc factum comprehendatur sob illa censura, aor lege, nec ne. Similiter nemò tenetur se gerere pro excommunicato, aut à sacris abstinere. Quia tunc perinde est, ao dubitare an lex, & præceptum sit impositum de ea re. Ita Sanchex *tom.* 1. *Decalogi* Sanch.
lib. 1. *cap.* 10. *num.* 33. *fine*, & Salas 1. 2. *quæst.* 21. Salas.
tract. 8. *disput. vnica sect.* 25. *num.* 258. quem citat Sanchez modò allegatus, & Suarez *tom.* 5. *de censuris disp.* 40. *sect.* 5. Sanch. Suarez. Secus tamen est iuxta Sancium

cium allegatum *num.* 14. si quis certus est de le-
ge, & facto, dubitat tamen an à tali censuræ lege
sit exemptus, quia cum certa sit lex, & factum,
antiqua libertatis possessio illum iuuare non po-
test; nam possessio stat tunc pro lege, sicut si
dubitat, an lex sit abrogata, & facta diligentia
adhuc dubitat, ea lege obligatur, quia non est
in libertatis possessione; vt optimè probat idem
Sanch. Sanchez *dicto num.* 34. & dubitans an aliqua lex
excommunicationem, suspensionem vel irregu-
laritatem imponens, sit abrogata, tenetur ad
Sanch. illam, vt docet Sanchez citatus *dicto c.* 10. *num.* 35.
ex eodem fundamento, quia cum constet de lege
stat pro ea præsumptio, & possessio. Quamuis
Azor. Azor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 12. &
Salas. Salas *eadem disp. vnica sect.* 18. *num.* 169. asserunt
facta morali diligentia dubitantem adhuc an ali-
qua lex excommunicationem, suspensionem, ir-
regularitatemve imponens, sit vsu recepta, ad
illam non teneri; quia cum lex sit pœnalis, be-
nignior pars amplectenda est. Sed tamen hîc non
habet locum tale fundamentum, quia non dubi-
tatur de pœna vt benignior interpretatio am-
plexanda sit, sed dubitatur an lex sit abrogata,
& de tali abrogatione non constat, vnde non
apparet quo modo amplectenda sit pars beni-
gnior interpretationis legis, qui est sensus illius
pronunnati.

10. Ad exemplum de irregularitate. Respondeo
siue dubium sit iuris, siue facti, semper illicitum
esse operari contra eam irregularitatem dubiam,
non apposita sufficienti diligentia, ad assequen-
dam veritatem, & idem dicendum est de excom-
municatione, & id fatentur omnes, quia sic
operans manifesto exponitur periculo irregula-
ritatis incurrendæ, seu potius cum illa ordines
suscipiendi, siue in illis ministrãdi Et ratione simi-
lis dubij vniuersaliter in dubio præcepti est nefas
operari contra id præceptum ante adhibitam di-
ligentiam. Præmissa autem ea diligentia, si du-
bium est iuris, & adhuc præmissa diligentia, non
constat irregularitatem statutam esse in iure, non
tenetur quis se habere pro irregulari, & à sacris
abstinere, nec in publico, nec in secreto. Ita
Sanch. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi cap.* 10. *num* 42. & Sua-
Suarez. rez *tom.* 5. *de censuris disp.* 40 *sect.* 5. *num.* 18. *&* 19.
Couar. *& sect.* 6. *à num.* 1. Couarr. *in clementina si furio-
sus* 1. *part. initio num* 3. *de homicidio*, & alij quos
citant. Et ratio generalis huius rei est, quia cum
tunc simus certi eam irregularitatem non esse
expressam in iure, & ius esse dubium, habemus
sufficiens principium ad credendum in vtroque
foro hunc non esse irregularem, quia irregula-
ritas nunquam incurritur, nisi sit expressa in iure,
vt patet *ex cap. Is qui de sent. excommunicat. in* 6.
& quia si in foro externo non constet de hoc
iure imponente irregularitatem, nullus prudens
iudex aliquem de illa damnabit, in interno autem
non est damnandus tanquam irregularis, cum
mitiùs agatur in conscientiæ foro, cum sit forus
animæ, & misericordiæ, quàm in foro externo,
qui ad solam delicti punitionem ordinatur, &
quia lex non obligat ante sufficientem promul-
gationem, ius autem dubium non est sufficienter
promulgatum.

11. Si dubium sit facti, speciale est irregularitati
ex homicidio voluntario in dubio facti censen-
dum esse quemquam irregularem in vtroque
Sanch. foro, vt latè probat Sanchez *dicto tom.* 1. *Deca-
logi cap.* 10. *num.* 32. *versu, Probatur autem à poste-
Sayro. riori.* Sayro *de censuris tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 16.
& in claui regia lib. 1. *cap.* 13. *num.* 23. Suarez Suarez.
tom. 5. *de censuris in* 3. *part. disp.* 40. *sect.* 1. *num.* 18.
& 19. Salas 1. 2. *disp.* 21. *tract.* 8 *disp. vnica sect.* 19. Salas.
à num. 170. Azor. *tom.* 1. *instit. moralium lib.* 2. Azor.
cap. 19. *quæst.* 10. *fine*, & omnes quos citauimus
num. 14. Primò, quia ita expressè dicitur *in cap.
Ad audientiam*, & *in cap. Significasti* 2. & *in
cap. penultimo de homicidio.* Nam caput, *Ad au-
dientiam*, expressè loquitur de foro externo ibi:
Ad audientiam Apostolatus nostri peruenit, & pau-
lo infrà loquitur idem textus in foro interno ibi,
*poteris concedere, vt minoribus ordinibus sit con-
tentus*, vbi glossa finalis dicit id posse concedi
dispensando: si ergo dispensatione eget, est in
vtroque foro irregularis; & ratio est quia in foro
externo hic condemnabitur tanquam irregularis
iuxta horum textuum decisionem & non ex fal-
sa præsumptione, cum constet homicidium esse
dubium; ergo similiter, & eodem modo est dam-
nandus in foro conscientiæ, cum in vtroque id
iudicandum sit, quando forus externus nini-
tur soli præsumptioni, vt latè probat Sanchez
num. 11.

Dixi, *esse speciale irregularitati ex homicidio* 12.
contracta, quia in omnibus aliis casibus in quibus
contrahitur irregularitas extra homicidium, nec
in dubio iuris, nec in dubio facti censendus est
aliquis irregularis; iuxta expressam opinionem
Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 48. Sanch.
& Suarez *tom.* 5. *de censuris in* 3 *part. disput.* 40. Suar.
sect. 6. *num* 8. *& sequentibus*, & Salas 1. 2 *quæst.* 21. Salas.
tract. 8. *disp. vnica sect.* 18. *num.* 168. *initio.* Qui
tamen hoc limitat, & ait id verum esse, quoties
huic esset valde incommodum se gerere pro ir-
regulari. Sed hæc limitatio non est necessaria, eo
quod nullo iure probetur, & quia id fere sem-
per contingit in irregularitate, & fundamentum
est, quod omnia iura clament in delicto dubio
fauendum esse reo, & illum esse absoluendum;
vt patet ex regula *fauorabiliores* 168. *ff. de regulis
iuris*; & regula, *Cum sunt, eodem titulo in* 6. ibi,
*Cum sunt iura partium obscura, reo fauendum est
potius quàm actori.* Vbi glossa verbo, *Cum sunt*,
asserit actore non probante delictum, reum esse
absoluendum. Et ratio illius est, quia quoties fa-
ctum manet dubium, delictum manet improba-
tum; non probato autem delicto necessariò ab-
soluendus est reus, licet altera pars æquè sit du-
bia. Cum igitur hæc sit regula iuris, & rationi
valde consentanea, non est ab illa recedendum
absque textu expresso qualis datur in solo irre-
gularitatis homicidij dubio, qui non est exten-
dendus ad alias irregularitates contra aliam iuris
regulam; & hæc opinio Sanchez est valde pro- Sanchez.
babilis, & pro illa possumus etiam citare Nauar- Nauar.
rum *in cap. Si quis autem num.* 11. *de pœnitentijs,
dist.* 7. vbi ait in dubio tutiorem partem esse am-
plectendam in solis casibus iure expressis; &
Henriquez *lib.* 14. *de irregularitate cap* 16. *num.* 5. Henriq.
in commento littera D. dum asserit illum qui de-
dit consilium ad homicidium, ex quo secutum
fuit homicidium, & facta diligentia dubitat, an
homicida idem omnino homicidium esset com-
missurus, non esse censendum in hoc dubio facti
irregularem, quia non est dubium facti homicidij,
sed cooperationis ad homicidium, & in tali du-
bio melior est conditio possidentis suam immu-
nitatem ab irregularitate; hoc fundamentum
Henriquez non est firmum, quia potius in tali
dubio præsumitur consilij cooperatio, vt infrà
patebit, *num.* 16. *&* 17.

Alij

13. Alij Doctores in alia opinione volunt, hoc procedere in omnibus alijs delictis, ex quibus contrahitur irregularitas, & regulam esse generalem quòd non solum in homicidio; sed etiam in omnibus alijs delictis, quibus pœna irregularitatis imponitur, in dubio facti censendus sit quis irregularis. Quam opinionem tenet Abbas *in cap. Ad audientiam n.2. de homicidio.* Socin. senior ibi *num.* 18. Rosella *verbo, dubium, num. vnico.* Angelus *verbo, dubium, num.* 1. & ibi Syluester *quæst.4. num.7.* Tabiena *quæst.2. num.3.* Vasquez *1.2. quæst.19. art.6. disp.65. cap.3. num.9. & 13. & disp.66. toto cap.1.* Azor *tom.1 inst. moral. lib.2. cap.19. quæst.10. in fine.* Couar. *in Clementina, si furiosus 1. part. initio num. 3. de homicidio.* Sayro *de censuris tom.1. lib.6. cap.2. num.16. & in claui regia lib.1. cap.13. num.23. & 24.* Ludou. Lopez *2 part. instr. vbi de irregularitate cap.22. col.2. & 3.* Flores de Mena *in suis varijs quæstionibus lib.1. quæst.9. num.18.* Rebellus *tract. de iustitia part.2. lib.1. quæst.13. sect.2. n.15.* Vbi id expressè tenet de irregularitate illegitimitatis; ait enim omnes expositos censendos esse irregulares, quia cum constet illegitimos esse irregulares, & solùm dubitetur an sint illegitimi, est dubium facti, & hanc opinionem probabilem dicit Suarez *tom.5. de censuris in 3. part. disp.40. sect.6. num.13. ad finem.* Ego etiam hanc credo probabilissimam. Et ratio est. Primò, quia etsi *in capite, Ad audientiam; & in cap. Significasti 2. & in cap. penultimo de homicidio.* sermo sit de dubio facti in solo homicidio; tamen omnia hæc iura innituntur, vt in illis dicitur. & præcipuè *in cap. Ad audientiam.* hoc principio naturali, *in dubijs tutior pars est sequenda, & eligenda.* Quare cum ratio generaliter procedat in omnibus irregularitatibus, similiter decisio illorum capitum in illis etiam procedit. Secundò, quia lex etiam pœnalis lata in animarum fauorem ad vitandum peccati periculum non censetur odiosa, sed fauorabilis, & ideo non est restringenda; sed amplianda ad similes casus vbi militat eadem ratio, vt latè probat Sanchez *lib.1. de matr. disp.39. num.5.* licet ad hæc fundamenta persistendo in sua sententia respondeat idem Sanchez *dicto tom.1. Decalogi lib.1. cap.10. num.48. versic. Tandem.* Summum Pontif. non inniti ei pronuntiato, *in dubio tutior pars est eligenda,* tanquam necessario in omnibus materiis, sed tanquam optimo consilio. & ideo ei innixus decreuit hoc in materia homicidij propter specialem indecentiam, quam habet ad sacros ordines, & ideo non concludi, idem esse in alijs irregularitatibus dicendum. Ad secundum responder, verius esse pœnas non debere extendi ad similes casus, quia lex quoad pœnam non pendet à ratione solùm quantumcunque sit sancita in fauorem animarum, sed à voluntate sancientis & statuentis; & id probat egregiè *lib.10. de matrim. disp.4. num.3.* quare huic opinioni Sancij adhæreo.

Abbas. Socin. Rosell. Angel. Syluest. Tabien. Vasquez. Azor. Couar. Sayro. Lud. Lopez. Flores. Rebell. Suar. Sanch.

14. Imò tam speciale est hoc soli dubio facti homicidij, vt existimet Sanchez *dict. tom.1. Decalogi lib.1. cap.10. num.49.* adhuc in sua opinione persistens non incurri irregularitatem propter dubium facti in mutilatione; quia mutilatio non est propriè homicidium; sed secundùm quid. Vnde cum iura soli dubio facti homicidij hanc irregularitatem decreuerint, non est hæc pœna adeo rigida extendenda ad dubium facti mutilationis. Alij tamen communiter asserunt in materia irregularitatis homicidium ac mutilationem in omnibus æquiparari; quia in iure mutilator dicitur homicida, & mutilatio mors, vt patet *ex cap. Si quis absciderit dist. 55.* Est enim mutilatio quædam partialis occisio, nempe membri mutilati, & ideo similiter dicunt contrahi irregularitatem propter dubium facti in mutilatione, & ita docet Glossa *in Clementina. Si furiosus, verbo, Mutilet, de homicidio,* & ibi Couar. *2. part. §. vnico, num.2.* Rosella *verbo, homicidium 4. num.1.* Angelus *verbo, homicidium 5. num.3.* Syluester *verbo, homicidium 3. quæst.4. dict.1.* Tabiena *verbo, irregularitas 1. num.5.* Armilla *verbo, irregularitas num. 41.* Nauarrus *in summa. cap.27. num.206. in fine.* Henriquez *lib.14. de irregularitate cap.3. num.4. & cap.15. num.1.* & colligitur *ex Clementina, si furiosus.* Nam cum ibi decidatur occidentem gratia vitandæ propriæ mortis non esse irregularem, ideo docent communiter Doctores idem esse de occidente gratia vitandæ propriæ mutilationis, quòd hæc mutilatio censetur in iure mors.

Sanch. Glossa. Cou. Rosel. Angel. Syluest. Tabien. Armilla. Nauar. Henriq.

15. Ex dictis deducitur præbentem abortui causam, irregularem esse, cum dubium est an fœtus sit animatus; quia hoc dubium, est de facto, & est homicidij. Ita docent communiter Doctores; quos citaui *num.10.* & speciatim Ioannes Andreas *cap. sicut 2. num.3. de homicidio;* & ibi Abbas *n.7.* Socinus senior *in capite, Ad audientiam de homicidio quæst.36. num.217.* Cardinalis *in fine,* Ancharranus *fine.* Syluester *verbo, aborsus, fine.* Nauarrus *in vtraque summa Latina & Hispana capite 27. num.223.* Ledesma *tract. de irregularitate folio 365. columna 1.* & Sanchez *tom.1. Decalogi lib.1. cap.10. num.43.* Philiarcus *de officio sacerdotis tom.6. part.1. lib.4. cap.11. notabili 1.* Rodriguez *tom.1. summa in 2. edit. cap.155. num.4.* Hæc autem pœna irregularitatis, quam incurrit ille, qui causam abortui præbet in dubio, an fœtus sit animatus, intelligenda est solùm de priuatione quoad suscipiendos ordines, & in illis iam susceptis ministrandi; has enim priuationes intrinsecè includit irregularitas, secus verò quoad alias pœnas quæ à iudice imponi solent pro contracta irregularitate; qualis est priuatio beneficiorum, & aliæ similes: & ratio est quia pœna ordinaria statuta delicto certo, non est imponenda delicto dubio; sed extraordinaria arbitrio iudicis pro dubij qualitate. Et ita docet Sanchez *tom.1. Decalogi lib.1. cap.10. num.45.* Vasquez *1.2. quæst.16. art.6. disp.66. cap.1. num.5.* Suarez *tom.5. de censuris disp.40. sect.6. num 6. initio & num.6. ad finem.* Sayro *in claui Regia lib.1. cap.13. num.24.* Salas *1.2. quæst.21. tract.8. disp. vnica sect.19. num.176.* Syluester *verbo homicidium 3. quæst.1.* Maiol. *de irregularitate lib.1. cap.2. n.3. regula 7. & lib.5. cap.51. num.10.* Rodrig. *tom.1. summæ in 2. edit. cap.157. num 3.* & alij communiter.

Ioan. Andr. Abbas. Socin. Cardin. Anchar. Nauar. Ledesm. Sanch. Philiarc. Rodrig. Sanch. Vasq. Suar. Sayr. Salas. Syluest. Maiol. Rodrig.

16. Sed speciale dubium est, an consulens homicidium, quando facta sufficienti diligentia ad inuestigandam veritatem, manet dubius, an secluso suo consilio esset alter eodem prorsus animo homicidium commissurus, ac proinde in dubio an consilium suum aliquid fuerit operatum; censendus sit irregularis. Hoc dubium cum sit dubium facti, solum enim dubitatur, an datum consilium concurrerit ad homicidium, videtur prima facie regulandum esse per ea, quæ diximus *num.11. & num.12.* ac proinde qui secutus fuerit opinionem Sancij. *num.12. & 13.* explicatam, asserentis id tantùm speciale esse irregularitati ex homicidio

contractæ, quod in dubio facti censendus quisque sit irregularis, cum hæc irregularitas non sit homicidij, sed cooperationis ad homicidium, consequenter videtur quod debet dicere hunc consulentem in hoc dubio facti non esse censendum irregularem. Qui verò secutus fuerit opinionem aliorum *num.* 11. expositam, asserentium non solùm in irregularitate contracta ex homicidio, sed etiam in omnibus aliis delictis, ex quibus contrahitur irregularitas, in dubio facti censendum esse quemlibet irregularem, necessariò, & consequenter debet tenere hunc esse irregularem, & præter eos qui in genere docent in dubio facti quemlibet esse censendum irregularem in speciali explicando tactum dubium, huiusmodi consulentem in hoc dubio facti irregularem censendum esse pro vtroque quoad susceptionem ordinum, & administrationem in illis iam susceptis. Docent Couar. *in Clementina si furiosus* 2. *part.* § 2. *num.* 1. *versiculo, In eo verò dubio,* & Sayro *de censuris tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 2. Fundamentum illorum est, quia irregularitas consurgit ex iure humano illam imponenti, ius autem humanum illam imposuit homicidio, quando est dubium facti, vt probauimus *num.* 10. hoc autem est dubium facti, & est materia homicidij igitur, &c. Secundò, quia in hoc dubio non potest stare possessio immunitatis ab incursione irregularitatis pro consulente, quia pro eo stat possessio, pro quo stat iuris præsumptio, vt est commune pronunciatum. Quod latè probat Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 13. & 44. In hoc autem dubio præsumitur quod eo consilio non dato, alter non esset perpetraturus tale homicidium, quia præsumitur cooperatio consilij; ergo est irregularis. Non manere verò nec censendum esse irregularem prædictum consulentem in hoc dubio facti poterat probari; quia textus in dubio facti irregularitatem statuentes loquuntur de sola irregularitate homicidij, & ad alias non extenditur hæc pœna; hic autem consulens non est homicida, sed est cooperator ad homicidium. Textus autem inducentes hanc irregularitatem cooperationis ad homicidium ob consilium, qui sunt caput, *Si quis viduam dist.* 50. Quod deductum est ex concilio Martini Papæ *cap.* 26. & caput 1. *de clericis pugn. in duello,* & caput, *sicut dignum* § *vltimo de homicidio.* loquuntur quidem de consilio reuera cooperanti ad homicidium, non verò quando est dubia cooperatio prædicti consilij. ergo in hoc dubio nemo censendus est irregularis. Et hanc opinionem tenet Henriquez *lib.* 14. *de irregularitate cap.* 16. *num.* 3. *in commento, litera D.*

Couar.
Saya.
Sanch.

17. Nihilominus re bene considerata resoluit Sanchez *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 44. *paulo ante finem, versu, Quod attinet ad irregularitatem:* in dubio an alter occiderit; consulentem hunc, non esse irregularem. Si constet autem de homicidio, & dubium sit facta diligentia, an consilium datum, fuerit aliquid cooperatum, & quòd alter nihilominus sine tali consilio homicidium esset facturus, asserit irregularem esse, quia in priori casu nulla est præsumptio, nulla possessio legis contra consulentem; sed factum manet omnino dubium, ac proinde non erit irregularis; quia sola irregularitas homicidij incurritur in dubio facti, vt diximus *num.* 10. & 11. & non extenditur; hæc autem non est irregularitas homicidij, sed cooperationis ad homicidium. In posteriori autem casu, cum stet præsumptio, & possessio contra consulentem, dum consulens non probat oppositum, censetur suum consilium reuera fuisse cooperatum, & aliquid influxisse in tale homicidium, ac iuxta hanc præsumptionem damnabitur huiusmodi consulens tanquam irregularis in foro externo; & subinde idem quoque in foro interno dicendum est. Nec obstat dicere pro huiusmodi consulente stare possessionem suæ immunitatis ab incursu irregularitatis; dum enim non probatur cooperans, censendus est non cooperans. Nam vt diximus *num.* 15. *in medio,* pro eo stat possessio prædictæ immunitatis, pro quo stat iuris præsumptio, ius autem præsumit in eo casu consilium fuisse cooperatum, & influxisse in tale homicidium, dum contrarium non probatur à consulente, vt docent Couar. *in Clementina si furiosus* 2. *part.* § 2. *num.* 1. & Sayro *de censuris tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 2. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 44. & *lib.* 2. *de matrim. disput.* 41. *num.* 17. vbi per multos id latè probat, & Mascard *de probat. tom.* 1. *conclusione* 419. *n.* 9. & alij communiter; & sic manifestè constat censendum illum esse irregularem in vtroque foro dum contrarium non probatur.

Couar.
Sayr.
Sanch.
Mascard.

18. Ex coniecturis autem potest probari tale consilium nihil influxisse, aut fuisse cooperatum, vt si homicida erat inimicus capitalis occisi ante tale consilium, vel necem ei minatus fuerat, vel præpararat omnia ad homicidium necessaria, vt cum Dec. & Felino probat Sanch *lib.* 2 *de matr. disp.* 41. *num.* 17. & docet Beroius *consilio* 175. *num.* 26 *volum.* 3. Asserunt etiam Henriquez *lib* 14. *de irregularitate cap.* 16. *num.* 3. & Sayro *de censuris tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 2. sufficere si homicida huic consulenti asserat se nec ad actus subitaneum nec ad accelerationem motum fuisse suo consilio. Quod non probet Sanchez *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 44 *in fine,* nisi homicida sit ita fide dignus, aut tales aliæ coniecturæ concurrant, vt vir prudens arbitretur illi fidem esse habendam.

Sanch.
Beroius.
Henriq.
Sayr.
Sanchez.

19. Et idem dicendum est de restitutione pro homicidio. Nam si dubium est, an illi, cui datum consilium est, occiderit, non tenetur ad restitutionem aliquam; quia in dubio melior est conditio possidentis. Cum enim homicidium sit quid facti, non præsumitur fuisse factum; in dubio an factum detur, vel non detur. Si verò de homicidio constet, & facta morali, & solicitâ diligentiâ dubium est, an consilium cooperatum sit ad homicidium, & aliquid in illud influxerit, tenetur consulens restituere omnia damna data in homicidio, non restituente homicida. Quia in hoc dubio damni dati, non stat possessio pro ipso consulente; sed contra illum, vt probatum manet *num.* 16. Quare optimè ait Carbon. *tract. de restitutione q.* 66. *versu, Quartum dictum,* vt consulens à restitutionis obligatione immunis sit, necesse est, vt ipsi constet suum consilium nihil fuisse cooperatum, & ita loquendo de restitutione docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 44. *in medio, versiculo, Sed mea sententia in hac difficili quæstione.*

Carbon.
Sanch.

SVMMARIVM.

Quid si quis certus est de animo & intentione iurandi: facta autem diligentia dubitat de intentione se obligandi. *num.* 20.

Si quis certus est; quod verba iurandi, & vouendi protulerit, dubitat tamen an voluerit iurare, vel vouere,

venere, iuramentum, & votum obligant. *n.21.*

Quid dicendum sit, quando iuramentum factum sit metu graui. *num.22. 23. & 24.*

Quid si quis certus est quod rem aliquam promiserit, sed per talia verba de quibus dubitari potest, an contineant formam iuramenti, & facta diligentia dubitat de intentione, & significatione, qua illa dicere voluit. *num.25.*

Quid si quis certus est de intentione, & voto, & de intentione obligandi, facta tamen diligentia dubitat an habuerit intentionem implendi. *num.26.*

Quid si quis certus est de intentione vouendi, & iurandi, & implendi, dubitat tamen, an de facto id impleuerit. *num.27.*

Quid si quis vouit, vel iurauit cum intentione iurandi, & se obligandi, sed cum expressa intentione non implendi tale votum, vel iuramentum. *num.28. & 29.*

Quid si quis facta diligentia post factum votum, & iuramentum, dubitet an sine peccato impleri non possint. *num.30.*

Ad quid obliget promissio iurata de facto alieno, quod ex voluntate alterius pendet. *num.31.*

An quando quis facta diligentia dubitat iuramentum, & votum, non posse impleri, sine peccato possit propria authoritate ea non seruare an indigeat aliqua dispensatione. *num.32.*

20. STatuo secundò. Si quis certus est de animo, & intentione iurandi, & vouendi, dubius tamen est de intentione se obligandi, & adhuc facta bona diligentia, dubitat de tali intentione, tenetur ad votum & iuramentum. Et ratio est, quia etsi *cap.9. num.9.* diximus eum, qui iurat, aut vouet, animo iurandi, & vouendi, non tamen se obligandi, non teneri ad votum, & iuramentum, tamen quando certus est se voluisse iuramentum, & votum emittere, & dubitat, an se voluerit obligare, necessariò obligandus est ad tale votum, aut iuramentum. Quia obligatio moralis prædicti voti, & iuramenti, moraliter resultat ex voto, & iuramento, hoc est, ex intentione vouendi, & iurandi, nisi aliunde per expressam voluntatem volendi se obligare ad tale votum, aut iuramentum impediatur. Vt satis probauimus *dicto cap.9. num.9.* hic autem non impeditur talis obligatio per talem voluntatem expressam. Quia de illa, facta bona diligentia, dubitatur; quare necessariò dabitur moralis obligatio, nisi tamen quis aliàs solitus sit iurare, & vouere sine animo se obligandi ad tale iuramentum; quia tunc censendus est, noluisse se obligare. Ita docent omnes authores, quos citauimus *cap.9. praecedenti num.*10. qui dicunt, eum qui iurauit, vel vouit cum intentione iurandi, vel vouendi, & sine intentione se obligandi, eo ipso manere obligatum ad tale votum, & iuramentum. Sunt enim multi, & graues, & specialiter ita docet expresse Sanchez *tom.1. Decalogi lib.4. cap.1. num.36. & lib. 1. de matr.* per multos *disput.9. num.13.* & docere videtur Suarez *tom.2. de Religione lib.4. de obligatione voti cap.8. num.6. in fine*, quatenus asserit, cum quis absolutè promisit castitatem, & dubitat de intentione vouendi, standum esse verbis, & obligandum ad seruandam castitatem integram, nisi coniecturas habeat, quæ sufficiant ad ferendum probabile iudicium, quòd intentio non fuerit adæquata verbis; & idem iuxta Sanchez *dicto tom.1. Decalogi lib.4. cap.1. num.36. & lib.3. cap.10. n.10.* Dicendum etiam est quando quis certus est, se fecisse votum, & iuramentum, dubitat tamen, omnibus perpensis, an sciret inde obligationem consurgere, quia eo ipso quòd certus est de voto, & iuramento, debet esse certus de obligatione, cum hæc moraliter resoluet ex illa, & non pendeat à scientia vouentis, & cum Sancio consentit Suarez *tom.2. de Religione lib.2. cap.7. n.18.* vbi dicit eam ignorantiam non excusare, quia etsi ignorantia inuincibilis excuset ab obligationibus pendentibus immediatè, & directè à voluntate contrahentis, non tamen excusat à consequentibus naturaliter, aut moraliter à priori actu; quia tunc velit, nolit, agens ea obligatio moraliter, aut naturaliter resultat ex ipso actu, quando illam per contrarium actum non impediuit.

Sanch. Suarez. Sanch. Suarez.

Statuo tertiò. Si quis certus est, quòd verba iurandi, vel vouendi protulerit, dubitat tamen de intentione, qua illa protulerit, & an voluerit iurare, vel vouere, vel simulare, iuramentum tenet & obligat. Ita tenet expresse Suarez *tom.2. de Religione lib. 2. de Voto cap. 33. num.4.* vbi citat Syluest. *verbo, Iuramentum 4. quæst.7.* & Syluester pro hac parte citat Archidiaconum, & Rosellam. Et ratio, ac fundamentum Suarez est. Primò, quia tunc est fauendum iuranti, & vouenti in casu dubio, quando ipse in bona fide est, & bona fide procedit. Nam si non possumus dubium in fauorem illius interpretari, nisi dolum, & fraudem illi attribuendo, nullo modo admittenda est talis interpretatio; in hoc autem casu non possumus admittere interpretationem in fauorem iurantis, aut vouentis, nisi admittamus eum dolo, & fraude vsum fuisse in vouendo, & iurando; ergo intentum. Secundò, quia constat iuramentum, aut votum saltem externum fuisse factum; ergo si non constat fictè, & cum fraude fuisse factum, præsumendum est verè, & animo se obligandi fuisse factum, tum quia non est præsumendum peccatum & fraus iurantis, vbi de illo non constat; tum quia hoc spectat ad reuerentiam Deo debitam. Nam in hoc casu fictio non fit sine graui culpa, & irreuerentia Dei, & ideo non potest præsumi in casu dubio quando non probatur, cum iuramentum, & votum sint de se signa talis intentionis, & ideo si contrarium non probetur, maius est ius, & possessio ipsius voti, vel iuramenti, vt pro illo præsumatur. 21. Suarez. Syluest.

Doctrina tradita in hac tertia conclusione procedit in iuramento, siue iuramentum factum fuerit metu graui, siue spontaneè, & siue metu, iuxta Suarez allegatum. Nam licèt Panormitanus *in cap. Si vero, de iureiurando, in fine*, & Angelus *verbo, Iuramentum 5. num.10.* eam limitent in solo iuramento metu facto, quia tunc aiunt, *in dubio præsumitur quis, non habuisse animum se obligandi*; & ad hoc allegent caput. *Super hoc, de electione*; vbi dicitur: *Iuramentum metu factum vix creditur fieri de voluntate propria*; & caput, *Verum, de iureiurando*, vbi in fine dicitur, *eos qui per vim, & metum iurarunt, non esse puniendos tanquam periuros, si iuramentum non seruent*, ibi, *sed si ea non attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi*, & Glossa ibi, *verbo, Non seruent*, rationem reddat, quia metus culpam attenuat si iuramentum non seruant, & pro hac parte potest etiam allegari textus *in cap. 1. quod metus causa*, vbi dicitur promittentem non obligari ad id quod metus causa promisit. 22. Suarez. Panorm. Angel.

23. Verùm Couarruuias *in 2. part. cap.3. §.5. n.3.* Couar.

Suarez. *in fine*, quem refert, ac sequitur Suarez allegatus *tom. 2. de Religione lib. 2. cap. 34. num. 6.* hanc sententiam, & limitationem Panormitani omnino reprobant, & asserunt in ea manifestissimè errasse Panormitanum. Et ratio Couarruuiæ, & Suarez est, quia licet negari non possit quòd ex metu aliqualis coniectura sumi possit ad iudicandum tale iuramentum non fuisse factum ex animo se obligandi, tamen ea sola coniectura per se insufficiens est ad tollendam obligationem ipsius iuramenti, si iurans certus est, quòd verba iurandi vsurparit, & dubitat, an se voluerit obligare, an simulare; & ideo quandiu iuranti non constiterit, se propter eum metum fictè, & simulatè iurasse, iudicandus est, verè iurasse, & verè se voluisse obligare; quia licet aliquis metu coactus fuerit iurare, non potuit sine peccato fictè iurare, & ideo non debemus illum excusare supponendo in illo graue peccatum, de quo non constat, & cum Suarez, & Couarruuia allegatis. Ita docet etiam Imola *in cap. Ad audientiam de iis, quæ vi, num. 5.* & Alexander *in cap. Si verò de iureiurando, num. 42.* Felinus ibi *num. 8.* Gutierrez *de iuramento 1. part. cap. 57. num. 10.* & alij. Estque vera sententia.

Imol. Alexand. Felin. Gutier.

24. Potest tamen sententia Panormitani verum habere, quando quis haberet dubium non de peccaminosa fictione, & simulatione; sed de prudenti amphibologia per ambiguitatem verborum, vel mentis conceptionem, quia tunc iam non dubitatur de peccato iurantis, quod non debet præsumi dari, sed solùm dubitatur de amphibologia vel sensu verborum, & in metu graui nemo præsumitur velle, nisi quando sine peccato non poterat non velle. Ita Suarez *d. tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 34. num. 6. fine.* Nec iura, quæ Panormitanus pro se allegat, aliquid probant, quia sensus illorum verborum capitis, *Super hoc*, de electione: *Iuramentum metu factum vix creditur fieri de voluntate propria*; non est intelligendus quasi velit dicere vix credi fieri cum vera intentione se obligandi, *sed vix credi fieri spontaneè & sine magna necessitate*, vt explicat Suarez modò citatus *num. 5.* Quod est longè diuersum; ex capite autem. *Verum, de iureiurando*, nullum argumentum sumi potest, quia ibi videtur supponi iuramentum metu, & vi extortum absolutè obligare, cum dicitur in talibus iuramentis necessariam esse absolutionem iuxta antiquam Romanorum Pontificum consuetudinem, ibi: *Nihil aliud arbitramur, quam quod antecessores nostri Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur, qui talibus ab huiusmodi iuramentis nexibus absoluerunt. Caterum, vt agatur consultius, & auferatur materia deierandi, non eis ita expressè dicatur, vt iuramenta non seruent; sed si ea non attenderint, non ob hoc tanquam pro mortali crimine puniendi:* quod tantundem valet ac si dicatur, absoluendi sunt in foro externo à tali iuramento, aut cum illis dispensandum, quia reuera obligat. Si tamen illud non seruauerint, non sunt puniendi in foro externo, quia pro foro externo nullam actionem habent coactores, & latrones aduersus eos, quibus vim & iniuriam intulerunt. Nec textus capitis primi, *quod metus causa fit*, aliquid probat, quia vt notat Syluester *verbo, Iuramentum 4 quæst. 7. ad finem*; huiusmodi textus loquitur de promissione simplici, & non loquitur, quando promissioni interuenit iuramentum. Quando enim promissio metu extorta simplex est, & illi non interuenit iuramentum, non obligat; quia est promissio facta homini, qui nullum ius acquirit ex ea cum iniustè, & per metum & vim illam extorserit, vt est constans omnium iurisperitorum, & Theologorum doctrina. At quando tali promissioni interuenit iuramentum, illóque confirmatur, tunc ea promissio ligat, si iurans per eam se intendebat obligare, ne Deum deficientem fideiussorem efficiat, quia affert illum in testem veritatis suæ promissionis.

Suarez. Suarez. Syluest.

Statuo quartò. Si quis certus est, quod aliquid se facturum, vel daturum promiserit, sed per talia verba, quæ possunt habere sensum ambiguum, & de quibus dubitari potest, an contineant formam iuramenti, & dubius est de intentione, & significatione, qua illa dicere voluit, vt si dixit, *per fidem suam*, & dubitat de qua fide intellexerit, humana ne, an diuina, non obligatur ad tale iuramentum. Ita docet expressè Suar. *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 33. n. 3.* Caietanus 2. 2. *quæst. 89. art. 7.* Couarruuias *in 4. 1. part. §. 2. num. 2. in fine*, Alciatus *in rubrica de iuramento num. 5.* Et ratio est, quia in dubiis mitior interpretatio est facienda, quando inducenda est tam grauis obligatio, quàm grauis est iuramenti. Confirmatur optimè ex capite penultimo, *de iureiurando*, vbi Summus Pontifex in dubio suprà de his verbis, *Promitte per fidem*, interpretatus est non oriri ex illis obligationem iuramenti de nouo præstiti, neque aliquam extendi ad præsentem materiam; cum tamen res videretur dubia; nam verba illa possent vtrumque sensum recipere, & tamen Papa in benigniori parte illa interpretatus est. Quoties ergo res dubia extiterit, & ex circunstantiis personæ, temporis, loci, & similibus, contrarium non præsumitur, in dubio sequenda est benignior interpretatio; neque tunc omittitur pars tutior, quia hæc est tutissima, & practicè certa, & secundùm rectam rationem dici potest tutior, quia in ea non iniiciuntur animabus tot vincula in casibus dubiis. ex quo nec paruum, nec infrequens animarum periculum oriri potest. 25.

Suarez. Caiet. Couar. Alciat.

Statuo quintò. Si quis certus est de iuramento, & voto, & de intentione se obligandi, & facta diligentia dubitat, an quando illa emisit, habuerit intentionem implendi, extra controuersiam est ad illa teneri. Ita Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 10. num. 5.* & Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 7. num. 21.* & omnes, quos citauimus *num. 28.* Ratio est, quia tunc non habet locum interpretatio fauorabilior, vt non obligetur. Liquidò enim constat voluisse iurare. Vbi autem debitum est certum, & solutio non probatur; tenetur soluere in vtroque foro. Secundò, quia in dubio melior est conditio possidentis, & in hoc dubio iuramentum habet possessionem suæ obligationis; quare necessariò implenda est talis obligatio. 26.

Sanch. Suar.

Statuo sextò. Si quis certus est de voto, & de intentione se obligandi, & implendi illud, dubitat tamen an de facto iam illud impleuerit, tenetur non obstante tali dubio illud implere. Est communis. Ita Rebellus *de iustit. part. 2. lib. 1. quæst. 3 sect. 2. num. 13.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 1. cap. 10. num. 36. fine, & num. 12.* & Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. cap. 33. num. 7.* Nauarr. *in cap. Si quis autem. num. 36. de pœnit. distinct. 7. versiculo 17.* Medina *cap. de orat. q. de horis iterandis*, & Ledesma 2. *part. 4. quæst. 16. artic. 6, in 1. part. dub. 3.* Ratio est, quia cum constet de obligatione, & dubitetur de impletione illius, & executio 27.

Rebel. Sanch. Suarez. Nauar. Medin. Ledesm.

executio obligationis sit quid facti, non præsumitur tale factum fuisse effectum, & talis obligatio impleta, donec ille, qui obligatus est, illam probet: quare dum eam non probat, sed dubius est, satis est præsumptio, & possessio pro obligatione certa. Vnde dubius an iuramentum, vel præceptum, vel votum impleuerit, tenetur illud implere. Vnde qui dubitaret, an aliquam horam canonicam omiserit, tenetur facere diligentiam, & ea facta, si sibi non constat, eam recitasse, tenetur eam recitare & præceptum implere; quia præceptum est in possessione suæ obligationis, & melior est conditio possidentis.

28. Statuo septimò. Qui iuramentum, vel votum emisit cum intentione iurandi, & vouendi, & se obligandi, sed cum expressa intentione non implendi; nihilominus ad iuramentum, & votum tenetur. Ita docet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 1. de essentia voti cap. 4. num. 2.* Gutier. *lib. 2. quæst. canonic. cap. 22. num. 30.* per multos, *& lib. 2. de iuramento cap. 7. num. 21.* & Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 10. num. 5.* vbi dicit, hanc opinionem sibi certissimam esse. Caiet. 2.2. *quæst. 88. art. 1. ad finem & quæst. 89. art. 7. circa solutionem ad 4.* vbi loquitur de iuramento. Et ratio à priori est, quia voluntas se obligandi, & voluntas non implendi non sunt contrariæ, quia non sunt de obiectis incompatibilibus, & simpliciter repugnantibus; sed possunt esse simul; ergo cum illo proposito non implendi stat efficax voluntas se obligandi. Secundò, quia per promissionem, & voluntatem se obligandi Deo, vel homini factam, acquirit promissarius ius ad rem, & per expletionem consequitur ius in re; ergo quamuis promittens nolit tradere promissario rem promissam per votum aut iuramentum, semper manet obligatus in conscientia ad illam tradendam. Tertiò, quia, qui suscepit ordinem sacrum, etiam si non habeat voluntatem seruandi castitatem, imò cum expressa voluntate non seruandi illam, votum emittit; nihilominus tenetur ex voto illam seruare. Idem ergo est de promissione facta alicui cum simili proposito, nihilo enim minus valida est. Idem etiam est de quocumque voto simplici. Quare si quis habens intentionem verè vouendi castitatem, aut iurandi illam, & se ad eam per votum aut iuramentum obligandi, etiam si habeat intentionem non implendi, & non faciendi quod promittit, illud votum, & iuramentum est validum, & obligans.

Suarez. Gutier. Sanch. Caiet.

29. Gregorius de Valentia 2.2. *disput. 6. quæst. 6. punct. 1. colum. 4.* expressè ait non obligare iuramentum, aut votum factum cum animo iurandi, & vouendi, & se obligandi, & sine animo implendi, exequendive illud. Fundamentum illius est, quia qui non habuit animum exequendi rem voto promissam, aut iuramento, potest probabiliter existimare, se non habuisse verum animum promittendi, aut se obligandi: raro enim contingit dari propositum se obligandi sine animo implendi, & simul cum animo, & proposito non exequendi, & ideo vbi de hoc animo, & proposito non exequendi constat, & animus promittendi est dubius, potest quis in hoc dubio conijcere defuisse quoque animum se obligandi. Et id ipsum videtur etiam tenere Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 1. num. 33.* & Valentia id vult tribuere D. Thom. 2.2. *quæst. 88. art. 1.* & videtur etiam id sentire D. Bonauentura. *in 3. dist. 39. art. 3. quæst. 2.* vbi ait Ecclesiam non obligare ad

Valent. Sanch. Valent. D. Thom. Bonau.

iuramenta metu extorta, quæ præsumuntur facta fuisse sine animo illa implendi, causa euadendi periculum; & Lessius *lib. 2. de iustitia cap. 42. dub. 8. num. 41.* ait hoc non esse improbabile, quando iuramentum iniquè extorquetur, & tenet expressè Almainus *in 3. dist. 39. quæst. vnica.* Verùm, vt optimè docet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 1. de essentia voti cap. 4. n. 3.* hoc in intelligibile est; neque D. Thomas hoc dicit, quia loquitur de eo, qui vouet sine animo vouendi, & promittit sine animo promittendi, & de hoc animo non promittendi seu non vouendi, aut non iurandi, & se non obligandi, intelligendus est etiam D. Bonauentura, & Almainus. Is enim qui promittit sine animo promittendi, aut se obligandi eum intendat fallere promittendo, non obligatur in conscientia ex vi, & religione voti, aut iuramenti, cum illud non fecerit; quia actus humani non obligant vltra intentionem, & voluntatem promittentis, at obligatur in eodem foro conscientiæ ratione scandali si detur, vt docet Azor *tom. 1. cap. 12. quæst. 8.* & alibi dicemus. Deinde hic constat illum habuisse animum iurandi, vouendi, & se obligandi; quare cum de hoc constat, ex defectu animi implendi, non potest colligi animus non promittendi, vt non rectè prædicti authores inferebant.

Lessius. Almain. Azor.

Statuo octauo. Fieri potest, vt iuramentum à principio fuerit factum dubitando, an esset de re licita nec ne, & fieri etiam potest, vt post emissum iuramentum, bona fide, oriatur dubium, an possit sine peccato impleri, & in hoc casu non est dubium tale iuramentum, aut votum non obligare, si postea facta diligentia inueniatur res illicita; quia iuramentum non est vinculum iniquitatis: si tamen factà bonà diligentià inueniatur tale iuramentum in aliquo sensu potuisse esse de re licita, in illo sensu factum fuisse credendum est, etiamsi de intentione iurantis non possit certò constare. Ratio est, quia hoc postulat reuerentia debita iuramento, ne in vanum, & de re illicita factum fuisse credatur; & ita procedit generalis regula ab omnibus tradita, *valere scilicet iuramentum, & votum, eodem modo, quo valere possunt*, quam iurisperiti sub his verbis communiter tradunt *si non vales quod age vt age, valeat vt valere potest*. Sic etiam iuramentum quod in vno sensu videri potest factum de re impossibili, & in alio de re possibili, censeri debet factum prout possibile est, quando commodè recipit talem interpretationem. Ita docet expressè Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuram. cap. 33. num. 7.* 30.

Suarez.

Ex hac ratione iuramentum, & promissio facta de facto alieno, quod pendet ex voluntate alterius, & non est in absoluta potestate iurantis, obligat iurantem, & promittentem, saltem ad seriò procurandum cum illo tertio à cuius voluntate pendet vt velit, & consentiat; vt docet Abbas *in capite, Ex rescripto, de iureiurando.* Glossa *ibi*, vbi additio, *ad Abbatem*, varia congerit, & Marcus Antonius Bauerius *tractat. de iuramento num. 6.* & plura Corsetus *tract. de iuramento num. 38.* 31.

Abbas. Bauerius. Corsetus.

Si tamen materia iuramenti adeo fuerit dubia, vt in nullo sensu certum, vel satis probabile sit iuramentum posse licitè impleri, tunc non obligat, quia non debet impleri cum periculo faciendi aliquid illicitum. Solum dubitari potest, an si quis tunc possit propria authoritate illud non seruare, an sit necessaria authoritas superioris. 32.

D. Thom. Ad quod respondet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 3. Episcopum posse in illo dispensare quando est dubium, an sit licitum, vel illicitum, nociuum, vel non nociuum. In quo videtur supponere necessariam esse Episcopi dispensationem, ac proinde tale iuramentum obligare, ideo enim in illo dispensatur, quia obligat. Quam sententiam Caietan. *ibi* & alij, vt indubitatam sequuntur, & idem sentit Angelus, *verbo, Iuramentum* 6. *n.* 1. Tabiena *ibi num.* 20. Syluester *verbo iuramentum* 5. *quæst.* 1. asserens in eo casu neminem posse sine authoritate superioris Ecclesiastici contrauenire. Estque sententia Innocentij *in capite*, *Debitores*, *de iureiurando*, & Panormitani *in cap. Cum contingat eodem titulo num.* 15. & latè Felinus *cap.* 1. *de iureiurando num.* 16. vbi plures alios refert; & idem docet Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 9. Quæ sententia sufficienter probatur *ex cap. Veniens. num.* 34. *de electione*, ibi: *Nec valet ad plenam excusationem ipsius, si iuramentum illud dicatur illicitum, cum nihilominus super eo nos prius consulere debuisset quàm contra ipsum propria authoritate venire.* Quia, scilicet, tale iuramentum dubium erat, vt ibi notat Glossa & Doctores. Videtur tamen ex hoc textu ad solum Papam hoc pertinere. Sed ibi erat sermo de negotio vniuersali valde arduo, vt Imperij, quæ curitæ sunt Pontifici reseruatæ iuxta caput, *Maiores, de Baptismo*; ordinariè verò non inuenitur talis reseruatio facta Pontifici, & ideo iure ordinario Episcopis conuenit hoc negotium argumento capitis, *Nuper. de sent. excom.* quia hæc potestas ad ordinarium regimen animarum necessaria est; & ita sentit Suarez allegatus.

Caiet. Angel. Tabien. Syluest. Innoc. Panorm. Felin. Suarez.

CAPVT XI.

De iuramento dolosè, & simulatè alteri facto sine animo iurandi, & per amphibologiam, quando liceat, vel non liceat. Agitur de iuramento eorum, qui tempore pestis putantur impediti. Soluuntur multa dubia.

SVMMARIVM.

Explicatur titulus propositus. num. 1.

An fictè & simulatè iurans animo fallendi alium sine intentione se obligandi, aut iurandi teneatur iuramentum in conscientia implere, ex vi, & ratione iuramenti. Refertur prima opinio affirmans teneri, ac si non fictè & simulatè iuraret. num. 2.

Præfertur opinio asserens non teneri, teneri tamen ratione tantùm scandali, & aliquando ex iustitia ratione damni. num. 3.

Respondetur fundamentis contrariæ opinionis, num. 4. & 5.

Fictè promittens puellæ matrimonium, & sub ea specie eam deflorans, & infamans, ad quid teneatur. num. 6.

Quid si fœmina ex verbis, & coniecturis facile possit deprehendere fictionem promittentis num. 7.

Quid si ex impletione promissionis fictæ & ex matrimonio sequatur magnum scandalum, & perturbatio inter duas familias nobiles. num. 8.

Quid si ob leuitatem puella deflorata timeatur pessimus exitus; an sufficiat tunc compensare pecunijs. num. 9.

Quid si similiter fœmina decipiat virum fingendo se esse Virginem, cum tamen non fuerit. num. 10.

Quid si vir promittens fictè matrimonium putabat eam esse virginem, cum tamen talis non fuerit. num. 11.

Quid si postquam vir eam deflorauit, illa cum alio commisceatur. num. 12.

Quid si fictè promittens matrimonium Virgini, haberet tantum tactus impudicos cum ea. num. 13.

Quid si vir notabiliter conditionem excedat. n. 14.

Quid si vir bonus, & honestus ardore libidinis commotus promittat fœminæ corruptæ, sciens illam esse corruptam, matrimonium, si illam assequatur, & de facto assequutus est. num. 15.

ADVERTENDVM est eos, qui fictè iurant, id est, sine animo iurandi, aut se obligandi, vel id facere sponte sua, & sine coactione vlla, aut vi, metu, & coactione, & tunc vel hanc coactionem esse illatam ab eo, qui potest compellere aliquem ad iurandum, vt à iudice, aut superiore, vel ab eo, qui nullam habet potestatem ad compellendum, vt à latrone, vel à quocunque alio. Item qui fictè iurat vel iurare cum amphibologia, & per verba, quæ habent vnum sensum, & efficiunt alium, & illa accipere in sensu diuerso ab eo, quo illa accipit is, cui iuratur, & hoc quidem aut sponte sua, & sine causa, aut cum iusta & rationabili causa; vel non: & his notatis rem decidamus. 1.

Circa primam dubitationem an fictè, & simulatè sponte sua iurans sine animo iurandi, aut se obligandi, non vi, nec metu coactus, ad decipiendum eum, cui iurat, existentem in bona fide & putantem sibi bona fide iuramentum fuisse præstitum, obligetur in conscientia ad tale iuramentum? Partita est opinio. Prima docet tunc iuramentum obligare iuxta sensum, quem debitè intellexit is cui iuramentum fuit præstitum; & teneri iurantem, ex vi & religione iuramenti implere iuramentum, ac si non fictè, & simulatè iurasset. Ita docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 4. D. Anton. 2. *part. titulo* 10. *cap.* 7. §. 3. Angelus *verbo iuramentum* 4. *initio.* Syluest. *verbo*, *iuramentum* 3 *quæst.* 2. Tabiena *verbo*, *iurare* q. 13. *num.* 14. Armilla *verbo*, *iuramentum num.* 16. Nauarrus *in summa cap* 12. *num* 13. Hostiensis, & alij. quos refert & sequitur Couar. *de pactis* 1. *part.* §. 5. *num.* 1. & 2. Parladorus *de rebus quotidianis lib.* 2. *cap. finali part.* §. 14. *num.* 15. Fundamentum est. Primò, quia aliàs ex sua fraude, & malitia commodum reportaret iurans: malitia autem & fraus nemini debet patrocinari. Secundò probatur ex D. Isidoro *lib.* 2. *sent. cap* 31. & refertur capite. *Quacumque arte* 22. *quæst.* 5 ibi. *Quacumque arte verborum quisque iuret; Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit sicut ille, cui iuratur intelligit.* Probatur tertiò ex lege finali *tit.* 11 *p.* 3. ibi: *E por que dizimos que se el que da la iura, o el que la faze, metiere palabra enganhosa, que no deue valer, ni aprouecharse della aquel que fizo, o dixo el enganho nin se pode excusar que no sea por ende periuro,* 2.

D. Thom. D. Anton. Angel. Syluest. Tabien. Armill. Nauar. Hostiens. Couar. Parlad.

Secunda opinio verior, & probabilior, docet iuramentum non obligare tunc ex vi, & religione iuramenti, nec iurantem ex vi, & religione ipsius iuramenti ad illud manere obstrictum, manere tamen ex charitate, ratione scandali, & aliquando ex iustitia ratione damni inde alteri subsecuti, 3.

fecuti, qoia per frandem, & iniuriam causa eius
damoi fuit, & in sotn externo cogetur iuramen-
Caiet. tum obseruate. Ita docet Caietanus 2.2.*quæst*.89.
art. 7. circa solutionem ad 4 versiculo, *Ex quibus*
Sotus. *patet*, Sotus *lib* 8 *de institia quæst*. 1. *art*.7. *circa*
Couar. *solut. ad* 4. *versiculo*, *Quid ergo*. Couar. *de pactis*
Azor. 1. *part*.§.5.*num*.2. Azor. *tom*.1.*inst. moral.lib*.11.
Valent. *cap*.4. *quæst*.2. Valeotia 2.2.*disp*.6.*quæst*.7.*punct*.4.
Sanch. *columna vltima*. Sanchez *tom*. 2. *Decalogi lib*. 3.
Suarez. *cap*.10. *num*.15. Suarez *tom*.2. *de Religione lib*.2.
Lessius. *cap*.7. *num*.2. *& cap*.8. *fine*. Lessius *lib*.1. *de iustit*.
cap.42. *dub*.9. *num*. 45. & alij, & addit Suarez
eodem cap.7. *num* 2. quamuis huiusmodi scandali
vitatio pertineat per se primò ad charitatem,
posse etiam ad religionem pertinere, quatenus
illa publica periurij species cedit io Dei irreue-
rentiam, ioducendo alios ad periuria, aut iu-
ramenta dolosa. Vnicum, & solidum fundamen-
tum huius opioionis est, quia iuramentum ex vi,
& Religiooe sua nequit in foro conscientiæ
obligare vltra intentionem iuraotis, vnde si fictè,
& simulatè iurans, oon intendit iurare, ad nihil
ex vi iuramenti obligatur; actus enim morales
hominis pendentes ab illius voluntate, vltra
intentionem illius non extenduotur, vt est com-
mune omnium Theologorum, & Philosopho-
rum pronunciatum.

4. Neque obstaot fundamenta io contrarium
adducta. Primò, quia nullum reportarut com-
modum ex fraude, cum iurans & lethaliter pec-
cet, & obligetur in foro conscientiæ ad obser-
uatiouem iuramenti ex charitate ratione scanda-
li, eum datur, & aliquando ex iustitia ratione
damni, & io foro exteroo cogatur iuramentum
obseruare. D. Isidorus relatus *in cap. Quacunque*
arte.22. *quæst*.5. iotelligitur quoad culpam in eo
iuramento doluso commissam, quasi sic iorans
grauissimè peccet, ratione scandali, & damni
inde dati, non verò ratione obligationis ex vi, &
religione iuramenti. Vnde ait Deum illud iura-
mentum sic intelligere, sicot ille cui iuratur
intelligit; quia peccat grauissimè peccatum scan-
dali, nisi illud obseruet. Lex verò regia, quæ in
contrarium allegatur, procedit in foro externo,
& in pœnam fraudis, sic iurantem, vt periurum
damnat. Ita respondent Doctores allegati spe-
ciatim Sanchez ad fundamenta contrariæ sen-
tentiæ, & bene.

5. Hinc sequitur primò, si dolosè iurans, coga-
tur in foro externo, & per iudicis sententiam
stare promissis, teneri illum in foro interno ra-
tione solius scandali parere sententiæ, sicut de fi-
Lessius. ctè professo tradunt Doctores. Ita Lessius *lib*.2.
Sanch. *de iustitia cap*.28 *dub*.8. *num* 61. Sanchez *tom*.2.
Decalogi lib.3.*cap*.10. *num*.16. Quod tamen be-
ne intelligit Sanchez ibi, *nisi in pœnam fraudis*,
iuxta legem regiam allegatam sic damnaretur;
tunc enim teneretur parere sententiæ non solùm
ratione scandali, sed etiam ratione sententiæ io-
stam illam doli pœnam inferenti, cui parere te-
netur; nec enim tunc ea sententia niteretur præ-
sumptiooe falsa, seu animo & voluntate iuran-
tis, qua præsumeret se voluisse obligare, &
iurare, sed præsumptione vera, quòd scilicet
interuenerit dolus quem punit, qui reuera inter-
fuit vt supponitur.

6. Dixi in secunda sententia *num*.3. exposita,
teneri fictè iurantem ad iuramentum aliquando
ex iustitia ratione damni inde alteri subsequuti,
ex quo sequitur teoeri ex iustitia, illum qui fictè,
& simulatè, & sine intentione se obligandi pro-
misit matrimooium, & sub ea spe Virgioem de-
floraoit, aut ita infamauit vt matrimooium amit-
tat, eam ducere; nam quamuis aliqui censeant,
non teneri eam ducere, sed sufficere eam dotare
ex eo fundamento, quia iustitia commutatiua
tantum petit æquale reddi; potest autem reddi
æquale satisfaciendo peconiis. Sic videtur senti-
re D. Antooio. 3. *part. titul*.2. *cap*.19. *initio*, & D.Anton.
sopplementum Gabrielis *in* 4. *dist*. 28. *quæst*. 1. Gabriel.
art.2. *conclusione* 5. & alij, quos citat, sed oon
sequitur Saochez *lib*.1. *de matr. disp*. 10. *num*.2. Sanch.
Attamen omnino dicendum est iuxta eundem
Sancium teneri eam ducere, & oou sufficere sa-
tisfacere pecuniis, nisi ipsa libens velit, & con-
sentiat. Et ratio est, quia iostitia commutatiua,
non tantùm petit reddi æquale, sed vt eadem-
met res ex iustitia debita reddatur, vnde cum
promiserit corpus suum, idipsum corpus tenetur
reddere, & nihil aliud æquale, nisi de consensu
Virginis defloratæ. Sic qui furatus fuit equum,
tenetur illum restituere, & nulla restituta pecu-
nia satisfaciet, si extet, vnum enim pro alio inui-
to creditore solui non potest *l*. 2. §. *matrim. ff.*
si certum petatur. Nam in omnibus contractibus,
in quibus interueoit, *do vt des*, *facio vt facias*,
vbi alter ex sua parte bona fide impleuit, tenetur
alter ex sua implere quamuis fictè contraxerit,
eo quod tenebatur ex iustitia, verè & oon fictè
contrahere. Cum ergo hic contractus fuerit
mutuus in specie corporis vtriusque ad inuicem
promissi, mulierque iam bona fide impleuerit
tradendo corpus suum, tenetur fictus promissor
implere, eam ducendo, & similiter ei corpus
suum tradendo, nisi ipsa pecuniis conteota sit.
Ita D. Thom *in* 4. *dist*.28. *quæst.vnica art*.2. *ad* 4. D Thom.
Sanchez *lib*.1.*de matrim.disp*.10 *num*.3.& Nauar. Sanch.
in summa Lat. cap.16. *num*.18. Graphis *lib*.2.*de-* Nauar.
cision. cap. 78. *num*. 2. Spino *speculo testamentor*. Graph.
glossa 15. *principali num*.73. Lud. Lopez 1. *part*. Spino.
instruct.cap.76.*fol*.189.*col*.1. *in* 2.*edit*. & 2. *part*. Lud. Lopez.
in materia de matrim.cap.36.*fol*.189.*col*.2. Saloni Salon.
2.2. *quæst*.62.*art*.1.*controuersia* 5.*fine*, & alij mul-
ti, quos citat, ac sequitur Sanchez allegatus.

Hæc tamen sententia limitanda est. Primò, nisi 7.
fœmina ex verbis, aut claris coniecturis facilè
potuerit agnoscere fictionem, & fallacem pro-
mittentis animum; tunc enim sibi debet imputa-
re, & voluntariè videtur fraudi consensisse, &
nihil ei debetur, quia volenti, & consentienti
nulla fit iniuria. Ita D. Thom. allegatos, D. Ant. D.Thom.
2. *part. tit*.5. *cap* 6. §.1. Angelus *verbo*, *Stuprum*, D Anton.
num.1. Syluester *verbo*, *Luxuria quæst*.5. Tabiena Angel.
verbo, *restit. quæst*. 22. *num*. 23. Sanchez *lib*.1. Syluest.
matrim. disp.10. *num*.7. Graphis, & Lud. Lopez Tabien.
num. præcedenti citati. Armilla *verbo*, *restit*. *n*.22. Sanch.
Henriquez *lib*.11. *de matr. cap*.10.*num*.2. Grap. Lud.Lop. Henriq.

Secundò, limitanda est, nisi ex eo matrimo- 8.
nio sequatur magnum scandalum, & perturba-
tio io Republica inter duas familias oobiles, tuoc
enim satis est peconiis damnum illatum compen-
sare. Quia virtus iostitiæ nequit obligare ad
actom, qui sine peccato impleri non potest;
coottrahere autem matrimonium cum magno
scandalo, est apertè lethalis culpa, cum notabi-
liter charitas proximi lædatur, dissoluatur pa-
rentum pietas, & cognatorum amicitia, quod
etiam verum est noo solùm quando est ficta, sed
etiam, quando est vera. Ita Sanchez *lib*. 1. *matr*. Sanch.
disput. 10. *num*.9. & *disp*. 14. *num*. 3. Guttierrez Gutier.
lib.1. *quæst. canon. cap*.20. *num*.10. & 23 Nauar. Nauar.
in summa cap. 16. *num*. 18. Menochius *consilio* 1. Menoch.
num.44.

Capua.

num 44. *& 66. vol.* 1. Capua *lib.* 2. *decision.cap.* 78. *num* 3. & multi alij, quos citat, ac sequitur Sanchez loco 2. allegatus.

Sanch. Henriq. Rodrig.

9. Tertiò, limitanda est, nisi ex eo matrimonio malus exitus probabiliter timeatur, vt si promittens norit puellam esse notabiliter leuem, vnde probabiliter pessimum exitum timeat; tunc enim sufficit compensare pecuniis. Ita Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 10. *num.* 10. Henriquez *lib.* 11. *de matr. cap.* 11. *num.* 2. Rodriguez *tom.* 1. *summa in* 2. *edit. cap.* 2n8. *num.* 8.

Sanchez. Cordub. Rodrig.

10. Quartò, limitanda est, nisi fœmina decipiat virum, dicendo, aut fingendo se esse Virginem, quia in iniuriis datur compensatio, & tunc nihil ei vir tenetur restituere; quia tantùm tenebatur eam ducere, & fœmina suâ illa deceptione in causa fuit, vt ab hac obligatione illam ducendi, ipse liber existeret. Ita Sanchez *lib.* 1. *de matr. disp.* 10. *num.* 11. Corduba *in summa quæst.* 49. *& in quæstionario lib.* 1. *quæst.* 13. *dict.* 3. Rodriguez *tom.* 1. *summa in* 2. *edit. cap.* 208. *num.* 8.

11. Imò licet ipsa non deciperet, si vir promittens fictè matrimonium, putabat eam esse Virginem; & postea comperiat eam non esse Virginem, non tenetur eam ducere, tenetur tamen ei aliquid restituere ratione copulæ, tantum, quantum arbitrio prudentis ea copula æstimaretur, quia fœmina non fuit deceptionis causa, nec aliquam iniuriam intulit viro, quæ compensetur iniuria ipsi illata. Ita Sanchez, Rodriguez, & Cordubâ in secundo loco allegatus *num. præced.* citati.

Sanchez. Nauar.

12. Quintò, limitanda est, vt non teneatur vir fœminam à se defloratam ducere, si postea sic deflorata cum alio commisceatur, quia hæc est causa iusta recedendi à veris sponsalibus. Ita Sanchez *lib.* 1. *de matr. disp.* 10. *num.* 13. & Nauarr. *lib.* 4. *consiliorum in prima editione, titulo de sponsalibus, consilio* 1. *num.* 6. An autem tunc teneatur ei damnum deflorationis reficere, est dubium. Respondet Nauarr. *cit. num.* 4. si eam vi aut dolo deflorauit teneri, secus si sponte, ipsaque consentiente. Ratio illius est, quia fornicatio subsequens obligationem iam contractam non ademit. At meliùs respondet Sanchez modò citatus, non teneri, quia ante commixtionem illius cum alio tantùm tenebatur veram facere promissionem eam ducendo, & postea culpa fœminæ ipsius non tenetur eam ducere, & ideo ad nihil amplius ei tenetur.

Nauar. Sanch.

13. Sextò, limitanda est, si fictè promittens matrimonium Virgini tantùm haberet tactus cum ea, tunc enim non tenetur eam ducere; sed alio modo restituere, vt bene docet Nauarr. *lib.* 4. *consiliorum in* 2. *edit. titulo de sponsalibus, consil.* 20. & Sanchez allegatus *num.* 14. quia non tanta est iniuria.

Petr. Led. Sanch. Nauar. Vera Crux. Cord. Beia. Lud. Lop.

14. Septimò, limitanda est, nisi vir notabiliter conditione excedat, vt si fœmina sit filia agricolæ, aut fabri filia, & vir filius Comitis, vt docet Petrus Ledesma *de matrimonio quæst.* 45. *artic.* 4. *dub.* 1. *conclusione* 2. At multo minor disparitas sufficit, quare totum hoc negotium arbitrio prudentis relinquitur, vt docet Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio disp.* 10. *num.* 6. vt si sint pares genere, notabiliter tamen diuitiis sint dispares, vt optimè docet idem Sanchez, & Nauarr. *in summa Lat. cap.* 16. *num.* 18. Vera Crux 3. *part. speculi art.* 19. *conclusione* 3. Corduba *in quæstion. quæst.* 13. *dict.* 2. Beia *in summa casu* 18. Lud. Lopez 1. *part. instruct. cap.* 76. *fol.* 189. *col.* 1. *in* 2. *edit. & in* 2. *part. in materia de matrimonio cap.* 36. *fol.* 135. *col.* 2. Ratio huius rei est, quia quando ea disparitas ex parte viri datur, habet fœmina huius excessus conscia sufficiens fundamentum ad cogitandum, virum sibi fictè matrimonium promittere, & id debuit cogitare, & sic non potest allegare se deceptam fuisse, sed ipsa se voluit decipere, & id sibi imputet. Sed vera ratio est, quam tradit Sanchez *num.* 21. quia nemo inæquale restituere tenetur, esset autem contractus inæqualis, quando vir notabiliter excedit, vt de se patet. Ita Sanchez *lib.* 1 *matr. disput.* 10. *n.* 5. *&* 21. D. Thom *in* 4. *dist* 28. *quæst. vnica art.* 2. *ad* 4. Nauar. *in summa cap.* 16. *num* 18. Syluester *verbo; Luxuria, quæst.* 5. & multi alij, quos citat, ac sequitur Sanchez allegatus, tenebitur tamen huiusmodi maioris conditionis vir huic puellæ honorem suum pecuniis restituere instar illius qui vi vel fraude aliam suæ qualitatis deflorauit, non tamen ducere. Ita Sanchez *dicto lib.* 1. *matr. disp.* 10. *num.* 21. cum multis, quos allegat, ac sequitur. Nec placet, addit ipse Sanchez *dicto num.* 21. (& bene) moderatio, quam Rodriguez *tom.* 1. *summa in* 2. *edit. cap.* 208. *num.* 8. ponit, teneri, scilicet, eam ducere, quando fœmina viro notabiliter inæquali dixit se nullo modo consensuram, nisi chirographo sibi tradito promissionis matrimonij; quia adhuc, eo tradito, minimè eam ducere tenetur ratione inæqualitatis in contractu.

Sanch. Sanch. D. Thom. Nauar Syluest. Sanch. Sanch. Rodrig.

Ex hoc fundamento deduci potest non teneri illum præsertim si sit vir bonus, & honestus ducere in vxorem fœminam corruptam, cui ardore libidinis fictè promisit se eam ducturum, si copiam sui faciat, etiam ea facta, quod intellige nisi sit vidua honesta, & bonæ famæ. Ratio est. Primò, quia debuit illa existimare, eam promissionem ficto animo sibi fuisse factam. Secundò, quia ille actus non tanti æstimatur, vt matrimonio compensari debeat; tanti ergo tenebitur illud compensari, quanti communiter spectata conditione personarum æstimatur. 15.

SVMMARIVM.

Quatenus quis licitè possit in iuramentis vti amphibologia. *num.* 16.

An peccent mortaliter mercatores, qui, vt res suas melius vendant, amphibologicè iurant. *numero* 37.

Iudicem non iuridicè procedentem potest reus deludere amphibologicè iurando. *num.* 16. *&* 17.

Quando iudex iustè & iuridicè non procedat. *ibid.*

Si reus, aut testis dubitet, an iudex iustè, & iuridicè procedat, non tenetur crimen proprium, vel alterius fateri, sed poterit illum prudenti amphibologia deludere. *num.* 18.

Quid si quis prius iurasset se veritatem dicturum? *num.* 19.

Excepta causa heresis tenetur iudex aperire statum causæ reo, indicia, probationes, & testes, vt videat an iuridicè contra se procedatur, & an iustè interrogetur. *num.* 20.

Quid si iudex testem interroget de facto, quod testis scit fuisse commissum sine culpa committentis, etsi testis illud fateatur, credet iudex fuisse commissum cum culpa. *num.* 21.

Quid si interrogatus de crimine alieno fatearis aliquas circunstantias ex quibus iudex potest falsè colligere, te fuisse socium talis criminis, cum tamen non fueris, an tunc tenearis illas fateri. *num.* 22.

Quid

16. AMphibologiis, & verbis sensum ambiguum habeotibus nemo licitè potest vti in promissionibus & iuramentis, oisi magnam causam habeat & compulsus fuerit ab aliis per iniuriam; quoties tamen tibi in aliqua percontatione fit iniuria, aut molestia; habes iustam causam vtendi amphibologia: amphibologia enim nō est mendacium, sed est tantùm relinquere vnam veritatem, quam alius vult scire, & dicere aliam veritatē determinatam, quam tu intelligis, & ille nō percipit, vt est cōmunis doctrina omnium Theologorum. Vnde is, qui iurat coactus à iudice iniustè, & non iuridicè procedente, potest tuta conscientia ratione iniuriæ, & violentiæ sibi illatæ, vti verbis amphibologicis ad illum illudendum compositis: si tamen iustè & iuridicè interroget, & reum ad iurandum compellat, idque reo notum sit, tenetur, veritatem fateri, etiam si aliquis plectendus sit, aut suspendendus. Iustè autem, & iuridicè procedit iudex quando crimen semiplenè probatum est. Ita Lessius *tom. 1. de iustitia lib. 2. cap. 31. vbi de reo, & aduocato dubit. 3. num. 9, & 12.* D. Thom. *2. 2. quæst. 69. art. 1.* Caietanus *ibidem.* Veiga *in summa lib. 5. casu 422.* Henriquez *quodlibete 1. quæst. 33.* Couarruuias *in quæst. practicis cap. 33.* Antou. Gomez *tom. 3. cap. 12. n. 5.* Paludanus *in 4. dist. 19. quæst. 4. versus finem* Gabriel. *dist. 15. quæst. 6. art. 2. conclusione 6.* Sotus *de tegendo secreto membr. 2. quæst. 7.* Nauarrus *in summa cap. 25. num. 53.* Sà *verbo, Reus, num. 1.* Ratio est, quia subditus tenetur in conscientia parere præcepto iusto superioris siue superior sit Ecclesiasticus siue sæcularis, sed iudex iustè & legitimè procedit si habeat semiplenam probationem; ergo tenetur illi quisque veritatem fateri. Hæc doctrina si procedat quando testis interrogatur de crimine alieno, est vera, & à nemine reprobatur; si procedat de proprio, dicemus *in precepto 8. lib. 8.* probabile esse non teneri tunc reum fateri iudici veritatem, quando sibi mortem, aut graue damnum temporale timet, secus si spirituale, vt ibi videre licet.

Lessius. D. Thom. Caiet. Veiga. Henriq. Cou. Ant. Gom. Sotus. Nauar. Sa.

17. Tunc autem iudex non procedit iustè, & iuridicè, quando de crimine occulto aliquem interrogat, de quo neque est fama contra reum, neque indicia competentia, neque si crimen est eius qui interrogatur, datur probatio semiplena; vt enim à iudice possit imponi alicui obligatio fatendi crimen, si illud alienum sit, requiritur, vt aliquo modo iam deductum sit ad notitiam publicam saltem per idonea indicia: si proprium verò sit ipsius interrogari, requiritur semiplena probatio, ita vt reo non suppetat probabilis ratio celandi, seque defendendi. Quandiu enim delictum est ita occultum, vel incertum, vt reus possit se probabiliter tueri & depellere obiecta, contra omnem rationem est, atque adeo contra Ius naturæ, vt ipsi imponatur obligatio in foro conscientiæ ad illud in suam perniciem pandendum. Ita Lessius citatus *num. 9.* Nauarrus *in summa Latina cap. 12. num. 8. ad medium, & capite, Inter verba 11. quæst. 13. num. 700.* & D. Thom. *2. 2. quæst. 70. art. 1.* vbi Caietanus & Maior. *in 4. dist. 15. quæst. 18.*

Lessius. Nauarr. D. Thom. Caiet. Maior.

18. Si reus, aut testis dubitet, an iudex iustè, & legitimè ioterroget, & procedat, non tenetur crimen proprium, vel alterius fateri, sed poterit prudenti amphibologia vti ad eum illudendum. Ita Lessius *dict. tom. 1. lib. 2. cap. 31. dubio 3. n. 10,* Caietanus *quæst. 69 art. 1.* Sotus *de tegendo secreto, membro 3. quæst. 2. conclusione 2.* Adrianus *quodlibeto 2.* Probatur primò, quia nemo tenetur parere superiori cum graui suo, vel alterius damano, nisi sibi constet eum legitimè præcipere & habere legitimam authoritatem præcipiendi, & obligandi. Secundò, quia in dubio fauendum est reo, vt est commune pronunciatum. Secus tamen est, quando inde nullum notabile incommodum timetur.

Lessius. Caiet. Sotus. Adrian.

19. Quod adeo verum est, vt doceat Henricus communiter receptus *quodlibete 1. quæst. 53. & 54.* quòd si quis iurasset, se dicturum veritatem, non tenebitur ex vi iuramenti eam dicere, quando iudex vel contra se, vel contra alios iuridicè non procedit, quia iuramentum semper intelligitur sub conditione, id est, dicam veritatem si licitè possim, si licitè interroges, & percontaris. Patet autem hæc doctrina ex *capite, Qualiter, & quando de accusatione*, & clarius *ex capite, Cum oporteat eodem titulo.* & ratio ipsa probat, quia quando iudex iuridicè, & seruato iuris ordine non procedit, non est iudex, nec potestatem aut authoritatem habet obligandi; estque instar hominis particularis, qui nullam authoritatem ad imponendum præceptum habet.

Henric.

20. Ex dictis sequitur primò, teneri iudicem aperire reo postulanti statum causæ, probationes, indicia, & testes, excepta causa hæresis, in qua non manifestantur testium nomina, vt videat iuridicè contra se procedi, seque iustè interrogari posse, vt si quid contra habeat possit opponere, & excipere, vt docet Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 10. versu, hinc sequitur,* & Caietan. *1. 2 quæst 69.* & alij.

Lessius. Caiet.

21. Sequitur secundò, si iudex quærat de facto quod absque culpa proximi saltem mortali patratum est, non teneri testem, & reum respondere ad mentem iudicis, eo casu, quo iudex crediturus sit patratorem tale factum commisisse culpa sua, & ob id illum sit grauiter ex officio puniturus. v. g. occidit Antonius Petrum se inuadentem cum iusto moderamine, & absque notabili excessu, & id optimè scis, non teneris iudici te sub iuramento interroganti fateri, Antonium, illum occidisse, etiam si de illo sparsus sit rumor; sed poteris vti amphibologia in eo casu, quia si id fatearis, putabit iudex Antonium hominem illum iniustè, & sine moderamine inculpatæ tutelæ occidisse, si Antonius non possit in iudicio probare suam inocentiam. Deinde quia iudex in foro externo quærit de occisione criminosa, & si

fatea

fatearis, nec Antonios possit probate se causa necessariæ defensionis fecisse, iniustè condemnabitur ex salsa præsumptione. Quare in hoc casu non solùm poteris, sed etiam ex charitate tenebetis vti amphibologia ad diuertendum iudicem composita. Idem à fortiori dicendum est, si tu fueris auctor homicidij, vt patet, & docet Lessius *tom. 1. lib. 2. cap. 31. dub. 3. num.* 14 Sanchez *lib. 2. de matrim. disput.* 10. *num.* 27. Salon. 2. 5. *quæst. 69. art.* 2.

Lessius. Sanch. Salon.

22. Idem dicendum est quando alius est auctor criminis, & tu de illius patratione interrogaris à judice; non teneberis enim fateri aliquas circunstantias, ex quibus orietur vehemens suspicio te fuisse auctorem illius criminis, consultoremve, aut consortem, & participem illius. v. g. non teneris fateri pugionem, gladium, aut sclopetum fuisse tuum, te fuisse in eo loco, quia etsi iudicis interrogatio iusta, & iuridica appareat, tamen ex falsa præsumptione procedit. Quare in his, & similibos euentibus poteris non fateri id quod tibi detrimentosum fuerit, adhibita conuenienti, & prudenti amphibologia, aut restrictione meotis. Ita Lessius *tom. 1. de iustit. lib. 2. cap. 31. dub 3. num.* 14. Salon. 2. 2. *quæst. 69 art*... Nauar. *in capite, Humanæ aures.* 22. *quæst.* 5.

Lessius. Salon. Nauar.

23. Sequitur tertiò, posse illum qui tempore pestis iuramento interrogatur à custodibus vrbium, an veniat ex terto loco, qui falsò creditur peste impeditus, ac infectus, posse, tuta conscientia, respondere sub iuramento, se non venisse ex tali oppido, neque per illud transisse, intelligendo talem locum infectum peste, etiam si ex eo venerit, & per illud transierit, quia custodes ex falsa præsumptione procedunt, & si veritatem scirent, non interrogarent. Ita docet Syluester *verbo, iuramentum; quæst* 2. *ad finem.* ibi: *Quod idem dico, quia aliquando tales officiales credunt aliquem locum esse pestilentem, qui tamen non est, quia tunc non credo periurare iurantem cautelosè, quia iurat ad illorum intentionem remotam, quæ est scire, an fuerint in tali loco infecto; sed non sic vt potuerit infici, vt quia non erat aer corruptus, & transiuit celeriter in equo. Et generaliter idem est dicendum quoties tales officiales concederent, aut concedere deberent ingressum si scirent veritatem.* Nauarrus *in summa Latina cap.* 12 *num.* 19 Azor *tom. 1. lib.* 11. *cap.* 4 § *tertia regula.* Lessius *tom. 1. de iustitia lib.* 2. *cap.* 42. *dub* 9. *num.* 47. Sanchez *lib. 1. de matrim. disp* 10. *num.* 27. Philiarch. *de officio sacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 3. cap.* 14. *fine.* Toletus *lib* 4 *sum cap.* 21. *num.* 5. *versu, Secundo sine violentia.*

Syluest.

Nauar. Azor. Lessius. Sanchez. Philiarch. Toler.

24. Et idem dicendum est, quamuis locus sit peste infectus: si tamen viator ipse non sit infectus, putant Syluester, Toletus, Nauarrus, & Lessius allegati, quia non iurat contra præcipuam intentionem custodum; quæ est scire, an viator re vera sit infectus peste, & ideo interrogat, an veniat ex tali loco, imò respondet iuxta intentionem illorum præcipuam & remotam. Dubitat tamen de hoc Sà *verbo iuramentum n.* 6. quando ipse celeriter transiuit per locum infectum, & putat se non esse infectum, & suum iudicium in ea re interponit. *Quidam probabiliter hoc putant, quod mihi non admodum tutum videtur, nec probarim faciendum, nec factum improbarim*; mihi quidem probabilis videtur sententia Toleti si qui transitet per locum infectú certò sciret se non esse infectum: sed quis de hoc certus esse poterit, cum adeo facilè tantum malum adhærere soleat vestibus, vt experimento compertum tam sæpe est? Vnde casus vix videtur possibilis.

Sa.

Sed oppones. Custodes habent ius ad custodiendam vrbem à periculo; periculum verò est, si eam ingrediatur ille, qui ex loco infecto venit. Respondeo nullum esse periculum, moraliter loquendo, vt constat ex suppositione facta. Nec obstat quod id quod iurat, & verbis exprimit, falsum sit, quià non exprimit nec intendit, dicere, aut iurare illud falsum per se, & solitariè, sed coniunctim cum veritate quam tacitus addit, cum qua est id, quod dicit, verum. Nam id quod iurat & verbis exprimit, est tantùm pars orationis, quæ constat partim locutione mentali, partim locutione externa; quòd autem talis coniunctio fieri à respondente possit, si causam iustam habeat, patet ex multis locis sacræ paginæ Geneseos. 27. *Ego sum primogenitus tuus Esau*, scilicet, iure, & priuilegio: & Christus Dominus. *De die autem illo nemo scit, nec Angeli in cælo, neque Filius*, scilicet vt aliis reuelet ac dicat, vt ipse intelligebat. 25.

Dices, inde sequi semper esse licitum vti amphibologiis, etiam nulla causa interueniente, si quidem amphibologia de se non est mendacium. Respondeo non sequi. Ratio est, quia amphibologia non adeo est illicita, quia est mendacium; sed quia per eam vsurpantur voces præter sensum communem loquendi, & præter intentionem illius, cum quo loquimur, quod facere sine iusta, & rationabili causa est peccatum; mortale quidem, si amphibologia sit notabiliter perniciosa, vt quando iudex iustè, & iuridicè procedit; veniale verò, quando non est notabiliter perniciosa, nec scandalosa.

Sequitur quartò, posse vxorem tantum sibi detrahere ex legato alteri à marito relicto, quantum ille cui relicta fuit hæreditas vel legatum sibi ex iustitia debebat, & iurare tuta conscientia cum à iudice orphanorum interrogatur non esse ampliora bona ipsius defuncti, intelligendo detracto debito, idque modò non habeat testes quibus in iudicio debitum probare posset, vel magnam timeat molestiam in recuperando debito. Ita deducitur ex principiis iactis. Et ratio est, quia debita à marito contracta non computantur in bonis illius, & quia sensus interrogationis factę à iudice, est: Remanét alia bona tui mariti pręter ista, quæ dicis, ita vt tenearis illa restituere; vnde verè respondet: Non remanent. 26.

Imo si aliqua vxor cum marito contraxerit sub ea conditione, vt, eo vita functo, suam dotem, & arrhas extrahat, potest ipsa vxor de bonis mariti abscondere tantum quantum opus fuerit vt sibi de dote sua & arrhis satisfaciat, si timet laborem, aut magnam molestiam in recuperanda dote sua & arrhis post mortem mariti, & si non potest totam dotem abscondere, & arrhas sibi vsurpare, poterit saltem partem, idque etiam si maritus habeat diuersa alia debita antiquiora, hæc enim debita, cum sint ex dote, præualent aliis antiquioribus, & aliorum creditorum ex priuilegio bonorum dotalium; & non tenetur respondere ad excommunicationes, quæ publicantur, aut iuramenta, quæ dantur, vt declaret, an aliquid absconderit, nec illi qui sciuerint aliquid ea de causa fuisse absconditum, id denunciare tenentur, etiamsi ad eum finem fulminetur excommunicatio. Ita Corduba *in summa in addit. ad cap.* 27. *num.* 134. Quæ omnia intelliguntur, modò vxor non se obligarit ad soluenda debita mariti ex sua dote, & arrhis; si verò illa, viuente marito, accepit omnia sua bona dotalia, quamuis postea ea consumpse 27.

consumpserit, vel illorum partem in alimento, & sustentatione familiæ, & oneris matrimonij, non poterit illa rapere, aut alia sibi sumere in recompensationem, cum præiudicio aliorum creditorum antiquorum mariti. Ratio est, quia illa consumpsit veluti augendo illis bona mariti, & alij creditores erant antiquiores; & qui prior est tempore, potior est iure: si tamen satisfactis aliis creditoribus adhuc supersint alia bona ex parte ad maritum pertinente, poterit ipsa ex illis sibi recompensare, quia maritus ad hoc tenebatur, salua illius dote; & arrhis, & in foro externo id poterit repetere ab hæredibus mariti. Ita idem Corduba *in summa quæst.* 126. §. *Lo tercero.*

Cordub.

28. Sequitur quintò, quando fictè promittens immunis est à matrimonij obligatione (est autem immunis in omnibus casibus, quos numerauimus *à num. 7. ad* 14.) posse rogatum sub iuramento à iudice negare se matrimonium promisisse, ne si fateatur promissionem, cum in foro externo & coram iudice intentionem & fictionem probare nequeat, cogatur ad matrimonium. Ratio est, quia cum iudex roget, vt ad matrimonium debitum cogat, sensus interrogationis est, *promisisti matrimonium, itavt tenearis*, vnde verè responder, *non promisi, itavt tenear.* Ita Sanchez *lib. 1. de matrimon. disp.* 10 *num.* 27. Nauarr. *in capite, Humanæ aures* 22. *quæst.* 5. *in quæst.* 1. *n. finali.* Rodriguez 2. *tom. summæ in 2. edit. cap.* 245. *num.* 12.

Sanch. Nauar. Rodrig.

29. Sequitur sextò, posse clericum à custodibus rogatum, an aliquid portet, vt gabellam soluere compellatur, iurare se nihil portare, quamuis portet; quia clerici sunt immunes à gabellis, intelligendo tamen *ex quo gabellam debeam.* Ita Sanchez *lib. 1. de matrim. disp.* 10. *num.* 27. Syluester *verbo, Mendacium, quæst. vltima.*

Sanch. Syluest.

30. Sequitur septimò, posse sacerdotem rogatum de iis, quæ in confessione audiuit iustè, & iuridicè iurare se nihil scire, nec audire, intelligendo, *itavt tenear dicere*; quia ea quæ in confessione audiuit, sunt alterius fori, nec iustè cogi potest à iudice, vt sibi ea manifestet. Est communis. Ita Azor. *tom. 2. lib.* 11. *cap.* 4. §. *Prima regula*, & id abundè diximus in quinque præcepta Ecclesiæ *lib. 1. præcepto 2. cap.* 4 *num.* 31.

Azor.

31. Sequitur octauò, posse eum, qui mutuum accepit ab aliquo, & totum iam soluit, & postea conuenitur in iudicio, & ex defectu probationum in eodem iudicio, & foro externo sine dubio condemnabitur, si fateatur, se mutuum ab eo accepisse, iurare coram iudice interrogante, an mutuò aliquid ab eo acceperit, se nihil ab eo accepisse, subintelligendo, *quod non reddiderim*, vel *quod tenear reddere.* Ita Azor. allegatus §. *Secunda regula.* Iason. *in leg. manifestæ. ff. de iureiurando colum. penult.* Cepola, *cautela* 60. Alciatus *in lege* 3. §. *Si quis simpliciter. num.* 47. *ff. de verborum significatione.* Couarruuias *lib.* 1. *variarum cap.* 2. *num.* 4. Ratio est, quia soluto mutuo perinde est ac si nihil ab eo percepisset. Deinde, quia intentio iudicis non est scire, an ab eo aliquid mutuo acceperit, sed reuera, an ei debeat aliquid quod mutuum ab eo acceperit, mutuum autem quod iam solutum est, non debetur. Quare, qui responder se nihil accepisse, respondet ad intentionem iudicis præcipuam; ac proinde non peccat. Eodem modo, si accepit centum aureos, & soluit quinquaginta, potest iurare, se non accepisse à suo creditore, nisi quinquaginta tantùm. Ita authores citati. Nam iudex in his casibus semper procedit præsumptiuè, id est, *accepisti hoc ab homine, ita, vt ei tenearis illud soluere*, quare optimè respondet; *Non accepi*, si iam soluit, aut aliunde ad nihil ei tenetur.

Azor. Iason. Cepol. Alciat. Couar.

32. Sequitur nonò, mulierem morti vicinam sacerdoti confessam, vel ad iudicium deductam, & coactam iurare se cum marito postea victuram, & cohabitaturam; cum tamen id præstare nequeat sine graui peccato ob occultum impedimentum coniugij, quod vel in confessione aperire commodè non potest, sine graui suo detrimento, vel illud in iudicio probare non possit, posse licitè iurare, *faciam*, intelligendo *si tenear*, nec tamen postea teneri ad habitandum; neque enim id ea iurauit, neque ad iurandum sacerdos potest cogere; nec iudex vt patet. Ita Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. §. *Secunda regula, ad finem.*

Azor.

33. Sequitur decimò, quotiescumque in communi hominum conuictu de re aliqua rogamur iureiurando compulsi, atque adacti, fas esse nobis, cum nobis iniuria infertur, vti verbis ambiguis, & amphibologicis in eo iuramento, & ea accipere in nostro sensu; quamuis in animis audientium sensum alium efficiant. Ob iniuriam enim, quæ nobis infertur, integrum nobis est nostro bono consulere, dummodo ambiguè loquamur. Ita Azor. *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 4. §. *Tertia regula*, & Toletus *lib.* 4. *summæ cap.* 22. & Maior *in dist.* 15. *quæst.* 1. & generaliter loquendo quoties cum violentia, in qua nobis fit iniuria, interrogamur, licet nobis prudenti amphibologia, vel conditione mente subintellecta cogentes nos ad iurandum illudere; v. g. Compellit latro viatorem his verbis; *iura te mihi daturum tantam pecuniam*; licebit respondere; *iuro me tibi daturum eam pecuniam*, mente subintelligendo, *si eam tibi debeo, si mihi placuerit*, vel quid simile. Ratio est, quia in hoc casu ille, qui iurat, verum iurat, quamuis non illud verum, quod cogens intendit; sed illud quod mente intelligit, nec tenetur respondere ad mentem cogentis, quando per iniuriam cogit. Imò idem est dicendum, si dicat, *iura mihi te nullo modo vsurum amphibologia in hac promissione*; potest enim adhuc ei iurare se non vsurum amphibologia, & tamen illa vti, mente intelligendo, *non illa vtar si iure non possum vti*, aut quid simile.

Azor. Tolet.

34. Sequitur vndecimò, posse fœminam occultè adulteram, quæ à marito cogitur iurare, an adulterium perpetrarit, tuta conscientia, eidem marito iurare, se nunquam tale adulterium commisisse, mente intelligendo, vt illi reueler, quia maritus iniustè rogat, & ratione iniuriæ iustam causam habet vxor ad eum prudenti amphibologia deludendum. Ita Toletus *in summa lib.* 4. *cap.* 21. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. § *Tertia regula ad finem.* Idem dicendum est de eo, qui iniustè cogitur iurare se accepturum aliquam in sponsam, intelligendo, *si postea placuerit.* Ita Toletus allegatus.

Maior. Cord.

35. Ex præiactis fundamentis colligit Toletus *lib.* 4. *summa cap.* 21. *in summa*, regulam quandam generalem verissimam, quæ ad resolutionem multorum casuum plurimum inseruit, posse scilicet, nos tuta conscientia iurare æquiuocè, & vti amphibologia, quoties iuramentum, etiam à iudice petitur ex ignorantia veritatis, quæ si sciretur, nullo modo à iudice peteretur, v. g. vult iudex scire an Petrus alloquutus sit Paulum de rebus ad rebellionem spectantibus, & eum sub iuramento absolutè interrogat, an illum alloquutus

alloquutus fuerit, potest iurare licitè, & intrepidè se illum non fuisse alloquutum, intelligendo de rebus ad rebellionem spectantibus etiamsi illum de aliis rebus alloqueretur. nam iudex id ab eo inquirebat sub iuramento, quia credebat Petrum Paulum fuisse alloquutum de rebus ad rebellionem spectantibus, & si veritatem sciret, nunquam tale iuramentum ab eo peteret, & sic respondet saltem ad intentionem iudicis præcipuam, quæ erat scire, an illum fuerit alloquutus de rebus quæ ad rebellionem spectant. Ita Azor. & Toletus statim allegandi.

36. Sequitur duodecimò, posse scholasticos rogatos sub iuramento, an locuti fuerint cum aliquo ex oppositoribus, & competitoribus cathedratum, licitè, & extra mendacium iurare, se non fuisse illos allocutos, intelligendo de rebus ad subornationem pertinentibus etiam si cum illis loqueretur de aliis rebus, quæ ad subornationem minimè pertinebant; quia intentio iudicis, & statuti iubentis eis iuramentum in eo casu præstari, est scire, an illis fuerint alloquuti de rebus ad prædictam subornationem tantum spectantibus, non de aliis, etiamsi spectent ad negotium oppositionis, modò non concernant subornationem aliorum. Et ratio est, quia respondent ad intentionem præcipuam iudicis, aut rectoris interrogantis. Secundò, quia alioqui veritatem, quæ ad rem non pertinebat fatentes, inhabiles fierent ad suffragandum Ita Azot. *tom. 1. lib. 11. cap. 4.* § *Secunda regula*, & Toletus *lib. 4. summa cap. 21.* & alij passim.

Azor. Tolet.

37. Sequitur vltimò, negotiatores, qui vt res suas meliùs vendant, & conficiant, sponte sua, & non petiti vtuntur amphibologiis, & verbis ambiguis, in iuramentis non excusari à peccato mortali; tenentur enim quando à nemine coguntur, vti in iuramento vocabulis secundùm communem significationem, & oppositum facere est peccatum mortale, vt docet Syluester *verbo, Iuramentum 3. §. 2.* & Toletus *lib. 1. summa cap. 21. versu, Primum est.* Quamobrem negotiatores illi, qui sponte sua iurant se tanti emisse rem illam quam vendunt, vt melius illam vendant, cum tamen minoris emerint etiamsi illi intelligant illam rem simul cum aliis, pluris sibi stetisse, mortaliter peccant, quia sponte iurant contra mentem ementium. Ita Toletus, & Syluester allegati.

Syluest. Tolet.

CAPVT XII.

Agitur de iuramento facto ob malum finem. Quæritur an iuramentum factum de re mortaliter, vel venialiter illicita obliget in conscientia; & an iuramentum petitum ad soluendas vsuras in eodem foro conscientiæ iurantem adstringat.

SVMMARIVM.

Mortaliter peccat ille, qui iurat se facturum aliquid ob finem malum, & tale iuramentum est irritum, & mortaliter iterum peccat, si illud exequatur. num. 1.

Qui iurat, vel vouet se tot missas dicturum, aut eleemosynas facturum, si ex duello, & bello iniusto victor euadat, si in furto non fuerit comprehensus, si ex tali adulterio filium susceperit, si hominem occiderit, vota, & iuramenta sunt valida, & tenetur illa implere. num. 2.

Quid si voueat religionem si fornicatus fuerit, vide cap. 28. num. 44.

Quando aliquis iurat se facturum rem mortaliter illicitam, mortaliter peccat etsi ignorantia illum excuset, & non tenetur, nec debet implere, & si impleat, mortaliter iterum peccat n. 3. Et idem dicendum est proportione habita si iuret rem venialem. ibid.

An iuramentum petitum ad soluendas vsuras iurantem adstringat. Refertur prima sententia negans. num. 4.

Praefertur sententia affirmans, quæ est indubitata. num. 5.

Quod verum est, etiam si quis petat mutuum sub vsuris ad rem illicitam perpetrandam. num. 6. & 7.

Quid si quis expressè petat mutuum sub vsuris, dicens, da mihi sub vsuris. num. 8. & 9.

Vsurarius nullum ius acquirit ex iuramento sibi præstito de soluendis vsuris; sed Deus acquirit ius ve in testem falsi asseratur. num. 10.

Iuramentum per iniuriam, & vim factum verè obligat. num. 11. *Et cap. 23. num. 3. solutio vsurarum, iurata, est valde vtilis respectu iurantis illam; est enim actus magna virtutis, & fidelitatis.* ibid.

Obligationi iuramenti de soluendis vsuris satisfacit iurans momentanea solutione, & statim post solutionem potest coram iudice repetere id quod soluit. num. 12.

Si iuramentum daretur de non repetendis vsuris, non posset quis illas repetere, nisi prius impetrata relaxatione iuramenti. num. 13.

An iurans soluere vsuras satisfaciat obligationi iuramenti soluendi illas, vtendo recompensatione, retinendo, scilicet, illas pro compensatione debiti, quod sibi vsurarius debet ex iustitia. num. 14. 15. & 16.

1. STATVO primò. Mortaliter peccat ille, qui iurat se facturum aliquid ob finem malum, quem proponit, & tale iuramentum est irritum ex natura sua, nec iurantem ligat, imò mortaliter etiam peccabit, si illud iurans exequatur. Idem dicendum est de voto facto ob eundem malum finem. Est communis omnium Doctorum Ita Azor. *tom. 1 lib. 11. cap. 5. quæst. 2.* loquens de iuramento, & Lessius *tom. 1. lib. 2. cap. 40. dub. 5. num. 36.* & Nauarr. *cap. 12. num. 30.* & Caiet. *2. 2. quæst. 88. art. 2.* loquens de voto, & Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 6. num. 17.* Angelus *verbo, Votum 1. in fine.* & patebit infrà *ex cap. 28. num. 44.* & alij multi, quos citat Sanchez, & indiget magis explicatione, quàm probatione v. g. iurat quis, aut vouet se eleemosynam daturum, vt in lite iniusta, in ludo fraudulento, & doloso, aut in bello, quod iniquè gerit, victor euadat; iurat etiam se aliquid facturum v. g. se tot Missas dicturum, tot diebus ieiunaturum, tot eleemosynas daturum, vt beneficium Ecclesiasticum simoniacè, & malis artibus obtineat, vel vt rem turpem habeat cum fœmina, vt is, cuius hæreditatem expectat, occidatur, vt in furto, vel in homicidio committendo sibi res prosperè contingat. Mortaliter peccat id iurando, & iuramentum non obligat; nec

Azor. Lessius. Nauar. Caiet. Sanch. Angel.

tenetur

tenetur illud implere, & si implet mortaliter peccat. Ratio est, primò, quia finis propositus voti, & vouentis per se malus est, malum est enim per se bellum iniustum, aut litem alicui intendere, ludum fraudulentum cum aliquo exercere, & in eo victorem euadere. Malum item est, aliquem occidere; rem turpem habere cum fœmina non sua &c. Iuramentum autem, & votum, non sunt vincula iniquitatis; essent autem talia, si ad malum finem obligarent. Imò si ille, qui tot missas sub iuramento, aut voto ob talem finem promisit, putauit se illis honorem Deo posse præstare, blasphemus omnino est, nisi ignorantia illum excuset, quia existimat pecatis Deum posse honorari.

2. Statuo secundò. Qui iurat vel vouet, se aliquid facturum, aut missas dicturum, vel eleemosynas daturum; si ex lite, bello aut ludo iniusto victor euaserit, si ex adulterio prolem susipiat, si beneficium simoniacè obtineat, si fratrem occidat, vt illius hæreditatem acquirat; si in furto non fuerit comprehensus, vel illud fecerit, & hæc ponat tamquam sint meræ, & puræ conditiones, iis positis, vota, & iuramenta sunt valida, & obligant in conscientia. Ita auctores citati, & est communior doctrina. Et ratio est, quia licet quis hæc faciendo peccet v.c. licet quis obtinendo beneficium simoniacè, aut suscipiendo prolem ex adulterio, aut fratrem occidendo peccet; tamen beneficium ipsum hæreditas, proles-ve suscepta; quæ conditionis vim habent, non sunt per se mala. Quare iuramenta, & vota si hæc obtineantur, & ab illis tamquam à conditionibus pendétia, non manent vincula iniquitatis. Secundò, quia votum & iuramentum in eo casu non feruntur ad finem malum, sed pendent ab his rebus tamquam à conditionibus; ergo positis his conditionibus, quæ de se non sunt malæ, obligant; nam obtentio hæreditatis, quæ sequitur ex adulterio, non est per se res mala. Item euadere incolumes, & illæsos fures ex furto, bellantes ex bello iniquo, & homicidas ex homicidio, non est etiam per se malum. Non manent ergo hæc vota, & iuramenta vincula alicuius iniquitatis; ac proinde obligant, & ligant in eo casu facta; imò etiam si hæ conditiones essent per se malæ, & vota, & iuramenta in hunc modum fierent: *Voueo*, vel *iuro me hoc vel illud facturum, si hoc adulterium, furtum, aut homicidium commisero*, id parum referret, & adhuc illis impletis valerent: eum conditiones sint res extrinsecæ, & non ingrediantur finem, substantiam, ac rationem voti, aut iuramenti. Tertiò, quia quotiescumque iuramentum sine peccato exequi, atque impleri potest, obligat iurantem; sed in his casibus impleri potest, sine peccato, ergo obligat. Quamuis enim quis peccet, vt dixi, committendo furtum, occidendo innocentem, habendo rem cum adultera, obtinendo beneficium simoniacè, fallendo in ludo; tamen post patrationem peccati, quæ tamquam mera conditio ponitur, & quæ non intrat substantiam iuramenti, etiamsi ex aliquo affectu ad illud ponatur, impletio iuramenti extra peccatum manet, vt patet, ergo obligat conditione impleta.

3. Statuo tertiò. Quando aliquis iurat se facturum rem mortaliter illicitam, mortaliter peccat, nisi ignorantia excuset, & non debet implere, & si implet, mortaliter iterum peccat implendo. Idem dicendum est proportione habita si rem venialem illicitam iurat, venialiter enim peccat, nisi similiter ignorantia excuset, & non tenetur implere. & si implet, peccat iterum venialiter. Ita Nauarrus *in summa Latina cap. 12. num. 15. & 16.* & communiter Doctores, Toletus *lib. 4. summæ cap. 22. versu, Primus est ratione materiæ.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 5. post primam quæstionem. versu, Deinde, & versu, Præterea.* Probatur, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, neque obligat contra bonos mores; esset autem vinculum iniquitatis, & contra bonos mores obligaret, si ad peccatum mortale, vel veniale obligaret. Exemplis res declaratur. Iurasti te Petrum occisurum, peccasti lethaliter, quia illicitè iurasti, & non teneris implere tale iuramentum, & si imples, peccas iterum mortaliter implendo; quia facis iuramentum vinculum iniquitatis. Iterum iurasti, vel vouisti te mendacium iocosum dicturum, vel te mutuo nihil daturum, vel fideiussionem nunquam facturum, non communicaturum alteri artem, vel scientiam, quam calles, & quam aliis vtilem futuram agnoscebas, nihil facturum propter aliquem, eleemosynam huic vel illi personæ non daturum; nunquam ædilem, prætorem, iudicem, aut decurionem futurum; non futurum etiam Clericum æditum, aut parochum in tali parochia, nisi forte in iis intercedat aliqua causa iustè excusans, venialiter tantùm peccasti; quia materia venialiter erat illicita; & si imples, venialiter iterum peccas; nam hæc & similia vota, & iuramenta charitati aduersantur, & pietati, ac proinde non obligant, neque alia dispensatione indigent, sed propria authoritate infringi possunt, vt docet Nauarr. *in summa Latina cap. 12. num. 16.* Imò & iurando cum intentione implendi dupliciter peccas, & ratione propositi faciendi rem illicitam, & ratione iuramenti contra religionem, iurando talem te rem facturum. Ita Sanchez cit.

Nauar. Tolet. Azor. Nauar.

Dubium præcipuum est, an iuramentum petitum ad soluendas vsuras iurantem in conscientia adstringat; quæ de re partita esse potest sententia. 4.
Prima negat, & ratio est, quia tale iuramentum tunc per iniuriam petitur, & extorquetur; iuramentum autem per iniuriam extortum non obligat, sicut nec per vim, & metum extortum. Secundò, quia hæc solutio est vsurario valde noxia, quia peccat mortaliter accipiendo, & tenetur ille ipsi iuranti restituere id, quod ab eo accepit: ergo videtur actus otiosus, & inutilis, ac proinde iurans ad talem actum non obligabitur. Tertiò, quia iuramentum accedit promissioni soluendi vsuras: sed simplex promissio soluendi vsuras ex mente omnium Doctorum, non obligat; ergo neque iuramentum obligabit; nam accessorium sequitur principale, & cum principalis obligatio non subsistit, corruit accessorium. Quartò, quia, cui datur iusta actio ad repetendum aliquid in iudicio tamquam suum, à fortiori datur actio exceptionis, & retentionis iuxta regulam, *Qui ad agendum 61. de regulis iuris in 6.* & regulam *Inuitus 197. §. Cu damnus ff. eodem titulo, & leg. 1. §. qui superficiem, versu, nam vi damnus ff. de superficiebus; & leg. creditors §. C. de pactis*: Sed iuranti soluere vsuras datur actio ad repetendas vsuras iam solutas in iudicio, vt latè probat Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 11. num. 9.* ergo à fortiori ei concedetur retentio, & hac retentione vtens poterit promissor non soluere; & aliàs, cum vsurarius teneatur statim illi eas vsuras soluere, aut restituere, in conscientia ridiculum videtur, quòd satisfaciat

ciat obligationi iuramenti momentanea illa solutione.

5\. Nihilominus certissimum, & indubitatum videtur apud omnes huiusmodi iuramentum iurantem astringere, & obligare. Ita enim expresse deciditur *in capite, De iure iurando*, ibi *Debitores ad soluendas vsuras, in quibus se obligarunt, cogi non debent; si vero de ipsarum solutione iurauerint, sunt omnino cogendi reddere iuramentum.* Ita docet

Sanch. D. Thom. Caiet. Suarez.

Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 11. num. 3.* D. Thom. 2. 2. *quæst. 89. art. 7. ad* 3. Caietanus *ibi circa solutionem ad* 3. Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 9. num. 7.* Et ratio est primò, quia, vt tradit D. Thom. allegatus communiter receptus, ex iuramento ab homine homini facto duplex ratio obligandi consurgit. Altera erga hominem cui fit promissio, ita vt maneat promittens obligatus homini cui promissionem fecit, ratione ipsius promissionis, & ex hac parte iuramentum per iniuriam extortum iurantem non obligat; homo enim qui per iniuriam alterum coegit ad sibi promittendum aliquid, nullum ius ex tali promissione acquisiuit. Altera erga Deum in testem adductum & fideiussorem: & ex hac parte manet iurans obligatus Deum facere fideiussorem fidelem implendo promissionem, Dei nominis testimonio confirmatá, quoties promissio potest absque peccato impleri; talis autem est solutio vsurarum; &si enim vsurarius peccet recipiendo vsuras, non tamen peccat iurans illas soluendo. Secundò, quia vt iuramentum homini præstitum obliget, debet eius executio esse actus alicuius virtutis, vt docent communiter

Caiet. Arag. Vasq. Sotus.

Doctores, Caietanus 2. 2. *quæst. 89. artic. 2. circa solutionem ad 3. dubio* 1. Aragon. *ibi circa solutionem ad 3. conclusione* 2. Vasquez 1. 2. *quæst. 96. art. 5. disp. 174. num.* 35. dicens esse omnium. Sotus *lib. 8. de iustitia quæst. 1. art. 7. circa solutionem ad 3. versu, Hac omnia.* At ea solutio, supposita ipsa promissione, est actus virtutis, est enim actus religionis erga Deum, & fidelitatis erga homines etiam quādo sine iuramento fit, cum sit actus conseruandi propriam authoritatem, æstimationem, & honorem, stando promissis, etiam iniquè extortis, vt docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 11. num. 3. ad finem, versu, Et ideo dicendum,* ergo obligat.

6\. Limitant verò aliqui hanc sententiam dupliciter. Primò, vt id intelligatur, quando is, qui iurat soluere vsuras, licitè eas soluere promisit; si enim illicitè eas promisit, vt quia nullam necessitatem excusantem habebat, sed ad expendendum in ludis illicitis, aut cum meretricibus mutuum petiit, vsurasque sub iuramento promisit, tunc non obligabit iuramentum, quia tunc tam promissio, quàm solutio illarum sunt illicitæ, & omni causa excusante destituta, & in eo casu solutio illarum censetur cooperatio quædam recipientis: hanc limitationem tribuit Felinus *in capite, Debitores, de iureiurando num.* 7. Glossæ finali *in eo textu*, sed falsò, vt notat egregiè Sanchez

Felin. Gloss. Sanch.

tom. 2. Decalogi cap. 11. num. 4. tantùm enim dicit ibi glossa non esse peccatum soluere vsuras promissas, quia si peccatum esset, non posset obligare iuramentum soluendi illas. Eam tribuit Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 9. num.* 7. Bellameræ, & nonnullis aliis *in eodem capite, Debitores*, sed neminem inuenimus id ibi dicentem. Est tamen hæc limitatio apertè Caietani 2. 2. *quæst. 89. art. 7. circa solutionem ad 3. dubio* 1. vbi dicit iuramentum non obligare, nisi

Suarez. Bellam. Caiet.

quādo eius executio actus virtutis est, & solutionem vsurarum non esse actum virtutis, nisi quando vsuræ petuntur ad redimendam propriam vexationem, & necessitatem. Quare cum in hoc casu non detur talis redemptio vexationis, non obligabit hoc iuramentum. Cum Caietano consentire videtur Valentia 2. 2. *disp. 5. quæst. 21. puncto 3. columna 5. versiculo, Iam de secundo*; ait enim ibi eam solutionem esse peccatum, ac proinde tenetur dicere eius iuramentum tamquam rei illicitæ non obligare.

Valent.

Verùm hæc limitatio non placet, & ideo dicendum est iuramentum obligare, quia &si in promissione culpa commissa fuerit, tamen nulla culpa inuenitur in solutione promissa, vt latè probat Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 9. n.* 23. 7.

Sanch.

Nam culpa iniquæ inductionis ad peccatum inuenta in petitione, si vsurarius non erat paratus, nec petens habebat causam excusantem, non reperitur in solutione, quia iam vsurarius erat paratus ad recipiendum, aliàs non reciperet, sed remitteret iuramentum, & iam concurrunt iustæ soluendi causæ, veracitas scilicet, & fidelitas promittentis, & conseruatio propriæ authoritatis, veracitatis, & æstimationis propriæ, & proprij honoris; & ideo hæc solutio, vtpote ex iustis causis facta, non censetur cooperatio ad peccatum recipientis, sed permissio illius peccati ex causa iusta. Et ideo hanc opinionem sustinent Imola *in capite, Debitores, de iureiurando in fine*, & *ibi* Felinus *num.* 7. & Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 9. num. 7. & 8.* & Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3 cap. 11. num.* 5.

Imol. Felin. Suarez. Sanch.

Secundò limitant, nisi vitium vsuræ esset expressum in ipsa petitione iurata, quia cum tunc sit notoriè vitiosa forma petitionis vsurarum, non obligat iuramentum; & ideo nulla est opus relaxatione illius. Ita Baldus *in cap. 1. de iureiurando num. 6.* Sed hæc limitatio omni prorsus fundamento caret, quia ea vitij expressio non efficit, quin solutio vsurarum sit licita, ac proinde iuramentum obligabit. Et ita docent Couarruuias *de pactis 2. part. § 3. num. 2. versic. 5. ex his* Selua *de iureiurando 4. part. quæst. 6. num.* 3. Cardinalis *in capite, Debitores, de iureiurando ad finem*, & Felinus *ibi num.* 2. & Alexander *de Neuo num.* 10. Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 11. num.* 9. 8.

Bald. Cou. Selua. Cardin. Felin. Alexand. Sanch.

E contrario autem nonnulli ita ampliant obligationem iuramenti soluendi huiusmodi vsuras, vt asserant ex illa acquiri ius vsurario, & ideo eum posse iure actionis compellere iurantem in foro externo vt sibi soluat vsuras promissas, & id probare nituntur *ex capite, Debitores, de iureiurando*, ibi; *si verò de ipsarum solutione iurauerint, cogendi sunt omnino reddere iuramentum.* Igitur pars cui iuratum est, acquirit ius, & secundariam obligationem, vt possit iure actionis cogere iurantem. Secundò, quia *cap. primo, de iureiurando* dicitur cogendum esse vsurarium, ad iuramenta super vsuras sibi soluendas præstita, relaxanda. Relaxatio autem supponit vinculum; ergo vinculum illud iuramenti obligabat, etiam respectu vsurarij. Nam si sola illa obligatio esset erga Deum, nequiret vsurarius illam relaxare, vt patet, & ita tenent Abbas *cap. 1. de iureiurando num. 1. & capite, Debitores num. 4. eodem titulo*, quod colligit ex Glossa *in capite, Debitores, verbo, Cogendi.* Cardinalis *eodem capite, Debitores, num. 1. & capite, Cum venissent num. 9. de Institut.* Felinus *eodem cap. 1. num. 1. & capite, Debitores num. 2.* vbi Neuo *num.* 2. Aragon. 2. 2. *quæst. 89. art. 7.* 9.

Abbas. Glossa. Cardin. Felin. Neuo. Arag.

Valent. *art.7. circa solutionem ad 3. in 5. conclusione.* Valentia *2.2. disp.6. quæst.7. punct.4. columna 7. versu, Quod autem* Sayro *in claui regia lib. 5. cap.6.* Sayro.
num.16. & alij.

10. Dicendum tamen est, nec ius, nec actionem, nec obligationem aliquam secundariam acquiri vsurario ex iuramento sibi ad soluendas vsuras præstito, sed totam illius iuramenti obligationem acquiri Deo, quod clarè significat textus *in cap. Debitores*, dum ait cogendum esse promittentem reddere Deo iuramentum; vbi ideo solius Dei mentio fit; quia illi soli acquiritur obligatio. Nam sicut ius non fouet obligationem illius promissionis, eo quòd turpis sit ex parte recipientis, ita non fouet obligationem iuramenti, vt ex ea acquiratur ius aliquod recipiendi, sed soli Deo, vt diximus; & ideo hanc partem tenent Antoninus *in cap. Debitores num. 7. paulo post medium.* Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 11. num.8.* Fortunius Garcia *de vltimo fine, illatione 22. principali num.465.* Couarruuias *de pactis 2. part. §.3. num. 2. versiculo, Primum ex hoc intellectu.* Molina *tom.1. de iust. disp.150. col. 2. & 3. & tom.3. disp. 515. colum. 4. versu, Vtrùm autem* Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap.27. fine.* Lessius *tom.1. de iustitia lib. 2. cap.17. dub.6. num 51.*

(Anton. Sanchez. Fortun. Garcia. Couar. Molin. Suarez. Lessius.)

11. Nec obstant adducta in contrarium, quia caput, *Debitores*, potius probat hanc nostram sententiam, & coactio de qua ibi sermo est, facienda est ex iudicis officio, vt iurans exequatur obligationem Deo quæsitam, non autem ad instantiam partis ius actionis intendentis. Ad secundum argumentum respondeo, illam relaxationem, seu remissionem vsurarij, non ideo excusare à iuramenti obligatione, quasi ea sit acquisita ipsi vsurario; sed quia Deus illam non acceptat, nisi quatenus fuit facta in illius partis vtilitatem. Sed iam superest, vt soluamus argumenta initio huius quæstionis *num. 4.* proposita. Ad primum dico, falsum esse iuramentum per iniuriam, & vim petitum, & factum, non obligare, nam iuramentum per vim à latrone, & grassatore viarum extortum verè iurantem obligat iuxta omnium sententiam, vt patebit statim capite sequenti *num. 1.* Ad secundum respondeo, eam solutionem esse valde vtilem respectu vsurarij, & esse actum virtutis respectu iurantis, est enim actus magnæ veracitatis, & fidelitatis, & conseruationis propriæ authoritatis, æstimationis, & honoris, stando promissis etiam iniquè extortis, vt probauimus *num.5.* Quare nullo modo dici potest actus inutilis, & otiosus. Ad tertium dico Primò, tunc accessorium sequi principale, & cum illo corruere, quando accessorium est inseparabile à principali & ab illo pendens, secus quando est separabile iuxta doctrinam traditam per Ripam *in l.1. §. Si quis ita. num.39. in fine de verborum electione*, quod multis exemplis ostendit Menochius *consilio 16. à num. 25. versu, Hæ rationes*: & quando causa & ratio irritans principale concurrit in accessorio, secus quando non concurrit; tunc enim stat corruere principale, manente accessorio, quod hîc contingit. Principalis enim promissio est irrita ob extorquentis iniustitiam; accessorium autem, seu iuramentum quod accedit tali promissioni, est validum; quia in ordine ad Deum respectu cuius solius obligat, nulla iniustitia, aut turpitudo datur, vt patet. Et ita respondet Abbas *in cap. Debitores, num.2.* & Imola *ibi num. 5.* Dico secundò, tale iuramentum non esse accessorium promissioni, neque ad eam confirmandam adduci; sed esse principale, & per se stans, obligans ad efficiendum Deum fidelem fideiussorem illius promissionis seu assertionis de futuro, & ita respondet Couarruuias *de pactis 2. part. § 3. num.2. versu, Hinc tollitur*; & vtraque responsio approbatur à Sancio *dicto tom.2. Decalogi lib. 3. cap.11. num.12.* Ad quartum dices, eam regulam procedere quando exceptio legitimè opponitur. At ad non soluendas vsuras nequit exceptio legitimè opponi propter periurium, nisi obtenta priùs relaxatione iuramenti, & ideo illa obtenta, iuuabit hæc exceptio, vt iurans non teneatur soluere.

(Ripa. Menoch. Abbas. Imol. Couar. Sanch.)

12. Ad confirmationem dices, obligationi huius iuramenti satisfieri momentanea solutione, & statim post solutionem absque relaxatione iuramenti potest solutum repeti in iudicio; quia iuramentum fuit duntaxat de soluendis illis vsuris; quamobrem illis solutis, est illi satisfactum. Quæ solutio repetitionem non exclusit. Patet *ex cap. Ad audientiam, de his, quæ vi*: ibi. *Non obstante iuramento prædicto, quo non, ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur.* Ita docet Glossa *ibi, verbo, Resignandum*, & *ibi*, Hostiensis *post principium super verbum, resignaret*, & Ionnes Andr. *num. 2.* Anton. *num.9.* Ancharranus *num 4.* Abbas *num. 1. in principio capitis*, Couarruuias *de pactis 2.part. §. num.2. initio.* Gutierrez *de iuramento 1.part. cap.53. num.8.* Suarez *tom.2. de Religione lib.2. de iuramen. cap.9. num.16.* Lessius *tom.1. de iust. lib.2. cap.17. dub.7. num.51. cap.42. dub.6. num 27.*

(Glossa. Hostiens. Ioan. Andr. Anton. Anchar. Abbas. Couar. Gutier. Suarez. Lessius.)

13. Si autem iuramentum daretur de non repetendis vsuris, non esset integrum repetere, nisi priùs impetrata illius relaxatione, vt colligitur à contrario sensu ex eo *cap. Ad audientiam.* Deinde, quia id iuramentum potest licitè seruari, ac proinde obligat; & ita docet Hostiensis *num. 9. super verbum, Non ad repetendum*; Antonius, & Ancharranus *num.6.* Abbas *notabili 2.* Gutierrez citatus *num.2.* Suarez *num.17.* Bartholus *lege, si quis pro eo, in principio num.10. ff. de fideiussionibus.* Quare cum D. Thom. 2. 2. *quæst.89. art.7. ad 3.* sic ait, *Potest autem repetere in iudicio, quod soluit, vel Prælato denunciare, non obstante, quòd contrarium iurauerit*, illa particula, *non obstante*, refertur ad solam posteriorem partem: ita vt sensus sit, quamuis iurauerit non denunciare potest denunciare, vt docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib.5. cap.11. num.9. fine.* Sed obtenta priùs relaxatione iuramenti.

(Hostiens. Anton. Anchar. Abbas. Gutier. Suarez. Barthol. D. Thom. Sanch.)

14. Sed dubitabis, an in hoc vsurarum debito, possit iurans vti compensatione; & quidem duobus modis hoc potest intelligi. Primo, ita vt iurans possit non soluere vsuras illas iuramento promissas; sed via recompensationis cuiusdam anticipatæ, eas retinere; quia iis solutis, vsurarius eas statim, est sibi debiturus, & statim illas sibi tenetur restituere: sicut aliud debitum posset quispiam via talis recompensationis retinere, quando certus est, statim, eo soluto, tantundem sibi esse debendum, ac restituendum; & de hac recompensatione loquendo, dicendum est, neutiquam satisfieri prædicto iuramento, vtendo hac recompensatione; quia, non obstante ea aperta iniustitia præsentis exactionis vsurarum, iurata fuit earum solutio, & vt satisfiat iuramento, necesse est, vt illa detur. Et ita docent Sotus *lib 8. de iust. quæst.1. art.7. circa solutionem ad 3. versu, Fortasse hic*, Sayro *in claui regia lib.5. c.6.*

(Sotus. Sayro.)

Sanch. Suar. Molin. *num.15. fine.* Sanchez *lib.3. cap.11. num.10.* Suarez *tom.2. de Religione lib.2. de iuramento cap.37. num.21.* Molina *tom.2 de iust. disp.560. colum.12. versiculo, Ad confirmationem.*

15. Nec potest hic, si promisit decem, soluere quinque, & retinere alia quinque via recompensationis; quia reuera decem ei sunt ratione iuramenti debita, & per iuramentum exclusit quamcumque compensationem minorem. Ita Sotus *ibi.* Ex beneplacito tamen vsurarij, loco decem, potest soluere quinque; nam cum iuramentum illud, factum fuerit in vtilitatem illius, sicut potest remittere totam hanc vtilitatem, ita consequenter obligationem iuramenti in totum vel in partem.

16. Secundò potest hæc compensatio intelligi, fieri posse quando vsurarius ille, alia via tantundem huic iuranti deberet, aut post iuramentum debet. Et hanc compensationem, negant etiam Sotus, & Sayro *locis citatis*, & Suar. item allegatus in hanc partem magis inclinat, quia ad satisfaciendum iuramento facto requiritur materialis traditio, quando vsurarius illam, aut partem illius, non remittit; hîc autem, cum mutuatarius, seu vsurarius debitum non remittat, non potest habere locum ipsa remissio; ergo ad obligationem iuramenti implendam ipsa materialis traditio necessariò exigitur. At nihilominus verius dicendum est satisfieri hac compensatione, quia si debitum esset absque iniuria contractum, satisfieret iuramento hac compensatione; ergo à fortiori ei satisfiet quando est per iniuriam contractum, nec enim tunc maiori hoc priuilegio gaudere debet. Deinde qui remittit alicui aliquid sibi debitum, moraliter in communi loquendi modo dicitur dare summam talis debiti. ergo qui vsurario remittit tantundem debiti, quanta erat summa vsurarum, dicitur dare illi summam vsurarum quam iuramento promiserat. Neque per iuramentum censendus est iurans se hoc modo solutionis per debitam compensationem priuare; nam tunc nihil impediente iuramento, quo vsuræ solui promittuntur, poterit in eo debito fieri compensatio vsurarum, quæ sub iuramento solui promittuntur. Ita docet expressè Sanchez *tom.2. Decalogi lib.3. cap.11. num.11.* Molina *tom.2. de iustit. disput.560. columna 12. versu, Ad confirmationem.*

Sanch. Molin.

Caput XIII.

An iuramentum promissorium per errorem, dolum, & fraudem factum absque metu, aut per vim, & metum cadentem in virum constantem extortum, validum sit.

SVMMARIVM.

Refertur opinio asserens iuramentum graui metu iniusto extortum iurantem non obligare. num.1. & 2.

Præfertur sententia asserens pro vtroque foro obligare. num.3.

Iure naturæ tenemur efficere verum id, quod iuramus. num.4.

Promissiones, & pacta graui metu extorta, iuste tamen, & de re licita, non est dubium valere in conscientia, & quæ illa sint. num.5.

Iuramentum factum de re illicita, & peccaminosa, id est, quod sine peccato impleri non potest, non est validum. num.6.

Promittens cui metus incutitur ad extorquendum iuramentum, potest licitè vti amphibologia ad illudendum incutientem metum. num.7.

Qui iuramento promisit latroni viginti aureos. v. g. sibi grauem metum iniustum incutientem, tenetur illos ei soluere. num.8.

Probabile est teneri illum, qui iurauit redire ad carcerem, ad illum redire, etiamsi carcer sit iniustus, & mortem iniustam aut iniustam sententiam grauis pœnæ timeat. num.9.

Probabilius est non teneri redire, num.10.

Peccatum est mortale violare iuramentum, metu etiam graui, & iniuriosè extortum. num.11.

Soluuntur argumenta primæ sententiæ asserentis iuramentum graui, & iniurioso metu extortum, non obligare in conscientia iurantem. num.12. & 13.

Quare Deus acceptet iuramenta metu graui iniurioso extorta, non tamen vota. num.14. & 15.

Votum, & iuramentum metu graui, & iniurioso extorta iure naturali æquè sunt valida. Ecclesia tamen iure Ecclesiastico irritauit vota, non iuramenta. num.15.

Ecclesia similiter irritauit matrimonia, & sponsalia eodem metu graui, & iniuriosè extorta. num.16.

Quomodo intelligendum sit illud pronuntiatum, Accessorium sequitur principale. *num.17. remissiuè ad caput præcedens. num.12. Versu,* Ad tertium dico primo.

Iuramentis metu graui, & iniurioso extortis non deest consensus absolutus; sed secundum quid. num.18.

Iurans nullo modo peccat, nec cooperatur peccato latronis, aut vsurarij soluendo illis pecunias, aut vsuras promissas. num.19.

Quare non sit standum decisioni Iustiniani Imperatoris statuentis, in lege 2. C. si aduersus vend. *pecunias latroni sub iuramento promissas, non esse illi soluendas, & iuramenta graui metu extorta non valere.* num.20.

HANC quæstionem de iuramento promissorio per dolum, & fraudem facto simul cum quæstione de eodem iuramento per vim, & metum extorto commiscemus, quia in idem ferè recidunt; nam si iuramus per dolum, aut fraudem inducti, clarum est nobis, ea fraude, & dolo, maximam fieri iniuriam. Si verò iuramus vi & metu graui compulsi, perspicuum etiam est, eo metu, atque vi nobis violentiam, iniuriamque inferri: siue ergo iuremus dolo, & fraude inducti, siue vi, & metu graui adacti, in vtroque nobis fit iniuria; vnde ratione iniuriæ vel voluntarium vel inuoluntarium censebitur iuramentum. 1.

Primò igitur dubium hîc insurgit, an iuramentum promissorium metu graui extortum obliget in conscientia iurantem? Et quidem hoc iuramentum non obligare, tenuere aliqui antiqui Doctores, quos refert Glossa *capitis 2. verbo, Posse, de iureiurando*; idque suadent ferè omnes rationes num.4. capitis præcedentis allatæ; & videtur insuper hæc opinio posse probari his rationibus. Primò *ex cap.2. de iureiur.* vbi de Episcopo iuranti se non repetiturum res, quibus iniustè spoliatus fuit, dicitur ipsum Episcopum nullius iuramenti vinculo super hoc posse constringi. Secundò, 2. Glossa.

cundò ex lege regia 71. titulo 11. part. 5. *Por miedo, o por engaño, qual fiziesse promitiendo vn hombre a otro de dar, o fazer alguna cosa, maguer se obligasse iurando de hazer loque prometé, dizimos que no es tenudo de complir la promission.* Tertiò, quia hæc obligatio iuramenti non acquiritur homini, sed soli Deo. Deus autem non acceptat promissiones metu extortas; neque enim prudens quisque illas acceptabit. Vnde votum graui metu extortum, non obligat, quia illud non acceptat; ergo neque etiam debet obligare iuramentum. Quartò, quia matrimonium & sponsalia metu graui extorta sunt prorsus irrita, vt patet *ex capite, Veniens 2. & ex capite, Consultationi, de sponsalibus*; ergo, & iuramentum, neque enim videtur diuersa ratio vtrobique. Quintò, quia promissio simplex sine iuramento facta, graui metu extorta, non est valida, neque obligat; ergo neque obligabit, quamuis iuramento firmetur, accessorium enim sequitur principale. Vnde si promissio, quæ est hic principale, sine iuramento non obligat, neque etiam debet obligare iuramentum, quod est accessorium. Sextò, quia tali iuramento metu graui extorto deest consensus; nihil enim tam contrarium consensui, quam vis, & metus, vt habetur *lege, Nihil consensui. ff. de regulis iuris, & capite, Quamuis pactum de pactis in 6.* ibi: *Si iuramento neque vi, neque dolo præstito pactum firmatum fuerit, omnino seruari debet*; ergo è contrario sensu, si vi, & dolo factum fuerit, seruari non debet. Septimò, quia latro recuperando pecuniam ex tali iuramento, peccat mortaliter; cum nullum ius habeat recuperandi illam; ergo neque tenebitur iurans eam illi dare, alioqui cooperaretur peccato mortali illius. Octauò, quia definitum est in *lege 2. C. si aduersus venditionem*, iuramenta vi extorta nihil valere: *Per vim autem, vel metum iniustum extorta sacramenta etiam à maioribus, maximè, ne querimonias maleficiorum commissorum faciant, nullius esse momenti iubemus.* Vbi generatim Imperator Iustinianus omnia iuramenta vi extorta vult nullius momenti esse. Vnde ob hæc, & alia argumenta tenent plurimi Authores huiusmodi iuramenta in vtroque foro esse inualida, nec egere relaxatione. Ita sentit Panormit. *in capite, Cum contingat. 28. num. 3. de iureiurando*; vbi docet quando actus secundùm se est lege prohibitus, vel in irritum reuocabilis, vt exponit Couart. *lib. 1. variar. cap. 4. num. 6.* iuramentum quoque metu appositum esse irritum, & pro hac sententia citat Panormitanus Vincentium Mediolanensem insignem Canonistam. Cum Panormitano consentit Alciatus *in dicto capite. Cum contingat. notabili 3.* Felinus *in cap. 2. de iureiurando*; Franciscus *in cap. 2. de pactis in 6.* & Antonin. *2. part. titulo 10. cap. 6. § Quintus casus.* hi enim omnes docent non esse opus absolutione, quando iuramentum metu graui appositum fuit super contractum inualidum, ac proinde esse inualidum tale iuramentum, & non adstringere iurantem. Idem tenent multi alij, quos citat Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 20. num. 3.* Vbi dicit sententiam esse probabilem; eamque in praxi seruari à iudicibus sæcularibus affirmat Couart. *lib. 1. variar. cap. 4. num. 7.* Quarenus eum, qui sic iurauit, admittunt ad agendum, ante absolutionem à vinculo iuramenti.

Panorm.

Cou.

Vincent.

Alciatus. Felin. Franc. D Anton.

Sanch.

Couar.

3 Nihilominus probabilior, & meo iudicio penè certa sententia est contraria, quæ docet tale iuramentum vi, & metu iniusto extortum pro vtroque foro iurantem obligare, modò factum sit de re licita sine amphibologia, & cum animo se obligandi. Est communis sententia Theologorum *in 3. dist. 39.* eam docet D. Thom. *2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.* Caietanus *ibi.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 42. dub. 6. num. 26. versu, Contraria sententia.* & Azor. *lib. 2. cap. 11. quæst. 12.* Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento promissorio cap. 11. num. 4.* Molina *tom. 1. disp. 149. §. Deinde relaxare*, vbi probat relaxationem iuramenti vi, & metu extorti ex causa rationabili pertinere etiam ad Principes sæculares, Gabriel *in 3. dist. 31. quæst. 1. art. 2. conclus. 8.* Durandus *quæst. 2.* & alij *ibi.* Syluester *verbo, iuramentum 4. q. 7.* citans plures Canonistas. Couarruuias *in 4. decretal. 2. part. cap. 3. § 5. num. 2.* Nauarrus *cap. 12. in summa num 14.* Probatur primò ex sacris canonibus, vbi definita est hæc sententia. Primò enim definita est *in capite, Si vero, & capite, Verum, de iureiurando*; nam *in capite Verum*, de eo qui metu grauissimo compulsus fuerat renunciare beneficio suo, eamque renunciationem iuramento confirmare, dicitur eos, qui metu, & inuiti pro vita sua, aut rebus seruandis iuramenti vinculo se obstrinxerunt, esse à tali iuramento absoluendos; ergo valebant talia iuramenta, & obligabant. Sumitur etiam *ex cap. Abbas, de ijs, quæ vi*, vbi facta per metum si fuerint iuramento confirmata, irritanda dicuntur, non irrita; & *in cap. Ad audientiam, eod. tit.* expressè dicitur iuramentum per iniuriosum metum extortum obligare, & ita docent interpretes in hæc iura, & Gloss. & Doctores *in cap. 1. de iureiurando.*

D.Thom. Caiet. Lessius. Azor. Suarez.

Molin.

Gabriel. Durand. Syluest.

Couar. Nauar.

Ratio est. Primò, quia iure naturæ tenemur efficere verum id, quod iuramus, ne Deum infidelem fideiussorem faciamus; hoc enim magna est iniuria in tantam Maiestatem, quam ne committamus, potius nobis est mors eligenda, & præoptanda. Deinde, quia in tali iuramento concurrunt omnia necessaria ad essentiam validi iuramenti. Nam imprimis iurans metu adactus habuit intentionem iurandi, & se obligandi, vt supponimus, & sufficientem consensum, quia erat in libertate sua, & eo metu poterat peccare; ergo & se iuramento obligare, cum non requiratur maior libertas ad se iuramento obligandum quàm ad peccandum, vt iam probatum reliquimus, & facere tale iuramentum in ea metus circunstantia fuit actus charitatis erga seipsum; illo enim vitam suam redemit, & Deum attulit in fideiussorem rei, quam promisit, ergo tenetur iuramentum promissorium seruare. 4.

Dixi, *Vi & metu iniusto extortum*, quia promissiones, & pacta metu iusto facta, & iuramento firmata, valere in vtroque foro omnino certum est, nec dubitari potest dari metum grauem iustum. Exemplum esse potest, quando, v. g. creditor vel quia à te passus est iniuriam, minatur tibi iustam accusationem, & vindictam, nisi iustam satisfactionem illi promittas, quam vt euites, iuras te satisfacturum; tunc enim metus directè incutitur ad extorquendum iuramentum, & sine vlla iniuria, ac proinde iustus est, vt per se patet. Neque interest quòd metus ad extorquendum iuramentum directè aut indirectè incutiatur, semper enim iuramentum validum & obligatorium est, dummodo metus iustus sit. Et ferè de omnibus actibus ex metu sine iniuria factis, est hæc regula Doctorum generalis, quæ sumitur *ex lege 3. §. vnico & lege similiter ff. quod metus causa.* Fundamentum est, quia non obstante metu actus iurandi 5.

iurandi eſt ſimpliciter voluntarius, licet ſit inuo-
D.Thom. luntarius ſecundùm quid iuxta doctrinam D.
Thomæ 1. 2. *quæſt.* 6. *art.*8. Atqui ad inducen-
dam obligationem ſufficit abſolutus conſenſus
tum ex natura rei, & iure naturali, tum ex iure
humano, quia nullum inuenitur in quo tale iu-
ramentum & eius obligatio irritetur. Ergo me-
tus iuſtè incuſſus non obſtat quominus iuramen-
Suarez. tum obliget. Et ita docet Suarez *tom.*2. *de Reli-
gione lib.*2. *de iuramento promiſſorio cap.* 10. *num.*2.
6. Dixi, *modò factum ſit de re licita*; quia clarum
eſt iuramentum promiſſorium factum de re illi-
cita, & peccaminoſa, non obligare, vt iam pro-
batum manet. Neque dicas promiſſionem iura-
mento confirmatam factam latroni tibi metum
inferenti rem eſſe illicitam, & peccaminoſam,
quia licet peccet grauiter latro illam à te extor-
quens, ex parte tamen tua licita eſt, quia feciſti
illam ex charitate propria ad redimendam vitam
tuam & vexationem. Sicut etiam iuramentum
de ſoluendis vſuris ex parte vſurarij eſt illicitum,
ex parte verò petentis mutuum ſub illis, eſt li-
citum, quia id facit ex charitate propria ad redi-
mendam vexationem ſuam; tu verò non promit-
tis illius actionem quæ illicita eſt, ſed tuam quæ
vt dixi licita eſt.
7. Dixi, *modò factum ſit ſine amphibologia, &
cum animo ſe obligandi*, quia cum metus ſit cauſa
rationabilis vtendi amphibologia ſine animo ſe
obligandi ad illudendum latronem iuramentum
extorquentem, vt omnes fatentur, non obligat
talis promiſſio, & iuramentum, ſicut generaliter
loquendo non obligat illud in quo ob cauſam
rationabilem vtitur iurans amphibologia, aut re-
ſtrictione aliqua mente retenta; v. g. *ſoluam ſi
Leſſius. debeo, ſi voluero, ſi mihi placuerit* &c. Ita Leſſius
*tom.*1. *de iuſt. lib.*2. *cap.*42. *dubio*6. *num.*26. *ver-
ſiculo, dixi modo factum ſit, & dubio* 8. *num.* 47.
Aragon. Aragon. 2. 2. *quæſt.*89. *art.*7. Caietanus *ibi*, & So-
Caiet. Sotus. tus *lib.* 8. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 7. *circa* 4. *argument.*
Couarr. & Couarr. *in capite, Quamuis pactum* 1. *part.* §. 5.
in principio Dixi, *ſi metus grauis ſit cadens in virum
conſtantem*, quia ſi ſit leuis, clarum eſt valere præ-
dictas promiſſiones non ſolùm in foro externo;
ſed etiam in illo reſcindi non poſſe, vt latè pro-
Azor. bat Azor *lib.*1. *cap.*11. *quæſt.*16. imò & in interno
ſi non ratione & vi iuramenti, vt accidit quando
interuenit amphibologia, vel defuit animus ſe
obligandi, ſaltem ratione ſcandali quando datur
iuxta ſupra dicta.
8. Ex dictis ſequitur primò, ſi pro redimenda
vita promiſiſti ſub iuramento viginti aureos la-
Leſſius. troni, teneri te illos ſoluere, vt docet Leſſius
*dicto tom.*1. *de iuſt. lib* 2. *cap* 42. *dub.* 6. *num.*27.
Sotus. Sotus *lib* 8. *de iuſt. quæſt.*1. *art.*7. & omnes citati
num. 3. & ſi enim latro ex hac promiſſione nihil
iuris acquiſierit, eique nulla iniuria fiat, ſi non
ſoluas, Deus tamen ius acquiſiuit, vt verifices id,
ad quod eum in fideiuſſorem adduxiſti. Vbi ta-
men ſoluiſti, ſtatim in iudicio illos poteris repe-
tere; quia momentanea ſolutione ſatisfeciſti.
Quod ſi latro tibi eam obligationem ſimili etiam
metu graui coactus remittat, non teneris illos
ſoluere: ſicut non teneris, ſi Prælatus te à vincu-
lo iuramenti abſoluat, vel ſuperior latronis iura-
mentum relaxet, quia hæc omnia tacitè in tali iu-
ramento includuntur. Sic docet Leſſius citatus
d. *num.* 27.
9. Sequitur ſecundò probabile eſſe eum, qui iu-
ramento promiſit ſe rediturum ad carcerem
quantumuis iniurioſum, & quamuis iniuſtam
mortis pœnam, & ſententiam timeat, teneri ad il-
lum redire, quia hæc promiſſio fuit prudens, cum
abſque illa non poſſet iurans exitum obtinere ad
res ſuas componendas, nec circa rem promiſſam
eſt facta aliqua mutatio; promiſit enim redire
conſcius iniuriæ & periculi iniuſtæ damnationis;
ergo prudenter exequi poteſt promiſſionem, ac
proinde obligabit tale iuramentum. Deinde, quia
ſuppoſita promiſſione iuramento firmata, hic re-
ditus eſt opus virtutis fidelitatis, veracitatis, &
fortitudinis, & patientiæ; nec inde ſequitur obli-
gari etiam ad reditum promiſſum, qui ſine iura-
mento promiſit redire, quia hæ cauſæ ſatis ſunt ad
reddendam iuratæ promiſſionis executionem li-
citam, non tamen ad obligandum virtute promiſ-
ſionis iuramento deſtitutæ, vt probat latè Sanchez Sanchez.
*tom.*2. *Decalogi lib.*3. *cap.*11. *num* 3. Tertiò quia
& ſi te occidere in omni circumſtantia ſit intrin-
ſecè malum, & ideo nunquam liceat, tamen non
fugere periculum mortis & illi ſe exponere in-
terdum licitum eſt ex iuſta cauſa, qualis eſt cauſa
obſeruationis iuramenti & fidelitatis promiſſæ.
& ita hanc ſententiam tenet Sanchez *tom.*2. *De-* Sanch.
*calogi lib.*5. *cap.*11. *num.*32. Romanus *in l. Stipu-* Roman.
*lationes non diuiduntur, num.*78 *ff. de verborum ſi-
gnificat.* Caietanus 2. 2. *quæſt.* 89. *art* 7. *columna* Caiet.
penultima, verſu, Ex his autem, Angelus *verbo,* Angel.
Iuramentum 5. *num* 37. Toledo *lib.* 4. *ſumma* Tolet.
*cap.*22. *num* 2. *verſiculo, Alterum eſt* Suarez *tom.*2. Suarez.
*de Religione lib.*2 *cap.*10. *de iuramento promiſſorio
num.*14. & 15. Leſſius *tom.*1. *de iuſt. lib.*2. *cap.*42. Leſſius.
dub 6. *num.*28.
At probabilius eſt, non teneri illum redire ad 10.
carcerem iniuſtum, ſi timet iniuſtam mortis, aut
mutilationis ſententiam; imò etiam, nec ad car-
cerem iuſtum ſi mortis iniuſtæ ſententia timeatur.
Quod latè probauimus *octauo præcepto lib* 8. *c.*35.
*num.*6. ad quem locum te remittimus; hîc enim
tantùm in hac ſequela hanc grauem quæſtionem
prælibamus, & hanc ſententiam tenet Vaſquez Vaſquez.
tom 2. 1. 2. *diſp.*174 *cap.*5. *num.* 35. Maior *in* 4. Maior.
*diſt.*15. *quæſt.* 22. *in ſolutione ad* 2. Couarr. *lib.*1. Couar.
*variarum cap.*2. *num.*7. Iulius Clarus *lib.* 5 *rece-* Iul.Clar.
*ptar. in pract. criminali quæſt.*21. *num.* 27. Duen-
has *regula* 393. *limitatione* 4. Farinacius multos Duenhas. Farin.
referens *in ſua practica criminali part.* 1. *tom.*2.
titulo de carceribus quæſt. 30. *à num.*124. *vſque ad*
126 Gloſſa in Clementina *Paſtoralis, verbo, Per* Gloſſa.
violentiam de ſentent. & re iudicata, & *ibi* Anchar- Anchar.
tan. *num.*12. Imola *num.*60. Cardinalis *verbo, No-* Imola. Cardin.
torium, notabili 4. *num.*1. Abbas *in cap. Inter alios* Abbas.
in fine de immunit. Eccleſiar. & *in cap. Sicut* 3.
num. 4 *de iureiurando*, vbi ait hoc iuramentum
non obligare, non tantùm quando timetur pe-
riculum iniuſtæ mortis; ſed nec etiam quando
timetur quodcumque iniuſtum graue perſonæ
periculum, ſecus ſi tantùm rerum periculum
timeatur. Ita Ioannes Selua *de iureiurando* 3. *part.* Selua.
*quæſt.*1. *num.*31. & Boerius *deciſione* 215. *num.*50. Boer.
D. Anton. 2. *part. titulo* 10. *cap.*6. *in principio ca-* D. Anton.
ſu 2. *fine.* Roſella *verbo, Accuſatus num.*2. Octa- Roſella. Oſacius.
uianus Oſaſius *in deciſione Pedemontana* 66. *n.*12. Seraph.
Seraphinus *de priuilegijs iuramenti, priuilegio* 132.
*num.*6. Gutierrez *de iuramento* 1. *part. cap.* 57. *à* Gutier.
*num.*24. *vſque ad* 26. Angelus *verbo, Carcer n.*4. Angel.
Syluester *verbo, Accuſatio quæſt. vltima.* vbi Ta- Syluest.
biena *quæſt.*10. *num.*14. & *verbo, Carcer quæſt.* 1. Tabien.
*num.*2. Primò, quia vt iuramentum obliget etiam
homini præſtitum, debet eſſe actus alicuius vir-
tutis, & verſari circa materiam virtutis, vel ſal-
tem indifferentem. At hic reditus ad carcerem
nullius

nullius virtutis actus est, nec rei indifferentis. Non patientiæ, etsi enim patientiæ actus sit ferre mortem illatam iniustè, at vltro se illi offerre absque iusta causa, non est actus patientiæ, sed temeritatis. Non fortitudinis, propter eandem rationem. Non veritatis, & fidelitatis, quia tyranno iniustè petenti fidem ad patiendam iniustam mortis sententiam, aut aliam grauem iniuriam, non est fides seruanda, nisi alia virtutis causa subsit, alioqui teneretur contra omnium sententiam redire etiam si promissio non esset iurata. Secundò, quia iuramentum non constituit promissionis materiam sub aliqua virtute; si ipsa antea ratione promissionis sub illa non erat. Tertiò, quia nō est simile de dare iurante pecunias latroni, soluere enim illas est opus virtutis, nempe redemptionis vitæ propriæ, aut propriæ vexationis, ad quam quis iure naturali tenetur. At hic reditus non est opus virtutis, nec redemptio vexationis propriæ, nec enim illo reditu ea redimitur; sed iterum incurritur eadem vexatio redeundo ad illam. Vltimò, quia si carcer erat iniustus, aut iniusta mortis sententia timetur, & iuramentum ad hæc obligaret, iam iuramentum non esset actus virtutis, & vinculum illius; sed vinculum iniustitiæ, & iniquitatis, atque ex his rationibus soluuntur rationes primæ opinionis. Vide tamen vt dixi *lib.* 8. *octaui præcepti cap.* 35. vbi hæc materia latiùs à nobis disputatur.

11. Sequitur tertiò, peccatum esse mortale violare iuramentum metu graui extortum. Nam licet aliqui canonistæ putent esse solum veniale, vt Panormitanus *in cap. Si verò*, 8. *de iureiurando*. Ioannes Andreas, Hostiensis & alij *in cap. Verùm*. 18. *eodem titulo*. Angelus *verbo, periurium, num.* 7. vbi citat pro se Petrum Aureolum, Cardinalem & alios, & id probant *ex cap. Verum* 18. *de iureiurando*, vbi Summus Pontifex Cælestinus 3. respondet eos qui inuiti, hoc est, metu graui adacti pro vita sua, vel rebus seruandis iurarunt, si non seruauerint, non esse tanquam pro mortali crimine puniendos. At communis sententia Theologorum est, esse peccatum mortale, si materia sit grauis, & is in cuius fauorem iuramentum factum est, vel alius potestatem habens non relaxet, & ita docet speciatim Lessius *tom.* 1. *de iustitia lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 6. *num.* 30. Et ratio est, quia facere Deum fideiussorem vanum in re graui est grauissimam iniuriam illi inferre, ac proinde mortale graue. Ad caput, *Verum*, Respondeo Cælestinum ibi tantum voluisse dicere in foro Ecclesiastico non esse huiusmodi periuros puniendos pœna ordinaria sacris canonibus in iure statuta; sed mitiùs esse agendum cum illis, quia metus culpam eleuat, & veniale, hoc est, dignum venia illorum peccatum ex parte reddit, vt ibi glossa explicat, vel, vt Caietanus ait, hoc pertinet ad iudicium præsentis Clementiæ Pontificiæ, alioquin enim in eodem capite satis significatur eos esse periuros, & cum Lessio consentit expressè Syluester *verbo, Iuramentum* 4 *quæst.* 7. & Nauar. *in summa cap.* 12. *num.* 14.

Panorm. Ioan. Andr. Hostiens. Angel. Lessius. Sylvest. Nauar.

12. Restat modò, vt soluamus argumenta facta pro prima opinione *num.* 2. posita; & ad caput secundum, *de iureiurando*, in quo prima sententia innititur, respondeo eum textum intelligi de iuramento non repetendi res Ecclesiæ, & ideo ibi dici Episcopum iurantem eas non repetiturum, non teneri tali iuramento, & verum dicitur; nam tale iuramentum inualidum fuit; fuit enim præstitum contra bonos mores, & contra ipsam Ecclesiam, quia tenebatur Episcopus ex officio eas integrè conseruare, & dum Papa ibi addit, *nos illum ab eo iuramento absoluimus*, non voluit significare iuramentum fuisse validum, illa enim verba idem ibi valent, ac si diceret, vt explicat Glossa, absolutum, & non ligatum esse ostendimus, proindéque modo illo loquendi, vt ibi glossa explicat verbo, *Absoluimus*, vult Papa declarare iuramentum, nunquam fuisse validum, quam explicationem approbant Felinus *ibi num.* 1. asserens esse communem, & Abbas *ibid. num.* 1. Felin. Abbas.

Ad legem regiam respondet Gregorius Lop. *in ea lege, verbo, Non es tenudo:* hoc est, non condemnet illum iudex, sed potius absoluat à tali iuramento relaxando illud, ita vt cum effectu non damnetur ipse promittens; nam si iuramentum priùs est relaxandum, bene sequitur postea ad nihil teneri iurantem; & hanc responsionem refert etiam, & sequitur Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 37. *fine.* 13. Sanch.

Ad tertium dico, Deum acceptare promissiones iuramento firmatas metu graui, & iniusto extortas; quas quisque prudens acceptare potest, ne maiestas Dei blasphemetur & indeficientem fideiussorem afferatur; non acceptare verò vota, eadem vi, & metu graui extorta, quia in votis solùm expectatur, an executio illorum sit Deo gratior, an omissio; est enim votum promissio facta Deo de re bona meliori non contraria; at verò in iuramentis expectatur tantùm vtrùm executio illius sit licita, & illi, cui promittitur commoda; quia in illis affertur in testem Deus illius animi, & veritatis, qua illam promissionem iuramus, & ideo non attenditur an executio iuramenti, vel omissio sit Deo gratior, sed solùm, an sit licita, vt iuramentum obliget. Quare cum tale iuramentum sit obligatorium, & licitum sit illud exequi, sequitur teneri iurantem promissionem illam soluere, nisi relaxationem iuramenti obtineat. Ita respondet Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 6. *num.* 31. *versu, Ad primum argumentum*; & ita docet etiam Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 149. Verum enim verò 14. Lessius. Molin.

Aliter respondet Suarez, & fortè clariùs *tom.* 2. *de Religione lib.* 2. *de iuramento promissorio, cap.* 10. *num.* 8. comparationem scilicet voti cum iuramento, vel fieri posse stando in iure naturali, & diuino; vel stando in solo iure Ecclesiastico; si priori modo fiat, ait tam validum esse votum, quàm iuramentum promissorium; si posteriori modo, ait votum metu graui factum esse iure Ecclesiastico irritum, non tamen iuramentum, quia Ecclesia prædictum votum metu graui extortum iure Ecclesiastico irritum declarauit, non declarauit autem adhuc irritum iuramentum. Ratio autem ob quam Ecclesia votum non iuramentum irritauerit, reddi potest, quia votum cum sit promissio Deo soli facta, solùm inducit obligationem erga Deum, communiter loquendo; at verò iuramentum communiter affert secum promissionem factam hominibus, ac proinde Ecclesia voluit irritare promissiones factas ex metu graui Deo, quia votum, si est solemne Religionis, habet perpetuitatem status firmi; si est votum simplex, suam etiam perpetuitatem habet vt plurimum. Et verò quod vota metu graui cadente in virum constantem extorta, non solùm solemnia, sed etiam simplicia, sint iure naturali, & diuino valida, & solo iure positiuo, & Ecclesiastico irrita quando metus est iniuriosus, 15. Suarez.

Sanch. Azor. Nauar. Toled. Sotus. & ab extrinſeco illatus, docent etiam Sanchez *tom 2. Decalogi lib. 4. cap 3. num. 12.* & Azor. *lib. 11. instr. moral. cap. 15 quæst. 7.* Nanarrus *in ſumma cap. 12. num 52.* Toledo *lib. 4. ſumma c. 17. num. 5.* Sotus *lib 7. de iuſt. quæſt. 2. art. 1. in ſolutione ad 1. fine*, & multi alij, quos citat ibidem Sanchez. Quod in votis ſimplicibus patet ex vſu Eccleſiæ, & antiqua traditione illius; in votis verò ſolemnibus conſtat ex *cap. 2. de his quæ vi*, vbi declaratur irrita profeſſio fœminæ metu graui emiſſa; & quamuis in eo textu videatur referri profeſſio illa tanquam ficta, & ex hac parte manifeſtior ſit obligationis defectus; tamen, vt notat Sanchez, & Doctores, definino textus non fictioni, ſed metui graui innititur, cum ſtando in iure naturali omnia vota tam metu graui ab extrinſeco, quàm ab intrinſeco illato ſint valida, ſtando verò in iure Eccleſiaſtico, ſola vota metu graui ab intrinſeco illato ſint irrita, quia Eccleſia ſolùm hæc irritauit in odium, & propter iniuriam incutientis metum; & alia vota facta in tempeſtate, aut graui morbo non irritauit, quia hic metus eſt ab intrinſeco illatus; & non eſt iniurioſus vouenti, vt patet.

16. Ad quartum reſpondeo, Eccleſiam ſimiliter irritaſſe matrimonia, & ſponſalia metu graui extorta, & iuramento etiam firmata, non verò alias promiſſiones, vt patet *ex capite, Veniens 2. & ex capite, Conſultationi, de ſponſalibus*; quia matrimonium eſt improbabile pondus, & requirit omnimodam libertatem. Ita reſpondet Suarez *num. præcedenti* allegatus.

17. Ad quintum reſpondimus *cap præcedenti n. 11. verſu, ad 3. Dico primò.* Quæ ſolutio ad hunc locum accommodanda eſt, neque enim conueniens eſt pagellas rebus iam dictis implere, & dictum dicere, vt aiunt.

18. Ad ſextum aſſero, in iuramentis metu graui extortis non deeſſe conſenſum abſolutum, ſed ſecundùm quid, & hunc conſenſum abſolutum ſufficere ad valorem illorum; ſicut enim illo poteſt quis peccare, ita & ſe Deo per iuramentum obligare. Ad confirmationem reſpondeo argumentum è contrario deductum, licet alioqui ſit fortiſſimum, tamen nullam vim habere, quando contrarium eius, quod infert, expreſſum in iure eſt, expreſsè autem in iure conſtat iuramenta vi & dolo extorta valida eſſe, vt latè probauimus *num. 3.*

19. Ad ſeptimum dico iurantem nullo modo peccare mortaliter, nec cooperari peccato latronis ſoluendo illi pecuniam per iuramentum vi graui extortum promiſſam; ſolùm enim illam ſoluit, ne Deum quem pro fideiuſſore in iuramento adduxit, infidelem quantum ex ſe efficiat; & in ſolutione ipſius pecuniæ ſolùm offert materiam indifferentem latroni ad bonum, & malum, qua ſcilicet, ille benè, & malè vti poteſt; benè, non acceptando illam; malè, acceptando contra iuſtitiam. Vnde nullo modo cooperatur peccato illius; ſibi enim latro ipſe peccatum imputet, cum poſſit illud non committere, pecuniam non acceptando. Sic non peccat, nec cooperatur peccato vſurarij ille, qui illi vſuras promiſſas pro ſua redimenda vexatione ſoluit, cum in manu vſurarij ſit illas acceptare & non acceptare, peccare, & non peccare, & verò ſi ipſe peccet, ſibi id tribuat.

20. Ad octauum, & vltimum reſpondemus. Primò, non eſſe ſtandum definitioni Iuſtiniani Imperatoris qua *in lege 2. C. ſi aduerſus venditionem*, definiuit iuramenta vi, & metu graui extorta non valere; quia contrarium definiuit Summus Pontifex *in cap. Si verò, & in cap. Verſum de iureiurando, & in cap. Ad audientiam de ijs, quæ vi*, vt oſtendimus *num 3.* Quoties autem leges ciuiles, & canonicæ de eadem re agunt, & contrarium definiunt, canonicæ maximè in materia conſcientiæ, qualis eſt materia iuramenti, canonicis ſtandum eſt, non ciuilibus; vt eſt principium receptiſſimum inter iuriſperitos; per leges enim canonicas cenſentur abrogatæ leges ciuiles. Reſpondeo ſecundò, Iuſtinianum ſolùm voluiſſe iuramenta vi, & metu graui extorta cum effectu nihil valere; priùs enim erant iurantes ab illis abſoluendi, & ſic poſt abſolutionem nihil valere ea iuramenta, & nullius eſſe momenti, quia eam ampliùs talia iuramenta vim non habent, nec adſtringunt.

S V M M A R I V M.

An iuramenta dolo, & fraude, vel errore, vel ignorantia præſtita, ſed ſine metu extorta, iurantem obligent in conſcientia.

Sola iniuria illata, & nobis facta in metu graui non efficit iuramentum, eo extorto, inualidum. num. 21.

Dolus, & fraus in quo differant ab errore & ignorantia, qua quis ſeipſum decipit. *num. 22.*

Error, & ignorantia eſt duplex, aut antecedens actum, qui eſt faciendus, & ita illi cauſam præbens, vt nullo modo fieret, niſi daretur talis error; aut eſt concomitans ipſum actum, qui fit, & quo non obſtante, nihilominus actus fieret. num. 23.

Ignorantiam, & errorem hìc pro eodem ſumimus, licet ignorantia latiùs pateat, quàm error, & quomodo. *num. 24.*

Dolus, & error, vel poteſt verſari circa ſubſtantiam rei, vel circa qualitatem, & quando circa vtrumque verſetur. *num. 25.*

Si error, & dolus antecedat contractum, & illi cauſam præſtet, itavt aliter nullo modo fieret iuramentum in tali contractu præſtitum, eſt irritum, & contractus inualidus in conſcientia. *num. 26.*

Secus ſi error, & dolus ſit concomitans contractum. *ibid.*

Quando error, & dolus eſt antecedens ex propoſito, dans cauſam contractus, & iuramento, iuramentum eſt irritum, & nulla indiget relaxatione. *num. 27.*

Quid quando error, & dolus eſt concomitans, & verſatur circa ſubſtantiam rei iuramento promiſſæ, non circa qualitatem illius. *num. 28.*

Cum dolus, & error eſt antecedens contractum; & ita illi cauſam dans, vt aliter nullo modo fieret niſi daretur, ſi talis error verſetur circa qualitatem rei, non circa ſubſtantiam; quidam exiſtimant contractum tunc eſſe validum. *num. 29.*

Sed verior opinio aſſerit eſſe irritum talem contractum etiam iuramento firmatum. *num. 30.*

Quod multis exemplis confirmatur. *num 31.*

In votis, non valet votum, quando error eſt antecedens, & dans cauſam voto, & eſt circa ſubſtantiam rei voto promiſſæ: valet verò, quando eſt circa qualitatem tantùm. *num. 30. 33. 34. 35. & 36.*

Oſten

Ostenduntur casus in quibus votum factum per errorem proprium obliget, vel non obliget. à n.32. vsque ad 36.

21. SECVNDVM dubium est, an iuramentum dolo, errore, vel ignorantia præstitum, sit irritum. Et vt hoc explicemus, Notandum est primò, quoad præsentem quæstionem, nihil referre, an iuramentum præstetur dolo, & fraude petentis illud, an per merum iurantis errorē absque aliqua fraude & iniuria sibi illata. Patet, quia sola iniuria, non deficiente consensu, non sufficit ad impediendum iuramenti valorem, vt constat ex dictis à *num.* 3. de iuramento vi, & metu graui extorto. Quare Sanch. tota hæc difficultas, vt notat Sanchez, *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 40. pertinet dumtaxat ad discernendum, quando detur talis error, & ignorantia, vt consensum iurantis omnino auferat, ac proinde ex defectu huius consensus reddatur iuramentum nullum, vel non reddatur, sicut ex defectu absoluti consensus nullum redditur iuramentum, quando ex puro, & mero errore fit, cum nihil volitum, quin præcognitum; id autem, quod ex mero errore, & ignorantia fit, nec volitum est, nec præcognitum.

22. Notandum secundò, in auferendo, vel non auferendo consensu, æqualia esse dolum, & errorem; vterque enim consensum absolutum auferre potest, & iuramentum ex defectu consensus nullum reddere: differunt ergo tantùm dolus, & error in sola ratione iniuriæ, quæ datur in dolo, & non datur in errore. Clarum est enim eum, qui per dolum, & fraudem à nobis extorquet iuramentum, nobis maximam iniuriam facere, vt diximus *num.* 1. & item clarum est errorem, & ignorantiam nostram sæpe contingere sine iniuria nobis ab altero illata. Sæpe enim nosmetipsos nos ipsi fallimus, & circa aliqua decipimur, nullo nos per dolum fallente, aut decipiente.

23. Est autem error (& idem dicendum de dolo, & ignorantia) duplex. Alter est antecedens actum faciendum, & inducens ad illum faciendum, ac ipsi causam præbens, ita vt, ipso non existente, actus nequaquam fieret, atque ita efficit vt actus omnino sit inuoluntarius, cum nihil volitum, quin præcognitum. Alter concomitans ipsum actum, qui fit, & hic non inducit ad faciendum actum; sed ita concomitatur illum, vt eo non D Thom. existente fieret, & ideo vt ait D Thom. 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. ex Philosopho, hic error non efficit inuoluntarium, cum non sit causa alicuius rei repugnantis voluntati; at efficit non voluntarium, eò quod actu velle nequeamus id quod ita ignoramus. Priorem errorem vocant Iuristæ ex *l. & eleganter, ff de dolo.* dolum dantem causam contractui, posteriorem vocant dolum incidentem in contractum; quia eo non existente contractus adhuc fieret, atque ita non est causa contractus.

24. Notabis tertiò, nos hîc ignorantiam, & errorem pro eodem sumere; licet ignorantia latiùs pateat, quàm error. Est enim quædam ignorantia purè negatiua seu priuatina; quæ scilicet meram tantùm scientiæ priuationem importat. Quædam verò positiua; quæ est idem cum errore, & quæ cognitionem aliquam erroneam importat. Vnde cum errorem, & ignorantiam pro eodem sumimus, de ignorantia positiua loquimur, non de negatiua, vt pates.

25. Notabis quartò, dolum, & errorem posse versari, vel circa substantiam, vt si putes vitrum esse gemmam, aurichalcum esse aurum; & in matrimonio, si putes, te ducere Bertam, cum Mariam ducas; vel circa qualitatem, vt si putes vinum esse album, cum sit rubrum, domum esse ampliorem, cum sit stricta; gemmam esse maioris valoris, & minoris inuenias: Petrum, aut Bertam esse diuitem, & sit pauper: Antonium esse conciuem tuum, aut Lusitanum, cum tamen sit Hispanus, & peregrinus, & his similia.

His notatis Doctores absolutè docent, si error 26. & dolus sit antecedens contractum, seu dans causam contractui, seu à proposito contingens (hæc enim omnia in idem recidunt, & synonima sunt, vt bene notat Sanch. *tom.* 2. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 11. Sanch. *num.* 38.) iuramentum in illo præstitum ita esse prorsus irritum, & nullum, vt nulla indigeat relaxatione; secus autem si dolus, aut error sit concomitans, & non dans causam contractui; & non distinguunt de errore, & dolo circa substantiam, an circa qualitatem rei, & sic de vtroque errore, & dolo tam circa substantiam, quàm circa qualitatem rei, loquuntur. Ita docent Abbas *in cap.* Abbas. *Cum contingat num.* 3. *&* 23. *de iureiurando*, & ibi Aleiatus *num.* 13. *&* 14. *& in lege Pacta, quæ* Alciat. *contra num.* 41. *C. de pactis.* Selua *de iuramento* 3. Selua. *part. quæst.* 101. *in vltimo.* D. Anton. 2. *part. titulo* 10. *cap.* 6 *casu* 5. Angelus *verbo, Iuramentum* 5. D. Anton. Angel. *n.* 31. Syluest. *verbo, iuram.* 4 *q.* 8. *& verbo, iuram.* 5. Syluest. *q.* 12. Nauar *in sum. lat. cap.* 12. *n.* 13. Cou. *lib.* 1. *var.* Nauar. Cou. *cap.* 4. *n.* 6. *in fine, & de pactis* 3. *p.* §. 4. *n.* 2. *in fine.* Molin. Molin. *lib.* 2. *de primog. cap.* 3. *n.* 35. Gutier. *de iurament.* 1. *p. cap.* 37. *n.* 12. Sà *verbo, Iuramentum. n.* 9. Gutierr. Sa. Azor. *tom.* 1. *Instr. moral. lib.* 11. *cap* 7. *quæst.* 3. Azor. Seraphinus *de priuilegijs iuramenti, priuilegio* 83. Seraph. *num.* 63. & alij. Et ratio est, quia in priori casu deficit consensus absolutus ad iuramentum, & ad contractus requisitus, idque constat *ex lege* 1. *ff. de dolo, & leg. Regia* 57. *titulo* 5. *partita* 5. in posteriori autem casu non deficit consensus absolutus, si quidem cum eo errore, & dolo incidente, & concomitante, adhuc nihilominus iurans iuraret & promitteret, & contrahens contraheret, vt diximus *num* 21.

Sit prima conclusio. Quando error, & dolus 27. antecedens, seu à proposito, & dans causam contractui, & iuramento, est circa substantiā rei iuramento promissæ, nihil prorsus valet iuramentum, nec relaxatione indiget: & hæc est certissima, & à nemine negatur, & ita præter autores numero præcedenti allegatos, qui absolutè loquuntur, speciatim docent Suarez *tom* 1. *de Religione lib.* 2. Suarez. *cap.* 11. *num.* 5. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 42. Lessius. *dub.* 7. *num.* 33. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. Sanch. *cap.* 11. *num.* 41. Exemplum sit, vt si quis iuret alicui dare rem, quam putet esse vitream, & postea inueniat esse gemmam, non tenetur tali iuramento, quia est error circa substantiam. Idem si iurauit se ducturum in vxorem Mariam putans esse Martham. Ratio est aperta, quia error, & dolus circa substantiam tollit absolutum consensum, ac proinde reddit irritam promissionem, & matrimonium, vt latè probat Sanchez *lib.* 1. *de* Sanchez. *matrimonio disput.* 18. *num.* 12. Errantis enim circa substantiam rei nullus est consensus, nulla voluntas, vt est commune Iurisperitorum effatum deductum ex *lege si per errorem ff de iurisd. omn. iud. & lege, cum testamentum, & lege, non idcirco C. de iuris, & facti ignorantia.*

Secunda conlusio. Idem prorsus dicendum 28. est, si error, & dolus sit concomitans, & non dans

dans causam contractui, aut rei iuratæ, & sit circa substantiam rei, & non circa qualitatem illius; nihil enim prorsus tunc valet iuramentum, Sanch. nec relaxatione indiget. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 11. num. 43.* & latissimè idem probat *lib. 7. de matrimonio disp. 18. num. 6.* vbi cum nonnullis contra alios ostendit huiusmodi errore irritari matrimonium. Idem etiam Suar. docet Suarez *tom 2 de Religione lib. 2. cap. 11. n. 7.* & ratio est, quia ad valorem iuramenti, & matrimonij necessaria sunt consensus, & voluntas positiua: non detur autem positiua voluntas, & consensus, quando datur error, & dolus circa substantiam rei. Nec refert, quòd huiusmodi error, & dolus comitans non efficiat actum inuoluntarium; quamuis enim non efficiat illum inuoluntarium, efficit tamen non voluntarium; ac proinde sufficit si contingat circa substantiam rei ad tollendum consensum absolutum, & necessariò requisitum ad valorem iuramenti aut contractus. Quod adeo verum est, vt nec etiam valeat iuramentum factum cum errore concomitanti si sit circa substantiam rei, quamuis iurans tempore ipsius iuramenti hunc actum eliceret, *iurarem, & si scirem dari errorem circa substantiam rei iuramento à me promissa, & esse alteram rem ab ea, quam modò promitto*; oportet [illegible]m ad iuramenti valorem vt eo tempore, quo iuramentum fit, actu detur intentio iurandi, & non sufficit quòd id iuraretur, & intentio promittendi haberetur, etiamsi sciretur dari errorem circa substantiam rei promissæ. Sicut ad valorem matrimonij cum errore concomitante personæ, non sufficit, quòd tempore matrimonij hic actus eliceretur, *Ducerem, si nossem hanc esse Mariam, quam puto esse Ioannam*; sed oportet, vt sit actu consensus de præsenti; v. g. *te duco etiamsi sis Maria.* Et ratio est, quia ad matrimonium, & iuramentum exigitur consensus de præsenti, & non sufficit de futuro, qualis datur in eo consensu conditionali, *ducerem, & iurarem etiam si scirem dari hic errorem circa substantiam* Ita in matrimonio docet Sanch. expressè Sanchez cum multis *lib. 7. de matrimonio disp. 18 num. 6.* & in propriis iuramenti terminis Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuram.* Suar. *promiss. cap. 11. num* 8.

29. Tota difficultas est, si dolus, & error versetur non circa substantiam; sed circa solam qualitatem rei iuratæ, & sit antecedens dans causam contractui, non concomitans, & tunc diuersæ sunt opiniones: & quamuis aliqui dicant iuramentum tunc esse validum, & obligare; quia etsi error, & dolus causam illi dederit, & nullo modo fieret, nisi adesset talis error; tamen error ille erat tantùm circa qualitatem rei, non circa substantiam illius, & sic talis error, & dolus non sustulit consensum absolutum, nec fecit actum inuoluntarium omnino circa substantiam rei, sed solùm sustulit consensum secundùm quid, id est, circa accidentia, & qualitates rei circa quam contrahitur.

30. Nihilominus existimat, & bene, Lessius *tom. 1.* Lessius. *de iust. lib. 2. cap. 42. dub. 7. num. 34. & 35.* iuramentum, & contractum esse irritum, & non obligare, Et hæc opinio confirmari potest ex omnibus auctoribus, quos citauimus *num. 25.* qui absolutè docent omnem errorem antecedentem iuramentum, & contractum, illa reddere nulla, ita quod nullo modo obligent, nec indigeant relaxatione; & nihil distinguunt de errore circa substantiam, an circa qualitatem rei. Et cum Lessio hanc opinionem tenet Nauarrus *in* Nauar. *summa Latina cap. 12. num. 13.* vbi insinuat hanc esse sententiam communem. Syluester *verbo iura-* Syluest. *mentum 4. quæst. 8* ex Archidiano Panormitano, Ioanne Andrea, & Federico. Idem Sà *verbo iu-* Sà *ramentum*. Idem etiam expressè docet Panormi- Panorm. tanus *in capite, Cum contingat 28. num. 3. & 23. de iureiurando.* D. Antonin. *2. part. tit. 10 cap. 6.* D. Anton. *§. Quintus casus*, & Couarr. *lib. 1. variar. cap. 4.* Cou. *num. 7.* Vbi approbat sententiam Panormitani; quos omnes, & citat, & sequitur Lessius allegatus. Probatur ergo primò opinio Lessij in hunc modum; quia vbi dolus antecedens est, & dans causam contractui, & iuramento, totaliter excluditur voluntas. *lege 2. ff. de dolo*; Vbi autem excluditur voluntas absoluta, excluditur consensus, & vbi non datur consensus, non datur iuramentum. Probatur secundò, quia iuramentum non obligat extra mentem, & intentionem iurantis, sicut nec votum, *capite, Quintanallus, & capite, Veniens, de iureiurando*: atqui intentio iurantis nō est se hoc casu obligare, nam mens eius tacitè repugnat; si enim sciret rei qualitatem, nollet contrahere, ergo &c. Tertiò, quia Deus non acceptat iuramentum nisi secundùm intentionem eius, qui bona fide iurat, non autem secundùm intentionem eius, qui fraude extorsit, *capite, Humana aures 22. quæst. 5.*

Exemplis res confirmatur. Primò, iuramento 31. promisisti puellæ nuptias putans esse Virginem; postea intelligis eam talem non esse, non teneris iuramento, vt omnes fatentur, & tamen error est circa qualitatem personæ, non circa substantiam, nec circa ipsam personam. Et ratio est, quia error antecedens dedit causam promissioni, non enim promisisses, si sciuisses, & iudicio prudentum hic casus censetur exceptus. Secundò, iuramento promisisti emere domum Petri, quam putabas bonam, & firmam, & postea deprehendis vitium in fundamentis, vel esse subiectam spectris, non teneris ob eandem causam. Tertiò, puella dolo inducta à fratribus renuntiauit hæreditati paternæ cum iuramento pro certa dote, non tenetur tali iuramento, si putabat hæreditatem esse mediocrem, & postea inueniat multo pluris valere, vt docet Lessius allegatus *num 35.* Lessius. & Federicus *consilio 115.* Quartò, vendidisti do- Federic. mum tuam, & iuramento promisisti stare contractui; postea reperis te grauiter læsum; potes agere ad supplementum pretij, non enim iuramento intendisti cedere iure tuo, si deceptus esses in pretio. Hæc omnia exempla affert, & approbat Lessius *dict. tom. 1. de iust. lib 2. cap. 42. dubio 7. num. 35.* & in omnibus error est circa qualitatem, non circa substantiam rei, vt patet; neque contra illius sententiam sic explicatam sunt aliqua argumenta difficilia.

Secus se res habet in votis, quia votum licet 32. non valeat quando error antecedens, & dans causam voto, est circa substantiam rei voto promissæ; valet tamen quando est circa qualitatem, aut circa extrinseca accidentia ipsius voti. Et ratio diuersitatis inter votum, & iuramentum promissorium sumi potest ex iis quæ docet Lessius *to-* Lessius. *mo 1. de iustit. lib. 2. cap. 40. dubio 2. num. 13. & cap. 42. dub. 7. num. 34.* Quia quemadmodum promissiones vulgares quæ fiunt homini, & inter homines si ex aliquo errore procedant, licet non sint iure naturæ inualidæ, reuocari tamen possunt arbitrio promittentis detecto errore, vt vsus receptus confirmat, prætterquam in quibusdam pro-

missio

missionibus mutui inter mercatores, quia sicut homo homini facilè aliquid promittit, ita etiam facilè reuocare possit promissionem, si deprehendarse ex errore aliquo promisisse. Secus in votis, quæ sunt promissiones Deo factæ, & ideo hoc ipso, quòd semel factæ valent, statim fiunt insolubiles; itavt non nisi à superioris potestate relaxari possint, & ex causa iusta. Et ratio etiam adhuc est, quia in promissionibus humanis lex positiua ius tribuit promittenti reuocandi obligationem si ex errore aliquo procedat, *lege, & eleganter 7. de dolo, & cap. primo 15. quæst. 6.* Id autem non facit ius in votis, idque merito, vt docet Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 2. num. 10. & 13.* & Nauarrus *in summa, cap. 12. num. 19.* Caietanus *in summa, verbo, Votum ex parte in fine.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 1. art. 2. ad 1. argumentum*: tum propter reuerentiam diuini Numinis cui vota fiunt, tum propter inconuenientia & absurda quæ sequerentur, si error antecedens circa qualitatem, & accidentia voti, tolleret obligationem voti, vt notant Caietanus, & Lessius *locus* modò *allegatus*. Multæ enim professiones non essent validæ, quia plurima supeructuniunt, vel latent, quæ si ab initio cognita fuissent, noluissent homines profiteri, & sic nihil in statu religioso firmum, aut stabile esset. Sufficit igitur ad obligationem voti siue simplex, siue solemne sit; notitia eorum, quæ rei, & actui sunt intrinseca, & aliquo modo ad substantiam pertinent. Vnde si quis fraude alterius, v. g. falsis promissis induceretur ad faciendum votum simplex continentiæ, castitatis, aut obedientiæ, tam validum esset, quàm si sic induceretur ad professionem Religiosis, qui est casus definitus *in cap. 20. quæst. 3.* similiter in casu *capitis, Ex parte 9. de conuers. coniugator.* vbi susceptio voti, id est, professio ex causa falsa, est valida; si tamen error antecedens, & dans causam voti sit circa substantiam ipsius voti, aut aliquo modo in substantiam redundet, irritum omnino votum reddit, vt docent authores citati, & speciatim Lessius *num. 11.* & est communis sententia Doctorum. Censetur autem in substantiam redundare multis modis. Primò, si sit circa partem notabilem rei promissæ, vt si voueas peregrinationem Lauretanam, vel Hierosolymitanam, putans illas esse 10. aut 100. dierum, cum tamen sint 20. aut 200. voto non teneris; quia non intendebas nisi ad dimidiam operis partem te obligare. Secus si error sit circa partem modicam respectu totius; tunc enim excessus ignoratus non censetur exclusus nisi de contraria intentione tua constet; vt si intendebas te absolutè ad tale opus obligare, non curando quantum esset, aut quot dies in tali peregrinatione essent insumendi. Ita Lessius allegatus *dicto num. 11.*

33. Secundò, contingit error in votis circa substantiam voti aut rei voto promissæ, aut circa redundantiam in substantiam illius cum erratur circa materiam operis promissi, vt si voueas certum numum, quem putabas argenteum cum sit aureus. Si voueas ingredi certum monasterium, quod putabas esse ordinis Sancti Augustini, cum sit Sancti Benedicti. Item si voueas ingredi certum monasterium, in quo putabas disciplinam religiosam esse integram, cum tamen circa essentialia aut alia principalia non seruetur; secus si deceptio sit solùm circa alia minutiora. Ita docet Sotus *suprà lib. 7. de iustitia quæstione 1. artic. 2. ad 1. argumentum*; & Lessius *dicto tom. 1. de iustitia lib. 2. cap. 40. dub. 2. num. 11. paulo post initium.*

34. Tertiò, cum erratur circa personā cui opus est præstandum; vt si voueas dare eleemosynam huic quem putas esse Petrum, cum sit Paulus. Quartò, cum erratur circa causam formalem, vt si voueas dare eleemosynam Titio putans esse pauperem, cum sit diues; tunc enim non subest ratio formalis eleemosynæ, quam vouisti, quæ fuit miseria paupertatis, quam subleuare intendebas; quæ esse non potest vbi diuitiæ sunt, & non est paupertas, quæ eleuetur. Quintò, cum erratur circa causam finalem vouendi extrinsecam; hoc enim modo error etiam in substantiam voti modo aliquo redundat, quamuis non semper, vt si voueas peregrinationem pro salute Petri, quem putabas ægrotare, cum non ægrotet, vel iam obierit. Ratio est, quia peregrinatio non vouetur absolutè; sed vt medium ad impetrandam expulsionem morbi Petri; atqui hic & nunc, reuera non est medium ad talem finem cum finis sit impossibilis, non enim potest depelli morbus, qui non existit, ergo est deceptio circa substantiam eius rei, quæ formaliter vouetur, medium enim accepit rationem formalem ex fine. Ita Lessius citatus *dicto num. 11.*

35. Dixi, *non semper*; quia si voueas religionem principaliter eo fine vt in ea peruenias ad prælaturam falsò persuasus monachos statuisse te eligere; vel si voueas peregrinationem ad limina Apostolorum falsò tibi persuadens, te hac ratione à Papa obtenturum canonicatum, teneris ad votum, etiamsi nec prælaturam, nec canonicatum obtineas; quia hæc fuerunt causæ motiuæ tantùm. Nec refert, quod ita sis paratus, vt si scires te decipi circa causam motiuam non vouisses, quia ille affectus re ipsa nihil operatur contra votum, cum conditio ad hoc requisita, nempe scientia veritatis desit; & non obstante hoc affectu habes alium affectum, quo absolutè vis vouere, & voues. Sicut si des eleemosynam pauperi existimans esse probum, cum tamen sit improbus; & ita sis affectus, vt si scires eius improbitatem, nolles dare; nihilominus valida est donatio, quia re ipsa das absolutè ad leuandam inopiam, etsi probitatis opinio te ad dandum mouerit. Hæc omnia exempla & alia similia apponit Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 2. num. 11.* quem vide.

36. Sextò, erit etiam votum irritum, & non obligabit, si error detur circa illius obligationem, vt si quis voueat persuasus, votum non obligare omnino, aut non obligare nisi sub peccato veniali, aut posse à se ipso relaxari facili negotio, quoties voluerit; quia hic error redundat in substantiam voti; talis enim ignorat naturam actus, quem facit, & ideo ad illum obligari non potest. Ita docet Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40. n. 11. versu, Sextò.* Idem dicendum si quis putaret matrimonium esse solubile, sicut passim soluitur apud Ethnicos: debet tamen error esse causa actus, alioquin non reddet illum irritum, cum sit error specularius, & impertinens ad actum, qui censetur fieri absolutè iuxta conditionem suæ naturæ, vt bene aduertit Lessius allegatus.

**

CAPVT

Capvt XIV.

Agitur de iuramento facto de re mortaliter, vel venialiter illicita, & de re indifferenti, & contra consilia Euangelica; quæritur an obligent in conscientia.

Svmmarivm.

Qui iurat se facturum rem mortaliter illicitam, mortaliter peccat, & non tenetur implere; & si implet, peccat etiam mortaliter implendo. num. 1.
Idem dicendum cum proportione de eo qui iurat se facturum rem venialiter illicitam. ibid.
Explicatur locus Leuitici, qui videtur asserere teneri eum, qui malum iurauit, iuramentum implere. num. 2. *Et intelligitur de malo pœna, & non culpa.* ibid.
Explicatur locus alius similis de iuramento, quo filij Israel iurarunt ad extinguendam tribum Beniamin, se non accepturos filias illius in vxores, quod tamen iuramentum fuit validum. num. 3.
Explicatur iuramentum Israelitarum de abijciendis mulieribus alienigenis, & filijs, quos ex illis susceperant contra legem naturalem perpetuitatis matrimonij, quod constat fuisse licitum ex sacra pagina. num. 4.
Peccatum veniale dispositiuè vergit in detrimentum salutis æternæ. num. 5.
Iuramentum promissorium, quatenus assertorium, requirit veritatem de præsenti. num. 6.
Explicatur caput, Cum quidam, de iureiurando, *in quo iubentur absolui a iuramento illicito aliqui iurantes.* num. 7.
Illicita iuramenta apud aliquos auctores vocantur periuria, non quia illicitè iurantes teneantur ad talia iuramenta; sed quia sic iurando peccarunt. num. 8.
Quæ sint res indifferentes. num. 9.
Iuramentum factum de re indifferenti, vt indifferens est, non est obligatorium. num. 10. 11. & 12.
Si opus de se indifferens propter aliquam circumstantiam extrinsecam, aut finem honestum desinat esse indifferens, iuramentum de illo, sub illo fine obligabit. num. 13.
An iuramentum factum à principio de re indifferenti obliget, si postea aliqua accidat circumstantia, qua res desinat esse indifferens. num. 14.
An valeat iuramentum promissorium de non obseruandis consilijs Euangelij. num. 15. & 16.
An ille qui didicit certam medendi artem cum iuramento non communicandi illam, teneatur ad iuramentum. num. 17.

1. Statvo primò. Quando aliquis iurat se facturum rem mortaliter illicitam, mortaliter peccat, & non tenetur implere, & si implet mortaliter etiam peccat implendo. Idem dicendum de re venialiter illicita proportione habita. Est communis omnium Doctorum. Ita Toletus *lib. 4. summa cap. 12. num. 3.* (Tolet.) & Azor. *lib. 11. cap. 5. post primam quæstionem, versic. Deinde.* (Azor.) Probatur, quia esset id quidem contra bonos mores; at iuramentum contra bonos mores non est obligatorium, vt constat ex regula iuris 58. *in 6.* vbi à Glossa multa iura pro hac parte citantur, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis; esset autem, si obligaret ad rem mortaliter, vel venialiter illicitam; & ita Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento promissorio,* (Suarez.) & patet ex *cap. Si verò, & ex cap. Cum contingat, de iureiurando*; vbi dicitur non obligare iuramentum, quod vergit in interitum salutis æternæ. Deinde, quia idem non potest simul impleri, & prohiberi, alioqui homo obligaretur ad impossibile; sed peccatum absolutè prohibetur, ergo nemo potest ad id obligari in quo peccatum cernitur. Exemplis res declaratur; iurasti te furto spoliaturum hominem, peccasti mortaliter; quia rem mortaliter illicitam iurasti, & non teneris, nec debes implere tale iuramentum, & si imples peccas mortaliter, quia facis iuramentum vinculum iniquitatis. Similiter, iurasti te mendacium iocosum dicturum, eleemosynam non daturum, nihil facturum propter alium, non futurum Prætorem, ædilem in Republica, venialiter tantùm peccasti sic iurando, & non teneris implere; quia materia erat venialiter tantùm illicita; & si imples, venialiter iterum peccas. Ratio est, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, & hæc, & similia iuramenta charitati, & pietati aduersantur, semper tamen excipimus, nisi aliunde tale iuramentum licitum, & iustum sit propter aliquas circumstantias externas, vt si in officio Prætoris soleas committere grauissima peccata mortalia, tunc iurare te non futurum Prætorem ad euitandam eam occasionem peccati licitum est, & teneris illud iuramentum implere sub mortali.

2. Sed contra propositã assertionem opponi potest. Primò, illud Leuitici 5. *Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs suis, vel malè quid facere vel bene, & id ipsum iuramento, & sermone affirmauerit, oblitaque postea, intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam de peccato suo.* In quibus verbis satis significatur peccatum esse obliuisci iuramenti de aliquo peccato, & malo faciendo, hoc est, non implere iuramentum de aliquo peccato, & malo faciendo. Respondet Lyra ad hunc locum ibi non esse sermonem de iuramento faciendi aliquod malum; sed de iuramento malè facto, quamuis de bono sit, vt quia leuiter, & ex impetu passionis potius, quàm ex ratione, & matura deliberatione fit. Verùm hæc responsio non est apta contextui, quia non dicitur ibi, si quis benè, vel malè iurauerit; *sed qui protulerit labijs suis, vt malè, vel benè quid ageret*; loquitur ergo sacra Scriptura de bono, & malo non solùm ex parte iurantis, sed etiam ex parte actionis, & obiecti iurati. Melius igitur respondent Abulensis *ibi quæst. 4.* (Abul.) & Cyrillus *lib. 3. in Leuiticum,* (D. Cyril.) & Oleaster Lusitanus *ibi,* (Oleaster.) explicans verbum illud, *malefacere,* vbi asserunt per illum modum loquendi *malefacere,* non intelligi malum culpæ, sed malum pœnæ, itavt iurare malefacere idem sit, ac iurare se ipsum affligere intra terminos discretionis, vel proximum per modum honestæ correctionis, non vindictæ. Dici etiam potest, & est expositio Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento promissorio cap. 14. num. 8.* (Suarez.) ibi non explicari quale fuerit peccatum; quare debere intelligi de peccato, quod commissum fuit malè iurando: vnde licet postea obliuiscatur, & non impleat iuramentum, nec teneatur illud implere, quia fuit de re illicita, teneri tamen postea pœnitere & offerre sacrificium pro peccato quod commisit,

commisit, malè iurando; si autem bene iurauit, & oblitus est, id est, non impleuit, similiter debet agere pœnitentiam; quia non impleuit votum validum, & de re licita, & bona factum.

3. Secundò obiici potest id quod dicitur Leuitici vltimo, vbi filij Israël iurarunt non daturos filias suas filiis Beniamin in vxores, quod videtur factum fuisse ex praua intentione extinguendi totam illam tribum Beniamin, & consequenter fuisse de re illicita, vtpote, charitati, & societati humanæ contraria, & nihilominus illud iuramentum obseruatum fuit tanquam verum inducens obligationem, vt ex textu constat. Respondent aliqui illud factum fuisse de re licita, & bona, quia bellum illud quod gerebant reliquæ tribus contra tribum Beniamin, erat iustum, & ex Dei voluntate, vt patet ex Leuitico *cap.* 20. Vnde in pœnam delicti potuit illud iuramentum fieri absque peccato. Sed non placet Abulensi *ibi quæst.* 7. hæc responsio: quia, inquit, in casu illo necessitatis extremæ iniquum erat non dare illis vxores. Vnde *quæst.* 7. affirmat Israëlitas errasse per ignorantiam, qua vel putabant iuramentum illud fuisse licitum, vel credebant teneri illos illud implere, etiam si esset illicitum, & in interitum salutis æternæ vergeret. Verùm respōderi potest, illos sine errore, & ignorantia potuisse existimare se teneri iuramento, si supponamus factum esse zelo iustitiæ, & vindictæ non immoderatè, atque adeo non animo extinguendi tribum illam; sed vt societatem, & amicitiam, & humanum conuictum illis negarent, quoad vsque resipiscerent. — Abulens.

4. Tertiò obiici potest iuramentum factum ab eodem populo Israëlitico. 1. *Esdr.* 10. duxerant enim Israëlitæ vxores alienigenas, & ex illis filios susceperant, & postea iurarunt eas dimittere cum filiis suis. Quod iuramentum videtur factum fuisse de re illicita, & contra legem naturalem perpetuitatis matrimonij, & procreationis liberorum. Respondeo primò, in hoc certum imprimis esse debere, iuramentum illud fuisse de re licita; quia Esdras vir sanctus, & Sacerdos illud declarauit populo illam fuisse Domini voluntatem, vt ex textu constat. Vnde siue illud fuerit per declarationem præcepti, siue per diuinam dispensationem, certum est id fuisse licitum. Vnde D. Augustinus *lib.* 1. *de adulterinis coniugiis*, ait: *Quas duxerant Domino prohibente, Domino iubente dimiserunt.* Respondeo secundò, potuisse illam dimissionem esse ex speciali dispensatione Dei; sed textus id non significat; quare potius dicendum est populum ipsum pœnitentia ductum, quòd contra Domini voluntatem alienigenas vxores duxerat, obtulisse Esdræ illam conditionem dimittendi illas cum liberis illarum, & Esdram illam acceptasse, & iuramentum de illis abiiciendis à populo postolasse. quod totum potuit esse licitum, quia non poterant fideles Israëlitæ cum alienigenis habitare sine iniuria Creatoris, pelliciebant enim illos ad idololatriam, & peccatum, quo casu licitum est dimittere vxorem infidelem, vt docet D. Paulus 2. *Corinth.* 6. & 1. *Corinth.* 7. & dicitur *in capite, Gaudemus, de diuortiis*, & ita nihil actum fuisse contra perpetuitatem matrimonij, quæ hanc conditionem intrinsecè habet inclusam, neque contra legem naturalem de alendis filiis, quia cum partus sequatur ventrem, merito matribus concessi sunt; & fortassis quòd iam erant educati à matribus ritu gentilico. Præterea non dicitur ibi dimisisse filios vacuos; quare potuerunt illis prouidere de congruis alimentis ad implendam obligationem naturalem. — D. August. — D. Paulus.

Quartò obiici potest, quia illa iuramenta non obligant, quorum obseruatio vergit in detrimentum salutis æternæ, vt patet *ex capite, Si verò, & ex capite, Cum contingat, de iureiurando*; sed peccatum veniale non ducit ad detrimentum, aut interitum salutis æternæ, non enim dissoluit amicitiam cum Deo, nec Dei gratia priuat; ergo iuramentum factum de re venialiter illicita implendum est, etiam si venialiter in impletione illius peccetur. Confirmatur, quia minus malum est peccare venialiter, quàm facere iuramentum falsum. Facimus autem iuramentum falsum, & mortaliter peccamus si propter vitandum peccatum veniale non obseruetur iuramentum, ergo implendum potius est cum peccato veniali, quàm peierandum cum mortali. Respondeo primò, in illis iuribus non poni regulam exclusiuam; scilicet, solum illud iuramentum non obligare quod vergit in interitum salutis æternæ, & quod sine peccato mortali impleri non potest, neque etiam poni hanc vniuersalem affirmatiuam, *Omne iuramentum, quod non est contra salutem æternam, est obseruandum*; sed poni absolutè illam regulam, quæ non tollit alia iuramenta, quæ sunt contra bonos mores, non esse obseruanda; iuramenta autem de re venialiter illicita facienda contra bonos mores sunt, vt patet. Ita respondet Abbas *in cap. Si verò, notabili* 2. & Couarr. referens alios §. 6 *n.* 6. & 7. Sed facilius responderi potest, peccata venialia vergere etiam in interitum salutis æternæ; nam licet peccatum veniale non dissoluat amicitiam Dei, nec priuet per se, & immediatè vita æterna; nihilominus quatenus de se disponit ad mortale, & reddit hominem modo aliquo indispositum ad perfectum Dei amorem, meritò dici potest vergere in dispendium salutis æternæ; quod alia iura vocant iuramentum vergere in peiorem exitum, vt constat ex Sotero Papa, & ex Beda *in cap. Si aliquid* 1. & 2. 22. *q.* 4. — 5. — Abbas. Cou. — Soter. Papa Beda.

6. Ad confirmationem dico, illam rationem rectè accommodari posse ad iuramentum promissorium, quatenus assertorium est. Nam licet iuramentum, quatenus assertorium est, sit de materia, & peccato veniali, semper tamen debet fieri cum animo, proposito, & intentione implendi illud; aliàs enim peccabitur mortaliter, & committetur periurium formale, afferendo Deum in testem veri animi, quem dicit se habere ad faciendam rem iuratam, cum tamen talem animum non habeat. Ratio est, quia tali iuramento, vt est assertorium, deest veritas de præsenti, quæ comitatur intentionem faciendi id quod iuratur, siue res leuis, siue grauis sit. Vnde iurans, & non intēdens implere, periurus est, vt docet Toletus *lib.* 4. *summæ cap.* 21. *num.* 13. & Suarez statim allegandus, & nos sæpe diximus, & tenet etiam Nauarrus *in summa Latina cap.* 11. *num.* 16. *ad finem.* Qui enim iurat sine animo, & intentione implendi, mentitur iurando, quia Deum in testem affert animi, & mentis, quam non habet, & sic it contra mentem suam; quia mentiri nihil aliud est, quàm contra mentem ire, & ideo considerare multum debent illi, qui frequenter iurant promittendo leuia munuscula, vel comminando leuem iniuriam, ne hoc iurent, sine proposito, & animo implendi, quia mortaliter peccant. Cum tali verò proposito, & animo implendi, etsi postea animum mutent, & non — Tolet. Suarez. Nauar.

non impleant, venialiter tantùm peccant, quia res, quam non implent, est leuis, & iam tunc non est iuramentum assertorium, sed promissorium, vt patet, & sæpe dictum manet. Ita respondet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. cap. 15. num. 4. & 5.* Suarez.

7. Quintò obiicitur caput, *Cum quidam. §. illi verò, de iureiurando*; vbi quidam dicuntur absoluendi ab obseruantia cuiusdam iuramenti illiciti, & contra rationem facti: vbi indicatur iuramentum illud valuisse, cum tamen esset de re illicita; scilicet, non alloquendi patrem, vel matrem, sorores, & fratres, neque eis humanitatis officium exhibendi, quæ sunt contra pietatem, & charitatem; si enim non valuit iuramentum, ad quid iubentur ab illo absolui? Respondeo ibi præcipi hos iurantes absolui in foro conscientiæ à peccato, quod commiserunt in faciendo illo iuramento de re illicita, non verò à vinculo iuramenti cum iuramentum inualidum sit, & nullam vim ligandi, aut obligandi habeat, & ideo in eodem capite dicitur imponendam pœnitentiam eis, qui sic iurarunt, & non quia iuramentum obligabat, & illud non impleuerunt, sed quia malè, & cum peccato iurarunt, & quamuis textus dicat, *absoluendi sunt ab obseruantia iuramenti*, id intelligendum est à peccato, quod commiserunt iurantes: sed violenta videtur hæc interpretatio, & ideo aliter, & meliùs respondet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento promissorio cap. 16. num. 8.* ibi verbum *absoluendi* esse positum pro absolutione declaratiua nullitatis vinculi iuramenti, non pro solutione vinculi illius; non est enim hic modus loquendi nouus in iure, sed vsitatus, vt manifestè constat *ex cap. Audiuimus 24. q. 1.* vbi simul hæc duo dicuntur: *Excommunicatus te excommunicare non potuit, sed te tuósque absoluendo*, &c. non significare solutionem vinculi, sed declarationem nullitatis vinculi, vt ibi notat Glossa, dicens, id est, absolutos esse ostendendo, id est, non ligatos. Suarez.

8. Solùm animaduerto sæpe apud nonnullos auctores, vt apud Magistrum Sententiarum *in 3. distinct. 39 circa finem.* vocari illicita iuramenta periuria, & illicitè iurantes, periuros non quia tàlia iuramenta obligent, & teneantur illi illa implere; sed quia malè fiunt, & secundùm rectam rationem impleri non debent. Ideo enim iuramentum illicitum non obseruatum non vocant periurium, non quia inde reus fit aliquis periurij, si illud non obseruet, sed quia peccauit sic iurando, & iurauit iniustè, ex quo reus est peccati, sicut ille qui peierat.

9. Circa res indifferentes, notari velim primò, res indifferentes esse illas, quæ nec bonæ, nec malæ sunt ex obiecto. v. g. si quis iuret se amputaturum vngues certo die, se per illum, aut illum locum non transiturum; non iturum in rus; non exiturum de domo dextro pede, nunquam mare ingressurum; nunquam equum ascensurum; cum illo, aut illo homine non locuturum; de huius, aut illius officina nihil empturum; illius sacerdotis sacrum non auditurum; non admissurum in suum famulatum istum, aut illum hominem; non missurum panes coquendos ad illius, vel illius furnum: hæ enim res, & aliæ similes adiaphoræ sunt, & penitus indifferentes. Possunt tamen ex aliquo fine bono, vel malo, aut circunstantia extrinseca licita, vel illicita, desinere esse indifferentes, & esse honæ, vel malæ, licitæ, vel illicitæ, vt si iuras te nunquam domum illam ingressurum, aut per viam illam transiturum, quia in ea habes occasionem peccandi, iam tunc iuramentum ob illum finem factum, & ob illam circunstantiam extrinsecam desinit esse de re indifferenti ad bonum, vel malum, & ad licitum, vel illicitum, & fit de re hona & licita. Ex his exemplis alia conijce. His notatis,

Statuo secundò. Iuramentum factum de re indifferenti vt indifferens est, nullo modo est obligatorium, imò est peccatum veniale, iuramentum aut votum facere de re indifferenti, quatenus indifferens est. Ita communiter Doctores, Suarez *tom. 2. de Religione cap. 16. num. 1.* Nauar. *in Summa Latina cap. 12. n. 17.* Toletus *lib. 4. summæ cap. 22. num. 3.* Ratio est, quia hoc iuramentum est otiosum, & inutile, ergo veniale peccatum, ergo non obligabit & nullum erit; sicut enim iuramentum non est vinculum iniquitatis; itaque neque otiositatis, cum omne iniquum, & otiosum saltem venialiter iniquum sit. 10. Suarez. Nauar. Tolet.

Dices Probabilis est sententia, quæ docet actus indifferentes in indiuiduo sumptos non esse peccata; ergo saltem secundùm illam, illud iuramentum obligabit. Respondeo primò, aliud esse velle efficere hunc actum in indiuiduo indifferentem ad experiendam suam libertatem; aliud ad honorandum Deum. Iuramentum enim est actus religionis, quo Deus honoratur; vnde velle Deum honorare actu de se indifferenti, est mera otiositas venialis, & peccatũ. Velle autem exercere actum indifferentem ad exercendam libertatem suam, de se non est malum, neque bonum; sed est res indifferens, imò potius est res bonã cum fiat ex honesto fine exercendæ libertatis. Respondeo secundò, in indiuiduo quando homo operatur aliquid, aut efficit actum aliquem, semper operari propter aliquem finem bonum, vel malum, alioquin actus otiosus erit, ac proinde malus. Vnde falsa est illa opinio, quæ asserit actus indifferentes non esse practicè, & in exercitio peccata, licet in cognitione speculatiua speculatiuè loquendo indifferentes sint, & tales videantur. Nam sine dubio probabilius est illum operandi modum quo quis in exercitio aliquid propter finem indifferentem operatur, esse otiosum, & peccaminosum. Vnde sicut iuramentum non est vinculum iniquitatis, ita non est vinculum obligans ad sequendam viam incertam relicta secura, in materia vitandi peccatum. Ita respondet Suarez allegatus *num. 2.* Respondeo tertiò, iuramentum semper obligare vbicumque detur iuxta conditiones ad illud requisitas. Vna autem ex his conditionibus est, vt in practica, & exercitio materia illius sit licita, iusta, & seria, qualis non est materia indifferens, quia est otiosa, & inutilis. 11.

Instabis, qui iurat opus indifferens, non iurat facere illud sine honesto fine, alioquin iurabit peccatum, & actum otiosum; sed præcisè iurat facere tales actus de se indifferentes, qui in indiuiduo poterunt honestè fieri; ergo iuramentum obligabit ad faciendum illud opus indifferens, cũ in indiuiduo quando fit, iam non sit indifferens, sed honestũ. Respondeo primò, sæpe accidere, vt actus de se indifferens in tali persona, tali tẽpore, & loco, non possit finem habere honestum, vt si scholasticus, qui neque ad salutem, neque ad honestam corporis recreationem indiget ludo, iuret ludere, non obligabitur, quia & actus ille de se est indifferens, & in tali persona non habet proportionem cum honesto fine. Quoties ergo talis 12.

talis fuerit actus indifferens, non baber locum instantia facta Respondeo secundò, quòd licet bomo possit actum indifferentem referre ad bonestum bonum, non teneri tamen id efficere ex vi iuramenti, quia non hoc iurauit, vt patet, & sic non obligari ex vi iuramenti ad faciendum illud opus ratione bonesti finis, quem in actu habere potest. Respondeo tertiò, iam hoc non esse iurare opus indifferens; sed honestum, vt patebit statim ex hac tertia conclusione.

13. Statuo tertiò. Si opus, & actus de se indifferens propter aliquem finem honestum ad quem habeat respectum, & proportionem propter aliquam circunstantiam extrinsecam, desinat esse indifferens; tunc iuramentum factum de illo sub illo fine, aut circunstantia, obligat & adstringit Suar. iurantem. Ita Suarez *tom.2. de Religione lib.2. de iuramento promissorio cap.* 16. *num.* 4. & omnes communiter Doctores. Patet, quia iuramentum de quocumque opere virtutis obligat, vt latè probat idem Suarez *cap* 12. Sed opus indifferens factum propter honestum finem, est opus virtutis, ergo sic iuratum cadit sub obligationem.

14. Rogat, vtrùm iuramentum factum à principio de re indifferenti, postea obliget si aliqua circunstantia intrinseca, aut finis bonestus accedat iuramento facto, ratione cuius res iurata desinat esse indifferens. v. g. iurasti te non iturum per certam plateam ob nullum finem; sed quia ita voluisti; postea verò in illa platea datur certa occasio, & mulercula cum qua es peccaturus; quæro an illud iuramentum stet, & ex vi illius teneans illac non transire. Respondeo te ad id non teneri sub iuramento, teneri tamen ex iure diuino, & præcepto charitatis erga te ipsum. Ratio est. quia quod semel inualidum est, non potest postea conualescere. & illud iuramentum à principio fuit inualidum, ergo semper inualidum manebit.

15. De consiliis Euangelij illud certum est, consilia non obligare sub mortali; imò aliqua non obligare; alia verò obligare sub veniali tantùm. Vnde iuramentum factum de non seruandis consiliis Euangelij quæ ad veniale tantùm obligant, veniale tantùm erit. Quamobrem si quis citra consilij Christi, & Euangelij contemptum iuret. v.g. se non ingressurum Religionem; stipem pauperibus non daturum in casibus, in quibus ad id non tenetur; se nihil mutuo daturum, rem suam nemini crediturum; non accepturum sacros ordines, vel Episcopatum, & alia similiter, peccat venialiter tantùm, nec tenetur implere tale iu-
Nauar. ramentum. Ita Nauarr. *in summa Latina cap.* 12.
Caiet. *num.* 16. Caietan. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. Sotus *lib.* 8.
Sotus. *de iust. quæst.* 2. *art.* 3. Ratio est, quia qui iurat se aliquid facturum, aut non facturum, quod facere, aut omittere veniale tantùm est, venialiter tantùm peccat, vt patet.

16. Iurare verò se non facturum alia consilia, quæ nullo modo obligant, nec sub veniali, & sunt altioris perfectionis, vt non seruare virginitatem, videtur etiam ex alio principio veniale tantùm, ex eo scilicet quia sic iurans videtur Spiritui Sancto opponere obstaculum, cuius est proprium sancta desideria animis instillare, & inspirare, quod valdè inordinatum est, vt docet
D. Thom. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 3. & ita docet
Nauar. Nauarr. citatus *in summa Latina cap.* 12. *num.* 17.
Suar. & Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 2. *de iuramento*
D. Anton. *promissorio cap.* 17. *num.* 24. & D. Anton. 2. *part. tit.* 10. *cap.* 6. §. *Tertius casus.*

Dubitabis, an ille, qui ab aliquo didicit certam medendi artem sub iuramento non communicandi illam aliis, teneatur ad tale iuramentum. 17.
Respondeo negatiuè, si aliqua necessitas illius communicandæ, & manifestandæ datur propter vtilitatem proximi, quia illud iuramentum fuit contra charitatem. In aliquibus tamen casibus tenebitur sic iurans iuramentum obseruare, & obligabit tale iuramentum. v. g. si docens præsens sit, & voluerit illi manifestare, & quando aliquis est paratus ad aliud tam efficax remedium ad subleuandam præsentem necessitatem præstandum, tunc enim & iniuria fieret docenti, & ratio charitatis cessaret; ita docet D. Thom. D. Thom.
quodlibeto 2. *art.* 22. Syluester *verbo, Iuramentum* Syluest.
quæst. 1.

Capvt XV.

Agitur de iuramento promissorio facto de re impossibili, & de re, quæ non obligaret si iurans à principio præuidisset, & de ea, quæ pendet ex voluntate alterius; & quæritur an promissorium iuramentum factum de re parua obliget. Agitur de iuramento contra bonos mores.

SVMMARIVM.

Quot modis possit esse res impossibilis. num. 1.

Iuramentum factum de re absolutè impossibili, aut saltem respectu iurantis, illum in conscientia non obligat. num. 2.

Quoties iuramento iam facto accedit talis circunstantia, quæ notabiliter rem mutat, & quam iurans, si à principio præuidisset, non iurasset, iuramentum non obligat. num. 2. *Confirmatur exemplis.* ibid.

Promissio iuramento firmata de re, quæ pendet ex voluntate alterius, an valeat, & ad quid obliget. num. 4. num. 4.

Quid si sub iuramento alteri promittas te ei à Rege impetraturum officium; an si non impetres, nec diligentiam facias, ad aliquid tenearis. num. 5.

Quid si iuramento promisisti seruo tuo ob obsequia tibi impensa te ei impetraturum ab Episcopo beneficium. num. 6.

An iuramentum promissorium, & votum factum de re minima obliget. Refertur prima sententia asserens obligare sub mortali, quando res minima est tota materia iuramenti. num. 7.

Refertur secunda asserens obligare sub mortali quando est totalis materia iuramenti, non verò quando est partialis. num. 8.

Præfertur tertia asserens solam esse culpam venialem, siue res parua sit tota materia iuramenti, siue pars illius. num. 9. & 10.

Et hæc tertia sententia ita vera est, vt quamuis iurans se velit obligare sub mortali ad implendam rem minimam iuratam, non possit. num. 11.

An promittens singulis diebus vnum assem pauperibus, aut vnam salutationem Angelicam, peccet mortaliter cum peruenitur ad quantitatem mortalem. à num. 12. vsque ad 14.

An ad restitutionem aliquam teneatur. à num. 15. vsque ad 18.

Soluuntur argumenta primæ opinionis asserentis

iuramentum promissorium de re parua obligare sub mortali, quando est tota materia voti, aut iuramenti. *num.19.*

An iuramentum, & votum, contra bonos mores naturales obliget. *num.20.21. & 22.*

Quid contra bonos mores ciuiles tantùm & politicos. *num.23.*

Qui sint ciuiles; qui naturales. *num.21.*

An sit validum iuramentum quo dominus directus promisit vni se illi emphyteutaturum emphyteusim post mortem illius quam alter actu viuens possidet. *num.20.*

Iuramentum de non reuocando testamento an valeat. *num.24.*

Iuramentum soluendi pœnam appositam pecuniariam si non impleantur sponsalia, an obliget. *num.25.*

Quid de iuramento confirmante omnium bonorum donationem. *num.26.*

1. RES duobus modis potest esse impossibilis; vel absolutè loquendo tam respectu iurantis, quàm respectu omnium aliorum, vt si iures te manu cœlum tacturum, te ambulaturum per aërem, aut per mare, te instar auium volaturum, & similia: vel respectu iurantis solùm, vt si iures te alteri daturum centum aureos, quos non habes; vel si iures te facturum id, quod ex voluntate alterius pendet, vt quod obtenturus sis à Rege officium seruo tuo, aut à Papa, vel Episcopo beneficium, & alia similia.

2. Statuo primò. Cum quis sub iuramento rem absolutè respectu omnium, aut saltem respectu sui ipsius impossibilem alteri promittit, sciens, & animaduertens, rem esse absolutè, aut respectu sui impossibilem; peccat mortaliter, & iuramentum non tenet, nec vim habet obligandi, quod iuramentum non sit obligatorium. Patet, quia nemo tenetur ad id quod vel sibi, vel absolutè est impossibile; ergo nullum est tale iuramentum, cum iuramentum non sit vinculum impossibilitatis. Ita docet Azor. *tom.1. lib.11. cap.15.* Azor. Cardosus *de iudicibus verbo, Promissio, num.57.* Cardos. Probatur ex regula iuris. *Nemo potest*, vbi Glossa ibi *verbo, Obligari*, & Doctores ibi *de regulis iuris in 6.* & *lege, quod nullius*, & *lege, Impossibilium*, Decius. vbi Decius *num.1 ff. de regulis iuris*, & *lege 1. §. si quod*, Glossa. vbi Glossa *verbo, Inutilem ff. de act. & obligat. & leg. finali ff quæ sunt sine appellat. & lege,* Barthol. *si sub impossibili*, vbi Barthol. *ff. de fid. iussionibus* Iason. *& prin. inst. de inutili stipulat.* & Iason. *in lege, stipulatio ista, num.3. de verborum obligat.* Quod mortaliter peccet si sciens, & animaduertens rem sibi, aut absolutè respectu omnium esse impossibilem, docet idem Azor citatus, & facilè probatur; quia qui ita iurauit, vel voluntatem, & & intentionem habebat promittendi, & se obligandi, vel non habebat; si non habebat, mentitus est, & Deum testem sui falsi animi fecit; ac proinde periurus est, & mortaliter peccauit iuxta ea quæ diximus capite præcedenti *num.6. in medio*; si habebat, iuramentum temerarium fuit in re magna, vt supponimus, ac proinde mortale peccatum fuit taliter iurare: grauis enim iniuria Deo fit, si eum testem facias rei, quam scis te non posse implere, & esse impossibilem.

3. De iuramento facto, de re quæ iurantem non obligaret si à principio præuidisset; nec ipsam cum iuramento promisisset, infra agemus *in capite 19. à num.8.* Interim tamen, Statuo secundò. Quoties iuramento iam facto accedit talis circunstantia, quæ notabiliter rem mutet, & quam si ante iuramentum sic mutatum præuidisses; non iurasses, nec te obligasses, iuramentum non obligat in conscientia: de hac tamen re consulendi sunt viri docti. Ita docet Sà *verbo, Iuramentum* Sà. *num.16.* Lessius *tom.2. de iustitia lib.2. cap.42. dubio 7. §. hac sententia*, prope finem ibi: *Denique* Lessius. *quotiescumque post iuramentum factum aliquis casus euenit, quem prudenti iudicio non censeris voluisse tua promissione comprehendere, non obligaris ex vi iuramenti; ergo si ab initio idem casus subsit, sed ignoretur, non censetur comprehensus promissione, vt non obligeris, quando scineris*; hæc ille. Exemplis res declarabitur. Promisisti puellæ nuptias putans esse virginem; postea intelligis occultè fornicatam, non teneris iuramento; quia nullo modo promisisses, si id sciuisses, & iudicio prudentum hic euentus censetur exceptus. Ita Lessius citatus *num.55.* Item, iurasti te accommodaturum tuum gladium, aut sclopetam alteri, & ille illam à te petit furiosus, aut animo occidendi alium, non teneris reddere, idque quamuis gladius ipsius petentis sit, & quia si tale quidpiam præuidisses, nullo modo id iurasses, & quia vt ait Toletus *lib 4. summa, cap.55.* iam impletio Tolet. iuramenti in hoc euentu redditur mala. Item, iurasti te alteri daturum, aut accommodaturum 100. aureos; & postea in magnam paupertatem incidisti, non teneris dare, quia status tuus notabiliter mutatus est, & si hæc à principio prouidisses, nullo modo eos iuramento promisisses. Similiter iurasti te conuenturum aliquem certo die, & tempore, & ipse eo tempore & die in carcere tibi periculoso detentus est, vel longè discessit, non teneris ad iuramentum, quia res notabiliter mutata est, & si præuidisses, non iurasses. Denique promisisti iuramentu, te ducturum Bertham, & illa leprosa facta est, non teneris ad tale iuramentum; quia res notabilem mutationem accepit, quam si præuidisses, nullo modo id iurasses. Idem dicendum est si ante iuramentum iam lepra infecta erat, & id ignorabas. ex his exemplis conijce alia.

Pro iuramento facto de re, quæ pendet ex voluntate alterius, Statuo tertiò. Promissio alicui 4. facta de facto alieno, quod pendet ex voluntate alterius, & iuramento firmata, regulariter non valet, teneris tamen ex vi talis iuramenti facere diligentiam, & procurare quantum arbitrio prudentis potueris, vt tertius velit id efficere. v. g. Promisisti seruo tuo sub iuramento, te ei à Rege impetraturum officium; regulariter hoc iuramentum quia pendet à voluntate alterius, Regis scilicet, non valet, teneris tamen ex vi illius facere diligentiam, & id à Rege procurare, quantum arbitrio prudentis potueris. Ita communiter Doctores Sanchez *tom. 2. Decalogi lib.4. cap.5.* Sanch. *num.9.* D. Thom. *2. 2. quæst.89. art.7.* & patet *ex* D. Thom. *l. Inter stipulantem ff. de verborum obligat. & institutu de inutili stipulat. §. versa vice*, & *ex l. Quoties quis*; vbi Barthol. *ff. eodem*, & *lege, Sicut reus. ff. de fid. iussionibus*, vbi idem Barthol. Baldus, Angelus, Imola, Paulus de Castro, Ludouicus Roman. Alexander, Iason. & alij, & speciatim Cardosus *in praxi de iudicibus; verbo, Promissio, num.26.*

Et si hanc diligentiam non facias, & non cores à Rege impetrare officium, teneris ad inte- 5. resse arbitrio prudentis ex Decio *consil. 313. n.1*, Decius. & Capicio *decisione 93. num.8.* Gama *decisione 52.* Capic. *num.1*, & Cardosio allegato: si tamen fecisti, & Gama. illi

illi noluerunt, ad nihil teneris, vt patet. Si verò sub pœna aliqua te à Rege officium obtenturum promisisti, si id non impetraueris, aut si promisisti te valorem de tuo soluere si à Rege officium non impetraueris, valebit promissio, & iuramentum de facto alieno ad pœnam, & prædictum valoris interesse. Constat ex dicta *leg. stipulatio ista ff de verborum obligat.* vbi Bartbolus, Baldus, & Paulus de Castro, Alexander, Iason, & alij Decius *in lege possibilium num. 5. ff. de regulis iuris.* & Abbas *in consilio 43. lib.* 1. Cardosus *in praxi deindicibus. verbo, promissio num. 26.*

Decius. Abbas. Cardos.

5. Idem dicendum est, si promisisti seruo tuo, te ei impetraturum ab Episcopo beneficium, teneris enim ob parem rationem id ab Episcopo procurare, quantum potueris; & si aliquid promisisti in pœnam, si id ab Episcopo non procuraueris, ad eam similiter teneris, & similiter ad interesse, si id etiam de tuo soluere promisisti, modò hæ promissiones, & iuramenta non contineant simoniam; quia si eam contineant, tales promissioner, & iuramenta sunt irrita, & nullam vim obligandi habent, quia fiunt de re illicita peccaminosa, & prohibita, & contra bonos mores naturales. Vnde cum similes promissiones de beneficiis obtinendis plerumque fiant ob seruitia, illicitæ erunt, & inualidæ, quia simoniam continent, vt notat Glossa communiter approbata *in capite, Cum essent, de simonia, regula vltima de regulis iuris in antiquis.* Adrianus *quodlibeto 15. folio 40. sub litera M.* Cabedo *de iure patronatus cap. 15. num. 14 fol 58. col. 2.*

Adrian. Cabedo.

6. Circa iuramentum promissorium factum de re minima, & parua, an obliget in conscientia sub mortali? Tres sunt opiniones. Illas referam, & seligam meliorem. Prima docet obligare, siue res parua sit tota materia iuramenti, siue pars, idem de voto, ita docet Caiet. 2. 2. *q. 89. de iur. a. 9.* Ang. *verb. votum 3. § vlt.* & hanc opinionem appellat probabilem Less. *tom. 1. de iust. lib. 2. cap 40. dub 9. n. 58.* & pro ea citari possunt omnes Doctores secundæ opinionis; quatenus dicunt, si res parua est tota materia voti obligare votum illius sub mortali; tunc autem erit tota, & totalis materia voti, & iuramenti si voueas, aut iures te recitaturum quotidie vnam salutationem Angelicam, aut vnam orationem Dominicam (*Pater noster* vocamus,) aut si iures, aut voueas te daturum quotidie vnum assem pauperibus; tunc verò erit partialis materia voti, & iuramenti, si voueas, aut iures te recitaturum vnum Rosarium Virginis continens 150. salutationes Angelicas, & 15. orationes Dominicas, & maiorem partem Rosarij recites omissis tribus, vel quatuor orationibus Dominicis, aut salutationibus Angelicis; aut si promittas quotidie dare tres regales pauperibus in eleemosynam, & id eis soluas dempto vno, vel duobus assibus, ex his conijce alia exempla. Fundamenta huius opinionis hæc sunt. Primò, quia qui promissionem rei paruæ, quam per se separatam iuramento, aut voto promisit, non implet, quantum in se est, mentitur, & facit Deum testem falsi; hoc autem est peccatum mortale, cum sit magna in Deum iniuria, & tanto maior irreuerentia, quanto minor est res pro qua Deus affertur in testem. Secundò, quia nihil quod ad Dei honorem pertinet, censendum est parui momenti, cum vitam æternam promereatur; ergo ratione paruitatis materiæ non excusatur à peccato mortali ille qui rem paruam per se sumptam voto aut iuramento promisit. Tertiò, quia mendacium de peccato veniali si sit tota materia confessionis, est peccatum mortale vt omnes doctores fatentur in materia de pœnitentia; ergo similiter quando aliquid modicum est tota materia voti, aut iuramenti, si violentur, erit peccatum mortale. Quartò, quia lege diuina tenemur soluere vota, & iuramenta; sed violatio legis diuinæ est peccatum mortale; ergo &c.

Caiet. Angel. Lessius.

Secunda sententia vtitur distinctione. Nam vel res parua est tota materia iuramenti, aut voti, vel pars. Si est pars, asserit ista opinio non esse mortale, sed veniale rem paruam voto aut iuramento promissam non implere; quia votum, & iuramentum fertur per se primò in totam materiam, & tunc omissa parte minima totius materiæ impletur iuramentum, & votum cum quadam imperfectione veniali; secus si illa pars minima est tota materia voti, aut iuramenti, quia tunc nō impletur iuramentum, & votum ex toto, ac proinde peccatum mortale est. Hanc docet Caietanus 2. 2. *quæst. 89. art. 7. dubio* 1. Armilla *verbo, iuramentum num.* 12. Tabiena *verbo, iurare quæst.* 10. Nauarrus *in summa Hispana cap.* 12. *num.* 40. Toledo *lib. 4. summa cap. 17. num.* 10. & dicit tutiorem Corduba *in summa quæst.* 188. & eam etiam sequitur Couarruuias *lib. 1. variar. resol. cap.* 1. *num.* 2. Fundamentum est, quia leuis defectus in parua materia partiali non facit grauem culpam, vt si quis iurarit, aut vouerit dicere quotidie Rosarium Sanctissimæ Virginis, aut septem Psalmos pœnitentiales, & vnam salutationem Angelicam, aut antiphonam, aut versiculum Psalmi relinquat, iuramentum implet, & veniale tantùm committit. Sicut qui recitat quotidie horas canonicas relicta vna tantùm commemoratione præceptum recitandi implet, at venialiter peccat. Vel si quis iuret se tota die non ludere, & paruo temporis spatio, aut in parua quantitate ludat, satisfacit iuramento, & non peccat mortaliter, sed venialiter. Item si quis iuret se daturum quatuor aureos alteri, & soluat (vno asse excepto) is iuramentum implet, peccat tamen venialiter, quia reliquit minimam partem, quæ erat pars alicuius totius, quæ pro materia veniali reputatur, cum votum, & iuramentum per se primò totam materiam respiciat, & non minimam partem illius. Si verò illa pars minima est tota materia voti, aut iuramenti, totum etiam iuramentum frangitur, ac proinde mortaliter peccat, vt patet. 7.

Caiet. Armill. Tabien. Nauar. Toled. Codub. Cou.

Tertia sententia multo probabilior ait, secluso formali contemptu, solam esse culpam venialem votum, & iuramentum de re minima infringere, siue ea sit tota materia voti, siue partialis. Hanc tenent hodie communiter Doctores Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4 cap. 22. num. 5.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. colum. 3. versu, Conclusio ergo.* Nauarrus *in summa Latina cap.* 12. *num.* 40. Palatios *in 4. dist. 38. disp. 1. conclusione 6. folio mihi* 839. Henriquez *lib. 5. de pænit. cap.* 20. *num. 4. in commento litera M.* Angles *in florib.* 2. *part. quæst. vnica de voto art* 2. *difficultate* 2. Aragonius 2. 2. *quæst* 88. *art. 3 dub. 4. conclusione 3.* Sà *in summa, verbo, Votum, in principio num. 15. q. 4.* Rodriguez *tom 2. summa cap. 99. num.* 1. Suarez *tom. 2. de Religione lib. 3. cap. 16 num. 9.* Syluester *verbo, Iuramentum 4 quæst. 1.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 6. punct. 4. quæst. 2.* Azor *lib 11. Inst. moral. cap. 15. quæst 4.* & alij. Fundamentum est primò, quia ideo iuramentum assertorium etiam de re minima falsum, est mortale periurium, quia in 8.

Sanch. Sotus. Nauar. Palat. Henriq. Angles. Arag. Sà Rodrig. Suar. Syluest. Valent. Azor.

eo committitur mendacium; at in iuramento promissorio non committitur mendacium, siue res quæ promittitur sit totalis, siue sit partialis materia iuramenti. Ratio differentiæ est, quia non implere promissionem iuratam factam cum intentione implendi illam, & cum reliquis requisitis, non est mendacium, sed infidelitas. Ergo qui non implet id quod recta intentione, & animo implendi sub iuramento promisit, non facit Deum testem mendacij, sed peccat mortaliter, vel venialiter pro quantitate materiæ promissæ magnæ, vel paruæ, quia mutat animum & infideliter agit in re sub diuina authoritate promissa; ergo non est eadem ratio grauitatis, & malitiæ in vtroque iuramento assertorio & promissario de re minima facto, quia in iuramento assertorio si res asserta ita non est, mendacium committitur, & affertur Deus in testem mendacij; quod est periurium mortale. At in iuramento promissorio si res vero animo faciendi promissa siue magna, siue parua, non impleatur, non committitur mendacium, sed infidelitas. Quod probatur facilè; quia qui iuramento promisit, habuit animum, vt suppono, promittendi & implendi promissum, & in tali iuramento promissorio non defuit veritas de præsenti, quæ tunc datur, quando datur animus implendi promissum, & promittendi: solùm ergo defuit veritas de futuro, quia mutauit animum & fidem datam, & promissionem factam fregit, in quo infideliter egit, & peccauit contra fidelitatem mortaliter, vel venialiter pro quantitate materiæ paruæ, vel magnæ. Et huius opinionis est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 3. *ad* 5. & 2. ibi: *Qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur; si verò non faciat, quod promisit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat.* Et probatur facile, quia mentiri est contra mentem loqui, quod non facit is, qui promissum non implet; infideliter verò agere est mutare animum contra obligationem factam, & iuratam, quod facit ille, qui rem iuramento promissam non implet. Secundò probatur efficaciter, quia iuramentum promissorium, aut votum emissum de re aliqua, non aliter obligare possunt, quàm lex lata à Deo, vel Ecclesia circa illam met rem; vt latè probat Sanchez *tom* 2. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 31. Sed lex lata à Deo de illa exigua materia, non obligaret ad mortale; sicut nec obligat ad mortale lex de vitandis verbis otiosis & mendaciis officiosis. Igitur nec votum, nec iuramentum promissorium de re minima factum ad mortale obligant. Tertiò, quia quamuis omnia ad religionem spectantia habeant ex ea parte magnam excellentiam, non tamen omnia inducunt æqualem necessitatem in obseruatione illorum. Sed sicut in materia illa parua modicus honor exhibetur Deo, ita illius omissio est modica irreuerentia, nec transgressio totius voti, aut iuramenti est simpliciter actus perfectus, quando materia est leuis; sed est trásgressio secundùm quid, id est, in materia leui: nam paruum etiam separatum à toto pro nihilo reputatur, & excusat à peccato mortali in aliis præceptis, vt in furto, & in præcepto de non laborando in diebus festis; ergo etiam & in præcepto de iuramento promissorio.

D. Thom.

Sanch.

10. Sed contra hanc opinionem sic oppones: Potest contingere, vt quis voto, vel iuramento promissorio promittat alicui quinquaginta aureos, & ei soluat quadraginta, aut quadraginta quinque, omissis aliis decem vel quinque, & in hac opinione sequetur, illam omissionem non esse mortalem, & implere iuramentum illum, qui cum tali omissione maiorem partem soluerat, cum hæc omissio, materia sit satis parua, & exigua respectu totius promissionis; & similiter in voto, aut in iuramento recitandi quotidie decies millies salutationes Angelicas, non esset mortalis omissio centum salutationum Angelicarum, quòd ea quátitas sit valde parua respectu totius promissionis, quod quis dicet? Respondeo in vnaquaque promissione iuramento firmata, & voto, illam esse quantitatem mortalem etiamsi sit pars alicuius magnæ promissionis, quæ in materia furti sufficeret ad inducendum peccatum mortale. Quamobrem de hac re iudicandum est eodem modo, quo communiter Doctores iudicant in materia furti; vnde cum in furto fateantur communiter Doctores diuersam quantitatem exigi ad constituendum peccatum mortale respectu pauperis, & hominum communium, & diuersam respectu hominis ditissimi, inde fit, vt in aliis præceptis quantitas omissa, vt sit magna, vel parua, respectiuè sit accipienda; & sic videndum est, an persona cui fit iuramentum promissorium, sit ditissima aut ordinaria. Vnde quantitas omissa quæ respectu harum personarum sufficeret ad mortale; ea erit mortalis respectu totius promissionis. In materia verò voti, & iuramenti promissorij, recitationum salutationum Angelicarum, aut septem Psalmorum pœnitentialium, ea quantitas omissa erit magna, & mortalis, quæ talis arbitrio prudentis visa fuerit. Quare optimè dixit Azor *tom.* 1. *Inst. moralium lib.* 10. *cap.* 7. *q.* 3. minorem tertia parte rei promissæ posse esse quantitatem mortalem si omittatur, quando aliquod totum promissum magnum est, datur tamen quantitas ista modica, & parua, vt eius omissio siue pars sit, siue tota materia promissionis, nunquam sit mortalis; sicut nunquam esset mortalis, si præciperetur aliquo præcepto; non tamen eadem quantitas recitationum, aut horarum canonicarum omissa iurata, aut voto emissa constituenda est pars notabilis, & inducens peccatum mortale, cuius omissio mortalis sit in singulis horis canonicis ex præcepto recitandis; sed pro magnitudine, & latitudine totius promissionis id erit spectandum, & pro maiori, vel minori conductione ad honorem Dei. Ita respondet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 18. & *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 12. & 13. & 14. Azor Sánchez.

11. Et hæc tertia sententia, ita vera est, vt quamuis vouens, aut promittens se vellet obligare sub mortali in materia leui, quæ semper est leuis, & modica, neutiquam posset; quia nec legislator si de ea daretur præceptum, posset in materia leui obligare sub mortali, vt probat Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. & ita speciatim docet idem Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 6. & Sotus *lib.* 7. *de iust. quæst.* 2. *art.* 1. *conclusione* 3. *versu, per hæc,* & *lib.* 8. *quæst.* 1. *art.* 7. *dubio* 1. Corduba *in summa quæst.* 188. *punct.* 1. *versu, Ni tam poca.* Petr. de Ledesm. *tom.* 2. *summa tract.* 10. *cap.* 3. *dubio* 2. Sanch. Sotus. Cordub. Petr Led.

12. Occurrit hîc inquirendum quid dicendum sit in voto, aut iuramento promissorio recitandi quotidie vnam salutationem Angelicam; aut quid modicum erogandi singulis diebus pro eleemosyna pauperibus. v. g. vnum obolum, aut assem; an scilicet qui illam quantitatem paruam omisit vel erogare pauperibus, vel recitare per annum, v. g. vel per id temporis spatium in quo

quantitas omissa censeretur notabilis, peccet mortaliter. Respondeo hac de re tres esse opiniones. Prima docet in materia recitationum horarum, aut salutationum Angelicarum, & reliquarum orationum culpam committi lethalem, quando ad materiam notabilem in illarum omissione peruenitur, quia grauior est obligatio recitandi quotidie modicam orationem per totum vitæ tempus, aut per magnam partem illius, quàm vna tantùm vice recitare Rosarium B. Virginis v. g. sed qui omitteret Rosarium voto vel iuramento promissum, peccaret mortaliter. ergo à fortiori, qui omitteret per annum modicam orationem. Idem cum proportione fit argumentum de eo, qui modicam eleemosynam promitteret pauperi, vt consideranti patebit. Valent. Ita Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 6. punct. 4. colum. 1355. versu. Ex hoc patet responsio.* Zumel. Zumel 1. 2. *quæst 88. artic. 4. dub. penult. versu, Nec obstat.* Rodrig. Rodriguez *tom. 1. summæ cap. 99. num. 1.* Idem allegato Cano docet, peccare scilicet mortaliter, quando is haberet propositum non seruandi per longè tempus votum rei modicæ. Lud. Lop. Lud. Lopez 1. *part. instr. cap 42. versu, Quando quis percitus ira.*

13. Secunda opinio distinguit, ac dicit non esse mortalem omissionem longam illius modicæ orationis; secus verò de longa omissione voti, aut iuramenti modicæ eleemosynæ. Fundamentum est, quia cum oratio, vno die prætermissa, non sit necessariò alio die implenda, preces omissæ non coadunantur, nec in vnum coalescunt; coalescũt autem eleemosynæ, quia vno die relicta cum debeat in sequentibus restitui, cum sequentibus etiam eleemosynis iuramento vel voto promissis vniuntur. Sotus. Ita Sot. *lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. col. 4. versu, Conclusio ergo.* Arag. Aragon 1. 2. *quæst. 88. art. 3. paulo post principium columna 3.* & solum loquentes de eleemosyna tenent idem Medin. Medina 1. 2. *quæst. 88. art. 4. ad 4.* Petr. Ledes. Petrus de Ledesma *tom. 2. summæ tract. 10. cap. 3. dub. 1.*

14. Tertia, & probabilior sententia, quam sequor, docet si vouens, aut iuramento promittens, ita intendat se obligare in singulos dies, vt obligatio sit onus diei, & illi affixa, vna cum die spirare; & non esse peccatum mortale etiamsi per plurimos dies, & per annum integrum, & eo amplius, ea res minima omittatur, sed tantùm esse tot peccata venialia, quot sunt omissiones: secus verò si ita se quis intendat obligare, vt obligatio non sit onus diei, ac illi affixa, & terminus dierum appositus tantùm sit ne ampliùs ea obligatio differatur; tunc enim cum non expiret ea obligatio expirante die, sed continuetur, coalescunt inter se quantitates materiæ voto vel iuraméto promissæ, ac proinde committes peccatum mortale si per plures dies omittas, tunc cum primùm complebitur omissio quantitatis notabilis. v. g. si sint viginti precationes Angelicæ materia peccati mortalis; omissiõ vigesimæ erit peccatum mortiferum; quia hæc primùm complet quantitatem mortalem. Item sint viginti asses quantitas mortalis in materia furti Omissio vigesimi assis erit peccatum mortiferum; quia constituit quantitatem notabilem. Vnde licet qui ante omisit materiam leuem. v. g. vsque ad 18. vel 19. non peccet mortiferè, tamen cum peruenient ad viginti, peccatum mortiferum admittet. Lessius. Ita docet Lessius *tom. 1. de iustitia lib. 2. cap. 40. dub 9. num 60. versu, Respondeo breuiter. lib. 1. cap. 4. num. 14.* Vasq. Vasquez 1. 2. *quæst. 88. art. 4. disp. 146. cap. 12. fine.* Azor. Azor. *tom. 1. instr. moral. lib. 11. cap. 5. quæst. 3.* & videtur tenere Sayro Sayro. *in clavi lib. 6. cap. 6. num. 6.* Si quis tamen promissionem faciat de re minima nihil attendendo ad onus diei, tunc non peccabit mortaliter in promissione vigesimæ partis, quia cum non constet de sua intentione, dicendum est eo ipso noluisse se obligare, nisi ad certum diem, & tanquam onus diei, ac proinde, eo die elapso, nullam ei manere obligationem: dum enim non constat de re, semper præsumitur quis quantum minus potuit obligare, cum obligatio sit contra libertatem, quam possidet.

15. Solùm dubitari potest an ille, qui non intendebat per votum, aut promissionem iuramento firmatam se obligare in singulos dies, ita vt obligatio esset onus diei, teneatur postea sub mortali cum peruenerit ad quantitatem mortalem, restituere pauperibus quantitatem eis per eam omissionem negatam, aut de nouo recitare notabilem quantitatem omissam. Respondeo totum hoc negotium pendere ex intentione vouentis, & promittentis. Nam si speciali intentione voluit se obligare obligatione iustitiæ, tenetur sub mortali restituere pauperibus, quantitatem mortalem omissam, & recitare de nouo eandem quantitatem orationum itidem omissam. Secus si speciali intentione de iustitia se voluit obligare. Ratio est, quia promissio liberalis, & simplex etiam acceptata, non obligat ex iustitia; sed tantùm ex honestate & fidelitate; nisi promittens speciali intentione de iustitia se voluerit obligare. Vnde fit, vt promissor violando promissionem non sit iniustus nec mendax; sed tantùm infidelis. Vnde non est obligandus ad restitutionem, licet peccauerit mortaliter, vel venialiter contra fidelitatem pro ratione materiæ promissæ grauis, vel leuis; nam in his promissionibus pro qualitate personarum, & grauitate materiæ promissæ culpa mortalis cõtra fidelitatem homini debitam committi potest. Ita docet expressè Suarez Suarez. *de auxilijs in relectione de libertate diuina disputat. 1. sect. 2. fol. 412.* Molin. Molin *tom. 2 de iust. disp. 262 §. Illud deinde, & §. Illud postremo, tom. 1 lib. 11. cap. 5. quæst. 3. fin.* Henriq. Henriquez *de excommunicatione lib. 13. cap. 17. §. 5.* Nauar. Nauarrus *in summa Latina cap. 18. num. 6.* D. Thom. D. Thom. 2. 2 *quæst. 88. art. 1.* Caiet. Caietanus *ibi*, & alij. Addit tamen Caietanus promissionem simplicem, seu liberalem, cum obliget ex fidelitate tantùm, semper obligare sub veniali, nunquam sub mortali. in quo fallitur, nam pro varietate rei promissæ magnæ, vel paruæ, culpa mortalis vel venialis committi potest; vt docent Nauarrus, Azor. Mol. & Suarez allegati, & addit Suarez Suarez. *tom 2. de Religione lib. 4. de Voto cap. 16. à num. 2.* promissionem etiam iuratam non inducere obligationem iustitiæ, quia iuramentum, non addit nouum vinculum iustitiæ erga homines; sed Religionis erga Deum. Fundamentum Molinæ est, quia simplex, gratuita, seu liberalis promissio (hæc enim omnia synonima sunt, & in idem recidunt) ex liberalitate procedit, ergo non est credendum voluisse aliquem ex promissione sua liberali tribuere promissorio ius iustitiæ aduersus seipsum, vnde in potestate promittentis erit velle se obligare ex iustitia ex speciali intentione; quia promissio liberalis pendet ex voluntate promittentis; qui potest nolle in præsenti se obligare ex iustitia, & tantùm fidem suam adstringere, & ita de facto homines se adstringunt, & nisi aliunde constet voluisse se obligare ex iustitia, credendum est pro foro conscientiæ voluisse

luisse se obligare ex fidelitate tantùm. Pro foro verò externo coniecturis vtendum est, nam si publica scriptura vel chyrographo à se subscripto se obligauit, censetur in foro externo se obligare ex iustitia, non tamen in foro conscientiæ. Fundamentum Suarez est, quia simplex, & pura promissio non includit actualem donationem sed puram obligationem in futurum; ergo non inducit obligationem iustitiæ: obligatio enim iustitiæ in te ad me, requirit in te ius aduersus me: at ante promissionem nullum ius habebas, per promissionem etiam acceptatam nihil tibi dedi, quia fuit promissio de dando in futurum, & promisi me daturum; non tamen dedi, alioqui esset donatio actualis, non pura promissio de dando in futurum.

16. Dices, dedisti mihi ius; sed id negandum omnino est, quia illud ius, moraliter loquendo, quædam res est quæ à iuris peritis res incorporabilis appellatur; ac proinde, si promissio de futuro obligationem iustitiæ induceret, iam non esset promissio; sed alicuius rei donatio.

17. Neque obstat esse plurimos authores, qui asserant promissionem simplicem, & liberalem post acceptationem transire in pactum, & obligare ex iustitia promittentem; pactum enim nihil aliud est, quàm consensus duorum, vel plurium: ex quo pacto nudo oritur ciuilis obligatio, & datur actio iustitiæ, tam in promissario, quàm in hæredibus illius aduersus promittentem illiusque hæredes, vt constat ex lege. *Si quis argentum §. vltimo C. de donat. & ex lege 4. noua ordinat. Lusitana tit. 70. & ex iure canonico in cap. 1. de pactis*, & ita obligare ex iustitia, & post acceptationem transire in pactum docet Sanchez *tom. 1. de matrim. lib. 1. disp. 5. num. 20. & num. vltimo.* Lessius *tom. 1. de iustitia lib. 1. de promissionibus, & donat. dub 8. num. 55.* Sotus *lib. 7. de iustitia quæst. 2. art. 1. ad 1.* Couarr. *in cap. Quamuis pactum 1. part. §. 4 num. 24 & 25.* Angelus *verbo, Pactum. num. 4. & ibidem* Syluester *quæst. 4. & verbo, Lex. quæst. 10.* & constat etiam ex lege. *Pactum ff. de pollicit.* & Bartbol. *ibi num. 5.* Cynus *oppositione 2. ad finem in lege 1. C. de pactis.* Alexander in lege 1. *ff eodem.* Albericus in lege. *Iuris gentium. §. Quinimò, col. 2. ff. de pactis.* Baldus in lege 2. *in repet. circa finem 11. quæst. ff. de iureiurando*, & alij Quia iura ciuilia, & canonica præsumunt promittentem habere animum se obligandi ciuiliter, & ex iustitia, & ideo obligant illum, & illius hæredes ad soluendum promissum, nos verò loquimur in foro conscientiæ, & de re, & obligatione naturali, quæ oritur ex tali promissione, seclusa ordinatione iuris ciuilis; Vnde promissio acceptata inducit obligationem iustitiæ in foro externo, non verò in foro conscientiæ; quia leges, & iura humana ciuilia, & canonica præsumunt habuisse promittentes animum se ex iustitia obligandi, cum constet de promissione, non de intentione; & ideo in foro externo promissio acceptata transit in pactum, vt probant iura allegata, & lex 3. *ff. de verborum oblogat.* cum nihil aliud sit, quàm consensus acceptantis, & stipulantis; pactum autem nihil aliud est quàm consensus duorum, vel plurium. Dico tamen in foro conscientiæ solum consurgere obligationem iustitiæ ex violatione pacti; quando pactum est vtrinque onerosum; secus quando est in materia omnino liberali, & gratuita; dum igitur non constat voluisse promittentem se ex iustitia obligare, in liberali promissione, dicendum est voluisse se ex fidelitate tantum alteri obligare in eodem foro conscientiæ, licet pro foro fori obligatio iustitiæ censeatur. Dicitur tamen in foro conscientiæ pactum iustitiæ promissio liberalis iam acceptata, lato modo, & reductiuè; quia fides obligata & adstricta est pars potentialis iustitiæ, & ad illam reducitur, quatenus alium respicit, vt bene notarunt Suarez, & Sotus allegati.

Sanch. Lessius. Sotus. Couarr. Angel. Syluest. Barthol. Cynus. Alexand. Alberic. Baldus.

Per accidens tamen ex violatione promissionis liberalis obligabitur in foro conscientiæ promissor ad restitutionem ex iustitia, quando scilicet ex violatione promissionis sequitur notabile damnum promissario, sed id non ex vi promissionis violatæ; sed ex accidente ratione damni dati. Vt si promisisti alicui centum aureos mutuos; & ille promissioni tuæ fidens non sibi prouidit aliunde, ex quo graue in rebus suis passus est damnum, teneris illi in conscientia ad restitutionem talis damni; quia fuisti illi causa efficax ipsius damni, vt omnes fatentur; & speciatim Sanchez *tom. 1. matrimonij lib. 1. disp. 5. n. 1.* 18.

Sanch.

Sequebatur, vt solueremus argumenta pro prima, & secunda opinione, quæ *num. 7. & 8.* explicatæ sunt; sed illa iam ex dictis manent soluta. Primum enim pro prima opinione facta iam soluimus in nostro primo fundamento posito pro tertia opinione, quam sequuti fuimus. Ad secundum respondeo, etsi absolutè loquendo nihil, quod ad honorem Dei promittitur, sit parui momenti, cum vitam æternam promereatur, tamen spectata materia promissionis paruum censetur, alioquin omittere vnam salutationem Angelicam voto, aut iuramento promissam, erit mortale. quod non est dicendum. Ad tertium respondeo mendacium veniale in confessione dictum, si sit tota materia confessionis, esse peccatum mortale; quia reddit irritum totum sacramentum: qui enim nullam aliam materiam confessionis confessario præbet præter vnum peccatum veniale, quod non fecit, sibique imponit affirmando se illud fecisse; peccat sine dubio mortaliter, & confessionem efficit nullam & sacrilegam; & tenetur illam iterare, non quia mortiferum aliquod mendacium protulit; sed quia irreuerentiam maximam fecit sacramento, subiiciendo falsam materiam pro vera, & sic reddit sacramentum irritum, & formam illius falsam. Secus si cum eo peccato veniali, quod non fecit, & sibi imponit, alia peccata mortalia, vel venialia quæ fecit, in eadem confessione fateatur, vt latè probauimus in nostro tomo in quinque præceptis Ecclesiæ *in 2. præcepto lib. 3. cap. 2. num 10.* & ita communiter Doctores Viualdus *in candelabro.* vbi de confessione *num. 57.* Angelus *verbo, Confessio §. 6.* Armilla *eodem verbo §. 6.* Lessius *tom. 1. de iustitia lib. 2. cap. 40. dub. 9. n. 60.* Ad quartum respondeo, violationem legis diuinæ in materia graui, & capaci materiæ peccati mortalis, inducere peccatum mortale, secus in materia parua, & veniali. Reliqua argumenta facta pro secunda opinione manent soluta ex dictis. 19.

Viuald. Angel. Armil. Lessius.

20. Vltimum dubium tactum in titulo est, an iuramentum factum contra bonos mores obliget. Et quidem si boni mores fuerint iure naturali, aut gentium introducti, certum est promissionem iuramento, aut voto confirmatam contra illos non valere, & hoc communiter asserunt Doctores, & nullus est qui neget. Vnde si dominus directus promittat, ac iuret emphyteuta-

re

re vni emphyteusim, quam alter actu possidet, post mortem illius; talis promissio est contra bonos mores iure naturali, & gentium introductos, & non valet, quia datur in ea proxima occasio desiderandi, & procurandi mortem proximi in cuius locum promissarius successurus est, & idem dicendum est de promissione facta alicui à Patronu præsentandi illum in beneficio, post mortem illius, qui illud actualiter possidet. Patet ex *cap.a. de concessione prabenda*; vbi promissio beneficij hominis viuentis iuramento firmata propter eandem rationem non valet, & est textus *in lege, Quidam in iure, §. finali ff. de donat.* ibi: *Quoniam aduersus bonos mores, & ius gentium festinasset*, & etiam facit *lex* a. §. *finali ff. quibus vt indignis*; quæ occasio cum detur, vbi alteri promittitur beneficium, aut emphyteusis, quam alter viuus possidet; sequitur quòd talis promissio repugnet iuri naturali conseruandæ vitæ; quo argumento talem promissionem non valere quia est contra bonos mores iure gentium, & naturali

Curt. Cabed.

introductos tenet expresè Curtius Iunior *in lege finali num.22. cap de pactis*, & Cabedo *in 1.part. decisione* 137. & communiter Doctores omnes.

21. Distinguunt autem iuristæ duplices mores, naturales, & ciuiles; quos nos vocare possumus honestos, & politicos. Naturales appellant illos, qui sunt consentanei naturæ rationabili. Ciuiles appellant illos, qui ad conuenientem statum, & politiam Reipublicæ pertinent, & qui licet ad honestatem morum necessarij non sint, mali tamen non sunt, & ideo per iura ciuilia præcipiuntur; vt quod testamentum vsque ad mortem reuocari possit, neque obligatio ciuilis in contrarium valeat; expedit enim Reipublicæ, vt id sit legibus statutum; non est tamen ita prohibitum, vt non possit aliquis licitè promittere, se non

Suarez.

reuocaturum suum testamentum, vt docet Suarez *tom.2. de Religione lib.2. de iuramento promissorio cap.21. num.3.* Boni autem mores naturales non dicuntur illi soli, quos ratio naturalis dictat esse necessarios ad bonitatem, & honestatem morum, sed etiam illi qui mediante lege positiua ciuili, vel canonica habent hanc morum honestatem; quia stante lege, ratio etiam naturalis dictat, illos esse necessarius ad hanc honestatem, facit enim lex ipsa tales mores ita esse conuenientes rationabili naturæ, vt contrarij illi repugnent, & ideo meritò illi etiam dicuntur boni mores naturales; & de lege canonica non est dubitandum, cum ius canonicum præcipuè respiciat bonum animæ, & conscientiæ. Vnde eo ipso quòd aliquid est contrarium iuri canonico, contrarium etiam est bonis moribus; Leges enim canonicæ si sint propriè leges, & non sint consilia, semper obligant in conscientia. De lege autem ciuili aliqua dubitatio esse potest, cum leges ciuiles respiciant potiùs pacem externam Reipublicæ, quàm bonum animæ, & conscientiæ: attamen sunt aliquæ leges ciuiles, quæ obligant in conscientia, si non immediatè, saltem mediatè ratione grauissimarum pœnarum quas imponunt, & tunc mores quos præscribunt ad bonos mores naturales reduci possunt; licet appellentur ciuiles, quatenus lege ciuili præscribuntur.

22. Supposita hac distinctione, dicendum est iuramentum contra bonos mores naturales, non esse validum, nec vllam obligationem inducere.

Panorm. Suarez.

Ita communiter Doctores, Panormitanus *in cap. Cum contingat; & in cap. Si verò, de iuriurando;* & Suarez *tom.2. de Religione lib.2. cap.22. num.3.* & Couarruuias *de pactis part.2. in principio. n.1. §. Secundò hinc constat*, & Gutierrez *de iuramentorum confirmatione part.1. cap.40. §.4.* Curtius Iunior *l. finali num.22. cap. de pactis* & Cabedo *in 2. part. decis.* 137. Et ratio est, quia quod sic est contra bonos mores, est peccatum; iuramentum autem non est vinculum iniquitatis, vt obliget ad peccatum. Vnde non placet Couarr. allegatos dicto §. *Secundò hinc constat*, quatenus ait tunc iuramentum contra bonos mores naturales esse obligatorium, qoando boni mores fundantur in ratione naturali, tãquam in causa proxima; *secus*, inquit, *si boni mores sunt fundati in ratione naturali, tamquam in causa remota, quia tunc iuramentum his moribus contrarium obligatorium non est*, quia quocunqoe modo res iurata sit illicita, iuramentum de illa factum inualidum est, ne sit vinculum iniquitatis.

Cou. Gutier.

An verò iuramentum tantùm contra bonos mores ciuiles, seu positiuos sit obligatorium? 23.
Maius dubium esse potest. Respondeo breuiter, & resolutiuè, omne iuramentum præcisè factum contra bonos mores ciuiles, seu politicos esse validum, & nunquam fieri inualidum ex eo præcisè quòd sit contra bonos mores ciuiles. Ratio est, quia si repugnantia iuramenti ad bonos mores ciuiles præcisè esset sufficiens causa ad inualidandum iuramentum, & eneruandam illius vim, & obligationem; vbicumque inoeniretur iuramentum contra solos bonos mores ciuiles, non valeret. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Maior patet, minor ostenditur in iuramento metu graui à latrone extorto, quæ sunt contra bonos mores ciuiles, & contra pacem Reipublicæ; vt docet Suarez allegatus *dicto num.7.* & tamen valent, vt satis iam alibi probauimus. Ita docent communiter Doctores, Suarez *tom.2. de Religione lib.2. de iuramento promissorio cap.22. num.7.* & hoc pro regula certissima statuunt Doctores *in capite, Quando, & in capite, Cum contingat, de iureiurando.* vbi Panorm. *num.7.* & Glossa *in capite, Si aliquid 1.22. quæst.* 4. & Turrecrem. *in principio dicti capitis, Quando num.* 3. & idem sentit Couarruuias *de pactis part.2. & part.3. in principio*, & Molina Theolog. *tom.2. disput.* 271. *dubio vltimo. §. hoc tamen loco*, & Sanchez *lib.1. de matr. disp.31. num.1.*

Suarez. Panorm. Glossa. Turrecr. Couar. Molin. Sanch.

Opponis primo. Iuramentum de non reuocando testamento, stando in iure communi inualidum est, vt docet Bartholus *in lege, si quis pro eo ff. de fideiussor.* & alij quos refert. Couarr. *in rub. de test. part.2. num.15.* & Anton Gom. *in lege 3. Tauri num.95.* & Molina *lib.4. de primogenit. cap.2. num.* 4. & tamen hoc iuramentum est solùm contra bonos mores ciuiles, & non contra naturales, quia sine peccato seruari potest; ergo falsum est asserere iuramentum factum præcisè contra bonos mores ciuiles semper esse validum, & repugnantiam iuramenti ad bonos mores ciuiles non esse sufficientem causam ad inualidandum iuramentum. Respondeo, dato iuramentum de non reuocando testamento inualidum sit, negando prædictum iuramentum esse solum contra bonos mores naturales; licet enim non reuocare testamentum, non sit peccatum, nec malum, tamen obligare se ad illud non reuocandum, malum est, & illicitum, quia ea obligatio tollit libertatem humanam ad liberè testandum, vt patet ex *lege 1. cap. de sacrosanctis Ecclesiis*, quæ libertas si non est de iure naturali, est saltem de iure gentium, & proximè ad ius naturale 24.

Barth. Couar. Ant Gom. Molin.

tutale accedit; & similiter talis obligatio includit irrationabilem prodigalitatem propriæ libertatis in re adeo necessaria, & ideo tenent Iulius Clar. (Iul. Clar. Anton. Gab.) *lib.3 §.testam q.94* Ant.Gabr.*lib.2 recept. cap.1. num. sub At de iureiur concl.1. num.* 8. iuramentum factum de non reuocando testamento non esse obligatorium, sed inualidum. Si verò dicamus cum Couar. (Cou. Molin.) *in rubrica de testament. part.2. num.15.* & Molin. Theologo, *tom.1. de iust. disput.15. § contrariam*, iuramentum illud esse validum, & non posse absque periurio reuocari tale testamentum, argumentum nullam habet vim, Animaduertendum tamen est interdum posse nos aliquid propria authoritate efficere, vel omittere ad quod nos non possumus eum iuramento obligare, & talis obligatio erit inualida. v g. ingredi Religionem potest omitti, & non ingredi sine peccato, obligate autem se iuramento ad non ingrediendam Religionem. peccatum est, vt docet D. Thom (D.Thom.) *2.2. quæst.89. art 7.* Item ambulare per vias ciuitatis, sine peccato fieri potest; ad id autem se obligare per iuramentum, peccatum est, quia est actus otiosus, & abusus iuramenti, vnde fit, vt aliquid huiusmodi mera voluntate factum non sit peccatum; factum autem ex obligatione iuramenti, peccatum fit. Sic non reuocare testamentum non est peccatum, velle autem iuramento se ad id obligare peccatum est.

25. Opponès secundò. Iuramenta soluendi pœnam si non impleantur sponsalia, est contra solos bonos mores ciuiles; quia possunt talia sponsalia, & iuramenta sine peccato impleri; & tamen iuramentum est inualidum & non obligat, vt tenent communiter Doctores, & docet Couar. (Couarr. Ant.Gom.) *in rubrica de testamentis. 2. part. num. 17.* & Anton. Gom. *2. variarum cap. 14 num.* 24 Igitur falsum est omne iuramentum factum præcisè contra bonos mores ciuiles esse validum. Respondeo hoc iuramentum, non solùm esse contra bonos mores ciuiles, sed etiam naturales; quia illa adiectio pœnæ tollit etiam libertatem liberè contrahendi; quæ est de iure naturali, seu gentium; & sic promissio soluendi talem pœnam, non fit sine peccato saltem veniali. Quod docet etiam Caiet. (Caiet.) *in summa. verbo, sponsalia ex cap. Gemma mulier de sponsalibus*, vbi talis promissio improbanda dicitur. Vnde glossa ibi in propositione casus in fine, ita ait. *Nota quod sponsalia libera esse debent ab omni coactione personæ, vel pecuniæ, & si pœna fuerit apposita, non tenet promissio siue stipulatio pœnæ.*

26. Opponès tertiò Iuramentum & votum confirmans omnium bonorum donationem, est solum, & præcisè contra bonos mores ciuiles: & tamen communis sententia Iuristarum est, tale iuramentum oon valere; igitur falsa est tradita doctrina quæ ait valere omne iuramentum factum contra solos bonos mores ciuiles. Respondeo hoc intamentum non solùm esse contra bonos mores ciuiles, sed etiam contra bonos mores naturales, aut iure gentium introductos; talis enim donatio omnium bonorum iuxta meliores aufert libertatem testandi, vt docet Couarruuias (Couar.) *in rub. de test.2. part. num.* 4. Deinde donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum plerumque videtur irrationabilis, & actus prodigalitatis, & contra debitam prouidentiam, vel sui, vel suorum: quare nec iuramentum, nec votum illam confirmare possunt, cum non sint vincula iniquitatis, & ideo si comprehendat omnia omnino bona præsentia, & futura, & iura eorum, in totum; inualida est omnino, vt latè probat Gutierrez (Gutier. Gam. Molio.) *de iuram. confirmat. cap. 11. num. 2.* & Gama *decision. 206. num. 3.* Mol. Theolog. *tom. 2. disput. 285. §. donatio* & constat ex *l. Ex eo C. de inutili stipulat.* non ob aliam rationem, nisi quia per eam ex defectu booorum intestabilis fit donans, & omnem sibi potestatem testandi aufert, & id ipsum patet ex nostris ordinat. Lusitaniæ *in nouis lib.4. titulo 70 §.3.*

CAPVT XVI.

Vtrùm iuramentum de re maioris boni impeditiua vim obligandi habeat.

SVMMARIVM.

Quæ sint res, quæ maius bonum impediunt. num.1.

Absolutè loquendo iuramentum, & votum factum de matrimonio contrahendo, est irritum; supposita tamen voluntate iubendi est validum. num.1. versu, Prima.

Qui iuramento promisit, vel vouit alicui se facturum aliquid propter illum intra certum tempus potest ad Religionem transire, dummodo nulla aliunde obligatio ex iustitia id faciendi intercedat. num.2.

Explicatur caput, Commissum. de sponsalibus n.3.

An iuramentum, & votum de contrahendo matrimonio ad vitandam incontinentiam sit validum. num.4.

Quid de iuramento, quo certi adolescentes in collegiis promittunt, se non ingressuros Religionem inscio Rectore suo. num.5.

Secluso debito iustitiæ, famæ, seu deflorationis, is, qui iurauit sponsalia alicui fœminæ honestæ, potest transire ad Religionem: soluuntur etiam sponsalia iurata ex parte vtriusque sponsi per hunc ingressum. num. 6. Quid si mala fide fiat & animo fallendi sponsam. ibid.

An votum castitatis simplex superueniens sponsalibus iuratis illa dirimat, ita vt sponsus, vel sponsa post sponsalia iurata possint tuta conscientia manere in sæculo voto castitatis emisso. à num. 7. vsque ad 14. Quid de cælibatu sine voto castitatis. num.12.

Ordo sacer assumptus dirimit sponsalia etiam iurata, non ita assumptio minorum ordinum. num. 14.

An licitum sit illi qui puellæ promisit, & iurauit sponsalia ad sacros ordines transire, & an votum suscipiendi illos dirimat ea sponsalia ex parte vtriusque coniugis. num.15. & 16.

Quid si sponsalibus accedat aliqua ratio iniustitiæ. v g. infamiæ puellæ, aut deflorationis. num. 17.

Quid si sit vidua nobilis & honestæ famæ. num.18.

Quid si sponsalia fuerint iurata ficto animo. n.19.20.

An sufficiat tunc pecuniis damnum compensare, ibid. num.10.

Tenetur promissor sponsalium in euentibus, in quibus sponsalibus ratio iniustitia admiscetur, matrimonium contrahere. & si votum post sponsalia Religionis fecit, votum non est irritum; sed solutis sponsalibus, & mortua vxore, tenetur religionem ingredi, si verò votum castitatis fecit, tenetur reddere, & non petere. num.21.

RES quæ maius bonum impediunt, sunt, v. g. matrimonium; quod impedit Religionis ingressum, susceptionem sacro

sacrorum ordinum, & vitam cælibem, & continentiam; pro vera ergo resolutione,

Sit prima conclusio. Absolutè loquendo iuramentum, & votum factum de re maioris boni impeditiua, vt de matrimonio contrahendo, est nullum, supposita tamen voluntate nubendi, est validum, & obligat in conscientia, v. g. iurasti, vel vouisti te hanc pauperculam ducturũ in vxorem propter Deum. supposita voluntate nubendi, quam habes, votum obligat, & iuramentum tenet, quia supposita ea voluntate melius est, & gratius Deo hanc pauperculam ducere, quàm aliam ditiorem. Si tamen hanc voluntatem nubendi deponas, & volueris Religionem ingredi, aut sacros ordines suscipere, aut manere in sæculo in perpetuo cælibatu, emisso voto simplici castitatis, desinit obligatio voti, & iuramenti ea ratione, qua inferiùs constabit. Primò; quia tale votum, & iuramentum emisisti, vt Deum honorares; absolutè autem melius est, & gratius Deo nullam ducere, & Religionem ingredi, aut sacros ordines suscipere, vel manere in sæculo in statu perpetui cælibatus, voto castitatis confirmati, quàm nubere, & quàm hanc pauperculam ducere; quod intelligendum est dummodo eam non deflorraueris, aut infamaueris, aut alia obligatio iustitiæ erga illam non intercedat, vt infra dicemus *num.* 18. Secundò, quia in iuramentis promissoriis, quæ fiunt in honorem Dei, & recurrunt cum votis, & simpliciter in votis, quando fiunt, semper intelligitur ista tacita conditio in ipsis iuramentis inclusa nisi cum maiori bono repugnet. Est communis. Ita Lessius *tom.* 1.
Azor. *de iustitia lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 7. *num* 43. Azor *lib.* 11.
Sotus. *cap.* 5. *quæst.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 5. & alij passim.

2 Hinc colliges eum, qui promisit alteri se facturum aliquid ad certum tempus illius causa; posse tuta conscientia ad Religionem transire dummodo nulla alia obligatio iustitiæ intercedat, qua teneatur ei aliquid restituere, vel ratione iniuriæ, vel damni illati. Ita docet Azor. allegatus.

Sà Sà tamen *verbo*, *Iuramentum*, *num.* 10. putat eum qui iurauit, se aliquam in vxorem propter Deum ducturum, non posse manere in cælibatu in sæculo; sed teneri eam ducere: posse tamen religionem ingredi, aut sacros ordines suscipere. Intelligendus est tamen Sà de cælibatu sine voto castitatis, seu de proposito perpetui cælibatus, nam stando in ratione superiùs facta ratio etiam in vita cælibe, si voto fuerit, aut iuramento firmandæ castitatis confirmata, procedit; quia tunc est status firmus, & melius est in eo statu in sæculo permanere, quàm nubere: secus si voluerit in sæculo in vita cælibe, sine voto, aut iuramento, quo se ad castitatem obliget, permaMolin. nere. Et ita tenent expressè Molina *tom.* 2. *de iustitia disp.* 249. *folio mihi* 843. §. *Hinc oritur*, &
Sanch. Sanchez *lib.* 1. *de matr. disp.* 46. *num.* 4. Vnde etiam
Caiet. Caietanus *in summa*; *verbo*, *Periurium promissorium, ad finem capitis* 1. dicit posse iurantem sponsalia, ea relinquere tuta conscientia nisi aliunde ratio iniustitiæ accedat, & manere in cælibatu in sæculo: sed intelligendus etiam est Caietanus de cælibatu confirmato voto castitatis, aliàs non; vt notat Sanchez allegatus, quia maius bonum iure naturali minori bono anteponitur, & iuramentum non potest impedire maius bonum; seclusa autem ratione iustitiæ & infamiæ, maius bonum est nullam ducere, & vitam cælibem agere, quàm aliquam ducere.

Sed contra hoc facere videtur caput, *Commissum, de sponsalibus*, vbi Summus Pontifex decreuit, vt quidam, qui sponsalia certæ fœminæ iurauerat, & postea Religionem ingredi volebat, priùs fœminam in vxorem ducat, & postea ante consummatum matrimonium Religionem ingrediatur; quia tutius, inquit, est seruato iuramento matrimonium contrahere, & deinde ad Religionem conuolare. Panormitanus in hoc capite respondet id fuisse Pontificis consilium, non præceptum, nec decretum obligatorium, & illud, *Tutius*, intelligendum esse in hominum opinione, non ex obligatione conscientiæ. Melius respondet Azor. *lib.* 11. *cap.* 5. *quæst.* 4. Summum Pontificem in eo capite locutum fuisse de iuuene quodam, qui sub iuramento puellæ promiserat, se illam ducturum intra biennium, & postea in biennij fine suspenso animo fuisse contraheret ne, an religionem ingrederetur; & ita rem totam in tempus differebat, nec enim iuramentum implebat, nec ad Religionem transibat, ac proinde Summus Pontifex ibidem consulit, vt puellam priùs ducat, & deinde ante consummationem matrimonij Religionem ingrediatur; quod responsum nihil habet, quod communi iuri repugnet, cum post matrimonium ratum, & non consummatum possit quis ad Religionem transire, vt definitum est in cap. *Ex publico*, *de conuersatione coniugij*. 3.

Azor.

Sed difficultas de eo est, qui continentiam seruare non potest, an iuramentum, & votum matrimonij ad vitandam incontinentiam sit validum. Quidam docent validum esse. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. Nauarr. *in summa Latina cap.* 12. *num.* 43. *versu*, *Decimoquartò*, *ad finem*; quoniam illa circunstantia de adhibendo remedio incontinentiæ suæ, & propriæ carnis imbecillitate, facit, vt quod aliqui erat minus bonum, efficiatur maius bonum, *& iuxta hoc*, ait Nauarr. *ante tres annos respondimus teneri ad ducendam vxorem quendam, qui vouit illam ducere, dum in nauigatione periculum incurrisset mortis, vt vitio carnis, quo maximè laborabat, commodius resisteret.* Hæc ibi Nauarr. Sed verius est non esse tale votum aut iuramentum validum, itavt non possit irritum reddi. sed solùm validum esse ex suppositione, nempe supposito quòd ipse nolit alia remedia aduersus carnis tentationes adhibere, tandiu enim obligabitur ex voto ad matrimonium suscipiendum, quandiu alia remedia adhibere noluerit. Quòd si alia remedia adhibere velit, tam cessabit illius voti obligatio. Vnde si voluerit Religionem ingredi, sacros ordines suscipere, votum castitatis in sæculo emittere, carnem aliis remediis domare, ac in veram disciplinam redigere, id poterit efficere; quia tam est ei melius non ducere vxorem. Ita docet Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 7. *num.* 44. 4. Caiet. Nauar. Lessius.

Quæres tamen hîc, an validum sit illud iuramentum, quo certi adolescentes scholastici in quibusdam collegiis, in quibus aluntur, iurant se religionem non ingressuros, inscio Rectore suo, vel eo cui curæ sunt. Respondeo valere; nec enim tale iuramentum melius bonum, aut Religionis ingressum eis impedit, non enim iurant, se non ingressuros religionem absolutè, sed iurant, se illam non ingressuros absque petitione facultatis suorum superiorum, qua petita, & non obtenta poterunt repugnante etiam, & contradicente superiore Religionem ingredi. Ita Azor. *lib.* 11. *cap.* 5. & communiter Doctores. Quæret etiam 5. Azor.

Nauar.

etiam Nauarrus *consilio* 1. *de regularibus*. An iuuenes Angli, & Hyberni, qui admittontur in collegiis præstito iuramento, eundi postea in Aogliam, & Hyperniam docturi Religionem catholicam, possint tuta conscientia Religionem ingredi. Respondeo posse. Ratio est, quia iuramentum in melius commutant, & qui iuramentum, aut votum sua propria authoritate in melius simpliciter commutat, periurus non est, vt habetur *in cap. Peruenit* 2. *de iureiurando, & cap. Scriptum, de voto*, vbi sic dicitur: *Reus facti voti non est, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis obseruantiam commutare.* Nec obstant fundamenta Nauarri suprà contrarium tenentis, quorum primum erat, quia seruus Religionem ingredi nequit absque sui domini consensu Secundò, quia procuratores, tutores, & alij similes obligationis vinculo ligati, Religionem ingredi nequeunt, nisi prius debitum persoluant. Sed hæc fundamenta non veniunt ad rem; quia ideo in seruis id verum est, quia seruus non est sui iuris; sed domini possessio est. Procuratores autem, tutores, & debitores sunt vinculo iustitiæ erga alios adstricti, & ingressus religionis cum alterius damno, & præiudicio grani esse non debet; at verò prædicti iuuenes solùm sunt tali iuramento promissorio obstricti Deo, quod melius honum, & iogressum Religionis impedire nequit, vt docet Azor suprà allegatus

6. Secunda conclusio. Secluso debito iustitiæ, famæ, aut deflorationis is, qui iurauit alicui fœminæ sponsalia, & se eam ducturum in vxorem, potest Religionem ingredi; soluuntur enim sponsalia iuramento etiam firmata ex parte vtriusque contrahentis quando sponsus bona fide (vt communiter fit) Religionem ingreditur, secus si dolosè & animo statim exeundi ingrediatur, fraus enim, & dolus omini patrocinari debet, *capite. Ex tenore de rescriptis*; quare sicut sponsa manens in sæculo potest liberè aliud matrimonium inire, ita similiter nouitius; si habitum deserat, & dimittatur. Ita docet expresè Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.*42. *num.* 5. *& disp.*43 *num* 3. vbi loquitur etiam de sponsalibus iuramento confirmatis; & huius sententiæ videntur esse expressè Angelus *verbo, Sponsalia num* 22. Syluester *ibi quæst.*10. *casu* 2. Nauarr. *in summa cap.*22. *Latinè num.*26. *casu* 2. *Hispanè num.* 23. Gregorius Lopez *leg* 7 *verbo excusation. tit.* 1. *part.*4. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *artic.* 5. *versu, Hoc tamen.* Corduba *in summa quæst.* 136. *punct.* 1. Viualdus *in candelabr* 1. *part tit. de sponsalib c.* 5. *num* 40. Ludouic. Lopez 2. *part. instruct. de matr. cap* 38. *folio mihi* 1044. Philiarchus *de officio sacerdotis tom.* 1. *part* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. & alij. Et ratio est, quia non valet iuramentum promissorium quando est maioris boni impeditiuum; hoc aotem iuramentum sponsaliorum, si validum esset, impediret maius bonum, nempe ingressum Religionis. Secundò, quia quamuis expressum non inueniatur, vt nouitiatus omnino soluat sponsalia iurata, sicut professio dissoluit matrimonium ratum, tamen ex quadam proportione & similitudine duci potest argumentum, vt sicut per professionem per quam quis consummatè efficitur religiosus, dissoluitur omnino matrimonium ratum, ita per Religionis ingressum dissoluantur sponsalia. Confirmatur, quia hæc dissolutio, non prouenit tantùm ratione notabilis mutationis; sed fauore status: sicut enim fauore status per professionem dirimitur omnino matrimonium ratum, non autem ratione notabilis mutationis aut repugnantiæ, ita fauore status dissoluontur sponsalia per ingressum ipsius Religionis. Tertiò, quia votum religionis dirimitur per ingressum illius, bona fide, itavt si quis è nouitiatu eiiciatur, liber maneat à voto; ergo & sponsalia similiter dirimuntur, etiam per ingressum illius, quamuis iuramento firmata sint. Consequentia probatur, quia maior est obligatio voti Religionis, quàm sponsalium.

Sanch. Angel. Syluest. Nauar. Greg. Lop. Sot. Cordub. Viuald. Lud. Lopez. Philiarc.

Tertia conclusio. Votum castitatis superueniens sponsalibus iuratis dirimit sponsalia ex parte illius, qui non vouit, itavt ipse à fide sponsalium seruanda liber maneat, & possit licitè cum alio contrahere. Probatur; quia res sunt notabiliter mutatæ, cum enim vouens teneatur ex voto debitum non petere, grauissimum onus alteri esset semper cogi ad petendum, maximè si esset fœmina. Ita Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio disput.*46. *num.* 5. Paludan. *in* 3. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 3. *num.* 23. Syluester dicens hoc esse indubitatum *verbo, Sponsalia. quæst.*7. Corduba *in summa quæst.* 136. *punct.*4. *opinione* 5. Henriq *lib.* 11. *de matrim. cap.*14. *num.*4. Petrus Ledesma *de matrim quæst.*43 *art* 3. *dubio* 2. *difficultate* 2. Lopez 2. *part. instruct. de matrimon. quæst.* 38. *folio mihi* 1045. Rodriguez *tom.* 1. *summa in* 2. *edit. cap.*245. *num* 3. Veiga *lib.*6. *summæ casu* 41. *puncto* 4 *opinione* 5. 7.

Sanch. Palud. Syluest. Cordub. Henriq. Petr. Led. Lud. Lop. Rodrig. Veiga.

An autem dissoluantur etiam, & dirimantur sponsalia ex parte vouentis, est duplex opinio. Prima docet dissolui, & non posse vouentem matrimonium antea in sponsalibus promissum amplius vrgere, & inire, sed liberum manere ab obligatione illorum; hanc videtur tenere expressè ex Theologis D. Thom. *in* 4. *dist.*38. *quæst.*1. *art.* 3. *quæstiuncula* 2. *ad* 1. ibi: *Simili modo obligat votum simplex sicut sponsalia; vnde propter simplex sunt sponsalia dirimenda*; & fere expressè tenet Paludan. *in* 4. *dist.*38 *quæst* 3 *art.*3. *concl.* 4. *num.* 36. Caietanus *in summa, verbo, Periurium promissorium, ad finem cap.* 2, *versiculo. Intellige.* Sotus *in* 4. *dist.*27. *quæst.* 2. *art.*5. *versu, Votum.* Vera Crux 1. *part. speculi art.* 21. *casu* 12. Henriquez *lib.*11. *de matrim. cap.*14 *num* 4. Barthol Ledesma *de matrim. dub.*13. *casu* 2. Rodriguez *tom* 1 *summa in* 2. *editione cap* 245. *num.* 2. Petr. de Ledesma *de matrim. quæst.* 43. *art.*3. *dub.*3. & Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.*46. *num.*7. *vers.*4. quia licet contrariam sequatur, de hac asserit, *Est probabilissima sententia, & tutissimè amplecti potest*; & Caietanus, Henriquez, Manuel Rodriguez, Petrus de Ledesma loquuntur expressè de sponsalibus iuramento confirmatis: ex iurisperitis eam tenet Calderinus *in cap. Veniens, qui clerici, vel vouentes*; vbi Anton. *num.* 9. Præposit *num.*2. Cardinalis *in cap. Rursus, eodem titulo num* 2. *quæst.*1. Angelus *verbo, Sponsalia num.*40. Turrecremata *cap. Vbi non est, num.* 5. 30. *quæst.* 2. Gregor. Lopez *lege* 7. *verbo, excusation. titulo* 1. *part.*7. Costanus *de sponsalibus, titulo, effectus sponsalium num.* 9. Alex. Carrerius *lib. de sponsalibus cap.*16. Vterque *in tom.* 9. *tractatuum.* Probatur primò hæc opinio ex prædicto cap. *Veniens, qui clerici vel vouentes*, vbi fœmina, vt à sponsalibus liberaretur; castitatem vouit, & rogatus Pontifex, an non obstante voto possit nubere? Respondet ob fornicationis periculum imponendam illi esse pœnitentiam de voto violato, id est, vt explicat ibi Glossa *in verbo, Votum, de animo violandi* 8.

D. Thom. Palud. Caiet. Sotus. Vera Crux. Henriq. Barthol. Rodrig. Petr. Ledes. Sanch. Calder. Anton. Præposit. Cardin. Angel. Turrecr. Greg. Lop. Const. Carrer.

laudi votum, & dandam illi esse licentiam nubendi. ergo votum castitatis præualet sponsalibus, aliàs non peccaret contra votum volens fidem sponsalium seruare, & nubere. Secundò, quia promissum non infringit, qui in melius commutat, *capite Peruenit, de iureiurando.* Tertiò, quia iuramentum quo sponsalia confirmantur, non potest esse maioris boni impeditiuum, esset autem si impediret statum seruandæ castitatis; iure enim naturali maius bonum præualet minori bono. Quartò, quia in sponsalibus etiam iuratis semper intrinsecè inest hæc tacita conditio, *nisi voluero ad meliorem statum transire.* Quintò, quia vbi concurrunt duo vincula incompatibilia, fortius præualet, iuxta caput, *Si inter, de sponsalibus*; at vinculum voti castitatis est incompatibile cum sponsalibus, vt patet, & est fortius, quia inducit obligationem fidelitatis respectu Dei, sponsalia verò respectu hominis.

9. Et ex hac sententia sequitur eum, qui post votum castitatis contrahit matrimonium cum alia, frangere votum, non tamen fidem sponsalium priorum, quia hæc sponsalia iam per superueniens votum omnino dissoluta erant, & sic Reum esse voti, non sponsalium priorum.

10. Sanchez. Nauar. Viuald. Cordub. Syluest. Secunda sententia, quam tenet Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 46. num. 9.* & Nauarrus *in summa Latina cap. 22. num. 25. Hispana num. 25.* Viualdus *in candelab. aureo p. 3. cap. 14. num. 46.* & Corduba *in summa quæst. 136. puncto 4. opinione 5.* & Syluester *verb. matr. 7. quæst. 5. dict. 5. & verbo, sponsalia, quæst. 7.* & alij multi, quos ibi citat, & allegat Sanchez, docet non dirimi, nec dissolui sponsalia ex parte non vouentis. Probant primò, hanc opinionem ex prædicto capite, *Veniens, qui Clerici, vel vouentes*, vbi fœminæ, quæ in sponsalibus promisit matrimonium, imponitur pœnitentia de fide mentita sponso, cum per ipsam steterit, ne matrimonium sequeretur propter votum castitatis, quod post sponsalia emiserat. At hoc argumentum parui momenti est; quia ibi non imponitur pœnitentia fœminæ propter violatam fidem sponsalium; sed propter voti violationem; quia post votum volebat iterum vrgere matrimonium, vt diximus numero præcedenti. Probant secundò, quia Deus non acceptat promissionem rei priùs alteri promissæ, & in eius præiudicium, vt si promisi equum Petro, & postea repromitto Ecclesiæ, præualet prior promissio; sed sponsus per sponsalia priùs promisit suum corpus alteri; ergo repromissio eiusdem corporis facta Deo per votum non est illi accepta. Sed ad hoc facilè respondetur, Deum acceptare promissionem rei alteri promissæ; quando ea promissio non cedit in alterius præiudicium; hæc autem non cedit in alterius præiudicium, cum in promissione sponsalium prius sponsæ, vel sponso facta, illa conditio semper intrinsecè fuerit inclusa, *promitto tibi sponsalia, nisi voluero ad meliorem statum transire.* Probant tertiò, quia nullo iure probatur inesse sponsalibus tacitam illam conditionem, *nisi voluero ad meliorem statum transire*, aut, *nisi statum continentium elegero.* Respondeo inesse iure naturali, quia præscribit ius naturæ melius bonum esse anteponendum minori bono; melius autem bonum est status continentium, quàm status contrahendi matrimonium.

11. Ex his opinionibus vtraque est valde probabilis. Prima tamen probabilior, & sequenda. Obseruandum tamen est aliquos doctores huius secundæ affirmare illum sponsum, qui post sponsalia vouet castitatem, peccare mortaliter, quia sine causa ab illis recedit, cum non sit sufficiens causa votum illud. Sic Syluester *verbo, sponsalia, quæst. 7.* Lud. Lop *2. p. instructory de matr. cap. 38 fol. 1043.* Cordub *in sum. quæst. 136. punct. 4. opin 5.* Veiga *lib. 6. summa casu 41. puncto 4. opinione 5.* Syluest. Lud. Lop. Cordub. Veiga. Sed id nullum peccatum est, nec veniale quidem, dummodo bona fide voueat, & non animo fallendi; si enim animo fallendi sponsum, & illudendæ fidei sponsalibus datæ votum emittatur, peccatum erit mortale, vt dicemus *num 19.*

12. Nudum tamen propositum cælibatus sine voto, nullo modo sponsalia dirimit, quia tale propositum nisi fuerit voto confirmatum non constituit statū. Sic Mol. *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 149. fol. 843. in fine.* Sanch. *lib. 1. de matr. disp. 46. num. 4.* Molin. Sanch. Nec aduersantur illi, qui dicunt posse intrantem sponsalia manere in sæculo in cælibatu; intelligendi enim sunt, vt diximus *num. 2.* de cælibatu voto castitatis confirmato.

13. Nemo tamen dubitat in omni opinione votum castitatis præcedens, sponsalia superuenientia irritare; vt communiter omnes fatentur; quia continent rei illicitæ promissionem. Ita Sanchez allegatus *num. 3.*

14. Quarta conclusio. Ordo sacer assumptus post promissa, & iurata sponsalia, illa sine dubio quoad vtrumque coniugem dirimit, ac dissoluit, non ita ordines minores. Ita Sanchez *lib. 1. de matr. disp. 47. num. 1.* Paludan. *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. casu 5. num. 21 initio.* Sanch. Palud. Est certa, & hodie à nemine negatur. Ratio est, quia ordo sacer statui matrimoniali repugnat, cum incapacem ac inhabilem ad matrimonium suscipientem reddat, non ita verò repugnat status ordinum minorum.

15. Difficultas verò est, an sponsalium fide adstricto liceat ad sacros ordines promoueri, & an votum eos suscipiendi dirimat sponsalia. Partita est sententia. Prima docet posse hunc licitè ad sacros ordines ascendere, & subinde votum illos suscipiendi sponsalia dissoluere. Ita expressè Sot. *lib. 7. de iust. quæst. 1. art. 3. vers. & pariter ad 2.* Cordub. *in sum. quæst. 136 punct. 4 opinione 5.* Henriq. *lib. 11. de matr. cap. 14. num. 4.* Veiga *lib. 6. summæ casu 41. punct. 4. opinione 5.* Sotus. Cordub. Henriq. Veiga. & hanc opinionem probabilissimam appellat Sanchez *lib. 1. matrimony disp. 47. num. 2.* & illam supponunt Syluester *verbo, sponsalia, quæst. 7.* Nauarrus *in summa Hispana cap. 22. num. 25. casu 10* Sanch. Syluest. Nauar. Asserunt enim vouentem castitatem non liberari ab sponsalibus, teneri tamen, vt impleat votum, vel Religionem ingredi, vel ordines sacros suscipere; & hanc opinionem debent necessariò tenere omnes qui dicunt per votum simplex castitatis dirimi sponsalia, quos citauimus *num. 9.* Et ratio est, quia in sacris ordinibus solemne votum castitatis includitur in cap. vnico *de voto in 6.* Vnde si votum simplex seruandæ castitatis sponsalia dirimit, vt probauimus *num. 9.* à fortiori dirimet votum solemne.

16. Secunda docet sponsalibus adstrictum non posse licitè ad sacros ordines promoueri, & peccare mortaliter si promoueatur, nec sponsalia dirimi voto sacri ordinis suscipiendi. Hanc tenet Paludan *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. casu 5. num. 21. vers. 4.* Sanchez *lib 1. de matr. disp. 47. num. 3.* Maiolus loquens de sponsalibus iuratis *lib. 1. de irregularitate, cap. 34. num. 6.* Palud. Sanch. Maiol. Lud. Lop. & in hanc magis inclinat Lud. Lopez *2. pars instructory de matr. cap. 38. fol. 1045.* & addit etiam Paludanus *num. 21.* non solùm sponsalia per electionem Papæ alicuius sponsi in Episcopum, & præceptum ab ipso in-

iunctum vt acceptet; quia præcepta Principum intelliguntur saluo iure alterius, *lege Nec annus. C emancip. liber.* Quando autem ex certa scientia id fecerit, censetur dispensare. Verùm ex his duabus opinionibus prima probabilior mihi videtur; & ideo tenenda propter suos auctores, & fundamenta.

17. Quarta conclusio. Si tamen huiusmodi sponsalibus accedat ratio iniustitiæ, vt si sponsus, qui illa promisit, puellam deflorauit; vel absque copula & defloratione, ita infamauit, vt notabilem famæ iacturam ipsius causa patiatur, nec votum castitatis, nec sacrorum ordinum, imò nec ingressus religionis ea dissoluit; dissoluit tamen sacrorum ordinum susceptio, & professio in Religione facta; quare prædictus sponsus non potest licitè transire ad Religionem; nec votum castitatis, aut sacrorum ordinum emittere; sed tenetur in conscientia sponsam ducere, matrimonium consummare, & maritaliter cum illa viuere; & in his casibus non satisfacit promissor si contracto matrimonio, & non consummato Religionem ingrediatur; quia eo matrimonio, non resarcitur iniuria virginitatis & famæ, & quia sic contrahere est actus otiosus, & culpa non caret.

Sanchez. Nauar. Henriq. Rodrig. Cordub. Lud Lop.

Ita docet Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 44. num. 3.* Nauarr. *lib. 3. consil. titulo de voto in 1. edit. consil. 6. fine, in 2. consil. 3 fine.* Henriq *lib. 11. de matrim. cap 13. num. 3. commento litera Z.* Rodrig. *tom. 1. summa in 2. edit cap. 245. num. 11.* Cordub *in sum. quæst. 182.* & Lud Lop. *1. part. Instr. cap. 77. versu, Sed grauius.* Et ratio est. Primò, quia moraliter loquendo non potest ei aliter iniuriam factam reficere, nisi illam ducat, & maritaliter cum ea viuat, quia ad hanc iniuriam resarciendam vinculo iustitiæ persona promittens alligata est, vnde nullo alio pretio ei potest iniuriam reficere, nisi de illius consensu, quia promissio facta fuit super corpus & personam, & non super pecuniam Vnde non est audiendus D. Anton. citatus à Cord. consulens, vt hic fœminam ducat, & ante consummationem matrimonij Religionem ingrediatur, & loquitur D. Anton. de eo, qui non deflorauit, sed notabiliter infamauit. Sed certè non bene propter nostras rationes.

18. Idem dicendum est, quando esset vidua honesta, & bonæ famæ, nobilis, & non infimæ sortis, & notabilis infamia ipsi sequeretur. Ita Sanchez allegatus *num. 5.* & probatur iisdem rationibus iam factis.

Sanch.

19. Idem etiam dicendum est, quamuis sponsalia vera non essent, quia promissio ficta fuit. Ratio est, quia iste talis fictus promissor tenebatur ex iustitia commutatiua non fictè promittere, sed habere verum consensum, vt constat ex omnibus contractibus, in quibus interuenit hæc forma contrahendi; *do, vt des; facio, vt facias*; ergo si tenebatur tunc in conscientia habere verum consensum, & animum promittendi ex iustitia, ex eadem iustitia tenetur modò præstare id quod in tali consensu, & animo continere debebat, illud autem erat eam ducere, & consummare matrimonium; ergo modò fictè promittens tenetur ex iustitia id facere Ita Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 4?. num. 6.* & latè id probat *disp. 10.* Nauar *in summa cap. 16 num. 18.* Tabien. *verbo, restit. q. 22. num. 2?.* Armill. *ibid. n. 22.* D. Thom. *in 4. dist. 38. quæst. unica ad 4. art. 2.*

Sanch. Nauarr. Tabien. Armill. D. Thom.

20. Opponęs. Iustitia commutatiua id tantum postulat, vt æquale reddatur: potest autem id fieri reddendo pecunias in tantum, quantum arbitrio prudentis reficiatur iniuria. Respondeo iustitiam commutatiuam non solùm petere reddi æquale, sed vt idmet reddatur in specie, & indiuiduo, quod debetur, si extet, vt si equum furto abstulisti & extet, non satisfacies, nisi illum reddas, reddendo valorem illius, nisi de consensu domini, quia vnum pro alio reddi non potest inuito creditore. Ita habetur expressè *lege a mutu. ff. si certum petatur.* Vnde cum promissio de contrahendo facta fuerit de persona, & corpore promittentis, non satisfaciet per pecunias, nisi de consenso illius cui sponsalia iurasti Ita Sanch *lib. 1. de matr. disp. 10.* & Suarez *tom. 1. de Relig. lib 2. de iuram. cap. 36. num. 3. concl. 1.* & est communis Canonist. *in cap. ad audientiam 1. & in cap. Quando de iureiurando, & in cap. Cum inter. de renunciat.* Et id etiam docet Syluest. *verbo, Iuramentum 4 q. 20. & 21. & verbo, Iuramentum 5. quæst. 5.* Angelus *ibi num. 33. & 34.* tenet etiam Anton. Corset. *tract. de iuram. num. 39. & 40.* & Marc. Anton. Bauer. *in simili tract. num. 13. & 57.* & alij.

Sanch. Suarez. Syluest. Angel. Corset. Marc. Ant.

Ex dictis inferes primò, in his euentibus in quibus interuenit, & admiscetur sponsalibus aliqua ratio iniustitiæ, si promissor sponsalium voto Religionis se adstringat, teneri matrimonium contrahere; illudque consummare, non obstante voto, quia non potuit in præiudicium fœminæ Religionem vouere; huiusmodi tamen votum non erit irritum, quia dissolutis sponsalibus ex quacumq; legitima causa, vel soluto matrimonio, morte fœminę tenebitur vouens votum implere: similiter si vouet castitatem, tenebitur illud seruare quantum potuerit, nunquam petendo, tenebitur tamen reddere, & solutis sponsalibus ant matrimonio tenebitur integrè seruare votum, & non amplius contrahere. Ita Sanchez *lib. 1. Matrimonij disp. 44. num. 8. & disp. 46. à num. 15.* 21.

Sanch.

Capvt XVII.

Vtrùm iuramentum contractus, conuentus, & pacta hominum ita confirmet, vt reuocari non possint, licet sine iuramento facti possint?

Svmmarivm.

Duobus modis intelligi potest contractus iuramento confirmari. Primo, quando contractus sunt validi, sed reuocabiles. Secundo, quando sunt inualidi & ratione iuramenti fiunt validi. num. 1.

An iuramentum habeat vim confirmandi contractus ex natura sua, an ex iure, & an aliunde. num. 2.

An detur ius aliquod ciuile, vel canonicum hanc vim confirmandi contractus iuramento tribuens. num. 3.

Refertur prima opinio asserens nullo iure hanc vim tribui iuramento ad confirmandos contractus, sed addere nouam obligationem religionis, qua iurans tenetur etiam ex religione, & vi iuramenti obligationem contractus exequi. num. 4.

Præfertur opinio contraria affirmans iuramentum vltra vim obligandi ad seruandam veritatem rei iuratæ, habere etiam vim ex iure ad confirmandos contractus iure ciuili, & canonico irritos. num. 5.

Reiiciuntur

Reijciuntur authores asserentes iuramentum habere vim ad confirmandos contractus solo iure ciuili irritos, non verò iure canonico. *num.*6.

Quomodo intelligatur vulgare iurisperitorum effatum asserens iuramentum intelligendum esse iuxta naturam actus cui apponitur. *num.*7.

An contractus iure ciuili & canonico irriti ita firmentur ratione iuramenti, vt fiant validi. *num.*8.

Quale debet esse iuramentum, vt eos contractus confirmet, assertorium ne, an promissorium. *n.*9.

Refertur opinio asserens satis esse quodcumque iuramentum promissorium de futuro, quo quis se obliget ad standum contractu. *num.*10.

Ad confirmandos contractus opus est iuramento promissorio, quo quis se obliget non solùm ad standum contractu, sed etiam ad illum non retractandum. *num.*11.

An necessarium sit quòd tale iuramentum fiat personaliter, an satis sit, quòd fiat per procuratorem. *num.*12.

Si minor eam potestatem committat procuratori suo, oportet, vt in ea iuret se staturum iuramento sui procuratoris. *num.*13.

An detur aliqua regula certa ad cognoscendum quando contractus iuramento firmentur, vel non firmentur. *num.*14.

Prima regula est, vt iuramentum possit absque peccato seruari, & vt sine praeiudicio alterius fiat. *num.*15. & 16.

Secunda regula, & conditio est, vt non detur turpitudo ex parte recipientis iuramentum, seu ex parte illius in cuius fauorem praestatur, qualis debet esse haec turpitudo. *num.*17. & 18.

An sufficiat turpitudo contra ius ciuile, hoc est, quod ius ciuile talem contractum prohibeat. *num.*19.

Tertia regula, & conditio est, vt iuramentum vel formaliter, vel aequipollenter contineat promissionem non reuocandi contractus. *num.*20. & 21.

Quoties contractus sunt prohibiti iure naturali gentium, & diuino, iuramento non confirmantur. *num.*22.

Iuramentum de emphyteutanda re quam viuens emphytema habet post mortem illius, & iuramentum de futura successione absque consensu illius de cuius haereditate agitur, an contractum confirmet, ita vt sit validus. *num.*23. 24. & 25.

Non valent contractus, nec confirmantur iuramento, quando sunt prohibiti lege aliqua ciuili lata immediatè ob bonum commune. *num.*26.

Confirmatur multis exemplis. à num. 27. *vsque ad* 30.

Nec etiam valent, aut confirmantur quando sunt prohibiti iure canonico condito immediatè ob bonum commune. *num* 31.

Confirmantur verò quando sunt prohibiti lege aliqua ciuili, aut canonica condita immediatè ob bonum particulare contrahentis. *num.* 32. & 33.

Exemplis res ostenditur. *à num.* 34. *vsque ad* 38.

An donationes inter virum, & vxorem, inter patres & filios iuramento confirmentur. *num.*39.

An confirmetur donatio omnium bonorum. *num.*40.

1. SENSVS quaestionis est, an iuramentum vltra vim obligandi ad rem iuratam implendam habeat quoque vim confirmandi illos contractus, quibus adiicitur, atque apponitur. Ad cuius intelligentiam notabis Primò, duplicitèr posse intelligi contractum confirmari iuramento. Primo modo, quando contractus secluso iuramento erat ex se, & iure validus; at infirmus & reuocabilis eo quod reuocari poterat, & fas erat contra illum in iudicio reclamare, & virtute iuramenti efficitur irreuocabilis, & talis reclamatio in iudicio denegatur, vt sunt omnes contractus, quos minores cum sui curatoris authoritate, & iudicis decreto absque iuramento circa res immobiles faciunt, qui sunt validi, sed reuocabiles; nam minores ex eis laesi possunt reclamare implorando beneficium restitutionis & contractus, quos minor curatore carens iniit. Secundo modo, quando contractus erat in se iure ipso inualidus, at virtute iuramenti adiecti fit validus, aut saltem omnes habet effectus quos contractus validi habent, ac si validus esset, vt sunt illi contractus, quos minor curatorem habens absque illius authoritate efficit, vt constat ex lege, *Si curatorem. C. de in integr. restitutione*, & lege *regia* 25. *tit.* 11. *partita* 5.

Notari velim secundò, iuramentum nequaquam habere posse hanc vim confirmandi contractus ex natura sua, neque ex iure aliquo naturali, quia ex natura sua, & iure naturali solam vim confirmandae veritatis habet: ex natura enim sua, solùm institutum fuit ad confirmandam assertam veritatem, & ideo ex natura sua tantùm potest inducere obligationem ad efficiendam veram rem iuratam. Quare si vim habet confirmandi contractus, id debet habere ex vi alicuius iuris positiui ciuilis, vel canonici. Vnde ad ius aliquod positiuum recurrendum est, quod eam vim in quibusdam casibus iuramento tribuat, in aliis deneget; & ita docet Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.*2. *cap.*28. *num.* 3. & Sanchez *tom.*1. *Decalogi lib.*3. *cap.*12. *num.*3. 2.

Suarez. Sanch.

3. His praemissis inquirimus modò, An detur aliquod ius ciuile, vel canonicum tribuens iuramento hanc vim confirmandi contractus, & quibus modis cognosci possit, quod iuramentum eam vim contractus confirmandi habeat, quosve contractus confirmet, quos non confirmet.

4. Quidam tenent nullo iure hanc vim inesse iuramento; sed obligare tantùm ad contractum seruandum, & ad standum veritati illius iuxta naturam ipsius contractus illo semper relicto in sua natura, & si secluso iuramento erat validus, manere validum; si inualidus, manere inualidum; si reuocabilis, & beneficio restitutionis implorato rescindendus, posse adhuc rescindi. Ita docent Iason. *Auth. sacramenta puberum n.*5. & 36. *fine & num.* 37. Igneus *in repet. eiusdem Authen. num.* 15. & 32. Portius §. *extraneis n.*11. *instit. de haered. qualitate, & differentia.* Fundamenta illorum sunt. Primò, quia textus quibus contrarij nituntur, hanc vim non probant; sed tantùm probant obligationem iuramenti ad rem iuratam exequendam. Nam Auth. *sacramenta pub. C. si aduersus venditionem*, quae agit de contractibus minorum, tantùm decidit iuramenta illis adiecta, esse inuiolabiliter obseruanda. quod satis verificatur seruando obligationem inductam ex iuramento, faciendo verum id quod iuratur. Neque hanc vim probat textus in cap. *Cum contingat de iureiurando*, vbi sermo est de alienatione fundi dotalis iuramento confirmata, quo mulier se obligauit ad alienandum dotalem fundum; quia tale pactum non accipit vim à iuramento; ibi enim tantùm dicitur, *nec tamen tali praetextu viam contingat periurijs aperiri, mulieres ipsae seruare debent huiusmodi iuramenta.* Nec re-

Iason. Igneus. Portius.

petitio ibi in iudicio denegata, hanc confirmationem à iuramento accepiam probat, quia ea non est denegata, quòd contractus confirmatus fuit iuramento; sed quia talis repetitio erat contraria iuramento non contraueniendi illi pacto, quod ibi factum est, & ideo non fas est repetere viuras iuratas, quando iuramentum non fuit solùm illas soluendi, sed etiam non contraueniendi solutioni. Nec textus capitis secundi *de iureiurando num.6.* vbi de eadem alienatione est sermo, id probat, tantùm enim ibi dicitur, *seruare huiusmodi iuramentum teneatur.* Nec caput, *Quamuis pactum in 6.* id etiam probare potest, vbi sermo est de renunciatione hæreditatis iurata. Quia ibi tantùm sic dicitur. *Omnino seruari debet cum non vergat in æternæ salutis dispendium.* Quæ verba non ad pactum, sed ad iuramentum videntur referri; quia vox, *iuramentum*, immediatè præcesserat;& ratio assignata iuramento congruit,& ad illud habet respectum, & quamuis referantur ad pactum, tantùm probant in ratione iuramenti esse omnino seruandum.

5. Nihilominus certissima, & verissima sententia docet iuramentum vltra vim obligandi ad seruandam veritatem rei iuratæ, habere etiam aliquando ex iure vim ad confirmandos contractus, quibus adijcitur, iure ciuili, & canonico irritos. Quod patet, quia alienatio fundi dotalis, renunciatio futuræ successionis, & contractus minorum absque sui curatoris auctoritate, & decreto iudicis facti, quando sunt circa res immobiles, sunt irriti, vt statim videbimus, & tamen si fulciantur iuramento, valent per caput, *Quamuis pactum, de pactis in 6. & caput 2. de iureiurando, & caput. Cum contingat*, eodem titulo, *& Authen. sacramenta puber C. si aduersus vendit.* Colligitur autem iuramentum confirmare contractus quibus apponitur, iure ciuili, aut canonico irritos ex diuerso modo loquendi textuum iuris canonici, & ciuilis, quando agunt de iuramento confirmante contractum, quia quando agunt de iuramento confirmante, dicitur contractum esse omnino seruandum, vt constat ex dicto cap. *Quamuis pactum*, ibi, *omnino seruari debet*, quæ dictio, *omnino*, significat contractum omnino firmum, irreuocabilem, & ad contractum referatur, non ad iuramentum, vt ibi animaduertunt Dominicus num. 3. Francus num. 4. Quod idem probat Sanchez *lib.1 de matrim disp.32. num.6. & tom. 1. Decalogi lib.3. cap. 12. num.5.* & dicta Authen. *sacramenta puberum*, dicitur, *id iuramentum esse inuiolabiliter seruandum*; vt significet firmitatem contractus; & in cap.2. *de iureiurando in 6.* interdicitur reclamatio mulierum contra alienationem fundi dotalis iuramento firmatam. At verò quando textus loquuntur de iuramento non confirmante contractus, non eodem modo, & firmitate loquuntur. Nam in cap. *Debitores, de iureiurando*, dicitur iuramento semel impleto compellendum esse vsurarium reddere vsuras soluenti, vtpote iuramenti solutas; quia promittens illas sub iuramento momentanea solutione satisfecit obligationi eiusdem iuramenti, & iuramentum illud non confirmauit contractum, & similiter tenetur latro, qui metum incussit, vt sibi sub iuramento promitterentur pecuniæ, eas statim reddere soluenti; quia satisfecit promittens momentanea solutione, & iuramentum illud non confirmauit contractum promissionis, sed solùm veritatem promissionis firmauit; nam si confirmaret contractum, non teneretur vsurarius, & latro eas pecunias statim in conscientia soluere, & ideo in Authent. *sacramenta puberum*, quando agitur de iuramento vi extorto, dicitur illud esse nullius momenti ad confirmandos scilicet contractus prædictos, & quando agitur de iuramento confirmante contractus sponte adiecto, & non vi extorto; dicitur illud esse inuiolabiliter obseruandum; vt diximus. Probatur adhuc nostra opinio communis asserens contractus confirmari ratione iuramenti, vimque ex illo accipere; quia etsi nulla oriatur naturalis obligatio ex illo contractu cuius valorem ius positiuum ciuile, vel canonicum impedit, est tamen adhuc contractus iure naturali attento validus, si illi accedat iuramentum, ergo vitium illud iuris positiui purgatur ratione iuramenti, & contractus restituitur ad suam pristinam naturam siue ratione iuramenti maneat validus, siue maneat inualidus; habet tamen omnes effectus contractus validi; & ideo talis contractus est subiectum, quod iuramento confirmari potest; quia quando contractus manet inualidus, habet tamen omnes effectus contractus validi; iuramentum enim illud non confert ius patti præcisè sumptum; sed additum promissioni, facit illius omnes effectus validos. Et ita hanc communissimam opinionem tenet Sanchez *tom.1. Decalogi lib.3. cap. 12. num.5. & num.11.* Vbi in *num. 11.* plusquam sexaginta auctores pro ea citat. Sanch.

6. Vnde reijcitur Azor. *tom 2. inst. moral. lib.11. cap. 7. quæst. 1. versiculo, Sed concessit, sequenti*, vbi asserit iuramentum confirmare contractus solo iure ciuili irritos, non verò iure canonico, nulla tamen ratione id confirmat, & nullum fundamentum huius distinctionis adducit, vt benè notat Sanchez proximè allegatus *num 10.* & contra illum stat ius canonicum; quia donatio inter coniuges est iure canonico irrita capite finali de donationibus inter virum, & vxorem; & tamen confirmatur iuramento, vt eum frequentissima opinione docet Sanchez *lib.6. de matrim. disp. 11. num.2.* & fatetur idemmet Azor. allegatus. Item iure canonico non valet pœna apposita in sponsalibus, si ab illis recedatur, *cap. Gemma de sponsalibus*, & tamen valde sub iudice est, an is contractus iuramento firmetur, vt docet Sanchez *lib. 1. de matrim. disp.32. num.20.* Azor. Sanch.

7. Sed contra hanc nostram opinionem, & pro prima, oppones vulgare illud iurisperitorum axioma quod habet, iuramentum regulandum esse, & intelligendum iuxta naturam actus, cui apponitur, omnesque qualitates, & conditiones ex illo recipere; quod probatur ex *l. finali, C. de non numerata pecunia.* Vnde multi Doctores asserunt iuramentum non augere obligationem rei, cui apponitur, sed actui intra suos limites manenti addere vinculum Religionis; ergo iuramentum minimè confirmat contractus; sed illus in pristina sua natura relinquit. Respondeo primò, illud axioma esse limitandum, vt non intelligatur in omnibus illis casibus in quibus actus cessante iuramento est irritus, & inualidus, & valorem ac firmitatem recipit ex iuramento; tunc enim non sequitur naturam actus, cui adhæret, sed obligationem auget, vt docet Vincentius Mancius *tractatu de iuramento 4. part. effectu 9. num. 10.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 12. num. 7.* Nam alienationem fundi dotalis factam à muliere non est dubium iuramento confirmari, vt patet ex cap. *Cum contingat, de iureiurando*, & docet Vincent. Mancius. Sanch.

Abbas

Domin. Francus. Sanch.

Abbas *ibi num.* 8. ita vt contra illam non possit mulier audiri in iudicio, cum tamen communis sententia sit eam absque iuramento esse inualidam, vt docet idem Abbas ibi *num.*2. Alexander de Neuo *eodem cap. num.*4. Aleiatus *num*, 8. Cou. *de pactis* 2.*part.* § 4.*num.*7. *versic.*6. Item si minor alienet rem immobilem absque iudicis decreto, & authoritate curatoris, ea alienatio non valet; quia ius ciuile tali alienationi resistit *leg. si ad resoluendam* 7. *& leg. Si quidem* 11. *& lege si minor.* 15. *C. de prædijs minorum*, & docent Barthol. *l.*1. *num.*7. *&* 8. & ibi Paulus *num.* 6 *ff. de nouationibus*, & Abbas *eo capite*, *Cum contingat num.* 6. & tamen ea alienatio firmatur iuramento, vt bene docent: Glossa *leg.* 1. *verbo, emptori*, & Athen. *sacramenta puberum*; *verbo, contractibus C. si aduersus venditionem.* Paulus *in Repetitionibus eius Authentica à num.* 14. Salicet. ibi *num.*10 & ibi Gutierrez *num.* 24 Antonius Gomez alios referens *tom.*2. *variar. cap.* 14. *num* 18. Seraphinus *de priuilegijs iuramenti*; *priuilegio* 61. *num.*1. *& priuil.* 83. *num.*32. Riminald. *Instit quibus alienare licet* §.32. *num* 24. Azeued. *lib.*5. *Recopilat. Regia tit.*5. *leg.*5. *num.*12. Item si minor curatorem habens sponsalia contrahat sine authoritate illius, est valde probabile, non obligari naturaliter, & ea sponsalia esse irrita, vt ex multis Doctoribus, & rationibus probat Sanchez *lib* 6. *de matrim. disput* 38. *num.*21. etsi *num.* 31. probabilius contrarium existimet; & tamen si illis accedat iuramentum, valent, & contractus ex illo firmitatem accipit; quia dicta Authentica, *sacramenta puber.* loquitur indistinctè de contractibus minorum, vt optimè animaduertit Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.*3. *cap* 15. *num.*12 cum multis quos refert. Respondeo secundò, iuramentum sequi primordialem naturam contractus, cui apponitur, & intelligendum esse iuxta naturam, conditiones, & qualitates actus, & contractus, cui accedit; nisi iurans aliud expressè, vel tacitè addiderit. Cum autem iurans iuramento firmat contractum solo iure ciuili vel canonico irritum, censetur velle illum reddere omnino firmum, vt colligitur ex Couar. *de pactis* 1.*part.* § 4 *num.*41. & ex Rolando *cons* 6. *num.*37. *volumine* 1. & Gutirrez 1.*parte de iuramento cap.*27. *num.*2. *&* 3.

8\. Dubium tamen est, an hi contractus iure ciuili, vel canonico irriti & inualidi ità firmentur iuramento, vt fiant validi, an verò maneant inualidi cum omnibus tamen effectibus, quos haberent, ac si essent formaliter, & directè validi. Molina *tom.*1. *de iust. disp* 150. *versiculo, His iactis fundamentis*, & Suarez *tom.* 2. *de Religione tract. de iuramento, lib.*5. *cap.*28. *num.*9. censent hos contractus non effici validos directè, & formaliter, sed manere inualidos; dici autem confirmari iuramento quoad effectus quos haberent, ac si re vera formaliter, & in se essent validi. Sed vt optimè animaduertit Sanchez *dict. tom.* 1. *Decalogi lib.*3 *cap.*12. *num.*15. parum refert, siue hoc, siue illud dicamus, cum vtroque casu eosdem effectus prorsus habeant, ita iure canonico, & ciuili disponente.

9\. Dubitant verò aliqui, quale debeat esse iuramentum, vt eos contractus firmet Et in primis omnes conspirant non sufficere iuramentum assertorium de præsenti, sed requiri iuramentum promissorium de futuro, quo contrahentes iurent se staturos tali contractu; quia textus omnes hanc confirmationem ratione iuramenti inducentes requirunt iuramentum promissorium de futuro, vt optimè animaduertit Sanchez proximè allegatus *num.* 16. Sed dubium adhuc superest, an satis sit quodcumque simplex iuramentum de futuro, quo contrahentes promittant se staturos contractu, an necessarium adhuc sit iuramentum, nunquam prædictos contractus reuocandi. aut non veniendi contra illos, & non repetendæ rei promissæ. Quidam censent necessarium esse iuramentum hoc posteriori modo. Ita Barthol. *dicta Authentica, sacramenta puber. n.*24. & Iason. *ibi num.* 28. & Igneus *in repetitione eiusdem Authentica num.*20. & videtur sentire Lessius *tom* 1. *de iust. lib.*2 *cap.*17. *dub.*7. *num.* 56. dum asserit non satis esse iuramentum, sed debere esse iuramentum de futuro habendi rati contractus, nec vnquam reuocandi, & expressè & latè id tuetur Suarez *tom.*2. *de Religione lib.* 5. *de iuram. cap.*29. *num.*3. *&* 4. quia textus hanc confirmationem requirentes loquuntur expressè de hoc iuramento, vt constat ex dicta Authentica, *sacramenta puber.* ibi: *Super contractibus non retractandis*; ex capite, *Cum contingat, de iureiurando*, ibi: *Ne vlterius contraueniant*: & quamuis in capite, *Quamuis pactum, de pactis in* 6. non explicetur hæc forma iurandi, dum dicitur renunciationem hereditatis firmari iuramento, tamen debet necessariò de hac forma intelligi quia cum illa renunciatio sit de præsenti, nihil superest renuncianti faciendum, nisi iurare se non contrauenturum renunciationi factæ; quod expressè probatur ex capite, *Ad aures de ijs, quæ vi &c.* iuncta Glossa *verbo, nisi forte.* vbi textus ait renunciationem Ecclesiæ metu factam non esse validam, nisi forte iuramento firmata sit, & id explicat Glossa ibi, his verbis, *ergo si iuramentum interuenisset, quod vlterius non repeteret, non potest repetere*, & apertiùs probatur ex capite, *Ad euidentiam, de ijs, quæ vi*, vbi qui iurauit se resignaturum beneficium, & resignauit, potest illud repetere, & redditur ibi ratio his verbis: *non obstante prædicto iuramento*; quia non ad petendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur.

Alij censent satis esse quodcumque iuramentum de futuro, quo quis se obliget ad standum contractui, & non opus esse iuramentum nunquam illi contraueniendi. Huius sententiæ est Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 514. *col.* 4. *versiculo, Verùm autem, qui ita iurauit*; vbi defendit iuramentum soluendi pecuniam amissam ludo, esse confirmatorium eius contractus, ac proinde non esse locum relaxationi, sed acquiri verum ius ei, qui lucratus est, & ideo denegari repetitionem iuranti; nisi mens illius fuerit adstringere se tantùm ad non denegandam lucri traditionem; quia tunc solum ius alter acquirit, vt sibi tradatur lucrum cum beneficio repetendi concesso soluenti per leges. Et eiusdem sententiæ videtur esse idem Molin. *tom.*1. *de iustitia disp.* 155. *versiculo, Salue autem meliori iudicio, columna antepenultima*, & Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *de iuramento cap.*19. *dub.*8. *num. penultimo, & vltimo.* Vbi dicunt iuramentum non reuocandi testamentum, & instituendi aliquem hæredem esse confirmatorium contractus, & tribuere actionem ei, cui talis promissio facta est, atque ita quamuis reuocatio facta postea valeat, transire tamen obligationem ad hæredem reuocantem absoluendum quantum intererat illius, cui hæc promissio facta est, non reuocare testamentum. In quam etiam partem inclinat Corneus *in repet. Authentica, sacramenta puberum num.* 441. *C. si aduersus venditionem*, 10.

tionem, licet id relinquat cogitandum; quia durum est, inquit, ita practicam obtinere.

11\. Sed distinguendum est inter promissiones de futuro, quæ iuramento confirmantur. Quædam enim sunt, quæ non includunt promissionem non retractandi, sed ab illa separari possunt, vt promissio soluendi vsuras, aut soluendi rem amissam in ludo pecunia credita, aut soluendi pecunias metu per vim extortas; his enim promissionibus quantumcumque iuratis satisfit momentanea solutione, vt sæpissimè diximus, & ea transacta statim tenetur vsurarius, & metum incutiens, & victor in ludo in conscientia eas restituere soluentibus, & possunt eas ipsi soluentes in iudicio repetere; neque enim in tali iuramento excluditur beneficium legis concedentis repetitionem rei solutæ. Aliæ sunt includentes promissionem non retractandi, & subinde in eis nequit distingui promissio non retractandi à principali promissione, quia cum ipsa principalis promissio faciendi, aut donandi aliquid in futurum includat intrinsecè obligationem non retractandi illam, non solet addi aliqua alia promissio non retractandi, nec si adderetur, censeretur distincta à priori. Sicut promissio non veniendi contra votum, non est distincta à voto, quia votum de se est perpetuum. Talis est promissio non reuocandi testamentum, & instituendi aliquem hæredem? vt fatetur Suarez (Suar.) *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 29. num. 21.* Quia iuramentum non reuocandi testamentum, est idem ac non reuocandi contractus, & instituendi aliquem hæredem, & nequit sortiri effectum, nisi mortuo testatore, quando iam institutio reuocari non potest, ac proinde est idem, ac promissio non reuocandi iuramentum. Quando igitur iuramentum accedit promissioni prioris generis, vt contingit in iuramento soluendi rem amissam in ludo pecunia credita, & in similibus, non sat est ad confirmandum contractum; & sic vt relaxari nequeat, oportet vt addatur iuramentum non contraueniendi tali promissioni, & contractui; secus in aliis promissionibus, quarum confirmatio iuramento firmata, est idem atque iuramentum nunquam illis contraueniendi; & ita docet optimè Sanchez (Sanchez.) *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 12. num. 19. & 20.* Quare non placet id quod asserit Gutierrez (Gutier.) *de iuramento 1. part. cap. 53. n. 9.* Nempe iurantem soluere id, quod in ludo amisit pecunia credita, & id non repetiturum, posse huius posterioris iuramenti relaxationem petere ab Episcopo, & ea ab Episcopo impetrata, repetere; quia tali iuramento se obligauit ad id non repetendum, & consequenter ad non quærendam relaxationem talis iuramenti, nam cum nulla sit turpitudo in recipienti iure naturali introducta, non est cur non confirmetur iuramento contractus ille solo iure ciuili irritus.

12\. Notabis autem, vt iuramentum vim confirmandi contractus habeat, non opus esse fieri personaliter, & per propriam personam; sed sufficit quòd per procuratorem, cum speciali mandato fiat, quia textus solum iuramentum postulant, & non requirunt, vt fiat per propriam personam. Ita docet Odofredus (Odofred.) *in Authentica, sacramenta puber. num. 13. C. si aduersus venditionem.* & ibi Salicetus (Salic.) *num. 19* & Gregorius Lopez (Greg Lop.) contra alios quos ibi refert *leg. 6. verbo maior. tit. 19. p. 6.* Albericus (Alberic.) *ea Authentica, num. 6.* Anton. Gabriel. (Anton Gab.) *in communibus opinionibus lib. 2 titulo de minoribus, conclusione 5. num. 22. ampliatione 10.* & Anton. (Ant. Gom.) Gom. alios referens *tom. 2. variar. cap. 14. num. 18.* Sanchez (Sanch.) allegatus *num. 24. & 25.*

13\. Si tamen minor sit, qui huic procuratori iurandi potestatem pro se conferat, oportet, vt in ea commissione interueniat minoris iuramentum, quia si non interueniat, & lædatur eo mandato, poterit aduersus illud restitui, & consequenter rescindetur contractus, quia cum nullum sit iuramentum ei mandato appositum, nihil est quod obstet huic beneficio restitutionis implorando. Ita Albericus, Antonius Gabriel, & Sanchez, (Alber. Anton Gab. Sanch.) proximè allegati: oportet etiam vt cum eo iuramento minoris in commissione concesso, concedatur etiam procuratori potestas iurandi, & quod ipse procurator reuera iuret, quia iuramentum minoris in commissione appositum non afficit principalem contractum, nec illum confirmat, sed solùm afficit, & confirmat mandatum, & commissionem procuratori datam; & ita docet Sanchez (Sanch.) allegatus *num. 26.* & Mauritius (Maur.) *de restit. in integr. cap. 261. num. 4.* Vt autem hoc iuramentum confirmet contractum, desideratur pubertas in minori iurante; quod contra multos egregiè probat Sanchez (Sanch.) *dicto tom. 1. Decalogi, lib. 3. cap. 12. num. 28.*

14\. Sed inquires, an detur aliqua regula certa ad dignoscendum, quando iuramento firmentur contractus, & quando non firmentur. Respondeo dari regulam certissimam, & hanc esse. Quoties iuramentum in contractibus appositum absque peccato seruari potest, nec turpitudo inuenitur in eo in cuius fauorem præstatur, & non solam promissionem faciendi rem promissam continet, sed etiam talem promissionem quæ saltem æquipollens est promissioni non reuocandi contractus, iuramentum firmat illum contractum cui adiicitur. Hanc regulam post multam considerationem tradit Sanchez (Sanchez.) *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 12. num. 42.* & in ea continentur omnes aliæ regulæ à Doctoribus traditæ, & tres conditiones requirit; & colligitur *ex cap. Contingat de iureiurando, & ex cap. 2. in 6. & cap. Quamuis pactum, de pactis in eodem 6.*

15\. Prima est, vt iuramentum possit absque peccato seruari, & ad hanc reducitur alia, quam multi authores ponunt, vt iuramentum non fiat cum præiudicio alterius; si enim cum præiudicio tertij fiat, clarum est non posse absquè peccato seruari, & ideo non firmatur contractus iuramento, quando est in præiudicium tertij, vt constat *in cap. Cum contingat, de iureiurando, & ex cap. Quamuis pactum, de pactis in 6.* ibi: *Ne redundet in alterius detrimentum*; & ita docet Sanchez (Sanch.) *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 12. num. 49. & cap 9 num. 38.* Suarez (Suarez.) *tom. 2. de Religione lib. 2. cap. 27. num. 5.* Gutier. (Gutier.) *in Authentica, sacramenta puber. num. 42.* Seraphin. *de priuilegijs iuramenti, priuil. 61. num. 15.* alios referens.

16\. Hoc autem præiudicium tertij debet intelligi quando directè, & principaliter iuramentum tenderet in illud, vt si fundus dotalis alienatus cum iuramento debebat ex alicuius dispositione ad filios peruenire; secus si tantùm indirectè, & secundariò de hoc præiudicio ageretur, vt ratione spei successionis, si res non fuisset alienata. Sic glossa finalis (Gloss.) *cap. Quamuis pactum, de pactis in 6.* & ibi Francus (Franc.) *num. 12.* Dominicus (Dominic.) *num. 11.* Alexander de Neuo (Alexand.) *in cap Cum contingat, num. 93. de iureiurando*, & ibi Imola (Imol.) *num. 13. versiculo, in Glossa finali*, & ibi Cardinalis *in fine.* Alciatus (Alciat.) *num. 17.* Insuper hoc præiudicium debet esse in-

uoluens

uoluetus iniuriam, aut saltem culpam contra aliquam naturalem obligationem, vt bene animaduertit Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. capite 27. num 5.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. num 39.*

Suar. Sanch.

17. Secunda conditio est, vt non detur turpitudo ex parte recipientis iuramentum, hoc est ex parte illius in cuius fauorem præstatur. Inquires igitur qualis debeat esse hæc turpitudo. Molina *tom. 1. de inst. disp. 149 columna 2. versiculo, Quatuor iuribus; & disp. 150. columna item 2. & tom. 2. disp. 515. columna 4. versiculo, Vtrum autem*; asserit hanc turpitudinem dati quoties is, in cuius gratiam, & fauorem iuratur, accipit aliquid iniquè, & tenetur restituere, vt contingit in accipiente vsuras, & in metu incusso danti, & id ipsum docet Angel. *in leg. si quis pro eo in principio num. 7. & 9. ff. de fideiuss.* vbi asserit turpitudinem tantùm contingere quando recipiens peccat retinendo, & tenetur restituere. At melius Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 12 num. 53.* asserit turpitudinem contingere non solùm quando recipiens iniquè accipit, & tenetur restituere, sed etiam quando peccat in acceptione rei sibi iuramento promissæ, quamuis eam non teneatur restituere, nec retinendo peccet, quia cum tunc peccetur in actu quo implendum est iuramentum, non intendit ius dare vires iuramento ad confirmandum talem actum turpem, ne tali turpitudini fauere videatur; & pro hac opinione adducit Alciatum *in cap. Cum contingat, num. 134. cap. 54. ad finem*, & Couarruuiam *de pactis 2. p. §. 3. num. 1. & num. 4. versiculo, Ego verò*, & Gutierrez *de iureiurando 1. part. cap. 43. num. 3. versu, In eo etiam*, & Suarium *tom. 2. de Religione tract. de iuramento lib. 2. cap. 28. num. 4. & 5.*

Molin. Angel. Alciat. Cou. Gutier. Suarez.

18. Nec necesse est, vt ea turpitudo siue pactum, sit formalis in recipiente, id est, vt ipse peccet, sed satis est quòd sit materialis, id est, vt actus ipse sit in se peccatum, licet ratione ignorantiæ recipiens excusetur, vt si ipse inuincibiliter ignorauit contractum esse vsurarium, vel si alter propter illum, ipso ignorante, vim, aut metum intulit, aut vsuram exercuit; quia bona fides illius solum inseruiet, vt ipse sit culpæ immunis, & non inseruiet ad faciendum, vt actus ille in se, & absolutè non sit turpis, & peccaminosus. Et in hoc casu potest esse verum id, quod ait Corneus *in repetitione Authentica, sacramenta puberum, num. 55. C. si aduersus venditionem*, vbi ait huiusmodi contractus non firmari iuramento, etsi creditor non turpiter recipiat. Et ita docet Sanchez *dicto tom. 1. Decalogi, cap. 22. num. 54.*

Sanch.

19. Sed dubium est, an sufficiat turpitudo contra ius ciuile; tune autem dabitur talis turpitudo, quando ius ciuile, aut lex ciuilis resistens, ac prohibens contractum obligat ad peccatum. Gutierrez *de iuramento 1. part. cap. 40. num. 5. versiculo, Non obstat*, existimat, non satis esse turpitudinem solo iure ciuili introductam, sed requiri, vt sit iure canonico, quod nulla ratione, nec authoritate probat. Dicendum tamen est, satis esse turpitudinem, & peccatum inductum à iure, legéque ciuili, si detur in eo, cui iuramentum præstatur; quia absolutè in eo actu datur turpitudo, & peccatum; & ita docet Sanchez citatus *num. 56.* & Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 28. num. 4. & 5.* Quod probatur facilè; quia multi dicunt iuramentum adiectum pacto legis commissoriæ obligare iuramentum, sed non confirmare contractum, quos refert, & sequitur ipse Gutierrez *de iuramento 1. part. cap. 33. num. 2.* ita intelligentes caput. *Significante de pignoribus*; quia in eo datur turpitudo, & peccatum, cum tamen constet eam turpitudinem, & peccatum esse iure ciuili introductum, tale pactum prohibente, interdicenteque. Item iuramentum filij familiâs soluendi mutui renunciando beneficio Macedoniani asserunt multi obligare, non tamen eo pactum confirmari, cum tamen in eo nulla sit turpitudo; præter inductam iure ciuili, vt docet Sanchez citatus *num. 56.* Antonius Gomez *tom. 2. variarum cap. 14. versu, Item miscetur quod donatio.* & Tuschus *in suis practicis tom. 4. verbo, Iuramentum conclusione 528. num. 24.*

Gutier. Sanch. Suarez. Sanch. Gomez. Tuschus.

20. Tertia conditio est vt iuramentum formaliter, aut æquipolleoter contineat promissionem non reuocandi contractus, qua de re iam egimus à *num. 9. vsque ad 11.*

21. His conditionibus explicatis constabit modò ex corollariis sequentibus veritas regulæ à nobis traditæ *num. 13.* ad cognoscendum quando iuramento firmentur contractus, & quando non firmentur. Et notandum inprimis est contractus alios esse iure naturæ, gentium, & diuino illicitos, atque prohibitos. Alios iure canonico, & ciuili simul. Alios iure tantùm ciuili. Alios autem iure solùm canonico interdictos, & circa omnes in sequentibus corollariis discurremus.

22. Ex nostra regula tradita *dicto num. 13.* sequitur primò, quoties contractus, & pacta sunt prohibita iure naturali, Gentium & diuino, iuramento non firmari. Probatur, quia tunc impleri non possunt sine peccato, iuramentum autem non est vinculum iniquitatis, nec peccatum confirmare potest. Est communis. Ita Azor. *lib. 11. tom. 1. cap. 7. q. 1.* Conar. *in cap. Quamuis pactum, de pactis in 6. 2. part. initio num. 1.* & Sanch *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 12. num. 42.* Probatur primò, quia omnia iura naturalia diuina, & humana inclamant iuramentum, quod absque peccato seruari nequit, nullam obligandi vim habere. Secundò, ex lege. *Non dubium, C. de legibus*, & ex cap. *Non est obligatorium, de regulis iuris in 6.* Explicatur exemplis. v. g. fit pactum cum aliquo, & in eo additur, ne postea resarciatur damnum si quod forte ibi dolo, aut fraude interuenerit. Item ne quis delinquentem accuset, & ne quis secretum perniciosum Reipublicæ, Regi, aut tertiæ personæ manifestet iis, quibus deber. Item fit pactum cum aliquo de eiicienda vxore è domo, de non alendis liberis, de præbendo veneno innocenti, de non restituenda re aliena; huiusmodi pacta, & alia similia etsi iuramento confirmentur, irrita sunt, & inualida nimio, quia impleri non possunt sine peccato, & præiudicio tertij, & sunt contra ius naturale, & diuinum scriptum, & alioqui si vim haberent, esset iuramentum vinculum iniquitatis, vt patet.

Azor. Conar. Sanch.

23. Item fit pactum de emphyteutanda re alicui personæ, quam alius emphyteuta actu possidet, post mortem illius emphyteutæ sine ipsius consensu, & de futura successione absque consensu eius, de cuius hæreditate agitur, vt si pater, qui vnicum tantùm filium, aut filiam habet, cum aliquo paciscatur sine consensu filij, & sine iudicis authoritate de relinquenda ei hæreditate post mortem filij, & iuramento id confirmet, tale pactum non valet, nec iuramento in eo apposito confirmatur. Ratio est. Primò, quia est in præiudicium tertij, datur enim ibi proxima occasio

casto procurandæ mortis alterius ad capiandam, & præoccupandam emphyteusim, & hæreditatem. Nec sufficit quòd iurans possit implere tale iuramentum absque peccato; nam licet illud possit implere absque peccato, tamen absolutè fauet peccato tale iuramentum, & pactum, vt patet. (Couar. Cabed. Curtius.) Ita docent Couarr. *de pactis 2. part. initio num.* 2. Cabedo loquens expressè de emphyteusi, 1. *part. decisionum decis.* 138. *num* 3. Curtius Iunior *in lege finali num.* 25. *C. de pactis*, & constat ex dicta *lege finali, C. de pactis*, docent etiam omnes, qui dicunt nullum pactum valere cum præiudicio tertij, & in quo de præiudicio alterius agitur; & hi sunt (Sanchez.) Sanchez *tom.* 5. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 12. *num* 49. & constat ex cap. *Cum contingat de iureiurando*, & *cap. Quamuis pactum, de pactis, in* 6. Secundò, quia inhonestum, & illicitum planè est, pœna, & dolore alterius velle aliquem facere hæredem suæ hæreditatis sibi successiuo tempore contingente, & ideo omnes leges tali successioni resistunt, & occurrunt.

24. Dices, huiusmodi pactum de relinquenda hæreditate alteri si iuramento firmetur, esse firmum & validum si fiat cum authoritate iudicis, & consensu illius, de cuius præiudicio, & hæreditate agitur, vt omnes fatentur, & tamen in hoc casu non tollitur proxima occasio procurandæ illi mortis; ergo illa occasio non est causa vò quam tale pactum infirmetur, maximè cum neque ille etiam de cuius hæreditate agitur, possit licitè præbere consensum redundantem in sui ipsius mortem iniustam. Respondeo contractum ipsum de iure ciuili, præstito partis consensu, & authoritate iudicis in eo casu fieri validum, quia præsumit ius ciuile satis prouisum esse per huiusmodi cautelam inconuenienti futuræ mortis occasionis; nam posita ea cautela iam occasio mortis ex fictione iuris non consideratur vt proxima, sed vt remota & per accidens: at stando in iure naturali adhuc contractus ille præstito prædicto consensu & authoritate iudicis manet irritus, quia per eam cautelam adhuc in rei veritate, non tollitur proxima occasio peccati, sed tantùm ex fictione iuris, & fictio non debet præualere veritati. Deinde quia adhuc ea cautela apposita iniquum, & iniustum esse videtur, pœna, & dolore alterius, velle aliquem facere hæredem in hæreditate illa in quam proximus ius habet.

25. (Azor. Cabed.) Hæc resolutio *num.* 23. posita, est contra Azor. *tom.* 1. *lib.* 15. *cap.* 7 §. *In hanc quidem*, & contra alios quos citat sed non sequitur Cabedo *tom.* 1. *decisionum, decisione* 138. *num* 2. Qui asserunt pactum de relinquenda alteri hæreditate viuentis, iuramento confirmari. Primò, quia tale iuramentum sine peccato potest impleri à iurante, & in iuramentis solùm attenditur, an executio sit licita, ad hoc, vt valeant. Secundò, quia talis contractus non potest dici pactum futuræ successionis, sed quoddam pactum collatum in tempus habile, & in defectum iuris tertij, quod pactum est de iure validum. Sed præualent fundamenta tacta; & hæc iam ex dictis sunt soluta, & ita fuit pro nostra opinione iudicatum in Senatu Lusitano, vt docet Cabedo citatus *num.* 5. quem vide.

26. Sequitur secundò, non valere contractus, nec confirmari iuramento, quando tales contractus sunt prohibiti per ius, & legem ciuilem latam immediatè ob bonum publicum, & publicam vtilitatem, siue verba legis dirigantur in personam siue in ipsam rem. (Sanch. Barthol.) Ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib* 2. *cap.* 11. *num.* 43. Bartholus *leg. si quis pro eo*, 57. *in principio num.* 8. *ff. de fideiussoribus*, & ibi (Paulus. Auger. Abbas.) Paulus *num.* 4. & idem Barthol. *leg. Seius*, & Augerius 27. *num.* 4. *ff. ad legem falsidiam.* Abbas *in cap. Cum contingat. num.* 5. *de iureiurando*, & ibi (Neuo. Couarr.) Alexander de Neuo *num.* 28. Couarruuias *de pactis* 2. *part.* § *primo, num.* 1. & § 2. *num* 6. *versiculo, Prima igitur*, vbi addit hoc esse verum siue verba legis prohibentis ob bonum commune dirigantur in personam, siue in rem. (Ant. Gom. Gutier. Suarez.) Antonius Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 14. *n* 24. *versu, Item infertur quod donatio.* Gutierrez *de iuramento* 1. *part. cap.* 58. *num.* 15. Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 2. *de iuramento cap.* 26 *num.* 11. (Rebel. Azor.) Rebellus *de iustit.* 2. *part. lib.* 1. *quæst* 9. *num* 8. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 7. *secunda regula*, & alij antiquiores, quos citat, & sequitur Sanchez allegatus *dicto num.* 43. Et ratio est, quia quoties lex ciuilis ordinatur immediatè ad bonum commune, obligat ad sui obseruationem sub peccato mortali, vel veniali iuxta materiæ quantitatem, & ideo iuramentum de actu illo ita prohibito non obligat tanquam iuramentum rei malæ, ac peccaminosæ, alioqui iuramentum esset vinculum iniquitatis. Probatur, quia pacisci in præiudicium boni communis est renunciare iuri alieno, & in præiudicium illius agere; at nemo potest iuri alieno, sed soli proprio renunciare *lege Iuris gentium.* §. *si paciscar ff. de pactis.* Secundò, quia *in cap. Si diligenti, de foro competenti*, deciditur irritum esse pactum iuratum, quo clericus fori priuilegio renunciat, eo quòd tale priuilegium concessum sit propter bonum commune totius status clericalis. Tertiò, quia ius canonicum disponit iuramentum in præiudicium tertij, non obligare, *cap. Quamuis pactum, de pactis, in* 6. *cap. Cum contingat, de iureiurando, in fine*; ergo etiam non obligabit quando verget in præiudicium boni communis inductum per legem ciuilem; cum eadem sit ratio. Vnde bene ait Paulus *in repetitione Authentica, sacramenta puber. num.* 23. id esse verum qualitercumque lex ciuilis immediatè respiciens bonum commune loquatur, siue prohibendo actum, siue non assistendo, siue dirigendo prohibitionem in personam siue in rem, quia semper militant rationes adductæ, & ita expressè docent (Sanch. Abbas. Anton. Bald. Alciat. Angel. Paul. Cuman. Tusch.) Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 4. Abbas *in C. Cum contingat, num.* 5. *de iureiurando*, & ibi Anton. *num.* 8. Bald *num.* 5. Alciatus *num.* 89 Angelus *in leg. Si quis pro eo, in principio num.* 3. & ibi Paulus *num.* 4. & 5. *ff. de fideiussoribus.* Cumanus *in d. lege. Si quis pro eo, in principio; verbo, Iuramentum, num.* 10. Tuschus *in suis practicis conclusionibus tom* 4. *verbo, Iuramentum, conclusione* 500. *num.* 18. *iuncto num.* 20. *conclusione* 528. *num.* 56. (Rebel. Suarez.) Rebellus *de iustitia parte* 2. *lib.* 5. *quæst.* 7. *sect.* 3. *num.* 15. & *num. vltimo.* Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 2. *de iuramento, cap.* 26. *num* 4. & *sequentibus.*

27. Confirmatur hæc sequela his exemplis. Est lex ciuilis, & statutum, ne nobilis ob æs alienum in carcerem detrudatur, si bona non habet vnde soluat; si quis ergo nobilis in aliquo pacto, hoc iure cederet, & hoc pactum iuramento firmauerit, iuramentum est irritum, & non confirmat pactum, quia est in præiudicium ordinis nobilium, & non in bonum istius particularis; priuilegium enim illud est concessum primariò ob bonum commune ordini nobilium, & non in bonum istius particularis. Similiter *in leg.* 2. *Cod.*

de

de donat. inter virum, & uxorem & leg. Miles ita. §. Mulier. ff. de militari testam. statuitur non valere donationem inter viuos factam meretrici à milite, & à vito concubinæ. Et eadem est ratio de clerico, & aduocato respectu eiusdem meretricis, & concubinæ: quoniam hi in iure multibus comparantur, vt notat Couarr. *in capite, Quamuis, de pactis in 6. part. 2. §. 5. num. 4.* Si quis ergo miles, vir, clericus, & aduocatus concubinæ suæ aliquid donauerit, & iuramento eam donationem confirmauerit, iuramentum contractum, & donationem non cofirmabit, & talis donatio erit irrita; quia leges ciuiles prohibentes tales donationes, & pacta intuitu boni communis fuerunt latæ iuxta Authores allegatos.

Cou.

28\. Item lex ciuilis est, ne quis ferat pecunias, equos, aut frumentū, & alias res prohibitas extra regnum; sit pactum inter duos, vel plures de huiusmodi rebus extra regni limites ferendis, confirmatue iuramento; tale iuramentum & pactum est irritum; quia huiusmod leges ciuiles sunt latæ immediatè ob bonum commune, & obligant in conscientia ad culpam mortalem, vel venialem iuxta materiæ quantitatem; quia exequi non possunt absque præiudicio tertij, bonique communis, cui nullus priuatus homo potest renuntiare; nemo enim potest renuntiare rei alienæ, sed tantùm propriæ. Idem de pacto iuramento confirmato dandi aliquid iudici lege ciuili prohibitum, quia leges ciuiles, quæ id prohibent, latæ etiam sunt ob bonum commune immediatè, licet enim huiusmodi actus dandi aliquid iudici, ferendi pecunias, equos, aut frumentum, & res alias prohibitas extra regnum, ante prohibitionem legum ciuilium mali non sint, tamen satis est, quod moraliter loquendo mali post prohibitionem reddantur, & parum conuenientes bono communi, quod satis est, vt iuramentum de illis factum obligatorium non sit. Ita Suarez *tom. 2. de Religione lib. de iuramento promissorio cap. 26 à num. 5. vsque ad 7.* & in fine dicti numer quinti multos refert asserens leges ciuiles latas immediatè ob bonum commune obligare in conscientia sub mortali, vel veniali, iuxta materiæ quantitatem, inter quos est D. Thom. 1. 2. *q. 96. art. 4.* & id tenent Doctores communiter *in cap. Nam concupiscentiam de constitu. & in cap. 2. de maioritate, & obedientia.* Ex quo fit, rem prohibitam per leges, quæ immediatè respiciunt bonum commune, esse malam moraliter post prohibitionem, & in conscientia obligare, & ideo iuramentum circa illam esse inualidum; & ita tenent Cou. *de pactis part. 2. §. 2 num. .7.* Suarez allegatus *num. 5. ad finem* & Mariensо *lib. 5. noua recop. tit. 2. leg. 2.* Glossa *3. num. 11. & 17.*

Suarez.

D. Thom.

Cou. Suarez. Marienſ. Gloſſ.

29\. Dixi leges prohibentes ne ferantur pecuniæ, equi, frumentum, & aliæ res prohibitæ extra regnum, esse latas immediatè ob bonum commune, & obligare in conscientia ad peccatum mortale, vel veniale iuxta materiæ quantitatem: quod intelligendum est, quando huiusmodi leges simpliciter id prohibent, & sunt directiuæ, & nullam pœnam adiiciunt amissionis bonorum, aut mercium, quæ extra regnum feruntur; nam si hæc pœna adiicitur, censentur puræ pœnales, & non obligare nisi ad eam pœnam. Eo enim ipso, quod legislatores pœnam adiecerunt, ad eam tantùm obligare voluerunt, non ad culpam; imo neque ad pœnam obligant in conscientia, nisi post latam sententiam declaratoriam, qua iudices declarant in ea re comprehensos præuaricatos fuisse contra legem. Est enim receptissima hodie sententia, leges pœnales, quæ ipso facto obligant ad aliquam pœnam, non obligare in conscientia ante latam sententiam iudicis qua declarent præuaricatores legum crimen commisisse, & pœnas incurrisse tali crimini adiectas, quam tenent Lessius *tom. 1. de iustitia lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 63. versu, Ad quam, initio.* Suarez *lib. 5. de legibus cap. 8. num. 4. & 9.* Sanchez *lib. 9. de matrimonio disp. 30. num. 1.* Molin. *tom. 1. de iustitia disput. 96.* Couarruuias *in 4. decretal. 2. p. cap. 6. §. 8. num. 9. & 10.* Farinacius *tom. 4. quæst. 519. de homicidio folio mihi 112. num. 66. column. 1.* de qua re latiùs disputabimus *lib. 8. in 8. præcepto cap. 22. à n. 8. & deinceps.*

Lessius. Suarez. Sanchez. Molin. Cou. Farin.

Item statuunt leges ciuiles, ne valeant contractus facti à prodigis, quibus authoritate iudicis contrahere est interdictum: quæ quidem leges vel ob bonum commune immediatè sunt factæ, vel ob bonum particulare ipsorum prodigorum, & in vtroque casu, non valent contractus ab illis facti; non in primo casu, si sequamur quod leges illæ illos contractus prohibentes latæ sint ob bonum commune immediatè iuxta hactenus dicta: nec in secundo, si latæ sint ob bonum priuatum, & particulare ipsorum, quia hoc illis prohibetur ex defectu iudicij, & contractus ex defectu iudicij celebrati, irriti omnino, & inualidi censentur, & sunt. Ita docet Azor. *tom. 2. lib. 5 1. cap. 7. quæst. 7. §. Quarta regula* cum Barthole & Baldo & aliis, quos citat. Quare non sunt audiendi Doctores citati à Couarruuia *de pactis in 6. 2. part. §. 3. num. 4* asserentes contractus à prodigo factos alioqui inualidos valere, si iuramento firmentur, quia leges illos prohibentes latæ sunt ob commodum particulare vniuscuiusque prodigi, quod idem docet etiam Molina *tom. 2. de iustit. disp 271. column. 3.* sed præualet sententia Azor ob suum fundamentum. Nec etiam sunt audiendi aliqui, qui censent solùm valere & obligare promissiones, & contractus prodigorum, quoad quantitatem, in qua nulla ratio prodigalitatis in eis cernitur, & hi sunt Sotus *lib 4. de iust. quæst. 7. artic. 1. ad 2. versiculo, An verò contra,* quia cum probibeantur ob defectum iudicij, nullo modo valere possunt. 30.

Azor. Cou. Molin. Sotus.

Sequitur tertiò, non valere contractus, nec firmari iuramento, quando tales contractus sunt prohibiti per leges, & ius canonicum immediatè conditum ob bonum commune, & publicum. Patet ex iis, quæ diximus *num. 25.* & probatur ex omnibus authoribus, & rationibus ibidem factis, & relatis, & constat *ex capite, Si diligenti, de foro competenti,* vbi statuitur, vt dixi, irritum, & inualidum esse pactum iuratum, quo Clericus fori priuilegio renunciauit; constat etiam *ex capite, Quamuis pactum, de pactis in 6.* vbi disponitur iuramentum factum in præiudicium tertij non obligare, ibi. *Cum non redundet in alterius detrimentum*; redundat autem in præiudicium tertij, hoc est, boni communis pactum illud, & iuramentum, quo homo priuatus tali bono renuntiat. Vnde si Clericus pacto aliquo iurato cedat priuilegio fori, & canonis, irritus & inualidus est talis contractus, & iuramentum; quia vtrumque priuilegium concessum est immediatè ob bonum commune statui, & ordini Clericorum, non huic personæ Ecclesiasticæ, nec ob bonum particulare illius. Similiter in iure ciuili statuitur, vt instantia litis triennio extinguatur, ne lites perpetuæ fiant, & ne diutius protrahantur 31.

leg.

leg. Properandum §. Sed etsi quidem C. de iudicibus. Si quis ergo pactum fecerit cum aliquo, & iuramento confirmauerit de protrahenda in instantia vltra triennium, iterum esset, & nullum tale iuramentum, & pactum; quia lex ciuilis hoc prohibens ob bonum commune immediatè fuit condita; & ita Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 7. §. Secunda regula.* & Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 26. num. 5.* Couarru. *de pactis part. 2. §. 2. num. 2. & 3.* Matienso *lib. 5. nonæ recopilationis titulo 2. lib. 2.* Glossa 3. *num. 11. & 17.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 2. num. 43.* vbi multos allegat.

Azor. Suar. Cou. Matienſ. Glossa. Sanch.

32. Sequitur quartò, confirmari contractum, & pactum iuramento lege ciuili, vel canonica prohibitum, lata primariò ob priuatum & particulare bonum, & vtilitatem contrahentis, etiam si secundariò in bonum commune redundet, dummodo non detur peccatum, & turpitudo ex parte recipientis iuramentum. Ita docent communiter Doctores, Barthol. *in leg. Si sine, & Angerius. 27. num. 4. ff. ad legem falsidiam.* Ioannes Andreas *in capite, Quamuis pactum num. 3. de pactis in 6.* & ibi Archidiacon. *num. 3.* & Dominicus *num. 3.* & idem Ionnes Andreas *cap. 2. num. vnico, de iureiurando,* & ibi etiam Dominicus *num. 6.* Abbas *in capite, Cum contingat num. 8. de iureiurando;* & ibi Alexander de Neuo *num. 35.* Bellamera *num. 22. & duplici sequenti.* Barbosa *lege, Alia, §. Eleganter num. 32. ff. soluto matrimonio.* Suidus *consilio 54 num. 18. vol. 1.* Matienſ. *lib. 5. recopil. tit. 2. lege 2. gloſſ. 3. num. 15.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 7. quæſt. 1. regula quarta.* Rebellus *de iuſt. p. 2. lib. 1. quæſt. 9. num. 3. & lib. 5. quæſt. 7. ſect. 1. n. 16.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 12. num. 43.* Couarr. *de pactis 2. part. §. 2. num. 6. verſiculo, Prima igitur, & num. 7. verſiculo, Primò falſum eſſe;* & alij permulti, quos citat, ac ſequitur Sanchez allegatus.

Barth. Ioan. Andr. Arched. Domin. Ioan. Andr. Dominic. Abbas Neuo. Bellarm. Barbosa. Suidus. Matienſ. Azor. Rebel. Sanchez. Couar.

33. Et ratio eſt, quia leges ciuiles, & canonicæ latæ immediatè ob fauorem, & bonum priuatum alicuius, non obligant ad culpam ſiue rem aliquid prohibent, dirigantur in actum, ſiue in perſonas. Probatur, quia huiuſmodi leges fauent hominibus priuatis, & vnuſquiſque poteſt renunciare proprio fauori ſibi priuatim conceſſo, & id poteſt efficere, ſaltem quando iuramentum adhibet. Deinde, quia cum huiuſmodi leges principaliter in fauorem particularis perſonæ conduntur, non intendunt legiſlatores illi laqueum iniicere ob tranſgreſſionem, obligando ad culpam, ſed potius ipſi priuilegium concedunt irritandi illum actum, ne quod ſtatutum eſt in fauorem illius, tendat in illius damnum ſpirituale. Contra regulam, *quod ob gratiam, de regulis iuris in 6. & legem fauore C. de legibus;* & ita docent communiter Doctores Ioannes de Lignano, & Vincentius quos refert, & ſequitur Abbas *in cap. Cum contingat. num 6 de iureiurando,* & ibi Antonius *num. 8.* Imola *num. 50.* Ancharranus *in repetitione capitis, Canonum ſtatuta, num. 175. de conſt.* Alexander *conſilio 27. à num. 5. vſque ad finem. vol. 1.* Salicetus *in Authentica, ſacramenta puberum, num. 27. C. ſi aduerſus venditionem.* & ibi Paulus *in repetitione num. 22. & 23. & in lectura num. 11.* Bellamera *dicto capite, Cum contingat. num. 23. & 24.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 9. num. 35.* Couarruuias *de pactis. 2. part. §. 2. num. 6. fine. & num. 7.* Seraphinus alios referens *de priuilegijs iuramenti, priuilegio 83. num 70* Gutierrez *dicta Authentica ſacramenta puberum. n. 38. & 39* omnes contra Barth. *in l. ſi quis pro eo n. 9. ff. de fideiuſſoribus,* aſſerentem id verum eſſe, quando leges ciuiles directè feruntur in actum, & loquuntur de actu, dicendo v. g. *nullus actus, aut contractus iuramento fiat;* ſecus ſi ferantur in perſonas dicendo, *nemo contractum vllum iuramento faciat, promiſſionemve, aut conuentionem iuramento firmet;* quia in primo caſu dicit obligare ad culpam, ac proinde iuramentum contra eam prohibitionem non obligare, non verò in ſecundo. Sed hanc diſtinctionem communiter reiiciunt Doctores, & eam reiicit Sanchez *dict. tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 9. num 36. & cap. 12. num. 45.* & Vallaſcus *tom. 1. conſultat. 99. num. 1.* vbi ait per incuriam, & inaduertentiam dixiſſe Suarium in legibus Regni *tit. de las arrhas, fol. 31. verſu, ſcripſerit,* doctrinam Bartholi communiter eſſe receptam, cum tamen communiter ſit reprobata. Abſolutè ergo dicendum eſt in omni caſu, & euentu leges ciuiles, quæ immediatè ad bonum particulare ordinantur, ſiue dirigantur in perſonas, ſiue in actum, nunquam obligare ad ſui obſeruationem ſub culpa, vt ſatis probatum manet.

Ioan. de Lig. Vincent. Abbas. Anton. Imol. Anchar. Alex. Salic. Paul. Bellarm. Sanch. Cou. Barth. Sanch. Vallaſc.

Exemplis res confirmatur; datur lex ciuilis irritans promiſſionem ſoluendi pecuniam lucratam in ludo ex pecunia credita, ſeu ſub fide ludentis; quæ lata eſt non ob bonum commune immediatè, ſed ob bonum particulare cuiuſque ludentis, & ideo ſi quis iuret iſtam ſolutionem, iuramentum valet, & obligat, vt docet Molina *tom. 2. de iuſtitia diſp. 515.* & Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento, cap. 26. num. 10.* & Couart. *in in regula peccatum 2. part. §. 4. num. 8.* quia illa lex prohibens ſolutionem pecuniæ lucratæ in ludo ſub fide ludentis, eſt lata immediatè ob fauorem cuiuſque ludentis; cui quiſque poteſt renunciare, & de facto cenſetur illi renunciare, eo iuramento. Nec refert, quòd illa lex ſit vtilis bono communi; nam licet etiam redundet in bonum commune ſecundariò, tamen non habet pro materia proxima, & immediata ipſum bonum commune, ſed bona particularia ſingulorum ludentium, ad quorum conſeruationem immediatè ordinatur. Deinde, quia vt docet Suarez allegatus *dicto num. 10.* etſi leges ciuiles iuris communis, vel aliquorum regnorum, præſertim Caſtellæ, auferant obligationem ſoluendi, quod perditum eſt in ludo pecunia credita, ſeu ſub fide ludentis, &, ſi ſoluatur, repetitionem concedant, non tamen prohibent ſolutionem; & ideo ſi quis iuramento illam promittat, ſeruare tenebitur, quia ſine peccato poteſt promiſſionem implere; & ita docet idem Suarez *ibi,* & Medina *c. de reſt. quæſt. 22.* qui non ſolùm id affirmat de promiſſione iurata, ſed etiam de ſimplici. Melius tamen Suarez allegatus: & Nauarr. *in manuali Latino, cap. 19. alias 20. num. 17. in fine.* & Gutierrez *1. part. de iuramento. cap. 53. num. 6.* & alij moderni de ludo ſcribentes aſſerunt ſolùm teneri promiſſionem implere, ſi iuramento illam confirmauerit, aliàs non. 34.

Molin. Suar. Cou. Suarez. Suarez. Medin. Suarez. Nauar. Gutier.

Vnde non eſt verum, quod tradunt Alciatus *in leg. pacta, quæ contra. à num. 20. vſque ad 25. C. de pactis,* & Horoſcius *leg. iuris gentium. §. iuris commun. num. 5. ff. de pactis,* vbi aiunt non firmari contractum iuramento, quando etſi prohibitio ſit principaliter ob bonum priuatum, ſecundariò tamen in bonum commune redundat; ſed ſolum quando nec in conſequentiam bonum commune conſideratur, quæ limitatio eſt contra 35.

Alciat.

tra omnes Doctores relatos num. 31.

36. Sylvest. Aliud exemplum deduci potest ex pacto legis commissoriæ, quod ita secundùm Sylvestrum verbo, Pactum. num. 14. fit. Vendo tibi hunc fundum, & si intra talem diem mihi pretium non solueris, perdes tantum; vel cum accommodatur aliquid sub pignore, & dicitur, si non dederis vsque ad talem diem: pignus hoc mihi integrum manebit. Huiusmodi enim pacta prohibentur per leges ciuiles, quia præsumunt leges inibi vsuras esse, & quia fauent prædictis vsuris vehementer, & irrita redduntur; si tamen iuramento confirmentur, valent, & obligant; & ratio est, quia leges ciuiles non illa prohibent ob bonum commune principaliter, licet secundariò in illud redundent, sed ob bonum priuatum oppignorantium. Vnde in tali pacto non læditur immediatè bonum commune, sed dominus pignorum, & læduntur vendentes, qui pactum ineunt, & ideo tale pactum iuramento confirmatur si reuera fiat sine alia condiitione iniusta; nam iuramentum additum pacto legis commissoriæ, solùm obligare potest ad id quod sine iniustitia sit, quia iuramentum non est vinculum

Suar. iniquitatis, & ita docet Suarez tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 26. num. 8.

37. Item sit à fœmina contractus in quo res dotales, aut sibi donatas propter nuptias sine authoritate iudicis alienat, talis alienationis contractus irritus est iure ciuili, vt constat ex lege, Iulianus, ff. de fundo dotali, & Authentica sive à me, C. ad Velleianum, & tamen si hune alienationis contractum iuramento confirmat, validus est, vt patet ex cap. Cum contingat, & cap. Licet de iureiurando in 6. Quia leges hos contractus prohibentes ordinantur in bonum proprium, & particulare ipsarum fœminarum, & in fauorem illarum sunt latæ, cui illæ possunt cedere, & de facto cedunt iuramento. Item damnant leges ciuiles, & irritum decernunt pactum à filia factum in commodum patris, vt contenta dote sibi à patre assignata, non ampliùs succedat in illius bonis, leg. Pactum dotali, C. de collationibus, & leg. Si quando, & leg. Pactum quod dotali, C. de pactis, & tamen si filia huiusmodi pactum iuramento confirmet, propter idem principium, firmum, & ratum manet, vt constat ex cap. Quamuis de

Azor. pactis, in 6. Ita Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 7. §. Quarta regula, & redditur ibi ratio in prædicto capite, ob quam iuramentum, hoc pactum confirmet, cum non vergat, inquit Papa, in æterna salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum; & Glossa ibi verbo, Detrimentum, explicat scilicet, principale, & immediatum; nam secundariò posset ibi reperiri detrimentum filiis, vel viro.

38. Præterea minor non nisi authoritate Curatoris, vel Tutoris, & Iudicis donare potest, & talis contractus donationis, aut alienationis iure ciuili est irritus, leg. Pupillus ff. de acquirendo rerum dominio, & tamen si iuramento talem donationem confirmet, valet, itavt in iudicio repeti non possit, quamuis absque forma solemni iuris ciuilis fuerit factus, vt habetur in Authentica, sacramenta puberum. C. si aduersus venditionem, & ita docet specialiter Azor. modò allegatus.

39. Denique donatio inter virum, & vxorem, inter patrem, & filium iure ciuili est irrita, & tamen iuramento confirmatur, vt habet vtriusque

Couarr. Sylvest. Azor. iuris doctorum opinio, quam tenet Couarr. in Rub. de testament. part. 2. num. 10. & Sylvester verbo, Donatio 1. quæst. 4. & Azor. proximè allegatus. Item donatio absque insinuatione facta eodem iure ciuili infirma est, & tamen si iure iurando confirmetur, subsistit, vt docet Ioannes Andreas contra Bartholum, & Salicetum, teste

Sylvestro, verbo, Donatio 1. quæst. 6. Sylvest.

40. Azor. Alia exempla apponit Azor. tom. 1. lib. 11. c. 7. quæst. 1. §. Quarta regula, vt exemplum de donatione omnium bonorum etiam futurorum, quæ iure ciuili inualida est per legem vltimam. C. de pactis, & legem, Hæreditas, C. de pactis conuentis; quam dicit iuramento confirmari, & exemplum pacti de non reuocando testamento iam facto, quod similiter per leges ciuiles est irritum, & firmari iuramento dicit: sed nos hæc duo exempla non admittimus, quia in vtroque aufertur libertas testandi, quæ est de iure gentium, & proximè accedit ad ius naturale primarium, & quamuis sine peccato quis possit non reuocare testamentum, & donare omnia sua bona præsentia, & futura, & consequenter seruare iuramentum, tamen velle se ad id obligare iuramento officit libertati testandi, & iuri gentium communi, vt alibi diximus; & leges ciuiles, quæ hoc prohibent, non sunt latæ immediatè ob bonum priuatum donantium, & testantium, sed ob bonum commune: fauent enim libertati, testandi, & liberè disponendi de suo, quæ introducta est de iure gentium.

Caput XVIII.

Quos effectus peculiares habeat contractus, quando confirmatur iuramento. Explicatur quomodo differant iuramentum confirmatorium, & per se stans. Quæritur quid de iure Lusitano sit statutum circa contractus iuramento confirmatos.

Summarium.

Primus effectus contractus iuramento confirmati est duplex obligatio, qua obligamur, altera erga Deum, altera erga hominem cui iuramentum præstamus; quando verò iuramentum obligat, & non confirmat contractum, oritur vna tantum obligatio erga Deum, & nulla erga hominem. num. 1.

Contractus prohibitus iure aliquo humano in odium eius in cuius gratiam fit, si iuramentum ei adijciatur, iuramento non confirmatur, obligat tamen iuramentum, nisi legitima auctoritate relaxetur. num. 2.

Secundus effectus est, quòd contractus iuramento confirmatus non solum obligat, sed etiam confert actionem in indicio aduersus iurantem. num. 3. *Quid quando non confirmatur.* ibid.

Tertius est, quando iuramentum non confirmat, potest relaxari, secus quando confirmat. num. 4.

Quartus est, quando iuramentum non confirmat contractum, impletur momentanea solutione, & statim potest repeti in iudicio. num. 5.

Quintus est; quando iuramentum confirmat contractum, transit obligatio illius ad hæredes vtriusque contrahentis. num. 6. *Sextus, quando confirmat, nequit relaxatio à iuranti obtineri.* ibid.

Discrimen inter iuramentum confirmatorium & per se

se stans. Primum est quod ex iuramento per se stanti vnica tantùm obligatio erga Deum oritur; at ex iuramento confirmatorio duplex, altera erga Deum, altera erga eum in cuius gratiam iuramentum præstatur. *num.7.*

Secundum est quòd iuramentum per se stans relinquit contractum in sua natura; at iuramentum confirmatorium confirmat illum. *num.8.*

De iure Lusitano omne iuramentum in contractibus, & promissionibus, pactis, aut conuentionibus appositum, est irritum. *num.9.*

An hoc procedat de iure Lusitano in solis contractibus, qui sunt alioqui irriti ex natura sua; an verò in contractibus omnibus absolutè, siue non. *n.10.* *Refertur prima opinio asserens solum irritare illos, qui alioqui natura sua erant irriti.* *ibid.*

Præfertur sententia affirmans irritare omnino contractus, siue natura sua sint irriti, siue validi. *num.11.*

Si prima opinio approbetur, Tabelliones, & Scribæ non excusantur à pœnis in iure Lusitano contentis, contractus etiam natura sua validos scribentes. *num.12.*

An ius Lusitanum habeat solùm locum in contractibus publicis, qui fiunt manu scribarum, an in conuentionibus, & promissionibus particularibus iuramento firmatis. *num.13.*

De iure Lusitano solùm prohibetur appositio iuramenti promissorij in contractibus, non assertorij, explicatorijue. *num.14.*

1\. IVRAMENTVM confirmatorium est illud, quo quis se obligat non solùm ad standum pacto, & contractu celebrato, sed etiam ad non reuocandum illum: iuramentum obligatorium, & non confirmatorium est illud, quo quis se tantùm obligat ad standum contractu, & non ad non reuocandum. Colligitur hæc definitio ex Vallasco *tom.2 consult.139.n.13.* & ex multis quos ibi allegat: vnde colliges omne confirmatorium esse obligatorium, non tamen omne obligatorium esse confirmatorium. Obligatorium etiam dicitur apud Iuristas per se stans, vt ex dicendis patebit. His igitur sic breuissimè ad fugiendam confusionem notatis, sex effectus solent doctores assignare peculiares, quos habet contractus iuramento confirmatus. Primus est, quòd quando iuramentum confirmat pacta, & contractus, oritur duplex obligatio ex tali iuramento; altera erga Deum; altera erga hominem, cum quo contractum celebramus, & cui nos iuramento ad contractum seruandum, & non reuocandum obligamus; & ideo manet contractus firmus, & irreuocabilis: at verò quando iuramentum obligat ad seruandum contractum tantùm, & non obligat ad illum non reuocandum, relinquitur contractus in sua natura, quia iuramentum nullam obligationem inducit erga hominem, sed solùm erga Deum, quem testem attulimus talis contractus, & quem testem verum tenemur efficere. Quare si contractus ante iuramentum erat inualidus ex natura sua, inualidus manet post iuramentum; solùm enim iuramentum tenemur implere, ne Deum faciamus testem falsum, nullum tamen ius homini per tale iuramentum tribuimus. Hanc differentiam tradit Sanch. *tom.2. Decalogi lib.3.c.12. n.58.* & Ant. Gomez *tom.2. var. c.14.n.21.* Suar. *tom.2. de Religione lib.2. de iuram. cap.25. n.2.* Sanch. Ant. Gom. Suarez.

2\. Hinc fit, vt contractus lege prohibitus in odium, & pœnam eius cuius gratia fit, si iuramentum ei adiicitur, non confirmetur, sed inualidus adhuc, & irritus maneat; iuramentum tamen nisi legitima authoritate relaxetur, seruari debeat. Vt si quis vsurario iurauit, se ei vsuras soluturum *cap. Debitores de iureiurand. & cap. Significante de pignoribus.* Et idem dicendum est si quis iuramento promisit latroni, hosti, aut tyranno sibi vim inferenti, se ei daturum centum, ne ab eo interficeretur; & si quis iurauit se daturum mille aureos ne iniquè vexetur ab alio; in his enim contractibus, & promissionibus tenemur iuramentum implere, nisi relaxationem illius obtineamus, ne Deum testem falsum faciamus, non tamen iuramentum contractum, & promissionem confirmat, quia per tale iuramentum non intendimus dare ius latroni, aut iniquè vexanti aduersum nos, & sic solùm oritur ex tali contractu, seu iuramento naturalis obligatio seruandi iuramentum erga Deum, nulla autem erga hominem; quoniam qui recipit eam promissionem, aut eam iniquè, & per vim, & iniuriam à nobis extorquet, turpiter recipit, & statim ac recipit tenetur restituere, & sic momentanea solutione satisfacimus; & hanc doctrinam omnes admittunt cum Azor. *tom.1. lib 11.cap.7. quæst.1. versu, Tertia regula,* & cum Sancio modò allegato. Azor.

3\. Secundus effectus iuramenti confirmatorij contractus, est, quòd iuramentum confirmatorium non solùm confert obligationem; sed dat actionem in iudicio; quando verò non est confirmatorium, licet suam inducat obligationem erga Deum, non eam inducit erga hominem, nec illi dat actionem ad petendum tale debitum in iudicio; hæc tamen differentia ad forum magis externum, quàm internum pertinet; & assignatur à Suario *tom.2. de Religione lib.2. de iuramento cap.25. num. 7.* & eam tradit Bartholus *in l. Si quis pro eo, ff. de fideiussorib. num. 3.* & Sanchez *tom.1. Decalogi lib. 3. cap.12. num.66.* cum multis quos ibi citat. Suarez. Barthol. Sanch.

Tertius effectus, quando non confirmat, sed tantùm obligat, potest relaxatio impetrari, & ea impetrata, veniri contra contractum, secus quando confirmat; neque enim tunc relaxationis, aut contrauentionis locus est, vt dicemus in effectu *5.num.6.* Quamuis enim aliquando ratione læsionis allegatæ concedatur relaxatio ad effectum agendi; at ea relaxatio non operatur, vt possit resiliri à contractu, sed vt liceat absque periurio contendere in iudicio ad illius rescissionem ratione iniustæ læsionis illius. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 3. cap. 12. num.59.* cum multis etiam quos ibi citat, & quos mihi videre poteris. Sanch.

4\. Quartus effectus est, quando iuramentum non confirmat contractum, sed tantùm obligat, impletur momentanea solutione, & statim potest repeti in iudicio res soluta; quod clarè indicant textus eam confirmationem inducentes, dum statuunt eos contractus esse inuiolabiliter obseruandos. Ita Bartholus *l. Si quis pro eo, in principio num.10. ff. de fideiussoribus,* Couarr. *de pactis 2. part.§.3. num.2.* Anton. Gomez *tom.2. var. c.14. num.24. versiculo, Item infertur,* Caldas *l. Si curatorem. verbo, Minoribus, num.3. C. de in integr. restitut.* Bellamera *cap. Cum contingat, de iureiur. num.27.* Et ratio est, quia cum statim, ac solutio facta est, manet iurans vinculo iuramenti liber, & tunc manet res apud recipientem sine causa cum ratione solius iuramenti fuerit debita. Barth. Couar. Ant. Gom. Cald.

Quintus

6\. Quintus effectus est, quando iuramentum confirmat contractum, transit obligatio illius ad hæredes vtriusque contrahentis. Sextus est, quando confirmat, nequit relaxatio iuramenti obtineri; secus quando non confirmat. Probatur ex textibus quos citauimus *num. 5.* capitis præcedentis, qui quando confirmant, dicunt iuramentum esse *omnino & inuiolabiliter* obseruandum, quæ verba omnem dispensationem, relaxationem ac omne iuris remedium excludunt, vt optimè

Sanch. Barthol. Caldas.

docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 12. n. 5. & num 63* Bartholus & Caldas *num. 5.* allegati. Et ratio est, quia tunc acquiritur ius tertio ex illo contractu per iuramentum confirmato; secus quando iuramentum non confirmat, sed tantùm obligat; quia tunc nullum ius tertio acquiritur, & ideo in priori casu non datur locus relaxationi, quia cederet in præiudicium tertij; secus in posteriori, vbi sola iuramenti religio erga Deum obligat. Quære quamuis iurans in iuramento obligatorio, & non confirmatorio se obligauerit ad non petendam relaxationem, adhuc eam poterit petere, & impetrare; sed tenetur impetrans explicare eam circunstantiam in petitione relaxationis iuramenti; & sic duplex dispensatio, & relaxatio impetranda & petenda est; altera iuramenti, altera circunstantiæ non petendæ relaxationis iuramenti. Imò si etiam iurans promisit & iureiurando se obligauit ad non vtendum prædicta relaxatione, si illam obtinuerit, triplex relaxatio petenda est; requiritur enim quòd exprimat se iurasse non solùm non petiturum relaxationem, sed etiam se ea obtenta non vsurum, alioqui dispensatio erit irrita & ipse periurus si contra prædictum iuramentum fecerit. Ita do-

Vallasc. Felin. Afflict. Paris. Roland.

cent Vallascus *tom. 2. consult. 150. à num. 13.* Felinus *in capite, Constitutus, de rescriptis, column. 8. versu, Amplius dicas.* Afflictis *decisione 270. col. 4. & decisione 30 in fine.* Parisius *consil. 43. à num. 15. vol. 1* Rolandus *consil. 34. col. 2. & 3 lib. 1.*

7\. Ex dictis colliges discrimen, & differentiam inter iuramentum confirmatorium, & per se stans. Prima est quòd ex iuramento per se stanti vnica tantùm obligatio religionis oritur, qua iurans

D. Thom.

erga Deum tantùm obligetur, vt D. Thom. *2. 2. quæst. 89. art.* & cernitur in omnibus iuramentis à latronibus & tyrannis per iniuriam, & gratis metu extortis; neque enim ipsi acquirunt aliquod ius ex tali iuramento, & ideo iurans, illis non manet obligatus; solùm ergo obligatus manet vinculo religionis erga Deum quem in testem suæ promissionis attulit, & tenetur testem verum facere, promissum soluendo. At ex iuramento alicuius contractus confirmatorio oritur duplex obligatio, qua iurans obligatur: altera religionis erga Deum; altera iustitiæ erga illum, cum quo contraxit, quia cum ex illo contractu, quem iuramento confirmauit, acquirat ius illi cum quo contraxit, clarum est manere illi adstrictum vinculo iustitiæ: & hanc differentiam inter vtrumque iuramentum assignant omnes Doctores de hac materia scribentes, & eam bene

Ant. Gom. Cou. Suarez.

explicant Antonius Gomez *tom. 1. variar. cap. 14. num. 11.* Couarruu. *de pactis 2. part. §. 1. per totum præsertim num. 7. conclusione 7.* Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento promissorio, cap. 25. num. 2.*

8\. Secunda est, quòd iuramentum per se stans relinquit contractum in natura sua, vnde si inualidus erat, inualidus manet: At iuramentum confirmatorium, non illud relinquit in natura sua, sed confirmat. Vnde si inualidus erat antea, ratione iuramenti modò firmus manet; & denique omnes effectus contractus iuramento confirmati, quos in hoc capite numeris præcedentibus retulimus, possumus assignare pro discrimine, & differentia cadenti inter iuramentum per se stans, & confirmatorium, cum contractus ille eos habeat ratione solius iuramenti confirmatorij, vt patet.

Doctrina hactenus tradita in hoc & præcedenti capite procedit de iure communi, nam de iure 9.
Lusitano *lib. 4. noua ordinationis tit. 73.* omne iuramentum appositum in contractibus, promissionibus, donationibus, pactis, conuentionibus irritatur; & similiter irritantur omnes contractus, promissiones, pacta, donationes, & conuentiones in quibus idem iuramentum apponitur, licet alioqui natura sua sint validi, & grauissimæ pœnæ vtrique contrahentium, & tabellionibus similes contractus scribentes imponuntur, ibi. *Nenhuma pessoa em todos nossos Reynos, e senhorio e faça contracto, nem obrigaçam, nem postura, nem auença, nem conuença, nem prometimento, nem quitaçam, nem outro algum distracto, assi por escripto, como por palaura em que ponha prometimento de boa fee, ou outro algum promettimento &c.* Et idem est de iure Regni Castellæ, vt patet ex *l. 3. ordinamenti, & l. 6. titulo 1. & l. 16. in Curijs Madritianis*, quod est receptum in praxi horum regnorum; & ita obseruari docet Molina *tom. 1. de iust. disp. 149.* &

Molin. Vallasc.

Vallasc. ait *tom. 1. consil. 99.* nostram legè Lusitaniæ esse validam, quamuis lata sit à Principe sæculari, qui nihil potest in iuramento, cum sit spirituale, disponere; & eo animo ne lites sæculares ratione iuramenti ad forum Ecclesiasticum deducerentur, trahunt enim iuramenta omnes contractus & promissiones in quibus apponuntur ad forum Ecclesiasticum, vt patet *ex cap. vltimo, de foro competenti*, quia præsumendum est Summos Pontifices eam facultatem Regibus huius Regni concessisse, cum ex tempore immemorabili hæ leges obseruentur, & à Summis Pontificibus tolerentur, & in istis, & similibus rebus sufficit fama priuilegij, & continua obseruatio secun-

Felin.

dùm Felinum *capite, Cum contingat. de foro competenti, num. 4* & secundum Nauarrum ibidem in primo remedio. *pagina 552.* & Vallascum proximè allegatum. Quæ mihi omnium optima, quæ hîc dari possunt, videtur ratio, ad sustentandam nostræ legis validitatem.

Dubitabis tamen an in nostro regno Lusitano 10.
irritentur solùm iuramenta promissoria, quæ apponuntur illis solùm contractibus, & promissionibus, quæ sunt alioqui irritæ ex natura sua, & non valerent sine iuramento; an vniuersim omnia iuramenta, & contractus qui iuramento fuerint firmati, inualidentur, siue alioqui iure validi, siue inualidi sint? Segura *l. 1. § si vir. ff. de acquir.*

Segura. Greg. Lop. Ant. Gom. Cou.

possessione Gregorius Lopez *super legem 6. tit. 4. part. 6. in scholijs, verbo, por no puesta.* Anton. Gomez *tom. 2. variar. cap. 14. num 22. ad finem.* Cou. *de pactis 1. part. §. 3. num. 8.* existimant leges Lusitaniæ, & Castellæ solùm irritare contractus, in quibus apponitur iuramentum, qui sunt alioqui iure aliquo prohibiti, & inualidi; secus si tales non sint. Probant primò, quia hæ leges non ideo solùm huiusmodi contractus iuramentis confirmatos, & stabilitos irritant, vt consulatur conscientiis, & vitentur postea periuria, si non obseruentur: sed ideo illos prohibent, & irritant, quia contractus de se validi, non indigent alia extrinseca firmitate, & confirmatione iuramenti,

& sic in pœnam diffidentiæ contrahentium huiusmodi contractus irritant. Vnde sequitur non irritati per has leges vniuersim omnes contractus, & promissiones, sed illos dumtaxat, qui sua natura sunt irriti, & nulli. Secundò, quia quando contractus est validus, non indiget firmitate iuramenti, & si ei adiicitur, videtur fieri in fraudem iurisdictionis regalis, vt deducatur cognitio causæ ratione iuramenti ad iudicium Ecclesiasticum; solum ergo hæ leges probibent ne iuramentum apponatur in contractibus de se inualidis, non in contractibus validis ad vitandam hanc fraudem.

11. Pinel. Vallasc. Pinellus verò 3. *part. legis secunda. C. de rescind. venditione cap. 1. num. 11. fol. 128.* & Vallasc. *tom. 1. consult. 99. num. 10.* aiunt legem Lusitanam (& idem de lege Castellæ) intelligendam esse de omnibus contractibus & promissionibus siue de se validis, siue inualidis, & ita praxim obtinuisse; quibus omnino consentio propter illa verba prædictæ legis. *Nenhum faça contrato, nem obligaçam, nem postura, nem auença, nem conuença, nem promettimento, nem quitaçam, nem outro algum distracto assi por escripto, como por palaura, emque ponha iuramento. &c.* Quæ verba sunt absoluta, & de omnibus omnino contractibus intelligenda sunt; vbi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

12. Si tamen opinio Seguræ, & Couarruuiæ sernetur, asserit Vallasceus allegatus hanc legem operari inualiditatem contractus, alioqui validi; non tamen excusari tabelliones à pœna nostræ legis etiam in illis contractibus, qui alioqui sine iuramento essent validi, & pro ista assertione Vallasci faciunt leges Lusitaniæ in veteribus Ordinat. *tit. 44. §. vltimo, & penultimo*, ibi: *E sendo os contractos ta es que posto que se iam cõtra directo podem ser confirmados por iuramento, poder seha leuar apena entre elles posta; se o contracto nam for comprido por aquelle quo prometeo de comprir.* Verùm hæc verba fuerunt dempta in nouis ordinationibus, vt patet ex dicto *lib. 4 tit. 43.* Quare ex verbis ordinationis veteris nullum argumentum sumi potest; nam pœna inualidationis, & irritationis contractus, non adiicitur propter diffidentiam contrahentis, vt ipsi existimabant; sed vt omnino, & inuiolabiliter prædictæ leges obseruarentur, & ne traberentur lites sæculares (vt dixi) ad forum Ecclesiasticum; quæ ratio tam procedit in contractibus iure validis, quàm inualidis, vt consideranti patebit. & sic solutæ manent rationes, & fundamenta in contrarium pro prima opinione adducta.

13. Scio aliquos nouiores Doctores hanc difficultatem tangentes, asserere hanc prohibitionem Lusitanam interponendi iuramentum in contractibus, solùm habere locum in contractibus publicis, non verò in illis quos efficiunt contrahentes inter sese, & non publicè, nec per manum scribæ; sed non videtur verum, vt patet ex verbis nostræ ordinationis nouæ, ibi: *Contracto, nem outro algum distracto assi por escripto, como por palaura.* vbi illa verba, *assi por escripto*, respiciunt contractus publicos, qui fiunt tabellionis manu; illa verò, *como por palaura* respiciunt contractus priuatos, quos contrahentes inter se efficere solent.

14. In his tamen contractibus solùm probibetur adiectio & appositio iuramenti promissorij, non verò iuramenti assertorij, aut declaratorij; vt constat ex prædictis ordinationibus nouis *dicto lib 4. titulo 73.* ibi: *O que auera lugar no iuramento somente promissorio, ou confirmatorio; enam no iuramento assertorio, ou declaratorio da verda de posto em o contracto*; & ita docet Segura *repetit. legis, vnum ex famil. column. 47.* & Valascus *tom 1. consult. 99. num. 14.* Segura. Vallasc. Et ratio ob quam non prohibeantur hæc iuramenta assertoria, & declaratoria veritatis, est, quia hæc non trahunt lites seculares ad forum Ecclesiasticum; & intentio harum legum est soli huic ostio pessum addere, vt dixi.

Capvt XIX.

Quomodo interpretanda sit obligatio iuramenti, quo quis se alteri obligat: Agitur de interpretatione illius circa mutationem materiæ iuramento promissæ, & euentus non cogitatos.

Svmmarivm.

Ad quid extendatur obligatio iuramenti quo quis se alteri obligat ad parendum illi in omnibus vniuersaliter. num. 1.

Iurare animo sic absoluto parendi in omnibus licitis, & illicitis est peccatum mortale. num 2.

Non tenetur sic iurans aliquid immoderatum sibi imperatum exequi, vt si clericus videatur deponere beneficium. num. 3.

Iuramentum generaliter præstitum restringendum est, vt quantum fieri potest, minus obliget. n. 4.

Iuramentum promissorium aliquid faciendi, aut omittendi, intelligi debet ex causa iam subsistenti, non de nouo adueniente. num. 5.

Quomodo interpretanda sit obligatio iuramenti, quando post factum iuramentum res demutantur. num. 6.

Multi statuunt non obligare iuramentum vltra id ad quod quis se non obligaret, si difficultates, & rei mutationem animaduertisset. num. 6. & 7.

Reijcitur hæc regula. num. 8.

Statuitur non quamcumque mutationem ex parte materiæ iuratæ, aut voto confirmatæ, deobligare à iuramento promissorio, & voto; sed notabilem. num 9.

Non sufficit ea mutatio rei circa quam vouentes, aut iurantes interrogati dicerent, se noluisse obligare, si præuidissent: sed id interpretandum est quando mutatio rei est ita notabilis, vt rem in altero statu constituat. num. 10.

Respondetur ad fundamenta illorum, qui dicebant iuramentum, & votum non obligare vltra id ad quod quis se non obligaret si præuidisset. numero 11.

Ille qui adolescentiæ tempore vouit, aut iurauit ingredi Religionem, & nunc est senex factus, vires non habens ad subeunda onera illius, non tenetur ad votum & iuramentum. num. 12. *Quid si monachi eum admittere velint.* ibid.

Non obligat promissio homini facta, & iurata, quando executio illius nocet magis promittenti, quàm sit vtilis ei cui promissa res est. num. 13.

Ratione ingratitudinis superuenientis deobligat promissio homini facta etiam iurata. num. 14.

Quid si promittens eo esset animo tempore promissionis, vt nullo modo desineret promittere quacumque

cumque mutatione facta & ingratitudine commissa. *num.15.*

Quid in dubio an quis ita esset affectus, & an eo affectu promiserit. *ibid. & num.16. & 17.*

Quomodo intelligatur iuramentum postulatum per Episcopum à beneficiato non renunciandi beneficium. *num.18.*

An ille qui iurauit, vel vouit se vnum equum, aut bouem, aut calicem daturum alicui Ecclesiæ, teneatur ad iuramentum, si omnes sui equi, boues, vel calices pereant. *à num.19. vsque ad 21.*

An qui vouit ieiunare omnibus sextis ferijs totius anni, teneatur ieiunare in die natali si eo die recurrat. *num.22. & 23.*

1. STATVO primò Iuramentum parendi alicui, quo quis se alteri generaliter obligauit ad faciendum quicquid ille sibi iniunxerit, ac imperauerit, non extenditur nisi ad ea de quibus verosimiliter cogitatum est, vel iure optimo debuit cogitari. Ratio est, quia iuramentum bona fide præstitum non extenditur vltra debitam, ac verisimilem iurantis intentionem, nec ad ea, quæ sunt contra communem præsumptionem. Constat *ex cap. Quintauallis de iureiurando*, docent Innocent. *cap. Veniens, num. vnico, de iureiurando*, Angelus *verbo, Iuramentum 4. initio* Syluester *verbo, Iuramentum 3. quæst.1. versiculo 9 & quæst.2. & verbo, Iuramentum 4. quæst. 6.* Tabiena *verbo, Iurare, quæst.15.* D. Anton. *2. part. tit. 10 cap.6. §.5.* Azor. *tom.1. lib.11. cap.11 quæst. 3.* Sanchez *tom.2. Decalogi lib 3. cap.17 num.1* Idem *de Voto.*

Innoc.
Angel.
Syluest.
Tabien.
D Anton.
Azor.
Sanch.

2. Iurare autem animo sic absoluto faciendi quicquid alter imperauerit, aut petierit, est culpa mortalis; quia iurator sic iurans animo suo destinat exequi absurdum etiam, & mortale postulatum, quod contigit Herodi *Marci 6.* Ex circunstantiis tamen fieri potest, ita vt iurans, & vouens omni culpa etiam veniali careat, quando scilicet iuramentum fit inter viros probos, & timoratos, de quibus iurans certus moraliter esse potest, illos à se sola iusta, & honesta petituros, & animo à principio concepit sola iusta exequi petita, vix tamen veniali imprudentiæ culpa iuramentum hoc, ac promissio liberabitur. Ita Sotus *lib. 8. de iustitia quæst. 2. art. 2. ad 3.* & Sanchez allegatus *num.3.*

Sotus.
Sanch.

3. Hinc deducitur non teneri iurantem aliquid immoderatum sibi iniunctum exequi, vt si clericus iubeatur deponere beneficium, non appellare in causa iusta, & causidicus curiam Principis non ingredi, causas non agere, innocentes non defendere, aut iustæ amici causæ non patrocinari. Ita D. Thom *2.2. quæst.98. art.2. ad 3* Syluester, Tabiena, Azor. *num. 1.* allegati: Fumus *verbo, Iuramentum, num.17.* Sotus *lib.8. de iust. quæst.2. art.2. ad 3* Sanchez *tom.1. Decalogi lib.3. cap.17. num.2.*

D Thom.
Fumus.
Sotus.
Sanch.

4. Statuo secundò Iuramentum generaliter præstitum restringendum est, vt quantum fieri potest minus obliget. Ita Sanchez *tom.1. Decalogi lib.3. cap.17. num. 8. versu, Tertia conclusio.* Abbas *in cap. Cum clerici, in fine, de verbor significatione*, & alij, quos statim citabimus. Ratio est primò, quia hoc cedit in iuramenti fauorem; magnum enim iudicium exigit, & considerationem; cum enim sit opus religionis, libertatem, & spontaneam voluntatem petit. Secundò, quia iuramentum est strictæ interpretationis, & vbi agitur de obligatione contrahenda, stricta interpretatio facienda est *cap.1. de iureiurando, in 6. l. Quicquid ad stringenda, ff. de verborum obligat.* Qua ratione ductus Abbas *in cap. Cum clerici*, modò allegatus, asserit iuramentum generaliter præstitum restringendum esse quantum fieri potest, vt minùs obliget iurantem, qui est in possessione suæ libertatis; in dubio autem an voluerit aliquid iuramento promittere, si post factam diligentiam adhuc quis manet dubius; iuramento non tenetur, quia in dubio melior est conditio possidentis, quod non tantùm in materia de iustitia; sed in quacumque alia procedit, vt iam diximus, & latè docet Sanchez *lib.2. de matrim. disp.41. num.32. & lib.1. disp.9. num 11.*

Sanch.
Abbas.

Sanch.

Statuo tertiò. Iuramentum promissoriũ aliquid faciendi, aut committendi, intelligi debet ex causa subsistenti tempore quo fit, non ex causa quæ de nouo superueniat. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 17. numer. 4.* & alij. Patet ex *cap. 2. de renunciat.* vbi dicitur renunciantem beneficium iuramento posse illud acceptare si de nouo sibi conferatur. Ex quo textu inferunt ibi Antonius *num. 4* Abbas *num. 9.* Imola *num. 2.* Antonius Gomez *l.22.* Tauri *num. 10. versiculo 2.* renunciationem beneficij iuratam restringi semper debere ad ius competens iuranti tempore renunciationis; non verò ad ius beneficij noui ex aliqua causa sibi superuenientis, imò, & si quis iuret se vlteriùs non repetiturum beneficium, intelligitur ex causa, & propter causam existentem tempore renunciationis; secus si alia causa de nouo aduenerit, vt bene animaduertunt Sanchez, Antonius, & Imola allegati. Hinc primò deducitur iurantem non offendere quempiam sub pœna aliqua, non esse reum pœnæ, aut periurij si ex noua inimicitia, & illata de nouo iniuria eum offendat; quia illa promissio, & illud iuramentum non intelligitur ratione iniuriæ de nouo superuenientis. Ita Sanchez allegatus *n.6.* & alij quos citat. Deducitur secundò, iuramentum quod emittunt promoti ad gradum licentiatus in aliqua Academia non accipiendi gradum doctoratus in alia, intelligendum esse virtute illius licentiæ; quare liberum illis manet in alia Academia gradus doctoratus accipere virtute alterius facultatis, quia iuramentum intelligitur ex causa subsistente tempore quo fit. Ita docent Antonius *cap. 2. de renunciat num. 12.* & ibi Abbas *num. 11.* Cardinalis; quem refert, & sequitur Felinus *cap Ex insinuatione num 5. de simonia.* Anton. Gomez *l.12.* Tauri *num. 10. versiculo, Secundò.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap.17. num.5.* 5.

Anton.
Abbas.
Imol.
Ant. Gomez.

Anton.
Abbas.
Cardin.
Felin.
Ant Gom.
Sanch.

Sed graue dubium est, quomodo interpretanda sit obligatio iuramenti, quando res iuratæ mutantur post factum iuramentum. Plerique Doctores hanc regulam tradunt neminem per votum, aut iuramentum, aut quamcumque aliam promissionem obligari vltra id ad quod se voluisset obligare, si aduerteret dum promisit. Ita Nauarrus *in summa cap.18. Latina num.7. Hispana num. 5.* Molina *tom.2. de iust. disp. 272. col.2. versiculo, Deinde rerum mutatio, & columna 7. notabili 4* Innocentius *in cap. Veniens, num. vnico, de iureiurando*, & ibi Abbas *num.4.* Antonius *cap. Quemadmodum, num.13. eodem titul.* Hostiensis *in summa eodem num 3 versiculo, Item si iuro stare.* D. Anton. *2. part. tit. 10. cap.6. §.5.* Angelus *verbo, Iuramentum 4. initio & fine.* Syluester *verbo, Votum 2. quæst. 17. fine, & verbo, Iuramentum 3. quæst. 1. & quæst. 2. & verbo, Iuramentum 4. q.6.* 5.

Nauar.
Molin.
Innoc.
Abbas.
Anton.
Hostiens.
D. Anton.
Syluest.

Tabien. Fumus. *& quæst.* 13. *in fine.* Tabiena *verbo, Iurare, quæst.* 15. *num.* 16. Fumus *verbo, Iuramentum, num* 35. *fine.* Et hoc ipsum docent authores, qui dicunt id ipsum post iuramentum factum liberare à voti, & iuramenti obligatione. Quod si à principio notum fuisset, aut præuisum, nullo modo quisquam voto, aut iuramento se obligasset, & hi sunt D. Thom. Maior. Carthus. Archidiac. Abbas. Angel. Syluest. D. Thom. *in* 4 *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 1. *ad* 1. & ibi Maior *quæst.* 1. *columna* 5. *corollario* 5. Carthusianus *quæst.* 2. §. *Quæritur item.* Archidiaconus *cap. Quæ bona* 17. *quæst. num.* 4. Abbas *cap.* 1. *num* 4. *de Voto.* Angelus *verbo, factum, num.* 4. *& verbo, Votum* 3. *initio in fine.* Syluester *verbo, Votum* 2. *quæst.* 1. *& verbo, Iuramentum* 3 *quæst.* 1. *particula* 2. *in fine, & verbo, Pactum, quæst.* 4. *in fine.* Tabien. Fumus. Medin. Angles. Henriq. vbi Tabiena *quæst.* 2. *num.* 3. Fumus *num* 2. Medina *c. de ieiunio, quæst. vltima ad* 4. Angles *in floribus* 2. *part. quæst. vnica de Voto art.* 2. *difficultate* 3. *conclusione* 5. Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio cap.* 14. *fine.* Fundamentum horum Doctorum est Primò, quia liberalis promissio etiam iurata non est extendenda vltra intentionem; at intentio huius huminis iorantis, aut vouentis est nolle se in eo euentu obligare, si ad illum aduertisset; sicut enim in generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset in particulari verosimiliter concessurus, iuxta regulam, *In generali, de Regulis iuris in* 6. ita in promissione absoluta voto, vel iuramento confirmata non veniunt euentus, quos exciperet promittens, si in speciali cum iis, vel aliis circunstantiis sibi proponerentur. Et confirmatur, quia votum & iuramentum promissorium est lex quædam priuata, quam quisque sibi imponit, in legibus autem locum habet Epicheia ad excipiendos euentus tanquam in lege non comprehensos; quos exciperet legislator si sibi occurrerent.

7. Molin. Hinc infert Molina *dicto tom.* 2. *de iust. disp.* 272. *col.* 2. *versiculo, Deinde*, eam rerum mutationem à promissionis vinculo deobligare, quæ si promittenti occurreret, dum promisit, eam exciperet, aut de ea tunc interrogatus responderet, mentem suam non esse in eo euentu se obligare; quamuis absolutè promiserit, nihil de illis euentibus cogitans.

8. Caiet. Sed hanc regulam meritissimò impugnaut Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *columna penultima, versiculo, Ad hoc dicitur, quod de Voto, & in summa, verbo, Votum cap. penultimo in fine.* Armill. Sotus. Nauar. vbi Armilla *num.* 11. Sotus *lib.* 7. *de iust. quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 3. *versu, Ex his quæ dicta sunt.* Nauarrus *in summa cap.* 12. *num* 39 Lud Lop. Valent. Suarez. Lud Lopez 1. *part. instruct. cap.* 43. *in fine*, Valentia 2. 2 *disp* 6. *quæst* 6 *puncto* 4. *fine.* Suarez *tom* 2. *de Religione lib.* 4. *de Voti obligatione cap.* 19. *num* 8. Primò, quia mutatio materiæ in voto, vel iuramento, vel sumi potest ex parte ipsius vouentis, aut iurantis, vel ex parte ipsius materiæ mutatæ. Ex parte vouentis & iurantis, vel per ordinem ad intellectum illius, quia nimirum postea multas difficultates cogitat, quas ante votum, aut iuramentum non cogitauit, & si cogitasset, nec vouisset, nec iurasset. Et hæc quidem mutatio, siue ignorantia, non sufficit ad tollendam obligationem voti, vel iuramenti facti, quia non est circa substantialia illius, alioqui enim omnia vota, & iuramenta, imò, & omnes contractus hominum nullam firmitatem haberent, & nec etiam professiones in religione firmæ essent. Cum facilè quis possit dicere difficultate aliqua superuenienti, se nunquam tale cogitasse; & sic ex incogitantia mutaretur, & ad votum, & ad iuramentum non teneretur, quo quid absurdius? vel per ordinem ad voluntatem, quia cum vouit, promisit, aut iurauit, erat bene affectus erga talem personam, cui se ex iuramento, & voto obligauit; postea verò intercessit aliqua dissensio, & causa odij, quam si præuidisset, non promisisset, nec vouisset. Et hæc quidem mutatio etiam non sufficit ad tollendam obligationem promissionis, voti, aut iuramenti, quia non est illis intrinseca, sed extrinseca; nam parum refert, quòd à principio nollet se obligare, si præuidisset, si iam voluit, quia homo non se obligat ex his quæ vellet, si hoc vel illud ei tunc occurrisset; sed ex his quæ voluit, sicut nec meretur, nec demeretur ex his quæ fecisset, vt optimè animaduertit Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 4. *de Voto cap.* 19. *num.* 11. Suarez. si in tali vel tali esset circunstantia, sed ex his quæ fecit.

Pro concordia tamen vtriusque regulæ, & opinionis statuo quartò. Certissimum est rebus mutatis excusari quemquam à voti, iuramenti, vel promissionis obligatione, non tamen quæcumque rei promissæ mutatio satis est ad tollendam obligationem promissionis, voti, aut iuramenti, iam facti, sed exigitur notabilis mutatio, & in hoc sensu locuti sumus *cap.* 11. *num.* 3. cum diximus iuramentum non obligare re mutata ad id quod iurans se noluisset obligare, si rem sic mutatam præuidisset, quod satis probant exempla quæ ibidem attulimus. Ita docet Sanchez *tom* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 20. *&* 26. & D. Thom. 2. 2. *quæst* 110. *art.* 3. *ad* 5. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap* 14. *num.* 1. *in fine.* Et patet ex *cap. Quemadmodum. de iureiurando*, & ex aliis textibus, & doctoribus, quos refert, & sequitur Gutierez *de iuramento* 1 *part. cap.* 29 *num.* 6. *& cap* 71. *num.* 6. Probatur, quia promissiones iuramento, & voto etiam confirmatæ semper intelliguntur, rebus de quibus fit promissio in eodem statu permanentibus, non censentur autem mutare statum quacumque mutatione leui contingente; sed oportet, vt detur notabilis mutatio arbitrio prudentis, alioquin passim dissoluerentur omnes promissiones, omnia vota, & iuramenta, cum leuis rerum mutatio sit frequentissima. 9.

Sanchez. D Thom. Henriq. Gutier.

Vnde, vt optimè animaduertit Sanch *tom.* 2. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 22. non sufficit quæcunque mutatio rei circa quam vouentes, aut iurantes interrogati dicerent ad talem rem se non esse obligaturos si præcognouissent, & sic rem mutatam vidissent; sed requiritur talis mutatio & non ita notabilis, vt quasi in alio statu rem constituat, & videatur diuersa res ab ea, quæ promissa est. Quare optimè dicit Caietanus 2. 2. *quæst.* 113, *ad finem paulò ante solutionem ad* 1. *obiectionem* & Molina *tom.* 2. *de iust. disp* 272. *columna* 4. & Sanchez allegatus, hanc mutationem prudentis arbitrio æstimandam esse spectatis qualitate, & quantitate mutationis rerum, collatáque hac mutatione cum re promissa. Vnde cautè Nauarrus dixit *in summa Latina cap.* 12. *n.* 11. iurantem se aliquid facturum, nec implentem ratione mutationis superuenientis, qua præuisa, non se obligasset, peccare aliquando mortaliter, aliquando culpæ immunem esse, vt significaret, non peccare, quando mutatio est notabilis modo explicato, secus quando non est notabilis. 10. Sanch. Caiet. Molin. Sanchez. Nauar.

Sequitur,

11. Sequitur, vt ad fundamenta primæ regulæ, & opinionis num. 6. expositæ respondeamus. Ad primum respondeo, vérum esse liberalem promissionem etiam voto, aut iuramento confirmatam non esse extendendam vltra promittentis intentionem, non tamen quamcumq; difficultatem superuenientem non præuisam, nec cogitatam, esse impedimento voluntatis vouentis, aut promittentis, vel iurantis, quasi si præuidisset, non iurasset; sed id esse intelligendum de impedimento respectu materiæ voti, vel iuramenti, vt sensus sit, omnem mutationem materiæ, quæ ante votum, vel iuramentum redidisset materiam promissam inhabilem ad producendam obligationem; sic etiam si post votum, & iuramentum contingit, ad illius impletionem non obligare, sicut non valeret iuramentum quando materia esset ab initio mala, impossibilis, indifferens, aut maioris boni impeditiua. Ad secundum fundamentum respondeo, leges non obligare ad euentus non comprehensos; sic etiam vota, & iuramenta non obligare ad euentus non comprehensos, quales sunt soli illi qui contingunt ex notabili mutatione ex parte rei promissæ, aut iuratæ, non verò ex parte intellectus, aut voluntatis vouentis, aut iurantis modo explicato.

12. Vnde ex quarta conclusione sequitur primò, eum qui adolescentiæ tempore iuramento, aut voto promisit religionis ingressum, nunc autem ita est senex, vt vires non habeat sufficientes ad subeunda religionis onera, esse à voti, & iuramenti obligatione liberum; quia datur notabilis mutatio rei promissæ respectu illius; sic etiam, si postquam quis ire Hierosolymam, aut Religionem ingredi vouit, accedat perpetuum impedimentum morbi, aut debilitatis, is excusatur à voti obligatione, & impletione, quamuis sua culpa votum tempore iuuentutis cum potuit, ac bene valeret, non impleuerit; quia hæc culpa nihil confert ad hanc obligationem, cum moralis impossibilitas exequendi nunc adsit ratione prædictæ mutationis, nec tenetur votum commutare, sed de prætenta negligentia dolere; nec etiam ob eandem rationem tenetur religionem ingredi etiamsi Monachi eum admittere velint. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 2. num. 30. & n 27.* & ita etiam relato Victoria tenet Ludou. Lopez *1. part instr. cap. 44. col. 1. versic. Sed de illo*, & satis fauet Sotus *lib. 1. de iust. quæst. 7. art. 3. col. 6. versu, At si percontert.* Sanchez. Victor. Lud. Lop. Sotus.

13. Sequitur secundò, non obligare promissionem homini factam, quando ea superuenit mutatio, vt res promissa noceat magis promittenti, quàm sit vtilis ei, cui promittitur, vt si aduocatus suum patrocinium in aliqua causa sub iuramento promitteret, & superueniat morbus proprij filij, cui necessariò debeat opem ferre, nec subueniendo potest promissionem seruare, non tenetur ad illam; quia hæc difficultas superueniens censetur magni momenti in ordine ad promissionem illam. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 113 *ad finem paulo ante solutionem ad* 1. Nauarrus *in summa Hispana cap.* 18. *num.* 4. quod est verum, etiam si ea promissio sit iuramento confirmata, vt docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 2. num.* 31. Imò, vt ipse Sanchez ibi *num.* 19. animaduertit, & priùs animaduerterat Molina *tom. 2. de iust. disput.* 272. *columna 5. notabili* 3. omnem rerum mutationem à promissione deobligantem, deobligare quoque ab illa, etiamsi iuramento confirmetur; quia iuramentum promissioni additum recipit omnes Caiet. Nauar. Sanch. Molin.

illius conditiones, vt etiam probat idem Sanchez cum multis *dict. tom. 1. Decalogi, lib. 5. cap. 17. num.* 13. Sanch.

14. Sequitur tertiò, ratione ingratitudinis superuenientis deobligare promissionem homini factam etiam iuratam. Ratio est, quia etiam donatio iam perfecta ratione illius reuocari potest, *l. finali C. de reuocand. donat.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. ad 1. versu, Respondetur quod non accipit*, Mercado *lib. 6. de contract. cap. 16.* Franciscus Garcia *de contractibus 1. part cap. 3.* Arag. 2. 2. *quæst. 88. art. 3. fol. 991.* Molina *tom. 2. de iust. disput. 27. a. ad finem.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 2. num. 32.* Et ratio est, quia ea conditio est intrinseca liberali promissioni, semper enim intelligitur donatio & liberalis promissio facta rebus sic stantibus, & dummodo per ingratitudinem indignum te non præbeas. Sotus. Mercado. Garc. Arag. Molin. Sanch.

15. Sequitur quartò, quòd si eo affectu quispiam esset tempore, quo iuramentum, promissionem, aut votum fecit, vt nulla futura rerum mutatione præuisa retraheretur à vouendo, vel iurando, vel promittendo, teneatur, quacumque mutatione etiam notabili secuta, dummodo possibilis maneat res promissa, & legitima voti, aut iuramenti materia. Ita Sanchez modò allegatus *n.* 33. Et ratio est, quia dolus, & error in ea circunstantia non dederunt causam voto, iuramento, aut promissioni, & in virtute illius affectus, & actus promittendi, censetur non exclusus hic casus, imò censetur virtute volitus, & inclusus; adest enim tunc interpretatiua voluntas, vt ait Vasq. id ipsum tenens 1. 2. *quæst. 7. artic. 5. disp. 30. cap. 4. num.* 29. In dubio tamen, an ita affectus esset necne, non est præsumendum velle quemquam se obligare hac notabili rerum mutatione secuta, iuxta eundem Sanchez *dict. tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 2. num.* 33. Sanch. Vasq. Sanch.

16. Quando autem promissio esset homini facta eodem affectu, necesse est, vt reuocari non possit, quòd talis affectus sit promissario intimatus verbis, aut signis, & vt sic promissio acceptata ab illo sit; si enim talis affectus illi non fuerit intimatus adhuc quacumque graui mutatione ex parte rei promissæ contingentis, talis promissio reuocari poterit. Ratio est, quia promissio illa absolutè facta, potest superuenientibus prædictis notabilibus mutationibus reuocari; ergo vt non possit, opus est, vt affectus ille sit promissario intimatus, & sub illa conditione acceptatus. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 2. num.* 33. Sanch.

17. In dubio tamen, an mutatio sit notabilis, & tanta, quæ deobliget à voto, iuramento, aut promissione, vel non sit, iudicandum est in fauorem voti, iuramenti, & promissionis, vt scilicet obligent. Et ratio est primò, quia cum constet de voti, & iuramenti, & promissionis emissæ valore, & solùm dubitetur, an ita materia promissa mutata sit, vt maneat apta materia voti, & promissionis; clarum est, tunc totum dubium interpretandum esse in Dei fauorem, cum tunc tantùm dubitetur an Deus acceptet, vel non acceptet materiam sic mutatam; Deus autem semper magis eligit, vt non omittatur res promissa absque dispensatione dubij, quia hoc magis cedit in illius honorem, tamquam tutius, & melius. Secundò, quia quando de præcepto constat, & est dubium, an adsit legitima causa excusans, obligat præceptum, quia in eo dubio possidet, vt probat Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 1. cap. 10.* Sanch.

cap. 10. num. 19. Cum ergo obligatio voti, iuramenti, & promissionis in hoc casu certa sit & dubia excusatio ob mutationem materiæ ex apta in ineptam, vel ex non notabiliter difficili in notabiliter difficilem; necessariò dicendum est in dubio huius mutationis obligare vinculum illud voti, vel iuramenti, promissionisve humanæ. Excipe tamen dummodo dubium non accidat circa bonitatem, aut malitiam materiæ; nam si dubium sit an in eo euentu materia sit bona, vel mala, vel an notabiliter noceat, vel non noceat corporis saluti; tunc quidem in hoc dubio si præmissa sufficienti diligentia vinci non potest, non obligaret votum, promissio, aut iuramentum, quia stante hoc dubio est peccatum sic operari. Ita Sanchez *dict. tom. 1. Decalogi lib. 4 cap. 2. num. 34.* Vbi etiam asserit, & bene, quando sunt duæ opiniones, integrum esse vtri earum, etiam minus probabili, adhærere, quod bene probat *num. 52.* Sanch.

18. Statuo quintò. Iuramentum interdum ab Episcopo, vel Ordinario postulatum, dum aliquem ad beneficium promouet, non resignandi illud in fauorem alterius, aut non commutandi absque ipsius Episcopi consensu, non impedit quin iuratus volens Religionem ingredi possit illud in amici gratiam resignare; quia id iuramentum tantùm postulatur, ne beneficium accipiens illud statim resignet, & ne apud Pontificem in fauorem alterius certa sibi reseruata pensione deponat. Ita docet Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 5. quæst. vltima fine.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 7. num. 11.* additque tamen hodie exigere Ordinarios huiusmodi iuramentum; sed tantummodo recipientem beneficium iurare, se in animo habere debitum Episcopo officium præstare, & Ecclesiæ inseruire. Azor. Sanch.

19. Dubitabis primò, an ille qui iurauit se vnum calicem v.g. alicui Ecclesiæ daturum, vel equum, vel bouem, vel quid simile hospitali, vel sodalitio, teneatur ad iuramentum (idem de voto, quia iuramentum in eo casu factum, nihil est quàm votum) si omnes sui boues, vel equi, vel calices perierint, & sic de cæteris. Respondeo si cum iuramentum emisit, intentio illius fuit, donare ex his, quos habebat, & non ex aliis, non teneri; quia votum, & iuramentum non extenditur vltra intentionem iurantis, aut voventis. Similiter si promisisti te daturum pauperibus certum quid ex fructibus certæ, & designatæ proprietatis, & postea illa alluuione fluuij, & casu aliquo deperiit, non teneris amplius ad talem promissionem; si verò promisisti absolutè non limitando tuam intentionem ad certam aliquam proprietatem, vel ad equos, boues, & calices, quos habebas, & nihil de illis cogitando, teneris ad votum, & iuramentum. Et ratio est, quia promissio fuit absoluta; ergo absolutè obligat, ac proinde teneris alium equum emere, bouem, vel calicem, aut pretium dare, vt te à iuramento, & voto exoluas; sicut, qui vouet absolutè Religionem, & in vno monasterio non admittitur, tenetur aliud adire. Ita docet Caietanus *in summa, verbo, votum 4.* Syluester *verbo Religio 2. quæst. 16.* Azor. *tom. 1. Inst. moral. lib. 12. cap. 10. quæst. 2.* Caiet. Syluest. Azor.

20. Obiicies, si talem euentum cogitassem, nunquam promisissem, nec iurassem; & votum, & iuramentum sunt stricti iuris, & semper debent interpretari in fauorem libertatis promittentium, magis vt non obligent, quàm, vt obligent. Respondeo id verum esse in dubiis, & quando non constat de intentione iurantis, & voventis; hic autem constat, quia illa voluntas fuit absoluta; nec refert quod si cogitasses, non vouisses, nec iuramento promisisses, nam, vt suprà diximus, & benè notat Caietanus *in summa, verbo, votum,* falsissima est hæc imaginatio, & destructiua omnium humanorum contractuum, & nihil certum, in rebus, & conuentionibus humanis inueniretur, si hæc imaginatio esset vera, *si cogitassem, non fecissem*; alioqui omnes coniugati, & multi Religiosi non obligarentur ad religionem, & coniugium; quia si quæ postea difficultates, & euentus occurrunt, cogitassent, non contraxissent. Præterea votum, & iuramentum non obligant ex iis, quæ in tali, vel tali difficultate, & circunstantia vouisses, & iurasses, vel non vouisses; sed ex his quæ iam vouisti, & iurasti. Caiet.

Obiicies secundò. Nullum est legatum si testamento animal generaliter legatur *l. legato generaliter, ff. de legatis 1.* Item nulla est promissio si promitto tibi triticum absolutè, cum nullum certum tritici genus, nec certa quantitas promittatur, *l. Triticum. & l. Qui insulam ff. de verborum oblig.* nam incertitudo rei vel quantitatis obligationem ita vitiat, vt irritam reddat; ergo etiam, cum huiusmodi promittens, aut vouens nullum certum equum, calicem, aut animal suo voto, & iuramento promittat, votum, & iuramentum erit irritum. Respondeo esse diuersam rationem in legatis, & promissionibus, atque in iuramentis, & votis; nam vsus iam, & æquitas canonica in fauorem diuini cultus interpretatur quantitatem illam voto, aut iuramento promissam arbitrio prudentis definiendam, quando vouens, aut iurans nullam certam promisit; sic si quis promisit dotem absolutè loquendo nihil definiendo circa quantitatem illius in fauorem dotis, valet promissio, & quantitas definitur arbitrio prudentis, habita ratione dignitatis personæ cui promittitur, & facultatum promittentis. Ita etiam in votis, & iuramentis licet aliquid generaliter promittatur; æquitas humana debet interpretari quantitatem rei promissæ; nam vbi constat de substantia obligationis voti, aut iuramenti, incertitudo quantitatis non vitiat, nec irritat obligationem illorum. Nec obstat, quòd promissio iurata facta sit homini, quia tunc ob reuerentiam diuini Numinis ita debemus iuramentum interpretari Ita docet Abbas *in capite, Veniens, de iureiur.* & Azor. *tom. 1. Institut. moralib. lib. 11. cap. 20. quæst. 2. ad finem.* Vnde si vouisti quotannis te daturum vnam tritici mensuram nihil designando circa maiorem, aut minorem, iure, & tuta conscientia poteris dare quam malueris. Ita Azor citatus, & Hostiensis *in cap. ex parte, de voto,* & Syluester *verbo, votum 2. quæst 15.* 21. Abbas. Azor. Hostiens. Syluest.

Dubitabis secundò, an qui vouit, vel iurauit ieiunare omnibus sextis feriis totius anni, teneatur ieiunare in die natalitij Domini, si forte in sexta feria contingat. Respondeo si id præuisit, & se voluit obligare, non est dubium teneri, argumento capitis, *explicari, de obseruat. ieiunij.* Si verò nihil de hoc cogitauit, aut se voluerit in eo euentu obligare; dico non teneri, non ex eo fundamento quòd si cogitasset, non iurasset, nec vouisset; sed quia quando non constat de expressa intentione promittentis, interpretanda est ea intentio iuxta modum, & consuetudinem Ecclesiæ; consuetudo autem Ecclesiæ, est, vt non ieiunemus 22.

Molin. Azor. Ioan. Andr.

ieiunemus in die natalitij Domini si in sextam feriam incidat. Ita docet Molin. *tom. 2. de iustit. disp. 271.* & Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap 20. quæst 3* & Ioannes Andr. *in cap. vltimo, de obseruatione ieiunij*; sed hi duo vltimi ex diuerso fundamento id docent, ex eo scilicet, quod iam reiecimus, quia verosimiliter credi potest si id eius menti occurrisset, eum diem excepisse: quod perinde est ac dicere, si cogitasset, non vouisset.

Suar.

Suarez tamen *tom. 2. de Religione lib. 4. de iuram. cap. 20. num. 7.* contrariam opinionem sequitur; & asserit teneri; sed nostra bonum fundamentum habet ex Molina, quod etiam deducitur ex ipso Suario; nam ipse *eo tom. 2. de Relig. lib. 4 c. 7. num 9* asserit quando non constat de expressa intentione vouentis, eius intentionem interpretandam esse iuxta morem ieiunandi Ecclesiæ.

23. Ex hoc fundamento, quòd scilicet votum, & promissio ieiunij semper sit interpretandum iuxta morem Ecclesiæ, quando de expressa intentione vouentis, & promittentis non constat; inferunt, (& bene) Suarez *tom. 2. de Relig lib. 4 de iureiur. cap. 20.* & Azor. *tom. 1. inst. moral lib. 11. cap. 20. quæst. 4.* & Syluester *verbo, Votum 4. quæst. 16.* eum, qui vouit ieiunium in die Sancti Francisci, aut Ignatij, & dies illa incidit in diem Dominicam, de quo euentu nihil cogitauit, teneri ieiunare in Sabbato antecedenti, vt se mori Ecclesiæ accommodet; quia Ecclesia in simili casu in diem Sabbati solet ieiunium mutare. Pari etiam modo si quis vouit, aut iurauit ieiunium in vigilia Sancti Matthiæ Apostoli, & illa in diem Dominicam cadat, transferendum est ieiunium in sabbatum antecedens iuxta morem Ecclesiæ, vt constat ex *cap. 1. de obseruat. ieiunij.* Idem dicendum est de eo qui vouit se vno integro anno quotidie ieiunaturum; is enim si expressè dies dominicos suo voto non comprehendit, non tenetur in illis ieiunare; quia quando ad id se expressè non obligauit, interpretandum est votum factum fuisse iuxta morem; & consuetudinem Ecclesiæ. Ita Azor. allegatus *dicta quæst. 4.*

Suarez. Azor. Syluest.

CAPVT XX.

An in promissionibus iuratis possimus vti compensatione? An valeat iuramentum contra simplicem promissionem? An secundum contra primum? An contra præceptum superioris? & an acta contra primum iuramentum teneant?

SVMMARIVM.

Non satisfit iuramento promissorio homini facto in aliqua certa, & indiuidua re reddendo aliam pretio æquiualentem sine consensu partis, imò nec reddendo meliorem. num. 1.

Nisi qui iurauit, habuerit intentionem reseruandi sibi compensationem. num. 2.

Hanc reseruationem non poterit quis facere si res certa, & indiuidua sit aliunde ex alio titulo debita ei, cui sub iuramento promissa fuit. n. 3.

Qui iurat simpliciter promittendo pecuniam alicui v. g. decem aureos, nihil de compensatione cogitans, potest vti compensatione, modò compensatio fiat in eadem re specie saltem moraliter cum re promissa. num. 4. *Quæ sint res eiusdem speciei, & æstimationis moralis.* ibid.

Modò rationabilis causa detur ad vtendum tali compensatione. num. 5.

Vt hæc compensatio fiat, opus est vt debitum sit liquidum, de liquido enim ad non liquidum non fit compensatio. num. 6.

Talis compensatio non habet locum quando ego sum obligatus ad soluendum certo die, & alter non est mihi obligatus ad istum diem; sed ad alium. num. 7.

An hoc procedat etiam in foro soli. num. 8.

An qui promisit alteri se ei daturum 100. aureos, aut choros tritici, possit vti compensatione, si alter tantundem ei debeat. num 9. & 10.

An facta commutatione, & compensatione promissionis de consensu creditoris, maneat promittens obligatus ex vi iuramenti promissorij ad faciendam compensationem in die assignato, an solum ex noua promissione. num. 11.

An iuramentum promissorium valeat contra primam promissionem. num. 12.

An secundum iuramentum valeat contra primum. num. 13.

Quid si quis iuret sponsalia cum vna, & postea cum alia, & istam secundam defloret, vel infamet. num. 14.

Quid si coram testibus pollicitus sit vni, & alteri priori occultè, quænam tunc promissio valeat. num. 15.

Quid si priora sponsalia iurata dissoluantur, an tunc teneatur quis ad secunda sponsalia secundo loco iurata. num. 16.

An iuramentum valeat contra præceptum superioris. num. 17.

An actus contra iuramentum gestus valeat. n. 18. & 19.

Quid si quis iuret alicui non initurum matrimonium, non reuocaturum procuratorem, & postea ineat, aut reuocet, an factum teneat. num. 20.

Quid si primus actus valorem de iure accipit ex aliquo iuramento, an tunc actus secundus contra istum primum factum teneat. num. 21. & 22.

COMPENSATIO, seu commutatio, est, quando vnum pro alio pretio æquiualens, aut excedens datur. Statuo igitur primò. Non satisfit iuramento promissorio homini liberaliter etiam facto in aliqua certa specie. v. c. in hoc equo, in hac actione post acceptationem illius reddendo æquiualens, vel interesse; vnde non potest aliquis sua propria voluntate commutare rem singularem, quam dare iurauit, in aliam æquiualentem, imò nec in meliorem sine consensu eius, cui dare iurauit. Idem dicendum est de promissione simplici homini sine iuramento facta, & ab illo acceptata; de consensu autem illius non solum potest in æquiualens, sed etiam in minus commutare; sicut enim poterat totum remittere, ita & partem. Est communis sententia Panormitani, & Canonistarum *in cap. Ad audientiam. 1. & in cap. Peruenit, & in cap. Quando, de iureiurando; & in cap. Cum inter, de renunciatione,* quam sequitur Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento promissorio cap. 36. num. 3. & 4.* & Syluester *verbo, Iuramentum 4. quæst. 20. & 21. & verbo, Iuramentum 5. quæst. 6.* Angelus *ibi quæst. 33. & 34.* Ant. Corsetus *tract. de iuramento num. 39. & 40.* Marcus Anton. Bauer. *in simili tractatu num. 13. & 57.* Probatur autem primò, ex dicto cap. *Ad audientiam,* 1.

Panorm. Suarez. Syluest. Angel. Ant. Corset. Marc. Ant.

tiam, & ex §.1. inſtit. quibus modis tollatur obligatio, vbi ſic dicitur. *Obligatio tollitur, vel ſolutio eo, quod debetur, vel dando aliud pro alio conſentiente creditore.* Et ratio eſt. Primò, quia iuramentum ſequitur naturam eius promiſſionis, cui adiungitur; ſed promiſſio, vel contractus implenda ſunt in ſpecie promiſſa, nec ſufficit dare æquiualens, vt patet ex dicto §.1. *inſt. quibus modis tollatur obligatio*, ergo &c. Secundò, quia nemo poteſt cogi ad commutandam rem ſuam, & conſequenter nec rem ſibi debitam, nec ius quod ad illam habet; per promiſſionem autem acceptatam, comparat quis ius in rem ſibi promiſſam. Tertiò, quia eſt ſpecialis ratio in iuramento, quia ex vi iuramenti tenemur facere verum id quod iuramus; ſed qui iurauit. v.c. laborare in vinea alicuius, non facit verum id quod dixit, etiamſi intereſſe ſoluat, vel alium pro ſe mittat. Igitur niſi de conſenſu creditoris id faciat, non ſatisfacit iuramento, eo vel maximè, quia in iuramento illo includitur intrinſecè hæc conditio, *niſi alter cui iuratur remiſerit*; ergo ſi commutatio, illo inuito, vel non conſentiente fiat, fit directè contra conditionem in iuramento incluſam; ergo non licet talis commutatio creditore inuito.

2. Limitandum tamen hoc eſſe videtur, niſi qui promiſit, aut iurauit, quando promiſit, vel iurauit, habuerit intentionem reſeruandi ſibi poteſtatem vtendi compenſatione, etiamſi verbis nihil præter formalem tantum promiſſionem expreſſerit, quia iuramentum non obligat vltra intentionem iurantis. Colligitur hæc limitatio ex
Suarez. Suarez *tom.2. de Relig. lib.2. de iuramento promiſſ. cap 3. num.10.*

3. Imò ſublimitatur adhuc hæc limitatio, niſi res in ſpecie, & indiuiduo promiſſa ſit aliunde ex alio titulo iuſtitiæ, vel fidelitatis debita; quia tunc non poterit quis reſeruare ſibi poteſtatem vtendi compenſatione, vt patet in eo qui furto abſtulit equum, vel certos nummos aureos, & promiſit domino, à quo id furto abſtulit, ſub iuramento, ſe in propria ſpecie reſtituere; is enim in ea promiſſione non poterit reſeruare ſibi mente, & intentione poteſtatem vtẽdi compenſatione, & dandi aliud æquale; cum ex alio titulo ad eam reſtitutionem faciendam in re propria, & extante teneatur, vt patet.

4. Illud tamen animaduertendum eſt, eum qui iurat ſimpliciter promittendo pecuniam dumtaxat. v.c. decem aureos nihil de cõpenſatione cogitans, poſſe tuta conſcientia iuramentum ſoluere recompenſationem faciendo, modò ea recompenſatio fiat in eadem ſpecie ſaltem morali cum re promiſſa, & rationabilis cauſa intercedat, & debitum liquidum ſit. Ita Suarez citatus *num.* 11.
Suar. Molin. Medin. Molina *tom.2 de iuſt. diſp.* 560. & Medina *C. de reſt. quæſt. 3. cauſa* 12. Probatur, quia verba iuramenti interpretanda ſunt in ſenſu proprio, & commodo; itavt reſtringatur potius quàm extendatur obligatio iuramenti; ſed in præſenti caſu hæc verba, *dabo tibi decem aureos*, habent hunc legitimum, & commodum ſenſum, vſoi, & hominum moribus accommodatum: *Gratioſè tibi confeſſum, & promitto decem aureos ſiue valorem illorum in re æquiualente.* Et ſimiliter ſi cum recipio mutuatam pecuniam iuro ſoluere; rectè nomine ſolutionis intelligitur quælibet ſatisfactio ſufficiens, vt tollatur debitum. Imò ibi in eo ſolutionis iuramento ſubintelligitur hæc tacita conditio: *Soluam tibi hanc pecuniam, niſi alio modo pro illa tibi æquiualenter ſatisfacero.* Sicut ſubintelligitur illa, *niſi tu remiſeris.* Tres conditiones appoſui ad hanc ſatisfactionem. Prima eſt, vt hæc compenſatio, & ſatisfactio locum habeat, requiri, vt res in quibus compenſatio, & ſatisfactio fit, ſint eiuſdem ſpeciei vel ſimpliciter, vel ſecundùm moralem æſtimationem. *Simpliciter*, vt ſi Petro promiſi pecuniam, & ille mihi debet pecuniam: rectè enim tunc facere poſſum compenſationem. *Moraliter* verò, vt ſi promiſi tibi decem aureos, & tu mihi debes triticum, oleum, vinum, pannum eiuſdem valoris; rectè etiam tunc compenſatio, & ſatisfactio in his rebus locum habet; & generaliter loquendo rectè locum habet prædicta compenſatio in iis rebus, quæ inter ſe recipiunt functionem; id eſt, quarum vna poteſt fungi vice alterius, quales cenſentur omnes quæ in numero, pondere, & menſura conſiſtunt, vt docet Panormit. *in cap. vltimo de depoſito n.* 12. In his ergo rebus poteſt fieri compenſatio; quia moraliter loquendo fit tunc ea compenſatio in rebus eiuſdem ſpeciei cum re debita & promiſſa; non verò in rebus, quæ moraliter loquendo ſunt diuerſarum rationum, & ſpecierum, & inter ſe non recipiunt functionem in genere ſuo; id eſt, quia moraliter loquendo non æquè æſtimatur vna, atque alia, vt ſi promiſi equum, & tu mihi pecuniam debes, non poſſum facere compenſationem in eadem pecunia, nec vtendo compenſatione impleo iuramentum, & promiſſionem; ſed teneor ex vi promiſſionis, & iuramenti dare equum, quia equus natura ſua non eſt eiuſdem ſpeciei cum pecunia, nec moraliter loquendo functionem illius accipit. Quod probatur, quia ſi ille cui ego promiſi equum, non mihi deberet pecuniam, non poſſet à me cogi ad accipiendam pecuniam loco equi; ergo nec poteſt cogi ad accipiendam per compenſationem promiſſionis equi, quem ego illi promiſi, pecuniam, quam mihi debet. Cum ſit eadem ratio.

Secunda conditio eſt, modò rationabilis cauſa intercedat ad vtendum ea compenſatione; nam ad faciendam eam compenſationem auctoritate propria, neceſſaria eſt cauſa rationabilis, qualis eſſet ſi non haberem pecuniam, quam promiſi; habeo tamen triticum, aut vinum. Item quando ſoluendo Petro pecuniam, vel rem à me illi ſub iuramento promiſſam, timeo rationabiliter, me ab illo non poſſe recuperare triticum. v.c quod ipſe mihi debet, vel rem eandem functionem recipientem; & ita docet expreſsè Suarez dicto tom. 2 *de Religione lib. 2. de iuramento promiſſorio cap.17. num* 13. 5. Suar.

Tertia conditio eſt, vt debitum cum quo fit compenſatio, ſit liquidum; nam ſi liquidò non conſtet illum mihi tantundem debere, non poſſum ego facere cum illo compenſationem de debito liquido, & certo, quod ego per promiſſionem, & iuramentum illi debeo; de liquido enim, & certo, non poteſt fieri compenſatio ad non liquidum & incertum, vt omnes Iuriſtæ fatentur, & eſt expreſſum *in l. vltima. C. de compenſat.* 6.

Vnde etiamſi iuramentum, & promiſſio à me facta Petro ſit de ſoluendo intra certum, ac præſcriptum terminum, & Petrus non ſit arctatus ad mihi ſoluendum meum debitum intra illum ipſum terminum, tunc non datur locus compenſationi, nec poſſum ego vti compenſatione propria auctoritate in conſcientia, ſine illius conſenſu; quia iuramenti, & promiſſionis ſolutio 7.

non

non potest protendi vltra præfixum terminum; nec alter cogi potest ad anticipandam sui debiti Suarez. solutionem. Ita docet expressè Suarez *dict. tom. 2. de Relig. lib. 2. de iuramento promissorio cap. 37. num. 14.* & facit lex, *Quod in. ff. de compensat.* ibi. *Quod in diem debetur, non compensabitur antequam dies veniat; quamquam dari oporteat*; intellige, absolutè dari oporteat.

8. Et quamuis hæc procedant in foro conscientiæ: tamen Suarez allegatus *num. 17.* asserit etiam in foro exteriori posse admitti compensationem pro solutione debiti etiam promissione iurata, vbi manifestè constiterit non fuisse eam compensationem per talem promissionem, & iuramentum exclusam.

9. Ex dictis respondetur ad eam quæstionem: An si quis iuret alteri se ei daturum decem aureos, aut viginti choros tritici iisdem decem aureis valentes, liceat illi non soluere eo quòd alter sibi tantundem liquidò debeat; & an licita tunc sit ea compensatio propria auctoritate facta, sine consensu creditoris, seu promissarij. Quidam enim negant, quia ea compensatio non est vera solutio; sed tantùm ficta, *l. si cum filio, ff. de compensat.* Item quia *capite, Ad nostram primùm de iureiur.* deciditur illum, qui iurauit restituere mutuum acceptum sub pignoribus, non posse obiicere compensationem fructuum à mutuante ex pignoribus perceptorum; & ita docent Ioannes Andr. Imola, Antonius, Aretinus, Zasius, & Gutier. Medina. Angles. alij, quos refert, & sequitur Gutierrez *de iuram. 3. part. cap. 6. num. 7.* Medina *cap. de restit. quæst. 3. causa 12.* Angles *in floribus 2. part. tract. de restit. quæst. Qui tenetur restituere, art. 2. dub. 17. difficultate 20. concl. 3.* & hanc partem dicit tutiorem Greg. Lop. Gregorius Lopez *l. 20. initio, tit. 14. part. 5.*

10. At iuxta principia iacta multo verius est, integrum, & licitum huic esse ea compensatione vti, quia talis compensatio censetur quædam vera, & non ficta solutio, *l. 4. §. soluisse ff. de re iudicata*; & quamuis sit ficta solutio, liberat ære alieno soluendo; estque vera satisfactio. Nec obstat dictum *caput, Ad nostram*, quia vt ait Couarr. statim citandus, fructum ex pignore perceptum, & debitum, cum quo promittens volebat compensare, non erat quid liquidum, & ex non liquido ad liquidum non fit compensatio. Vel, vt aiunt Syluester & Azor, iurauerat ille, & promiserat se soluturum obligando se expressè ad non vtendum compensatione, & ita docent Bar-Cou. Sylvest. Navarra. thol. Baldus, Cumanus, Faber, Angelus, Abbas, Alexander, & alij, quos refert Couar. *de pactis 1. part. §. 4. num. 4.* Syluester *verbo, iuramentum 3. quæst. 6. & verbo, Iuram. 4 quæst. 27.* Nauarra *lib. 3. de restit. cap. 1. in noua edit. part. 4. dub. 9. n. 341.* Sà. Azor. Rodrig. Sanch. Sà *in sum verb. iuram num. 20.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 8. q. 10* Rodrig. *tom. 1. sum. in 2 edit. cap. 192. num. 4 fine.* Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 17. num. 15. & 16.*

11. Dubitabis tamen Primò, an facta commutatione, seu compensatione, non auctoritate propria, sed de consensu illius cui promissio, & iuramentum fit, maneat promittens obligatus ad soluẽdam hanc commutationem in virtute iuramenti, & promissionis præcedentis, ita vt sit periurus, si illam non soluerit; sicut reus periurij futurus erat, si promissarium re promissa, & iurata defraudaret, v. c. iurauit quis sponsalia alicui fœminæ, & de consensu illius conuenit cum illa, vt sit contenta dote, ad quam dotem soluendam manet obligatus, & liber ab obligatione sponsalium. Quæritur, an sicut vir antea tenebatur ad sponsalia ex vi iuramenti, ita teneatur modò ex eodem iuramento soluere dotem; an solùm ex obligatione iustitiæ ortæ ex pacto in quo conuenerunt ambo. Respondeo teneri ex iuramento ad soluendam dotem, sicut antea tenebatur ad sponsalia, ita Suarez *dict. tom. 1. de Religi. lib. 2. de iuramento promissorio cap 36. num. 6.* Suarez. Imò addit Suarez (& bene) *num. 8.* quoties iuramentum, & votum commutantur in aliam rem siue ex consensu partium, siue ex auctoritate superioris, id in quod fit commutatio, cadit sub eadem obligatione iuramenti, vel voti. Fundamentum est, quia aliàs non esset commutatio voti, aut iuramenti, sed extinctio prioris voti, & iuramenti, & noua pactio simplex, atque promissio. Deinde, quia hæc est mens contrahentium; fœmina enim, quæ consentit in mutatione sponsalium in dotem, non intendit condonare, & remittere obligationem, & vinculum iuramenti; sed circa aliam materiam murare; nam si de sua intentione rogaretur, hoc profectò responderet. Idem dicendum est, quando votum, aut iuramentum commutatur à superiore, non enim intendit superior auferre vinculum; sed mutare materiam, manente eodem vinculo, & eadem obligatione. Idem dicendum de eo, qui iurauit soluere debitum intra certum terminum, si postea ei creditor proroget terminum per mensem, vel annum, vt dicemus latè infra *cap. 21. num 4. & 5.*

Alterum dubium contentum in titulo, est, an iuramentum promissorium valeat contra simplicem, & nudam promissionem priùs de eadem re alteri facta, v. e. Petrus promisit simpliciter certæ puellæ nuptias futuras sine iuramento, & illa acceptauit, & similiter promisit; Deinde idem Petrus promittit nuptias quoque futuras sub iuramento alteri puellæ. Item promisit quis tibi venditurum suum equum, & fundum alteri sub iuramento se venditurum promisit. Quæritur, quænam harum promissionum valeat, prima ne simpliciter facta, an secunda iuramento firmata? Respondeo valere primam, non secundam Ita Azor. Sanch. Cou. Azor *tom. 1. lib. 11. Inst. moral. cap. 6. quæst. 1. & 2.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 17. num. 18. & lib. 1. de matrim. disp 5. num. 2.* Couarruuias *in 4. decretal. 1. part. cap. 4. num. 3* Ratio est, quia iuramentum eo ipso quod est contra promissionem acceptatam, est contra fidem in ea datam, ac proinde est contra bonos mores, & in alterius præiudicium tendit, cui ius per priorem promissionem acquisitum erat. 12.

Idem dicendum est ob eandem rationem de secundo iuramento; non enim valet contra primum. Vnde si quis iuret sponsalia cum vna, & postea iuret cum alia, posteriora sponsalia nullius sunt momenti contra priora non solùm iurata, sed etiam absque iuramento facta, quia sunt in præiudicium tertij, cui ius per priorem promissionem fuit acquisitum. Ita Sanchez, Azor, & Couarruuias allegati, & patet *ex capite, Intellecto de iureiurand.* Vbi habetur Regem Vngariæ in sua electione iurasse, se Regni sui bona non alienaturum, & postea quædam bona ad coronam pertinentia alienasse; & similiter iurasse nunquam se contra eam alienationem venturum. Consultus Summus Pontifex decidit in eo capite iuramentum secundum factum contra primum, irritum fuisse, nulliusque momenti. Et *in capite, Licet, eodem titulo*, apponit Glossa communiter 13.

recepta

recepta huoc casum. Mulier iurauit se non alienaturam res dotales, &c, si illas alienauerit, reuocaturam alienationem; postea verò eum effectu alienauit sine iudicis authoritate,& confirmauit eam alienationem iuramento mando se illam non reuocaturam, valet prius iuramentum,& secundum fuit irritum, quia non potest impleri sine peccato, violatur enim primum iuramentum.

14. Similiter si aliquis iuret sponsalia cum vna, & postea iuret cum alia; & istam secundam defloret, aut iungatur, tenetur ducere primam, non secundam defloratam, aut infamatam. Ita Sanchez *lib. 1. de matrim. disp 49 num* 5. Sotus *in 4 dist. 27. quæst 2. art. 4 dub* 3 Henriquez *lib* 11. *de matr. cap.* 13. *num.* 3. Rodriguez *tom.* 1. *summa in 2 edit. cap* 245. *num.* 8. qui munus illata posteriori, non aufert ius suum priori; sed hoc est contra Maiorem *in 4 dist. 27. quæst.* 5. vbi ait, si posterior esset virgo inscia que priorum sponsalium, & deflorata esset, sub spe matrimonij promissi, teneri ex iustitia defloratorem eam ducere, & non primam & cum Maiore videtur consentire Palatios *in 4 dist. 28. disp* 1. *folio* 628 *column.* 1. vbi dicit forum in conscientia hoc esse verum. At dicendum est ex iustitia teneri ducere primam. Ex qua dam æquitate tamen naturali aliquando seruari poterit opinio Maioris, vt quando defloratæ graue damnum pateretur, magnamque honoris iacturam; prior verò leuiter læderetur, nam tenetur ex charitate modicum illud damnum pati ad vitandum proximi grauissimum. Ita Sanchez allegatus *num* 6 Ludou Lopez 2. *part. Instr. de matr. cap.* 38. *folio mihi* 1046 & Henriq. *lib* 11. *de matr. cap.* 13. *num.* 3. vbi ait posse in hoc casu indicem mandare, vt secundam ducat.

Sanch. Sotus Henriq. Rodrig.

Maior. Palat.

Sanch. Lud. Lop. Henriq.

15. Similiter si coram testibus polliceitus est posteriori, priori verò occultè, valet prima promissio, non secunda, quia posterior facta fuit in præiudicium tertij, scilicet in præiudicium iuris acquisiti per primam promissionem à primo; si tamen ipse probabiliter timeat quòd censuris cogatur ducere posteriorem, vel aliud notabile damnum, poterit eam ducere, quia prior ratione tibiter hoc velle debet. Ita Sanchez allegatus *num.* 6 & Lud. Lopez item allegatus.

16. Si priora sponsalia iurata, vel non iurata dissoluantur, & effectum non habeant, dubium est, an is qui iurauit secunda sponsalia, teneatur istam secundam ducere, siue eam infamauerit, aut deflorauerit, siue non. Affirmat Couarruuias *in 4. decretal.* 1. *part. capitulo* 4. §. 1 *num.* 10. Et probat, quia licet hæc sponsalia vt sponsalium non tenuerint, tenuere tamen & valuere vi promissionis. Verius tamen est minimè teneri ex iustitia; quia priora in ratione etiam promissionis non valuerunt, eum de re illicita & alteri debita promissio facta fuerit, ac proinde inualida, & quod ab initio inualidum est, tractu temporis non conualescit, iuxta regulam, *Non firmatur, de regulis iuris in* 6 & regulam, *Quod ab initio, ff. eodem titulo,* & ita docet Sanchez *lib* 1. *de matrim. disp.* 50. *num* 6. Hoc tamen intelligendum est non teneri ex vi promissionis, & sponsalium; aliunde tamen tenebitur secundam ducere ex iustitia ratione damni illati, si illa graue aliquod detrimentum causa illius passa est, vt deflorationis, vel infamationis. Nam qui alteri causa est proxima, & efficax damni illati, tenetur illud restituere, vt patet; non credo tamen teneri eam ducere in eo casu, sed sufficiet dotem constituere; quia cum sponsalia posteriora eum illa facta fuerint nulla, sufficiet si damnum ei datum aliunde restituat. Sed totum hoc negotium locum habet post concilium Tridentinum, nam ante Tridentinum priora sponsalia dissoluebantur per posteriora, secuta copula affectu maritali, vt patet *sessione* 24. *cap.* 1. *de matr.*

Couarr.

Sanch.

17. Tertium dubium in titulo tactum, est, an iuramentum valeat contra præceptum superioris. Cui breuiter respondeo Etsi iuramentum regulariter non obliget contra prius superioris mandatum, atque præceptum; at si aliquando huiusmodi præceptum ad eum euentum non extendatur, tunc obligabit iuramentum. v. c. si Episcopus facultatem beneficiato concedat non residendi causa studij in aliqua vniuersitate, iussitque sit ab Episcopo ad certum diem redire, idque ei beneficiatus promittat, & iuret, non tenetur die promisso, & iusso redire, si dum studuit, debita inibi ad se alendum studij causa contraxit, & creditori iurauit se inde non recessurum, donec ei soluat; imò tenetur iureiurando non recedere donec soluat, quia prius præceptum, & iuramentum minimè ad hunc casum extendebatur, imò ex tacito Episcopi consensu obligatio illa creditori inita fuit. Nam concesso vno, censentur alia concessa sine quibus illud effectum habere nequit, *cap. Præter ea, & capite Prudentiam de officio delegat.* Secus autem esset si absque necessitate, vel causa legitima ea debita contraxisset: & eadem ratio est, si pater filium absentem reuocet, & de quolibet alio alterius potestati subiecto Ita docent Ioannes Andreas, & Abbas, quos referunt, & sequuntur Angelus, *verbo, iuramentum*. 5. *num.* 27. Syluester, *verbo, iuramentum* 4. *q.* 16. Azor. *tom.* 1. *lib* 11. *Instit. moral. cap.* 8 *q.* 3. Sanch. *tom.* 2. *Decalogi lib* 3. *cap.* 17. *num.* 12.

Angel. Syluest. Azor. Sanch.

18. Quartum dubium in titulo positum, est, an actus contra iuramentum gestus valeat. v. c. Promisisti Petro te ei venditurum tuum equum, idque ei iurasti, non tamen tradidisti; postea eum effectu & traditione alteri vendidisti. Item iurasti, te non reuocaturum procuratorem, non initurum matrimonium; postea reuocasti, & matrimonium iniisti. Quæritur, an actus cum effectu gestus contra primum iuramentum valeat. Respondeo, regulariter loquendo, actus factos contra primum iuramentum valere, & non irritati in iure ex vi prioris iuramenti, & si cum peccato fiant, & periurio. Ita communiter Doctores, Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de iuram. promiss. cap.* 19 *num.* 6. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap* 6. *quæst.* 3. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi l b.* 3. *cap.* 17. *num.* 17. Hinc deducitur primò venditioni etiam iuratæ, absque traditione tamen, præualere venditionem eum effectu traditam, alteri factam, & in hunc posteriorem emptorem transferri dominium. Et ratio est, quia cum natura contractus venditionis talis sit, vt ante traditionem dominium in emptorem non transferat, si ante traditionem ea res vendatur, & tradatur alteri, posterior emptor efficietur dominus rei, quia iuramentum sequitur naturam contractus, & illam non mutat. Ita docent Suarez, Azor, & Sanchez allegati, & constat *ex l. Quoties C. de rei vend.* Docent etiam Imola, Iason, & alij, quos refert, ac sequitur Couarr *de pactis* 1. *part.* § 4. *num.* 2. & *in* 4. *decretal.* 1. *part. cap.* 5. *num* 9. & 10.

Suarez. Azor. Sanchez.

Cou.

Addit tamen Couarru. posse secundam venditionem & traditionem eius causa factam esse nullam; si prior cui quis promisit cum iuramento vendere, vel de facto vendidit, non tamen tradidit, 19.

tradidit, admoneret extraiudicialiter venditorem, vt sibi seruaret iuramentum, nec quicquam contra id ageret directè, vel indirectè appellando ad iudicem Ecclesiasticum; tunc enim venditio, vel traditio post hanc appellationem facta esset nulla tanquam quid factum pendenti appellatione. Ita Couarruuias locis numero præcedenti allegatis, cum Iasone, & Eueratdo, quos ibi citat, ac sequitur.

20. Deducitur secundò, si quis iuret alteri non reuocaturum procuratorem, non initurum matrimonium, & postea de facto, & cum effectu reuocet, valere reuocationem non obstanti violatione iuramenti, & periurio. Ratio est, quia iuramentum facit, vt transgressor in periurium incidat, non tamen valorem actus contrarij impedit; sequitur enim naturam actus, & contractus cui accedit, & non mutat illam, vt diximus. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 3. cap. 17. num. 19.* Couarruuias *de pactis 2. part. §. 2. num. 5.* Azor. *tom. 1. lib. 11. inst. moral. cap. 6. quæst. 3.* & Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de iuramento cap. 19. num 6.* Sanch. Couar. Azor. Suarez. Vnde si quis promisit cum iuramento, non donare, & donat, valida est donatio, nisi aliunde iure inualidetur. Item si quis iurauit non vouere inconsulto Petro, & postea illo inconsulto vouet, validum est votum. Item si quis rex legem ferat, & iuret, se nonquam eam reuocaturum, si postea abroget, abrogatio valet. Item si patronus Ecclesiæ Episcopo iuret se certum clericum in ea præsentaturum, & postea alium præsenter, valida est præsentatio. Hæc omnia exempla, & alia similia ponit Suarez citatus *num. 5.* Suar. Iuramentum enim & votum licèt prohibeat actum, non tamen irritat, sicut lex prohibens tantùm non irritat; ergo non obstante iuramento de non faciendo, valet actus contra illud factus, quamuis cum peccato fiat; pender enim ex voluntate operantis, quam potest passim mutare, quamuis cum peccato mutet.

21. Dixi *num. 19. regulariter loquendo actus factos contra primum iuramentum valere*; quia deficit hoc, & non procedit, quando primus actus valorem de iure accepit ex aliquo iuramento, quo fuit confirmatus; tunc enim non valebit secundus actus contra primum factus. Solùm ergo procedit, quando primus actus valorem non accepit ex iuramento, vt patet in his exemplis iam tactis v. c. in reuocatione procuratoris, & contractione matrimonij, quæ de se erant licita, poterantque validè fieri ex sola contrahentium voluntate, nullo desiderato iuramento à quo valorem acciperent, & etiam licitè si iuramento aliquis non promitteret se matrimonium non contracturum, & procuratorem non reuocaturum, & ideo valent, si fiant, licet fiant contra prius iuramentum de non reuocando procuratore, & de non contrahendo matrimonio; quia prius iuramentum solum efficiet, vt illud frangens sit periurus; at nullam vim habet reddendi irritum posteriorem actum, & contractum, vt diximus; at verò quando prior actus, est de iure inualidus, nec pendens ab agentis volontate, & ex solo iuramento confirmatorio, vim & valorem accipit, vt contingit in donationibus inter virum & vxorem, & in contractu minoris absque iudicis, & curatoris, vel tutoris authoritate factus, qui de iure sunt inualidi, & tamen si iuramento confirmentur valent, vt alibi diximus, vt patet *ex lege 1. ff. inter virum & vxorem, & ex Authentica, sacramenta pub. C. si aduersus venditionem.* Et in alienatione rei dotalis, quæ similiter de iure est inualida si fiat à fœmina sine authoritate iudicis, & tamen si iuramento confirmetur, firma, & valida est, *l. Iulianus. ff. de fundo dotali, Authentica siue à me. C. ad Velleianum, cap. Cum contingat de iureiurando,* tunc quidem si postquam hi actus valorem ex iuramento acceperunt, quis iuret se eos non reuocaturus, hic secundus actus iuratus factus contra illud primum iuramentum, non valet, sed irritus omnino est. Et ita docent Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. c. 17. num. 19. ad medium & lib 6. de matrim. disput. 13. num. 5.* Sanch. Couarruuias *de pactis 2. part. §. 2. num. 4.* Couar. Abbas *in cap. Intellecto, num. 8. de iureiurand.* Abbas. Syluester *verbo, Iuramentum 4. quæst. 12.* & alij, Syluest. quos citat Sanchez hoc posteriori loco allegatus; omnes in hune modum conciliantes duas glossas in hoc puncto inter se contrarias. Et ratio est manifesta, quia actus ille gestus contra prius iuramentum est illicitus, & periurus; ergo si fiat, inualidè fiet, nec iuramentum quo confirmatus fuit, ei valorem potest tribuere; quia iam iuramentum esset vinculum iniquitatis, quod dici non potest.

22. Excitat hic Sanch. *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 17. num. 19.* illam quæstionem, an valeat reuocatio testamenti, si quis iuret se illud non reuocaturum, & respondet valere non obstante priori iuramento, de non reuocando. Quæ opinio est probabilis, & eam tenet Azor. *tom. 1. lib. 11. c. 7. quæst. 1. §. Quarta regula*; sed non ex eo principio defendenda est, quia actus gestus contra prius iuramentum est validus, sed ex alio, ex illo nempe, quia prius iuramentum de illo non reuocando fuit nullum; aufert enim libertatem testandi, quæ est de iure gentium; & sic est contra bonos mores iure gentium introductos, vt iam probauimus *cap. 17. num. 40. & cap. 15. num. 24.* Sanch.

Capvt XXI.

An iuramentum præstitum in vno casu ex sola iurantis voluntate extendatur ad alium casum similem? Agitur de eo qui contractum fideiussionis iurat non se obligando, vt principalis. De iuramento non repetendi pecuniam datam latroni, & vsurario, & non petendi relaxationem à superiore. De non accusando peccato alieno, & de iuramentis ad inuicem præstitis.

Svmmarivm.

Iuramentum semel præstitum in vno casu, aut materia, non potest ad alium casum, aut materiam extendi. num. 1. & 2.

Ad incurrendum periurium non satis est relatio iurantis vnius iuramenti in vno casu præstito, ad alium casum; sed satis est, vt de nouo fiat. num. 3.

An pro rogate die solutionis iurata teneatur creditor soluere

soluere in alio die prorogato ex vi iuramenti, an solum ex vi noua pactionis, & promissionis. a 4.

Refertur prima opinio asserens teneri soluere ex vi noua promissionis, & non ex vi iuramenti; ac proinde si non soluat; in die prorogato non esse periurum; sed infidelem. ibid.

Præfertur secunda asserens teneri soluere, ex vi ac religione iuramenti, & fieri periurum si non soluat in die prorogato. num. 5.

Quid si aliqui litem arbitrio alterius certo die definiendam committant, & iurent se staturos sententia tali die ab eo lata, & postea eam diem de communi consensu prorogent; an tunc teneantur ex vi iuramenti stare sententia die prorogato lata, an solum ex vi noui pacti prorogationis. à num. 6 vsque ad 7.

Iuramentum semper interpretandum est, vt non sit in præiudicium & incommodum tertij. num. 8.

Iurans contractum fideiussionis non se obligando instar principalis non potest conueniri ante principalis executionem. num. 9.

Iuramentum præstitum latroni, vel vsurario de non repetenda pecunia illis data obligat. num. 10.

Explicatur D. Thom. num. 11. Potest tamen peti relaxatio iuramenti, & postea repeti. ibid.

Quid si iures latroni metu adactus, & vsurario, te non petiturum relaxationem iuramenti a superiore. num. 12.

An valeat iuramentum de non accusando peccatore, & non denunciando peccato illius. num. 13.

An ad redimendam vitam possit fieri iuramentum promissorium de non denunciando peccato alterius. num. 14.

An filius familias possit denunciare peccatum alienum, & accusare publicum peccatorem absque consensu patris. num. 15.

Quomodo iuramenta adinuicem præstita obligent, aut deobligent. num. 16. & 17. An frangenti fidem, fides frangenda sit. ibid.

1. STATVO primò, pro prima parte tituli. Iuramentum semel iam in vno casu, & materia præstitum non potest extendi ex solo consensu, & voluntate iurantis ad alium casum, & materiam, nisi iterum iuramentum illud de nouo fiat, ac præstetur. Ita communiter Doctores, quos refert & sequitur Couarruuias *de pactis 1. part. initio, num. 5.* Abulensis *cap. 5. in Matthæum quæst. 311.* D. Anton. 2. *part. titul. 10. cap 6. §. 6.* Angelus *verbo, Iuramentum 5. num 35.* Syluester *verbo, Iuramentum 4 quæst. 23.* & ita habetur expresse *in cap. penultimo de iureiur.* vbi deciditur clericum iurantem seruare statuta edita, promittentemque per prius iuramentum se seruaturum in posterum edenda, non teneri ex vi iuramenti; sed solius simplicis promissionis ad seruanda statuta edenda. Et ratio est, quia velle iuramentum suum ad alia extendi, non est velle iurare, nec potest, qui semel iam iurauit, ad alia suum iuramentum extendere, nisi de nouo iurare intendat.

Couar. Abulens. D Anton. Angel. Syluest.

2. Intelligendum tamen hoc est, nisi constaret in foro poli, vel soli hunc intendere per illa verba de nouo iurare, tunc enim tenebitur virtute iuramenti, vt docet Abbas *in cap. Clericus de iureiurand. num. 2.* D. Anton. & Syluester *num præcedenti* allegati, & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 17. num. 21.* & tunc intendet per ea verba de nouo iurare, si dicat, *volo iurare per prius iuramentum*; id est, secundùm formam expressam in priori iuramento.

Abbas. D. Anton. Syluest. Sanch.

Hinc sequitur primò, ad incurrendum periurium, non satis esse relationem ad aliud iuramentum factam ab ipsomet iurante, nisi de nouo iurare intendat. Vnde si quis asserat aliquid per prius iuramentum à se præstitum, etiamsi id quod asserit, sit falsum, non erit periurus, nisi intendat de nouo iurare. Ita Sanchez allegatus *num. 22.* Azor. *lib. 11. inst. moral. cap. 8. quæst. 12.* Abbas, & D. Anton. allegati. 3.

Sanch. Azor.

An verò prorogato die solutionis iuramento firmatæ per creditorem, teneatur debitor, ex vi iuramenti, æs alienum soluere, an solùm ex vi noui pacti prorogationis, est duplex opinio. Prima asserit iuramentum soluendi debitum intra certum diem non extendi ad alium diem à creditore prorogatum, atque adeo teneri debitorem soluere ex vi solius nouæ promissionis, & pacti, non ex vi iuramenti, nec periurum esse, si die in prorogatione destinato non soluat. Hanc opinionem tenent Cardinalis *in cap. Clericus, de iureiurando*, Cora. Baldus, Decius, Iason, & alij, quos refert, sed non sequitur Couarruuias *de pactis 1. part. initio à num. 6.* Fundamentum illorum est. Primò, quia per nouam prorogationem extinctum fuit pactum iuratum, & cum illo extincta fuit obligatio iuramenti; & ideo tenetur debitor solum ex vi noui pacti in prorogatione tacitè celebrati debitum soluere, non ex vi prioris iuramenti extincti. Et confirmatur. quia, vt patet, ex capite, *Si clericus, de iureiurando*, iuramentum non extenditur de vna materia, & de vno casu, & pacto ad aliud, sed opus est, vt de nouo fiat, vt ibidem definitur. Secundò, quia excommunicatio lata in debitorem, si certa die non soluerit, prorogata ea die per creditorem, cessat omnino, extinguitur, & non ligat, si in die prorogata debitum non soluatur, quia extincta omnino fuit per nouum pactum prorogationis, ergo idem ob paritatem rationis dicendum erit de iuramento. 4.

Couar.

Secunda opinio verior, & probabilior, & tenenda omnino, docet teneri debitorem ex vi iuramenti debitum soluere in die prorogato à creditore, & non extingui vim ipsius iuramenti per nouam prorogationem, atque adeo periurum esse debitorem, si eo die prorogato non soluat. Hanc tenent Sanchez *tom 1. Decalog lib 3. cap. 17. num. 24.* Suarez *tom. 2. de Relig lib. 11. de iuram. promiss. cap. 36. num. 8.* vbi expressè dicit quoties prorogatur terminus siue ex consensu partium, siue auctoritate iudicis, prorogari etiam iuramentum, tenet etiam Baldus, Iason, Decius sibi ipsis contrarij, Bartholus, Imola, Felinus, Curtius, Blaeus, Rebuffus, quos refert, ac sequitur Couarruuias *de pactis prima part. num. 6.* Azor. *tom. 1. inst. moral. cap. 8. quæst. 13.* Sà *in summa, verbo, Iuramentum, num. 15.* Gutierrez *de iuramento 1. part. cap. 49. num 9. & 10.* Perez *l. 1. paulo post principium tit. 4. lib tertij ordinamenti* Ratio illorum est, quia quando creditor prorogat terminum debiti iurati, non fit nouum pactum, nouáque promissio, vt falsò asserit prior sententia ad soluendum in alium diem, sed continuatur eadem obligatio iuramenti, quod patet ex vi vocabuli prorogationis; prorogari enim dicitur id, quod continuatur, non quod extinguitur. Nec obstat decisio capitis, *Clericus de iureiur.* in quo decernitur iuramentum non extendi ad nouum pactum, nouámque materiam, sed extincto priori pacto extingui. nisi aliud de nouo fiat; quia hic non mutatur pactum, nec iuramentum extenditur 5.

Sanch. Suarez. Couar. Azor. Sà. Gutierr. Perez.

tenditur ad nouam materiam, sed semper adhæret eidem materiæ, quæ perseuerat affecta eadem iuramenti obligatione, vnde per illam solius diei prorogationem, non fit remissio debiti absolutè, sed fit extensio diei in hoc sensu. *Permitto dilationem solutionis, dummodo hanc ipsam obligationem intra talem terminum, quem modò assigno, impleas.* Nec est simile de excommunicatione, quia vel iudex excommunicauit ad diem illam solam, quam ipse ad soluendum in excommunicatione præscribit, & ideo mutato eo die, & prorogato à creditore, pro cuius fauore expedita fuit excommunicatio, expirat excommunicatio; quia cum excommunicare sit actus iurisdictionis, non potest excommunicatio de consensu partis iurisdictione carentis ad alium diem transire, & prorogari; vel quando excommunicauit, ea conditione excommunicationem in fauorem creditoris, partisque expediuit, vt prorogato à parte die, prorogetur simul excommunicatio: & sic falsum assumit argumentum contrariorum, quòd prorogato die in excommunicatione contento expiret excommunicatio; nam iudex dependenter à voluntate partis, & in fauorem illius eam excommunicationem expediuit, vt dixi, nun esset autem fauor, & vtilitas plena, si prorogato die ea excommunicatio expiraret; & ideo vt plenè, & vtiliter faueret parti, censetur voluisse prorogare suam excommunicationem, quoties pars in cuius fauorem illam expediuit, diem solutionis prorogauerit. quare excommunicatio adstricta, & alligata est debito, non diei.

6. Sed hîc insurgit aliud dubium huic affine, an scilicet, si aliqui litem in alterius arbitrium compromittant, vt illam decidat intra certum tempus, præstito iuramento parendi eius sententiæ, & postea de communi consensu vtriusque, tempus illud prorogetur, teneantur ex vi prioris iuramenti parere sententiæ post diem, & tempus ab initio constitutum, & in tempore ab illis de communi consensu prorogato latæ. Et circa hoc punctum partita est similiter opinio. Prima ait non teneri parere prædictæ sententiæ ex vi iuramenti; sed ex vi solius simplicis promissionis, & nouæ pactionis: & hanc partem in hoc puncto

Cou. tenet Couarruuias *de pactis 1. part. initio. num. 6.*
Sanch. Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 17. num. 23.*
Azor. Azor. *lib. 11. Instit. moral. tom. 1. cap. 8. quæst. 12.* & plerique alij, quos citat, ac sequitur Couarruuias loco assignato. Fundamentum illorum est, quia cum illa obligatio, & conuentio parendi arbitri sententiæ extinguenda esset in eo die ab initio compromisso, illa prorogatio in hoc casu censetur noua prorsus conuentio, & nouum pactum, ac proinde iuramentum, & obligatio parendi sententiæ iudicis arbitri sub iuramento expirauit, & extincta est extincto priori pacto, & conuentione, quia tunc datur casus decisus *in dicto capite, Clericus, de iureiurando*, in quo decidit Pontifex iuramentum non extendi de pacto ad pactum, & de materia ad materiam, sed extincto priori pacto non transire ad nouum: aiunt tamen secus esse dicendum si ab initio ita conuenirent, vt mutato, & prorogato tempore, ad ferendam sententiam, mutaretur etiam, & prorogaretur obligatio parendi sub iuramento, quia tunc prorogatio facta easdem qualitates haberet, quoad iuramentum, & semper tempus censeretur extensum affectum suo iuramento; ab initio enim iuramentum hunc sensum haberet, vt iurantes promitterent sententiæ sui arbitri parere, quam ipse intrà tempus tunc definitum, vel postmodum prorogatum tulerit.

Nihilominus secunda sententia, cui adhæreo, vtpote probabiliori; docet, prorogato tempore ad proferendam sententiam, prorogari etiam obligationem parendi tali sententiæ ex vi iuramenti, & sub religione illius, & non distingui hoc dubium à præcedenti, quoad resolutionem, & sic periurij crimen partes incurrere, si prædictæ sententiæ latæ in tempore prorogato non pareant. 7.
Hanc tenet expressè Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iurament. promiss. cap. 36. num. 7. iuncto num. 8. & num. 14. ad medium*, vbi dicit hanc esse Suarez.
communiorem sententiam; tenet etiam Gabriel Gabr.
lib. 2. commun. opinion. titulo de dilatione, conclusione 2. num. 11. & sequentibus: & Couarruuias non persistit constanter in contraria sententia, sed vel in vtramque partem ancipitem se ostendit, vel in hanc magis inclinat, vt in eo videre est. Et ratio est. Primò, quia cum de consensu partium fit prorogatio temporis compromissi, non fit nouum pactum in substantia, vt volunt authores contrarij; sed illud idem differtur, prorogatur, & commutatur in maius tempus, & ideo totum ipsum pactum, pro vt antea erat iuramento affectum, prorogatur, quia nulla est ratio separandi pactum à iuramento; nec est incompossibilitas in continuatione eiusdem pacti, & iuramenti, cum ibi non fiat extensio iuramenti ad nouam materiam; sed continuatio eiusdem iuramenti circa eandem materiam continuatam; maximè, quia cum iuramentum adhæreat promissioni tanquam accessorium principali, prorogato principali, censetur prorogari accessorium. Secundò, probatur, & declaratur magis, quia quoties prorogatur, seu commutatur iuramentum, siue ex consensu partium, siue auctoritate iudicis, id in quod fit commutatio, cadit sub eadem obligatione iuramenti, aliàs non esset commutatio, nec prorogatio, sed noua promissio, nouum pactum, & extinctio prioris pacti. Consequens est falsum, ergo intentum: sequela patet, quia iuxta contrariam sententiam, omnino tollitur, & destruitur prior pactio, & fit noua pactio, & noua promissio simplex sine iuramento; & consequenter omnino tollitur, & destruitur prior obligatio iuramenti; ergo non commutatur, nec prorogatur prædicta obligatio iuramenti parendi prædictæ sententiæ: hoc autem est falsum, vt patet ex vi verbi prorogandi, & commutandi: quis enim non videt aliud esse extinctionem prioris obligationis, aliud commutationem, seu prorogationem illius? & sic satisfactum manet argumentis prioris opinionis.

Statuo secundò. Iuramentum semper interpretandum est, vt non sit in præiudicium, & incommodum alterius. Vnde si canonici iurarunt, si quis eorum crearetur Episcopus, facturum se aliquid, quod sit in præiudicium Episcopalis dignitatis, aut Episcopum non deceat, iuramentum non obligat. Item iurauit quis secretum sibi commissum seruaturum, non tenetur seruare, si id aliis noxium sit. Patet ex *capite, Sicut nostris, de iureiurand.* Docet Goffredus, Hostiensis, 8.
Ioannes Andreas, quos refert, & sequitur Syl- Syluest.
uester *verbo, Iuramentum 4. quæst. 15.* Azor *lib. 11.* Azor.
cap. 8. quæst. 6. Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3.* Sanchez.
cap. 17. num. 25.

Circa secundam partem tituli, sic Statuo tertiò. Iurans contractum fideiussionis, non se obligando instar principalis, non tenetur soluere, 9.

ante principalis executionem. Ratio est, quia contractus fideiussionis hoc habet ex sua natura, vt non possit conuenin fideiussor, ante principalis debitoris executionem, iuramentum autem sequitur naturam contractus, cui apponitur. Quare nisi ipse iurans se in tali contractu instar principalis debitoris obligauerit, non potest executio in eo fieri nisi prius fiat in principali debitore. Ita contra Baldum tenent Iason, & Decius, quos refert, & sequitur Couarruuias *de pactis 2. part. §. 4 num. 4* & Sanchez statim allegandus. Similiter iurans, se non exacturum conductorem potest illum licitè expellere, si biennio pensionem conductionis non soluerit; quia is contractus habet hanc naturam, & tacitam conditionem, vt conductor biennio non soluens, expelli possit. *l. Quaro. §. Inter locatorem ff. locati.* & ita docent Angelus *verbo*, *iuramentum 5. num. 20.* Syluester *verbo*, *iuramentum*, *num. 24.* Gutierrez *de iuram. 3. part. cap. 6. num. 7.* Tabiena *verbo*, *iurare*, *quæst. 25.* Armilla *verbo*, *iuramentum*, *n. 24.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 17. num. 14.*

Cou. Sanch.

Angel. Syluest. Gutier. Tab en. Armill. Sanch.

10. Circa iuramentum de non repetenda pecunia latroni data, & circa tertiam partem tituli, Statuo quartò, tale iuramentum valere, & teneri iurantem non repetere; idem de pecunia data vsurario propter vsuras. Ita Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de iuram. promissorio cap. 9. num. 17.* & citat ibi pro se Barthol. *in l. si quis pro eo ff. de fideiussor. num. 10* & Couarruuiam *de pactis 2. part. § 3. num. 2.* & Gutierrez *de iurament. 1. part. cap. 53. num. 8.* & id etiam passim docent authores cum Suario, quorum allegationibus supersedendum iudicamus; est enim res adeo certa, vt à nullo, quem sciam, hactenus denegetur, & patet euidenter ex *cap. Ad nostram de ijs, qua vi.* ibi: *Non obstante iuramento prædicto, quo non ad non repetendum, sed ad non resignandum solummodo tenebatur*; ergo si vi coactus iurasset, se non repetiturum beneficium, sicot iurauit illud resignare, & renunciare, non posset illud repetere; ergo etiam si quis latroni iurauit se non repetiturum ab eo pecunias, non poterit illas in iudicio repetere, nisi prius relaxationem impetret iuramenti. Probatur etiam ex *cap. Si verò de ijs, qua vi, &c.* vbi dicitur iuramentum, quo quis cogitur renunciare iuri suo, valere, licet relaxari possit per superiorem. Et ratio esse potest, quia iuramentum illud licitè seruari potest; licitè enim potest quis non petere à latrone, vel vsurario pecunias datas.

Suar. Barth. Cou. Gutier.

11. Obijcies Diuum Thomam. 2. 2. *quæst 89. artic. 7. ad 3.* contrarium tenere, ibi enim videtur asserere non obstante iuramento de non repetenda pecunia posse illam iurantem repetere, ibi. *Potest autem repetere in iudicio quod soluit, vel Prælato denunciare, non obstante quod contrarium iurauerit, quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra iustitiam publicam*; hæc ille Vbi duo videtur asserere. Primum est si latroni iurauit non repetere, posse pecuniam repetere non obstante iuramento. Secundum est, si iurauit non repetere relaxationem iuramenti, posse etiam illam petere non obstante similiter iuramento. Respondet Suarez & optimè *tom. 2. de Relig. lib. 2. de iurament. promissorio cap. 9. n. 17.* illa verba, *non obstante iuramento*, non esse referenda ad totam distinctionem præcedentem, sed ad singulas illius partes, sed tantùm ad proximam, nempe ad eam, quia iurauit se non petiturum relaxationem iuramenti: duo enim dicit D. Thom. Vnum est, quòd potest repetere in iudicio suam pecuniam latroni, vel vsurario datam; quod intelligendum est, si ad hoc se non obligauit iuramento facto de non repetendo. Alterum est, quòd potest petere à Prælato relaxationem iuramenti, & postea repetere pecuniam à latrone, & vsurario in iudicio; & si ei similiter iurauit talem relaxationem non repetiturum, adhuc posse illam repetere non obstante iuramento; quia tale iuramentum factum fuit in præiudicium tertij, in præiudicium scilicet iurisdictionis superioris; & sic vergeret in deteriorem exitum, & offenderet iustitiam publicam, potestatémque superioris.

D.Thom.

Suarez.

Ex quo sequitur, si latro, vel vsurarius petant iuramentum de non petendi relaxatione iuramenti, quo quis se illis obligauit ad soluendas pecunias & non repetendas in iudicio, tale iuramentum si fiat, cassum esse, irritum, & non obligare, quia factum est in præiudicium tertij; in præiudicium scilicet iurisdictionis superioris. Sic etiam votum de non petenda dispensatione non est validum, quia est in præiudicium Prælati, & illi aufert suam iurisdictionem, & sic iustitiam publicam offendit. Ita dicebat D. Thomas. & id docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de iurament. promissorio cap. 9. num. 20.* Couarruuias *de pactis 2. parte, §. 3. num. 2.* Felin. *in cap. constitutus. de rescriptis num. 18.* vbi dicit iuramentum non petendi relaxationem non esse obligatorium, & idem dicit Richardus *in 4. dist. 38. art 9. quæst. 3.* quem sequitur D Anton. *2. part. titulo 11. cap. 2. § 9. in fine.* & Astensis *in sum. lib. 1. quæst 20. art. 2.* & patet ex secunda conclusione proposita *num. 8.* 12.

D Thom. Suarez. Cou. Felin.

Richard. D. Anton. Astensis.

Circa quartam partem tituli, & iuramentum, de non accusando peccato alieno, Statuo quintò. Iuramentum promissorium factum de non denunciando peccato alieno cum ad id obligamur, & de non accusando nocente, non obligat. Ita communiter Doctores. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de iurament. promiss. cap. 9. num. 18.* D. Thom. 2. 2. *quæst. 109. artic. 7. ad 3.* constat *ex capite, Quemadmodum §. illud de his, qua vi, &c.* quia tale iuramentum est de re illicita, & bonis moribus contrarium, & offendit potestatem superiorum & iustitiam publicam; præscribit enim ius naturale, vt mali pœnis, boni præmiis afficiantur. 13.

Suar. D.Thom.

Dices; ergo si hoc iuramentum est de re illicita, & turpi, etiam ipsi iuranti, nunquam poterit licitè ab eo fieri, nec etiam ad redimendam vitam, & magnam vexationem. Consequens videtur durum; quia redigerentur homines in magnas angustias, & sæpe non possent, vel pericula euadere, vel necessitatibus, & angustiis propriis subuenire. Respondeo concedendo non esse licitum tale iuramentum facere prout ab iniquo exactore postulatur; hoc enim manifestè conuincit argumentum factum. Vt tamen rigor hic leniatur, addo licitum esse simulatis verbis, & amphibologia, & diuersa intentione tale iuramentum facere, nimirum intendendo non denunciare vt iudici ad vindictam, sed vt patri ad emendationem; vel iurando non denunciare, si licitè potuero, aut quantum licitè potuero; hic enim iustissima causa vrendi hac simulatione, & amphibologia datur, vt per se constat. Ita respondet Suarez allegatus *num. 19.* 14.

Adeo verum est pertinere ad bonū publicū accusare nocentiū crimina, vt cum regulariter filiusfamilias 15.

Th. Val. familiâs non possit in iudicio sine consensu patris, vt latè probat Thomas Valasceus *in suis allegationibus, allegatione* 20. & patet ex *l. Non solum §. necessitate, C. de bonis quæ liberis.* probant etiam Marant. Roland. Vant. Maranta *de ord. iud 4. pars. dist. 16. num* 30. Rolandus *consilio 46. num. 3. lib. 2.* & Vantius *de nullitate sententiæ ex defectu mandati num.* 39. tamen inter casus, qui ab hac regula excipiuntur, præcipuus est, quando filiusfamilias denunciat de crimine alicuius, aut publicam proponit accusationem, vt contra glossam dicto *§. necessitate*, tenent Barthol. Iul. Clar. Azeued. Bartholus ibi *num.* 18. & Iulius Clarus *in practica criminali §. vltimo quæst. 14. num. 5.* Azeuedo *l. 10. num.* 10. competit enim ius accusandi de crimine publico omnibus, & singulis hominibus de Republica, nisi aliunde prohibeantur, *l. Qui accusare* 8. & ibi Bartholus, Angelus & Gomes. Farinac. Gomesius *tom. 3. cap. 1. num. 31.* & Farinacius *lib. 2. tit. 2. quæst. 12. num.* 8. non prohibentur autem filijfamilias in hoc casu accusare, & stare iudicio.

16. Circa vltimam partem tituli de iuramentis, & promissionibus ad inuicem præstitis, sic docent aliqui. Quando duo ad inuicem sibi inuicem promittunt; & se obligant iuramento, ita vt illæ duæ obligationes ad inuicem referantur, eo quòd vterque promiserit intuitu promissionis alterius; altero non implente, non tenetur alter implere, sed manet à promissione liber; secus si prædictæ promissiones ad se inuicem non referantur. Vt si ego promisi, & iuraui tibi, me ingressurum Religionem; quia tu mihi ad inuicem idem iurasti, & promisisti, maneo liber à iuramento, & promissione, si illam non vis ingredi, quia huiusmodi promissiones erant dependentes ad inuicem. Item si ego tibi iuramento promisi equum, & tu non hac de causa, nec dependenter ab hac promissione mihi promisisti rem aliam, aut te facturum aliquid propter me; etiamsi ego non dederim, teneris mihi præstare promissum, quia non dependebant ad inuicem hæ promissiones. Ita

Abbas. Cynus. Syluest. Angel. Tabien. Armill. Nauar. Azor. Rodrig. docent Abbas, & Cynus, quos refert, ac sequitur Syluester *verbo, Iuramentum 4. quæst.* 13. Angelus *verbo, Iuramentum 5. num.* 17. Tabiena *verbo, Iurare, quæst.* 28. Armilla *verbo, Iuramentum, num* 27. Nauarrus *in summa cap. 18. Hispanè, num. 9. Latinè* 7. Azor. *lib. 11. instit. moral. cap. 8. quæst* 4. Rodriguez *tom. 1. summa cap. 27. n.* 1.

17. At doctrinam hanc non admitto, quia omnis promissio iuramento etiam firmata eam tacitam conditionem habet; *promitto si te postmodum ingratum non præbueris.* Vnde in omni promissione, siue vna pendeat ab alia, siue non dependeat, in qua alter se ingratum præbet, non tenetur alter promissor suam promissionem implere; quare cum vnus se ingratum præbeat, non implendo suam promissionem, non teoetur alter suis etiam

Sanch. Mercad. Molin. stare promissis. Ita docet Saochez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 17. num* 16. Mercado *lib. 6. de contractibus cap.* 16 Molina *tom. 2. de iustitia disp. 272. ad finem.* Probant id, quia omnis promissio etiam acceptata, & iurata admittit reuocationem ratione ingratitudinis; sed ille qui suum promissum non implet, satis ingratum se præbet erga suum benefactorem, & promittentem; ergo ille ratione huius ingratitudinis potest suam promissionem reuocare. Quod verum existimat Sanchez, etiamsi iurans animum habuerit se alteri obligandi, quamuis ille promissum fregerit, & fidem datam infringeret; nam vt hic animus illum obligaret, opus erat vt alteri esset intimatus, vt sub ea conditione promissionem acceptaret; non enim obligat promissio homini facta etiam iurata ante acceptationem promissarij; vt satis probat Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 7. num.* 24. Sanch.
Ergo si animus ille non fuit promissario, signis, aut verbis intimatus, potest promittens, & iurans illum habens reuocare suam promissionem, retrocederéque vtendo compensatione in ingratitudine, & non soluendo ratione fidei sibi violatæ. Vnde certum est pronunciatum apud iurisperitos; *frangenti fidem, fides non est seruanda.* Sed de hac materia, & de his promissionibus simplicibus, & per modum pacti, & contractus, quæque ad inuicem referuntur, & non referuntur, agemus latiùs infrà *cap. 24. à num. 10. & deinceps.*

Capvt XXII.

Vtrùm iuramenti promissorij obligatio transeat ad hæredes promittentis, & promissarij, & an iuramentum fieri possit per procuratorem? Agitur de iuramento Regis seruandi priuilegia Regni.

SVMMARIVM.

Iuramentum promissorium est actus personalis, & non transit ad iurantium hæredes. Vnde non tenentur hæredes ex vi iuramenti suorum institutorum promissiones, & pacta iuramento firmata seruare; tenentur tamen aliunde ex vi contractus, & iustitia. num. 1. & 2.

Idque etiam si quis pro se, & suis successoribus iuret. num. 3.

Si Rex, Princeps, aut Prælatus ad regnum, & regimen admittatur, quin priùs iuramentum seruandi Regni priuilegia præstet, non tenetur illa ex vi & ratione iuramenti à suis maioribus præstiti seruare; tenetur tamen aliunde ex pacto, aut statuto si detur. num 4. *Quid si ciues pro se, & suis successoribus iurent se certum diem pro festo seruaturos.* ibid.

An quando ego iuraui me à te rem certam non repetiturum, possit illam meus hæres à te repetere absque fractione iuramenti. num. 5.

An mei hæredes teneantur implere iuramentum, quo ego me latroni obligaui ad soluendam certam pecuniam à me vi extortam, & nullo alio titulo ei debitam. num. 6.

Iuramentum non est actus personalis, ex parte illius cui præstatur, ac proinde illius obligatio transit ad hæredes illius, ita vt si iurans non impleuit iuramentum, viuente illo, cui illud præstitit, teneatur illud implere suis hæredibus. num. 7.

An iurans obedientiam personæ in dignitate constitutæ teneatur illam præstare illius successoribus. num. 8.

Quid si non nomine dignitatis, aut officij, sed nomine proprio illam iuret. num. 9.

Iuramentum præstitum alicui in dignitate constituto ratione dignitatis, eo amoto à dignitate, ampliùs non obligat. num. 10.

An quando laicus iuramentum præstitit comparendi coram iudice Ecclesiastico, teneatur illius hæredes directè, & ex vi iuramenti coram illo comparere. num. 11. & 13.

Poterit ille iudex cui iuramentum comparendi præstitum fuit, illiusque successores iuramentum ratione

iuramenti obligare, non tamen illius hæredes. *num.* 12.

An hæredes illius defuncti sæcularis, qui iurauit comparere coram iudice Ecclesiastico possint citari coram eodem iudice Ecclesiastico ad exonerandam defuncti conscientiam. *num.* 13.

Iuramentum additum contractui non mutat forum, sed addit alium forum, vnde iurans contractum coram vtroque iudice, sæculari & Ecclesiastico conueniri potest. *num* 14.

Si in dubium probabile vertatur, an tale iuramentum obliget, necne, iudex Ecclesiasticus est verus iudex ipsius dubij. *num.* 15.

Mota lite coram iudice sæculari super contractum iuratum potest iudex Ecclesiasticus adiri, vt cogat partem & iudicem sæcularem ad iuramenti obseruantiam. *num.* 16.

Relaxatio, seu dispensatio iuramenti coram iudice Ecclesiastico est petenda ad effectum agendi, & an tunc tota causæ cognitio ad Ecclesiasticum iudicem spectet. *num.* 17.

Iuramentum quamuis ex parte iurantis personale sit, potest tamen fieri per procuratorem. *num.* 18.

Requiritur tamen, vt speciale mandatum iurandi procuratori, vel nuncio committatur, vt procurator, vel nuncius nomine alterius iurare possint. *num.* 19.

An tunc requiratur mandatum vtroque modo speciale, nempe speciale ratione vniuersitatis causarum; & speciale ratione specialis causæ. *num.* 20.

Si agatur de matrimonio contrahendo, requiritur speciale mandatum, & quoad matrimonium in speciali, & quoad personam cum qua matrimonium est contrahendum. *num.* 21.

Quando procurator iurat contractum absque legitimo mandato suæ partis, non tenetur pars ex vi iuramenti illum obseruare; tenetur tamen ex vi contractus ob facultatem generalem procuratori ad contrahendum suo nomine datam. *num.* 22.

An licitum sit quando quis procuratorem instituit in propria causa, ei facultatem dare ad præstandum quodcumque iuramentum suo nomine. *num.* 23.

Quale mandatum requirat iuramentum de calumnia præstandum. *num.* 24.

An vassallus ex consensu domini possit præstare iuramentum fidelitatis per procuratorem suum. *n.* 25.

Quid si lex, vel feudum petat, vt iuramentum personaliter præstetur. *num.* 26.

Quando procurator ex speciali mandato partis iurat, ad nihilum manet obligatus. *num.* 27.

Quid si quis concedat procuratori suo facultatem ad iurandum, & eam reuocet, & procurator inscius reuocationis iuret. *num.* 28.

Quid si pars reuocans mandatum ad iurandum, iuramentum postea ratum habeat. *num.* 29.

1. NOTARE velim, nos hîc non tractare de iuramento promissorio soli Deo emisso. Cum enim hoc iuramentum voti iuran vim habeat, de eo qualiter ad hæredes, & successores iurantis transeat, postea agemus: in præsenti igitur solùm agimus de iuramento homini facto.

2. Statuo igitur primò. Iuramentum homini præstitum ita est personale ex parte iurantium, vt illius obligatio non transeat ad ipsorum iurantium hæredes. Vnde non tenentur hæredes, & successores iurantium ex vi, & religione iuramenti illorum contractus, & promissiones iuramento firmatas implere, tenentur tamen ratione ipsorum contractuum suorum decessorum, ad illorum debita ex iustitia; quare non implentes iuramenta suorum defunctorum, non erunt periuri, peccabunt tamen aliunde grauissimè contra iustitiam. Ita communiter Doctores; Axor *tom.* 1. Axor.
inst. moral. lib. 11. *cap.* 8. *quæst.* 5. D. Thom. 2. 2. D. Thom.
quæst 98. *art.* 2. *ad* 4. & ibi Caietanus, Sotus *lib.* 8. Caiet. Sotus.
de iust. quæst. 2. *art.* 2. *ad* 4. Abbas *in cap. Veritatis, num.* 3. *de iureiurando*, & plerique alij, quos Abbas.
refert ac sequitur Couarruuias *in cap. Requisiti,* Couar.
num. 2. *de testam. & de pactis* 1. *part.* §. 2. *num.* 4.
Anton. Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 14. *num.* 19. Padilha *l. Si quis maior, num.* 51. *C. de transact.* Gutierrez *de iuram.* 3. *part. cap.* 12. *num.* 7. Matienso *lib.* 5. *de recopilat. titul.* 10. *l.* 3. *glossa* 13. *num.* 10. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 1. Anton. Gomez. Padilha. Gutier. Matiens. Sanchez.
Ratio est, quia iuramentum est personæ vinculum, & obligatio voluntariè assumpta ex virtute religionis; ergo ex vi iuramenti non potest eius obligatio ad aliam transferri personam: ergo non tenentur hæredes iurantium ex vi, ac religione iuramenti, illorum iuramenta implere. Quòd verò aliunde ratione contractus ex iustitia teneantur, patet, quia per iuramentum promissorium præstitum homini, vel Deo, fit iurans debitor illi cui iurauit, & illius bona huic debito manent obnoxia; ergo cum bona iurantis, & promittentis ad hæredes illius transeant, transeunt hac conditione affecta, vt de illis soluantur debita defuncti; atque adeo quamuis iurans defunctus solùm ratione fidelitatis teneretur promissum soluere, tamen hæredes illius tenentur soluere ex iustitia ex tacito, & virtuali pacto, quòd, eo ipso, quòd hæreditatem acceptarunt, obligantur ad soluenda illius debita.

Et hoc verum est, etiamsi quis pro se & pro suis successoribus iuret; nec enim etiam in eo casu tenebuntur successores ex vi, ac religione iuramenti, quia cum religio iuramenti vinculum personale sit, ea à nemine alio potest quis obligari. Ita Sanchez, Abbas, & Padilha *num. præcedenti* allegati. 3. Padilha.

Hinc infertur primò, si quis Rex, Episcopus, 4.
aut Prælatus, aut quæuis alia dignitas habens adnexa multa iuramenta admitteretur ad possessionem Regni, Episcopatus, aut officij sui absque vllo iuramento, quamuis sui decessores cum eo iuramento ad regnum, & officium admissi fuerint; non teneri ex vi, & religione iuramenti suorum decessorum illa seruare; & ita si non detur aliud vinculum obligans ad illa, liberi omnino manebunt; si autem esset aliud vinculum obligans Regem illum, officium, aut dignitatem vt vinculum statuti, aut contractus, ratione huiusmodi vinculi tenerentur seruare illa, quæ non iurarunt, non ratione iuramenti. Ita Sanchez, Caietanus, Sotus *num.* 2. allegati. Couarruuias *de pactis* 1. *part.* §. 5. *num.* 4. & 5. Sà *verbo, Iuramentum, num.* 12. Sotus. Couar. Sà.
Infertur secundò, si ciues alicuius ciuitatis iurarunt, se certum diem pro festo in perpetuum habituros, si illorum successores illum non seruent, non esse periuros; aliunde tamen illum colere ac seruare debent ratione vsus, ac consuetudinis legitimè introductæ, & peccabunt mortaliter si non seruent. Infertur tertiò, si ego iuraui me à te rem certam non repetiturum, posse illam meum hæredem à te repetere, & ab hærede tuo, eo quòd solummodo iurauerim eam à te non repetiturum. Ita Axor. Axor.
tom. 1. *inst. moral. lib.* 11. *cap.* 8. *quæst.* 5. Sanchez Sanch.
tom. 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 4. Intelligendum tamen est hoc ex vi iuramenti, nam ex

vi

vi contractus tenebitur forte meus hæres eam non repetere iuxta superiùs dicta.

6. Infertur quartò, non teneri hæredes meos implere iuramentum per vim extortum, quo ego me obligaui latroni ad soluendam aliquam pecuniam per vim similiter extortam, si nullo alio titulo ego ei talem pecuniam debebam, quo possint mei hæredes ad id obligari. Idem de iura-
Sanch. Imol. Alciat. Couar. Gutier. Molin.
mento soluendi vsuras vsuratio. Ita Sanchez *tom.1. Decalogi lib 3. cap.13. num.5.* Imola, Alciatus, Parisius, quos refert, & sequitur Couarruuias *de pactis* a *part.§.1.num.7. versiculo, Quicquid sit, in fine.* Gutierrex *in Authentica, sacramenta puber. num.* 21. *C. si aduersus vend t.* Molina *tom.1. de iust.disp.150 colum.3. versiculo, Est verò hoc discrimen.*

7. Statuo secundò. Iuramentum non est personale, sed reale ex parte eius, cui præstatur, ac proinde illius obligatio transit ad hæredes illius cui fit, ita vt si iurans suum iuramentum non impleuit, viuente illo, cui præstitit, teneatur illud implere hæredibus illius: v. c. iurans dare centum Petro tenetur ex vi, & religione iuramenti defuncto ante solutionem Petro, soluere eam summam hæredibus Petri. Ita docent communiter
Angel. Syluest. Couar. Mariens. Azor. Sanch.
Doctores, Angelus *verbo, Iuramentum.5. num* 40. Syluester *verbo, Iuramentum.4. quæst.2. dict.1. & quæst.3.* Couarruuias *capite, Requisitis.num.* 2. *de testam. & de pactis 1. part.* § 5. *num.* 4. Mariensо *lib.5.recopil.tit.10. l.3.gloss.13 n 11.* Azor.*tom.1. Inst moral.lib.11. cap.8. quæst.5.* Sanchex *tom.1. Decalogi lib.3. cap.13. num.6.* Ratio est, quia actiones defuncti transeunt ad heredes illius. Vnde cum defunctus habuerit actionem aduersus Petrum sibi promittentem centum, sequitur, vt hæc actio ad illius hæredes transeat, & vt promittens Petro centum teneatur ea soluere hæredibus illius, defuncto eodem Petro, ante illorum solutionem.

8. Hinc deducitur iurantem obedientiam personæ in dignitate constitutæ, expresso ipsius dignitatis, aut officij nomine, teneri ex vi, ac religione ipsius iuramenti ad præstandam eam obedientiam omnibus successoribus in ea dignitate, aut officio futuris, vt si quis iuret obedientiam Archiepiscopo Bracharensi, aut Rectori collegij Diui Pauli Conimbricensi, tenetur ex vi ipsius iuramenti obedire omnibus successoribus in eadem dignitate, & officio; secus si solum personæ nomen exprimat, vt suro Petro Archiepiscopo, aut Paulo Rectori obedientiam; tunc enim soli Petro & Paulo obedire tenetur, non illius succes-
Abbas. Syluest. Azor.
soribus. Ita Abbas *in capite, Veritatis. num.* 2. *de iureiur.* & ibi Doctores passim, Syluester *verbo, iuramentum* 4. *quæst.* 2. *dict.* 1. *& quæst.* 3. Azor. *tom.1. Instit. moral. lib.* 11. *cap.* 8. *quæst.* 5. &
Couar. Sanch. Suarez.
Couarruuias statim allegandus, & Sanchex, *tom.1. Decalogi lib.3.cap.13.num.7.* Suarez *tom* 2. *de Religione lib.2.de iuram.promiss cap* 31. *num.*15. Ratio est, quia dignitas, & officium non moritur, persona autem moritur.

9. Sed temperandum hoc est, & intelligendum, nisi quando iuramentum obedientiæ præstatur alicui in dignitate fulgenti, expresso nomine proprio, præstetur illi circa rem ad dignitatem pertinentem: tunc enim etiamsi nomine proprio expresso illi præstetur, iuramentum transit ad suc-
Couar.
cessores illius. Ita docet Couarruuias contra alius, quos ibi refert *capite, Requisitis num* 2. *de*
Mariens.
testament. & de pactis 1. *part* §.5. *num* 9. Mariensо *lib.5. Recopilat. tit.10. l.* 3. *glossa* 13. *num.* 11. Sanchex citatus *num.*8. Ratio est, quia ad id iu- Sanch.
dicandum, an actus sit personalis, & ad successores non transiens, an potius realis, & transiens, non est spectandum principaliter, an fiat expresso dignitatis, aut personæ nomine; hæc enim consideratio assumenda est, tamquam vltimum refugium, quando ex subiecta materia, vel aliis coniecturis id discerni nequit, ex quibus id potius inspiciendum est; at nulla huius rei vrgentior coniectura esse potest, vt iudicetur actus non personalis, sed realis, & dignitatem respiciens quàm fieri prætextu rei ad dignitatem pertinentis.

Duo tamen animaduertenda sunt. Primum 10.
est, iuramentum obedientiæ præstitum alicui in dignitate constituto ratione dignitatis, eo amoto à dignitate, non amplius obligare; quia causa eius obedientiæ cessat argumento *capitis, Venerabilem, in fine, de electione.* Ita Abbas *capite,* Abbas.
Veritatis de iureiurand. num. 3. Syluester *verbo,* Syluest.
Iuramentum 4 *quæst.2. dict.1. & quæst.*3. Caieta- Caiet.
nus 2. 2. *quæst.89. art.9. ad finem.* Sotus *lib.* 8. *de* Sotus.
iust.quæst.1. art 9 *ad* 2. Sanchez *tom.1. Decalogi* Sanch.
lib.3. cap.13. num.9. Secundum est, quando quis iurat ratione alicuius dignitatis, aut officij in sua propria persona existentium, cessantibus, ipsa dignitate, & officio, per remotionem ab illis, cessare quoque obligationem iuramenti; vt si quis tanquam Episcopus, aut canonicus iuret statuta suæ Ecclesiæ seruare, vel tanquam iudex statuta iudicum, non tenetur dimisso Episcopatu, canonicatu, aut officio ea seruare, quia talia iuramenta sunt dignitati, aut officio adnexa. Ita Sanchez allegatus *num.* 10. Abbas *eo cap. veritatis num.*3

Hinc fit, vt quamuis laicus ratione iuramenti, 11.
quod fecit comparendi coram iudice Ecclesiastico, teneatur coram illo comparere, vt deciditur *in capite finali de foro competenti in* 6. non tamen eius hæredes ad id teneantur, quia illud iuramentum fuit vinculum personale, & non transit ad hæredes, & ideo decisio illius capitis locum habet duntaxat in ipsomet iurante, non in hæredibus illius. Ita Azor *tom.1.Inst moral.lib.11.cap.8.* Azor.
quæst.5. Suarez *tom.2. de Religione lib.2.de iuram.* Suarez.
promissor. cap.31. num.11. & plerique alij, quos refert, ac sequitur Couarruuias *de pactis 1. part.* Couar.
§.5 *num.6.* & Gutierrez alios referens *Auth. sa-* Gutier.
cramenta puber. C. si aduersus vend. & de iuram.3. part.cap.12.num.7.

At è contrario non solus ille, cui iuramentum 12.
præstitum fuit, sed etiam illius hæredes poterunt iurantem coram iudice Ecclesiastico conuenire, & ad iuramenti obseruantiam obligare, quia vt probaui *num.* 7. Iuramentum ex parte eius cui præstatur, transit ad hæredes illius, & non est personale. Ita Couar. & Sanchez modò allegati; Gu- Sanchez.
tierr. eo *cap.12.* & omnes *num.7.* allegati. Gutier.

Dixi, non teneri hæredem illius sæcularis, qui 13.
iurauit coram iudice Ecclesiastico comparere, ad comparendum coram iudice ipso Ecclesiastico; quia iuramentum est vinculum personale, respectu ipsius iurantis, & non transit ad hæredes illius; hoc verò intelligendum est directè, & ex vi contractus celebrati, & iurati, secus indirectè implorando, scilicet, iudicis Ecclesiastici officium, vt iudex compellat prædictum hæredem ad exonerandam defuncti conscientiam, quia tunc tenebitur hæres iurantis coram iudice Ecclesiastico ex vi præcepti sibi facti comparere, *cap. A nobis, in fine, de sentent excommun.* & ita docent multis relatis Gutierrex *de iurament.cap.12.* Gutier.
num.7.

num.7. & in Authentica, sacram puberum, num.16. Barbosa. Sanchez. Barbosa *lib.1. part.1. cen.77. ff. soluto matrimonio,* Sanchez *tom.2. Decalogi lib.3. cap.13. num.12.* Et idem dicendum est, etsi contractus non sit iuratus, quia non ratione iuramenti conueniunt hi hæredes coram iudice Ecclesiastico, sed ratione exonerationis conscientiæ. Ita Gutierrez, & Sanchez allegati.

14. Iuramentum autem additum contractui, non mutat forum, sed addit forum foro. Vnde cum *in capite finali de foro compet. in 6.* decernitur ratione iuramenti effici laicum de foro Ecclesiastico, non ita intelligendum est, vt non possit conueniri coram iudice laico, sed coram vtroque posse. Ita contra Ioannem Monachum & Archidiaconum docent Ioannes Andreas, Iason, & alij per multi quos refert, & sequitur Gutierrez *de iuram. cap. 12. num. 3.* & idem tenet etiam Sanchez allegatus *num. 13.* & Vallascus *tom. 1. cons. 99. à num. 3.* Gutier. Sanch. Vallasc.

15. Quod intelligendum est, quando constat liquidò iuramentum obligare, nam si vertatur in dubium probabile, an iuramentum obligatorium sit, nec ne, ad iudicem Ecclesiasticum ea cognitio spectabit, quia tunc agitur de substantia, & & obligatione solius iuramenti, quæ res merè spiritualis est. Ita Gutierrez allegatus *num. 5.* & Sanchez *dict. num. 13.* & Felinus *cap. 2. à num. 18. de sponsalibus.* Gutier. Sanch. Felin. Et similiter, quando votum, & iuramentum soli Deo fieret, solus iudex Ecclesiasticus est competens iudex ad cogendum ad illius obseruationem, quia cum nullus sit contractus cum homine aliquo inito, sed soli Deo ius acquisitum sit, ex spirituali religionis vinculo, solus iudex spiritualis, erit competens; si autem votum illud, & iuramentum sit iam parti intimatum, & ab ipsa acceptum, in cuius fauorem emissum est, erit vterque iudex competens, scilicet, Ecclesiasticus, & sæcularis. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 13. num. 16. ad finem.* Sanch.

16. Et ideo mota lite coram iudice sæculari de contractu iurato potest iudex Ecclesiasticus adiri, vt vtrumque cogat, & partem, & sæcularem iudicem ad iuramenti obseruationem, nec potest obiici iudici Ecclesiastico litis pendentia; quia iudex Ecclesiasticus non se intromittit in contractum, sed solùm de re agit merè spirituali, quæ ad illum spectat priuatiuè. Ita cum Ioanne Andrea, Maranta, & aliis docet Gutier *de iurament. cap. 12. num. 4. & 5.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 13 num. 14* Gutier. Sanch.

17. Imò verò si quis petat relaxationem iuramenti coram iudice Ecclesiastico ad effectum agendi; asserunt nonnulli impetrata ea relaxatione, posse coram eo de tota causa litigari, quia ea relaxatio ad effectum agendi erat præparatio ad totam causam, & qui est iudex causam præparans, potest esse iudex principalis ipsius causæ à se præparatæ. Ita Baldus & Iason, quos refert Gutierrez *eo cap. 12. num. 6.* & est communis opinio, vt ait Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 4. num. 8.* Gutier. Couarr. Sanch. Sed meritò contrarium docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 13. num. 15.* & alij quos referunt & sequuntur Gutierrez, & Couarruuias citati, asserentes, postea circa rescissionem ipsius contractus, qui non est fori Ecclesiastici, non posse nisi coram iudice laico agi; qualis esset, si examinandum esset, an contractus sit vsurarius, vel contra bonum commune, aut aliud vitium haberet, quia textus *dicti capitis finalis de foro competenti,* procedit fauore iuramenti obseruandi; at in hoc casu non agitur de obseruatione iuramenti, sed de substantia, & viribus contractus ad forum Ecclesiasticum minimè pertinentis.

Circa secundam partem tituli, an iuramentum fieri possit per procuratorem, sic Statuo tertiò. 18. Iuramentum quamuis personale sit ex parte iurantis, potest tamen fieri per procuratorem Constat *ex cap. vltimo de iuramento calumniæ in 6.* Sic matrimonium actio personalis est, & tamen potest fieri per procuratorem *capite finali de procuratoribus in 6.* Potest etiam iuramentum per nuncium præstari; sicut & matrimonium potest per nuncium iniri, vt bene docet Couarruuias *de pactis 1. part. § 5. num 8.* Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 7 quæst. vltima.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap 13. num. 17.* Cou. Azor. Sanch.

Requiritur tamen, vt speciale mandatum iurandi procuratori, vel nuncio committatur, vt nomine alterius iurare possint, 19. hoc autem mandatum speciale potest dupliciter procuratori, & nuncio dari. Primò generaliter, ad iurandum in quacunque dantis causa. Secundò specialiter, in causa speciali illi commissa; vtroque enim modo dicitur speciale mandatum; sed priori modo dicitur etiam generale respectu causarum, eo quod causa specialis non assignetur, posteriori autem modo dicitur speciale respectu specialis causæ, cum ad iurandum in hac causa speciali detur. Ita Couarruuias *de pactis 1. part. §. 5. num. 8.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de iuram. cap. 31. num. 3.* Sâ *verbo, Iuramentum num. 18.* Azor *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 7. quæst. vltima.* Sotus *lib. 8 de iust. q. 2. art. 2. ad finem.* Iulius Clarus *lib. 4. receptarum. §. Feudum. quæst. 49. fine* Matienso *lib. 5. recop. tit. 10. l. 6. gloss 2. num. 15.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 13. num. 18.* Cou. Suarez. Sâ. Azor. Sotus. Iul. Clar. Matiens. Sanch.

Dubitatur tamen, an requiratur mandatum vtroque modo speciale, nempe speciale ratione vniuersitatis causarum, & speciale ratione specialis causæ? 20. Respondeo, quando iuramentum est assertorium, vt quando procurator nomine suæ partis iurat, illam non ex malitia opponi executioni, aut debitum petitum verè deberi, omnino dicendum est exigi speciale mandatum, vtroque modo, nempe, ad iurandum, & ad iurandum in speciali causa nominata, quia iuramentum assertorium certam & determinatam veritatem exigit: nullo autem modo potest procurator iuramento nomine suæ partis, præstito aliquid vt verum asserere, nisi specialiter hanc formam in mandatis habeat, cum alioqui dubium, & anceps sit, an dominus sub iuramento requisitus, id verum esse iuraret. Ita docent Sanchez, Sotus, & Couarruuias *proximis locis* allegati. Imò optimè animaduertunt Sotus, & Sanchez citati exigi speciale mandatum ad quodlibet singulare iuramentum, & non sufficere generale mandatum ad omnia iuramenta, quæ in alicuius causæ etiam specialis progressu necessaria fuerint, quia in hac generali concessione non potest procurator moraliter certus reddi, an in quouis casu speciali postea occurrenti, agnoscat pars iuramentum id esse verum: in iuramento autem promissorio seruandi alicuius contractus, quia non videtur militare ratio prædicta; videtur sufficere mandatum speciale ad iurandum, licet sit generale quoad causas, vt diximus.

Iam verò si agatur de matrimonio per procuratorem contrahendo, requiritur speciale omnino mandatum, & quoad matrimonium, & quoad personam, cum qua ineundum est, vt probatur 21.

ex

Cou. Sanchez. Ledesma. Sotus.

ex *cap. finali de procuratoribus, in 6.* Vnde infert Couatruuias *de pactis* 1. *part.* §. 5. *num.* 8. in causis spiritualibus, qualis est causa iuramenti assertorij, specialissimum mandatum exigi, & in propriis terminis ita tenent Sanchez *dicto tom* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 19. & Ledesma *tom.* 2. *summæ tractatu* 11. *cap.* 5. *dub.* 2. *corollario* 4. & Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 2. *art.* 2. *ad finem*, quia in eo iuramento exigitur veritas de præsenti.

Caiet. Suarez. Sanch. Petr. Led.

22. Quando autem procurator nomine suæ partis, absque legitimo eius mandato, iurat contractum, quod fieri poterit, si pars dederit procuratori tuo generalem facultatem ad componendam litem, & perficiendum negotium, & non dederit specialem facultatem iurandi, aut firmandi pactum iuramento, non tenebitur pars ex vi illius iuramenti seruare contractum, quia absque legitimo eius consensu præstitum fuit; sed tenebitur ex contractu ob facultatem generalem ei ad contrahendum suo nomine concessam; quod acutè docet Caietanus 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 2. *ad finem.* Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de iuramento promiss. cap.* 31. *num.* 2. Sanchez, Sotus & Petrus de Ledesma *num. præcedenti* relati. Et ratio est, quia excessit procurator suam facultatem, & actus gerium non excedunt intentionem illorum.

23. Ex his fundamentis infertur primò, non esse licitum, quando quis procuratorem in propria causa instituit, dare illi generalem facultatem præstandi quodcumque iuramentum suo nomine; quia non licet procuratori iurare nomine partis, quamcumque veritatem, sed illam solam, quam priùs certò nouit. Vnde cum procurator nequeat veritatem certò cognoscere, nisi specialiter instructus sit à cliente suo, ita vt ipse tanquam dominus causæ specialiter ei dicat, *iura nomine meo hoc*, iniqua erit talis facultas, & virtute illius non poterit procurator iurare. Ita Sanchez, Sotus, & Petrus de Ledesma.

Sanch. Couar.

24. Infertur secundò, minus bene aliquos asseruisse ad iuramentum de calumnia præstandum per procuratorem nomine partis, sat esse mandatum generale ad omnes causas, & speciale ad iurandum de calumnia, quamuis non exprimatur in specie causa, super quam iuramentum hoc præstandum sit, & hanc esse praxim communem docent Bartholus, Alexander, Capella Tholosana, quos refert, sed non sequitur Couarruuias statim allegandus. At hæc praxis iniusta omnino est, requiritur enim ad hoc iuramentum de calumnia præstandum speciale mandatum ad iurandum de ipsa calumnia in causa, & lite nominata speciatim. Nam cum hic procurator iurare debeat in animam partis, non poterit absque eius speciali consensu illam obligare ad periurium. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib* 3. *cap.* 13. *num.* 24. & Couarruuias multis relatis *de pactis* 1. *part.* §. 4. *num* 8.

Sanch. Couar.

25. Infertur tertiò, contra Baldum, & alios, quos refert Couarruuias, posse vassallum ex consensu domini iuramentum fidelitatis domino feudi præstare per procuratorem habentem ad id speciale mandatum iuxta textum *capitis* 5. §. *Verum de statu regular. in* 6. & ita docet Sanchez modò allegatus *num.* 21. & Couarruuias proximè citatus *dicto num.* 8. sed de hac re redibit sermo *num.* 30.

Sanch. Couar. Azor.

26. Et verò quamuis lex petat proprium alicuius iuramentum in aliquo casu, potest id per procuratorem habentem speciale mandatum præstari, dummodo ipse actus talis conditionis sit, vt per alium præstari possit, vt sunt iuramentum fidelitatis, & quod in lite, aut contractibus interponitur. Secus si actus per alium geri non possit, vt est iuramentum, quo quisquam testificari debet, & sic intelligitur *caput* 2. *de testibus.* Ita Sanchez allegatus *num.* 22 & Couarruuias cum multis *de pactis* 1. *part.* §. 4. *num.* 8. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *inst. moral. cap.* 7. *quæst. vltima.* At si lex petat iuramentum propria manu fieri, nequit per procuratorem, ex speciali mandato præstari, *cap. Si verò* 2. *de sent. excomm.* Azor. & Couarruuias & Sanchez allegati contra alios, quos refert Couarruuias. Excipe tamen, nisi in iis, quæ modici, aut nullius sint præiudicij.

Sanch. Caiet. Sotus. Azor. Sanch. Syluest. Caiet.

Duo ad extremum animaduetterim. Primum, quando procurator ex speciali partis mandato iurat, ipse ad nihil manet obligatus; sed solus cliens ipse cuius nomine iuratur, manet obligatus; sicut contingit, quando procurator nomine alterius matrimonium init. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 25. Caietan. 2. 2. *q.* 98. *art.* 2. *fine.* Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 2. *art.* 2. *ad finem.* & Azor. *tom.* 5. *inst. moral. lib.* 15. *cap.* 7. *quæst. vltima.* Alterum est, si talis procurator nomine clientis sui, seu partis iurans, aut dubium, aut falsum, scienter iuret, vtrique periurium incurrunt; quia etsi procurator nomine alieno, & in animam partis iuret, consentit tamen in periurium partis. Ita Sanchez allegatus *num.* 26. & Syluester *verbo, Periurium, quæst.* 3. At quoad pœnas, quę in iure periuris statuuntur, solus cliens est periurus iuxta Sanchez, & Syluestrum. Quod si procurator bona fide pręstet iuramentum ignorans falsitatem, aut dubius instructionis clientis sui, immunis erit à culpa, totaque in partem refundetur, vt bene notat Caietan 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 2. *fine.* 27.

Suarez. Caiet. Couar.

Si pars concedat facultatem procuratori suo ad iurandum, & eam reuocet antequam ad notitiam procuratoris veniat, & ille ista temporis intercapedine, nomine partis iuret, iuramentum illud mandantem partem in foro externo obligabit, in foro verò conscientiæ non obligabit, etiamsi illius reuocatio ad notitiam procuratoris non peruenerit. Ita Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib* 2. *de iuram. cap.* 31. *num.* 5. Caietan. 2. 2. *quæst.* 98. *art* 2. *ad* 4. Couarr. *de pactis* 1. *part.* §. 5. *num.* 7. *in fine.* Ratio est, quia iuramentum proprio ore prolatum si fiat sine intentione iurandi, & sine consensu, non obligat in conscientia; ergo cum procurator iuret nomine partis non habentis intentionem iurandi, tale iuramentum partem in conscientia non obligabit, & confirmatur exemplo matrimonij facti per procuratorem, quod constat in foro conscientiæ esse nullum, si tempore quod contractum fuit, commissio ad contrahendum fuit procuratori reuocata, quamuis ea reuocatio ad notitiam procuratoris non peruenerit, vt patet *ex cap. vltimo de procuratoribus in* 6. vbi pro ratione redditur, quia deficit consensus. At verò, quamuis mandans reuocans mandatum tunc ex vi, ac religione iuramenti in conscientia non maneat obligatus, manet tamen aliunde ratione contractus, iuxta auctores allegatos. 28.

Si autem reuocans mandatum ad iurandum postea illud iuramentum ratum babeat, ex tunc censebitur iurare, & obligari in conscientia iuramento per procuratorem suum facto, quia iam præbuit consensum, & ex tempore, quo illum præbuit, verè fecit suum id, quod apparenter tantum 29.

tantùm nomine ipsius factum fuit, vt habetur *in regulis iuris 9. & 10. de ratihabitione, & mandate.*

30. Animaduertendum tamen est, in aliquibus casibus de iure non admitti iuramentum per tertiam personam, vt cum quis cogitur testificari in iudicio aliquid cum iuramento assertorio. In promissorio tamen si aliquando iurantis præsentia requiritur, id fit ob specialem reuerentiam illius personæ, cui præstatur iuramentum. Vnde asserunt multi iuramentum fidelitatis, & homagium præstandum esse Principibus personaliter. Quod intelligendum est, nisi vassallus sit legitimè impeditus, & nisi dominus aliter contentus fuerit; nam si ille velit, poterit fieri per procuratorem: & si vassallus legitimè impeditus fuerit, vt nequeat commodè ad dominum ipsum accedere, tunc potest etiam ipso domino inuitò mittere procuratorem, aut nuncium speciali mandato instructum ad iuramentum fidelitatis præstandum. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. c. 13. num 21.* Couarruuias *de pactis 1 part. § 5. num. 8.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2 de iurament. promiss. cap. 31. à num. 5.*

Sanch. Couar. Suar.

Capvt XXIII.

Qualiter collegia, vrbes, & capitula iuramento promissòrio adstringantur. Agitur de iuramento seruandi statuta vniuersitatis, sodalitij, aut communitatis; & de iuramento ministrorum publicorum non excedendi suum stipendium, & seruandi secreti in ijs, quæ aguntur, & de iuramento scholasticorum sub pœna præstito.

Svmmarivm.

Collegia, congregationes, monasteria, & capitula possunt se iuramento obligare, quot numero sufficiant ad hanc obligationem. num. 1.

An iuramentum seruandi statuta alicuius vniuersitatis, religionis, aut communitatis intelligatur de statutis iam editis, an etiam de edendis. à num. 2. vsque ad 6.

Iuramenta seruandi statuta alicuius communitatis solùm obligant ad peccatum mortale si contineant rem grauem, & mortalem. num. 7.

Quæ sit materia grauis, & mortalis. num. 8.

Illi qui statuta alicuius sodalitij iurant decernentia aliquid sub certis pœnis faciendum, aut omittendum, non peccant illa omittendo, sed solùm ad pœnam iustè petitam tenentur. num. 9.

Iuramentum seruandi sub secreto ea quæ in communitatibus, aut capitulis, vel tribunalibus tractantur, an obliget in re modica. num. 10.

Scholastici transgressores mandati rectoris vniuersitatis sub pœna præstiti iuramenti quatenus mortaliter, vel venialiter peccent. à num. 11. vsque ad 13.

Non tenetur iurans ratione iuramenti seruare ea statuta, quæ ex aliqua ratione, & causa iam non obligant. num. 14.

Quid si quis iuret simpliciter seruare statuta, & aliqua sint in vsu, alia non sint. num. 15.

Quid si reuocentur per potentem reuocare. num 16.

Quid si statutum iuratum tempore iuramenti ex defectu aliquo non erat iustum, & postea iustum fiat. num. 17.

Quid si non esset in vsu; & postea sit in illo. num. 18.

Quid si statutum iuratum reuocaretur à potenti reuocare; & postea illud de nouo ab eo fieret. num. 19.

Quid si semel acceptatum vim obligandi habet, & postea desuetudine legitima aboletur. num. 20.

Quid si iurans specialiter se velit obligare ad rem ipsam contentam in statuto independenter ab ipso statuto. num. 21.

An in dubio sit præsumenda talis iurantis intentio. num. 22.

An iuramentum quod ministri publici accipiunt, non accipiendi aliquid vltra stipendium taxatum non obliget, quando successu temporis illud stipendium iniustum censetur. num. 23. & 24.

An iuramentum, quod in Castella los iurados *& cæteri ministri publici accipiunt procurandi bonum publicum, se extendat ad procurandum directè bonum spirituale illorum.* num. 25. & 26.

Præmitto in primis collegia, monasteria, & capitula iuramento se posse promissorio obligare: quot verò numero capitulares, collegæ, vel monachi sufficiant, vt tota communitas iuramento obligetur, constabit ex peculiaribus statutis prædictorum collegiorum, capitulorum, aut monasteriorum. Vbi verò statuta hac de re nihil disponunt, de iure communi, dico satis esse, vt iuret maior pars, licet reliqui contradicant; nam quod à maiori parte fit, censetur fieri à toto collegio, & communitate, & ideo cogendi sunt contradicentes consentire cum maiori parte, nisi ostendant manifestam iniustitiam; quia tenentur maiori parti consentire, alioqui enim non posset esse firmum pactum initum cum capitulo, aut collegio. Si verò contingat aliquos non iurare, reuera non obligabuntur illi ex vi, & religione iuramenti, ac proinde non erunt periuri: aliunde tamen ex vi pacti, aut legis, stricta obligatione adstringentur. Quando autem statuta requirunt vniuersalem consensum, licet maior pars consentiat, & velit, & contractum iuret; tamen deficiente aliquo iuramentum cassum omnino, & irritum est; quia cadit supra materiam indebitam. Ita Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. cap 31. de voto, à num 9. vsque ad 12.* 1.

Suarez.

Sed dubium est, an iuramentum seruandi statuta alicuius religionis, ciuitatis, aut vniuersitatis, intelligatur de statutis iam editis, an de postea edendis. Et circa hoc punctum animaduertendum est iuramentum, vel posse fieri de seruandis statutis editis, vel de seruandis editis, & edendis, vel simpliciter de seruandis statutis, nihil explicando de editis, aut edendis. 2.

Statuo primò. Si iuramentum factum sit expressè de seruandis statutis editis, tunc nullo modo extenditur ad edenda. Patet ex *cap. penult. de iureiurando*, docet Cardinalis *ibi num. vnico, paulo post principium.* Ioannes Andr. *ibi num. 1.* Anton. Butrius *ibi num. 3 oppositione 1.* Sanch. *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 14. num. 1.* Ratio est, quia iuramentum non extenditur vltra intentionem iurantis, satis autem iurans suam intentionem declarauit, quando iurauit se statuta edita seruaturum. 3.

Card. Ioan Andr. Butr. Sanch.

Statuo secundò. Idem dicendum omnino est; si 4.

si quis iurauit se seruaturum statuta edita, & edenda, tunc enim nemini dubium esse potest, teneri illum vtraque ex vi iuramenti seruare, modo sint licita, & possibilia, & periurij reum esse, si non seruet. Dixi *modò sint licita, & possibilia,* quia, vt notat optimè Sanchez allegatus *num.* 7. & habetur expressè *cap.* 1. *de iureiurando in* 6 iuramentum ad illicita, & impossibilia non obligat; sicut enim non est vinculum iniquitatis, ita nec vinculum impossibilitatis.

5. Statuo tertiò. Iuramentum simpliciter factum de seruandis statutis nihil verbis, vel intentione declarando circa statuta edita, aut edenda, solùm intelligitur de statutis editis, & non extenditur ad statuta noua, aut edenda, nisi nouum illud statutum, vel ad solius veteris declarationem ederetur, vel ad declarandam tacitam obligationem in aliquo statuto contentam, quia tunc non est nouum statutum, sed idem cum veteri, vt patet ex §. *finali authent. de fil. ante dot. instrum. nat.* Ita docent Baldus ibi, Anton. *cap. penult. de iureiur. num.* 1. Alexander de Neuo *num* 13. *& duplici sequenti.* Angelus *verbo, Iuramentum* 5. *num.* 25. Syluest. *verbo, Iuramentum* 4. *quæst.* 23 Fumus *verbo, Iuramentum num.* 37. Tabiena *verbo, iurare quæst.* 38. Azor *tom.* 1. *Inst. moral. lib.* 11. *cap.* 8. *quæst.* 7. Petrus de Ledesma *tom.* 2 *summa tract.* 11. *cap.* 9. *dubio* 2. *corollario* 2. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. Ratio, ac fundamentum est, quia iuramentum est strictissimi iuris, & interpretationis; vnde nisi sufficienter constet de intentione iurantis strictissimè explicandum est, & magis, vt non obliget, quàm vt obliget, propter periurij periculum. Deinde quia melior est conditio possidentis; iurans autem, quandiu de illius intentione sufficienter non constat, est in possessione propriæ libertatis, & rei promissæ, & iuratæ, quare in dubiis non est ad iuramentum obligandum.

Baldus. Alexand. Anton. Angel. Syluest. Fumus. Tabiena. Azor. Ledesm. Sanchez.

6. Vnde non est recipienda doctrina, ac distinctio Abbatis *in cap. penultimo de iureiurand. n.* 2. & Diui Antonini 2. *part. titulo* 10. *cap* 6. §. 6. & Rosellæ *verbo, iurare num.* 25. & aliorum distinguentium & asserentium si statuta futura, & edenda sint magni momenti, & præiudicij iurantis, iuramentum ad futura statuta non extendi, secus si sint modici præiudicij; & fundamentum accipiunt ex lege finali *cap. quæ res pignor.* vbi sub obligatione bonorum simpliciter facta, intelliguntur etiam bona futura, eo quòd obligatio hæc modicum præiudicium afferat. Verùm alij melius existimant sub obligatione, & donatione bonorum suorum simpliciter facta non intelligi bona futura postea acquisita, & si intelligantur, talem donationem, & obligationem esse omnino inualidam, ne fiat inrestabilis; quia quando quis donat, vel obligat bona sua, nomine bonorum suorum intelliguntur solummodo bona præsentia, & non futura; & ita docet Iulius Clarus *lib.* 4. *sent.* §. *donatio quæst.* 19. *num* 3. Gama *decisione* 206. *num.* 3. Pinellus *C. de bonis matern. part.* 1. *num.* 3. agitur enim in tali obligatione, & donatione de magno præiudicio obligantis, & donantis; si enim omnia obliget, & donet præsentia, & futura, fiet intestabilis ex defectu bonorum; per eam quippe donationem, & obligationem, omnem testandi facultatem sibi quisque adimit, & fit inrestabilis, vt docent prædicti auctores.

Abbas. D. Anton. Rosell.

Iul. Clar. Gam. Pinel.

7. Statuo quartò. Iuramenta seruandi statuta non ita sub mortali obligant, vt transgressor cuiusque statuti etiam minimi peccet mortaliter; sed intelligenda sunt, ita obligare pro vt res illa leuis, vel grauis seruanda in statutis continetur; nimirum, si statutum tanti fuerit momenti, vt obliget ad mortale, obligabit iuramentum ad mortale; si autem sit leue, & leuem materiam contineat, obligabit ad veniale: quod si statutum ad nullam culpam obliget, sed tantùm consilij sit, iuramentum ad nullam quoque culpam adstringet. Ita constat ex Clementina 1. §. *Cum igitur in primis: versiculo, Declaramus, de verbor. significatione,* vbi hoc ita definitur de voto seruandæ regulæ fratrum minorum; ac eadem est ratio de voto, & iuramento promissorio. Et huius rei ratio est, quòd iurantes non iurant præcisè se seruaturos rem illam, vt iacet, & vt in statuto contenta est, sed iurant se seruaturos statutum illud; ergo obligatio iuramenti metienda est iuxta statuti materiam, & obligationem; & ita docet Gerson. 2. *part. in regulis moralibus, tractatu de superbia, alphabeto* 24. *lit. R.* Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 14. *num* 2. Medina 1. 2. *quæst.* 96. *art* 4. *column. penultima, versiculo, Ex his patet, & lib.* 1 *summæ cap.* 16. §. 11. & idem sentiunt Hostiensis, & Gomezius, quos refert, & sequitur Padilha *l. Cum proponas num.* 2. *C. de transact.* Vbi etiam aiunt iurantes aliqua præcepta sub certa pœna non esse periuros transgrediendo ea præcepta, nec peccare mortaliter, sed satis esse pœnam soluere.

Gerson. Sanch. Medin.

Hostiens. Gomez. Padilha.

Ex hac quarta conclusione sequitur primò, tunc solùm materiam statuti iurati esse grauem, & inducere peccatum mortale periurij, quando tanti momenti statutum est, vt secluso prædicto iuramento sufficiens sit illius materia ad inducendam obligationem peccati mortalis. Ratio est, quia iuramentum obligat instar præcepti, illique tantùm nouam addit obligationem sacrilegij, ita vt nouam mortalis sacrilegij culpam transgressio ipsius præcepti, & obligatio iuramenti inducat, quando materia talis est, vt per se sufficiat ad peccatum mortale inducendum; præceptum enim non obligat ad mortale, nisi materia illius talis sit, vt culpam mortalem contineat. Ita Sanchez *dict. tom.* 1. *Decalogi lib* 3. *cap.* 14. *num.* 3. vbi citat Gerson. 2. *part. in regulis moralibus, tractatu de superbia, alphabeto* 24. quatenus ait huiusmodi iuramenta eatenus obligare sub mortali, quatenus diuina lex in iis, quibus fit, sic obligaret. 8.

Sanch. Gerson.

Statuo quintò. Ij, qui statuta alicuius sodalitij, aut confraternitatis iurant decernentia aliquid sub certis pœnis faciendum, aut committendum, nullam culpam committunt, illa transgrediendo, sed solum ad pœnam soluendam iustè petitam tenentur. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 4. & ita dicit fortè esse verum Medina 1. 2. *quæst.* 96. *artic.* 4. *versiculo, Ex his patet.* Docent etiam Ioannes Andreas, Hostiensis & Gomezius, quos refert, & sequitur Padilha *l. Cum proponas num.* 2. *C. de transactión.* quatenus asserunt iurantes præcepta sub certa pœna non fieri periuros, illa transgrediendo, sed solùm ad pœnam soluendam teneri. Et ratio est, quia prædicta statuta ad solam pœnam soluendam legitimè petitam obligant. 9.

Sanch.

Medin. Ioan. Andr. Hosens. Padilha.

Statuo sextò. Iuramenta seruandi sub secreto ea, quæ in congregationibus, aut communitatibus tractantur, quale faciunt oppidorum Rectores, & quidam alij publici ministri, non obligant sub mortali in quauis re modica, sed iuxta grauitatem 10.

uitatem materiæ, quæ deregitur, iudicanda est
culpa; & idem dicendum est etiam si aliquod
speciale secretum, quis iuret se seruaturum, non
enim erit mortalis transgressio, sed venialis, si le-
Sanch. uis momenti secretum sit. Ita docet Sanchez
tom.2. Decalogi lib. 3. cap. 14 num. 5. & cap. 4.
n.23. & huius opinionis sunt etiam omnes, qui
dicunt solam culpam esse venialem transgressio-
nem iuramenti promissorij in re leui, siue ea res
sit totalis materia iuramenti promissorij, siue par-
Suarez. tialis; & hi sunt Suarez *tom 2 de Relig. lib. 3.*
Hen.iq. *cap. 16. a num.9.* Henriquez *lib 5 de pœnit cap 29.*
Rodrig. *num.4. in commento, littera M.* Rodriguez *tom.1.*
Nauar. *summa in 2. edit. cap. 19. num. 5.* Nauarrus *in*
summa Latina cap. 12. num.10. & cap 18. num.7.
Arag. Aragon. 2. 2 *quæst* 89. *art.* 3 *fol.*1061. Azor *tom.* 1.
Azor. *I stit. moral lib 5. cap.27. quæst.2. & lib.11. cap.5.*
Sotus. Sotus *lib.8. de iustit. quæst 1. artic.7 dubio* 1. Ra-
tio est, primò, quia iuramenta obligant instar
præcepti, & solùm addunt nouam rationem &
circunstantiam sacrilegij, si non obseruentur;
præcepta autem non obligant ad mortale, nisi
ratione grauitatis materiæ, vt dictum manet.

11. Statuo septimò Scholastici transgressores
præcepti Rectorum Academiarum sub pœna
præstiti iuramenti, non sunt periurij mortalis rei,
vbi materia non est grauis. v. c. cum iubentur
sub pœna præstiti iuramenti interesse certæ con-
gregationi publicæ, & solemni supplicationi,
Sanch. Missarum sacrificio, &c Ita Sanchez *tom. 1. De-*
Vasq. *calogi lib 3. cap.14. num.6.* Vasquez 1 2. *quæst.96.*
Azor. *artic.4 disput* 158 *cap.5 num. 51.* Azor. *lib. 11.*
Couar. *instit. moral. cap.8. quæst. 11.* Couarruuias *de pa-*
Medin. *ctis 1. part. §.7 fine* Medina *lib 1. summa cap. 16.*
§.11. & 12. quæst 96 arts. 4. versiculo; verum ve-
Rodrig. *veritas* Manuel Rod. *tom.2. summe cap. 9. num.*
Driedo. *vltimo.* Driedo *lib 2. de libert. Christiana cap.1. an-*
te proposit.3 in alia edit. lib 1. cap. 2. artic. 3. ante
Maior. *tertiam propositione* Maior. *in 3 dist. 39. quæst.4.*
Ratio est, quia huiusmodi præcepta piè & non
admodum rigorosè sunt interpretanda, & vt
solùm scholastici memores iurisiurandi præstiti,
cuius vinculo adstricti sunt, ea præcepta non con-
temnant

12. Imò quamuis Rectoris intentio esset in his re-
bus leuibus velle eos grauiter, & sub mortali
obligare, non obligarent ad mortale talia præ-
cepta Ita Sanchez, Driedo, Rodriguez allegati,
& Medina prædicto *articulo* 4. vbi bene asserit
culpam esse venialem in his rebus leuibus absque
causa legitima non obedire. Quod intelligen-
dum est, nisi ex alia circunstantia boni commu-
nis adiuncta quam Rector intenderet, res fieret
grauis, & caderet sub peccatum mortale, vt ra-
tione scandali vitandi, vel ratione iacturæ boni
communis Religionis, aut ipsius vniuersitatis;
res enim, quæ de se apparet leuis, potest sæpe
ob actus excellentiam, aut necessitatem fieri ma-
teria grauis, & capax peccati mortalis. Vnde be-
Valent. ne docet Valentia 1. 2. *disput.7. quæst.5. puncl.6.*
col. 917. decipi nonnullos existimantes non obli-
gare præceptum prælati sub mortali de seruando
silentio, hoc aut illo tempore, aut de efficienda
re aliqua, quæ ex se leuis est; quia fieri potest, vt
circunstantia aliqua temporis, vel rei necessitatis,
exiguæ materiæ grauitatem addat, & ideo notat
Suarez. optimè Suarez *tom.5. de censuris in 3 part. disp. 4.*
sect.6. num.11. debere satis certò, & indubitan-
ter constare materiam esse leuem, vt iudicemus
præceptum; quod aliàs ex verborum tenore ad
mortale obligaret, non sic obligare; quia in du-
bio non est spoliandus superior sua possessione.
Ita docent idem Suarez, ibi, & Sanchez *tom. 1.* Sanch.
Decalogi lib 1. cap.4. num.3. Castro *lib. 1. de lege* Castro.
pœnali cap. 5. documento. 2. Driedo *de libertate* Driedo.
Christiana lib.2. cap.1. post secundam propositionem,
versu Temerariè mandantium, & Sayro *in claui re-* Sayr.
gia lib.4. cap.7. num.14.

Vnde si materia sit grauis, præceptum rectoris 13.
sub pœna præstiti iur. ad mortale obligaret, vt si
rector sigillatim vocaret aliquos pro causis gra-
uioribus decidendis, & ex iure omnium præsen-
tiam requirentibus. Ita Medina *num. 11. vtroque* Medin.
loco allegatus. Driedo, & Emanuel Rodriguez
ibid. citati. Quidam putant materiam grauem esse
quando scholastici sub pœna præstiti iur. iuben-
tur, vt rectorem comitentur in die Sancti Nico-
lai, & similibus grauioris concursus; & Medina
in summa cap.16 §.11. censet materiam esse gra-
uem, & peccati mortalis capacem iudicis schola-
sticos feriis contra statutum Vniuersitatis; sed
neutrum iudicat esse materiam grauem (& re-
ctè) Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3 cap.14 n.6. fine.* Sanch.

Statuo octauò. Non tenetur iurans virtute 14.
iuramenti obseruare ea statuta, quæ ex aliqua ra-
tione, & causa iam non obligant; v. c. quia vsu
recepta non sunt, aut in dissuetudinem abierunt,
quia tale iuramentum solum intelligitur de solis
statutis; quæ in viridi sunt obseruantia. Quoties
igitur ex quauis causa obligare desinunt, cessat
eius obligatio. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalo-* Sanch.
gi lib 3. cap. 14. num. 8. Driedo *lib. 2. de libert.* Driedo.
Christiana cap. 1. post 3 propositionem in alia edi-
tione lib.1. cap.2. art. 3. post eandem 3. propositio-
nem. D. Anton. 3 *part. titulo.10. cap.6. §.6. fine.* D. Anton.
Syluester *verbo, iuramentum 4. quæst.23. fine.* Ta- Syluest.
biena *verbo, iurare, quæst. 36. fine.* Nauarrus *in* Tabien.
summa cap. 25 num.24 Azor *tom. 1. Inst. moral.* Nauar.
lib.11. cap.8. quæst. 8. Burgos. de Paz *l.31.* Tauri Azor.
num 365 & 366 & multi alij, quos refert, & se- Burgos.
quitur Gutierrez *de iuramento 1. part. cap. 38.* Gutier.
num 14. Et ratio est, quia illa non sunt statuta:
desierunt enim esse statuta, vbi primum obligare
desierunt; iuramentum autem fuit illis accesso-
rium, & accessorium sequitur principale. Vnde
si ipsa statuta non obligabant, neque iuramentum
obligat.

Hinc, cum quis iurat, se seruaturum simplici- 15.
ter statuta, in quibus aliqua recepta, & vsu ap-
probata sunt, alia verò in vsu non sunt, & in dis-
suetudinem abierunt, solùm illa tenetur obserua-
re, quæ in vsu sunt. Nec solùm hoc est intelli-
gendum, quando quis iurat, se simpliciter serua-
turum statuta, sed etiam quando in indiuiduo ab
aliquo petitur iuramentum seruandi alicuius pe-
culiaris statuti; id enim iuramentum intelligen-
dum etiam est de illius obseruatione prout vsu
tale statutum receptum est, & eodem modo, quo
receptum est, & quatenus obligat; non verò ab-
solutè, & pro ea parte qua non obligat, vt opti-
mè docet Suarez *tom.4. in 3. part. disp. 35. sect.3.* Suarez.
num.5. & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 14.* Sanch.
num 9.

Et idem dicendum est, si statutum reuocetur, 16.
per potentem reuocare; tunc enim similiter iu-
ramentum de illius obseruatione non obligabit,
vt docent Ioannes Andreas & Abbas, quos re-
ferunt, ac sequuntur Angelus *verbo, Iuramen-* Angel.
tum 5. num. 39. Syluester *verbo, Iuramentum 4.* Syluest.
quæst.2. Tabiena *verbo, Iurare, quæst. 36.* Caiet. 2. 2. Tabien.
quæst.89. art.9. ad finem, Sotus *lib.8. de iust. q. 1.* Caiet.
art.9. columna vltima. Sotus.

Statuo

17. Statuo nonò. Si statutum iuratum tempore iuramenti ex defectu alicuius circumstantiæ non erat iustum, nec licitum, & tamen postea licitum, & iustum fiat, solùm obligabit à tempore, quo iustum, & licitum factum fuit. v. c. iurauit quis seruare certa aliqua statuta inter quæ est vnum non obligans; quia nondum est à superiore confirmatum, non obligat iuramentum ad illius obseruationem pro tempore, quo illa deest, ea tamen accedenti obligat. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 14. num. 15.* & Nauarrus *in summa Lat. cap. 12. num. vltimo.* Ratio est, quia tale iuramentum non est restrictum ad tempus, quo illud statutum iniustum erat, aut non ligabat, erat enim extensum ad totum tempus futurum; ergo obligabit pro eo tempore, quo firmitatem, & confirmationem obtinuerit. Sicut, qui modò est excommunicatus, & vouet se quotidie auditurum sacrum, tenetur audire, non tempore excommunicationis, quo id ei est illicitum, & prohibitum; sed tempore, quo ab illa liber, & absolutus fuerit.

Sanch. Nauar.

18. Idem dices, si aliquod ex prædictis statutis iuratis non esset in vsu; quandiu enim vsu receptum non est, non obligat iuramentum ad illius obseruationem; post receptionem tamen obligabit, quia eius obligatio non censetur simpliciter reuocata, sed est suspensa, quoad vsque acceptetur à subditis; ergo ex tunc obligabit iuramentum, sicut & statutum; accessorium enim sequitur principale, & iuramentum est accessorium, statutum principale. Ita docet Sanchez modò allegatus *num. 12.* & Nauarrus *lib. 1. consil. in vtraque editione, titulo de constit. consilio 5. quæst. 7. num. 18.*

Sanch. Nauar.

19. Si tamen statutum reuocaretur per illum, qui legitimam potestatem reuocandi habet; quamuis postea de nouo fieret, ederetúrque, non obligaret iuramentum ad illius obseruationem, quia eius obligatio simpliciter per talem reuocationem fuit extincta, & non suspensa; & si iterum prædictum statutum suscitetur, perinde est, ac si de nouo fieret; iuramentum autem de obseruandis statutis solùm intelligitur de statutis dumtaxat tempore iuramenti editis, vt diximus *num. 5. conclusione 3.* nam huiusmodi statutum, vbi semel est reuocatum, perinde est, ac si nunquam extitisset; & quando de nouo editur, est omnino nouum, & aliud censetur. Ita docet, & optimè, Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. capite 14. num. 12.*

Sanch.

20. Idem quoque dices, si semel acceptatum, vim obligandi accipiat, & postea dissuetudine legitimè fuerit abolitum: quamuis enim postea noua iterum consuetudine induceretur, iuramentum ad illius obseruationem non obligabit. Ratio est, quia cum consuetudo potens sit legem instar principis reuocare, vt constat ex *cap. finali de consuetudine*, idem est, ac si Princeps illud reuocasset, & postea edidisset, simpliciter enim fuit extincta illius obligatio, & postea cum iterum suscitatur, aliud de nouo fieri censetur. Ita docet idem Sanchez *dicto num. 12. fine.*

Sanch.

21. Hæc tamen limitanda sunt, nisi iurans se vellet specialiter obligare ad rem ipsam contentam in statuto independenter ab statuto, quod rarò accidet; tunc enim etiamsi statutum reuocetur à Principe, vel consuetudine legitima, & non obliget, si res illa est licita, & honesta, tenebitur quis ex vi iuramenti ad obseruandam rem illam; quia iuramentum ex sua speciali intentione ad id fuit extensum; & ita docent Sanchez *dicto tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 14. num. 13.* Abbas *in cap. Dilecto, num. 19. de præbendis.* Angelus *verbo, Iuramentum 4. quæst. 2.* Tabiena *verbo, Iurare, quæst. 36.* Fumus *verbo, Iuramentum, n. 36.* Driedo *lib. 2. de libert. christiana cap. 1. post tertiam propositionem; in alia editione lib. 5. cap. 2. art. 3. post 3. propositionem.*

Sanch. Abbas. Angel. Tabien. Fumus. Dried.

22. In iudicio tamen non est præsumenda talis iurantis intentio, quia in dubiis melior est conditio possidentis suam libertatem. Ita Sanchez *dicto tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 14. num. 13.* Vnde quoties ab auctoritate publica petitur iuramentum obseruandi statutum, semper id intelligendum est, quatenus statutum obligat, quia nec potestas publica potest, nec censetur alio modo id iuramentum petere.

Sanch.

23. Statuo decimò. Iuramentum quod ministri publici, iudicesque, & tabelliones accipiunt, nihil amplius accipiendi pro actione aliqua sui muneris vltra stipendium sibi à lege, vel à Rege taxatum, non obligat, quando à viris doctis probabiliter iudicaretur tale stipendium successu temporis minus sufficiens, & iniustum esse. Ratio est, quia iuramentum non potest obligare ad id quod iniustum est, non enim est vinculum iniustitiæ. Deinde, quia iuramentum seruandi aliquod statutum semper intelligitur, quatenus illud iustum est, & obligatorium; non ergo obligabit iuramentum ad eam taxam, quando iudicio prudentum iniusta censetur. Et ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 14. num. 14.* Molina *tom. 1. de iust. disp. 83. versu, Vt ad rem redeamus, fol. mihi 508. colum. 2.* Syluester *verbo, Restitutio 3. quæst. 5. pronunciato 10.* D. Anton *2. part. tit. 2 cap. 5. §. 1. & 3. cap. vlt. §. 51.* Sed hac de re latiùs redibit sermo *lib. 8. octaui præcepti, cap. 20. à num. 1. vsque ad 9.*

Sanchez. Molin. Syluest. D. Anton.

24. Dices, iurans latroni cogenti, se ei daturum pecuniam, tenetur soluere, etiamsi iniustè latro id exigat, non aliam ob causam, nisi quia iurans, tale iuramentum licitè exequi potest; ergo cum similiter iuramentum seruandi legem, taxantem publicis ministris stipendium iniustum possit ab illis iustè executioni mandari; tenebuntur illi eam legem seruare, & non poterunt licitè iustum stipendium extra legem accipere. Respondeo esse diuersam rationem, quia latro petens pecuniam intendit obligare promittentem ad illam ei reddendam, & promittens licitè iurauit, & promisit latroni eam pecuniam ad redimendam suam vexationem, imò potius ad vitam emendam; & ideo cum promissio, & iuramentum ex parte illius sit iusta, licet ex parte latronis sit iniusta petitio, tenetur in conscientia Deum testem efficere rei veræ, & veræ promissionis, quam latroni fecit. At authoritas & potestas publica, quando prædictum iuramentum à publicis ministris petit, non intendit eos obligare ad seruandum iuramentum iniustum. Vnde quoties constat stipendium illud esse iniustum; & insufficiens, vt quando ratione temporis iniustum factum est, tale iuramentum nec ex parte iurantis, nec ex parte potestatis publicæ illud petentis obligat. Vnde est diuersa omnino ratio, vt patet.

25. Sed ad vltimum petes, an iuramentum, quod nonnulli ministri publici accipiunt, vt sunt illi, qui in Regno Castellæ, *Iurados, aut viginti quatro*, appellantur; in Lusitania, *Misteres*, siue, *tribuni populi*, procurandi bona ciuitatis, & Reipublicæ

publicæ teneantur ex vi iuramenti inquirere peccata publica, eáque denunciare ministris Reipublicæ, vt illorum emendationem procurent. Respondeo de hac re partitam esse opinionem. Prima docet eos teneri ex vi iuramenti procurare bona Reipublicæ, & suæ parochiæ, & peccare mortaliter, & esse periuros si notabiliter in hoc negotio negligentes sint, tenerique proinde peccata publica denunciare, vt publicos concubinarios, vsurarios, mensas ad ludos publicè expositas, iudicibus sæcularibus, parochis, vel prælatis, & de his inquirere, vt denuncient. Et hanc tenet Emanuel Rodrig. *tom. 2. summa, cap. 28. num. vnico, in quarta interrogatione.* Probat autem id Primò, quia sunt Reipublicæ quasi patresfamiliàs, at hi ad hoc tenentur, ergo & illi. Secundò, quia *l. 13. §. 8. tit. 2. lib 8. & l. 10. tit. 1. lib. 7. noua recopilationis regiæ*, iubentur huiusmodi decuriones in sua parochia habitare, vt melius possint suum munus obire, quod ad nihil aliud ordinatur, nisi vt meliùs possint temporales & spirituales necessitates ciuium agnoscere, eisque occurrere. Et id ipsum tenet etiam Petrus Nauarra *lib. 3. de rest. cap. 3. in noua editione, dubio 3. num. 20. versiculo 2.* Peccant ex eo fundamento, quòd huiusmodi decuriones hoc iure iurando promittunt, eum ad hoc munus admittuntur, & hoc est eorum munus speciale, vt sint tanquam speculæ Reipublicæ.

Rodrig.

Petr. Nauar.

26\. Secunda opinio docet huiusmodi decuriones ad hoc non teneri; sed sua tantùm interesse, prospicere rebus ad regimen tantùm politicum ciuitatis, parochiæ & Reipublicæ pertinentibus, vt de prouisione populorum, de pretiis rerum venalium, de conseruandis, defendendisque ciuitatis rebus, & redditibus, & de eis legitimè expendendis, de frumento deposito tuendo, & procurando, ne ministri publici iniuriam ciuibus inferant, suisque ministeriis abutantur; ne sint latrones publici in viis, vt pestis auertatur, vt infectis medicina, & omnia necessaria remedia adhibeantur, & his similia. Et ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 14. num. 16.* vbi asserit se hac de re consuluisse omnes peritissimos regiæ cancellariæ Granatensis aduocatos, & omnes vnanimi conspiratione ita sibi respondisse, & id sua subscriptione firmasse, & ego huic sententiæ subscribo; & eam etiam videtur tenere Azeued. *in Curia Pisana lib 2. cap. 3. num. 1.* vbi ait in conuentibus his sæcularibus solùm agi de pertinentibus ad politicum ciuitatis regimen. Et ratio est Primò, quia leges Regni Castellæ, & Lusitaniæ, quæ declarant quid decurionibus incumbat, nunquam meminerunt de obligatione inquirendi peccata publica, eáque puniendi, nec illi sunt socij, aut adiutores Iudicum, & Prætorum, aut Prælatorum, quibus id ex officio incumbit. Secundò, quia non sunt oculi ciuitatis, quasi Patresfamiliàs illius ad omnia peccata publica extirpanda; sed ad prospiciendum bono vrbis regimini, ad cauenda eius damna, vt diximus, & ad hoc iubentur in sua parochia habitare, vt optimè explicat Curia Pisana *lib. 2. cap. 26. num. 4.* his verbis. *Quilibet in sua parochia habet curam plebis, & debet habere, vt non fiat alicui plebeio grauamen.*

Sanch.

* *
*

Caput XXIV.

An iuramentum præstitum ab aliqua vniuersitate seruandi statuta illius, quibusdam illa non obseruantibus, obliget. Quando possit, & censeatur vniuersitas statutum à se factum reuocare. Et qualiter mutua promissio inter duos facta iurata, aut non iurata, cedens in Dei honorem, iurantes adstringat.

Summarium.

Quando de opposita iurantium intentione non constat, iuramentum seruandi statuta vniuersitatis, aut communitatis non obligat, quando maior pars illorum illud non seruat. num. 1.

Quando possit, & censeatur vniuersitas aliqua, aut communitas statutum à se factum, reuocare, & an requiratur, quod collegialiter, & simul omnes illud reuocent. à num. 2. vsque ad 9.

Si duo sibi inuicem iuramento promittant religionem intrare, an ingresso vno teneatur alter ingredi ex vi iuramenti. num. 10.

Quid si constare non possit an hæc iuramenta, & promissiones sibi adinuicem referantur, & vna fuerit dependens ab alia. num. 11.

Quid si iuramento, aut voto hæ promissiones confirmata non fuerint. num. 12. & 13.

Si promissio sit respectiua dependens vna ab alia per modum contractus, facio, vt facias, si res non est integra, quia iam alter cœpit implere, tenetur alter suam promissionem implere. n. 14.

Si res est integra, & neuter cœpit implere, neuter potest altero inuito resilire, de consensu tamen illius potest. num. 15.

Quid si alter sit in mora, & implere suam partem recuset. num. 16.

Quid si promissio non sit respectiua, & per modum contractus; sed vna independens & dissoluta ab alia. num. 17.

Quid si in his dissolutis, & independentibus promissionibus vera se obligandi adsit intentio. num. 18.

Quid si duo concubinarij sibi ad inuicem promittant fidelitatem sub iuramento, an tale iuramentum obliget. num. 19.

Quid si huiusmodi promissiones ad inuicem facta Dei honorem concernant. num. 18. ad medium, & num. 20.

An remissio illarum, si honorem Dei concernant, ad solum illum pertineat, cuius intuitu, & causa fiunt. num. 21.

Circa primam quæstionem in titulo tactam, sic primò Statuo: Quando de opposita iurantium intentione non constat, iuramentum ciuitatis, vniuersitatis, & communitatis seruandi statuta illius non ligat, quando maior eius vniuersitatis, aut communitatis pars, illa non seruat. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 15. num. 2.* Azor. *lib. 11. inst. moral. tom. 1. cap. 8. quæst. 8.* Sà *in summa, verbo, Iuramentum, num. 25.* Probatur, quia in tali casu non est credendum, velle aliquem se obligare, nisi id expressè intendat: solùm enim 1.

Sanch.
Azor.
Sà.

se

se volunt iurantes obligare ad illa statuta, quæ in ciuitate, vniuersitate, aut communitate obseruantur; non dicuntur autem seruari maiori parte non obseruanti.

2. Circa secundam quæstionem, & partem tituli quando possit, & censeatur vniuersitas, aut communitas, statutum iuratum à se factum reuocare; Præmittendum est dupliciter posse personas vniuersitatis, aut communitatis statutum aliquod iurare. Primo modo, quando iurant, quatenus singulares personæ sunt, quod tunc fit, quando iurant id, quod per singulares vniuscuiusque personas seorsum implendum est, vt dum iurant, quòd nullus nocte domo egrediatur, nullus nisi in albo matriculæ adscriptus suffragium ferat, aut vocem in capitulo, & claustro habeat. Posteriori modo iurant non vt singulares personæ, sed vt vniuersitas quædam, quod tunc fit, quando iurant id, quod non per singulares personas seorsim implendum est; sed collegialiter coniunctæ nomine vniuersitatis, vt si decernant non esse admittendam aliquam personam ad eam vniuersitatem, sodalitium, aut congregationem, nisi talibus conditionibus sit affecta, & nisi per suffragia collegialiter accepta, nullum esse admittendum infra certum suffragiorum numerum; nullum esse dimittendum nisi omnes simul conueniant, & votum ferant; hæc enim omnia per singulos seorsim fieri nequeunt; sed oportet vt omnes nomine totius vniuersitatis coëant, & congregentur.

3. His notatis statuo secundò. Quando statutum iuratum est priori modo, & vt singulares personæ sunt, & per singulas sigillatim seruandum est; potest vniuersitas illa, & congregatio simul congregata illud reuocare, eóque reuocato obligatio illius extinguetur. Ratio est. Primò, quia natura statuti talis est, vt reuocari queat, & iuramentum ad illam accedens eam non mutat, cum non sit de non reuocando statuto. Poterit ergo reuocari tale statutum, non ab vnaquaque persona, sed à tota vniuersitate simul, & collegialiter sumpta, & vt vniuersitas est: quare iuramentum solum obligabit dum statutum reuocatum non fuerit, vt patet. Secundò, quia reuocatio est actus licitus de se, ac proinde quamuis licitè fieri nequeat ab vnaquaque persona singulariter sumpta propter iuramentum, bene poterit ab omnibus simul sumptis, & collegialiter congregatis. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 15. num. 4.* Abbas *in capite, Dilecta num. 19. de prebend.* Angelus *verbo, Iuramentum 5. num. 39.* Syluester *verbo, Iuramentum 4. quæst. 2. dict. 3* Tabiena *verbo, Iurare, quæst. 36.* & plerisque aliis allegatis Gutierrez *de iuramento 1. part. cap. 38. n. 16.* vbi cum aliis addit optimè secus esse si iuramentum esset de non reuocando huiusmodi statuto; tunc enim reuocari non posset absque periurio etiam ab vniuersitate, vt vniuersitas est, & simul sumpta, nisi deficeret causa finalis illius, vt patet *ex capite, Dilecto filio, de prabendis, & dignit.* ibi. *Huiusmodi clausula prohibitionis adiecta, vt si quicquam contra id fieret, non valeret.*

Sanch.
Abbas.
Angel.
Syluest.
Tabien.
Gutier.

4. Statuo tertiò. Quando statutum iuratum est posteriori modo, v.c. quando omnes personæ vniuersitatis statutum iurant, non vt per singulares personas implendum, sed collegialiter nomine vniuersitatis, nequit vniuersitas illa, etiam vt vniuersitas est collegialiter congregata, illud reuocare. Patet ex *cap. Dilecto filio, de prabend. & dignitat.* ibi, *nisi forte statutum aliquod obseruaret quod esset iuramento firmatum, huiusmodi clausula prohibitionis adiecta, vt si quicquam contra id fieret, non valeret.* Ita docent Abbas *eo capite, Dilecto num. 19.* Angelus *verbo, iuramentum 5. n. 39.* Syluester *verbo, iuramentum 4. quæst. 2. dict. 3.* Tabiena *verbo, Iurare quæst. 36.* Sanchez *dicto tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 15. num. 5.* Couarruuias *de pactis 2. part. §. 2. num. 5. versiculo, Ego verò*, qui addit per illum textum fore irritum, quicquid contra hoc iuramentum gestum fuerit. Ratio est, quia per huiusmodi statutum collegialiter iuratum, & factum, omnes personæ prædictæ vniuersitatis sibi potestatem ademerunt contrarium agendi. Nec opus est, vt clausula prohibitionis tunc adiiciatur, vt si quidquam contra factum sit, non valeat; quia vbi primum collegialiter statutum iuramento confirmant, prædictam sibi potestatem illud postea abrogandi videntur adimere. Poterit tamen Summus Pontifex illud ad eorum petitionem abrogare ex causa, non obstante prædicta clausula, *vt si quicquam contra gestum fuerit, non valeat*, quia ea posita non valet respectu Summi Pontificis, cum sit in præiudicium illius iurisdictionis, vt patet. Nec obstat commune pronunciatum: *obligatio per quas causas oritur, per easdem tollitur*; nam id intelligendum est manente causa eadem, iurisdictione, & potestate; hi verò vbi primum collegialiter iurarunt, sibi potestatem contrarium agendi ademerunt.

Abbas.
Angel.
Syluest.
Tabien.
Sanch.
Couar.

Limitant tamen hoc Abbas, Angelus, Syluester, & Tabiena, vt non possit vniuersitas illa collegialiter congregata illud statutum sic iuratum reuocare, nisi propter fauorem, & bonum publicum, quia semper hic casus videtur in tali iuramento exceptus, vt, scilicet, sine periurio integrum sit prædictæ vniuersitati illud statutum abrogare, eique causa boni publici contrauenire. 5.

Et verò quoties vniuersitas illa collegialiter sumpta potest statutum illud à se iuratum reuocare, non obstabit prædictæ reuocationi, quod sit à Papa confirmatum; non enim obstat talis confirmatio facta in forma communi sine clausula irritante id quod contra illud factum fuerit, si statutum illorum fauorem concernat, cum talis confirmatio in forma communi in illorum fauorem facta sit. Ita docet Glossa *in capite, Dilecto filio, de prab. & dignit. in verbo, Huiusmodi Clausula*, ibi: *quia talis confirmatio in eorum fauorem facta fuit, & ideo non tollit quin possint contrauenire si voluerint, nisi clausula irritans adyciatur*; Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 15. num. 6.* Syluester *verbo, Iuramentum 4. quæst. 2. dicto 5.* Tabiena *verbo, Iurare quæst. 39.* & Emanuel Rodriguez *tom. 2. quæst regul. quæst. 58. artic. 5. in fine*, Couarruuias *de pactis 2. part. §. 2. num. 6.* Gregorius Lopez *l. 12. verbo, sobre las gentes, in 2. limitatione in fine, titulo 1. part. 1.* talis enim confirmatio vim priuilegij habet, cui possunt renunciare illi in quorum fauorem cedit; quod verum est, addit Syluester, etiamsi materia statuti talis sit conditionis, vt statutum minimè valeat absque superioris confirmatione, & modò confirmatio illa facta sit in forma communi vt dixi: nam si habeat clausulam irritantem, quæ irritet in posterum quicquid contra tale statutum sic confirmatum, factum fuerit, non poterit tunc nec etiam à tota vniuersitate collegialiter sumpta reuocari, vt patet ex *dicto capite, Dilecto filio, de prabendis. versu, Nisi forte*, ibi in decretalib. *Nisi* 6.

Sanch.
Syluest.
Tabien.
Rodrig.
Couarr.
Greg. Lop.

*forte statutum aliquod obuiaret, quod esset iuramen-
to confirmatum, vel cui sedis Apostolicæ confirma-
tio accessisset, huiusmodi clausula prohibitionis adie-
cta, vt si quidquam contra illud fieret, non valeret.*

7. Addit etiam Couarruuias multis allegatis con-
tra alios, quos ibi refert, sed non sequitur,
hoc etiam verum esse, etiam si Summus Pon-
tifex in confirmatione clausulam aliquam talem
reuocationem irritantem addat, vt si dicat, dum-
modo contra non veniatis, & dummodo irri-
tum sit quicquid contra tale statutum gestum
fuerit; adhoc enim possent illud reuocare ij, in
quorum fauorem statutum factum, & confirma-
tum est; quia confirmatio illa, adiecta illa clau-
sula, non mutat naturam statuti de se reuocabilis,
& quia nemo cogi potest suo fauore vti.

8. Si tamen statutum illud fauorem aliorum, aut
bonum publicum concernat, nequit Vniuersitas
illa illud reuocare; non solùm quia actus in præ-
iudicium alterius factus, est illicitus & inualidus;
sed quia superior per confirmationem adiecta
clausula irritanti videtur illud suam propriam dis-
positionem efficere; nam omnia illa, quibus quis
auctoritatem præstat, sua propria efficit, iuxta
Sanch. *capite, Si Apostolica de preb. in 6.* Ita docet San-
chez *dicto tom. 1. Decalogi cap. 15. num 6. ad
finem*: & sic per hanc distinctionem concordant
multi Bartholum & Baldum inter se in hoc pun-
cto contrarios.

9. Illud certum videtur, quando Vniuersitas po-
test statutum reuocare, satis esse, vt reuocare
censeatur, quod statuentes, aut eorum successo-
res veniant scienter, & collegialiter contra præ-
dictum statutum etiam vnico actu, vt docet
Ioannes Andreas, Hostiensis & Abbas; quos re-
Syluest. ferunt, & sequuntur Syluester *verbo, iuramen-*
Sanchez. *tum quæst. 2. dicto 3.* & Sanchez proximè allega-
tus *num. 7.* Nec tunc contraueniendo erunt per-
iuri, cùm eo ipso statutum reuocent, & sic cesset
obligatio iuramenti circa illud.

10. Accedamus tandem ad tertiam quæstionem,
& partem tituli, qualiter, scilicet, mutua promis-
sio inter duos, aut plures sine iuramento facta,
aut illo confirmata, rei cedentis in Dei hono-
rem obliget, quando duo sibi mutuo iurant, aut
voto promittunt se ingressuros religionem, se in
hospitali pauperibus inseruituros, non lusuros,
aut non iuraturos. In quo puncto quærimus, an
hæ promissiones, & obligationes iuramento, vel
voto firmatæ, ita ad se inuicem referantur, vt
vnus non obligetur, altero suam non implente.
Et quidem ab hac difficultate bene se excutit
Azor. Azor *tom 1. instit. moral. lib 11. cap. 8. quæst. 4. fi-
ne*, asserendo, si huiusmodi promissiones ad se
inuicem non referantur; sed vnus sine depen-
dentia promissionis alterius id vouit, aut iurauit,
non liberari vnum, quamuis alter promissionem
suam non impleat. Constabit autem, an inde-
pendenter ab alio promiserit, ex intentione pro-
mittentis: si tamen ad se inuicem referantur, &
vnus dependenter ab alio promisit, si vnus defi-
ciat, & non impleat, non tenetur alter suam pro-
missionem voto, aut iuramento firmatam imple-
re; quia tunc tacitam habent conditionem, vt
solùm eæ promissiones obligent altero implente.
Sanch. Et ita cum Azor docent etiam Sanchez *tom. 1.
Angel. Decalogi lib. 3. cap. 15. num. 8.* Angelus *verbo,
Syluest. Iuramentum 6. num. 2.* Syluester *verbo, Iuramen-
Tabiena. tum 5. quæst. 9. in fine*, Tabiena *verbo, Iurare q. 20.*
& alij.

11. Quando verò ex circunstantiis diiudicari ne-
quit, vtro modo iuramentum, aut votum fuerit
emissum, sed res dubia, & anceps est, existimat
Sanchez allegatus ex materiæ natura, quæ potis-
simùm in Dei honorem, & reuerentiam cedit, iu-
dicandum esse iuramentum aut votum vnius
non referri ad alterius iuramentum; atque adeo
non cessare eius obligationem, altero non im-
plente. Ducitur Sanchez primò, quia tunc de vo-
to, aut iuramento constat, de possessione autem
libertatis vouentis, & de liberatione à voti & iu-
ramenti obligatione est dubium; ergo possessio,
& præsumptio stat pro voto. Secundò, quia ra-
tione prædictæ materiæ dum dubium est, an cau-
sa hominis, an potius in Dei honorem emissa
sint, iudicandum est in Dei honorem emissa esse,
vt optimè animaduertit Sotus *lib. 8. de iust. q. 1.* Sotus.
art 9. col. vltima. Et ego huic sententiæ Sancij
subscribo. An autem hi mutuo sibi possint obli-
gationem hanc iuratam & voto firmatam relaxa-
re, alibi dicemus latiùs.

. Sed præcipuum dubium est an quando hu- 12.
iusmodi promissiones non sunt voto, aut iura-
mento promissorio firmatæ; sed solùm datur
mutua, simplex, & nuda promissio alterius ad al-
terum ingrediendi Religionem. v. c. non luden-
di non iurandi &c. an tunc talis promissio obli-
get, nec ne. Ratio dubitandi est, quia non vide-
tur cuiusque illius interesse, vt ea promissio im-
pleatur, sed solius Dei, Deo autem nihil promis-
sum est, sed soli homini.

Vt tamen rem decidamus, notandum est has 13.
promissiones fieri dupliciter posse. Primò, per
modum pacti respectiui, & mutuæ, ac reciprocæ
promissionis, ita vt sit contractus, *facio vt facias*.
Vt si duo conueniant inito fœdere, vt ambo ad
religionem conuolent, vel si vir, & vxor pactum
ineant vt defuncto altero, alter ad secundas nu-
ptias non transeat, ita vt alter alteri se obliget
præcisè tantum ratione obligationis alteri factæ.
Secundò, non per modum pacti, quia vt vnus
tantùm alteri promisit, aut si mutua fuit promis-
sio, non fuit per modum pacti, sed vtraque fuit
separata, & independens ab alia; & quando
priori modo, & per modum pacti facta fuit vtra-
que promissio; vel res adhuc est integra, quia
neuter implere incepit; aut non est integra, quia
iam alter implere cæpit. His notatis,

Sic statuo quartò. Si promissio sit respectiua 14.
per modum contractus, *facio, vt facias*, si res non
est integra, quia iam alter cæpit implere, tene-
tur alter stare promissis, & Religionem ingredi;
pauperibus in hospitali seruire, non ludere, non
iurare &c. iuxta pactum initum inter illos. Ita
docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 15. n. 11.* Sanchez.
& facit Meres *de maioratib. 1. part. quæst. 25. in* Meres.
prima editione, quatenus ait quando vir, & vxor
scriptura publica maioratum communi pacto in-
stituunt, ita vt vnus sine alio non institueret, neu-
trum posse, altero inuito, ab ea institutione resi-
lire, eo quod sit quoddam reciprocum pactum,
& onerosa conuentio, atque contractus; de con-
sensu autem alterius posse; defuncto autem al-
tero nullatenus licere superstiti à pacto resilire:
quia tunc non censetur res omnino integra, cum
ex parte defuncti iam censeatur pactum quoad
executionem inceptum. Ratio est, quia in con-
tractibus innominatis, quando res non est inte-
gra; omnes authores communi conspiratione di-
cunt, non posse alterum resilire. Et id etiam tra-
dunt Molina cum multis *tom. 2. de iust. disp. 573.* Molin.
initio, & Anton. Gomez *tom. 2. var. cap. 2. num. 21.* Ant. Gom.

in

in contractu nominato emptionis, & venditionis; & patet *in l. 1. & 2. C. quando liceat à venditione discedere*; nam iam illius qui ingressus fuit Religionem, interest, vt alter impleat, & iste tenetur implere: si quidem ad hoc ille se ei, qui ingressus fuit, obligauit, & ingressus iam non potest retrocedere, quia vel est professus, vel in tyrocinio, & nouitiatu, & dedecus est aliquod retrocedere.

15. Statuo quintò. Si res est integra, quia neuter cœpit implere, neuter potest altero inuito resilire, de consensu tamen alterius potest. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 15. num. 12.* Sanch. Ratio est, quia etsi attento iure communi ciuili possit in contractibus innominatis dum res est integra, alter altero inuito resilire, imò & qui implere cœpit post inceptionem potest, vt constat *ex l. Si pecuniam, ff. de condict. causa data*; tamen attento iure regni Castellæ, & Lusitaniæ neuter resilire potest etiam re integra absque alterius consensu: & id docet Gutierrez *de iuramento 1. part. cap. 35. num. 1.* Molin. *tom. 2. de instit. disput. 258. conclusione 5.* addens in foro conscientiæ neutri id licere altero contradicenti; quia ea obligatio implendi, est obligatio naturalis, obligatio autem naturalis est obligatio in foro conscientiæ, etsi contrarium sentiat Padilla *l. Naturalis, §. Et si quidem, num. 19. ff. de prascript. verbis*, asserens id verum esse in solis contractibus simplicibus, non autem in reciprocis, & mutuò respectiuis: ergo cum hic contractus innominatus sit, si res adhuc sit integra, neuter poterit altero inuito resilire, de consensu tamen alterius poterit. Gutier. Molin. Padilha.

16. Statuo sextò. Si alter ex his paciscentibus, & mutuo promittentibus sit in mora & recuset, liberatur alter ab ea obligatione; quia in contractibus innominatis tunc resilire licet ei, qui in culpa non est, vt docent communiter Doctores Molina, Gutierrez, Padilla *num. præcedenti* allegati; potest enim resilire ex causa, vt patet *in l. Si pecuniam. ff. de condict. causa data.* Tunc autem satis sufficiens causa recedendi datur, quando alter implere recusat, & est in mora implendi. Ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 15. num. 13.* Sanch.

17. Statuo septimò. Si promissio non est respectiua, & per modum contractus, sed dissoluta, & altera ab altera independens, tunc ad nullam culpam ea promissio communiter loquendo obligat, & potest quis pro libito eam licitè non implere. Ita docet Sanchez proximè allegatus *n. 14. & lib. 1. de matrim. disp. 5. num. 25.* vbi probat homines communiter loquendo in promissionibus humanis non respectiuis & per modum contractus initis, nolle se ad culpam obligare, sed ex quadam beneuola honestate, nec eredere obligationem aliquam ex talibus promissionibus ad culpam consurgere, sed id ad suum tuendum honorem spectare; quod etiam verum est in his, quæ non respiciunt alterius fauorem, sed honorem tantum diuinum; quia quando quis se vult obligare in huiusmodi promissionibus, quæ ad honorem tantum diuinum spectant, solet semper votum emittere. Sanchez.

18. Statuo octauò. Si in his dissolutis promissionibus, & independentibus vera promittendi ac se obligandi adsit intentio, tunc videndum est, an alterius intersit eam promissionem impleri; tunc autem id intererit, quando alter promissionem illam tanquam rem sibi gratam acceptauit, vel pro ea obtinenda seriò institit, & tunc promissio obligabit, quia non est maior ratio de aliis promissionibus rerum temporalium obligantibus, quàm de hac, quando in vtrisque interest promissario eam promissionem impleri, & adfuit acceptatio. Si autem nihil interest ei, cui promissio fit, eam impleri, non obligabit, vt si res illa promissa non erat alteri grata, nec ab eo optabatur, & nihil curat, quòd impleatur, vel non impleatur. Et ratio est, quia tunc non fit promissio Deo vt supponimus; homo autem cui fit, illam non acceptat tanquam sibi gratam, & nihil eius interest eam impleri. Et quamuis, promittens non tantùm intendat fauorem eius, cui promittit, sed etiam obsequium Dei, & auferre scandalum, aut rixarum occasiones; tamen hæc non Deo promittit, nec voto, aut iuramento se adstringit, sed merè homini promittit eius fauorem, & beneuolentiam præcipuè intendens, qui tamen re illam non acceptat, tanquam sibi gratam. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 15. num. 15.* Tunc autem datur acceptatio, quando vel alter expressè acceptat gratias agens pro promissione illa, vel tacet, & eius interest, vt quia instabat pro re illa obtinenda; quia in fauorabilibus sibi tacens consentire videtur. Ita idem Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 5 num. 5.* cum multis allegatis. Sanch. Sanch.

19. Sed quid si duo concubinarij sibi sub iuramento adinuicem promittant fidelitatem, id est, fore, vt nullam aliam personam carnaliter agnoscant? Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 15. num 17.* existimat hoc iuramentum, vel promissionem simplicem, obligare; quia vt hæ promissiones præstitæ in fauorem hominum obligent, nihil interest, an iurans id promittendo peccauerit, vel non peccauerit, sed tantùm spectandum est, an possint impleri absque peccato; at obiectum eius promissionis, nempe, ad nullam aliam personam fornicando accedere, potest impleri absque peccatu, cum non sit necesse, vt id ob finem turpem executioni mandetur; ita ait Sanchez allegatus. Mihi tamen videtur ea promissio siue iuramento confirmata sit, siue non, minimè obligare. Primò, quia finis huius promissionis, nempe turpem amicitiam cum concubina seruare, malus est; & de se peccatum mortale, iuramentum autem ad peccatum obligare non potest, cum non sit vinculum iniquitatis. Secundò, quia ea promissio non fit, nisi vt magis, magisque in sua turpi amicitia conseruentur, in peccatoque concubinatus diutius, remotis occasionibus, quæ à tali peccato illos amouere possint, durent, ac perseuerent; promissio autem, ac iuramentum vinculum iniquitatis esse non potest; talis autem esset, si ad hoc obligaret. Quemadmodum enim si quis iuraret, ac promitteret se non remoturum occasiones peccandi, talis promissio, & iuramentum non obligaret, ita nec hoc iuramentum aut promissio obligat, cum perinde hoc sit iurare, ac illud, vt patet. Nec obstat, quòd obiectum talis promissionis, nempe non accedere ad aliam, impleri possit absque peccato, imò quod non possit non impleri sine peccato: quia quando dicimus in promissionibus, & iuramentis solum esse attendendum, an executio illorum sit licita, vt obligare censeatur; id intelligendum est, modò inde nullum peccati inconueniens sequatur; hic autem sequitur, vt manifestum & probatum est. Et quamuis peccatum committi debeat si non im- Sanchez.

pleatur promissio, satis est vt ea non valeat, quòd firmitas illius habita ex iuramento sit occasio permanendi in peccato: Vt dicamus non debere dari, ne iuramentum sit vinculum iniquitatis.

20. Duo tamen animaduertenda sunt ad finem huius capitis. Primum est, ad indicandum, an hæ promissiones humanæ voto, aut iuramento non confirmatæ, factæ homini, & principaliter propter homines, diuinum obsequium concernentes obligent ad mortale, vel non obligent, non esse attendendum ad materiam promissionis, qualis sit in ordine ad Deum, & an diuinum honorem concernat, vel non concernat; sed qualis sit in ordine ad hominem cuius gratia, & causa fit, & quantum eius intersit, vel non intersit promissionem impleri; quia Deo nihil promissum est, nec eius intuitu, sed soli homini in eius gratiam; vnde ex hac hominis gratia, & fauore obligatio promissionis metienda est, quapropter si eius plurimum referat promissionem impleri, violatio illius erit mortalis; vt si ex societate alterius, qui simul illi promisit ingressum Religionis, pendeat pax, solatium, aut tranquillitas alterius in statu religioso; quando autem parum interest, erit tantùm venialis: & idem dicendum est quando promissio iuramento fuit firmata, nullo habito respectu ad Deum, sed ex mera causa hominis, & ob illius respectum, & beneuolentiam. Ita docet Sanchez tom. 2. *Decalogi lib. 3. cap. 15. num.* 18. Sanch.

21. Alterum est, quando hæ promissiones humanæ obligant, ad solum illum illarum remissionem pertinere, cuius causa & intuitu fiunt; vel ad supremum Principem ex causa boni communis id exigentis; vt si sint de re pia, ad solum Summum Pontificem; si sint de re temporali, ad Regem, & supremum Principem in temporalibus. Ita Sanchez allegatus *num.* 19.

Capvt XXV.

Agitur de obligatione, & iuramento præstito à medicis admonendi infirmos in periculo vitæ. Quæritur, an ad restitutionem teneantur, si non admoneant. Et ad quid obliget hoc iuramentum, & votum: Iuro, vel voueo, me non futurum Religiosum nisi ex familia Franciscana; Non ducturum aliam nisi Bertam.

Svmmarivm.

Qualiter obligentur medici, ad monendos infirmos, vt fateantur peccata sua. num. 1.

Qualiter ex vi iuris naturalis, & præcepto charitatis medici ad id teneantur. num. 2.

An si alij illos admoneant, liberentur medici ab hac obligatione. num. 3.

Quid si credant suam admonitionem non profuturam. num. 4.

In dubio, an ægrotus sit in peccato mortali, & rebus suis malè compositis discessurus sit, an teneantur medici illum admonere. num. 5.

Refertur decretum Innocentij III. de hac re. num. 6.

Et quæ pœnæ in illo medicis imponantur nisi ægrotos de confessione moneant. ibid.

An ex vi huius decreti teneantur medici ægrotos admonere antequam cum illis de salario conueniant. num. 7. & 8.

An si medicus teneatur infirmum admonere antequam de salario sibi dando conueniant, admittatur petendi illud in iudicio, si prius non admoneat. num. 9.

An obligatio medicorum admonendi infirmos ante omnia vt confiteantur, intelligatur de quibuscunque morbis, an solùm de periculosis. à num. 10. vsque ad 13.

Si æger confiteri nolit post medici admonitionem, iubet Pius V. in alio suo motu proprio hac de re expedito, vt à medico deseratur. num. 14.

An si medicus credat suam admonitionem nihil profuturam teneatur illum deserere. num. 15.

An medicus teneatur ad admonitionem ante omnia faciendam, quando morbus celerem requirit medicinam. num. 16.

An hæc decreta contraria consuetudine aboleri, & non obligare possint. num. 17. & 18.

An de facto sint abrogata. num. 19.

Quid operentur hæc verba, Iuro, aut voueo, me non futurum Religiosum, nisi ex familia Diui Francisci, aut Dominici. *num.* 20. & 21.

1. Tripliciter possunt medici obligari ad admonendos infirmos vt sua peccata fateantur. Primò, iure naturali, ac diuino. Secundò, ex præcepto, & decreto Innocentij III. *cap. Cum infirmitas de pœnit. & remiss.* & ex motu proprio Pij V. Tertiò, ex iuramento de hac monitione præmittenda iuxta huius motus proprij formam, ac mandatum.

2. Statuo primò. Attenta sola obligatione iuris naturalis, & diuini, tenetur medicus ex charitate tantùm, & non ex iustitia sub mortali culpa, si probabile mortis periculum videat, admonere infirmum per se ipsum, vel per alium, v. c. per parochum, confessarium, amicos, aut consanguineos, vt peccata sua confiteatur, & de rebus suis disponat, si credit infirmum esse in peccato lethali, tenéturque eum similiter monere, vt discordias probabiliter post eius mortem inter suos hæredes orituras componat. Ita docet Sanchez tom. 1. *Decalogi lib. 3. cap. 16. num.* 1. Nauarrus in *summa Lat. cap. 25. num* 63. Rosella *verbo, Medicus, num.* 4. & ibi Angelus *num.* 21. & Syluester *quæst. 3. dicto* 4. Fumus *eodem verbo, Medicus, num. 1. ad fin.* Tabiena *verbo, Medicina quæst.* 14. *num* 15. D. Anton. 3 *part. tit. 7. cap. 2. num.* 15. Bella *tom. 1 suorum casuum, casu* 11. Sanch. Nauar. Rosell. Angel. Syluest. Fumus. Tablen. D. Anton. Bella. Probatur, quia ex charitate tenemur malum notabile proximi auertere, quando id sine detrimento nostro possumus efficere; quam obligationem medici non euadunt, eo quòd medici sint, imò id specialiter ad eos spectat. Dixi *ex charitate, & non ex iustitia*; quia non tenentur medici ex officio suo, atque adeo ex iustitia tristia infirmis nunciare, quale est mortis periculum, sed potiùs læta, vt infirmos animent. Quare si hanc obligationem culpa sua prætermittant, non tenentur ad restitutionem damni, quia solius præcepti charitatis transgressores sunt.

3. Si aliquis admoneat ægrotum de hoc periculo; medicus, & cæteri alij hac obligatione liberantur; non tamen illa liberatur medicus, quando alij infirmum admonere nolunt: sicut non eximitur quisquam ab obligatione corrigendi proximum, siue subueniendi, quando alij corrigere,

gere, aut ſubuenire nolunt. Ita Sanchez, Roſella, Sylueſter, D. Aotoninus, & Beia, *num præcedent.* allegati.

4. Nen te :erur tamen Medicus admonere infirmum, nec alij ſimiliter ad id tenenrur, quando illum ıta m lè affectum vident, vt moraliter credant e:m a lmonitionem non profuturam, aut in peius abituram, quia admonitionis ratio & finis tunc ceſſat; admonitio enim ad emendationem ordinatur, non ad deteriorationem. Ita
Sanch. Sylueſt. Sanchez *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 1. *verſu, Et ſimiliter.* Sylueſter *verbo, medicus, quæſt.* 3. *dicto* 4.

5. In dobio autem, an ægrotus ſit in peccato lethali, & rebus malè compoſitis diſceſſurus ſit, tenetur etiam medicus ſub ea culpa lethali ex eadem charitate illum per ſe, vel per alium ſimiliter commonefacere, vt ſibi prouideat, peccata ſua fateatur, & de rebus ſuis diſponat; quia in dubio teoetur quis notabile proximi damnum vitare, quando id ſine magno detrimento ſuo poteſt efficere; ſi autem moraliter credat ægrotum rectè eſſe diſpoſitum, in bonoque ſtatu, ac bene monitum, non teoetur eam admoniiionem ei efficere, qoamuis melius ſit, ſi illum etiam tunc commonefaciat, quia omnes ſæpe meliùs ad mortem præparantur conſcij eius periculi, vt optimè animaduertir Saochez allegatus.

6. Statuo ſecundò.. Si ius Eccleſiaſticum ſpectetur, Innocenous III *capite, Cum infirmitas, de Pœnit. & remiſſion.* ſeriò, & ſtrictè præcipit ſub pœna ingreſſus Eccleſiæ, vt medici ad medendum infirmis in lecto iaceotibus vocati eos ante omnia moneaot, & inducant, vt coofiteantur; quæ pœna de ſe cum ſit grauis, inducit peccatum mortale: & hoc decretum Innocentij innouauit Pius V. anno Domini 1566. in quodam motu proprio iocipienti: *Super gregem Dominicum*; additque ioſuper præceptum, ne medici vltra tertium diem ægrorum viſitent, niſi per confeſſarij ſcriptum ipſis de expiatione illius conſtet, niſi tameo ex iuſta cauſa confeſſarius longius tempus concedendum ipſis iudicet infirmis. Et præcipit Vniuerſitatibus, & Collegiis, vt cum facultatem medendi alicui dederint, aut ad doctoratus gradum eum promouerint, iuramentum ab eo, hæc ſeruandi, exigaot. Vode fit, vt medici ex vi iuramenti teoeantur admonere prædictos infirmos, & ex eadem vi iuramenti vltra tertium diem teneantur eos non inoiſere, niſi ea confeſſione præmiſſa, ioxta motum proprium Pij V. & Pius V. perpetua infamia, gradus priuatione, & è medicorum cætu, eiectione, & pœna pecuniaria arbitrio Ordinarij taxanda eos medicos perculis, qui contrarium fecerint, & ex grauitate pœnæ ſatis colligitur grauitatem peccati mortalis, niſi id obſeruent: vt optimè tradit Hoſtienſis *d. cap. Cum infirmitas, num.* 3. D. Antonio. 3. *part. tit.* 7. *cap.* 2. §. 2. Roſella *verb. Medicus, initio.* Angelus *num.* 8. Sylueſter *ibi, quæſt.* 3. *dicto* 2. Nauarrus *in ſumm. cap.* 25. *n.* 62. Tabiena *verb. Medicina, quæſt.* 11. *num.* 12.

Hoſtienſ. D Anton. Roſell. Angel. Sylueſt. Nauar. Tabien.

7. Dnbium tamen eſt, an ex vi buius decreti teneantur Medici infirmos admonere, noo ſolùm antequam mederi incipiant, ſed etiam antequam de ſalario ſibi daodo cooueniant. Quidam affirmant, quia *in prædicto cap. Cum infirmitas, de Pœnit. & Remiſſ.* dicitur hanc admonitionem ante omnia eſſe faciendam; & ita docent Hoſtienſis *ibi num.* 3. Ioannes Andr. *num.* 3. Anton. *num.* 9. Abbas *num.* 6. Ancharan. *num.* 3. D. Anton. *eod.* §. 4. Roſella *verb. Medicus, num.* 2. & Sylueſter *ibi q.* 3. *dicto* 2.

Hoſtienſ. Ioan. Andr. Anton. Abbas. D. Aoton. Roſell. Sylueſt.

8. Sed melius aſſerit Nauarrus *in ſumma cap.* 25. *num.* 62. poſſe priùs de ſalario agere, quàm hanc admooitionem præmittant & verbum illud, *ante omnia*, explicat, id eſt, antequam remedia, & medicioas applicet, qnia ſic ſatisfacit intentioni illius decreti, & quia nullus iuſtè damnabit medicum de ſalario ſtatim paciſcentem, ac ad medendum vocatur, aotequam ægrum viſitet, cum tamen ooo teneatur illum admonere donec illo inuiſo morbum agnouerit, & cum Nauarro conſentit Sanchez *dicto tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 4.

Nauar. Sanch.

9. Quamuis autem hoc præceptum obligaſſet antequam medicus de ſalario conueniſſet, non tamen exiſtimo verum eſſe id, quod aiunt Roſella, & Sylueſter *num.* 7. allegati; ocmpe medicum, non antea commoneotem priuari iure petendi in iudicio ſalarium promiſſum, & ſi id in more poſitum fuerit, poſſe prædictum ſalarium ab eo repeti, ſi fortè illud antea accepit, iuxta *leg. Non dubium, C. de legibus.* Fondamentum illorum eſt, quia de eo ſalario contra iuris prohibitionem coouenit. Recedendum enim eſt ab hac opinione; & meritò ab illa, quamuis dubij, recedunt Hoſtienſis *in dicto cap. Cum infirmitas, de Pœnit. & Remiſſ. num.* 3. & Abbas *ibi num.* 6. & Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 16, *num.* 4. quia talis pœna non inuenitur in iure impoſita. & ideo non eſt de nouo imponenda cum pœnæ ſint reſtringendæ, & non ampliandæ.

Hoſtienſ. Abbas. Sanch.

10. Ao autem hæc obligatio medicorum monendi infirmos ante omnia intelligenda ſit de quibuſcumque morbis, an ſolùm de ſolis morbis vitæ periculum afferentibus, dubium etiam eſt? Quidam cenſent de quibuſcumque morbis intelligendam eſſe, quia vtrumque ius, & *cap. Cum infirmitas*, & motus proprij Pij V. geoeraliter de omnibus morbis loquitur, & nullam mentionem facit de ſolis morbis periculoſis, cum tamen facile eſſet id addere, ſi ita Pontifices id intelligendum putarent; deinde, quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Tertiò, quia verba *prædicti cap. Cum infirmitas, diſtrictè præcipimus,* nouum manifeſtè præceptum indicaot in omnibus morbis impoſitum: nam in morbis mortis periculum afferentibus tenebantur aliunde medici ad eam admonitionem faciendam ex iure diuino, & naturali, vt probauimus *num.* 2. & ideo haoe opinionem tenet D. Anton. 3. *part. tit.* 7. *cap.* 2. §. 4. Sylueſter *verb. Medicus, quæſt.* 3. *dicto* 3.

D. Anton. Sylueſt.

11. Alij ſentiunt, id intelligendum eſſe de ſolis morbis vitæ periculum afferentibus. Ita Roſella *verbo, Medicus, num.* 3. & ibi Aogelus *num.* 9. Fumus *num.* 1. Nauarrus *in ſumma Latina, cap.* 25. *num.* 61. Manuel *tomo* 1. *ſummæ, in* 2. *edit. cap.* 246. *fine.* Graphis 1. *part. deciſ. aur. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 7. Veiga *tomo* 2. *ſumma cap.* 35. *caſu* 3. quia durum videtur, ſecluſo hoc mortis periculo, adſtringere medicos ad hanc admonitionem: & quia præcepta humana non ſunt intelligenda cum tanto rigore. Nec obſtat, quia iam ad hoc aliunde ex præcepto iuris diuini, & naturalis tenebantur medici; nam eadem res multis, & diuerſis præceptis præcipi poteſt, maximè cum ratio vnius præcepti non ita memoria tenetur; tandem quia in materia neceſſaria, & periculum animæ concernente neceſſariò diſtinctio adhibenda eſt, hoc autem negotium periculum animarum concernit, vt patet.

Roſell. Angel. Fumus. Nauar. Manuel. Graphis.

In dubio autem, an morbus ſit lethalis, nec ne,

tenentur medici ægrotos admonere, vt expresse docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 16. n. 5.* & id ipsum videntur docere Angelus *verbo, medicus, num. 9.* & Nauarrus *in summa cap. 25. n. 61.* quatenus dicunt non teneri medicos, ægrotos admonere, quando constat morbum periculo carere. Vnde cum in dubio hoc non constet, videntur asserere ad hanc monitionem in dubio teneri.

13. Dicendum tamen est hoc decretum circa hanc admonitionem non esse intelligendum de solis morbis periculosis, vt probant rationes *num. 11.* allatæ, nec de qualibet leui ægritudine, vt probant rationes factæ *num. 10.* Sed intelligendum esse de quocumque alio graui morbo, vt quando medicus statim in initio morbi prudenter iudicat periculum esse morale, et morbus grauis fiat, intelligendúmque proinde est de eo morbo in quo infirmitas est talis, vt non ex deliciis, nec ex solo podagræ impedimento procedat: sed quando talis est, vt ex se lectum petat, quod clarè indicant prædictum caput *Cum infirmitas*, & prædictus motus proprius Pij V. dum hoc præceptum restringunt ad illud tempus in quo infirmus in lecto iacet, ac proinde ad illud tempus in quo morbus fieri potest grauis; & ita expresse sentit Caietanus *in summa, verbo, Medicus, ad finem* Tabiena *verbo, Medicina, quæst. 12. num. 13.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 16. num. 7. & 8.* & Suarez *tom. 4. in 3. partem, disp. 35. sect. 3. num. 4.* Et hæc quidem monitio facienda est, vel per ipsos medicos, vel per alios; quia quod prædicta iura intendunt, est, vt æger sacramenta recipiat. Vnde si id post admonitionem obtineatur, nihil refert, an medicus, an alius iubente medico admoneat, vt optimè animaduertit Sanchez *dict. num. 8.*

14. Si autem admonitus æger confiteri nolit, iubet expresse Pius V. in suo motu proprio edito anno 1566. incipit, (vt iam diximus) *Super gregem Dominicum*, vt medicos infirmum deserat, qui post tertium diem à monito transactum fidem non fecerit suæ confessionis per schedulam confessarij, quasi eam pœnam iustissimè imponat ægro nolenti sua peccata facta confessione expiare, vt doctè aiunt Suarez *dicto tom. 4. in 3. part. disp. 35. sect. 3. num. 5.* & Sanchez allegatus *n. 9.* limitat tamen hoc (& bene) Sanchez *num. 10.* nisi ex desertione medici constituatur æger in probabili mortis periculo, tunc enim &si pertinax sit in recusanda confessione, deserendus non est; quia contra charitatis ordinem videtur non opem ferre ægro in ea necessitate posito corporis, & animæ, quia forte desperans obibit, & fortasse medico non deserente sanitatem comparabit, aut morbo ingrauascente resipiscet, & sanioti mente recuperata, confessionem suscipiet. Ita docet Sanchez post motum Pij V. *dict. tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 16. num. 10.* & Suarez allegatus *num. 5.* & ante illos & prædictum motum Pij V. id iam docuerant D. Anton. *3. part tit. 7. cap. 2. §. 4.* Angelus *verbo, Medicus, num 8.* & ibi Syluester *quæst. 3. dicto 2.* Armill *num. 1.* Tabiena *verbo, Medicina, quæst. 11. num. 12* & quamuis ante motum proprium Pij V. id docuerint attento solo decreto capitis, *Cum infirmitas, de pœnit. & remiss.* illorum tamen ratio locum etiam habet post motum proprium Pij V., nam si ea desertio est contra charitatem, nihil contra charitatem intendere debuit Pius V. in suo motu proprio.

15. Quando verò medicus credit suam admonitionem nihil ob ægri obstinationem profuturam, tunc nec tenetur ægrum admonere, nec eum deserere; quia Pontificis mens fuit spirituali ægri saluti consulere, & nihil superfluum præcipit: at in hoc casu superflua esset admonitio, nec ad eum finem conducens. Deinde, quia vrgentius est præceptum diuinum prædictæ admonitionis infirmi in graui vitæ periculo constituti, & tamen cessat in hoc euentu, vt diximus *num. 4.* & ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 16. num. 12.* Igitur nec præceptum humanum in illo met euentu obligabit.

16. At quando morbus celerem medicinam requirit, itavt confessionis expectatio detrimentum corporale allatura sit; tunc non tenetur medicus ante omnia ægrum admonere, quia in eo euentu non obligat id decretum. Ita docet Sanchez allegatus *num. 13.* Angelus *verb. medicus, num. 8.* Syluester *verbo, Medicus, quæst. 3. dicto 2.*

17. Ad extremum dubitari potest, an hæc decreta contraria consuetudine aboleri possint? Affirmat Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 16. num. 14.* & Caietan. *in summa, verbo, Medicus, ad finem.* Fumus *ibid. num. 1. in fine.* Nauarrus *in summa Latina cap. 25. num. 61.* Suarez *tom 4 in 3. part. disp. 35. sect. 3. num. 5.* quia cum hæ leges humanæ sint, possunt consuetudine abrogari, ab hac enim regula sola lex diuina & naturalis excipitur *cap. finali de consuetudine.* Quare meritò asserunt hæc decreta non obligare, nisi dissuetudine aboleantur, videntibus, & dissimulantibus Prælatis, quibus incumbit curare, vt illa medici obseruent, & iam hodie in tota Lusitania in dissuetudinem talia præcepta abierunt; non enim videmus hoc à medicis obseruari, nec à Prælatis id curari.

18. Nec obstant Hostiensis *in dicto cap. Cum infirmitas, num. 2.* & ibi Ionnes Andreas *num. 3.* & Abbas *num. 6.* & Anchatranus *num. 2.* & D. Anton. *3 part. titulo 7. cap 2. §. 4.* & Angelus *verbo, Medicus, num 8.* & Syluester *ibi, quæst. 3. dict. 2.* & Rosella *ibi num. 1.* & Tabiena *verbo, Medicina q. 11. num. 12.* qui omnes asserunt hæc decreta non posse consuetudine abrogari, quia ob animarum salutem constituta sunt, illamque respiciunt; irrationabilis autem esset consuetudo quæ abrogaret decreta in fauorem animarum constituta: consuetudo autem irrationabilis obligare nequit. Respondeo enim cum Sanchez *lib. 7. de matrimonio disp. 4. num 14.* nunquam censeri consuetudinem rationi dissonantem, nisi illa quæ iuri diuino, aut naturali aduersatur: consuetudo autem in hoc euentu his iuribus non opponitur, sed solùm opponitur iuri humano Pontificio; & parum refert, quòd propter animarum salutem sit constitutum, inde enim non transit in ius diuinum, nec mutat suam naturam; sed intra ius humanum, & positiuum manet, contra quod præualere potest consuetudo, vt probat textus *capitis finalis de consuetudine.*

19. Ex dictis colligitur iuramentum hoc medicorum, solùm obligare in locis, quibus motus proprius Pij V. receptus fuit, & vsu, ac consuetudine abrogatus non est; obligat enim tantùm hoc iuramentum prout ille obligat, vt docet Suarez *tom. 4. in 3. part. disput. 35. sect. 3. num. 3.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 16. num. 15. & cap. 14. num. 9.* Quare cum videamus illum in Castella, & Lusitania vsu minimè receptum esse videntibus, & dissimulantibus Prælatis, dicendum est iuramentum hoc non obligare, nisi in iis locis, vbi huiusmodi decretum in vsu est, in

alias

[Marginal citations: Sanch. Angel. Nauar. — Caiet. Tabien. Sanch. Suarez. — Suarez. Sanch. — Sanch. Suarez. — D. Anton. Angel. Syluest. Armill. Tabien. — Sanchez. — Sanch. Angel. Syluest. — Sanch. Caiet. Nauar. Suarez. — Hostiens. Abbas. Anchar. D. Anton. Angel. Syluest. Tabien. — Sanch. — Suarez. Sanch.]

aliis verò locis solùm tenentur medici seruare præceptum iuris diuini naturalis, de quo egimus *num.2.& deinceps*; non tamen erunt medici periuri si hoc præceptum iuris diuini & naturalis non seruēt, quia obligatio seruandi hoc iuramentum procedebat ex solo Pij V. motu proprio, qui non est in vsu, nec consuetudine, vt patet ex dictis.

Veniamus ad 2. partem tituli, & ad illam
10. respondeo hæc verba, *iuro, aut voueo me non futurum religiosum, nisi ex tali, vel tali familia*: non obligare ad ingressum Religionis, sed solùm obligare ad religionem ingrediendam in eo casu, quo quis voluerit religiosus fieri. Vnde tali voto, aut iuramento non obstanti poterit is, qui illa emiserit, matrimonium eligere. Sicut illa verba, *iuro, aut voueo me non ducturum aliam nisi Bertam*, non obligant ad matrimonium eligendum, sed supposito quòd illud velit quis eligere, solùm tenebitur in conscientia non aliam nisi Bertam dicere; si tamen de facto aliam duxerit, peccabit grauiter contra votum, aut iuramen-
Gutier. tum: matrimonium tamen tenebit. Ita Gutierrez *lib. 1. quæstionum canonicarum cap. 22. num. 14.*
Butr. Specul. Pedraça. Butr. *in cap. Ex parte 2. part. cap.4. num.*8. Speculum coniugale 1. *part. art. 7. quæst. vltima, folio mihi* 118. Pedraça *in summa, in 6. præcepto num.*14.

11. Sic promissio de non danda, aut vendenda re alteri, nisi alicui; non obligat absolutè ad eam illi dandam, vel vendendam, sed tantùm obligat, ad eam illi dandam, vel vendendam, si illam alteri dare, aut vendere quis voluerit; si tamen promittens alteri de facto donet, vel vendat, peccabit quidem letbaliter, si res erat grauis; quia in re graui fidem fregit, valebit tamen factum.
Gutier. Caiet. Ita Gutierrez allegatus & multi alij quos citat, & Caietanus 2.2.*quæst.*113. *art.*1. *ad finem.*

CAPVT XXVI.

Quomodo, & quatenus iuramentum, vel votum non ludendi, aut non ludendi certo ludo, cum certa persona, aut in certa domo obliget.

SVMMARIVM.

An iuramentum, vel votum non ludendi obligent ad ludum modicæ quantitatis. num. 1. & 2.

Valet iuramentum, si iurans intendat, se obligare ad non ludendum modicam quantitatem. ibidem.

Ex quibus deducatur, an mens iurantis fuerit obligare se ad cauendam modicam quantitatem in ludo, & quid si mens iurantis fuit priuare se temporali illa ludi recreatione ad peccata sua puniendà, an tunc ludus modicæ quantitatis, temporis, & pecuniæ, comprehendatur in iuramento. num. 3.

Quid si finis iurantis fuit iurare solùm iacturam temporis. num.4.

Quid si finis illius fuit iurare iacturam pecuniæ. num. 5. Quantitas pecuniæ attendenda est respectu qualitatis, & diuitiarum personæ. ibid. & n.6. & 7.

An iurans non ludere possit pecunijs alienis nomine alterius ludere. à num.8. vsque ad 10.

Quatenus obliget, vel non obliget iuramentum non ludendi, cum certa persona, in certa domo, aut certo ludo. à num.11. vsque ad 13.

Quid de iuramento, & voto non ludendi chartis, idest, a los naipes. *num.14.*

Quid si iuramentum, aut votum non ludendi cum certa persona, aut certo ludo, aut in certa domo ordinetur ad bonum finem, v. c. ad tollendam occasionem peccati. num.15.

An obliget iuramentum, vel votum non ludendi, nisi tali ludo determinato. num.16.

An quando obligat iuramentum, vel votum, non ludendi cum certa & determinata persona, possit quis cum illa ludere nullo reportato vtrinque commodo. num.17. Idque quamuis simul cum alijs ludatur cum commodo. ibid.

Iuramentum, aut votum non ludendi donec talis persona velit, vel concedat licentiam, an duret ea mortua, vel facta furiosa. num.18.

Quid si iuramentum factum sit, donec talis, vel talis persona hoc vel illud faciat. num.19.

Quid de iuramento non ludendi homini præstito quando obliget. num.20.

CIRCA iuramenta & vota quæ sæpissime homines elicere solent de non ludendo 1. & 2.
amplius, dubia non rarò insurgunt, quorum præcipua hic explicanda à nobis sunt. Et primum sit, vtrùm iuramenta, & vota, absolutè facta de non ludendo obligent ad abstinendum à ludo etiam modicæ quantitatis, qui aliàs, secluso eo voto, & iuramento esset actus virtutis? In hoc dubio certum est obligari iurantem si vel expressit, vel saltem cum iurauit, intendit se obligare abstinere à ludo etiam modicæ quanti-
tatis. Ita docet Sotus *lib.7. de iust. quæst.2. art.1.* Sotus.
col. 4. versu, Contra hoc autem. Sanchez *tom. 2.* Sanch.
Decalogi lib.5. cap. 18. *num.* 2. Et ratio est, quia licet ludus prædictus sit actus virtutis, sunt tamen aliqui virtutis actus, quorum priuatio perfectius bonum continet, quàm illorum exercitium, eo quòd ad accessum rerum terrenarum, & leuamen merè corporale inducant, qualis est ludus honestus, amicorum conuiuia, & similia, quæ ad vrbanitatem & alias virtutes pertinent. Votum igitur, vel iuramentum emissum de abstinendo ab huiusmodi virtutis actibus est validum, quia est de potiori bono; sicut propter eandem rationem valet votum de abstinendo à matrimonio; quod tamen res bona, & sacramentum est; & votum de ieiunando in diebus dominicis, vt omnes fatentur; & votum de ieiunando in die natalitij Domini, & alia similia, vt docet ex-
pressè Iacobus Zocchus *de ieiunio, num.*75. habe- Iac.Zocch.
tur *tom. 14. tractatuum iuris folio mihi* 161. *col.*3. cum alijs quos ibi citat; & patet ex *cap. finali de obseruat. ieiunij.*

Quæstio verò esse potest, quando quis abso- 3.
lutè iurasset vel vouisset de non ludendo, quin constaret de expressa vouentis aut iurantis intentione: & in hoc casu quæstio ex iurantis fine sibi proposito decidenda est. Et Dico primò, si iurantis finis fuit priuare sese temporali illa recreatione ludi; v.g. ad demerendum Deum, & se mortificandum, & similia, obligatur iurans vel vouens abstinere ab omni ludo siue magnæ, siue paruæ quantitatis, temporis vel pecuniæ. Statuo secundò. Vt decernatur, an ludus contra prædictum votum vel iuramentum, peccatum sit veniale, vel mortale, non ad quantitatem pecu-

niæ in ludo expositæ, sed ex quantitate temporis in recreatiooe ludi impensi attendendum est, & proinde tunc peccatum erit graue, quando duratio temporis magna fuerit: quaodo verò fuetit modica, peccatum etit veniale, id siue multum, siue parum, vel nihil pecuniarum in ludo exponatur. Sanch. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 3.

4. Statuo tertiò. Idem cum proportione dicendum est si finis iurantis, vel vouentis fuit deuitare iacturam temporis in ludo necessarij ad res maioris momenti; atque adeo tunc etiam ad iudicandum, an transgressio voti sit mortalis, vel venialis, non est attendenda pecuniæ quaotitas, sed quantitas temporis in ludo consumpti. Imò in hoc casu si quis iurans vel vouens exigoo tempore luderet, Sanch. existimat Sanchex allegatus *dicto num.* 3. nec culpam venialem committere, quia com hîc solùm agitur de vitanda prodigalitate temporis, reuera non dicitur tempus prodigi & amitti recreatioois causa, cùm in ludo exiguum consumitur. Et consequenter solùm committetur peccatum cum dabitur excessus; veniale, si excessus fuerit paruus; mortale, si fuerit notabilis.

5. Statuo quartò Si finis iurantis aut vouentis sit vitare iactntam, & prodigalitatem pecuniæ, tunc ex quantitate peenniæ ludo expositæ diiudicanda est culpa mortalis, aut venialis lodi: nam si modica sit pecunia, nulla erit culpa, nec venialis; quia non dicitur pecunia prodigi, aut iacturæ simpliciter exponi, si in ea parua quantitate exponatur, parum enim pro nihilo reputatur; nec in iuramento, aut voto facto includitur volontas vitandi ludum in ea modica quantitate: si autem aliquantulum excedatur in pecunia erit culpa venialis: si verò multum, culpa erit mortalis, iuxta id quod diximus de iactura temporis *num præcedenti*, Sanch. & ita docet Sanchez allegatus *dicto num.* 3.

6. Prodigalitas autem & iactura pecuniæ non est respectu omniom eadem; sed merienda est penes facultates ludentium; quamuis concedendum sit aliquam quantitatem ita paruam esse, vt respectu cuiuscumque hominis parua sit, & non constituat mortale; & aliquam è contra ita magnam, vt mortale peccatum constituat, quod prudentis arbitrio committendum est, vt bene Sanch. docet Sanchez *dicto tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 3. *ad finem*.

Hoc tamen aduertetim circa supradicta in casu in quo materiæ quantitas siue pecuniæ, siue temporis, iuxta doctrinam traditam de se non esset sufficiens, vel ad peccatum absolutè, vel ad mortale, posse esse sufficieotem vel ad peccatum veniale, vel mortale, ratione periculi cui se ludens exponeret excedendi in quantitate vel pecuniæ, vel temporis: vbique enim verum est, quòd qui amat periculum, peribit in illo.

7. Statuo quintò. Si finis ludentis, aut vouentis sit vitare occasionem auidiùs instandi in ludo spe iacturæ resarciendæ, aut lucri maioris acquirendi, quod vulgo dicitur, *por no picarse en el iuego*, ex occasione hac sic instandi attendenda est ludi quantitas. Similiter si finis sit vitare discordias cum ludentibus, aut domesticis, blasphemias, aut periuria, aut alia peccata quæ ex ludo communiter oriuntur; ex occasiooe horum peccatorum ludenti data in ludo, perpendenda est hæc quantitas ad diiudicandam trangressionis Sanchez. culpam; ita docet Sanchez allegatus *dicto num.* 5. *in fine*.

8. Secundum dubium est, vtrùm qui emisit votum vel iurameotum non ludendi, vel nunquam ludendi, possit mutuare aliis nummos, vt nomine ipsius ludant, eósque possit docere. In hoc dubio Statuo sextò, licitè posse prædicto modo mutuare vel docere. Ratio est manifesta; quia id propriè loquendo non est ludere. Ita Alcocer *lib. de ludo cap.* 13. *conclusione* 5. & Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 18. *num* 4. Alcocer. Sanch. contra Baldum & Ioanneio Baptistam, quos ibi refert Alcocer. Habetque locum tradita doctrina etiam quando iurans vel vouens ludentes iospiceret, idque quocunque ex fine ipse iurauerit, siue is fuerit non amittendi tempus, aut non exponendi proprias pecunias ludi iacturæ, aut vitandi discordias, & iuramenta; quia licet in eo casu contrauenitetur fini iuramenti vel voti, sæpe enim similem temporis, & pecuniæ iactutam facit dans pecuniam ad ludendum, assistens ludo, & fortasse eædem discordiæ oriuntur, dum alter nomine ipsius ludit: id tamen non sufficit quoties res gesta comprehenditur verè, & propriè sub materia promissa; vt in casu de quo loquimur non comprehenditur: siquidem mutuare pecunias vt alter nomine eius ludat, etiam spectando ludum, non est propriè ludus, præcipuè cum votum, & iuramentum recipiant strictam interpretationem. Quare non placet quod ait Salzedo cum multis ad practicam Bernardi Dias *cap* 70. *in fine*, hunc Bern. Dias. fore periurum si pecuniam det, vt alter nomine ipsius ludat. Ita docet Sanchez allegatus *num.* 7. Sanch. Hinc deducitur iurantem nō ludere, posse sponsiones in ludo facere, quia non est verè ludere, etsi finis abstinendi à ludo sæpe in hoc casu quoque concurrat. Ita Sanchez *dicto tom.* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 8. Sanch. semper verò tota hæc doctrina limitanda est; nisi vouens vel iurans se voluerit obligare ad non mutuandum, inspiciendum, & sponsinoes faciendas, vt per se patet.

9. Tertium dubium est an iurans, vel vouens non ludere, possit nomine alieno ludere, quando omnino non constat de iurantis intentione? si enim de illa constet, illa semper standum erit. Statuo septimò, id colligendum esse ex iurantis vel vouentis fine. Si enim finis illius fuit, tempus non amittere ne illo occupatus rem aliquam sibi ex officio v. g. necessariam omitteret, dicendum est teneri ex vi iuramenti non ludere per semetipsum, etiamsi alieno nomine ludat; quia hic dicitur verè eam iacturam temporis ludendo facere, & ideo intentio iurantis ad hunc etiam casum necessariò videtur se extendisse. Si autem finis fuit hac recreatione ludi se priuare, aut aliis malo non esse exemplo, ex vi voti, & iuramenti tenetur etiam ad non ludendum siue nomine proprio, siue alieno; quia eadem est recreatio, & idem malum exemplum. Ita Saochez allegatus *num.* 6. Si verò finis esset vitare solam iacturam propriarum pecuniarum, tunc potest ludere nomine alieno; quia cum tunc pecuniam propriam non exponat, præsumitur quòd intentio iurantis de se non fuerit ad hoc. Idem dicendum si finis fuetit vitare peccata blasphemiarum, aut iuramentorum, quia cum hæc communiter non oriantur nisi ex ira & dolore concepto ob propriarum pecuniarum iacturam; non faciet contra votum, aut iuramentum si nomine alieno ludat, nisi forte ludens etiam nomine alieno idem periculum blasphemiarum se existimaret incursurum. Si finis sit vitare discordias ex ludo ortas, tunc inspicienda est discordiarum causa,

quæ

quæ si fuerit sola iactura pecuniæ, bene poterit nomine alieno ludere; si verò fuerit mora, quam sæpe faciunt viri vsque ad multam noctem priusquam domum se recipiant, ex quo rixæ cum vxoribus & domesticis excitantur, tunc non poterit ludere nomine alieno, quia cum idem sequatur inconueniens quod vitare intenderat, & præsumatur se voluisse obligare ad priuationem omnis ludi vnde illud oriebatur, sanè etiam præsumitur quòd se voluerit obligare ad non ludendum etiam nomine alieno. Ita Sanchez *cap. illo* 18. *num* 6. Sanch.

10. Quid si omnibus his coniecturis attentis anceps adhuc res sit, an intentio iurantis ad vtrumque se extenderit? Existimat, & bene, Sanchez *num.* 6. posse hunc nomine alieno ludere; tum quia iuramentum strictè interpretandum est, vt minus obliget; tum quia damna quæ ex ludo oriri solent, & quæ iurantes non ludere vitare intendunt, ordinariò non oriuntur quoties quis nomine alieno ludit. Sanch.

11. Diximus de voto & iuramento non ludendi absolutè facto, sequitur dicamus de voto & iuramento non ludendi cum certa & determinata persona; vel in domo certa, vel determinato ludo, manente libertate ludendi cum aliis, & in aliis locis, & aliis ludis. Et Statuo septimò huiusmodi vota & iuramenta non obligare, quia sunt de re indifferenti; nihil enim refert, siue cum hoc, siue cum illo, siue in hac domo, siue in alia, siue hoc ludo, siue alio ludas. Ita Sanchez *dict. tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 9. & à fortiori non erunt valida prædicta iuramenta & vota quando facta fuerint ex persuasione quòd talis persona, locus, domus vel ludus sibi sint infortunata, & infelicia; quia hæc manifestam continent superstitionem. Sanch.

12. Ex posito fundamento colliges limitandam esse traditam doctrinam, quoties ex certo ludo vel cum certa persona, aut certo loco vel domo timeretur aliquod speciale malum, quod non timeretur ex alia persona, vel loco, v. g. aliqua occasio peccati vel rixæ, vel amissionis pecuniæ maioris summæ. Ratio est, quia iam tunc non manet materia talium votorum & iuramentorum indifferens, sed vtilis & accommodata ad vitanda peccata & iacturam inutilem propriorum bonorum, ac proinde esset grata Deo. Ita docet expressè Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 18. *n.* 9. & colligitur ex Caietano 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. & ex Nauarro *in summa cap* 12. *num.* 28. *fine*, qui agentes de voto non ingrediendi certam domum dicunt id votum obligare, quando ea domus specialem ludi occasionem afferret: pro qua etiam apertiùs est Sotus *lib.* 7. *de iust. quæst.* 1. *art.* 3. *columm.* 6. *versiculo, His demum instructus*, Aragon. 2. 2. *quæst* 88. *art.* 2. *fol.* 976. *col.* 1. & Manuel Rod. *tom.* 2. *summæ cap.* 94. *num.* 6. Iuxta supradicta, quando Alcocer *de ludo cap.* 13. *conclus.* 1. ait valere iuramentum non ludendi cum determinata persona, aut ludo determinato; intelligendus est, quando inde occasio mali alicuius iuranti insurgit. Sanch. Caiet. Nauar. Sotus. Aragon. Rodrig. Alcocer.

13. Ex eodem fundamento non possum probare doctrinam Soti numero præcedenti allegati, asserentis votum abstinendi à ludo chartarum, vt votum rei indifferentis esse nullum, quia vt optimè animaduertit Sanchez *dict. tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 10. tot sunt pecuniarum & temporis dispendia; tot peierandi blasphemandique occasiones, ac innumera alia damna, quæ ex hoc ludo sequuntur, vt reuera abstinentia à tali ludo absolutè haberi debeat pro re nimiùm vtili, & grata Deo, ac proinde dici debeat huiusmodi votum, & iuramentum valere. Esset tamen vera doctrina Soti, quando abstinentia ab eo ludo ad nullum bonum finem ordinaretur, qui in Dei honorem cederet, in quo casu ipse videtur loqui; ait enim id votum non valere, quando nulli bono fini inseruit. Idemque videntur asserere Aragonius 2. 2. *q* 88. *art.* 2. *fol.* 976. *col.* 1. & Rodriguez *tom.* 2. *summæ cap.* 94. *num.* 6. dum dicunt vota non ludendi cum aliquo, vel aliquo certo ludo esse irrita; quando fiunt ex eo quòd ludus ille ipsi vouenti sit grauis; & rationem assignant, quia in eum finem relata non cedunt in cultum diuinum. Sanch. Aragon. Rodrig.

Nec satis est ad validitatem voti vel iuramenti Deo facti, posse rem voto aut iuramento promissam ordinari in bonum finem, eive inseruire: sed vlterius oportet, vt actu ad id tacitè vel expressè dirigatur ab ipso iurante, vel vouente. Vnde si quis iurauerit, se non lusurum in certa domo, aut cum certa persona, licet id ad diuinum obsequium conduceret ad tollendam peccati occasionem, si tamen iurans, vel vouens ad id non respexerit, sed solùm id votum, aut iuramentum fecerit, & prauo vel indifferenti fine v. g. vt vindictam de ea persona sumeret ad hoc tantùm dirigens votum suum, atque iuramentum; tale iuramentum, & votum vtpote carentia bono fine in Dei honorem redundante, ex intentione vouentis, aut iurantis referuntur. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 11. 14. Sanch.

Quæres hic verùm iuramentum, aut votum cum nullo alio ludendi, nisi tali ludo determinato, sit votum de materia indifferenti? Resolutio sit negatiua, quia reuera in honorem Dei cedit tot ludis se priuare, multumque id conducit, ne iurans, vel vouens nimiùm ludis vacet. Neque enim semper inueniet volentem eo ludo ludere, & tædio eiusdem semper ludi cogetur iurans à nimio ludo abstinere. Quod à fortiori verum erit, si ille ludus minorem iacturæ pecuniæ, & aliorum damnorum occasionem secum afferat. Ita Sanchez *num.* 12. allegatus. 15.

Quando verò iuramentum non ludendi, cum certa persona ex eo obligaret, quia illa nimis perita sit in ludo, aut fraudibus vtatur, vel occasionem rixarum afferat, licitum erit iuranti vel vouenti cum illa & aliis simul ludere, dummodo ludat sine spe lucri & timore damni respectu illius, id est, *yendo horro con ella*, quia non videtur comprehensus in iuramento talis ludus; siquidem in eo cessant omnia quæ voto vel iuramento euitari intendebantur. Ita Sanchez allegatus *num.* 13. 16.

Diximus de iuramento, & voto non ludendi absoluto, sequitur dicamus de voto vel iuramento conditionato, v. g. donec talis persona velit, vel absque patris, vel matris voluntate. Statuo igitur vltimò. Non obligat prædictum iuramentum ea persona defuncta; obligat tamen ea facta furiosa. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 14. *& lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *num.* 55. *&* 58. docet etiam Gregorius Lopez citans Vbertino, & Albertino *l.* 45. *verbo, Non le finca, titulo* 5. *part.* 5. Ratio est, quia voluntas illius personæ cessat morte illius, non tamen furore: extinguitur enim voluntas extincta persona. Sic iurisdictio etiam contentiosa delegata donec concedens voluerit, illamve reuocauerit, aut aliud fecerit, extinguitur, expiratque morte concedentis modò res integra sit, vt latè probat Sanchez 17. Sanch. Greg. Lop.

chez de matrimonio allegatus, & patet ex *capite, Si delegatus. de officio delegati in 6.* vbi textus ponderat rem non fuisse integram, sed cæptam; & ideo non expirare voluntatem concedentis illam iurisdictionem, mortuo illo; alioqui enim cessaret & expiraret. Quod verò non cesset illa voluntas, persona in furorem conuersa, docet

Couar. etiam Couarruuias *lib. 3. var. cap. 15. num 4. versu. 3.* idque probat ex *capite, Maiores §. finali de baptismo, & l. si is qui animo. ff. de acquirend. possessione* vbi inter mortem, & furorem ea statuitur differentia, vt morte cesset voluntas, non autem furore.

19. Non cessabit autem obligatio si iuramentum, aut votum factum fuisset sub conditione, donec talis vel talis persona Olysipone v. g. veniat, aut Romam proficiscatur, vel aliquid aliud faciat; sed ea mortua, ante illud iter, vel factum, manebit perpetua obligatio voti, vel iuramenti, vt bene

Sanch. docet Sanchez *dict. tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 18. num. 15. & lib. 8. matr. disp. 28. num. 53.* vbi probat concessionem alicuius rei alicui factam sub conditione, donec concedens ingressus fuerit Romam, vel aliquid egerit, non extingui morte concedentis mortui ante dictum ingressum vel factum, sed manere perpetuam post illam; quia post obitum nequit iam illud efficere Et ita etiam

Ioan. Andr. Dominic. Franc. docet Ioannes Andreas *cap. si grat. num. 3. de rescriptis in 6.* & ibi Dominicus *num. 9.* & Francus *num. 10.* extingui verò si concessio esset donec concedens vellet; quia voluntas concedentis extinguitur, ac deficit morte illius.

20. Si verò non loquamur iam de voto, & iuramento non ludendi facto Deo, sed de iuramento facto homini, & in eius gratiam; Resolutio sit tunc obligare cum licitè impleri potest, siue peccatum commissum sit in præstatione illius, siue

Sanch. non. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 18. num. 16.* & nos alibi diximus.

CAPVT XXVII.

Agitur de iuramento, vel voto non ludendi sub pœna seruandæ castitatis, aut ingrediendæ religionis, aut quauis alia emissis. Quæritur an omnis pœna requirat specialem sui notitiam, vt incurratur, & quæ id requirant.

SVMMARIVM.

Qualiter & quibus modis fieri possit iuramentum, aut votum pœnale. num. 1.

Iuramentum, aut votum pœnale emittentes, non sunt rei fracti voti contrarium faciendo; sed solum ad pœnam tantum tenentur. num. 2.

Quid sequatur, si hæc iuramenta pœnalia sint merè pœnalia, & non conditionalia, aut conditionalia & non pœnalia. num. 3.

Quid si votum aut iuramentum fiat directè de ipsa pœna, indirectè de castitate & religione, aut peregrinatione Hierosolymitana, &c. vt voueo, vel iuro me seruaturum castitatem, si lusero. num. 4.

Si primariò, & directè fiant de re ipsa, indirectè de pœna, vt voueo, vel iuro me non lusurum, & si amplius lusero, seruaturum castitatem: docet prima opinio esse merè conditionale, & sic dispensabile ab Episcopo ante ludum; post ludum transire in absolutum, & manere indispensabile respectu Episcoporum, & solum à Papa dispensari posse. num. 5.

Secunda opinio docet adhuc esse merè pœnale, & tam ante impletam conditionem ludi, quàm post, esse Episcopis dispensabile. num. 6.

Præfertur tertia opinio docens, si castitatem sibi ponat in pœnam fracti voti, & eam eligat tanquam rem sibi pœnalem, esse votum pœnale, si illam eligat tanquam rem sibi gratam, esse votum conditionale. num. 7.

Pœnale etiam est votum factum à patre ingrediendi religionem si filius ludat. num. 8.

Et ideo siue post conditionem, siue ante illam impletam in talibus votis, & iuramentis Episcopi, qui ad id habent facultatem, dispensare possunt. num. 9.

Quid si manifestissimè constet iurantis, & vouentis hæc elegisse tanquam res sibi gratas. num. 10.

Non quodcumque votum Religionis, aut castitatis est reseruatum Summo Pontifici, sed solum votum perpetuæ castitatis, & Religionis approbatæ à Sede Apostolica. num. 11.

Soluuntur fundamenta primæ & secundæ opinionis. num. 12.

An votum & iuramentum pœnale obliget ad pœnam, quando transgressio contingit absque culpa vouentis, aut iurantis, vt sit immemor voti, aut iuramenti ex obliuione, aut inaduertentia illud quis violet, à num. 13. vsque ad 16.

Quid si memor voti, & iuramenti, & immemor pœnæ sibi in illo impositæ. num. 17. *Pœnæ non requirunt sui notitiam, nisi sola excommunicatio.* ibid. *Quid de suspensione, & interdicto, an sui notitiam velut excommunicatio requirant.* ibid.

Quid de irregularitate. num. 18.

Quid si votum, aut iuramentum fiat ad non vitandum aliquod peccatum. num. 19.

An pœna in voto, vel iuramento à vouente, vel iurante sibi imposita incurratur, quando transgressio est venialis. num. 20.

VT de voto non ludendi pœnali agamus, oportet in primis scire quænam vota vel iuramenta sint pœnalia, quænam conditionalia. Dupliciter igitur possunt fieri vota quæ pœnalia aliqua ratione dici possunt. Primò, si quis promittat vel iuret non ludere, & si ludat, se ingressurũ religionem, vel seruaturũ castitatem, aut similia. Secundò, si quis voueat vel iuret solam pœnam, & crimen fugiendum solum apponatur vt conditio; vt si quis voueat vel iuret se ingressurũ religionem si luserit. Hoc datur discrimen inter istos duos modos, quòd in priori obligatur vouens, & ad vitandum ludum, & ad ingressũ religionis, vel ad seruandã castitatẽ si ludat: in secundo verò solum obligatur ad pœnam posita conditione si luserit, vnde licet ludat, non est voti reus, nec sacrilegium committit, sed solum illud committet si postquã luserit, non ingrediatur religionem, ac seruet castitatem, &c. 1.

In primo modo vouendi & iurandi conueniunt Doctores contineri verè votum & iuramentum pœnale. De secundo non ita constat. Quia verò id ad rem moralem maximè expedit scire, quia inde pendet resolutio eius quæstionis, An Episcopus possit dispensare cum eo qui promisit ingredi religionem, vel seruare castitatem si luserit, postquam lusit, etiam in sententia eorum, 2.

rum, qui dicunt non poſſe Epiſcopos diſpenſare in votis conditionalibus, oportet vt hoc dubium decidamus.

3. Prima ſententia docet vota, & iuramenta in quibus qui vouet vel iurat aliquid in pœnam ſi aliquid commiſerit vel omiſerit non ſe interim obligando ad illud faciendum vel omittendum, eſſe verè vota & iuramenta conditionalia. Ita Nauar. Azor. Nauar. *in ſumma Lat. cap.12.num.43. in Hiſpana cap 28. addit. ad num. 42. cap. 12.* Azor. *lib.11. inſtit. moral. cap.19. quæſt.13.* Eorum fundamentum eſt, quia ea iuramenta ſeruant eandem votorum conditionalium formam. Inde colligunt prædicti authores non poſſe Epiſcopum diſpenſare in iis votis impleta conditione, quando materia fuerit reſeruata, vt eſt ingreſſus religionis, vel caſtitatis perpetuæ obſeruatio, ſuſceptio peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ & Compoſtellanæ.

4. Secunda ſententia docet ea vota eſſe conditionalia pœnalia. Eſſe conditionalia probant ratione facta pro prima ſententia. Quòd ſint pœnalia oſtendunt, quia quoties vouens & iurans in animo ſuo non eligit rem ſub pœna promiſſam vel iuratam, quaſi volitam & ſibi gratam, & quaſi materiam ſuæ intentionis directè, ſed è contra, vt ſibi odioſam & pœnalem, vt metu eius ſe abſtineat à culpa quam cupit euitare, votum & iuramentum propriè pœnale eſt, hoc enim eſt maximè proprium voti pœnalis, vt videtur eſſe ſententia communis. Sotus. Ouand. Gutiez. Tolet. Ita Sotus *lib.7. de iuſt. quæſt.2. art.1. in ſolut. ad 4.* Ouand. *in 4. diſt.38. quæſt.vn.propoſit.29.* Gutierrez *quæſt.canon.lib. 2. cap.21. num.52. & num. vlt.* Toletus *lib.4 ſumma* Eman. Vega. Ant.Gom. Llamas. *cap.18 num.9.verſ. Pœnale eſt.* Emanuel Sà *tom.2. ſumma cap.97.concluſ.2. num.2.* Vega *2. tom. ſummæ cap.129. caſu* 10. Anton. Gom. *in Bulla Cruciata clauſ. 10. num.99.* Llamas *in methodo curationis 3 part. cap.4. num.40.*

5. Tertia ſententia media diſtinguit, atque vota & iuramenta, quibus quis ſe ita obligat, vt animus illius non ſit ad religionem. v. g. vel caſtitatem affectus; ſed ſolùm illam ſibi in pœnam proponit, reuera eſſe pœnalia iuxta ſecundam ſententiam. E contra verò vota ac iuramenta in quibus quis vouet & iurat religionem, vel caſtitatem &c. ex affectu in ipſam religionem, vel caſtitatem, vt ſibi gratam; & ſolùm apponitur vt conditio peccatum aliquod ſi committatur, ſunt vota ac iuramenta verè conditionalia iuxta primam ſententiam. Fundamentum eſt, quia in prioribus iuramentis reperitur propriiſſima ratio voti ac iuramenti pœnalis, quæ non reperitur in poſterioribus, ac proinde propriè conditionalia ſunt cum expreſſam habeant conditionem. Cordub. Valent. Rodrig. Lud.Lop. Sanch. Ita docent Cordub. *in ſumma quæſt.152.* Valent. *2.2. diſp.6. punct.7.col.10. verſ. Item poſſunt.* Rodrig. *in expoſit.cruciata § 9 n.124. & 125.* Ludou. Lopez *1. part. inſtructorij cap. 44. col. 2. verſ. Si autem ſub forma,* quibus ſubſcribit Sanchez *lib.8. de matrim. diſp. 10. num. 3.* Ex qua diſtinctione optimè aduertit idem Sanchez *in tom.1. Decalog. lib.9. cap. 40. num. 82.* Votum vel iuramentum pœnale in duplici differẽtia reperiri; alterum verè & propriè pœnale; alterum tantùm apparenter. Votum vel iuramentum propriè pœnale eſt non ſolùm illud in quo quis iurat vel vouet. v. g. non ludere, & ſi ludat, ſe ſeruaturum caſtitatem vel ingreſſurum religionem: ſed illud in quo quis ſolùm iurat vel vouet ſi luſerit, ſe ingreſſurum religionem, vel ſeruaturum caſtitatem dummodo non feratur eius animus directa intentione in caſtitatem & religionem, ſed ſolùm indirectè, quatenus ſolùm eam vult vt pœnam ad fugiendum aliquod malum culpæ. Votum verò vel iuramentum pœnale apparenter eſt illud ex quo quis iurat ſi luſerit, ſe ingreſſurum religionem, ita tamen vt voluntas eius directè feratur in ipſam religionem eligendo illam etiamſi vt pœnam, tamen vt medicinam; ea ratione qua quis iuraret, ſi incidam in febrim, ſcindam venam & aſſumam pharmacum. In quo iuramento non eligitur indirectè ſciſſio venæ vel pharmacum, ſed directè poſita conditione ſupradicta omnia vera ſunt, non ſolùm quando quis iurat vel vouet aliquid in pœnam propriæ culpæ, ſed etiam quando iurat vel vouet in pœnam culpæ alterius; vt quando pater promittit vel iurat ſe ingreſſurum religionem ſi filius ludat: adhuc enim tale iuramentum, vel votum, pœnale eſt, ſi eligitur religio tanquam pœna ad arcendum filium à ludo, & tale cenſendum eſt in dubio, quamuis poſſit eſſe apparenter tantùm pœnale, ſi voluntas patris feratur in religionem directè, & ludus filij ſolum apponatur vt conditio, quod ex intentione iurantis vel vouentis pendet.

Cum tamen regulariter loquendo hæc vota, 6.
& iuramenta facta ſub hac forma ſint pœnalia, rariſſimè cenſendum eſt in eis eligi prædictam caſtitatem, Religionem, aut peregrinationem, vt res vouentibus, aut iurantibus amabiles, aut gratas, ſed vt res duras, pœnales, & laborioſas. Et ideo dicendum eſt poſſe Epiſcopum, & quemlibet alium ad id legitimam poteſtatem habentem diſpenſare in eis ante & poſt impletam conditionem, id eſt, ante & poſtquam quis luſerit, vel contra ſuum votum, & iuramentum fecerit, incurſa iam, aut non incurſa pœna ſibi propoſita. Ita expreſsè docet Sanchez *lib. 8. de matrimonio diſp.10. num.8.* Sanch. & expreſsè omnes quos citauimus *num.6. ad finem*, & præter illos, id docet etiam expreſsè Perez *lib.8. ordinament, tit.19. l.37. ad finem.* Perez. Palat. Palatios *in ſummam Caietani verbo, votum, verſiculo 6.* Et huius etiam ſententiæ ſunt clarè auctores alij, qui abſolutè, & abſque diſtinctione dicunt poſſe Epiſcopos in his votis, & iuramentis diſpenſare; & hi ſunt Toledo *lib.4. ſumma cap.18. num.11.* Toled. Valent. Sà. Valentia *2. 2. diſp 6. q.6. punct. 7. columna 10. verſiculo, Item poſſunt.* Sà *verbo, Votum*, vbi de voti irritatione *num.11.* & dicunt eſſe probabilem hanc opinionem Sotus Sotus. *lib.7. de iuſt. quæſt. 4. art. 3. columna 5. verſiculo, Vnum verò dubium.* Alcocer *in ſumma cap.16. ad finem.* Alcocer, Rodrig. Rodriguez *in ſumma tom.2. cap.97. concluſione 2. num 2. & in Bulla Cruciata § 9. num.124.* Couar. Gutier. Graph. Philiarc. Couarr. *cap. Quamuis pactum 1.part.§ 3. num.12. de pactis.* Gutierrez *quæſt. 9. canon. lib.2. cap.22. num. 50. & 51.* Graphis *1. part. deciſion. lib. 2. cap.28. num. 9.* Philiarchus *de offic. ſacerd. tom.1. part.2. lib.3 cap.22 verſiculo penultimo.*

Si tamen manifeſtiſſimè conſtet (quod rarò 7.
conſtabit) vouentes, & iurantes voluiſſe hanc caſtitatem, Religionem, & peregrinationem Hieroſolymitanam, vel Compoſtellanam in animo ſuo eligere tanquam res ſibi gratas & amabiles, & non vt duras, difficiles, laborioſas, & pœnales; tunc quidem ante impletam conditionem in eo poterit diſpenſare Epiſcopus, & quilibet alius legitimam poteſtatem habens, non poſt illam impletam, vt dicebat prima opinio *num. 5.* explicata; quia poſt impletam conditionem tranſeunt hæc vota conditionalia in abſoluta;

ta; & ficut abſolutum votum, & iuramentum de his rebus Summo Pontifici reſeruatis, illi ſoli ſunt reſeruata; ita etiam hæc, poſtquam, impleta conditione, fiunt abſoluta.

11. Obiter tamen animaduerto; non quodcumque votum, aut iuramentum caſtitatis, aut Religionis eſſe reſeruatum Summo Pontifici, ſed ſolum votum Religionis approbatæ à Sede Apoſtolica, quia Religio non approbata non eſt vera Religio, & votum caſtitatis perpetuæ. Vnde vota Religionis non approbatæ, & vota caſtitatis non perpetuæ, vt 15. aut 20. annorum non ſunt reſeruata. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 40. num. 48. & lib. 8. de matrim. diſp 9. num 6.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 11. num. 48.* Azor. *tom. 1. inſt. moral. lib. 11. cap. 19. quaſt 6.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 105.* Suarez *tom. 2. de Religione tract. de voto lib 6. cap. 22. n. 9.* hi omnes loquuntur de voto caſtitatis non perpetuæ: ſecus ſi votum eſſet de ſeruanda caſtitate vſque ad centum annos, quia hoc votum cenſetur perpetuum, cum vita hominis amplius durare non præſumatur; tunc enim cenſebitur votum perpetuæ caſtitatis, & in eo diſpenſare Epiſcopus non poterit. Ita Sanchez *primo loco* allegatus *num 49. & lib. 2. de matrim. cap. 46 num. 1.* & Leſſius allegatus; loquendo verò de Religione non approbata, ita docet Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 40. dub. 13 num. 105.* & Sanchez cum multis *lib. 8. de matrim. diſp. 9. num 15. & tom. 2. Decalogi lib. 4 cap. 40. num. 71.* & Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de Voto lib. 6. cap. 21. num. 8.* & Saytus *in claui regia lib 6. cap. 11. num. 64.*

Sanchez. Sayro. Azor. Leſſius. Suarez.

Sanch.

Leſſius.

Suarez. Sayr.

12. Argumenta, & fundamenta primæ, & ſecundæ opinionis, quatenus noſtræ tertiæ opinioni ſunt contrariæ, ſoluta ſunt ex dictis; nam ad fundamentum propoſitum pro prima opinione ad probandum impleta conditione non poſſe Epiſcopum in his votis, & iuramentis diſpenſare; dicendum eſt impleta conditione fieri hæc vota, & iuramenta abſoluta, quoad obligationem, non tamen quoad diſpenſationem, neque quoad radicem ex qua procedit, quòd non poſſit Epiſcopus in his diſpenſare. Cum enim hæc vota non eligantur, vt res gratæ, ſed vt res pœnales, ſemper in illis eſt imbibita ea radicis imperfectio; at ſola vota, & iuramenta perfecta caſtitatis, & Religionis, & in alia materia reſeruata Summo Pontifici reſeruantur, cætera omnia pertinent ad Epiſcopos. Fundamenta ſecundæ opinionis nihil habent, quod non maneat reſolutum.

13. Sed dubium præcipuum eſt, an votum, & iuramentum pœnale obliget ad pœnam, quando tranſgreſſio contingit abſque culpa vouentis, aut iurantis, vt ex obliuione: v. c. Promittit quis ſe non luſurum, & ſi luſerit, promittit ſe ingreſſurum religionem in ſenſu pœnali, qui manet explicatus, & poſtea immemor voti, aut memor voti, & immemor pœnæ, aut ob cauſam excuſantem à culpa luſit, quæro an is teneatur ad religionem?

14. Reſpondeo: aut votum, vel iuramentum factum fuit ad vitandum aliquod peccatum quod committi ſolet contra ius diuinum, & naturale, aut contra ius poſitiuum Eccleſiaſticum, vel ciuile. Contra ius naturale, & diuinũ, vt ſi conditio ſit, ſi vouens furetur, aut fornicetur. Contra ius Eccleſiaſticum; vt ſi conditio ſit, ſi vouens aut iurans non audierit ſacrum diebus feſtiuis. Vel ſit non ad vitandum peccatum: vt ſi luſerit, ſi non audierit aliis diebus non feſtiuis ſacrum. Quando igitur votum, vel iuramentum ſit ad vitandum aliquod peccatum quod ſit contra præceptum, aut ius diuinum, aut naturale, vel contra præceptum, aut ius poſitiuum Eccleſiaſticum, vel ciuile, & ad hunc finem ordinatur; exiſtimat Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 22. num. 15.* pœnam non incurri quotieſcumque vouens, aut iurans aliqua ex cauſa excuſatur à peccato tranſgreſſionis illius præcepti, vt ſi ſit fornicatio materialis exiſtimante illo ſe accedere ad ſuam; vel omiſſo ſacro promiſſo in die feſto ex obliuione naturali, vel ex alia cauſa excuſanti. Ratio eſt. Primò, quia pœna in voto, & iuramento incluſa; fuit ſibi à vouente, vel iurante impoſita, in pœnam tranſgreſſionis illius. Quoties igitur vouens, aut iurans excuſatur à peccato tranſgreſſionis voti, aut legis, excuſatur etiam à pœna illius. Secundò, quia acceſſus ille non eſt fornicatio formalis, ſed materialis, & ſecundùm quid, & ita non eſt verè poſita conditio.

Sanch

15. Et idem dicendum eſt etiam, vt optimè animaduertit Sanchez allegatus *num. 16.* etiamſi in tranſgreſſione, obliuio, aut ignorantia interuenerit; quæ ſolam culpam venialem inducat, quia tanta pœna ſoli culpæ veniali non imponitur.

16. Si vouens, aut iurans memor præcepti, immemor tamen voti, aut iuramenti peccatum contra præceptum committit, exiſtimat idem Sanchez allegatus *dict. tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 22. num. 18.* non teneri nec obligari ad pœnam; quia ſicut pœnæ iure nouo ſtatutæ non incurruntur ab ignorante illud inuincibiliter, vt eſt recepta ſententia, quam docet idem Sanchez *lib 9. de matrimonio diſp. 32. num. 17.* cum huic ignorantiæ æquiparetur naturalis, & inuincibilis obliuio; æquè enim vtraque excuſat ab eius tranſgreſſione; ita pœnæ iuramento, & voto impoſitæ non incurrentur ab ignorante, & immemore talis voti, & iuramenti; cum votum, & iuramentum lex ſit particularis, quam quiſque ſibi imponit, & non aliter obliget quàm lex. Vbi ergo adeſt naturalis obliuio illius voti, & iuramenti, non incurretur pœna in illo impoſita.

Sanch.

17. Si memor voti, aut iuramenti, immemor autem pœnæ in eo ſibi à ſe impoſitæ: voti, aut iuramenti tranſgreſſor quis fuerit, dicendum eſt prædictam pœnam ab ipſo voti, vel iuramenti trangreſſore incurri. Ratio eſt, quia ignorantia pœnæ ab illa non excuſat, prætetquam in ſolis cenſuris; vt latè probat Sanchez *lib. 9. de matrimonio diſp. 32. num 20. & 21.* Eſt tamen valde probabile, vt inquit Sanch *tom. 1. Decalogi lib 4. c. 22. num. 19.* quamuis probabilius ſit oppoſitum, vbi pœna eſſet grauiſſima, & extraordinaria, qualis eſt religionis ingreſſus, obſeruatio caſtitatis, ſuſceptio peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, Compoſtellanæque, eam non incurri, quando quis immemor illius legem pœnalem frangit, ſecus quando pœna eſſet ordinaria. Et ita docet etiam Nauarrus *in ſumma cap. 23. Hiſpana num. 45 Latina num. 47. verſu, Addo his.* vbi ait ignorantiam pœnæ non à ſola excommunicationis pœna excuſare, ſed ab alia qualibet pœna, modò valde exorbitans, grauis, & extraordinaria ſit, & communiter non ſtatuta: & hoc, inquit, eſt maximum ſolatium miſerorum delinquentium; nam quamuis non deſideretur, nec ſit neceſſarius conſenſus in pœnam tam ordinariam, quàm extraordinariam, vt ipſa incurratur: at bene deſideratur conſenſus in cauſam pœnæ, non

Sanch.

Nauar.

ſolum

ſolùm materialiter, ſed etiam formaliter; & vt
eſt cauſa illius, qoando ipſa pœna eſt exorbitans,
grauis & extraotdinaria; quod non eueoit oiſi
vbi delinquens nouit, aut noſſe debuit pœnam.
Quamuis verò, vt dixi, hoc ſit probabile, in pœ-
nis grauiſſimis, & exorbitantibus; at probabilius
eſt ignorantiam pœnæ etiam grauiſſimæ ab illa
non excuſare; quia de ratiooe pœoæ eſt, vt in oi-
tè ſuſtioeatur, & nullam requirit ſui notitiam
prætet excommuoicationem, nomioe autem ex-
communicationis veniunt etiam omnes cenſuræ,
Sanch. vt ſuſpenſio, & interdictum; vt docet latè San-
chez *lib 9. de matrim. diſp.* 32. *num.* 18. Et de ſu-
ſpeoſione, & ioterdicto, idem expreſsè docet
Suar. Suarez 3. *part. tom.* 5. *de cenſuris diſp.* 4. *num.* 19.
Azor. Azor *lib.* 1. *Inſtit. moral. cap.* 15. *quæſt.* 3. Specialiter
probatur ratione petita ex ipſarum oatura. Quia
non ſolùm excommunicatio imponitur, vt con-
ſtet delinquentem eſſe perfectè cootumacem in
clauium cootemptum, ſed etiam ſuſpenſio, &
Franc. interdictum; vt bene docet Francus *cap.* 2. *de
cenſ. in 6. num.* 8. atque ita præuiam monitionem
requirunt ſi à iudice inferantur, & præuiam no-
titiam ſi inferantur à iure, quando in pœnam de-
licti furori inſtiguotur. Et de ſuſpenſione eſt tex-
tus expreſſus *in capite, Reprehenſibilis de appellat.*
Hoſtienſ. & idem eſſe de interdicto affirmant ibi Hoſtienſis
ſuper verbum excommunicationis. vel interdicti; &
Ioan Andr. ibi Ioannes Andreas *num.* 2. Ancharran. *num.* 1.
Anchar. Abbas *num.* 3. *&* 5. Alexandet de Neuo *num.* 7.
Abbas. *&* 8 Decius *in* 4. Innoceot. *cap* 1. *num.* 3. *de ex-*
Alexand. *ceſſibus Prælatorum.* Cardinalis *clement. finali de*
Cardin. *pœnis* §. *Quod ſi, quæſt.* 2. Syloeſter *verbo, Suſpen-*
Decius. *ſio, quæſt.* 4 Armill. *ibi num.* 17. *& verbo, interdi-*
Innoc. *ctum num.* 28. Nauarrus *in ſumma cap.* 27. *num.* 59.
Syluest. *initio* Henriquez *lib.* 13. *de excom. cap.* 34. *num.* 1.
Armill. *fine.* Manuel. Rod. *tom.* 2. *ſumma cap.* 67. *num.* 1.
Nauar. Philiarc. *de offic. ſacerd. tom.* 1. *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1.
Henriq. Ludoo Lopez 2. *part. Inſtruct. cap.* 21. *de inter-*
Rodrig. *dicto*, Viualdus *in candelabro* 2. *part.* vbi de ſuſ-
Philiarc. pens. *num.* 179. Imò Hoſtienſis, Ioanoes Andreas
Lud Lop. & Ancharraous *locis citatis* aſſerunt pari paſſu
Viuald. procedere, quoad hoc, excommunicationem,
ſuſpenſiooem & interdictom. Igitur ſicut ex-
communicatio requirit ſcientiam iuris poſitiui il-
lam imponentis, ita ſuſpenſio, & interdictum.

18. Idem dicendum eſt de irregularitate ex deli-
Sanchez. cto prouenieote, vt docent Sanchez *lib.* 9 *de ma-
trim diſp* 32. *num.* 17. Et ratio eſt. Primò, quia
irregularitas ex delicto non incurritur abſque ſui
contemptu; qoia ea eſt pœna contemptus, vt
Abbas. docent Abbas *in capite, Paſtoralis* §. *verum n.* 15.
Nauar. *de appellat* Nauatr. *in capite, Cum contingat. cau-
ſa* 14. *nullitatis remedio* 2. *num.* 7. *& capite, Acce-
pta de reſt. ſpoliat. oppoſit.* 8. *illat* 9. *num.* 35. Vnde
deficiente contemptu minimè incurritur, vt tra-
Nauar. dit Nauarrus *in ſumma Latina cap.* 27. *num.* 252.
in noua edit. verſiculo 8. Secundò, quia ad incur-
rendam irregularitatem ex delicto, reqoiritur
Dominic. dolus, vt docet Dominicus *in capite, Is qui*, §. *Is
verè num.* 1. *de ſent. excom. in* 6. & Nauarrus mo-
Perez. dò allegatus, & Perez *lib.* 5. *ordinamenti titulo* 1.
l. 1. *fol.* 27. §. *prætermiſſa tamen doctrina, verſu, Ex
quo inferebam, & lib.* 8. *tit.* 13. *l.* 1. *paulo ante fi-
nem.* ſed ignorans ius irregularitatem imponens,
ac proinde ignoraos ipſam irregularitatem non eſt
in dolo, nec contemnit illam; ergo eam non in-
eotrit: *non enim contemnit diſciplinam, qui igno-
rauit militiam*; vt habetur *lege ſi ignorans* 52. *ff.
locati.*

19. Si votum vel iuramentum factum fuerit de

ſola pœna, & non ad vitandum aliquod peccatum, ſed ad vitandam vel omiſſionem alicuius boni, vel commiſſionem alicuius mioùs boni. v. g ſi quis iurat vel vouet ſi non audiat ſacrum diebus profeſtis, vel ſi ludat, ſe iogreſſurum religionem aut ſimilia. Sanè qui obliuiſceretur de tali voto, vel pœna illius quod idem eſt, ſiqoidem non poteſt quis recordari aut obliuiſci de vno, quin recordetur, aut obliuiſcatur de alio; is ſanè liberaretur ab obligatione pœnæ, quia ignorantia legis vt diximus deobligat à pœoa, quemadmodum deobligat à peccato ſaltem formaliter quatenus eſt contra legem.

Quemadmodum diximus *num.* 15. liberari ab obligatione pœnæ, qui commiſit tantùm peccatum veniale cootra votum, aut legem aliqoam ratione obliuionis aut ignorantiæ: Ita etiam dicendum eſt liberari quoties committit taotùm veniale ex paruitate materiæ in iis votis quæ fiunt ad vitandum aliquid quod de ſe eſt peccatum graue contra legem diuinam vel humanam, aut cootra votum. Vnde ſi quis vouerit vel iurauerit ſe auditurum ſacrum diebus etiam profeſtis ſub pœna ingreſſus Religionis, vel ſi iuretur ſeruaturum caſtitatem, noo propterea tenebitur ad pœnam, quia v. g. omiſit parum Miſſæ, vel furatus eſt modicam quantitatem. Ratio eſt, quia non videtur ſe ad pœnam voluiſſe obligare niſi quaodo culpa eſſet grauis Ex ratione tacta colliges id ſolùm procedere quando de voluntate vouentis vel iurantis non cooſtaret ſe voluiſſe obligare, etiam poſita ſola culpa veoiali. 20.

Sed quid dicendum quando votum, & iuramentum pœnale non eſt ad vitandum peccatum contra legem aliquam vel votum, vt accidit, quando quis vouet vel iurat ſi luſerit vel non audierit ſacrum diebus profeſtis ingreſſurum Religionem. Et dicendum exiſtimo idem quod §. præcedenti diximus de materia peccati in votis vel iuramentis factis ad vitandum peccatum, proindéque ſi quis ita parum luderet vel omitteret ſacri, vt ſi daretur lex vel votum de audiendo ſacro vel oon ludendo, ea materia non eſſet ſufficiens ad mortale, non ſufficere ad incurrendam pœnam, niſi aliunde contrarium conſtaret de voluntate vouentis vel iurantis, vt conſtat quando voueret vel iuraret ſub pœna aliqua ſi fecerit aliquid quod de ſe nec eſſet culpa mortalis, nec culpæ mortalis per ſe capax, vt ſi voueret vel iuraret ſi ſe mortificaret in aliqua re leui ingreſſurum religionem, tunc enim euidens eſt ſe voluiſſe obligare in materia leui. 21.

CAPVT XXVIII.

Quo pacto tollatur, ſeu ſuſpendatur obligatio voti, aut iuramenti conditionati ex parte conditionis etiam turpis, & an promiſſio iurata ob turpem conditionem obliget.

SVMMARIVM.

Quibus modis tolli poſſit, aut ſuſpendi obligatio iuramenti, & voti. *num.* 1.

Conditiones iuramenti, aut ſunt generales, aut particulares. *num.* 2.

Quæ sit conditio affirmatiua, quæ negatiua. n.3.
Quæ præteriti, quæ futuri temporis, aut præsentis. num.4.
Definitio iuramenti, & voti conditionalis. num.5.
An semper iuramentum conditionale fiat per particulam Si. *Et quid si fiat per particulam* Quando. num.6.7.
Quot dubitationes tractandæ sunt. num.8.
Quando conditio affirmatiua contingens, est futuri temporis, non obligat iuramentum, nec votum, donec ponatur in actu. num.9.
Nec satis est partem illius impleri, sed opus est, vt tota conditio impleatur, vt iuramentum conditionale obliget. num.10.
Quid si conditio sit adiecta non in ipso actu iurandi vel vouendi, sed ex modico interuallo post votum factum. num.11.
An post votum, vel iuramentum promissorium alicui factum ei possimus addere aliquod grauamen. num.12.
Si conditio temporis futuri non sit contingens, sed sit necessaria ex necessitate naturæ, habetur pro non apposita, & iuramentum, & votum statim obligant. num.13.
Quid de ista conditione, si pater meus obierit, an sit conditio necessaria, & iudicetur pro non apposita. num.14.
Quid si tempus impletionis expresse iuramenti adijciatur promissioni, vt iuro, *vel* promitto me ab hinc duobus annis castitatem seruaturum, *an statim votum, vel iuramentum obliget, an expectandi sint illi duo anni.* num.15.
Quid si soli conditioni adijciatur. num.16.
Quid quando conditio affirmatiua est præteriti, vel præsentis temporis, an statim incipiat votum, & iuramentum obligare. num.17.
Quid de voto, aut iuramento facto sub conditione impossibili, vt si digito cœlum tetigero, *an pro non apposita censeatur, à num.* 18. *vsque ad* 20.
Respondetur argumentis probantibus eam conditionem haberi pro non adiecta. num.21.22.& 23.
Quid quando votum aut iuramentum emittitur sub pluribus conditionibus. num.24.
Quid quando vouens aut iurans dubitat, an vouerit, vel iurauerit sub illis conditionibus simul sumptis, an diuisiuè tantùm. num.25.& 26.& 27.
Quid si vouens, aut iurans non meminit verborum quibus iurauit, vel vouit. num 28. & 29.
Quid si vna conditio sit mala, aut indifferens, & altera bona. num.30.

1. MVLTI sunt modi, quibus tolli potest obligatio iuramenti: aut enim tollitur ex parte euentus & mutationis materiæ illius, aut ex parte legis Principis illud irritantis antequam fiat, vel postquam factum est; aut ex parte remissionis illius in cuius gratiam factum est, aut ex parte turpis conditionis in illo appositæ; vt si quis promittat aliquid fœminæ pro solicitatione alterius. & de his omnibus modis agemus modò, antequam agamus de dispensatione, relaxatione, & irritatione illius.

2. Conditiones, quæ in votis, aut iuramentis inueniuntur, quædam sunt generales, quædam particulares. Generales sunt, quæ in omni iuramento etiam absoluto reperiuntur, & sunt illi intrinsecæ, vt si honestum fuerit, si impedimentum magnæ necessitatis, aut difficultatis non adueniat, & similes, neque tamen ob illas iuramentum simpliciter dicitur conditionale, sed absolutum; quia hæ conditiones (vt dixi) sunt omni iuramento absoluto intrinsecæ, vt notant Doctores, & speciatim Azor *tom.* 1. *Inst. moral. lib.* 11. Azor.
*cap.*7.*quæst.*7.

3. Solum igitur votum, & iuramentum conditionale dicitur illud, quod aliquam conditionem particularem includit. Conditio autem vel est affirmatiua, vel negatiua. Affirmatiua est illa, quæ per affirmationem adiicitur, & in faciendo consistit, vt si Deus mihi, vel patri, aut fratri, vel propinquo, aut amico meo sanitatem concesserit, promitto, iuro, voueo, me ingressurum Religionem, me tantum eleemosynæ pauperibus daturum. Negatiua est illa, quæ per negationem adiicitur, & consistit in non faciendo. Vt si vindictam de tali, vel tali iniuria non sumpsero, si castitatem non seruauero, iuro vel voueo me facturum hanc, vel illam rem.

4. Rursus conditio, vel potest esse præteriti, vel præsentis temporis, vt *si pater meus modò viuit, si tali, vel tali die vixit, si frater meus tali, vel tali die profectus fuit Romam &c. Iuro, voueo, vel promitto talem rem:* & hæc conditio, quæ est de præterito, aut præsenti tempore non est verè & propriè conditio cum consensum suspendat: vt *si nauis ex India venerit; si pater tuus tali, vel tali die profectus fuerit, iuro, vel voueo, me facturum talem, vel talem rem.* Promissiones autem temporis futuri, aliæ sunt necessariæ, vt *si cras sol orietur:* aliæ sunt impossibiles, vt *si cœlum digito tetigeris:* contingentes aliæ, vt *si nauis portu soluerit tali die, si tali die Pater tuus profectus fuerit Romam;* & hæ aliæ sunt honestæ, aliæ turpes, quædam sunt contra substantiam voti, aut iuramenti, quædam non sunt contra substantiam voti, vt statim patebit,

5. Votum igitur, aut iuramentum purè conditionale sic definiri potest. Votum conditionale est, quando consensus in rem promissam non est statim perfectus & absolutus, sed est suspensus & pendet ex futuro conditionis euentu, & communiter fit per particulam *Si*, vt si quis morbo oppressus dicat: *Voueo Religionem, si incolumis euasero;* tunc enim non habet statim animum, & consensum absolutum, & deliberatum ingrediendi religionem, sed suspendit illum, vsque ad euentum contingenter futurum propriæ, vel alterius salutis; quia in eo voto, iuramentove promissorio, nec voluntas fertur directè in religionem aut rem promissam, sed in incolumitatem quam optat obtinere media illa voti obligatione, nec consensus statim est absolutus & perfectus, sed imperfectus tantùm, & à futuro euento pendens, vt optimè animaduertit Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.*4.*cap.*23.*num.*1. Sanch.

6. Dixi communiter fieri votum conditionale per particulam, *Si*; quia si fiat per particulam, *Quando*; vt *quando hoc, vel illud euenerit; voueo, iuro, vel promitto me ingressurum religionem*, tunc non est verè votum conditionale; sed absolutum cum determinatione futuri temporis ad exequendum votum, vt optimè notat Sanchez allegatus *num.*1. quia consensus perfectus, & absolutus statim datur, & sola executio differtur in tempus futurum. Sicut quando quis vouit se ab hinc vno anno ingressurum religionem, vel promittit fœminæ contracturum matrimonium cum illa post vnum annum, tunc enim etiam statim datur consensus absolutus, & perfectus, & solùm differtur executio sponsaliorum in tempus futurum, & illa sponsalia statim pariunt impedimentum publicæ honestatis; secus si promitteret in Sanch.
hunc

hunc modum; *si pater meus ex India venerit, promitto me contracturum matrimonium*; quia tunc non datur consensus perfectus, sed imperfectus pendens à conditione aduentus ex India, & sic non dantur perfecta sponsalia, quæ pariant statim impedimentum publicæ honestatis, vt optimè Sanch. animaduertit Sanch. *tom.1. Decalogi lib.4.cap.23. num.1.*

7. Aliquando tamen particula *Si* eundem sensum reddit, ac particula *Quando*, vt contingit in hoc voto; *si pater meus obierit, ingrediar Religionem*: sensus enim est, quando pater meus obierit; & de tali voto, & promissione idem dicendum est, atque de illo, quod fit sub hac particula *Quando*. In dubio autem an hoc, vel illo modo votum, iuramentúmque, vel promissio facta fuerit; standum est intentione vouentis, vel iurantis. Quod si de illa non constiterit, nec ille certus sit de sua intentione, tunc credendum est votum fuisse merè conditionale, & factum sub illa particula *Si*, quia votum recepit strictam interpretationem, & in dubiis magis interpretandum est vt non obliget, quàm vt obliget, vt sæpe dictum manet.

8. His notatis, triplex dubium hic insurgit enodandum. Primum est, quando votum sub conditione affirmatiua obliget? Secundum est, quando obliget emissum sub conditione negatiua? Tertium est, an votum, vel iuramentum conditionale obliget conditione non impleta ob vouentis, vel iurantis culpam? De his dubijs tractabimus non solùm in hoc capite præsenti: sed etiam in duobus proximè sequentibus.

9. Prima conclusio. Quando conditio affirmatiua contingens, est futuri temporis, possibilis, & honesta; suspendit voti, vel iuramenti obligationem donec ea venerit, estque votum, vel iuramentum verè conditionale, non obligans donec ea conditio fuerit posita in actu. Constat ex Sanch. *capite, super eo de condit. apposit.* docet Sanchez *tom.1. Decalogi lib.4.cap.23.n.6.* Hanc conclusionem omnes admittunt. Et ratio est manifesta; quia conditionis natura est, vt suspendat valorem actus vsque ad aduentum ipsius conditionis iuxta legem, *Si ita stipulatus fuero hanc summam ff. de verborum obligat.* & nullo iure reiiciuntur à voto, & iuramento promissorio conditiones honestæ, & possibiles.

10. Nec satis est partem conditionis impleri: sed tota conditio impleri debet, vt votum, vel iuramẽtum obliget, vt si promisit quis ingressum Religionis, si frater sanus venerit ex Asia, & veniet infirmus, non tenetur voto, aut promissionis iuramento, quia ea parte non impleta, est verum dicere conditionem non fuisse impletam: oportet autem impleri conditionem integrè, & perfectè, nec in minimo deficere, etiam si materia suapte Sarmient. Azor. Sanch. natura diuisibilis sit, vt relato Decio probat Sarmiento *lib.2. selectar. cap.1.n.7.* Azor *lib.11. inst. moral. cap.7.q.9.tom.1.* & Sanchez allegatus *dicto num.6. fine.*

11. Hæc conclusio recipit hanc limitationem, modò conditio sit adiecta in ipso vouendi, aut promittendi actu. Secus si ex quouis interuallo etiam paruo adijciatur. Vt si quis dicat, *voueo*, vel *iuro me seruaturum castitatem*, habens intentionem absolutam seruandi illam: non potest postea ex interuallo etiam modico, & imperceptibili conditionẽ adiicere; quia iam votum illud & iuramentum absolutè emissum, suam absolutã perfectionem & obligationem adeptum fuit, & ideo sicut statim ab eo non licet recedere, ita nec licet ei conditionem aliquam adijcere. Ita Sanch. *tom.1. Decalogi lib.4 cap.23.num.7. & cap.27.num 93. & lib.5. de matr. disp.6.num.3.* Sanch.

Et ideo etiam voto, vel iuramento promissorio sub aliqua cõditione facto, non potest postea adijci grauamen aliquod, aut restrictio; sicut non posset si esset absolutum, quia id votum conditionale est, iam in suo ordine perfectum, nec minor oritur ex illo obligatio, & debitum in spe, quàm oriretur ex eo obligatio, & debitum in re, si purè, & sine conditione esset emissum; & ita loquentes de promissione, & donatione sub conditione homini facta docent Syluester *verbo, Donatio 1. quæst.15. num.19.* Molina *tom. 2. de iust. disp.285. colum. 4. conclus. 4.* vbi dicit neminem huic doctrinæ refragari. 12. Syluest. Molin.

Secunda conclusio. Si conditio temporis futuri in voto, aut iuramento apposita, non sit contingens, sed sit naturaliter necessaria, vt *si sol cras oriatur, si manè gallus cantauerit, &c. voueo religionem, aut promitto sub iuramento me daturum centum aureos pauperibus*, non suspendit voti, aut iuramenti valorem, aut obligationem; sed statim perfectè obligant; quia cum ea conditio sit necessariò euentura, habetur statim pro impleta. Hanc in votis, & iuramentis promissoriis tenet Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 15. quæst.9. versu, Item si turpis* Molina *tom.2 de iust disp.284. col.3. versu, Illud obserua*; & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 23. num. 5.* In matrimonio seu sponsalibus latissimè, & doctissimè eam probat Sanchez *lib.5. de matrim disp.2. num.2.* Dum autem dicunt huiusmodi Doctores hæc vota, & iuramenta statim obligare, non intelligendi sunt, quasi dies in qua fit votum, sit terminus vltimus & præcisus exequendæ obligationis talis voti vel iuramenti; sed solum tunc incipere obligare eo prorsus modo, quo vota absoluta quibus nullus præfigitur terminus. Vnde si votum fuit seruandi castitatem, vel audiendi sacrum singulis diebus si cras sol orietur, statim incipiet obligatio castitatis seruandæ, & audiendi sacrum, ac si votum fieret sine tali conditione. Et idem dicendum de voto ingrediendi religionem, vel eundi Romam si manè lux erit: obligabit enim eo modo quo obligaret si esset absolutum, & factum sine conditione, cum scilicet attenta rei grauitate, sibi possibile & commodum erit; quia vt diximus cum ea conditio sit necessaria, habetur statim pro impleta. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib.4. cap.23. num.4. fine.* 13. Azor. Molin. Sanch. Sanch. Sanch.

14. Et idem dicendum est de hoc voto, aut iuramento promissorio, *si pater meus obierit, ingrediar Religionem*, si in sensu conditionali ex intentione vouentis, vel iurantis emittatur: nam cum conditio illa, nempe mors patris necessariò ex necessitate naturæ sit euentura, statim obligat, nec ex futuro euentu pendet, vt fiat absoluta, ac proinde statim ac commodè potuerit, tenetur ingredi religionem. Ita optimè animaduertit Molina *tom.2. de iust. disp.284. col.3. versu, Illud obserua*, & Glossa §. *Si quis ita stipuletur, verbo, Cum morietur, inst. de verborum obligat.* dicens esse promissionem in diem cum morietur, & non conditionalem; quod perinde est ac dicere statim obligare, & non pendere ex conditione mortis parentis vouentis, aut iurantis. Aliter esset si particula illa *Si*, æquipolleret particulæ *Quando*, & sensus voti vel iuramenti esset, *Voueo*, vel *iuro me ingressurum religionem quando pater morietur*, tunc enim non obligat ad executionem nisi secuta

morte patris, quia id solum promissum fuit. Quod seruari debet pro omnibus votis, in quibus particula illa *si* pro *quando* apponi contigerit.

15. Huic tamen secundæ conclusioni vna limitatio necessariò est addenda, nempe, vt intelligatur, quando nullum tempus expresse adicitur promissioni in quod executio differatur; vt *promitto me ab hinc duobus annis castitatem seruaturum si sol tunc ortatur*; tunc enim votum non obligat statim; nec tenetur castitatem ratione voti seruare, donec duo illi anni elabantur, quia expresse adiectum fuit tempus promissioni, in quod voti executio ex intentione vouentis protensa fuit. Secus dicendum, si tempus soli conditioni adiiciatur, vt *promitto castitatem si sol mane*, vel *ab hinc duobus annis oriatur*; tunc enim cum conditio sit necessaria, votum statim obligat, ac si illa nullo modo esset adiecta. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 5. & ita docet Paul. *l. In illa stipulatione* 8. *num.* 1. *ff. de verbor. obligat.* — Sanch. Paul.

17. Tertia conclusio. Quando conditio affirmatiua voto, vel iuramento adiecta, est honesta, & possibilis, & non est promissio futuri temporis, sed præteriti, aut præsentis, neque in futurum, sed in præteritum aut præsens tempus confertur, non suspendit voti, aut iuramenti obligationem, nec illud conditionale reddit; sed si conditio illa præsentis temporis ita in re datur, & præterita, ita in re contigit, obligant statim; si autem ita non accidat, vel non accidit, minime obligant deficiente conditione; sed hæc conditio præteriti, aut præsentis temporis pendet ex notitia vouentis, & iurantis, non ex euentu futuro, vt patet. Ita docet Azor. *tom* 1. *inst mor. cap* 15. *quæst.* 9. *versiculo*, *Tertio*, & eam latè probat Sanchez *lib.* 5. *de matrim. disp.* 6. *num.* 1. & est adeo certa, vt à nemine negetur. — Sanch. Azor.

18. Sed de conditione impossibili, vt *si cœlum digito tetigero: voueo, vel iuro me seruaturum castitatem*; est specialis difficultas, an ea pro non apposita censeatur, & statim vouentes, aut iurantes ita obligentur, ac si illam conditionem non apponerent. Et hac de re reperio tres opiniones. Prima docet, eam censeri pro non adiecta, & statim promittentes ita illa obligari, ac si talem conditionem non apponerent. Ita docet Cosmus Philiarchus *de offic. sacerdotis tom.* 1. *part* 2. *lib.* 3. *cap.* 21. Probat, quia in capite finali *de condit. appositis*, id decernitur in fauorem matrimonij: at votum est fauorabilius. Secundò, quia id etiam in vltimis voluntatibus decernitur in iure ciuili *l.* 1 *§. si quis ita*, *& l. Si quis ita institutus*, *ff. de condit. instit.* Et ratio horum textuum procedit etiam in votis, & iuramentis promissoriis, quia ea est ne in rebus tam seriis præsumat Ecclesia aliquid iocose, & non serio actum; at nihil serius est voto, in quo cum Deo agitur. — Cosmus Philiarc.

19. Secunda opinio docet in foro externo eam conditionem pro non adiecta haberi, & ita ea vota, & iuramenta valida iudicari, secus in foro interno. Ita docet Azor. *tom.* 1. *instit moral. lib.* 11. *cap* 15. *quæst.* 9. *versiculo*, *Tertiò*. Et quamuis hi Doctores non distinguant, an sit conditio impossibilis de præsenti, an de præterito, aut de futuro, tamen cum indistinctè loquantur, censentur de omnibus id intelligere; eo vel maximè, quia iuxta probabiliorem sententiam omnes illæ censentur non adiectæ in matrimonio, vt latè probat Sanchez *lib.* 5. *de matrim disp.* 4. *num.* 2. — Azor. Sanch.

20. Tertia, & verior opinio docet eas conditiones impossibiles in votis, & iuramentis in vtroque foro non haberi pro non adiectis, & tamen non obligare, sed irritum omnino reddere iuramentum, & votum. Ita Richardus *in* 4 *dist.* 38. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Paludanus *quæst* 3 *art.* 2. *conclus.* 1. *n.* 14. Supplementum Gabrielis ibi, *quæst.* 1. *art.* 3. *conclusione* 2 *in fine.* Palatius ibi. Sanchez 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 8. *post medium* Abulensis *in cap.* 30. *Numer. quæst* 92. Et ratio est, qui a promittens aliquid sub conditione, non vult obligari nisi ea existente; ergo quando conditio nequit existere, non manet obligatus, & irritum omnino est tale votum, & iuramentum. — Richard. Palud. Gabriel. Sanch. Abulens.

Ad fundamenta primæ opinionis respondebis conditionem impossibilem solum haberi pro non adiecta in matrimonio, & testamentis, seu vltimis voluntatibus, quòd in his duobus tantùm casibus id iure humano decisum inuenitur, & eo secluso non haberetur talis conditio pro non adiecta, sed omnino irritam redderent promissionem, & vltimæ voluntatis dispositionem; non habet autem locum ea iuris dispositio in aliis rebus, in quibus id iure humano non inuenitur sancitum, vt docet optimè Molina *tom.* 1. *de iust. disp* 206. *col.* 4. *conclusione* 1. *fine*, & Sanchez allegatus *num* 8. ac proinde cum in voto, & iuramento nullibi in iure sancitum habeatur, conditiones impossibiles esse reiiciendas, & pro non appositis habendas, nulla ratione dicendum id affirmandum. 21. — Molin. Sanch.

Nec fauor matrimonij ob quem id in iure humano definitum est, militat in voto, aut iuramento; quia is fauor ideo in matrimonio iure datur, quòd iura statuant in dubio præsumendum esse in matrimonij fauorem ne periculum sit separandi legitimè coniugatos, & transeundi ad alias iniustas nuptias, vt probat Sanchez *lib.* 5. *de matrim. disp* 3. *num.* 15. quod periculum non est in voto, neque in iuramento, cum potius in dubio ab emissum sit, præsumatur in libertatis fauorem non fuisse emissum: Et in vltimis voluntatibus est etiam specialis ratio, ob quam id in iure in fauorem testantium statuatur; quia scilicet mortuus suam ampliùs voluntatem declarare non potest, ne iocosè egisse videatur. 22. — Sanchez.

Ad fundamentum secundæ respondebis, nullum esse textum qui eas conditiones impossibiles in foro vel conscientiæ, vel externo pro non adiectis in votis, & iuramentis habeat, vt hactenus diximus, quare esse diuersam rationem in illis, atque in matrimonio, & vltimis voluntatibus. 23.

Quarta conclusio. Quando votum, aut iuramentum committitur sub pluribus conditionibus, si mens vouentis, aut iurantis sit se obligare propter omnes conditiones simul sumptas, & nó propter quamcumque illarum sigillatim sumptam, tunc deficienti quacumque illarum, deficit obligatio voti, aut iuramenti: Si verò mens illius sit obligare se propter omnes simul sumptas, siue propter vnam aut quamcumque illarum diuisiuè sumptam: itavt si illa solùm existeret, nihilominus voueret, aut iuraret, tunc obligabit votum, & iuramentum, quamuis plures deficiant, & vna tantùm existat, quia tota voti, aut iuramenti obligatio ex iurantis, & vouentis intentione pendet. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 19. & in hoc sensu optimè dixit Azor. *tom* 1. *inst. moral. lib.* 11. *cap.* 7. *quæst.* 9. iurantem ire Romam ob duas causas, & si vna deficiat, teneri ad iuramentum ratione alterius. 24.

Si autem dubium sit vtro horum modorum 25.

se

se voluerit obligare; sunt qui dicant tutius esse teneri illum esse obligatum quacumque conditione ex illis euenienti; & ita D. Anton. 2. *part. titulo* 11. *cap.* 2. §. 4. *ad finem.* Sylvester verò, *verbo, Votum* 2. *quæst.* 2. *fine*, ait non solum hoc esse tutius, sed etiam esse necessarium; & id probat ex *capite, Verum. de cond appositis*, & ex *cap. Non solum* 32. *quæst.* 8. Et idem videtur sentire Tabiena *verbo, Votum* 2. *fine*, ait enim ibi in dubio tenendum esse id quod securum est.

D. Anton. Sylvest. Tabien.

26. Dicendum tamen est in hoc dubio votum, aut iuramentum non obligare, sed oportere omnium illarum conditionum euentum in actu poni, quia cum sub pluribus conditionibus emissum sit, possessio stat pro libertate vouentis, aut iurantis, dum eæ omnes non implentur; sicut quando sub vna emittitur, si illa non impletur. Et ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *n.* 19. *ad finem.* Deinde, quia neuter textus ex allegatis à Sylvestro quicquam probat, nec verbum quidem ad hoc conferens dicit.

Sanch.

27. Hinc deducitur primò, in voto vel iuramento illo, *iuro vel voueo religionem si pater, & frater meus ex Asia venerint*; non dari obligationem ingrediendi religionem, nisi postquam & pater & frater venerint: secus verò dicendum si disiunctim apponantur, vt si quis dicat. *Si pater, vel frater meus ex Asia venerit*; tunc enim sufficit vnum venisse, quia vbi non constat de vouentis intentione, standum est verborum significatione, quæ est vt oratio copulatiua petat vtriusque partis veritatem; disiunctiua verò alterius tantùm Ita docet Sanchez allegatus *num.* 20. & Azor lib. 11. *instit. moral. cap.* 15. *quæst.* 9. *versiculo, Postrema conditio.*

Sanchez.

28. Quod si vouens, aut iurans non meminit verba; sed dubitat vtro illorum modorum fuerint à se dicta: credit Sanchez modò allegatus præsumi copulatiuè dicta, & non obligare ante omnium illarum conditionum euentum; quia cum constet plures conditiones fuisse appositas, & natura conditionalis obligationis sit, petere conditiones integrè impleri; possessio stat pro libertate, dum non constat eas disiunctiuè fuisse appositas.

29. Deducitur secundò, quando votum, aut iuramentum sub pluribus conditionibus simul & coniunctim sumptis emittitur, nisi apertè constet voluntatem vouentis, vel iurantis fuisse se disiunctiuè obligare; si quæcumque illarum fuerit impossibilis, votum, aut iuramentum non obligare. Si autem verba fuerint disiunctiua, obligare quidem eueniente conditione aliqua possibili, etiamsi eueniant aliæ impossibiles. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 11. Ratio est, quia ita postulat natura harum conditionum, vt hactenus probatum manet.

Sanch.

30. Deducitur tertiò, si altera conditio sit mala, vel indifferens, & non intendatur mediante eo voto, aut iuramento à Deo obtineri, sed per modum solius conditionis apponatur, valere votum, & iuramentum; & obligare eueniente vtraque conditione, si vtraque conditio copulatiuè ponatur, secus si ponatur disiunctiuè: quia conditio mala, aut indifferens non reddit irritum votum: si verò conditio mala, aut indifferens intendatur mediante voto à Deo obtineri, distinguendum est; nam si copulatiuè ponatur ea conditio mala, vel indifferens cum alia bona non valebit votum; si verò disiunctiuè vtraque ponatur, valebit solum quatenus pendet à conditione bona, & illa eueniente obligabit, non aliter, nec alio modo. Quod si vouens, vel iurans non meminit verba; sed dubius est vtro modo vouerit, non obligabit votum, quia cum votum istud duas vel plures conditiones habeat, natura illius postulat, vt non nisi in euentu ambarum obliger, nec in dubio præsumenda est intentio verbis, & naturæ voti dissona. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 12.

Sanch.

SVMMARIVM.

Quid si Antonius voueat religionem, aut si illam ingredi iuret, si Paulus det centum aureos Petro, & Petrus illos acceptet, an ad votum teneatur. num. 31.

Quid si conditio iam fuerit in actu posita tempore, quo vouens, aut iurans, vouit, vel iurauit, & ipse id ignorauit, vt si quis promittat Deo centum aureos si nauis venerit, & illa iam venit; an ad id teneatur. num. 32.

Quid de hac conditione, si patri meo, modò placet, vel placuerit, *& qui consensus, vel quæ voluntas requiratur, vt ei placeat, à num.* 33. *vsque ad numerum* 38.

Quid si illa conditio, vel placuerit, *sit de futuro subiunctiuo, vel dubium sit, an de illo, vel de præterito, & pater prius consentiat, & postea dissentiat. num.* 35.

Quid si pater conscius voti, & iuramenti tacet, non explicans consensum, nec dissensum, sed res dubia, & anceps manet, an illum explicauerit. num. 36.

Quid si conditio sit, si Pater dicat se consentire. *ibid. num* 36.

Quid si conditio, si patri placuerit, *sit de præsenti, & prius consentiat, & postea dissentiat. num.* 37.

Quid si pater obijt tempore voti, vel iuramenti filij, & filius conscius, vel inscius erat eius mortis. num. 38.

Quid si pater obeat post votum, aut iuramentum filij ignari illius mortis antequam assensum, vel dissensum significaret, & conditio, si Patri placuerit, *fuerit de præterito. num.* 39.

Votum ingrediendi religionem, si Petrus id à me petat, si Petrus ante petitionem obeat, non obligat. num. 40.

Si votum, vel iuramentum sit de ingredienda religione tempore quo Petrus, vel Paulus id à me petierit, & illi ante petitionem moriantur, obligat. num. 41.

Non obligat votum, vel iuramentum, quod quis facit, putans, id non obligare, aut sub ea conditione, vt illis non obligetur. num. 42. *Quid si credat professionem religionis non obligare. ibid.*

Quid si conditio sit turpis, & contra voti, aut iuramenti substantiam, & quid si non sit contra substantiam illius. num. 43. *Quid si quis voueat religionem si fornicatus fuerit, quo sensu tunc teneatur, vel non teneatur. ibid.*

Quid si vouens Religionem sub ea conditione, si fornicatus fuero, *& id voueat ex affectu ad eam turpem, malamque conditionem, an tunc valeat votum. num.* 44. *Idem de iuramento promissorio. ibid. & cap.* 12. *num.* 1. *&* 2.

An promissio ob turpem causam factam, v.c. ob sollicitationem fœmina ob turpem sui corporis copiam, valeat effectu secuto, vel non secuto, à num. 45. *vsque ad* 47.

31. DVbitabis, an si conditio à vouente, aut iurante posita sit per alium implenda, & ille eam alteri offerat, & ab illo non acceptetur, votum teneat, ac obliget. v. c. vouet quis religionem, si Petrus det Paulo centum aureos, & Petrus eos offert, Paulus autem non vult accipere; Azor. & in hoc casu affirmat Azor obligare votum, & teneri vouentem ad religionis ingressum *tom. 1. Inst moral. lib. 11. cap. 15. quæst. 9. versu. Præterea conditio*; & addit sufficere illos apud aliquem deponere, si Paulus adsit; probatque deducto exemplo ex legatis; nam in legatis definitum est, vt ille cui aliquid relinquitur, si eum aliqua contrahat, legatum non amittat, si ille se ad illam ducendam offerat, & illa renuat, quia tunc censetur conditio impleta, cum per illum non stet, vt habetur expressè *l. 1. C. de Inst. & substit. & l. 2. in testamento de condit. & demonstrat.* & Mantic. Menoch. Molin. Molin. Theolog. docet Mantica multos referens *de coniecturis vltimæ volunt. lib. 11. tit. 18. num. 37.* & Menochius *de præsump. lib. 4. præsumpt. 183. num. 23* & Molin. *lib. 2. de primogen. cap. 13. num. 14.* & Pater Molin. *tom. 1. de iust. disput. 206. in fine.* Attamen hoc non procedit in contractibus, neque in votis, aut iuramentis, in quibus adhuc nihil definitum est; quare dicendum est votum istud non obligare, quia in eo effectu deficit conditio, quia votum cum sit promissio facta Deo, assimilatur contractibus, & promissionibus humanis, in quibus necesse est, vt re vera conditio posita impleatur, ad hoc vt obligent, & nihil proderit cuiuscumque culpa conditio impleta non sit, quia id quod extraordinario iure in vltimis voluntatibus definitum est, non debet facilè ad contractus, vota, & promissiones trahi, vt patet *ex l. 1. C. de Inst. & substit.* Sanch. & ita docet Sanchez loquendo de voto *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 23. num. 18* loquendo verò de promissionibus, & contractibus etiam onerosis; *lib. 1. de matrim. disput 33. num. 21.* cum multis.

32. Si conditio iam fuerit in actu posita, tempore quo votum, aut iuramentum promissorium factum fuit, & id vouens aut iurans ignorabat, vt si quis promittat Deo centum aureos si nauis venerit ex India, aut Brasilia Olysiponem, aut intra tres dies venerit, & illa iam venerat, distinguendum est: nam si finis vouentis fuit mediante eo voto impetrare à Deo euentum nauis, non obligat votum, quia fuit error circa causam finalem; qui error irritat votum, vt docent Sanch. Azor. Syluest. Rodrig. communiter Doctores. Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 4. cap. 2. num. 42.* Azor *tom 1. Instit. moral. lib. 11. cap. 15 quæst. 13.* Syluester *verbo, Votum 2. quæst. 8.* Rodriguez *tom. 2. summa cap. 98. num. 2.* Si autem finis voti fuit, id non assequi à Deo mediante eo voto, sed præsupponere eam conditionem, sicut quamuis aliam, votum obligat; quia sensus illius virtualis est, quomodocumque verificetur nauem venisse, se velle voto illo obligare, & iam verificatur; sic in testamentis censetur ea conditio subsistere, & valere legatum; quando ignotante testatore, ea ante testamentum impleta erat, nec oportet eam iterum impleri, & iterari, etiamsi iterum impleri & Ant. Gom. Sarmient. Molin. iterari possit, vt probat Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 12. num. 61. & 68.* & Sarmiento *lib. 2. select. cap. 1. num. 8. 9. & 10.* & Molina *tom. 1. de iust. disput. 206. versu, Conditiones casuales*; & Sanchez. ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 23. num. 22.* loquendo specialiter de voto. Nec obstat non valere argumentum de legatis, & vltimis voluntatibus ad votum & alios contractus, quia id intelligendum est; quando aliquid specialiter circa legatum in iure est definitum, & statutum, quod in votis, & contractibus non sit, at circa hoc punctum nihil speciale in iure est definitum circa legata.

Si conditio sit, *si patri meo modò placet*, vel *placuerit, voueo me ingressurum religionem*: tunc 33. quidem etiam distinguendum est, nam si conditio sit de præsenti; *vt si modò placet patri meo*, vel de præterito, *vt si patri meo placuerit*, valet votum statim, ac impleta est, & obligat, quamuis vouens eam esse impletam ignorauerit, & quamuis credat id patri displicere, aut displicuisse; quia si re vera placet, aut placuit, impletur conditio, & datur vera vouendi intentio, si ita se habet, vel habuit conditio. Ita docet Sanchez Sanchez. *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 23. num. 53.* Sic in sponsalibus, & in matrimonio, quando hæc conditio est de præterito, aut præsenti, *vt si patri meo placet, aut placuerit, matrimonium promitto*; valida sunt sponsalia, si pater tunc consensum præstet, aut præstitum iam habeat, quia verè tunc verificatur conditio; quia nihil deest ad consensum, & cætera requisita ad sponsalium valorem, idque quamuis contrahens crederet id parentibus displicere, vel displicuisse. Ita San- Sanch. chez *lib. 5. de matrim. disp. 7. num. 2. & 3.* Sotus Sotus. *in 4. distinct. 29. quæst. 2. artic. 5. versu, Sit ergo secunda conclusio.* Ludouic. Lopez *2. part. Inst.* Lud. Lop. *in noua edit. cap. 42. fol. 1081.* Corduba *in summa quæst 46.*

Imo non opus est, vt expressè patri iam pla- 34. cuerit, sed satis est virtute patri placuisse, quia cogitauerat de ingressu filij in religionem, & id ei placuerat; vel quamuis non cogitasset, si postea de ea re interrogatus illam approbaret, sufficeret ea approbatio, quia est interpres voluntatis virtualis præteritæ, vel saltem declarat minimè id sibi displicuisse, quia sensus est, quando conditio est de præterito, *si pater non dissenserit, & sciens gratum haberet*: si de præsenti sensus est: *si non displicet, & sciens gratum habet*; at si de præsenti non placet, quamuis postea placeat, iam deficit conditio, & votum non obligat: & ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 23.* Sanch. *num. 13.* Et id quoque verum est in matrimonio & sponsalibus, vt ipse Sanchez latè, & doctè probat *lib. 5. de matrimonio disput. 7. num. 4.* Si autem conditio sit de præterito, vt si patri placuit, & in tempore præterito aliquando placuit, aliquando displicuit; standum est absque dubio posteriori voluntati, & si illa fuerit complacentiæ; valebit votum; si fuerit displicentiæ, non valebit, quia posterior voluntas tollit priorem; item quia animus vouentium, & contrahentium est patrem minimè offendere: & ita docet idem Sanchez vtroque loco allegatus.

Quod si illa conditio, *si patri placuerit*, sit de 35. futuro subiunctiui, aut sit dubium, an illa fuerit de præterito, vel futuro: si pater postea certus factus primò dissentiat, & postea consentiat, non obligat votum; quia statim ac dissentit, deficit conditio, & ita in propriis terminis de voto docet Sanchez *tom. 5. Decalogi lib. 4. cap. 25. n. 14.* Sanch. & Azor *lib. 15. Inst. moral. tom. 2. cap. 15. q. 9. versu, Præterea conditio.* & loquendo de matrimo- Azor. nio id etiam probat idem Sanchez contra multos *lib. 5. de matr. disp. 7. num. 8. & 9.*

Si pater consciens voti, & iuramenti tacet, 36. non explicans consensum, nec dissensum, &

nec

nec huius, nec illius sufficientes coniecturæ sunt, sed res dubia, & anceps manet, probabilius est, censeri impletam conditionem, siue sit de præsenti, siue de præterito, siue de futuro, & valere votum aut iuramentum; quia ea conditio ideo à filio posita est, ne res promissa patre contradicente, aut ægrè ferente fieret; at ea taciturnitas, quamuis non indicet expressum consensum, nec dissensum, satis indicat patrem neque contradicere, neque ægrè ferre. Secus autem esset si conditio foret, si pater dicat se consentire. Ita Sanch. loquendo de voto docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 23. num. 14.* de matrimonio verò Sanch. ita tenet idem Sanchez *lib. 5. disput. 7. num. 12. & 13. & 14.* contra aliquos qui satis probabiliter Anchar. tenent oppositum; tenet etiam Ancharranus Adrian. *capite, Per tuas num. 2. de condit. appositis* Adria- Syluest. nus *in 4. quæst. 3. de matrim. dub. 3.* Syluester Alexand. *verbo, Matrim. 3. quæst. 4.* Alexander de Neuo *capite,* Nauar. *Super eo, de condit. apposit. num. 26.* Nauarrus *in* Vera Crux. *summa Hispana cap. 21. num. 63.* Veracrux *1. part.* Lud Lop. *speculi art. 19. §.* Quidquid dicat Lud. Lopez *2. part. instruct. in noua edit. cap. 42. fol. 1082. §. At verò non minus,* & alij.

37. Si conditio *si patri placuerit* sit de præsenti, & ipse primò consentiat, & postea dissentiat, obligat votum; quia statim ac consensit, impleta est conditio, & ideo non proderit dissensus po- Sanch. stea subsecutus; ita Sanchez *tom. 2. Decalog. lib. 4. cap. 23. num. 14.*

38. Si pater obiit tempore voti filij, siue filius vouens (idem de iuramento) esset conscius mortis paternæ, siue ignarus; votum est irritum: siue conditio sit de futuro, siue de præsenti, quia est conditio impossibilis, ac proinde irritum reddit votum, quia in neutro euentu potest conditio subsistere. Si verò fuit de præterito, potuit contingere, vt pater ante obitum habuerit complacentiam, & ideo si de ea complacentia patris certior fuerit, adstringetur voto; si autem certior de ea fieri nequit, minimè adstringetur, quia Sanch. nescit cooditionem existere. Ita Sanchez dicto *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 23. num. 14.*

39. Si pater obeat post votum filij, illius ignarus, antequam posset illius conscius assensum præstare, vel significare dissensum, non obligabit votum, quia non fuit impleta conditio, vt optimè Azor. docet idem Sanchez proximè allegatus; & Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 15. quæst. 9. versu, Præterea conditio.* Sed hoc intelligendum est, nisi animus vouentis esset non contristari patrem, eo quòd timeret illum ægrè laturum; tunc enim eo mortuo ante consensum vel dissensum voto Sanch. obligabitur. Ita Sanchez citatus *dicto num. 14.* Quando autem conditio est negatiua, dicemus infrà *cap sequenti.*

Hanc verò intentionem puto à communiter accidentibus in dubio præsumendam, id enim communiter intendunt filij eam conditionem ponentes; & ideo in hoc dubio obligabit votum. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. capit. 23. num. 14. fine.*

40. Votum ingrediendi religionem ad alicuius petitionem, si sensus est conditionalis, *si ille id à me petierit,* & antequam petat, obeat, non obligat; quia defecit conditio. Ita tenet Sanchez Palud. allegatus *num. 15.* Paludanus *in 4 dist. 38. quæst. 1.* D Anton. *art. 1. num. 14. conclusione 2.* D. Anton. *2. part.* Syluest. *tit. 11. cap. 2. initio, notabili 5.* Syluest. *verbo, Votum 2. quæst. 5.* Si autem sensus non est conditionalis, vel si votum in hunc modum fiat: *Quando ille hoc à me postulauerit, religionem ingrediar.* existimant Paludanus, & D. Antoninus modò allegati esse promissionem in diem, & ita illo mortuo obligare; quia iam requisitio expectari nequit. At melius Syluester, & Sanchez item allegati aiunt ex coniecturis venandam esse intentionem vouentis, quia forte intendebat ingredi, ingrediente socio, vel amico, qui id ab eo erat petiturus; vel intendebat promittere amico accepturo promissionem, & non Deo, & sic non tenebitur voto. Quod si de hac intentione dubium sit, & dubium etiam sit, an sensus sit conditionalis, credit Sanchez *dicto num. 15.* & optimè, iudicandum esse in fauorem libertatis vouentis. Cum enim vouens non absolutè se ligauerit, sed petente altero, nec posita sit petitio, potiùs pro libertate illius standum est, quàm pro voti obligatione, donec constet intentionem illius fuisse vouere absolutè.

Si autem votum emittatur de ingredienda 41. religione tempore, quo ille, vel ille, proximus, aut amicus id à me petiuerit; tunc quidem si ille moriatur antequam id à me petat, obligabit votum, ac si ea petitio amici in voto non requireretur, quia solum requiritur ad terminandum tempus ingressus; solùm enim per huiusmodi votum eam determinationem vouens ipse alterius arbitrio committit, vt de se patet. Ita docet San- Sanch. chez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 23. num. 15. ad finem,* Paludan. *in 4 dist. 38. quæst. 1. art. 1. n. 14.* Palud. *conclusione 2,* & D. Anton. *2. part. tit. 11. cap. 2.* D. Anton. *initio, notabili 5.*

Si quis voueat cogitans votum nullatenus 42. obligare, vel sub ea conditione, *modo ad illud non obligetur;* votum non tenet, eo quòd repugnet cum ea cogitatione, & conditione, voti substantiam consistere. Ita docet Sanchez *tom. 1.* Sanch. *Decalogi lib. 4 cap. 23. num. 10.* Syluester *verbo,* Syluest. *Religio 3. quæst. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 11. inst. moral.* Azor. *cap. 15. quæst. 9. versu, Porrò sciendum.* Et nihil refert cuius temporis sit conditio: & idem si credat professionem Religionis non obligare; vt tradit Sanchez *lib. 4. cap. 27. num. 92. tom. 2.* Sanch. *Decalogi.*

Si conditio in voto sit turpis, dicendum est 43. eam irritum votum, & iuramentum reddere; quando est contra voti, aut iuramenti substantiam, vt in matrimonio decernitur *cap. finali de de condit. apposit.* Quando autem conditio turpis non est contra substantiam voti, si sit de præterito aut præsenti, vt si heri furtum fuit commissum, vel si modò furtum committitur, manifestum est non reddere votum irritum; sed ea subsistente obligare, secus si non subsistat; quia nemo inde ad peccandum incitatur, nec intelligi potest per illud votum intendi aliquod malum à Deo obtinere; & ita docet Azor. *tom. 1. inst. mo-* Azor *ral. lib. 11. cap. 15. quæst. 9. versiculo, Tertiò,* & Sanchez *dicto tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 23. n. 11.* Sanch. At quando conditio illa turpis, est de futuro, vt si quis voueat Religionem, si fornicatus fuerit, non in sensu pœnali, in quo iam diximus suprà valere votum, sed in sensu conditionali; tunc si per tale votum non intendat obtinere ipsam fornicationem à Deo, sed ponatur tanquam conditio pendent à malo euentu, valet votum & statim obligat, ea conditione posita. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 6. n. 17.* Neque Sanch. impossibile est quod in eo sensu possit apponi conditio turpis, vt videre est, si quis Dux christianus voueat Religionem, si Turca Christianos

vicerit: tunc enim nullatenus intendit eam iniustam Turcæ victoriam, nec ad eam dirigit votum, imò eam odio habet; & ac proinde solùm per modum conditionis ponitur, vt aić Caietanus 2.2.*quæst.*88.*art.*2.*dub.*4. Tabiena *verbo*, *Votum* 2. *fine*, & alij. (Gutier. Tabien.)

44. Si tamen vouens, quando vouet desideret malum euentum, aut peccatum euenire, & ex affectu ad eam turpem, malamque conditionem voueat vt eam à Deo obtineat, non valebit votum, imò erit grauissima blasphemia: & idem est de iuramento promissorio; vt optimè docet Sylvester *verbo*, *Votum* 2. *quæst.* 2. vbi sic distinguit, & ait; *si vouens nolit impleri conditionem turpem, valet votum, quia ordinatur in pœnam; si autem velit, non valet; quia ordinatur ad malum finem obtinendum à Deo.* Docet etiam Sanchez *dict. tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 17. *ad finem*: & ratio quam reddit Sanchez, optima est, quia tunc moraliter loquendo, quando vouens votum emisit, si desiderat id peccatum, & turpitudinem euenire, dirigit votum ad obtinendum illud malum à Deo. (Sylvest. Sanch.)

45. Hinc iam hoc dubium insurgit. Vtrùm promissio iuramento, votove firmata ob turpem conditionem homini facta obliget? v. c. ob sollicitationem fœminæ, ob occisionem, aut percussionem iniustam. Et communiter Doctores aiunt hasce promissiones ante patratum opus non obligare, quia nemo potest obligari ad peccatum, & iniquitatem: neque enim iuramentum, aut votum vinculum est iniquitatis, sed virtutis, & religionis; quare neque qui promitit peccaminosum opus, tenetur illud facere, imò tenetur cessare, & illud non facere; neque qui promisit soluere aliquid ei, qui illud opus propter se erat facturus, ante patratum opus tenetur dare, imò tenetur reuocare promissionem, tanquam iniquam, & ad malum allicientem: patrato verò opere asserunt iidem Doctores teneri promittentem ad solutionem ex vi iuramenti, & religionis in conscientia, & periurum esse nisi soluat. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 2. Lessius *tom.* 1. *lib.* 2 *cap.* 18 *dub.* 3. Caietan. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. Couarr. *ad regulam, peccatum p.* 2. §. 2. *num.* 1. Nauarrus *in manuali Lat. cap.* 17. *à num.* 10. Sotus *lib.* 4. *de iust. quæst.* 7. *art* 1. Fundamentum est primò, quia *l. Vbi, cum l. sequenti, ff. de condition. ob turpem causam*; & *cap. In pari delicto, de regulis iuris, lib.* 6. & *l. Iuxsgent.* §. *Si ob maleficium, ff. de pact.* statuitur id quod propter delictum datur, repeti non posse in iudicio, neque quod ob delictum promittitur peti, signum ergo est posse tuta conscientia accipientem post patratum opus solutionem retinere, & teneri dantem promissum soluere. Secundò, quia illa promissio non fuit gratuita; sed onerosa, nempe locatio, & conductio sui laboris, & periculi pro pretio promisso, vel alius contractus innominatus, *do vt facias*; ergo si labor iam præstitus, & periculum iudicio prudentis tantum valeat, quantum res, aut pretium promissum valet, necessariò nascetur obligatio iustitiæ in promissione. Quod autem iste contractus possit esse æqualis, & iustus, patet; quia in opere promisso non solùm est considerandum peccatum, sed etiam labor, periculum, detrimentúmque personarum, quæ tale opus promittunt, & similia; quibus ipsæ personæ promittentes se exponunt. Item fidelitas, quam præstant; hæc enim omnia apud homines pretio sunt æstimabilia, & de illis possumus cum omnibus pacisci. Nec refert quòd peccatum illi labori, industriæ, periculóque, & fidelitati sit coniunctum; quia possunt hæc à tali opere separari, vt patet; nam quamuis illud ius, quod promissor turpis, ac peccaminosi operis alteri confert ad pretium sibi pro patratione illius promissum, sit turpiter acquisitum; attamen patrato iam opere res promissa ex iustitia debetur in foro conscientiæ, vt in meretricibus cernitur, quibus ex iustitia debetur res promissa ob turpem quæstum, si turpis quæstus tanti æstimetur. (D Thom. Lessius. Caiet. Couar. Nauar. Sotus.)

Non desunt tamen, qui asserant probabile esse eam promissionem non valere etiam opere iam patrato; & teneri proinde in conscientia promissorem turpis operis pretium sibi pro patratione illius datum restituere; siue ipse illud patrauerit, siue non patrauerit. Ita Lessius allegatus *num.* 2. & hanc opinionem expressè tenet Paulus Comitolus *lib.* 3. *resp. moral. quæst.* 5. & Nauarrus *in* 2. *volumine consil. lib.* 2. *titulo de sent. excommunic. consil.* 51. vbi ad finem ait promissionem ex delicto etiam post impletam conditionem esse nullam; & eam docet etiam Alexand. *in l. Si plagij, ff. de verborum oblig.* Baldus & Paulus Castrensis *in l. Generaliter, ff. eodem*, ibi: *Generaliter nouimus turpes stipulationes nullius esse momenti.* Et patet ex regula, *Non est obligatorium*, de regulis iuris in 6. ibi: *Non est obligatorium iuramentum contra bonos mores*; quia iuramentum non est vinculum iniquitatis; & *ex l. Instrumento, C. de inutil. stipulat.* vbi dicitur omnia quæ contra bonos mores in pactum & in stipulationem deducuntur, nullius esse momenti. Et ratio esse potest, quia leges quæ prohibent talia opera mala, reddunt personas antecedenter inhabiles ad se obligandum ad ea opera patranda: vnde cum promissio, siue contractus ioratus cadat super personam inhabilem ad contrahendam obligationem, obligatio erit irrita, & nulla. Quòd autem leges istæ personas inhabiles, & incapaces ad se obligandum reddant, constat ex *l. Generaliter, ff. de verbor. obligat.* ibi: *Generaliter nouimus turpes stipulationes nullius esse momenti.* Confirmari potest hæc opinio ex illa ratione Medinæ, *C. de rest. quæst.* 28. vbi dicit opus turpe non esse vendibile, & non deberi ex iustitia talem promissionem; sed ex fidelitate. 46. (Lessius. Comitol. Nauar. Alexand.)

Nihilominus nostra opinio, quæ est prima, est verior, & tenenda, nec rationes adductæ multum ponderis habent; nam nec leges adductæ reddunt manifestè personas antecedenter inhabiles ad contrahendum super opus malum; nec si redderent, procederent nisi in foro externo, quem respiciunt, non in interno. Deinde, quia hoc non est pacisci de turpi opere, sed de labore, de industria, de periculo, cui se promissor turpis operis exponit, quæ omnia sunt separabilia ab illo turpi opere; & sunt pretio æstimabilia apud omnes. Nec ratio Medinæ quicquam probat; nam verum est turpe opus, qua turpe est, non esse vendibile; non est tamen verum, non posse vendi laborem, industriámque, ac periculum quod cernitur in turpi opere exequendo; & per accidens est illi coniunctum, & de se est separabile: lex verò, *Generaliter*, allegata, & regula iuris, *Non est obligatorium*, solùm significant, non valere talea stipulationes pro foro externo, imò nec pro interno ante patratum opus, & post patratum non dari ius petendi in iudicio promissum pretium, aut repetendi illud in eodem iudi- 47.

cio

cio, si fortè iam datum est. Ita respondent auctores primæ opinionis.

CAPVT XXIX.

Quatenus tollatur, aut suspendatur obligatio voti, aut iuramenti promissorij ex parte conditionis negatiuæ illi adiectæ.

SVMMARIVM.

Quid sit conditio negatiua. num. 1.

De voto, aut iuramento emisso sub conditione negatiua impossibili idem dicendum est quod dictum manet de illis emissis sub conditionibus affirmatiuis impossibilibus. num. 2.

Quo tempore certo obligent vota, vel iuramenta emissa sub conditione negatiua, vt voueo religionem si fornicatus non fuero; si castitatem non seruauero. num. 3.

Quando nihil constat de intentione vouentis, aut iurantis, ex circunstantijs venanda est, si bellum à Turcis inferendum putetur, & quis iuret, vel voueat religionem, si Turcæ bellum non inferant, an teneatur ad votum. num. 4.

Si duo agebant de religione ingredienda, aut de peregrinatione facienda, & vnus alteri iuret, vel voueat religionem, vel peregrinationem, an teneatur ad votum, vel iuramentum, illo non egrediente, aut non peregrinante. num. 5.

Quid de vouente, vel iurante ingressum Religionis, si Deus eum à peccato luxuriæ praseruet, an, & quando hoc votum, vel iuramentum obliget. num. 6. & cap. 30. num. 10.

Quid si quis voueat Religionem si pater illius non contradicat, & ideo ita vouet, ne patrem molestia afficiat, an teneatur expectare obitum patris, cum tota vita possit contradicere. num. 7.

Quid si omnibus circunstantijs perpensis non possit colligi virtualis vouentis, vel iurantis intentio. num. 8.

An ille qui votum Religionis habet, teneatur ad illud, si sexagenarius fiat. num. 9.

An iuramentum, vel votum sub conditione negatiua emissum obliget ante tempus in ea positum, quando est certum intra illud impleri non posse conditionem. num. 10. 11. 12. 13. & 14.

1. HACTENVS egimus de votis, & iuramentis emissis sub conditione affirmatiua, sequitur, vt disputationem instituamus de illis sub conditione negatiua emissis. Recole autem quid sit conditio negatiua; est enim illa, quæ per negationem voto, aut iuramento adiicitur, & consistit in faciendo, vt, *si vindictam de tali, vel tali iniuria non sumpsero, si castitatem non seruauero, si pater, vel frater tuus hoc non fecerit, iuro aut promitto, me ingressurum religionem; aut me hoc, aut illud facturum.*

2. Quando igitur conditio negatiua est impossibilis, vt si sol cras non oriatur, si cælum non perierit: vel inhonesta, vt si Paulus non audierit sacrum in die festo, si fornicatus fuerit, si hominem occiderit, &c. Vel honesta, vt, si quis non fornicatus fuerit. Vel si plures fuerint conditiones negatiuæ, & omnes contingentes, & honestæ, vel altera turpis, indifferens, necessaria, vel impossibilis; altera honesta de præsenti, aut de præterito: nihil nouum dicendum occurrit; sed idem quoque de his negatiuis propositionibus dicendum est, quod de affirmatiuis diximus. Cùm eadem in omnibus sit ratio.

Inquires tamen quomodo, & quo tempore iuramentum promissorium, aut votum sub conditione negatiua, honesta tamen, & contingenti, emissum obliget, quando nullum in illis præfixum est tempus à vouente, vel iurante; vt *si non seruauero castitatem; si non fornicatus fuero, promitto Religionem, aut Eleemosynam.* Et ratio dubitandi est; quia conditiones negatiuæ amplectuntur omne tempus futurum vsque ad mortem, illarum enim euentus pendet ex toto futuro tempore vsque ad illam, nec antea potest integrè impleta esse conditio, & ideo non videtur posse assignari tempus certum obligationis; quæ vna causa fuit, ob quam in legatis sub his conditionibus negatiuis relictis olim fuerit statutum, vt statim præstita cautione Mutiana ipsa legata tradantur; nempe vt quandocumque conditio seruata non fuerit, legatum cum omnibus fructibus à principio perceptis restituatur; *l. Mutianæ. l. Hæres meus. §. Qui post Mutianam, & §. Quamuis ff. de condit. & demonstr.* At in contractibus, & promissionibus humanis quibus potius quàm legatis iuramenta promissoria & vota assimilantur, cautio Mutiana non habet locum; sed suspenditur illorum obligatio vsque ad mortem, vt docuit Acosta *lib. 2. selectar cap. 5. num. 4. &* Acosta.
l. cum tali §. si arbitratu, ampliatione 2. num. 5. ff. Molin.
de condit. & demonstr. & vterque Molina iurisconsultus, & Theologus; ille *lib. 2. de primogen. cap. 12. num. 26.* iste *tom. 2. de iust. disp 208. col. 5. versu, Quando stipulatio.* Quare cum vota, & & iuramenta promissionibus, & contractibus humanis assimilentur, sequitur vt nullum certum tempus habeant, quo possint obligare; sed vsque ad mortem obligent: at obligare vsque ad mortem etiam in statu senectutis aliquem ad ingressum religionis, durissima res est.

Respondeo venandam, & inuestigandam esse iurantis, & vouentis intentionem ex aliquibus coniecturis, & ex fine & occasione vouendi, quippe sæpissimè ex his deducitur pro quo tempore se voluerit obligare, & rarissimè contrarium eueniet: v. c. timetur, ne hæretici Vrbem Catholicam obsideant, aut fama est bellum velle Catholicis inferre; occasione hac ductus vouet quis, aut iurat se religionem ingressurum si bellum non inferant, aut Vrbem non obsideant; manifesta intentionis coniectura est, tale votum sub hac conditione negatiua emissum de illa proxima occasione, & obsidione, quæ timebatur, accipiendum esse, & ideo obligabit votum, aut iuramentum, cum certum fuerit ea vice non inferendum esse id bellum, nec obsidendam Vrbem Catholicam ab hæreticis. Ita Sanchez *tom. 1.* Sanchez.
Decalogi lib. 4. cap. 23. num. 34. 4.

Item agebant duo de Compostellana peregrinatione, alter vouet se illuc peregrinaturum altero non peregrinante, tenebitur voto statim, ac sibi constiterit, alterum peregrinari non posse, aut nolle. Ita Sanchez allegatus & Azor. *tom. 1.* Sanch.
inst. moral. lib. 11. cap. 15. quæst 9. Similiter pul- Azor.
satur quis tentatione alicuius criminis. v. g. furandi, occidendi &c. vouet se talem eleemosynam pauperibus daturum, si victor ea tentatione euaserit, illique non succubuerit; clara intentio il-

lius

lius colligitur obligandi sese, quando ita occasio committendi illius criminis præterierit, vt in se iam non sentiat peculiarem ad huiusmodi peccata propensionem, & se quasi dominum tentationis illius experiatur, ita vt id mortalis lapsus periculum cessarit: deficiet autem voti obligatio vnico lapsu, quia non victor, sed victus euasit. ita Sanchez allegatus.

6. Rursus sentit se quis ad luxuriam propensus, promittit aliquid voto, vel iuramento, si Deus ab eo peccato illum præseruauerit, tenetur ad votum, & promissionem; quando arbitrio prudentis ita se dominum illius tentationis sentit, vt iam nullis stimulis luxuriæ agitetur. ita Sanchez allegatus, & optimè.

7. Eodem modo vouit quis religionem, si pater non contradixerit, nolens ipsum molestia afficere; manifesta intentio illius est non expectare parentis mortem, vt plenè dicatur conditio impleta; sed tenebitur significare suam ingrediendæ Religionis voluntatem patri, non tamen tenetur illi votum suum explicare; ad id enim non se obligauit; & si ille non contradixerit, vel iam mortuus erat, cum votum emisit, & id nesciebat, vel antequam contradicat, obeat, tenebitur ad votum tanquam conditione impleta; secus si contradicat. Censebitur autem patrem non contradicere, quando aut manifestè consentit, aut conscius tacet; quia ea taciturnitas est non contradicere; quod si priùs contradicat, & postea consentiat, non obligabit votum; quia statim, ac contradixerit, cessauit conditio. Si verò priùs consentiat, & ante ingressum in nouitiatum contradicat, existimat Sanchez *tom.2. Decalogi lib.4.cap.23. num. 34.* votum non obligare, quia est discrimen inter conditionem affirmatiuam, *si pater consenserit*, & negatiuam, *si pater non contradixerit*: quòd illa, nempe affirmatiua, cum non sit vniuersalis, primo consensu verificetur, & ideo nihil refert dissensus postea subsecutus; hæc autem cum sit negatiua, vniuersalis est, quia hæc est conditio negationis, vt quicquid post se inuenit destruat, & eius oppositum ponat, & ideo censetur durare, & perfectè non impleri, nisi pater non contradixerit, manente re integra, & in eodem statu; quia etiam semper durat ratio cauendi eandem tristitiam paternam. At post ingressum religionis in nouitiatum cum res iam non sit integra, nihil proderit paterna contradictio, vt censeatur conditio deficere; quia prudentia dictat eam contradictionem vsque ad ingressum in nouitiatum accipiendam esse. Ita Sanchez allegatus, & optimè; nec eius doctrinæ aliquid addendum iudico. Sanch.

8. Quando verò omnibus circunstantiis perpensis nequit aliqua virtualis intentio vouentis, aut iurantis colligi; sed res dubia, ac anceps manet, tunc quidem adhærendum est verborum rigori, & iuxta illum iudicanda est obligatio voti, aut iuramenti. Cum verò in rigore verborum ea conditio negatiua non impleatur vsque ad mortem, & ex futuro totius vitæ temporis euentu pendeat; dicendum est ea vota eundem sensum habere ac si se tantùm obligaret ad rem promissam post mortem; quare si fuit votum reale, obligabit vouentis, aut iurantis hæredem ad illud post mortem illius implendum. Si personale ingrediendæ religionis, aut seruandæ castitatis, votum erit irritum tanquam rei naturaliter impossibilis. Ita Sanch. *tom.1. Decal.lib.4.c.25.n.35.* Sanch.

Dices, is qui habet votum religionis, si senex factus fuerit sexagenarius, non tenetur ad votum, vt est communis sententia: cum enim senectus ipsa per se sit morbus, sicut habens impedimentum morbi perpetuum post votum superueniens, non tenetur ad votum religionis, sed liber ab illo manet, vt docet Sanchez *tom 1. Decalogi lib. 4. quæst. 16. num.36.* & Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. ad 3.* & Aragon. *2.2. quæst.88. art.3. ad 3* ita qui in senectutem incidit, liber erit à voti obligatione de ingredienda religione. Ac proinde si quis vouerit, vel iurauerit se ingressurum religionem si castitatem non seruauerit, non obligabitur ad ingrediendã religionem si in senectute contra castitatem peccet, cum tamen conditio posita fuerit, si quidem, cum sit negatiua, vsque ad mortem poni possit, ac proinde votum confirmari videatur. Respondetur primò per accidens istum tunc non teneri ad ingressum religionis, cum moraliter loquendo in ea ætate non soleant homines ad illam esse habiles nisi tanta esset viri authoritas, vt non obstante ea senectute iudicaretur valde religioni vtilis. Respondetur secundò, illud tempus futurum vsque ad mortem in eo casu intelligendum esse moraliter, id est, vsque ad tempus habile ingressus Religionis. Cum igitur sexagenarius non sit in tempore ad religionis ingressum, pro mortuo reputatur respectu talis voti. 9. Sanch. Sotus Aragon.

Sed dubitabis, an votum, vel iuramentum sub conditione negatiua emissum obliget ante tempus in ea assignatum, quando est certum intra illud impleri non posse conditionem. v.c. vouit quisquam religionem, si intra duos annos, vel menses ipse, vel alius Ecclesiam non ædificauerit, & hoc non in pœnam suæ negligentiæ, sed in sensu merè conditionali, quæro an eo voto obligetur solùm eo biennio expleto, an ante illud, quando residuum temporis adeo exiguum est, vt moraliter ædificari templum nequeat? Respondet Azor *tom 1. inst. moral. lib 11. cap.15. quæst.9. versu, Si quæras quid dicendum sit.* in his votis spectandam esse promittentis voluntatem; & ex coniecturis deducendam: sed non exhaurit difficultatem; quia aliquando adhibito etiam summo studio, ac labore, ea virtualis voluntas coniici non poterit; sed res manebit anceps, & ideo videndum est qualiter in eo dubio interpretandum sit ius de eo loquens; nam de eo extant duo textus è diametro secum pugnantes. Prior est *in l. in illa stipulatione. 8 ff. de verborum obligat.* vbi clarè deciditur similem promissionem non obligare ante tempus in conditione expressum, etiamsi constet eam amplius impleri non posse. Posterior est *in l. hoc iure 10. ff. eodem titulo*, quæ apertè contrarium decidit sumpto argumento à contrario sensu ibi. *Non antea quicquam peti potest quàm exploratum sit ante eam diem in Italiam Titium venire non posse.* Quod si respondeas cum glossa in *prædicta. l. Hoc iure, verbo, Non posse,* in prima solutione, & cum Imola in dicta lege, *In illa stipulatione num.2.* argumentum à contrario sensu factum nihil probare, quando contrarium illius, quod ipsum argumentum deducit, in iure decisum est; & in hoc casu contrarium, esse expressè decisum in prædicta *l. In illa stipulatione*; Eam responsionem improbant Iason. *in l. In illa. num. 13.* quia nisi valeret argumentum à contrario sensu, hæc verba dictæ legis, *Hoc iure,* essent prorsus superflua, & nihil operarentur. *Non antea quicquam peti potest, quàm exploratum sit ante* 10. Azor.

ante eam diem in Italiam Titium venire non posse. Sed valet argumentum à contrario sensu, etiamsi inde alterius Iuris correctio sequatur, quando ea verba legis in solo directo sensu intellecta nihil operarentur, sed prorsus superflua essent; vt probat textus in *l. Nulla, in fine*, iuncta authentica, *Diaconissa. c. de Episcopis, & clericis.* & docet idem Iason citatis multis in *l. Centesimis, ff. finali num.6. ampliat.1. ff. de verbor obligat.*

Iason.

11. Hi duo textus conciliari possunt, si dicamus duplicem esse conditionem negatiuam; alteram implendam ab ipsomet promittente, vt si hoc non fecero in biennium, dabo decem; alteram ab alio implendam; vt si Petrus hoc non fecerit intra biennium. v. c. dabo decem, aut viginti; quando conditio non ab altero, sed ab ipsomet promittente implenda est, dies apposita in conditione censetur repetita in promissione, & ita ante eam diem promissio non potest, etiamsi tam exiguum tempus residuum sit, vt conditio in eo nullo modo ampleri possit, & de hac conditione loquitur textus in lege. *In illa stipulatione* 8. *ff. de verbor. significat.* vt ex ipsius contextu patet. Si verò conditio implenda sit ab alio, non censenda est ea dies repetita in promissione, & ita obligat ex eo tempore, ex quo certum iam est conditionem impleri non posse, & de hac loquitur textus in *l. Hoc iure* 10. *ff. eodem titulo.* Et ratio discriminis est, quia in priori casu pendet executio à libera promittentis voluntate, & ideo ob similitudinem inter conditionem, & promissionem tempus in conditione adiectum censetur in promissione repetitum; quia inter similia facilior est transitus, *lege. In rem,§. Item quecumque, ff. de rei vendicat.* quæ ratio cessat in posteriori casu, & ita hos textus conciliat glossa ea lege. *Hoc iure, in tertia solutione, verbo, Non posse*, & Bartholus ea lege. *In illa num.*2. vbi Albertinus *num.* 5. Aretinus *num.* 2. & alij, quos citat, ac sequitur Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.*23. *num* 38.

Barthol. Albert. Aretin. Sanch.

12. Quando autem dicimus in conditione ab alio implenda deberi rem promissam, si certum sit iam conditionem impleri non posse, id intelligendum est, ita id debitum incursum esse, vt executio suspendenda sit; donec accedat terminus in conditione positus, vt optimè animadoertit Sanchez, quod procedit de iure communi. Nam de iure Castellæ constat in vtroque casu non deberi rem promissam, donec accedat dies in conditione posita, quia id absque distinctione aliqua decidit lex regia 17. *tit.* 11. *part.* 5. & ita docet Gregorius Lopez ibi *verbo, El dia*, dum absolutè decidit promissionem conditionalem non obligare donec accedat terminus.

Greg Lop.

13. Hinc colliges in votis, aut iuramentis emissis sub conditione negatiua, quando in sola conditione appositus est terminus præfixus alicuius temporis; vt *si Ecclesiam intra biennium non adificauero*, vel *Petrus non adificauerit, vouet me ingressurum religionem*; & diligenti examine præmisso, nequit specialis intentio vouentis conijci, adhærendum esse præsumptioni iuri circa illa verba; quæ est, vt si conditio illa sit per ipsummet vouentem implenda, votum non obliget, nisi post totum tempus in conditione positum lapsum sit: si autem implenda sit per alium, obliget ex eo tempore, in cuius residuo, certum est, non posse conditionem impleri. Potest tamen executio differri donec totus terminus dierum impletus sit. Attentò verò iure Regni Castellæ corrigentis hanc iuris communis dispositionem, in vtroque casu, hoc est, siue in casu quo conditio implenda sit per ipsummet vouentem, vel iurantem, siue per alium, dicendum votum vel iuramentum conditionale non obligare donec accedat terminus. Dum autem dicimus, statim, ac aduenit tempus, votum, aut iuramentum obligare, intelligendum est, vt ex tunc incipiat obligare, quasi impleta conditione, & non quasi illa dies sit præcisa & præfixa ad executionem voti, vt supra explicauimus, & docet Sanchez *tom.*2. *Decalogi lib.*4. *cap.*23. *num.*39.

Caput XXX.

An votum, vel iuramentum conditionale obliget conditione non impleta ob vouentis, vel iurantis culpam?

SVMMARIVM.

Quem sensum efficiant hae verba. Voueo, *aut*, Iuro me non futurum Religiosum, nisi ex Dominicana familia; aut si religiosus fuero, voueo, vel iuro me futurum ex tali familia. *num.*1.

Quid si quis voueat, vel iuret, se ingressurum Religionem, si in ludo victus fuerit, an tunc possit hic pro viribus conari, ne vincatur eo animo, ne Religionem ingrediatur. *num.*2.

Si quis voueat, vel iuret se castitatem seruaturum, vel futurum religiosum, si fornicatus fuerit, vel victor euaseris in duello, tenetur ab peccata vitare etiam si id faciat, eo animo, vt castitatem non seruet, aut Religionem non ingrediatur. *num.*3.

An quando quis vouet, aut iurat, se ingressurum Religionem, si Antonius suus amicus certam, & nominatam religionem fuerit ingressus, aut tale, vel tale matrimonium obtinuerit, possit ei licitè suadere, vt strictiorem Religionem ingrediatur, aut vt Religionem ingrediatur eo animo, vt voto, aut iuramento, non obligetur; & an si alter id faciat, nihilominus iste ad votum teneatur. *num.*4.

Qui aliquid alteri promittit, si ipse opem ei ferat, duo ei promittit;primum,rem ipsam: secundum, se illius opem admissurum, & illam non impediturum; & si culpa sua impediat, tenetur ei dare id, ac si opem tulisset. *num.*5.

An qui voto, vel iuramento aliquid alteri sub conditione promittit, & consultò conditionem impedit ne teneatur, perinde obligetur, ac si conditio sit impleta, refertur prima opinio negans teneri. *num.*6.

Praefertur opinio affirmans teneri. *num.*7.

Quid sentiendum sit de conditionibus humanis, qua nec voto, nec iuramento firmantur? *num.*8.

Respondetur fundamentis primæ opinionis. *num.*9.

Limitatur secunda sententia. *num.*10.

Quid si quis voueat, vel iuret ingressum Religionis, si doctus euadat in tali, vel tali arte, an statim maneat obligatus, si consultè literis non vacet, ne voto obligetur; si aliunde ingenio tardus erat, vel salutis defectu laborabat? *num.*11.

Quid si bono ingenio, & valetudine pollebat, sua tamen negligentia literis operam non dedit ne voto, aut iuramento teneretur, an tunc ad illa teneatur? *num.*12.

An

An ille qui votum, vel iuramentum Religionis emisit, si Deus illum à tali peccato præseruauerit, ad illud teneatur, si ex negligentia, aut fragilitate humana in eo peccauerit? *num.* 13.

Vouens, vel iurans se facturum aliquid, si aliquis id sibi consuluerit, vel id ab eo petiuerit, non potest eum rogare ne id à se petat, & si id faciat, tenebitur ad votum. *num.* 14.

Quid in dubio, an conditio esset implenda, si ipse non rogaret eum ne eam rem à se peteret. *num.* 15.

Quamuis tamen non possit petere ne id à se petat, aut ne id sibi consulat, potest tamen syncerè ei repræsentare difficultates, & contradictionem, quam sentit ad votum explendum. *num.* 16.

Quid si vouens, aut iurans decipiat illum, qui præstiturus erat consilium, ne illud sibi det, & ille seclusa ea deceptione illud non erat daturus. *num.* 17.

Si veritate syncerè narrata, ille consuluit, ne Religionem ingrederetur, siue prudenter, siue imprudenter consulat, non tenetur amplius ad votum. *num.* 18.

1. VT in hac re clarè, ac distinctè procedamus, & certa ab incertis separemus; Primò, illud certissimum est, quoties conditio adiicitur voto, aut iuramento sub ea ratione, quæ à libera vouentis, aut iurantis voluntate pendet, non peccare, nec voto, aut iuramento teneri vouentem, vel iurantem si data opera impletionem conditionis impediat, vt si quis sic voueat: *Voueo me non futurum Religiosum, nisi ex Dominicana familia*, aut, *si Religiosus fuero, voueo me futurum Carthusianum*; vtrumque enim votum in eundem sensum recurrit, & perinde est, ac dicere: *Voueo si voluero fieri religiosus, me non futurum, nisi ex Carthusiana, vel Dominicana familia*, vbi conditio illa, *si voluero*, semper pendet à libera voluntate vouentis. Et ratio est clara, quia ille, qui adiicit conditionem eo modo, quo à sua libera voluntate pendet, censetur, eo ipso, se obligare nolle, nisi dependenter à sua mera voluntate; quæ ad libitum potest conditionis euentum amplecti, respuere, vel impedire; ac proinde ei liberum est, velle talem euentum conditionis, aut nolle. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 40. (Sanch.)

2. Secundò, illud etiam certum est, quando talis est conditionis natura, vt apponatur quasi licitè impedienda à vouente, vel iurante, tunc etsi data opera ipse vouens conditionis euentum impediat, non tenetur voto; vt si quis promittat Religionem se ingressurum, si in ludo victus fuerit. Potest iste licitè, & sine peccato viribus conari, ne vincatur in ludo, licet sit eo animo, vt impediat conditionem ne religiosus fiat; quia in ipsa tacita vouentis intentione includitur, posse licitè procurare impedimentum talis conditionis, & sic obligationem voti deuitare. Ita docet Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 42. Glossa in l. *In executione* 85. §. *finali in fine ff. de verbor. obligat* & ibi Bartholus *in fine*. Paulus *n.* 2. Alexander *fine*. Decius regula, *in iure ciuili*, *num.* 6. *ff. de regulis*. (Sanch. Glossa. Barthol. Paul. Alexand. Decius.)

3. Hinc manifestè sequitur primò, vouentem, vel iurantem sub conditione alicuius peccati à se vel alio patrandi, & supponente peccatum proprium, vel alienum; posse licitè conditionis euentum impedire impediendo peccatum illud, quamuis id efficiat causa vitandæ eludendæque obligationis voti, imò tenetur tã propriũ, quàm alienum peccatum impedire; vt si quis voto, vel iuramento promittat se castitatem seruaturum, aut futurum religiosum, si hominem occidat, vel fornicatus fuerit cum Berta, vel victor euaserit in duello, potest, imò tenetur, tale peccatum tam in se, quàm in alio deuitare, etiamsi id faciat eo animo positiuo, vt castitatem non seruet, aut religionem non ingrediatur, quia iniquum esset contra Dei legem, ea peccata non impedire, propter obligationem voti inde consurgentem. Ita Sanchez numero præcedenti allegatus *num.* 43. (Sanch.)

Imò non erit quis reus voti, si impediat conditionem minoris boni, ea intentione, vt maius bonum procuret. v. c. vouisti Religionem, si Antonius tuus amicus certam, ac nominatam Religionem ingrediatur, aut tale, vel tale matrimonium obtineat? poteris licitè procurare, vt tuus amicus aliam Religionem strictiorem ingrediatur, & matrimonium non suscipiat, sed in perpetuo maneat cælibatu, etiamsi id eo animo efficias, vt ad votum non tenearis; quia votum cum sit promissio facta Deo de re bona meliori non contraria, obligare nequit, cum maioris boni proprij, vel alterius impedimento. Ita Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 44. 4. (Sanch.)

Tertiò illud item certum est, extra prædictos casus, impedientem consultò, & data opera futuræ conditionis euentum, ne teneatur voto, peccare mortaliter contra votum; quia eo ipso quod promittit aliquid sub conditione, censetur bona fide promittere, & duplex votum emittere: alterum non impediendi conditionem, alterum rei principaliter promissæ, vt promittens centum Petro, si ipse sibi opem tulerit, promittit expressè illa centum, & virtute etiam promittit, se illius opem admissurum, & illam non impediturum, aut illa ei date perinde ac si opem tulisset. Et ita docet Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 45. *&* 47. & omnes asserentes obligare huiusmodi votum perinde, ac si conditio impleta esset in eo casu, quo ipse promittens impediat ne conditio ponatur in actu; quos statim referemus *num.* 7. 5. (Sanch.)

Dubium igitur præcipuum est, an qui sub voto, aut iuramento aliquid sub conditione promittit, & consultò, ac data opera conditionem impedit, ne ipse voto, aut iuramento obligetur, perinde illo adstringatur, ac si conditio esset impleta, & hac de re partita est opinio. Prima docet non obligari. Eam tenet Maior *in* 4 *dist.* 38. *quæst.* 1. *corollario* 7. asserit enim ibi absolutè votum hoc, aut iuramentum non obligare, deficiente conditione, & ponit exemplum in eo, qui vouet religionem sub conditione, si impetret sanitatem, vel si fornicationem non commiserit, & data opera ne voto adstringatur, intemperanter comedit, ne sanitatem obtineat, & fornicationem admittit. Fundamentum illius esse potest. Primò, quia ex nulla ratione colligitur vouentem sub conditione, voluisse se obligare, illa quomodocumque deficiente, quia ex eo quòd virtute se obligarit ad non impediendam conditionem, non sequitur eo ipso, voto manere obligatum, si illam data opera impediat; sed solùm sequitur mortaliter peccare contra synceritatem bonæ fidei promissam virtualiter in voto; quia absolutè loquendo non se obligauit ad votum, nisi conditione impleta. Secundò, quia votum alligatum tempori non obligat eo peracto, quamuis in fraudem voti temporis lapsus procuretur, 6.

retur,

retur ; ergo alligatum conditioni non obligabit ea deficiente, quamuis in voti fraudem impediatur.

7. Secunda tamen opinio, verior, probabilior, ac tenenda docet extra casus suprà *num* 1. 2. 3. *&* 4. numeratos impedientes consulto conditionis euentum, ne voto teneatur, perinde illo adstringi, ac si conditio impleta iam esset, & posita in actu. Sanch. Richard. Supplem. Gabriel. Hanc tenet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib* 4 *cap.* 23. *num.* 47. Richardus *in* 4. *distinct.* 38. *art* 5. *quæst.* 5 *in corpore*, & ibi supplementum Gabrielis *quæst.* 1. *art.* 3. *conclusione* 2. *in fine.* Angel. Syluest. Tabien. Nauar. Angelus *verbo*, *Votum* 1. *num* 10. Syluester *verbo*, *Votum* 2. *quæst.* 2 *dict.* 2. Tabiena *verbo*, *Votum* 2. *quæst* 2. *initio.* Nauarrus *in summâ cap.* 12. *n.* 42. *&* *lib.* 3. *consil titulo de voto in* 1. *edit. consilio* 24. *num.* 2. *in secunda consilio* 30. *num.* 2. Palat. Palatios *in* 4. *dist* 38. *disputat.* 1 *post* 5. *conclusionem fol.* 838. *col.* 1. Angles. Azor. Lud. Lop. Angles in florib 2. *part. quæst. vnica de voto art.* 2. *post* 7 *difficultatem dubio* 8. Azor. *lib.* 11. *Instit. moral. cap.* 20. *quæst. vltima.* Lud. Lopez 1. *part. Instructor. cap.* 44. *col.* 2. *versiculo*, *Qui nouit aliquid.* Rodrig. Emanuel. Rodrig. *tom.* 2. *summa cap.* 98. *ad finem.* Probatur primò ex regula, *Cum non stat per eum* 66. *de regulis iuris in* 6. & ex regula, *In iure ciuili* 122. *ff. de regulis iuris*, & expressiùs ex *l. In executione* 85. §. *finali*, *ff. de verbor. obligat.* ibi: *Quicumque sub conditione obligatus curauerit ne conditio existeret, nihilominus obligatur.* Et ratio fundamentalis est; quia quoties apponitur conditio dependens ab aliis causis siue naturalibus, siue liberis, quæ licitè impediri nequit, verus sensus conditionis est: *Voueo talem rem si per alias causas mihi inuoluntarias non steterit, quo minus hoc fiat.* Deinde quia, vt iam *num.* 5. retigimus, is, qui sub conditione aliquid voto, aut iuramento promittit, censetur duplex votum, & iuramentum emittere; primum est, expressum rei sub conditione promissæ; secundum est, virtuale non impediendi consulto conditionem, ne tali vinculo teneatur. Tertiò, quia quoties de alia peculiari vouentis, aut iurantis intentione, non constat, verba sunt accipienda iuxta modum; ac sensum quo ea ius intelligit, & standum est in vtroque foro præsumptione iuris; vt docet Sanchez hìc allegatus. At ius, in hoc euentu, præsumit hanc intentionem in huiusmodi obligationibus, & verè reputari conditionem impletam, quoties malitiosè impeditur ne obligatio sequatur, vt vidimus: ergo dum non constat de alia voluntate vouentis, vel iurantis, ita in vtroque foro sentiendum est. Tandem, quia fraus, & dolus nemini patrocinari debet, *capite*, *Aduersus*, *de immunitate Eccles.* patrocinaretur autem sine dubio, si in hoc casu vouentes, & iurantes voti, aut iuramenti vinculis non obligarentur; alioqui si quis voto promittat Titio decem aureos, si domum promittentis ingrediatur, & volenti Titio ingredi ostium occludat, eximetur ab ea obligatione, quod, quàm absurdum sit, nemo non videt.

8. Et idem dicendum est de promissionibus humanis, quæ nec voto, nec iuramento confirmantur, ob easdem rationes tactas, vt docent Glossa in *l. Si rem tibi* 19. §. *finali*, *verbo*, *Victor. ff. de præscriptis verbis*: *&* ibi Barth. Paul. Imol. Aleiat. Decius. Barth *fine*, & idem Barth *in d. l. In executione finali in fine*; & ibi Paul. *n.* 2. Imol. *in fine*, Aleiatus *num.* 3. Decius *ea regula*, *In iure ciuili num.* 6. vbi asserunt promittentem alicui, si ipsum vicerit in ludo, quamuis non teneatur, procurando, se non vinci, eo quod conditio hæc sit talis naturæ, vt licitè impediri valeat, vt diximus *num.* 2. teneri tamen, si ob id ludere nolit, eo quod per illum stet, quo minùs conditio impleatur.

Ex dictis soluta manent fundamenta primæ opinionis: nam ad primum dicendum est constare ex vouentis tacita voluntate, voluisse virtualiter se obligare ad non impediendam malitiosè conditionem, ne voto, vel iuramento obligetur; alioquin enim votum esset frustratorium, & fraudulentum; vt patet. Ad 2. respondendum est, esse diuersam rationem in voto, & promissione alligata tempori, & alligata conditioni; quia votum est alligatum conditioni non materialiter sumptæ, sed formaliter, & propriè, vt scilicet virtualiter intenta à vouente, vel promittente; & ideo censetur impleta, si malitiosè, aut consultò, & datâ operâ, impediatur. At votum, & promissio est alligata diei, & tempori materialiter, & ideo quomodocumque illa promissio eo die, & tempore materiali non impleatur, cessat omnino eius obligatio. Ita respondet Sanchez, & optimè *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 47. 9. Sanch.

At secunda sententia hac limitatione restringenda est, vt intelligatur, quando impletio conditionis pendet ex vnico actu, secus si pendeat ex pluribus. Si enim ex pluribus actibus pendeat, quamuis in fraudem voti, aut iuramenti conditio impediatur, non illicò obligat votum. Dicendum tamen est, non cessare obligationem voti ob illud conditionis impedimentum, & defectum, quia perinde se habet tunc votum, ac si conditio non defecisset v. c. vouet quis religionem, si Deus illum à tali, vel tali peccato præseruauerit, non illicò, ac semel, vel ter victor euasit in tentatione illius, tenetur ad votum; sed quando ita vicerit illud peccatum, ac se præseruatum sentit, vt quasi dominium illius tentationis se habere experiatur. Vnde si datâ operâ labatur, ille lapsus non efficiet deficere conditionem, sed reputabitur votum in eodem statu, ac antea manere pendens à conditionis euentu, ac si talis lapsus non daretur; sed tunc tantùm reputabitur, quasi impleta conditio, quando toties in fraudem voti lapsus fuerit, vt iam omnino succubuerit tentationi, ita vt ipsa tentatio quasi dominium illius habeat; sicut è contrario tunc censetur præseruatus quando ita vicisset, vt dominium illius tentationis haberet. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 49. 10. Sanch.

Hinc deducitur vouentem, aut iurantem Religionis ingressum si euaserit doctus in tali, vel tali facultate, quamuis ex professo non vacet literis ea intentione, vt voti obligatione non teneatur, non statim manere obligatum voto: potest enim contingere, vt aliunde non sit obligatus, vt quia ea ingenij ruditate, aut ea inopia, vel salutis defectu laborat, vt certum sit conditionem non fuisse implendam, quamuis ipse impleri curaret. Imò quamuis obligaretur voto, quia nec ingenij tarditate, nec inopia, nec salutis defectu laborabat, solùm obligandus erit, vt in studium literarum incumbat, vt possit doctus euadere. Quod intelligendum est, nisi accesserit tempus obligationis illius voti, quo præcisè tenebatur ex voto religionem intrare, vt quia promisit se intra certum terminum ingressurum; tunc enim, cum conditio culpabiliter omissa pro impleta habeatur, tenebitur statim ingredi. Ita Sanch. *tom.* 1. *Decal. lib.* 3. *cap.* 23. *n.* 50. 11.

12. Et idem dicendum est si notabili sua negligentia conditio non sit impleta; quamuis non in fraudem voti id fecerit; quia non apponitur id studium, eaque diligentia, quæ in voto, vel iuramento inclusa est, ne conditio deficiat. Et huius sententiæ est expresse Sanch. citatus *num.* 48. per totum; *&* 50.*ad finem*, & videtur esse Angelus *verbo, Votum* 1.*num.*10. Syluester *verbo*, *Votum* 2. *quæst.*2.*dict.* 2. Tabiena *verbo*, *Votum* 2. *quæst.* 2. *initio* Ludouic. Lopez 1.*part. Instruct. cap.*44.*col.*2 *versu*, *Qui vouit aliquid.* Azor.*tom* 1. *Inst. moral.lib.*11.*cap.*20 *quæst. vltima*, Emanuel Rodriguez *tom.* 2. *summa cap.* 98. *ad finem*, vbi generaliter asserunt adstringi voto eum, qui culpabiliter causa fuit ne conditio impleretur. Tunc autem negligentia vouentis, aut iurantis, conditio non impletur, quando hic non applicat media ordinaria, & solita applicari ad obtinendum id, quod sub conditione promissum est; ad id enim censetur se in eodem voto virtute obligare; secus si culpa sua non adhibuit media, ac remedia extraordinaria, v. c. promisit quis religionem, si pater ex morbo ad pristinam salutem restituatur, vel si ipsemet vouens sanitatem intra certum tempus adeptus fuerit. Si hic medicum, ac medicinas necessarias non adhibeat, quas adhiberet, non emisso voto, & idcirco culpa sua grauí, quamuis non in fraudem voti, sanitas non sit recuperata intra eum terminum; is tenebitur voto, nisi manifestum sit iis adhibitis sanitatem non fuisse recuperandam; quia notabili culpa sua, media, ac remedia ordinaria omittens, conditionis euentum impediuit. At verò si casu aliquo in esu, potuve, aut in alia re qualibet, nimis excessit; & si excessus fuerit mortalis, & recuperandæ salutis intra terminum præfixum impedimentum, non tenebitur voto. Similiter si postea non in voti fraudem, sed ira correptus, aut iniqua successionis cupiditate victus patrem occideret, non adstringeretur voto; quia ratione voti non censetur ad haec extraordinaria media, & à vouentibus nunquam cogitata, cauenda obligari. Ita docet Sanchez *dict.tom.*2. *Decalogi lib.* 4. *cap* 23 *num* 51. Richardus *in* 4. *dist.* 38 *artic.*5. *quæst.*3. *ad* 2.& Angelus *verbo, Votum* 1.*num.*10. Syluester, & Tabiena modo allegati, & Nauarrus *in summa cap.*12. *num.* 42. vbi dicunt, cum de alia intentione non constat, censeri hunc se ratione voti, aut iuramenti obligare ad ea media, quæ voto, aut iuramento non emisso apposuisset.

Sanch. Richard. Angel. Syluest. Tabien. Nauar.

13. Ex dictis constat quid sentiendum sit de voto sub conditione emisso, si Deus præseruet vouentem ab aliquo peccato; nam quamuis supplementum Gabrielis *in* 4. *dist.*38.*quæst.*1. *art.*3.*conclusione* 2. *fine*, astruat hunc teneri voto quasi conditione impleta; & si ex fragilitate ac tentatione victus succumbat, eo quod ex culpa sua non impleatur conditio, cum Deus paratus sit ad illum adiuuandum, si ille quod in se est efficeret; tamen hæc sententia nullatenus est admittenda; quia iuxta eam nunquam id votum deobligaret, ac proinde frustrà euentus conditionis expectaretur; imò statim perfectè obligaret, vt in conditionibus necessariis suprà diximus; & quamuis alij asserant hunc in eo duntaxat euentu, voto obligari eum non adhibuit eam diligentiam, ad vitandum hoc peccatum, quam tenebatur adhibere eo voto non emisso, & quando data opera in id peccatum lapsus est, ne voto obligaretur, vt Richardus, Angelus, Syluester, Tabiena, Nauarrus numero præcedenti allegati, & Ludou. Lopez 1.*part.Instruct.cap.*44 *column.*2. *versiculo, Qui vouit*; quod Syluester limitat, nisi constaret intentionem vouentis fuisse (vt communiter ait esse) vt Deus specialem gratiam ei conferret qua ab illa sua negligentia in eo peccato vitando præseruaretur. Tamen re bene perpensa existimo cum Sancio *tom.*1. *Decalogi.lib.*4. *cap.*23. *num.*53. *&* 49. quoties de alia speciali intentione vouentis non constat, minimè eum voto teneri, si ex quacumque negligentia illius peccati tentationi succumbat; nisi solùm quando data opera, & vt voti obligationem effugiat, illud ipsum peccatum commiserit; tunc enim obligabitur voto, eo modo, quem *num.*10. explicuimus. Et ratio est primò, quia, vt bene ait Syluester *verbo, Votum* 2. *quæst.*2. *dict.*2. in eo voto intendunt vouentes, vt Deus speciales vires ipsis addat quibus illam negligentiam superent; ergo vbi non constat evidenter de alia vouentis intentione à communiter accidentibus, hæc in dubio præsumenda est. Neque consequenter locutus est ibi Syluester asserens hanc esse communem intentionem, sed in dubio non præsumi. Et ita cum Sancio allegato docent expressè Palatios *in* 4. *dist.*38. *quæst.*1. *post.*5. *conclusionem fol.*838. *column.* 1. Angles in floribus 2. *part. quæst. vnica de voto art.*2. *post.*17 *difficultatem dub.*8. & videtur tenere Azor *tom.*1. *Inst. moral. lib.*11. *cap.*20. *quæst.vltima fine*, quatenus docet tunc huiusmodi vouentem voto obligari, quando sciente, & sponte sua se in peccatum præcipitat, aut periculis obiicit, aut peccati occasiones quærit; secus quando ex negligentia cadit, quamuis non explicet requiri quoque, vt in voti fraudem ne eo teneatur id efficiat, quod desiderari etiam existimo cum Sancio allegato *dicto num.*53 *fine, &* 49.

Lud Lop. Sanchez. Syluest. Angl. Azor.

14. Ex dictis colliges vouentem, aut iurantem se facturum aliquid, si alius id sibi consuluerit, aut si alius voluerit, non posse ab eo petere, ne id sibi consulat, aut nolit, ne voto teneatur: quod si id petat, tenebitur voto si certum sit quòd ille propter suam petitionem id non peteret, nec consuleret, aliàs petiturus, ac consulturus. Ita docet Sanchez *dicto tom.* 2. *Decalogi lib.* 4. *cap.*23. *num.*54.

Sanch.

15. In dubio autem, an conditio implenda esset, id est, an alter id petiturus, aut non petiturus esset, in hoc speciali casu, dicendum etiam est teneri; quia cum censeatur conditio impleta, quoties malitiosè eius euentus impeditur, & constet hunc malitiosè per eam petitionem illam impediuisse, stat possessio pro voti obligatione. Ita docet Sanchez *dicto num.* 54 & constat ex iis Doctoribus, qui asserunt promittentem aliquid si in ludo victus fuerit, quamuis procurando se non vinci non efficiat contra conditionem; efficere tamen, & teneri ad votum, si non ludat ne vincatur; cum tamen dubium sit, an ludens vinceretur, & sic poneretur conditio. Et hi sunt Angelus *verbo, Votum* 1 *num* 10. Richardus *in* 4. *dist.* 38. *art.*5 *quæst.* 3. *in corpore*, & ibi supplementum Gabrielis *quæst.*1. *artic.* 3. *conclusione* 2. *in fine.* Nauarrus *in summa cap.* 12. *num.* 41. Tabiena, *verbo*, *Votum* 2. *quæst.* 2. *initio*, Palatios *in* 4. *dist.*38. *disput.*1. *post* 5. *conclusionem fol* 838. *col* 1. Azor *tom.*1. *Inst. moral.lib.*11.*cap* 20 *quæst. vltima.* Ludou. Lopez 1. *part. Instruct. cap.* 44. *consilio* 2. *versiculo*, *Qui vouet aliquid.* Rodrig. *tom.*2.*summa cap* 98. *ad finem*, & alij. Quare vt hic tunc ad voti obligationem non teneatur,

Angel. Rich. Supplem. Gabriel. Nauar. Tabien. Palat. Azor. Lud.Lop. Rodrig.

opus

opus est, vt certò sciat, fore vt eo non petenti deficeret conditio; eo quòd alter id nollet, aut non consuleret.

16. Quamuis tamen non possit petere, ne consulat, & nolit; potest nihilominus syncerè illi repræsentare difficultates, & contradictionem, quam sentit ad votum explendum, vt alter videat an expediat contradicere, aut non consulere; quia hoc non est impedire euentum conditionis culpabiliter. Cum autem dixi, petentem, vt nolit, vel non consulat, teneri voto; intelligendum est, cum alter nequit iterum haberi, vt eius voluntas, vel consilium iterum petatur; nam si potest haberi, id iterum peti debet, vt statim dicemus. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. c. 23. num. 54.* Sanch.

17. Si tamen vouens, aut iurans, illum, qui præstiturus erat consilium, deciperet, & ille seclusa ea deceptione contrarium vellet, aut consuleret, non liberatur à voti obligatione, quia error ille inuoluntarij causa fuit; sicut nec liberaretur, si metu, quamuis non cadente in virum constantem, eum dissensum, aut consilium extorquesset; quia votum obligauit ad liberum consensum, & consilium petendum. Quare declarata veritate, ac sublato omni metu, teneretur consilium, vel consensum iterum petere. Quod si ille iam consuli nequeat, quia obiit, aut aliàs iam moraliter haberi nequeat, tenebitur voto, quia conditionis euentum, sua culpa, impediuit, nisi certus sit, seclusis dolo, & metu, idem illum consulturum, aut nolliturum. Ita Sanchez allegatus *num. 55.* Sanch.

18. Denique, si veritate syncerè narrata, ille contrarium consuluit siue prudenter, siue imprudenter, & ex ignorantia consuluerit, liber manet vouens à voti obligatione, quia defecit conditio. Et è contrario si imprudenter rem promissam consuluerit, manet obligatus voto, quia ille non se obligauit ad alterius consilium sequendum in eo casu, quod esset conforme prudentiæ; sed ad id quod ipse consuluerit, qualitercumque consuluerit; nec se obligauit ad aliud nisi ad huius consilium petendum, & sequendum; & quamuis semel præstitum illud postea reuocet, nihil proderit, quia de primo consilio ea conditio intelligitur: sicut conditio, *si alter voluerit*, intelligitur de prima voluntate, vt suprà diximus. Ita Sanchez *dicto tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 23. num. 56.* Sanch.

CAPVT XXXI.

Quomodo tollatur obligatio voti, aut iuramenti promissorij ex parte euentus, & mutationis materiæ ipsius voti, aut iuramenti, & ex parte legis Ecclesiasticæ vel sæcularis?

SVMMARIVM.

Quomodo intelligatur ea regula, quam aliqui tradunt, Id liberare à voti, vel iuramenti obligatione, quod si à principio accidisset, vel vouens sciuisset, non voueret. num. 1. & 2.

Non sufficit quæcumque mutatio ex parte materiæ rei promissæ, vt votum, & iuramentum non obliget, sed requiritur notabilis mutatio arbitrio prudentis æstimanda. num. 3.

Vt si quis iurauit se ducturum Bertam in vxorem, & illa lepra est infecta, non tenetur iuramento propter notabilem mutationem rei. num. 4. *Quid si impedimentum lepræ sit ad tempus tantum.* ibid.

Item iurauit quis se quotidie iturum in tale templum, non tenetur ire, si via obsessa sit a latronibus, aut in ea timeat se peccaturum, quandiu id timet, & via obsessa est. num. 5.

Item promisit quis se quotidie certam eleemosynam daturum, non tenetur illam dare, si in magnam paupertatem deuenit, quandiu in ea paupertate est. num. 6. *Quid si non potest dare totam eleemosynam promissam, potest autem partem?* ibid.

Si vouisti, vel iurasti, ieiunare omnibus sextis ferijs, poteris non ieiunare propter aliquod maius bonum, vt propter tuum seruitium pauperibus in Xenodochio impensum. num. 7.

Si quis vouit, vel iurauit aliquid, cuius impletio sit illicita, non tenetur ad iuramentum. Sic non tenetur aliquis dare suum gladium furioso, etiam si iurauerit, se tali hora illum ei daturum; nec tenetur discedens ab vrbe, iurans concubinæ reditum, redire. num. 8.

Si vouisti, aut iurasti, se tali die, vel hora aditurum aliquem, non teneris illum adire, si aliquis ægrotus tunc eget tua præsentia. num. 9.

Non obligat iuramentum, quo quis iurat, se nunquam futurum mercatorem, ædilem, militem, etsi ad eum statum deueniat, vt non possit commodè aliter viuere. num. 10. & 11.

An iuramentum, & votum, quo quis iurat se non futurum Episcopum, obliget, & quatenus. n. 12.

An obliget votum, quod Religiosi professi societatis IESV habent non acceptandi Episcopatum, aut dignitates extra religionem suam. num. 13.

An obliget in casu præcisæ necessitatis, vt quando hæretici corrumpunt fideles, & non sit alius, qui æquè eis possit resistere. num. 14.

Per leges Ecclesiasticas possunt superiores Ecclesiastici antecedenter suos subditos inhabilitare ad iuramentum præstandum. num. 15.

An principes sæculares id etiam possint efficere per leges ciuiles? num. 16.

Quomodo leges humanæ Ecclesiasticæ, vel ciuiles, possint tollere obligationem iuramenti cum sit de iure diuino, à numero 17. vsque ad 19.

SVNT multi Doctores, qui asserunt, & hoc pro regula tradunt, id liberare à voti, vel iuramenti obligatione; quod si à principio accidisset, aut vouens sciuisset, non voueret vel iuraret. Et hanc regulam præfigunt tanquam certam D. Thomas *in 4. dist. 38 quæst. 1. art. 3 quæstiunc. 1. ad 1.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 14. in fine*, Syluester *verbo*, *Votum 2. quæst. 1. & verbo*, *Iuramentum 3. quæst. 1. particula 3. in fine, & verbo, Pactum, quæst. 4. in fine.* vbi Tabiena *quæst. 2. num. 3.* Fumus *num. 2.* Medina *C. de ieiunio quæst. vlt. ad 4.* Angles in floribus *2. part. quæst. vnica de voto, art. 2. difficultate 3. conclusione 5.* Maior *in 4. dist. 38. quæst. 1. columna 5. corollario 5.* Carthusianus *quæst. 2. §. Quæritur antem.* Archidiac. *cap. Qui bona 17. quæst. 1. num. 4.* Abbas *cap. 1. num. 4. de voto.* Angelus *verbo*, *Pactum, num. 4. & verbo*, *Votum 3. in fine principij.* Hæc tamen regula non est intelligenda de quocumque impedimento voluntatis vouentis, aut iurantis, quasi quidquid eam à vouendo, vel iurando 1. D. Thom. Henriq. Syluest. Tabien. Fumus. Medin. Angles. Maior. Carthus. Archidiac. Angel.

iurando retraheret, ac retardaret, si præcognosceretur euenturum, excuset modò ab obligatione voti, & iuramenti iam facti; id enim falsum omnino est. Alioqui enim nulla firmitas daretur in contractibus, & promissionibus humanis, imò nec in ipso matrimonio, & professione religiosa, quia multæ difficultates postea voluntati contrahentium occurrunt; quæ si à principio præcognoscerentur, nullo modo ea pacta conicerentur.

2. Intelligenda ergo est vt sit vniuersalis de impedimento, & mutatione materiæ voti, aut iuramenti; ita vt germanus, ac genuinus sensus sit, omne id quod ante votum, vel iuramentum reddidisset materiam promissam inhabilem ad illorum obligationem producendam, si postea superueniat, votum & iuramentum irritat; quia sicut non obligarent vota, aut iuramenta, si materia illorum esset à principio mala simpliciter, impossibilis, aut maioris boni impeditiua, sic post factum votum si reddatur mala, impossibilis, aut maius bonum impediens, non obligabunt. Sanchez *tom.*1 *Decalogi lib.*4. *cap.*2. *num* 23. Caietan. *in summa, verbo, Votum, cap. penultimo, statim in principio,* & 22. *quæst.*88. *art.*3. *columna penultima, versiculo, Ad hoc dicitur quod de voto.* Sà *in summa, verbo, Votum, fol.*56. Valentia 2.2. *disp* 6. *quæst*. 6. *punct*.4. *columna* 8. Sotus *lib.*7. *de iust. quæst.*2. *art.*1. *ad* 3. *versiculo, Ex his quæ dicta sunt.* — Sanch. Caiet. Sà. Valent. Sotus.

3. Aliam regulam tradunt communiter DD. nimirum per votum & iuramentum non obligari vouentem ac iurantem vltra id quod se voluisset obligare, si ad id aduerteret quando promisit. Ita Innocent. Abb Anton. Hostiens. D. Anton. Angel. Syluest. Tabiena, Armilla, Nauar. Mol. citati à Sanchez *suprà num.*18. & eiusdem videntur esse sententiæ AA. à nobis citati *num.*1. Alij tamen hanc regulam impugnant rationibus factis in explicatione primæ regulæ. Ita Caietan. Sotus, Ludouic. Lopez, Valent. apud Sanchez *num.*19. In hac tamen quæstione duo videntur indubitata. Primum est, rebus mutatis excusari quemquam à promissione etiam facta cum voto vel iuramento. Secundum est, non sufficere quamlibet mutationem: & in his duobus conuenire videntur omnes, neque legi qui neget. Solùm ergo dubitari potest quæ mutatio sufficiat. Resolutio sit, requiri vt mutatio rei ita sit notabilis, vt quasi in aliu statu rem promissam constituat, & videatur post votum, aut promissionem diuersa res ab ea, quæ initio promissa fuit, & ad quam vouentes, aut iurantes se intendebant obligare; quare vt optimè docent Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 4 *cap.*2. *num.*22. Caietanus 2. 2. *quæst.*113. *ad finem paulo ante solutionem ad primam obiectionem;* Molina *tom.*2. *de iust. disp.*172. *col.*4. hæc rei promissæ, & materiæ iuramenti, ac voti mutatio prudentis arbitrio æstimanda est, spectatis qualitate, & quantitate mutationis rerum; collatâque mutatione hac cum re promissa, qua de re iam aliquid diximus *cap.* 19. *à num.*7. & *deinceps.* — Sanch. Sanch. Caiet. Molin.

4. Exempla aliqua apponam, quæ apud auctores inuenio, ex quibus alia conijci facile poterunt; v. g. Iurauit quis ducturum se Bertam in vxorem; aut accepturum aliquem in famulum; & illa postea lepra infecta est, vel iste ægrotauit: non tenetur ad iuramentum, vel votum quandiu talis mutatio durat propter notabilem rei mutationem; cessante verò ea mutatione, tenetur; quare si impedimentum lepræ iudicio prudentis medici, aut morbi in famulo sit perpetuum, cessabit omnino obligatio voti, aut iuramenti: si verò sit ad tempus, sublato eo impedimento, iuramentum esset implendum. Ita Toletus *in summa lib.*4. *cap.*22. §.3. *Palud. in* 4. *dist.*38. *quæst.*3. *art.*4. *conclusione* 2. *num.*24. D. Anton. 2. *par. titulo* 11. *cap.* 2. §. 4. Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 272. *col.*4. *notabili.*2. — Tolet. D. Anton. Molin.

Item, iurauit quis se quotidie iturum in templum maximum Sanctissimæ Deiparæ; non tenetur ad iuramentum si via obsessa sit à latronibus, aut mortis periculum in ea itione timeatur; aut si probabiliter iurans, vel voto promittens timeat se in ea peccaturum; non tenetur, inquam, quandiu durant hæc impedimenta; quia hi euentus mutant notabiliter materiam voti, ac iuramenti promissorij. Ita Toletus numero præcedenti allegatus; & deducitur ex ibi citatis. 5.

Item, promisit quis sub iuramento se quotidie certam eleemosynam pauperibus daturum; postea in magnam, ac notabilem paupertatem deuenit; non tenetur ad iuramentum quandiu tale impedimentum durat, eo tamen sublato tenetur: quod si vouens nequeat totum iuramentum implere, bene tamen partem, tenetur partem implere, partemque eleemosynæ dare. Ita docent D. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.*1. *art,* 1. *quæstiuncula* 1. *ad* 1. Turrecrem. 17. *quæst.*1. *in summa art.* 4. *ad* 3. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.*4. *cap.*2. *num.*14. & *cap.*10. *num.*6. Caietan. *in summa verbo, Votum, cap. penultimo,* Syluester *verbo, Votum* 2. *quæst. prima.* Nauar. *in summa Latina cap* 12. *num.*39. Valentia 2.2. *disp.*6. *quæst* 6. *puncto* 4 *versu, Secundum quod notari debet.* Ratio est, quia quando res promissa est diuisibilis in se ac partibilis, id est, quæ commodè diuidi potest, censetur per modum plurium promissa: sic qui non potest recitare quotidie septem horas canonicas, potest autem vnam, vel duas, tenetur illas recitare, quia officium diuinum diuisibile est in horas, & in qualibet illarum saluatur ratio præcepti; & qui votum habet recitandi totum circulum Virgineum constantem ex tribus partibus, seu ex tribus rosarij terntis, si non potest recitare integrum circulum, potest autem recitare vnam partem illius, tenetur illam recitare; quia in communi hominum æstimatione his tribus partibus diuiduis, ac partibilibus constat. Item si quis voto promitteret ieiunare tribus diebus in reuerentiam Triadis Sanctissimæ; si non potest ieiunare in omnibus, sed vno tantùm die, tenetur illud in eo seruare; & qui non potest ieiunare totam quadragesimam, tenetur ieiunare partem, quam potest. Hæc omnia exempla apponit Sanchez *lib.*1. *Decalogi cap.*19. *à num.*4. — 6. D. Thom. Turrecr. Sanch. Caiet. Syluest. Nauar. Valent. Sanch.

Similiter iurasti, aut vouisti ieiunare omnibus sextis ferijs: occurrit autem aliquod maius bonum, aut ministrare in illis diebus in Xenodochio pauperibus valde indigentibus; quod non potest stare simul cum ieiunio; vel incidisti in morbum indigentem esu carnium; item indiget aliquis proximus tua opera, opéque, quæ cum ieiunio est incompatibilis, non teneris ieiunare; quia si à principio hæ necessitates, & impedimenta fuissent, & nihilominus iurasses, aut vouisses ieiunare, votum, ac iuramentum non teneret, quia mutata est materia voti, ac iuramenti. Ita docet Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.*4. *cap.*1. *num.*14. *ad finem.* Ioannes Selua *de iureiurando* 3. *part. quæst.*1. *num* 63. habetur *tom.*4. *tractatuum iuris fol.*313. vbi plurimos allegat. Vnde si — 7. Sanch. Ioan. Selu.

si mutatio hæc materiæ perpetua sit, omnino cessabit voti, ac iuramenti obligatio; si autem sit ad tempus, pro eo non obligabit; at cessantibus postea his impedimentis obligabit, vt docet idem Sanchez citatus.

8. Rursus, si quis iurauit, aut vouit aliquid cuius impletio sit mala, & illicita, non tenetur ad iuramentum. Sic non tenetur ille reddere gladium, quem habet mutuum, domino suo, eo die, & tempore, quo probabiliter illo est aliquem occisurus, etiamsi iurasset eum illi eo die, & tempore reddere. Sic non tenebatur Herodes D. Ioannem Baptistam occidere ad petitionem Herodiadis, etiamsi illi iurasset, se ei daturum, quicquid ab eo peteret. Sic etiam non tenetur ad iuramentum miles ille, aut iuuenis, qui discedens ab Vrbe iurat concubinæ se regressurum, Ita docet Toletus *lib 4. summa cap. 22. num. 3.* Syluester *verbo, Iuramentum 4. num. 10.* Ioannes de Selua *3. part. de iureiurando quæst. 1. num. 18.* & habetur *tom. 4. tractatuum iuris folio 351.* Archidiaconus *in capite, Si aliquod 22. quæst. 4. & in capite, Animaduertendum 22. quæst. 1.* Abbas *in capite, Si verò col. 2. de iureiur. eadem 22. quæst. 4.*

Tolet. Syluest. Selua. Archid. Abbas.

9. Demum, si iurasti te tali die, vel hora aditurum aliquem, non teneris ad iuramentum si eo die, vel hora aliquis ægrotus tua egeat præsentia; quia mutatur status rerum, & melius est tunc non seruare, quàm seruare iuramentum; vt diximus *num. 8.* & ita specialiter docet Toletus *in summa lib. 4. cap. 22. §. 4.* & addit Syluester, & bene, *verbo, Iuramentum 4. num. 10.* non teneri illum ad iuramentum, qui iurauit, se aditurum aliquem mense Augusti Romæ commorantem; cum enim eo mense plures ibi moriantur, sibi mors probabiliter impendet.

Tolet. Syluest.

10. & 11. Nec etiam obligat iuramentum, quo quis iurat, se nunquam futurum negotiatorem, militem, ædilem, aut se nunquam tali domino inseruiturum, aut talem hominem in famulum accepturum, si res ad eum statum deueniat, vt iurans non possit aliter commodè viuere, aut inseruire. Ratio est, quia mutatus est status rerum, & quia si à principio casus fuisset, iuramentum fuisset temerarium, imo irritum; & ideo propter mutationem materiæ irritum etiam post factum iuramentum manet Ita Ioannes de Selua *de iureiur. 3. part. quæst. 1. num. 18.* habetur *tom. 4. tract. iuris folio 951.* vbi citat Archidiaconum & Abbatem, quos citauimus *num. 8.* & idem docet Syluester *verbo, iuramentum 4. num. 10.* vbi citat Panormitanum & alios.

Selua. Archid. Syluest. Panorm.

12. Denique votum de non acceptando Episcopatum non obligat si postea vrgeat necessitas acceptandi, vel quia vrget præceptum superioris, vel necessitas Ecclesiæ, quia v. g. aliter non poterunt extirpari hæreses, vel conseruari catholici in fide: quia in his casibus omnes dicunt votum de non acceptando Episcopatum, esse inualidum. Ita non solum ij qui absolutè dicunt votum non acceptandi Episcopatum, esse inualidum, quos statim referam, sed etiam ij qui dicunt esse validum. Ita Sanchez *2. tom. in Decalogi l. 6. cap. 18. n. 30.* Suarez *tom. 4 de Relig lib. 6. cap 8. num. 7.*

Sanch. Suarez.

Dices nullum à nobis afferri appositum exemplum, quia votum vel iuramentum non acceptandi Episcopatum, videtur nullum non solum factum ne bono publico inseruiat, aut propter alium similem finem non honestum, sed etiam factum absolutè. Ita D. Thom. *in 3. d. 39. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. ad 3.* Richard. *ibi, artic. 3. d. 39.* Gloss. *cap. vnic. verbo Sacrosanctis d. 85. & cap. finali, verb. confirmauit 22. quæst. 4.* Abbas *cap. si verò num. 4. fin. de iureiur.* Alexander de Neuo *ibi num. 2.* Ioan. de Selua *de iure iurando 3. part. quæst. 1. n. 21.* & habetur *tom. 4. tractatuum fol. mihi 351. col. 2.* Bellarm. *num. 16. in 1. solut.* Anton. *2. part. tit. 10. cap. 6. in princip. casu 51.* Fortunius *de vltimo fine, illatione 50. principali num. 3.* Angel. *verb. iuramentum 5. num. 3.* Syluester *eodem, quæst. 1. casu 5.* Nauarrus *in summa cap. 12. num. 16.* Palatios *4 d. 38. disp. 1. folio 826. num. 6. col. 1.* & alij. Et quamuis plures è doctoribus dicant hoc votum solum esse illicitum, & hoc non obstante obligare, vt Gloss. *cit. cap. finali.* & D. Anton. & Selua, licet hi duo id restringant ad casum in quo vouentes vel iurantes vellent Episcopatum acceptare amore boni publici: tamen si consequenter loqui velint, absolutè debent dicere votum esse inualidum si semel dicant esse illicitum, quia si illicitum est, id debet prouenire, quia in eo aliquis se obligat ad illicitum, neque enim apparet alia ratio. Ex quo sequitur etiam votum & iuramentum esse inualidum, cum non sit vinculum iniquitatis. Cum ergo votum & iuramentum hoc à principio inualidum sit, quid mirum si tale maneat superueniente postea prædicto casu necessitatis?

D. Thom. Richard. Gloss. Abbas. Neuo. Selua. Bellarm. Anton. Fortun. Angel. Syluest. Nauar. Palat.

Respondetur tamen votum absolutè factum non acceptandi Episcopatum esse validum & licitum. Ita Sanchez & Suarez suprà, & probatur sic: votum & iuramentum non acceptandi Episcopatum in casu in quo quis non obligatur ad illum acceptandum siue ex charitate, quia sunt plures, vel digniores, vel saltem æque digni, qui velint illum acceptare; siue ex obedientia, quia nullus superior id præcipit; est votum, & iuramentum validum, quia est de materia licita & honesta; quia licet sit de non facienda re licita qualis est acceptatio Episcopatus, est tamen de non facienda re non necessaria, quia in iis casibus nulla vrget lex vel præceptum vt supponitur. Et deinde est de non facienda re quæ coniungitur cum occasione superbiæ, & periculo salutis propriæ, in quo casu priuatio etiam rei bonæ, censetur bona, imò melior, vt diximus loquendo de voto non ludendi etiam quando ludus est honestus & actus virtutis. ergo etiam votum siue iuramentum absolutum de non acceptando Episcopatu absolutè factum erit validum. Valet consequentia, quia votum & iuramentum quando non constat de vouentis siue iurantis intentione an fuerit includendi casum illicitum, præsumitur factum in casu licito. quia in dubio malum non debet præsumi *l. merito ff. pro licito*, & benignior interpretatio fieri debet *cap. Ad nostram. de iureiurando*, & actus semper præsumitur factus in casu in quo non est prohibitus si is datur, vt ex multis latè probat Menochius *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 12. num. 65. & lib. 5 præsumpt. 2.* & item actus semper præsumitur factus vt valeat, vt probat idem Menochius *lib. 3. præsumpt. 29. num. 45. & lib. 6. præsumptione 4. à num. 1.* quæ tota doctrina communiter recipitur. ergo si votum vel iuramentum de non acceptando Episcopatu in circunstantiis in quibus non vrget lex vel præceptum, est validum, etiam absolutè factum validum erit. Quamuis tale non sit, si vouens vel iurans tacitè vel expressè se intenderet obligare in omni casu, vel in aliquo casu in quo teneretur illum acceptare, & quando Doctores quos cita-

Menoch.

uimus nom.... afferunt votum, seu iuramentum non acceptandi Episcopatum esso illicitum vel inualidum, loquuntur de hoc voto vel iuramento includente omnem vel aliquem casum etiam illum, in quo obligatur ad acceptandum, vt ex eorum verbis colligit Saochez *supra*

13. Hinc apertè colligitur esse validum & licitum votum, quod aliqui Religiosi, vt professi Societatis IESV habent, non acceptandi Episcopatus, Dignitates, aut Prælaturas extra religionem suam nisi coacti obedientia Summi Pontificis, qui eis id præcipere potest sub pœna peccati; & idem dicendum esset de iuramento, si similiter illud haberent. Et ratio est; quia bonum esset propositum, hæc non acceptandi nisi ex obedientia à Summo Pontif. imposita; ergo tale propositum potest confirmari voto aut iuramento; & ita docet D. Thom. 2.2. *q.* 185. *artic.*2. *ad* 3. ibi, *Qui autem votum emittit de non suscipiendo Episcopatu si per hoc intendit se obligare ad hoc quod nec per obedientiam superioris prælati accipiat, illicitè vouet: si autem intendit ad hoc se obligare, vt quantū est de se, Episcopatum non quærat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est votum; quia vouet se facturum quod hominem facere decet.* Idem docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib* 6. *cap.* 8. *num.*7. Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib* 6. *cap.* 18. *n* 35. & idem D. Thom *quodlib.*5. *art.*22. *in corpore, & ad* 1. generaliter sentit melius esse non acceptare Episcopatum, quàm acceptare, quandiu necessitas ex parte præcipientis non agnoscitur. Et hanc sententiam sequitur Richardus *quodl. beto* 3. *q.* 21. Sylnester *verbo, Electio* 1. *quæst.* 19. & 20. Corduba *in summa Hispan quæst.* 154 Soto *lib.* 10. *de iust. quæst* 2. *art.* 1. *ad* 3. Caietan. 2.2. *quæst.* 185 *art.* 2. *ad* 3. D Anton 3 *part. titulo* 20. *cap.* 2. §. 6. quos omnes citat, ac sequitur Suarez allegatus. Quod confirmatur etiam exemplo tot sanctissimorum virorum, qui non solùm affectu, sed etiam effectu Episcopatus repudiarunt, & prælaturas, ac dignitates effugerunt, de quibus legi potest Hieronymus Platus *lib.* 1. *de bono statu Relig. cap* 38. Nec religio aliquem per se obligat ad huiusmodi votum emittendum, sicut neminem obligat, vt religiosus fiat. Sed supposito, quòd quis velit religiosus esse talis religionis, debet emittere hoc votum; quam conditionem illius fundator indicauit esse necessariam ad conseruationem suæ religionis, & id postea Summus Pontifex approbauit.

D.Thom. Suarez. Sanch. Richard. Syluest. Cordub. Caiet. D.Anton.

14. Dubium hîc incidenter occurrit, an in casu præcisæ necessitatis; quando scilicet hæretici aliquam diœcesim circumstant, ac labe hæresis inficiunt, & non sit alius æquè idoneus, qui eis possit resistere; possint religiosi nostræ Societatis Episcopatum, aut prælaturam acceptare, quin contra votum efficiant, & periuri sint, si iuramento tale votum confirmauerint. Videtur enim posse, quia tunc votum illud maius bonum impediret. Deinde quia omnibus votis semper inest hæc conditio intrinseca. *Voueo, nisi hoc maiori Dei obsequio repugnet:* maius autem Dei obsequium est, tunc acceptare, quàm non acceptare. Respondeo posse tunc acceptare, imo teneri; quia in tali voto, & iuramento non solùm censetur semper excipi præceptum humanum, vt cum Papa præcipit virtute obedientiæ, vt acceptetur; sed etiam præceptum diuinum; vnde si via alia iudicio prudentum constet præceptum charitatis obligare, non tenet votum, & ratione præcepti illius tenetur dictus religiosus acceptare; quia quando in voto quod emittit professus Societatis dicitur, *promitto me non consensurum in mei electionem*, scilicet in prælatum extra Societatem, *nisi coactum obedientia eius qui mihi præcipere potest sub pœna peccati*, nomine præcipientis tam intelligitur Papa quàm Deus. Ita docet expressè Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 15. *fol.* 608. *column.* 2. ibi. *Certum imprimis est, ibi*, hoc est in hoc voto, *non solùm excipi præceptum positiuum humanum Papæ; sed etiam præceptum diuinum; nam licet Papa non præciperet virtute obedientiæ, si aliunde certò constaret iudicio prudentum præceptum charitatis obligare ad suscipiendum illud onus in bonum proximorum, propter aliquam vrgentem Ecclesiæ necessitatem, non est dubium quin casus ille non comprehendatur sub hoc voto, nec re ipsa, quia votum non potest obligare contra charitatem, nec ex intentione vouentis; nam absolutè excipitur obedientia eius, qui præcipere potest sub pœna peccati: tunc autem intercedit præceptum Dei, qui sub reatu culpæ hoc præcipit.* Hæc Suarez ibi. Nec obiicias, Ergo poterit etiam religiosus Carthusianus, contra votum abstinentiæ à carnibus, quo adstringitur, edere in articulo mortis carnes; si medicus iudicet ex illa comestione vitam suam pendere, cum tunc præceptum diuinum charitatis propriæ conseruandæ vitæ vrgeat. Primò, quia hoc absolutè loquendo non est conseruare vitam sed vitam extendere, cum non deficiant alij cibi, quibus vita conseruetur; nemo autem ex charitate propria tenetur vitam extendere, sed tantùm illam conseruare. Secundò, quia absolutè loquendo maius bonum est, respectu totius corporis religionis, ne relaxetur hoc votum, quàm vt vita istius conseruetur, vt patet.

Suarez.

Ex parte legis Ecclesiasticæ potest tolli obligatio iuramenti, vt habemus in Concilio Trident. sess. 25. *cap.* 16. *de regularibus*; vbi statuitur, donationem, & renunciationem, quam Nouitij suæ legitimæ, & hæreditatis faciunt, irritam esse, etiamsi iuramento firmata sit, & in fauorem causæ piæ facta, nisi fiat cum licentia Episcopi, vel eius vicarij intra duos menses proximos ante professionem, & dummodò non intelligatur effectum sortiri nisi post professionem, ne idcirco cogantur nouitij inuoluntariè profiteri, eo quod iam non habeant vnde in sæculo viuere possint. Et quamuis hîc Concilium solùm loquatur de illis renunciationibus, quæ fiunt in nouitiatu, seu tempore nouitiatus, tamen Mol. Theologus *tom.* 1. *de iust. disp.* 139. §. *Ambiget*, & Lessius *tom.* 1. *de iustit. lib* 2. *cap* 41. *à num.* 40. affirmat idem etiam dicendum esse in renunciationibus, & donationibus factis in sæculo eodem intuitu religionis ingrediendæ, eo quòd finis legis, & intentio legislatoris ad hoc etiam se extendat, ob eandem rationem, & lex hæc sit directiua & non pœnalis, vt de se patet. Vnde videtur Summus Pontifex antecedenter inhabilitare omnes, qui de Religionis ingressu tractant, ad validè iurandum in hoc casu. 15.

Molin. Lessius.

Ex parte legis ciuilis potest etiam tolli obligatio iuramenti, vt in Regno Lusitaniæ, vbi per leges ciuiles, vt diximus *cap.* 18. irritantur omnes contractus, promissiones & conuentiones, si fuerint iuramento firmatæ; & iuramentum non fuerit de licentia Regis appositum, quando rerum cognitio, super quas contractus fiunt, ad forum ciuilem, non Ecclesiasticum spectabat. Similiter in Regno Castellæ cauetur, sub grauissimis pœnis, non solùm contrahentium, sed 16.

etiam

etiam Tabellionum, vt in similibus contractibus non apponatur iuramentum, & si appositum fuerit, sit irritum, & nullum. Quod ideo in vtroque Regno factum est, vt notat Lessius *tom. 1. de iust. lib 2. dub. 12. num. 55.* & Molina *tom 1. de iust. disp. 139.* ne lites ratione iuramenti ad forum Ecclesiasticum trahantur; iuramentum enim facit, vt causa, quæ merè est ciuilis, fiat mixti fori; vt constat *ex capit. finali, de foro compet. in 6.*

Lessius. Molin.

17. Dubium tamen non vulgare est, quo modo leges humanæ, ciuiles etiam, & non solùm Ecclesiasticæ, possint tollere obligationem iuramenti, cum illius obligatio sit de iure diuino, & naturali? Cui dubio multipliciter respondeo. Imprimis dico non solùm tolli obligationem iuramenti per declarationem legum humanarum, quasi leges humanæ declarent, iuramenta certis casibus apposita non obligare, vt non bene voluit Couarruuias *in cap. Quamuis pact. de pactis 1. part. §. 3. num. 3.* Aliter non magis leges irritarent iuramenta, quàm Doctor aliquis, qui consultus de aliquo iuramento an valeret, declararet non valere, quod dici nequit.

Couar.

18. Dico secundò, dupliciter intelligi id fieri posse. Primò si leges reddant antecedenter homines inhabiles tam ad contrahendum, & iurandum; quàm ad acceptandum contractus iuratos; idque ob aliquam rationabilem causam. Cum enim iuramentum promissorium non obliget, nisi promissio acceptetur ab eo in cuius fauorem fit, & alter sit inhabilis ad acceptandum, alter ad promittendum, nulla potest nasci obligatio ex tali promissione, & ex tali iuramento, aut contractu. Secundò dico intelligi id posse si Principes etiam sæculares per leges suas remittant obligationem iuramentorũ, quæ à suis vassallis in prædictis contractibus in fauorem aliorum apponuntur. Sicut enim ille in cuius fauorem iuramentum est appositum, obligationem illius potest remittere; ita Princeps sæcularis ex iusta causa illam remittere potest: hæc enim remissio non minus efficax est, quàm remissio inferioris, in cuius fauorem iuramentum apponitur, cum eam virtute contineat.

19. Causæ autem rationabiles ad inhabilitandos suos subditos antecedenter, ne validè contractus aliquos iuramentis confirment, & ad remittendam obligationem iuramenti, si forte iam factum fuerit, plures esse possunt ex prudentum arbitrio. Sufficiens vna esse potest, vt suadet Molina *tom. 1. de iust. quæst. 139.* si Principes sæculares non possint tueri iurisdictionem suam sibi à Deo datam, nisi prohibendo suis subditis iuramenta. v. g. in aliquibus contractibus, idque solùm quando contractus ipsi & res circa quas iuramenta versantur, non transcendunt suum finem naturalem, ac politicum Reipublicæ sæcularis; quæ est causa ob quam leges Lusitaniæ irritant iuramenta contractibus apposita, aliter enim omnes causæ deferri possent ad iudices Ecclesiasticos, in quo magna esset Principis iurisdictionis diminutio vt per se patet. An autem possint huiusmodi sæculares Principes remittere obligationem iuramenti factam suis subditis, quemadmodum & ipsi subditi possunt, dicemus latiùs capite sequenti, & an iuramentum etiam possint relaxare seu in illo dispensare dicemus *cap. 33.*

Molin.

CAPVT XXXII.

Quomodo tollatur obligatio iuramenti promissorij, & voti ex parte remissionis. Quid sit & à quo fieri possit hæc remissio.

SVMMARIVM.

Quid sit remissio iuramenti, & an vt licitè fiat, causa aliqua iusta requiratur. num. 1.

Cessat obligatio iuramenti promissorij, si ab illo remittatur, in cuius gratiam factum fuit. num. 2.

Quid quando duo vel plures vicissim sibi aliquid sub iuramento promittunt. num. 3.

Hæc remissio non est propriè loquendo relaxatio, seu dispensatio obligationis iuramenti, sed est condonatio quædam obligationis illius. num. 4.

Remissio nullam causam requirit; relaxatio, & dispensatio iuramenti requirit. ibid. *Relaxatio est actus iurisdictionis, non ita remissio.* ibid.

An ad valorem relaxationis, seu dispensationis iuramenti requiratur cognitio causæ, an sufficiat quod à parte rei detur, quin cognoscatur à relaxante, seu dispensante. Refertur prima opinio asserens requiri quod præcedat cognitio causæ. num. 5.

Præfertur secunda asserens sufficere, quod à parte rei detur etiamsi non cognoscatur. num. 6.

Nullibi in iure expressum est, non valere in foro conscientiæ relaxationem iuramenti factam sine causæ cognitione. num. 7. *Quid de foro externo.* ibid.

Quamuis Papa non possit licitè relaxare obligationem iuramenti promissorij absque cognitione causæ; possit verò ille, cui fit, absque eadem causa illam remittere, non proinde minor est potestas Papæ. num. 8.

Sunt aliqua iuramenta promissoria, quæ licet ab hominibus alijs hominibus præstentur, principaliter tamen tendunt in Dei honorem, & minus principaliter in commodum aliorum, vt cum quis propter Deum promittit, & horum iuramentorum obligationem non possunt illi remittere quibus iuramenta præstantur. num. 9.

Quid quando duo sibi inuicem sub iuramento promittunt, se non furaturos, se audituros sacrum, an sibi adinuicem possint obligationem iuramenti remittere. num. 10.

Quid quando duo sibi adinuicem iurant se recitaturos quotidie psalterium, aut certas preces, an tunc possint sibi adinuicem eam obligationem remittere. num. 11.

Quid si quis intuitu pietatis, & solùm propter Deum dotem fœminæ pauperi sub iuramento promittat, aut se eam ducturum in vxorem; an tunc possit ea fœmina obligationem illius iuramenti remittere. Refertur prima opinio negans. num. 12.

Præfertur secunda affirmans. num. 13.

Soluuntur fundamenta primæ opinionis. num. 14.

Si tamen quis sub iuramento absolutè, & nulli pauperi fœminæ determinatè dotem vel eleemosynam promitteret, ad solum superiorem relaxatio huius iuramenti spectaret. num. 15.

Quid si quis Berthæ filiæ Petri aliquid in dotem sub iuramento promittat intuitu patris illius, & causa patris, ad quem tunc pertineat remissio huius iuramenti, ad illam ne, an ad patrem illius, num. 16.

1. REMISSIO iuramenti promissorij nihil aliud est, quàm quædam libera condonatio obligationis illius, cui promissio iurata fit, quæ nullam causam, vt licitè, & validè, ex obiecto fiat, in remittente requirit. Ita colligitur ex Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. c. 19. num. 1.* Cum enim ratione promissionis sibi factæ, promissarius, id est, ille cui promissio fit, maneat dominus rei promissæ propter ius, quod ex tali promissione acquirit, pronum est intelligere, ad illum remissionem, & liberam condonationem talis obligationis spectare.

2. Statuo igitur primò. Certum est apud omnes cessare obligationem iuramenti promissorij (idem de voti obligatione) ex remissione illius in cuius fauorem, & gratiam emissum fuit iuramentum; & ad quem tota vtilitas illius spectat. Ita docet Sanch. Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 20. num. 4.* & præsertim *lib. 1. de matrimonio disp. 52. num. 6.* vbi pro hac parte citat multos. Azor. Azor. *tom. 1. inst.* Lessius. *moral. lib. 11. cap. 9. quæst. 10.* & Lessius *tom. 1. de inst. lib. 2. cap. 42. dub. 12. à num. 57.* Ratio est, quia etsi Deus in testem adducatur talis promissionis, & iuramentum gratum, & acceptum habeat: tamen cum acceptum habeat in commodum & vtilitatem alterius, toties Deus illius obligationem remittit, quoties remittit is in cuius gratiam promissio fuit facta.

3. Quod verum est non solùm quando vnus homo alteri iuramento aliquid promittit; sed etiam quando vicissim sibi ipsis duo sub iuramento aliquid promittunt; possunt enim, mutuo consensu, obligationem iuramenti sibi adinuicem, vt alter soluat alteri, remittere, ac condonare; quia eadem est ratio, vt speciatim notat Sanchez, Sanch. Azor. primo loco allegatus *dicto num. 4. fine*, & Azor. item citatus *dicto cap. 9. fine.*

4. Hæc autem remissio, seu condonatio obligationis iuramenti promissorij, non est propriè loquendo relaxatio, seu dispensatio illius (idem enim in iuramentis est dispensare, & relaxare: nam quod in votis dicitur dispensare, in iuramentis dicitur relaxare) quia relaxatio, seu dispensatio est actus iurisdictionis, & pertinet propriè, ac per se ad potestatem Ecclesiasticam, & requirit causam iustam ex parte superioris relaxantis, ac dispensantis, etiam Papæ; vnde si iuramentum relaxetur, dispensetur ve, quin præcedat causa iusta dispensandi, nec validè est irrita, & nulla; Sanch. vt docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 19.* Sotus. *num. 4.* Sotus *lib. 8 de iust. quæst. 1. art. 9. circa so-* Valent. *lut. ad 3. versiculo, Est autem.* Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 7. punct. 4. versu, Posito igitur*; & communiter Doctores. quia vinculum iuramenti (idem de voto) non obligat ex iure humano, in quo dispensatio Summi Pontificis absque causa concessa valet, licet peccet Summus Pontifex illam sine causa concedendo, sed obligat ex iure naturali, & diuino, in quo sine iusta causa nec licitè, nec validè dispensare potest Summus Pontifex. At remissio obligationis voti vel iuramenti cum sit quædam libera condonatio, nullam iurisdictionem, nec superioritatem, nec causam requirit in remittente nisi solum ius in rem remittendam. Neque etiam hæc remissio dici potest, propriè loquendo, irritatio, licet aliquando hæc nomina irritationis, remissionis, & relaxationis, seu dispensationis apud auctores confundantur, & vnum pro alio vsurpetur; quia irritatio, etsi nullam causam requirat in irritante, & in hoc æquiparetur remissioni, quæ nullam etiam causam requirit in remittente: tamen irritatio potestatem requirit dominatiuam in irritante: at remissio nec iurisdictionem, vt dixi, nec causam, nec potestatem dominatiuam ex parte remittentis requirit; satis est enim quòd ratione promissionis sibi factæ maneat dominus rei promissæ, vt illam liberè, etiam sine causa pro suo mero arbitratu licitè, & validè possit remittere. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 3. cap. 19. num. 1.* Sanch.

5. Dubium tamen est, an ad valorem dispensationis, seu relaxationis iuramenti requiratur cognitio causæ iustæ; hoc est, non solùm requiratur causa iusta, sed etiam cognitio illius. Et hac de re partita est opinio. Prima asserit, vt relaxatio iuramentorum, & votorum dispensatio sit valida, & licita, vtrumque requiri, & quòd detur à parte rei causa iusta relaxandi iuramenta, & dispensandi in votis, & quòd præcedat cognitio illius; & non sufficere, dari solùm legitimam causam si non cognoscatur à relaxante vel dispensante. Vnde asserit hæc opinio, si Summus Pontifex iuramenta relaxet, aut in votis dispenset bona fide sine vlla causæ cognitione, licet reuera detur à parte rei, excusari quidem à mortali propter bonam fidem, non tamen esse validam talem relaxationem & dispensationem. Ita docet Scunica Scunic. *quæst. 6. de voto num. 104.* Nauarrus *in cap. finali,* Nauar. *num. 4. de simonia.* Hippolytus *lib. 5. instit. moral.* Hypol. *cap. 15. quæst. 9. & 10.* docens in neutro foro valere huiusmodi relaxationem, & dispensationem; & Suarez *tom. 2. de Relig tract. de voto lib. 6. cap. 27. num 7.* & multi alij, quos citat, sed non sequitur Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 17. n. 10.* Et ratio est, primò, quia solùm in iure humano potest Summus Pontifex dispensare validè, licet non licitè, absque causæ cognitione, cum sit dominus illius; at vota, & iuramenta obligant iure naturali, & diuino, in quo Summus Pontifex non dispensat tanquam Dominus, sed tanquam vicarius & œconomus cui non censetur commissa facultas sine causæ cognitione; vnde sine illa non dispensat validè, quia excedit commissionis limites. Deinde dispensatio definitur à glossa *c. Requiritis, §. nisi rigor, vers. Vt plerique 1. q. 7.* est iuris relaxatio cum cognitione causæ, quæ definitio à multis recipitur, vt videre est apud Sanch. *de matr. lib. 8. disp. 1. n. 2.* Tandem probatur *ex cap. Necessaria, & ex cap. Dispensationis 1. q. 7.* vbi dicitur varietatem temporum aliquando petere, vt leges relaxentur diligenti consideratione præmissa; & clarius ex Concilio Trident. *sess. 25. de reform. cap. 8.* ibi: *Sciant vniuersi sanctissimos canones exactè ab omnibus indistinctè esse seruandos; quod si vrgens maiorque ratio quandóque postulauerit, cum aliquibus dispensandum, id causa cognita, summáque maturitate, &c. erit præstandum, alioterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* Est valde probabilis hæc sententia.

6. Nihilominus secunda opinio, quæ docet validam esse in eo casu relaxationem iuramentorum, & dispensationem votorum pro foro conscientiæ tantùm, donec in foro externo reuocetur, peccare tamen mortaliter Summum Pontificem sine cognitione causæ relaxantem, & dispensantem; licet à parte rei iusta causa dispensandi detur, nisi illum bona fides, aut inaduertentia excuset; est probabilior, & illam secuti sumus in nostro tomo de quinque Ecclesiæ præceptis *lib. 2. precept. 1. cap. 1. num. 14. & 16. fol. 78. col. 1.*

col.2, & eam tenent Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp.* 17.*num.*11. & Suarez licet cum aliqoali formidine *tom.*1.*de Relig.lib.*2.*de diebus festis cap.*33. *num.*13. *fol.* 413.*col.* 1. & Imola *in capite*, *diuersis num.* 1. *de Cleric, coniugat.* Hostiensis *ibi n.*9. Ioannes Andreas *num.* 8. Bellamera *in capite*,*veniens num* 18.*&* 19. *de filijs Presbyt.*,vbi tenet valere quoad forum conscientiæ. Armilla *verbo*, *dispensatio num.* 14. *in fine*, Ludou. Lopez 1. *part. Instruct. cap.*4. *colum. antepenultima*,*versu*, *Tertiò dicitur*, & alij quos Sanchez allegat ibidem; qui omnes docent peccare mortaliter Prælatum inferiorem dispensantem in lege superioris,causa non cognita;si tamen causa detur, valere dispensationem, pro foro conscientiæ duntaxat, dum in foro externo non reuocatur, & dispensatum tuta conscientia vti posse tali dispensatione. Et eadem est ratio de Summo Pontifice respectu dispensationum, & relaxationum in legibus iuramentorum, & votorum, cum obligent de iure diuino, & naturali; atque de Prælatis inferioribus dispensantibus, & relaxantibus in iure, & legibus Superiorum: & in propriis voti, & iuramenti terminis idem docent Sanchez *tom.* 1. *de voto lib.* 4. *cap.* 45. *num.*6. & supplementum Gabrielis *in* 4.*dist.*38.*quest.*1.*art.* 5. vbi de dispensatione *in votis column.*4. *ante finem.*

Suarez. Imol. Hostiens. Ioan. Andr. Bellam. Armill. Lud Lop. Sanch. Sanch. Supplem. Gabriel.

7. Et fundamentum est. Primò, quia nullibi in iure habetur expresè talem dispensationem & relaxationem esse irritam pro foro conscientiæ, ipso facto. Nam Concilium Trident. loquitur de foro externo, & ideo dicit, *subreptitia censeatur.* & non dicit *esse ipso facto subreptitiam.* Cætera iura allegata, vt *caput*, *Necessaria*, *&* *caput*, *Dispensationis* 1. *quest.* 7. pro foro externo sunt etiam accipienda. Et patet, quia *in capite*, *Nihil de elect.* dicitur electum sine causæ cognitione,& examinatione esse eiiciendum,si est indignus: ergo è contrario, si dignus inueniatur, non erit eiiciendus; quamuis eligentes non præmisso cognitionis examine, illum elegerint. Nec obstat dispensationis definitio tradita *num.* 5. quia ea non comprehendit solùm ea, quæ sunt necessaria, vt dispensatio sit valida, sed etiam ea quæ requiruntur, vt sit licita: quòd verò requiratur causa vt valida sit, patet ex eo, quia dispensat in alienis bonis, & aliena voluntate superioris, quod non potest fieri nisi ipse superior consentiat;non præsumitur autem consentire vbi non datur rationabilis causa, ac proinde neque etiam præsumitur concessam potestatem ad talem dispensationem sine causa factam. Et deinde dispensatio sine iusta causa non est dispensatio,sed dissipatio. Quòd verò dispensans absque cognitione causæ peccet mortaliter, patet; quia se manifesto periculo dispensandi nulliter exponit, in quo grauis deordinatio vel ex ipsis terminis apparet. Vide quæ diximus in tom.de quinque præceptis Ecclesiæ *lib.*2.*cap.*1.*num.*16.vbi de hac re latissimè egimus.

8. Et quamuis Summus Pontifex non possit hæc iuramenta absque legitima causa relaxare, nec vota dispensare; possint verò homines quibus iuramenta fiunt, ac præstantur absque vlla causa, & solo suo mero arbitratu, remittere; non inde tamen inferas minorem esse Pontificiam potestatem, quàm potestatem cuiuslibet hominis:id enim non prouenit ex defectu potestatis vt diximus *num.* 4. sed quia Summus Pontifex relaxat tantummodo iuramenta, vt vicarius, & œconomus Dei, non tamquam dominus materiæ promissæ; & cum vt vicarius Dei relaxet, indiget relaxatio, ac dispensatio illius iusta causa relaxandi & dispensandi, vt legitimè munus suum obiens relaxet. At homines quibus, & in quorum gratiam iuramenta fiunt, & ad quos commodum, & vtilitas illorum spectat, remittunt, & condonant illa tamquam domini materiæ promissæ, & ideo nulla causa indigent ad hanc remissionem faciendam, vt diximus *num.*1. & fatentur omnes.

Sunt tamen aliqua iuramenta promissoria; quæ licet ab hominibus,aliis hominibus præstentur, principaliter tamen in Dei honorem tendunt, & in illius obsequium ex præcipua intentione iurantium diriguntur, & instar votorum sunt; licet minùs principaliter fiant propter hominem, & illo instigante, vt si duo sibi inuicem iuramento ingressum Religionis promittunt, vel alter tantùm alteri, aut certam eleemosynam alicui pauperi propter Deum dandam, & horum iuramentorum obligationem non possunt illi remittere, quibus ea fiunt; sed illorum relaxatio, & dispensatio ad Ecclesiasticam potestatem tantummodo pertinet. Ratio est, quia &si huiusmodi promissionum commodum, & vtilitas ad homines, quibus præstantur,spectet, & iurantes sibi ad inuicem, vel alij aliis fidem suam adstringant, licet minùs principaliter id efficiant,vt rem iis gratam faciant; tamen cum præcipua eorum intentio & scopus sit honor Dei, & obsequium illius, & in actionibus humanis id quod præcipuè ab agentibus intenditur, sit semper spectandum iuxta *l. Rogasti*, *in principio*, *& l. Si quis nec causam ff. si certum petatur*, ideo ex principali intentione iudicandum est id iuramentum non homini, sed Deo fuisse præstitum; ac proinde homo illud remittere, ac condonare non poterit. Ita D. Thom. 2.2. *quæst.* 89. *art.*9. *ad* 2. Sotus *lib.*8. *de iust. quæst.* 1. *artic.* 9. *ad* 2. Azor *tom.*1. *lib*...*Instit. moral. cap.*9. *quæst.* 9. Sanchez *tom.*2. *Decalogi lib.*3. *cap.*2, *num.*5. *&* 6. Speculator, & aliij, quos refert & sequitur Felinus *cap.*1.*num.*2. *de iureiurando.* Abulensis *cap.*5. *in Matth. q.*319. D. Anton. 2. *part.titulo* 10. *cap.* 6. §.4. Angelus *verbo*, *Iuramentum* 5. *quæst.* 8. *&* 9. Armilla *verbo*, *Iuramentum num.*21. Tabiena *verbo*, *Iuramentum quæst.*20. Driedo *lib.* 2. *de libertate Christiana cap.*1.*propos.*3. 9.

D.Thom. Sotus. Azor. Sanchez. Felin. Abulens. D Anton. Angel. Armill. Tabien. Driedo.

Simile etiam exemplum est, si duo sibi inuicem, aut alter alteri iurent, se in posterum non furaturos, audituros sacrum in die festo, peccata expiaturos in quadragesima, non lusuros, aut aliquid aliud facturos, ad quod ex præcepto teneantur, vt docent D. Anton. Ambulensis,Driedo, Angelus, Syluester, Tabiena, & Azor citati, & pro hac parte potest etiam citari Sanchez allegatus, quatenus refert hoc illorum exemplum, & nihil in eo distinguit, cum tamen distinguat aliud ab illis allatum, de quo numero sequenti agemus; sed puto interrogandos esse iurantes, de sua intentione, an, scilicet, hæc iuramenta sibi ad inuicem fecerint ex præcipua intentione propter Dei honorem, an ad mutuam gratiam præstandam: & si respondeant, præcipuam illorum intentionem fuisse propter Dei honorem hæc facere, bene asserunt huiusmodi auctores, non posse illos sibi inuicem, aut alterum alteri hæc iuramenta remittere, sed relaxationem illorum ad potestatem Ecclesiasticam spectare; contra verò si contrarium respondeant fecisse, scilicet, ex præcipua intentione ad mutuam gratiam magis fouendam & conseruandam, tunc dicendum est posse illos ibi ad inuicem talia iuramenta 10.

remitte

remittere, quiſque enim ſuo iure in fauorem alterius poteſt cedere: ſi verò dubitent propter quam intentionem præcipuè id fecerint, tunc cum hæc materia iuramentorum præcipuè in Deum tendat, idem de hoc exemplo dicendum erit, atque de aliis numero præcedenti poſitis.

11. Sylueſt. Sanchez.

Simile rurſus exemplum eſt, ait Sylueſter allegatus *verbo, Iuramentum 5. quaſt.* 8. & 9. ſi duo ſibi inuicem iurauerint, fore, vt duo pſalteria, aut roſaria recitent alter pro altero; ſed hoc exemplum, vt docet Sanchez *dict. tom.* 1. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 5. diſtinctione etiam indiget, & ex iurantium intentione pendet: ſi enim finis principalis, intentióque iurantium fuit quotidie, aut ea tantùm vice, in Dei cultum recitare, quamuis eæ orationes pro altero offerrentur, non poterit alter abſolutè obligationem illam illas recitandi remittere; poterit tamen ei remittere, ne pro illo recitentur, quia priùs honorem, & cultum Dei reſpicit, poſteriùs vtilitatem huius. Si verò præcipua intentio, & finis fuit id beneficium mutuo ſibi ipſis efficere: poterit vterq; mutuo ſibi remittere, aut alter ſolus alteri; & in dubio huius intentionis credo eum Sanch eſſe hanc poſteriorem, & dari locum huic remiſſioni, quia natura horum iuramentorum, & communiſſima promittentium intentio hæc eſt, vt quando ſibi ad inuicem preces aliquas promittunt, totam vtilitatem promiſſionis ſibi ad inuicem communicent.

Sanch.

Ita Sanchez *tom* 2. *Decalogi lib.* 3. *cap.* 20. *num* 5. *ad finem*: nam cum alter alteri promittit ſe pro eo aliquid recitaturum, clarum eſt, naturam iuramenti limitari ab ipſa materia iuramenti in vtilitatem alterius, indéque colligi prudentialiter intentionem dubitantis.

12. Dubium tamen eſt, an quando iuramentum principaliter in Dei honorem fit, at tota res promiſſa cedit in fauorem partis, poſſit pars illa id iuramentum remittere; vt ſi quis intuitu pietatis, & ſolùm propter Deum iuret fœminæ pauperi, ſe ei dotem daturum: & hac de re partitam opinionem inuenio. Prima negat poſſe partem illam in cuius vtilitatem res promiſſa cedit, obligationem talis iuramenti remittere, & ſic non poſſe illam fœminam dotem, aut eleémoſynam ſibi promiſſam condonare, nec ex ſua mera voluntate obligationem ſponſaliorum remittere.

D.Thom.

Probatur hæc opinio Primò, ex doctrina D. Thomæ 2, 2 *quæſt.* 89. *art.* 9. *ad* 2. vbi aſſerit, eum cui aliquid promittitur intuitu pietatis, id non poſſe remittere; nam iuramentum factum Deo intuitu pietatis, rationem voti habet, votóque æquiualet, vt DD. omnes tradunt; in voto autem nihil poteſt perſona priuata, cum ſoli Deo ius acquiratur. Secundò, quia tale iuramentum ſoli Deo præſtatur, cuius iuri alter renunciare non poteſt: & ita docere videntur Ioannes Andreas cum Vincentio in *cap.* 2. *de ſponſalibus n.* 7. & 8. & Anchar. ibi *num.* 5. & expreſsè docent Anton. *ibi, num.* 9 vbi Abbas *in fine*, Alexander de Neuo *num.* 28. Cardinalis *in capite*, *De illis primo*, *de ſponſalibus impuber. num.* 2. Roſella *verbo, ſponſalia num.* 8. vbi Angelus *num.* 20. Carrerius *lib.* 1. *de ſponſalibus cap.* 5. Azor *tom.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 11. *cap.* 9. *quaſt.* 11. Sotus *lib.* 8. *de iuſt. quaſt.* 1. *art.* 9. *ad* 2. non tamen intelligas velle hanc opinionem, vt ſic iurans teneatur puellam nolentem dotare, aut ducere; hoc enim abſurdiſſimum eſſet: ſed ſenſus huius opinionis eſt, per remiſſionem promiſſionis alterius non manere liberum iurantem, ſi adhuc remittens velit matrimonium, dotem, aut rem ſibi promiſſam.

Ioan. Andr. Anchar. Anton. Abbas. Neuo. Cardin. Roſell. Angel. Carrer. Azor. Sotus.

Secunda opinio multo probabilior affirmat. 13.
Ratio illius, ac fundamentum eſt. Primò, quia quamuis iuramentum Deo præſtetur, & intuitu pietatis fiat, tamen ipſe Deus gratum illud in partis vtilitatem habet, & quatenus parti eſt commodum, & fauorabile, & ſolùm affertur Deus in teſtem talis promiſſionis; ergo pars cui debetur, remittere illius obligationem poteſt; ſicut & alia ſibi debita condonare. Secundò, quia ideo poteſt pater aliqua filiorum vota irritare, quia poteſt tollere materiam, qua ſublata, votum ceſſat; ergo ſimiliter pars poteſt tollere, & remittere materiam Deo in ſui fauorem promiſſam; ergo conſequenter tollet obligationem iuramenti. Hanc opinionem tenet Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 52. *num.* 7. & 8. & 9. & *tom* 1. *Decalogi lib* 3. *cap.* 20. *num.* 7. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 14. *num* 6. Lud. Lopez 2. *part. inſtruct. de matrim. cap.* 38. *folio mihi* 1048. *col.* 2. Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 22. *num.* 25. *caſu* 1. *Hiſpan. num.* 22. Viualdus *in candelabro* 1. *part. de ſponſal. cap.* 5. *num* 31. Brunellus *de ſponſal conclusione* 9. *num.* 2. Anton. Cucus *lib* 5. *inſt. maior. tit* 10. *num.* 61 & alij Addit tamen Antonius Cucus teneri hunc, aliam pauperem ducere, aut dotare, quia promiſſio illa iurata duo continebat; primum, pauperem ducere; vel dotare, aut eleemoſynam pauperi dare; ſecundum, hanc pauperem ducere, dotaréve, aut illi eleemoſynam dare. Quare ſi iurans nequit vtrumque implere, tenebitur alterum, *l. Celſus*, §. 1. *ff. de recept arbitr.* Sed oppoſitum dicendum eſt, quia huic pauperi præcisè promiſit, & non alteri.

Sanchez. Henriq. Lud. Lop. Nauar. Viuald. Brunel. Cucus.

Reſtat, vt argumenta pro contraria opinione propoſita ſoluamus. Ad primum reſpondeo D. 14.
Thomam ibi, vt ex eius exemplis conſtat, loqui de iuramento, & voto, quorum tota vtilitas non redundat in vtilitatem hominis, cui iuratum eſt, vt cum quis iurat alicui ſe ingreſſurum religionem. Ad ſecundum dico, quòd licet Deo acquiratur ius, & huic directè non poſſit renunciare is cui fit promiſſio, at poteſt indirectè, & conſecutiuè; eo enim ipſo quòd cedit iure ſuo, quod fecere liberè poteſt, conſequenter ceſſat ius Dei, quod eſt adnexum iuri hominis illius: ſimiliter in voto, licet ille cui tota vtilitas voti cedit, non poſſit directè renunciare iuri, quod Deus tali voto acquirit, at poteſt indirectè, & conſecutiuè, remittendo, ſcilicet, illam vtilitatem & prouentum, qui ſibi ex tali voto prouueniebat, vt patet.

In vno tamen caſu prior opinio eſſet ve- 15.
ra, quando, ſcilicet, ea dos, eáve eleemoſyna, nulli eſſet determinato pauperi, aut perſonæ promiſſa: & ſimiliter quando quis promiſiſſet Deo, votóque aut iuramento id firmaſſet, ſe ducturum in vxorem quandam pauperem fœminam abſolutè, & nulli in particulari id promiſiſſet, quia tunc nullus pauper obligationem talis iuramenti, & promiſſionis, poteſt remittere, quia id iuramentum Deo ſoli eſt præſtitum, nec res promiſſa cedit in fauorem certi pauperis, qui poſſit hoc fauore cedere, ſed cedit vagè in fauorem huius, vel illius, ac proinde nullus particularis poterit eam obligationem remittere: ſolùm ergo talia iuramenta, quæ rationem voti induunt, & ſoli Deo præſtantur, manebunt ſubiecta irritationi, relaxationi, diſpenſationique, ac commutationi: quemadmodum & vota manent, &

ad

ad quos pertinet vota irritare, relaxare, commutare, & dispensare, illa quoque pertinebunt, vt bene notat Sanchez *tom.2. Decalogi lib.3.cap.*20. *num.*9. (Sanch.)

16. Ex dictis patet quid dicendum sit de remissione illius iuramenti, quo quis promisit certæ puellæ. v. c. Mariæ filiæ Petri intuitu ipsius patris, & propter patris amicitiam, aut cognationem, centum aureos in dotem ipsius filiæ: nam licet ex doctrina Soti *lib.*8. *de iust. quæst.*1. *art.*9. *ad* 2. & Azoris *tom.*1. *inst. moral. lib.* 11. *cap.*9. *quæst.* 11. (Sot. Azor.) colligatur ad patrem solum pertinere remissionem huius iuramenti, qui independenter à filia, & sine consensu illius, imò & repugnante illa, solus potest obligationem huius voti remittere, quatenus asserunt ad solum illum pertinere directè remissionem iuramenti promissorij ad quem, & propter quem directè facta est promissio. Vnde cum hæc promissio directè facta sit patri, & propter patrem, & non filiæ, nec propter filiam, inde sequitur euidenter, quòd solus pater independenter à filia possit obligationem illius remittere. Nec obstat quòd promissio illa in executione facta fuerit filiæ, & forte insciente patre; sufficit enim quòd ex intentione promittentis promissio facta fuerit patri, vt simpliciter dicamus directè factam fuisse patri. Nihilominus tamen mihi videtur, posse etiam filiam illius obligationem remittere, & condonare sine consensu patris, imò repugnante patre; non quidem directè, sed indirectè, id est, dummodo id faciat sine præiudicio patris, quod tunc continget, quando illa nubere noluerit, aut quando voluerit, sed cum ea conditione, vt nihil pater ei promittat in dotem præter id quod tantùm seclusa ea promissione ex legitima habere poterat, aut quando inuenerit sponsum, qui eam indotatam in vxorem accipiat; tunc enim indirectè, & per subtractionem materiæ, illa poterit independenter à patre obligationem huius iuramenti remittere; quod non negabunt Sotus, & Azor, cum illi solùm dicant, remissionem huius iuramenti ad eum solum directè pertinere, ad quem, & propter quem directè facta est promissio.

Capvt XXXIII.

Quomodo tollatur obligatio iuramenti promissorij, & voti ex parte irritationis; & quis possit illud irritare. Agitur de irritatione iuramenti, & voti impuberum.

Svmmarivm.

Quid sit irritare iuramentum, & votum, ad quem pertineat, an causam requirat. num. 1.

Eodem modo se habet irritatio iuramenti promissorij Deo facti, & voti, licet contrarium aliqui censeant. num. 2. & 3.

Qui habent potestatem irritandi vota suorum subditorum, habent etiam illam ad irritanda iuramenta Deo præstita. num. 4.

Qui possint iuramenta promissoria Deo præstita irritare. num. 5. *Et quid si homini sint præstita.* ibid.

Prælati Religionum quatenus possint iuramenta promissoria suorum religiosorum hominibus præstita irritare. num. 6. *Et de quibus rebus facta illa possint irritare.* ibid.

Mariti quatenus possint iuramenta promissoria vxorum hominibus facta irritare. num. 7.

Patres, Curatores, & Tutores, quatenus possint hæc iuramenta hominibus à filijs, pupillis, & minoribus præstita, irritare. num. 8.

Quid de Dominis respectu suorum seruorum. n. 9.

De iuramentis promissorijs, quæ Deo ex præcipua iurantium intentione præstantur, & rationem votorum induunt, idem dicendum est, quod de irritatione votorum. num. 10.

Omnia vota filiorum impuberum, nullo excepto etiam castitatis, absque vlla causa possunt Patres pro mero suo arbitratu irritare. num. 11. *An possit mater, ibi, & num.* 23. *An magister, & herus quando pupillus tutore, & curatore caret.* ibid.

An omne iuramentum promissorium, & votum de ingredienda etiam Religione, & castitate seruanda filio intra impubertatis annos factum possit postea à Patre extra pubertatem filij irritare, etiamsi filius sit iam vxoratus, & extra potestatem paternam. à num. 12. vsque ad 14.

Quid si filij postea extra annos impubertatis ea vota ratificarunt, aut confirmarunt. num. 15. *Quid sit ratificare & confirmare.* ibid.

Quid si pater, vota, & iuramenta à filijs Deo intra pubertatis annos facta postea confirmet, & approbet, siue ea confirmatio, & approbatio fiat in impubertate, siue post illam. num. 16. *Refertur prima opinio asserens non posse tunc patrem illa irritare.* ibid.

Præfertur secunda affirmans, posse validè illa tunc irritare absque causa, non tamen licitè. num. 17.

Soluuntur argumenta prioris opinionis. num. 18.

An id procedat etiam in votis, & iuramentis promissorijs Deo præstitis. Refertur opinio affirmans. num. 19.

Præfertur opinio negans, si loquamur de tutore respectu pupilli, dummodo tutor ipse simul non sit pater. num. 20. *Eo ipso quod pupillus fit puber, desinit tutor esse tutor, & incipit esse curator.* ibid. *Quod discrimen sit inter tutorem & curatorem,* ibid.

Quid si loquamur de curatore respectu minoris, siue idem sit qui priùs in ætate impubertatis erat tutor, siue alius. num. 21. & 22.

An mater possit irritare vota, & iuramenta Deo præstita filiorum facta in impubertate, extra pubertatem illorum, etiamsi iam sint extra matris potestatem, imò emancipati, & vxorati, si nunquam finita impubertate à filio fuerunt ratificata, aut à matre confirmata. num. 23. & 24.

Quid de votis, & iuramentis filiorum factis in ætate impubertatis, collata tamen in tempus pubertatis. num. 25.

Quid de votis Religiosorum collata ad tempus, quo non fuerunt Prælatis. num. 26.

Quid si quis post tempus pubertatis, aut subiectionis omittat votum non petendo irritationis, an tunc censeatur votum ratificare. num. 27. & 29.

Quid si sit dubium an per illud votum intenderit ratificare. num. 28.

An vota puberum personalia possint irritari à parentibus. num. 30.

Quid de realibus, & quid si bona habeant castrensia, aut quasi castrensia. num. 31.

An patres possint irritare vota filiorum puberum de peregrinatione terræ sanctæ. num. 32.

Irritare

1. IRRITARE iuramentum nihil aliud est, quàm illud annullare, itavt amplius non obliget. Est igitur irritatio, annullatio, aut rescissio obligationis, voti aut iuramenti Deo præstiti. Pertinet hæc irritatio ad potestatem dominatiuam, id est, ad patrem, vel deficiente patre, ad matrem, ad tutorem, aut curatorem, & ad illos, qui loco parentum sunt; item ad dominos respectu seruorum, & ad omnes, qui aliquam potestatem super alios exercent. Non est actus iurisdictionis, cum non respiciat potestatem iudicialem, & ideo, vt validè, & licitè fiat, nulla indiget causa, quemadmodum indiget dispensatio, relaxatiove, & commutatio, vt diximus num. 4. & docet Sanchez tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 9. num. 1. & quamuis in eo æquiparetur remissioni, quòd remissio nullam etiam causam requirat in remittente; attamen vt diximus cap. præcedenti num. 4. ad finem, in eo ab ea differt, quòd irritatio requirat potestatem dominatiuam in irritante, remissio verò nullam potestatem, nec dominatiuam requirit; & quamuis Sanchez lib. 4. Decalogi cap. 24. num. 13. asserit requiri aliquam causam ad irritationem, & semper esse culpam venialem irritare vota, & iuramenta Deo præstita sine causa, attamen loco primo allegato, nullam causam requirit, & id probabilius iudico cum Toledo lib. 4. summa cap. 18. num. 9. Viualdo in candelabro 3. part. cap. 14. num. 92. Nauarr. in summa Latina, & Hispana, cap. 13. num. 73. quod tenet etiam Azor tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 17. quæst. 5. Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 14. sect. 2. num. 8. Ludouicus Lopez 1. part. instruct. cap. 48. col. in vltima, versiculo, Peccant Prælati. Caietanus in summa, verbo, Votum, cap. vltimo. Rodrig. tom. 1. quæst. regularium, quæst. 25. art. 7. fine. Syluester verbo, Votum 4. quæst. 1. versiculo, Vnde dicit. quia superior irritans vtitur suo iure, quod habet, ne inferiorum vota sint absque eius consensu firma, nec iure aliquo cogitur ea approbare.

(Sanch. — Sanch. — Toled. Viuald. Nauar. — Azor. Suarez. Lud. Lop. — Caiet. Rodrig. Syluest.)

2. Solùm animaduerto non defuisse aliquos Theologos, qui existimauerint non esse ita philosophandum in irritatione voti Deo facti, & iuramenti eidem Deo præstiti, inter quos est Valentia t. 2. disp. 6. quæst. 7. puncto 4. colum. 5. versiculo, Quantum est. Vnde asserunt licet possint illi illorum vota quorum potestati dominatiuæ, & gubernationi ipsi vouentes sunt subiecti, irritare, vt parentes vota filiorum, viri vxorum, domini seruorum, Prælati regulares religiosorum; non posse tamen irritare illorum iuramenta promissoria homini facta, nisi quando res iuramento promissa esset illorum potestati subiecta. Fundamentũ Valentiæ est, quia iuramentum non potest irritari propter superioritatem in irritantis voluntatem, quo pacto irritari potest votum, sed per solam superioritatem in rem promissam. Vnde ratione subiectionis voluntatis, non tollitur obligatio per voluntatem inducta, nisi quando huiusmodi obligatio oritur ex actu voluntatis subiectæ, tanquam ex priuata lege, vt accidit in voto; at obligatio iuramenti non oritur ex eo actu, tanquam ex priuata lege; sed est obligatio meri iuris naturalis; non enim iuramentum est lex, sed inuocatio diuini testimonij, quod longè aliud est. Vnde obligatur quilibet ex iuramento, quia eo ipso quod iurat, tenetur præcepto religionis id adimplere. (Valent.)

3. Sed hoc fundamentum, & discrimen inter Votum, & iuramentum non placet; cum enim vtriusque obligatio ex sola voluntate hominis, eo vinculo se obligantis consurgat; vtrumque est priuata lex ab ipso homine sibimet imposita; in voto quidem per fidem Deo datam; in iuramento promissorio per eandem fidem inuocato diuino testimonio, quasi fideiussore. Nec obstat iuramentum obligare, eo ipso, quo quis iurat ex virtute religionis; nam id ipsum in voto contingit. Dicitur autem vtrumque priuata lex, quòd fons, & origo vtriusque obligationis, sit sola priuata hominis voluntas, qua quis se voluit eo vinculo obligare; & ita docet Sanchez tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 9. num. 1. & Ioannes Medina tract. de confess. 9. de dispensat. super confess. reuelanda in solut. ad 2. (Sanch. Ioan. Med.)

Quapropter dicendum est eos omnes, qui potestatem habent irritandi vota subditorum, posse etiam iuramenta de iisdem rebus Deo præstita irritare, eodem prorsus modo, & in iisdem casibus, in quibus possunt & vota; cum huiusmodi iuramenta inducant voti rationem: vnde in sacra pagina Numerorum 30. à versu 5. & deinceps vsque ad 17. æqualis potestas tribuitur patri, & marito relaxandi vota, & iuramenta Deo præstita, & ita docet D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 9. ad 3. & ibi Caietan. D. Anton. 2. part. titul. 10. cap. 6. § 2. Syluester verbo, Iuramentum 5. quæst. 7. Armilla verbo, Iuramentum, num. 20. Tabiena verbo, Iurare, quæst. 19. Azor. tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 10. fine. Toledo lib. 4. summæ cap. 23. num. 1. Sà in summula, verbo, Iuramentum, num. 31. Ledesma tom. 2. tract. 11. cap. 4. initio. Sanch. tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 19. num. 2. 4

(Medin. D. Thom. Caiet. D. Anton. Syluest. Armil. Tabien. Azor. Toled. Sà. Ledesm. Sanch.)

Possunt igitur patres, & qui loco parentum sunt, vt tutores, & curatores respectu filiorum, pupillorum, & minorum, mariti respectu vxorum, domini respectu seruorum, & prælati respectu religiosorum, iuramenta promissoria Deo præstita irritare, quæ de re statim à num. 10. dicemus. At verò quando hæc iuramenta promissoria non Deo, sed homini præstantur, solùm in eo casu poterunt indirectè iuramenta confirmantia contractus & promissiones irritare; in quo contractus & promissiones ipsas suorum subditorum irritare possunt; quia etsi id in alterius præiudicium vergat, vtuntur tamen iure suo, tollendo iuramenti materiam; secus quando nequeunt suorum contractus irritare. Ita docet Sanchez tom. 2. Decalogi lib. 3. cap. 10. num. 3. Petrus Ledesma tom. 2. summæ tract. 11. cap 4. dub. 1. Sotus lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 9. ad finem corporis, & alij. 5

(Sanch. Ledesm. Sotus.)

Quare ad particularia exempla descendendo, Prælatus religionis potest irritare quamcumque promissionem homini à religioso suo subdito factam iureiurando confirmatam. Primò ratione subiectionis voluntatis, nam cum religiosus omni voluntate careat, nihil firmum efficere potest, absque sui superioris consensu. Secundò, quia religiosi absque hoc superioris consensu, nec naturaliter alteri obligare se possunt: sicut enim vota religiosorum facta Deo de rebus, quæ in suis constitutionibus, aut præcepto Prælati interdictæ sunt, v. g. de facienda peregrinatione, aut visitandis infirmis extra monasterium, non pariunt statim naturalem obligationem, nec sunt statim valida, nec obligant, donec superior consensum præstet, quia semper in huiusmodi votis intelligitur hæc intrinseca conditio, si meus superior consentiat, vt docet Sanchez tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 25. num. 8. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. 6

(Sanch. Suarez.)

Sayr. Lessius. *lib. 3 cap. 6. num. 9.* Sayro *in claui reg. lib. 6. cap. 15. num. 10.* & Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 10. num. 72.* Ita ex promissionibus illorum homini factis de iisdem rebus prohibitis nulla obligatio naturalis oritur, nisi accedente superioris consensu, & voluntate; nam cum materia sit interdicta, non est apta, neque ad votum, neque ad promissiones humanas. vnde potest Superior regulans omnes promissiones, & pacta suorum subditorum, sicut & vota irritare; & ita docet specialiter de pactis, & promissionibus homini factis Sanchez *tom. 2. Decalogi lib 3. cap 10. num. 3.* Sanch. Nec solùm hoc intelligendum puto quando res promissa in regulis, & constitutionibus absolutè interdicuntur, sed etiam quando interdicuntur quoad modum, quia nimirum interdicuntur non fieri absolutè, sed non fieri absque licentia superioris, quia Doctores quando hac de re loquuntur, loquuntur absolutè de rebus interdictis, hæc autem interdicta etiam sunt; & ita videtur tenere Sotus. *lib. 7. de iust. quæst. 3. art. 2. col. 7. versiculo, Ad sensum igitur,* & Lessius *lib. 2. de iust cap. 40. dub. 10. num. 72.* vbi hæc ait. *Si vouisti aliquid regula contrarium, vt orare, ea hora in templo, qua iuxta regulam debes esse in cubiculo, teneris petere licentiam.* Et ratio est, quia etiam in hoc casu intelligenda est illa tacita conditio, *si superior consentiat.* & ea posita manet licita materia voti; dum autem non ponitur, non manet.

Sotus. Lessius.

7. De viro respectu vxoris, sic dicendum est: in regnis in quibus nullum contractum potest vxor inire absque viri licentia ob præiudicium viri, vt in regno Lusitaniæ, in nouis ordinat. *lib. 4. titulo 3* & in regno Castellæ iuxta *l. Regiam 55. Tauri hodie l. 2. tit 3. lib. 5. Recopil.* nullus illius contractus firmatur iuramento, vt communiter ibi Doctores tradunt. Et quamuis ibi Doctores non explicent, an hoc iuramentum indigeat relaxatione, at videntur apertè insinuare illa non indigere, dum dicunt id fieri, eo quòd cedat in viri præiudicium, quia iuramentum in præiudicium tertij factum non obligat; si autem non obligat, consequenter non indiget relaxatione *cap. Cum contingat, de iureiurand.* Vnde bene ait Molina *tom 2 de iust. disp. 343. column. 2. versu, De vxore,* &si accedat iuramentum, id totum fore irritum, & cassum; imo etiamsi valeret iuramentum, cum tamen non firmet contractum, poterit hic à viro reuocari, & consequenter dicendum est, posse quoque à viro hoc iuramentum irritari. Ita docet Sanch. *tom. 2. lib. 3. cap. 20. n. 3.* Sotus *lib 8. de iust. q. 1. art. 9. ad finem corporis.* Quod tamen intelligendum est iuxta Sancium allegatum, modò talis contractus vergat in præiudicium viri; quando enim in præiudicium illius non vergit, vt quia post solam vxoris mortem, vel viri, bonis illis est alter potiturus: tunc in regno Castellæ talis contractus firmatur iuramento, vt præter Sancium citatum docet Burg. de Pax *cons. 2. n. 97.* Gutierrez *de iuram. 1 part. cap. 1. num. 34.* & ideo hoc iuramentum vir non poterit irritare. Dixi in regno Castellæ, quia in Lusitania, vt iam supra dictum est, eo ipso, quòd contractus aliqui etiam à viris facti iuramento confirmantur, irriti omnino sunt, nulliusque momenti, vt patet ex *noua const. dict. lib. 4. tit. 3.* & docet latè Vallascus *tom. 1. consult. 99 per totam.*

Molina. Sanch. Sotus. Sanch. Burg. Gutier. Vallasc.

8. De parentibus verò respectu filiorum, tutoribus respectu pupillorum, & curatoribus respectu minorum; dicendum est posse eos irritare iuramenta promissoria homini facta, quibus pupilli, seu impuberes firmant contractus cum aliquo initos; secus si post pubertatem, quia etsi id iuramentum seruandum sit, tamen non confirmat contractum, quando ante pubertatem præstitum est, secus quando post pubertatem. Quod idem dicendum est, quamuis circa peculium castrense, vel quasi castrense, impubes hic contrahat, quod tanquam probabile amplectitur Sanchez *tom. 2. Decalogi, lib. 3. cap 20. num 3. & lib. 6. de matrim. disput. 38. num 17.* Sic potest pater, vel tutor omnia vota realia filij, vel pupilli emissa etiam de peculio castrensi vel quasi castrensi irritare: secus post pubertatem. Ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 35. num.* 10. Aragon. *2. 2. quæst. 88. art 9 in difficultate circa quartam conclusionem*, & Corradus *in suis respons. 1. quæst. 308.* dum aiunt nequire à patre irritari votum reale de peculio castrensi, vel quasi castrensi, quando post pubertatem est factum; posse tamen quando est factum ante pubertatem; & Suarez *tom. 2. de Relig. lib 6. cap. 6. num. 6. & 7.* dum ait nullum impuberis votum excipi à potestate irritandi, etiamsi sit non peccandi. Idque constat, quia dum est impubes, nequit vllo modo, de peculio castrensi disponere, vt optimè docet Molin. *tom. 1. de iust. disp. 131. initio. & disput. 230. col. pen. versu, Licet filius,* & satis probatur ex *l. finali C. de test. militari*, vbi decernitur impuberem nequire de huiusmodi peculiis testari; at difficilius conceditur alienatio inter viuos, vtpote, quæ magis impuberibus nocet, quàm testamenti confectio & dispositio, quæ solùm post mortem effectum habet.

Sanch. Sanche. Aragon. Corrad. Suarez. Molin.

9. De dominis autem respectu seruorum statuendum est, si seruus iuret aliquid homini in domini præiudicium, potest dominus hoc iuramentum cassare, & irritare, quatenus tantùm in suum præiudicium vergit, quia seruus nequit domino præiudicium inferre. At in illis omnibus, quæ in domini præiudicium non vergunt, obligatur seruus naturaliter *l. Naturaliter. ff de condit. indebiti. Regia 5. tit. 12. part. 5.* & ideo dominus huiusmodi iuramenta irritare nequit.

10. Hactenus egimus de irritatione iuramentorum quæ promissoria appellantur, quæ homini præstantur, & idem quod de illorum irritatione diximus, dicendum est etiam de irritatione votorum, quæ homini præstantur, ac fiunt: quoniam tamen *num. 5.* diximus posse patres, & qui loco parentum sunt, vt tutores, & curatores, respectu filiorum, pupillorum, & minorum, dominos respectu seruorum, maritos respectu vxorum, prælatos religionum respectu religiosorum, iuramenta promissoria Deo facta irritare, idem dicendum est de votis. Cum enim hæc iuramenta Deo fiant, voti rationem induunt; & ideo quod de votorum irritatione dicitur, de illorum etiam irritatione dicendum est: quare nonnulla dubia præstantiora breuiter tam circa hanc irritationem votorum, quàm iuramentorum, quæ non homini, sed Deo præstantur, perstringemus, vt lectores sciant, quid circa hunc irritationem, tam votorum, quàm iuramentorum tenendum sit.

11. Sciendum itaque est, omnia vota impuberum, & iuramenta Deo præstita, nullo excepto, etiam castitatis (id est, masculorum vsque ad annum decimum quartum expletum, fœminarum vsque ad 12. expletum, vt docet Lessius *tom. 1. de iustit. lib. 2. cap. 40. dub. 14. num. 82.*) posse nulla causa subsistente, sed pro mera sua voluntate irritari à patre. Colligitur id à Doctoribus, & *ex cap. 14.* Lessius.

Mulier 32. quæst. 3. & ex capite primo de Regularibus in 6. & ex capite, Ad nostram 8. extra de regularib. Et est communis sententia. Idem dicendum est de tutore, qui pupillo est loco patris. Mater autem non potest, nisi mortuo patre succedat loco tutoris, quia non ipsa, sed tutor habet patriam potestatem. Vnde ad illum ea irritatio spectabit. Lessius. Azor. Ita Lessius allegatus *dicto num.* 82. Azor *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 17. §. Quæres insuper.* Quidam putant idem posse Magistrum respectu discipuli, vel herum respectu serui impuberis, si tam discipulus, quàm seruus parentibus, & tutoribus careant, quia sunt loco patris. Lessius. Suarez. Quod rationi consonum dicit Lessius *dict. tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 14. num.* 82. & Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 6. num.* 23. vbi dicit hoc rationi, & pietati conuenire; sed hac de re fusior recurret sermo *cap. 39. num.* 11. Ratio autem ob quam iura sic statuerunt, est, quia ante illud tempus, nec mares, nec fœminæ præsumuntur satis iudicij habere, vt maturè vouere, aut iurare possint; vnde ne imprudenter se huiusmodi votis immisceant, voluit ius, omnia illorum vota, tam realia, quàm personalia, etiam religionis, & castitatis, esse emissa sub illa tacita conditione; *nisi pater, & qui loco parentis sunt contradicant*; hic autem malitia, & iudicium non supplet ætatem, quia est generalis dispositio iuris canonici pro omnibus votis, & iuramentis ante illam ætatem completam emissis.

12. Sed difficultas est, vtrùm scilicet, illud iuramentum promissorium Deo factum, votumque, quod quis facit intra annos impubertatis, siue sit de ingredienda religione, siue de castitate seruanda, siue de quacumque alia re, possit post illos annos pubertatis, v.g. in 25. ætatis filij anno, à patre irritari, idque quamuis filius iam sit emancipatus, & extra patriam potestatem. Sotus. Arag. Negant Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 3. artic* 2. Aragon 2. 2. *quæst.* 88 *art* 9. & alij; putant enim non posse, si filius iam sit extra patriam potestatem, posse verò si sub patria potestate sit. Ratio illorum est; quia iam ampliùs illi non subditur, vt antea. Quemadmodum enim dominus votum, & iuramentum serui in seruitute emissum, non potest irritum reddere post seruitutem, si illum vendat, aut distrahat, eo quod iam sit extra potestatem illius: Ita pater non potest irritare vota, & iuramenta impuberum, quando pubertatis annos excedunt, & extra patriam potestatem sunt.

13. Sanch. Nauar. Caiet. Lopez. Lessius. Suarez. Affirmatiua tamen sententia est verior, & probabilior. Eam docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 4 cap. 30. num.* 14 Caietan. 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 5. Nauarrus *in summa Latin. cap.* 12. *n.* 71. Lopez 1. *part Instructory cap.* 48. Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40 dubit. 14. num* 83. *versu, Sed contrarium est.* Suarez *tom. 2. de Religion. lib. 6. cap. 6. num.* 13. & id verum est, etiamsi iam filius vxorem duxerit, iuxta Sancium allegatum, & Suarez *dicto cap. 6. in fine.* Et ratio est, quia ex iuris interpretatione ab initio fuerunt conditionata, *si pater non contradixerit*, quam conditionem per tractum temporis non amiserunt; supponimus enim nullam circa ea mutationem fuisse factam, id est, non fuisse post pubertatem à patre confirmata, nec postea in ætate pubertatis à filio ratificata. Vnde cum conditio adhuc permaneat, & firmitatem, ac valorem illorum quasi suspensam teneat, & si parens nolit esse firma, desinent obligare.

14. Nec obstat ratio Soti, nam domini non possunt irritare vota, & iuramenta promissoria seruorum Deo præstita, nisi quatenus illorum obsequiis officiunt. Vnde cum iam serui extra dominorum potestatem sint, non possunt ampliùs ea vota, & iuramenta obsequiis illorum officere, quare est diuersa ratio. Vota enim impuberum supponunt defectum iudicij ex iuris dispositione, & ideo censentur facta sub tacita conditione, *si pater non contradixerit*; quamobrem possunt à patre irritari egressa iam pubertate. Vota autem seruorum hoc iudicij defectum non supponunt, vt dixi.

Si tamen impuberes ea vota, & iuramenta, quæ in impubertate fecerunt, postea in ipsa pubertate confirment, aut rata habeant, ea non poterunt patres irritare; non est autem ratificare, aut confirmare habere postea intentionem illa seruandi, neque etiam illa sæpe renouare; quia hæc omnia ex errore proueniunt, quo putant ea ab initio firma, ac valida absolutè fuisse, cum tamen reuera non fuerint. Vnde, vt quis censeatur prædicta vota, & iuramenta ratificare, necesse est, vt sciens esse inualida, velit postea valida esse; vel saltem (quod perinde est) vt postea intendat illa confirmare, etiamsi inualida à principio fuissent. Ita docent Lessius *tom. 1. de iustit.* Lessius. *lib 2. cap. 40. dub. 14. num.* 83. *versu. Nec obstat quòd filius*, Nauarrus *cap* 12. *num* 71. & Caietanus 2. 2. *q* 189. *art.* 5. & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4 cap. 30. n.* 40. vbi docet tunc hanc confirmationem contingere, quando ea vota, aut iuramenta post pubertatem redintegrantur, ac repetuntur sciendo antea non obligare, & volendo, vt de nouo obligent; & idem docet Suarez *dicto tom. 1. de religione lib. 4 cap. 6 num.* 13 Azor *tom. 1. Inst. moral. lib. 11. cap. 17. quæst. 7. versu, Animaduertendum tamen*, & Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 6. punct. 6. column. vltima, initio.* 15. Nauar. Caiet. Sanch. Suarez. Azor. Valent.

Sed dubium est, an si pater in ea vota, & iuramenta semel consentiat, eáque approbet, & confirmet, postea possit illa irritare, siue consensus, approbatio, & confirmatio illa fiat à patre ante pubertatem, siue post illam. Negant Suarez *tom. 2. de Religione lib. 6. cap. 6. num.* 15. *&* 16. Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 10. num.* 28. Philiarchus *de offic. sacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 18. versu, Quoad vota filiorum*, & alij. Primò, quia hæc patria potestas fundatur in defectu maturi iudicij reperto in votis impuberum, qui deest, cum de licentia patris emittuntur, aut ab eo approbantur. Secundò, quia, vt docet Suarez allegatus, vbi primùm pater hæc vota, aut iuramenta confirmauit, vsus est sua patria potestate quantum potuit. Igitur nullus vsus illius ampliùs restat; iam enim res transiit quasi in rem iudicatam. Tertiò, quia conditio inuenta in illo voto, aut iuramento, est iam expleta, quæ secundùm rectam rationem, sicut est intelligenda, *nisi pater contradicat*, ita etiam est intelligenda, *nisi pater consentiat, & ratum habeat.* Quartò, quia aliter ea vota, & iuramenta necessariò semper manerent infirma, quandiu pater superstes fuerit, quamuis millies ea confirmet, quod videtur absurdum. 16. Suarez. Sayro. Philiarch.

Affirmat tamen Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 30. num. 36. & cap. 27 num* 18. & debent docere omnes, qui dicunt licentiam, & approbationem superiorum religionis, qua semel approbant vota, & iuramenta suorum subditorum, non illis adimere potestatem validè irritandi ea postea, si ex causa licita duxerint irritanda, ita vt ea causa 17. Sanch.

necessa

Lessius. Azor Man. Rod. Syluest. Fumus Panorm. Sotus. Nauar. Valent. Arag.

necessaria sit ad licitam irritationem, non autem ad validam, & hi sunt Lessius *lib. 2. de iustit. cap.40 dub.13. num.76* Azor. *tom 1. inst. moral. lib.11. cap. 17 quæst. 6.* Manuel Rodrig. *tom.2. summæ cap 90 num 5.* Syluester *verbo, Votum 4. quæst. 2.* Fumus *verbo, Votum, num.12.* Panorm. *in cap. Charissimus, num.4. de conuersat. coniugator.* Sotus *lib 7. de iustit. quæst 3. art. 1. colum 9. versiculo, Maiori autem.* Nauarr. *in summa Lat. cap.12. num. 61. & 73.* Valencia 2.2. *disp.6. q.6. punct.6 quæst.3.* Aragon.2.2.*quæst.88 art.8 post 6. conclusionem, versiculo, Sic est.* Vbi dicunt huiusmodi superiores per primam approbationem non adimere sibi potestatem ad illa postea irritanda; quamuis, si id absque iusta causa efficiant, mortaliter peccent; solùm enim per illam approbationem sibi obligationem imposuerunt, non irritandi ea licitè, nisi ex iusta causa, cum tamen ante illam sine iusta causa licitè irritare possent. Et ratio est, quia per illam approbationem, confirmationem, aut consensum patris non suppletur omnino imperfectio imbecillis iudicij filij; ergo hæc paterna confirmatio solùm impediet licitam irritationem absque iusta causa, non tamen validam, vt patet hoc exemplo. nam minoribus conceditur in iure restitutio, vt prospiciatur infirmo, & imbecilli eorum iudicio, & consilio *l. 1. ff. de minorib.* ibi: *Cum inter omnes constet fragile esse, & infirmum huiusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum, multisque insidijs expositum, auxilium eis prætor hoc pollicitus est.* At auctoritas curatoris, & interuentio iudicis non supplet perfectè hanc iudicij imbecillitatem; nam ea adhibita adhuc possunt beneficium restitutionis petere, vt probat multis textibus, & rationibus idem Sanchez *lib.6. de matrim disp.38. num.11.* Quod procedit etiamsi pater ipse sit tutor pupilli, vt expressè etiam habetur *l. Etiamsi patre 30 ff. de minoribus*; imò etiamsi pater sit curator ipsius minoris emancipati, vt docet Gregor. Lopez *l. 2. verbo, De su guardador, tit. 19. part 6.*

Greg Lop.

18. Nec obstant argumenta in contrarium adducta; nam ad primum respondeo consensum, & approbationem patris non supplere omnino, & perfectè imbecillitatem iudicij filij, sicut nec consensus tutoris, etiamsi pater sit, ita supplet perfectè iudicium filij minoris, vt ei non possit postea beneficium restitutionis competere, vt probatum manet. Ad secundum nego patrem tunc vsum esse tota sua potestate, non enim solam licentiam habet confirmandi ea vota, & iuramenta, sed etiam irritandi, non obstanti priori approbatione, & consensu; sed tunc, vt id faciant licitè, debent efficere ex causa: nam licet res post illum consensum, approbationémque, post factum votum, aut post datam licentiam ad illud faciendam (eadem enim de hac licentia & approbatione ratio est, vt de se patet) transeat in rem iudicatam, transit tamen in illam non simpliciter, sed ad hunc sensum, vt iam non maneat tam libera irritationis potestas, quàm antea; quia deinceps exigitur causa iusta, vt talis irritatio sit licita, non autem vt sit valida. Ad tertium nego esse plenè impletam eam conditionem. Ad quartum concedo ea vota, & iuramenta semper manere infirma, quamdiu pater viuit, dum vouens, aut iurans illa postea in ætate pubertatis non ratificat; id enim non est absurdum. Sicut non est absurdum, quòd ipsi etiam contrarij Doctores affirmant, vota aliorum subditorum, vt religiosorum, & vota seruorum manere semper infirma, quandiu subiectio durat; quamuis superiores, & domini millies ea confirment, aut licentiam antecedenter ad ea emittenda præbeant.

19. Dubitabis tamen an id procedat etiam in votis, & iuramentis promissoriis Deo factis pupillorum respectu tutorum, & curatorum, id est, an votum etiam, vel iuramentum promissorium Deo à pupillo in ætate impubertatis emissum, possit tutor, & curator illius postea in ætate pubertatis ipsius pupilli irritare, idque etiamsi pupillus ipse sit iam emancipatus, imò vxoratus, aut quocumque alio modo extra tutoris, & curatoris potestatem, dummodo nunquam fuerit postea à prædicto pupillo in ætate pubertatis ratificatum, etiamsi fuerit ab ipso tutore approbatum, & hac etiam de re est duplex opinio. Prima affirmat, quia eadem est omnino ratio de patre respectu filij, atque de pupillo respectu tutoris, & de minore respectu curatoris. Vnde si pater potest, vt hactenus diximus, poterit quoque tutor, & curator. Ita expressè loquendo de tutore tenet Angelus *verbo, Votum 2 num. 10.* loquendo autem de tutore, & curatore docet Syluester *verbo, Votum 4. quæst. 2. dicto 6.* vbi cum præmisisset potestatem irritandi competere Prælatis respectu religiosorum, viris respectu vxorum, patribus, tutoribus, & curatoribus respectu filiorum, & pupillorum impuberum, ait prædictos superiores non peccare irritando illa, ex iusta causa, etiamsi in illa consenserint. Supponit ergo in illis hanc irritandi potestatem; & huius opinionis est etiam expressè Lessius *tom. 2. de iustit. lib. 2. quæst. 40. dubitat. 14. num 82.* loquens etiam expressè de tutore respectu pupilli; & idem tenet etiam Nauarrus *in summa Latina, & Hispana, cap. 12. num. 71.* & Lud. Lopez 1. *part. instructorij cap. 48. col. 2. versiculo, Votum religionis.* Graphis 1. *part. decis. aurear. lib 2. cap. 29. num. 4.* Emanuel Sà *in summula, verbo, Votum*; vbi de voti irritat. *num. 5.* Llamas 3. *part. methodi cap. 4. §. 21.* Beia *in suis resp. 1. part. casu 49. versiculo, His ita prædeclaratis.* Qui omnes dicunt idem dicendum esse de patre, atque tutore. Et ratio illorum est, quia quoad omnia vota impuberum, illorúmve personas, gerunt tutor, & curator vicem patris, & rerum gubernationem in omnibus respectu pupillorum; ergo quod de patre respectu filij impuberis dictum manet, dicendum quoque est de tutore, & curatore, respectu suorum minorum, & pupillorum.

Angel. Syluest. Lessius. Nauar. Lud Lop. Graph. Eman Sà. Llamas. Beia.

20. At si loquamur de tutore respectu pupilli, negatiua opinio est verior, & tenenda, dummodo tutor ipse non sit iam curator. Ita docet Suar. *tom. 2. de Relig lib. 6. cap. 6 num. 24. & 25.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 4. cap. 30. num. 15.* Et ratio est, quia eo ipso quòd pupillus fit pubes, desinit tutor esse tutor, & incipit esse tantùm curator, cui non persona, sed bona tantùm pupilli subiiciuntur; amisso autem tutoris officio amittitur potestas irritandi vota, & iuramenta, facta etiam in impubertate, seu ante 14. annum in masculis, in fœminis verò ante 12. Pater autem etiam post pubertatem non desinit esse pater. Nec refert quòd amisso tutoris officio, adhuc maneat illius persona; quia vota & iuramenta non pendent à tutoris persona, sed ab officio, aliàs irritandi potestas non transiret ad tutorem sequentem, si intra impubertatis annos alter tutor daretur pupillo; remoto priori tutore ab officio tutoris. Cum ergo statim adepta pubertate à pupillo expiret

Suarez. Sanch.

prorsus officium tutoris, & maneat ipse tutor persona priuata, expirabit quoque conditio ab eo officio pendens, & potestas irritandi. Et confirmatur, quia in hoc distant tutor, & curator, quòd tutor datur principaliter personæ. Constat ex § *ad certum tempus, in fine, instit. qui testamento tutores.* ibi: *Persona, non causa, vel rei tutor datur*; secundariò autem datur rebus, vt constat ex §. *datus. inst. de excusat. tutor.* ibi: *Datus autem tutor, ad vniuersum patrimonium datus esse creditur*: at è contra curator datur principaliter rebus; secundariò personæ *l. In copulandis 9. C. Nuptijs*, ibi: *Nec curatoris qui solam rei familiaris sustinet administrationem*; id est qui præcipuè solam administrationem rei familiaris sustinet. Et
Gloss. ita docet expressè Glossa *in dicto §. Ad certum tempus, verbo, Persona*; & loquens de curatore
Molin. tradit Molina *tom. 1. de iust. disp. 220. colum. 4. versiculo, Curator præcipuè.* Insuper tutor datur in ætate pupillari; id est, vsque ad pubertatem, qua completa, cessat statim. Patet ex *instit. quibus modis tutela finitur*, ibi, initio; *pupilli, pupillæque cum puberes esse cœperint, à tutela liberantur*,
Aldobrand. & ita tunc ipso iure finiri latè probat Aldobrandinus *ead. in instit. in principio, num. 15.* & idem probatur ex *lege. Lucius 47. §. Paulus. ff. de administ. & periculo tutor.* vbi decernitur fideiussorem tutoris non teneri de iis, quæ tutor sponte sua post pubertatem administrauit; tenetur autem si officium tutoris non expirasset, & ex *l. ita autem, §. 1 tutor. ff. eodem titulo* vbi decernitur teneri tutorem admonere pupillum factum puberem, vt curatorem petat. Et ratio est, quia datum ad certum tempus cessat, ipso iure, eo tempore elapso. Cum ergo tutor vsque ad solam ætatem pubertatis detur, necessariò, ea comparata, cessabit: at curator datur puberibus, duràtque toto minoris ætatis tempore, id est, vsque ad 25. annum completum. Constat ex *inst. de curatoribus, initio*, ibi; *Masculi quidem puberes, & fœminæ viripotentes vsque ad vigesimum quintum annum completum curatores accipiunt.* Ex quibus patet solùm posse tutorem vota sui pupilli irritare, dum eius officium durat, durat autem solum vsque ad annum pubertatis completum.

21. Si verò loquamur de curatore dato minori post pubertatem, siue idem sit qui priùs erat tutor, siue alius; quidam existimant non posse huiusmodi curatorem irritare vota, & iuramenta personalia, vt castitatis, religionis, peregrinationis &c. facta ab impubere tempore quo ipse erat subiectus patri, vel tutori, quamuis nec ab ipso essent post pubertatem ratificata, neque à patre, vel tutore, vel ante, vel post pubertatem confirmata; quia ad curatorem tantùm pertinet administratio, & gubernatio rei familiaris pupilli, non gubernatio personæ. Curator enim non personæ, sed rebus datur *l. In copulandis 9. C. de nuptijs*, & ita curator vota personalia sui minoris irritare nequibit; poterit tamen irritare vota il-
Suarez. lius realia. Et ita docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 6. num. 24. & 25.* quem citat, sed non
Sanchez. sequitur Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 30. num. 15.*

22. Alij, & meliùs, existimant, posse ipsum curatorem, non solùm huiusmodi vota, & iuramenta realia, sed etiam personalia suorum minorum irritare; & ita docet expressè Sanchez modò al-
Syluest. legatus, & docet etiam Syluester *verbo, Votum 4. quæst. 2. dicto 6.* Et ratio est, quia pater potest irritare hæc vota, & iuramenta respectu filij post pubertatem; ergo & curator dum eius officium durat, id est, vsque ad 25 annum minoris completum: nam vsque ad hoc tantummodo tempus durat officium curatoris, quia, vt omnes authores fatentur, curator respectu sui minoris vicem gerit patris, & patri succedit, illíque æquiparatur in omnibus. Vnde si pater potest, potest etiam ipse curator, dum curator est: nam ea vota semper manent imperfecta, vt priùs erant ratione imperfecti iudicij, & pendentia à conditione; *nisi pater aut succedens patri in potestate irritauerit.* Nec refert quòd curator detur primariò ad rem familiarem minoris administrandam; non enim datur solummodo ad solas res minoris administrandas, sed datur primariò, & principaliter ipsis rebus sustinendis, & administrandis; secundariò verò datur personæ minoris, vt illa etiam dirigat, & gubernet, vt latè probauimus *num. 20.* & hoc sufficit, vt prædicta illius vota, & iuramenta irritare valeat, vt patet.

De matre an possit irritare vota, & iuramenta 23.
Deo præstita filiorum facta in impubertate, post pubertatem illorum, etiamsi iam sint extra illius potestatem, imò emancipati, & vxorati, si nunquam transacta imbubertate ab ipsis fuerunt ratificata, aut à matre, vel in ipsa impubertate, vel extra illam confirmata, est dubium. In quo certa est pars negatiua, tenendo sententiam asserentem matrem nulla vota filiorum irritare posse, nisi sit tutrix, aut curatrix ipsorum: nam si fuerit tutrix, aut curatrix, quod de aliis tutoribus, & curatoribus dictum manet, de matribus tutricibus & curatricibus dicendum est; quia eodem prorsus modo expirat officium in illa, atque in istis.
Ita docet optimè Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4.* Sanch.
cap. 30. num. 17.

Tenendo verò sententiam, quæ asserit, posse 24.
illam vota, & iuramenta promissoria Deo præstita irritare; quamuis ipsa non sit tutrix, aut curatrix, vbi nullus est tutor nulliúsve curator, potest esse non leuis difficultas; quia, cum tunc iure matris irritet, & semper maneat mater, videtur eadem potestate materna gaudere, vt possit ea irritare post transactam impubertatem. Id tamen verum non credit Sanchez allegatus, quia cum vniuersi Doctores minorem illi tribuant in hoc potestatem, quàm tutori, cum absque dubio asserant dari potestatem in tutore ad irritanda ea vota, & iuramenta, & valde dubitent de potestate matris, quando non est tutrix, & tantùm eam illi pauci admodum concedant, quasi tunc gerat vicem tutoris, licèt tutrix non sit, quia impuberem gubernat; sequitur non esse illi ampliorem potestatem concedendam, quàm tutori, cui *num. 20.* negauimus posse prætereIapsa impubertate vota pupilli, & iuramenta promissoria Deo præstita irritare. Deinde, quia mater transacta impubertate nec personæ, nec rerum filij curam habet, & ideo dicendum est, eam minimè posse irritare vota realia puberis, quæ curator potest etiamsi nullus sit curator.

Quid de votis & iuramentis filiorum impube- 25.
rum implendis in tempus pubertatis siue realia, siue personalia sint, vt si voueant aliquid exequendum, cum adoleuerint, & ad pubertatem peruenerint. v. c. castitatem, religionem, aut eleemosynam? Respondeo hæc eodem modo irritari posse à parentibus, tutoribus, & curato-
ribus, quo hactenus diximus. Ita Syluester *verbo,* Syluest.
Votum 4. quæst. 2. & verbo, Religio 2. num. 15. ex

Panor

Panorm. Nauar. Sanchez. Soto. Lessius. Azor. Suarez. Panormitano *in capite, Scripturæ 4. de voto, & voti redemptione.* Nauarrus *in summa Lat. cap. 12. num. 67.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 30. num. 51.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 3 art. 1.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 1. cap. 40. dubitat. 14. num. 84.* Azor *tom. 1. Inst. moral lib. 11 cap. 17. quæst. 8.* Suarez *tom. 2. de Relig. cap. 6. num. 6.* Et ratio est, quia hæc vota, & iuramenta verè ab impubere fuerunt emissa, & habent illius ætatis imperfectionem. Cum ergo tractu temporis nulla mutatio in illis facta sit aduentu ipsius impubertatis, potest pater, & qui loco parentum sunt, illud irritare post pubertatem, sicut de reliquis impuberum votis diximus, dummodo ea in ipsa pubertate non ratificauerint, aut pater illa confirmauerit. Vnde si extra impubertatem à patre non irritentur, & ipsi impuberes ea tunc ratificent, obligabunt; solus tamen Viualdus *in candelabro aureo, 3. part. cap. 4. num 99.* ausus est dicere non posse patrem irritare vota personalia de ingredienda religione, aut seruanda castitate, & similia personalia filiorum impuberum dilata in tempus pubertatis: sed nullam rationem, nec fundamentum pro se affert, vt inquit Suarez allegatus.

26. Idem dicendum est de votis Religiosorum, quæ referuntur ad tempus, quo non fuberunt prælatis; quia hæc vota in fauorem religionis similem conditionem habent, *nisi Prælatus contradicat,* & à principio fuerunt facta tempore subiectionis, & habent illius temporis imperfectionem, quæ non sufficit ad obligandum, nec postea tractu temporis illam exuerunt. Ita docet Lessius, Syluester, Panormitanus, Nauarrus, & Sotus allegati.

27. Dubitabis tamen, an si quis tempore pubertatis emittat votum non petendæ irritationis voti, aut iuramenti personalis à se vel in impubertate, vel in pubertate præstiti, censeatur ita vota sua ratificare vt deinceps non possint irritari, sicut antea poterant. Respondeo primò manifestum esse hoc posterius votum irritari non posse; quia post pubertatem fuit emissum; & ideo etiamsi dicamus non censeri per illud confirmari, & ratificari prius votum, non licebit tamen irritationem illius prioris petere, nisi priùs impetretur dispensatio, aut fiat commutatio huius posterioris voti. Respondeo secundò, in vtroque casu, id est, siue per posterius votum ratificetur primum, siue non ratificetur, esse validam irritationem si ante dispensationem voti non petendæ irritationis ipsa obtineatur, non tamen licitam; quia violatio posterioris voti non impedit valorem irritationis; sed tantùm efficit, vt peccatum committatur contra votum illam non petendi. Respondeo tertiò, per illud posterius votum non petendæ irritationis censeri primum votum ratificari, modò intentio vouentis fuerit illa non vti etiam si offeratur: nam necesse omnino est, vt votum posterius ratificatum, & confirmatum censeatur, quòd votum posterius ex intentione vouentis fuerit, non solùm non petendi irritationem, sed etiam illa non vtendi: si enim fuit solùm non petendi vt verba sonant, non erit ratificatio voti, quia per ut votum non omnino excluditur irritatio, si illam superior propria sponte, aut alio non ex industria vouentis petente, concedat: potest enim superior, aut pater sponte sua tam prius, quàm posterius votum irritare, si voluerit, cum posterius solùm obligauerit vouentem ad non petendum licitè, nec per se, nec per alium hanc irritationem, non tamen abstulerit patri potestatem irritandi. Ita docet expressè Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 30. num. 54. & 55.* & videtur docere Suarez *tom. 2. de Religion. lib. 6. cap. 6. num. 13. fine,* vbi hoc dubium versans, quando censeatur votum confirmari, hæc ait. *Necessaria est expressè confirmatio per voluntatem, qua quis deliberet non amplius velle irritationem; sed absolutè obligari;* Vbi videtur petere, vt votum non petendi irritationem ex intentione vouentis, non solùm sit non petendi; sed etiam non vtendi illa, si sponte à potente concedere offeratur. Sanchez. Suarez.

In dubio autem iuxta sensum verborum est iudicandum, vt per votum non petendi sola petitio excludatur, & sic non est confirmatio, nec ratificatio voti, vt optimè animaduertit idem Sanchez *dicto numero 55. ad finem,* quia quando non constat, nec constare potest, de intentione vouentis, ad id, quod verba sonant, nobis recurrendum est, vt suprà probauimus. 28 Sanch.

Si autem votum, & iuramentum posterius, fuit solùm de non petenda dispensatione, aut commutatione, non est prioris voti confirmatio, & ita poterit irritari; quia si vouens fuit conscius, & memor remedij irritationis, cùm id non excluserit, apertum signum est, eum voluisse, ita votum suum confirmare, vt possit prædicto remedio irritationis vti; si fuit immemor, aut ignarus, nec verbis, nec intentione irritationem exclusit; & ideo semper illud inclusit, & illo vti potest si voluerit. Et ita docet Sanchez *dicto tom. 1. Decalogi libro 4 cap. 30. num. 56.* Si posterius votum fuit de non petenda irritatione, dispensatione, & commutatione, adhuc standum est intentione vouentis; nam si intentio illius fuerit non solùm hæc non petere, sed etiam illis non vti, etiamsi concedantur, erit ratificatio, & confirmatio prioris voti, vt patet. Si solùm fuerit illa non petere, non erit confirmatio, & poterit licitè illa acceptare si sibi, se non petente, concedantur. Si est dubius de sua intentione, iuxta sensum verborum id iudicandum est, vt scilicet, per votum non petendi sola petitio excludatur, non autem vsus horum beneficiorum, si à potentibus illa dare offerantur; si contra votum posterius nihilominus illa petantur, valebunt quidem, si dentur, & solùm contra votum peccabitur. 29. Sanchez.

30. Sed quid de votis puberum? Respondeo, vota puberum tam realia, quàm personalia non posse à parentibus irritari, nisi quatenus disciplinæ domesticæ, & patriæ potestati officiunt, quia huiusmodi puberum vota solùm subsunt parentibus ratione materiæ, non ratione dominij in voluntatem, nec ratione imperfecti iudicij, cum puberes ex dispositione iuris perfectum iudicium habeant ad validè vouendum. Quamobrem vota personalia religionis, castitatis, sacrorum ordinum, certarum precum, confessionis, communionis, & similia, irritari non possunt; secus de votis ieiuniorum, præsertim dierum multorum, peregrinationum, & vestitus non communis, & similibus, quia illa ad gubernationem domesticam non pertinent, hæc pertinent. Ita Syluester *verbo, Votum 4. quæst. 2. & 6.* Nauar. *in summa Lat. cap. 12. num. 64. & 70.* Ludou. Lopez *1. part. Instruct. cap. 47.* quos omnes citat, ac Syluest. Nauar. Lud. Lop.

Leſſius. Suarez. D. Thom. Sanchez.

ſequitur Leſſius *tom.1.de iuſt lib. 2. cap 40 dabit.14 num.85.* Suarez *tom 2.de relig.lib 6. cap 5. num.9 & 11.fine.& cap 5.num.13.* D. Thom.2.2. *quæſt.189. artic.2.* & Sanchez *tom. 2. Decalegi lib.4. cap.30. à num. 12. & deinceps*, & ſpeciatim *num 16.*

31. Realia irritari poſſunt, niſi bona habeant caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia; quia de his poterunt vouere, & patres, aut curatores illorum vota non poterunt irritare; licet enim concedatur in iure reſtituno ob imperfectum iudicium puberum minorum in alienatione circa peculium caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe; vt docet Sanchez *tom.2. Decalogi cap.30. num. 12.* & Couarruuias *lib.1.cap.5.num.8.* Paz *in prattica tom. 1. part. 2. tempore 2.num.12.* & Caldas *l. Si caratorem, verbo, Implorare à num.38.C de in integr.reſt.* tamen ipſe Sanchez, & omnes fatentur vota de hoc peculio à pubere emiſſa nequire patrem irritare. Et ratio eſt, quia hæc reſtitutio conceditur in iure *l.1 ff.de minoribus*; nullibi autem conceditur in iure irritatio horum votorum ipſis patribus, aut curatoribus. Secus tamen erit de votis realibus relans in tempus, quo erunt ſui iuris; hæc enim tunc obligabunt, nec poſſunt irritari à parentibus, & curatoribus, cum non officiant illorum adminiſtrationi. Ita auctores allegati, & Suarez *tom 2.de Religione lib.6 cap.5. num. 9. & num. 4. fine*

(Sanch. Couar. Pax. Caldas. Sanch. Suarez.)

32. Quæri hîc ſolet, an pater poſſit irritare vota filiorum puberum de peregrinatione terræ ſanctæ, videtur enim quòd poſſit, quia omnia vota quæ præiudicio ſunt gubernationi domeſticæ, & patriæ poteſtati. vt ſunt diuturna ieiunia, & peregrinationes, irritare patres poſſunt, vt ſupra *num.27.* diximus: & verò Suarez modo citatus *num.* 10 ait poſſe, modò tamen ſint de peregrinatione ſimplici, non verò de peregrinatione ſubſidiaria, id eſt, cauſa ſubſidij, quia hoc votum excipitur *in cap. Ex multa, de voto*, & id ipſum docet etiam Syluester *verbo, Votum 3. quæſt.6.* & Angel *verbo, Votum 2.num.5.* Nauarrus *in ſumma Lat. cap.12. num. 70.* qui omnes aſſeruot poſſe patrẽm votum irritare, cum eſt de ſimplici peregrinatione, non quidem directè, ſed indirectè ratione materiæ nociuæ patriæ poteſtati. Quare ſi votum fuit ob deuotionem, aut Religionem emiſſum, poterit pater illud irritare, ſecus ſi fiat cauſa ſubſidij; & hæc poteſtas irritandi vota filiorum puberum, tamdiu durat in patre, quandiu filius non eſt emancipatus: in curatore verò tamdiu durat, quandiu durat officium curatoris, id eſt, vſque ad 25. ætatis annum expletum tantùm ſui minoris; eo enim expleto curator deſinit eſſe curator.

(Syluest. Angel Nauarr.)

Capvt XXXIV.

Quatenus obligatio iuramenti Religioſorum & voti Deo præſtiti, tolli poſſit per irritationem ſuorum ſuperiorum.

Svmmarivm.

Vota ſemel directè, & ſimpliciter irritata non reuiuiſcunt. num.1. Secus quando non eſt vera irritatio, ſed ſuſpenſio. ibid.

Votum Religioſorum tranſeundi ad ſtrictiorem ordinem, non poteſt à ſuperioribus irritari. num.2. & 3.

Si ſummus Pontifex precepto, vel diplomate tranſitum ad ſtrictiorem religionem prohibeat abſolutè, votum tranſeundi ad illam non valebit. num. 4. Quid ſi alicui Religioſo in particulari id prohibeat. ibid.

Quid ſi à Papa prohibeatur tranſitus ad arctiorem Religionem abſque ſpeciali ſua licentia. num.5.

Superiores Religionis, an poſſint vota, quæ emittuntur iuxta ſuas conſtitutiones vltra tria eſſentialia irritare, vt in Religione Minorum, votum vitæ quadrageſimalis. num.6.

An poſſint irritare omnia alia vota ſuorum Religioſorum, etiam non ludendi, non iurandi, non mentiendi, & alia omnia, quæ nec regimini Religionis, nec regulæ repugnant. num.7.8.9.10

An ſuperiores Religionum poſſint irritare vota ſuorum Religioſorum de ſeruandis ijs, ad quæ ex regula tenentur. num.11. Quid ſi regula talis ſit, vt ſuperior in ea non poſſit diſpenſare. ibid.

Quid de votis, quæ Religioſi emittunt eundi in terram ſanctam cauſa ſubſidij. num.12.13

An obliget votum quod Religioſi emittunt faciendi aliquid ſuæ regulæ contrarium, vt orare in choro eo tempore, quo ex regula tenentur alibi eſſe. numero 14.

An poſtquam Prælatus ſemel in votum ſui Religioſi conſenſit, poſſit illud iterum irritare. num.15. 16.17.

Quid ſi ſuperior quando conſenſit, dicat per talem conſenſum ſe velle priuare ſua poteſtate ad illud poſtea irritandum. num.18.

Quid ſi votum Religioſis fuerit collatum in tempus, quo erunt ſui iuris; hoc eſt, quo erunt Epiſcopi, an poſſit adhuc à ſuperioribus irritari. num.19.

An ſicut omnibus votis Religioſorum ineſt tacita conditio, niſi ſuperior contradicat, ita poſſit quis ſtatuere, vt ſimilis conditio ſuis inſit reſpectu ſui confeſſarij. num.20.

Quando, & quomodo cenſeatur ſuperior conſentire in votum ſubditi. num.21. An ſufficiat taciturnitas, & diſſimulatio ſuperioris, & quod videat illud à ſuo religioſo exequi, & votum ſciat. numero 21.

Quid ſi concedat ſuo Religioſo, vt opus faciat ignorans religioſum ad id iam ex voto teneri. numero 22.

Quid ſi prælatus voti conſcius licentiam tribuat religioſo ad faciendum opus quod vouit. num.23.

Quid ſi ſuperior in votum conſentiat, & religioſus illius conſenſum ignoret. num. 24. Quid ſi fictè conſentiat. ibid.

PRÆMITTO imprimis tanquam certum, votum, & iuramentum Deo præſtitum ſemel irritatum nunquam amplius reuiuiſcere, etiamſi ſuperior ſuam irritationem retractet, & facultatem ſubdito tribuat exequendi illud; quia obligatio, quæ per veram, & directam irritationem tollitur, non ſuſpenditur, ſed extinguitur omnino, ac deletur, ſecus quando non eſt vera irritatio, ſed ſuſpenſio dumtaxat executionis, vt fit in votis nouitiorum, & in votis coniugis emiſſis ante contractum matrimonij; ea enim vota non poſſunt ſimpliciter irritari, ſed ſuſpendi tantummodo, ſi materia illorum obſit ſuperioribus, quia emiſſa ſunt ante ſubiectionem, cum perſonæ adhuc erant ſui iuris: tunc enim cum nec voluntas perſonæ vouentis, nec materia voti eſſet alteri ſubiecta, contracta eſt obli- 1.

gatio

gatio absolutè, & independenter à consensu alterius, & ita non potest ab eo simpliciter irritari, sed tantùm suspendi, secus verò in iis, quæ emittuntur, quando voluntas personæ est alteri perfectè subiecta; quia tunc non potest obligatio contrahi per actum vouendi, nisi sub tacita conditione consensus alterius, vt patet, & infrà magis constabit. Ita Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. c. 40. dubitat. 12. num. 71. in editione Parisiensi.* Sanch. *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 20.* Suar. *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 7. num. vltimo.* Lessius. Sanch. Suar.

2. Præmitto secundò tanquam certum etiam, & indubitatum, apud omnes Doctores, non posse superiores religionum irritare votum religiosi transeundi ad strictiorem religionem; quia cum ius canonicum libertatem transeundi ad strictiorem religionem, petita, & non obtenta, concedat *in cap. Licet, de regularibus*, & nulla in hoc religiosorum voto conditio inuoluatur, quæ ex libero superiorum arbitrio, & voluntate pendeat, quamuis per professionem perpetuum dominium propriæ voluntatis superioribus tradatur, semper is transitus intelligitur exceptus. Vnde cum huiusmodi votum sit absolutum, deficit in eo radix potestatis irritandi illud, quæ nulla alia est quàm conditio in omnibus religiosorum votis imbibita, & subintellecta pendens ex arbitrio superiorum, *nisi meus superior contradicat.* Ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 2.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 74. versu, Altera est in mea editione fol. 548. col. 2. in fine* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 6. num. 23. & lib. 6. cap. 7. num. 9. & cap. 10. num. 16.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 3. art. 1. dub. 2. colum 5. versiculo, Tertius operum ordo* Paludan. *in 4. dist. 38. quæst. 4. art 4. conclusione 5. ad finem. num 43.* Azot. *tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 17. quæst. 18.* & alij multi, quos citat Sanchez allegatus. Sanch. Lessius. Suarez. Sotus. Palud. Azor. Sanch.

3. Obiicies. Etsi materia illa transeundi ad arctiorem religionem, non subdatur potestati, & libertati superiorum; subditur tamen noua illa obligatio transeundi ad alium ordinem, quam quisque sibi per tale votum imponit: quam obligationem non videtur à superioribus religiosorum eximere textus ille *in cap. Licet de regularibus*: sicut etiam, quamuis materia præceptorum diuinorum, v. c. non furandi, non mentiendi, non peierandi, & voluntas ferendi illa sint exempta à superiorum dominio, & voluntate, non tamen est exempta noua illa obligatio, quam quisque religiosus per votum non furandi, non mentiendi, non peierandi sibi imponit. Vnde si aliquis vota non furandi emitteret, posset superior ea illi irritare, vt infra dicemus *n. 7.* Respondeo eam quoque nouam obligationem, quam quisque sibi per illud votum transeundi ad aliam religionem imponit, exemptam esse in eo textu, vt testatur visus & praxis Ecclesiæ; alioqui quod per vnam viam religiosis concedit, per aliam eis adimeretur. Et ratio est, quia textus ille voluit, vt nullatenus præcluderetur transitus ad arctiorem religionem; præcluderetur autem sine dubio, si posset liberè superior tale votum irritare; tunc enim per vnam viam religiosis denegaretur id, quod per aliam eis concederetur, quod non est dicendum; at noua obligatio non furandi, non mentiendi, non peierandi, quam quisque religiosus sibi per votum hæc non faciendi imponit, neque ex visu Ecclesiæ, neque ex communi approbatione, & calculo Doctorum superioribus adimitur, & ideo nihil mirum si hanc possint superiores per irritationem tollere, non autem illam. Ita docent auctores allegati, & speciatim Sanchez, & multi alij, quos ibidem citat.

Si tamen Summus Pontifex diplomate aliquo, aut præcepto vetet omnibus religiosis alicuius ordinis transitum ad arctiorem religionem, tunc regulariter loquendo votum transitus ad illam non valeret, quia ea prohibitione interposita vix iudicari poterit perfectior religio illa, cuius transitum Summus Pontifex absolutè prohibuit; talis enim interdictio supponit æqualitatem quandam, aut non esse eam distantiam tantam, quin, omnibus perpensis, melius sit in priori religione permanere, & ideo tale votum erit nullum; quia non esset votum transeundi ad strictiorem religionem. Dixi, *regulariter loquendo*, quia si vni tantùm religioso id prohibeat in ordine ad bonum, tam prioris, quàm posterioris religionis, & ad religiosorum quietem, tunc si in particulari constet de maiori alterius religionis perfectione, non est intelligenda ea prohibitio absolutè, vt sonat; sed censetur talis transitus interdictus absque noua licentia Summi Pontificis, & ideo votum post illam prohibitionem factum obligabit ad petendam de nouo eam licentiam, & ea concessa obligabit, sicut de votis rei prohibitæ docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 25. num. 8. & à num. 24.* & ita docet Suarez *tom. 2. de religione lib. 5. cap. 6. num. 24.* & idem Sanchez allegatus *cap. 33. num. 3.* 4. Sanch. Suar.

5. Et id à fortiori dicendum est, quando prohibitio Pontificis non esset absoluta; sed esset prohibitio tantùm transitus absque pontificis licentia; quia tunc non est iudicium æqualitatis, aut ferè æqualitatis à Pontifice indicatæ; sed iudicium est voluisse eum in ea prohibitione consulere tantùm quieti religiosorum; quare si post eam prohibitionem illud votum emittatur, obligabit quidem ad petendam eam licentiam de nouo; & ea concessa similiter obligabit, ea negata non obligabit. Ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap 33. num. 3. fine.* Sanch.

6. Præmitto tertiò, tanquam certum etiam, & indubitatum, non posse Prælatos religionum irritare ea vota, quæ vltra tria essentialia emittuntur in aliquibus religionibus iuxta earum constitutiones à Sede Apostolica approbatas, vt in religione Minorum votum vitæ quadragesimalis; in religione Carthusianorum votum abstinentiæ à carnibus; in religione Sanctissimæ Trinitatis in Lusitania & Mercenariorum in Castella, votum redemptionis captiuorum; in Societate IESV in professis quatuor votorum solemne votum obediendi Romano Pontifici circa missiones, & ab omnibus professis alia vota simplicia, quia in his omnibus tam materia, quàm actus vouendi sunt omnino exempta à superioris dominio, & voluntate; cum iuxta constitutiones à Summo Pontifice approbatas ea vota sint adnexa tali statui religioso. Ita Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. c. 33. num. 5.* Sanch.

7. His præmissis difficultas est, an omnia alia vota, & iuramenta Deo præstita, ac emissa à religiosis post professionem, etiamsi nec regulæ, nec præcepto, nec regimini domestico superiorum repugnent, imò etiamsi sint de vitando aliquo peccato, vt non mentiendi, non furandi, non murmurandi, non peierandi, & similia, possint superiores religionum respectu suorum sub-

ditorum pro mero suo arbitratu, & nulla subsistente causa, irritare. Qua de re partita est sententia. Prima affirmat, & hæc est probabilior opinio; addit tamen ea vota dum à superioribus non irritantur, si gubernationi domesticæ, præcepto superiorum, aut regulæ obuiot, obligare. Ita docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib 4. cap 33. n. 7.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 6. cap. 7. num. 7.* D. Thom. *2 2 quæst 88 art. 8 ad 2 & 4 & dist. 38. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. vltima ad 3.* & ibi Palud. *quæst. 4 art. 2. num. 24.* Abulensis *in cap. 30. Num. quæst. 65. ad 3. & quæst. 72.* Turrecremata *capite, Cum sunt quadam 17. quæst. 1. num. 4.* Syluester *verbo, Votum 3. quæst. 3.* Tabiena *verbo, Votum 5. quæst. 4 num 5* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 3. art. 1. dub. 2. colum 5 versu, Quartum operum genus est,* Nauarr *in summa Lat. cap 12. num. 65* Medina *lib. 1. summa cap. 14. § 6. fol. 87.* Aragon. *2. 2. quæst. 88. art 8. dub 1. concl 4. fol mihi 1018.* Graphis *1. part. de. is. aur. lib. 2. cap. 29. num 7* Lud. Lopez *1. part instruct. cap 48. col. 3. versiculo, Materia voti* Manuel Rodrig *tom. 2. summa cap. 89. num. 5.* Ouandus *in 4 dist 38. disput. vnica proposit. 19. fine.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. c. 17. quæst. 7* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 74 versu, Altera est.* Sayro *in claui regia lib. 6 cap 10 num 9* Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 6. punct 6. quæstiuncula 5.* Philiarchus *de offic sacerd. tom. 1. part. 2. lib 3 cap 4. ad finem.* Cortadus *in suis respons 1. part. quæst 299.* Veiga *tom. 2 summa cap. 129. casu 9.* Llamas *in methodo curat. 3. part. cap. 4 § 25.* Ratio est, quia voluntas religiosi in suscipiendis nouis obligationibus debet esse perfectè dependens à mera voluntate prælati, ita vt nullam nouam obligationem suscipiat, quæ à prælato irrita reddi non possit, licet interim religiosus ea obligatione adstringatur, vt adstringitur in iis quæ nec regulæ, nec superioris præcepto, aut domestico regimini repugnant; nam etsi illa voti aut iuramenti Deo præstiti materia non subditur prælato, quatenus est materia præcepti v. c. non mentiendi, non furandi, subditur tamen quatenus est noua voti obligatio. Secundò, quia nemo negabit obligationem horum votorum, non furandi, non mentiendi &c. subdi dispensationi Ecclesiæ, quamuis in illorum præceptis Ecclesia dispensare nequeat, quod non aliunde prouenit, nisi quia noua illa voti obligatio materiæ præceptorum superaddita, procedens à subditi voluntate, subiicitur Ecclesiæ potestati, ergo & irritationi prælati habentis dominatiuam potestatem in religiosorum voluntatem; & ita propriè, & directè huiusmodi vota religiosorum, & iuramenta Deo præstita à suis superioribus irritantur, vt nunquam amplius reuiuiscant, sicut nec reuiuiscunt alia quæ directè irritantur, vt docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 2 cap. 16. num. 3. & 4. & cap 33. num. 10.* & nos infrà docebimus.

8. Secunda sententia asserit huiusmodi vota non mentiendi (non furandi, non murmurandi, non peierandi, & idem erit de omnibus aliis, quæ nec regulæ, nec præcepto superioris, aut domesticæ administrationi repugnant) non posse à superioribus irritari. Eam docet Caiet. *2 2 quæst. 88. art. 8. dubio vltimo.* Fumus *verbo, Votum, num. 9.* Palatios *in 4. disp. 3. col. 22. versu, Verum in operibus fol. mihi 873.* Angles *in floribus 2. part. q. vnica de voto art. 7. difficultate 2. conclusione 3.* & dicit esse probabilem Petrus de Ledesma *tom. 2. summa, tractatu 10. cap. 7. dub. vltimo, dicto 1.* & illam valde probabilem appellat Sanchez *dicto tom 2. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 6.* quamuis immerito eam falsam appellet Sayro *num præcedenti* allegatus. Et fundamentum huius opinionis est, quia materia voti, aut nullo modo superiori religionis subiecta est; neque enim potest superior præcipere, vt quis validè, & licitè furetur, mentiatur, aut murmuret: aut est omnino extra illius dominatiuam potestatem, quia nec regulæ, nec præcepto, nec gubernationi domesticæ religionis repugnat, ac proinde nouam obligationem circa illam materiam, quam quisque religiosus sibi per votum imponit, per irritationem tollere non potest. Sed hoc fundamentum iam omnino solutum est, quia licet materia voti sit omnino extra subiectionem superioris, attamen noua illa obligatio, quæ ex voto, aut iuramento Deo præstito resultat, non est extra superioris dominationem, vt ex dictis patet.

9. Et verò quidam occasione ex hac secunda sententia desumpta, ita amplius procedunt, vt asserant religiosos, nec validè, nec meritoriè posse vota aliqua, aut iuramenta Deo præstita emittere absque sui superioris licentia, & consensu, & ante illius consensum nullam vim, aut obligationem habere; & id confirmant *ex cap. Monacho 2. 20. quæst. 4* vbi dicitur: *Monacho non licet vota vouere sine consensu Abbatis sui; si autem vouerit, frangendum erit.* Confirmant, quia monachus non habet propriam voluntatem; sed eam totam transtulit in Abbatem. Cum autem non habeat velle, ac nolle, sequitur manifestè non posse validè vouere absque sui superioris licentia. Ita Richardus *dist. 38. circa quartum principale quæst. 1.* Maior *eadem dist. quæst 4.* & Angelus *verbo, Votum 2. § 3.* Sed hæc opinio non est vera, & canon ille est dubiæ auctoritatis, vt docet Lessius *tom. 1. de iustit. lib. 2. cap. 40 dub. 13. initio, versu, Dices;* non enim est alicuius Summi Pontificis, aut concilij; neque est sancti Basilij magni, etsi Gratianus id insinuet, quia in toto Basilio non reperitur nomen Abbatis. Dici autem potest cum Glossa ibi, caput illud intelligendum esse de voto abstinentiæ, quo cæteri scandalizabantur; nec monachus ita transtulit suam voluntatem in superiorem, & suo se velle, ac nolle priuauit, quin in multis, quæ superior non vetuit, sui sit arbitrij, & validè vouere possit, licet omnia illius vota superior queat irritare.

10. Dicendum igitur est, religiosos validè, & meritoriè posse multa vouere, & Deo iuramento promittere, nempe omnia ea, quæ nec regulæ, nec præcepto superioris, aut gubernationi domesticæ illius repugnant, quia vouere per se est opus consilij, & aliàs non est religiosis prohibitum, vnde votis à se emissis obligantur, etiam antequam superior consentiat, aut voti conscius fit. Ita docet Lessius modò allegatus, Paludanus *in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 2.* Syluester *verbo, Votum 3. quæst. 3.* Caietanus *2. 2. quæst. 88. art. 8.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 3. art. 1.* Nauarr. *in summa Lat. cap. 12. num. 67* quos omnes citat prædictus Lessius allegatus, & alij passim.

11. Ex dictis in nostra opinione *num. 6.* explicata, deducitur primò, quid dicendum sit de votis, aut iuramentis promissoriis seruandæ alicuius rei regula præceptæ; hæc enim multi religiosi sæpe in ea regula emittunt, cùm videant sæpe in ea regula deficere; nam etiamsi Caietanus *2. 2. quæst. 88. art. 8. dubio vltimo*, & Bartholomæus Fumus, *verbo, Votum, num. 9.* retinendo suam opinio

opinionem *num.7.* explicatam, asserant, si regula talis sit, vt superior in ea possit dispensare, posse tunc superiorem tale votum irritare; secus si in ea non possit dispensare, quia tunc materia voti est extra illus potestatem. Attamen absolutè in nostra opinione *num 6.* explicata dicendum est in vtroque casu posse superiorem religionis ea vota suorum religiosorum irritare; quia licèt materia voti sit extra illos potestatem, non est tamen noua illa obligatio, quæ ex tali voto in suo Religioso vouente resultat, vt dictum manet. Azor. Sanch. Suarez. Ita expreisè docet Azor *tom.1. Inst. moral.lib.11.cap.17. quæst.17.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib.4.cap.33. num* 8. Suarez *tom. 2. de Religione lib.6.cap.7. num.7. & 8.* & ita indistinctè loquentes tradunt Sotus. Sotus *lib. 7. de iustit. quæst.5. artic.1. dub.2. column.4. versiculo, His de potestate.* Aragon. Philiarc. Aragonius 2. 2. *quæst.88. artic. 8. dub.1. conclusione 6.* Philiarchus *de officio sacerdotis tom. 1. part. 2. lib.3. cap 18. versu, Vndecimò peccat.*

12. Quidam auctores dicunt liberum esse Religiosis omnibus officio prædicationis fungentibus votum emittere eundi in subsidium Hierosolymitanum, & exequendi illud absque sui Abbatis & superioris licentia, & nequire subinde superiorem tale votum irritare. Fundamentum accipiunt ex *capite, Multa, de voto.* Quamuis enim prædicti Religiosi pugnare non valeant, satis tamen auxilij pugnantibus afferunt suis exhortationibus, & interdum plus pugnant dum alios accendunt lingua exhortando, quàm gladium manibus stringendo. Hostiens. Ioan.Andr. Et ita docet Hostiensis eo *capite, Multa, num. vltimo;* & ibi Ioannes And. *num.6 fine,* & idem Hostiensis *in cap fin. num 1. eodem titulo;* & Ioannes And.*num.2.* Ancharranus Anchar. Ananias. *num 5.* Ananias *num.2.* & alij.

13. Abbas. Rosell. Syluest. Sanch. At meliùs Abbas *eo cap fin. eodem num.2.* Rosella *in summa, verbo votum 2.num vltim.* Syluester *verbo votum 3.quæst 4.* Sanchez *tom 1.Decalogi lib.4. cap.33. num. 9.* asserunt id non esse verum de simplicibus Religiosis, sed de solis Prælatis regularibus, & non hodie, sed olim, quando erat generalis licentia summi Pontificis eundi in id subsidium; hæc enim licentia iam hodie disparuit.

14. Ex tradita doctrina, aliqua dubia emergunt. Primum est, an obliget illud votum, quo Religiosus vouit aliquid suæ regulæ contrarium (idem de iuramento promissorio Deo præstito; quod enim semper de vno dicimus, de alio dictum censeatur) vt orare in templo ea hora, qua debet esse in choro; aut esse in choro ea hora, qua ex præcepto superioris debet esse in cubiculo. Lessius. Respondet Lessius *tomo 1. de iustit. lib.2. cap.40. dub.13. num.73 vers. Aduerto tamen,* si id vouit, vt clam, insciente superiore illud exequatur, tale votum, & iuramentum esse irritum, quia est de materia prohibita; & in hoc bene Lessius respondet: si verò simpliciter vouit, non posse id exequi, nisi priùs superior consentiat, & in regula dispenset, tenerique proinde tale votum superiori indicare: ad hoc enim censetur se tacitè voluisse obligare, alioquin frustra factum esset tale votum si ad nihil obligasset. Puto tamē votum hoc, cum sit de materia prohibita simpliciter non obligare; nec teneri id manifestare superiori; nam cum materia sit simpliciter extra vouentis potestatem, ad illam se nō potest obligare; quid enim refert, vtrùm vouerit se id clā exequi, an simpliciter, & corā superiore, cum materia talis voti ratione prohibitionis nō sit in potestate vouentis? Imò maior iniuria superiori fit, si id voueat coram illo exequi, quàm si clam. Illud certum est, nempe, si vouit aliquid quod initio non erat prohibitum, postea tamen prohibetur, non obligare votum quandiu durat prohibitio, cessante tamen prohibitione rursus obligationem voti reuiuiscere; quia non fuit irritatum à superiore, nec per eam prohibitionem ignarus voti illud irritare intendit, sed solum consopitum manet & suspensum ob mutationem materiæ. Ita Lessius allegatus. Lessius.

15. Secundum dubium est, an postquam Prælatus semel consensit in votum, possit illud postea irritare. Richard. Negat Richardus *distinct. 38.* circa quartum principale *quæst.3.* & alij recentiores, & debent negare omnes, qui dicunt postquam pater semel consensit, & approbauit vota filiorum impuberum, non posse ampliùs ea irritare, siue consensus, & approbatio illa fiat ante annos pubertatis, siue post illos, & hi sunt Suarez Suarez. Sayro. Philiarc. *tom 2. de Relig. lib. 6. cap.6. num. 15. & 16.* Sayro *in claui regia lib.6.cap.10. num.28.* Philiarchus *de officio Sacerdotis tom.1.part.2.lib.3.cap.18 versu, Quoad vota filiorum.* Et ratio est, primò, quia postquam Prælatus semel consensit, non ampliùs votum est pendens ex illius voluntate; sed transit in absolutum, & quasi in rem iudicatam; tacita enim conditio, quæ inerat voto, *si superior non contradixerit,* impleta est; igitur Prælatus nil amplius habet, quod circa illud agat. Secundò, quia si subditus ex consensu Prælati aliquid homini promitteret, non posset superior eam promissionem ampliùs reuocare; ergo neque si Deo aliquid promittat; & confirmatur hæc sententia omnibus illis rationibus, quas adduximus *cap.præced.n.16.* Est probabilis ista sententia.

16. Secunda sententia verior, & probabilior, docet, etiam post consensum semel præstitum posse superiorem irrita reddere subditorum vota; sed tunc ex iusta causa; nam si sine causa iusta id faciat, peccabit quidem mortiferé, valebit tamen irritatio. Ratio est primò, quia saltem per illum consensum se obligauit ad non irritanda ea vota sine causa. Secundò, quia superior per consensum priorem non desinit esse superior, nec censetur amisisse ius illud, quod habebat in subditum quoad illam actionem. Si ergo superior post illum consensum, illam vetet, inferior tenetur obedire. Tertiò, quia nouus successor potest irritare votum Religiosi, in quod superior decessor consenserat, absque iusta causa, vt auctores contrariæ opinionis fatentur: & docet expresè Lessius Lessius. *tom.1.de iustit. lib.2. cap 40. dub.13. num.76. versu, Peccabit tamen.* Vbi asserit non peccare superiorem successorem, si sine iusta causa votum confirmatum à suo decessore irritet. Ergo etiam idem poterit ipse decessor dum adhuc præest; sed tamen tunc ex iusta causa propter consensum à se præstitum; non enim minor est potestas prioris, quàm posterioris, nec minùs vota illa pendebant à priori prælato, quàm à posteriori absolutè loquendo. Probatur ex Diuo Augustino D.August. *quæst.59. in Numeros,* vbi apertè docet maritum posse irritare votum quod vxor in puellari ætate cum consensu patris emisit; & loquitur D. Augost. de votis ieiuniorum, & similibus, in quibus vir est caput mulieris. Idem ergo dicendum est de omnibus superioribus; & ita docet Lessius Lessius. Panorm. Syluest. Caiet. *tom. 1. de iust. lib.2. cap.40. dubitat. 13. num. 76. & 77. in Parisiensi editione.* Panormit. *in capite, Charissimus num.4. de conuersat. coniugator.* Syluester *verbo, votum 4. quæst.2.* Caietan. 2.2. *quæst, 88. art.8.*

Nauar.

Nauarr. Sotus. Fumus. Azor. Nauar. *in summa Lat. cap.* 12. *num.* 62. Sotus *lib.* 7. *de inst. quæst* 3. *art.* 1. Fumus *verbo*, *Votum num.* 12. Axor *tom.* 1. *Inst. moral. lib.* 11. *cap.* 17. *quæst.* 6. & omnes quos citauimus *capite præcedenti. num.* 17. Suarez. Suarez *tom.* 2 *de Relig cap* 3. *num.* 2.

17. Ad primam rationem contrariæ sententiæ respondeo per priorem consensum non fieri votum ita independens à voluntate prælati, vt illud ampliùs ex causâ non possit reuocare; neque ita fieri absolutum, vt nullo modo ampliùs pendeat ab aliqua conditione, alioqui non posset irritari à prælato successore, quod est falsum. Itaque manet in illo hæc tacita conditio, *nisi aliquando ex causa contradixerim*: non enim decet, vt lis detur inter subditum & superiorem in iis, in quibus aliàs ille superior est. Ad secundam respondeo esse diuersam rationem. Promissio enim facta homini ex consensu superioris, ideo validè Sanch. Lessius. Aragon. reuocari ab illo non potest, vt rectè docet Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 4. & Lessius citatus *num.* 77. *initio* contra Aragonium 2. 2. *quæst* 88. *art.* 8. quia superior in regendo subdito non sustinet personam illius hominis cui facta est promissio, & qui ex illa ius in rem promissam acquisiuit, vt loco illius, ius illi acquisitum possit remittere, respectu tamen subditi sustinet vicem Dei, & personam Dei repræsentat. Vnde cum Deus ex voto illo ius acquirat, sequitur, vt loco Dei possit remittere, ac tollere obligationem illam, quam ipse subditus sibi erga Deum per votum imposuit, & ius illud, quod Deus per votum acquisiuit: si tamen superior post consensum præstitum suo religioso ad promittendum aliquid homini, ante factam promissionem contradicat traditioni & executioni, non poterit licitè subditus superiore sic repugnante, & contradicente, exequi talem promissionem; quia traditio ipsius rei, & executio adhuc à superioris nutu, Lessius. ac voluntate pendet, vt bene notat Lessius citatus *dicto num.* 77. *in editione Parisiensi, versu, Ad secundam.*

18. Nec refert etiam, si superior, quando consentit, dicat se libenter consentire, & se ea in re velle priuare tota sua iurisdictione, & subditum suum ab illa eximere; quia cum adhuc religiosus maneat verè subditus, inefficax est ea cessio, & exemptio; vnde tenetur obedire, si contrarium imperet. Etsi enim maior superior possit subditum à potestate superioris immediati partim eximere, & partim eum illi subiicere, non tamen id potest respectu sui ipsius, & suæ propriæ potestatis; quia potestatem suam non habet à se, sed ab alio, & ea conditione illi ab alio censetur dari, vt sit penes ipsius arbitrium illam partiri, minuere, vel augere: si tamen subditus in ea actione efficeretur sui iuris, & omnino independens à superiore; tunc superior non posset validè irritare. Ita Lessius. Lessius *tom.* 1. *de inst. lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 16. *n.* 76. *versu, Nec refert.*

19. Sed quid si votum religiosi collatum sit in tempus quo erit Episcopus, & amplius non erit subditus? Respondeo adhuc posse à superiore pro mero suo arbitrio, & nulla subsistente causa irritari, quia nihilominus manet subiectus, quoad personam, & dum subiectus manet, illius vota irritationi sunt obnoxia, & ideo Doctores hunc casum non excipiunt, sed generatim loquuntur. Lessius. Ita docet Less. *tom.* 1. *de inst. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 13. *n.* 76. *vers. Similiter non refert* Sic patres possunt irritare vota filiorum impuberum quæ conferuntur in tempus pubertatis, vt si voueant aliquid exequendum, cum adoleuerint, vt diximus capite præcedenti, & docet idem Lessius citatus *dub.* 4. Lessius. Syluest. *num.* 84 & Syluester *verbo*, *votum* 4 *quæst.* 2. & *verbo*, *Religio* 2. *num.* 15. & Nauarrus *cap.* 12. Nauar. *num* 67. & Sotus *lib* 7. *de iustit. quæst.* 3. *artic.* 1. Sotus. Lessius. quos omnes citat Lessius hoc vltimo loco allegatus, quia sicut hæc vota filiorum impuberum semper secum deferunt hanc conditionem, *nisi pater contradixerit*; ita vota religiosorum hanc ipsam deferunt; *nisi superior, quatenus superior, contradixerit.* Nec refert quòd vota filiorum impuberum illam secum deferant ex dispositione iuris propter imbecillitatem iudicij illorum: nam in religiosis non est propter hanc imbecillitatem; sed propter maiorem subiectionem, ne in aliquo sint exempti à voluntate superiorum, & nouas obligationes sibi imponat illis inscientibus, & non consentientibus, vt iam diximus.

Sicut autem omnibus votis religiosorum inest tacita conditio, *nisi superior repugnet, aut contradicat*; ita potest quis statuere, vt suis votis similis conditio insit respectu sui confessarij; & id maximè fieri potest, quando aliquis valde est pronus ad vouendum: nam sub hac etiam conditione potest quis aliquid alteri promittere, præsertim si hanc suam conditionem explicet illi cui promissionem facit, & tale votum poterit à confessario irritari, nisi vouens postea renunciauerit illi conditioni, quod nunquam poterit efficere, nisi tempore voti, ita vt expresè sub illa conditione vouere intenderit, vt quoties postea voluerit eam conditionem excludat; vel nisi ita affectus sit, dum vouet, vt etiamsi recordaretur illius conditionis, quam respectu confessarij imposuit, nollet eam in hoc voto locum habere. In his enim euentibus, votum censebitur absolutum, nec confessarius illud poterit irritum reddere. Ita docet Lessius *tom.* 1. *de instit. lib.* 2. *cap.* 40. Lessius. *dub.* 13. *num.* 79. *in editione Parisiensi.* 20.

Dubium tamen speciale est, quando censeatur superior religionis consentire in votum subditi. 21. Respondent communiter Doctores, non sufficere taciturnitatem, & dissimulationem superioris, quamuis votum sciat, & illud non ignoret. nam potest tacere, & dissimulare. Primò, vt videat successum. Secundò, vt maturiùs circa suum consensum dandum, vel non dandum deliberet. Tertiò, quia nihil est quod superiorem obliget, vt statim consentiat, aut dissentiat, imò etiam cum expresè petitur consensus ad vouendum, sæpe potest differre responsum. Ita Lessius *dict. tom* 1. Lessius. *de inst. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 13 *num.* 78. & communiter omnes.

Pari modo non sufficit, vt faciat subdito potestatem exequendi opus, quod vouit, si votum ignorabat; quia etsi consentiat, vt subditus aliquod opus faciat, non tamen consentit in nouam obligationem, quam ipse subditus per votum sibi imposuit ad illud opus faciendum. Ita idem Lessius allegatus, & optimè. 22.

Si prælatus est voti conscius, & consentit in opus, licentiamque religioso tribuit faciendi illud, videtur tacitè consentire in obligationem voti: tunc enim ideo videtur in opus consentire, quia vult, vt votum impleatur; si tamen per hunc consensum in opus intendat expresè non consentire in votum, non confirmabitur tale votum. Ita docet Lessius allegatus; & ratio est, quia non potest stare dissensus expressus cum tacito consensu, vt patet. 23.

Sufficit tamen consensus superioris in votum, 24.

etiam

etiamsi talis consensus subdito non innotescat, vt subditus maneat obligatus; quia ad hoc non requiritur acceptatio subditi sicut in promissione, donatione, & aliis contractibus. Siue enim subditus acceptet illum consensum, siue repudiet, si superiori placet, votum verè confirmatur, & ratificatur: imò sufficit ad hoc consensus superioris internos, vt rectè docet Sanchez *lib. 9. de matrimonio disp.* 40 & Lessius citatus *dicto num.* 78. Ratio est, quia iste consensus primariò non respicit subditum; sed Deum cui ius acquiritur: sicut si meus subditus tibi aliquid promittat sub meo beneplacito, & ego tibi clam significem mihi placere, ille obligabitur; excusabitur tamen talis religiosus à peccato sacrilegij, & violationis voti, per accidens propter ignorantiam, dum sibi consensus superioris non est cognitus. E contrario verò si superior fictè consentiat exteriùs præbens consensum ad vouendum, & interiùs negans, non ratificabitur, nec confirmabitur votum; sed postea liberè poterit irritare. Ita Lessius *dicto tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 78. fine.*

Lessius.

Capvt XXXV.

Qui superiores regulares possint vota, & iuramenta Deo præstita irritare; an Abbatissæ? an Summus Pontifex, an Episcopi? An si Prælatus religionis interdicat materiam illius, aut implendi licentiam deneget, censeatur illud irritare?

SVMMARIVM.

Quibus superioribus competat potestas irritandi vota. num. 1.

Quid si religiosi non sint exempti. num. 2.

An hæc potestas competat secundarijs religionum Prælatis, vel superioribus, vel præsidentibus, & in Societate IESV ministris. num. 3. *Et an ijs subdantur casus reseruati.* ibid.

Quid si superior localis sit absens, & illis nullam iurisdictionem restrinxit. num. 4.

Quid si hi superiores religiosos occupent tempore, quo suum votum erant impleturi, & an id possint efficere. num. 5.

An Prouincialis respectu superioris localis possit sibi reseruare irritationem aliquorum votorum alicuius religiosi. num. 6.

An Abbatissa possint irritare vota suarum monialium. num. 7. & 8.

Summus Pontifex potest irritare omnia vota, quæ Prælati religiosorum possunt. num. 9.

An sint aliqua vota, & iuramenta Deo præstita religiosorum, quæ valeat Summus Pontifex irritatare, & non valeant illorum Prælati. num. 10. & 11.

Si Summus Pontifex specialiter interdicat alicui religioso ne votum transeundi ad strictiorem religionem emittat, & nihilominus illud emittat, poterit illud irritare. num. 12.

Potest Summus Pontifex omnia vota religiosorum etiam solemnia ex causa dispensare. num. 13.

Si Summus Pontifex concedat alicui religioso licentiam faciendi votum aliquod, Prælatus illius non poterit tunc tale votum irritare. num. 14. *An mortuo Summo Pontifice, qui eam licentiam dedit, possit Papa successor illud votum factum de licentia decessoris irritare.* ibid.

Legatus à latere an possit religiosorum vota irritare. num. 15.

An Summus Pontifex possit irritare vota omnium fidelium sæcularium. num. 16. 18. 19. *Et quid de votis clericorum.* num. 17.

An Episcopi possint irritare vota, & iuramenta Deo præstita religiosorum. num. 20.

Quid de votis clericorum, quæ vergunt in detrimentum Ecclesiæ? num. 21.

An si Prælatus voti sui subditi conscius illi deneget licentiam ad illud implendum, censeatur votum irritare. num. 22.

1. HÆc potestas irritandi vota religiosorum competit quibuscomque primariis religiosorum Prælatis, veluti Generalibus, Superioribusque localibus, vt Rectoribus, Abbatibus, Ministris, Guardianis & quacumque alia nomenclatura ornentur; quia his omnibus per votum obedientiæ adstringimur; suntque omnes verè Prælati. Et idem dicendum est de Visitatoribus; quia dum visitant, sunt Prouincialibus superiores, & toti Prouinciæ præsunt, nisi habeant iurisdictionem ad aliquos tantùm actus limitatam: & ita omnes fatentur, vt docet Sanchez *tom. 2. Decalogi, lib. 4. cap 33. num. 15.* Sanch.

2. Et quamuis sint aliqui religiosi non exempti, possunt tamen illorum superiores eorum vota, & iuramenta Deo præstita irritare, quamuis ea dispensare non possint, vt infrà dicemus; quia hæ potestates dispensandi, & irritandi, non sunt coniunctæ, sicut Abbatissæ. & Priorissæ etiamsi subsint Episcopis, vel Prælatis regularibus, nequeunt dispensare in votis monialium; possunt tamen ea irritare, vt statim dicemus, *num. 7. & 8.*

3. Non competit tamen potestas irritandi vota secundariis religionum Prælatis, quos communiter Subsuperiores vocant, & in societate IESV Ministros, in aliis religionibus Præsidentes, quia hi reuera non sunt Prælati; sed Prælatorum adiutores ad res quasdam eis ab aliis superioribus commissas, & ad causas determinatas, nec potestatem dominatiuam in religiosos habent, & ideo nec possunt suorum subditorum confessiones audire, nec licentiam audiendi aliis dare, nec casus reseruati illorum subduntur iurisdictioni; vt tradunt communiter DD. & docet Sotus *in 4. dist. 18 quæst. 4 art. 2.* & Sanchez *tom 2. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 16.* Sotus. Sanch.

4. Quando tamen localis superior esset absens, atque adeo tota conuentus gubernatio ad ipsos spectaret, tanquam vices illius gerentes, possent vtique vota, & iuramenta Deo præstita irritare, & subditorum audire confessiones, & aliis audiendas committere, quia tunc plena prælatorum vice funguntur, & vicariam iurisdictionem generalem gerunt ad omnes causas, & non restrictam ad aliquas determinatas. Ita docet Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2.* Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 33. num 16. & cap. 24. num. 23.* & Syluester *verbo, Confessor 1. quæst. 8. dicto 3.* & loquendo speciatim de voto. Ita docet Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 17. quæst. 3. ad finem.* & Sayrus *in claui regia lib. 6. cap. 10. num. 16.* & Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 7. num. 17.* vbi bene addit hoc etiam posse ex delegata superiorum facultate; quia hæc potestas irritandi vota est delegabilis,

Sotus. Sanch. Turrecr. Azor. Sayro.

Sanch. Lessius. legabilis, vt latè probat Sanchez *tom. 2. Decalogi cap. 14. num. 54.* & Lessius *tom. 1. de inst. lib. 2. cap. 40. dub. 13 num. 107. §. Abbatissa*, citatus ibi à Sanchez; sed in mea editione Parisiensi id in eo non inueni: dicit enim ibi, ait Sanchez, eas posse monialium vota irritare ex formali, vel virtuali suorum Prælatorum concessione; & Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 7. num. 17.* vbi ait, vicarios superiorum non fungentes plena eorum potestate, nisi habeant delegatam ab ipsis facultatem, carere potestate irritandi vota.

5. Possunt tamen hi superiores seu secundarij prælati occupare subditum tempore quo votum impleturus erat, & pro tunc suspendetur votum, nisi ex speciali mandato maioris superioris id tempus ad voti impletionem habeat destinatum, quia cum habeant ius præcipiendi intra limites suæ domesticæ gubernationis commissos à primariis superioribus, nec sit ad hoc necessaria potestas dominatiua, sed sufficiat œconomica, poterunt id efficere; nec enim subditus potest suis votis illorum gubernationi præiudicare. id enim esset rectæ monasterij gubernationi aduersum, atque aliquando per accidens id votum non obligabit, quia videlicet erat illi tempori adnexum. Ita Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 16. ad finem.* Sanch.

6. Et verò quamuis omnibus primariis religionum Prælatis hæc potestas irritandi vota competat, ac conueniat, id tamen cum quadam subordinatione est intelligendum; & ideo potest superior Prælatus respectu inferioris reseruare aliquam irritationem, sicut potest aliqua peccata reseruare circa absolutionem casuum reseruatorum. Sicut enim hæc potestas delegari, ita & reseruari potest. Ita Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 17.* & Suarez *tom. 2. de religione lib. 6. cap. 7. num. 17.* Similiter si superior Prælatus religioso concedat licentiam emittendi votum alicuius rei, nullus alius Prælatus inferior illud irritare valet, quia inferior Prælatus, nec licitè, nec validè potest votum de superioris licentia emissum irritare, vt docet Sanchez *tom. 2. Decalogi cap. 27. num. 4.* Suarez *tom. 2. de religione lib. 6. cap. 8. num. 2.* Rodriguez *tom 2. summa cap. 89. num. 7.* Richardus *in 4. dist. 38. art. 4. quæst. 3.* Ratio est, quia inferior nullam potestatem in superiorem habet, & ideo nequit gesta illius reuocare. Sanch. Suar. Sanch. Suar. Rodrig. Richard.

7. De Abbatissis, & Priorissis res est dubia, an possint vota suarum monialium irritare. Primò, quia satis est quòd ea sit apud prælatos, & alios monasterij superiores, ad quos gubernatio prædicti monasterij spectat, ipsæ enim tantùm velut matresfamilias sunt, quæ œconomicam gubernationem tantùm habent, & ideo Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 17. quæst 3. ad finem*, videtur eis valde limitatam facultatem irritandi vota concedere; ait enim posse eas solummodo ea vota irrita reddere, quæ religiosæ familiæ gubernationi sunt incommoda, non alia. Et Emanuel Rodrig. *tom. 2. summa cap. 89. num. 9.* vbi ait posse illas ea vota irritare, quæ de operibus supererogationis emittunt, & ita eis videtur limitationem concedere potestatem, quam prælatis, qui possunt etiam vota de rebus ad præcepta diuina spectantibus irritare. Azor. Rodrig.

8. Sed probabilius est posse Abbatissas, & Priorissas omnia monialium vota irrita reddere, quæ possunt Prælati circa suos religiosos; quia non solùm Prælatis, sed ipsis quoque Abbatissis emittunt moniales votum obedientiæ, vt docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 19.* & ideo omnia illarum vota includunt hanc tacitam conditionem pendentem ex earum consensu; *nisi mea Abbatissa contradixerit.* Deinde, quia non minorem potestatem habent in actus monialium, quàm mater tutrix in actus filiorum impuberum; sed matres tutrices possunt irritare omnia vota filiorum impuberum; ergo, & illæ. Et hanc opinionem ex his fundamentis tenent Petrus de Ledesma *tom. 2. summa tract. 10. cap. 7. ad finem.* Ouandus *in 4. dist. 38. disp. vnica, propositione 19.* Angles *in floribus 2. part. quæst. vnica de voto art. 7. difficultate 7.* Alcocer. *in summa, cap. 16. conclusione 3.* Lessius *lib 2. de inst. cap. 40. dub. 13. n. 107. versiculo, Abbatissa.* sed non in mea impressione Parisiensi: citatur tamen à Sanchez *tom. 2. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 19.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 7. num. vltimo.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 10. num. 7. versiculo, Hinc est, & num. 13. in fine*, vbi dicit id verum esse, etiamsi vouendi licentiam Abbatissæ dederint. Idem expressè tenet Vasquez *1. 2. quæst 96. art. 4 disput. 165. cap 4. num. 19.* vbi dicit non alia ratione ius esse Prælatis religionum ad irritanda suorum subditorum vota, nisi ratione iurisdictionis pontificio iure ipsis concessæ, qua eos punire possunt, & compellere ad votorum suorum, & regulæ obseruationem; & *num. 28.* dixerat eandem iurisdictionem habere Abbatissas, & Priorissas erga moniales. Et hanc irritationem prædictarum Abbatissarum erga suas moniales esse propriam, & directam, & ideo irritata ab illis vota ampliùs non reuiuiscere, docet Sanchez *tom. 2. Decalogi lib 4. cap. 33. num. 20.* & Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap 7. num. vltimo.* Petr. Led. Ouand. Angl. Alcocer. Lessius. Sanch. Suarez. Sayro. Vasquez. Sanch. Suarez.

Summus Pontifex potest directè, & propriè omnia, & quæcumque vota, & iuramenta Deo præstita religiosorum irritare; quæ illorum Superiores, & Prælati irritare valent, quia religiosi subduntur Papæ, non ea solùm communi ratione, qua cæteri fideles sæculares; sed etiam ex vi voti obedientiæ, eo quòd supremus omnium religionum Generalis sit, & ipsi interpretatiuè emittatur votum obedientiæ in professione factum: quamobrem dominatiuam habet in illos potestatem, sicut illorum Prælatus regularis. Ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 24. num. 20.* Valentia *2. 2. disp 6. quæst. 6 puncto 6. versu, Secundo diligenter, in fine.* Suarez *tom. 2. de relig. tractatu de voto lib. 6. cap. 7. num. 18.* Alcocer *in summa cap. 16. vbi de potentibus irritare vota, conclusione 3.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 10. num. 17.* Viualdus *in candelab. aureo 3. part. cap. 14. in fine.* 9. Sanch. Valent. Suarez. Alcocer. Sayro. Viuald.

Dubitabis tamen, an sint aliqua religiosorum vota, aut iuramenta Deo præstita, quæ à Summo Pontifice irritari valeant, non autem à religionis Prælatis. Respondeo regulariter loquendo nullum votum posse Summum Pontificem religiosorum irritare, quod non possint etiam illorum Prælati. Ratio est, quia Summus Pontifex non habet potestatem irritandi vota, quatenus Summus Pontifex est, & supremum Ecclesiæ caput, aliter posset irritare etiam vota omnia laicorum; sed quatenus est religionis Prælatus, cui vnà cum aliis eiusdem religionis Prælatis votum obedientiæ emittitur, & dominatiuam potestatem in religiosos habet; at vt sic non est supra ius commune, quia solum supra ius commune est, quatenus est Summus Pontifex, & ideo non potest 10.

potest huius religiosi votum irritare, quatenus est supremus omnium religiosorum superior, sed quatenus est superior, & prælatus illius religionis, in qua ipse religiosus, cuius votum irritatur, professionem fecit. Nullum ergo potest regulariter loquendo votum irritare, quod non possint Prælati religionum irritare. Ita docet expressè Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 13.* Sanch.

11. Hinc sequitur sola ea vota, & iuramenta Deo præstita posse Summum Pontificem religiosorum irrita reddere; quæ superiores religionum respectu suorum Religiosorum irritare possunt. Vnde cum illi non possint irritare vota transeundi ad religionem strictiorem, nec vota adnexa instituto suæ religionis à Sancta Sede Apostolica approbato; ita nec Summus Pontifex illa poterit irritare, quia hæc non possunt superiores religionum irrita reddere. Ita Sanchez allegatus dicto num. 13. ibi: *Nequit ergo Pontifex irritare votum transitus ad strictiorem religionem, & vota adnexa religionis illius instituto iuxta constitutiones Apostolicas, sicut nec alios prælatos id posse diximus numero 2. & 5.* Hæc ille. Dices, Summus Pontifex est superior supremus omnium religionum, & religiosorum: omnes enim religiosi omnium religionum virtute, illi etiam votum obedientiæ emittunt in professione; ergo quatenus est supremus omnium religionum superior, poterit irritare vota religiosorum transeundi ad strictiorem religionem. Respondeo esse supremum omnium religionum, non quatenus est supremus in caput totius Ecclesiæ Catholicæ; sed quatenus divisim est superior huius, & illius religionis: & sicut superior huius, & illius religionis, non potest irritare votum suorum subditorum transeundi ad strictiorem religionem, nec alia vota adnexa instituto suæ religionis à sede Apostolica approbato, ita nec Summus Pontifex. Et confirmatur, quia in tantum Summus Pontifex est supremus superior omnium religiosorum, & religionum, in quantum hic, & ille religiosus huius, & illius religionis, se Deo dedicat per vota professionis in sua religione; non enim religiosus se Deo dedicat, aut religioni in communi; sed in sua religione; & ideo nequit virtute votorum professionis obligare hunc, aut illum religiosum ad aliarum religionum instituta; sed solummodo ad statutum suæ. Vnde transiens ad strictiorem religionem liberatur voto obedientiæ Summo Pontifici virtute emisso, quatenus Prælatus prioris religionis erat, & transit in obedientiam Summi Pontificis, quatenus est superior posterioris religionis strictioris, ad quam transit: quapropter cum superior prioris religionis, non possit irritare votum sui religiosi sibi subditi transeundi ad strictiorem religionem; nec etiam Summus Pontifex regulariter loquendo illud propriè poterit irritare, licet possit in illo dispensare, aut illud commutare.

12. Dixi, *regulariter loquendo*; quia si Summus Pontifex specialiter contradicat alicui religioso huius aut illius religionis, ne votum transeundi ad strictiorem religionem sine sua licentia emittat, & ille nihilominus illud emittat, in eo casu posset Summus Pontifex illud irritare. Primò, quia tota ratio potestatis irritandi vota est conditio iure Pontificio imbibita in subditorum votis antequam emittantur, ob quam pendent ex superioris consensu, vt latè probat Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 24. num. 32.* Cum ergo in eo casu ex Sanch. Pontificis decreto habeat huiusmodi votum conditionem ex ipsius consensu pendentem; poterit ab ipso irritari. Et confirmatur, quia potest Summus Pontifex verè irritare, ita vt ampliùs non reuiuiscat votum Episcopi transeundi ad religionem, eo quòd transitus sit illi interdictus absque Summi Pontificis licentia, & ideo imbibat conditionem ex illius consensu pendentem, vt probat idem Sanchez *tom. 2. Decalogi cap. 26. n. 6.* Sanch. ergo similiter poterit irritare votum religiosi transeundi ad strictiorem religionem, si antecedenter illi interdicat, ne illud absque sua licentia emittat. Secundò, quia posita ea prohibitione absolutè loquendo vix iudicari poterit perfectior religio, & strictior illa ad quam Summus Pontifex transire interdiceret, si forte interdiceret transitum ad aliquam in particulari, sed supponeret æqualitatem, vel non tantam distantiam, quin omnibus perpensis, æquè bonum sit in priori religione perseuerare; si verò prohibeat absolutè emittere votum transitus ad strictiorem religionem, aut euidenter constet religionem illam quæ prohibita fuit in particulari, esse strictiorem, & perfectiorem; tunc quidem obligabit votum ad petendam eam licentiam; & ea concessa, tenebitur volens illam ingredi, non concessa verò, non tenebitur: quod si nihilominus absque prædicta licentia votum transitus ad illam emittat, poterit tale votum à Summo Pontifice irritari; & ita docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 13.* Sanch.

Dixi, *irritare propriè*; quia non est dubium, posse Summum Pontif. ex iusta causa omnia religiosorum vota etiam solennia, & essentialia, & alia his iuxta illorum constitutiones adnexa dispensare, vt docet Sanchez allegatus *dict. num. 13. initio.* Et id patet experientia: sæpe enim similes dispensationes videmus, & id patebit infrà, cum de dispensatione votorum egerimus. 13. Sanch.

Si tamen Summus Pontifex alicui religioso concedat licentiam voti alicuius faciendi, nullus alius prælatus regularis illud irritare valebit, quia Summus Pontifex est supremus omnium regularium Prælatus, & inferior Prælatus nequit votum de Superioris licentia emissum nec validè, nec licitè irritare, cum inferior nullam habeat potestatem in superiorem, & ideo illius gesta nec licitè, nec validè potest reuocare, vt probauimus *num. 6.* Ita de Summo Pontif. loquendo docet Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 13. initio.* Petes tamen an alius Summus Pontifex successor illius, qui vouendi huic religioso licentiam dedit, possit illud votum irritare. Dicendum est posse, quia succedit in potestate dominatiua erga omnes religiosos. Vnde cum succedat suo decessori in hac potestate dominatiua, erga religiosos, poterit sine dubio illud votum irritare, sicut poterat illius decessor, qui facultatem vouendi dedit. 14. Sanch.

Legatus autem, licet legatus à latere sit, irrita reddere religiosorum vota non potest; nam quamuis legati à latere, imò & alij legati, qui, licet à latere non sint, concessam habent à Summo Pontifice legati à latere potestatem, iurisdictionem in religiosos exemptos habeant, vt communiter tradunt Doctores, & specialiter Glossa in *capite, Quod translationem, verbo, Reseruata, de officio delegati,* & ibi Cardinalis *quæst. 5.* & eadem glossa *cap. 1. verbo, Vniuersitas, eodem titulo.* vbi Abbas *num. 8.* & ibi Imola *fine.* Hostiensis *in summa, eodem titulo, num. 3.* Tabiena *in summa,* *verbo,* 15. Cardin. Abbas. Imola. Hostiens. Tabiena.

verbo, Legatus. quæst.2. num.3. & quæst. 5. num.6. Rosell. Angel. Francus. D. Anton. Syluest. Sanchez. Rosella, Angelus, Francus. D. Antoninus, Syluester, & alij, quos citat, ac sequitur Sanchez *tom.1. Decalogi cap.33. num. 1.* nullam tamen potestatem dominatiuam in illos habent, vt docet idem Sanchez. Vnde cum hæc irritandi potestas non sit actus iurisdictionis, nec competat Summo Pontifici quatenus habet iurisdictionem spiritualem in religiosos, sed quatenus habet potestatem dominatiuam in religiosorum voluntates ratione voti obedientiæ, quod ipsi tanquam supremo religionum Generali emittitur, sequitur vt legatus à latere non possit vota illa irritare, quia nullo iure constat id votum obedientiæ emitti legato à latere. Caiet. Et ideo optimè ait Caietanus 2.2. *quæst.88. art.12. column. antepenultima paulo ante solutionem tertiæ obiectionis*, Prælatum Religiosorum posse irritare illorum vota, tanquam illorum dominum, vel quasi dominum; non tamquam prælatum. Ita idem Sanchez modò allegatus. Potest tamen Summus Pontifex delegare, & committere specialiter tam ipsi legato à latere, quàm alteri hanc irritandi potestatem, quia est delegabilis, vt alibi diximus.

16. Non potest tamen Summus Pontifex propriè, & directè irritare vota omnium aliorum fidelium sæcularium; quia actus irritandi est actus potestatis dominatiuæ, & Summus Pontifex non habet potestatem dominatiuam in omnes fideles sæculares; nam etsi in omnes fideles plenissimam, ac supremam habeat potestatem, vt eos in finem spiritualem dirigat, & ratione huius finis possit ex causa iusta omnia illorum vota dispensare, & per dispensationem ea rescindere; caret tamen potestate dominatiua, cuius proprium est vota subditorum pro suæ voluntatis arbitrio, nulla data causa, in irritum seddere. Ita docent communiter DD. D Thom. Caiet. Nauar. Arag. Angles. D. Thom. 2.2. *quæst. 88. art. 12. in corpore*, & ibi Caietanus *columna 4. versiculo, Sciscitaris.* Nauarr. *in summa Latina cap. 12. num 76.* Aragon. 2.2. *quæst.86. art.8. column. 7. versiculo, Secundo est aduertendum.* Angles *in floribus. 2. part. quæst. vnica de voto art. 8. difficultate 9. conclus. 1.* Lud Lop. Suarez. Azor. Ludou. Lopez *1. part. instructory cap.49. col 2. versiculo, Secundum.* Suarez *tom. 2. de relig. lib 6. cap.2. num.3. & 4* Azor *tom. 1. Inst. moral. lib. 11.* Vasquez. Viuald. Sayro. Rodrig. *cap.17. quæst.3.* Vasquez *1.2. quæst.95. artic 4. disput.165. num. 30.* Viuald. *in candelab aureo 3. part. cap. 54. in fine.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap.10. num.17.* Manuel Rod *tom. 2. sum. cap. 89. num. 1. & tom. 1. quæst 9. regularium quæst 25 art 5.* Sanch. quos omnes citat, ac sequitur Sanchez *tom 1. Decalogi lib.4. cap.24 num. 18.*

17. Et idem dicendum est de votis quorumcumque clericorum sæcularium; hæc enim etiam non poterit Summus Pontifex irritare: quippe nec in illos habet dominatiuam potestatem. Sanch. Aragon. Suarez. Azor. Id in propriis terminis docet Sanchez modò allegatus *num. 19.* Aragon. 2.2. *quæst 88. art.8 col.7. versiculo, Secundò est aduertendum.* Suarez *tom. 2. de religione lib.6. cap.2. num 4.* Azor. *tom. 1. Inst. moral. lib. 11. cap.17. quæst. 3.* Sayro. Lessius. Philiarc. Sayro *in claui regia lib.6. cap.10. num.17.* Lessius *tom. 1. de iust. lib.2. cap.40. dub.10. num.86.* Philiarch. *de offic. sacerd. tom.1. part.2. lib. 3. cap. 4. conclusione 4.* Excipe tamen, nisi clerici aliquid vouerint, quod ad regimen suarum Ecclesiarum, beneficiorum, & rerum Ecclesiasticarum pertineat. Cum enim Papa sit harum rerum supremus dispensator, nihil possunt Clerici efficere contra hanc supremam potestatem Papæ, cum tale votum aliqua ex parte eius supremæ potestati circa beneficiorum dispensationem, & rerum Ecclesiasticarum gubernationem obsit. Vnde votum, aut iuramentum, quo Clericus beneficiatus alteri se obligauit ad ei suum beneficium conferendum, irritati potest à Summo Pontifice; cum ita se habeat hoc votum, & iuramentum respectu Summi Pontificis, sicut se habet votum, & iuramentum serui respectu domini in iis, quæ obsunt domino. Ita docet Toletus *in summa lib.4 cap. 23. num. 5.* Tolet. Lessius. Lessius *tom. 1. de iust. lib.2. cap.40. dub.13. num.81. fine*, & alij communiter.

Dices: Summus Pontifex potest irritare vota omnium fidelium antecedenter, antequam fiant; 18.
potest enim prohibere antecedenter, ne fiant, & si fiant, eo ipso sint irrita; quia omnes actus humani subiacent potestati Ecclesiæ, & possunt ex iusta causa prohiberi, ne validè fiant, quoad obligationem sibi imponendam in rebus spiritualibus; sicut Principes sæculares possunt impedire, & prohibere suis subditis, ne sibi imponant obligationem in actibus ciuilibus; ergo illa etiam poterunt irritare postquam facta sunt. Secundò, quia cui licet, id quod plus est, licet etiam, quod minus est, iuxta regulam, *Cui licet. 53. de regulis iuris in 6.* plus autem est dispensare, quàm irritare, cum illud sit iurisdictionis spiritualis, quæ multùm excedit dominatiuam potestatem. Tertiò, quia obligatio voti, & iuramenti est spiritualis, & semper censetur excepta suprema auctoritas Summi Pontificis, vt colligitur ex *capite, Veniens, de iureiurando*; & tradunt ibi DD. & ex *capite, Venientes, eodem titulo.* vbi glossa *verbo, Ius*, ait per illum textum semper in iuramento censeri exceptam Summi Pontificis auctoritatem, & propter has rationes ait Lessius citatus hanc opinionem non nihil probabilitatis habere.

Verùm improbabilis est; nam faciliùs impediuntur res antè factum, quàm irritentur, ac rescindantur postquam factæ sunt; quia prohibitio, ne validè fiant, non est irritatio propriè loquendo; sed est actus iurisdictionis, quem superior exercet super personam sibi subditam, impediendo, ex causa iusta, ne hanc, vel illam actionem validè efficiat: at irritatio est actus non iurisdictionis, sed potestatis dominatiuæ propriæ voluntatis, qui nullam omnino causam requirit, vt licitè, & validè fiat pendens ex mera voluntate irritantis; vt sæpe diximus. Et ita respondet, & soluit hoc argumentum Sanchez *tom. 1. Decalogi lib 4 cap.24. num.41. & 45.* Sanch. Regula autem iuris allegata, *Cui licet maius, licet & minus*, intelligitur de rebus eiusdem generis, qualia non sunt hæc; cum irritare sit actus potestatis dominatiuæ; dispensare autem sit actus iurisdictionis spiritualis. Tertium autem argumentum parum conuincit, quia licet obligatio voti, & iuramenti sit spiritualis, & in omnibus rebus spiritualibus semper censeatur excepta Summi Pontificis authoritas; attamen non censetur excepta, quasi prædicta obligatio pendeat à Pontificis auctoritate, velut à potestate dominatiua, nec quasi ea obligatio habeat tacitam conditionem intrinsecam pendentem à mera voluntate ipsius Pontificis, vt pendent vota, & iuramenta à voluntate habentis potestatem dominatiuam in vouentes, & iurantes: sed semper intelligitur excepta eius auctoritas, vt possit Summus Pontifex ex iusta causa in obligationibus voti, & iuramenti dispensare, cui vouens, aut iurans derogare nequit.

De

20. De Episcopis illud eertum est, nempe non posse illos religiosorum vota irritare, cum non sint illorum superiores, nec potestatem dominatiuam in illos exerceant; sunt enim religiosi ab eorum potestate exempti: si tamen aliqui religiosi sint Episcopis subditi, & Episcopi sint illorum superiores, eisque saltem tacitè votum obedientiæ emittant; tunc quidem poterunt illorum vota irritare; sicut, & alij superiores religiosorum possunt. Vnde etiam non poterunt Episcopi irritare vota sæcularium, siue laicorum suæ diœcesis, siue clericorum, cum nullam potestatem dominatiuam in illos habeant. Ita Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 21. & omnes quos citauimus *num.* 16. & 17. [Sanch.]

21. Excipe tamen vota clericorum vergentia in Ecclesiæ detrimentum, vt si parochus voueat longam peregrinationem, vt egregiè docet Abulensis *cap.* 30. *Numer. quæst.* 71. Alcocer *in summa cap.* 16. vbi de potentibus irritare, *conclusione* 2. *fol.* 55. *pag.* 2. Suarez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 8. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 21. hæc enim vota verè irritare Episcopi possunt, itavt omnino deleantur, & nunquam ampliùs reuiuiscant, verè enim habent tacitam conditionem, si Episcopo placuerint, vt tenet Abulensis allegatus, & Sanch. item citatus *c.* 26. *n.* 7. & Angelus *verbo, Votum* 2. *num. vlt.* quamuis ea reuiuiscere teneat Suar. allegatus, sed non placet. [Abulens. Alcocer. Suarez. Sanch. Sanch. Angel.]

Dubitabis tamen, an si Prælatus voti sui subditi conscius, ac memor, interdicat materiam illius, aut implendi licentiam deneget, censeatur ipso facto illud irritare. Huic dubio cum distinctione respondendum censeo. Nam si illa materiæ prohibitio fuit perpetua; vt si Prælatus subdito dicat, nolo, vt votum hoc exequaris, aut, nolo, vt hoc amplius facias, erit irritatio. Si autem dicat, nolo, vt pro nunc exequaris, tunc non erit voti irritatio, sed tantùm pro ea vice suspensio. Quare si votum illud non sit onus addictum tempori, tenebitur subditus, eo tempore elapso, illud implere. Si autem onus sit tempori alligatum, non tenetur ampliùs ad id votum, nisi intra tempus implendi superior de nouo licentiam ad id concedat, vt si erat votum peregrinationis alligatum tempori. v. c. Diui Iacobi intra mensem, remanenti intra eundem mensem sufficienti temporis spatio ad peregrinationem illam commodè faciendam, si superior prohibitionem auferat, & licentiam concedat, obligabit votum, vtpote quia tantùm erat suspensum, nec tempus obligationis illius moraliter transierat. Ita docet Sanchez *lib.* 9 *de matrim. disp.* 43. *num.* 10. & *tom.* 1. *Decalogi, lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 35. [Sanch.]

CAPVT XXXVI.

Agitur de irritatione votorum, & iuramentorum nouitiorum. Quæritur, an vota semel ab habentibus dominatiuam potestatem irrita iterum reuiuiscant; & an vota Episcoporum semel à Pontifice irritata, iterum obligent? Agitur de irritatione votorum, quæ ante subiectionem emittuntur.

SVMMARIVM.

An vota nouitiorum possint irritari, vel suspendi à superioribus religionum. num. 1.

Quid de votis quæ nouitij emiserunt in sæculo, dum suberant parentibus, vel tutoribus, an hæc possint à suis superioribus irritari, & an maritus possit irritare vota vxoris, quæ fecit cum erat innupta. num. 2.

Quid si nouitij dum vota emiserunt, hanc conditionem apposuerunt, nisi superior contradicat, an tunc superiores eorum, illa possint irritare. num. 3.

An superiores religionum possint vota realia nouitiorum irritare. num. 4.

Quid si vota personalia nouitiorum exercitia religionis impediant. num. 5.

Quid si superior nouitiorum nouitium occupet tempore, quo erat impleturus votum. num. 6.

Sententia authoris. num. 7.

An vota nouitiorum impedita à suis superioribus reuiuiscant, si è religione dimittantur. num. 8.

An vota semel legitimè irritata reuiuiscant. à n. 9. *vsque ad* 12.

An maritus possit irritare, vel suspendere votum castitatis vxoris ante matrimonium emissum. n. 13.

An vota, quæ Episcopi post Episcopatum emiserunt, & quæ Summus Pontifex irritauit, reuiuiscant, si postea ipsi Episcopatui renuncient, aut eo deponantur. num. 14. & 15.

Vota clericorum habentium beneficium seruitorium, ita irritari possunt ab Episcopis, vt ampliùs non reuiuiscant. num. 16.

Quid si votum emissum fuit ante adeptionem Episcopatus, & beneficij residentiam exigentis. numero 17.

Maritus non potest votum castitatis vxoris post annos pubertatis ante matrimonium emissum irritare, potest tamen suspendere. num. 18.

Vota religiosorum post pubertatem emissa ante professionem, an extinguantur per professionem, & si non extinguantur, an postea irritari à superioribus possint. num. 19.

An possint superiores Societatis IESV, vota suorum religiosorum, qui nondum professionem emiserunt, irritare. num 20.

An vota religiosorum, tam masculorum, quàm fœminarum facta in sæculo, vel nouitiatu cum adhuc impuberes erant, possint post professionem à superioribus irritari. num. 21 & 22.

An vir possit irritare, aut suspendere votum castitatis, & iuramentum Deo præstitum ab vxore ante matrimonium factum. num. 23.

An viri possint irritare, aut suspendere vota realia vxorum ante matrimonium emissa. num. 24.

An curatores possint vota realia minorum puberum emissa tempore, quo sui iuris erant, suspendere, vel irritare. num. 25.

I. CIRCA vota nouitiorum illud certum est, nempe, Prælatos religionum non posse simpliciter illorum vota (idem de iuramentis Deo præstitis) siue realia, siue personalia, irritare; siue in sæculo, siue in nouitiatu emissa sint: posse tamen ea sola illorum vota, & iuramenta Deo præstita personalia, non realia pro tempore nouitiatus suspendere, quæ executionem exercitiorum nouitiatus impediunt, qualia sunt, quæ vel in totum, vel in partem operibus religionis, vel regulis nouitiatus impedimento sunt, aut saltem nimiùm hæc aggrauant. Ita docet Nauarrus *in summa Lat. cap.* 12. *num.* 65. *Hispana cap.* 28. *additione* 1. *ad eundem numer.* 65. Lud. Lopez 1. *part. instr. cap.* 48. *col.* 2. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 13. *num.* 80. *in* [Nauar. Lud. Lop. Lessius.]

Sylvest. *editione Parisiensi*. Sylvester *verbo*, *Votum* 4. q 7.
Azor. Axor. *tom* 1. *inst. moral. lib*. 11. *cap* 17. *quæst*. 20.
Sayro. *& vltima*, Sayro *in claui regia lib* 6. *cap*. 10. *n*. 15.
Llamas. Llamas 3. *part. methodi cap*. 4. § 42. *in fine* Suarez
Suarez. *tom*. 2. *de relig. tract. de voto lib*. 6 *cap*. 7. *num*. 11.
Sanch. *&* 12. *& cap*. 11. *num*. 8. Sanchez *tom*. 2. *Decalogi lib* 4. *cap* 32. *num*. 28. *&* 32. Ratio est, quia nouitij adhuc sunt sui iuris, cum enim nondum per professionem religiosi effecti sint, voluntas illorum non pendet à Prælati voluntate, nec potestatem dominatiuam in illos Prælatus habet; ergo nullo modo possunt Prælati vota nouitiorum, dum adhuc nouitij sunt, personalia simpliciter irritare, ita vt amplius non reuiuiscant. Possunt tamen illa suspendere, quia subest iusta causa suspendendi, cùm ipsi satis grauentur probationis, & nouitiatus exercitiis, quando votorum executio est modo aliquo impedimento probationi illorum, aliàs non.

2\. Si autem nouitij, cùm vota in sæculo emiserunt, suberant parentibus, vel curatoribus, qui ea potuissent simpliciter irritare; poterit etiam iuxta Lessium Prælatus illa irritare simpliciter, ita vt non reuiuiscant; quia Prælatus loco parentum, & curatorum ad regendam illorum voluntatem succedit. Ita docet Lessius citatus *num* 80. Sic iuxta opinionem ipsius Lessij potest maritus reddere irrita simpliciter ea vota, quæ vxor illius impubes, & innupta ante matrimonium fecit, si talia erant, vt à parente, tutore, vel curatore possent irritari; sic ille docet in editione Parisiensi *tom*. 1. *de iust. lib*. 2. *cap*. 40. *dub*. 15. *num*. 92. & colligitur *ex cap Noluit* 33 *quæst*. 5. non ob aliam rationem, nisi quia maritus succedit in locum parentis, tutoris, & curatoris ad gubernandam vxoris voluntatem. Vnde sicut votum, quod vxor ante matrimonium emisit, eo tempore, quo patri suo, vel tutori erat subiecta; erat pendens ab eorum voluntate, ita etiam erit pendens à voluntate mariti, qui in horum locum, & potestatem succedit. Cum ergo Prælatus nouitij, loco patris, tutoris, & curatoris ad regendam illius voluntatem succedat, probabile est posse illum illius vota irritare; sicut patet, tutor, & curator poterant. At non nihil à Lessio dissentit
Suarez. Suarez *tom*. 2. *de Religione tract*. 2. *de voto lib* 6. *cap*. 6. *num vltimo*, vbi ait vota emissa à puella impubere, dum est sub patria potestate, si postea malitia suppleuit ætatem, aut ex dispensatione pontificia matrimonio copuletur, posse intra eandem pubertatem à marito verè, & propriè irritari, siue viuente patre, siue mortuo; at verò si iam excessit annos pubertatis, & pubes facta sit, non posse virum illius vota irritare, sed solum patrem illius, si viuit, eo quòd vir non fungatur vice tutoris, nec loco patris, aut tutoris succedat, cùm primùm vxor illius pubes facta est; pubes enim est tutelæ incapax, & id probat Suarius authori-
D. August. tate D. Augustini *lib*. 4. *quæst*. 56. *in Numeros*, & habetur *cap*. *Noluit* 33. *quæst*. 5. ibi: *Si adhuc innupta concesserat pater vota persoluere, si antequam persoluerit, nupserit, & viro eius hoc cognitum non placuerit, non persoluat, & hoc modo sine peccato*; sed hoc testimonium non probat id de sola impubere innupta, sed loquitur absolutè de innupta tam pubere, quàm impubere, & ait, si postea nubat, non posse virum illius facere vt vota ipsius ante matrimonium emissa non obligent, nec restringi intra pubertatem, nec loquitur de perfecta irritatione, sed de suspensione: quare existi-
Sanch. mat Sanchez *lib*. 4. *Decalogi cap*. 31. *num*. 5. *post medium*, vota emissa à fœmina siue pubere, siue impubere, ante matrimonium non posse à marito irritari, posse tamen suspendi. Ratio illius est, quia nec reuera maritus illius est tutor, nec officium tutoris habet, nec illius loco succedit, sicut quando mulier illius erat pubes, ipse non succedit loco curatoris, neque officium curatoris habet respectu ipsius, & quamuis votum vxoris, dum adhuc innupta erat, penderet à voluntate dominatiua patris; at dominatiua potestas viri est moraliter diuersa; & ideo nequit hæc potestas viri, vota pendentia ab alia potestate dominatiua verè & propriè irritare. Et idem est dicendum iuxta doctrinam Sancij, quam probabiliorem puto de votis nouitiorum impuberum in sæculo emissis, cùm adhuc sub tutoribus, & parentibus erant, hæc enim etiam vota non possunt propriè irritari, sed tantùm suspendi ab illorum superioribus ante professionem, quicquid dicat Lessius allegatus; quia Prælati religionis non succedunt loco patris temporalis, & tutoris, nec officium illorum gerunt; & dominatiua illorum potestas est moraliter diuersa à potestate dominatiua patris, & tutoris ipsorum nouitiorum; at de hoc dicemus latiùs infrà *num* 21. *&* 22.

Si autem nouitius dum votum emittit, conditionem apponat, *si superior votum approbauerit, vel consenserit*, poterit superior hoc votum irritare; siue obsit, siue non obsit exercitiis probationis, ratione huius conditionis, vt bene docet 3.
Sanchez *tom*. 5. *Decalogi lib* 4. *cap*. 33 *num*. 28. Sanch.
& Suarez *tom*. 2. *de relig. tractatu de voto lib*. 6. Suarez.
cap. 6 *num* 11. & addit Sanchez citatus *dict. lib*. 4. *cap*. 24 *num*. 36. id esse generale in omnibus votis habentibus similem conditionem.

Dixi sola vota nouitiorum personalia, quæ 4.
modo aliquo exercitia nouitiatus impediunt, posse à suis Prælatis suspendi; non realia, quia vota realia nullatenus obseruantiam regularem, aut nouitiatus disciplinam impediunt, vel aggrauant, & ideo suspendi nequeunt à nouitij Prælato.
Ita Sanchez *tom*. 2. *Decalogi lib*. 4. *cap*. 33. *n*. 36. Sanch.
Suarez *tom*. 2. *de relig. lib*. 6. *cap*. 7. *num*. 12. & Suar.
ferè omnes citati *num*. 1. & Axor. *tom*. 1. *inst. moral. lib*. 11. *cap*. 17. *quæst vlt. lib*. 19. *cap*. 21. Licet Azor.
tamen realia vota nouitiorum non possint ab illorum superioribus suspendi; posse tamen illa commutari in onera religionis, à Prælato, vel confessario, sicut possunt vota personalia, & vt quibusdam placet ab ipso etiam nouitio, docent
Lessius *in edit. Parisiensi, dicto tom*. 1. *de iust. lib*. 2. Lessius.
cap. 40. *dub*. 53 *num*. 80. *versu*, *Potes* 4. *in fine*.
Sanchez *tom*. 1. *Decalogi lib*. 4. *cap*. 33. *num*. 41. Sanch.
Rodriguez *tom* 2. *summa cap*. 89. *num vltimo*, *&* Rodrig.
de quæst. regularibus tom. 2. *quæst*. 25 *art*. 8. quia est commutatio in id quod euidenter melius est: & cum per ea vota tanquam parti non intimata nullum ius ipsi parti acquisitum sit; possunt ea ipsa vota realia eodem modo, quo personalia, in opera personalia commutari, vt *cap*. 38. asseremus; hoc tamen casu tenebitur nouitius ex voto ad ea opera, in quæ commutatio facta fuerit. Illud tamen maximè hîc aduertendum est, quòd cum nouitius possit egredi, nec possit extra nouitiatum vota in opera nouitiatus commutata implere, hoc esse considerandum, vt fiat æqualitas, cum re promissa, vt sic vel votum commutetur in opera, quæ, eo egresso, possint impleri, vel in opera tam intensa, vt æquipolleant priori voto, quod iudicio prudentis committitur.

Potest tamen accidere, vt nouitiorum vota 5.
exercitia

exercitia religionis non impediant, per se, nec nimium per se loquendo reddant onerosa, per accidens tamen reddant, ratione scrupulorum, qui inde nouitiis oriuntur, an rectè nouitiatus opera exequantur. v. c. votum emisit nouitius seruandi silentium regula nouitiatus præscriptum, aut audiendi sacrum, vel recitandi horas canonicas, vt præscribit regula; quamuis hæc vota ex se non aggrauent exercitia religionis, nec illa impediant; possunt tamen ex illis tot scrupuli in nouitio oriri, vt ferè ineptus fiat ad obeunda exercitia religionis, aut multo grauiora illi reddantur, & tunc potest illius prælatus ea vota illi suspendere; quia subest iusta causa suspendendi, cum satis aggrauent saltem per accidens religionis exercitia. Ita Sanchez *tom. 2. Decalogi lib 4. cap. 33. num. 33.*

Sanch.

6. Alia etiam ratione poterit suspendi votum nouitij per accidens, ita vt nouitius ad illud pro tunc non teneatur, nempe occupante superiore illum, eo tempore, quo votum personale impleturus erat, aut ex iusta causa materiam voto promissam prohibente; quia quouis tempore nouitium occupare potest, & oportet, vt nouitius illi obediat; quare tunc temporis id votum censebitur suspensum; vt pote quod seruari commodè nequeat, cum obseruantia regulari. Ita Sanchez *dicto tomo 2. Decalogi, libro 4. cap. 33. num. 34.* Et quod diximus de prælato religionis respectu nouitiorum, verum etiam de magistro illorum esse existimat idem Sanchez *ibidem numero 35.* quia est verè superior illorum, & ipsi specialiter, & immediatè gubernatio nouitiorum incumbit; quare poterit similiter suspendere vota prædictorum nouitiorum, quæ diximus, posse illorum prælatos suspendere.

Sanch.

7. Imò sunt aliqui Doctores, qui asseruot vota illa prædictorum nouitiorum, quæ religionis opera impediunt, ipso iure, suspensa esse, & quasi consopita, & sic non obligare dum nouitij in religione permanent, siue in nouitiatu, siue in sæculo emissa sint. Quorum sententiam probo; quia cum multo melius bonum sit pro tunc religionis opera exequi, vt in ea profiteantur, hoc melius bonum impedire nequeunt, quare pro tunc non obligabunt. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4 cap. 33. num 37.* Paludanus *in 4. dist. 38. q 4. artic. 3. conclusione 3 num. 33.* Syluester *verbo, Votum 4. quæst. 7. dicto 3.* Ludouic. Lopez *1. part. Instruct. cap. 48. versiculo, materia voti.* D. Antonin. *2. part. titulo 11. cap. 2. §. 8. notabili 2.* Sayro *in claui Regia lib. 6. cap. 10. num. 15.* Manuel Rodrig *tom 2. summa, cap. 89. num. vltimo,* idque significat Suarez *tom. 2. de Religion. lib. 6. cap. 7. num. 12.* dicens probabile esse de se tunc non obligare

Sanchez. Palud. Syluest. Lud Lop. D Anton. Sayro. Rodrig Suarez.

8. Cum autem prædicta nouitiorum vota, non irritentur, sed tantummodo suspendantur, reuiuiscunt, ac obligant nouitio è religione egresso: quod apertè tradunt omnes Doctores citati, dum dicunt ea suspendi tantùm pro nouitiatus tempore, & in propriis terminis id tradunt Ludouic Lopez allegatus, Suarez *tom. 2. de Religione lib. 6. cap. 11. num. 9.* & Sanchez allegatus *num. 39.* Quod tamen intelligendum est, nisi vota & iuramenta Deo præstita ex vouentis intentione essent adnexa tempori, & statui nouitiatus; tunc enim eo tempore transacto, & statu relicto ampliùs non obligabunt; non eo quòd tunc irritentur, sed quia ex natura rei desinunt deficiente tempore, quo obligabant, quod per se patet, & tradit Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 4. cap. 33. num. 40.* & Suarez *eodem lib. 6. cap. 11. num. 6.* An verò vota nouitiorum facta ante ingressum religionis vel in nouitiatu, possint à superioribus post professionem verè, & propriè irritari, ita vt ampliùs non reuiuiscant, dicemus infrà *num. 19.*

Lud. Lop. Suarez. Sanchez. Sanch. Suarez.

Sed dubium præcipuum est, an vota semel legitimè irritata ab habentibus potestatem dominatiuam, iterum reuiuiscant, quando vouentes eximuntur ab irritantium potestate; & non loquimur de nouitiis, de his enim iam egimus, sed de omnibus, qui à potestate irritantium eximuntur. Et verò, vt dubium explicetur, sciendum est, irritationem, aut esse propriam, & directam, aut impropriam, & indirectam. Si est propria, & directa, extinguitur propriè per eam obligatio voti, & nunquam amplius reuiuiscit; si impropria, reuiuiscit, quia per eam suspenditur tantùm obligatio voti, & non tollitur, nec extinguitur simpliciter. Videndum ergo est quando sit propria irritatio, & directa; quando impropria, & indirecta. 9.

Statuo igitur primò. Quando vota habent ex sua natura imbibitam conditionem pendentem ex superiorum voluntate, tunc possunt à superioribus, è quorum voluntate pendent, directè irritari, & ea semel irrita, etiam si postea vouentes ipsi ab ea subiectione eximantur, nunquam ampliùs reuiuiscunt: sic vota religiosorum (exceptis nouitiis de quibus iam egimus) respectu suorum superiorum. & vota impuberum respectu parentum, suorúmve tutorum, & vota vxorum respectu maritorum, quæ ipsæ emiserunt matrimonio iam contracto, & filiorumfamilias puberum respectu patris, vel curatorum, & seruorum respectu dominorum; siue quia emittentes illa subduntur dominatiuæ horum potestati absolutè quoad plenum voluntatis dominium, vt contigit religiosis respectu superiorum suorum; impuberibus respectu parentum; vxoribus respectu maritorum (in opinione asserente posse viros omnia vxorum vota facta post matrimonium irritare;) siue quia eis tantùm subduntur quoad dominium voluntatis respectu solius materiæ voto promissæ, vt contigit filiisfamilias puberibus respectu parentum, vel curatorum, seruis respectu dominorum; vxoribus respectu maritorum (in opinione asserente sola vota vxorum præiudicium viris afferentia, posse à viris irritari) possunt irritari, & semel irrita, perpetuò irrita manent, & non possunt amplius, nec etiam soluta subiectione reuiuiscere. Ratio est, quia omnia hæc vota implicitè habent imbibitam conditionem pendentem ab horum voluntate respectiuè. Ita docet D. Thom. *2. 2. quæst 88. artic. 8. ad 4.* ab omnibus receptus loquēs generaliter de omnibus huiusmodi subditis; & *art. 1 a ad 2.* vbi loquitur de seruis, & filiis, ibi; *in votis subditorum, puta serui, vel filij, intelligitur conditio, si placuerit patri, vel domino, vel si non renitantur.* Docet etiam Valentia *2. 2. disp. 6. punct. 6. paulo post principium; versu, Pro explicatione.* vbi explicans doctrinam D. Thomæ ita asserit. *Votum emissum à subdito ante consensum superioris, est conditionale, atque adeo dependens quoad vim obligandi ex consensu superioris; qui si consentiat, tunc demum obligat id votum, sin minus, dicitur id votum subditi irritari, hoc est perinde esse, ac si non fuisset factum;* & Suarez 10.

D. Thom. Valent. Suarez.

tom.2 de Relig. tract. de voto lib. 6. cap.1. num.9. ibi probat his verbis irritationem votorum in his subditis factam absque vlla causa validam esse,& amplius non reuiuiscere; *quia tale votum,ait, fuit implicitè conditionatum, & de facto conditio impletur quando superior repugnat siue ex causa,siue absque causa suo arbitrio id faciat, & ideo id satis est, vt votum non obliget,vt pote conditione non impleta;* docet rursus Sanch. *tom.1. Decalogi lib 4.cap.26. num* 4. & Sotus *lib. 7. de iust. quæst.* 3. *artic.*1. *columna* 3. *versu, Aliud post hæc*, ibi, *in vniuersum votum quodcumque siue vxoris, siue serui, siue filij, siue religiosi semel irritatum, nullam deinceps virtutem retinet, qua vllo tempore obligare possit,nisi iteratò fiat.* Sayro *in claui regia lib.5. cap.8 n 6. versiculo, Illud autem*, & expressè loquens de votis irritatis à viro, & patre tenet non reuiuiscere Pedraza *in summa, præcepto* 5. §. 8. Aragon. 2.2. *quæst.*88 *art.*8.*fine*, loquens de votis impuberum, & puberum. Graphis loquens de votis puberum 1. *part.decis.lib.*2. *cap.*19. *num.* 5. Lud Lopez 1. *part. Instr. cap.*48. *col.*3. *versiculo , vota semel* ; & loquitur de votis filiorum , vxorum , & seruorum. Azor *tom.*1. *Inst. moral. lib.*11. *cap.*11. *q.*4. loquens de votis filiorumfamilias , vxorum , monachorum, & seruorum. Nauarr. *in summa Lat. cap.*12.*num.*66. Philiarc.*de officio sacerdotis tom.*1. *part.*1. *lib.*3.*cap.*4. *conclusione* 3. loquens de votis puberum, seruorum, & vxorum, Llamas 3.*part. methodi curationis cap.* 4. § 23. loquens de votis puberum,seruorum,&religiosorum, Veiga *tom.*2. *cap.* 129. *casu* 20. *ad finem* , *& casu* 95. Toledo *lib* 4 *summa cap.* 18. *num.* 9. ibi , *irritare est annullare , votum & facere , vt non sit obligatorium, nec verum votum, quo modo Pater filiorum vota irritare potest,& Prælatus vota inferiorum , dominus seruorum, & vir vxoris, & è contrario vxor viri.*

(Margin: Sanch. Sotus. Sayro. Pedraza. Aragon. Graphis. Lud.Lop. Azor. Nauar. Philiarc. Llamas. Veiga. Toledo.)

11. Dices id verum esse , quando vouentes subduntur dominatiuæ alterius potestati absolutè, & quoad plenum voluntatis dominium,non verò quãdo subdũtur ratione solius materiæ voto promissæ ; tunc enim soluta subiectione reuiuiscent. Respondeo cum Sancio , & doctoribus præcedentibus etiam in hoc secundo casu, semel irritata, non reuiuiscere ; quia sicut quando quis alteri subditur, quoad plenum voluntatis dominium potest superior omnia illius vota irritare ; ita vt nunquam amplius reuiuiscant, eo quòd ratione illius perfecti dominij omnia vota habent imbibitam eam conditionem,*si superiori placuerit* ; ità quando quis solùm quoad materiam voti alteri est subiectus; potest superior verè delere, & irritare votum quoad illam materiam; ita vt similiter nunquam ampliùs reuiuiscat, cum ratione illius dominij includat eandem conditionem ; *si superiori placuerit.* Confirmatur , quia idem ius, & eadem ratio est de toto ad totum, & de parte ad partem. *l. Quæ de tota,in principio ff. de rei vindicat.* & latè tradit Euerardus *in suis topicis in loco a toto ad partes, à num* 2. Sicut ergo ad omnimodam & totalem irritandi vota potestatem sufficit dominium totale voluntatis subditi,ita ad partialem irritandi vota potestatem sufficit partiale dominium in voluntatem subditi , scilicet, quoad materiam illam voto promissam. Ita respondet Sanchez *dicto lib.*4. *Decalogi cap.*26.*n.*4. *ad medium.* Vnde cessat opinio Suarij *tom.* 2. *de Religion. lib.*6. *cap.*3. *num.* 1. 2. 5. *&* 7. & Valentiæ 2.2. *disp* 6. *quæst.*6. *puncto* 6. *quæstiuncula* 4. & Rosellæ *verbo, Votum* 2.*num.*6.*&* 7. 12. *&* 13. asserentium solùm ea vota posse propriè irritari & non reuiuiscere, quorum vouentes subduntur dominatiuæ alterius potestati , quoad plenum voluntatis dominium, vt sunt sola vota impuberum, & religiosorum ; illa verò, quorum vouentes non subdun'ur alteri , quoad plenum voluntatis dominium , sed tantùm quoad materiam promissam, solùm posse suspendi & non irritari directè, & ideo reuiuiscere postea, soluta ea subiectione ; quod contingit in votis puberum, seruorum , & vxorum , quæ parentes, domini , & mariti non irritant ratione dominij in voluntatem vouentium , sed ratione solius materiæ promissæ ; & hoc Suarius in hunc modum probat; quia puberes , serui, vxores non subduntur curatoribus, dominis , & viris in spiritualibus ; sed in corporalibus tantùm ; non enim secundùm animam , & secundùm corpus tantùm subiiciuntur , quare illorum subiectio est corporis , & rei familiaris, non spiritus ; ergo ex parte voluntatis in ordine ad Deum sunt liberi,vt Deo vota emittant, si materiam habeant accommodatam. Non ergo poterunt superiores hi , nempe , curatores respectu puberum ; domini respectu seruorum; mariti respectu vxorum hæc vota irritare , sed tantùm suspendere , dum materia eis nocet ; sed ad hoc respondet Sanchez *num.*9 potestatem irritandi vota, non inniti subiectioni spirituali, sed subiectioni dominatiuæ , siue in totum , siue in partem. Vnde cum curatores, domini , & mariti hanc potestatem dominatiuam habeant, inde est, quòd vota pupillorum, seruorum, & vxorum directè irritare valeant, cum vota illa imbibitam habeant conditionem , nisi habens dominatiuam in me potestatem contradicat.

(Margin: Euerard. Sanch. Suarez. Valent. Rosel.)

Statuo secundò. Quando vota non habent imbibitam conditionem pendentem ex superioris voluntate,vt contingit quando ante subiectionem emittuntur,tunc,subiectione secuta,impropriè possunt irritari ; hoc est, possunt tantum suspendi , & non possunt irritari ; & ſic soluta ea subiectione iterum reuiuiscunt. Ita docet Sanchez *lib.*4.*Decalogi cap.*16. *num* 5. Rosella *verbo, votum* 2.*num* 7.Nauarrus *in summ.cap.*12.*num* 61. Philiarcus *de officio sacerdotis tom.*1. *part.*1. *lib.* 3. *cap.*4 §.*sed maior difficultas* Graphis *part.* 2. *decis. aur.lib.*2.*cap.*12.*num.*31. & deducitur ex rationibus, & authoribus citatis pro prima conclusione. Sic vota nouitiorum, quæ fiunt ante subiectionem professionis dum nouitij sunt, possunt tantùm suspendi ; & si ante professionem è religione dimittantur, reuiuiscunt, & vota eorum, qui liberi erant si postea in captiuitatem deueniant, possunt ab illorum dominis impropriè irritari, seu suspendi tantùm ; & postea, recuperata libertate, reuiuiscunt ; & vota vxoris ante matrimonium emissa non poterunt postea simpliciter irritari ab illarum maritis si matrimonio coniungantur , sed tantùm suspendi,si materia illorum eis officiat, & sic soluto matrimonio etiam reuiuiscent Ita Sanchez *lib.*4. *Decalogi cap.*31. *num.*9 Syluester *verbo,votum* 4 *quæst.*2.*dict.*1. Abulensis *in cap.*6. *Matthæi quæst.*149. Nauarrus *in summa Lat. cap.*12. *num.*65.*fine.* Azor *tom* 1.*inst.moral.lib.*11.*cap.*17. *quæst.*14.*&* 2. Valentia 2 2.*disp.*6.*quæst.*6.*punct.*6. *quæstiuncula..* Graphis 2.*part. decis.lib.*2.*cap.*12. *num.* 45. Manuel Rodrig. *tom.*2. *summa cap.*90. *num.*10. Stunica *quæst.*3.*de voto num.*75.Sa *verbo, votum*,vbi de voti irritatione *num.*5.Sayro *in claui Regia lib.*6.*cap.*10.*num.*11.*&* 19.Suarez *tom.*2. *de relig.lib* 6.*cap.*4.*num.*16.*& cap.*6. *num. vltimo*, & alij. Et ratio est, quia cum tota ratio,& fundamentum

(Margin: 12. Sanch. Rosell. Nauar. Philiarc. Graphis. Sanch. Syluest. Abulens. Nauarr. Azor. Valent. Graphis. Rodrig. Stunic. Sa. Sayro. Suarez.)

mentum veræ, & directæ poteſtatis ad vota irritanda, ſit imbibita condiño in votis ſubditorum; quando vota eam conditionem imbibitam non habeot, non ſunt cooditionalia, ergo non poterunt ſimpliciter irritari, ſed tantùm ſuſpendi: ſed ante ſubiectionem facta non habent hanc imbibitam conditionem, ſi ſuperiori placuerit; ergo non poſſunt verè irritari; poſſunt tamen ſuſpendi quatenus præſenti ſubiectioni præiudicium afferuot; at ſoluta ea ſubiectione reuiuiſceot. Et confirmatur, quia hæc poteſtas irritandi vota non fundatur in doiointo ſupra materiam voto promiſſam, nec in dominio ſupra voluntatem voueotis; ſed io ratiooe præiudicij præſentis ſubiectionis; ergo ſola ea vxoris vota vir poterit irritare, quæ præſenti ſubiectioni præiudicant, & ea ſubiectione ſoluta obligatio voti indirectè irritati, ſeu ſuſpenſi reuiuiſcet.

13. Non poterit tamen vir indirectè irritare, ſeu ſuſpendere votum caſtitatis vxoris ante matrimonium emiſſum; quoniam huiuſmodi votum continet duo, nempe oon exercere actum venereum; nec reddendo, nec petendo. Primum non indiget irritatione, nam fortiori matrimonij vinculo ſuperuenienti tenetur vxor ex iuſtitia reddere. Secundum ſuſpendi nequit à viro; quia materia petendi non eſt viro ſubiecta; ac proinde nec prohibere, nec præcipere poteſt vir vxori debiti petitionem; eſt enim mulier libera & ſui iuris in hoc, nec tempore voti erat ſubiecta viro, nec vir habebat aliquod dominium in illius voluntatem. Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 4. *c.* 31. *num.* 9. Vnde minus bene concedit Ioannes de Friſburgo *in ſumma confeſſor. lib.* 1. *tit.* 8. *cap.* 35. poſſe tale votum ante matrimonium emiſſum à viro irritari; ſed de hoc voto redibit ſermo cap. ſequenti *num.* 8.

Sanch.
Ioan. Friſb.

14. Eſt tamen dubium, an vota, quæ Epiſcopi poſt Epiſcopatum emiſerunt, & quæ illis Summus Pontifex irritauit, reuiuiſcant, ſi poſtea ipſi Epiſcopatui renuncieot, aut eo deponantur. Suarez *tom.* 2. *de Religione, tractatu de voto lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 7. aſſerit illam irritatiooem factam à Summo Pontifice non eſſe veram irritationem; ſed tantùm ſuſpenſionem voti durante officio Epiſcopatus, & ſic reuiuiſcere, & teneri Epiſcopos ad obligationem voti. v. c. ingrediendi religionem, vel ſuſcipiendæ loogæ peregrinationis, ſi poſtea Epiſcopatui renuncient, aut eo deponantur, & allegat ibi pro ſe Caietanum; fauent Paludanus *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 4 *art.* 2. *n.* 21. & ibi ſupplementum Gabrielis *quæſt.* 1. *art.* 5. *poſt* 3. *concluſionem, verſiculo, Primo Epiſcopus*, & D. Aotoo. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. *verſu, Primò*. ergo dum aſſerunt denegante Papa licentiam Epiſcopo implendi votum religionis, aut votum irritante, excuſari illum ratione impotentiæ implendi. Vnde clarè videntur ſentire non eſſe veram irritationem, ſed ſolam ſuſpenſionem, dum ea durat impotentia.

Suarez.
Palud.
Gabr.
D Anton.

15. At veram eſſe irritationem, ac proinde ea vota & iuramenta Deo præſtita ſic irritata nunquam ampliùs reuiuiſcere, docent expreſsè Sanchez *lib* 4. *Decalogi, cap* 26. *num* 6. *ad medium*, Abulenſis *in cap.* 30. *Num. q.* 67. vbi loquitur de voto magnæ peregrinationis emiſſo ab Epiſcopo, & *quæſt.* 68. vbi loquitur de voto religionis ab eodem emiſſo, & expreſsè Angelus *verbo, Votum* 2. *num. vltimo*, videtur hoc tenere; & ferè expreſsè Caietanus *in ſumma, verbo, Votum, cap. De quatuor condit. ex parte vouentis.* §. *Imperfectio autem ergo tis*; vbi agens de conditionibus imbibitis, & ſubintellectis in votis, ait, quando votum eſt de re prohibita, denegante ſuperiore licentiam, eſſe irritum, & affert in exemplum votum Epiſcopi, *vt ſi*, inquit, *Epiſcopus voverit religionem, ſubintelligitur, ſi Papa placet; vnde tenetur requirere, ſi Papa placet, vt impleat votum; ſi Papa placet, tenetur implere; ſi non, irritum eſt votum.* Et ratio illorum eſt, quia hæc etiam Epiſcoporum vota habent in ſe imbibitam, & implicitam conditionem peodentem à Pontificis voluntate. Quare cum ſint vota conditionalia, conditione noo impleta non obligant, non impletur autem conditio, ſi Papa eam licentiam denegat.

Sanchez.
Abul.
Angel.
Caiet.

Idem dicendum de votis clericorum habentium beneficium; hæc enim verè irritari poſſunt ab illorum Epiſcopis, ita vt amplius noo reuiuiſcant; quia includunt etiam conditionem hanc, *ſi Epiſcopo placuerit*. Ita teoet expreſsè Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 26. *num.* 7. & videtur tenere Angelus *verbo, Votum* 2. *num vltimo*; expreſsè etiam tenet Abulenſis *in cap.* 30. *Numer. quæſt.* 71. loqueos de beneficiato, qui longè diſtantem peregrinatiooem vouit; quamuis ea reuiuiſcere teneat Suarez in ſuo fundamento procedens *dicto tom.* 2. *Decalogi lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 8. 16.

Sanch.
Angel.
Abul.
Suar.

Si tamen vota, & iuramenta Deo præſtita ante Epiſcopatum, & adeptionem beneficij reſidentiam exigentis emiſſa fuerint, noo poſſunt à Summo Pontifice, & ab Epiſcopo ſuperiore ipſius beneficiati directè irritari; ſed poterunt ſuſpendi tantùm, quia cum ante ſubiectionem emittantur, non habent imbibitam eam conditiooem, *ſi ſuperiori placuerit*, & ſic ſolùm indirectè, & impefectè irritari poſſunt ratione materiæ, quatenus præiudicant Eccleſiis, quarum ipſi curam gerunt, & ſuperiores velut Papa, & Epiſcopi regimen atque œconomiam architectoneam habent; & quamuis ipſi votum in plena libertate emiſerint, & vinculum voti ſit prius, tamen præualet ius ſuperioris, & obligatio iuſtitiæ contracta ex munere Epiſcopatus, & beneficiarij ſuſcepti. Ita docet expreſsè Sanchez *lib* 4. *Decalogi cap.* 31. *num.* 7. & ſatis videtur ſignificare Turrecremata *cap. Non oportet* 1. *num. vnico de conſecrat. diſt.* 5. vbi ait, non teneri illos vota exequi contradicenti ſuperiore, & in propriis terminis docet Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto lib.* 3. *cap* 41. *num.* 11. & *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 9. 17.

Sanch.
Turrecr.
Suarez.

Ex dictis *num.* 12. ſequitur reprobandam eſſe opinionem Veigæ *tom.* 2. *ſummæ, cap.* 129 *caſu* 20. *ad finem*, dum aſſerit, poſſe maritum votum caſtitatis vxoris emiſſum ante matrimonium poſt annos pubertatis directè, & perfectè irritare; ita vt amplius non reuiuiſcat. Probat, quia obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit. Sed hoc quod ſupponit, probandum illi erat; non enim extinguitur obligatio, ſed ſuſpenditur, cum maritus non poſſit illud irritare directè, ſed tantùm ſuſpendere, vt *dicto num.* 12. probauimus. Eſt enim regula generalis, vota ante ſubiectionem emiſſa non poſſe propriè & directè irritari, ſed tantùm ſuſpendi; nam vota non habentia conditionem imbibitam pendentem ex ſuperioris conſenſu, non poſſunt irritari verè, & propriè; at talia ſunt vota vxoris emiſſa ante matrimonium poſt annos tamen pubertatis, quæ, in fœminis, eſt annus duodecimus; vtpote, quia abſolutè facta ſunt, nec voluntas pendebat ab alio. Ita Archidiaconus *in cap. Noluit* 33. *quæſt.* 5. *num. vnico*, & ibi Bellamera *num.* 1. Roſella *verbo, Votum* 2. *num.* 7. Nauarrus 18.

Veiga.
Archid.
Bellarm.
Roſell.
Nauar.

Sanch. Suarez. Lud.Lop. Graph. *in summa cap.12. num.61.* Sanchez *lib.4. Decalogi cap. 31. num. 2.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib 6. cap.6.num. vltimo.* Lud Lopez *1. part.instructorij, cap.46 §. Mulier vxor.* Graphis *2. part. decision. aur. lib 2. cap. 12. num. 31* & quamuis solùm hi authores loquantur de votis vxorum in libertate ante matrimonium emissis; tamen eadem est ratio de aliis, quæ in eadem libertate, & ante subiectionem emittuntur, vt patet, & docet Sanchez modò allegatus; & nos id *dicto num. 12.* probauimus.

19. Excipe tamen vota ante professionem religionis emissa, siue in nouitiatu, siue in sæculo, siue in pubertate, siue post illam, quæ quando per professionem non extinguuntur, possunt post illam perfectè à superioribus irritari, ac si essent post professionem emissa. Ita docent expressè Syluest., Sanch. Sylucster *verbo, Votum 4 quæst.7.dicto 3.* & Sanchez *lib. 4. Decalogi cap 31. num 3.* Et ratio est, quia vel professus in instanti professionis expressam voluntatem habuit extinguendi ea per professionem, vel non habuit: si habuit, tunc ea extinguuntur; habet enim professio hoc priuilegium, & ita necesse erat, vt voluntas religiosi perfectè subdatur suis superioribus. Si non habuit, reputantur facta post professionem tempore plenæ subiectionis. Sic tradunt Doctores peccatum prauæ dispositionis commissum in baptismo reputari tanquam commissum post baptismum, & ita subiici sacramento pœnitentiæ; & ideo si religiosus post professionem dimittatur, ea vota non reuiuiscunt, cum per professionem omnia penitus vota Deo facta extinguantur, ac penitus irritentur, vt docet Sanchez modò allegatus *num 4*

20. Hinc manifestè infertur non posse superiores Societatis IESV. simpliciter irritare vota in sæculo, aut in nouitiatu emissa suorum religiosorum, qui sola biennij vota, aut coadiutorum formatorum in societate emiserunt; quia sunt vota emissa ante subiectionem, nec commutantur in vota professionis. Quare iure optimo in canone 22. primæ congregationis nostræ societatis, & regula 23. magistri nouitiorum, decernitur vota hæc manere suspensa, dum hi in societate perseuerant; & iis egressis reuiuiscere: secus si post professionem egrediantur, quia cum per professionem omnia vota ante illam facta penitus extinguantur, nequeunt reuiuiscere. Ita docet Sanchez *lib.4. Decalogi cap.31. num 4.* Sanch.

21. Volunt etiam aliqui excipere vota impuberum, tam masculorum, quàm fœminarum, quæ facta sunt in sæculo, vel in nouitiatu ante professionem; quia hæc vota, imbibitam habent hanc conditionem: *Si pater, vel tutor non repugnet.* Vnde cum pater, aut tutor illa possint simpliciter in sæculo irritare; ita etiam ea poterunt simpliciter irritare superiores, vel in nouitiatu, vel post professionem, cum hi loco tutorum, & patrum succedant ad gubernandam illorum voluntatem. Est probabilis hæc opinio. Eam tenet Lessius Lessius *tom.2. de iust. lib.2. cap.40. dub.15 n.92. in editione Parisiensi*, vt vidimus *num 2.* idque probat, quia etiam maritus potest simpliciter irritare vota vxoris impuberis ante matrimonium facta post ipsum matrimonium; quia etiam vota illa vxoris imbibitam habebant eandem conditionem, *si pater, vel tutor voluerit*, & maritus succedit loco patris, & tutoris. Et cum Lessio consentire videtur Suarez. Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib.6. cap.6. num. vltimo.* dum dicit posse maritum vota vxoris impuberis ante matrimonium facta, post matrimonium intra impubertatis annos irritare, si vel de licentia Summi Pontificis cum ea in ea ætate, vel malitia eam ætatem supplenti contrahat; at si maritus ea vota vxoris potest irritare intra illius pubertatis annos cum adhuc illa est impubes, cur non etiam cum facta est pubes? vt deducitur ex Lessio, qui absolutè id docet, & non strictè ad annos impubertatis. Et idem dicerent hi authores de votis seruorum factis in libertate in ætate impubertatis ante subiectionem: nam cum patres illorum, & tutores illa eis possent simpliciter irritare; ita & domini cum loco parentum, & tutorum succedant, & imbibitam habeant eam conditionem, *si patri placuerit.*

At probabilius est, nec vota, nec iuramenta Deo præstita impuberum in sæculo, aut in nouitiatu ante professionem emissa, nec vota vxorum etiam impuberum, ante subiectionem matrimonij, nec seruorum in libertate ante seruitutem emissa, posse simpliciter à Prælatis respectiuè post professionem à maritis post matrimonium, à dominis post seruitutem irritari; sed tantùm suspendi, quatenus præsenti subiectioni impedimento sunt, & ea subiectione soluta reuiuiscere. 22.
Ita docet expressè Sanchez *lib 4 Decalogi cap.31. num 5. 6. & 9. ad finem*; & quamuis ibi exemplum ponat in votis vxorum etiam impuberum, si de licentia Summi Pontificis, aut malitia supplenti ætatem ante pubertatem nubant; tamen eadem est ratio de votis seruorum, & nouitiorum. Et ratio est, quia, nec superior respectu nouitij siue puberis, siue impuberis, nec maritus respectu vxoris, etiam impuberis, nec dominus respectu serui similiter impuberis sunt tutores, nec loco tutoris succedunt, nec officium tutoris exercent. Vnde licet omnia vota impuberum ex natura sua inclusam, & imbibitam habeant hanc conditionem, *si patri placuerit, aut tutori*, qui loco patris est, non illam habent imbibitam respectu horum; nam tutor datur ad regendam voluntatem pupilli, vel pupillæ in temporalibus, prælatus ad regendam voluntatem nouitij in spiritualibus, maritus solùm est superior vxoris, & dominatiuam potestatem in illius voluntatem habet, & dominus in seruos respectu votorum, quæ in sua libertate, & ante matrimonij, aut seruitutis subiectionem emiserunt; quatenus ea vota illorum obsequium impediunt. Quare pro tunc tantùm durante ea subiectione, & seruitute illa, poterunt suspendere, & impedire, & non simpliciter irritare, & quamuis aliqui Doctores asserant posse illa irritare; tamen intelligendi sunt de irritatione impropria; hoc est, de suspensione; & non de vera, & propria irritatione. Confirmatur primò, quia quamuis prius votum nouitij, vxoris, aut serui impuberis penderet à voluntate dominatiua patris, vel tutoris, at dominatiua viri potestas, prælati, & domini est moraliter diuersa, à dominatiua potestate patris, vel tutoris; potestas autem dominatiua subsequẽs moraliter diuersa à prima nequit regulariter irritare propriè, & directè vota tempore prioris subiectionis emissa, & ideo tantùm poterit suspendere, quatenus præsenti subiectioni præiudicant, & cessanti suspensione reuiuiscent, vt probat Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 28. num. 15.* Sanch.
Confirmatur secundò, quia vt probauimus *n. 12.* cum multis auctoribus, quos ibidem allegauimus, omnia vota ante subiectionem emissa, possunt

tantùm

tantùm à superioribus habentibus dominatiuam potestatem subsecuris suspendi, non tamen irritari; hæc autem vota licet à personis impuberibus emissa sint, tamen ab illis fuerunt emissa in plena libertate, & ante subiectionem, vt pater; vota enim non habentia conditionem imbibitam pendentem ex superioris voluntate, non possunt irritari; sed tantùm suspendi: licet autem vota impuberum respectu patris, & tutoris, qui loco patris succedit, imbibitam conditionem habeant; at non illam habent imbibitam respectu superioris, mariti, vel domini, cum hi loco patris & tutoris non succedant, vt diximus. Tandem probatur, quia cum hæc potestas irritandi hæc vota non fundetur in dominio supra materiam tempore voti promissam, nec supra voluntatem tunc promittentem, nec supra aliquam conditionem imbibitam in his votis respectu prælati, mariti, vel domini, sed tota sit ratione præiudicij præsentis subiectionis, solùm poterit prælatus, vir, vel dominus ea vota suspendere, quatenus eis præiudicant, non verò absolutè irritare. Et pro hac opinione citari possunt auctores, qui in hac materia loquuntur absolutè, & nullam distinctionem faciendo de votis puberum, vel impuberum dicunt, omnia vota ante subiectionem emissa non posse propriè irritari, ita vt non reuiuiscant, posse tamen suspendi; & hi sunt omnes, quos citauimus *num.* 12. & insuper Archidiaconus *in capite, Noluit* 33. *quæst.* 5. *numero vnico*. Rosell. *verbo, Votum* 2. *num* 7. Nauarr. *in summa cap.* 12. *num* 61. Alexander *in suo Enchiridio* 1. *part.* vbi de potestate confessoris *cap.* 15. *num.* 155. Philiarc. *de officio sacerdotis tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4 §. *Sed maior difficultas*. Lud. Lopez 1. *part. Instructorij conscientiæ cap* 46. §. *Mulier vxor*. Graphis *part.* 2. *decision. aur. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 31.

Archid. Rosell. Nauar. Alexand. Philiarc. Lud Lop. Graphis.

23. Hinc deducitur primò, non posse virum non solùm irritare, sed nec etiam suspendere votum castitatis ab vxore ante matrimonium emissum; nec dominum votum ipsum eiusdem castitatis serui sui ante seruitutem propter rationes, quas fecimus *num.* 13. nam huiusmodi votum in seruo respectu domini, non impedit seruitium domini, imò expeditiorem reddit seruum ad obsequium domini; in vxore verò continet duo vt iam *supra* diximus, & dicemus capite sequenti *num.* 8. nempe non exercere actum venereum, nec reddendo, nec petendo. Quoad primum non indiget irritatione; superueniente enim fortiori vinculo iustitiæ ex matrimonio, tenetur illa reddere petente viro. Quoad secundum suspendi nequit, quia materia petendi non est viro subiecta, ita vt prohiberi possit à viro, aut præcipi, debiti petitio: sed mulier erat sui iuris in hoc, quia tempore voti non habebat vir dominium aliquod in vxoris voluntatem, quod maximè verum habet; cum multi auctores asserant non posse virum irritare, aut suspendere votum vxoris de non petendo post matrimonium emissum; & ita docet Sanchez *lib.* 4. *cap.* 31. *num.* 9. *ad finem*, sed hac de re redibit sermo in capite sequenti.

Sanch.

24. Possunt tamen viri iuxta probabiliorem opinionem suspendere, & non irritare vota realia vxorum ante prædictum matrimonium facta; quia cum administratio omnium bonorum vxoris constanti matrimonio spectet ad virum, executio horum votorum præiudicio est huic administrationi; & ideo ratione huius præiudicij potest vir ea vota suspendere. Ita docet Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 31. *num.* 10. & Suarez *tom.* 2. *Decalogi, tractatu de voto, lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 16. Nec est simile de ære alieno & debitis contractis ab vxore, ergo aliquem ante matrimonium; non enim potest illius vir illa post matrimonium suspendere propter ius homini acquisitum. Ita docet Sanchez allegatus, Hugo *in capite. Noluit* 33. *quæst.* 5. & ibi Archidiaconus *numero vnico*, & Bellamera *in dict. cap. Noluit, statim in principio*; minus enim agitur cum Deo, quàm cum hominibus *l. Celsus ff. de receptis arbitris*. Et adhuc ratio fundamentalis est, quia nullo iure præscribitur, vt contractus vxoris ante matrimonium gestum cum hominibus imbibant conditionem pendentem à futuri viri voluntate, vel quoad resessionem, vel quoad suspensionem; sicut est in votis, quando materia illorum, futuro viro præiudicium afferre potest. Vnde etsi vir nequeat suspendere contractus ante matrimonium ab vxore initos, poterit tamen vota realia illius ante matrimonium emissa suspendere dum sibi præiudicio sunt; nec mirum id esse debet, nam filiusfamilias pubes sine consensu patris obligatur naturaliter, & ciuiliter, ita vt pater reuocare nequeat illius obligationem *l. filius familias ex omnibus* 38. *ff. de actionibus, & obligationibus*; & tamen votum reale illius potest pater reuocare ob rationem, quam tradit Glossa *l.* 2. *verbo, non obligantur. ff. de Pollicitat.* quia minùs agitur cum Deo, quàm cum hominibus. Hinc si mulier soluta vnuit eleemosynam sub conditione, *si nauis venerit ex India, aut Brasilia*, & venit tempore, quo nupta erat, poterit maritus illius votum suspendere; quia ad maritum spectat administratio bonorum vxoris, & tale votum huic administrationi viri præiudicium est.

Hugo. Archid. Bellarm.

Similiter vota realia puberum emissa tempore, quo sui iuris erant, possunt à curatore eis postea dato suspendi; quia præiudicat suæ bonorum administrationi, curatores enim à iure dantur ad administranda bona minorum, non ad regendam illorum voluntatem. Ita Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 31. *num* 13. 25.

Sanchez.

CAPVT XXXVII.

An possit vir vota castitatis vxoris, & iuramenta Deo ante, & post matrimonium præstita irritare; & quid de voto non mentiendi, & non furandi, & de alia materia necessaria: agitur de voto castitatis mutuo consensu præstito.

SVMMARIVM.

An possit vir votum castitatis vxoris constanti matrimonio emissum, & iuramentum Deo præstitum irritare. num. 1. & 2.

Quid de voto, & iuramento vxoris Deo præstito absolutè abstinendi à venereis actibus extra matrimonium. num. 3.

Soluuntur argumenta facta pro opinione, quæ negat. num. 4 5. & 7.

Quid de voto castitatis vxoris collato in tempus soluti matrimonij. num. 7.

Quid de voto castitatis vxoris emisso ante matrimo- num,

Sanch. Suarez.

nium, an possit à viro irritari, vel suspendi. n.8. & capite præcedenti. num.13.

An vir possit irritare, vel suspendere vota, & iuramenta Deo præstita de rebus necessarijs, vt de non furando, non mentiendo, ante matrimonium contractum emissa num.9.

An vxores eadem virorum vota ante matrimonium facta irritare, aut suspendere possint. num.10.

Quid si vxor votum castitatis emittat, aut iuramentum Deo præstet de licentia viri. num.11.12.

Quid si vterque coniux communi consensu voueat, aut Deo iuret castitatem. num.13.14.15.

Quid si vterque coniux mutuo consensu voueat religionem. num.16.

Quid si vterque coniux communi consensu voueat non transire ad secundas nuptias, eo soluto matrimonio. num.17.

Quid si post castitatis votum mutuo consensu emissum coniuges contra huiusmodi votum iterum sibi sacrilegè concedant mutuam facultatem corporum, & votum remittant, an post hanc mutuam facultatem teneatur vterque ad debiti redditionem. num.18.

An etiam vxor contra huiusmodi votum castitatis communi consensu emissum similiter possit votum castitatis viri irritare, ita vt viro liceat debitum petere. num.19.

An censeatur facta remissio iuris petendi debiti si alter tantùm coniux ab altero debitum petat. num.20.

1. TRIPLEX quæstio hîc oriri potest. Prima est, an vir possit irritare votum, aut iuramentum Deo præstitum castitatis ab vxore constanti matrimonio, absque sua licentia emissum? (Dixi *constanti matrimonio*; quia de voto emisso ab vxore, ante matrimonium, cum adhuc innupta erat, diximus *num.13. capitis præcedentis.*) Est igitur hac de re partita opinio. Prima negat posse virum prædictum votum castitatis vxoris absque sua licentia constanti matrimonio emissum simpliciter irritare quoad debiti petitionem; nam quoad redditionem nulla indiget irritatione; quia obligatio voti, quæ est religionis, non potest præualere contra obligationem iustitiæ; vxor autem ex iustitia tenetur debitum reddere marito suo, & sic votum quoad hanc partem fuit nullum, non enim vxor promittere Deo votũ poterat alienum; corpus autem quoad hunc vsum, hoc est, quoad redditionem debiti, petente marito, non est vxoris, sed mariti, & sic contra iustitiam matrimonij se non poterat obligare. Hanc sententiam tenent multi, & graues Sanch. Nauar. Doctores, quos citat, sed non sequitur Sanchez *lib.9. de matrim. disp. 39. num. 10.* & hi sunt Nauarrus *in summa Lat. cap.12. num. 64.* D.Bonau. D. Bonauent. *in 4. distinct. 32. in expositione literæ num. 4.* Glossa *capitis, Manifestum 33. quæst. 5 verbo, Nisi auctor.* Vincent. Palud. Mayron. Caiet. Vincentius *in speculo doctrinali tom.2 lib.9. cap.86. in fine.* Paludan. *in 4 dist. 38. quæst. 4. art. 2. conclusione 5. num.23.* vbi Mayronis *partic. 1. conclusione 2.* Caiet. *in summa, verbo, Votum, capite de conditionibus ex parte voventis, § & scito, & in opusculis tom. 1. tractatu 31. septendecim responsionum, responsione 14. dubio 4.* Syluest. Ledesm. Palat. Anglee. Syluester *verbo, Votum 4. q. 2. dict. 4.* Ledesma *2. part. 4. quæst. 66. art. 4. fine.* Palatios *in 4. dist. 32. disp. 2. fol 717. col. 1.* Angles *in floribus 2. part. quæst. de voto artic. 7. difficultate 9.* Petrus à Ledesma *de matrimonio, quæst. 64. art. 4. dub. 2. conclusione 1.* Valent. Valentia *2. 2. disp. 6. quæst 6. de voto, puncto 6. quæst. vlt. de votis subditorum, §. Existit autem.* Ludou. Lopez *1. part. Instructorij cap 47. fine.* Lud. Lop. Hesel Supplem. Gabriel. Ioannes Hesel. *in expositione Decalogi, 2. præcepto, cap. 14.* Supplementum Gabrielis *in 4. dist 38. quæst. 1. art. 5. versiculo, Sextò vir, & vxor.* Ledesma *tom. 2. summa tractatu 10. cap 7. dubio vltimo dict. 2.* Ledesma. Ratio est. Primò, quia in capite, *Placet, de conuers. coniugator.* deducitur vxorem absque viri licentia professam, ab ipsoque reuocatam, teneri non exigere, quia quantum ad petitionem est sui iuris, & se potuit independenter à marito obligare. Secundò, quia vir nullum habet dominium in vxorem, quoad actum coniugalem, sed quoad eum sunt omnino pares, iuxta *caput, Gaudemus, de diuortio; & caput, Si quis vxorem. 32. quæst. 1.* nec vir caput est mulieris quoad eum actum, vt docet Durandus Durand. *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1. num. 7.* ergo nullo modo poterit votum vxoris circa eum actum absque sua licentia constanti matrimonio emissum (idem de iuramento Deo præstito) irritare. Est valde probabilis ista sententia.

2. Secunda tamen opinio, quæ affirmat posse virum huiusmodi votum non petendi debitum ab vxore constanti matrimonio factum irritare, est probabilior. Eam videtur tenere D. Thom. D.Thom. *in 4. dist. 32. in fine, in expositione litteræ Magistri,* & ibi Palud. Palud. *quæst. 2 art. 2. num 77.* vbi dicunt posse virum reuocare votum castitatis emissum ab vxore sine eius licentia. Tenet expressè Sanchez Sanch. *lib.9. de matrimonio, disp. 39. num. 11. & lib. 4. Decalogi cap. 34. num 10.* Sotus Sotus. *in 4. dist. 32. quæst. 2. artic. 3. post primam conclusionem versiculo, Virum autem, & lib 7. de iust quæst. 3. artic. 1. versiculo, An verò possit alterutter.* Aragon. Nauar. Stunica. Gutier Philiarch. Rodrig. Aragon. *2. 2. quæst. 88. art. 8.* Nauar. *in summa cap 12. num. 60.* Stunica *de voto quæst. 3. num. 59.* Gutier. *de qq. canon. lib. 2. cap. 22. n. 49* Philiarchus *de offic. sacerdotis tom. 1. part. 2. lib 3. cap 4. §. excipitur in conclusione.* Manuel. Rodrig. *tom. 1. summæ, in 2. edit cap 243. num. 8. & tom. 2. cap. 90. num. 3.* Ant Gom. Veiga. Anton. Gomez *in Bullam Cruciatam, clauf. 10. n. 67.* Veiga *tom. 2. summæ cap 129. casu 22. & 93.* Fritburgo. Ioannes de Fritburgo *in summa confess. lib. 1. titulo 8. quæst. 35.* Sayro. D August. Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 5. num. 13.* Probatur *ex cap 30. Numeror.* & ex D. Augustin. *lib. 4. quæst 59. in Numeros;* & refertur *in cap. manifestum 33. quæst. 5.* ibi, *euidentissimè itaque apparet, ita virum esse caput mulieris, vt nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ conuersationis liceat sibi sine eius licentia Deo offerre.* Quod si aliquis dicat ibi sermonem esse de voto abstinentiæ, non castitatis, nec continentiæ, id reiicit Abbas Abbas. *in capite, Charissimus, num. 5. de conuersat. coniugat.* vbi probat nomine abstinentiæ intelligi continentiam per *caput, Si tu abstines 27. quæst. 2.* ibi, *Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam.* Secundò, quia quamuis vir, & vxor sint pares quoad libertatem non petendi, ius exigendi, & obligationem reddendi, & ita materia illa vxor non sit viro subiecta: at quoad nouam illam obligationem, quæ accidentaria est, vxor subiecta est viro tamquam capiti, cuius est voluntatem vxoris dirigere, ne imprudenter voueat. Confirmatur, quia vir potest irritare votum vxoris de non mentiendo, & de aliis rebus necessariis constanti matrimonio sine illius voluntate emissum, cum tamen illa materia minus subdatur viro, quàm materia castitatis, vt docet Sanch. Stunica. Sotus. Arag. Sanchez *lib 9. de matrim. disp. 39. num. 4. ad finem,* Stunica *de voto quæst. 3. num. 75.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 3. artic. 1. versiculo, At verò secuti.* Aragonius

Rodrig. Veiga. nius 2. 2. *quaest.* 88. *art.* 8. *fol.* 1010. Rodriguez *tom* 2. *summa, cap.* 90. *num.* 9. Veiga *tom.* 2. *summae, cap.* 129. *casu* 94. *fine.* & alij, quos *ibidem* citat Sanchez, quia quamuis huiusmodi materia non sit viro subdita, quatenus ad eam est vxor ex praecepto obligata; est tamen subdita quatenus ad eam noua se vxori obligatione adstringit, ad virum enim pertinet videre, an expediat quòd vxor sua eo se nouo vinculo obstringat; potest enim imprudenter id promittere.

3. Et idem dicendum est, licet votum sit continentiae, seu castitatis absolutae, ex quo oriatur obligatio abstinendi à venereis actibus extra matrimonium, & ab alio matrimonio ineundo, si vir eius moriatur. Ratio est, quia illa noua obligatio, qua inconsulto viro se vxor adstrinxit, subditur Sanchez. viro; ita docet Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp* 39. *num.* 12. *& lib.* 4. *Decalogi cap.* 34. *num.* 10. *fine,* Gutier. Gutierrez *qq. canonicarum lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 49. Ioan. Fritb. Ioannes de Fritburgo *in summa confessor. lib.* 1. Ant Gom. *tit.* 8. *quaest.* 35. Ant Gomez *in Bulla Cruciata clausula* 10. *num.* 67. Veiga *tom.* 2. *summae, cap.* 129. Veiga. *casu* 22. *&* 93.

4. Nec rationes, & fundamenta primae opinionis momentum habent; primum enim nihil probat, quia vir non irritauit votum (reuocando ad se vxorem professam) quoad obligationem castitatis absolutè; sed quoad obligationem religionis; tantùm enim reuocauit vxorem à monasterio non vtens irritatione qua poterat vti si voluisset, quia professio non tenuit tanquam facta in viri praeiudicium, & ideo textus dicit, *licet votum eius vsquequaque non tenuerit.* Ad secundum respondeo, quamuis vir non habeat dominium in eam materiam, & vir, & vxor quoad actum coniugalem sint pares, habere tamen dominium in voluntatem vxoris, qua ipsa se obligauit; quia ad illum pertinet iudicare, an prudenter, vel imprudenter se obligauerit.

5. Nauar. Sayro. Constituunt tamen Nauarrus *in summa Latin. & Hispana, cap.* 16. *num* 60. & Sayro *in claui regia, cap.* 5. *num.* 13. discrimen inter votum non exigendi, & non petendi debitum, itavt per primum intelligant voluntatem obligandi virum ex iustitia ad reddendum, & per secundum intelligant simplicem, & amicabilem petitionem debiti absque voluntate obligandi; & de primo aiunt, posse à viro irritari; de secundo non posse, quia prius vergit in praeiudicium viri, cum vxor priuans se ea debiti petitione ita, vt non possit virum de iustitia obligare ad reddendum, virtualiter imponat viro onus graue semper ex iustitia petendi: at posterius, cum liberum maneat viro reddere, vel non reddere, & non possit ab vxore cogi ad reddendum, irritari ab illo non posse asserunt, quia nullum ei onus graue semper petendi vxor imponit.

6. Verùm hoc discrimen superfluum est, & non placet, quia ordinariè vouentes huiusmodi discrimen non attendunt; at si attenderent ea differentia locum tantùm haberet, retenta opinione, quae tenet posse virum sola vxoris vota sibi praeiudicantia irritare, non tamen haberet locum in alia opinione, quae docet virum posse omnia vxoris vota irritare, vt de se patet.

7. Sed quid de voto castitatis vxoris collato in tempus soluti matrimonij? Respondeo hac de re duplicem esse sententiam. Prima ait huiusmodi votum non posse à viro irritari, quia nullum praeiudicium viro affert, nec materia est viro subiecta, & quia dubium est, an votum castitatis emissum ab vxore constante matrimonio absque licentia viri possit ipse irritare, vt vidimus *num.* 1. Hanc tenet Lud. Lopez 1. *part. instructory cap.* 50. Lud. Lop. *paulo post principium.* Secunda ait posse huiusmodi votum à viro irritari, quia voluntas vxoris dum id promittit, est subdita potestati viri, ab eòque dirigenda, & gubernanda, ne imprudenter nouis vinculis vxor se alliget; nam ad virum spectat iudicare, an vxor imprudenter se nouo vinculo obligauerit; potest autem imprudentia reperiri in promittenda castitate in tempus soluti matrimonij Ita docent Sanchez *lib.* 9. *de matrim.* Sanchez. *disp.* 39. *num.* 18. Sotus *lib.* 7. *de iust. quaest.* 3. *art.* 1. Sotus. *paulo ante solutionem ad argumenta.* Stunica *de voto, quaest.* 3. *num.* 76. Stunica.

De voto autem ipsius vxoris emisso ante matrimonium, diximus capite praecedenti *num.* 15. 8. non posse à viro irritari, nec suspendi, quia illud votum continet duo, nempe non exercere actum venereum, nec reddendo, nec petendo. Primum ibidem diximus non indigere irritatione, fortiori enim vinculo iustitiae ratione matrimonij adueniennis, constringitur vxor reddere: de secundo diximus, nec irritari, nec suspendi posse à viro. Primò, quia materia petendi non est viro subiecta, itavt ipse vxori prohibere possit, aut praecipere debiti petitionem, sed mulier est omnino libera, & sui iuris in hoc. Secundò, quia actus liber, quo mulier illam sibi obligationem ante matrimonium imposuit, non erat sub viri dominio, aut potestate, & modò est iam Deo consecratus, & quando fuit elicitus, non poterat à viro prohiberi, ne eliceretur. Quae doctrina est bona, & eam docet expressè Sanchez *lib.* 9. *de* Sanch. *matrim. disp* 40 *num* 27. *& lib* 4. *Decalog. cap.* 31. *num* 9. & est omnium quos citauimus *num.* 1. quatenus docent, nec emissum post matrimonium votum castitatis absque licentia viri posse ab illo irritari; quare non est audiendus Ioannes de Fritburgo *in summa confessorum, lib.* 1. *titulo.* 8. Ioan Fritb. *quaest.* 35. asserens posse virum id votum castitatis ante matrimonium ab vxore emissum irritum reddere.

Eadem ratione dicendum est, non posse virum irritare, nec suspendere vota vxoris de rebus ne- 9. cessariis, vt de non furando, de non mentiendo, emissa ante matrimonium contractum, quia nec materia illa tanquam necessaria subditur viro, nec actus ille tanquam omnino praeteritus, & Deo consecratus ei subiectus est, nec voluntas vxoris eo tempore dependebat à viro, in quo tantùm distinguitur à talibus votis non mentiendi, & non furandi post matrimonium contractum, quia tunc voluntas erat viro subiecta, & ideo possunt simpliciter à viro irritari, vt docet Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 40. *num.* 27. *& num.* 4. Sanchez. Sotus *lib* 7. *de iustit. quaest.* 3. *art.* 1. *versiculo, At verò ficuti.* Stunica de voto *quaest.* 3. *num* 75. Aragon. 2. 2. *quaest* 88. *art.* 8. *fol.* 1010. Rodrig. *tom.* 1. *summa cap.* 90. *num.* 9. Veiga *tom.* 2. *summa c.* 129. *casu* 94. & alij. Sotus. Stunica. Aragon. Rodrig. Veiga.

Hinc deducitur non posse, praedicta vota castitatis, non mentiendi, & non furandi, & alia 10. de materia necessaria, praeceptóque aliquo prohibita, si à viris emittantur, vel ante, vel post matrimonium contractum ab illorum vxoribus, irritari, aut suspendi, cum voluntas maritorum nullo modo pendeat à voluntate vxorum, nec illi sit subiecta; & solùm illae ea vota maritorum suspendere poterunt, quae illis praeiudicium afferunt, vt infrà dicemus.

Sed

11. Sed quid si vxor votum castitatis emittat, aut iuramentum de illa seruanda Deo præstet, de licentia viri? Dico *de licentia viri*, quia si sine licentia viri hoc votum emittat, dicemus *cap sequenti, num.* : Respondeo hac de re paritam esse opinionem. Prima ait, omnia alia vxoris vota præter votum castitatis, & votum non mentiendi, & non furandi, & de rebus necessariis ex viri licentia facta, posse ab illo validè, & licitè ex iusta causa irritari; absque iusta autem causa posse validè, sed non licitè, imo mortaliter illicitè; id tamen negat omnino in prædicto voto castitatis, & in votis de rebus necessariis emissis, de quibus asserit, non posse virum illa irritare, siue de licentia, siue absque licentia illius, ab vxore sint facta, & talem irritationem si fieret in vtroque casu esse irritam, eo quòd materia voti non sit viro subiecta, nec sub dominio illius. Nam votum non petendi debitum ab vxore, in qua re non est viro subiecta, & votum de rebus necessariis, vt non mentiendi, non furandi tam in vxore, quàm in quocumque alio subdito irritari omnino non poterit, cum vir, & vxor, superior, & subditus, in hoc sint pares; in aliis autem rebus materia voti semper manet sub viri, & superioris dominio, quo non priuatur, etiamsi vir licentiam ad vouendum vxori, & superior subditis concedat; & hanc opinionem tenent Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 10. num 85 in fine.* Petrus de Ledesma *tom. 2 summa tract 10. cap. 7. dubio vltimo dicto 2.* D. Thom. *in 4. dist 32. in expositione literæ magistri*, & ibi D. Bonauentura *n. 4.* & ibi Albertus Magnus *n. 6.* & Richardus *art. 2. quæst. 2. ad primum.* Paludanus *in 4. quæst 2. art. 2. num. 17.* Gratianus *cap Mansfestum*, §. *Ex præmissis 33 quæst. 5.* & ibi, Turrecrem ita *fine.* Ioannes de Frithurgo *in summa confessorum, lib. 2. tit. 8. quæst. 45.* Adrianus *in 4. dist. 14 de matrimonio* D. Anton. *3. part. tit 1. cap 12. §. 3.* Rosella *verbo*, *Votum 3. num. 2.* Summa Pisana *verbo*, *Votum 3. §. 3* Sylnester *verbo*, *Votum 5. quæst. 1.* Tabiena *verbo*, *Matrimon 1. §. 4.* Nauarrus *in summa c. 12. num. 61.* Philiarchus *de offic. sacerdotis, tom. 1 p. 2. lib. 3. cap. 4. §. Sed maior difficultas.* Rodriguez *tom. 1. summa cap. 90. num. 5.* qui id intelligit nisi in quantum votum castitatis præiudicat viro; vnde ait non licere irritare, vt mulier possit petere; temperat etiam Paludanus, nisi vir esset suspectus de incontinentia, & ait illum peccare irritando; sed vxorem debere obedire. Et probatur hæc opinio ex D Ambrosio *lib. de paradiso, cap. 10.* & refertur *cap finali 33. quæst. 5.* ibi: *Vota vero continentiæ ita alterius permissu ab altero valent offerri, quod post permissionem non valent in irritum deduci.*

Lessius. Petr. Led. D. Thom. D. Bonau. Albert. Mag. Richard. Palud. Gratian. Turrecr. Ioan Frith. Adrian. D. Anton. Rosell. Sum. Pisan. Sylnest. Tabien. Nauar. Philiarc. Rodrig. D. Ambr.

12. Secunda docet posse non solùm omnia alia vota, sed etiam prædictum votum castitatis, & votum non mentiendi, & non furandi, & de rebus necessariis, de licentia viri, & superioris emissum validè ab illis irritari, non tamen licitè absque iusta causa, sed cum peccato mortali; data autem iusta causa, & validè, & licitè. Ita docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 34. num. 13. & cap. 27. num. 11. & lib. 9. de matrim. disp. 40. num. 16.* vbi citat Sotum *lib. 7. de iustit. quæst. 3. art. 1. versiculo, An vero possit alterutur, & versiculo, Argumentum autem, & in 4. dist. 32. quæst. 1. art. 3. post primam conclusionem*, vbi Palatios *disput. 1. fol. 717. versu, Quod si votum.* Barthol. Ledesma *dub. 71. de matrim. ad finem.* Aragonius *2. 2. quæst 88. art. 8. fol. 1021.* Veiga *tom. 2. summæ, cap. 129. casu 21.* & id posse quando periculum incontinentiæ subest, affirmat etiam Ledesma *2. part. 4. quæst. 66. art. 4. in fine*; & idem asserit Sanchez *vltimo loco de matrim.* allegatus, quamuis maritus fecisset copiam vxori vouendæ omnimodæ castitatis contra Philiarcum de officio sacerdotis, *tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 4. § Excipitur in conclusione, versiculo, Dico 4.* oppositum asserentem in eo casu, eo quod tunc maritus videatur simul votum facere castitatis. Et ratio est, quia etsi vir non sit dominus materiæ illius promissæ, sed in illa sit par vxori, est tamen caput, & velut dominus illius actus liberi, quo vxor tempore subiectionis, se voto illo Deo obligauit; & quamuis ex viri consensu se obligauerit, id solum vt vir absque causa irritans peccet mortaliter, non tamen, vt irritatio sit nulla, neque, vt sit illicita si ex iusta causa fiat, quia per licentiam datam, non amisit dominium in ipsum voluntatis vxoris actum, nec votum ob eam licentiam fit independens à viri, aut superioris voluntate, sed adhuc imbibitam habet conditionem, nisi vir, aut superior reuocauerit, quod procedit etiamsi vir licentiam vxori vouendæ omnimodæ castitatis dedisset, quia est eadem ratio. Ad Diuum Ambrosium, & ad caput finale 33. q. 5. respondeo id intelligi quando vterque coniux mutuo consensu castitatem vouit, Deòve iuramento promisit.

Sanch. Sotus. Palat. Barthol. Ledesm. Arag. Veiga. Ledesm. Sanch. Philiarc.

Nam si vterque coniux communi consensu voueat, aut iuramento Deo promittat castitatem, quidam aiunt adhuc posse huiusmodi votum, & iuramentum à viro validè irritari absque causa, non tamen licitè. Primò, quia adhuc matrimonium durat, & dum durat, manet potestas viri in vxorem, vt docet D. August. *Epistola 199. ad Editiam*, & refertur *in cap. Quod Deo 33. q. 5.* Secundò, quia quando vterque communi consensu vouet, nullum fit pactum de voto non reuocando, sed de sola castitate seruanda; sicut quando alter solus continentiam vouet. Ergo poterit reuocari. Tertiò, quia obligatio per quas causas oritur, per easdem tollitur *cap. 1. de regulis iuris in 6.* Vnde si ex mutuo consensu, se Deo obligarunt, cur ex mutuo consensu eam obligationem tollere non poterunt? Si enim est contractus, cur non poterit mutuo consensu hic contractus reuocari? Si dicas, ius Deo esse iam per votum acquisitum, simile est, vbi alter solus de alterius licentia vouet, nam in eo etiam casu ius Deo est acquisitum; & tamen potest huiusmodi votum, & iuramentum Deo præstitum per alterum reuocari non obstante tali iure. Quartò, quia si coniuges mutuo consensu vouissent, se daturos calicẽ Ecclesiæ, poterit vir vxoris votum reuocare: cur ergo non idem dicendum erit in voto castitatis, mutua voluntate facto? & ideo ex his fundamentis hanc opinionem tenet Palatios *in 4. dist. 32. disput. 1. fol. 717. columna 2. versu, Hæc commemorasse*, & quidam alij teste Aragonio *2. 2. quæst. 88. art 8. dub. vlt.* 13.

Palat. Arag.

14. Sed tenendum est nullo modo posse nec licitè, nec validè reuocari. Primò, quia quando vterque coniux mutuo consensu castimoniam vouet, aut illam Deo iuramento promittit eodem mutuo pacto, virtute cedit quilibet iure suo, quoad quemcumque actum matrimonialem, & tacitè Deo offert vitam cœlibem, quam, vt meliorem, eligit, in quo tacitè videtur omnino renunciare iuri reuocandi, vt sic ille veræ continentiæ finis obtineatur. Secundò, probatur ex D. August. *Epistola 11.*

Epistola 119. *ad Editiam* & refertur *in capite, Quod Deo* 33. *quæst*. 5. ibi: *Quod Deo pari consensu vouistis perseueranter vsque in finem reddere debuistis, à quo proposito si ille lapsus est, tu saltem instantissimè persevera*; & ea D. Ambros. *de paradiso cap*. 10. & refertur *capite finali* 33. *q*. 5. ibi: *Vota verò continentiæ, ita alterius permissu ab altero valent offerri, quod post permissionem non valent in irritum deduci*. Tertiò, quia quamuis contractus ille possit mutuo consensu rescindi, ac dissolui, obstat tamen vinculum voti non reuocandi eo virtualiter inclusi. Et ita tenet expresse Sanchez *lib*. 4. *Decalogi cap* 34. *num*. 15. & *lib*. 9. *de matrimonio disp*. 40. *num*. 20. Sayro *in claui regia lib*. 6. *cap* 5. *num*. 17. Lessius *tom*. 1. *de iust. lib*. 2. *cap*. 40. *dub*. 10. *num*. 85. Sotus *lib*. 7. *de iust quæst*. 3. *art*. 1. *versu, Argumentum autem*. & *in* 4 *dist*. 32. *quæst*. 3. *art*. 1. *post primam conclusionem*; licet in hoc posteriori loco aliquantulum addubitet. Stunica *de voto quæst*. 3. *num*. 64. Aragon. 2. 2. *quæst*. 88 *art*. 8. *dubio vltimo*. Angles *in floribus* 2. *part. quæst. de voto art*. 7. *difficultate* 10. Philiarcus *de officio sacerdotis tom*. 1. *part*. 2. *lib*. 3. *cap*. 4. 5. *Excipitur in conclusione*. Anton. Gomez *in bulla Cruciata, clausula* 10. *num*. 66. Manuel. Rodriguez *tom*. 1. *summæ in* 2. *edit. cap*. 243 *num*. 14. & *tom*. 2. *cap*. 9. *num*. 6. Ludou. Lopez 1. *part. Instructory cap*. 46. §. *Quando vterque*. Veiga *tom*. 1. *summa cap*. 129 *casu* 68. Hinc colligitur virum accedentem ad vxorem inuitam non solùm sacrilegè peccare contra votum, sed etiam contra iustitiam frangendo pactum cum ea initum, & vtramque circunstantiam teneri in confessione explicare, vt docet Sanchez posteriori loco allegatus *dicta num*. 20. *in fine*.

15. Ad primum oppositæ sententiæ fundamentum respondeo, etsi adhuc constet matrimonium, non tamen manere liberam potestatem in vsum corporis vxoris; hæc enim potestas mutuo pacto, & voto impedita est. Ad secundum dico non fieri pactum formaliter, & expressè, virtute tamen fieri pactum de non reuocando huiusmodi contractu; quod pactum non fit quando alter tantùm coniux de alterius licentia vouet. Ad tertium dico verum esse pronunciatum illud, quod asserit obligationē per quas causas oritur, per easdem tolli, nisi tamen aliquid obstet; obstat autem hîc votum vt nec licitè, nec validè ea mutua remissio ex iusta etiam causa fiat, & licet idem votum, quando ab vno coniuge de alterius licentia emittitur, possit validè reuocari, causa est, quia deest pactum, quo renunciatum fuit iuri irritandi, quod non deest quando vterque mutuo consensu vouit; virtualiter enim tunc vouent non reuocare tale pactum, vt diximus. Ad quartum respondeo, posse virum id votum irritare, quia cùm, emisso eo voto, maneat matrimonium omnino integrum, nec emittatur, vt statu, matrimonio manente, immutetur, non videntur coniuges se mutuò à mutua iurisdictione, & à facultate reuocandi votum eximere.

16. Idem dicendum est, si vterque coniux mutuo consensu ingressum religionis voueat, aut alter religionem, vel sacri ordinis susceptionem, alter verò castitatem, in eo casu, quo prædictum votum religionis, aut susceptionis ordinis sacri, valet, nempe quando potest vir ordine sacro initiari, aut ad religionem transire ex licentia vxoris, manente ea in sæculo cum voto castitatis. Quem casum satis explicat Sanchez *dict. lib* 9 *de matrimonio disput*. 57. *num*. 7. & 8. Nam etiam in his prædictis casibus, quando scilicet vterque coniux mutuo consensu vouet religionem, aut vnus vouet religionem, vel ordinis sacri susceptionem, alter verò castitatem in sæculo manendo; nec licitè, nec validè poterunt huiusmodi vota ab altero tantùm, aut etiam ab vtroque de communi consensu irritari, aut reuocari, quia cum huiusmodi vota tendant ad omnimodam matrimonij separationem, & ad perpetuam continentiam, mutato statu, seruandam; videntur coniuges virtualiter iure reuocandi cedere, sicut quando mutua voluntate vouent castitatem. Ita Sanchez *lib*. 9. *de matrim. disp* 40. *num*. 21. & *lib*. 4. *Decalogi cap*. 34. *num*. 16.

E contrario verò, si vterque coniux communi consensu voueat soluto eo matrimonio ad secundum, vel tertium, non transire; poterunt nihilominus communi iterum consensu votum licitè, & validè reuocare; quia nulla datur mutua renuntiatio iuris reuocandi; & similiter, quando mutuo consensu ad inuicem promitterent superstitem soluto matrimonio ingressurum religionem, aut seruaturum castitatem; poterit vnus alterius votum irritare. Et idem à fortiori dicendum est in omnibus aliis votis mutuo consensu factis, vt dandi calicem Ecclesiæ, ieiunandi, peregrinandi, &c. quia cùm emissis his votis maneat matrimonium omnino integrum, nec emittantur, vt status, iis votis factis, immutetur, non videntur coniuges se mutuò à iurisdictione eximere, & priuare facultate reuocandi. Ita docet Sanchez *lib* 9 *de matrim. disp*. 40. *num*. 21. & *lib*. 4. *Decalogi cap*. 34. *num*. 18. 17.

Si tamen post castitatis votum mutuo consensu emissum, coniuges contra huiusmodi votum, dent sibi iterum mutuam facultatem corporum; quod quamuis sacrilegè, validè tamen fieri posse docet Sanchez *lib*. 9. *de matrimonio disput*. 37. *num*. 15. vbi etiam probat teneri vtrumque post hanc mutuam facultatem ad debiti redditionem; tunc, inquam, post eam mutuam facultatem, poterit vir votum castitatis vxoris validè irritare, sed non licitè, imò cum graui peccato, & sacrilegio si absque causa irritet: & idem dicendum est de voto religionis emisso communi consensu, quia post illam mutuam facultatem corporum, iam matrimonium est plenè restitutum ad suum priorem statum, & renuntiatio illa iuris ad irritandum est validè remissa; quia votum fuit emissum tempore subiectionis; vnde ea irritatione facta licebit vxori deinceps debitum petere, & reddere; quia iam voto non ligatur. Ita docet Sanchez *lib* 9 *de matrimonio disp*. 40. *num*. 22. & *lib*. 4. *Decalogi cap*. 34. *num*. 17. 18.

19. An verò possit similiter vxor irritari votum viri, ita vt liceat illi deinceps petere, est dubium, quod negatiuè resoluendum est cùm Sancio *lib* 9 *de matrimonio disp*. 41. *num*. 15. & *lib*. 4. *Decalogi cap*. 34. *num*. 31. quia quoad redditionem, qua in re vxor est domina, non indiget prædictum votum irritatione, cum post illam mutuam facultatem corporum statim teneantur coniuges sibi ad inuicem reddere: quoad petitionem verò, & quoad alios actus, ad quos votum illud obligat, nequit vxor votum mariti irritare, quia cum tantùm habeat dominium corporis viri, quoad obligationem, quam ipse habet reddendi, non autem quoad cæteros castitatis actus ad quos votum obligat, non poterit votum viri irritare, nisi quoad illum tantùm actum reddendi; nec enim illi duo actus non petendi & non reddendi pro-

missa Deo castitate voueantur per modum vnius, cum commodè diuidi possint, vt constat ex *capite, Quidam; & capite, Placet, de conuers. coniugator.* vbi deducitur coniugem, qui inicio altero coniuge, vouet solenniter castitatem in religione, validè vouisse, quoad non petendum, & abstinendum ab alio matrimonio, quod erat in sua potestate, non autem quoad non reddendum. Et ita docet Sanchez *lib 9. de matrimonio disp. 42. num. 15 & disp. 37. num. 15.* Sanch.

20. An autem censeatur facta hæc remissio iuris petendi debiti, si alter tantùm coniux ab altero debitum petat, an verò necessaria sit mutua illa facultas corporum, dubium est non vulgare; cui respondendum est, necessariam esse mutuam illam facultatem, & non sufficere petitionem vnius, vt censeatur facta remissio iuris petendi debiti: quando enim vnus solus vouet castitatem de licentia alterius, tunc qui vouit, non intendit se obligare ad simpliciter continendum, cum nequeat se ad non reddendum obligare, nec qui concedit facultatem, intendit se obligare ad non petendum, & ideo in tali actu non includitur virtute renunciatio iuris debiti petendi, & sufficit petitio illius, qui votum emisit, vt censeatur de facto validè, sed illicitè renunciare iuri, quod ratione voti habebat ad non petendum. At quando vterque coniux mutuo consensu eandem castimoniam vouet, tunc vult vterque, & potest omnino se obligare ad simpliciter continendum abstinendo à petitione, & redditione, & renunciando iuri prædictæ petitionis, & redditionis. Vnde sicut ad hanc obligationem requiritur mutua renunciatio talis iuris, ita similiter vt censeatur remissio illius validè, sed non licitè fieri, consequenter requiritur mutua ad inuicem conuentio, & facultas corporum; quia obligatio per quas causas oritur, per easdem tollitur. Ita colligitur ex iis, quæ docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 37. num. 24.* Sanch.

Capvt XXXVIII.

An vir possit irritare omnia vxoris iuramenta Deo præstita, & vota præter votum, & iuramentum castitatis. Agitur de potestate vxoris ad reddenda irrita vota mariti, & de votis, & iuramentis Deo tempore diuortij præstitis.

SVMMARIVM.

Refertur prima opinio asserens solùm posse virum irrita reddere vxoris vota, & iuramenta Deo, contracto matrimonio, præstita; quæ sibi præiudicant quoad domus, & familiæ regimen. numero 1.

Refertur secunda docens omnia posse virum irritare etiam de materia necessaria, vt non furandi, non mentiendi, &c. num. 2.

Iudicium authoris. num. 3. An dominus possit omnia iuramenta promissoria Deo præstita, & vota seruorum irritare. ibid.

Quid si coniuges sint serui. num. 4.

Quid de voto peregrinationis Hierosolymitanæ, causa, vel non causa subsidij, sed solùm ex deuotione facti. num. 5. 6.

Quid de voto castitatis, remissiuè ad caput præcedens. à num. 12.

Quid de voto religionis matrimonio rato, & consummato, vel etiam non consummato ab vxore facto. num. 7.

Quid si vxor obligationem voti, aut iuramenti religionis contulit in tempus viduitatis, aut soluti matrimonij implendam, an tunc possit vir illud irritare. num. 8.

Quid de alijs votis, & iuramentis Deo præstitis præter votum religionis ab vxore emissis, si emittantur animo implendi illa in religione soluto matrimonio, an hæc à marito possint irritari. num. 9. & 10.

An maritus post notoriam fornicationem possit irritare votum, & iuramentum vxoris Deo emissum, non petendi debitum à marito. num. 11. 12.

Omnia vota, & iuramenta Deo præstita, quæ vxor ante matrimonium ratum, & cum adhuc soluta erat, emisit, non potest vir irritare; potest tamen illa suspendere, quatenus sibi præiudicant. numero 13.

Vir sequens potest irritare omnia vota vxoris, quæ poterat alius maritus dum viuebat, eodem modo, quo ille poterat. num. 14.

Quid de votis in matrimonio factis, quando postea sequitur diuortium. num. 15. Dum diuortium durat, neuter potest alterius vota irritare. numero 15.

Quid si iterum reconcilientur. num. 16. 17.

Quid si diuortium fiat ob adulterium, & coniux reus facto diuortio votum, aut iuramentum Deo emittat castitatis, aut religionis, & iterum reconcilientur. num. 18.

PRIMA quæstio tacta in titulo est, an vir possit omnia vota vxoris, & iuramenta Deo præstita post matrimonium facta præter votum & iuramentum castitatis in irritum reddere? & hac de re est duplex opinio: Prima ait vxorem solùm subdi viro quoad materiam Deo voto, aut iuramento promissam præiudicantem viri regimini, ac gubernationi, & sic ea solummodo vota, & iuramenta Deo præstita vxorum posse viros irritare, quæ sibi quoad domesticam gubernationem præiudicio esse possunt, & non omnia absolutè constanti matrimonio facta. Hanc tenent Lessius *lib. 2. de iust l cap. 40. dubio 10. num. 83.* Azor *tom. 1. Instit. moralium lib. 11. cap. 16. quæst. vltima, & cap. 17. quæst 12* Sayro *in claui regia lib 6. cap. 5. num. 8. & cap. 10. num. 19.* Llammas, *in methodo curationis 3 part. cap 4. §. 23.* Suarez *tom. 2. de relig. tractatu de voto lib. 3. cap. 6. num. 26. & lib. 6. cap. 4. num. 2.* Nauarr. *in summa, Latina cap. 12. num. 64. fine, Hispana num. 65.* Margarita confessorum *vbi de voti irritatione folio 135. fine.* Palatios *in 4. dist 38. disp. 3. fol. 987.* Valentia *1. 2. disput. 6. quæst. 6. de voto, punct. 6. in vltima difficultate de votis subditorum.* Ludou. Lopez *1. part. Instruct. cap. 47. §. vltimo,* Graphis *1. part. decision. lib. 2. cap. 29. num. 8. & part. 2. lib. 2. cap. 12. n. 45.* Viualdus *in candelabro. 3. part. cap. 14. num. 100.* Philiarcus *de officio sacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 18. §. 11. peccat*, & alij. Fundamentum est primò, quia vir non est dominus voluntatis vxoris, nec habet dominium in omnes actus voluntatis illius, neque enim vxor est tam subiecta viro, quàm subiectus est impubes patri, vel tutori, 1.

Lessius. Azor. Sayro. Llammas. Suarez. Nauar. Marg. Conf. Palat. Valent. Lud. Lop. Graph. Viuald. Philiarc.

ri, aut religiosus prælato suo, quorum voluntas est voluntas patris, tutoris, & prælati, nam vir non est caput spirituale vxoris, sed tantùm politicum, sicut dominus est caput politicum serui, de quo constat sola sibi præiudicantia vota posse irritare. Ergo vir solùm ea vota vxoris constanti matrimonio facta irritare poterit, quæ sibi in domestica gubernatione præiudicium afferre possunt. Confirmatur, quia subiectio vxoris ad virum oritur ex solo vinculo matrimonij, & est illi commensurata; sed ex tali vinculo solùm sequitur subiectio necessaria, & conueniens statui matrimoniali, qualis cernitur in educatione prolis; in gubernatione familiæ; & in administratione. Ergo solùm ea vota vxoris, quorum materia huic gubernationi præiudicium attulerit, poterit maritus irritare. Nam vxor non subditur viro primariò, & per se propter gubernandam ipsius vxoris voluntatem, sed propter bonum prolis, & familiæ, ac subinde sola vxoris vota de rebus directè, vel indirectè ad hoc pertinentia in irritum poterit reuocare. Secundò, quia vir non habet dominium in actum voluntatis vxoris. Ergo non poterit irritare vxoris vota ex eo solùm, quòd vxor per illa vota sibi nouam obligationem imponat; ergo solùm ea vota cassare poterit, quorum materia sibi præjudicio esse potest. Tertiò, quia nequit vir prohibere vxori omnia opera supererogationis, nec ei potest præcipere quicquid libuerit. Ergo non poterit in irritum reddere vxoris votum, non mentiendi, non furandi, non iurandi falsum, cum hæc materia non subdatur potestati viri. Quartò, quia Deus non amplius subdit vxorem viro, quàm naturalis ratio postulat attento vinculo matrimonij, & naturali vtriusque coniugis conditione: at vxor eo quòd vxor, & fœmina sit, non ita discretione caret, vt nequeat prudenter, & validè vouere, aliàs omnia vota fœminarum extra impubertatem facta possent à patribus irritari. Ergo vxor non subditur viro quoad omnia vota à se emissa; sed quoad illa tantùm, quorum materia viri gubernationi præiudicat.

2. Secunda opinio docet vxoris voluntatem subdi voluntati viri quoad omnia, & ideo vxorem subdi viro, non tantùm quoad materiam promissam, sed etiam quoad omnes actus voluntatis illius gubernandos, posséque proinde virum omnia vxoris vota, & iuramenta Deo præstita etiam de materia necessaria; vt non mentiendi, & non furandi, quæ nullo modo est sub viri potestate irritare, quæ constanti matrimonio, & pro eo tempore implenda absque viri licentia sunt emissa.

Sanchez.
Sotus.
Brunel.
Alcocer.
Stunica.
Rodrig.
Aragon.
Sà.
Petr. Led.
D Bonau.
Abul.

Ita docet Sanchez *lib 9. de matrimonio, disp.39.num.4. & lib.4. Decalogi cap.34.n.3.* Sotus *lib. 7. de iustit. quæst.7. art.5. versiculo, At verò sicuti.* Brunellus *de sponsalibus, conclusione 30. num.14.* Alcocer *in summa cap.16. pag.2. conclusione 5.* Stunica *de voto quæst 3. num. 74.* Rodrig. *tom.2. summæ, cap 90.num. 9.* Aragon. 2. 2. *q.88. art.8. fol.* 1020. Sà *verbo, Votum, vbi de voti irritatione*, §. 1. Petrus de Ledesma *de matrimonio, quæst. 64. art.4. dub.2. conclusione 1.* D. Bonauentura *in 4. dist. 31. in expositione literæ num. 4.* Abulensis *cap. 39. Numer quæst. 65. in solutione ad 3.*

Veiga.

Veiga *tom.2. summæ, cap.129. casu 93. & 94. fine,* & dicit tutam & probabilem Lud. Lopez, & Lessius numero præcedenti allegati. Probatur ex *cap.30. Numer.* ibi: *Si mulier maritum habuerit, & vouerit aliquid, si audiens vir statim contradicat, & irritas fecerit pollicitationes eius, propitius erit ei Dominus*; & ne aliquis existimet sermonem ibi esse de solo voto abstinentiæ, septnaginta Interpretes, Vatablus, & S. Paginus de omni voto id intelligunt, ac vertunt, & satis id indicat indefinita locutio Scripturæ; & eodem modo intelligit D. August. *lib. 4. quæst. 59. in Numeros*, & refertur *cap. Noluit 33.quæst.5.* ibi: *Noluit itaque lex mulierem aliquid vouere, vt nec in aliqua rerum licitarum abstinentia in eiusdem votis fœmina valeat auctoritas, sed virilis.* Et *cap. Manifestum eadem quæst.5.* quod est D. Augustini eodem loco ibi: *Manifestum est ita voluisse legem fœminam sub viro esse, vt nulla eius vota, quæ abstinentiæ causa vouerit, reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo.* Dicit autem, *quæ abstinentiæ causa vouerit*, ad distinctionem voti continentiæ, seu castitatis, de quo est specialis difficultas, vt capite præcedenti *num.* 11. vidimus; & clariùs id docet D. Ambrosius *lib. de Paradiso, cap.* 10. & refertur *cap. finali 33. quæst. 5.* ibi: *Euidentissimè itaque apparet; ita virum esse caput mulieris, vt nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ conuersationis liceat sibi sine eius licentia Deo offerre.* Et ideo Geneseos 3. absolutè dixit Deus vxori, *sub viri potestate eris & ipse dominabitur tui.* Et Paulus ad Ephesios 5. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*; vbi sistendum est in illa dictione, *in omnibus*, & in illa, *vir caput est mulieris*; sicut enim omnes corporis actiones capiti subduntur, & ab illo gubernantur, ita omnes actiones vxoris viro subiiciuntur, & ab illo pendent, ac reguntur; nam quamuis quoad actum coniugalem vir, & mulier sint pares iuxta illud, *ad inuicem reuertimini*; at in cæteris omnibus vir est caput mulieris, & mulier est sub viri potestate. Vnde fit, vt ad virum pertineat gubernare voluntatem vxoris, ne imprudenter voueat (sunt enim mulieres natura sua leues, & faciles in votis emittendis.) Ergo vir habet dominium non tantùm in materiam promissam; sed etiam in omnes actus voluntatis vxoris, ac proinde poterit omnia illius vota irritare, sicut prælatus irritare potest vota religiosi, & pater, ac tutor filij impuberis. Et huius sententiæ videtur esse expressè D. Thom. 2. 2. *quæst.88. art. 8. ad 3.* ibi: *Quia nullum tempus est exemptum, in quo prælatus non possit subditum circa aliquid occupare, nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati, sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec vxoris, nisi sit de consensu viri.* Et confirmatur, quia sicut recta spiritualis gubernatio religionis postulat voluntatem subditorum subiici prælato in omnibus nouis obligationibus suscipiendis; ita recta & pacifica temporalis gubernatio domus, & educatio filiorum postulat, vt vxor plenè, in omnibus obligationibus de nouo suscipiendis viro sit subdita, ne votis imprudenter factis perturbetur pax domestica, vt patet. Nec huic plenæ subiectioni obstat virum non posse præcipere mulieri omnia; quia licet omnia ei non possit præcipere, potest tamen efficere, ne ipsa sibi nouas obligationes per votum imponat, & sic poterit omnia eius vota etiam non mentiendi, & non furandi irritare. Et confirmatur adhuc, quia multo maiori prudentia in vouendo indiget mulier nupta, quàm soluta, cum illa multis oneribus placendi viro, & gubernandæ familiæ grauetur, hæc non. Ergo sicut pater potest filiæ solutæ impuberis vota omnia irritare; ita & maritus vota omnia vxoris puberis: nam si non

D.August.

Ambros.

D.Thom.

maior ratio est, vt prouisum sit ab Ecclesia de irritatione votorum mulierum nuptarum, quàm solutarum, saltem est æqualis; at de facto consultum est irritationi votorum fœminarum impuberum solutarum; ergo, & mulierum nuptarum debet esse prouisum.

3. Ex his opinionibus vtraque est satis probabilis, & tuta; secunda tamen est probabilior propter sua fundamenta. Rationes primæ satis iam solutæ sunt. Sed dices has etiam rationes factas pro secunda opinione posse habere locum in votis seruorum respectu dominorum; & sic posse dominos irritare omnia vota seruorum, & non solùm ea, quorum materia obsequium dominorum, aut plenam dominationem impediunt. At valde disparem esse rationem, nemo non videt; quia seruitus non est vinculum perpetuum, potest enim seruus facilè vendi, & domo expelli, nec est socius ad gubernandam domum, & ad prolem educandam, & ideo non oportuit illum ita subiici domino, quoad obligationes sibi imponendas; sicut vxorem viro, quæ quoad hæc est socia, nec potest expelli. Ita Sanchez *lib. 4.*
Sanch. *Decalogi cap. 34. num. 3. fine.*

4. Nec in hoc discrimen aliquod est constituendum inter coniuges liberos, aut seruos; potest enim vir siue seruus, siue liber, irrita reddere omnia vxoris vota, & iuramenta Deo præstita, siue liberæ, siue ancillæ; quia sicut datur idem vinculum matrimonij inter seruos, & liberos, ita ex eodem vinculo eadem potestas irritandi consurgit: non potest tamen vir seruus tollere eas obligationes quibus vxor ancilla tenetur obsequium dominæ præstare; hæ enim obligationes non obstant potestati irritandi omnia vxoris vota; sed cum illa possunt stare, cum vota irritare
Sanch. non impediat obsequium domini. Ita Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 34. num. 4.*

5. Ex dictis sequitur nulla esse vxoris vota, constanti matrimonio, facta, quæ maritus non possit irritare, etiam non mentiendi, non furandi, non peierandi, & vota peregrinationis Hierosolymitanæ præter votum castitatis, de quo iam egimus capite præcedenti *num. 11. & 12.* Limitant autem nonnulli auctores votum peregrinationis vxoris in subsidium Hierosolymitanum asserentes id votum à viro non posse irritari propter *caput, Ex multa, §. In tanta de voto*, in quo deciditur non posse vxorem votum subsidiarium terræ sanctæ viri sui irritare: & eadem est ratio de voto vxoris, quod similiter non poterit maritus reddere irritum; quod intelligunt dummodo vxor iunior non sit, & de incontinentia suspecta, sitque locuples, vt militem armis munitum secum duce-
Abulens. re possit *num. 9.* Abulensis *cap. 30. Numer. q. 83.*
Nauar. Nauarrus *in summa cap. 12. num. 62.* Lud. Lopez
Lud. Lop. *1. part. instruct. cap. 46. §. penultimo.* Graphis 2.
Graphis. *part. decision. aur. lib. 2. cap. 12. num 27.* Sed iam hæc vota non sunt in vsu, & sic poterunt à viris irritari.

6. Quare probabilius est hoc etiam votum subsidiarium, & iuramentum Deo præstitum posse à viro irritari; quia mulier in omnibus debet regi à viro, neque hodie tale subsidium est in vsu. Neque est eadem ratio in voto vxoris, & viri, quia vxor debet sequi virum, non autem vir vxorem. Vnde licet vxor non possit votum subsidiarium terræ sanctæ viri irritare; poterit tamen vir
Sanch. votum vxoris irritum reddere. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 4. num. 17. & lib. 4. Decalogi c. 34.*
Sayr. *num. 5.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 5. num. 10.*
Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 6. cap. 4. num. 15.* D. Suarez.
Thom. *in 4 dist. 32. quæst. vnic. art. 3. ad 1.* Stunica Stunic.
quæst. 3. de voto num. 70. Rodriguez *tom. 2. sum-* D Thom. Rodrig.
mæ, cap. 90. num. 8. Syluester *verb. Votum 5. q. 1.* Syluest.
& alij.

Excipiunt alij vota ab vxore emissa matrimonio rato, & non consummato, eo quòd nondum plenam vxoris possessionem tempore voti maritus habeat. At sic in hoc casu distinguendum est: si votum emissum ab vxore sit votum religionis absolutum, aut saltem pro nunc, id est, ante consummationem matrimonij implendum, manifesta res est, non posse irritari à marito, nec suspendi; quia est votum per quod eximenda est vxor à potestate viri, & tenetur illa matrimonium non consummare, vt votum impleat, & ad religionem transeat; habet enim se huiusmodi votum instar voti religiosi transeundi ad strictiorem religionem. Ita docet Sanchez *lib. 4. Decal.* Sanch.
cap. 34. num. 6. & lib. 9. de matrim. disp 39. n. 20. & 19. Et ratio est, quia post matrimonium contractum antequam consummetur, concedit ius canonicum duos menses ad ingrediendam religionem, si alter, vel vterque contrahentium illam intra illos duos menses ingredi voluerit: post hos verò duos menses, quantumcumque temporis elapsum sit, si postea alter, aut vterque religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, valet professio, vt constat *cap. 6. 7. & 14 de conuers. coniugat.* & docet Ægydius Conink *de vnitate,* Ægid.
& indissolubilitate matrimonij, disp. 26. num. 49. dub. 4. folio mihi 757. colum. 1. quia ius concedit hos duos menses, ne damno propriæ conscientiæ ingressus religionis protrahatur, non vt professio irritetur. Nam *dicto num. 7.* expressè conceditur ius ingrediendi religionem ei, quæ valde longo tempore contraxerat, non tamen consummauerat. Et verò per solam solemnem professionem dissoluitur, ac dirimitur prædictum matrimonium ratum, non tamen consummatum. Dixi, *per solam solemnem professionem*, quia, vt bene notat Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 18. num. 6.* Sanch.
non dirimitur matrimonium ratum, & consummatum per vota biennij, nec per vota coadiutorum formatorum emissa in Societate Iesv; dirimitur tamen per professionem solemnem trium, vel quatuor votorum; sunt enim illa vota biennij, & coadiutorum formatorum in eadem societate emissa simplicia, quamuis publicè emittantur; vt testatur Gregorius XIII. in bulla, *Ascendente Domino*, & habetur *part. 5. const. eiusdem societatis, cap. 4. initio*, & sic docet etiam Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 7.* Nec Henriq.
dissoluitur matrimonium ratum & non consummatum per ascensum ad ordinem sacrum, vel Episcopatum, vt de ordine sacro definitum est à Ioanne XXII. *Extrauag. Antiqua, de voto*, quia ius de sola professione solemni hoc statuit in fauorem religionis: votum autem castitatis ordini sacro adnexum, est per accidens solemne, vt docet Sanchez *dicto lib. 2. de matrimonio, disp. 18. num. 9.*

Si votum religionis fuit emissum pòst matrimonium, siue ratum, & non consummatum, siue consummatum, dilatum tamen & implendum in tempus soluti matrimonij, potest à viro irritari iuxta opinionem asserentem vota vxoris etiam collata in tempus libertatis pòsse à viro irritari. Ita docet Sanchez *lib. 9. de matrim disp. 39.* Sanch.
num. 19. lib. 4. Decalog. cap. 34. num. 6. Stunica Stunica.
quæst. 3. de voto num. 76. & Sotus *lib. 7. de iustit.* Sotus.
quæst. 3.

quæst. 3. art. 1. paulo ante solutionem ad argumenta. Alij in alia opinione asserunt non posse à viro irritari; sed manere suspensum donec solutum matrimonium sit, & tempus adueniat, quo impleatur. Sed opinio Sancij præualet.

9. De aliis verò votis, præter votum religionis ab vxore emissis ante matrimonium consummatum: quidam asserunt si emissa sint animo transeundi ad religionem, ibique ea implendi, soluto matrimonio, non posse à viro irritari, posse verò, si absque eo animo, emissa sint: at dicendum est, siue eo animo, siue abs que illo emittantur, semper posse à viro irritari, quia animus ille nullam differentiam inducit. Cum enim non cadat sub votum, minimè naturam voti immutat, nec aufert viro potestatem, quam ipse per matrimonij rati contractum in vxoris voluntatem acquisiuit; & ita docet Sanchez *lib. 9. de matrimonio disput. 39. num. 40.* Imò ibi addit idem Sanchez (& bene) quamuis vxor vouisset matrimonio rato, & non consummato, transitum ad religionem, & alia vota simul in eadem religione implenda, posse adhuc omnia alia vota à marito irritari præter ipsum votum ad religionem; quod nequaquam posse irritari diximus *num. 7.* Fundamentum Sancij est, quia ea vota tempore subiectionis emissa sunt, & dum vxor viro subiecta est, irritantur, nec per illa eximitur à viri potestate; per matrimonium autem ratum, & non consummatum ius acquisiuit vir in voluntatem vxoris præterquam quoad votum religionis, vt diximus *dicto num. 7.* Sanch.

10. Sed oppones: si vxor post matrimonium ratum, & non consummatum simul cum voto religionis votum emittat castitatis, & vir huiusmodi votum castitatis irritet, & illo irritato consummetur matrimonium, iam vxor non poterit ad religionem transire, & sic per accidens poterit vir irritare votum religionis ab vxore, ante consummationem matrimonij emissum. Respondeo cum Sancio numero præcedenti allegato, hanc irritationem voti castitatis non obstare, quia adhuc manet votum religionis, quod obligabat ad non consummandum, ne ingressus religionis impediatur, nec post consummationem, illius obligatio simpliciter aufertur, quamuis pro tunc, ratione eo matrimonio, impediatur: vnde fit, quod, eo voto castitatis irritato, possit vxor consummare siue petendo, siue reddendo etiam priori bimestri; nisi votum religionis obstaret, quod facit vt peccet prima vice consummando contra votum religionis, quia impedimentum apponit non implendi illud, non tamen contra votum castitatis cum iam sit irritatum: ita docet Sanch. *dicto lib. 9. de matrimonio disp. 39. num. 20. ad finem.* Sanch.

11. Rursus alij excipiunt, nisi vir notoriam fornicationem corporalem, aut spiritualem admittat; tunc enim dicunt non posse virum irritare vota vxoris constanti matrimonio emissa, etiam sibi præiudicantia, vt votum non petendi debitum. ita Graphis *1. part. decision aur. lib. 2. cap. 29. n. 8.* & posset aliquis existimare id docere etiam Nauarrum *in summa Lat. cap. 12. num. 64. & Hispan. num. 65.* Sed re vera id non sentit, sed satis obscurè loquitur; ait enim tunc posse coniugem votum alterius non petendi debitum irritare, quando illorum alter incidit in notoriam fornicationem temporalem, vel spiritualem, & probat id ex *capite, Agathosa 27. quæst. 2.* & refert Abbatem *in capite finali de conuerf. coniugator.* sed *caput, Agathosa*, nihil confert ad id probandum, & falsò à Nauarro allegatur Abbas, vt docet Sanchez *lib 9. de matrimonio disp. 42. num. 8. & lib. 4. Decalogi cap. 34. num. 7.* & in primo loco ait Sanchez, se non videre cui fundamento sententia Nauarri innitatur, quia periculum incontinentiæ alterius coniugis est causa sufficiens ad petendam dispensationem voti, at non confert dominium in alterius voluntatem, aut materiam promissam, quod exigitur ad potestatem irritandi: vnde si secluso eo periculo non poterat coniux votum coniugis irritare, nec etiam persistente poterit. Deinde, quia partum confert ad periculum fornicationem esse notoriam, aut occultam, nec fornicationi spirituali consuletur per irritationem voti non petendi. Quare ea Nauarri limitatio est reiicienda. Graphis. Nauar. Abbas. Sanch.

12. Poterit tamen legitimum fundamentum huius sententiæ esse, quoniam coniux adulter perdit ius petendi debitum à coniuge innocente, ac proinde dominium in corpus, ac voluntatem eius. Verùm si hoc fundamentum esset verum; idem dicendum esset de fornicatione occulta, per quam patitur idem ius amittitur. Quare in hoc dubio sic distinguendum est cum Sancio *dicto lib. 4. Decalogi cap 34. num. 7. ad finem*; si coniux innocens velit iure suo vti, & à nocente recedere, non posse adulterium eius vota irritare; quia per adulterium, & recessionem coniugis innocentis, amittit ius ad petendum, & dominium in corpus ac voluntatem coniugis innocentis. Et similiter, nec innocens poterit irritare vota adulteri, quia per diuortium suspenditur ea potestas; at si nolit iure suo vti, sed condonata iniuria adulterij velit coniux innocens cum adultero maritaliter viuere, poterit vterque coniux irritare omnia vota alterius, quæ cum tali fornicatione, & adulterio non admisso posset; & ita docet Sanchez *lib. 1. de matrimon. disput. 68. num. 4. & lib 4. Decalogi cap. 34. num. 7. ad finem.* Nam coniux adulter in pœnam adulterij non perdit omnino ius petendi debitum, sed perdit illud in fauorem innocentis, ita vt si innocens velit ab eo recedere, & non reddere, possit id efficere, & alter non possit iure petere, quia priuatur eo iure per alterius negationem; est enim amissio huius iuris, velut pœna conuentionalis, quæ non debetur, nisi ab altero petatur, & dum non petitur, iustè retinetur. Sic coniux adulter licet per adulterium amittat ius petendi, non omnino amittit illud nisi per innocentem, eo iure priuetur, ab eo recedendo; quare dum non recedit, aut debitum negat, iustè potest petere. Sanch. Sanch.

13. De votis, quæ vxor ante matrimonium tam ratum, quàm cum soluta erat, emisit, dicendum est ea solùm posse à viro irritari indirectè seu suspendi, quatenus illorum materia domesticæ viri gubernationi, & domus, ac familiæ regimini obsunt; nam eum tempore emissionis prædictorum votorum nullam potestatem, nec dominium habuerit vir in voluntatem vxoris, nullam conditionem imbibitam habere potuerunt talia vota respectu viri ac proinde solùm ratione præiudicij præsentis subiectionis suspendi à viro potuerunt, non simpliciter irritari. Ita Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 35. num. 9.* Nauarrus *in summa Latin. cap. 12. num. 65 fine. Hispana cap 28. num. 65.* Arag. *2. 2. quæst 88. art. 8. fol. 1020.* Azor *tom. 1. Instit. moral. lib 11. cap. 17. quæst. 14. & quæst. 2.* Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 6. punct. 6. quæstiuncula vltima.* Graphis *2. part. decision. aur. lib. 2. cap. 12. num 45* Rodriguez *tom. 1. summa cap 90. num. 10.* Stunic. Sanch. Nauar. Aragon. Azor. Valent. Graphis. Rodrig. Stunica.

Sà. Sayro. Suarez. *quæst.3. de voto num. 75.* Sà *in summa verbo, Votum, vbi de irritat. num.1.* Sayro *in claui regia lib.6. cap.10. num.11. & 19.* Suarez *tom.2. de Religion. lib.6. cap.4. num.16. & cap.6. num vltimo.* De voto castitatis emisso ab vxore ante matrimonium iam diximus *cap.36. num.13 & cap.37.* non posse à viro suspendi, quia votum hoc duo continet, nempe non reddere, & non petere; quoad redditionem non potest suspendi, nec irritari, quia superuenienti arctiori vinculo matrimonij tenetur vxor reddere, petente viro; quoad petitionem suspendi nequit à viro, quia materia petendi non est subiecta viro, nec tempore voti habebat vir dominium aliquod in vxoris voluntatem.

14. De votis emissis ab vxore tempore prioris viri, & matrimonij, illud certum est, nempe posse virum sequentem irritare illa, eo prorsus modo, quo prior illa poterat irritare. Ratio est, quia cum sit superioritas eiusdem rationis, tota viri prioris potestas transit in virum posteriorem, ac proinde idem omnino dicendum est de posteriori, ac de priori viro. Id tamen intelligendum est, modò vxor tempore viduitatis, quo erat sui iuris vota illa non confirmet, aut rata habeat, quia cum tunc à nullius potestate pendeant, iudicandum de illis est, ac de emissis ante subiectionem; de quibus numero præcedenti
Sanch. diximus, ita Sanchez *lib.4 Decalogi cap.28. num 3.*

15. De votis emissis, & iuramentis Deo præstitis constante matrimonio, quando postea sequitur diuortium: Dicendum est, si legitimè celebretur diuortium post fornicationem alterius, vel qualibet alia de causa, nec deinceps matrimonium redintegretur, neutrum coniugem posse, eo diuortio durante, votum alterius irritare, quæ ante diuortium poterat, quia eo diuortio durante est suspensa irritandi potestas. Probatur ex *cap.30. Numeror* ibi, *Vidua & repudiata quicquid vouerint*
Abulens. *reddent*; vbi ait Abulensis ea verba explicans, idem ius esse quoad vota de viduis, & repudiatis. Sed hic locus parum facit ad rem, quia olim in lege vetere, per repudium dissoluebatur omnino matrimonium, repudiumque in ea lege secundùm vnam opinionem erat permissum, secun-
Sanchez. dùm aliam licitum, vt probat Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 1. num 7.* Sed ratione probatur, quia si loquamur de coniuge adultero, constat quia eo delicto amisit ius in innocentem eo modo quo diximus *num 12. ad finem*, ita vt innocens possit nocente inuito ad religionem transire, vt constat ex *capite, Agatho sa 17 quæst. 2.* & ex *capite, Veniens, de conuers. coniugat.* ibi: *Super renocatione ipsius nullatenus est audienda.* De innocente etiam probatur, quia durante diuortio cedit iure suo, liberatque coniugem subiectione reddendi.
Sanch. Ita docet Sanchez *lib.4. Decalogi cap 30. num.18. & lib.9. de matrim disp 39. num.8.*

16. Si verò conciliari velint, coniux innocens poterit ea delinquentis vota irritare, aut suspendere eodem prorsus modo, quo constante matrimonio poterat; quia cum matrimonium tunc separetur in fauorem innocentis, ac dependenter ab eius voluntate, & dum ipse voluerit reum ad pristinam amicitiam restituere, nulla vota tempore diuortij à delinquente emissa poterunt huic iuri innocentis præiudicare; manet enim tunc suspensa potestas innocentis ad irritandum quæ statim liberatur, ac ipse pacem cum adultero componit; ea tamen est differentia inter vtrumque coniugem, quod innocens potest alterum inuitum sibi reconciliare, ad pristinamque seruitutem redigere, atque ita poterit vota eius tunc irritare, quæ ante diuortium poterat, reus autem minimè id poterit, nisi alter id velit: at facta reconciliatione quomodocumque fiat, siue mutua voluntate, siue ob recompensationem mutuæ fornicationis, integrum erit vtrique ea alterius vota irritare, quæ ante diuortium poterat, quia res omnino iam est ad pristinum statum reducta. Vnde etiam ea reconciliatione facta, poterit nocens ea vota irritare, aut suspendere, quæ innocens voluntariè emisit tempore diuortij, quia per illam reconciliationem redduntur omnia ad pristinum statum, & consequenter potestas irritandi, quæ erat suspensa, reuiuiscit. Ita Sanchez Sanch.
lib.4 Decalogi cap.30. num.18.

Si innocens eo diuortij tempore emittat votum religionis, aut castitatis, cum sit omnino sui 17.
iuris quoad hæc implenda, tenetur ad illud, & nequit licitè alteri remittere adulterium, aut cum illo pacem componere, ne impedimentum ponat impletioni sui voti, aut illud infringere cogatur, & facta semel reconciliatione illicitè aut instaurato matrimonio ob simile innocentis adulterium excusabitur pro tunc à religionis voto, non tamen à voto castitatis, eo modo, quo potest illud seruare; potest autem non petendo: excusabitur, inquam, donec soluto matrimonio, aut iterum alio iusto diuortio securo liceat religionem ingredi, & castitatem integrè seruare tam non petendo quàm non reddendo. Ita Sanchez *lib.4.* Sanch.
Decalogi cap 30. num.20.

Sed quid si coniux reus votum castitatis, aut re- 18.
ligionis eo tempore diuortij emittat; Respondet Sanch. modò citatus *n.19* posse innocentem coniugem pacem componentem ea irritare, ac suspendere eodem modo, quo poterat integro matrimonio emissa, quia cum diuortium factum sit in ipsius fauorem, & dependenter ab ipsius voluntate, nequit nocens illius iuri præiudicare, ac proinde quicquid vouerit, habet eandem tacitam conditionem, quam haberet, si integro, & illæso matrimonio, emissum esset votum, ne præiudicetur iuri innocentis, quod ad reconciliationem habet. Ita Sanchez allegatus. Vnde cum vir possit votum castitatis, seu non petendi debitum vxoris, constanti matrimonio factum, simpliciter, & directè irritare, ita vt amplius non reuiuiscat; vt latè probauimus *cap.37. num.2.* ita etiam poterit, si innocens fuerit, & pacem componere voluerit cum vxore nocente, vota castitatis vxoris facta in diuortio, eodem modo, irritare: & similiter vxor si fuerit innocens, & vir nocens, & ipsa voluerit matrimonialem conuictum cum ipso agere, eique reconciliari; poterit votum castitatis viri tempore diuortij emissum similiter irritare, ita vt soluto matrimonio, aut facto iterum iusto diuortio non reuiuiscat. Et ratio est, quia licet vxor non habeat dominium, & potestatem in viri voluntatem, sicut vir habet in voluntatem vxoris, potest tamen omnia, & sola viri vota absque sua licentia facta irritare, quæ sibi præiudicant, quoad moderatam debiti redditionem, aut mutuam cohabitationem, vt statim numeris sequentibus probabimus.

SVMMARIVM.

An vxor possit aliqua viri vota & iuramenta Deo præstita irritare. Refertur prima opinio negans omnino

omnino posse vxorem aliqua viri vota irritare. num. 19.

Præfertur secunda docens ea omnia, & sola viri vota, & iuramenta Deo facta, posse vxorem perfectè irritare, itavt amplius non reuiuiscant, quæ sibi præiudicant quoad moderatam debiti redditionem, & quoad mutuam cohabitationem. num. 20.

Vxor potest votum, aut iuramentum viri Deo emissum, precum, & ieiuniorum, & vigiliarum irritare, quæ ita illius corpus debilitant, vt ineptus fiat ad moderatam debiti redditionem. num. 21.

An tunc possit vxor hæc in totum irritare, an solum quoad partem in qua sibi præiudicant. num. 22.

Quæ vota, aut iuramenta peregrinationum viri possit vxor irritare, aut non possit. num. 23. & 24.

An possit votum, & iuramentum viri irritare de mutando habitu sæculari in habitum eremitæ, aut tertij ordinis D. Francisci. num. 25.

Non potest vxor vota, & iuramenta viri faciendi magnas eleemosynas etiam in præiudicium familiæ irritare. num. 26.

An vxor possit irritare votum, & iuramentum viri non exigendi debitum absque illius consensu emissum. num. 27. & 28.

Iudicium authoris. num. 29.

An vxor possit irritare vota, quæ maritus fecit, & iuramenta, quæ emisit ante matrimonium, aut post matrimonium animo transeundi ad religionem, soluto matrimonio, ibique eam implendi. num. 30. & 31.

Quæ viri vota, & iuramenta Deo præstita, potest sequens vxor irritare, facta tempore alterius vxoris. num. 32.

An si vir de licentia vxoris castitatem voueat, possit vxor nihilominus hoc votum viri irritare. num. 33. & 34.

19\. AGendum videamus an vxor possit aliqua viri vota irritare, & hac de re est duplex opinio. Prima negat omnino posse vxorem aliqua viri vota irritare. Primò, quia vxor non habet dominium in voluntatem viri, imò ipsi tanquam capiti subest, vt probauimus *n. 2. huius cap.* Secundò, quia non est domina materiæ promissæ: nam si esset domina illius, hoc maximè verum haberet in actibus matrimonij, in quibus coniuges sunt pares iuxta *caput, Gaudemus, de diuortijs.* Et huius opinionis sunt Petrus de Ledesma *tom. 2. summæ, tractatu 10. cap. 7. dub vltimo dicto 3.* & videtur esse Sotus *lib. 7. de iustitia, quæst. 3. art. 1. versiculo, An verò extra hanc materiam.* & Ledesma *de matrim. quæst. 64. art. 4. dub. 2. conclusione 2.* & Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 16. q. vlt. & cap. 17. quæst. 13.*

Petr. Led. Sotus. Ledesma. Azor.

20\. Secunda verior, & tenenda, docet posse vxorem ea omnia, & sola vota viri, & iuramenta Deo emissa directè irritare, itavt amplius non reuiuiscant, quæ sibi præiudicant, quoad moderatam debiti redditionem, & quoad mutuam cohabitationem. Ita docent Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 42. num. 2. & lib. 4. Decalogi cap. 34. num. 20.* Paludanus *in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 2. conclusione 5. num. 23.* & ibi supplementum Gabrielis *quæst. 1. art. 5. versiculo, 6. vir, & vxor.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 40. dub. 10. num. 83. fine.* Sayto *in claui regia lib. 6. cap 5. num. 9. & c. 10. num. 10.* Suarez *tom. 2. de religione tract. de voto lib. 6. cap. 4. num. 8. & sequentibus.* Conrad. *in suis responsis 1. part. quæst. 304.* Toledo *lib. 4. summæ, cap. 18.* Nauarrus *in summa, Lat. cap. 12. num. 64. & 66. Hispan. 65.* Stunica *de voto quæst. 3. num. 60.* Aragonius *2. 2. quæst. 88. art. 8. fol. 1020.* Graphis *1. part. decision. aur. lib. 2. cap. 29. num 8.* Philiarcus *de officio sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 18 §. 11. peccat.* Ludouic. Lopez *1. part. instruct. cap. 47. §. vltimo.* Cañedo *in summa, de sacram. tract. de matrim. cap. 8. num. 74.* Valentia *2. 2. disput. 6. de voto puncto 6. quæst. vltima de votis subditorum,* & omnes qui dicunt professionem, quam vir absque vxoris consensu emisit, de qua fit mentio in *cap. Quidam, de conuers. coniugat.* non obligasse ad religionem, soluto matrimonio, quia vxor reuocauit, & hi sunt Abbas, Angelus, Syluester, Sotus, quos omnes citat, ac sequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 39. num. 36.* & Ioannes Andreas in *cap. Scripturæ, de voto num. 4.* Ancharranus *num. 13.* vbi asserunt posse vxorem vota viri reuocare, sibi quoad moderatum debitum, & mutuam cohabitationem præiudicium afferentia. Et probatur. Primò, quia licet vxor sit subdita viro, tamen habet dominium, & potestatem corporis viri quoad debitum sibi moderatè reddendum, & cohabitandum, vt patet *1. ad Corinth. 5.* ergo vxor irritare vota mariti poterit huic debito præiudicantia: nam quamuis quoad actus matrimonij sint coniuges æquales, in eo quod neuter astringitur ad petendum, & vterque alteri tenetur reddere; at sibi adinuicem sunt subditi, quatenus neuter habet sui corporis potestatem & dominium; sed vtrumque per matrimonium eam potestatem & dominium transtulit in alterum. Igitur ratione huius dominij, & superioritatis poterit vxor irritare vota mariti sibi in hoc dominio præiudicantia. Secundò, quia vota viri, & iuramenta Deo præstita in præiudicium vxoris, si absolutè, & independenter intelligantur, sunt iniqua, ac proinde de se irrita. Igitur vt valeant debent includere conditionem, *si vxor consenserit,* quod est totum fundamentum potestatis irritandi, vt sæpe diximus in superioribus.

Sanchez. Palud. Supplem. Gabr. Lessius. Sayto. Suarez. Conrad. Toled. Nauar. Stunica. Aragon. Graph Philiarc. Lud. Lop. Cañedo. Valent. Sanchez. Ioan. And Anchar.

21\. Hinc infertur primò, non posse virum absque vxoris consensu voto, aut iuramento Deo facto eas preces promittere, vigilias, ieiunia, abstinentias, quæ ita debilitant vires corporis, vt ineptus fiat ad moderatam, ac prudentem debiti redditionem; posseque id votum & iuramentum Deo præstitum tanquam sibi nociuum, ac præiudicans ab vxore irritari, potest tamen vir promittere moderatas, minimeque illud impedientes, quæ promissio irritari tunc ab vxore non potest. Ita Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 4. num 6. & 13.* Sanch. *lib. 4. Decal. cap. 34. num. 20. & lib. 9. de matrimonio disput. 42. num 4. & disput. 3. num. 7.*

Suarez. Sanchez.

22\. An verò possit tunc vxor ea ieiunia, preces, & vigilias viri in totum irritare, an solùm quoad excessum quatenus illi præiudicant, est dubium. Et forte videbitur alicui hæc quoad totum posse ab vxore reuocari, irritarique, quia auctores absolutè dicunt posse vxorem vota viri sibi præiudicium, ac nocumentum afferentia irrita reddere; at malè ita absolutè loquerentur, & non exiguam errandi ansam præberent, si potestas vxorum esset ad irritandum limitata quoad partem votorum, quæ à maritis emittuntur, non quoad totam materiam illorum. Secundò, quia ingens erit scrupulorum puteus discere quantum præiudicarent, maritus enim vnam, vxor aliam opinionem haberet; & sic in diuersas sententias per discordiam abirent, quod non modicum præiudicium

dicium erit paci coniugij. Tertiò, quia quando hæc vouentur licet in se sint diuisibilia, attamen per modum vnius vouentur, Deóve iuramento promittuntur. At nihilominus dicendum est solum excessum posse vxorem irritare; quia solùm potest vota mariti renocare, quatenus debito coniugali moderatè reddendo præiudicant: & solus ille excessus præiudicat, vt patet. Secundò, quia preces illæ abstinentiæ, & ieiunia, reuera sunt partibiles, nec ita per modum vnius vouentur, vt non commodam diuisionem patiantur; quod probatur, quia si ieiuniũ ex præcepto quadragesimæ impediat debiti coniugalis moderatam redditionem, excusabitur vir ab eo ieiunio, non in totum, sed quoad partem, & in quantum huic rei præiudicium est. Tertiò, quia *cap. Quidam*, & *cap. Placet*, *de conuers. coniugat.* deciditur coniugem quando inscio altero coniuge vouit solenniter castitatem in religione, manere obligatum ad non petendum, & ad abstinendum ab alio matrimonio: teneri tamen ad reddendum, eo quòd si ad id non teneretur, præiudicium id esset coniugi, & tamen vtrumque scilicet, non petere, & non reddere, per modum vnius vouit, Deóque in religione profitendo promisit. Nec iudiciũ circa magnum, aut paruum præiudicium mutuæ discordiæ, & iurgij causa esse potest, quia adsunt pij, ac prudentes confessores, adsunt viri literati, qui eam litem dirimere prudenter poterunt. Ita docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 42. num. 5. & lib. 4. Decalog. cap. 34. num. 22.* Sanch.

23. Infertur secundò, posse virum absque vxoris consensu breuem aliquam peregrinationem non longam Deo vouere, aut iuramento promittere, & ideo votum viri, & iuramentum Deo præstitum de longa peregrinatione posse vxorem irritare, non tamen de breui; Deo enim minimè placent, quæ impendia sunt eum proximi detrimento. Ita docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 4. num. 15. & disp. 3. num. 7. & lib. 4. Decalogi c. 34. num. 23.* & Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 4. num. 13.* Aragon. *s. 2. quæst. 88. art. 8. fol. 1020.* Rodriguez *tom. 1. summa, cap. 90. num. 7.* & alij. Quare non est audiendus Abulensis *c. 27. Leuitici quæst. 10.* vbi ait posse maritum omnem peregrinationem præter vltramarinam vouere absque vxoris consensu. Sanch. Suarez. Aragon. Rodrig.

24. Vnde potest vxor irritare votum mariti peregrinationis Hierosolymitanæ causa deuotionis emissum, quia est votum longissimæ peregrinationis, & sibi magnu præiudicio esse potest, si tamen emissum fuerit tale votum in subsidium terræ sanctæ, ab vxori irritari non poterit. Ita docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp 4. num. 5. & lib. 4. Decalog. cap. 34. num. 24.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 5. num. 9.* Suarez *tom 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 4. num. 14.* Imò nec etiam votum subsidij terræ sanctæ poterit vir licitè implere personaliter, si vxor nolit eum comitari, & sit iuuenis, relinquaturque in periculo continentiæ, nec vxor tenetur tunc illum comitari, eo quòd sit res valde onerosa, quia ex iure naturali tenetur vir huic periculo vxoris obuiare, & ideo satisfaciet tunc redimendo votum: & ita docent Sanchez, & Suarez allegati, & D. Thom. *quodlibeto 4. art. 11.* & D. Antoninus *3 part. tit. 1. cap. 22. §. 1.* Sanch. Sayro. Suarez. D. Thom. D. Anton.

25. Infertur tertiò, non posse virum, coniuge renitente, & absque illius consensu, mutare habitum, aut id vouere; vt v. c. assumere habitum eremitæ, aut tertij ordinis D. Francisci, & posse hoc votum viri irritare, sicut & vir votum vxoris, quia is habitus generat horrorem, & subinde obligationi nocet reddendi debiti, & ita docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 3. num. 9. & lib. 4. Decalog. cap. 34 num. 25.* Rosella *verbo, Votum 2. num. 9.* Syluester *verbo, Votum 5. quæst. 1. fine.* Nauarr. *in summa, Lat. cap. 12. num. 62.* Quare nec licebit vxori vestibus mulierum, quas vulgo beatas appellamus, absque viri consensu vti, vt docet Sanchez primo loco allegatus, quia illius statum dedecent, horrorisque viro causa sunt. Sanch. Rosell. Syluest. Nauar.

Infertur quartò, non posse vxorem vota, & iuramenta Deo præstita mariti, erogandi magnas eleemosynas irritare, quia licet hæc vota in familiæ, & rei familiaris, & vxoris præiudicium emissa sint; attamen plena domus bonorum, & rei familiaris administratio ad virum independenter ab vxore spectat, vnde etiam, ipsa reclamante, tenebit factum. Ita docet Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 34. num. 16.* & Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 4. num. 8.* & idem Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 42. num. 6.* & Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 3. art. 2. versu, An verò extra hanc materiam.* Quod tamen debet intelligi, nisi adeo copiosam eleemosynam voueat, vt implere nequeat, nisi alienando aliquid de bonis vxoris, vt bene tradit Suarez allegatus, & probat Sanchez *lib. 9 de matrim. disput. 42. num. 6.* cum Soto allegato, & Angles *in floribus 2. part. quæst. de voto art. 7 post 9. difficultatem dub. 3. conclusione 2.* quia tunc iam votum in vitium prodigalitatis, aut in vinculum iniustitiæ tenderet, & ideo tunc nulla relaxatione indigebit, vi vi obligandi careat. 26. Sanch. Suar. Sanch. Sotus. Sanch. Angles.

De voto à viro, & iuramento facto absque vxoris consensu, non exigendi debitum; existimant aliqui posse ab vxore irritari, eo quòd sit in vxoris præiudicium emissum; quia contra pudorem naturaliter fœminis insitum cogetur vxor semper petere. Ita docent Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 15. num. 8. ad finem.* Rodriguez *tom. 2. summa, cap. 90. num. 3.* Philiarchus *de officio sacerdotis, tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 4. §. Excipitur in conclusione.* Veiga *tom. 2. summa, cap. 129. casu 93.* & dicit esse probabilissimum Aragonis *2. 2. quæst. 88. art. 8. fol. 1021.* 27. Henriq. Rodrig. Philiarc. Veiga. Arag.

Dicendum tamen est, si vir dum votum emisit, aut iuramentum Deo præstitit, per non exigere debitum, velit promittere se non obligaturum vxorem de iustitia ad debitum reddendum, non posse vxorem illius votum irritare, quia huiusmodi votum in hoc sensu emissum nullatenus illi præiudicio est, imò prodest; at in hoc sensu rarissimè sumitur votum. Si autem, per non exigere, intelligat non petere simpliciter redditionem debiti, vt ordinariè votum sumitur, & rarissimè euenit contrarium; aut vir per tale votum intendat promittere castitatem, tunc est duplex opinio. Prima, quam numero præcedenti explicauimus, ait posse vxorem huiusmodi votum irritare propter fundamentum inibi tactum, scilicet, quod id cedat in maximum detrimentum, ac grauamen vxoris, quia contra naturalem pudorem insitum fœminis cogetur semper petere; & hæc opinio est probabilissima, præter auctores numero præcedenti citatos, qui expressè eam tenent, & valde probabilem illam appellat Sanch. *lib. 4. Decalog. cap. 34. num. 27.* Secunda ait non posse, quia hoc votum non est contra finem matrimonij, quæ solùm adstringit ad reddendum debitum, 28. Sanch.

debitum, nec vxor dominium aliquod, aut poteſtatem habet in virum, vt poſſit illum compellere ad petitionem; ſed quoad hoc ſunt pares, & ambo ſui iuris,& ex altera parte vxor non eſt caput viri ſed ei ſubdita. Nec obſtat grauamen vxoris, & quòd cogatur ſemper petere, quia vir eo voto emiſſo tenetur ſe aliquoties offerre ad vſum coniugalem. Et hanc opinionem tenet Sanchez *lib.4. Decalogi cap.34. num.27.* & Leſſius, quem ibi citat *tom.1. de iuſtitia lib. 2. cap. 40. dubio 10. num.84. & lib.9 de matrim. diſput.42. num.7.* Palatios *in 4.diſt 8.diſp.2. fol.712. columna 1. initio.* Angles *in floribus.2.part.quaſt. de voto art. 7. poſt nonam difficultatem, dubio 2.* Stunica *quaſt.3.de voto num. 60.* Anton Gomez *in Bullam cruciatam clauſula 10. num.67.* & à fortiori id docent Doctores omnes, qui negant poſſe, virum id votum vxoris irritare, quos, & non paucos refert Sanchez *lib.9. de matr. diſp.39.num.10.* Vtraque opinio eſt tutiſſima, ſequere, quam mauis.

Sanch. Leſſius. Palat. Angles. Stunic. Ant.Gom.

29. At ego inclino in primam ſententiam, quia re vera magnum eſſet grauamen vxoris & contra eius naturalem pudorem ſemper petere. Sunt enim aliquæ tam pudicæ, vt potius pollutionis periculo ſe exponant, quàm eam verecundiam patiantur, tacitè vel expreſsè petendo: quicquid tamen de hac irritatione ſit, hoc certiſſimum eſt, non poſſe vxorem votum caſtitatis viri irritare, quatenus obligat ad abſtinendum à venereis extra matrimonium, & quatenus adſtringit non tranſire ad ſecundum matrimonium, ſoluto primo, quia in hoc nullum præiudicium vxoris cernitur, vt optimè notauit Sanchez *lib 4. Decalogi cap.34.num.27.*

Sanch.

30. Infertur quintò, vota à viro emiſſa, conſtanti matrimonio, animo tranſeundi ad religionem, ſoluto matrimonio, & ibi ea implendi non poſſe ab vxore irritari, nec ſuſpendi. quia nulla ratione ſibi præiudicat: ſi autem non eſſent implenda in religione, poſſunt ab ea irritari, ſi ſibi præiudicio ſint; quia per matrimonium ratum, etiamſi non ſit conſummatum, acquirit vxor dominium, & ius in corpus viri, cui maritus præiudicare nequit, niſi per religionis ingreſſum. Ita Sanchez *lib.4. Decalogi cap.34. num.29.*

Sanch.

31. De votis autem à marito ante matrimonium emiſſis, dicendum eſt, poſſe illa ab vxore non ſimpliciter irritari ſed ſuſpendi; quatenus damnum, & nocumentum ſibi inferunt, & pro tunc non obligabunt; quia obligatio religionis, qualis eſt voti obligatio, contracta ante matrimonium, nequit præiudicio eſſe obligationi iuſtitiæ conſurgenti ex nouo matrimonio; & ita docet Sanchez *lib.4. Decalogi cap.31. num.52.* Roſella *verbo, votum 2. num.10.* Antonius *in capite, Scriptura de voto num.3.* & ibi Abbas *num. 8.* & Anchatanus *num. 14.* vbi aiunt neutrum coniugem teneri vota exequi alio contradicenti, & ita tenet etiam expreſsè Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap 4.num.16.*

Sanch. Roſell. Anton. Abbas. Anchar. Suarez.

32. Vota à marito emiſſa tempore alterius matrimonij, poterit vxor ſequens in omnibus caſibus irritare, vel ſuſpendere, in quibus prior vxor poterat; quia ſuccedit loco alterius vxoris, & poteſtas irritandi ſuccedens loco alterius irritandi poteſtatis, eandem vim habet, quam prior cuius loco ſucceſſit habebat, vt deducitur ex iis, quæ docet Sanchez *lib.4. Decalogi cap.38. num.3.*

Sanch.

33. Vota præiudicantia vxori, etiamſi ex eius licentia ſint facta, poteſt vxor irritare; quia ea licentia non auſert antiquum materiæ promiſſæ dominium, & vota manent adhuc conditionalia. Ita Sanchez *lib.4. Decalogi cap.27. num. 12.* Innocentius *in capite, Scriptura, de voto ad finem.* D. Antonin.*3 part.titulo 1.cap.22.§ 1.* & videtur tenere Sotus *in 4. diſt.27.quaſt.1. artic. 4. verſiculo. Id autem*, & Bartholomæus de Ledeſma *de matr. dub 20. concluſ. 1.* vterque enim indiſtinctè, ait coniugem concedentem licentiam vouendi poſſe illam reuocare; ſed tunc vt licitè id fiat, debet fieri ex iuſta cauſa, validè tamen fiet, ſed cum mortali culpa ſi ſine cauſa irritauerit.

Sanch. Innoc. D.Anton. Sotus. Ledeſma.

Hinc ſi vir ex licentia vxoris perfectam caſtitatem voueat, poterit vxor votum irritare, quoad debiti redditionem; & quidem validè, ſed cum peccato mortali ſi ſine cauſa irritet. licitè verò,& ſine peccato, quando iuſta cauſa adeſt; & idem dicendum eſt, quoad petitionem debiti iuxta ea quæ diximus *à num. 27. vſque ad 29.* & ita docet expreſsè Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 34. numer.31.* Quando autem ex mutuo conſenſu perfectam vouent caſtitatem, quid dicendum ſit de viro reſpectu vxoris,& de vxore reſpectu viri, diximus *capite præcedenti à num.28.& deinceps.* 34.

CAPVT XXXIX.

De irritatione votorum ſeruorum. Quæ vota, & iuramenta Deo præſtita poſſint domini reſpectu ſeruorum irritare, ante, & poſt ſeruitutem, & quæ non poſſint.

SVMMARIVM.

Refertur prima opinio aſſerens poſſe dominos omnia vota ſeruorum irritare præter votum caſtitatis. num.1.& 2.

Præfertur ſecunda aſſerens omnia tantùm vota, & iuramenta Deo præſtita ſeruorum poſſe dominos irritare, quæ iuri & poteſtati ipſorum poſſunt, modo aliquo, impedimento eſſe, vt votum religionis, peregrinationis, &c. num.3.

Non poſſunt domini irritare vota, & iuramenta ſeruorum aliquarum orationum, ſi moderata ſint. num.4.

Poſſunt tamen domini ſeruos occupare eo tempore, quo ipſi eas moderatas preces facturi erant, & ſic vota ſeruorum ſuſpendere. num.5.

Non poſſunt domini irritare vota caſtitatis ſuarum ancillarum, etiamſi defectus partus ſibi præiudicet. num.6.

Quæ vota, & iuramenta abſtinentiæ, & ieiuniorum ſeruorum poſſint domini in irritum reddere. numero 7.

An poſſint domini irritare vota ſeruorum de ſeruandis præceptis diuinis,& Eccleſiæ, vt audiendi ſacri in diebus feſtis,& confitendi in quadrageſima. num.8.

Vota realia ſeruorum poſſunt domini irritare, niſi ſerui aliquid poſſideant, quod ab illis auferri nequeat. num.9.& 10.

An poſſint domini in irritum reddere vota, & iuramenta ſeruorum facta in impubertate, ſi ipſi ſerui parentibus, aſcendentibus, aut tutoribus carent, & magiſtri vota, & iuramenta diſcipulorum, & heri famulorum, patre ſimiliter, aſcendentibus,&

tutore

tutore carentium; refertur sententia affirmans, quæ est pia, & probabilis. num. 11.

Iudicium authoris. num. 12.

Quid de votis & iuramentis seruorum emissis in seruitute, collatis tamen ad tempus libertatis. n. 13. *& 14. & quid si serui ipsi post recuperatam libertatem iterum serui fiant.* ibid.

An non solùm vir, sed etiam uxor, possit vota seruorum, & iuramenta Deo emissa irritare. numero 15. 16. *Et quid si seruus ad bona parapheрnalia vxoris pertineant.* ibid.

Ad quem pertineat irritatio votorum, & iuramentorum serui, si inter peculium castrense, aut quasi castrense filijfamilias numeretur, ad patrem ne, an ad filiumfamilias. num. 17.

Quid si pertineat ad peculium aduentitium filijfamilias. num. 18.

Quid si in eo peculio aduentitio pater non habeat vsumfructum. num. 19.

Quid si seruus pertineat ad bona, & peculium profectitium filijfamilias. num. 20.

Quid si seruus sit pupilli, aut minoris carentium tutore, aut curatore, & ascendentibus. num. 21.

Quid si dominium serui ad vnum dominum spectet, vsus verò fructus per aliquod tempus spectet ad alium. num. 22. 23. & 24.

Vota seruorum, quæ propriè irritantur, non reuiuiscunt. num. 24.

1. VOTA seruorum, vel emitti possunt ab ipsis seruis in ipsa seruitute, implenda tamen post illam; vel ante seruitutem, vel post seruitutem, & per omnia huiusmodi vota his temporibus emissa discurremus.

2. Dubium ergo est, an dominus possit omnia seruorum vota in ipsa seruitute emissa, & in illa implenda in irritum reddere. Partita est hac de re opinio. Prima affirmat omnia hæc vota seruorum posse à dominis irritari præter votum castitatis. Ita docet expressè Abulensis *cap. 30. Numeror. quæst. 91. statim in principio*, vbi dicit posse dominos irritare omnia seruorum vota, quamuis illis nullum præiudicium afferant: & *quæst. 90. fine*, ait tunc vti iure suo dominos, peccare tamen irritando vota sibi non præiudicantia, & tenet expressè de omnibus votis, imò dempto castitatis Tabiena *verbo votum 5. in fine*. Petrus de Ledesm. *tom. 2. summæ tract. 10. cap. 7. dubio vlt. dict. 4.* & videtur tenere Aragonius 2. 2. *quæst. 88. art. 8. columna 9. versiculo de dominis est aliud dubium folio* 1020. Vbi tandem asserit, omne votum indigens tractu temporis ad sui executionem, posse à dominis irritari, excepto castitatis voto. Fundamentum illorum est primò, quia quodcumque aliud votum præter votum castitatis exigit tempus aliquod, vt impleatur; at dominus potest occupare seruum quocumque tempore; ergo potest quodcumque serui votum irritare. Et patet ex *l. 2. ff. de Pollicitat.* ibi: *Filius enim familias, vel seruus sine patris, dominive authoritate, voto non obligantur*; Et huic sententiæ videtur adstipulari D. Thom. *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula vltima ad 3.* vbi ita ait: *Sicut seruus non est exemptus aliquo tempore à seruitio domini sui, & ideo nullum tempus est ei vacans, quo possit quodlibet facere, & quia omne votum est aliquo tempore complendum, ideo sicut nec seruus, ita nec religiosus aliquod votum emittere potest absque consensu sui superioris.* vbi nullum votum videtur excipere, cum ex serui impotentia ad vouendum independenter à domino argumentum ducat ad probandam subiectionem, & impotentiam religiosi, cuius potest prælatus omnia vota irritare, dempto voto transeundi ad strictiorem religionem.

Abulens. Tabiena. Petr. Ledes. Arag. D. Thom.

3. Secunda opinio verior negat, & ait sola vota seruorum, & iuramenta Deo præstita à dominis irritari posse, qui iuri, ac potestati ipsorum, modo aliquo, præiudicant, vt votum peregrinationis, religionis &c. Hanc tenent communiter Doctores, Lessius *lib. 2. de religion. tract. de voto lib. 3. cap. 7. num. 29. & lib. 6. cap. 3. num. 2. & 3.* Veiga *tom. 2. summæ cap. 129. casu 100.* Azor. *tom. 1. Inst. moral. lib. 11. cap. 17. quæst. 9. & cap. 16. q. 8.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 5. num 7. & cap. 10. num. 18.* Ludou. Lopez *1. part. Instruct. cap. 48. initio.* Rodriguez *tom. 2. summæ cap. 91. num. penultimo, & vltimo,* Syluester *verbo, votum 4. q. 2. dicto 5. & verbo, votum 3. quæst. 7.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 3. art. 1. in solutione ad 2.* Nauarrus *in summa Latina cap. 12. num. 64. ad finem,* & D. Th. *2. 2. quæst. 88. art 8. ad 2.* vbi rationem reddens obquam seruus nequeat se ad religionem obligare, ait eam esse quòd domini obsequio præiudicet. Et *quæst. 104. artic. 5. ad finem corporis*, asserit seruum teneri domino obedire in solis rebus pertinentibus ad seruilia opera exequenda, & in propriis terminis hoc docent Innocentius *in capite, Scriptura, num. 3 de voto,* & ibi Hostiensis *num. 7.* Ioannes Andreas *num. 4.* Abbas *num 6.* Antonius *num. 4. versu, Secundo modo.* Ancharranus *num 7.* Cardinalis *num. 5. quæst. 10.* Ananias *num. 5.* & ibi Bellamera *num. 3.* & alij communiter. Et ratio est, quia dominus non est superior quoad voluntatem serui simpliciter, nec dominium habet super omnes actus liberos illius voluntatis, sed eius in illum potestas est ratione tantummodo seruitutis ei debitæ; ergo sola ea vota, quæ huiusmodi seruituti obsunt irritare potest. Secundò, quia multa alia vota præter votum castitatis, & religionis non indigent tempore, quod obsequium Domini impediat, vt votum non mentiendi, non furandi, diligendi Deum, & alia similia.

Lessius. Veiga. Azor. Sayro. Lud. Lop. Rodrig. Syluest. Sotus. Nauar. D Thom. Innoc. Hostiens. Ioan. Andr. Abbas. Anton. Anchar. Cardin. Ananias. Bellam.

4. Ex hac opinione, quam veriorem iudicamos, multa corollaria sequuntur. Sequuntur enim primò, non posse dominum irritare votum serui aliquarum orationum, si moderatæ sint, quia preces moderatæ non impediunt domini obsequium; neque enim serui ita debent esse penitus astricti seruitiis dominorum, vt eis orare aliquantulum, more Christianorum, non liceat. Ita Emanuel Rodriguez *tom 2. summæ, cap 91. num. vltimo.* Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib 6. cap 3. num. 3.* Sayro *in claui regia lib 6. cap. 10. num. 18.* Syluester *verbo, Votum 3. quæst 7.* Nauarrus *in summa Hispana cap. 17. num 74.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 16. quæst. 8.* Anton. Gomez *in Bulla Cruciata, clausula 10. num. 74. & 75.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 10. n 82.* Lud Lopez *1. part. instruct. cap. 48. initio.* Philiarchus, Durandus, Margarita confessorum, & alij, quos citat, ac sequitur Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 36. num. 4.* & ideo Rosella *in summa, verbo, Votum 2. num. 11.* & Angelus ibi *num. 7.* cautè, & circunspectè dixere non integrum esse seruis independenter à dominis vouere nimias preces, domini obsequia impedientes, vt vel sic significent posse moderatas vouere.

Rodrig. Suarez. Sayro. Syluest. Nauar. Azor. Ant. Gom. Lessius. Lud. Lop. Sanch. Rosell. Angel.

5. Poterunt tamen domini aliquando suspendere vota seruorum, vt si aliquando occupent seruos eo tempore quo preces voto promissas implenti erant, non tamen seruorum vota possunt ita impedire, vt omni tempore eos occupent domini.

Insuper

Insuper possunt domini suspendere seruorum vota, etiamsi ex se præiudicium obsequio dominorum non afferant, si per accidens sint causa illius, vt si seruus nimiis scrupulis vexatus longum tempus in breui oratione tereret, ac insumeret. Dixi autem signatè posse tunc suspendere dominos seruorum vota, non irritare, quia ex se huiusmodi vota sunt permissa seruis, nec sunt ex iis, quæ domino præiudicant, & ideo sola illorum suspensio permittitur dominis, non irritatio: sicut permittitur etiam hero respectu famulorum, quando famuli suis votis præiudicant dominorum obsequiis. Ita Sanchez *lib.4. Decalog. cap.36. num.4. ad finem.* Sanch.

6. Sequitur secundò, non posse dominos irrita reddere vota castitatis seruorum suorum, quod vniuersi doctores vtriusque sententiæ *num.2. & 3.* allegati fatentur ingenuè. Nec obstat, quod hoc votum saltem ab ancillis emissum, cedat in domini præiudicium, vt pote, quæ nubentes parerent seruos dominis, quia domini non habent ius ad ancillæ nuptias, sed liberum ancillis est nuptias aut vitam cœlibem eligere, & ideo ius habent ad hanc vitam cœlibem Deo promittendam, velint, nolint domini, vt bene docet Sanchez *lib.4. Decalogi cap.36 num.3.* Sanchez.

7. Sequitur tertiò, non posse dominos in irritum reddere omnia vota ieiuniorum, & abstinentiæ seruorum; sed ea tantùm, quæ dominorum obsequia impediunt, & ita seruos debilitant, vt postea corpore deficiant; secus verò quando ita moderata sunt, vt non præiudicent seruitiis dominorum Ita docet Sanchez *lib.4. Decalog. c.36. num.5.* Rodriguez *tom.2. summa, cap 91. num. vltimo.* Suarez *tom.2 de Relig. tract. de voto lib.6. cap. 3. num. 2.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 5. num 10.* Palud. *in 4 dist.38. quæst. 3. art.1. num.7. conclus. 3.* Philiarchus *de officio sacerdotis, tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 18. fine.* Sanch. Rodrig. Suar. Sayro. Palud. Philiarc.

8. Sequitur quartò, non posse dominos in irritum reddere vota à seruis emissa de seruandis præceptis diuinis, & Ecclesiæ, vt audiendi sacri in die festo, confitendi in Quadragesima &c. quia in his non subduntur dominis, nec ipsi præiudicio sunt. Ita Suarez *tom. 2. de Relig. in tract. de voto lib.6. cap. 3. num. 3* & Sanchez *lib.4. Decalogi cap. 36. num. 6.* quia tamen possunt aliqua vota, aut iuramenta Deo præstita seruandi aliqua præcepta debito dominorum seruitio obesse, vt vota ieiunandi in diebus præcepti Ecclesiæ, quando domini indigerent iis operis suorum seruorum in iisdem diebus, quæ à præcepto ieiunij excusant, possunt tunc domini suspendere prædicta seruorum vota, pro eo tempore, & tunc legitimè excusantur serui à prædicta votorum obligatione, vt patet. Suarez. Sanchez.

9. Sequitur quintò, vota realia à seruo emissa posse à domino irritari, cum seruus nihil habeat proprium; eius enim opera, ars, industria, resque omnes in propriis domini bonis numerantur, *Instit. per quas personas nobis acquirat. domin. §. Item vobis. & l. Regia 7. tit. 21. part. 4.* & ita docent Sanchez *lib.4. Decalogi cap. 36. num. 7.* Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 3. n. 4.* Paludanus *in 4. dist. 38. art. 4. quæst. 2. conclusione 3.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 17. q. 9. & cap. 16. quæst. 8.* Valentia *2. 2. disp 6. quæst. 6. puncto 6. quæstiunc. vltima, columna penult. versiculo, Ad illud autem exemplum.* Alcocer. *in summa, cap. 16. vbi de potentib. irritare, conclusione 6.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 5. num. 7. & cap. 10. num. 18.* Gabrielis Supplementum *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 5. versiculo, Quintò seruus.* Sed hoc limitandum est, nisi serui aliquid proprium possidebant, quod à dominis auferri nequeat, quia de eo possunt disponere, & votum independenter à dominis emittere, vtpote quod eis nihil præiudicat, iuxta ea, quæ diximus *lib.7. in septimum præceptum cap. 13. per totum*, vbi ostendimus posse habere aliquid peculij, quod dominorum non sit, & de quo possint disponere. Sanch. Suarez. Palud. Azor. Valent. Alcocer. Sayro. Gabriel. Supplem.

Nec approbandum est id, quod asserit Anton. Gomez *in Bulla Cruciata, clausula 10. num. 75.* hanc limitationem esse intelligendam, quando seruus ex eo peculio modicam voto, aut iuramento, Deo promitteret eleemosynam; nam si magnam, inquit, promitteret, posset dominus illud irritare; displicet enim omnino, quia cum id peculium totum sit serui, & illius dispositioni subsit, nihil nocet domino, siue paruam, siue magnam eleemosynam voueat, vel iuramento promittat. Ita docet Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 36. num 9.* & Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 3. n. 5.* & patebit liquidò ex iis quæ dicemus *dicto lib. 7. in septimum præceptum, cap. 13.* Nec refert, quòd possit dominus irritare votum reale serui carentis peculio prædicto, quia, si tale votum possit licitè impleri à seruo, dando quotidie minimum aliquid in eleemosynam, maximè si sit ex iis, quæ seruus sibi subtraxit ex concessis à domino, ad id teneretur; non refert, inquam, quia id ex sola præsumpta voluntate domini, seruo licet, & ideo potest dominus contradicere, & tale votum irritare, vt optimè docent Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 36. num. 10.* & Suarez *tom. 2. de Relig. dicto lib. 6. cap. 3. à num. 5.* 10. Ant. Gom. Sanch. Suar. Sanch. Suarez.

Sed dubium est, an possint domini irritare vota seruorum, quæ emiserunt dum in ætate impubertatis erant, & patre, ascendentibus, tutoreque carebant. Planè Lessius *lib. 2. de iust. c. 40. dub. 10. num. 78.* refert quosdam tacito nomine sentire, posse magistrum discipuli vota, & iuramenta Deo præstita etiam castitatis & religionis quæ in ætate impubertatis emisit, si tutore, & parentibus careat, irritare; & herum vota & iuramenta serui, quæ in eadem ætate emisit, si similiter patre, ascendentibus, tutoréque destitutus sit, quia loco parentum succedunt, & ait id pium, & rationi consonum esse; & Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 6. num. 23.* cum Lessio consentit, & similiter id pietati, & rationi consonum esse affirmat; & Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 10. num. 18. in fine*, ait posse dominum vniuersa vota serui impuberis parentibus orbati irritare, eo quòd rationi consentaneum sit, vt sicut dominus totam illius serui curam in ea ætate habet, ita, & vniuersa illius vota tunc irritare possit eodem prorsus modo, quo parentes serui possent, si viui essent: & consequenter loquendo idem dicerent omnes de nutritio respectu infantis expositi impuberis, cuius parentes sunt ignoti, vt optimè animaduertit Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 35. num. 83.* 11. Lessius. Suarez. Sayro. Sanch.

12. Sed quamuis hæc sententia valde pia sit, & possit aliquis auctoritate horum doctorum nixus illam consulere, & sequi: non audet tamen Sanchez modò allegatus *num. 84.* illam approbare, quia iuxta illius opinionem hæc sententia solido fundamento caret, & soli pietati innititur, quæ sufficiens non est ad potestatem dominatiuam inducendam, & ideo idem Sanchez modò allegatus cum aliis asserit non posse dominos irritare vota

vota seruorum, quæ in ætate impubertatis emiserunt, si ipsi serui parentibus & tutoribus careant, posse tamen ea suspendere, quatenus eis præiudicant, & similiter integrum esse pueris liberis, qui parentibus, & tutoribus carent, & sunt omnino sui iuris, independenter ab alterius voluntate votis se adstringere. & nec magistros, nec heros illorum vota irritare posse. Ita etiam Paludanus *in 4. dist. 38. quæst. 3 art. 1. num. 9. conclusione* 5. D. Anton 2. *part. tit. 11. cap. 2. §. 6. versiculo, Secundo pueri*. Syluester *verbo, Votum* 4. *quæst. 2. dict.* 2. Margarita confessorum, vbi de irritatione votorum *fol.* 134 *pag.* 2. & Sanch. *lib.* 4. *Decalog. cap.* 35. *num.* 84. vtraque opinio est probabilis, ista tamen probabilior.

Palud. D. Anton. Syluest. Margarit. Sanchez.

13. Si autem vota seruorum emissa tempore seruitutis, in tempus libertatis sint collata; non poterunt domini illa irritare, quia nihil eis obsunt. Vnde si serui libertatem consequantur, ad illa tenentur; & si postea iterum ad seruitutem redeant, poterunt illorum domini non irritare simpliciter, sed suspendere prædicta vota, & iuramenta Deo præstita, quatenus illorum obsequio, ac seruitiu præiudicant. Ita docet Sanchez *lib* 4. *Decalogi cap.* 31. *num.* 14. Azor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 11. *cap.* 17. *quæst.* 2. & 10. Sayro *in claui regia lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 18. Suarez *tom.* 2. *de religione, cap.* 31. *num.* 14. & alij.

Sanch. Azor. Sayr. Suar.

14. Sunt tamen aliqua vota emissa à seruis tempore seruitutis, quæ indiuisibilia sunt, & diuidi, ac partiri non possunt, vt longæ peregrinationes, & hæc possunt domini simpliciter, & in totum irritare; si verò diuisibilia sint, vt vota multarum precum, multorum ieiuniorum, solùm possunt ea suspendere quatenus sibi præiudicant. Ita Sanchez *lib.* 4. *Decalog. cap.* 36. *num.* 14. & deducitur ex iis, quæ docet *eodem lib.* 4. *cap.* 34. *num.* 12.

Sanch.

15. Hîc insurgit non exigua difficultas. An non solus vir, sed etiam vxor irritare possit, vel suspendere vota seruorum. Ratio dubitandi est, quia potest ille seruus esse vxoris, vt si ad bona paraphernalia vxoris pertineat; potest etiam esse viri, aut communis vtriusque coniugis, aut constanti matrimonio acquisitus, in partibus vbi acquisita, constante matrimonio, inter vtrumque coniugem diuiduntur. Respondeo breuiter in Lusitania, & ferè in tota Hispania, vbi viri habent omnium bonorum etiam paraphernorum administrationem, non posse vxores vota seruorum irritare, aut suspendere constanti matrimonio; nam votorum irritatio, aut suspensio præiudicantium seruitio, & obsequio dominorum ad bonorum administrationem spectat. Cum igitur viri administrationem omnium bonorum habeant, ad illos huiusmodi irritatio pertinebit: si tamen seruorum votum directè esset contra dominium, vt si seruus religionis ingressum voueret; tunc non solùm maritus ad quem bonorum omnium administratio pertinet, sed etiam vxor ad quam dominium serui spectaret, prædictum votum illius potest irritare, & similiter quando administratio esset ob longam viri absentiam, tunc quidem poterit illa vota serui irritare. Ita Sanchez *lib.* 4. *Decalog. cap.* 36. *num* 14.

Sanch.

16. Vbi autem ius commune seruatur, & bonorum paraphernalium non solùm dominium, sed etiam administratio vxoris sit, si seruus ad bona vxoris paraphernalia spectet, tunc quidem non ad virum, sed ad vxorem irritatio pertinebit. Denique siue vxor bonorum administrationem habeat, siue vir, poterit vxor administrationem bonorum non habens suspendere vota seruorum, veluti per accidens, quatenus, scilicet, vterque potest quocumque tempore seruum occupare. Ita Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 36. *num.* 14. *ad finem*. Sanch.

Si seruus ad filiúmfamilias pertineat, & illius sit, distinctione vtendum est; nam si ad peculium prædicti filijfamiliàs castrense, vel quasi castrense pertineat; tunc ad filiumfamiliàs pertinebit irritatio votorum serui, si ipse filiusfamilias pubes sit, secus si impubes sit; quia si est pubes, dominium, vel administratio bonorum castrensium, vel quasi castrensium ad filiumfamilias spectat; si impubes, solum dominium ad illum pertinet, & administratio ad patrem, vel tutorem, vt constat *ex l.* 2. *ff. ad senat. consultum Macedonianum*, ibi, *cum filiusfamilias in castrensi peculio vice patrisfamilias fungatur*: & idem de quasi castrensi; vt patet ex *l. filiusfamil. in fine ff. de donationibus*, & *l.* 3. §. *Dari. ff. de bonor. possessione*; & tunc votorum prædicti serui irritatio ad parentem, vel tutorem spectabit. Ita Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 36. *num.* 15. 17. Sanch.

Si autem seruus pertinet ad peculium aduentitium filijfamiliàs, tunc non potest filiusfamiliàs votum serui irritare; sed pater, quia horum bonorum administratio ad patrem spectat, non ad filium; si tamen votum serui directè esset contra dominium, vt si esset votum religionis, tunc vterque & filius, & pater illud irritare poterunt; filius, quia est verus dominus; pater, quia est administrator. Ita idem Sanchez *dict. lib.* 4. *Decalogi cap.* 36. *num* 15. & alij communiter. 18. Sanch.

Quod si in eo seruo aduentitio pater non habeat vsumfructum, ille poterit vota illius irritare, ad quem prædicti peculij aduentitij administratio spectauerit. Ita Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 36. *num* 15. tunc autem vsumfructum, & administrationem illius non habebit pater, primò cum bona aduentitia filiofamilias relicta fuerint ea conditione, vt tota sint illius, & quoad dominium, & quoad vsumfructum: & tunc si filius sit minor, curator ei dari debet circa ea bona in eo casu quo is, qui ei ea reliquit, aut dedit, nullum curatorem nominauit. Pater ex Authent. *Et liceat matri & auia, in principio, versiculo, Res autem*, ibi: *Res autem ita relictas, siue donatas, positis sub potestate personis, si quidem perfectæ sint ætatis licet sub potestate sint, licentiam habeant, quo volunt modo disponere; si verò ætate minores sint, per quem perspexerit testator, aut donator, gubernentur, donec illi ad perfectam ætatem veniant*. Et addit statim. *Si verò qui relinquit, aut donat, nullum his dispensatorem ordinauerit, aut ab eo datus hanc gubernationem subire noluerit, aut moriatur antequam illi perfectæ fiant ætatis; iubemus iudicem competentem curatorem fide dignum, cum legitima fideiussione, rebus talibus ordinare*. Ita docet Caldas *l. Si curatorem, verbo, Læsis, num.* 147. *C. de integra restit.* & tenet Reminaldus §. 1. *num.* 101. *instituta, per quas personas*, & glossa in Authent. *excipitur, verbo, Peruenias. C. de bonis, quæ liberis*, & ibi Paulus *num.* 3. & Salicetus *num. vnico*. Secundò, quando solus vsusfructus serui, aut bonorum aduentitiorum filiofamilias testamento relinquitur, quia super vnum vsumfructum non potest dari alius vsusfructus, qui ad patrem pertineat. Tertiò, cum filio aliquid donatur, aut relinquitur volẽte id impedire patre, quia æquum non est, vt inde pater commodum aliquod habeat,

19. Sanch. Caldas. Reminald. Paulus. Salicet.

beat, quippe qui tanto bono voluit filium priuare. Quartò, si pater filio donet, relinquátve, ac dimittat talem vsumfructum. Quintò, si pater fiat hæreticus, nam à die commissi criminis ex iuris dispositione filius remanet sui iuris, & in aliis etiam casibus de quibus agemus *lib. 7. in septimum praeceptum cap. 4. num. 30.* & de quibus agit ius Lusitanum *in ordinationibus nouis libro 4.tit.98.*

10. Si serui pertineant ad bona profectitia, cum huiusmodi bona tota sint patris, tam quoad dominium, quàm quoad vsumfructum, irritatio votorum huiusmodi seruorum ad patrem pertinebit, non ad filiumfamilias (& idem de iuramentis ab ipsis seruis Deo præstitis.) Ita Sanchez *lib. 4. cap.36.num.15 fine.* Etalij communiter. Et verò quod bonorum profectitiorum dominium, & vsusfructus ad patrem non ad filium spectet, docet Nauarrus *in summa Latina cap.17. num. 144.* & Syluester *verbo, peculium. quæst. 3.* & nos id latè docebimus *lib.7.in septimum præceptum cap.4. num 9.*

Sanch. Nauar. Syluest.

11. Si seruus sit pupilli, aut minoris, carentium patre, tutore, & curatore, ad ipsum pupillum pertinebit vota serui, & iuramenta Deo præstita irritare. Si verò tutorem, vel curatorem habet, ad illos ea irritatio pertinebit, quia ad illos bonorum administratio spectat: quod si esset votum religionis, posset etiam ipse pupillus minor illud in irritum reddere. Ita Sanchez *lib. 4. Decalogi cap.36.num.16.* Si tamen impubes ille tutore careat, & matrem habeat, ad matrem votorum prædicti serui irritatio spectabit, quia tunc loco tutoris est, & gerit vniuersam filij impuberis curam, quamuis verè tutrix non sit. Si verò filius pubes sit, & curatore careat, nihil potest mater, quia mater, quando non est filij curatrix, nullam potestatem habet in vota realia filiorum puberum: sed ea tota, deficiente patre, ad curatorem pertinent. Ita Suarez *tom. 2. de religione tractatu de voto lib.6. cap.5. fine*, & Sanchez *lib.4. Decalogi cap.35.num.77.* Quod si filius pubes nullum curatorem habeat; tota bonorum administratio ad illum spectabit; nec enim mater, ipso facto, illius tutrix, aut curatrix est, nisi instituatur, vt docet Sanchez modò allegatus *num.73.* sed habet ius petendæ tutelæ à iudice, qui eam ei assignare debet, præstito iuramento, vel cautione certarum rerum, quæ legibus præscribuntur, vt constat ex authentica, *matri, & auiæ. C. quando mulier tutelæ officio fungi potest.*

Sanch. Suarez. Sanch.

12. Quod si vsusfructus ipsius serui per aliquod tempus ad vnum pertineat, ad alium verò dominium serui spectet, solus vsusfructuarius poterit eo tempore vota serui, & iuramenta Deo præstita irritare, quia ad illum tantum pro eo tempore pertinet administratio, nisi esset votum contra dominium, vt votum religionis; tunc enim ad vtrumque pertinet prædicta irritatio, vt suprà diximus, & ita docet Sanchez *dict.lib.4.Decalogi cap.37.num.18.*

Sanch.

13. Si tamen petas, an ad vtrumque coniugem pertineat irritare vota seruorum tempore diuortij emissa: Respondeo si vxori tunc restituatur dos eum omnibus bonis, & medietate lucrorum, vt fieri iubetur *in cap.1. & 2. de donat. inter virum, & vxorem*, & ibi notant Doctores, & alij, quos refert, ac sequitur Gutierrez *de iuramento 1.part. cap.1. num.55.* ille coniux poterit vota serui, & iuramenta Deo præstita irritare in cuius sortem, & partem seruus ille deuenerit, quia tunc ad illius administrationem pertinebit; si tamen facto diuortio viro à iudice præscribatur, vt bona administret, & certum quid in alimenta vxori dietim aut annuatim soluat, in eo casu irritatio votorum serui, & iuramenti Deo præstiti ad virum pertinebit, ad quem bonorum administratio tota, in ea circunstantia pertinet.

Gutier.

Illud tandem animaduertendum est, vota seruorum, & iuramenta Deo præstita, quæ propriè irritari posse diximus, non reuiuiscere finita irritantis potestate, si ab illo fuerunt irritata, iuxta ea quæ suprà diximus, vota enim semel directè irritata non reuiuiscunt, vt docet Suarez *tom.2. de relig. tract. de voto lib.6. cap.1. num. 9.* & Sanchez *lib.4. Decalogi cap.36. num.4.* 24.

Suarez. Sanch.

CAPVT XL.

Quomodo tollatur obligatio iuramenti Deo præstiti, vel voti ex parte relaxationis, seu dispensationis. Agitur de causis iustis ad dispensandum.

SVMMARIVM.

Est de fide, esse in Ecclesia potestatem relaxandi, seu dispensandi vota, & iuramenta Deo facta; & apud quem resideat hæc potestas de iure ordinario. num.1.

An hæc potestas sit tantùm ad declarandum votum & iuramentum in eo casu non obligare, an ad illorum obligationem tollendam, & relaxandam. Refertur prima opinio asserens esse ad declarandum. num.2.

Præfertur secunda asserens esse ad tollendam, & relaxandam obligationem vinculi tam iuramenti, quàm voti. num.3.

Quomodo prælati directè hanc obligationem tollere, & relaxare possint, cum tamen sit de iure diuino, & naturali. Referuntur varia opiniones à n. 4. vsque ad 10. Duæ sunt præcipuæ; quadam docet id facere Pontifices, & prælatos nomine Dei, & tanquam vicarios Dei in terris. hæc habetur, num.8. Alia & omnibus probabilior docet id facere tollendo authoritate, & potestate sibi à Deo ad id commissa immediatè obligationem voti, & iuramenti ex graui causa. habetur, num. 10.

Hæc potestas non est relicta à Deo Ecclesiæ suæ ad tollendam obligationem iuris naturalis, & diuini absolutè; sed in aliquibus casibus specialibus occurrentibus ex magnis causis. num.11.

Non omnia quæ sunt iure naturali, & diuino prohibita, ita sunt intrinsecè mala, vt nunquam possint iustè dispensari. num.12.

Soluuntur, & proponuntur aliqua dubia contra vltimam opinionem, quam sequimur. numero 13. & 14.

Vt hæc dispensatio, & relaxatio votorum, & iuramentorum quæ Deo emittuntur, sit valida, & licita, requirit causam iustam, & quæ sint causæ iustæ ad illam faciendam à numero 15. vsque ad 23.

Quæ iuramenta, & vota non ludendi dispensari facilè, & quæ difficilè possint. num.18.

An prælati mortaliter peccent dispensando simpliciter in votis, & iuramentis, non admiscendo simul aliquam commutationem à n.24. vsque ad 27.

An ligati voto, & iuramento teneantur aliquando illorum dispensationem petere. *num.* 28.

1\. Vt compendio breuitatis vtamur, Statuo primò. De fide est, esse in Ecclesia legitimam potestatem spiritualem relaxandi iuramenta, & vota, & in illis dispensandi: residet hæc potestas de iure ordinario in Summo Pontifice, & in Prælatis habentibus iurisdictionem spiritualem in foro externo; quod intelligitur de solo iuramento promissorio, non de iuramento assertorio; in assertorium enim nulla dispensatio, aut irritatio cadere potest, vt docet D. Thom. ab omnibus receptus 2. 2. *quæst.* 89 *artic.* 9. Nemo enim dispensare potest, vt quis falsò iuret, quia est intrinsecè malum. Hanc conclusionem tenet Sanchez *lib.* 3. *Decalogi cap.* 19. *num.* 3. & *lib.* 4. *cap.* 37. *num.* 3. D. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 4. Richardus *dist.* 38. *artic.* 4. *quæst.* 1. vbi Paludanus, Caietan. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. & nos latè probauimus in primo præcepto Ecclesiæ *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 6. in Ecclesia esse hanc potestatem dispensandi. Esse verò de fide in Ecclesia hanc potestatem, & de iure ordinario in prælatis residere; docent communiter Doctores Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *de voto cap.* 40. *dub.* 17. *num.* 112. & 114. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 20. & alij; Lessius quidem *in editione Parisiensi, in Antuerpiana in dub.* 12. *num.* 99. & 100. Et probatur primò ex antiqua diuturnaque consuetudine Ecclesiæ, quæ multis ab hinc annis hac potestate vtitur, concessa à Christo Domino, Petro, & illius successoribus in illis verbis Matthæi 16. *Pasce oues meas.* & Matthæi 18. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quæ verba cum amplissima, & generalia sint, debent intelligi de omni vinculo contracto ab homine erga Deum, quod rectæ administrationi Ecclesiæ solui aliquando expedit; non enim benè prouisū esset à Christo Domino regimini Ecclesiæ suæ, quam ipse suo sanguine fundauit, & acquisiuit, nisi hanc quoque potestatem illi reliquisset, & in illis amplissimis verbis commisisset, *Pasce oues meas,* id est, *rege, & guberna oues meas, quodcumque solueris,* &c. Sicut enim in huiusmodi verbis generalibus intelligitur potestas dispensandi merita, & satisfactiones Christi per indulgentiarum concessionem, ita intelligitur potestas dispensandi in huiusmodi vinculis iuramenti promissorij, & voti erga Deum contractis, vtrumque enim explicat vniuersalis Ecclesiæ consuetudo. Deinde ex 2. *ad Corinth.* 2. ibi: *nam & ego quod donaui si quid donaui propter vos in persona Christi.* Quæ verba intelligunt Doctores de omni etiam relaxatione voti & iuramenti, quæ Prælati nomine Dei relaxare possunt. Probatúrque euidentissima ratione; quia Christus Dominus in Ecclesia sua in necessariis ad rectam, perfectamque eius gubernationem & ad consulendum spirituali fidelium saluti non defuit; at sæpissimè ad hunc finem salutis spiritualis necessaria est iuramentorum, & votorum dispensatio; ergo hanc potestatem suæ Ecclesiæ reliquit, ac contulit. Dixi *de iure ordinario,* quia ex delegatione, & priuilegio Papæ potest confessariis, & aliis conuenire, qui in foro externo iurisdictionem non habent, & passim conceditur hæc facultas à Papa in Bullis Cruciatæ, & Iubilæis.

2\. Punctum difficultatis in hoc consistit, an hæc potestas sit ad declarandum iuramentum promissorium, & votum in eo casu non obligare, an potius ad illorum obligationem verè in eo casu existentem tollendam, ac relaxandam. Prima docet hanc iuramentorum, & votorum dispensationem à Prælatis concessam non esse veram vinculi obligantis relaxationem, sed esse solam, & meram declarationem, qua Prælatus declarat iuramentum promissorium, & votum in eo casu non obligare, & ita docent glossa *in capite, Non est, verbo, Authoritate, de voto,* & ibi Antonius Buttius *num.* 3. Cardinalis *in capite, Cum ad monasterium, numero vnico, de statu Monachor.* D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 38. *artic.* 2. *quæst.* 3. Couarruuias *de pactis* 1. *part.* §. 3 *num* 3. *versiculo, Tertio.* Ferrar. *lib.* 3. *contra gentes cap.* 124. *column. penultima, versiculo, Nec obstat, & columna vltim. versiculo, Ad* 3. *dicitur,* & satis indicat Palud. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 4. *art.* 4. *conclus.* 1. *num.* 38. *fine.* D. Anton. 2. *part. titulo* 11. *cap.* 2. §. 9. *notabili primo,* Syluester *verbo, votum* 4 *quæst.* 3. *dicto* 3. vbi aiunt potius id esse interpretationem, quàm relaxationem seu dispensationem, & videtur consentire D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 10. *in corpore,* vbi asserit dispensationem voti intelligendam esse instar dispensationum in lege humana, quæ sancitur, & ordinatur ad bonum; sed quia contigit in aliquo euentu non esse bonum id, quod lege statuitur, oportuit per aliquem declarari in eo euentu non obligare, & hoc inquit, est propriè dispensare in lege, & statim hanc doctrinam voto, & iuramento promissorio Deo præstito applicans sic addit; *Similiter ille, qui vouet, quodammodo sibi statuit legem, obligans se ad aliquid, quod est, secundùm se, & vt in pluribus bonum; potest tamen contingere, vt in aliquo casu sit, vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum; quod est contra rationem eius quod cadit sub votum, & ideo necesse est, quod determinetur in tali casu votum non esse seruandum, & si quidem absolutè determinetur aliquod votum non esse seruandum, dicitur esse dispensatio voti.* & in solutione ad secundum, sic ait. *Authoritate superioris dispensantis fit, vt hoc quod continebatur sub voto, non contineatur in quantum determinatur in hoc casu non esse congruam materiam voti.* Quibus verbis satis apertè indicat D. Thom. dispensationem solam esse declarationem; qua prælatus declarat votum in eo casu non obligare, eo quòd materia voto apta, reddita sit inepta, in quo casu nulla voti destruitur obligatio. Iam enim ante declarationem non obligabat. Atque eodem modo loquuntur Abulensis *cap.* 30. *Numer. quæst.* 102. & 103. Caietan. *in summa, verbo, votum, capite, de dispensatione voti, versu, Rationabilis autem,* & Fumus *verbo, votum num.* 13. vbi asserunt tunc locum dari ad dispensationem voti, quando eius executio reddita est illicita, aut inutilis, aut impediens maius bonum, quia in his casibus seclusa ea declaratione votum non obligabat.

3\. Secunda opinio omnino tenenda docet relaxationem, seu dispensationem non esse puram, & meram declarationem, qua Prælatus declarat votum, & iuramentum Deo præstitum in eo casu non obligare; sed esse relaxationem vinculi voti obligantis; qua relaxatione posita, voti vinculum iam non obligat. Hanc tenent communiter Doctores D. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *artic.* 4 *quæstiuncula* 1. *in corpore,* & ibi Richardus *art.* 9. *quæst.* 1. *corpore, & ad* 1. *dist.* 17. *art.* 2. *quæst.* 7. *ad primum.* Supplementum Gabrielis *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 5. *vbi de dispensat. votor. statim in initio, & corollario* 1. Canus *in relectione de pœnit. part.* 5. *vbi*

Metin. *ubi de precepto confessionis ad fin.* Metina *de pœnit. tract. de confessione, quæst. de dispensat super quæst. reuelanda in solut. ad 2.*
Hostiens. Hostiensis *in summa tit. de voto num. 16. & cap. Non est, num. 1. eodem tit.* & ibi
Abbas. Abbas *num 5. & cap. Proposuit, num. 12. de*
D Anton. *concessione prebenda.* D. Aoton. *2. part. titul. 12. cap. 2. §. 9 duplici columna ante finem, versiculo, Circa hanc materiam.*
Sotus. Sotus *lib. 1. de inst. quæst. 7. art. 3. columna 4. versu, Attamen.*
Palat. Palanos *in 4. dist. 38. disp. 3 quinque columnis ante finem, fol. 884. versu, Porro quamuis.*
Suarez. Suarez *tom 2 de Religion. tract. de voto lib. 6. cap. 9. num. 6.*
Toled. Toledo *lib 4. summa, cap. 18. num. penultimo.*
Angles. Angles *in floribus 2. part. quæst. unica, de voto art. 8. difficult. 1. conclusione 1.*
Sanch. Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 37. num. 5.*
Arag. Aragon. *2. 2. quæst. 88. art. 10 paulo post principium, & in secunda solutione argumenti contra primam conclusionem.*
Sayro. Sayto *in claui regia lib. 6. cap. 11. num. 9.*
Azor. Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 6. c. 1. quæst. 4. & lib. 11. cap. 18. quæst. 5.*
Graphis. Graphis *1. part. decision. aur. lib. 2. cap 31. num. 18. & 20. & cap. 32. num. 2.*
Valent. Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 6. punct. 7. columna 2. versiculo, Respondeo.*
Lessius. Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 12. num. 98.*
Petr. Led. Petrus de Ledesma *tom. 2. summa, tract. 10. cap. 8. in dub. 2* quod mouet circa votorum dispensationem.
Henriq. Henriquez *lib 8. de Euchar. cap. 23. num. 2. in commento litera R. & lib. 7. de indulg. cap. 23. num. 5. in commento litera Z.*
Vasq. Vasquez *1. 2. quæst. 97. art. 9. disp. 178. num. 10. 11. & 12. quæst. 88. art. 12. columna 4. versiculo, Ad secunda quæstionis euidentiam prope finem.* Probatur primò, ex *cap. 4. de iureiur.* ibi: *Super quo diligens indagator potuisset facilè inuenire, quod non tam erat absolutio iuramenti necessaria, quàm interpretatio requirenda.* Vbi apertè Summus Pontifex distinctionem facit inter declarationem, & dispensationem iuramenti; quam hîc vocat absolutionem, & supponit vtcumque concedi posse, atque ineptè peti dispensationem, seu absolutionem iuramenti, cum in eo casu non obligaret, & ideo non esse opus dispensatione, sed declaratione. Probatur secundò rationibus, quia si dispensatio esset sola declaratio, quilibet vir doctus posset in iuramentis Deo præstitis, & votis dispensare, imò melius quàm prælatus indoctus; potest enim vir doctus declarare votum non obligare concurrentibus talibus, vel talibus circunstantiis, quia id non est actus iurisdictionis, sed prudentiæ. Tertiò, quia vsus Ecclesiæ hanc partem probat; frequentissima enim est Ecclesiæ dispensatio in voto religionis, & castitatis ob incontinentiæ periculum ortum ex vouentis fragilitate, cum tamen res sit clarissima, votum, seclusa ea dispensatione, obligare. Quartò, quia non satis esset necessitatibus Ecclesiæ consultum, si Christus solùm in ea relinqueret potestatem declarandi vota, & iuramenta non obligare, & non dispensandi, seu relaxandi obligationem illorum ex legitimis caussis occurrentibus, quia seclusa dispensatione, rarò accidet necessitas declarandi votum, & iuramentum Deo præstitum hîc, & nunc, non obligare; & plurimis angerentur scrupulis conscientiæ prælati; an causæ essent sufficientes ad eam declarationem, an non essent, rarissiméque dispensare auderent.

4. Sed dubium hinc oritur, & graue quidem; quomodo, scilicet, prælati dispensare possint in iure naturali diuino, quo votum, & iuramentum obligant? Multis modis hoc fieri posse explicant Doctores. Primus est, id accidere ex eo, quod in omni voto, & iuramento Deo facto intelligatur hæc conditio imbibita, *Nisi prælatus obligationem relaxet*; & ideo, eo relaxante, deficere obligationem voti, & iuramenti, quasi conditione deficienti. Ita explicat Richardus *in 4. dist. 38. art. 9. quæst. 1. ad 1. in fine.* & Graphis *1. part. decision. aurear. lib. 2. cap. 31. num. 18.* Verùm hic modus explicandi hoc dubium non placet; quia ex eo sequeretur posse prælatos ad libitum, & nulla data iusta causa, in votis subditorum dispensare; sicut ob eandem conditionem in votis subditorum imbibitam possunt validè omnes superiores, qui potestatem dominatiuam in subditos habent, ad libitum, & sine causa vota, & iuramenta illorum, Deo præstita irritare, vt suprà diximus *cap. 35.* quæ tamen sequela non est admittenda, vt bene docet Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 37. num. 7. & cap. 24. num. 18.* & D. Thom. *2. 2. quæst. 88. art. 12. in corpore.* & Suarez *tom. 2. de Relig. in tract. de voto lib. 6. cap. 9. n. 12.* cum aliud sit dispensare, aliud irritare; quia irritatio nullam causam iustam requirit, vt licitè, & validè fiat, sed sufficit sola voluntas irritantis; dispensatio autem, vt iustè, & validè fiat, requirit causam iustam, vt statim dicemus *num. 15.* At dices conditionem imbibitam esse, *Nisi prælatus ex causa iusta dispensauerit.* Sed hoc est petere principium, quia propterea illa conditio in ipsis votis includi debet, quòd subditus voto suo non potest præiudicare potestati superiorum ad dispensandum in eo: huiusmodi autem dictum, seu potius hoc effugium supponit superiores habere potestatem dispensandi ex causa iusta in obligatione voti, & iuramenti Deo præstiti, iure diuino & naturali inducta; sed hoc præsens difficultas petit, quomodò, scilicet, fieri possit, vt superiores hanc facultatem habere possint cum obligatio voti sit de iure naturali, & diuino.

Richard. Graph. Sanchez. D. Thom. Suarez.

5. Secundus est, quia quamuis obligatio in communi, qua tenemur vota exequi, sit de iure diuino, & naturali, non tamen talis est huius, & illius voti obligatio in particulari, sed de iure humano, sicut obedire in communi legibus humanis est de iure diuino, & naturali, non tamen hæc aut illa peculiaris lex humana obligat iure diuino, & naturali. Quare cum vota solùm in communi obligent de iure diuino, non autem in particulari, ideo possunt prælati ex causa in voto dispensare. Ita explicat Couarruuias *cap. 2. in fine de testam.* & Graphis *1. part. decision. aur. lib. 2. cap. 31 num. 18.* sed hic modus falsò negat hoc, & illud votum in particulari non obligare iure naturali, & diuino; quia si sola esset obligatio humana, valeret dispensatio absque causa. Deinde, quia obligatio voti oritur ex voluntate humana, qua posita ius diuinum naturale hominem vouentem, & iurantem adstringit Deo fidem seruare.

Couar. Graph.

6. Tertius modus est, quia dispensare in voto, & iuramento non est dispensare in iure diuino, & naturali, quo votum & iuramentum obligat, sed est tollere, & rescindere actum humanum super quem fundatur obligatio iuris naturalis, & diuini orta ex voto, & iuramento; tollere autem, & rescindere hunc actum humanum ad solos superiores Ecclesiasticos spectat directè; nam cum voti, & iuramenti Deo præstiti obligatio pendeat ex voluntate humana, & ea stante, superinducatur obligatio diuina naturalis, si superior actum voluntatis humanæ ex graui causa rescindat, ac tollat, consequenter rescindet, ac tollet ea obligatio naturalis, quæ in tali actu

fundatur; vnde superior dispensans non dicitur legem diuinam naturalem relaxare, sed humanam; sicut quando superior dispensat in lege sua, non dicitur dispensare in iure diuino naturali, quod dictat obedire iustis superiorum legibus, sed sua dispensatione aufert vim obligandi illius legis in qua dispensat, qua ablata indirectè aufert, & veluti per quandam consequentiam id ius diuinum, & ideo verè in sola sua lege humana dispensat: & ita hunc modum explicat D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 10. *ad* 2. *& quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 1. Caietanus *eadem quæst.* 88. *art.* 12. *columna antepenultima, versiculo, Ad secunda quæstionis euidentiam.* Sayro *in claui regia lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 10. *& duplici sequenti.* Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 23. *num.* 5. *in commento, litera A.* Valentia 1. 2. *disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 6. *columna* 3. *versiculo, Quod si quis contra, & a.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 7. *columna* 2. *versiculo, Atque hanc differentiam* Abulensis *in cap.* 30. *Numer. quæst.* 101. Victoria *de potestate Papæ, & concily, propopositione* 1. *in solutione ad* 3. D. Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. *in triplici columna ante finem, versu, Circa hanc materiam.* Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 4. *art.* 1. *ad* 2. Aragon. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 10 *in fine.*

D Thom. Caiet. Sayro. Henriq. Valent. Abulens. Victor. D.Anton. Sotus. Arag.

8. Displicet tamen hic explicandi modus Sancio *lib.* 4. *Decalog. cap.* 37. *num.* 11. Primò, quia semel voto, & iuramento Deo præstitis, iam illorum obligatio nullatenus à vouentium, & iurantium voluntate pendet; sed à solo iure diuino naturali: Prælatus autem nequit auferre præteritam voluntatem, cum ad præteritum nulla sit potentia. Ergo nihil aliud auferendum superest, quàm ius diuinum, & naturale ex præterito actu voluntatis ortum, quod iure diuino obligat vota, & iuramenta soluere. Secundò, quia duplex ad voti, & iuramenti Deo præstiti vinculum voluntas concurrit; prima, humana promittens; secunda, diuina acceptans, & ius acquirens ex illa voluntate humana. Vnde non potest prælatus in illa voluntate humana dispensare obligationem illius auferendo, quin simul in iure diuino dispenset, quia pactum duplici voluntate initum nequit auferri, nisi per illam mutuam voluntatem, aut per aliam, quæ superior vtraque sit; nequit ergo superior sua voluntate, quæ humana est, & inferior diuina, auferre illam voti, & iuramenti obligationem.

9. Quartus modus est, hinc dispensationem, & relaxationem fieri per remissionem promissionis voto aut iuramento promissorio confirmatæ à prælato nomine Dei, cuius vicem gerit ex vicaria potestate, quam prælati ad id à Deo mediatè, vel immediatè accipiunt; immediatè, vt Summus Pontifex qui potestatem à Deo immediatè accipit, vbi primum canonicè electus est; mediatè, vt Episcopi, & reliqui prælati, qui eam à Papa immediatè accipiunt. Nam cum Summus Pontifex Vicarius Dei sit in terris, & alij prælati hanc vicariam potestatem ab eo acceptam, & communicatam habeant; nomine Dei, eam obligationem remittunt, & ideo prælati dispensantes non dicuntur dispensare in iure diuino, sed tantùm nomine Dei remittere obligationem iuris diuini stantibus causis grauibus, quæ hanc remissionem inducant, ac cohonestent; cum enim Deus promissionem voti, & iuramenti acceptet, ad solum Deum, vel per se ipsum, vel per alium, qui vicem Dei in terris gerat, spectat illorum obligationem remittere, & sic prælatus Dei nomine remittens ac dispensans non dicitur directè tollere, relaxare, aut rescindere ius diuinum; sic quilibet homo potest remissionem iureiurando sibi factam remittere, remittendo ius sibi per talem promissionem acquisitum, & sic hanc obligationem explicant Vasquez 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. *disput.* 178. *num.* 13. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 14. *dub.* 12. *num* 99. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto lib.* 6. *cap* 9. *num.* 15. Vasq. Lessius. Suar.

10\. Non placet etiam hic explicandus modus Sancio, vt videre est in illo *lib.* 4. *Decalog. cap.* 37. *num.* 13. quia hic tollendæ obligationis iuris naturalis modus, siue per ipsum Deum promissarium immediatè fiat, siue per alium suum vicarium ex illius potestate, non est verè dispensatio, sed valde impropriè; sicut remittens promissionem sibi factam & iuramento confirmatam, non dicitur relaxare iuramentum, quo firmata fuit, aut in illo dispensare; sed remittere, condonare, aut iure per promissionem acquisito cedere. Nos autem cum inquirimus an Summus Pontifex & reliqui prælati possint directè dispensare in obligatione voti, & iuramenti, inquirimus, an possint directè hanc obligationem iuris diuini seu ipsum ius naturale, & diuinum relaxare. Deinde, quia vt notat ibidem Sanchez iuxta veriorem sententiam Summus Pontifex dispensare potest in matrimonio rato, & non consummatu, & iuxta omnes in residentia Episcoporum; cum tamen vtraque obligatio sit iuris naturalis, & diuini. Nec potest dici id fieri per remissionem iuris acquisiti Deo, quia in neutro casu promittitur aliquid Deo, nec cum ipso contrahitur, sed ius acquiritur per matrimonium ipsis contrahentibus, & per Episcopatum specialem illi Ecclesiæ, cuius ille est Episcopus; quare necessariò dicendum est, relictam fuisse à Christo Domino Ecclesiæ suæ potestatem dispensandi verè in aliquo iure diuino naturali, & tollendi illud directè, & non solùm remittendi, ac condonandi nomine Dei ius Deo acquisitum.

11\. Quintus, & vltimus modus probabilior omnibus, quem approbat Sanchez statim allegandus, asserit dispensationem in voto, & iuramento esse veram, & directam relaxationem, & abrogationem legis seu iuris diuini, & naturalis, quo votum, & iuramentum obligant; quia concessa est à Christo Domino Ecclesiæ suæ huiusmodi facultas relaxandi, & abrogandi hanc obligationem iuris diuini naturalis orti ex actu voluntatis humanæ, quo se quis per votum, & iuramentum voluit obligare non dispensando in vniuersum, vt ius naturale non obliget, sed vt non obliget in tali, vel tali casu occurrenti ex causis iustis. Sicut Episcopus potest in legibus Summi Pontificis se superioris, non in vniuersum dispensare, aut illas abrogare, sed in peculiari casu occurrenti, ex iustis causis; nulla enim ratio apparet ob quam dicamus non fuisse relictam à Christo domino Ecclesiæ suæ hanc potestatem dispensandi in iure diuino, & naturali in prædicto casu speciali, illúdque tollendi, & abrogandi, quando obligationis radix est voluntas humana, nec aliunde vrget ratio ob quam ea facultas à Christo Ecclesiæ suæ relinqui non debuerit: vt vrget in matrimonio rato & consummato, cuius omnimoda indissolubilitas prouenit ex ratione significationis; significat enim matrimonium indissolubilem Christi cum Ecclesia sua per carnem assumptam vnionem, vt latè probat Sanchez *lib.* 2. *de matrim. cap.* 13. *num.* 7. & hic modus Sanch.

explicandi

explicandi confirmatur ex *iure Canonico in capite, Preterea, de officio delegati, & ex iure ciuili l. 2. ff. de iurisd. omn. iud.* in quibus probatur, quod concesso fine, censentur concessa omnia media commoda, & necessaria ad illum finem. Quare cum Deus concedat Pastoribus,& Prælatis potestatem regendi gregem ad æternam beatitudinem, omnia etiam media necessaria, & conducentia ad talem finem ipso iure eis censetur committere, ac concedere; illum sustinet ipse Sanchez *lib. 4. De-*
Sanch. *calogi cap. 37. num. 24. & lib. 8. de matrim. disp. 6.*
Canus. *num. 5.* Canus *in relect. de pœnit. part. 5. vbi de*
Metin. *precepto confessionis ad finem.* Metina *de pœnit. tractatu de confessione, quæst. de dispensatione super confessione reuelanda, in solutione ad 2.* Azor *tom. 1.*
Azor. Petr.Led. *Inst. moral. lib. 6. cap. 1. quæst. 4.* Petrus de Ledesm. *tom. 2. summa, tract. 10. cap. 8. dubio 1. ex ijs, qua mouet circa votorum dispensationem, versu, Por esta doctrina.* & Palatios *in 4. dist. 38. disp. 3. ver-*
Palat. *su, Perro quamuis, folio* 884. & Glossa *in capite, à*
Abbas. *nobis, verbo, exemptus, de decimis,* & ibi Abbas *in 4.*
Minchac. Nauar. Minchaca *lib. 1. illust. quæst. cap. 25. à num. 18. vsque 22.* Nauarrus *lib. 4. consil. in 1. edit. titulo de sponsalibus, consilio 3. num. 8. in secunda, titulo, Qui*
Borgas. *fily sint legitimi, consilio 2. num. 8.* Borgasius *de irregularitate, 6 part. titulo de sponsalibus num. 5. & part. 3. titulo, In quibus casibus non potest dispensari, num 8. & p. 7. titulo de finali. num. 20.* Fortunius *l.*
Fortun. *Gallus §. & quid si tantum num. 30. ff. de liberis & posthumis,* Suar. *de matrimonio Regis Angliæ, dub. 2.*
Suarez. *in 2. fundamento partis affirmantis, num 12.* & alij.

11. Dixi, *in aliquo speciali casu occurrenti, & non in omnibus*, quia sunt quædam de iure diuino, quæ absque dubio sunt talis conditionis, vt nunquam in eis possit Summus Pontifex in aliquo casu particulari dispensare, quia nequit excogitari casus in quo vndequaque detur iusta causa dispensandi, vt ad fornicandum, vel ne filius veneretur parentes, vel ad mutandas sacramentorum formas, aut materias, vel in aliquo impedimento iure diuino naturali matrimonium dirimente, vt quod quis filiam, vel sororem ducat, vt doctissimè, & latissimè docet Sanchez *lib. 8. de matrim.*
Sanch. *disp. 6. num. 10.* Neque, vt quis duas vel plures possit vxores ducere, sunt enim leges diuinæ aliquæ in Ecclesia, in quibus Deus nullam reliquit dispensandi potestatem, quia quamuis Deus præuiderit, posse aliquando occurrere casus, in quibus rationi consonum videri possit,& bono communi vtile in illis vti dispensatione: At præponderat illarum legum inuiolabilis custodia, ne aperta dispensandi via, ius naturale passim interturbetur, vt cum multis authoribus probat idem
Sanch. Sanchez *dicta num. 10.* Sunt verò alia, quæ licet in vniuersum expediat in illis non dispensare; at in aliquo casu speciali potest non expedire, & ita in hoc, vel illo casu, dispensationem possunt admittere, quia potest tam iusta, & honesta causa occurrere, vt iusta reddatur talis dispensatio, vt contigit in residentia Episcoporum, quæ est de iure naturali, & diuino, in qua Summus Pontifex dispensare potest, & in consecratione sub vtraque specie, quæ est de iure diuino positiuo, in qua in remotissimis regionibus, vbi non est copia vini, potest iuxta veriorem sententiam Papa dispensare, vt in sola panis specie sacrificium fiat, vt latè probauimus in primo Ecclesiæ præcepto, *lib. 3. cap. 5. à num. 6. & deinceps in prima impressione Lugdunensi fol. 192.* & vltra Doctores, quos ibidem citauimus, docet Sanchez *lib. 8 de matrim.*
Sanch. *disp. 6. num 6.* Vnde à priori colligitur facultas in

Summo Pontifice ad dispensandum in aliquo casu obligante ex iure diuino, & naturali, ex eo quòd tale sit ius diuinum, vt recta ratio, ac suaue Ecclesiæ regimen postulet, vt in eo euétu iuris diuini obligatio relaxetur ob iustas, & graues causas quæ possunt occurrere; à posteriori autem id colligemus ex vsu, quem Ecclesia habet dispensandi in eodem iure,& ex grauissimorum Doctorum sententia, iudicantium posse Summum Pontificem in eo dispensare.

Sed contra hunc vltimum dicendi modum, 12.
Suarez. quem sequimur, in hunc modum opponit Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. c. 9. n. 9.* Id quod est contra legem naturalem, est per se intrinsecè malum,& ideo prohibitum; quod autem intrinsecè malum est, nulla ratione cohonestari potest,& nunquam potest non esse malum; ergo nunquam potest in eo iustè dispensari. Sed respondet Sanch.
Sanch. *lib. 4. Decal. cap. 37. n. 15.* negando minorem; non enim omnia, quæ sunt contra ius naturæ, ita sunt intrinsecè mala, vt in nullo casu liceat in eis dispensare. Sunt enim aliqua contra ius naturæ, quæ licet ex natura sua intrinsecam malitiam habeant, non tamen continent perfectam, & omnimodam malitiam, quia potest aliqua causa tam iusta, & honesta occurrere, vt malitia illa tollatur, & oporteat in eo præcepto dispensare. v. c. furari, & detinere alienum, sunt intrinsecè mala contra legem naturæ, & tamen illud licet in extrema necessitate, hoc in aliquibus casibus. Instabis, tunc non occurrere circunstantias requisitas, vt ius naturale obliget; at cum dispensatur in voto, & iuramento occurrere, aliàs ante dispensationem votum, & iuramentum non obligarent, & sic nulla esset obligationis relaxatio. Respondeo id ita esse; at similitudinem in eo consistere, vt sicut illa, v. c. furari, & retinere alienum, non sunt tam intrinsecè mala quàm intrinsecè malum est mentiri perniciosè,& cum detrimento tertij, quod in nullo casu licet; sed possunt occurrere circunstantiæ, quibus rigor præcepti non furandi, & non retinendi alienum leniatur, ita vt liceat contrarium facere; ita possunt tales circunstantiæ concurrere in obligatione aliqua iuris naturalis, vt voti, iuramenti, matrimonij rati, & non consummati, residentiæ Episcoporum &c. vt licet non sufficiant ad auferendam eius iuris obligationem, sufficiant tamen ad hoc, vt prælati ex potestate à Christo accepta dispensent in ea obligatione.

Oppones secundò. Obligatio voti, & iuramenti fundatur in fidelitate Deo debita; at in 13.
nullo casu dispensari potest, vt fidelitas Deo debita non seruetur; maximè quia in dispensatione contra legem naturalem inuoluitur repugnantia contra naturalem honestatem. Respondeo cum eodem Sancio negando consequens, possunt enim tam iustæ circunstantiæ occurrere, vt vouentes, ac iurantes absque vlla dispensatione non teneantur vota, aut iuramenta seruare, Deo ipso ita volente; vt si voto, aut iuramento, Deo calicem promittas, & in tantam paupertatem deuenias, vt illud implere non possis; ita possunt tales circunstantiæ occurrere, vt ipse Deus velit obligationem voti & iuramenti non seruari Prælato in ea dispensante.

Oppones tertiò. In dispensatione contra le- 14.
gem naturalem inuoluitur repugnantia contra naturalem honestatem; ergo propriè & directè in lege naturali dispensari non potest, nec Christus Dominus talem potestatem in sua Ecclesia

reliquit. Respondeo negando antecedens; neque enim in quacumque dispensatione legis naturalis in omni casu inuoluitur semper repugnantia contra naturalem honestatem; aliquando enim inuoluitur, aliquando non inuoluitur; semper autem inuoluitur quando vniuersaliter dispensaretur in iure naturali tollendo eius obligationem in omnibus casibus; non inuoluitur verò in speciali casu occurrenti, concurrentibus simul grauissimis, & honestissimis circunstantiis.

15\. Statuo secundò. Vt voti, & iuramenti promissorij Deo præstiti dispensatio, seu relaxatio sit valida, & licita, requiritur causa iusta; alioqui enim talis dispensatio iniusta & inualida erit. Ita Sotus *lib.8 de iust. quæst.1. art 9. circa solutionem ad 3. versu, Est autem.* Valentia *2.2. disp. 6. q. 7. puncto 4. versu, Posito igitur.* Sanchez *lib. 4. Decalogi cap.19. num.4. & cap 45. num.3.* & D.Bernard. *lib.3.de consideratione ad Eugenium cap. 23.* vbi asserit dispensationem absque causa in rebus de iure diuino obligantibus, non esse dispensationem, sed dissipationem, & non fieri de plenitudine potestatis, sed de plenitudine tempestatis, & D. Thom.*2.2.quæst.88. art 12 ad 2.* & omnes iuris pontificij interpretes cum glossa *in capite, Non est. verbo, Adimplere. de voto*; Et ratio est, quia vinculum voti, aut iuramenti non obligat ex iure humano, in quo dispensatio Pontificis concessa absque causa valet, sed obligat ex iure naturali diuino, in quo nec Summus Pontifex dispensare potest absque causa.

Sotus. Valent. Sanch. D.Bernard. D Thom.

16\. Quæ autem iustæ causæ esse possint ad dispensandum in voto, & iuramento, ad arbitrium prudentis spectat. Sanch.*lib.4. Decalogi cap.45.n.13.* existimat ad dispensandum in voto (idem de iuramento) non requiri, vt causa dispensandi semper ad bonum commune spectet directè; sed satis esse, vt spectet indirectè, quatenus bonum partis, cum qua dispensatur, redundat in bonum commune. Est itaque iusta dispensandi causa in voto, quòd speretur maior vtilitas maiorque fructus spiritualis ipsius vouentis, quia per votum principaliter intenditur spiritualis vouentis vtilitas. Ita docent Richardus *in 4. dist.38. art 9.q 1.* Suarez *tom. 2. de religione, tractatu de voto lib 6. cap 17.num.10* & Sanchez *lib.4 Decalogi cap.45. num.38.* qui optimè addunt id verum esse, quamuis ea spes sit cum aliquo dubio. Item iusta causa dispensandi est in omnibus casibus, quoties in aliqua circunstantia redditur dubia ipsa voti vel iuramenti obligatio; quamuis id dubium non sufficiat ad liberandum ab obligatione voti, & iuramenti seclusa dispensatione. Ita Sanchez modò allegatus *num.39.* Suarez allegatus *cap.17. num.10.* Maior *in 4 dist.38.quæst. 3. fine.* Couarruuias *de pactis 1.part.§.3. num 4. versiculo, Ego verò*, Ledesma *tom.2.summæ tractatu 10. cap 8. fine*, quia aliàs esset inutilis auctoritas prælatorum ad dispensandum, cum nulla dispensatio exigatur in casibus, qui certò excusant à voti, & iuramenti obligatione. Rursus causa iusta est ea, quæ sumitur ex parte materiæ, quando moraliter loquendo potest esse occasio ruinæ spiritualis, & frequentem præbet mali occasionem. Ita Sanchez allegatus *num.40.* & Suarez *num.9.* Item ex parte materiæ est sufficiens causa dispensandi in voto, & iuramento quando magna illorum impleodorum difficultas superuenit, insufficiens tamen ad auferendam sine dispensatione voti, & iuramenti obligationem; quia hoc est valde consentaneum benignitati Dei, & necessarium ad consulendum fragilitati humanæ, & quia sæpe ea magna difficultas periculum transgressioni affert. ita Sanchez *lib.4 Decalogi cap. 35. num. 41.* Suarez *tom.2. de relig. tract.6 de voto lib.6 cap.17. n. 11.* Similiter iusta dispensandi causa est, cum vouens, aut iurans ratione voti nimiis conscientiæ scrupulis agitatur; vt si quis voueat quotidie calculos Virgineos recitare, angitur tamen magnis scrupulis an attentè, vel non attentè recitet, &c. Ita Sanchez allegatus *num.42* Adde iustam causam etiam dispensandi, esse in voto religionis cõtinuum morbum, cuius salus desperatur, quando talis est, vt obseruantiam disciplinæ regularis impediret. Ita Nauarrus *in summa Latina cap.12. n.77.* Graphis *1.part.decis. aur.lib.2. cap.21. n.35.* Sayro *in claui reg. lib.6.cap.12. num.28.* Sanchez *lib.4.Decalogi cap 45.num.43.* vbi addit in fine id verum esse, siue ea difficultas morbi esset præuisa, siue non esset præuisa à vouente. Denique causa iusta dispensandi est vehemens transgressionis periculum, dummodo tamen transgressio sit frequens Ita Sanchez *num 44.* & Suarez *tom. 2. de religione lib.6. tract.de voto cap.17. num 9.* & Lessius *tom.1. de iust.lib.2.cap.40.dub.12. num. 101.* Sayro *in claui regia lib.6. cap. 32. num 30.* id est, quando sæpe violatur votum, aut est periculum sæpe violandi. Limitant aliqui, modò id periculum procedat ex infirmitate, & fragilitate, seu passione humana, non ex malitia, ac prauo vouentis habitu, at hanc limitationem reiicit Sanchez allegatus *num. 45.* & Suarez *dicto cap. 17. num. 12.* & Sayro *in claui regia lib. 6. cap.12. numer.31.* quia eo habitu supposito, & magna fragilitate inde acquisita, res illa voto aut iuramento promissa redditur viribus humanis impar, & votum manet inutile, quia non est medicina ad vitanda peccata, sed laqueus ad illa augenda.

Richard. Suarez. Sanch. Sanch. Suarez. Maior. Couar. Ledesma. Sanch. Suarez. Nauar. Graph. Sayro. Sanch. Sanch. Suarez. Lessius. Sayro.

Non est autem iusta causa dispensandi in voto aut iuramento Deo præstito conferre magnam pecuniæ summam ad opera pia, aut publica: & si enim hoc ad commutanda vota aut iuramenta sufficiat, non sufficit tamen ad dispensandum in illis; quia commutatio non exigit causam impedientem voti executionem, dispensatio autem exigit. Ita docet Sanchez *lib.4 Decalogi cap.45. num. 17.* & Aragonius *2. 2. quæst. 88. artic. 12. columna 5.* 17.

Sanch. Aragon.

Illud monuerim, iuramentum non ludendi difficillimè relaxandum esse. Ita Sanchez *lib. 3. Decalogi cap.19.num.4. ad finem*, & Nauarrus *in summa Latin. cap.12. num. 11.* vbi ait, non esse esse consulendum, vt relaxetur, & Pium V. noluisse in eo dispensare, quod intelligendum est de ludo illicito, & nimio, in quo magna pecuniæ quantitas exponitur, qui è Republica Christiana & è militum castris debet exulare, non de ludo licito, & paruæ quantitatis, qui leuandi animi causa, etiam togatis, & grauibus hominibus licet. Quare cùm fragilitas illius, qui magnam quantitatem pecuniæ ludo exponit, postulat, vt cum eo in iuramento, & voto non ludendi dispensetur, sanum consilium est, non vt simplici dispensatione, & relaxatione vinculi voti, & iuramenti, sed partim dispensatione, partim commutatione, vt ipse relinquatur obligatus, ne ad libitum ludat, sed certis diebus, & non magnam quantitatem ludo exponat, sed moderatam iuxta prudentiam relaxantis taxandam. 18.

Sanch. Nauar.

Non est autem iusta causa dispensandi in voto, aut iuramento non ludendi (intellige in magna quantitate) vehemens ludendi desiderium, & 19.

tenta

Nauar. Sanchez. tentationem vehementem pati, vt docet Nauarrus *in summa, Latin. cap.* 12. *num.* 11. & Sanchez *lib.*4. *Decalog. cap.* 45. *num.* 47. sed tunc tantùm quando prædictæ tentationes in causa sunt, vt vouens frequenter labatur, & voti reus fiat. Alcocer. Sanch. Quare optimè aiunt Alcocer *libro de ludo, cap.* 13. *conclus.*8. & Sanchez modò allegatus, iustam esse dispensandi causam in iuramento non ludendi, si quis constitutus sit in illius violandi occasione, eo quod iuuenis sit, & eo in loco versetur, aut viuat, in quo ludum relinquere nequeat, nisi rusticus, & inurbanus habeatur. Secus autem quando ea sola allegatur causa, quod iurans valde ægrè ferat, se à ludo abstinere.

20. Iusta etiam dispensandi causa in voto castitatis, aut religionis potest sumi ex necessitate boni communis, aut magnæ illius vtilitatis, vt si quis religionem, aut castitatem voueat, aut iuramento Deo promittat, & expediat ad vtilitatem Reipublicæ, illiut matrimonium. Et hæc causa sumitur ex *cap. Magna, & ex cap. Multa, de voto.* Et ratio est, quòd bonum commune semper sit priuato præferendum. Suarez. Sayro. Ita docet Suarez *tom.*2. *de Relig. tract. de voto lib.* 6. *cap.* 17. *num.*13. Sayro *in claui regia lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 29. *& lib.* 8. *de* Caiet. *matrim. disp.* 20. *num.*24. Caietan. 2. 2. *quæst.*88. *art.* 12. *columna* 2. *versiculo, Ad euidentiam can-* Sotus. *sæ*, Sotus *lib.*7. *de iust. quæst.*4. *art.*3. *columna* 7. *versiculo, Ad istorum ergo.* Et bene aduertit Caietanus nihil referre, etiamsi causa ista ex hominum malitia orta sit, vt si bellum inter familiam nobilem sedari non posset, nisi puella voto castitatis adstricta nuberet; esset enim ista iusta dispensandi causa. Aduertit etiam Sayro, & bene quidem, si ieiunium voto, aut iuramento promissum impediat officium concionandi, aut docendi, quando illud officium in bonum commune cedit, causam esse sufficientem ad dispensandum in obligatione voti, aut iuramenti de ieiunio.

21. Potest etiam sumi iusta causa dispensandi in voto, aut iuramento promissorio ex necessitate boni priuati domus, vel familiæ, vt si quis voueat longam peregrinationem, & numerosam familiam habeat sensuram graue detrimentum ex longa eius absentia; & ratio est, quia bono familiæ subuenire, est opus pietatis, quod inter- Nauar. dum præfertur operi religionis. Ita docent Na- Lud. Lop. uarrus *in summa, Latin. cap.* 12. *num.*77. Ludouic. Lopez 1. *part. instructorij conscient. cap.* 49. *co-* Graphis. *lum.*2. *versiculo, Lenitas.* Graphis 1. *part. decisio-* Sayro. Suarez. *num aur. lib.*2. *cap.*31. *num.*35. Sayro *in claui re-* Sanch. *gia lib.*6. *cap.*12. *num.*30. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract de voto lib.*6. *cap.*17. *num.*13. Sanchez *lib.*4. *Decalogi cap.*45. *num.*50. & quamuis contrarium Torrecr. sentire videatur Turrecremata cum Hugone *in* Hugo. *cap. Requiritis*, §. *Nisi rigor* 1. *quæst.* 7. *art.*4. quæ tamen ille adducit iudicio Sancij nihil probant.

22. Non est autem iusta dispensandi causa in voto, aut iuramento Deo præstito seruandæ castitatis, aut ingrediendæ religionis, necessitas conseruandæ prolis, & successionis alicuius nobilissimi Ducatus, aut Marchionatus, nisi simul admisceatur aliqua commutatio, quia est causa merè temporalis, & non sufficit ad solam, & præcisam dispensationem; est tamen aliqualis causa, vt admixta aliqua comutatio partim votum dispensetur, partim commutetur; vt bene tradunt Nauar. Nauarrus *lib.*3. *consiliorum in priori editione, titulo* Henriq. *de voto, consilio* 32. *num.* 3. Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio, cap.* 3. *num.*9. *in commento, in litera D.*

23. Est verò iusta causa dispensandi in vtroque tam religionis, quàm castitatis voto; morbus continuus, in quo periti medici iudicant venereis actibus matrimonij subueniendum, modò admisceatur aliqua etiam commutatio, quia negari non potest materiam voti esse notabiliter mutatam, & grauem difficultatem superuenisse à vouente non præuisam, neque excogitatam. Et quamuis iure optimo possit quis vitæ periculum eligere ob amorem seruandæ castitatis; at res ita ardua est, vt meritò credendum sit, velle Deum, qui huius voti creditor est, vt Ecclesia benignitate sua vtens ex hac causa partim dispenset, partim commutet. Neque obstat aliis medicinis posse huic damno subueniri, quia satis est id anceps esse, ac valde difficile, præsentaneúmque medium de iudicio medicorum certius esse maritalem coitum. Ita docet Sanchez *lib.* 8. *de* Sanchez. *matrim. disp.*20. *num.*26. *& lib.*4. *Decalog. cap.*45. *num.*52.

24. Dubitant tamen aliqui, an prælatus peccet dispensando in votis, aut iuramentis Deo præstitis, non admiscendo aliquam commutationem, & similiter petens vtrumque simul in dispensatione; relaxationem scilicet, & commutationem, non petendo? Quidam affirmant, quia prælati sunt dispensatores, & non domini mysteriorum Dei, iuxta illud Lucæ 12. *num.* 42. *Quis putas est fidelis & prudens dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam*, &c. Infidelis autem est ille œconomus, ac dispensator, qui cum possit cum minori domini præiudicio aliquid efficere, cum maiori faceret, in quo planè contra officium proprium peccat. Ita Sotus *lib.*7. Sotus. *de iust. quæst.*4 *art.* 3. *columna* 8 *versiculo, Hinc ergo fidelis.* Manuel Rodrig. *tom.* 2. *summæ, cap.* 100. Rodrig. *num.*4. *ad finem, & in Bulla Cruciata*, §.9. *num.*107. *in fine.* Ouandus *in* 4. *dist.* 38. *disput. vnica, pro-* Ouand. *positione* 19 Et idem censent prædicti auctores de petente absolutam dispensationem, quin aliqua etiam commutatio admisceatur. Et hoc probabile dicit Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto lib.*6. Suarez. *cap.*17. *num.*18. *initio.*

25. At dicendum est, quando est sufficiens, & totalis causa dispensandi, nullam esse culpam dispensare, nullam commutationem admiscendo, quamuis tunc etiám licitè possit superior, si velit, aliquam commutationem admiscere. Ita docet San- Sanchez. chez *lib.*4. *Decalogi cap.*46. *num* 2. Caietan. 2. 2. Caiet. *quæst.* 88. *art.* 12. *dub.* 2. *versu, Ad euidentiam causa, in fine*, & Nauarrus *in summ. Latin. cap.* 12. Nauar. *num.*63. Suarez modò allegatus *dict. cap.* 17. *n.* 18. Suarez. *& 21. ad finem*; & addit Sanchez carere quoque tunc culpa petentem eam simplicem, & nudam dispensationem, si reuera detur causa sufficiens ad dispensandum. Et ratio est primò, quia suauis gubernatio, & regimen Ecclesiæ petit, vt vsus harum facultatum sit in prælatis ad vtendum illis, quando causam sufficientem esse ad id faciendum iudicauerint, aut ad partim dispensandum, partim commutandum, quando similiter id expedire iudicauerint, & causa non esset plenè sufficiens ad prædictam dispensationem: & quando potestas sic arbitrio œconomi & dispensatoris committitur, non est ipse dispensator infidelis si illarum qualibet vtatur, & sic cessat fundamentum contrarium; manifestum enim est prælatos gaudere potestate non solùm ad partim commutandum, partim dispensandum; sed etiam ad dispensandum omnino sine vlla commuta-

tione. Ergo quoties adest causa iusta totalis dispensationis, nulla est culpa ea vti; solum enim requirit Dominus in prælatis prudentem vsum commissæ illis potestatis; prudens autem illius facultatis vsus in eo consistet, vt iustam causam requirat: quare si ea plenè, ac perfectè iusta detur, plena, perfectáque, & sola pura dispensatione licitè vti poterunt absque vlla commutatione, vt patet.

26. Casus autem, in quibus prudentes prælati vti poterunt totali pura, ac simplici dispensatione, optimè enomerant Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib 6. cap. 17. num. 18.* & Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 46. num. 3.* & hi sunt. Primus est, si vouens tot emiserit vota, aut iurans iuramenta, vt expediat eum omnino nonnullis exonerare. Secundus, si tam pauper sit, vt nullam eleemosynam possit elargiri, & ita sit occupationibus, ac laboribus implicitus, vt moraliter loquendo nullum ei aliud onus possit iniungi. Tertius, quando periculum lapsus manet relicta re aliqua sub voti obligatione. Quartus, si tot scrupulis vexatus sit, vt ad prospiciendum quieti illius conscientiæ expediat, eum omnino voti, aut iuramenti obligatione liberare: & alij possunt etiam casus occurrere de quibus iudicabit prudens.

Suarez. Sanch.

27. Quia tamen causæ ad faciendam simplicem dispensationem sunt admodum raræ, ideo regulariter loquendo, salubre consilium est, admiscere semper dispensationi aliquam commutationem, & quo causa dispensandi maior fuerit, eo minor erit commutatio. Ad vitandos igitur sufficientiæ causæ scrupulos opus erit aliquam commutationem admiscere. Quod etiam probat vsus Pontificum admiscentium semper in prædictis dispensationibus aliquam commutationem. Ita Caietan. 2. 2. *quæst. 88. art. 12. dub. 2. versiculo, Ad euidentiam causæ, ad finem.* Nauarrus *in summa, cap. 12. num. 63.* Alcocer *in summa. cap. 16.* vbi de voti dispensatione *conclus. 2. fol. 58. pag. 2.* Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib 6. cap. 17. in fine.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 40. dub. 10. num 101.* Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 46. num. 4.* Quando verò causa est adeo euidens, vt petat totalem dispensationem, non licebit prælato cogere subditum ad aliquam partialem commutationem admittendam, quia tunc tenetur prælatus ex vi sui officij illam concedere sic tradit Suarez *dict. c. 17. num. 21.* rarissimum tamen hunc fore casum censet Sanchez allegatus *num. 5.*

Caiet. Nauar. Alcocer. Suarez. Lessius. Sanch. Suar. Sanch.

28. Vltima huius capitis dubitatio est, an voto, & iuramento promissorio Deo præstito ligatus teneatur aliquando horum vinculorum dispensationem, commutationem, aut irritationem petere? Cui respondendum est teneri in duplici casu. Primò, quando vouenti, aut iuranti instans imminet, ac graue transgressionis periculum; tunc enim lege charitatis erga seipsum tenetur sub mortali consulere suæ saluti spirituali, si aliud eius periculi euadendi medium non occurrat, & etiam aliquo modo ex voto, & iuramento, quatenus omnia præcepta, & omnes leges obligant ad vitandum periculum transgressionis illarum. Secundò, quando dubitat an in hoc, vel in alio casu sit, vel non sit, culpa exequi rem, quam voto, aut iuramento promisit; tunc enim, vt eo dubio, & perplexitate liberetur, nec se aliter potest ea perplexitate liberare, tenetur remedio dispensationis, irritationis, aut commutationis vti. Ita Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 46. num. 11.*

Sanch.

CAPVT XLI.

Cuius sit dispensare in iuramentis, & votis; an teneantur prælati subditis inuitis in illis dispensare, vel illa irritare, aut commutare. Qui sint subditi, an peregrini, & transeuntes. Vtrùm prælati secum possint dispensare, & communicare hanc facultatem suis confessarijs, vt secum dispensent, & an id faciendum sit in confessione, an extra illam. Vtrùm commutatio votorum, & absolutio ab excommunicatione, quæ alicui committitur, requirant confessionem?

SVMMARIVM.

Iuramenta promissoria Deo facta habent naturam voti, & ideo omnes prælati, qui dispensare possunt in votis, possunt etiam dispensare in iuramentis. num. 1.

Relicta fuit hæc potestas à Christo Domino Ecclesiæ sua. num. 2.

Est hæc potestas actus iurisdictionis spiritualis externa, & non est actus Ordinis sacri, & ideo solum prælatis iure ordinario competit iurisdictionem externam habentibus. num. 3.

Hæc potestas, cum sit spiritualis, non est apud infideles, nec apud Principes sæculares fideles num. 4.

Dispensatio votorum, aut iuramentorum concessa à prælato excommunicato denunciato, aut notorio clerici percussore, est nulla. num. 5. *Commissio facta per vicarium Episcopi excommunicatum, est nulla, quia est actus iurisdictionis. Quid si in vno loco sit publicè denunciatus, & in alio talis non habeatur.* ibid.

Hæc potestas dispensandi in votis, & iuramentis potest competere clerico prima tonsura. num. 6.

Non potest competere laico, nec clerico coniugato, sunt enim iure diuino, & naturali potestatis spiritualis incapaces vt nomine proprio illam habeant, & ideo nulla consuetudine illam possunt acquirere. num. 7.

Potest tamen Summus Pontifex tantùm hanc potestatem iurisdictionis spiritualis personis merè laicis committere. num. 8.

Residet hæc potestas ordinaria dispensandi in votis, & iuramentis, tanquam in primo fonte, & capite, in Summo Pontifice erga omnes christianos totius orbis. num. 9.

An Archiepiscopi ante receptum pallium possint has potestate dispensandi vti. num. 10.

An possint Archiepiscopi dispensare cum subditis Episcoporum suffraganeorum in votis, & iuramentis Deo præstitis. num. 11. & 12.

An possint cum visitant diœcesim suffraganeorum. num. 13.

An Archiepiscopi cum suis Episcopis suffraganeis in votis, & iuramentis Deo præstitis possint dispensare. num. 14.

An quando data iusta causa dispensandi Episcopi nolunt dispensare in votis, & iuramentis cum suis subditis, possint appellare ad Archiepiscopum

metro

metropolitanum, aut illius officium implorare. num. 15.

An Episcopi teneantur data iusta causa, cum subditis in votis, & iuramentis dispensare. numero 16.

Quid si dispensatio non sit merè debita, sed partim gratuita, partim debita propter imperfectam causam; an tunc possint subditi Episcopi appellare ad Archiepiscopum, aut officium illius implorare, si Episcopus dispensationem concedere noluerit. num. 17.

An Episcopi, & Prælati possint cum suis subditis in votis & iuramentis dispensare subditis inuitis, & nolentibus. *num. 18. & 19.*

Quomodo facienda est dispensatio quando fit subditis nolentibus. *num. 20.*

An illorum vota, & iuramenta possint commutare illis similiter inuitis. *num. 21.*

Angel. Caiet. Aragon. Toled. Syluest. Tabiena. Sotus. Sà. Valent. Azor. D. Thom.

1. PRÆMITTO primò in iuramentis Deo præstitis posse dispensare eosdem, ac Prælatos respectu suorum subditorum, qui possunt in votis dispensare: quia hæc iuramenta votorum rationem & naturam habent. Ita communiter Doctores, Angelus *verbo, iuramentum. 6. in initio.* Caiet. 2. 2. *quæst. 89. art. 9. initio,* & ibi Aragonius *fol. 1088. dict. 4.* Toledo *lib. 4. summæ cap. 23. num. 2.* Syluester *verbo, Iuramentum 5. q. 3. & 4.* Tabiena *verbo, Iurare. quæst. 10.* Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 9 in fine corporis,* Sà *verbo, Iuramentum. num. 32. & 33.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 7. punct. 4. columna 5. versiculo, Et notandum.* Azor *lib. 11. Inst. moral. cap 9 q 6.* Et quamuis D. Thomas 2. 2. *quæst. 89 art. 9. ad tertium,* satis obscurè loquatur, videaturque sentire solùm Summum Pontificem posse dispensare in iuramentis vndequaque licitis, attamen ibi, vt bene ait Sotus allegatus, tantùm vult æquius esse, vt solus Papa in illis dispenset.

2. Relicta itaque fuit hæc potestas dispensandi in prædictis votis, & iuramentis à Christo Domino Ecclesiæ suæ. Patet ex amplissimis illis verbis Matthæi 28. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cælis, &c.* Et ex illis. *Pasce oues meas:* id est, *rege, & guberna*; est enim potestas dispensandi, & relaxandi actus iurisdictionis. Quæ verba cum generalia sint, debent intelligi de omnibus vinculis contractis ab homine erga Deum, quæ recto, ac suaui regimini, & gubernationi Ecclesiæ solui aliquando expedit: nam Christus Dominus Ecclesiæ suæ ad perfectum regimen non defuit maximè in iis, quæ necessaria erant ad consulendum spirituali fidelium saluti, at sæpe ad hoc est necessaria potestas ad dispensandum in votis & iuramentis Deo præstitis; ergo hanc potestatem Ecclesiæ suæ contulit. Et hoc satis constat ex iis quæ diximus *cap. præcedenti. num. 1.*

Sanch. Lessius.

3. Est igitur hæc potestas, vt dixi, actus iurisdictionis spiritualis propriè loquendo; non est actus ordinis, quod ex se constat, quia nullus est ordinis character ad hoc ab Ecclesia deputatus, & Episcopi electi, & à Papa confirmati, nondum tamen consecrati, nec sacris ordinibus insigniti, dispensare possunt, non ante confirmationem, vt docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 38. num. 7. & lib 8. de matrim. disp. 2. num. 11.* & Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40 dub. 12. num. 100. versiculo 2.* Esse verò actum iurisdictionis spiritualis constat ex eius origine, vt numero præcedenti explicuimus: ex fine, qui merè spiritualis est, nempe animarum salus; & ex materia, quæ ad diuinum cultum, & honorem spectat; & ex traditione Ecclesiæ. Et ita docent communiter Doctores, Sanchez *lib 4. Decalogi cap. 37. num. 16.* Paludanus *in 4 dist. 38. quæst 4. art. 4 conclusione 9. num. 47.* D. Anton. 2. *part. titulo 11. cap. 2. §. 9. versiculo, Item pœnitentiarij*; Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 12. n. 100.* Imò esse actum iurisdictionis spiritualis de fide esse Suarez ait *tom. 2. de religione, tract. de voto lib. 6. cap. 10. num. 1.* Nec solum est actus iurisdictionis spiritualis simpliciter, sed est actus iurisdictionis spiritualis fori externi. Vnde hæc dispensandi potestas solis Prælatis competit habentibus iurisdictionem in foro externo, sicut de potestate excommunicandi tradunt omnes. quia vtraque potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem. Et ita docent Lessius *tom. 1. de iust. cap. 40. dub. 12. num. 100.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 11. num. 85. fine, & num. 86.* & Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 22.*

Sanch. Palud. D Anton. Lessius. Suarez. Lessius. Sayr. Sanch.

Hinc sequitur primò, hanc potestatem non esse apud infideles, imò neque apud principes sæculares fideles, quia est spiritualis, & merè Ecclesiastica, & versatur circa materiam spiritualem, & illi sunt incapaces iurisdictionis spiritualis: potestas autem dispensandi in suis legibus ciuilibus circa res ciuiles, est in principibus sæcularibus, tam fidelibus, quàm infidelibus, quia est actus iurisdictionis ciuilis, quæ in eis reperitur. An fuerit olim in lege naturæ, aut scriptæ apud sacerdotes, aut Pontificem, non constat. Suarez *dict. tom. 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. cap 9. num. 19. & 20.* magis inclinat in eam partem, quæ asserit in neutra lege fuisse, quia licet ea media, quæ erant præcisè ad salutem necessaria, in neutra ea lege defuerint; attamen inter hæc media non computatur potestas dispensandi, sed inter media necessaria ad perfectum, & omnibus numeris absolutum regimen Ecclesiæ, quale datur in sola lege Euangelica, & ex his mediis multa defuerunt in legibus, quæ non omni ex parte fuerunt consummatæ, qualis fuit lex scripta, & naturæ. 4.

Suarez.

Sequitur secundò, dispensationem concessam à Prælato excommunicato denunciato, aut notorio clerici percussore, esse nullam, & irritam, quia omnes actus iurisdictionis per illos exerciti sunt irriti. Ita docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 19. & lib. 3. de matrimonio disput. 22. num. 36.* vbi in hoc vltimo loco latè probat, gesta per excommunicatum denunciatum, aut notorium clerici percussorem, siue iudex ordinarius sit, siue delegatus, ad iurisdictionem pertinentia, esse nullius momenti. Patet ex *capite, Exceptionem, ad finem, de except.* Vbi decernitur gesta à quocumque iudice excommunicato, etiam parte non opponente, esse nullius momenti, ibi: *Excommunicatus autem publicè, & si huiusmodi exceptio non opponitur, nihilominus est officio iudicis repellendus:* & ex *capite, Aduersus. de immunitate Ecclesiæ, versu, Quia verò,* ibi. *Adijcimus, vt constitutiones, & sententiæ, quæ à talibus fuerint promulgatæ, inanes, & irritæ habeãtur, nullo vnquam tempore valituræ.* & ex glossa ibi, *verbo, Tempore.* Et clariùs probatur ex *cap. 1. de officio Vicarij in 6.* vbi claré dicitur commissionem factam per Vicarium Episcopi, qui ordinarius est, excommunicatum, esse nullam, vbi glossa, *verbo, vigorem,* rationem reddit, quia excommunicatus non potest iurisdictionem qua caret, committere, & generaliter Doctores tradunt actus iurisdictionis per iudicem publicè excommunicatum non tolera- 5.

Sanch.

tum

Henriq. Sotus. tum inualidos esse. Et ita docent etiam Henriquez *lib. 13. de excommunicat. cap. 7. num. 6.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4 versu, Item excommunicatus*; Bañez. Horoscius. Padilla. Gutier. Bañez *2. 2. quæst. 71. art. 1. dub 5. conclusione 1.* Horoscius *in l. & quia nam 47. ff. de iurisd. omn. iudic.* Padilla *l. t. num. 52. C. de iuris & facti ignorant* Gutierrez *quæst. canonic. lib. 1. cap. 1. num. 75.* Ratione tamen communis erroris valent actus iurisdictionis gesti per excommunicatum publicè denunciatum, nempe si ille esset alibi denunciatus, aut notorius clerici percussor; in eo autem loco, vbi iurisdictionem exercet, esset occultus: aut quamuis in eodem loco fuisset denunciatus, aut notorius percussor clerici; attamen lapsu temporis pro tali non habetur, & tam est communis error illius censuræ, quia ratione tituli, & communis erroris impedimenti valent gesta per illum iuxta legem *Barbarius ff. de officio prætoris*, & ita docent Sanch. Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 19. & lib. 3. de matrim. disp. 22. n 33.* Palat. Nauar. Palatios *in 4 dist. 17. disp. 7. fol. 276. versu, Forsan circa hæc*; Nauarrus *in capite, inter verba, in noua editione corollario 68. num. 345.* Angles. Angles *in floribus 1 part. quæst. 3. de confessione art. 7 difficultate 9. conclusione 1. folio 287.* Philiarch. Philiarchus *de officio sacerdotis tom. 1. part. 1. lib. 3. cap. 12. paulo post principium.* Vgol. Vgolinus *de censuris, tabula 1. cap. 13. §. 7. num. 3.*

6. Sequitur tertiò, posse hanc dispensandi facultatem competere iure ordinario, aut delegato, clerico solius primæ tonsuræ, quia est actus iurisdictionis, nullum facti ordinis characterem requirens: sed solum requirens vt dispensans sit persona Ecclesiastica, vt sic fiat capax iurisdictionis spiritualis, ad quod satis est prima tonsura. Et probatur, quia sola prima tonsura sufficit vt quis sit Vicarius generalis Episcopi, & habere possit potestatem excommunicandi, & absoluendi in foro externo ab excommunicatione, vt ex Sayro. Suarez. Sanch. Lessius. praxi constat; & ita docet Sayro *de censuris lib. 1. cap. 5. num 8.* & Suarez *tom. 5. de censuris disp. 2. sect. 3. num. 11.* & Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 20* & Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 12. num. 100. versiculo 2.* vbi distinctè ait non exigi ordinem sacrum. Vnde immeritò dubitatunt Palud. D. Anton. Paludanus *in 4. dist. 38 quæst. 4 art. 4 conclusione 9. num. 47.* & D. Antonin. *2. part. titulo 11. cap. 2. § 9. versiculo, Item pœnitentiary*, ad huius dispensationis actus exercendos primam sufficere tonsuram.

7. Sequitur quartò, nec laicum, nec clericum coniugatum esse huius iurisdictionis capacem, quia laici sunt iure diuino incapaces iurisdictionis spiritualis, & solæ personæ Ecclesiasticæ illius Azor. Suar. sunt capaces, vt docet Azor *tom. 1. Inst. moral. lib. 5. cap. 12. quæst. 1.* & Suarez aduersus Regem Angliæ *lib 4. cap 10. à num 9.* & constat ex *cap. Quamquam de censibus*, & glossa ibi, at nec laicus est persona Ecclesiastica, nec clericus coniugatus persona similiter Ecclesiastica reputatur, nisi quoad sola tantùm Canonis, & fori priuilegia; & hoc non absolutè, sed seruatis quibusdam conditionibus, quæ declarantur *in cap vnico de clericis coniugatis in 6. & in Concilio Trident. sess. 23. de reformat. cap. 6.* & ideo non est capax iurisdictionis spiritualis excommunicandi, vt doctè pro- Sayro. Suarez. Sanch. bat Sayrus *de censuris lib 1. cap. 5. num. 12.* & Suarez *tom. 5. de censuris disp. 2. sect 3. num. 11.* & docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 21.* Vnde similiter non erit capax potestatis dispensandi cum spiritualis sit; & consequenter neuter poterit, hanc dispensandi potestatem quocumque tempore etiam immemorabili præscribere, sicut neuter potest nomine proprio potestatem excommunicandi præscriptione acquirere, vt signatè cum aliis tradit Suarez allegatus *num. 12.* & Sayrus *num. 14.* & Sanchez *dict num. 21.* Aluarus Vallascus *lib. 2. consultat. 161. num. 18. & consult. 15. num. 4. & 5.* Vallasc. Azor *tom. 1. Inst. moral. lib. 5. cap. 12. §. Sed obijciunt*; Azor. & Suarez, & Sayrus loquuntur de laico; Sanchez de laico, & coniugato; & meritò, quia cum clericus coniugatus reputetur persona laica, nisi quoad priuilegium tantùm canonis, & fori (vt dixi,) æquè vterque est incapax spiritualis iurisdictionis.

Non tamen ita vterque incapax est, vt non 8. possit Summus tantùm Pontifex, & non alius, eam potestatem dispensandi vtrique committere, sicut potest excommunicandi. Ita loquens de vtraque potestate excommunicandi, & dispensandi, docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37. n. 61.* Sanch. & loquentes de potestate excommunicandi docent Suarez *dicto tom. 5. de censuris disput. 2. sect. 3. num. 12.* Suarez. & Sayrus *de censuris lib. 1. cap. 5. num. 15.* Sayro. vbi alios referunt; loquentes verò de iurisdictione spirituali ad iudicandos clericos, & personas Ecclesiasticas docet Azor, & Vallascus numero præcedenti allegati. Nec refert quod iure diuino personæ laicæ sint iurisdictionis spiritualis incapaces, ad hoc, vt inde inferamus, non posse eiam hanc iurisdictionem, & potestatem dispensandi, & excommunicandi, & iudicandi personas Ecclesiasticas, cum spiritualis sit, illis communicari per Summum Pontificem, cum ipsi non possint propter hanc naturalem incapacitatem vllo vnquam tempore, & consuetudine hanc iurisdictionem præscribere, quia commissio, priuilegium, seu communicatio Summi Pontificis, confert illis duo; primum, capacitatem; secundum, iurisdictionem; quam capacitatem illis consuetudo conferre non potest; incapacitas autem iuris diuini in hoc consistit, vt ipsi non possint nomine proprio habere iurisdictionem spiritalem, non autem ex commissione Summi Pontificis, quia cum ex commissione alterius habeant, nomine proprio non habent; ita Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 12 quæst. 1.* Azor. & Suarez allegatus contra Regem Suarez. Angliæ *lib 4. cap. 10. à num. 9.*

Residet hæc potestas dispensandi ordinaria in 9. Summo Pontifice, tamquam in primo fonte, & capite à Christo Domino illi immediatè communicata postquam est legitimè, & canonicè electus, non solùm erga subditos suos Romani Episcopatus, sed etiam erga omnes Christianos vbique terrarum dispersos, quia omnium est verus Pastor, & iudex in spiritualibus: iuxta illud Matthæi 15. *Pasce oues meas*: non has, vel illas, sed omnes vbicumque per totum terrarum orbem dispersæ fuerint. Residet etiam in Episcopis, & Prælatis cummunicata immediatè huic aut illi Episcopo à Summo Pontifice, & in Prælatis Religionum erga suos subditos. Et ita docet Sanchez *lib 4. Decalogi cap 38. n. 1.* Sanch. & Sotus *lib. 7. de Sotus. iust. q 4. art. 1. ad 4.* loquentes de summo Pontifice: de Episcopis idem docet ipse Sanchez allegatus Sanch. *n. 6.* & Lessius *lib. 2. de inst. cap. 40 dub. 12. n. 100.* Lessius. *vers. 2.* & alij.

At difficultas est, an Archiepiscopi ante receptum pallium possint hac potestate dispensandi 10. vti? Affirmatiuè respondendum est. Constat ex *capite, Quod sicut. §. super eo, de electione*, & ex *capite, Suffraganei, eodem titulo*, vbi dicitur integrum

grum esse Episcopo nondum recepto pallio com-
mittere alicui Episcopo consecrationem sui Suf-
fraganei, quasi ea commissio sit actus iurisdictio-
nis. Patet, quia per confirmationem conceduntur
Archiepiscopis, sicut & Episcopis ea, quæ sunt
iurisdictionis: huiusmodi autem dispensationes,
actus sunt iurisdictionis, vt suprà probauimus.
Gloss. Ita docet Glossa *in cap. Suffraganei, de electione*
Hostiens. *post casus propositionem, notabili* 2. Hostiensis *ibi*
Ioan. Andr. *num.* 3. *&* 9. Ioannes Andreas *ibi num* 8. Antonius
Abbas. *num.* 5. Abbas *num.* 1. Baldus *num.* 1. *fine.* Cardi-
Baldus. nalis *num. vnico, oppositione* 1. *in fine primæ solutio-*
Cardin. *nis.* Ancharranus *ibi statim in principio*; qui om-
Anchar. nes dicunt posse Archiepiscopum nondum rece-
pto pallio exercere ea, quæ sunt iurisdictionis,
Sanch. & id docet etiam Sanchez *lib.* 4. *Decalog. cap.* 38.
num. 9. Nec obstat *caput, Nisi specialis, de authori-*
tate, & vsu pallij, in illis verbis. *Non tamen de-*
beres se Archiepiscopum appellare prius quàm à no-
bis pallium suscepisset, in quo Pontificalis officij ple-
nitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione
confertur. Non obstat, inquam, quia vt notat
Sanchez allegatus, Archiepiscopis ante receptio-
nem pallij interdicitur tantùm cogere Suffraga-
neorum concilium, & ea quæ sunt ordinis Epis-
copalis, non ea quæ sunt iurisdictionis, vt pa-
tet ex capitibus modò citatis, nempe ex *cap. Quod*
sicut, & ex *cap. Suffraganei, de electione.*

11. Dubium tamen est, an possit Archiepiscopus
dispensare in votis, & iuramentis Deo præstitis
cum subditis Episcoporum suffraganeorum. Sed
respondendum est nullatenus posse, quia Archie-
piscopus non habet ordinariam iurisdictionem,
nisi in sua diœcesi, & solùm est iudex in causis
diœcesis suffraganeæ per appellationem ad eum
deductis *cap.* 1. *de officio delegati*; *cap. Duo, de of-*
ficio ordinarij, cap. Pastoralis, eodem tit. ibi: *Cum*
in eum exceptis quibusdam articulis nullam habeat
potestatem; vbi sermo est de Episcopo in subdi-
tum Suffraganei. Probatur etiam ex *cap. Nostre,*
de electione, vbi tanquam quid speciale concedi-
tur Archiepiscopo posse concedere indulgentias
in diœcesi suffraganea, & cum hæc sit specialis
concessio, signum est in aliis specialiter non con-
Sanchez. cessis, nihil eum posse; & ita docet Sanchez
Syluest. *lib.* 4. *Decalogi cap.* 38. *num.* 11. Syluester *verbo,*
Sotus. *Votum* 4. *quæst.* 3. *dicto* 4. Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 4.
Angl. *art.* 3 *colum.* 4. *versu, Præter.* Angles *in floribus* 2.
part. quæst. vnica, de voto art. 8. *difficultate* 9. *conclu-*
Aragon. *sione* 7. Aragon. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *fol.* 1042.
Ant Gom. *pag* 2. *conclusione* 3. Anton. Gomez *in Bulla Cru-*
Sayro. *ciata, clausula* 10. *num.* 59. Sayro *in claui regia*
Suarez. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 79. Suarez *tom.* 2. *de Religion.*
Henriq. *tract. de voto, lib.* 6. *c.* 10. *num.* 8. Henriquez *lib.* 14.
Auila. *de irregul. cap.* 18. *num.* 3. Auila *de censuris, part.* 7.
disp. 10. *dub.* 6. *post* 1. *conclus. notabili* 2. *&* 2. *part.*
cap. 7. *disp.* 1. *dub* 10.

12. Hinc patet falsos fuisse Manuel Rodriguez
Rodrig. *tom* 2. *summa, cap.* 100. *num.* 3. & alios quos ta-
Sà. cito nomine refert Sà *in summa, verbo, Votum,*
vbi de voti irritatione *num.* 12. & ipsos videtur
ille sequi *ibidem*, cum illorum opinionem ponat
in vltimo loco, expressè asserentes, posse Ar-
chiepiscopos cum subditis Episcoporum suffra-
ganeorum in votis, & iuramentis Deo præstitis
dispensare, & loquuntur absolutè; quare viden-
tur etiam loqui extra tempus visitationis diœce-
sum prædictorum Suffraganeorum, ex eo funda-
mento, quòd potest in diœcesibus suffraganeis
indulgentias concedere; ergo, & dispensare, cum
vtrumque sit actus iurisdictionis spiritualis; at
solas indulgentias potest concedere ex speciali
commissione, & licentia, vt vidimus.

Sunt tamen multi, qui dicunt posse Archie- 13.
piscopum dispensare in votis cum subditis suo-
rum suffraganeorum tempore visitationis, dum
visitat diœcesim suffraganeam, & sic limitant
non posse extra tempus visitationis; at posse in
tempore visitationis: & quia est legitimus supe-
rior, & quia tunc potest eos absoluere à pecca-
tis, & confessiones illorum audire, vt patet ex
cap. finali de censibus. ibi: *Potest etiam idem Ar-*
chiepiscopus dum visitat, subditorum suffraganeorum
confessiones audire, ac absoluere confitentes, & illis
pœnitentias iniungere, ita docent Auila, Henri-
quez, & Antonius Gomez *num.* 11. allegati. At Ant. Gom.
dicendum est, nec etiam tempore visitationis
posse, quia, vt diximus, Archiepiscopus nihil præ-
ter sibi specialiter concessa potest in suffraganea
diœcesi, sed nullibi in iure ipsi conceditur talis
dispensatio, sed absolutio tantùm à peccatis, vt
constat ex *prædicto cap. finali de censibus*, nec po-
testas dispensandi est coniuncta cum potestate
absoluendi, vt constat in parochis, qui solam
potestatem absoluendi habent, non dispensandi.
Deinde quia dum visitat, nequit concedere illis
subditis suffraganeis dimissorias ad ordines, vt be-
ne tradit Francus *eo cap. finali, num vltimo*, nec Franc.
potest dispensare in denunciationibus in matri-
monio præuiis, cum vtrque etiam sit iurisdictio-
nis ordinariæ actus. Ergo similiter nec in votis,
aut iuramentis Deo præstitis. Et ita docent ex-
pressè Suarez *tom.* 5. *de censuris disput.* 41. *sect.* 2. Suarez.
num. 12. *& tom.* 2. *de Relig. tract. de voto lib.* 6. *c.* 10.
num. 9. Sayro *in claui regia lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 80. Sayr.
& Sanchez *lib.* 4. *cap.* 38. *num.* 14. & alij. Sanch.

Dubitant verò aliqui, an possint Archiepisco- 14.
pi cum suis Episcopis suffraganeis in huiusmodi
votis dispensare. Affirmant Henriquez *lib.* 14. *de* Henriq.
irregularitate, cap. 18. *num.* 3. Auila *de censuris* 2. Auila.
part. cap. 7. *disp.* 1. *dub.* 10. *conclusione* 3. & Sayro Sayro.
in claui regia lib. 6. *cap.* 11. *num.* 79. & Paludanus Palud.
in 4. *dist.* 38. *quæst.* 4. *art.* 4. *conclusione* 8. *num* 46.
& D. Anton. 2. *part. titul.* 11. *cap.* 2. §. 9. *versu,* D. Anton.
Item non potest, & alij. Et fundamentum illorum
est, quia ipsi Episcopi sunt subiecti Archiepisco-
piscopis, & ideo possunt eos absoluere, & cum
eis dispensare, sicut possunt cum suis subditis.
At Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 3. Suarez.
melius asserit, ex iure non constare hanc pote-
statem, nec Episcopos suffraganeos subdi Ar-
chiepiscopo metropolitano in regimine propriæ
personæ; sed in solis aliquibus actibus pertinen-
tibus ad externam Ecclesiæ gubernationem, vt
constat ex *cap. Pastoralis, de officio ordinarij*, &
ideo concludit consulendam esse consuetudi-
nem. Sanchez tamen *lib.* 4. *Decalogi cap.* 38. *n.* 16. Sanch.
in fine, fatetur rem esse dubiam; at cum tot, in-
quit, auctores id affirment, nec sit manifestissima
ratio in contrarium, poterit pars affirmatiua tan-
quam probabilis tutò sequi, & amplecti etiam
extra tempus visitationis.

Maius dubium est, an, quando data iusta causa 15.
dispensandi, non vult Episcopus suffraganeus in
votis, & iuramentis Deo præstitis cum suis sub-
ditis dispensare, possint subditi illius ad Archie-
piscopum appellare, & an tunc saltem possit Ar-
chiepiscopus per appellationem imploratus in
prædictis votis, & iuramentis ex officio dispen-
sare. Respondeo posse, in iis tamen tantùm casi-
bus, in quibus Episcopi suffraganei tenentur cum
subditis dispensare, & non dispensant, quia in
iis

iis tantùm Archiepiſcopus per appellationem poteſt adiri, & tunc poterit Archiepiſcopus per cenſuras cogere Epiſcopum, vt eum ſuo ſubdito diſpenſet; quod ſi noluerit, poteſt Archiepiſco- Sanchez. pus cum illo diſpenſare. Ita Sanchez *lib.4. Decalog. cap.38. num. 12. & lib.3. de matrimon. diſp.20.* Henriq. *à num. 10. vſque ad* 24. Henriquez *lib. 14. de ir-* Auila. *regularitate, cap. 18. num. 3.* Auila *de cenſuris part.7. diſp.10. dub.6. notabili 2. circa primam concluſionem.*

16. Quando autem Epiſcopus teneatur in votis, & iuramentis Deo præſtitis diſpenſare, non eſt facile judicare; tunc tamen tenebitur dictam diſpenſationem concedere, quando notabile bonum publicum, aut priuatum vouentis, aut iurantis ſpirituale prædictam diſpenſationem exigit, nec per meram, ſimplicem, & puram commutationem poteſt commodè huic damno obuiari, & bono ſpirituali diſpenſationem petentis conſuli, ac proſpici; quia cum poteſtas prælatorum ſit in ſubditorum bonum, ac ex officio teneantur conſulere ſpirituali illorum ſaluti, ratione proprij muneris neceſſariò adſtringentur, tunc hac diſpenſatione vti, quoties illa ad eum finem neceſſaria arbitrio prudentis fuerit, & quando ſubditus tenetur eam diſpenſationem petere. Ita Sanchez. Sanchez *lib.4. Decalog. cap.46. num 9.* Quando autem ſubditus eam teneatur petere, diximus *cap. præcedenti num.28.*

17. Si verò diſpenſatio non ſit ſubditis debita, ſed merè gratuita, aut partim gratuita, partim debita, non poſſunt ſubditi ab Epiſcopis ſuis ad Archiepiſcopum appellare, poſſunt tamen officium illius tanquam ſuperioris, data cauſa iuſta, ad ſecum diſpenſandum implorare, vt ex miſeri- Sanch. cordia diſpenſet, vt optimè animaduertit Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 38. num. 12. & cap.47. num.10. & lib. 3. de matrimon. diſp.20. à num.20. vſque ad* 24.

18. An verò poſſint Epiſcopi, vel Prælati diſpenſare in prædictis votis, & iuramentis Deo præſtitis cum ſuis ſubditis iis nolentibus, eſt graue du- Sanch. bium, quod affirmatiuè dicido cum Sancio *lib.4. Decalog. cap. 24. num.26. in medio*; vbi expreſsè ait, diſpenſationem voti concedi poſſe ſubdito inuito, ita vt eum voti obligatione liberet; & ita Beia. cum Sancio tenet Beia *in ſuis reſponſionibus, p.2. caſu 9. notabili* 2. Et ratio, ac fundamentum eſt. Primò, quia ſubditus nequit ſua voluntate præiudicare poteſtati ſuperioris ad diſpenſandum, quando ſuperior iuſtam cauſam diſpenſandi habet. Secundò, quia etſi regulariter loquendo diſpenſatio ſit beneficium, & fauor illius, cum quo diſpenſatur; at quandóque id, bono communi poſtulanti, poteſt, non in eius beneficium conceditur, ſed in beneficium boni communis. Arag. Suarez. Sayro. Et quamuis Aragon. *2.2. quæſt.89. art 9. paulo poſt principium*, & Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib.6. cap. 1. ad finem*, & Sayro *in claui regia lib.5. cap.8. num. 6.* concedant, poſſe ſuperiores irritare vota ſubditorum, illis nolentibus, & inuitis, id tamen ibidem de diſpenſatione loquentes negant ex his fundamentis. Primò, quia diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis; & eſt beneficium quoddam quod inuito non conceditur, nec prodeſt. Secundò, quia irritatio poteſt fieri licitè, & validè ſine cauſa: at non ita diſpenſatio voti, aut iuramenti; probauimus enim ſupra nec licitè, nec validè ſine cauſa fieri poſſe, quare cum illa ſine cauſa fieri poſſet, non pendebit talis irritatio à vouentis, vel iurantis voluntate, pendebit autem diſpenſatio, cùm ſine cauſa fieri non poſſit. Tertiò, quia diſpenſatio datur in fauorem eius cum quo diſpenſatur; ergo non debet in eius onus eo inuito retorqueri iuxta regulam 61. *Quod ob gratiam, de regulis iuris in 6.* Quartò, quia eo ipſo quod ſubditus diſpenſationem non acceptat, videtur iterum votum emittere de nouo.

Verùm his non obſtantibus, opinio Sancij & 19.
Beiæ præualet, nec hæc fundamenta vim habent. Ad primum enim reſpondeo, etiam abſolutionem ab excommunicatione eſſe actum iuriſdictionis ſpiritualis, & eſſe beneficium quoddam; & tamen poteſt conferri inuito, & illi prodeſt vt ab eo vinculo liberetur, vt docet Sanchez Sanch. *lib.4. Decalogi cap.24. num. 26.* & traditur paſſim in materia de excommunicatione; & beneficium etiam quod in bonum commune referri poteſt, licet alicui immediatè proſit, poteſt ei inuito concedi, non in ratione beneficij ei collati, ſed ratione beneficij, quod bono communi confert. Ad ſecundum, reſpondeo, in hoc verſari diſcrimen, quòd irritatio poteſt ad libitum ſuperioris concedi validè inuito vouenti, nulla ſubſiſtenti cauſa; at diſpenſatio non poteſt ei inuito validè concedi niſi iuſta cauſa data, poſcentique bono communi, aut alia vrgenti neceſſitate occurrenti: data autem iuſta cauſa etiam non pendet à voluntate ſubditi, ſicut nec pendet irritatio. Ad tertium, dico, eam gratiam per accidens retorqueri in onus vouentis, non enim ob eius onus fit; ſed ob fauorem boni communis. Quartum nullam habet difficultatem; quia eadem ratio militat prorſus in irritatione; dum enim ſubditus irritationem non acceptat, videtur quaſi de nouo votum emittere, & tamen contrarij DD. aſſerunt irritationem fieri poſſe vouenti, & iuranti inuitis; quare quamuis de nouo fiat, adhuc poteſt ſuperior eius obligationem tollere vouenti inuito.

Monet tamen Sanchez, & bene, *dicto lib.4.* 20.
Decalog. cap.24. num.26. vt rectè & firmiter diſ- Sanch.
penſatio hæc inuitis vouentibus, & iurantibus fiat, debere fieri non ſolùm diſpenſando, ſed etiam prohibendo ſimul voti, & iuramenti materiam: ſic enim fiet, vt poſtea emiſſum votum de illa ſit irritum, tanquam de re illicita, quia prohibita, quod idemmet Suarez *tom.2. de Relig.* Suar.
tract. de voto lib. 6. cap. 1. ad finem, ait idem eſſe etiam neceſſarium, vt irritatio rectè fiat inuito ſubdito.

Idem docet Beia *dicta part. 2. in ſuis reſponſio-* 21.
nibus caſu 9. notabili 2. de commutatione voti. At Beia.
dicendum eſt, inuitis vouentibus, & iurantibus prædictam commutationem fieri non poſſe; quia per commutationem non tollitur obligatio, ſed transfertur in aliam materiam, & ſic nequit alia obligatio de nouo contrahi abſque vouentis voluntate; & ita docet Sanchez *dicto lib. 4. Decal.* Sanch.
cap.34. num.27. & Suarez modò allegatus. Suarez.

SVMMARIVM.

Cardinales, qui Epiſcopi non ſunt, nec Legati Apoſtolici, an poſſint in votis, & iuramentis diſpenſare. num.22.
Quid de capitulo, Sede vacante. num.23.
Quid de Vicarijs generalibus Epiſcoporum. n.24.
Quid de Prelatis, & Abbatibus, qui iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem habent. num.25.
Quid ſi illam non habeant. num.26.

Poteſtas

Potestas dispensandi in votis, & iuramentis potest legitima consuetudine prescribi à personis habilibus, & Ecclesiasticis, & qua tales sint. num. 27.

Magister scholarum Salmanticensium, an possit dispensare in votis scholasticorum, qui matricula sunt adscripti. num. 28.

An possint dispensare in illis sacerdotes simplices, si Episcopi commodè adiri non possint. num. 29.

Et an saltem in extremo mortis articulo possint. numero 30.

Summus Pœnitentiarius Romanus quid possit in votis, & iuramentis, quoad dispensationem. num. 31.

Potestas perpetuò adnexa officio est realis, & non personalis. ibid. & num. 28.

Quæ subiectio requiratur ex parte illorum cum quibus dispensatur, & an illa acquiratur per solum transitum, aut breuem existentiam in diœcesi Episcopi dispensantis. num. 32.

An ad hanc dispensationem requiratur acquisitio veri domicilij. num 33.

Satis est, si quis habitet in aliqua diœcesi per maiorem partem anni, nec opus est expectare, vt ibi per hanc maiorem partem anni habuent, sufficit quod habeant animum inibi per eam partem commorandi. num. 34.

Et tunc etiam potest dispensare Episcopus proprij loci. num 35.

Cum vagis possunt Episcopi dispensare nullo expectato tempore. num. 35.

An possint Episcopi dispensare, cum suis subditis, existentibus subditis extra diœcesim. num. 37.

Et quid si Episcopus sit extra diœcesim. ibid.

An cum catechumenis possint Episcopo dispensare in votis, aut iuramentis. num 38.

An Episcopi, & Prelati secum possint in votis, & iuramentis dispensare, sicut possunt cum alijs. numero 39 40. 41.

Proponitur sententia authoris. num. 42. 43. 44.

Possunt secum dispensare, & committere omnes vices suis confessarijs, vt secum dispensent, & se absoluant ab omnibus peccatis, à quibus possunt subditos absoluere, nisi ipsi ab aliquo superiore restrictam habeant iurisdictionem. num 45.

An quando committunt potestatem confessarijs, vt secum in votis dispensent, ea dispensatio fieri debeat in confessione. num. 46.

Quid quando eam committunt, vt sibi vota commutent. num 47.

An absolutio ab excommunicatione virtute iubilæi, aut iudicij ex commissione facta requiras confessionem. num. 48.

21. PAtres purpurei, Cardinales vocant, qui Legati Apostolici non sunt, etsi digniores Episcopis sint, nequeunt ex vi sui muneris, & dignitatis in votis, aut iuramentis Deo præstitis dispensare; quia non habent subditos, & parochianos sibi subiectos. Ita communiter DD. Abulensis *cap. 30. Numer. quæst.* 108. Suarez *tom.* 2. *de relig. tract. de voto, lib.* 6. *cap.* 10 *num.* 10. Sanch. *lib.* 4. *Decalogi cap.* 38. *num.* 2. [Abulens. Suarez. Sanch.]

22. Nuncius Apostolicus, seu Legatus potest in tota Prouincia, & Regno sibi decreto, & attributo, in votis, & iuramentis Deo præstitis dispensare, eodem modo, quo Episcopi in sua diœcesi, (& forte etiam in votis Summo Pontifici reseruatis si ad id specialem commissionem illius habeant.) Et ratio est, quia eadem potestate gaudent Legati in prouinciis sibi decretis, qua gaudent Episcopi illius Prouinciæ, aut Regni in suis diœcesibus. Ita docet Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9. *n.* 25. & *lib.* 4. *Decalogi cap.* 38. *n.* 3. & Henriquez *lib.* 14. *de irregul. cap.* 18. *n.* 2. Anton. Gomez *in Bulla Cruciata, clausula* 10. *num.* 61. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto, lib* 6. *cap.* 10. *num.* 10. & bene addunt Suarez ibi, & Sanchez *in Decalogo* allegatus, hanc potestatem esse ordinariam, quia quamuis legati eam potestatem ex commissione Summi Pontificis habeant; est tamen ordinaria, quia non personæ, sed officio est perpetuò adnexa; nam gratia & iurisdictio ex priuilegio Principis communicata non ratione personæ, sed officij, & dignitatis in perpetuum, non est delegata, sed ordinaria, vtpote perpetuò competens non personæ, sed dignitati, vt latè probat Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disput.* 40. *num.* 14. post multos, quos allegat. [Sanch. Henric. Ant. Gom. Suarez. Sanch.]

23. Capitulum Sede vacante dispensare in omnibus votis, & iuramentis Deo præstitis potest, in quibus potest Episcopus, quia succedit in Episcopi iurisdictionem. Ita docet Sanchez *lib.* 2. *Decalogi cap.* 11. *num.* 4. Aragonius 2. 2 *quæst.* 88. *art* 12, *folio* 1042. *columna* 2. *conclus.* 5. Anton. Gomez *in Bulla cruciata, conclus.* 10. *num.* 62. Rodrig. *tom.* 2. *summe, cap.* 100. *num.* 3. Henriq. *lib.* 14. *de irregul. cap* 18. *num.* 2. *fine.* [Sanch. Arag. Ant. Gom. Rodrig. Henriq.]

24. Vicarij generales Episcoporum non possunt nisi hoc illis specialiter sit commissum, quia ex officio suo non habent dispensandi facultatem. Ita Sanchez *lib.* 2. *de matr. disput.* 40. *num.* 12. & *lib.* 4. *Decalogi, cap.* 38. *num.* 18. quare non bene Alcocer *in summa cap.* 16. *pag. penultima, versu, La tercera doctrina*, asserit hanc dispensationem petendam esse ab Episcopo, aut ab illius Vicario generali, quando confessario necessitas dispensandi occurrerit, nisi forte id intelligat de Vicario generali, qui ad id commissam specialiter facultatem habet ab Episcopo. [Sanch. Alcocer.]

25. Prælati, Abbates, & quacumque alia nomenclatura censentur, qui diœcesim sibi subditam habent & iurisdictionem quasi Episcopalem, vt in Lusitania Prælatus Romarensis, & Prior Cratensis, possunt eodem prorsus modo, cum suis subditis in votis, & iuramentis Deo præstitis dispensare, quo possunt Episcopi cum suis; & ita docent Abbas *cap.* 1. *num.* 7. *de voto.* Angelus *in summa, verbo, votum* 4. *num* 6. Rosella *verbo, votum* 5. *num.* 2. Azor *tom.* 1. *Inst. moral. lib.* 11. *cap.* 19. *q.* 2. Sayro *in claui regia lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 83. Suarez *tom.* 2. *de relig. tractat. de voto, lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 13. Henriquez *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 6. *num.* 1. & *lib.* 14. *de irregularitate cap.* 18. *num.* 2. Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 38. & hi sunt capitales, & alios referunt. [Abbas. Angel. Rosell. Azor. Sayro. Suarez. Henriq. Sanch.]

26. Prælati alij Episcopis inferiores, vt sunt quidam Archidiaconi, & alij huiusmodi, qui iurisdictione quasi Episcopali carent, non possunt in votis aut iuramentis Deo præstitis dispensare, nisi specialem commissionem habeant, aut legitima præscriptione hanc potestatem acquisierint. Ita comuniter DD. Nauarrus *in summa Lat. cap.* 12. *num.* 75. Azor *tom.* 1. *Inst. moral. lib.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 2. & 86. Suarez citatus *cap.* 10. *num.* 12. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dubit.* 13. *num.* 109. Sanchez *lib.* 4 *Decalogi cap.* 38. *num.* 10. & hi citant plures alios; & idem dicendum est de Pœnitentiariis cuiuscumque Prælati, vt bene docet Sanchez allegatus, & tradunt Paludanus *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 4. *art.* 4. *concl.* 9. *num.* 47. & Sayro allegatus *num.* 85. & D. Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. *versiculo, Item Pœnitentiarij.* [Nauar. Azor. Suarez. Lessius. Sanch. Palud. Sayro. D. Anton.]

27. Potest hæc potestas dispensandi in votis, &

 iura

iuramentis Deo præstitis legitima consuetudine acquiri, & præscribi, sicut potest potestas excommunicandi. Personæ autem, quæ illam possunt acquirere, debent esse personæ Ecclesiasticæ, non laicæ, quia cum hæc potestas sit spiritualis, & personæ laicæ sint iure diuino incapaces potestatis, & iurisdictionis spiritualis, vt communiter asserunt DD. inter quos est Azor *tom. 1. Inst. moral lib. 5. cap. 12. quæst. 1.* Suarez aduersus Regem Angliæ *lib. 4. cap. 10. à num. 9.* Aluarus Vallascus *lib. 2. consult. 162. à num. 17. & consult. 159. num. 4. & 5.* & docent Glossæ *in capite, Quamquam de censibus, & in cap. Conquestus 9. quæst. 3. & in capite, Cum quidam sæculares de exceptionibus lib. 2. tit. 12. verbo, Consuetudine*; clarum manet non posse laicas, & sæculares personas, vlla vnquam consuetudine, hanc potestatem quantocumque temporis spatio etiam sexcentorum millium annorum acquirere, aut præscribere, vt diximus *num. 8.* huius capitis. Vt autem persona Ecclesiastica dicatur hanc potestatem acquirere, sicut & potestatem excommunicandi, sufficit, quòd primam habeat tonsuram, vt probauimus *num. 6.* dummodo tamen non sit clericus coniugatus, vt etiam probauimus *num. 7.* Duo tamen aduertenda sunt in persona Ecclesiastica, quæ hanc potestatem consuetudine potest præscribere. Primum est, eam consuetudinem non posse extendi vltra casum in ea præscriptum, vt si consuetudo est dispensandi in votis peregrinationum, nequeat extendi ad alia vota, quia ea consuetudo tamquam iuri aduersa strictissimam recipit interpretationē; & ideo non est extendenda vltra casus præscriptos, quamuis sit eadem ratio de illis, atque de aliis. Ita Paludanus *in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 4. conclus. 4. num. 44.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 11. num. 86.* Suarez *tom. 2. de Relig. tractatu de voto lib. 6. cap. 10. num. 12. fine.* Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 38. num. 21.* ea tamen consuetudo quæ præscripsit ad dispensandum in votis, videtur sufficere ad dispensandum in iuramentis Deo præstitis, cum hæc iuramenta nihil aliud sint, quàm vota. Secundum est, sufficere quadragenariam consuetudinem ad hanc præscriptionem acquirendam, vt docet Molina *tom. 1. de iust. disput. 77. columna 1. versiculo, Aduersus legem*, & Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 38. num. 22.* Abbas *in cap. finali num. 11. de consuetudine*, & est communis sententia. Quare non est audiendus Paludanus modò citatus, asserens centenariam exigi consuetudinem; quia ea exigitur ad præscribendum contra Ecclesiam Romanam *capite, Ad audientiam; capite, Cum nobis, capite, Si diligenti de præscript.* Sed vt Molina & Sanchez bene aduertunt, tunc est opus ea centenaria præscriptione, quando præscribitur contra res Ecclesiæ Romanæ, aut coronæ Regiæ, non autem quando contra leges tantùm latas à Summo Pontifice, quales sunt leges dispensationum; tunc enim sufficit, vt aduersus illas præscribatur prædicta consuetudine quadraginta annorum, iuxta auctores allegatos.

Azor. Suar. Vallasc. Palud. Sayro. Suarez. Sanch. Molin. Sanch. Abbas Palud.

28. Magister scholarum Salmanticensium potest ex priuilegio speciali Pontificio concesso officio dispensare cum iis scholasticis, qui sunt matriculæ adscripti, quandiu fruuntur eius Academiæ priuilegiis. Ita docent Aragonius *2. 2. q. 88. art. 12. folio 1042. columna 2. conclusione 6.* Manuel Rodriguez *2. tom. summa cap. 100. num. 3.* & aiunt ita haberi *constitutione 33. Salmanticensi*, & posse etiam dispensare in quibusdam irregularitatibus testatur Perez *lib. 5. Ordinamenti tit. 1. l. 1. folio 27. ad finem*, & Henriquez *lib. 14. de irregularitate cap. 18. num. 2.* Quod si ita est, erit hæc potestas ordinaria tamquam perpetuò adnexa illi officio & dignitati, vt docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 38. num. 23.* & patet ex iis quæ diximus *num. 22.*

Aragon. Rodrig. Perez. Henriq. Sanch.

29. Nonnulli auctores hanc potestatem dispensandi in votis sacerdoti simplici approbato attribuunt in casu necessitatis. Ita Supplementum Gabrielis *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. vltimo, columna vltima, in 2. conclusione.* Rodriguez *tom. 2. quæst. regular. quæst. 46. art. 9.* vbi id attribuit parochis, quando Episcopus commodè adiri non potest; at omnino improbabile hoc est, quia hæc potestas est potestas iurisdictionis fori externi, vt probauimus *num. 3.* & docet Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 27. & lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 21. & cap. 38. num. 24.* at Parochi nec sunt Prælati, nec hanc fori externi iurisdictionem habent. Nec obstat quòd aliqui Parochi possint ex consuetudine dispensare in diebus festis, & ieiuniis, vbi non est facilis ad Episcopos recursus; quia hæc consuetudo non est extendenda ad vota, vt patet ex iis, quæ diximus *num. 27.* & ita docent Abul. *cap. 30. Numer. quæstione 108.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 4. art. 3. columna 5. paulo ante versum, ex his fit consequens*, Syluester *verbo, votum. 4. quæst. 3. dict. 10.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 13. num. 109.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 11. num. 85.* Anton. Gomez *in Bulla cruciata, clausula 10. num. 63.* Suarez *tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 10. num. 10. & 11.* Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 38. num. 24.*

Supplem. Gabriel. Rodrig. Sanch. Abulens. Sotus. Syluest. Lessius. Sayr. AntGom. Suar. Sanch.

30. Quod etiam verum est, quamuis eo voto ligatus, sit in extremo mortis articulo, quia sola absolutio à peccatis omnibus, & excommunicationibus quamuis reseruatis, deficienti superiori tunc conceditur, vt pote quæ necessaria est ad spiritualem salutem morientis; & ita docent Syluester, Sanchez, Lessius & Sayro *num. 86.* omnes numero præcedenti allegati: & idem loquens de simplicibus sacerdotibus, & non parochis, tradit Nauarrus *in summa Latina, & Hispana cap. 12. num. 79.* & Sanchez *dicto num. 24* citatus.

Syluest. Sanch. Lessius. Sayro. Nauar. Sanch.

31. De summo Pœnitentiario Romano, certum est habere ordinariam dispensandi in votis facultatem; quia quamuis sit ex commissione Papæ, est perpetuò adnexa illi officio; & ita docet Suarez *tom. 2. de relig. tractat. de voto lib. 6. cap. 10. num. 10. & 11.* & potest dispensare in voto religionis commutando vnam in aliam, vt testatur Paludanus *in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 4. conclusione 9. num. 47.* D. Anton. *2. part. tit. 11. cap. 2. §. 9. versu, Item pœnitentiarij*, idque dicunt constare ex litteris, quas Apostatæ ab eo impetrant, quia clarè loquuntur de voto solemni in professione facto.

Suarez. Palud. D. Anton.

32. Requiritur insuper subiectio ad dispensandum, ex parte illius cum quo Prælati, ac Episcopi dispensant; hæc autem subiectio non acquiritur per solum transitum diœcesis alicuius Prælati, aut breui mora existentiæ in eadem diœcesi; quia quamuis hæc ratione communis consuetudinis vbique introductæ sufficiant ad percipienda confessionis, & communionis sacramenta, non tamen sufficiunt ad dispensationem; neque enim talis consuetudo hactenus introducta est, & meritò, quia huiusmodi dispensatio non est tantæ necessitatis, ac illa sacramenta sunt. Ita Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 24.*

Sanch.

Quidam

33. Quidam arbitrantur ad hanc dispensationem requiri acqoifitionem veri domicilij in aliqua diœcesi; verum autem domicilium acquiri affirmant per accessum ad aliquam diœcesim cum animo habitandi perpetuò in ea, & hoc non solùm ad hanc dispensationem, sed etiam ad percipiendos ibi ordines. Auctores, & fundamenta huius opinionis refert, sed non sequitur Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 3. num. 11.* & nos etiam eam retulimus, & secuti non fuimus *lib. 1. in primum preceptum Ecclesiæ, cap. 8. num. 6.* vbi pro ea plurimos retulimus auctores, & vltra illos eam sequitur Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 11. num. 11.* Diuersum tamen sentire videtur idem Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de diebus festis, cap. 14. num. 6.* Enimuero cum Nauarrus *§. In Leuitico, notabili 32. §. Incola, num. 46.* dicat incolas alicuius loci appellari habitantes ad tempus incertum, vel ad annum, vel ad tam magnam certi temporis anni partem, vt arbitrio prudentis merito debeant haberi pro habitatoribus eius loci; Suarez ibi eius sententiam amplectitur, & addit tempus incertum esse, quando habent in alia diœcesi negotium, quod solet, & tardiùs, & citiùs expediri, & moraliter loquendo petit ille notabilem motam, qualis esset quatuor, vel quinque mensium.

Sanch. Suarez. Nauar.

34. Probabilius tamen est, non exigi ad hanc dispensandi potestatem, vt fideles illi cum quibus dispensandum est, comparent domicilium verum cum animo perpetuò ibi habitandi; sed satis est, si ibi habitent cum animo permanendi maiori anni parte, & perinde est habere propositum existendi ibi maiori anni parte, ac existendi ibi tempore necessario ad negotium, quod regulariter, aut semper requirit ad minus maiorem partem anni; & ita docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 27. & lib. 3. de matrimon. disput. 23. num. 12. & 13.* & Lessius *lib. 2. de iust. c. 40. dub. 12. num. 103.* & nos hanc opinionem tenuimus *lib. 1. in 1. preceptum Ecclesiæ, cap. 8. num. 7.* & hanc etiam modò sequimur. Quare non est opus expectare, vt hi ea maiori parte anni in ea diœcesi habitauerint, vt cum eis dispensetur, sed statim, ac habitare incipiunt cum animo ibi eo tempore commorandi, censentur subditi eius diœcesis ad obtinendam hanc dispensationem ab Episcopo illius; domicilium enim acquiritur animo, & constitutione, seu habitatione. Ita Sanchez vtroque loco allegatus *in priori, num. 28. in posteriori num. 14.*

Sanch. Lessius. Sanch.

35. Nec per hoc tollitur facultas adeundi Episcopum proprij loci, pro ea dispensatione, sed vtrumque potest quis pro ea adire, cum integrum sit cuique faciliori remedio vti in re sua, cum opus fuerit. Ita Sanchez *dicto lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 29. & lib. 3. de matrim. disp. 23. fine.* Non est tamen satis domicilium originis motata illius habitatione, vt integrum sit Episcopo originis cum hoc dispensare; id enim solùm locum habet ad solos ordioes percipiendos, vt latè probat Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 23. num. 7.* nam ad dispensandum in votis requiritur dispensatio proprij Episcopi, sicut ad assistendum matrimonio requiritur ex Concilio Trident. *sess. 24. cap. 1. de matr.* præsentia proprij parochi. Non dicitur autem proprius parochus, & Episcopus ille, qui est parochus, & Episcopus originis, sed ille qui est parochos, & Episcopus domicilij: illa enim dicitur verè, & propriè propria parochia & diœcesis alicuius, in qoa habet domicilium habitationis, ac proinde nomine domicilij in dubio non venit domicilium originis, sed habitationis. Et ratio est, quia in dubio à verborum proprietate recedendum non est, *l. Non aliter. ff. de legatis 3.* Solùm tamen in sacramento ordinis ad ordines suscipiendos etiam sacros requiritur Episcopus originis, quia id voluit expressè ius canonicum, vt patet ex *cap. Cum nullus, de temporib. ordinand. ibi in 6. Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cuius diœcesi est is, qui ad ordines promoueri desiderat, oriundus.* Vbi non dixit absolutè & quoad omnia Episcopum originis esse superiorem, sed limitatè tantùm. *Superior intelligitur in hoc casu,* id est, vt promoueat ad ordines; & ita docet idem Sanchez *dicto lib. 3. de matrim. disp. 23. num. 7.* & Anchartanus *cap. De vxore, num. 8. de sepulturis.* Et *cap. Is qui, num. 1. eod. tit. in 6.* & Glossa *in cap. finali, verbo, Habitatores, de parochijs*, Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 42. num. 5.*

Sanch. Sanch. Sanchez. Anchar. Gloss. Menoch.

36. Cum vagis possunt Episcopi diœcesis, in qua inueniuntur, dispensare, qui actum nullibi domicilium habeant, sortiuntur diœcesim vbicumque repetiuntur. Ita docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 31. & lib. 3. de matrimon. disput. 15. n. 5.* & Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 13. num. 103.*

Sanch. Lessius.

37. Possunt etiam Episcopi dispensare cum suis subditis existentibus ad tempus extra diœcesim, quia cum illi domicilium non mutauerint, est verus illorum prælatus. Ita Sanchez modò allegatus *in Decalog. num. 32.* & Soarez *tom. 2. de Religion. tract. de voto lib. 6. cap. 11. num. 10.* Potest etiam Episcopus cum suis subditis dispensare, quamuis ipse Episcopus extra propriam diœcesim sit, idque siue subditus in ea sit, siue extra eam. Ita Sanchez *dict. lib. 4. Decalog. cap. 37. num. 32. medio, & 33. & lib. 8. de matrim. disp. 32. num. 17. & lib. 3. disp. 19. num. 8.* & Suarez citatus. Et ratio est, quia etsi iurisdictio contentiosa, & forensis petat, vt tam Episcopus quàm subditus intra diœcesim sit; at iurisdictio voluntaria, qualis est dispensatio, potest ab Episcopo extra diœcesim exerceri.

Suarez. Sanch.

38. De catechumenis dubium est, an possint Episcopi cum eis in votis, aut iuramentis Deo præstitis dispensare. Henriquez *lib. 7. de indulgentijs, cap. 20. num. 8.* docet forsan eorum vota posse à prælatis commutari, & dispensari. Fundamentum illius est, quia in fauoribus pertinent ad Ecclesiæ iurisdictionem, sunt enim instar nouitiorum religionis, in quorum votis prælati dispensare possunt. Deinde, quia catechumenis indulgentiæ prosunt, vt testatur Nauarrus *§. In Leuitico, notabili 30. num. 23. & notabili 31. num. 47.* & Henriquez *dicto lib. 7. de indulg. cap. 18. num. 3.* & fatetur esse probabile Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 53. sect. 4. num. 8.* quæ omnia petunt etiam sobiectionem spirituali potestati concedentis. Non placet tamen hæc sententia Sancio *lib. 4. Decalog. cap. 37. num. 37.* Primò, quia satis dubium est, an indulgentiæ prosint catechumenis, & possint illis concedi, id enim negat Suarez probabilius *eodem num. 8.* Secundò, quia ipsemet Henriquez *cap. 18. num. 3.* fatetur non posse indulgentias concedi catechumenis per modum absolutionis, sed solùm per modum suffragij; & Suarez *dict. num. 8.* pro vero hoc, & indubitato habet. Tertiò, quia huiusmodi votorum, & iuramentorum dispensatio, est quædam absolutio ab his vinculis, & est actus iurisdictionis externæ procedens ab spirituali potestate, & iurisdi-

Henriq. Nauar. Henriq. Suar. Sanch. Henriq. Suarez.

ctione prælati in eum, cum quo dispensat, prælati autem iurisdictionem, & potestatem non habent in catechumenos, qui nondum Ecclesiam per portam baptismi intrarunt, de his enim qui foris sunt quid ad nos? Nam si indulgentiæ eis per modum absolutionis concedi nequeunt, neque etiam huiusmodi dispensationes. Et idem dicendum est de commutatione prædictorum votorum, & iuramentorum facta à prælatis virtute potestatis spiritualis, quam habent, quia prædicta commutatio est actus iurisdictionis spiritualis, & quædam voti absolutio circa priorem materiam pertinens ad iurisdictionem; potest tamen ipse cathecumenus ipsa vota & iuramenta in melius commutare; & sicut ipse id potest efficere, ita volente ipso, prædictam acceptare commutationem, posset prælatus non tanquam prælatus, sed tanquam quicumque alius nulla iurisdictione gaudens ea illi commutare; quia si ipse potest acceptare eam commutationem ab alio quocumque, ita & à prælato, non tamen tanquam prælato, tunc enim ea commutatio nullius iurisdictionis est actus. Nec est simile de nouitiis religionis, quia nouitij capaces sunt, vt iurisdictio Ecclesiastica in illos exerceatur, & dum in religione perseuerant, sunt subiecti spirituali prælatorum iurisdictioni. Ego hanc vltimam Sanchez sententiam lubens, ac volens amplector, habet enim meliora fundamenta vt patet, quamuis sententia Henriquez probabilis etiam sit.

39. Dubium tamen est, an ipsimet prælati secum possint in prædictis votis, & iuramentis dispensare, sicut possunt dispensare cum aliis. Et videbitur alicui non posse, quia est actus iurisdictionis, & nemo sibi subiectus est, neque in se ipsum iurisdictionē exercet. Est enim iurisdictio ad alium. Respondeo tamen breuissimè duplicem esse dispensationem: propriam, & impropriam. Propria est illa, quæ est vera iuris relaxatio, & est actus veræ iurisdictionis. Impropria est, quæ potius dicitur licentia ad faciendum aliquid in regula prohibitum, in qua superior potest dispensare; vt si regula non prohibeat aliquid fieri absolutè, sed prohibeat fieri absque superioris licentia; & hæc non est actus veræ, & propriæ iurisdictionis, sed est actus superioritatis; & ideo si de ista dispensatione impropria loquamur, certissimum est, posse prælatos iis licentiis erga se ipsos vti, quas subditis concedere possunt; quod latè probat Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 3. *num.* 1. & docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. & Angelus *verbo, Monachus, num.* 7. Syluester *verbo, Religio.* 6. *quæst.* 10. & *verbo, Relig.* 7. *quæst.* 12. Tabiena *verbo, Episcopus, quæst.* 6. & ibi Armilla *num.* 8. Et ratio est, quia hæc licentia non est actus iurisdictionis; sed cuiusdam superioritatis, vt dixi. Expedit autem vt si superiores, qui aliis facultatem facere possunt, eadem erga se ipsos vtantur, ne peioris sint conditionis, quàm subditi; & sæpe non habent ad manum superiorem quem facilè adire possint. Si loquamur de dispensatione propria, certum etiam est; quando prælati, & superiores in vniuersum dispensant cum subditis in aliqua regula, aut lege, ex iusta causa, secum etiam posse dispensare; vt si prælatus religionis, cum toto conuentu dispenset, vel Episcopus cum tota vrbe, vt certu aliquo die cibos vetitos edat; certum, inquam, est, posse quoque prædictos superiores eos cibos edere, & hoc modo indirectè secum etiam dispensare; quia hoc non est directè vti iurisdictione in se ipsos, sed

Sanchez. D. Thom. Angel. Syluest. Tabiena. Armill.

indirectè tollendo obligationem in vniuersum, & vtendo ea dispensatione omnibus concessa. Sic communiter Doctores admittunt prælatos concedentes omnibus generaliter indulgentias posse quoque illis frui, & sibi eas indirectè concedere, & ita tanquam rem certam tradunt Sotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad finem corporis.* Lud. Lopez 2. *part. instruct. cap.* 5. *columna* 32. *versu, Virum indulgentia*, & Sanchez expressè loquens de dispensatione votorum, *lib.* 4. *Decalog. cap.* 37. *n.* 40. & *lib.* 8. *de matrim. disput.* 8. *num.* 2. cum multis, quos allegat. Sotus. Lud. Lop. Sanch.

40. Quando autem prælati non dispensant in vniuersum cum subditis in aliqua regula, aut lege, sed dispensant cum aliquo, vel aliquibus, in speciali casu occurrenti, ex iusta causa, dubium est an possint etiam secum dispensare verè, & propriè in omnibus casibus, in quibus possunt cum subditis dispensare. Et hac de re triplex est sententia. Prima id negat etiam ipsi Summo Pontifici: hanc tenet Sayro *in claui regia lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 107. & Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 4. *sancto num.* 2. nam *num.* 4. id negat prælatis Summo Pontifice inferioribus, & *num.* 2. tantùm dicit non esse improbabile posse Summum Pontificem secum dispensare. Hanc tenet etiam D. Thom. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 4. *ad primum*: tenent quoque exprimentes etiam Summum Pontificem Ant. *cap.* 5. *num.* 10. *de const.* & ibi Imola *num.* 7. Alexander de Neuo *num.* 66. Betous *num.* 108. Decius *consilio* 251. *num.* 10 *volumine* 1. & alij quos citat Sanchez, sed non sequitur *lib.* 8. *de matrim. disp.* 3. *num.* 4. Ratio est, quia dispensatio est actus proprius veræ iurisdictionis, nemo autem iurisdictionem habet in seipsum, cum sibi subditus non sit. Sayro. Suarez. D. Thom. Anton. Imola. Alexand. Betous. Decius. Sanch.

41. Secunda id soli Summo Pontifici concedit, & negat omnibus aliis Prælatis inferioribus, ex eo fundamento, quòd in prælatis inferioribus non reperiatur plenissima potestas, qualis est in Summo Pontifice concessa à Christo Domino in illa amplissima concessione Matthæi 16. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, &c. Sed habent potestatem, & iurisdictionem ab illo deriuatam, & communicatam, iuxta veriorem sententiam; neque militet eadem necessitas in aliis prælatis, quæ militat in Summo Pontifice: hic enim caret superiore in terris, quem adeat, vt secum dispenset; at illi habent Summum Pontificem. Hanc tenent plurimi auctores. Abbas *in cap. Magnæ, num.* 2. *notabili* 1. *de voto:* & *cap. At si clerici*, §. *de adulterijs, num.* 10. *de iudic.* & ibi Antonius *num.* 7. Decius *in noua editione num.* 109. Paludanus *in* 4. *dist.* 20. *quæst* 4. *art.* 3. *conclusione* 5. *num.* 49. & *dist.* 38. *quæst.* 4 *art* 4. *conclus.* 4. *n.* 41. Azor. *lib.* 5. *inst. moral. cap.* 15. *quæst.* 6. Henriq. *lib.* 6. *de pænit. cap.* 4. *num* 3. *in commento litera* O. & *cap* 7. *num.* 5. *in commento, litera B.* & *lib.* 7 *de indulgentijs, cap.* 28. *num.* 5. *in commento, litera H.* & Anton. Gomez *in cruciata, clausula* 10. *num.* 87. Syluester *verbo, Votum* 4. *quæst.* 3. *in fine*, & alij plures, quos citat, sed non sequitur Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 3. *num.* 5. Abbas. Anton. Decius. Palud. Azor. Henriq. Ant. Gom. Syluest. Sanch.

42. Tertia opinio omnibus probabilior, & ideo amplectenda, docet, posse non solùm Summum Pontificem, & Episcopos, sed etiam omnes prælatos, & superiores Ecclesiasticos, tam sæculares, quàm regulares habentes iurisdictionem ordinariam dispensandi, tam in votis, & iuramentis, quàm in aliis rebus, secum dispensare, eodem modo,

modo, quo possunt eum aliis subditis, imò & habentes iurisdictionem delegatam dispensandi in vniuersum cnm aliqua communitate; cuius ipsi sunt partes, secus quando haberent limitatam potestatem dispensandi cum certis personis, aut cum certo personarum numero. Et idem dicendum est tam de supremo Principe sæculari, quàm de omnibus aliis superioribus sæcularibus habentibus potestatem ordinatiam, aut vniuersaliter delegatam ad dispensandum in rebus sęcularibus; in omnibus enim etiam hi secum propriè poterunt dispensare, in quibus possunt cum subditis. Sanch. Ita docet Sanchez *lib. 8. de matrimonio disp. 3. à num. 6. vsque ad 11. & lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 45.* De Summo Pontifice id docent auctores secundæ opinionis, & rationes factæ pro illa id probant, Flamin. Suarez. & Flaminins *de resignat. benefic. lib. 3. quæst. vlt. num 130.* & Suarez *3. tomo in 3. part. quæst. 82. art. 11. disp. 36. sect. 2. versu, solet verò, columna antepenultima, & tom. 4. vbi de indulgent. disp. 52. sect. 1. num 20.* Caiet. & Caietan. *1. 2. quæst. 96. art. 5. columna 3. versu, Ad hoc dubium præmittenda sunt*; Sotus. & Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 5. art. 5. conclusione 2. & lib. 1. de iust. quæst 6. art. 7. ad finem.* Sanch. Rodrig. de Episcopis idem docet Sanchez *dicto lib. 8. de matrim. disp. 3. num. 8.* & Rodriguez *in Bulla Cruciata § 8. dub. 6. num. 11. & tom. 2. summa cap. 30. num. 4.* & alij. De Prælatis Regularibus, siue Generalibus, siue Prouincialibus, siue aliis superioribus localibus, qui toti domui præsunt. & illis absentibus de vicerectoribus, & viceprioribus superiorum absentium vicem gerentibus, quando eis hæc iurisdictio non restringitur, idem Sanchez. Armill. Molin. Sà. Sayro. Rodrig. docet ipse Sanchez *d ct. lib. 8. de matrim. disp 3. n. 9.* Armilla *verbo, Monachus, num. 6.* Molina *tom 1. de iust. tract. 2. disp. 347. versicul. Religiosus tamen.* Sa *in summa, verbo, Religiosus num. 47. versiculo, Prælati in Religione.* Azor *lib. 7. Inst. moral cap. 29. quæst. 1. tom. 1.* Rodriguez *duplici loco modo allegato.* De habentibus potestatem delegatam ad dispensandum in vniuersum cnm aliqua communitate, cuius ipsi sunt partes, docet idem Sanchez citatus *num. 10.* & Rodrig *tom. 2. summa cap. 30. num. 4.* de Principibus, & Superioribus sæcularibus siue sint supremi, siue non supremi, idem Sanch. Syluest. docet Sanchez allegatus *num. 7* & Syluester *verbo, Lex quæst. 14. fine.* vbi generaliter loquens ait posse Principem secum dispensare. Et ratio generalis, quæ in omnibus superioribus iurisdictionem, & potestatem ordinariam, tam ciuilem, & politicam, quàm Ecclesiasticam habentibus militat, est. quia iurisdictio hæc secum dispensandi non est contentiosa, quæ testium probatione, ac partium citatione egeat, vt distinctionem personarum exigat, quasi iniquum sit in propria causa sibimet ipsi ius dicere contra ius ab aduersario intentum *l. vnica C. Nequis in sua causa*; sed solum eget directione, & prudenti iudicio ad perpendendam iustam dispensationis causam; quod non repugnat erga se ipsum habere. Neque hæc iurisdictio est coactiua, aut punitiua, quæ in semetipsum exerceri repugnet: sed est voluntaria iurisdictio, quæ tali repugnantia caret; neque est instar excommunicationis sententiæ, quæ sicut distinctionem postulat inter excommunicantem, & excommunicatum, ita eam postulat inter absoluentem, & absolutum, cum per modum iudicij proferatur; neque pertinet ad absolutionem sacramentalem, quæ iure diuino postulat distinctionem personarum inter absoluentem, & absoluen- D. Thom. dum, & hanc distinctionem constituerunt D. Th. *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 5. quæstiuncula 4. ad 3.* Sotus. & Sotus *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 4. in fine corporis*; Lud. Lop. & Ludou Lopez *2. part. Instructory, vbi de indulgentiis cap. 5. columna 33. ante versiculum, Præterea circa illam*; asserentes actum, qui instar sententiæ exercetur, vt excommunicare, non posse ab aliquo erga se ipsum exerceri; secus de actu, qui per modum dispensationis fit. Ratio verò, quę potest militare in iis duntaxat, qui potestatem habent delegatam, est, quia potestas illa non est limitata, sed in vniuersum concessa, alioqui enim ipsi peioris essent conditionis, quàm cæteri subditi cum quibus ipsi ex generali commissione possunt dispensare. De Principibus sæcularibus, patet, quia non minorem habent potestatem, & iurisdictionem in temporalibus, quàm Papa & Prælati in spiritualibus. Quare sicut illi possunt secum in spiritualibus dispensare; ita & hi in temporalibus. Item quia *capite, Per venerabilem, qui filij sint legitimi*, decernitur Regi integrum esse sobolem propriam illegitimam legitimare, dispensando cum ea, quoad successionem, & dignitates temporales.

Sed oppones primò, neminem posse authoritatem in proprio casu præstare *l. 1. ff. de author. & consensu tutorum*, ibi: *Regula est iuris ciuilis in rem suam authorem tutorem fieri non posse.* 43. Oppones secundò ex *Clementina 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, vbi decernitur valere vnionem alteri Ecclesiæ, vel singulari præbendæ capituli factam per Episcopum de consensu capituli; non tamen valere, si ipsi capitulo vnio fiat; & rationem reddit ibi glossa *verbo, Capitulo*, quod in priori casu non præstet capitulum authoritatem in facto proprio, in posteriori præstet. Oppones tertiò, quia eiusdem est ligare, & soluere, *capite, Inferior dist 21. & capite, Cum inferior. de maiorit. & obed.* at nemo potest se sua propria lege ligare, vt constat de supremo Principe, qui non potest ligari suis legibus, quoad vim coactiuam, vt docent Theologi vniuersi. Ergo nec poterit se ipsum à legibus eximere & absoluere secum dispensando. Oppones quartò, ex *capite finali de instit.* vbi deciditur eum, qui beneficium conferre potest, non posse se ipsum instituere; & redditur ratio ibi his verbis, *cum inter dantem & accipientem debeat esse distinctio personalis*; at dispensans, beneficium dispensationis impertit; ergo illud beneficium sibi conferre non poterit. Oppones quintò, esse communem sententiam Theologorum *in 4. dist. 20.* quam sustinet Paludanus Palud. ibi *quæst 4. art. 3. num 49. conclusione 5.* quod inter concedentem, & accipientem debeat esse distinctio personalis. Vnde nec Summus Pontifex potest sibi conferre indulgentias, vt communiter authores docent.

Ad primum, & secundum respondeo merito 44. id specialiter fuisse statutum in iure in iis casibus ad vitandas fraudes; secus autem esse in multis casibus iurisdictionis voluntariæ, in quibus potest quis in rem suam authoritatem præstare, vt in emancipationem, & serui manumissionem. Vnde cum hæc dispensatio sit actus iurisdictionis meræ voluntariæ, eam potest quis in se ipsum exercere dispensando secum, & sibi ipsi eam veluti authoritatem præstando; quia in ea potest quis respectu sui ipsius esse superior, vt notat Sanchez *lib. 8. de matr disp. 3. n. 12.* Ad tertium, ait illud axioma, eiusdem esse ligare & soluere, verum esse in hoc sensu, vt scilicet nemo possit in vniuersum refigere legem, nisi ille qui illam

potuit figere, aut tollere, nisi, qui potuit ponere: falsum verò esse in dispensationibus, vt patet, quia quamuis quis non possit se ligare legem sibi imponendo, potest tamen se illa lege liberare secum dispensando si potestatem habet ordinariam aut delegatam in vniuersum ad dispensandum cum aliis. Ad quartum dico id speciale esse in beneficiorum collatione, ne cum præiudicio Ecclesiarum, se ipsum quis multis beneficiis ditare possit. Ad quintum assero satis probabile esse posse Summum Pontificem sibi indulgentias confer-
Henriq. re, vt docet Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 7. n. 5. & lib. 7. de indulgent. cap. 28. num. 1. in commento*
Suarez. *litera H.* & Suarez *de indulgent. disp. 52. sect. 1. num. 21.* & licet *num. 19.* non definiat idem de Episcopis, sed iudicandum dicat iuxta concessiones eis factas, attamen illius ratio non innititur requisitioni diuersitatis personarum, sed vt D. Thomas existimat *in 4 dist. 20. quæst. vnica art. 5. quæstiuncula vltima*; quia nulla possit iusta causa dati, vt prælatus sibi ipsi directè indulgentias possit concedere.

45. Vnde constat posse huiusmodi Prælatos suis confessariis potestatem committere vt secum dispensent in iis votis, & in aliis rebus, in quibus ipsi cum suis subditis dispensare propriè possunt, & vt eos absoluant ab omnibus peccatis, à quibus ipsi per potestatem ordinariam, vel vniuersaliter delegatam alios possunt absoluere, nisi tamen ita illam restrictam habeant, vt illa erga se ipsos vti
Suarez. non possint. Nam quamuis Suarez *tom. 2. de Religione tract. de voto lib. 6. cap. 11. num. 4.* id neget ex eo fundamento, quòd textus *in capite finali de pœnit. & remission.* solùm concedat his Prælatis potestatem eligendi confessores, qui eos absoluant, ex quo non sequitur, quod possint illos eligere, vt secum in votis dispensent, & ex eo etiam fundamento, quia nemo dat id quod non habet; at hi non possunt secum dispensare; ergo nec aliis committere, vt secum dispensent. Quare concludit Suarez Episcopos, & alios prælatos immediatè Summo Pontifici subiectos debere Summum Pontificem adire, vt secum in prædictis votis, & iuramentis Deo præstitis dispenset. Cæterum posse huiusmodi prælatos prædictam potestatem suis confessariis committere, vt secum dispensent in prædictis votis, & vt se absoluant
Sanch. à prædictis peccatis, docet expressè Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 42. & lib. 8. de matrim. dis-*
Palud. *sput. 3. num. 3.* & Paludanus *in 4. dist. 38. quæst. 4.*
Henriq. *art. 4 conclusione 8. num. 46.* & Henriquez *lib. 14.*
Auila. *de indulgent. cap. 18. fine*, & Auila *de censuris 7. p.*
Gabr. *disp. 10. dubio vltimo.* & Gabriel *in 4. dist. 17. q. 2.*
Syluest. *art. 3. dub. 2. in principio*, & Syluester *verbo, con-*
Tabien. *fessor. 1. quæst 9.* Tabiena *verbo, absolutio 1. num. 37.*
Maiol. *quæst. 17.* Maiolus *lib. 2. de irregularitate cap. 2.*
Ant. Gom. *num. 12. & lib. 5. cap. 11. num. 7.* Anton. Gomez
Sayro. *in expositione Cruciatæ, clausula 10. num. 85.* Sayro
Sà. *in thesauro tom. 1. lib. 7. cap. 14. num. 5* Sà *in summa verbo, Confessor. num. 6.* Probatur, quia vt bene animaduertit Sanchez vtroque loco allegatus,
Suarez. Maiolus, & Sayro item allegati, & Suarez *de censuris disp. 41. sect. 2. num. 9.* sacra Cardinalium congregatio declarauit Episcopos incidentes in casus ipsis concessos erga subditos in Concilio Trident. *sessione 24. de reformat. cap. 6.* posse vti absolutione & dispensatione sui confessoris ad id à se ipsis electi. Et ratio est, quia non repugnat quempiam hanc iurisdictionem in semetipsum
Sanch. exercere, vt docet Sanchez *dict. lib. 8. de matrim. disp. 3. num. 3.* etiam in absolutione sacramentali committendo confessario, vt se ipsum absoluat, vt constat ex communissima sententia asserenti confessarium Summi Pontif. ab ipsomet accipere iurisdictionem ad illum absoluendum. Item quia quamuis *in cap. finali de pœnit. & remissionib.* concedatur Episcopis, & Prælatis exemptis posse eligere sibi confessarium, tamen licet textus de sola confessione sacramentali ibi mentionem faciat, at mens eius fuit his prælatis prospicere in omnibus per illum confessarium, quæ possunt illi in subditos exercere.

Quando autem huiusmodi prælati potestatem 46.
suis confessariis committunt, vt secum dispensent in votis aut iuramentis Deo præstitis, non opus est, vt prælati huic sacerdoti confiteantur, aut illi intendant postea fateri, quia hæc dispensatio potest fieri extra confessionem; sed satis est vt ipsi prælati concedãt huic sacerdoti licentiam absolutionis sibi sacramentalis impendẽdæ, vel aliàs sacerdos ille iurisdictionem habeat audiendi confessionem illius prælati, vel vt illum eligat ad hanc solam dispensationem faciendam; quia iurisdictio illa dispensandi cum prælato, sicut, & absoluendi illum, ab ipso prælato emanat, vel à Pontifice, qui *capite finali, de pœnit. & remission.* concedit Prælatis exemptis posse eligere confessores: quos textus ad dispensationes quoque extendi diximus. Ita docet Sanchez *lib. 8. de matri-* Sanch.
monio disp. 3. num. 3. fine. & lib. 4. Decalogi cap. 37. num. 42.

Et idem prorsus dicendum est de potestate 47.
commutandi propria vota, nam quando ea commutatio est actus iurisdictionis spiritualis, possunt etiam eam iurisdictionem in semetipsos exercere committendo confessariis potestatem ad commutanda sibi propria vota, quæ emissa à subditis possent ipsi commutare, eadem est enim prorsus ratio, vt docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 37.* Sanch.
num. 46. Sic etiam quando in Bulla Cruciata, aut in alio priuilegio conceditur facultas confessori approbato ab ordinario, & electo ab habenti Bullam ad eam commutationem, aut dispensationem faciendam iuxta probabiliorem opinionem, quam sequitur Sanchez *lib. 8. de matrim.* Sanch.
disp. 15 num. 25. & Henriquez *lib. 7. de indulgent.* Henriq.
cap. 30. num. 6. & dicit probabile Rodriguez Rodrig.
tom. 2. summæ cap 99. num. 6. non est opus confessione, quia Bulla, & priuilegia non dicunt, vt auditis confessionibus id fiat, sed petitur tantùm in prædicta Bulla, & priuilegio, vt commutaturus, aut dispensaturus sit confessor approbatus ab ordinario, non quòd necessario sit priùs confessio præmittenda, sed quia talis vir præsumitur vir doctus, & modica scientia desideratur ad hanc commutationem, & dispensationem, vt iudicet, quæ sint opera æqualia in quæ commutatio est facienda, & an detur iusta causa ad dispensandum; nec quamuis talis facultas in Bulla aut priuilegio concedatur in ordine ad internam, & bonam animi dispositionem, arguit concedi tantùm in actu confessionis; sed arguit solùm non concedi pro foro externo; sed pro interno maximè, quia dispensatio, & commutatio voti nihil ad forum pœnitentiæ pertinent; sed est distincta facultas; quam Pontifex suscipienti Bullam non habenti priuilegium concedit. Requiri tamen, vt confessio promittatur, tam ad commutanda, quàm ad dispensanda vota virtute Bullæ Cruciatæ docent Rodriguez *in eadem Bulla Cruciata §. 9. nu-* Rodrig.
mero 13. regula 9. Ludou. Lopez *2. part. Instru-* Lud. Lop.
ctory, vbi de clauibus cap. 9. columna 9. & Veiga Veiga.
tom. 2.

tom.2. summæ, cap. 129. *casu* 34. ex eo solùm fundamento, quia hæc facultas ad commutandum, & dispensandum committitur in prædicta bulla soli confessario approbato ab ordinario electo ab habente illam & in ordine ad bonam & internam animi dispositionem conceditur. At meliora sunt nostra fundamenta, quia in bulla, & priuilegio non dicitur, *auditis confessionibus*, vt diximus.

Idem etiam dicendum est, quando absolutio ab excommunicatione virtute alicuius bullæ, aut priuilegij alicui conceditur; non enim requiritur etiam ad hanc absolutionem, vt præmittatur confessio, cum hæc absolutio ab excommunicatione de se actus sit externus. Ita Sanchez *lib.8. de matrim. disp.* 15. *num.* 25. & docet Henriquez *lib.7. de indulg. cap.*30. *num.*6. *& cap.*13. *num.*2. vbi id docet expressè, & citat pro se suo more nouiores Salmanticenses contra Nauarrum *c.*26. *num.* 31. & Cordubam *casu* 19. *&* 187. & Emanuelem Rod. *in Bulla Cruciata*, § 9. *num.* 55. & Couarruuiam *cap. Alma mater* 1. *part.*§.11. *n.*10. *&* 16 qui requirunt confessionem. Et pari ratione idem dicendum est cum ab ordinario committitur alicui confessario approbato, vt aliquem excommunicatum ab excommunicatione incursa absoluat; non enim opus est, vt præcedat confessio, quia hic actus absoluendi ab excommunicatione, est actus merè externus, & ad forum spiritualem externum pertinet.

Sanch. Henriq. Nauar. Cordub. Rodrig. Couar.

48. Maius dubium est, an necessaria confessio sit, quando in iubilæis conceditur facultas ad commutanda vota, aut dispensandum cum aliquo, quia in eis dicitur, *auditis confessionibus*, vt sæpe constat ex clausula ipsius iubilæi, qua de re dicemus *c.*45. *à num.*24. credit tamen Sanchez etiam tunc non esse necessarium præmittere confessionem, & id latissimè probat *dicto lib.* 8. *de matr. disp.*26. *num. vltimo*, loquens etiam de priuilegiis religiosorum ad commutanda prædicta vota; vbi dicit non esse necessariam confessionem ex parte illorum cum quibus hæc commutatio facienda est, quia potestas commutationis, sicut & dispensationis, est distincta facultas à potestate absoluendi, & confitendi, & cum commutatio, & dispensatio de se non indigeant confessione, non est censendus Pontifex velle totum iubilæi, aut bullæ priuilegium limitare ad auditas confessiones; sed cum dicit, *auditis confessionibus*, singula singulis referenda sunt; & ideo illa verba, *auditis confessionibus*, referuntur ad absolutionem à peccatis. Commutatio verò votorum aut dispensatio non refertur ad illa, quia absolutio à peccatis petit necessariò confessionem sacramentalem, quam non petit votorum commutatio, aut dispensatio. Ita Sanchez dicto *lib.* 8. *de matrim. disp.*26. *num. vlt.* & Henriquez *lib.*7. *de indulgent. cap.* 30. *numer.* 6. vbi absolutè docet commutationem votorum per bullam aut priuilegium regularium fieri posse extra confessionem, & eadem est ratio de dispensatione. Sed de hac re latiùs agemus *capite* 45. *à num.*24.

Sanch. Henriq.

***

CAPVT XLII.

An in iuramentis castitatis, religionis, & triplicis peregrinationis, possint Episcopi dipensare. Et quid quando sunt pœnalia remissiuè.

SVMMARIVM.

Iuramenta Deo præstita religionis, castitatis, & peregrinationis Romana, Compostellana, & Hierosolymitana Summo Pontifici veluti vota reseruantur. num.1.

Refertur, & reijcitur sententia docens non reseruari. num.2.

Refertur media sententia inter duas priores. num.3.

Reijcitur hac media sententia. num.4.

Iuramentum pœnale castitatis & religionis non est reseruatum Summo Pontifici. num.5.

Sola quinque vota castitatis perpetuæ, religionis, & triplicis peregrinationis sunt reseruata Summo Pontifici quando non sunt pœnalia. num.6. & 7.

Potest Episcopus dispensare in voto castitatis non perpetuæ, vt ad annum aut decem annos. num.8.

Potest in voto castitatis coniugalis. num.9.

Potest in voto de non petendo debito, quod alter coniux absque alterius licentia emisit. num.10.

Quid si de licentia alterius coniugis sit emissum. num.11.

Quid si vterque coniux communi consensu vouit non petere, nec reddere. num.12. & 13.

An si alter coniux absque alterius licentia castitatem vouit, possit Episcopus in eo dispensare. num.14.

Quid si castitatis votum post matrimonium ratum, & non consummatum emissum sit animo ingrediendi religionem, vt illud ibi impleatur, sciendo aliter impleri non posse. num 15.

An possit Episcopus dispensare in voto castitatis, quando alter coniux de licentia alterius castitatem vouit. num.16.

Quid quando vterque coniux illam vouit absque licentia alterius. num.17.

Quid quando vterque illam vouit de alterius licentia. num.18.

Quid si vterque communi consensu per modum contractus illam vouit. Refertur prima opinio docens posse Episcopum in eo voto dispensare. num.19.

Refertur secunda asserens posse dispensare ad petendum tantùm debitum. num.20.

Præfertur tertia sententia docens non posse Episcopum dispensare cum prædictis coniugatis, vt matrimonio vtantur, siue petendo, siue reddendo. num. 21. *Quid quando adest graue periculum incontinentiæ, & Summus Pontifex adiri non potest.* ibid.

Quid si Summus Pontifex possit adiri, imminet tamen interim graue periculum incontinentiæ in altero coniuge. num.22.

An possit Episcopus dispensare in voto castitatis, quod vterque coniux communi consensu per modum reciproca conuentionis emisit per metum non tamen sufficientem ad irritandum votum, licet non detur incontinentiæ periculum. num.23.

An possit dispensare cum solutis, qui votum castitatis cum eodem metu emiserunt. num.24.

Quomodo intelligenda est dispensatio Episcopi quando dispensat in voto castitatis ob vrgentem necessi-

tatem cum coniugibus, qui communi consensu per modum reciprocæ conuentionis votum emiserunt. *num.* 25.

Quas limitationes tertia opinio num. 25. explicata recipiat. *num.* 26.

Possunt Episcopi dispensare in voto castitatis temporalis, quam coniuges mutuo consensu per modum reciproci contractus promiserunt. *num.* 27.

In quibus casibus liceat Episcopis cum solutis dispensare in voto castitatis absolutæ, & religionis. n. 28. 29. & 30.

1. CIRCA primam quæstionem in titulo propositam; paritur sententia tripliciter. Prima & probabilior affirmat præstita Deo iuramenta seruandæ perpetuæ castitatis, ingrediendæ religionis, suscipiendæ peregrinationis Romanæ, Compostellanæ, Hierosolymitanæ Summo Pontifici reseruari, sicut & similia vota: ita debent dicere omnes qui dicunt iuramentum promissorium Deo factum, votum includere, & nihil aliud esse, quàm votum, cum illius naturam habeat; & hi sunt Sotus *lib.* 8. *de iust. art.* 9 *in solutione ad* 2. *in fine* & Nauar *in summa, Lat. cap.* 27. *num.* 275. *versiculo* 16. & expressè docent Caietan 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *paulo post principium*, ibi: *Et similiter videntur reseruata omnia iuramenta Papæ, quæ si essent vota, essent Papæ reseruata*; Alcocer. *lib. de ludo, cap.* 13. *conclusione* 9. *in summa, cap.* 16. *fol. mihi* 58. *versu, La primera es.* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 4. *columna* 5. *versu, Et notandum est.* Aragonius 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 12. *columna* 6. *dict.* 1. & *quæst.* 89. *art* 9 *col* 5. *dict.* 4 Stunica *quæst.* 5. *de voto num.* 42. & *quæst.* 6. *in fine.* Manuel Rodrig. *tom.* 2. *summa, cap* 100. *num.* 3. Toledo *lib* 4. *summa, cap.* 13. *n.* 2. Azor. *lib* 11. *inst. moral. cap.* 1?. *quæst.* 3. Probatur primò, quia is qui iurat Petro se daturum ei nummos centum, id promittit Petro, iureiurando promissionem suam confirmans; ergo is, qui Deo iurat se seruaturum castitatem, vel ingressurum religionem, &c. id promittit Deo, iuramentóque promissionem suam firmat, & subinde ibi est votum; cum votum nihil aliud sit, quàm promissio facta Deo. Igitur reseruatis votis castitatis, religionis &c. censentur à fortiori reseruata similia iuramenta. Secundò, quia omne iuramentum diuiditur adæquatè in assertorium, & promissorium, vt probauimus *cap.* 4. *num* 2. & docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art* 1. *in fine corporis*, assertorium autem est quando confirmatur aliquid præsens, aut præteritum; promissorium verò quando inducitur ad confirmandum aliquid, quod in futurum promittitur; ergo iuramentum promissorium Deo præstitum nihil aliud est, quàm promissio, ac proinde quàm votum. Tertiò, quia ex iuramento promissorio acquiritur Deo ius tanquam vero creditori, ab ipsoque acceptatur obligatio faciendi rem in eius obsequium iuratam, ac promissam; ergo est promissio perfecta, & cum Deo facta sit, erit votum. Quartò, quia si quis homini promittat se ingressurum religionem, nequit homo ille eam promissionem remittere, quia talis promissio non homini principaliter, sed Deo facta est Ergo solus Deus potest eam promissionem remittere, aut vicarius eius cum materia illi sit reseruata.

Sotus. Nauar. Caiet. Alcocer. Valent. Arag. Stunic. Rodrig. Toled. Azor. D Thom.

2. Secunda sententia contraria asserit huiusmodi iuramenta non esse Summo Pontifici reseruata. Ita docent Tabiena *in summa nouiori, verbo, Iurare, quæst.* 20. *num.* 21. *ad finem.* Nauarr. *lib.* 2. *consilior. titul. de iureiur. in priori edit. consilio* 3. *num.* 4. & 5. *in posteriori consil.* 5. *num* 4. & 5. & aliqui nouiores doctissimi. Fundamentum illorum est, quia nunquam in facultate concessa ad commutanda, vel dispensanda, relaxandáve iuramenta, excipiuntur hæc iuramenta castitatis, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, Compostellanæ; sed illa tantùm excipiuntur, ac reseruantur quæ vergunt in præiudicium tertij. Nec ex votorum reseruatione colligitur sufficienter reseruatio iuramenti Deo præstiti circa eandem materiam reseruatam. Probatur, quia votum est fortius vinculum iuramento, vt docet D Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 8. quem ferè omnes sequuntur; ergo etiamsi Episcopus non possit dispensare in voto religionis, castitatis &c. Poterit tamen in iuramento eiusdem materiæ dispensare; non enim sequitur, *qui non potest maius, non potest minus*; tale enim argumentum omni vi destitutum est: sed bene sequitur, *qui non potest maius, poterit minus.*

Tabien. Nauar.

Tertia sententia media docet, licet regulariter loquendo omne iuramentum factum Deo de re aliqua Dei honorem concernenti contineat promissionem Deo factam, ac subinde sit votum, quod egregiè probant argumenta pro prima opinione adducta, posse tamen esse aliqua iuramenta Deo facta, quæ nullum Dei honorem concernant, nec substantiam voti contineant, ex intentione iurantis, sed mera sint iuramenta, quia scilicet iurans nullam habuit intentionem aliquid Deo promittendi, aut Deo offerendi; sed solùm per iuramentum quasi assertorium id se facturum affirmauit, vt docet Lud. Lopez 2. *part. instruct. vbi de clauibus, cap* 49 *colum* 6. & Valentia 2. 2. *disp* 6. *quæst.* 7. *punct* 2. *paulo post principium*, & Sanchez *lib.* 8 *de matrim. disp.* 13. *n.* 4. Probatur, quia enunciatio de futuro potest esse coniuncta cum nudo proposito faciendi aliquid, quod quis dicit se esse facturum; & potest etiam esse coniuncta cum promissione id ipsum faciendi; ergo etiam iuramentum potest induci, vel ad confirmandum propositum quod quis habet faciendi aliquid, vel ad confirmandam promissionem, qua promittit se aliquid facturum. Quare si quis iuramentum faciat ad confirmandum suum propositum & tale iuramentum, non erit promissorium, cum non cadat super promissionem, sed erit imperfectè assertorium, quia iurans non obligatur Deo tanquam creditori acceptanti promissionem illam; nec Deus habet ius tanquam promissarius in rem sibi promissam, cum reuera iurans ex intentione sua nihil promittat; sed obligatur Deo tanquam testi exigenti, ac postulanti, vt efficiat verum id ad cuius veritatem confirmandam in testem adductus fuit, exigit enim tunc Deus non tanquam promissarius, & creditor, cui aliquid debeatur, sed tanquam testis, vt iurans efficiat verum id, ad quod ipse illum in testem adduxit. Et affert Sanchez allegatus hæc exempla. Contingit sæpe, vt aliquis non impulsus desiderio seruiendi Deo; sed quasi desperans quòd videat à se in posterum ignominiosam, & pauperrimam vitam in sæculo ducendam, eo quòd collegium, cathedram, aut beneficium, cui se opposuit, non obtinuit, vel aliud dedecus passus est, iuret fore, vt ingrediatur religionem, & similiter ira commotus in patrem, id illi iurat. Is, inquit, Sanchez cum iurat, non respicit Deum, quasi illi aliquid volens in suum obsequium offerre, aut promittere; sed 3.

Lud Lop. Valent. Sanch.

solum

solum vult eum afferre in testem sui propositi quod habet faciendi id ad quod se iureiurando obstringit. Et quamuis hoc in voto religionis frequentius accidat, potest tamen in voto castitatis & eleemosynæ non semel contingere, vt si quis plus nimio auidus consequendi matrimonium diues ac nobile, spe illius obtinendi amissa, iuret se seruaturum castitatem, non intendens eam Deo in eius obsequium, & famulatum dedicare, sed præ rabie, & indignatione id iuret, eo quòd spe sua destitutus sit.

4. Verùm ista media sententia Sancij non placet omnino. Primò, quia ille totum suum fundamentum ponit in intentione iurantis, ex qua conijcit in ea circunstantia illud iuramentum non fuisse promissorium, nec factum ex desiderio seruiendi Deo, sed ex dolore, & passione rei amissæ, & fuisse emissum non ad promittendum, sed ad confirmandum bonum propositum, quod habebat iurans ingrediendi religionem, aut seruandi castitatem &c. Quæ quidem intentio vel potest esse formalis, vel potest esse virtualis: formalis, quam, scilicet, quis cum iurauit, expressè habuit nolendi se aliquid Deo per ea verba promittere, aut vouere; si hanc expressam, & formalem intentionem habuit, clarum est illum nec votum efficere, nec iuramentum esse promissorium, sed assertorium tantùm, cum votum magis pendeat ex intentione vouentis, quàm ex verbis, & tunc si eam formalem intentionem nihil Deo promittendi habuit, etiam si in ea circunstantia cum eadem intentione nihil promittendi, diceret, *Promitto Deo aut voueo, me ingressurum religionem, aut seruaturum castitatem*, &c. profectò non esset votum; sed esset iuramentum assertorium, cum per ea verba expressè intenderet iurare, & non vouere, nec aliquid promittere; & parum referret, quod in istis verbis expressa esset promissio Deo facta, cum votum non pendeat ex verbis, sed ex intentione; & intentio iurantis erat, non promittere, sed adducere Deum in testem illius assertionis de futuro; quæ licet, in verbis, videbatur promissio, in intentione tamen, non erat promissio, sed assertio virtualis quæ potest colligi ex affectu promittentis, vt si cum iuramentum promissorium fecit, ita affectus erat, vt nullo modo ea verba proferret si cogitasset, se per ea aliquid Deo promittere; tunc enim ex affectu, & dispositione iurantis, bene potest colligi prædictum iurantem in ea circunstantia, nihil Deo voluisse promittere. At hoc rarissimè contingere potest. Et si in hoc sensu locutus fuit Sanchez, potest aliqualiter illius opinio sustineri. Si verò ipse iurans dicat se ea verba iuratoria protulisse, & satis esse memorem, non habuisse formalem intentionem nolendi se per ea verba aliquid vouere aut Deo promittere, non tamen esse memorem, an habuerit virtualem intentionem non vouendi, hoc est an in ea circunstantia ita affectus esset, vt nullo modo ea verba proferret, si cogitasset se per ea aliquid Deo promittere; tunc dicendum est intentionem desumendam esse ex eo sensu quem verba efficiunt, istiusmodi autem verba iuratoria promissionem continent, ac proinde votum, & ideo manere iurantem sic obligatum ad votum, vt patet. Quando enim nihil constat de intentione iurantis, recurrendum est ad sensum, quem verba efficiunt, vt alibi docuimus. Secundò probatur, quia aut quando iurans ea verba protulit, voluit iurare, aut voluit vouere, & promittere, aut discernere non potest, an hoc vel illud voluerit; si voluit iurare, & Deum afferre in testimonium boni propositi, quod habuit, & habebat propositum religionem ingrediendi, aut castitatem seruandi: erit tantùm iuramentum assertorium: si promittere, erit promissorium, & ideo votum, sicut docet prima opinio. Si discernere non potest, an hoc vel illud intenderit, erit id quod verba sonant, nempe iuramentum promissorium, votum continens. Tertiò, quia iuramentum, vt docet D. Thom. 2.2. *quæst* 89. *art*. 1 *in fine*, & nos docuimus *cap*. 4. *num*. 2. adæquatè diuiditur in promissorium, & assertorium. D.Thom. Vnde non potest dari tertia species mixta, nec dari tertium iuramentum, quod imperfectè sit assertorium, & imperfectè promissorium: aut enim simpliciter assertorium, aut promissorium esse debet, & non mixtum, vt omnes fatentur. Quartò, quia non satis percipio quid velit Sanchez, cum dicit iuramentum illud cadere supra bonum propositum iurantis, & non super promissionem; nam hoc modo dicendi videtur significare hoc iuramentum ad nihil obligare, nec teneri ampliùs iurantem Deum testem verum efficere rei promissæ, cum nihil promittat, sed verum aut falsum iuret. Verum quidem, si propositum illud habuit quod asseruit sub iuramento se habuisse. Falsum, si non habuit, cum tamen ipse Sanchez statim addat Deum tamquam testem acquirere ius ad hoc, vt iurans exequatur id quod iurauit. Et verù si hoc ius acquirit, iuramentum fuit simpliciter promissorium; quia iuramentum promissorium est simpliciter de futuro, quo promittimus nos aliquid alicui in posterum facturos; assertorium est de præterito, aut præsenti, quo scilicet affirmamus aliquid esse, aut non esse, fuisse, aut non fuisse; quare omnibus benè perpensis sententia Sancij intelligi non potest: & prima sententia est verior, & probabilior, vt ex authoribus, & rationibus illius patet. Argumenta secundæ nullam vim habent, ideo enim prædicta iuramenta promissoria castitatis, religionis, peregrinationis Romanæ, Compostellanæ, & Hierosolymitanæ, non excipiuntur, & reseruantur, quia censentur reseruata in votis cum voti naturam induant.

Illud tamen monuerim, quod iam alibi dixi, iuramentum in eo casu factum non continere 5. votum simpliciter, sed votum pœnale, quod quidem cum pœnale sit, & non fiat ex directa intentione placendi Deo, poterit dispensari ab Episcopo, & ab habentibus facultatem ad dispensandum, vt latè probauimus *cap* 27. *num*. 8. & 9. Quem locum vide, neque enim fas est dicta repetere, cum nos tempus ad alia vocet.

Quoad secundam partem tituli, videndum est in quibus votis possint dispensare Episcopi, 6. & alij, qui ad id habent priuilegium; & in quibus non possint, vt sciamus, in quibus iuramentis promissorijs Deo factis dispensare possint. Cum enim hæc iuramenta sint promissoria, necessariò voti naturam induunt, vnde quod de votis dictum fuerit, de iuramentis quoque promissorijs dictum intelligatur.

Communis sententia fert sola hæc quinque vota quando non sunt pœnalia, esse Summo 7. Pontifici reseruata v. c. *Castitatis perpetuæ*; *Religionis approbatæ*; *Peregrinationis ad limina Apostolorum*; *Ad Sanctum Iacobum Compostellanum*, & *votum vltramarinum*, *seu in terram Sanctam*. Patet, quia stylus Curiæ Romanæ (cui tamquam legi parendum est, nisi alicubi alia sit consuetudo legitimè

legitimè præscripta) semper hæc quinque vota Summo Pontifici reseruat. Quare etsi in iure omnia non inueniantur reseruata, tamen huic stylo standum est, vt est communis DD. sententia, Lessius. quam docet Lessius *in edit. Parisiensi tom. 1. lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 122.* Non desunt tamen Doctores, qui existiment tria illa peregrinationum vota non reseruari Summo Pontifici, nisi fiant in subsidium: vnde aiunt si solùm fiant causa deuotionis, posse ab Episcopis dispensari. Ita Panorm. Panormitanus *in cap. ex multa, de voto 9.* & Glossa Fumus. *ibidem*; & Fumus *verbo, dispensatio num. 16.* Angl. Ioseph. Anglès *de voto, art. 8. difficultat. 9.* Viualdus Viuald. *cap. de voto num. 55.* Tabiena *verbo, dispensatio.* Tabien. *num. 11.* sed in tota Lusitania consuetudo est in contrarium etiam si solùm deuotionis causâ fiant. Exceptis igitur his quinque votis, & iuramentis Deo præstitis, in omnibus aliis possunt Episcopi cum suis subditis dispensare. Et ratio est, quia, Sanch. vt docet Sanchez *lib. 1. matrimony disp. 61. n. 3. & lib. 8. disput. 9. numer. 3.* seclusa reseruatione Summi Pontificis; in sua diœcesi potest Episcopus in votorum, & iuramentorum dispensatione, quicquid potest Summus Pontifex in toto orbe: at sola hæc quinque vota Summo Pontifici reseruantur, ergo in omnibus aliis potest dispensare.

8. Ex dictis deducitur primò, posse Episcopos ex causa dispensare in voto castitatis non perpetuæ, sed temporalis, vt ad annum, aliudve tempus limitatum emisso, quia hoc non est votum simpliciter castitatis, cum illud perpetuitatem quandam D. Thom. non importet. Ita docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 88.* Viuald. *art. 11. ad 8.* Viualdus *in candelab. sacram. 3. part.* Graph. *cap. 54. num. 54.* Graphis *1. part. decision. lib. 2.* Lud. Lop. *cap. 31. num. 29.* Ludou. Lopez *1. part. Instruct. cap. 49. versiculo, Licèt Episcopus, & 2. part. vbi de* Angel. *casibus cap. 9. column. 10 versu, Addo quod,* Angelus Sylvest. *verbo, votum 4 num. 4.* Syluester *verbo, vo-* Armill. *tum 4 quæst. 3. dicto 6.* Armilla *verbo, dispensatio.* Nauar. *num. 18.* Nauarrus *in summa cap. 12. num. 76.* Soto. Sotus *lib. 7 de iust. quæst. 4. art. 3. columna 5. versu, Ex his fit consequens. & in 4. dist. 38. quæst. 2. art. 1.* Toled. *column. 4. in fine prima conclusionis.* Toledo *lib. 4.* Azor. *summa cap. 18. num. 11.* Azor *lib. 11. Instit. mo-* Gutier. *ral. cap. 19. quæst. 6.* Gutierrez *quæst. canon. lib. 2.* Aragon. *cap. 22. num. 48* Aragon. 2. 2. *quæst. 88. artic. 12.* Henriq. *paulo ante solutionem ad 1.* Henriquez *lib. 7. de in-* Valent. *dulgent. cap. 30. num. 6.* Valentia 2. 2. *disp. 6 quæst. 6.* Sà. *puncl. 7. columna 10. versu. Ex quo sequitur.* Sà *in summa, verbo, votum, vbi de votis irritatione num. 51.* Rodrig. Manuel Rodriguez *tom. 2. summa, cap. 96. num 5.* Veiga. *& in expositione Cruciata §. 9. num. 120.* Veiga Ant. Gom. *tom 1. summa, cap. 119. casu 34.* Anton. Gom. *in expositione Cruciata, clausul. 10. num. 109* Palatios *in 4.* Palat. Ouand. *dist. 38. disput. 3, columna 37. folio 880.* Ouandus Marg. Conf. *ibi quæst. vnica, propositione 7. in fine.* Margatita Angl. Confessorum *in quæst. moral. folio 127.* Anglès *in floribus 2. part. vbi de voto, quæst. vnica, artic. 8. dif-* D. Anton. *ficultate 9.* D. Antonin. 2. *part. tit. 11. cap. 2. §. 9.* & alij.

9. Deducitur secundò, posse quoque Episcopum in voto castitatis coniugalis ex causa dispensare (& idem de illis religiosis quibus id quod Episcopi possunt in suis priuilegiis conceditur.) Ratio est, quia huiusmodi votum deficit à voto castitatis absoluto; quia votum castitatis absolutum omnimodam continentiam continet, & non copulam matrimonio. Votum autem castitatis matrimonialis solos actus venereos illicitos com-Henriq. prehendit. Ita docet Henriquez *lib. 7. de indul. gent. cap. 30. num. 6.* & Sanchez *lib. 8. de matrimon.* Sanch. *disp. 9. num. 7.*

Deducitur tertiò, posse quoque Episcopos 10. dispensare in voto de non petendo debito, quod alter coniux absque alterius licentia emisit. Ratio est, quia non est votum integræ castitatis; sed partis illius. Ita Syluester *verbo, votum 5. quæst. 2.* Sylvest. *num. 5.* Palatios *in 4. dist. 32. disput. 2. columna 8.* Palat. *versu, Ego verò.* Stunica *quæst. 3. de voto, num. 60.* Stunica. Azor *lib. 11. Instit. moral. cap. 19. quæst. 6.* Manuel Rodriguez *tom. 1. summa, cap. 90. num. 3.* Azor. Rodrig. Bartholomæus de Ledesma *de matrimonio dub. 71. fine.* Sà *verbo, votum, vbi de votorum irritatione.* Sà. *num 11. in fine.*

Idem ob eandem rationem dicendum esset, si 11. ex licentia alterius coniugis votum non petendi emissum esset, vt docet Palatios citatus *disput. 2.* Palat. *columna 8. versu, quod si votum*; & Sanchez *lib. 8.* Sanch. *de matrimon. disput. 9. num. 8. medio.* Et tandem idem dicendum etiam est si vterque coniux ex licentia alterius votum non petendi emisisset, quia adhuc non est votum integræ castitatis, cum neuter se ex voto obligarit, neque ad non reddendum, neque ad non fornicandum, neque ad non nubendum secundò, soluto primo matrimonio: quæ omnia votum castitatis includit. Ita docet expressè Sanchez modò allegatus, & Manuel Rodrig. Rodrig *dict. cap. 40. num. 3.*

Et tandem idem dicendum est, licet vterque 12. communi consensu voueres, nec petere, nec reddere, nec fornicari; quia adhuc non est omnimoda castitas, cum vterque libertatem transeundi ad secundas nuptias soluto matrimonio habeat; at reseruatio voti castitatis cum sit odiosa de integræ, & omnimodæ castitatis voto est intelligenda. Ita docet Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp. 9.* Sanch. *num. 8.*

Votum itaque non petendi debitum à coniugatis emissum tribus modis potest contingere, aut potest esse tantum emissum ab vno coniuge sine licentia alterius, aut cum licentia alterius, aut potest esse ab vtroque coniuge emissum de communi licentia, & consensu, & de his omnibus casibus diximus *à num. 10. vsque ad 12.* quæ doctrina communis est. 13.

Si autem votum coniugum sit, non quidem, 14. non petendi debiti, sed seruandæ castitatis, quinque modis potest emitti; & ideo quinque casus sunt distinguendi. Primus est, quando alter coniux absque licentia alterius castitatem voueat, & hoc primo casu licet Ludouic. Lopez *1. part. In-* Lud. Lop. *structor. cap. 47. in fine*, & quidam alij nouiores censeant, non posse Episcopum dispensare in tali voto, sicut nec in voto castitatis emisso ante matrimonium, nisi in casu vrgentis necessitatis: fundamentum illorum est, quia vltra obligationem non petendi debitum, includit obligationem non transeundi ad secundas nuptias post obitum alterius coniugis, & obligationem non fornicandi tam viuenti, quàm mortuo altero coniuge: & licet coniux tale votum emittens teneatur reddere, id parum refert, quia ea conditio natura sua in eo voto includitur, cum votum fieri non possit in præiudicium coniugis alterius. Tamen alij melius censent posse Episcopos dispensare omnino in hoc voto castitatis, & illud tollere, & relaxare non solùm quoad debiti petitionem, sed etiam quoad totum castitatis votum; & ita docet expressè Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 11.* Sanch. *num. 3. & 4.* Stunica *quæst. 3. de voto num. 64.* Aragon. 2. 2. *quæst. 88. art. 8. dub. vltim.* Manuel Rod. Stunica. Aragon. Rodrig. *tom. 2.*

tom. 2. summa, cap. 90. num. 6. ad finem. Et ratio est, quia huiusmodi votum non est omnimodæ castitatis, ac continentiæ, cum obligare nequeat ad non reddendum. At reseruatio voti castitatis, tanquam odiosa, & nociua ordinariæ potestati Episcoporum, strictè est interpretanda, & de integræ castitatis voto est intelligenda. Si autem emissum sit post ratum matrimonium ante consummationem illius, distinguendum est. Nam si emissum fuit animo ingrediendi religionem, vt votum in ea impleretur, nequibit Episcopus in eo dispensare, quia valet, vt votum omnimodæ castitatis; concedit enim ius duos menses vtrique coniugi ad ingrediendam religionem. Si autem vouens non habuit animum ingrediendi religionem, vel tempore voti, se habuit negatiuè, nec de ingressu, nec de opposito cogitauit; tunc potest Episcopus dispensare, quia non est omnimodæ castitatis votum: quando tamen animo transeundi ad religionem vouit, licet nequeat Episcopus totaliter in eo voto dispensare; potest tamen semel iam matrimonio consummato, licet cum peccato consummatum sit, dispensare ad
Sanchez. Lessius. petendum tantùm debitum. Ita Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disput.* 11. *num.* 4. Lessius *tom.* 1. *lib. 2. de voto cap. 40. dub.* 13. *à num.* 105. *in edit. Antuerpiana.*

15. At verò si castitatis votum, post matrimonium ratum, & non consummatum, emissum fuit ab vno coniuge absque alterius licentia, animo ingrediendi religionem, vt illud ibi impleret, sciens
Sanchez. se aliter illud implere non posse; credit Sanchez *dict. lib. 8. de matrim. disput. 8. num. 4. in medio,* non posse Episcopum dispensare in petitione debiti ante consummationem matrimonij; posse verò vt diximus semel consummato. Et ratio ob quam credit non posse ante consummationem ad petendum debitum dispensare, est, quia cum tempore quo vouit, sciuerit, se aliter non posse votum implere, quàm ingrediendo religionem, & ingrediendi animum habuerit, videtur se ad ingressum obligasse, & cum adhuc possit suum votum implere, nequibit Episcopus in eo dispensare. Ratio verò ob quam post consummationem semel factam possit, est, quia semel consummato nequit iam ingredi religionem, & cum teneatur simul habitare cum coniuge, & reddere debitum, versabitur in magno incontinentiæ periculo, nisi petat; & ideo potest Episcopus tunc dispensare ad petendum, & hoc quamuis possit adiri Summus Pontifex, aut alius potens ex priuilegio dispensare.

16. Secundus casus est, quando alter tantùm cum licentia alterius coniugis castitatem vouet, & in hoc casu dicunt nonnulli posse Episcopum dispensare, vt vouens debitum petat, & nihil aliud
Rodrig. Veiga. Sanch. explicant. Ita Manuel Rodrig. *tom. 1. summa, in 2. edit. cap. 243. conclus. 14. num. 14.* & Veiga *tom. 2. summa, cap. 129. casu 77.* Existimat tamen Sanchez (& meliùs) *dict. lib. 8. de matrim. disput. 11. num. 5.* eodem modo distinguendum esse, quo duobus numeris præcedentibus distinximus. Aut enim hoc votum emissum fuit, cum licentia alterius coniugis, ante matrimonium consummatum, aut post matrimonium consummatum. Si fuit emissum ante matrimonium consummatum animo ingrediendi religionem, sciendo se aliter votum illud integrè seruare non posse, eo quòd manendo in sæculo teneatur reddere debitum, tunc quidem in ea circumstantia, nequibit Episcopus dispensare, etiam ad petendum debitum, quia visus fuit vouens se ad ingressum religionis obligare in eo casu, quo aliter non posset seruare castitatem; & cum nequeat aliter eam seruare, nisi religionem ingrediendo, tenetur illam ingredi, vt seruet; si tamen post illud votum matrimonium semel fuit consummatum, licet cum peccato, & contra votum consummatum fuerit, tunc non potest vouens religionem ingredi, & cum teneatur in posterum consummato semel matrimonio, non obstanti prædicta licentia, quam habuit ad vouendum, reddere; poterit Episcopus dispensare ad petendum tantùm, non absolutè in toto voto; quia vouens tenetur soluto matrimonio ad religionem transire, vt votum seruet. Si post matrimonium consummatum eodem animo expresso ingrediendi religionem, fuit de licentia coniugis emissum; tunc volente altero coniuge efficere omnia requisita, vt vouens ad religionem transeat, tenetur transire, & non poterit Episcopus dispensare ad petendum debitum; quia ad religionem se voluit obligare: nolente autem efficere omnia requisita, vt vouens possit religionem intrare, imò animum mutante; tunc quidem, cum vouens eo nolente, ad religionem transire non possit, poterit Episcopus dispensare ad prædictam debiti petitionem tantùm, non tamē omnino in eo voto, eo quòd sit absolutæ castitatis, & soluto matrimonio teneatur vouens religionem ingredi. Quando verò illud votum castitatis de licentia alterius coniugis absque expresso animo ingrediendi religionem est factum; siue ante consummationem matrimonij, siue post illam factum fuerit; potest Episcopus in eo voto omnino, & totaliter dispensare, eo quòd non sit votum omnimodæ, & absolutæ castitatis, sed partis; siquidem eo non obstanti tenetur vouens reddere debitum, & potest reddere, si voluerit, licet alter in adulterium incidat; vt docet Sanchez *dicto lib. 8. de matrim.* Sanch.
disp. 11. num. 5. & lib 9. disp. 36. num. 5. & 6. Et ratio est, quia ea licentia accipienda est, vt quàm minimùm possit, noceat concedenti: eius enim intentio dum de contraria non constat, ea esse videtur, vt solùm concedat licentiam coniugi vouenti, vt non possit petere; non autem, vt non possit reddere. Et ita cum Sanchez docet Sanch.
Nauarrus *in summa, cap. 12. num. 59. & cap. 16.* Nauar.
num. 31. Anton. Gom. *in Bulla Cruciata, clausu-* Ant. Gom. Rodrig.
la 10. num. 68. Rodriguez *tom. 1. summa, in 2. edit. cap. 243. num. 14. & tom. 2. cap. 90. num. 5.* Veiga Veiga.
tom. 2. summa, cap. 129. casu 77. Lud. Lopez 1. Lud. Lop. Sotus.
part. instruct. cap. 84. initio. & cap. 46. init. Sotus *in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 4 versu, Id autem, & lib. 7. de instit. quæst. 3. artic. 1. versu, Argumentum autem.*

Tertius casus est, quando vterque coniux castitatem vouit absque alterius licentia, & absque 17.
expresso animo ingrediendæ religionis, sed negatiuè se habens, nihil de religione cogitando, & tunc quidem potest Episcopus dispensare ad petendum debitum; quia non est votum castitatis absolutæ, & omnimodæ, cum vterque teneatur in eo casu reddere, altero petente; neuter enim, cum præiudicio alterius votum poterat emittere non reddendi: si tamen vterque altero insciente vouit castitatem expresso animo ingrediendi religionem, tunc quidem si ante consummationem matrimonij vterque vouit, & post votum semel saltem matrimonium consummauerint, licet cum peccato consummauerint, erit votum omnimodæ castitatis; & non poterit Episcopus

Episcopus dispensare in eo omnino quoad totum, poterit tamen dispensare quoad debiti petitionem & tedditionem post prædictam consummationem, non ante: si post matrimonium consummatum votum emiserunt, poterit Episcopus dispensare quoad debitum petendum, cum in eo casu non teneantur ad religionem transire,
Sanch. vt patet ex dictis; & ita docet Sanchez *lib.8. de matrim. disp.11. num.6.*

18. Quartus casus est, quando vterque seorsim castitatem vouet, impetrata ab altero facultate ad illam vouendam, non tamen per modum contractus, & reciprocæ conuentionis, *facio, vt facias*, sed alter independenter ab altero; tunc quidem idem dicendum est quod *num.* 16. diximus: vnde si vterque vouit post matrimonium ratum, & non consummatum, expresso animo, transeundi ad religionem, non poterit Episcopus dispensare in petitione debiti, quia cum vouerint expresso animo transeundi ad religionem, & sciuerint se aliter votum suum seruare non posse, ad ingressum illius se voluerunt obligare. Et verò si postea matrimonium saltem semel consummauerint, licet cum peccato fecerint, cum iam durante matrimonio alter non possit ad religionem transire; poterit Episcopus dispensare in posterum, vt debitum ad inuicem petant, & reddant tantùm, & non in toto voto, quia soluto matrimonio tenetur superstes religionem intrare. Si negatiuè se habuerunt, & in animo illorum non fuit expressè & formaliter religionem ingredi, non est votum absolutum castitatis, & potest Episcopus dispensare in toto voto, quia petente altero, licet cum peccato petat, tenetur alter reddere in eo casu quo religionem ingredi nequeat. Si post matrimonium consummatum votum emiserunt, cum non emiserint animo expresso ad religionem transeundi, & teneatur alter reddere; licet alius cum peccato petat, non manet votum omnimodæ castitatis; & sic poterit Episcopus in eo dispensare in totum; & non solùm quoad petitionem, & redditionem tan-
Sanch. tùm. Ita videtur asserere Sanchez *lib.8. de matr. disp.11. num.7.*

19. Quintus casus est, quando vterque coniux communi consensu per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, *facio, vt facias*, votum fecerunt, & in hoc casu triplex circunfertur opinio. Prima absolutè asserit posse Episcopos in
Maior. hoc voto dispensare. Sic Maior *in 4. disp.52. columna 2. in solutione ad 2. & contra secundam conclusionem*. Et idem à fortiori dicent authores sentientes id non esse votum omnimodæ continen-
Veracruz. tiæ, sed vtrumque teneri reddere, & hi sunt Ve-
Sà. racruz 1. *part. specul. art.5. in fine*, & Sà *in summa verbo, Debitum coniugale. §. Potest qui non*
Palud. *vouit*; & Palud. *in 4. dist.32. fol.717. versu, Hæc commemorasse*; quos omnes citat; sed non sequi-
Sanch. tur Sanchez *lib.8. de matrim. disp. 11. num.8. & lib.9. disp.37. num.9.* Sed hæc opinio non placet, quia hoc votum est absolutæ & integræ castitatis, & obligat prorsus tam ad non petendum, quàm
Sanch. ad non reddendum, vt latè probat Sanchez *lib.9.*
Nauar. *de matrim. disp. 37. num.10.* & Nauarrus *in sum-*
Azor. *ma, cap. 12. num. 59. & cap. 16. num. 31.* Azor.
Ant. Gom. *lib.11. inst. moral. cap. 21. quæst. 5.* Ant. Gumez *in Bulla Cruciata, clausula 10. num.66.* Henriq.
Henriq. *lib.11. de matr. cap.15. num.8.* Aragon. *2.2 q.88.*
Arag. *art.8. dub. vlt.* & multi alij, quos ibi citat, ac sequitur Sanchez.

20. Secunda docet posse tunc Episcopos dispensare ad petendum debitum tantùm. Fundamentum illius est. Primò, quia cum odiosa sit reseruatio, debet restringi ad propriam verborum significationem; at hoc non est propriè dispensare in voto castitatis, cum adhuc maneat obligatio non transeundi ad secundas nuptias, matrimonio soluto, & obligatio non fornicandi durante matrimonio; sed est dispensare in quodam effectu illius ad tempus, qua dispensatione data consurget obligatio reddendi. Secundò, quia potest Episcopus dispensare ad petendum debitum in voto castitatis emisso ante matrimonium contractum, postquam ille qui voto obligatus erat, matrimonium contraxit. Cur ergo poterit dispensare in voto emisso post matrimonium contractum, cum hoc votum non minùs obliget, quàm illud? Hanc opinionem docent Emanuel Eman. Sà.
Sà *in summa, verbo, Debitum coniugale, num.2.* &
Rodriguez *in quæst. regularibus, tom.1. quæst.63.* Rodrig.
art.2. At nec hæc etiam opinio placet, quia si prior ratio esset vera, similiter probarent huiusmodi authores posse Episcopum dispensare ad eum solum effectum debiti petendi, cum eo qui emisit votum castitatis, ante matrimonium, vt semel ineat matrimonium, & debitum petat, manente voto, quoad cætera in sua firmitate, quod nullus concedit. Nec secunda ratio aliquid etiam probat, quia non est simile de voto castitatis; illius enim dispensatio, quoad petitionem debiti, est ex natura rei Summo Pontifici reseruata; & solùm possunt hodie Episcopi ex consuetudine iam præscripta in eo voto quoad debiti petitionem, contracto matrimonio dispensare, vt do-
ctè probat Sanchez *lib.8. de matrimonio, disp.12.* Sanch.
num.4. quæ consuetudo ortum habuit in euidenti incontinentiæ periculo, si coniux nequeat petere, cum tamen teneatur reddere; & prædicta consuetudo hoc in præsenti casu non obtinuit, & consuetudo odiosa, & contra ius commune, non est vltra præscriptum casum extendenda; nec idem periculum incontinentiæ militat in præsenti casu; atque in alio, & ideo dicendum est non posse Episcopos dispensare in præsenti casu cum his coniugatis, vt matrimonio vtantur, siue petendo, siue reddendo, nisi solùm quando datur incontinentiæ periculum in altero coniuge, & Summus Pontifex commodè adiri non potest, præ paupertate, aut propter aliam rationem.

Tertia opinio verior, & probabilior, docet, 21.
non posse Episcopum dispensare cum prædictis coniugatis, qui per modum contractus, & reciprocæ conuentionis votum castitatis emiserunt, vt matrimonio vtantur, siue petendo, siue reddendo, nisi solùm quando daretur incontinentiæ periculum in altero coniuge, & stante eodem periculo commodè Summus Pontifex adiri non posset præ paupertate, aut alia ratione. Et hanc
opinionem docent Syluester *verbo, Votum 2. siue* Syluest.
iuncto verbo, Dispensatio, quæst. 9. num. 15. Ad
quem locum se refert Nauarrus *in summ. cap.12.* Nauar.
num.59. Stunica *quæst. de voto, num. 64. & 65.* Pa- Stunic.
latios *in 4. dist. 32. disp.2. col.8. versiculo, Quod* Palat.
si votum. Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 15.* Henriq.
num.8. Manuel Rodrig. *tom.1. summa, in 2. edit.* Rodrig.
cap.243. conclus.14. num.14. Aragon. *2.2 quæst.88.* Arag.
art. 8. dub. vlt. Lud. Lopez 1. *part. instructorij,* Lod. Lop.
cap. 46. columna 1. versu, Quando vterque, &
Sanchez *lib.8. matrimonij, disp.11. num.10.* & alij Sanch.
quos ibidem citat Sanchez. Et ratio est. Primò, quia non est credendum velle Summum Pontificem in tali casu reseruare sibi hæc vota; neque

enim

enim est verisimile velle eum, vt animæ laqueis irretitæ in tanto periculo versentur. Secundò, quia in ea necessitate, qua Summus Pontifex præ paupertate, aut alia ratione commodè adiri non potest, & in eodem periculo incontinentiæ, potest ipse Episcopus dispensare cum solutis habentibus votum castitatis, aut religionis vt matri-
Sanch. monium ineant, vt docet Sanchez *dict. lib.* 8. *de matrim disp.*9.*num.*22. & statim dicemus *num.*28. ergo à fortiori poterit dispensare cum huiusmodi coniugatis ad petendum,& reddendum debitum: & rationes quas ibi fecerimus, banc partem euidenter probabunt.

22. Idem dicendum est, quando licet adiri possit Summus Pontifex, imminet tamen interim graue incontinentiæ periculum in altero coniuge ex mora, tunc enim etiam in eo euentu poterit Episcopus cum huiusmodi coniugatis dispensare, vt matrimonio vtantur petendo, & reddendo. Et
Sanch. ita expresse Sanchez *dicto lib.*8.*de matrim.disp.*11. *num.*10.*&* *disp.*9.*num.*20. *&* *lib.*2..*disp* 40.*num.*7.
D.Anton. Sotus. & D. Anton. 3.*part.tit.*1.*cap.*22. §.4. Sotus *in* 4. *dist.*27.*quæst.* 1. *artic.* 4. *columna antepenultima.*
Angles. *versiculo, Quod si contra arguas.* Angles *in floribus* 2.*part.vbi de voto,quæst.vnica art.*7. *difficulta-*
Veiga. *te* 10. Veiga *tom.*2 *summa cap.* 129 *casu* 68. vbi absolutè docent posse Episcopos dispensare quando in mora datur incontinentiæ periculum. Vide *num.*28.*&* 29.vbi latiùs hanc rem tractabimus.

23. Idem dicendum est, quando prædicti coniugati ex magoo timore, licet non sufficienti ad irritandum prædictum votum castitatis per modum prædicti contractus & reciprocæ conuentionis fecerunt; tunc enim poterit etiam Episcopus in eo voto dispensare, licet non detur incontinentiæ periculum; quia huiusmodi votum non est omnino spontaneum, & voluntarium. Vnde deficit à vera natura, & ratione voti reseruati: nam cum ad hoc, vt integram voti castitatis vim habeat, requiratur mutuum pactum, vbi tale pactum omnino voluntarium non fuit, sed metu magno extortum; nihil mirum, si non ita Papæ reseruetur, ac quando sponte factum est; & ita docet Sanchez *lib.*8.*de matrim.disp.*11.*num.*10.
Sanch. Henriq. Nauar. *ad finem, &* *lib.*4.*Decalogi cap.*40.*num.*30.Henriquez *lib.*11.*de matrim.cap.*15.*num.*8.Nauarrus *in summa cap.*12.*num* 59.*aliàs* 69.Rodriguez *tom.*1. *summæ in* 2. *editione cap.* 243. *num.* 14. & omnes quos numero sequenti citabimus.

24. Et idem à fortiori debent docere omnes, qui dicunt posse Episcopos dispensare cum solutis, vt ineant matrimonium, qui votum castitatis simili metu leui, aut etiam magno per iniuriam directè ad extorquendum votum incusso, non tamen sufficienti ad reddendum votum irritum, & inualidum,fecerunt, eo quòd huiusmodi votum non sit omnino spontaneum, & voluntarium,& ideo deficiat aliquantulum à vera ratione voti re-
Angel. seruati, & hi sunt Angelus *verbo,votum* 4. *num.*9. & Glossa *in capite, Veniens, qui clerici, vel vouen-*
Nauar. Lessius. Sanch. *tes,* & Nauarrus *cap* 12. *num.*69. *aliàs* 59. & Lessius *tom.*1. *lib.*2.*de voto cap.*40. *dub.*16. *num.*106. *in editione Antuerpiana*, & Sanchez *lib.*4. *Deca-*
Tabien. Suarez. *logi cap.* 40. *num.* 30. Tabiena *verbo, dispensatio quæst.*9. *num.*11. licet contrarium teneat Suarez *tom.*2.*de Religion.cap.*26. *num.*4. & pro hac parte citari etiam possunt omnes *numero præcedenti* allegati, cum eadem sit ratio in illo, atque in præsenti casu.

25. Monuerim tamen primò dispensationem Episcopi cum prædictis coniugatis, qui per modum contractus, & mutuæ conuentionis votum castitatis emiserunt ob vrgentem necessitatem,& periculum incontinentiæ factum, solùm posse esse ad petendum, & reddendum debitum; quia ad hoc solùm necessitas vrget. Quare coniuges hi fornicantes delinquunt contra votum, & soluto matrimonio tenetur superstes ad aliud non transire, & si transit, tenetur non petere, quia instar eius est, qui castitatis voto ligatus matrimonium iniit. Monuerim secundò, similiter solutum illum, & non coniugatum,votum castitatis habentem, cum quo Episcopus ob incontinentiæ periculum dispensauit, vt matrimonium initet, teneri ex vi voti non fornicari, & insuper soluto matrimonio teneri ad secundum non transire, vt patet. Monuerim tertiò,cum potestas Episcoporum ad dispensandum innititur paupertati, & necessitati, & defectui potestatis adeundi commodè Summum Pontificem,non posse Episcopos in eo voto dispensare, si voto ligati possent commodè absque periculo incontinentiæ adire habentes facultatem Summi Pontificis ad dispensandum, vt Nuntios, & Collectores aut Commissarios Cruciatæ, &c. Quia tunc cessat necessitas, & paupertas, & Episcopus solùm potest in hoc casu dispensare ratione necessitatis vrgentis: sed quando adest alius qui potest dispensare, qui facilè potest adiri,necessitas cessat. Ergo non poterit tunc Episcopus dispensare. Sic sacerdos simplex potest pœnitentem in mortis periculo constitutum absoluere, & tamen non potest si adest parochus ordinarius, aut alius sacerdos ad audiendas confessiones approbatus. Ita Sanchez Sanch.
*lib.*8. *de matrim. disp.* 9. *num.*25. *&* *lib.*2. *disp.* 40. *num.* 8. & quamuis in vltimo loco loquatur de dispensatione in impedimentis dirimentibus, & impedientibus matrimonium; attamen eadem est ratio in dispensatione voti, & de ista expressè loquitur *lib.*8. *de matrim. disp.* 9. *num.* 25. *& disput.*11. *num.* 12. & cum Sancio consentit Veiga Veiga.
*lib.*6.*summæ,casu* 143. *fine.* Rodriguez *in Bulla* Rodrig.
Cruciata.§. 11. *num* 6.*fine.* Ludou. Lopez 2 *part.* Lud.Lop.
Instruct. cap. vlt. ad finem §. *Porrò hic etiam illa quæstio.* Nauarrus *in summa Lat. cap.*22. *num.* 85. Nauar.
Antonius Cucus *lib.*2.*Inst.maiorat tit.*6.*num.*310. Cucus.
licet Henriquez *lib.*6.*de pœnit. cap.*10. *num.*1. *in* Henriq.
commento litera D. & *lib.*12. *de matrimon. cap* 3. *num.*1. *in commento litera H.* asserat posse Episcopos in hoc etiam casu dispensare,licet possit alius commodè adiri, qui priuilegium ad id à Summo Pontifice habeat, quia ius soli Summo Pontifici reseruat hanc dispensationem. Cum ergo is consuli nequit, poterit Episcopus tanquam pastor ordinarius dispensare; & quamuis hæc opinio Henrici sit probabilis, at opinio Sancij communior, & probabilior est, & ideo tenenda.

Duplicem tamen nostra opinio tertia *num.*21. 26.
explicata limitationem recipit. Prima, vt intelligatur quando nulla conditio, aut exceptio in eo voto posita est; si enim vouentes coniuges aliquam exceptionem ponerent, tunc non esset votum omnimodæ castitatis, & posset Episcopus in eo dispensare, vt si coniuges per modum contractus vouissent castitatem, hac lege, vt si soboles, quam tunc habebant, moreretur, possent iterum vti matrimonio. & ita docet Sanchez *lib.* 8. Sanch.
*de matrim disp.*11. *num* 13. secus tamen esset iuxta eundem Sancium; qui optimè in hac re docet, si coniuges ab initio, & antequam prolem haberent, promitterent castitatem sub hac conditione *si haberent prolem*; tunc enim si sensus sit

postquam habuerimus prolem, promittimus ex tunc castitatem, votum esset verè absolutum castitatis incipiens ab eo tempore, quo illam haberem, & sic non posset Episcopus in ea dispensare ad petendum debitum, nisi quando datur magnum incontinentiæ periculum,& Summus Pontifex commodè adiri non potest. Si verò sensus sit (vt ordinarius sensus talium verborum est) conditionalis, vt *si Deus nobis hoc beneficium contulerit, vt habeamus prolem, promittimus in gratiatum actionem castitatem*; tunc dicendum est posse Episcopum quoad totum in eo voto dispensare siue ante, siue post impletam conditionem, quia est verè conditionale votum, & parum refert, quòd impleta conditione transierit in absolutum votum castitatis, quia radix eius voti, & obligationis fuit imperfecta voluntas, à futuro euentu pendens, quæ in ipsa obligatione quasi imbibita manet; semper enim est verum dicere hanc obligationem ex consensu quodam imperfecto fuisse ortam. Vnde potest Episcopus in eo voto etiam impleta conditione dispensare, quia reseruatio tamquam valde odiosa, & nociua ordinariæ iurisdictioni Episcoporum restringenda est ad ea vota, quæ quoad obligationem, & illius radicem habent perfectam voti castitatis & religionis naturam, & quia ferè semper hæc vota conditionalia non procedunt ex affectione religionis, aut castitatis; sed ex amore rei propositæ ob cuius consecutionem emittuntur; quam vouentes obtinere desiderant, & vt faciliùs illam assequantur, vota emittunt, sicut de votis pœnalibus alibi diximus.

Sanchez. Ant.Gom. Et ita apertè docet Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp.10.num.13.& disp.11. num. 13. fine.*& Antonius Gomez *in Bulla Cruciata, clausula 10.n.99.* asserens in praxi virorum doctissimorum hanc sententiam frequentissimè esse receptam; & Petrus Ledesma *2. part. summæ tract. 10. cap. 8. folio 1216.* & videtur tenere Toletus *lib. 4. summæ cap. 18. num. 11.* vbi absolutè ac indistinctè docet, dispensationem tam in votis pœnalibus, quàm in conditionalibus castitatis, & religionis, ac reliquis reseruatis ad Episcopum pertinere. Petr.Ledes. Tolet.

27\. Ex dictis infetes primò, posse Episcopos dispensare in voto castitatis, quando coniuges illi mutuo consensu, & per modum pacti ac mutuæ conuentionis,castitatem ad tempus vouent, quia tale votum castitatis est temporale, ac proinde non reseruatum. Ita Sanchez *lib. 8 de matrimon. disp.11. num 14.* Palatios *in 4.distinct.32. disput.2.columna 17.versiculo, suffragatur omnino communi placito*, & patet ex iis quæ diximus *num.8.* Sanchez. Palat.

28\. Inferes secundò, hæc vota reseruata, siue sint vota castitatis, siue religionis, non ita amarè, ac rigidè accipienda esse, vt nunquam liceat Episcopis in illis dispensare; licet enim illis in his votis castitatis perpetuæ, ac religionis (& idem de cæteris reseruatis) dispensare etiam cum solutis, & non coniugatis, vt ineant matrimonium, quando magnum periculum incontinentiæ imminet,& non est facilis aditus ad Summum Pontificem præ paupertate, aut alia causa, vt iam diximus; quia non est credendum esse mentem Summi Pontificis velle in tali casu reseruare sibi hæc vota. Neque est verisimile velle eum,vt animæ laqueis voluntatis irretitæ in eo periculo sine remedio relinquantur: & ita docent expressè Sanchez *lib 8 de matrim.disp.9. num. 22.* Syluester *verbo, votum 4. quæst. 4.* Nauarrus *in summa, Latin. cap.12. num. 76.* Palatios *in 4.distinct. 38. disp. 2. columna 9. versu, Et quidem Episcopus.* Henriquez *lib.6. de pœnit. cap.14. num 7. in commento, litera P. & lib.7. de indulg. c.90. num.6. in commento, litera B.* Sà *in summa, verbo, votum, vbi de voti irritatione num.11.* Valentia *2. 2. disp. 22. quæst.6. punct.7. column.10. versu, Ex quo sequitur.* Aragon. *2.2. quæst.88.art.12. column 8.versu, Si quis autem quærat.* Rodriguez *tom. 2. summæ cap.100. num 3. conclus. 3. ad finem, & de quæst. regularib. tom.1.quæst.63. art.6.* Ludou. Lopez *1. part.Instructorij cap. 49. colum 2. versiculo, Licet Episcopus.* Graphis *1.part.decision. lib. 2. cap. 31. num.29.* Antonius Gomez *in Bulla Cruciata, clausula 100. num. 104.* Et confirmatur ex doctrina Abbatis *cap. finali num. 8. de Ecclesiis ædificand.* & Cardinal. *clementina 1.num.27 quæst.29. de rebus Ecclesiæ non alienand.* & Felin. *in capite, Cum accessissent. num. 22. de constit.* & Gregorij Lopez *l.2.tit.14.part.1. glossa 1. ad finem*, vbi asserunt in summa alienandi necessitate, quæ eam celeritatem requirat, vt superior commodè adiri nequeat; posse fieri alienationem de rebus Ecclesiæ sine eius licentia. Et tandem confirmatur, quia licet regulariter nequeat Episcopus in legibus Papæ, aut concilij dispensare; potest tamen in casu vrgentis necessitatis,quando ad Summum Pontificem non patet aditus, vt latè probat Sanchez cum multis *lib. 2. de matrim. disp 40. num.3.*

Sanch. Sylueft. Nauar. Palat. Henriq. Sà. Valent. Aragon Rodrig. Lud.Lop. Graph. Ant.Gom. Abbas. Cardin. Felin. Greg Lop. Sanch.

Nec solùm, quando imminet periculum solius incontinentiæ ex mora, & Summus Pontifex non potest commodè adiri, potest Episcopus in voto castitatis, aut religionis dispensare, sed etiam si aliud quodcumque graue periculum immineat, vt grauis scandali, vel magni detrimenti tertiæ personæ; qua ratione asserit Sanchez *lib. 8. de matrim. disp.9. num 22. post medium*, se hac de re consultum, censuisse, potuisse Episcopum dispensare cum iuuene, qui voto religionis adstrictus Virginem deflorauerat, ac grauidam effecerat; volebatque eius famæ consulere eam ducens, eratque periculum in mora; quia si dispensatio Pontificia expectaretur, impediretur matrimonium à consanguineis iuuenis, qui illi repugnabant,ac mutaretur iuuenis voluntas,quæ non iam firma erat, quin facilè mutari posset; & de facto dispensasse Episcopum; & ita docet idem Sanchez allegatus,& fauent Syluester *verbo,votum 4. quæst.4.* & Henriquez *lib.6.de pœnit. cap.14.n.7. in commento litera P. & lib.7.de indulgen.cap 90. num.6. in commento litera B.* qui non limitatunt periculum ad incontinentiã,sed generaliter dixerunt posse Episcopum dispensare quando nequit adiri Papa, nisi periculum interueniat in mora, & idem sentiunt omnes Doctores, qui generaliter hac de re loquentes affirmant ob incontinentiæ periculum, vel aliam grauem causam occurrentem, posse Episcopum dispensare si Summus Pontifex facilè adiri non potest,& hi sunt Nauar. *in summa cap.12. num.76.* Palatios *in 4 dist. 38. disp. 2. columna.9. versiculo, Et quidem Episcopus.* Sà *in summa, verbo, votum, vbi de votis irritat. num.11.* Valentia *2.2. disput.6. quæst. 6. puncto 7. col.10. versu, Ex quo sequitur.* Aragon. *2.2. q.88. art.12.col.8.* Rodrig. *tom.2.summa cap.110.num.3. conclus.3.ad finem.* & alij. 29.

Sanch. Sylueſt. Henriq. Nauar. Palat. Sà. Valent. Aragon. Rodrig.

30\. Hæc autem dispensatio Episcopi tantùm locum habebit in illo vsu ad quem necessitas cogit, vnde non poterit dispensare, vt ligatus castitatis, aut religionis voto, eo matrimonio soluto ad aliud

aliud transeat, contra prædictum votum castitatis, aut religionis, nisi tunc eadem necessitas occurrat; tunc enim posset similiter dispensare, nec prodest dispensatio Episcopi ad vitandum sacrilegium, quod fornicando committeret contra votum castitatis, quia cum sola necessitas dispensandi facultatem tribuat, in tantum extenditur facultas, in quantum necessitas vrget ad tunc ineundum matrimonium. Et ita docet Sanchez *dict. lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 26.*

Sanch.

Capvt XLIII.

Agitur de iuramento promissorio, & voto virginitatis non nubendi, sacrorum ordinum, peregrinationis reseruatæ; & de iuramento disiunctiuo, in quo altera pars est reseruata, altera non est; religionis ordinis militaris D. Ioannis strictioris religionis, perseuerantiæ in religione, & soluuntur alia dubia.

Svmmarivm.

An possit Episcopus dispensare in voto & iuramento Deo præstito seruandæ virginitatis. num. 1.

Quid in dubio de intentione voventis, an per simile votum castitatem promiserit. num. 2.

An possit dispensare in voto, ac iuramento non nubendi. num. 3.

Quid si votum, ac iuramentum non nubendi factum sit in fauorem tertij potentis, cuius interest vt tale votum fiat. num. 4.

An tunc ille tertius possit remittere hanc obligationem abstinendi ab alio matrimonio. num. 5.

An Episcopus possit dispensare in iuramento, & voto sacrorum ordinum. num. 6. & 7.

Quid si votum, ac iuramentum tale sit, vt altera pars sit reseruata, altera non sit, an tunc reseruatum censeatur, quoad illam partem. num. 8.

An possit Episcopus dispensare in voto perseuerandi in religione. num. 9.

An possit dispensare cum fœminis quæ votum habent assumendi habitum Beatarum. num. 10.

An possit dispensare in voto, & iuramento religionis Melitensium. num. 11.

An possit in voto strictioris religionis. num. 12.

An possint dispensare in voto, & iuramento ingrediendi religionem intra vnum, aut duos annos. num. 13.

An possint Episcopi dispensare in voto, ac iuramento triplicis peregrinationis Romanæ, Compostellanæ, Hierosolymitanæ emissis, non animo inuisendi ea loca; sed alio fine. num. 14.

Possunt dispensare in qualitatibus his votis adiunctis, vt si quis voueat peregrinari nudis pedibus. num. 15.

An votum, & iuramentum non petendi dispensationem ab alio quàm à Romano Pontifice sit reseruatum. num. 16.

An quando Summus Pontifex vota, & iuramenta reseruata commutat in aliam materiam, maneat illa materia reseruata; refertur prima opinio asserens manere. num. 17.

Præfertur secunda asserens non manere. num. 18.

Quid si is cui commutatio facta fuit, illam non impleuit, aut animum habuit non implendi, an tunc reuiuiscat primum votum & iuramentum reseruatum. num. 19. 20. 21. & 22.

1. PRIMVM dubium tactum in titulo est, an possit Episcopus dispensare in iuramento promissorio Deo facto, & in voto virginitatis seruandæ. Et cum distinctione respondendum est; nempe posse Episcopum in virginitatis voto, ac iuramento dispensare, quando iurans, aut vouens expressè noluerit se ad castitatem obligare sed ad sui tantum corporis integritatem seruandam consistentem in primo actu luxuriæ per quem virginitas deperditur; non posse autem quando hæc expressa intentio in vouente, ac iurante non reperitur; quia tunc manet votum, ac iuramentum in sua propria natura: & cum natura voti, & iuramenti virginitatis includat perpetuam abstinentiam ab omni actu venereo, quemadmodum includit votum, ac iuramentum castitatis; sequitur, vt quando vouens, ac iurans virginitatem expressè voluit se per id votum, ac iuramentum ad castitatem obligare, votum ac iuramentum virginitatis sit votum, ac iuramentum castitatis, & vt amissa semel virginitate adhuc maneat obligatio orta ex voto, & iuramento abstinendi deinceps ab omni actu venereo, quemadmodum manet in eo, qui violauit votum, ac iuramentum castitatis, semel, ac iterum illo violato. Ita docet Sanchez *lib. 8. de matrim. disp 9. num. 9. & lib 9. disp. 33. num. 7.* & Azor. *lib. 11. inst. moral. cap. 19 quæst. 14. & c. 21. quæst. vltim.* Caietanus 2. 2. *quæst. 88. art. 3. columna penult. circa solutionem ad 2.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. ad 3. versiculo, De alio autem argumento.* Nauarrus *in summa, cap. 12. n. 43. versiculo 14* Palatius *in 4. dist. 38. disp. 1. fol. 843. colum. 1.* Valentia *t. 2. disp 6. quæst. 6. de voto, puncto 4. notabili 2.* Aragonius 2. 2. *quæst. 88. art. 3. §. Et ad primum argumentum in contrarium* Ludou. Lopez 1. *part. instructiory, cap. 44. §. Iam diximus, & cap. 35. §. Deinde accessoriè.* Veiga *tom. 1. summæ, cap. 129. casu 75.* Philiarchus *de officio sacerdotum tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 19. paulo post principium.* Manuel Rodriguez *tom. 2. summæ, cap. 96. num. 1.*

Sanch. Azor. Caiet. Sotus. Nauar. Palat. Valent. Aragon. Lud. Lop Veiga. Philiarc. Man Rod

2. In dubio autem de intentione vouentis, ac iurantis censendum est esse votum castitatis, & obligare ad perpetuam continentiam; quia votum suapte natura ad id obligat: quare semper possidet vim propriam obligandi, dum de opposita vouentis intentione non constat; & ita docet Sanchez *dicto lib 9. de matrim. disp. 33. num. 7.* & Ludouicus Lopez 1. *part. instruct. corp. 34. §. Secundò Sotus.* Quod si nulla fuerit specialis intentio vouentis, aut iurantis; sed absolutè virginitas promittatur, iudicandum est omnino sicut de voto castitatis, quia ad illam obligat votum illud iuxta dicta. Quare si postea is vouens, ac iurans vxorem ducat, nunquam poterit debitum petere; sed tenebitur reddere. Ita Sanchez, Rodriguez & Philiarchus proximè allegati.

Sanch. Lud. Lop.

3. De voto, ac iuramento non nubendi, quibusdam placet non posse Episcopum in eo dispensare. At dicendum est posse, quia non est votum, ac iuramentum castitatis, cum per fornicationem non violetur. Et ita docent Angelus *verbo, Votum 4. num. 9.* Nauarrus *in summa, Lat. cap. 12. num. 76. cap. 22. num. 85.* D. Anton. 2. *part. tit. 2. cap. 11. §. 1.* Rosella *verbo, Impedimentum, impedimento 4. num. 13.* Syluester *verbo, Votum 4. q. 4.* Armilla *verbo, Dispensare, num. 18.* Sotus *in 4.*

Angel. Nauar. D. Anton. Rosell. Syluest. Sotus.

Gutier. Arag. Henriq. Stunic. Sà. Valent. Azor. Sanch.

dist.38.quæst.2.art.1.columna 5. versiculo, Atqui super voto. Gutiertez *qq. canonic. lib. 2. cap.22. num.49.* Aragon. 2. 2. *quæst.88. art.12. paulo ante solutionem ad* 1. Henriquez *lib. 7. de indulgentijs, cap.30. num. 6.* Stunica *quæst. 4. de voto, num.22.* Sà *in summa, verbo, Votum, vbi de votor. irritat. num.11. fine.* Valentia *2.2. disp.6. quæst.6. punct.7. col.10. versu, Ex quo sequitur.* Azor. *lib.11. quæst. moral. cap. 19. quæst 5.* & alij, quos citat ac sequitur Sanchez *lib 8. de matrim. disp. 9. num.11.* Vnde non placent illi, quibus placebat non posse Episcopum in huiusmodi votis, ac iuramentis non ineundi matrimonij dispensare; & hi sunt

Caiet. Nauar. Angles. Valent.

Caietanus *in opusculis, tom.2. tract.11. de voto non nubendi, quæst.1.* & Nauarrus *in summa, Hispana cap.12. num. 76* & Angles *in floribus 2. part. vbi de voto, quæst. vnica, art.1. difficult.11.* Valentia *4. part. vbi de matrimon. disp 10. quæst.5. punct 5. conclusione 4.* Fundamentum illorum erat, quia in voto non nubendi promittitur Deo continentia sub consilium Euangelicum cadens, qualis est abstinere à nuptiis; reliquum enim, vt non fornicari, est de iure diuino, & naturali. Quare cum præcipuus finis contentus in voto castitatis, sit continentia sub consilium Euangelicum cadens, & abstinere à nuptiis, sequitur, vt quoad præcipuum finem idem sit votum non nubendi, ac votum castitatis. Deinde, quia votum non cadit nisi super opus supererogationis, & consilij, & non super opus præcepti: at abstinere à nuptiis est opus consilij, non fornicari est opus præcepti; ergo idem erit votum non nubendi, ac votum castitatis. Sed ad hæc respondeo votum propriè sumptum quoad eius substantiam posse etiam esse de operibus præcepti; nihil enim refert, quòd quis ex duobus vinculis præcepti, & voti ad vnam rem obligetur. Quare quando in voto dispensatur, tollitur vinculum voti, manente vinculo præcepti, & ideo præcipuus finis voti, ac iuramenti castitatis non solùm includit promissionem continentiæ cadentis sub consilium Euangelicum; qualis est abstinere à nuptiis; sed etiam promissionem abstinentiæ à fornicatione, & reliquis actibus venereis; quem finem includit votum, ac iuramentum non nubendi, cum solùm, & præcisè quantum verba sonant, includat abstinentiam à nuptiis. Nec refert, quod votum semper sit opus supererogationis, ad quod scilicet nemo obligetur, quia quamuis ad abstinendum à fornicatione ex præcepto obligemur; tamen qui vltra hanc obligationem ex præcepto aliam sibi addiderit ex voto, aut iuramento, opus supererogationis efficiet, cum nouam obligationem suscipiat, & sibi imponat, ad quam antea non tenebatur.

4. Limita tamen posse Episcopum in eo voto, & iuramento non nubendi dispensare, quando prædictum votum, ac iuramentum esset merum votum, ac merum iuramentum factum Deo; si enim esset factum in fauorem tertij petentis, cuius interest, vt fiat, non poterit Episcopus in eo dispensare. v. c. si coniux à coniuge petat, vt sub iuramento, vel voto, se obliget ad abstinendum ab alio matrimonio; tunc enim cum coniugis petentis intersit propter filiorum bonum, vel vt eius amor, nomen, honor, ac amicitia cum consanguineis illius conseruetur, non poterit Episcopus dispensare propter ius tertio acquisitum; sicut communiter aiunt Doctores non posse Episcopum dispensare in voto, ac iuramento in fauorem tertij facto, & ab illo acceptato; at si ille tertius remittat ius sibi acquisitum; tunc poterit, cum non sit votum castitatis, & cesset præiudicium tertij. Ita Sanchez *lib. 8. de matrim. disp 9. num.12.* Sanch.

An autem possit ille tertius remittere hanc abstinendi ab alio matrimonio obligationem, est dubium, quod sic distinguendum censeo. Si non in eius fauorem, ac vtilitatem tantummodo tale iuramentum, ac votum emissum sit, sed intuitu etiam religionis ad id offerendum Deo, non potest; potest verò si tantùm emissum sit eius intuitu: in dubio autem in hoc casu propter subiectam materiam arbitror huiusmodi iuramentum, & votum factum esse in alterius coniugis fauorem, & sic non posse Episcopum in eo dispensare, nisi id remittente coniuge: vbi tamen alterius nihil interest, censetur in dubio factum fuisse in honorem Dei; & ita docent Sanchez *lib.8. de matrim. disp 9. num.12.* & Sotus loquens de iuramentis *lib.8. de iust. quæst.1. art.9. ad 2.* 5.

Sanch.

6. In iuramento autem, & voto sacrorum ordinum, melior fert opinio, posse Episcopum dispensare; quia id non est castitatis votum, aut iuramentum; sed votum, ac iuramentum assumendi statum, cui castitas adnexa est. Quod inde patet, quia hic vouens non est sacrilegus fornicando. Et verò si matrimonio copuletur, peccabit quidem contra votum, at posset petere; quæ secus se habent in voto castitatis, & ita docet D. Thom. *2. 2. quæst. vltim. art.7. in corpore,* asserens solius Papæ esse dispensare in votis perpetuis, vbi nomine votorum perpetuorum intelligit votum castitatis, & religionis; quæ suapte natura sunt perpetua: & expressè ita docet Gambata *de authoritate legati lib. 10. num. 484.* Beia *in suis responsionibus, casu 28.* Henriquez *lib.7. de indulgent. cap.30. num.6.* Valentia *2.2. disp 6. quæst. 6. punct. 7. colum. 3. versiculo, Et quod ad primum.* Azor. *lib.11. inst. moral. cap.19. quæst 6.* Viualdus *in candelabro sacramentor. 3 part cap 14. num 43.* Veiga *tom. 2. summa, cap.129 casu 34.* Sà *in summa, verbo, Votum, in principio, num.30.* Emanuel Rodrig. *tom. 2. summa, cap.96. ad finem. & in Bulla Cruciata, §.9. num. 122.* Aragon. *2.2. quæst.88. art.12. in fine solutionis ad* 1. Lud. Lopez *2. part. instructory, vbi de clauibus, cap.9. colum. penult.* Graphis *1. part. decisionum, lib.2. cap.28. num 3.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp 9. num.12.* Lessius *tom.1. de iust. lib.2. de voto, cap 40. dub.13. num.105.* Azor. *tom.1. inst. moral. lib.11. quæst.9.*

D Thom. Gambat. Beia. Henriq. Valent. Azor. Viuald. Veiga. Sà. Eman Rod. Arag. Lud.Lop. Graphis. Sanch. Lessius. Azor.

Vnde non placet Sotus *lib. 7. de iust. quæst.5. art. 3. corollario 1.* vbi videtur asserere votum & iuramentum sacrorum ordinum idem esse, quod votum castitatis, & sic non posse in illo Episcopum dispensare, nisi in casibus in quibus potest in voto castitatis. Fundamentum illius est, quia qui vouet sacros ordines, vouet statum sacerdotalem; status autem sacerdotalis ex statuto Ecclesiæ æquè ex his duobus componitur, nempe ex sacris ordinibus, & ex voto castitatis, non quòd votum castitatis resultet ex sacris ordinibus; sed quòd totum hoc complexum, *ordines sacri*, & *votum castitatis*, æquè componant hunc statum sacerdotalem; ac proinde, qui vouet vnum æquè immediatè, videtur vouere & alterum. Sed ad hoc respondendum est, falsum esse statum sacerdotalem æquè immediatè componi ex his duabus rebus, castitate scilicet, & susceptione sacrorum ordinum; componitur enim ex susceptione sacrorum ordinum quibus ex statuto Ecclesiæ adnexum est votum castitatis, ac proinde, qui vouet 7. Sotus.

susce

susceptionem sacrorum ordinum, immediatè vouet prædictam susceptionem, mediatè verò, seu mediantibus ipsis sacris ordinibus vouit castitatem. Et probatur, quia qui habet votum sacrorum ordinum, non est sacrilegus fornicando; dum enim sacris ordinibus non initiatur, non peccat contra votum castitatis. Clarum ergo est non teneri ad seruandam castitatem ex voto nisi post susceptionem illorum, vt patet.

8. Sed quid si votum, aut iuramentum promissorium sit disconiunctiuum, id est, cuius altera pars est reseruata, altera non est, vt si quis disconiunctiuè voueat castitatem, vel susceptionem ordinis sacri, religionem, vel vxorem non ducere. Respondeo posse Episcopum in huiusmodi voto, ac iuramento dispensare, quia integrum est huic vouenti, ac iuranti alteram partem eligere; quia in alternatiuis electio est debentis, & sufficit alterum impleri iuxta regulam, *In alternatiuis*, *de regulis iuris in 6.* Si tamen vouens, vel iurans eam partem elegerit in qua Episcopus non potest dispensare, non poterit tunc in eo voto Episcopus dispensare; quia ex vi voti tenetur ad castitatem, vel religionem; quam, reiecta altera parte, elegit, & sicut in alternatiuis debitor hominis, vbi semel elegit partem alteram, id creditori notificans resilire nequit, (quod enim semel placuit, amplius displicere non potest, iuxta regulam, *quod semel, de regulis iuris in 6.*) ita cum Deus corda hominum intueatur, vbi semel vouens, aut iurans partem illam seruandam elegit, manet ex vi voti, ac iuramenti ad illam adstrictus, & ita docet Azor *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 10. & Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disput.* 9. *num.* 42.

Azor. Sanchez.

9. Sed quid si quis voto, vel iuramento promittat, non tantùm religionem, sed etiam perseuerantiam in illa? Respondent Sanchez allegatus *num.* 18. & Hostiensis *in summa, tit de voto, num.* 16. *in fine.* licet Summo Pontifici reseruetur votum religionis, non reseruari tamen votum perseuerantiæ in illa; & sic posse Episcopum dispensare in voto perseuerantiæ, ita vt hic possit tempore nouitiatus exire, si expertus fuerit se iustis de causis in ea religione perseuerare non posse, & sibi modus viuendi displicuerit; quia votum perseuerandi est virtute diuersum à voto Religionis. Votum enim perseuerandi ad perseuerandum in omni euentu obligat; votum autem religionis solùm obligat ad ingressum, & perseuerantiam, nisi vouens ob causas iustas exire velit, vt quia sibi austeritas vitæ non placet: ideo enim tempus nouitiatus datur, vt eo tempore videat nouitius, an sibi placeat religio, & religio an sibi conueniat nouitius, & quando nouitius religionem ingreditur, non habens votum ingrediendi illam, potest quoties voluerit exire; habens verò votum, non potest exire nisi iustis de causis: at verò ille, qui vltra votum ingrediendi religionem votum habet perseuerandi, tenetur ex parte sua in omni euentu perseuerare, si eius vita, & mores placuerint religioni; quia per votum perseuerantiæ censetur renunciare iustis causis, si forte illæ intercessetint, egrediendi. Quando autem Episcopus dispensat in voto perseuerantiæ, non dispensat in voto religionis, sed in qualitate adnexa tali voto, aut iuramento, quæ nullibi in iure reseruatur. Et ita docet Hostiensis *in sum. tit. de voto n.* 16. *fine*, & Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9 *num.* 18. *& lib* 4. *Decalogi cap.* 40. *num.* 75. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 5. *num* 48. *in editione Antuerpiana.* Syluester *verbo, Religio* 1. *quæst.* 19. Nauarrus *in summa Latin. cap.* 12. *num.* 47. §. 4. D. Thom. 2.2. *quæst. vltima art.* 4. *in corpore.* Vt autem Episcopus dispensare possit in qualitate perseuerantiæ, non refert, an hic ingressus iam sit religionem, an non sit ingressus, an ab illa exierit; potest enim Episcopus dispensare in voto perseuerantiæ ante ingressum, non vt non ingrediatur, sed ne teneatur ad perseuerandum, si iusta exeundi causa adsit; & similiter post exitum, si ex iusta causa exiit, potest dispensare, ne teneatur iterum ingredi, quia iam ille satisfecit voto religionis, & si eo solo ligatus esset, non teneretur iterum ingredi; ad hoc autem ex solo perseuerantiæ voto adstringitur, in quo Episcopus potest dispensare; si verò absque iusta causa exiit, nequit Episcopus dispensare ne iterum ingrediatur, quia nondum is satisfecit voto religionis, & id esset dispensare in voto religionis. Nec refert ad prædictam Episcopi circa huiusmodi votum facultatem, siue id votum sit factum per modum plurium, vt *voueo religionem, & perseuerantiam in illa*; siue per modum vnius, vt *voueo me in religione perseueraturum*; quia hic modus posterior vouendi resoluitur in duplex votum, vt *voueo me ingressurum religionem, & voueo me in ea perseueraturum*; ita Sanchez modò allegatus *dict. num.* 18.

Saneh. Hostiens.

Hostiens. Sanchez. Lessius.

Syluest. Nauar. D. Thom.

Sanch.

Potest etiam Episcopus dispensare cum fœminis; quæ votum habent assumendi habitum earum, quas vulgo Beatas vocant; quia is status non est status religionis. Sic Henriquez *lib* 7. *de indulgent. cap.* 30. *num.* 6. Aragonius 2.2. *quæst.* 38. *art.* 12. *paulo ante solutionem ad* 1. Viuald, *in candelabro sacramentorum* 3. *part. cap.* 14. *num.* 44. Manuel Rod. *tom.* 1. *summæ cap.* 96. *num.* 5. Sanchez *lib* 8. *de matrim disp.* 9. *num.* 15. 10.

Henriq. Aragon. Viuald. Rodrig. Sanch.

Non possunt tamen Episcopi dispensare in voto ingrediendi religionem militum Maltensium; quia militaris ordo Diui Ioannis vera religio est, in qua tria vota solennia emittuntur. Ita docet Sanchez allegatus *numer.* 16 *& lib.* 4. *Decalogi cap.* 40. *num* 73. quamuis *dicto lib.* 4 *cap* 16. *n.* 11. *&* 12. *in fine*, asserat enim, qui votum habet religionis, non satisfacere suo voto si religionem Maltensium ingrediatur, quia quamuis sint Religiosi veri; attamen intentio ordinaria religionem vouentium est vouere religionem hominum in communi viuentium, & qui alieni sunt à tumultu, fastu, ac curis sæculi; at verò quòd Episcopi non possint dispensare in voto religionis Diui Ioannis Militantium, docet etiam Lud. Lopez 2. *part. Instr. vbi de clauibus cap.* 9. *ad finem*, & Eman. Rod. *in Bulla Cruciata*, §. 9. *n.* 123. Idem ait idem Ludouicus Lopez allegatus de voto, & iuramento cæterorum ordinum Militarium: sed non ita credit Sanchez allegatus *num.* 77. quia cæteri ordines militares non sunt propriè religiones, & ideo id votum, ac iuramentum à perfecta religionis natura deficit, & Summo Pontifici non reseruatur. Et quamuis aliqui existiment reliquas religiones militares esse veras religiones; attamen, vt optimè aduotat Sanchez *vltimo loco Decalogi* allegatus, satis est id esse sub opinione, vt possit Episcopus dispensare. Est enim valde controuersum an hi milites sint veri religiosi, eo quod non absolutam castitatem voueant, nec absolutam obedientiam, & paupertatem; & verò quòd non sint verè religiosi, nec gaudeant priuilegio canonis, quamuis gaudeant priuilegio fori in criminibus tantùm, & bonis propriè commen- 11.

Lud. Lop.

Sanch.

Molin. Sotus. Sarmiento. Gutier. Sanch. Azor. Suarez. Nauar. Mota. Sanch.

dæ, dumtaxat docet Molina *tom. 3. de iustit. disput. 625. num. 5. & tom. 1. disp. 141. column. 3. versu, Est verò rigida.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 5. art. 3. ad 3.* Sarmiento *de redditibus 4. part. cap. 1. num. 13.* Gutierrez *lib. 1. practic. quæst. 111. num. 2.* & alij, quos citat Sanchez *tomo 2. Decalogi lib. 4. cap. 16. num. 11.* inter quos est Azor *lib. 13. institutionum moralium cap. 3. quæst. 2.* licèt nouissimè Suarez *in tomo vltimo de Religione*, & Nauarrus *lib. 1. de redditibus quæst. 1. num. 95. & quæst. 3. num. 29. & 30. & in Apologia, monito 55. & lib. 3. consilior tit. de regularibus in 1. editione, consilio 23. in secunda, consilio 10.* & Mota *de confirmatione ordinis Militia, toto cap. 1. & 2.* & Sanchez *tomo 2. Decalogi lib. 4. cap. 16. num. 11.* cum multis quos ibi citat, credant eos esse verè religiosos: attamen cum adhuc id valde controuersum sit, vt docet idem Sanchez *lib. 4. Decalogi cap 40. num. 73.* id sufficit, vt Episcopus in tali voto dispenset.

Azor. Lessius. Sanch. Rodrig. Henriq. Petr. Led. Sayro. Palud. D. Anton. Syluest. Menoch. Palat. Angles. Sà. Aragon. Nauar.

12. Possunt verò Episcopi dispensare in qualitate adnexa substantiæ voti, & iuramenti ingrediendæ religionis strictioris, vt laxiorem religionem ingrediatur relicta strictiori, quia id non est dispensare in voto, aut iuramento reseruato, sed in quadam illius circunstantia; & ita docet Azor *tom. 1. institutionum moral. lib. 11. cap. 18. quæst. 8.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap 4. dub. 13. num. 105. versic. 6.* Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 40. num. 74. & lib. 8. de matrim. disput. 9. num. 17.* Rodriguez *tomo 2 summæ cap. 89 num. 4. & de quæst. Regular. tomo 1. quæst. 25. art. 6.* Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 22. num. 7.* Petrus de Ledesma *tomo 2. summæ, tractat. 10. cap. 7. dubio vltimo, dicto 1. versic. In 2. parte.* Sayro *in Claui Regia lib. 6. cap. 11. num. 63.* Paludan. *in 4. distinct. 38. quæst 4. artic. 4. num. 43.* D. Anton. *2. part. tit. 11. cap. 2. §. 9. notabili 4. vers. hoc autem videtur.* Syluester *verb. votum 4. quæst. 3. columna 5. vers. sequitur subinde.* Menochius *de arbitrariis lib. 2. centur. 5. casu 421. num. 16.* Palatios *in 4. distinct 38. disput. 3. columna 37. versic scio tamen, folio mihi 880.* Angles *in floribus 1. part. vbi de voto, quæst. vnica, art. 8 post 4 difficultatem dub. 2. difficultate 9. conclusione 5.* Sà *in summa vbi de voti irritatione, num. 11.* Aragonius *2. 2. quæst. 88. art. 12. paulo ante solutionem ad 1* contra Nauarrum *in commentario 4. de Regularibus, num 10 fine*, vbi ait id Summo Pontifici reseruari.

Sanch. Suarez.

13. Possunt rursus dispensare Episcopi in dilatione voti, ac iuramenti religionis, vt si quis voueat aut iuret religionis ingressum intra annum, potest dispensare, vt ex iusta causa ingressum differat; quia hoc non est dispensare in substantia voti, aut iuramento; sed in qualitate. Ita Sanchez *lib. 8. de matrim disp. 9. num. 19 & lib. 4. Decalogi cap. 40. n. 76.* contra Suarium *tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 26. num. 11. & 12.* qui id negat Episcopis, nisi in eo caso, in quo ex causa voto aut iuramento superueniente Summus Pontifex commodè adiri non possit intra præscriptum voti tempus. Primò, quia ita habet consuetudo, quæ est optima legum interpres. Secundò, quia ea circunstantia multùm attingit voti substantiam, differt enim totam voti substantiam pro aliquo tempore. Tertiò, quia similibus dispensationibus multiplicatis, seu successiuè concessis, posset totum votum frustrari, vt patet; at his non obstantibus multo probabilius est posse Episcopos sua ordinaria potestate in hac dilatione dispensare, modò votum non adeo differatur, vt periculum sit incidendi in eum statum, in quo votum, & iuramentum impleri non possit, & in statum impotentiæ adimplendi in posterum. Nec enim probatur consuetudo contraria, & si talis consuetudo aut stylus Curiæ daretur, esset solùm introductus ob maiorem securitatem, & ad tollendos conscientiæ scrupulos. Nec ea circunstantia magis attingit voti substantiam quam attingat religio adstrictior ipsam voti substantiam, & tamen potest Episcopus in circunstantia religionis strictioris dispensare, vt vidimus *num 12.* ergo & in ista. Adde quòd quamuis multùm attingat voti substantiam, re tamen vera non dispensatur in substantia voti, aut iuramenti, sed in circunstantia. Nec obstat vltima ratio, quia ideo limitauimus, dummodo dilatio tanta non sit, vt voto, aut iuramento ligatus non deueniat ad statum, in quo impotens moraliter fiat ad religionis ingressum.

Sanch.

14. Possunt similiter Episcopi dispensare in votis, & iuramentis triplicis peregrinationis reseruatæ Hierosolymitanæ, Romanæ, Compostellanæ, quando expressus vouentis, aut iurantis animus fuit vouere, aut promittere peregrinationem, non ad inuisenda ea loca, sed ad alium finem, v. c. si quis promittat Romanam peregrinationem ad salutandam imaginem beatissimæ Virginis de populo, vel ad deosculandos pedes Pontificis, vel ad impetrandam absolutionem alicuius peccati ab eo. Ita Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 40. num. 77.* Dixi quando finis, & animus expressus vouentis, & iurantis, est diuersus, quia quando ea vota absolutè emittuntur, nullo considerato fine, sunt reseruata; censentur enim tunc emissa modo ordinario, quo emitti solent. Ratio est, quia Doctores omnes, & extrauagans. *Etsi Dominici 2. de pœnitent. & remission.* vbi hæ peregrinationes reseruatæ numerantur, sic aiunt. *Ad visitanda Romana limina Apostolorum Petri, & Pauli. D. Iacobum Compostellæ, & loca sancta Hierosolymitana*, & sic loquuntur manifestè de votis, & iuramentis ex deuotione prædictorum locorum emissis, non de aliis alio fine factis. Secundo, quia huiusmodi vota, & iuramenta sunt solùm materialiter & per accidens Romanæ peregrinationis: quare illi satisfieret in alio loco, si ad eum mutaretur imago illa Deiparæ Virginis, vt patet.

Lessius. Sanch. Sayro. Azor. Henriq.

15. Possunt iterum dispensare in qualitate his peregrinationibus adiuncta, vt si quis voueat, aut iuret se peregrinaturum pedestrem, aut mendicando; possunt, inquam, dispensare, vt equo eat, & vt expensas itineris necessarias secum portet, quia non dispensant tunc in voto & iuramento, sed in circunstantiis per accidens adiunctis. Ita tenet Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 40. dub. 13. num. 105.* & Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 40. num. 78.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 11. num. 63.* Azor *tom. 1. institut. moral. lib. 11. cap. 18. quæst. 8.* Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 22. num. 7.* & alij.

Sanchez. Azor. Sayro.

16. Votum etiam, & iuramentum non petendæ dispensationis ab alio quàm à Romano Pontifice non est reseruatum, & in eis possunt Episcopi dispensare, quia non est ex quinque numeratis quæ solummodo reseruantur. Ita docet idem Sanchez *num. 79.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 19. quæst. 15.* & Sayro *in claui regia lib. 6. c. 11. num. 67.* In dubio autem an votum, vel iuramentum reseruatum sit, iudicandum est non esse reseruatum, sicut in aliis casibus reseruatis per ordinem ad absolutionem in eodem dubio contingit; nam cum in dispensationibus reseruatio sit odio-

sa,

ſa, neceſſariò eſt reſtringenda ad caſus certos,
& indubitatos: dubij enim caſus non compre-
Sanch. henduntur ſub reſeruatione, vt docet Sanchez
lib.4. Decalog.cap.40.num.80.& num.26. & lib.1.
Suarez. *cap.10 num.74.* & Suarez *tom.2. de Relig. tract.*
de voto lib.6. cap.26. num.6. & tom.5. de censuris,
Henriq. *diſp 40. ſect.6. num. 5.* & Henriquez *lib 6. de pœ-*
nit. cap.16. num 7. Et procedit hoc non ſolùm in
reſeruatione votorum, aut iuramentorum, ſed
etiam in omni reſeruatione, quoad abſolutionem,
& diſpenſationem cuiuſcumque delicti, vt du-
biæ percuſſionis grauis, & ſiue dubium ſit facti,
ſiue iuris, & ſiue ſit negatiuum propter rationes,
& coniecturas, quæ non ſufficiunt ad determi-
nandum iudicium, ſiue poſitiuum ortum ex opi-
nionibus probabilibus contrariis; nam quamuis
hoc dubium poſitiuum non ſufficiat ad excuſan-
dum vouentem, ac iurantem à voti, vel iura-
menti obligatione; ſufficit tamen, vt obligatio
illius non ſit reſeruata. Ita Suarius allegatus, &
Sanch. Sanchez *lib.1. Decalog dict.lib.1.cap.10.num.74.*

17. Sed quid ſi Summus Pontifex hæc vota, &
iuramenta reſeruata commutauit in alia vota, &
iuramenta, quorum materia non erat reſeruata;
manent ne etiam affecta eadem reſeruationi, ita
vt non poſſit Epiſcopus in eis diſpenſare? Nocte-
Azor. rici doctiſſimi, & imprimis Azor. *lib.11. inſtit.*
Gloſſ. *moral. cap.18 quæſt.11.* & Gloſſa *in cap.1. verbo,*
Archid. *Viſum de ſortilegis.* Archidiaconus *in cap. Lato-*
Bellam. *rem, fine 33.quæſt.2.* & ibi Bellamet. *in fine*, & idem
Archidiac. Archidiaconus *cap. 2. num. 2. diſt.15.* & alij aſſe-
runt manere reſeruata, vt antea erant Funda-
mentum illorum eſt. Primò, quia ſubrogatum
ſortitur naturam eius rei cuius loco ſubrogatur,
l. vnica, C. de rei vxoriæ actione; quod verum ha-
bet quamuis ſubrogatum ſit alterius naturæ,
quàm eſt id in cuius locum ſubrogatur. Secun-
dò, quia licet illa materia non ſit ex ſe reſeruata;
eſt tamen reſeruata per accidens, ratione prioris
materiæ reſeruatæ in cuius locum ſuffecta eſt;
quamuis enim prius voti, ac iuramenti vinculum
per ſe non duret, durat tamen quaſi in virtute
in illa materia, in quam commutatur, quia idem
omnino vinculum manet tranſlatum de vna ma-
teria in aliam. Tertiò, quia eo ipſo quod prius
vinculum authoritate Summi Pontificis tranſla-
tum eſt de vna materia in aliam, materia illa
eſt onus iuſſu Principis ſuſceptum; at nemo po-
teſt ſuperioris legem, ſententiam, aut pœnam
immutare. *l. Minor magiſtratus ff. de arbitr.*

18. Secunda tamen opinio probabilior aſſerit non
manere reſeruata, & poſſe in eis Epiſcopos diſ-
penſare, eáve commutare. Et hanc ſententiam,
Gloſſ. tenet Gloſſa *capitu, Tempora, verbo, Tuo iudicio 26.*
quæſt.7. & cap. Accedens, verbo, In tua, diſt.50.
Specul. Speculator *tit. de diſpenſatione, §. Nunc de Epiſco-*
Iaſon. *porum, num.21.* Iaſon *l.1. num. 5. C. de precibus*
Imperatori offerendis, & l. Omnes populi, num.13.
Felin. *ff. de iuſt. & iure.* Felinus *in cap. Accuſaſti, in fine*
Hipol. *de accuſat. & cap. At ſi clerici, §. de adulterijs,*
in fine de iudic. Hipolitus *ſingulari 182. num.3.*
vbi docent poſſe Epiſcopum ex cauſa iuſta dimi-
nuere pœnitentiam à Papa contrahentibus impo-
ſitam per legem, *ſi hominem 30. ff. mandati*, vbi
deciditur poſſe ex iuſta cauſa procuratorem man-
dato domini contrauenire: & in propriis termi-
Sanch. nis hanc opinionem tenent Sanchez *lib.8. de ma-*
Lud.Rom. *trim. diſp.9. num.20.* Ludouic Romanus *ſingula-*
Syluest. *ri 464.* Syluester *verbo, Votum 4. quæſt. 7. fine;*
Minchac. & alios referens Minchaca *lib.1. illuſt. quæſt.c.25.*
Henriq. *num.23.* Henriquez *lib.7. de ind lg. cap.3. num.5.*
verſu 4. Sà *in ſumma, verbo, Votum, num. vltim.* Sà.
Aragon. 2.2 *quæſt.88. art.12. paulo ante ſolutionem* Aragon.
ad 1. Manuel *tom.2. ſummæ, cap.96. ad finem.* Et Manuel.
ratio eſt, quia vota illa, ac iuramenta non ſunt
per ſe reſeruata, ſed ratione materiæ dumtaxat;
ſublata ergo ea materia reſeruata, & in aliam non
reſeruatam tranſlata, ceſſat reſeruatio: ſicut pec-
cata ratione excommunicationis reſeruata Pon-
tifici, ſublata excommunicatione non manent
ampliùs reſeruata, nec reſeruatio, quæ odioſa eſt,
extendi debet de vna materia in aliam. Nec ob-
ſtat regula *ſubrogatum*, quia ea procedit in ma-
teria fauorabili latam interpretationem recipien-
ti, non in materia odioſa, qualis eſt reſeruatio;
vel vt melius explicant alij, habet tantùm locum
quoad naturam primæuam eius rei cui ſubroga-
tur, non autem quoad naturam accidentalem: at
primæua natura horum iuramentorum, & voto-
rum, eſt, vt ſubdantur Epiſcoporum diſpenſatio-
ni, niſi ſuperuenit accidentaria Papæ reſerua-
tio. Nec ſecundum fundamentum primæ ſenten-
tiæ aliquid conuincit, quia vinculum voti, ac
iuramenti durans, non erat per ſe reſeruatum;
ſed ratione prioris materiæ, quare ea ſublata, ceſ-
ſat per ſe reſeruatio. Nec etiam tertium funda-
mentum vim habet, quia Papa commutans vo-
tum non imponit eam pœnam ſuapte voluntate,
quaſi nouo vinculo, velit ad eam obligare, ſed
in vouentis gratiam idem voti vinculum in aliam
materiam tranſtulit; quare materia illa loco prio-
ris ſubrogata nullam vim nouæ reſeruationis ſor-
titur ex authoritate Pontificis illam imponentis,
vt optimè notauit Sanchez *dict. lib.8. de matrim.* Sanch.
diſp. 9 num 20. paulo ante finem, cum Ludouico Lud.Rom.
Romano *ſingulari 464.* & Syluestro *verbo, Vo-* Syluest.
tum 4. quæſt.7. in fine. & Henriquez *lib. 7. de in-* Henriq.
dulgentijs, c.30. num.25. & Aragon. 2.2. *quæſt.88.* Arag.
art.12. quos ibi citat.

Dubium etiam eſt, an ſi is cui Summus Pon- 19.
tifex votum, aut iuramentum caſtitatis. v. c. in
rem aliam commutauit, non impleuit commu-
tationem, aut animum habuit non implendi;
teneatur ad priora vota, & iuramenta. Et an re-
ligioſus profeſſus eiectus habens votum ſimplex
religionis ante profeſſionem, teneatur ex vi ſim-
plicis voti aliam religionem poſt eiectionem in-
gredi, & an ille cui votum commutatur, poſſit
propria authoritate ad prius votum redire. Et ve-
rò quod ad hæc omnia dubia attinet, ea de re
partitur ſententia. Prima docet teneri vouentem
ad priora vota, & iuramenta redire, quando cul-
pa ſua non impleuit, vel tempore commutatio-
nis animum non implendi habuit, ſecus ſi non
culpa ſua, ſed ex alio impedimento non imple-
uit; ex eo fundamento quod prioris voti, ac iu-
ramenti vinculum, non omnino extinctum eſt;
ſed in aliam materiam tranſlatum fuit, vnde ea
tranſlatio facta eſt inſtar cuiuſdam contractus
conditionalis, *facio dummodo facias, commuto*
dummodo tibi eadem obligatio, quam antea habebas,
maneat in eodem priori voto ſi culpa tua non imple-
ueris; commutatur enim vna materia in aliam
ſub tacita conditione, dummodo executioni
mandetur materia loco prioris ſuffecta, alioqui
maneat obligatio prior. Vnde ſi hæc poſterior
non impletur, tenetur vouens aut iurans prius
votum, ac iuramentum implere. Ita docet Ema- Eman. Rod.
nuel Rod. *in additionibus ad Bullam Cruciatam,*
§.9. num.117. & 118. & pro ſe allegat doctrinam
Soti *lib.7. de iuſt. quæſt.2. art.1. in ſolutione ad 3.* Sot.
fine. verſu, Quid ſi, quam etiam ſequuntur Ara-

Arag. Veiga. Graph. gonius 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *in solutione ad* 2. *in fine.* Veiga *tom.* 2. *summ. cap.* 129. *casu* 79. Graphis 1. *part. decision. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 3. vbi omnes hi asserunt eum, qui simplici religionis voto se adstrinxit in sæculo, illúdque impleuit profitendo in religione, si culpa sua post professionem expellatur, nec correctus admittatur, teneri ratione prioris voti aliam religionem ingredi, cum tamen constet omnia vota simplicia commutari in religionis professionem iuxta caput, *Scriptura de voto.* Ergo similiter ille cui votum, ac iuramentum commutatum fuit, si culpa sua commutationem non impleuit, tenetur prius votum implere, cum commutatio tacitam includat conditionem, dummodo materia in quam commutatio fit impleatur, & si non impleatur, redeatur ad primum votum. Insuper probari potest, quia licet aliqui authores velint, illum cui votum est commutatum, quique commutationem acceptauit, non posse redire ad prius votum relicta materia commutationis, sed teneri hanc exequi; quia per commutationem fuit omnino extinctum votum circa priorem materiam: at alij nonnulli DD. quos refert, ac sequitur Azor. *lib.* 11. *inst. moral. cap.* 18. *quæst.* 10. docent posse illum propria authoritate ad prius votum redire, & consequenter asserunt votum circa priorem materiam non extingui; sed sub hac conditione fuisse mutatam, vt vel hanc, vel illam materiam prioris voti ac iuramenti vouens, ac iurans impleat. Azor.

20. Secunda sententia probabilior docet, illum, qui culpa sua non impleuit commutationem, quam semel acceptauit, vel ratam habuit, si illam omiserit, & non impleuerit, nullatenus teneri redire ad priorem voti materiam, ita docet expressè Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 9. *num.* 21. *ad medium* Primò, quia per commutationem fuit votum prius extinctum circa priorem materiam, & obligatio eius voti fuit prorsus translata in materiam subrogatam, vt fatetur Sanchez allegatus, & ferè omnes Thomistæ cum Caiet. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 10. *notabili* 2. nec vllo iure probatur talis commutatio sub conditione fieri, nec quando commutatur votum, aut iuramentum ea conditio apponitur: si enim apponeretur, vel tacitè in commutatione inesset; nihil referret siue culpabiliter, siue inculpabiliter mandaretur executioni materia illa, in quam votum commutatum fuit, vtroque enim casu prioris voti commutati obligatio reuiuisceret. Et ita hanc partem tenet Viualdus *in candelabro in* 3. *part. sacram. cap.* 14. *num.* 27. *quamuis, num.* 28. contrarium dicat, quando commutatio fit à iure, vt contingit in omnibus votis simplicibus, quæ iure commutantur in religionis professionem. Sed nec hoc placet, quia in cap. *Scriptura, de voto*, nulla talis conditio apponitur in hac commutatione, & ideo doctrina Soti, & aliorum, quos proximè allegauimus, asserentium, teneri professum culpa sua eiectum implere votum religionis in sæculo emissum ingrediendo aliam religionem, displicet omnino; & ideo meritissimò iidem authores statim dixerunt contrarium esse probabile; quod mihi non solùm probabile, sed etiam fore certum videtur, quia vota omnia prorsus extinguuntur per professionem. Sanch. Caiet. Viuald.

21. Nec contra hanc nostram sententiam facit id quod in fauorem contrariæ opinionis adduximus, nempe posse vouentem, omissa commutatione acceptata, liberè redire ad prius votum, quod verum credo. Nam ratio huius rei est, vt optimè docet Azor. *lib.* 11. *instit. moral. cap.* 18. *quæst.* 10. quia commutatio voti fieri videtur tacita conditione, vt liberum sit vouenti materiam subrogatam exequi, aut priorem, quam vouit. Quod si dicas ad libitum etiam nos hic hanc conditionem statuere. Respondeo nos optima ratione inniti, quia cum commutatio fiat in fauorem, & gratiam vouentis, & vt ipsius vtilitati prospiciatur, liberum illi debet esse, vti ea gratia, vel non vti, ne gratia vertatur in onus, vt optimè animaduertit Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 9. *num.* 21. Quæ ratio minimè probat, vt qui culpa sua non implet commutationem acceptatam, teneatur redire ad priorem voti obligationem, id enim cedit in vouentis fauorem, vt patet: quo fauore non est dignus ille, qui culpa sua votum non implet, vt optimè animaduertit Sanchez *dict. num.* 21. Azor. Sanch. Sanch.

22. Sed quid si ille cui votum, aut iuramentum fuit commutatum, tempore commutationis non acceptauit illam, & animum habuit, non implendi materiam in quam commutatio facta est; & sic commutatio fictè facta est, non intendens se ad illam obligare. Respondeo non manere votum, aut iuramentum commutatum, ac proinde obligare; cum tamen ex parte commutantis fuerit omnino valida commutatio, satis est vt illa possint vouentes, aut iurantes vti, quòd internè animum mutent, & commutationem acceptent. Sic fictè professus sine animo profitendi, satis est, quòd animum mutet, & professionem ratam postea secum habeat, vt docet post multos Sanchez *lib* 2. *Decalog disp* 32. *num.* 14. Si autem acceptauit commutationem, & illam voluit, sed non intendebat cum acceptauit eam implere, tenetur animum illum iniquum mutare, illámque implere, sicut suprà diximus de eo, qui animo promittendi, sed non implendi, votum, aut iuramentum emisit. Quod si petas, an sicut est liberum ad prius votum, aut iuramentum redire, ita vbi semel redijt, possit iterum materiam subrogatam eligere. Respondet Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 32. *num.* 3. non esse liberum, quia cum iam priori voto ac iuramento ligatus sit, non potest illud propria authoritate commutare, nisi votum illud, aut iuramentum esset ex non reseruatis, & commutatio priùs facta, esset in rem meliorem, aut euidenter æqualem; tunc enim posset ad priorem commutationem redire; quia verior sententia habet posse quempiam propria authoritate commutare votum, aut iuramentum promissorium Deo factum in rem meliorem, aut euidenter æqualem. Sanch. Sanch.

CAPVT XLIV.

An possint Episcopi dispensare in iuramentis, ac votis populorum, ita vt dispensatio absque causa valeat; & an in voto, ac iuramento emisso in tertij fauorem absque consensu illius tertij.

SVMMARIVM.

An possint Episcopi dispensare in votis, ac iuramentis populorum, an solùm respectu eorum, qui illa emise

emiserunt, an etiam respectu eorum qui illa non emiserunt, & respectu successorum illorum, qui illa emiserunt. num 1.2.& 3.
An possint Episcopi dispensare in voto, ac iuramento emisso in tertij fauorem absque tertij consensu. Refertur prima opinio negans. num.4.& 8.
Praefertur opinio affirmans. num. 5. *Donatio facta causa praerequirit acceptationem, & ante illam non est valida.* ibid.num 5.
Quid si votum, aut iuramentum factum sit sub hac forma, promitto me daturum calicem tali Ecclesiae, aut vestem tali pauperi v. c. Francisco, an in eo possit dispensare Episcopus absque pauperis, vel rectoris Ecclesiae consensu. num 6.
Quid si promissio dirigatur in sanctum, vt si dicatur, promitto Diuo Antonio me daturum illius Ecclesiae calicem, *an tunc possit Episcopus in tali voto dispensare.* num 7.
An Episcopi possint dispensare in huiusmodi votis, aut iuramentis absque consensu illorum in quorum commodum facta sunt. num.8. *Et an etiam possint illa commutare.* ibid.num.8.& 9.
An propria authoritate possint haec vota, & iuramenta in melius commutari. num.10.11.
Vnde colligatur quod promissio soli Deo fiat, an etiam in tertij fauorem. num. 12.

1\. DVPLEX quaestio tangitur in praesenti. Prior est, an possint Episcopi dispensare in votis, ac iuramentis populi aut communitatis? Et huic quaestioni cum distinctione respondendum censeo; nam vel loqui possumus respectu ipsorum, qui votum emiserunt, vel respectu communitatis, eorúmque successorum. Si loquamur respectu ipsorum emittentium votum, constat Episcopum non posse validè absque causa iusta dispensare, posse tamen cum causa iusta, quia id votum non est ex illis quinque reseruatis. Dixi *absque iusta causa*, quia iam satis alibi probauimus dispensationem, vt sit valida,
Suarez. requirere iustam causam. Et ita docet Suarez *tom.2. de Religione, tractatu de voto lib. 4. cap.9.*
Sanch. *num.*11. Sanchez *lib.4. Decalogi cap* 41.*num.*2.

2\. Si autem loquamur respectu aliorum eiusdem communitatis, qui votum non emiserunt, duplex potest esse opinio. Prima asserit non posse Episcopum cum eis dispensare in tali voto, aut saltem non posse absque causa. Prior pars probatur, quia illi non tenentur ex voti vinculo; sed ex vi statuti à populo facti, vt latè probat
Sanch. Sanchez *lib.4. Decalogi cap.*15. Quamuis autem illi ex vi voti non teneantur, tamen ea obligatio ex voti religione ortum habuit; fuit enim consensus parentum suorum, & populi vouentis causa principalis obligandi filios & posteros venturos, & sic transfertur illorum obligatio in filios per modum eiusdem obligationis concurrenti consensu Episcopi tamquam conditione requisita ad firmitatem illius; igitur non poterit Episcopus validè absque causa dispensare.

3\. Secunda tamen sententia probabilior docet, posse Episcopum absque causa, & populi consensu tam respectu aliorum, qui votum non emiserunt, quàm respectu etiam successorum illorum, qui votum emiserunt, validè dispensare, sicut potest dispensare in omnibus suis praeceptis, & in
Suarez. diebus festis à semetipso institutis. Ita docet Suarez *tom.2.de Religione tractatu de voto lib.4.cap.9.*
Sanch. *num.*11. & Sanchez *lib 4. Decalogi cap.* 41. *n.*4. Et ratio est, quia alij eius communitatis, qui votum non emiserunt, & successores illorum, qui votum, aut iuramentum promissorium ediderunt, non tenentur ad votum, & iuramentum suorum maiorum ex voti, aut iuramenti religione, sed ex statuto, ac praecepto Episcopi; ergo poterit Episcopus in eo statuto absque causa validè dispensare, sicut potest in aliis suis statutis, & praeceptis peculiaribus suae dioecesis, in quibus valida est dispensatio absque causa. Confirmatur, quia quamuis ad instituendos dies festos exigatur de iure communi simul cum Episcopo consensus populi, & cleri, vt docuimus in primo praecepto Ecclesiae *lib.1.cap.3. num 8.* & patet ex *capite, Conquestus, de ferijs*, tamen id non obstat quominus solus Episcopus possit postea in eis dispensare, tamquam in sua lege, vt praxis quotidiana probat. Et hinc deducitur, nec ipsos vouentes, nec iurantes, nec alios, qui nihil iurarunt, nec successores illorum, qui iuramentum, aut votum emiserunt, posse communi consensu se hac obligatione liberare; quia ipsi, qui vouerunt, aut iurarunt, tenentur ex voto, aut iuramento; caeteri autem non ex statuto populi, sed Episcopi, etsi populus quoque concurrerit. Ita Sanchez Sanch.
dict. lib 4. *Decalogi cap* 41.*num.*5.

Secundum dubium est, an in voto, vel iuramento promissorio, emisso in tertij fauorem, possint Episcopi dispensare, aut illa possint commutare absque illius tertij consensu ante illius acceptationem. Vt si quis Deo voto, vel iuramento promittat se daturum certae Ecclesiae calicem, aut certo pauperi eleemosynam, aut se inseruiturum certo Xenodochio; qua de re est duplex etiam opinio. Prima negat, eam docet D. Anton. D Anton.
*2.part.tit.*11.*cap.*1. *§.vltimo, versiculo, de temporali substantia.* Rosella *in summa, verbo. votum* 5. Rosell.
*num.*6. Sarmiento *lib. de reddit. Eccles. part.* 4. Sarm.
*cap.*3.*num.*3 *&* 4. *& in defensorio illius* 1.*part.monito* 71. Vbi dicit ex voto facto Ecclesiae acquiri ius ipsi Ecclesiae ante acceptationem illius, posséque Papam illud votum commutare; ita vt commutatio respiciat illiusmet Ecclesiae vtilitatem, & non aliter: at quando locus pius est indeterminatus, ait posse Papam contra vouentis etiam voluntatem illud commutare, & arbitrium habere. Et fundamentum illorum est. Primò, quia ex eo voto, & iuramento promissorio facto huic aut illi loco pio, & illi Ecclesiae in particulari, acquiritur ius illi tertio; nam vouentes, ac iurantes possunt ad illius tertij instantiam compelli, vt promissionem suam exequantur, inuocato iudicis officio, vt suprà probauimus, & docet Sanchez *lib.4. Decalogi cap.* 11. quod fieri non posset, nisi ius in rem promissam acquireret. Secundò, quia fauore causae praeualent donatio, & promissio in absentia factae, & absque acceptatione, & ius acquirit causa illa pia, vt docent multi quos refert, sed non sequitur Sanchez *lib.* 1. *de* Sanch.
*matrimon. disput.*4. *num.* 16. inter quos est Tira- Tiraq.
quell. *de priuil piae causae, priuil.*115.*num.*1. Felin. Felin.
*in cap.*1.*de pact.n.*7. Decisio Pedemont. 70.*n.*10. Dec.Ped.
& Molin.*tom.2.de iust.disp.*263 §. Felinus tamen. Molin.
quamuis aliquantulum sub dubio: & id probant ex eo fundamento, quòd sicut leges ciuiles, quae testamenta minùs solennia irritant, vim non habent in causis piis, eo quòd irritare non possint spectantia ad causas pias, quae attento iure naturali valida erant; ita cum attento iure naturali donatio, vel promissio facta causae piae valida sit, nec iure canonico statuatur contrarium, iura ciuilia, quae acceptationem postulant, in illis locum habere non possunt.

Secunda

Suarez. Sayro. Azor. Lessius. Henriq. Viuald. Sà. Nauar. Syluest. Fumus. Lud. Lop. Tapia. Sanch.

5. Secunda sententia affirmat: eam docet Suarez *tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 15. à numer. 3. vsque ad 6.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 11. num. vltimo.* Azor *tom. 1. Instit. moral. lib. 11. cap. 19. quæst. 12* Lessius *lib. 2 de iust. cap. 40. dub... n. 90. & cap. 42. dub 12. n 58.* Henriq. *lib. 7. de indulg cap. 30 num. 5. in commento, litera K. & n. 6.* Viualdus *in cand. aur. 3. part. cap. 14. num. 16.* Sà *in summa, verbo, votum, vbi de irritat. num. 14.* Nauarrus *in summa Lat. & Hispana cap. 12. n 78.* Syluester *verbo, votum 4 quæst. 7. dict. 4.* Fumus *verbo, dispensare num. 21.* Ludou. Lopez *1. part. Instruct. cap. 49. versiculo penultimo.* Tapia authentica, *Ingressi, verbo, ipse ingressus in principio n. 14. C. de sacros. Ecclesiis*; & alij, quos citat, ac sequitur Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 41. num. 7.* Ratio est, quia cum huiusmodi vota, & iuramenta Deum principaliter respiciant, & in eius honorem præcipuè emittantur; propria obligatio ipsi acquiritur, & ipse est propriè creditor, & Ecclesia, personave pauper designantur tantummodo, vt materia circa quam is cultus est Deo exhibendus; ergo ad illa reuocanda per dispensationem, aut commutationem, solius Dei, & prælatorum Dei vices in terris gerentium consensus requiritur, sicut in aliis votis in nullius fauorem cedentibus. Secundò, quia non competit illi loco pio ius aliquod compellendi promittentes per modum actionis, sed solùm per modum vtilis actionis, implorando iudicis officium, vt compellat vouentes, ac iurantes, vt votum, ac iuramentum impleant, & conscientias suas exonerent; at quoties hæc sola actio competit alicui, non dicitur habere ius ad rem, vt constat in fratribus minoribus, qui ad legata illis relicta soluenda possunt implorare officium iudicis, vt compellat testamentarium, vt propriam conscientiam exoneret, cùm tamen nullum ius ad ea legata comparent. Tertiò, quia multo probabilius est, non acquiri ius locis piis ad promissiones, & donationes ipsis factas donec acceptent, vt per multos, & multa iura probat Sanchez *lib. 1. matrim. disp 6. num. 16.* & id tenent expressè omnes, quos statim citabimus *numero sequenti, versu, verum*, expressè Glossa *l. illud. verbo, Alia fine. C. de sacrosanctis Ecclesiis*, & ibi Barthol. *num. 6.* Baldus *num. 2.* Molina *lib. 4. de primogen. cap. 2. num. 58.* Iulius Clarus *lib. 4. receptar. verbo, Donatio q. 12. fine.* Gutierrez *capite, Quamuis pactum in principio, num. 55.* Matienso *lib. 1. recopil. titul. 10. l 7. Glossa 1. num. 9.* Rodrig. *tom. 1. summa, in 2 edit. cap. 95. num. 1.* Gama *decis. 381. num. 3.* Anton. Gomez *tom. 2. variar. cap. 4. num. 2.* Couaruuias *Rub. de testamen. 3. part. num. 13. initio, & lib. 1. variar. cap. 14. num. 16.* Et ratio est, quia acceptatio, non solùm iure ciuili desideratur, sed etiam iure naturali ex ipsa promissionis, aut donationis natura, quæ tacitam habet conditionem, *si acceptetur*, nec aliter censetur promittens, aut donans velle se obligare, vt doctè probat Sanchez allegatus *num. 10* & Molina *de primog. lib. 4. cap. 2. num. 62. fine*, & sic potest licitè reuocari, dum non acceptatur; non potest tamen liberè & licitè reuocari si fiat præsenti, & tacenti promissario, aut donatario, quia quoties de tacentis commodo agitur, censetur tacens consentire.

Sanch. Glossa. Barth. Baldus. Molin. Iul. Clar. Gutier. Matiens. Rodrig. Gam. Ant Gom. Couar. Sanch. Molin.

6. Limitant multi, vt id solùm intelligatur quando promissio voti dirigitur in solum Deum, vt cum dicitur, *voueo, aut iuro Deo, me daturum calicem tali, vel tali Ecclesiæ, aut tali, vel tali pauperi*; secus si promissio in talem Ecclesiam, aut in talem pauperem dirigatur, vt cum dicitur, *promitto, aut iuro me daturum tali Ecclesiæ, vel tali pauperi*, quia tunc quantumuis in absentia factum sit, non potest ab Episcopo dispensari; eo quòd illi maneant veri creditores, & ius illis acquiratur. Ita docet Azor *tom. 1. Inst. moral. lib. 11. cap. 19. quæst. 12.* Verùm hæc limitatio non placet, quia vt diximus *num. præcedenti*, ex promissione, ac donatione factis causis piis nullum ius illis acquiritur ante acceptationem. Vnde vota illa, & iuramenta manent sicut soli facta Deo; dum ea Præpositus Ecclesiæ, aut pauper ille non acceptant, nec Deus ea acceptat nisi quatenus illius honorem respiciunt, quæ acceptatio in reliquis quoque votis reperitur; & ideo, vt ius irreuocabile pauperi vel causæ piæ acquiratur, opus est, vt acceptatio more humano fiat. Et ita docent Tabiena *verbo, dispensatio quæst 12. num. 14. ad finem.* Armilla *verbo, dispensare num. 21.* Lud. Lopez *1. part. Instr. cap. 49. versiculo penultimo*, & Sanchez *lib 4. Decalogi cap. 41. num. 11.* Dum asserunt tunc acquiri ius Ecclesiæ per promissionem; quando ipsa sciens acceptat, & non ante etiamsi instrumento publico, & coram testibus fiat: & id docent etiam Angelus *in summa, verbo, votum 3. num. 36* Syluester *verbo, votum 4 quæst. 6.* Graphis *1. part decisionum aur. lib. 2. cap. 30. n. 11. & 12.* Dum asserunt per huiusmodi votum non acquiri ius, quia non fit eis acceptantibus, aut aliis pro eis: & Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 11. num vltimo.* Viualdus *in candelabro 3. part. cap. 14. num. 16.* & Suarez *tom. 2. de religione tract. de voto lib. 6. cap. 15. num. 2. fine*, vbi dicunt necessariam esse acceptationem Ecclesiæ, vt ius irreuocabile acquiratur, & in propriis terminis docet Lessius *lib. 2. de iust. cap 40. & cap 42. dubio 12. num. 58. fine*, & tenent etiam omnes, quos citauimus *num. præcedenti* præter vnum Azorem.

Azor. Tabiena. Armill. Lud. Lop. Sanchez. Angel. Syluest. Graphis. Sayro. Viuald. Suarez. Lessius.

Apparentiùs tamen limitarent aliqui nostram sententiam, quando promissio dirigitur in Sanctum illum cui Ecclesia est dedicata, vt si dicatur *promitto Diuo Antonio me daturum illius Ecclesiæ calicem*, &c. Nam cum ea promissio dirigatur in Sanctum, illique sit grata, & cognita, censetur illam statim acceptare. At nec hæc limitatio admittenda est, quia cum votum quamuis Sanctis fiat, sit promissio Deo facta, omnia in eo voto reperta intelligenda sunt iuxta ipsius voti naturam, nempe, vt soli Deo ius acquiratur. Præterea quia Deus, & Sancti quoad hoc constituuntur quasi sub eodem foro, vt Vicarij Dei possint in iure Sanctis acquisitu dispensare, idque commutare, sicut vtrumque possunt circa ius Deo acquisitum; maximè quia illa vota & iuramenta non fiunt ad humanam, vt ita dicam, Sancti vtilitatem, sed ad religiosum illius cultum, & fructum spiritualem vouentium; at vtrumque est sub prælatorum spiritualium regimine. Et ita docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 41. num 13.* Suarez *tom. 2. Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 15. num. 10.* Caiet. *in quodlibetis tom. 2. tract. 11. quæst. 3. versiculo, nec oportet in huiusmodi votis.* Lessius *lib. 2. de iust. cap 40. dub. 11. num 90.* 7.

Sanch. Suarez. Caiet. Lessius.

Post acceptationem verò illorum, in quorum commodum hæc vota, & iuramenta emittuntur, manifestum est, non posse Episcopus ea ordinariè commutare, aut in illis ordinariè absque illorum consensu dispensare; nam cum non soli Deo fiant, sed etiam in commodum tertij, ius ille tertius post acceptationem acquirit, & promissio transit in contractum, cui iuri præiudicare Prælati 8.

ord-

ordinariè non possunt absque illius consenso; &
Sanch. ita docet Sanchez *dict. lib. 4. Decalog. cap. 41. n. 13.*
Dixi, *ordinariè*, quia in duplici casu post acce-
ptationem, non obstanti iure per illam acqoisito,
potest tolli obligatio voti, aut iuramenti, in
commodum tertij emissi per dispensationem, aut
commutationem à prælato factam. Primò, quan-
do ea boni communis iusta causa concurreret, vt
integrum sit Pontifici cogere priuatum hominem
ad cedendum iure soo; ac illum posset bonis suis
Angel. priuare, vt docent Angelus *verbo, Papa, num 6.*
Syluest. & Syloester *ibi, quæst. 13.* & Suarez *tom. 2. de*
Suarez. *Religion. tract. de voto cap. 15. num. 7.* & Sanchez
Sanch. *lib. 4. Decalog. cap 41. num. 16.* Secundò, quan-
do præfectus illius loci pij cui promissio facta
est, haberet potestatem remittendi, aut compo-
sitionem faciendi in debitis illius. Ita docent Ta-
Tabien. biena *verbo, Dispensatio, quæst. 12. num. 14* Lopez
Lopez. *1. part. instruct. cap. 49. versiculo, penult.* Suarez,
Suarez. Sanchez. & Sanchez allegati.

9. Hunc autem prælatum seu præfectum existi-
mat Tabiena citatus esse Pontificem in toto or-
Syluest. be, & Episcopum in sua diœcesi. At Syluester
verbo, Votum 4. quæst. 7. dict. 4. expressè ait non
posse id votum commutari per superiorem, nisi
per solom Papam magna causa interuenienti.
D. Anton. Attamen D. Anton. 2. *part. tit. 11. cap. 1. §. vltim.*
Rosell. *versiculo, De temporali substantia,* & Rosella *ver-*
bo, votum 5. num. 6. hoc solùm concedunt Epis-
copo, quando Ecclesia cui illa eleemosyna est
promissa, fuit destructa, vel alia huiusmodi causa
Suarez. concurrit: Suarez tamen *dict. num. 7.* solummo-
do dicit absolutè id interdum posse Episcopum:
qoare talis dispensatio, aut commotatio non est
restringenda respectu Episcopi ad solom eum de-
structionis Ecclesiæ casum; sed ex quantitate
rei promissæ & circunstantiis occurrentibus id
iudicandum est, sicut in aliis Ecclesiæ debitis, vt
Sanchez. optimè docet Sanchez *dict. lib. 4. Decalog. cap. 45.*
num. 16.

10. Docet tamen Syluester *verbo, Votum 4. q. 7.*
Syluest. non posse hoiusmodi vota Deo facta, ac iura-
menta ante acceptationem illius in cuius com-
modom emissa sunt, commutari in melius pro-
pria vouentis authoritate, & cum Syluestro
Henriq. consentit Henriquez *lib. 5. de pœnis. cap. 20. n. 5.*
in commento litera S. & lib. 7. de indulgentijs, c. 30.
num. 5. Dicendum tamen est, posse, quia cum per
ea, vt diximus, ante acceptationem nullum ius
tertio acquiratur, perinde de illis iudicandum
est, ac de votis, & iuramentis in solius Dei ho-
Graphis. norem factis. Et ita docuit Graphis *1. part. decis.*
Viuald. *lib. 2. cap. 30. num. 11. & 12.* Viualdus *in cande-*
Sayro. *labro 3. part. cap. 14. num. 16.* Sayro *in claui regia*
Lessius. *lib. 6. cap. 11. num. vltim.* Lessius *lib. 2. de iustit.*
Suarez. *cap. 40. dub. 11. num. 90.* Suarez *tom. 2. de Relig.*
tract. de voto lib. 6. cap. 18. num 11.

11. Hinc deducitur delegatam potestatem dispen-
sandi in votis, ac iuramentis promissoriis, eáve
commutandi, extendi etiam ad hæc vota, & iu-
ramenta Deo præstita, quæ fauorem tertij, ac
commodum respiciunt ante prædictam illius ac-
ceptatiooem: quod probant rationes traditæ
Sanch. *num. 5. & 6.* & ita docet Sanchez *dicto lib. 4. De-*
Suar. *calog. cap. 41. num. 9.* & Suarez *dict. lib. 6. cap. 15.*
num. 11.

12. Dubitabis tamen, vnde colligatur, qoòd vo-
tum, & promissio Deo & simul homini emittan-
Caiet. tur. Planè Caietanus *in suis quodlibetis, tom. 2. tra-*
Suarez. *ctatu 11. qui est de voto, quæst. 3.* & Suarez *tom. 2.*
de Relig. lib. 6. de voto cap. 15. num. 2. asserunt, &
bene, pendere hoc ex vouentis intentione, quæ
quando dubia est, ex verbis colligenda est: si enim
vtatur solo verbo vouendi, seu promissio ad so-
lum Deum dirigatur, vt *Promitto Deo me datu-*
rum Ioanni pauperi, censetur soli Deo facta pro-
missio; quia tunc nullus cum homine fit contra-
ctus, sed tota promissio fit Deo; pauper autem
ille se habet, vt solum obiectum, circa quod id
obsequium Deo promissum exerceri debet. Si au-
tem dirigatur ad pauperem illum, vt *Promitto*
Deo me tibi daturum, &c. tunc vtrique fit promis-
sio, vt docet Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 11.* Lessius.
num. 90. & Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 41. n. 14.* Sanch.
Ex quo colligit Sanchez ibi, & optimè (vt idem
omnia) quamuis in priori casu pauper ille esset
præsens, & acceptaret, non impedire eius acce-
ptationem facultatem dispensandi, & commu-
tandi; quia non acquirit aliquod ius ex ea acce-
ptatione & promissione, vt pote, quæ ipsi soli
facta non est.

CAPVT XLV.

De votis, ac iuramentis, in quibus prælati religionis cum suis subditis dispensare possunt; & an parochi possint in aliquibus. Agitur de potestate delegata ad dispensandum in votis, concessa religiosis mendicantibus ex priuilegio.

SVMMARIVM.

An parochi occurrenti maxima necessitate possint dispensare in votis, ac iuramentis in quibus possunt Episcopi. Refertur prima opinio affirmans. num. 1. *An possint dispensare in præcepto ieiunij.* ibidem.

Præfertur opinio negans. num. 2.

Prælati religionis possunt dispensare potestate ordinaria in omnibus votis, ac iuramentis cum suis religiosis, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis, eodem modo, quo Episcopi possunt. num. 3. & 4.

An possint dispensare cum suis subditis in votis, ac iuramentis transeundi ad strictiorem religionem. num. 5.

Quid si de propria licentia prælatorum, subditi vota, aut iuramenta emittant, an adhuc ipsi prælati regulares in eis possint dispensare. num. 6.

Prælatus inferior potest dispensare in votis, & iuramentis emissis de licentia maioris, non tamen potest illa irritare. num. 7.

Potest prælatus regularis dispensare in votis, ac iuramentis suorum subditorum non committendi aliquod peccatum. num. 8.

Qui potest ex potestate delegata in votis, aut iuramentis dispensare, veluti in iubilæo, aut virtute bullæ, vel priuilegij, non potest id efficere, quin detur causa iusta dispensationis. num. 9.

Quando Summus Pontifex concedit alicui Episcopo facultatem dispensandi in quinque votis, aut iuramentis reseruatis, hæc facultas est delegata. num. 10.

Innocentius VIII. concessit religiosis mendicantibus potestatem ad dispensandum in omnibus votis in quibus possunt dispensare Episcopi, exceptis peregrinationis vltra duas dietas: duæ dietæ sunt
viginti

viginti leuca. *num.11.*

Martinus V. concessit mendicantibus facultatem dispensandi in omnibus votis Episcopis reseruatis. *num.12.*

Hæc priuilegia sunt mera gratia, & fauores, & ideo sunt extendenda. *num.13.*

An virtute horum priuilegiorum, possint mendicantes dispensare in quinque reseruatis Summo Pontifici in ijs casibus, in quibus possunt Episcopi dispensare. *num.14.*

Quid si hæc quinque vota metu sint facta, non tamen sufficienti, vt illa irrita maneant. *num.15.*

Quid de iuramentis promissorijs, quorum materia similiter est reseruata Summo Pontifici. *num.16.*

Prouinciales mendicantium possunt ex priuilegio, quod habent concedere suis subditis approbatis iuxta formam Tridentini potestatem ad dispensandum in petitione debiti cum ijs, qui ante matrimonium vouerunt castitatem. *num.17.* *Quid si nondum consummarunt matrimonium.* *ibid.*

An possint in priori bimestri etiamsi contraxerint animo non consummandi, sed transeundi ad religionem. *num.18.*

Quid si coniuges votum castitatis emittant post contractum matrimonium, an possint tunc religiosi virtute huius priuilegij communicati à suis prouincialibus dispensare in petitione debiti. *n.19.*

An virtute alterius priuilegij possint. *num.20.*

An ante matrimonium, vel post illud contractum, & non consummatum possint, religiosi virtute horum priuilegiorum dispensare cum vouente, vt petat, vel reddat. *num.21.*

An hæc facultas, & priuilegia horum religiosorum mendicantium intelligenda sint erga subditos cuiuscumque diœcesis sint. *num.22. & 23.*

An religiosi possint dispensandi facultate in sola confessione vti, an extra confessionem etiam *num.24. & 25.* *Quid de commutatione.* *ibid.*

Quid si dispensatio ad matrimonium committatur à Papa confessario approbato sub hac forma, vt eum absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta ei pœnitentia salutari, *an tunc requiratur confessio.* *num.26.* *Melior opinio ait non requiri.* *ibid.*

Benedictini habent priuilegium, vt possint commutare vota strictioris religionis in suam. *num.27.*

Societas IESV habet priuilegium, vt in ea recipiantur omnes, qui habent votum ingrediendi quamlibet aliam religionem, & perseuerandi in illa ex quauis causa emittatur. *num.28.*

Quid si ante professionem dimittantur, an tunc priora vota reuiuiscant. *num.29.*

An hæc priuilegia extendantur ad vota iurata, remissiuè. *num.30.*

1. VT quæstio primò exordium habeat à parochis: dubitant aliqui, an parochi possint in votis, aut iuramentis quando Papæ non sunt reseruata, dispensare, vt in voto non nubendi, in voto castitatis temporalis, in voto sacrorum ordinum, in voto ieiuniorum, aut in aliis quibuscumque Summo Pontifici non reseruatis, idque saltem in maxima necessitate, aut in articulo mortis. Et hac de re duplex est opinio. Prima docet occurrente necessitate quando commodè Episcopus adiri nequit, posse parochos dispensare in omnibus votis, ac iuramentis, in quibus possunt Episcopi, non ex iure ordinario, ac communi, sed ex præsumpta Summi Pontificis voluntate. Ita docet expressè Manuel Rodriguez *quæst. regular. tom.2. quæst. 46. art.9.* Fundamentum illius est, quia dispensatio in voto, ac iuramento promissorio est instar dispensationis in lege aliqua, aut præcepto Ecclesiæ, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 10.* quem omnes sequuntur. Est enim votum lex quædam peculiaris, quam quisque sibi imponit; sed parochus potest in lege, ac præcepto ieiunij dispensare, quando non est facilis aditus ad Episcopum, vt docent communiter DD. Hostiensis *in rubr. de obseruat. ieiunij, num. 8.* & ibi Henricus *num.9.* Antonius *cap. Consilium, num 11. eodem tit.* Paludanus *in 4. dist. 15. quæst.4. art.1. num. 12.* D. Antoninus *2. part. tit.6. cap. 2. §.6. versic.6.* Caietan. *in summa, verbo, Ieiunium, cap.3. ad finem*, & ibi Armilla *num.6.* Nauarrus *in summ. cap. 21. n.21.* Angles *in floribus 1. part. vbi de ieiunio, quæst. 5. difficult. 4. in fine.* Sà *verbo, Ieiunium, num.9.* Veiga *tom.1. summæ, cap.14. casu 36.* Rodriguez *tom.1. summæ, in 2. edit. cap. 24. conclus. 1. num.3.* Lud. Lopez *1. part. instruct. vbi de ieiunio, cap.109. columna 2. versiculo, Tertiò dicitur.* Ergo poterit etiam parochus data iusta, & rationabili causa, quando Episcopus commodè adiri non potest in votis Episcopis reseruatis dispensare. Imò nulla etiam existente necessitate, aut causa, posse parochos in lege ieiunij dispensare, docent multi, quos citat Sanchez *lib. 8. de matrimon. disput. 9. num. 27.* Secundò probatur, quia etsi de iure parochi hanc potestatem dispensandi in lege ieiunij non habeant; at cum consuetudo iurisdictionem conferat *cap. Cum contingat. de foro competenti*, cum multis textibus, quos congerit ibi Glossa *verbo, Consuetudine*, hoc possunt prædicti parochi ex consuetudine, quæ iam habet, vt parochi præsentibus etiam Episcopis in lege ieiunij dispensent: non enim circa hoc Episcopi soli, sed etiam parochi adiri solent, vt docet, & verissimum reputat Sanchez *lib 8. de matrim. disp.9. num.27.* & Sylnester *verbo, Ieiunium, quæst.7. dist.4.* & Palatios *in 4. dist. 15. disp. 8. columna 18. versiculo, Præsento igitur*, & Azor. *lib.7. inst. moral. cap.29. quæst.3.* & Rosella *verbo, Ieiunium, num.26.* Ergo etsi parochi de iure non possint dispensare in votis, ac iuramentis; poterunt tamen ex consuetudine in necessitate, quando Episcopi adiri commodè non possunt.

D. Thom. Hostiens. Henric. Anton. Palud. D. Anton. Caiet. Armill. Nauar. Angles. Sà. Veiga. Rodrig. Lud. Lop. Sanch. Sanch. Syluest. Palat. Azor. Rosell. Rodrig.

2. Secunda tamen opinio omnino vera, & tenenda docet, etsi parochi possint, vel ex iure, vel ex consuetudine dispensare, in lege, & præcepto ieiunij, quod pro certo, & comperto est, nullatenus tamen posse in votis, aut iuramentis, necurrenti etiam maxima necessitate, & non patenti aditu ad Episcopos: & ita docet expressè Sanchez *lib 8. de matrim. disp 9. num.27.* Sotus *lib.7. de iust. quæst.4. art.3. colum 5. versiculo, Abbates item*; & Lessius *tom.1. de iust. lib.2. cap.40 dub.13. à num. 106. num. 79.* quia nullus adhuc doctor inuentus est ex iis, qui de voto, & iuramento scripserunt, qui ausus sit asserere posse parochos, aut alios sacerdotes; qui quasi Episcopali iurisdictione præditi non sint, in votis, ac iuramentis dispensare, nisi ex priuilegio, aut consuetudine ad id ius habeant: at nulla consuetudine receptum est, vt id possint parochi, imò oppositum consuetudo generalis habet, vt testatur Hostiensis *cap.1. num. 2. de voto.* Nec rectè ducitur argumentum à potestate dispensandi in lege ieiunij ad potestatem dispensandi in lege particulari voti, ac iuramenti: nam consuetudo dispensandi in vna re, non extenditur ad aliam. Cum enim dispensatio sit mors iuris, strictissimam explicationem

Sanch. Sotus. Lessius. Hostiens.

tionem recipit, & nullo modo extendi potest ad
Palud. aliâ, vt tradit Paludanus *in 4. dist. 38. quæst. 4. ar-*
tic. 4. conclus. 6 num. 44. Vnde si consuetudo ha-
bet, vt quis possit dispensare io votis abstinentiæ,
nullo modo poterit dispensare in votis peregrina-
tionis, vt docet etiam Sanchex allegatus; &
cum præceptum ieiunij maiorem similitudinem
habeat cum præcepto obseruationis dierum fe-
storum, quàm cum præcepto de votis, & iura-
mentis obseruandis; tamen non ausi sunt DD.
Sotus. vt Sotus *lib. 2. de iust. quæst. 3. artic. 4. in solutione*
Sà. *ad 3. versu. Sex ergo capita. in fine* & Sà *in summa,*
verbo, festum, num. 6. absolutè affirmare posse pa-
rochos in festorum obseruantia dispensare; sed
com hac restrictione, vbi id consuetudo obti-
nuit Ratio igitur huius nostræ doctrinæ est, quia
dispensate in votis, & iuramentis est actus iurisdi-
ctionis externæ, & cum parochi careant iurisdi-
ctione ordinaria fori exterioi, & ideo non possint
in illis dispensare: poterunt tamen ex consuetu-
dine, quæ adhuc nullibi (quod sciamus) da-
tur: poterunt etiam ex priuilegio, aut ex pote-
state sibi delegata ab Episcopo, vel Papa per ali-
quam Bullam, vel iubilæum, & quamois in arti-
culo mortis possint à quocumque peccato, & ex-
communicatione, & violatione voti, aut iura-
menti absoluere, non tamen possunt in eodem
articulo dispensare io votis, aut illa commutare;
quia solùm peccatorum absolutio, non autem
votorum dispensatio, aut commutatio illis in hoc
articulo conceditur iuxta mentem DD. & ita
Nauar. docet Nauarrus *cap. 12. num. 79.* Syluester *verbo,*
Syluest. *votum 4. quæst. 3.* & alij passim.

3. Posse Prælatos religionis dispensare in votis,
ac iuramentis Deo præstitis cum suis religiosis
exemptis, veluti possunt Episcopi cum subditis
suæ diœcesis, certum omnino est: nam quamuis
Palud. id negent Paludanus *in 4. dist. 38. quæst. 4. art 4.*
D Anton. *conclus. 7. num* 45. & D. Anton. 2. *part. tit.* 11.
cap. 2. § 9. versiculo. Item Abbas, ex eo fundamen-
to, quòd ea potestas esset superflua; aut enim
vota ante professionem emissa sunt, & extin-
guuntur pro professione facta, aut post, & tunc
sola irritatione poterunt prælati illa extinguere:
attamen pro certo tenendum est posse hos præ-
latos regulares, qui habent iurisdictionem quasi
Episcopalem, vt sunt Prouinciales, in vtroque
foro ratione sui muneris cum religiosis sui sub-
ditis in votis dispensare, illáque commutare.
Primò, quia potestas irritandi his prælatis iure
concessa non excludit potestatem dispensandi,
sed vtraque stare potest, & necessaria est, cum il-
la pertineat ad potestatem dominatiuam, hæc au-
tem ad iurisdictionem spiritualem illorum: &
vtraque potestas in prælatis regularibus reperitur,
nec superflua dici potest, quia aliquando iudica-
bit superior esse conuenientius dispensare potiùs,
quàm irritare, aut irritare, quàm dispensare. Se-
cundò, quia ex vi sui muneris sic instituuntur, &
eliguntur, vt statim à Summo Pontifice acci-
piant plenam iurisdictionem in subditos, quæ
petit, vt huiusmodi Prælati tali iurisdictione er-
Richard. ga subditos potiantur; & ita docet Richardus
in 4. dist. 38 art. 9. quæst. 1. in corpore. & quæst. 2. &
Supplem. ibi Supplementum Gabrielis *quæst. 1. art. vltimo*
Gabriel. *column. vltima, conclusione* 2. Syluester *verbo, vo-*
Lessius. *tum 4 quæst 3 dicto 4* Lessius *lib. 4. de iust cap* 40.
Nauar. *dub.* 13. *num.* 107. Nauarrus *in summa Latina*
Sayro. *cap. 12. n 75.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 11. n.* 88.
Tol-d. *&* 89. Toledo *lib. 4. summa cap* 18. *num. penultimo.*
Suarez. Suar. *tom 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 10. n.* 14.

4. Hæc autem potestas, vt iam diximus, cum po-
testas sit officij, & illi perpetuò adnexa, pote-
stas est ordinaria, vt bene docet Suarez citatus
num. 14 & Sayro item allegatus *cap. 11. num.* 105. Suarez.
& Sanchex *lib. 4. Decalogi cap. 39 num* 4. Qui om- Sayro.
nes bene inde inferunt posse ab his, prælatis aliis Sanch.
delegari. Nec competit solis Generalibus, & Pro-
uincialibus, sed etiam omnibus Prælatis localibus
& conuentualibus, sed his cum quadam subordi-
natione: ita vt superiores Prælati possint infe-
rioribus reseruare aliquorum votorum dispensa-
tionem: & idem de potestate irritandi, & de po-
testate absoluendi, vt alibi probauimus, vt docet
Sanchez allegatus *num.* 5. post Sotum, Sayrum, Sanch.
& Aragonium quos ibi citat.

5. Hinc deducitur primò, posse hos prælatos di-
spensare cum suis subditis in votis, ac iuramentis
transeundi ad strictiorem religionem, sicut pos-
sunt Episcopi cum suis subditis in eo voto dispen-
sare, vt probauimus *cap. 43. num.* 12. & quæ ibi
diximus, huc transferantur; & ita docet expressè
Sayro *in claui regia lib 6. cap. 11. num. 90. &* 91. Sayro.
Azor *tom. 1. Inst. moral. lib. 11. cap. 22 quæst.* 12. Azor.
Suarez *tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap.* 10. Suarez.
num. 16. Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40. du-* Lessius.
bio 13. num. 107. initio. D. Anton. 2. *part. tit.* 11. D. Anton.
cap. 2. §. 9. versiculo, Hoc autem videtur. Sotus Sotus.
lib. 7. de iust. quæst. 3. art. 1. dub. 2. column. 5. ver-
siculo, Tertius operum ordo est, & quæst. 4. art. 3.
column. 5. versu, Sequitur subinde. Henriquez Henriq.
lib. 7. de indulgent. cap. 22. num. 7. Aragon. 2. 2. Arag.
quæst 88. *art. 8. dub. 1. conclus. 5. folio* 1018. &
alij. Nec obstat non posse prælatos regulares ir-
ritare huiusmodi vota, & iuramenta transeundi
ad strictiorem religionem, vt diximus suprà, vbi
de hac irritatione egimus; nam quoad hunc tran-
situm non subditur Religiosus Prælato suo, vt
domino subiectione propria, cum huiusmodi
transitus minimè includatur in iis rebus, quæ ad
obedientiæ votum pertinent: at subditur quoad
dispensationem; subditur enim Prælato, vt suo
spirituali Prælato, sicut subditi sæculares Episco-
po suo subduntur, ac proinde ita poterit cum illo
dispensare, ac potest Episcopus cum sæcularibus.
Adde quòd irritare nihil aliud est, quàm declara-
re voluntatem subditi sibi in suscipienda ea obli-
gatione non placere propter imbibitam condi-
tionem votorum subditi, *si superiori meo placue-*
rit: quod efficere nequit Prælatus respectu huius
transitus; at dispensare est spontaneæ subditi vo-
luntati annuere dispensationem petentis ratione
potestatis spiritualis, quam in ipsum habet. Et
ideo est diuersa ratio inter dispensationem, & ir-
ritationem, vt patet.

6. Secundò deducitur, posse huiusmodi prælatos
regulares dispensare in votis, & iuramentis sub-
ditorum de sua propria licentia emissis Ratio est,
quia siue ea licentia præiudicet potestati domi-
natiuæ, siue non præiudicet, nullatenus tamen
præiudicat iurisdictioni spirituali cuius ipsa di-
spensatio est actus,, cum vtraque res diuersa val-
de sit. Et confirmatur, quia si dicamus per con-
cessionem ipsius licentiæ priuari prædictos præ-
latos potestate dispensandi, vel ea priuatio de-
buit consurgere ex propria voluntate, vel ex vo-
luntate superioris, aut ex natura rei. Non ex
propria voluntate, quia per eam licentiam soli li-
beræ potestati irritandi præiudicare censendus
est, cedendo v.c. aliquatenus iure dominij, non
autem potestati, seu iurisdictioni spirituali, quam
habet ad dispensandum. Non ex voluntate su-

perioris, quia de ea non constat, nec rationi id consonat, quia concedendo eam licentiam, nullam culpam, nec peccatum commisit, vt per superioris voluntatem pinetur potestate spirituali dispensandi, eo voto aut iuramento. Non ex natura rei, quia ex ea licentia tantùm sequitur votum esse magis firmum; at votum, quantumuis firmum, semper subiicitur potestati dispensandi; igitur poterit prælatus regularis in huiusmodi voto dispensare. Et ita docent communiter DD. Suarez *tom 2. de Relig. tract. de voto lib 6. cap. 10. num. 17* Aragon. *2. 2. quæst. 88. art. 8. folio* 1019. *versu, Est aliud dubium.* Caietan. *2. 2. quæst. 88. artic. 8 columna 3. versiculo ad eum euidentiam, ad finem* Tabiena, *verbo, votum 5. quæst 4. num. 5. fine.* Angelus *in summa, verbo. votum 4. num* 8. Syluester *verbo, votum 4 quæst. 3. dict 9* Sanchez *lib 4. Decalogi, cap. 42. num 4*

Suarez. Aragon. Caiet. Tabien. Angel. Syluest. Sanch.

7. Deducitur tertiò, posse prælatum inferiorem in votis, & iuramentis promissoriis Deo præstitis de licentia maioris prælati emissi, dispensare, non tamen posse ea irritare; quia cum irritatio ad dominatiuam potestatem pertineat, aduersatur dominio superioris, maiorisque prælati, cuius licentia votum, aut iuramentum emissum fuit; at dispensatio, cum ad potestatem spiritualis iurisdictionis spectet, quæ ex officio inferiori prælato competit, minimè iurisdictioni maioris prælati præiudicat, nisi ipse ea vota, aut iuramenta sibi reseruet. Ita Suarez *tom 2 de Relig. tractatu de voto lib. 6. cap. 10. num. 18. & cap. 8. num. 2.* & Sanchez *lib 4. Decalogi cap. 42. num 5. & cap. 27. num. 4* Richardus *in 4. dist. 38. art. 4. quæst. 3.* Rod. *tom. 2. summa cap. 89. num. 7.*

Suarez. Sanchez. Richard. Rodrig.

8. Deducitur quartò, posse prælatum dispensare in voto religiosi non committendi alicuius peccati. Ita docet Aragonius *2. 2. quæst. 88. artic 8. dub. 1. conclusione 4 folio* 1018 Rodriguez modò allegatus *num. 5.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 10. num. 8 in fine*; & posse etiam id votum, ac iuramentum commutare docet Caietanus *2. 2. q. 88. art 8. ad finem, in solutione ad penultimam* Angles *in floribus 2. part. quæst. vnica de voto art. 7. difficultate 2 in 3. conclusione.* quamuis hic minùs benè neget potestatem dispensandi. Ratio est primò, quia etsi religiosi non subdantur prælatis quoad obligationem vitandi illius peccati, subduntur tamen quoad nouam voti, ac iuramenti vinculi obligationem, quam de nouo suscipiunt. Secundò, quia Episcopi possunt dispeosare, & commutare vota, & iuramenta non peccandi suorum subditorum, vt docet Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 1. art 3. columna 9. versiculo, Tametsi vt verum fatear.* Nauarr. *in summa Lat cap. 12. num. 65. & lib. 1. consilior. titulo de voto in prima edit. consilio 16 num. 2. & consilio 22. num. vnico, in posteriori consilio 36. num. 2. & consilio 42. num vnico.* Metina *de rest. quæst 8. §. Occurrit hic casus quidam,* Axor *tom. 1. Inst moral. lib. 11. cap. 14. quæst. 4. versu, Quæres insuper.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap 3. num 17.* Graphis *1. part decis. lib. 3. cap. 31. num 30. & 31.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 13. num. 105.* Beia *2. part. casu 9. in ordine qui habetur folio 81.* Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 40 num. 12.* ergo & prælati Religionis id ipsum poterunt cum suis subditis. Antecedens probatur, quia per dispensationem, & commutationem non aufertur obligatio non peccandi, nec illa commutatur, aut commutari potest, aut tolli; sed aufertur sola noua voti, ac iuramenti vinculi obligatio superaddita, quæ est quid supererogationis, vt de se patet. Nam obligare se quem per votum, aut iuramentum ad non peccandum, noua supererogationis obligatio est quam in se suscipit, cum aliunde ex præcepto diuino non peccare teneatur: & hanc nouam obligationem possunt Episcopi, & Prælati Religionum respectu suorum subditorum tollere aut commutare per dispensationem, aut commutationem.

Arag. Rodrig. Sayro. Caiet. Angles. Sotus. Nauar. Metin. Azor. Sayro Graphis. Lessius. Beia. Sanch.

De potestate delegata ad dispensandum, siue sit delegata speciali aliquo priuilegio, siue per Bullam aliquam, aut iubilæum: illud certum est, 9.
nempe hanc delegationem non intelligi, vt delegatus possit ad libitum, & sine causa in votis, aut iuramentis dispensare, sed ex causa iusta, qualem semper, vt diximus, dispensatio requirit, ac petit; quia delegatus non potest amplius, quàm delegans potest; at quicumque delegans, etiamsi sit Summus Pontifex, non potest validè absque legitima causa dispensare. ergo neque ipse delegatus. Et hæc res est notissima, quam tradunt Suarez *tom. 2. de Relig lib. 6. cap. 17. num. 4.* & Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 43. num. 3.*

Suarez. Sanch.

Certum etiam illud est, nempe cum per Summum Pontificem delegatur Episcopis facultas ad 10.
dispensandum in quinque votis, ac iuramentis promissoriis reseruatis religionis, castitatis, peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ, Compostellanæ, in quibus ipsi non poterant dispensare, hanc facultatem non esse ordinariam, sed delegatam, quia per eam concessionem, & delegationem non tollitur omnino reseruatio; ita vt maneant in posterum Episcoporum potestati subiecta; nec hæc facultas est perpetuò dignitati Episcopali adnexa, sed solùm iurisdictio ad dispensandum in huiusmodi votis & iuramentis, non dignitati in perpetuum, sed temporaliter personæ communicatur, vt optimè animaduertunt Sanch. citatus *num. 2* & Suarez *dict. lib. 6. de voto cap. 25. num. 1. tom. 2. de Relig. tract. de voto.*

Sanch. Suarez.

Notandum igitur est Innocentium VIII. concessisse Religiosis mendicantibus priuilegium ad 11.
dispensandum in omnibus votis, in quibus dispensare possunt Episcopi, quæ non sunt Pontifici reseruata, exceptis peregrinationis vltra duas dietas; sunt autem duæ dietæ viginti leucæ, vt testantur communiter DD. Rebuffus *de priuilegijs scholast. priuilegio 161.* Azeuedo alios allegans *lib. 1. Recopilat. reg. titulo 7. l. 10. num. 2.* Rodriguez *in Bulla Cruciata §. 9. num 141.* quamuis *tom. 2. sum. cap. 100. num. 3.* asserat esse quatuordecim leucas. Videtur tamen typographorum esse error; quia ibi ad prædictum Bullæ paragraphum se refert, vbi ait esse viginti leucas, non quatuordecim.

Rebuff. Azeued. Rodrig.

Amplius, ac maius priuilegium concessit Martinus V. Religiosis familiæ Diui Benedicti, quo 12.
per communicationem omnes mendicantes gaudent, vt constat ex compedio priuilegiorum Societatis IESV. *verbo, dispensatio, §. 10.* ibi: *Per facultatem Benedictinis concessam à Martino V. possunt nostri confessores deputati dispensare etiam in votis Episcopo reseruatis.* Vbi noster Pater Generalis Claudius Aquauiua hanc facultatem omnibus nostræ Religionis Superioribus communicat, & omnibus confessariis, quibus ipsi eam commiserint.

Hæc autem priuilegia sunt meræ gratiæ, & 13.
fauores, quæ nemini nocent, & multis prosunt, & si cui nocent, solùm nocent Principi concedenti, qui eam potestatem à se aufert, vt eam aliis in bonum multorum communicet; & sic non sunt contra ius commune, nec iuri communi directè,

rectè, & per se nocent, sed sunt præter ius, vnde non sunt vulnera, aut mortes iuris communis, vt sunt commissiones ad dispensandum in iure communi, quæ quia iuri nocent, ne toties licentia nocendi detur, strictissimè interpretanda sunt, iuxta glossam finalem *in l. Beneficium ff. de const. princip. & regulam iuris in 6. Quæ à iure communi* Sanch. *exorbitant, strictè interpretanda sunt*, & iuxta Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 3.* imò sunt beneficia Principis, gratiæ simpliciter, & meri fauores præter ius concessi, qui amplissimè interpretandi sunt, vt patet ex *dict. l. Beneficium. ff. de* Syluest. *const. princip.* & docet Syluester *verbo, Priuile-* Alexand. *gium, quæst. 3.* Alexander de Neuo *in cap. Quod dilectio, de consanguinit. num. 15.* Præposit. *ad finem.* Iason. Iason. *in dict. l. Beneficium, num. 19. & 32.* Vallasc. Vallascus *consil. 60. num. 3. volum. 1.* Sanchez *lib. 8.* Sanch. *de matrim. disp. 1. num. 3. & 4.* Fumus *verbo, Pri-* Fumus. *uilegium, num. 4. & 5.* Angelos *ibi num. 3.* Tabiena Angel. *ibi, quæst. 3.* Deinde quia conceduntur toti reli- Tabiena. gioni, in quo casu esse fauorabilia, & extendenda patet, quia summa est ratio, quæ pro religione facit, *l. Sunt personæ, in fine ff. de Relig. & sumpt. fun.* Item quia cum non vni, aut alteri personæ concedantur, sed toti religioni, aut communitati, legi perpetuæ æquantur, ac perinde se habent, ac si in corpore iuris sint inserta, sunt enim constitutiones de se perpetuæ. Ita Oldradus Oldrad. *consil. 300. num. 4 versiculo, Considerandum est.* Sanch. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 13. & lib. 4. Decalog. cap. 43. num. 5.* & loquens de priuilegiis communicandi: vt docet Lessius *lib. 2. de iust. cap. 42.* Lessius. *dub. 12. num. 60. & de omnibus priuilegijs.* Henri- Henriq. quez *lib. 7. de Indulg. cap. 28 num. 7. & de priuilegijs ad dispensandum.* Sanchez *lib. 4 Decalog. c. 43.* Sanch. *num. 5.* & patet ex regula iuris. *Pœnas restringi, fauores conuenit ampliari.*

14\. Hinc iam dubium primum emergit. An virtute horum priuilegiorum possint religiosi mendicantes dispensare in quinque votis reseruatis Summo Pontifici, in iis casibus, in quibus possunt Episcopi dispensare. v. c. quando viget maxima necessitas, & non est facilis aditus ad S. Pontificem. Et hac de re duplex potest esse opinio. Prima negans. Fundamenta illius hæc esse possunt. Primò, quia ideo potest Episcopus in illis dispensare, in iis casibus, quia seclusa reseruatione, iure naturali spectato, in eis dispensare poterat, vnde cum reseruatio tanquam ius auferens, sit odiosa, ideo est restringenda, itavt non extendatur ad casus vrgentes, in quibus facilè adiri Summus Pontifex non potest. Secundò, quia concessis omnibus votis, & iuramentis, non censentur concessa reseruata nisi exprimantur, vt Sanch. bene docet Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 40. n. 16.* Suar. & Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 25. num. 4.* quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus, iuxta regulam iuris, *in generali 81. de regul. iuris in 6.* sed in neutro priuilegio ex numeratis *num. 11. & 12.* exprimuntur hæc vota reseruata; ergo nullatenus censentur concessa.

15\. Secunda sententia vera, & tenenda, distinguit & asserit posse huiusmodi religiosos virtute posterioris priuilegij *num. 12.* explicati, dispensare in omnibus votis Summo Pontifici reseruatis in omnibus casibus in quibus possunt Episcopi, quoties in eis aliquæ circumstantiæ concurrunt, quæ in causa sint, vt prædicta vota à veri voti reseruati natura aliquantulum deficiant, vt cum metu aliquo leui, aut etiam magno, non tamen cadenti in constantem virum, nec sufficienti ad ea reddenda irrita, & inualida, directè ad extorquendum votum per iniuriam incusso emittuntur, de quibus egimus *cap. 41. num. 23. & 24.* quia hæc tunc non censentur reseruata, imò iure ordinario censentur Episcopis concessa: non possit tamen dispensare in votis, quæ non deflectunt à vera ratione voti, nec iure ordinario; sed ratione alicuius vrgentis necessitatis competunt Episcopis, de quibus egimus *dict. cap. 41 num. 21. 22. 28. & 29.* quia huiusmodi vota non deficiunt à natura voti reseruati, nec competunt iure ordinario Episcopis; sed solùm ex quadam interpretatione voluntatis Summi Pontificis, quia ex quadam Epichea illis solùm, in eo tantum casu vrgentis necessitatis, quando non est facilis recursus ad Summum Pontificem, censentur permissa. Et ita docet Sanchez *lib 4. Decalog. cap. 44. n. 7.* Sanch. *& lib. 2. de matr. disp. 40. num. 9. & lib. 8. disp. 15. num. 10.* & Henriquez *lib. 9. de pœnit. cap. 14. n. 7.* Henriq. *litera P.* Rodrig *in Bulla Cruciata, § 9. num. 118.* Rodrig. *& de quæstionib. regularibus, tom. 1. quæst. 41. art 9. & quæst. 63. art. 6.* & Suarez *tom. 2. de Relig. tract.* Suarez. *de voto cap 16. num. 18. & 19.* Et ratio est, quia religiosi habentes priuilegium dispensandi in casibus Episcopalibus, minimè possunt dispensare in casibus, qui non iure ordinario, sed ratione vrgentis necessitatis competunt Episcopis, quia hi non dicuntur simpliciter casus Episcopales, sed verè ad Pontificem pertinent, & solùm ex quadam iuris interpretatione Episcopis censentur permissi: & hanc legitimam rationem assignat Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 40. num. 9.* Sanch.

Et id quod dictum est numero præcedenti de dispensatione votorum reseruatorum, dicendum est etiam de iuramentis promissoriis, quorum materia similiter est reseruata. Vnde sicut facultas delegata ad dispensandum in votis reseruatis non extenditur ad vota reseruata, quando verè sunt reseruata, & non deficiunt à natura votorum reseruatorum: ita non extenditur ad iuramenta materiæ reseruatæ, quando manent reseruata, & non deficiunt à natura iuramentorum, cùm par sit vtrobique ratio. 16.

Habent etiam prouinciales mendicantium priuilegium, vt possint concedere suis confessariis iuxta formam Concilij Tridentini ab ordinario approbatis facultatem ad dispensandum in petitione debiti cum iis, qui ante matrimonium vouerunt castitatem; hoe enim eis concessit Pius V. viuæ vocis oraculo, vt refert Sanchez *lib. 8. de* Sanch. *matrim. disput. 16. num. 3. lib. 4. Decalog. cap. 43. num. 10.* & refertur in compendio priuilegiorum Societatis IESV §. 9. Vbi noster Pater Generalis Claudius Aquauiua huiusmodi priuilegium communicat Prouincialibus, & aliis confessariis, quibus ipsi Prouinciales, vel per se, vel per alios id commiserint. Aliqui tamen DD. restringunt hoc priuilegium, vt intelligatur tantùm, quando voto ligatus iam consummauit matrimonium, non autem quando nondum consummauit, ex eo fundamento, quòd ante matrimonium consummatum teneatur ingredi religionem, impediretur autem talis ingressus per petitionem, & redditionem ipsius debiti. Sic Azor. *tom. 1. inst. mo-* Azor. *ral. lib. 11. cap. 19 quæst. 10. versiculo, Sed dubia quæstionis est.* At quamuis hæc opinio sit verissima in ea opinione, quæ docet bibentem votum castitatis si matrimonium contraxit, & non consummauit, teneri religionem ingredi, vt votum seruet; cum tamen probabilius sit non teneri 17.

eum religionem ingredi, vt votum seruet, & posse prima vice licitè matrimonium consummare reddendo debitum ad petitionem coniugis, non tameo petendo, vt docet expresè Lessius *tom. 1. de iustit. lib. 2. cap. 41. dub. 6. num. 52.* & Sanchez *lib 9. de matrim. disp. 29. num. 2.* vbi citat multos, *& disp. 34. num. 3. & disp. 6. num. 14. paulo ante finem.* & Angelus *verbo, Impedim. 3. imped. 5. num. 2.* Sotus *in 4. dist. 38. quæst. 2. art. 1. conclus. 3.* Corduba *in summ. quæst. 136.* qui enim castitatem vouet ex vi talis voti, nec tacitè, nec expresè religionem vouet; ergo non est obligandus ad rem tam arduam, & difficilem præter suam voluntatem, & intentiooem; concedunt enim iura duos menses ad ingrediendam religiooem, si voluerit, non tamen ad illum obligandum, vt patet. Vode dicendum est posse virtute prædicti priuilegij prædictos confessarios meodicaotes ex licentia suorum prouincialium, cum huiusmodi homine voto ligato dispensare, vt non solùm prima vice petat, ac matrimonium consummet, sed etiam vt io posterum petat, quis si manet io sæculo prout licitè manere potest, teoetur consummare reddendo debitum ad petitionem alterius, ac subinde in magno peccandi periculo, & morali tentatione constituetur, si petitio debiti ei tuoc sit interdicta. Et ita docet Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 11. num. 104.* Rodrig. *tom. 1. summa in secunda edit. cap. 242. n. 2.* Veiga *tom. 2. summa, cap. 129. casu 118. puncto 2.* Sanchez *lib 4. Decalog. cap. 43. num. 11.*

Lessius. Sanch. Angel. Sotus. Cordub. Sayro. Rodrig. Veiga. Sanch.

18. Et idem est dicendum de prædicto priori bimestri ante consommationem eoamsi contraxerit animo non coosummaodi, sed transeundi ad religionem; quia prædictus animus non obligat ad religioois ingressum, neque enim prædictus aoimus efficit, vt teneatur religionem ingredi. Ita Sanchez allegatus.

19. Si tamen castitatis votum sit emissum, post matrimonium coortactum, noo possunt religiosi virtute huius priuilegij dispensare cum coniuge voto ligato ad petendum debitum, qoia hoc priuilegium expresè loquitur de voto castitatis emisso aote matrimonium. Ita doceot Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 44. num. 12.* Rodrigoez *tom. 1. summa, in 2. edit. cap. 243. num. 14. & de quæst. regularibus, tom. 1. quæst. 63 art. 2.* Veiga *tom. 2. summa, cap. 128. casu 77.*

Sanch. Rodrig. Veiga.

20. Poterunt tamen dispensare in eo voto virtute alterius priuilegij, qood habent dispensandi in omnibus votis qoando non sont, pontifici reseruata, vt diximus *num. 11.* idque non tantùm ad petendum, sed omnino in toto voto tam ad petendum, qoàm reddendum, quoties Episcopus potest io eo dispensare, eo quòd à perfecta voti castitatis ratione deficiat, vt diximus *num. 15.* & ita docet Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 44. num. 12.*

Sanch.

21. Si tamen vel ante matrimonium, vel post matrimonium contractum, nondom tamen consummatum, alter coniux religionem voueret, nequeunt religiosi com illo dispensare virtute horum priuilegiorum, vt petat, aut reddat; & quia priuilegium de solo castitatis voto loquitur, & quia nec Episcopus potest tunc dispensare. Ita Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 44. num. 13. & c. 40. num. 64.* & docet etiam Sotus *in 4. dist. 38 quæst. 2. art. 1. column. 7. versiculo, Quid autem medij.* Et ratio est aperta, quia cum tuoc possit implere votum ingrediendo religiooem, tenetur illud implere; & semel consummato matrimonio talis ingressus impediretur; & idem dicendum est, quoties ob alterius coniugis delictum potest id votum licitè implere; quia tunc obligat, vt ait Sanchez *dict. cap. 40. num. 64. fine.*

Sanch. Sotus. Sanch.

22. Secundum hìc dubium oritur. Vtrùm hæc facultas dispensandi in votis coocessa religiosis mendicantibus, ita sit restringeoda, vt erga tantùm subditos illius diœcesis in qua ipsi religiosi commorantur, & sunt, illa vti possint, an etiam erga omnes aliarum diœcesum; qua de re est duplex opioio. Prima ait restringendam esse modo prædicto. Ita Rodriguez *in additionibus ad Bullam Cruciatam, §. 9. num. 120.* Fundamentum illius est, quia priuilegium, & facultas tantùm concedit his religiosis ea vota in quibus Episcopi possunt dispensare; Episcopi autem solummodo dispeosare possunt in votis suorum subditorum. Et huic opinioni fauet Syluester *verbo, Domicilium in fine,* vbi ait mendicantes, qui possuot confessiooes omnium ad se vndecumque venientium excipere, non posse foreosium vota commutare, eo quod id oequeat Episcopus eos approbans, & exponens; vode cum commutaoo dispensationis pars sit, sequitur, vt quod de vna dicitur, de alia dictum censeatur.

Rodrig. Syluest.

23. Seconda opinio verior est, & probabilior; docet non esse restriogendam hanc facultatem ad solos subditos illius diœcesis in qoa prædicti religiosi commorantur, sed extendeodam esse ad quoscumqoe etiam forenses, vodique ad se venientes. Hanc tenet expresè Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 44. num. 15.* ex solidis fundamentis, & dicit ibi ita seosisse viros prudentes, ac doctos à se in ea materia consultos. Primò, quia illa restrictio, vt solùm possint Mendicantes dispensare in solis votis, in quibus dispensare possunt Episcopi, intelligitur vt scilicet oequeant dispensare in votis Summo Pontifici reseruatis, io quibus propter reseruationem nequeunt Episcopi dispensare. Cum autem religiosi hanc facultatem habeant à Summo Pontifice qui toti orbi præest, nulla apparet ratio ob quam limitanda sit ad subditos tantùm illius diœcesis, in qua iooeniuntur, & suot. Secundò, quia hæc facultas prædictis religiosis concessa est, vt meliùs consulere possint saluti spirituali omnium fidelium ad illos ratione sacramenti pœnitentiæ vndique confluentium. Vnde cum eorum confessiones possint audire, eorum quoque vota dispensare poterunt. Demum, qoia hæc priuilegia sunt meræ gratiæ, & fauores, quæ oemini oocent, & multis prosunt, & sunt amplianda & oon restringenda, vt latè probauimus *num. 13.*

Sanch.

24. Tertium dubium est. An religiosi in sola confessione, hac possint dispensandi facultate vti. Et in hoc etiam puncto partitur opinio. Prima affirmat. Hanc videtur tenere Corduba *in sum. q. 152.* vbi dicit posse religiosos io confessiooe dispensare io votis, in quibus possuot Episcopi, & eam teoet expresè Sayro *in claui regia lib. 5. cap. 8. num. 10. fine, & lib. 6. cap. 11. num. 105.* Sorbo *in compendio priuilegiorum mendicantium, verbo, Votum, in suis adnotationibus, notabili 7.* & pro eadem sunt DD. id ipsum asserentes de priuilegio commutandi vota per bullam. Ludouic. Lopez *2. part. instructorij. vbi de clauibus, cap. 9 colum. 8. versiculo, Præterea hic dubitatio hæc obuia fit,* & Beia *in suis responsionibus 2. part. casu qui in ordine est 9.* Et ratio huius opinionis est, quia huiusmodi dispensationes, & commutationes committuntur his confessariis, vt iudices sunt fori interni; at non sunt iudices fori interni, nisi dum audiunt

Cordub. Sayro. Sorbo. Lod. Lop. Beia.

diunt confessiones; ergo extra illas non poterunt haec vota commutare, aut in illis dispensare. Et pro hac etiam parte sunt multi quos citaui *cap. 41. num. 47.*

25. Secunda opinio verior asserit, posse prædictos religiosos extra confessionem hac facultate dispensandi vti. Ita docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 44. num. 17. & lib. 8. de matrimon. disput. 34. num. 29.* Præpositus & Rodriguez statim allegandi. Primò, quia priuilegia *num. 11. 12. & 17.* relata non petunt, vt audita confessione hæc dispensatio fiat, & vt optimè animaduertit Suarez *tom. 2. de Religione, tractat de voto, lib. 6. cap. 16. num 4.* quando priuilegium non restringit expressè, vt dispensatio, vel commutatio in confessione fiat, aut in foro pœnitentiæ, non est opus confessione, licèt petat, vt dispensans, aut commutans sit confessor approbatus; quia nomen confessoris, magis est muneris, & officij, quàm actualis exercitij, & solùm requiritur, vt pro munere audiendi confessiones sit approbatus: nec etiam, vt requiratur confessio (addit ibi Suarez) sufficit si in priuilegio dicatur, dispensationem, aut commutationem concedi pro solo conscientiæ foro: quia forus conscientiæ latiùs patet, quàm forus sacramentalis pœnitentiæ, & per illa verba solùm volunt Summi Pontifices, ne talis dispensatio valeat pro foro externo, vt id probat egregiè Sanchez *lib. 8. de matrim. disput 34. num. 29. paulò post principium*, & Præposit. *in cap. Praeterea 2. num. 5. de sponsalib.* vbi dicit triplicem esse forum, alium contentiosum, alium pœnitentialem, alium quasi pœnitentialem, seu quasi medium: quare optimè notauit Rodriguez *tomo 1. quæst. regular. quæst. 61. art. 10.* facultatem absoluendi in foro pœnitentiæ intelligi intra confessionem, secus de facultate absoluendi in foro conscientiæ.

26. Vnde quoties dispensatio ad matrimonium à Summo Pontifice confessario approbato committitur, cum hac clausula, *vt eundem absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta ei pœnitentia salutari.* quamuis probabile sit confessionem exigi, vt eam eo dispensetur; attamen vt latè probat Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 34. num. 29.* contrarium probabilius est; quia, licet ea verba importent absolutionem sacramentalem: tamen non ponuntur per modum conditionis, vt ex literarum tenore constat; non enim ponuntur cum particula aliqua conditionem denotanti, qualis est, *si*, vel *dummodo*, nec per ablatiuum absolutum, *pœnitentia salutari iniuncta*; nam cùm in his literis non habeatur, banc facultatem exequendi has dispensationes committi in foro pœnitentiæ, sed in foro conscientiæ, non desiderabitur confessio, eum latiùs pateat forus conscientiæ, quàm forus pœnitentiæ. Vnde etiam dispensationes commissæ à sacra pœnitentiaria discreto confessori pro solo conscientiæ foro possunt expediri absque confessione, vt latè probat idem Sanchez modò allegatus; & apertè indicat Suarez *tomo 2. de Religione, tract. de voto, lib. 6. cap. 16. num. 18.*

27. Insuper Eugenius IV. concessit Prælatis Religionis sancti Benedicti, vt possint commutare votum non ingrediendi strictiorem religionem, dummodo suam ingrediantur, & dummodo si ante professionem ab ea recederetur, commutatio sit nullius momenti; habetur in compendio priuilegiorum Mendicantium, *verbo, dispensatio*, § 28.

Denique Societas IESV habet priuilegium, vt in eam recipiantur quicumque votum ex quauis causa ingressus alicuius alterius religionis & perseuerantiæ in ea emiserint. Constat ex compendio nostrorum priuilegiorum, *verbo, commutatio*, §. 3. vbi Pater generalis Claudius Aquauiua sic ait: *Hac facultate soli, & magna cum consideratione vtentur Prouinciales, nisi ipsi eam in casu aliquo alicui communicarent, & cum vsi fuerint, admoneant Præpositum generalem.* Cùm autem hæc facultas partim ad dispensationem, partim ad commutationem pertineat, causam exigit eò quòd sit ad minùs strictam religionem, vt optimè animaduertit Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 44. n. 20.* Hanc verò causam dicit Emanuel Rodriguez *tomo 2. quæst. regular. quæst. 55. art. 6.* esse, si vouens putet se meliùs, ac deuotiùs in ea Religione inseruiturum Deo, quàm in arctiori: aut si sic vellet: sed neutram ex his approbat Sanchez citatus, quia cum commutatio hæc admixtam dispensationem habeat, exigit causam voti executioni obstantem, minorem tamen causam desiderari, quàm ad puram dispensationem de se constat.

At quamuis Mendicantes virtute priuilegij Eugenij IV. non possint dispensare eum his, qui votum habent ingrediendi strictiorem religionem, vt ingrediantur in suam, nisi sub ea conditione, vt si ante professionem egrediantur, dispensatio sit nullius momenti, & ad prius votum teneantur, & religiosi Societatis IESV, priuilegium etiam habeant dispensandi, & commutandi obligationem illorum, qui vota habent intrandi, & perseuerandi in quacumque alia religione sub ea conditione, vt societatem ingrediantur: attamen his priuilegiis non obstantibus certum est posse virtute priuilegij Innocentij VIII. quod *num. 5.* retuli, & virtute priuilegij Martini V. de quo *num. 15.* mentionem feci, prædictos religiosos mendicantes absolutè in hoc voto ex iusta causa dispensare sine onere, & conditione, vt egressi ante professionem ex causa legitima teneantur ad prius votum, tam intrandi aliam religionem, quàm perseuerandi in illa. Et ratio est, quia virtute illorum priuilegiorum Innocentij VIII. & Martini V. possunt illi dispensare ex causa in omnibus votis, in quibus dispensare Episcopi possunt; at Episcopi possunt dispensare cum vouente ingressum strictioris religionis, vt laxiorem ingrediatur, vt latè probauimus *cap. 43. num. 12.* & in voto perseuerantiæ in religione, vt etiam probauimus *dicto cap. 43. num. 9.* quia hæ sunt qualitates veluti extrinsecè adnexæ substantiæ voti religionis; ergo & id similiter poterunt prædicti religiosi. Sed quando Episcopi dispensant in voto strictioris religionis, aut in voto perseuerandi in religione, si ille vouens qui bona fide ingreditur ad probandam religionem, ex iusta causa egrederetur, non teneretur iterum religionem ingredi, quia sic exiens satisfecit religionis voto, ergo non etiam teneretur illam ingredi, quando cum illo religiosus ille dispensat, qui priuilegium habet dispensandi in omnibus votis, in quibus Episcopi dispensare possunt. Et ita docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 44. num. 51.* Et ratio est, quia per concessionem priuilegiorum Eugenij IV. & per concessionem priuilegiorum Societatis IESV non fuerunt reuocata alia priuilegia, vt de se patet; sunt enim cumulatiuè concessa, & non priuatiuè.

An verò facultas hæc & priuilegia extendantur ad vota iurata, dicemus infra eum de commutatione 29.

tatione vororum egerimus. Vtrùm autem extendantur etiam ad dispensandum in votis emissis in fauorem tertij. Vide *cap. 44. à num. 5. & deinceps*, & quod ibi de Episcopis dictum manet, huc transferatur cum eadem sit ratio; possunt enim Meodicantes ratione suorum priuilegiorum, quicquid possunt Episcopi, vt dixi sæpe.

Capvt XLVI.

Quomodo tollatur obligatio iuramenti promissorij homini præstiti ex parte potestatis iudicis sæcularis, & qualiter potestas laica illud possit relaxare. Agitur de iuramento de non denunciando Ecclesiæ, & de donando gratis aliquid latroni ad redimendam vitam, an hæc obligent vel non obligent?

Svmmarivm.

Iudices laici, & potestates seculares possunt cogere illos quibus iuramentum per metum præstitum fuit ad illud remittendum, & similiter quoties promissarius rem sibi promissam tenetur restituere. num. 1.

Principes sæculares possunt remittere iuramentum quo quis iurauit se senatorem, aut decurionem populi non futurum. num. 2.

Possunt Principes sæculares per leges ciuiles interpretari, an iuramenta de rebus ad forum sæcularem pertinentibus sint licita. num. 3.

Iudices sæculares possunt cognoscere de relaxatione, seu dispensatione iuramenti de rebus ad forum sæcularem spectantibus. num. 4.

An Principes sæculares possint leges condere, quibus declarent iuramentum promissorium, & confirmatorium esse nullum; agitur de lege Lusitana irritante contractus omnes, promissiones, & pacta, in quibus interponitur iuramentum promissorium, aut confirmatorium. à num. 5. vsque ad 9.

An per leges ciuiles Lusitaniæ, & Castellæ prohibeantur iuramenta apponi in contractibus minorum, ne postea tales contractus reuocari valeant. num. 10.

An possint potestates laicæ iuramenti vinculum suorum subditorum iam præstiti tollere & relaxare à num. 11. vsque ad 14. Quid si iurans est laicus, & ille cui iuramentum fit clericus. num. 13. & 14.

An hæc relaxatio iuramenti fieri debeat à superiore iurantis, an à superiore illius cui iuramentum factum fuit. num. 15.

Si oporteat iuramentum relaxari ob bonum commune immediatè, pertinet hæc relaxatio ad superiorem in temporalibus. num. 16.

Ad quam potestatem, sæcularém-ne, an Ecclesiasticam spectet relaxatio iuramenti, quando is cui iuratur, est fidelis, & iurans infidelis. numero 17.

De qua relaxatione hoc est intelligendum, de remissione-ne an de vera dispensatione. num. 18.

An iuramentum factum latroni non denunciandi illum obliget, à num. 19. vsque ad 21.

Quid si latro postulet iuramentum de nunquam petenda relaxatione talis iuramenti. numer. 22. & 23.

1. IN primis certum est posse iudices laicos cogere illum, cui iuramentum præstitum fuit, ad remittendum illud, quando per metum, & iniuriam fuit extortum; & similiter quando rem promissam iuramento tenetur promissarius restituere, quoties de hoc constat, & res circa quam iuramentum factum est, vel personæ, quæ illud emiserunt & acceperunt, pertinent ad forum sæcularem: si enim ad illum non pertineant, vel probabile dubium sit, an iuramentum validum, vel inualidum sit, ad solum iudicem Ecclesiasticum pertinet hæc coactio. Ita docet Azor *lib. 11. Inst. moral. cap. 9. quæst. 6. in fine*, & Gutierez *authentic. sacramenta puber. numer. 160. Cod. si aduersus vendit.* Sanchez *lib. 3. Decalogi cap. 22. num. 1. & lib. 1. matrimonij disp. 32. num. 18.* Abbas *in cap. 1. de iureiurando num. 3.* Alexander de Neuo *num. 8.* Couarruuias *lib. 1. variarum cap. 4. num. 5.* & patet ex *dict. cap. 1. de iureiurando*, ibi: *Mandamus quatenus creditores ad iuramenta super vsuris sibi soluendis præstita relaxanda Ecclesiastica districtione cogatis.* [Azor. Gutier. Sanch. Abbas. Alexand. Couar.] Et idem dicendum est de iudice sæculari respectu laicorum. Cum enim sit iudex competens ad cogendum seruare iuramentum; ita etiam erit iudex competens ad cogendum illud relaxare, quando constat de recipientis turpitudine, & tenetur recipiens illud relaxare, iuxta textum *in cap. 2. de iureiur.* & docet Abbas *ibi, num. 3.* Neuo *num. 10.* Felinus *cap. 1. de iureiurando num. 22.* Baldus quem refert, ac sequitur Gregor. Lopez *l. finali verbo, que la fizo, tit. 11. part. 3.* & Molina *tom. 1. de iust. disp. 149 folio 844. §. Aliud accipe.* [Abbas. Neuo. Felin. Baldus. Greg. Lop. Molin.] Si tamen de iuramenti valore dubitetur, ad solum iudicem Ecclesiasticum illius relaxatio pertioebit, vt dixi, & tradit Sanchez vtroque loco allegatus; & Abbas *cap. 2. de iureiur. num. 3.* & Neuo *in capite, Cum contingat. eodem titulo, num. 159.* Tabiena *verbo, iurare, quæst. 20. num. 21.* Molina allegatus & Mathæus de Afflictis *decision. Neapolit. 263. num. 3.* [Afflict.] Imo quando cogente iudice sæculari creditorem ad relaxationem iuramenti ipse creditor non vult iuramentum relaxare, potest iudex sæcularis tunc relaxare, quia hoc non est propriè relaxare, seu dispensare in iuramento, sed est remittere obligationem illius, decernendo non posse iuratorem adstringi per aduersarium ratione illius iuramenti. Ita Sanchez *lib. 1. de matrimon. disput. 32. num. 18.* Neuo *cap. 2. de iureiurando num 9.* & confirmatur ex doctrina Molinæ *tom. 1. de iust disp. 149. folio 844.* vbi docet posse potestates laicas relaxare iuramenta, dum id bono publico expedit. [Sanch. Neuo. Molin.]

2. Hinc deducitur primò, posse Principes sæculares, per leges ciuiles remittere iuramentum præstitum in materia ipsis subiecta v.c. si quis iuret se senatorem, aut decurionem populi non futurum, qui est casus textus *l. finalis ff. ad municip.* potest Princeps sæcularis huiusmodi iuramentum remittere, si iste ad magistratum fuerit electus, & potest concedere antecedenter legem, qua ciues suos reddat incapaces ad faciendum tale iuramentum. Et ratio est, quia cum Principes sæculares possint cogere suos subditos ad suscipiendos honores, & gubernandam Rempublicam ob publicam vtilitatem; consequenter iuramentum in hac materia Priocipi subiecta necessariò hanc conditionem includit, *nisi Princeps aliud*

aliud mihi iusserit. Nec hæc remissio est propriè dispensatio aut relaxatio iuramenti; sed prouenit ex tacita conditione in eo intellecta ratione materiæ subiectæ. Ita docet Sanchez *lib. 3. Decalog. cap. 22. num 2.* & multos, ac multa iura allegans Couar. *de pactis 1. part. §. 3. num. 11. versiculo, Principaliter quartò.*

Sanch. Couar.

3. Deducitur secundò, posse principes sæculares per leges ciuiles interpretari, an iuramenta de materia pertinenti ad forum sæcularem sint licita, vel illicita, & quomodo sint intelligenda, quia habent prædicti principes ius interpretandi dispositiones humanas suorum subditorum; sicut habent ius condendi leges, quæ illos obligent. Ita Couarruuias id latius probans *de pactis 1. part. § 3. num. 8. versiculo, Tertium illud,* & Sanchez *lib. 3. Decalog. cap. 22. num. 3.*

Couar. Sanchez.

4. Deducitur tertiò, posse iudices sæculares cognoscere de relaxatione, & dispensatione iuramenti de materia ad forum sæcularem pertinenti facti, per Ecclesiasticum iudicem concessa, quando ea dispensatio seu relaxatio euidenter apparet nulla, vel iniqua. Ita Sanchez citatus *n. 4.* & Felinus *in cap. 1. num. 22 versiculo, Posset etiam, de iureiurando.* Pax *in sua practica 2. part. praeludio 2. num. 38.* & ita respondet Felinus ad caput finale *de exceptionibus, in 6.* vbi dicitur iudicem sæcularem debere sequi sententiam iudicis Ecclesiastici; explicat enim ille ibi, *nisi euidenter nulla, & iniusta appareat,* & idem docet idem Felinus *in cap. 2. num. 3. de sponsalibus,* allegans Anchartanum.

Sanchez. Felin. Paz. Felin.

5. His veluti notatis: Primum dubium hîc insurgens est, vtrùm lex ciuilis, & principes sæculares possint impedire obligationem iuramenti antequam præstetur, hoc est, an possint efficere leges, quibus declarent iuramentum promissorium, & confirmatorium alicuius contractus, distractus, pacti, aut conuentionis, promissionis, &c. fit omnino irritum, ac nullum. Multi id negant, quia iuramentum est vinculum spirituale, ac proinde res spiritualis, ad quam potestas sæcularis se extendere non potest. At veriùs alij affirmant, & hi sunt Couarruuias *de pactis 1. part. §. 3. num 8. & 2. part. §. 1. num 8.* Azeuedo *lege 11. & num. 2.* Vallascus *tom. 1. consult. 99. num. 3. & sequentibus.* Gutierrez *authent. sacram. puber. n. 46. C. si aduersus venditionem.* Barbosa *lege 1. part. 1. num. 73. 74. & 75. ff. solut. matrim.* Molin. *tom. 1. de iust. disp. 149. column. 7. versicule, Ex his colligo.* Et paret ex iure Lusitano *lib. 4. noua ordinat. tit. 73.* vbi iuramenta omnia promissoria, & confirmatoria in pactis, aut conuentionibus, promissionibusque apposita, irrita, ac nulla ipso facto declarantur; similiter ipsi contractus pro irritis, ac nullius momenti habentur, vt vidimus *cap. 18. à num. 9. & deinceps,* & ex iure regni Castellæ *lib. 4. noua collect., tit. 1. lege 11. & 12.* vbi similiter sancitum est, vt in obligationibus, & contractibus nullum apponatur iuramentum, idque sub grauissimis pœnis. Et insuper statuitur, vt contractus, & obligatio, ita iuramento firmata nulla sit; ideo enim Reges, ac Principes sæculares eas leges condiderunt, ne lites alioqui ciuiles ratione iuramenti ad forum Ecclesiasticum trahetentur in fraudem ciuilis fori Dicere autem omnes has leges esse iniustas, & iniquas, durissimum planè est, maximè, quia huiusmodi leges directè, & per se non sunt conditæ in fraudem fori Ecclesiastici, iurisve canonici, sed ad tuendam, & defendendam iurisdictionem regiam sæcularem; nam cum propter iuramentum res, ac lites deuoluantur ad forum Ecclesiasticum iuxta caput finale *de foro compet. in 6.* iustè potuerunt principes sæculares iurisdictionem suam defendere, & interdicere suis subditis, ne alterius superioris iurisdictionem prorogarent, in diminutionem propriæ, maximè ne plurimis expensis, quæ in litibus coram Ecclesiastico iudice fiunt, locum darent, & hoc est fundamentum, quo Couarruuias allegatus iustitiam, & valorem harum legum defendit. Vallascus tamen ex alio principio; nempe ex fama priuilegij iustitiam harum legum tuetur: præsumendum enim, inquit, est Summos Pontifice ex iustissimis causis facultatem condendi has leges Regibus Lusitaniæ, & Castellæ concessisse, alio qui non illas ferrent, nec tolerarent, & in istis, & similibus sufficit fama priuilegij ex Felino *in cap. Cum contingat, num. 4. de fore competenti,* & Nauarr. *ibidem in 1. remedio pagina 552.*

Couar. Azeued. Vallasc. Gutier. Barbosa. Molin. Felin. Nauar.

Sed adhuc inter hos authores, lis est de modo quo huiusmodi leges ciuiles vim iuramenti antequam præstetur, impediant, an impediendo tantùm, ne contractus ab eo iuramento firmitatem accipiat, & relinquendo illum in sua natura, itavt si iure naturali alioqui erat validus, validus maneat: & hoc dici non potest, vt vidimus *cap. 18. à num. 9.* quia in vtroque iure Lusitano, & Castellano additur, *ipsique contractus irriti, ac nulli ipso iure sint.* An efficiendo, ne id iuramentum obliget, itavt nulla amplius illius relaxatione, & dispensatione opus sit, an verò iuramentum obseruandum sit donec relaxetur. Et certè Couarruuias allegatus *dict. num. 8.* asserit iuramentum obligare donec relaxetur, & non posse principes sæculares per leges suas efficere, ne illud ipso facto absque vlla relaxatione obliget, & cum illo videtur consentire Barbosa *dict. lege 1. part. 1. num. 70. & 71. ff. soluto matrim.* At hoc dici non potest, quia leges ciuiles Castellanæ clarè annullant ipsos contractus, ibi, *y la obligacion no valga;* & leges Lusitanæ apertissimè etiam illos ipso facto irritant ibi, *& contractus nullius valoris, ac obligationis sint.* 6.

Barbos.

Minchaca tamen *de success. creat. lib. 3. §. 28. num. 30.* & idem Barbosa allegatus *num. 73. & 74. & 75.* cum Auendaño *2. part. cap. 27. num. 14.* asserunt eam prohibitionem solùm operari, ne is contractus firmitatem iuris ciuilis habeat, sed solam iuris gentium, & canonici; possèque proinde eos quibus præstitum est iuramentum, implorare auxilium, & officium iudicis Ecclesiastici, vt compellat iudicem sæcularem, vt faciat obseruari iuramentum prædictum contractum confirmans, quatenus iure gentium, & canonico est validus. Quamuis Gutierrez allegatus *num. 162.* valde dubius in hac re sit, & potius inclinet non teneri iudicem sæcularem in hac re iudici Ecclesiastico obedire. Imò Vallascus *dict. tom. 1. consult. 99 num. 17.* probat non posse in Ecclesiastico iudicio agi de obseruatione iuramenti in contractu, promissione, aut conuentione appositi, & si agatur, posse iudicem sæcularem Regiæ Coronæ in Regno Lusitaniæ iudicem Ecclesiasticum cogere, vt desistat, cum id fiat in fraudem legis, & iurisdictionis principum sæcularium: quem ibi vide omnino. 7.

Minch. Barbos. Auendaño. Gutier. Valasc.

8. Sed qui rem veriùs attingunt, docent posse principes sæculares per leges ciuiles non solùm ipsa iuramenta promissoria, & confirmatoria; sed etiam ipsos contractus antecedenter reddere nullos,

los, itaut non solum ipsi contractus sint inualidi, quamuis alioqui, nisi prohiberentur, validi iure naturali, vel canonico spectato essent, sed etiam iuramentum ipsum ita irritum prorsus sit, vt nulla relaxatione egeat. quod intelligendum semper est, modò iurans persona laica sit & sibi subdita, & iuramentum in contractibus ad forum ciuilem spectantibus apponatur. Ita docet Molina *tom. 1. de iust. disp. 149 columna 7. versiculo, Ex his colligo.* & Sanchez *lib. 3. Decalog. cap 32. n. 10.* Fundamentum est, quia principes sæculares iure naturali possunt suam iurisdictionem, & potestatem ciuilem sibi à Deo traditam tueri, ac defendere, & ideo possunt antecedenter reddere irritos omnes contractus, & conuentiones, quocumque iure, aliunde validos, qui sibi hanc potestatem, vel auferunt, vel minuunt, & consequenter omnem extrinsecam firmitatem ipsis contractibus ratione iuramenti illis aduenientem reddere irritam; ita vt nulla postea talia iuramenta relaxatione indigeant, non quidem directè, immediatè & per se reddendo ea iuramenta irrita, sed indirectè, & remotè reddendo videlicet ipsum contractum, cui iuramentum innititur, irritum: sublato enim fundamento, tollitur quicquid in eo fundatur, ac stabilitur. Quod Sanchez allegatus in hunc modum probat egregiè: Ecclesia non potuit irritare matrimonium clandestinum immediatè, & directè, quatenus erat sacramentum à Christo Domino institutum; potuit tamen irritare, & de facto irritauit indirectè & mediatè quatenus erat humanus contractus; & sic destructo fundamento, destructum consequenter mansit sacramentum ipsi innitens, vt latè probat Sanch. *lib 3. de matr. disp. 4 n 6.* Sic principes sæculares non possunt directè & immediatè irritare iuramentum, possunt tamen indirectè, & mediatè, irritando videlicet directè contractus humanos iuramento confirmatos, quatenus suæ potestati politicæ sibi à Deo traditæ aduersantur, quibus destructis, consequenter etiam, & indirectè destruuntur iuramenta, quæ illos confirmant; sublato enim fundamento, tollitur quicquid super illud ædificatur. Possunt etiam personas sibi subditas inhabilitare ad celebrandos contractus cum iuramento, & de facto inhabilitant per prædictas leges.

9\. Cauendum hic igitur est à doctrina Mariensi *lib. 5. recopilat. tit. 2. l. 2.* Glossa 3. *num. 7. & 12.* asserentis prohibitionem ciuilem reddere iuramentum illicitum, quia intentio legis & legislatoris est obligare ad peccatum eos qui in contractibus iuramentum apponunt, & sic ratione peccati in iureiurando commissi iuramentum non obligare, tanquam de re illicita; hoc enim fundamentum falsum est, vt optimè animaduertit Barbosa *l. 1. part. 1. num. 75. ff. solut. matrimonio,* quia, vt iuramentum homini præstitum obliget, satis est posse absque peccato impleri, quamuis in eo præstando peccatum fuerit commissum, & quia concedit principibus sæcularibus, vt possint directè, & per se obligare ad peccatum. quod est durissimum.

10\. Animaduertendum tamen est non interdici in huiusmodi legibus Regni Lusitani, & Castellani præstatio & appositio iuramenti in contractibus, qui illud ad suam firmitatem iure exigente necessariò requirunt, vt in contractibus minorum, ne ratione minoris ætatis restitui valeant, vt benè docet Barbosa *l. 1. part. 1. num. 78. & 79. ff. soluto matrim.* Couarr. *de pactis 1. part. §. 2. num. 8.* Gutierrez *authent. sacramenta puber. num. 156. C. si aduersus vendit.* & Auendaño *pract. 2. part. cap. 27. num. 14. & cap. 29. num. 12.* vbi exponunt casus, in quibus interponi potest iuramentum, quia hæc iuramenta non deducunt causam de foro sæculari ad forum Ecclesiasticum.

11\. Secundum dubium hic insurgens est, an possint potestates sæculares suis subditis relaxare obligationem iuramenti iam præstiti. Qua de re partitur opinio. Prima negat omnino Ita Felinus *in cap. 1. num. 21. de iureiurando, & cap. 2. num. 3. de sponsalibus.* Manuel Rod. *tom. 1. summa, in 2. edit. cap. 192. num. 9.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 9. quæst. 6. ad finem.* Couarruuias *de pactis 2. part. § 3. num 8.* Barbosa *l. 1. part. 1. num. 77. ff. soluto matrim.* vbi citat multos. Gutierrez *in authentic. sacrament. puber. num. 46. C. si aduersus vend.* Azeuedo *lib. 4. recopil. titul. 1. l. 11. num. 3.* Ledesma *tom. 2. summa, tractat. 11. cap 4 dub. 3.* Fundamentum illorum est. Primò, quia id solùm ad potestatem Ecclesiasticam priuatiuè spectat; agitur enim in ea relaxatione de relaxatione & dispensatione cuiusdam obligationis spiritualis, & diuinæ, cuius solutio, seu relaxatio ad solam Ecclesiasticam potestatem pertinet; nam ad illum solum pertinet aliquem ab obligatione soluere ad quem pertinet obligare. Atqui obligare ad religionem seruandam, & ad habendam curam illius, pertinet priuatiuè ad Ecclesiam; ergo ad illam & potestatem Ecclesiasticam pertinebit priuatiuè hac obligatione aliquem liberare.

12\. Secunda opinio verior, & probabilior affirmat ad vtramque potestatem Ecclesiasticam & ciuilem relaxationem iuramenti homini facti pertinere, quando iuramentum præstitum est inter personas laicas, & constat de iniustitia iuramenti; nam quando iustitia illius est dubia, & dubium etiam est an validum, vel inualidum sit iuramentum, ad solum iudicem Ecclesiasticum hoc pertinere certum est, vt diximus *num. 1.* Et similiter quando vterque, tam iurans, quàm is cui iuratur, vel is solus cui iuratum est, persona est Ecclesiastica, sola potestas Ecclesiastica poterit remissionem hanc iuramenti facere; quia sola illa est superior illius cui iuramentum factum fuit; si verò is cui iuramentum factum fuit, sit laicus, etiamsi iurans sit clericus, poterit vtraque potestas, cum sit superior illius laici, iuramentum condonare. Ita docuit Sà *in summ. verbo, Iuramentum, num. 29.* vbi ait iuramentum factum in alicuius hominis fauorem posse illum hominem relaxare, vel illius superiorem eo tenuente; & Alexander de Neuo *cap. 1. num. 22. & cap. 2. num. 10. de iureiurando;* & Sanchez *lib. 3. Decalog. cap. 22. num. 14. & 15.* & Molin. *tom. 1. de iust. disp. 149. column. 5. versiculo, Dixi deinde;* sed ex diuerso fundamento. Nam fundamentum Sancij est, quia sicut ille, cui iuramentum factum est, potest illud condonare, ac relaxare, itaut eo condonante liber maneat iurans à iuramenti obligatione: sic princeps ac potestas sæcularis inter sibi subditos nomine ipsius partis quantumuis renitentis illud poterit condonare, quando res promissa ad forum pertinet sæcularem, supplendo consensum in eo casu, quo ipsa eum tali condonationi præstare tenebatur; quia quando subditus tenetur præstare consensum alicui actui, & renuit, potest potestas sæcularis supplere eius consensum, & eo inuito, id efficere, vt facit quando est opus venditione domus, aut alterius rei propriæ; vel ad soluendum liquidum debitum, quod quis nequit creditori

creditori soluere, vel ad publicum aliquod ædificium. Ergo quando pars tenetur condonare iuramentum vtpote per metum, aut iniuriam extortum, potest iudex, illa iniustè contradicente, supplendo consensum eius condonare, nomine ipsius. Et in hoc sensu est verum, quod ait glossa *l. Adigere. in fine. ff. d iure patronatus.* à multis laudata, quos refert Couar. *de pactis 1. part. §. 3. num. 7. initio.* oempe legem ciuilem habere vim Apostolicam, quoad remittenda iuramenta. Fundamentum verò Molinæ est, quia sicut sæculares homines de gremio sunt Ecclesiæ, ac plenissimè subiacent potestatibus Ecclesiasticis, quatenus bonum eorum spirituale, finisque supernaturalis postulat, ideo illæ possunt relaxare iuramenta ipsis facta, quando illi, iniquè illa relaxare nequeunt: sic etiam cum simili modo plenissimè subiacent potestatibus laicis quantum bonum temporale, ac commune Reipublicæ postulat, poterunt ipsæ potestates sæculares illorum similiter relaxare iuramenta illis etiam renuentibus, bono publico petenti Reipublicæ ciuilis maximè, eum virtus religionis ad quam spectat obligatio iuramenti, virtus sit moralis, & non transcendat finem politicum Reipublicæ sæcularis, vt optimè animaduertit Molina.

13. Et verò hæc secunda opinio videtur probabilior, non tamen illa est intelligenda, vt optimè animaduertit Sanchez *dict. lib. 3. Decalogi cap. 22. numero 15. initio.* de vera & propria iuramenti relaxatione, seu dispensatione; quia hæc ad solam spiritualem potestatem, & Ecclesiasticam spectat, vt dicebat prima opinio; sed de condonatione, & remissione obligationis, quam pars ipsa cui iuratur, concedere tenetur, & non volt.

Sanch.

14. Dixi autem *num. 12.* hanc condonationem, seu remissionem posse fieri ab vtraque potestate siue laica, siue Ecclesiastica, quando is cui iuramentum fit, est laicus, si iurans sit clericus; quia ratione illius iuramenti contractus illo, qui eo iuramento fuit confirmatus, mansit mixti fori; & ideo apud vtrumque iudicem potest de hoc contractu lis inteodi; vnde similiter poterit vterque iudex audita, & citata parte eam condonationem facere. Ita Sanchez allegatus *num. 16.* & Molina *dict. tom. 1. de iustitia disp. 149. column. 5. versu, Deinde.* Dixi autem, audita, & citata parte, quamuis id solus Sanchez & non Molina explicuerit; quia quamuis vera & propria dispensatio non requirat cognitionem causæ, vt sit valida, licet illicitè fiat, vt dicemus *capite sequenti num. 2.* modò tamen à parte rei detur vera dispensandi causa: tamen hæc impropria relaxatio, seu condonatio, cum fiat in foro externo, & omninò iurantem à iuramenti obligatione liberet, ac extinguat ius eius cui iuratur, & in ea de præiudicio tertij agatur, necessariò exigitur citatio, & vt pars audiatur; aliàs relaxatio nulla erit, vt patet ex *l. Nam ita Diuus ff. de adoptionibus. & l. finali Cod. de legibus*; & docet Sanchez *lib. 3. Decalogi cap. 21. num. 28.* & Couarruuias *lib. 1. var. cap. 4. num. 5.*

Sanch. Molin.

Sanch. Couar.

15. Ex dictis deducitur hanc iuramenti condonationem non posse fieri à superiori ipsius iurantis; sed necessariò esse faciendam à superiore illius cui iuramentum præstitum est, quia cum in ea exerceatur iurisdictio erga eum cui iuramentum præstitum fuit, condonando loco illius obligationem ipsi præstitam, necessaria est iurisdictio in ipsum, vt optimè animaduertit Molina *tom. 1. de iust. disput. 149. col. 6. fine, & sequenti*, & Sanchez *lib. 3. Decalogi cap. 22. num. 17.*

Molin. Sanch.

Dubitaor verò aliqui, an hæc condonatio debeat fieri à supremo Principe in spiritualibus, an in temporalibus. Respondeo breuiter. Si oporteat iuramentum relaxare ob bonum commune, immediatè pertinet id ad supremum Principem in temporalibus, vel spiritualibus; quia sicut ad supremum Principem spectat directè boni communis procuratio, ita ad illum etiam spectat extinctio iuris à particulari homine acquisiti, quatenus hæc iuris particularis acquisitio bono communi potest officere; ad supremum Principem in temporalibus, quia potest supplere consensum, & voluntatem sui subditi ob bonum commune, quam iniustè negat; ad supremum Principem in spiritualibus, hoc est, ad Papam directè & per se, quia ad eum solum directè & per se pertinet dirigere in bonum spirituale, & obuiare peccatis suorum subditorum, & ouium Christi, iuxta illud. *Pasce oues meas. Matthæi 21.* Si verò condonatio hæc fiat ratione turpitudinis illius, qui iuramentum ea torsit, quia scilicet res per metum, vel per iniuriam promissa est, vt est iuramentum soluendi vsuras, vel accipiens tenetur restituere iuranti rem sub iuramento promissam, potest hanc condonationem facere iudex ordinarius temporalis, vel spiritualis, quia iudex est illius contractus in quo iuramentum fuit appositum. Ita Sanchez *lib. 3. Decalog. cap. 22. num. 18.* 16.

Sanch.

Vltimò deducitur, quando is cui iuratur, est fidelis, & ille qui iurat, infidelis, vtramque potestatem sæcularem vel Ecclesiasticam superiorem illius fidelis posse obligationem istius iuramenti alteri facti relaxare; si autem vterque sit infidelis, vel is qui iurat est fidelis, & ille cui iuratur infidelis, sola potestas sæcularis superior vtrique infideli, vel illius infidelis, cui fidelis iuramentum præstitit, hanc donationem potest facere. Ratio est, quia talis condonatio necessariò facienda est à superiore eius cui iuratur, vt suprà diximus *num. 15.* at quando is, cui iuratur, est fidelis, vtraque potestas est eius superior, ac proinde vtraque poterit hanc condonationem efficere. Quando autem vterque vel solus ille cui iuratur, est infidelis, sola potestas sæcularis est eius superior, quare ad solam illam pertinet hanc condonationem facere. Et ita docet Molina *tom. 1. de iustit. disp. 149. columna 6. fine, & sequenti*, loquens de solo casu, in quo solus is, cui iuratur, est infidelis, dicens solam potestatem laicam huius infidelis posse condonare eam iuramenti obligationem; & Sanchez *lib. 3. Decalogi cap. 22. num. 19.* loquens tam de casu in quo solus ille cui iuramentum fit, est infidelis, quàm de casu in quo vterque est infidelis. 17.

Molin.

Sanch.

Hoc tamen vt dixi *num. 13.* intelligendum est de ipsa condonatione, seu impropria relaxatione iuramenti: nam si loquamur de vera dispensatione, relaxationéque illius prout relaxatio idem est, atque dispensatio, cum hæc solius potestatis spiritualis sit, vt suprà diximus *dicto numer. 13.* non potest habere locum quando vterque, vel solus is cui iuratur, est infidelis, quia hi non subduntur potestati Ecclesiasticæ, vt patet. 18.

Sed quid si iuramentum latroni, tibi vim, & metum incutienti, facias non denunciandi Ecclesiæ; & idem de iuramento facto vsurario, de non denunciando illo Ecclesiæ similiter; & certè grauis inter doctores est quæstio, an id iuramentum obliget. 19.

obliger. Multi enim arbitrantur non obligare, quia iuramentum contra bonos mores, & bonum publicum non obligat; at contra bonos mores, & boonm publicum est, hos noo denunciare. Ita docet D. Thom. 2.2. *quæst.* 89 *art.* 7. *ad* 3. & ibi Caietan. *dubio vltimo circa solutionem ad* 3. & idem D. Thom. *in* 3. *dist* 39 *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiuncula* 2. *corpore.* Abulensis *in cap.* 5. *Matthæi quæst.* 306. *ad finem & quæst.* 260. *paulo ante solutionem ad* 1. Angelus *verbo, Iuramentum* 5. *n.* 12. Syluester *verbo, Iuramentum* 4. *quæst.* 11. *& iurament.* 5. *quæst.* 14. Armilla *verbo, Iuram. num.* 10. Tabiena *verbo, Iurare, quæst.* 10. *num.* 11. Barbosa *l. alin* 15. § *eleganter. num.* 33. *ff. soluto matrimon.* Sà *verbo, vsura, in fine.*

D.Thom. Caiet. Abulens. Angel. Syluest. Armill. Tabien. Barbosa.

20. Ita tamen distinguit Sanchez *lib.* 3. *Decalogi cap.* 21. *ad medium.* Si casus occurrat obligans iurantem ad denunciandum sub præcepto, quia v.c. latro ille tam nefarios, & astuetus latrociniis est, vt bono communi illum denunciare expediat, tale iuramentum ooo obligat; sicut etiam non obligat quando in communibus inquisitionibus præcipit iodex dcounciationem criminum; & quando quis interrogatur iuridicè à iudice; in his enim casibus verum, ait Sanchez, tenet D. Thomæ sententia. Si aotem detur casus, in quo iurans, nec ob bonum publicum teneatur denunciare, nec à iudice præcipiatur, nec interrogetur quantum in se est, & sua sponte, iuramentum obligat; quia est iuramentum homini præstitum; potestque absque peccato impleri; ergo obligat, & ita docet etiam cum Sancio Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 1. *artic.* 7. *ad* 3. *in tertio membro.* Aragonius 2.2. *q.* 89. *artic.* 7. *circa solutionem ad* 3. *in fine* Rodriguez *tom.* 1. *summa in* 2. *editione cap.* 192. *n.* 2. quia tameo semper bono publico huiusmodi homines oequam denunciare expediet, communiter prima opinio est tenenda.

Sanch. Sotus. Arag. Rodrig.

21. Si latro postulet, vt quis iuret, se id gratis, & sine obligatione restitutionis dare, potest id licitè ad redimendam vitam iurare, hæc tamen donatio ooo excusat ipsum latrooem à restitutione, vt docet Sotus allegatus; éstque tunc iuramentum verum in hoc sensu; *Ego, quantum est ex parte mea, volo tibi hanc rem gratis dare, & transferre in te dominium illius instar gratis donantis*: quare habendo eum animum iurat verum, vel potest mente intelligere, gratis dono, id est, nullo pretio recepto. Negant tamen Sotus, & Emanuel Rodriguez *num. præcedenti* allegati, posse hunc ad tuendam vitam huic latrooi licitè iurare, se non illum denunciaturum etiamsi iuridicè à legitimo iodice rogetur. At contrarium dicendum est, vt docet Sanchez *lib* 3. *Decalogi cap.* 21. *num.* 13. *ad finem*, quia cum vitæ periculo nemo tenetur iudici iuridicè etiam rogansi respondere.

Sotus. Sanch.

22. Si verò sit iuramentum de noo petenda relaxatione, existimant Couarruuias, & bene; *de pactis* 2. *part.* § 3. *num.* 3. *versiculo, effectus autem*, & Azor *lib.* 11. *Inst. moral. cap.* 7. *quæst.* 6. id iuramentum noo valere, eo quòd sit contra booos mores, & io præiudicium iurisdictionis, & potestatis publicæ. Addit tamen Couarruuias *ibi*, ad recuperandam rem tutius esse obtinere priùs relaxationem ipsius iuramenti; & id non solùm tutius, sed oecessarium omnino esse docet Sanch. allegatus *num.* 14. cuius opinio est vera.

Canus. Azor.

23. In dispensationibus tamen, & relaxationibus horum iuramentorum, quæ hominibus præstantur, semper attendendum est, ne talis relaxatio cedat in contemptum oostræ religionis Christianæ, vt si captiuus iurasset infidelibus apud quos iniustè detinebatur, se in suæ redemptionis pretium daturum eis mille aureos, vel se intra certum tempus ad captiuitatem reuersurum, nisi eis pretium conuentum mittat, tale iuramentum non poterit relaxari ne detur scandalum infidelibus, & occasio contemnendæ nostræ fidei, ne nomen Domini blasphemetur apud illos. Ita docent communiter DD. Caietanus 2.2. *q.* 89. *artic.* 7. *in dubio* 1. quod mouet circa solutionem *ad* 3. *vers. Ad* 2. *autem confirmationem*, & ibi Arag. *folio* 1078. *col.* 2. *conclus. vltima.* Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 1. *artic.* 7. *ad* 3. *in fine.* Valentia 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 7. *puncto* 4. *columna* 8. *versiculo, mouet autem.* Rodriguez *tom.* 1. *summa. in* 2. *editione cap.* 92. *num.* 9 & Sanch. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 21. *num.* 15.

Caiet. Aragon. Sotus. Valent. Rodrig. Sanch.

Capvt XLVII.

An dispensatio iuramenti promissorij tertio præstiti, vt sit valida, requirat causæ cognitionem; an sufficiat quòd à parte rei detur causa iusta dispensandi, licet non fuerit cognita; & an cum dubia est dispensatio, siue ex defectu potestatis in dispensante, siue ex alia causa, tutus sit ille, cum quo dispensatur.

Svmmarivm.

Refertur prima opinio asserens non valere dispensationem voti, & iuramenti promissorij homini præstiti nulla causa cognitione præmissa. num. 1.

Præfertur opinio asserens valere modò detur causa iusta à parte rei, peccare tamen mortaliter prælatos, si absque causa cognitione dispensent. numero 2.

An id intelligendum etiam sit de eo, qui dispensat ex iure, & potestate delegata, quando in tali commissione præscribitur causæ cognitio. num. 3.

An sit valida dispensatio concessa à confessario virtute literarum sacra pœnitentiaria, vel à diœcesano virtute commissionis Summi Pontif. nisi causæ cognitio in foro externo præmittatur. num 4.

An cum dubitatur de dispensantis potestate possit ille in votis, aut iuramentis dispensare, explicatur quibus modis hæc dubitatio possit contingere. num. 5.

Quid si dubitetur, an superior dispensans sit legitimus superior illius, cum quo dispensat, ita vt vel ipse superior dispensans de hoc dubitet, vel ille cum quo dispensatur. num. 6.

An superior possit licitè, & validè dispensare cum illo, de quo ratione domicilij dubitat, an sit suus subditus, quandiu tale dubium facta conuenienti diligentia vincere non potest. num. 7.

Quid si dubitetur, an potestas ordinaria superioris dispensantis se extendat ad hunc casum, votum, vel iuramentum, an tunc stante eo dubio possit licitè, & validè dispensare. num 8.

Quid quando est dubium facti, & vouens certus est se peregrinationem vouisse, dubitat tamen an fuerit

rit Compostellana, vel alia reseruata. num.9. & 10.

Quid de dubio potestatis delegatæ, vt quando dubitatur, an ad tale votum, vel iuramentum extendatur. num.11.

Quid quando dubitatur de legitima dispensandi causa, an tunc dispensatus sit tutus in conscientia. num.12. & 13.

Quid si dubitetur, an verba dispensationis se extendant ad talem casum, votum vel iuramentum, vt si princeps dispensat in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, & spectatis verbis dispensationis dubitatur, an ea dispensatio sit absoluta; an verò ad effectum tantum illius matrimonij. num.14.

Quid si dubium est, an dispensatus verum, vel falsum expresserit. num.15.

An in omnibus his dubijs dispensatio corruat detecta postea veritate. à num.16. vsque ad 18.

1. CIRCA priorem partem tituli duplex est opinio. Prima ait in neutro foro valere dispensationem voti, & iuramenti promissorij homini præstiti nulla causæ cognitione præmissa; sicut etiam non valet dispensatio in lege superioris facta ab inferiori iudice absque cognitione causæ, etiamsi reuera iusta causa dispensandi daretur à parte rei. Ita docet loquens Suarez. absolutè de dispensatione Suarez *tom 2. de Relig. tract. de voto lib.6.cap.27.num.7.fine*, & loquentes generaliter de dispensatione inferioris in lege Stunic. superioris docent multi. Idem clarè sentit Stunica *quæst. 6. de voto num.* 104. vbi ait non habere Summum Pontificem potestatem relaxandi iuramenta in præiudicium tertij, nisi causa priùs cognita, licet reuera causa subsit, quia errat in suæ iurisdictionis fundamento. & id constat ex definitione dispensationis. Definitur enim sic: Est legis relaxatio præmissa causæ cognitione. Et hanc Nauar. opinionem tenet etiam expressè Nauarrus *in cap.* Imol. *finali num.4. de simonia*, & Imola *l. Quidam consulebant, num.7. fine, & num.8. ff. de re iudicata.* Hyppol. & Hippolitus *in cap. At si clerici, §. de adulterijs, num 106. de iudicijs.* Et videtur constare *ex cap. Necessaria, & cap. Dispensationis 1. quæst. 7.* vbi asseritur temporum varietatem petere aliquando, vt leges relaxentur, adhibita diligenti consideratione, & clariùs patet ex Concilio Tridentino *sess. 25. de reformat. cap. 18.* ibi: *Sciant vniuersi sanctissimos canones exactè ab omnibus obseruandos: quod si vrgens, maiórque ratio quandoque postulauerit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita summáque maturitate, atque gratis à quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

2. At probabilius est, quamuis prælatus teneatur causæ cognitionem præmittere, & peccet mortaliter si temerè, hoc est, si sine causæ cognitione dispenset tanquam in re grauissima abutens potestate sua, exponensque se manifesto periculo irritandi actus, valere tamen pro foro conscientiæ tantùm dispensationem; si reuera aderat iusta causa dispensandi, donec in foro externo irritetur, reuoceturque & in proprijs voti terGabriel. minis: ita docet Supplementum Gabrielis *in 4.* Sanchez. *dist.38. quæst.1. art.5. colum 4. ante finem.* & Sanchez *lib.4. Decalog cap 45. num.6.* & loquens de dispensatione inferioris in lege superioris. Ita doSanch. cet idem Sanchez *lib.8. de matrim. disp. 17. n 11.* Suar. & sub aliquo dubio Suarez *tom. 1. de Religione tract. de diebus festis, lib.2. cap.33. num.13.* Fundamentum est, quia nullibi in iure statuitur hanc dispensationem esse nullam: nam locus Concilij Tridentini æquè loquitur de Papa, ac de inferioribus, cum tamen constet dispensationem Papæ in iure humano absque cognitione causæ validam esse. Loquitur ergo concilium quoad fori externi præsumptionem, & ideo dicit, *subreptitia censeatur*, idest, præsumi subreptitiam in foro externo, & non dicit esse verè subreptitiam in foro interno. Secundò, quia *in cap. Nihil de electione*, dicitur electum sine suæ causæ examine esse eiiciendum cum est indignus; ergo à contrario sensu non eiicitur si dignus sit, quamuis eligentes sine forma præuij examinis illum elegerint. Neque obstat dispensationis definitio; quia ea non comprehendit ea, quæ sunt de dispensationis essentia; sed ea quoque quę desiderantur, vt sit licita: quare dum authores dicunt inferiori censeri commissam dispensationem præcedenti causæ cognitione, intelligendi sunt, vt ritè ac rectè fiat. Et huius opinionis est Innocent. *in capite, Diuersis, num.1. de cleric. coniugatis*, vbi ait Episcopo dispensante absque causæ cognitione in iis, in quibus potest dispensare, teneri dispensationem, vt in collatione beneficij, & donec per superiorem reuocetur, possideri licitè beneficium illud.

Et idem censet Sanchez tam *lib.8. de matrim.* 3.
disp.17. num.11. ad finem, quàm *lib.4. Decalog.* Sanch.
cap 45. num.7. Quando Pontifex, vel Episcopus, vel alius potens dispensare in votis vel iuramentis, siue iure ordinario, siue delegato per aliquam commissionem, & delegationem, nisi in delegatione habeatur specialis forma petens præmitti causæ cognitionem, dispensat in illis legitima causa existenti, quamuis sibi non cognita; peccabit enim mortaliter, at valebit dispensatio in foro conscientiæ, quia eadem est ratio.

Ex quo sequitur inualidam esse dispensatio- 4.
nem concessam à confessario virtute literarum sacræ pœnitentiariæ, vel à diœcesano virtute commissionis Summi Pontificis, nisi causæ cognitio in foro externo præmittatur; quia hoc in illis commissionibus semper petitur; semper enim in illis additur, *si per diligentem examinationem inueneris ita esse, vel preces veritati niti*; quæ verba inducunt formam, & conditionem necessariò seruandam, vt executio illius commissionis valeat, quod satis probat Sanchez *dict. lib.4. De-* Sanchez.
calog. cap. 45. num.8. & lib.8. de matrim. disp.34. num.16. & disp. 35. num. item 16. vbi multis explicatur, quando verba delegationis inducant, vel non inducant formam, & id ipsum quod Sanchez ait, praxis habet.

Circa secundam partem tituli dubium insur- 5.
git, an cum dubitatur de dispensantis potestate, liberum, ac integrum ei sit in votis, aut iuramentis dispensare; ita vt is cum quo dispensatur, sit tutus in conscientia. Et quidem dubium hoc ex multis causis oriri potest. Primò, cum dubitatur an superior qui dispensaturus est, sit legitimus superior. Secundò, cum dubitatur, an potestas dispensandi ordinaria, vel delegata se extendat ad illud votum, vel iuramentum. Tertiò, cum dubitatur an votum, vel iuramentum, in quo dispensandum est, sit reseruatum. Quartò, cum dubitatur, an detur legitima dispensandi causa. Quintò, cum dubitatur, an verba dispensationis se extendant ad hunc casum. v. c. dispensatur à legitimo superiore in voto, aut iuramento seruandæ

dæ castitatis, dubitatur tamen ex dispensationis tenore, an talis dispensatio sit absoluta, ita vt tollatur omnino obligatio illius voti, aut iuramenti, an solùm sit ad effectum illius matrimonij; eo autem soluto, iterum antiqua obligatio voti, aut iuramenti redeat. Sextò, cum dubitatur, an impetrans dispensationem, verum, vel falsum expresserit. Et per omnes hos dubitandi modos discurremus.

6. Si dubitetur, an superior, qui dispensaturus est, sit legitimus superior illius cum quo dispensat, ita vt vel ipse superior de hac superioritate dubitet, vel ille cum quo dispensatur; generaliter tradit Medina (Medin.) *tract. de pœnitentia, in quæstione super confess. reuelanda, ad finem*, in eo dubio peccare semper tam ipsum superiorem dispensantem, quàm eum, cum quo dispensatur, si ea dispensatione vtatur, eo quod vterque se peccandi periculo exponat. Verùm hæc sententia sic generaliter accepta omnino displicet. Quare sic distinguendum est; si superior sit in possessione superioritatis, & iurisdictionis dispensandi, dubitet tamen ipse, vel dispensatus, de legitima superioritate in illum, cum quo dispensatum est, non potest tali potestate spoliari, & dispensatio valida est, donec adhibita conuenienti diligentia, non sola opinione, sed scientia moraliter certa de defectu ipsius potestatis constet, & ideo tutus erit is, cum quo dispensatur, & ipse dispensans tutè etiam dispensare potest, & tenetur dispensare petentibus subditis, quandiu sufficienti diligentia apposita sibi non constat, & moraliter certus non est de defectu ipsius potestatis. Ita docet Sanchez (Sanch.) *lib. 4. Decalog. cap. 44. num. 2. & cap. 32. num. 4* Probatur, quia etiam coniux dubius de matrimonij valore tenetur reddere, & licitè reddit, petente altero coniuge, si diligentiam apposuit ad assequendam veritatem, & ea apposita, dubium vincere non potuit, & sic donec dubium vincat, & de nullitate matrimonij certus sit, tenetur reddere, vt latè probat idem Sanchez (Sanch.) *lib. 2. de matrim. disp. 41. num 47. & disput. 44. num. 3.* Dixi, *petentibus subditis*, quia tunc est quasi reddere, & actus iurisdictionis voluntarios exercere nequit; iste autem actus est iurisdictionis necessariæ non voluntariæ, est enim actus iurisdictionis forensis. Si verò superior non sit in possessione superioritatis, nullo modo poterit, nec licitè, nec validè eam dispensationem concedere, nec dispensatus ea dispensatione vti poterit. Ratio est, quia sola ea possessio suffragari potest in hoc dubio.

7. Hinc sequitur, si dubitetur, an is cum quo est dispensandum, sit subditus superioris dispensantis ratione domicilij, aut quasi domicilij acquisiti in ea diœcesi necessarij ad subiectionem requisitam ad potestatem dispensandi, nequire prælatum cum illo dispensare nec licitè, nec validè, quandiu tale dubium, facta conuenienti diligentia, vincere non potest, quia non habet possessionem superioritatis dispensandi in illum, sed eam habet prælatus veri domicilij. Ita idem Sanchez (Sanch.) *lib. 4. Decalog. cap. 44. num. 2. fine.*

8. Si dubitatur, an potestas dispensandi se extendat ad illud votum, vel iuramentum, tunc quidem vel potestas dispensandi est ordinaria vel delegata; si est ordinaria, aut dubium est iuris, aut facti, aut vtriusque simul. Si dubium est iuris, vt quando constat de voto, vel iuramento emisso, & propter opinionum varietatem dubitatur an sit reseruatum, nec ne; potest superior dispensare; quia tunc non censetur tale votum, aut iuramentum reseruatum, vt docent Sanchez (Sanch.) *lib 4. Decalog. cap. 40. num. 26.* & Suarez (Suarez.) *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib 6. cap. 26. num. 6.* Ratio est, quia cum reseruatio sit odiosa, est restringenda ad casus moraliter certos; dubij enim casus non comprehenduntur sub tali reseruatione.

9. Si est dubium facti, & potestas est ordinaria, vt cum vouens, vel iurans, certus est se peregrinationem iurasse, vel vouisse: dubitat tamen, an fuerit Hierosolymitana, vel Compostellana, an alia non reseruata; & similiter certus est, se aliquid ad castitatem pertinens vouisse, vel iurasse, dubitat tamen, an absolutam castitatem vouerit, cuius solummodo votum est reseruatum; an solam partialem, & ad tempus, cuius votum non est reseruatum, vt ad 10. annos, vel sex annos; & in hoc dubio videtur sic distinguendum; nam si sit aliqua possessio pro voto, vel iuramento reseruato, non poterit inferior Pontifice dispensare. v. c. si vouens, vel iurans certus est, se vouisse castitatem, dubitat tamen an intenderit promittere omnimodam castitatem; tunc quidem possessio est pro voto, & promissione omnimodæ castitatis, & in eo solus Papa dispensare poterit; quando tamen vouens, vel iurans non meminit verborum continentium castitatem, aut aliam promissionem reseruatam, tunc quidem possessio est pro libertate vouentis, & promittentis, vt censeatur ad id quod minùs est ligata.

10. At reuera, re bene inspecta, dicendum est in neutro casu votum, aut iuramentum esse reseruatum; & id à fortiori dicendum est, quando dubitatio est simul iuris, & facti. Ita Sanchez (Sanchez.) *lib. 4. Decalog. cap. 44. num 3. ad finem*; quia regula est communis, quam tradit ipse Sanchez (Sanch.) *ibid. cap. 40. num. 26.* vt in dubio quamuis non sufficienti ad euadendam voti, vel iuramenti obligationem, nunquam censeatur votum reseruatum, quia reseruatio ex natura sua est valde odiosa, & ideo restringenda.

11. Si autem potestas est delegata, potest contingere dubium iuris dupliciter: primo modo ex parte ipsius potestatis, quia est limitata, & dubitatur, an ad id votum, vel iuramentum extendatur, & tunc præsumitur extendi, & sic poterit dispensari. Et ratio est, quia potestas dispensandi est fauorabilis; est enim gratia, & fauor, quem Princeps à se aufert, & alteri committit in bonum animarum, & nemini nocet, nisi soli Principi, qui eam potestatem à se aufert. & multis prodest, & beneficia, gratiæ, & fauores principum latissimè sunt amplianda; vnde quoties dubium est, an hæc potestas ad aliquem casum, vel votum, aut iuramentum dispensandum extendatur, ad illud censenda est extendi. Ita docet Sanch. (Sanch.) *lib 4 Decalog. cap. 44. num. 4. & lib. 8. de matr. disp. 2. num. 1.* Decius (Decius.) *cap. At si clerici, §. de adulterys, in noua edit. limitatione 2. num. 96. de iudicys*, & ibi Hyppolitus (Hyppol.) *num. 91.* & Stunica (Stunic.) *de voto quæst. 6. num 57.* Syluester (Syluest.) *verbo, Priuilegium, quæst. 3.* Alexander (Alexand.) de Neuo *in capite, Quod dilectio. de consang. num. 15.* Iason (Iason.) *in l. Beneficium, ff. de de const. princip. num. 19. & 32.* Vallascus (Vallasc.) *consilio 60. num. 3. volum. 1.* Fumus (Fumus.) *verbo, Priuilegium, num. 4. & 5.* Angelus (Angel.) *ibi, num. 3.* Tabiena (Tabien.) *ibi, quæst. 3. num. 4.*

12. Si dubitatur, an detur legitima dispensandi causa, & tunc si Prælatus proposita prius causa, quam quis habet, dispenset, tutus erit subditus

in

in conſcientia vtendo tali diſpenſatione, quia in eo dubio ſtandum eſt ſuperioris iudicio, vt optimè tradunt D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *ad* 2. D Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. *nono, notabili* 3. Syluester *verbo, votum* 4. *quæſt.* 6. Tabiena *verbo, diſpenſatio quæſt.* 10. *num.* 12. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12 *ad* 2. Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de diebus feſtis cap.* 33. *num.* 3. *& tom.* 2. *tractatu* 6. *de voto lib.* 6. *cap* 17. *num.* 6. *&* 20. *& tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 41. *ſect.* 3. *in fine.* Sayro *in claui regia lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 25. & Sotus *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. *art.* 2. *columna antepenultima.* vbi aſſerit diſpenſationem voti à Pontifice conceſſam abſque cauſa, eſſe irritam; & ſtatim addit, *ſi ſit error manifeſtus, & nulla cauſa iuſta præſumatur*; & clarius *lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 4 *art.* 3. *ad* 2. *in fine*, vbi aſſerit diſpenſationem in voto eſſe irritam, quando manifeſtè conſtat nullam eſſe cauſam. Et ratio eſſe poteſt, quia, vt ſuperior legitimè diſpenſet, & diſpenſatus ſit in conſcientia tutus, non opus eſt, vt cauſa ſit manifeſtè iuſta; ſed ſatis eſt eam eſſe dubiam, vt docet Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 45. *num.* 10. & ſpeciatim *num* 36. *&* 39. Syluester *verbo, diſpenſatio quæſt.* 14. *num.* 10. *fine.* & Palatios *in* 4 *diſt.* 38. *diſp.* 3. *columna* 6. *verſiculo, Eſt igitur diſpenſatio, folio* 865. vbi aſſerens diſpenſationem exigere cauſam iuſtam, ſtatim addit; *& per cauſam huiuſmodi ſubaudi non euidenter iuſtam, ſed probabilem, vel dubiam*; & ratio eſt, quia in benigniorem partem eſt ſemper in eo dubio inclinandum; & credendum eſt ſuperiores facultatem habere diſpenſandi ſtante dubia cauſa; nam id perit, & bonum, ac ſuaue regimen Eccleſiæ, & authoritas ſuperiorum; eſſet enim illorum poteſtas expoſita multis occaſionibus ſcrupulorum, ſi ad ſolas cauſas certas, & indubitatas extenderetur, & vix ſuperiores diſpenſare auderent. Et hanc doctrinam credit veram Sanchez *lib* 4 *Decalogi cap.* 44. *num.* 6. *fine*, non ſolùm, quando ipſe Prælatus diſpenſat, ſed etiam, quando alius ex ipſius commiſſione, aut priuilegio diſpenſat, quia in eo actu fungitur ſuperioris vice.

[Margin: D. Thom. D Anton. Syluest. Tabien. Aragon. Suarez. Sayro. Sotus. Sanch. Syluest. Palat. Sanch.]

13. Hinc ſequitur eos DD. qui dicunt non præſumi dari cauſam iuſtam in principe diſpenſante in iure diuino naturali, cuius obligatio eſt voti, ac iuramenti, intelligendos eſſe in foro externo; & illos, qui aſſerunt non credi Prælato dicenti ſe ex iuſta cauſa diſpenſaſſe dum in lege ſuperioris diſpenſat, quos refert Sanchez *lib.* 8. *de matr. diſp.* 17. *num.* 14. intelligendos etiam eſſe de eodem foro externo vt optimè animaduertit Sanch. *lib* 4. *Decalogi cap.* 44. *num.* 6. *ad finem.*

[Margin: Sanch.]

14. Si dubitatur, an verba diſpenſationis ſe extendant ad hunc caſum; vt cum v. c. à legitimo ſuperiore diſpenſatum eſt in voto, vel iuramento ſeruandæ caſtitatis ad contrahendum matrimonium, dubitatur tamen ſpectatis verbis diſpenſationis, an ea diſpenſatio ſit abſoluta; ita vt vouens, vel iurans omnino, & totaliter liberetur ab obligatione voti, & iuramenti, an ſolum ſit ad effectũ illius matrimonij contrahendi. In tali dubio cẽſendũ eſt, eam diſpenſationem non eſſe totalem; ſed ſolùm ad effectum illius matrimonij. Ratio eſt, quia licet poteſtas diſpenſandi ſit fauorabilis, & extendenda ad caſum dubium; vt probauimus *num.* 11. tamen ipſa diſpenſatio cum ſit mors iuris, eſt odioſa, & reſtringenda; ita vt ſaluentur ſolùm verba illius. Et ita docet Sanchez *lib* 4. *Decalogi cap* 44 *num.* 8. *& lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. *à num.* 3 Decius Hyppolitus, & Stunica *num.* 12. allegati cum gloſſa finali *in l. Beneficium. ff. de conſt. Princip.*

[Margin: Sanchez. Decius. Hyppol. Stunic.]

Si dubium eſt, an impetrans diſpenſationem verum, vel falſum expreſſerit; tunc quidem cum in hoc dubio delictum non præſumatur iuxta legem, *merito, ff. pro ſocio*, ſtandum erit pro diſpenſationis valore, vt docet Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 44. *num.* 9. Si tamen quis certus eſt, & non dubius, ſe aut verum tacuiſſe, aut falſum pro vero expreſſiſſe, dubium tamen eſt, an ea cauſa vera tacita, vel falsò expreſſa ſit finalis, ita vt veritate non tacita, & cauſa verè expreſſa, non concederetur diſpenſatio; ea diſpenſatio erit irrita. Si verò dubium eſt an cauſa ſit impulſiua, & aliàs concederetur talis diſpenſatio; tunc quidem ea diſpenſatio erit valida, & non vitiabitur. Ita docet Sanchez *lib.* 8 *de matrim. diſp.* 21. *num.* 25. Si autem dubitatur, an cauſa tacita, vel falsò expreſſa ſit finalis, vel impulſiua reſpectu Principis diſpenſationem concedentis, præſumendum eſt, eſſe impulſiuam, & non finalem, & ſic valere diſpenſationem, vt optimè probat idem Sanchez modò allegatus *à num.* 20. *vſque ad* 25. 15.

[Margin: Sanch.]

Rogabis tamen ad finem huius capitis. An in omnibus his prædictis dubiis diſpenſatio conceſſa ſit inualida; detecta poſtea veritate in contrarium. Reſpondeo in hoc puncto varia diſtinctione vtendum eſſe, nam ſi dubium erat de ſola ſuperioris poteſtate v. c. an ille eſſet legitimus ſuperior nec ne, ſi reuera ille habebat titulum, etiamſi titulus ille ratione alicuius vitij occulti eſſet inualidus, & ideo communiter exiſtimatur legitimus ſuperior, valebit diſpẽſatio conceſſa, licet poſtea detegatur veritas, & eum non eſſe legitimũ ſuperiorem, compertum ſit: ſi verò detegatur eum caruiſſe, & non habuiſſe titulum ſaltem coloratum collatum à legitimo ſuperiore, non valebit diſpenſatio. Ita Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 45. *num.* 10. Ratio eſt, quia in priori caſu valent geſta à iudice, ſiue ille ſit ordinarius, ſiue delegatus; ſiue geſta pertineant ad forum externum, ſiue ad internum iuxta legem *Barbarius. ff. de officio Prætoris*: ſecus autem in poſteriori caſu. Vtrumque latiſſimè & doctiſſimè probat Sanchez *lib.* 3. *de matrim. tota diſput.* 22. 16.

[Margin: Sanch. Sanch.]

Si ex aliis cauſis ortum ſit dubium, vt quia dubitatur, an poteſtas illius ſuperioris delegati extendatur ad hunc caſum; aut an id votum, vel iuramentum ſit reſeruatum; aut an cauſa ad diſpenſandum aſſignata, fuerit ſufficiens: exiſtimat Sanchez, & bene, *lib.* 4. *Decalogi cap.* 44. *num.* 10. *ad medium*, diſpenſationem tunc bona fide conceſſam non corruere, ſed eſſe validam detecto poſtea vitio, & veritate in contrarium. Ratio eſt. Primò, quia cum in his dubiis poteſtas diſpenſandi ſit legitimè conceſſa, ſuperior legitimè illa vſus eſt, & conſequenter valor actus non pendet tunc à futuro euentu. Secundò, quia cum in hoc dubio caſus ille non ſit reſeruatus, potuit ſuperior in illo diſpenſare, & talis diſpenſatio non conditionalis, ſed abſoluta cenſetur, ac proinde à nullo futuro euentu pendens. Tertiò, quia bonum regimen Eccleſiæ, & recta ratio hoc poſtulant, nec aliter vitarentur innumeri ſcrupuli, quibus perpetuò illaquearentur animæ. 17.

[Margin: Sanch.]

Vltimò ſi dubium ſit ortum ex cauſa veritatis tacitæ, aut falſæ cauſæ expreſſæ; aut an illa fuerit finalis an impulſiua, corruet, & non valebit diſpenſatio, veritate poſtea in contrarium detecta; quia hoc non pertinet ad ſuperioris poteſtatem, quæ in bonum Eccleſiæ eſt latè interpre- 18.

tanda, sed ad solam veritatem illius voluntatis indagandam spectat, quæ est dispensare iuxta propositam tantummodò sibi veritatem. Ita docet Sanchez *lib.4. Decalogi cap. 44. num. 10. ad finem.* Sanch.

Capvt XLVIII.

Quomodo tollatur obligatio voti, vel iuramenti ex parte commutationis. Qui & quomodo possint vota in melius, æquale, vel in minus commutare.

Svmmarivm.

Quid sit commutatio, & an causam requirat, & cur. num.1.

An quis possit sua vota, & iuramenta promissoria Deo, & Sanctis emissa, sua propria authoritate in melius commutare. num.2.

An id possit efficere, quando dubitatur, an materia in quam commutat, sit melior. num.3.

Quid si cum formidine opinio detur æqualitatis. num.4.

An ea possit commutare sua propria authoritate quando res est euidenter æqualis. numer. 5. vsque ad 7.

Non potest fieri hæc commutatio propria authoritate vouentis, & promittentis in id, quod minus est. num.8.

Quid si æqualitas vtriusque materiæ est certa, & dubium est, an materia subrogata sit melior. numero 9.

An vouens certam religionem possit propria authoritate aliam æquè bonam ingredi. num.10.

Vouens, aut iurans dare hunc certum, & determinatum filium religioni, an satisfaciat dando alterum filium pro illo. num.11.

In rebus vsu consumptibilibus, vt in oleo, vino, aut frumento satisfit voto si vouens, vel iurans det aliud æqualis valoris. num.12.

Res sacratæ non possunt conuerti in prophanum vsum, quamuis meliorem absolutè loquendo; & ita interpretandus est D. Thomas cum ait, res sacras non posse in melius commutari. num.13.

Non est tutus in conscientia, qui propria authoritate suum votum, vel iuramentum in æquale commutauit. num.14.

An sit valida commutatio in æquale vel authoritate propria, vel superioris facta, à numer. 15. vsque ad 20. & an tunc si fiat authoritate superioris peccet, vel non peccet superior, & an mortaliter, vel venialiter. ibid.

An votum ingrediendæ Religionis possit quis sua propria authoritate commutare in susceptionem Episcopatus. num.25.

An votum subsidij terræ sanctæ commutari possit in votum religionis. num.22.

An vota nouitiorum personalia emissa ante nouitiatum possint commutari vel authoritate propria nouitiorum; vel authoritate Prælati in exercitia probationis, donec vel professionem faciant, vel egrediantur. num.23.

1. Commvtatio nihil aliud est, quàm mutatio obligationis alicuius voti, vel iuramenti circa vnam materiam facti, in aliam materiam meliorem, vel æqualem. Vnde patet nunquam fieri posse hanc commutationem licitè, & validè fioe iusta causa. In hoc enim differt commutatio, & dispensatio ab irritatione, quòd hæc commutatio, scilicet, & dispensatio semper iustam causam requirant, irritatio verò nullam causam requirit præter nudam, & solam voluntatem illius qui potestatem habet irritandi. Ita docent communiter DD. Nauarrus *in summa Latin. cap. 12. num. 65.* D. Thom. 2. 2. *q. 88. art. 12. ad 1.* Caietanus ibi, & alij. Et ratio est, quia per dispensationem tollitur omnino obligatio voti, aut iuramenti; per commutationem mutatur ex hac materia in aliam. Vt autem superior vicem Dei gerens hanc obligationem, quæ de iure diuino est, & huic materiæ est alligata, aut omnino tollat, aut in aliam materiam commutet, necessariò iusta causa requiritur; nam potestas illius non est ad destructionem, sed ad ædificationem Ecclesiæ iuxta D. P. 2. *ad Cor.* 10. esset autem ad destructionem, si sine vlla causa, sed pro mero suo arbitratu hanc obligationem posset tollere omnino, aut commutare. Iusta autem causa erit ad commutandum, quando materia voti, aut iuramenti effecta est inutilis, mala, aut minùs bona, vel minùs decens; & verò huiusmodi causa iusta, quæ requiritur ad commutanda vota, vel iuramenta, solùm requiritur ad illa commutanda in id quod euidenter melius est. Vnde in omni promissione Deo, & Sanctis facta semper intelligitur hæc conditio inclusa. *Voueo aut promitto hoc, nisi voluero hanc promissionem in aliam materiam Deo gratiorem commutare.* Et id patet ex natura voti, quod nihil aliud est, quàm promissio Deo facta de re bona meliori non contraria; ita vt melior materia semper maneat in voluntaria electione vouentis. Nauar. D. Thom. Caiet.

His notatis, sic primò Statuo. Vnusquisque vouens, aut iurans potest sua vota, & iuramenta promissoria Deo, & Sanctis facta sua propria authoritate in id quod euidenter est melius, commutare. Est communissima sententia; quam docent communiter authores. Caietanus 2.2. *quæst. 88. art. 12. paulo post principium, & in summa verbo, votum cap. vltimo, versu, rationabilis autem.* Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 49. num. 4.* Henriquez *lib. 5. de pœnitent. cap. 20. num. 5.* Toledo *lib. 4. summa cap. 18. num. penultimo.* Azor *tom. 1. Inst. moralium lib. 11. cap. 18. quæst. 1. & cap. 10 quæst. 1.* Valentia 2.2. *disp. 6. quæst. 6. puncto 7. columna 9. versiculo, hac ipsa ratione.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 40. dub. 11. num. 87.* Sà *in summa, verbo, votum, vbi de irritatione votorum, num. 10.* Suarez *tom. 2. de Religion. tractat. de voto lib. 6. cap. 18. à num. 4.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap. 12. num. 5.* Anton Gom. *in Bulla cruciata, clausula 10. n. 112.* Mauel Rodtiguez *ibidem § 7. num. 105. & tom. 2. summa cap. 100. num. 4. conclus. 4. initio.* Nauarrus *in summa Lat. cap. 12. num. 75.* Couatruuias *de pactis 1 part § 7. num 4. art. 3. colum. 2. versiculo, at de commutatione.* Aragonius 2.2. *quæst. 88. artic. 12. dub. 1. dict. 1.* Ludou. Lopez 1. *part. Instr. conscient. cap. 49. fine.* Graphis 1. *part. decision. lib. 2. cap. 30. num. 1. & 5.* Sorbus *in compendio priuileg. mendicant. verbo, votum, in suis adnotationibus, notabili 2.* Patet ex *capite, Peruenit 2. de iureiurando* ibi. *Promissum non infringit, qui illud in melius commutat.* & ex *capite, Scripturæ, de voto.* vbi dicitur, *reum fracti voti non esse, qui temporale obsequium, in perpetuam noscitur religionis obseruantiam commutare.* Vbi Summus Pontifex nullum priuilegium concedit professioni in religione. sed apertè 2. Caiet. Sanch. Henriq. Toled. Azor. Valent. Lessius. Sà. Suarez. Sayro. Ant. Gom. Rodrig. Nauar. Couar. Arag. Lud. Lop. Graph. Sorbo.

apertè declarat ipsam rei naturam, & asserit reum fracti voti non esse, qui illud in id quod euidenter melius est, qualis est professio, commutat. Patet etiam ex *cap. Licet de regularibus*, vbi de licentia petita, & non obtenta licet transitus à laxiari religione ad strictiorem, eo quod commutetur votum, & detur ascensus in id quod euidenter est melius, & perfectius. Probatur euidenter rationibus. Primò, quia in eo, quod euidenter melius est, continetur id quod minus bonum est. Vnde dando melios excellenter soluis id, quod Deo & Sanctis promisisti: licet enim homo non semper gratius, imo nec fortè gratum habeat id, quod euidenter melius est, & ideo sine consensu creditoris vnum pro alio illi soluere nequeamus, vt habetur *inst. quibus modis tollitur obligatio, statim in principio*. Vnde *in l. Mutuum, ff. de rebus credit. Si certum petatur*, §. 1. dicitur, *aliud pro alio inuito creditore solui non potest*. Deus tamen, & Sancti semper gratius habent id quod melius est, & ideo excellenter soluit, & se liberat à voti, & iuramenti obligatione ille, qui sua propria authoritate rem euidenter meliorem Deo, & Sanctis soluit. Secundò, quia in votis, & iuramentis promissoriis emissis Deo, & Sanctis; semper hæc conditio intrinsecè cernitur inclusa. *Hoc promitto, vel aliud melius*, seu *hoc promitto, nisi in melius hanc promissionem voluero commutare*. Est enim votum promissio facta Deo de re bona meliori non contraria; quare semper in electione voluntatis vouentis, & promittentis est, melius eligere. Quamobrem hæc in melius commutatio non est actus superioritatis, aut iurisdictionis; sed quædam excellentior voti, aut iuramenti obligationis solutio, ex tacita Dei, & Sancti creditoris facta. Hinc votum recitandi septem psalmos pœnitentiales poteris, tua propria authoritate, in votum faciendi sacri commutare: votum seruiendi perpetuò in Xenodochio in votum religionis; & omnia vota personalia in realia; & hæc realia in votum religionis; & votum religionis laxioris, in votum religionis strictioris, petita, & non obtenta facultate. Neque obstat illud Leuitici cap. vltimo. *Animal autem quod immolari potest Domino si quis vouerit, sanctum erit, & mutari non poterit, nec melius in malum, nec peius in bonum.* Nam, vt ibi ostendit Oleaster Lusitanus,

Oleaster. Suarez.

& docet Suarez *tom. 2. de Religion. tract. de voto cap. 18. num. 15.* Lex illa fuit cæremonialis, & cum cæremoniis legis veteris expirauit, & ideo nunc vim obligandi non habet.

3\. Dixi, *in id, quod euidenter est melius*: quia si dubium sit, an res sit melior, nemini licet hanc commutationem sua propria authoritate facere.

Caiet. Sotus. Sanch. Nauar. Lessius. Suarez. Azor. Couar. Angel. Angles. Valent. Graphic. Sayro.

Ita docet Caietan. 2. 2. *quæst. 88. art. 12. paulo post principium versu, Et confirmatur.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 4 art 3. colum. 4. versu, At verò quando in dubio.* Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 49. num. 7.* Nauarrus *in summ. Lat. cap. 12. num. 75.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 11. versu, Ad primum.* Suarez *tom 5. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 18. num. 8.* Azor. *tom. 1. inst. moral. cap. 11. quæst. 1.* Couarr. *de pactis 1. part §. 3. num. 4. versiculo, Ego verò.* Angelus *verbo, Votum 4. num 2. fine.* Angles *in floribus 2. part. quæst. vnica, de voto art. 8. difficult. 4. conclus. 1. & 2.* Valentia 2. 2. *disp 6. q. 6. punct. 7. colum. 9 versiculo, Hac ipsa ratione.* Graphis 1. *part. decision. lib. 2. cap. 10. num. 5. & 6.* Sayro *in claui regia lib. 6 cap 15. num 5.* qui omnes asserunt exigi necessariò euidentem excessum, nec sat esse si dubium detur de hoc excessu. Et id probari potest ex *cap. 1. de voto*, vbi dicitur à prælati arbitrio pendere, an peregrinatione promissa sit melior recompensatio consideratis circunstantiis personæ, loci & temporis, & hoc arbitrium in solo casu dubio esse necessarium; vbi enim res est euidens, eo arbitrio non opus est. Probatur ratione efficaciter, quia in dubio melior est conditio possidentis. Quare cum Deus ratione voti in possessione sit rei promissæ, & iuris ad illam, & in illa, necessariò illi erit soluenda materia promissa in propria specie, in qua Deus per votum ius comparauit, nisi vouens, aut iuramento promittens velint rem soluere euidenter meliorem.

Hinc sequitur primò, non satis esse moralem certitudinem simul cum formidine excessus materiæ subrogatæ, id est, non satis esse opinionem probabilem, qua quis probabiliter putet hanc materiam excedere, quia etsi hæc certitudo satis sit ad rectè operandum; non tamen satis est, ad soluendum vnum pro alio, quando de voluntate creditoris non constat expressè. Et ratio est, quia hic assensus opinatiuus non facit euidentem excessum, sed solùm probabilem: at sola probabilitas non satis est ad alterum sua possessione priuandum; sed requiritur euidentia. Cum ergo Deus ius possideat post votum reddendæ sibi materiæ promissæ, non potest iustè eo spoliari ob solam probabilitatem excessus materiæ subrogatæ. Ita docet Sanchez *dict. tom. 2. Decalog. lib. 4. cap. 49 num. 8.* 4.

Sanch.

Hinc sequitur secundò, non posse fieri hanc commutationem propria vouentis, aut iurantis authoritate in id quod euidenter est æquale. Nam licèt hac de re triplex sit opinio, & prima id affirmet, modò subsit causa iusta commutandi, & constet rem esse æqualem euidenter, quam tenent Maior *in 4. dist. 38. quæst. 3. colum. 3 versiculo, Tertiò arguitur.* Medina *lib. 1. summæ, c. 14. §. 7. vbi agit de commutat. votorum, regula 2.* Henriquez *lib. 5. de pœnit. cap. 20. num. 5. & lib. 7. de indulgent. cap. 30. num. 5.* Ioannes Benedictus *in summa de peccatis, lib. 1. cap. 9. paulo ante finem.* Manuel Rodrig. *tom. 2. summa, cap. 100. num. 4. conclus. 4. initio.* & Sotus *lib. 7. de iustit. quæst. 4. art. 4. col. 2. versiculo, At de commutatione*, quamuis postea, vt statim dicam, sententiam mutauerit, & Sà *in summa, verbo, Votum, num. 10. vbi de irritat. votorum*, & id esse probabile dicant Aragon. 2. 2. *quæst. 88. art. 12. dub. 1. dict. 3.* & Suarez *tom. 2. de Relig. tract de voto lib. 6. cap. 20. num. 4. initio*, & Alcocer *in summa cap. 16. vbi de commut. votor. conclus 6. fol. 58. pag. 1.* tantùm enim vocat oppositum probabilius, & Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 40 dub. 11. n. 91.* vbi oppositum tantùm vocat tutius; & omnes his fundamentis ducti; quia Deus, & Sancti non solùm id, quod melius est, gratius habent, sed etiam id, quod euidenter est æquale, æquè gratum habent; vnde cum vtraque materia æquè grata sit Deo, & Sanctis, nihil refert, vtra illarum à promittente eligatur; tali enim electioni Deus semper censetur annuere: nam vtrumque opus absque voto factum æquè placet Deo, & æquè illud acceptat; ergo, post votum, & promissorium iuramentum factum æquè etiam placebit, alioquin votum, & promissio minuerent meritum operis, & efficerent, vt res minus grata sit Deo, quod absurdum est dicere. 5.

Maior. Medin. Henriq. Ioan. Bened. Rodrig. Sotus. Sà. Aragon. Suarez. Alcocer. Lessius.

Secunda verò solùm asserit solummodo posse fieri, authoritate superioris, vel confessoris, non 6.

Viuald. Lessius.

propria, quam speciatim de confessario loquendo tenent Viualdus *in 3. part. candelabr. cap.14. num.15.* & Lessius *lib. 2. de iust. cap. 40. dub.11. num 91.*

Suarez. Suarez. Angel. Caiet. Sotus. Couar. Alcocer. Cordub. Tolet. Azor. Sayro. Rodrig. Sorbo. Suarez. Graph. Philiarc. Petr. Ledes. Angles.

6. Tertia tamen, quæ asserit, non posse propria vouentis, aut iurantis authoritate hanc commutatiunem fieri in rem æquè euidenter bonam, nec etiam authoritate confessarij carentis potestate delegata ad commutandum: est verior, probabilior, & tenenda, & hanc loquendo expresè de huiusmodi confessario, tenent Sanchez *lib.4. Decalog. cap 49. num.12. & 13.* & Suarez *tom.2. de Relig. lib.6. cap 19. num.6.* loquendo verò absolutè tenent Angelus *verbo, Votum 4. num.2.* Caietanus *2. 2. quæst. 88. art.12. colum 8. versiculo, Et confirmatur hoc, in fine,* & *in summa, verbo, Votum, cap. vlt. versiculo, Rationabilis autem.* Sotus *lib.7. de iustit. quæst. 4. art.12. colum 4 versiculo, At verò quando in dubio.* Couarr. *de pactis 1 part. §.3. num 4. versiculo, Est enim prælati.* Alcocer. *in summ. cap.16. vbi de commut. votorum.* Cordub. *in summ. quæst.149* Toletus *lib 4. summa, cap.18. num. penult.* Azor. *tom.1. inst. moral. lib.11.c.18. quæst.2.* Sayro *in claui regia lib. 6. cap.12. num.8.* Rodriguez *in Bulla Cruciata, § 9. num.106.* Sorbo *in compendio mendicantium, verbo, Votum, in suis adnotat. notabili secundo,* Suarez *tom. 2. de Relig tractat. de voto cap.19. à num.3.* Graphis *1. part. decision. lib.2. cap 30. num.6.* Cosmus Philiarchus *de officio sacerdot. tom.1. part.2. lib.3. c.22. ad finem.* Petrus de Ledesma *tom.2. summa, tractat.10. cap. 7. in fine tertia partis, dict. 3.* Angles *in florib. 3. part. quæst vnica, de voto art.8. difficult. 4. & 6. in 2. conclusione.* Et fundamentum est, quia potestas, & iurisdictio ordinaria confessoris consistit solummodo in foro interno, & nullo modo extenditur ad forum externum; potestas autem commutandi vota, & iuramenta, & dispensandi in illis ad forum externum Ecclesiæ pertinet. Ergo, nec etiam authoritate confessoris carentis potestate delegata ad commutandum potest hæc commutatio in bonum æquale fieri, & ideo censetur in hoc ipse confessor eadem ordinaria potestate carens, quasi persona priuata. Deinde, quia non est certum acceptari à Deo eam commutationem in æquale, propria authoritate, priuatæ personæ factam, cum nulla vtilitas in tali acceptatione eluceat; ergo necessariò facienda erit authoritate prælati vicem Dei gerentis, & illius voluntatem interpretantis. Tertiò, quia in hac æqualitate semper promissa materia excedit, eo quòd ad Dei cultum semper spectet perseuerantia in priori voluntate, vbi aliquid maius loco illius non præstatur, quo compensetur excessus ille resultans ex priori voluntate voto Deo oblata. Vnde quamuis ante votum, & iuramentum æquè placeat Deo, & Sanctis, vtraque res oblata, si sit omnino æqualis, tamen post votum, & iuramentum magis placet illa, quæ voto aut iuramento promissa fuit, quàm quæ sine voto, cum iam ad cultum Dei, & religionis specialiter ratione voti, ac iuramenti pertineat. Vnde constat supposita promissione non esse vtramque materiam æquè gratam Deo; sed gratius esse illi perseuerare in materia specialiter promissa, vbi nullus est excessus materiæ subrogatæ. Tandem, quia cum difficillimum sit, & ferè impossibile attingere hanc æqualitatem, non est creditu dignum id commissum fuisse à Deo cuilibet vouenti, & promittenti, maximè quia in propria causa nemo potest rectus iudex huius æqualitatis esse, & hinc constat solutio ad fundamenta contrariæ opinionis.

7. Sequitur tertiò, non posse fieri hanc commutationem, propria authoritate vouentis, & iuramento promittentis, in id quod inæquale, & minus est: nam si non potest fieri in id quod euidenter est æquale, à fortiori fieri non poterit in id, quod inæquale, & minus est. Neque tunc id erit commutatio, sed partim commutatio, partim dispensatio, vt alibi cum de dispensatione egimus, diximus; ad dispensationem autem iurisdictio, & potestas superioris requiritur, vnde à priuata persona propria authoritate fieri non poterit.

8. Si tamen æqualitas vtriusque materiæ est certa, & dubium est, an materia subrogata in quam fit commutatio, sit melior, in hoc casu admittit Sanchez *dict. lib.4. Decalog. cap 49. num.14.* sententiam dicentem posse propria authoritate votum, & iuramentum commutari in rem æquè bonam; quia quando vtriusque materiæ æqualitas est certa, & euidens, & dubium probabile est, an posterior in quam fit commutatio, sit melior, tunc euidens est commutationem cedere in maiorem Dei honorem, cum possit augere, non minuere Dei cultum. Ego hanc sententiam Sancij approbo propter illius fundamentum; est enim valde rationi consentaneum, vt patet. Sanch.

9. Ex dictis sequitur quartò, promittentem certam religionem non posse propria authoritate aliam diuersam ingredi æqualem, quod probant authores, & rationes factæ pro tertia opinione *num.6.* explicatæ; maximè, quia difficillimum est de hac æqualitate in hac materia iudicare, & magis difficile de ea iudicare in hac materia, quàm in aliis materiis.

10. Quod si votum, aut iuramentum esset de ingredienda religione in hoc peculiari monasterio talis ordinis, licitum sanè erit propria authoritate aliud eiusdem ordinis ingredi, & quia determinatio huius potius monasterij, quàm illius eiusdem religionis fuit prorsus accidentaria; & quia in eo voto non fuit intentum à vouente religionis ipsius commodum, sed proprium spirituale vouentis, quod in vtroque idem est, & eiusdem rationis, & ideo votum in propria specie impleri censetur. Ita docet Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 49. num. 15. post medium.* Suarez *tom.2. de Relig tract. de voto lib 6 cap.19. num.11.* limitat tamen hoc Suarez, nisi in priori monasterio obseruantia regularis magis vigeat, & elucescat, & id etiam limitat Sanchez (& vterque bene limitat) nisi aliqua peculiaris maioris diuini obsequij ratio vouentem, ac iurantem induxerit ad id determinatum monasterium promittendum, vt si remotum esset à propria patria, & consanguineorum familiaritate, & sic aptius esset ad seruiendum Deo, seclusis sæcularibus curis, vel si esset aptius ad asperiorem vitam, ad vacandum Deo, & orationi, vel ad promptiùs proximorum saluti incumbendum, vel ad quemcunque alium finem maioris obsequij diuini. Sanch. Suarez.

11. Sequitur quintò, vouentem, vel iurantem tradere hunc filium determinatum religioni, non satisfacere huic voto, & promissioni tradendo alium filium pro eo; quia cum commutatio fiat in rem æqualem, nequit propria authoritate fieri. Ita docet Sanchez *lib.4. Decalog. cap.49. num.17.* D. Anton. *2. part. titul.11. cap. 2. §.8. notabili 4.* Syluester *verbo, Votum 4. quæst.7. dist.6.* Quod tamen Sanch. D Anton. Syluest.

tamen intelligit, & bene, Sanchez allegatus, nisi ille filios, qui religioni traditur omnibus circunstantiis expensis sit melior, ac accommodatior religioni illi, quia tunc commutatio esset in melius. Nec filius promissus tenetur ingredi religionem, vtpote, qui paterno voto ligari nequiuit, nec ipse vouit, sed votum patris tradendi filium solùm obligauit patrem ad proponendum id filio, & ad eum mouendum inclinandumque ad religionis ingressum, non tamen ad illum cogendum.

12. Sequitur sextò in rebus, quæ vsu consumuntur, bene satisfieri voto, non dando rem determinatè promissam; sed aliam similem eiusdem bonitatis, vt in vino, oleo, frumento, &c. nisi peculiaris alia ratio obstet. Et ratio est, quia non est moralis mutatio inter hæc, sed quasi idem reputantur: quod secus contingit in aliis, quæ non vnico actu consumuntur; vt si promittas Ecclesiæ seruum, non satisfacies dando valorem; nec si promittas pecuniam, satisfacies dando calicem eiusdem valoris pecuniæ promissæ; quia cum hæc non eidem vsui deseruiant, nec inter illa sit tam familiaris, & assidua transmutatio, & possit materia promissa esse vtilior, aut commodior promissario acceptanti, non impletur votum nisi in propria specie promissa; & ideo commutari nequit propria authoritate in id æquale. Ita Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 19. num. 12.* & Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 49. num. 16.*

Suarez. Sanch.

13. Sequitur septimò, explicandum esse dictum D. Thomæ *2. 2. quæst. 88. art. 10. ad. 1*, vbi asserit votum alicuius rei consecratæ non posse in melius commutari; quod idem sentire videtur Abulensis *in cap. 30. Numerorum, quæst. 102. & in cap. vltimo, Leuitici, quæst. 33.* nam sic intelligendi sunt, vt velint dicere res consecratas, non posse conuerti in prophanum vsum, quantumuis meliorem, cum calix consecratus promissus vni Ecclesiæ possit alteri pauperiori applicari, & sic votum in melius commutari ante acceptationem Rectoris ipsius Ecclesiæ (& an etiam post statim dicemus:) vt bene docet Suarez *eodem tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 18. num. 12.* & poterit etiam commutari hoc votum in aliam rem euidenter meliorem, vt diximus.

D. Thom. Abulens. Suarez.

14. Ex dictis constat nullatenus esse tutam commutationem propria authoritate in æquale factam, nec illum esse tutum in conscientia; qui illam propria authoritate fecit, quia, vt diximus, moraliter loquendo, difficillimum est vtriusque materiæ æqualitatem euidenter nosci; quod animaduertit prudenter Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 4. art. 3. columna 2. versiculo, At de commutatione*, asserens enim forte commutari posse propria authoritate votum in id quod est euidenter æquale, statim addidit, si certum esse posset apud Deum rem esse æqualis valoris, & Emanuel Rodriguez *in Bulla Cruciata §. 9. num. 106.* hanc æqualitatem pene impossibilem reputat; & Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 19. num. 4.* difficillimam esse ait. Quod inde etiam confirmatur, quia quando fit authoritate prælati, licet tunc non requiratur hæc æqualitatis certitudo, sed satis sit æqualitas dubia, vt suprà diximus, consuluntur tamen DD. ab ipsis prælatis, vt tuta fiat commutatio.

Sotus. Rodrig. Suarez.

15. Dubitabis tamen primò, an sit valida commutatio facta in rem æqualem, aut minorem absque legitima causa, siue fiat authoritate propria, siue prælati. Et huic dubio per has legitimas conclusiones respondeo.

Prima est. Quando commutatio fit authoritate prælati manifestè absque causa iusta in rem æqualem, valet prædicta commutatio. Et ratio est, quia adfuit potestas in superiori, voluitque commutare, & in solo modo deliquit. Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 51. num. 7. & 3.* & in numero septimo, addit optimè ipse Sanchez nihil in ea commutatione esse supplendum, cum substantiæ illius nihil defuerit, sed solùm defuerit rationabilis potestatis vsus, idque in re leuissima, cum leuissima causa ad commutationem faciendam requiratur, vt latè probat Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 50. num. 22.* Vnde patet hoc peccatum superiorum solùm esse veniale, non mortale. Quod idem egregiè probat ipse Sanchez *dict. lib. 4. Decalogi cap. 51. num. 15.* Vnde non placet Suarez *tom. 2. de Religione tractatu de voto lib. 6. cap. 19. num 14.* vbi ait prælatum commutantem votum in rem æqualem absque iusta causa peccare grauiter, eo quòd excedat suam potestatem, & quantum est ex se, faciat actum de se nullum. Addit tamen ferè semper excusari prælatum, eo quod parua causa ad commutationem requiratur; nam cum ille solùm excedat rationabilem suæ potestatis vsum in re leuissima, vt diximus, nunquam grauiter, ac mortaliter, sed semper leuiter, ac venialiter peccabit. 16.

Sanch. Sanch. Suar.

Secunda conclusio. Si commutatio fiat in id quod minus est authoritate prælati, nulla subsistente causa, ad minuendum; valebit commutatio cum sola obligatione supplendi id quod defuit ad æqualitatem materiæ subrogatæ. Hæc est contra Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 20 num. 7.* tantùm enim dicit valere commutationem, cum, nulla subsistente causa, fit authoritate superioris in rem æqualem; non valere tamen, cum fit in rem minorem, & inæqualem, eadem nulla causa subsistente; & statim addit, si esset iusta commutandi causa, putam commutationem factam in minus valere partialiter, cum sola obligatione supplendi defectum ad æqualitatem; cum tamen docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 51. num. 8.* Et ratio est. Primò, quia defectus causæ, vt ipsemet Suarez docet, non pertinet ad vitiandum commutationis valorem, sed ad potestatis abusum: quare etsi superior absque causa votum commutet in rem minorem, non corruet, nec inualida erit ipsa commutatio, sed solùm peccabit superior contra rectum, & rationabilem vsum suæ potestatis (mortaliter, aut venialiter statim dicemus.) Secundò, quia idem est ius de toto ad totum, & de parte ad partem *l. Quæ de tota ff. de rei vendicat.* Ergo si valida est commutatio quoad votum quando fit in rem æqualem, etsi desit iusta causa commutandi, valebit etiam quoad illam partem in qua est æqualitas eum materia, cum obligatione tamen reficiendi inæqualitatem, idque etiamsi absque vlla causa facta fuerit commutatio in minus. Tertiò, quia mitiùs agitur cum Deo, quàm cum hominibus. *l. Celsus, ff. de receptis arbitris.* Qua ratione potest pater irritare vota realia filiifamiliâs puberis, vt docet glossa *legis 2. verbo, non obligatur, ff. de Pollicitat.* cum nequeat obligationem ipsius filiifamiliâs puberis cum homine contractam cassare: sed inter homines commutatio iniusta ex defectu æqualitatis inter res permutatas non est irrita, sed valida, cum obligatio supplendi defectum, vel excessum, vt constat ex *l. 2. C. de rescind. vendit.* vbi quando venditio fuit vltra dimidium iusti pretii, datur electio venditori conuento per emptorem 17.

Suarez. Sanch.

deceptum, vt restituat excessum pretij aut venditionem rescindat, in quo supponitur valere venditionem cum hac tamen venditoris electione. Ergo à fortiori idem erit dicendum in commutatione voti, quæ est contractus initus à vouente cum Prælato, nomine Dei.

18. Suarez. An verò peccet tunc superior mortaliter, vel venialiter, est dubium. Suarez *tom. 2. de religione tractatu de voto lib.6. cap.19. num.14.* asserit peccare mortaliter prælatum commutantem vota absque vlla causa in rem æqualem; quare à fortiori dicet, eum peccare mortaliter si illa commutet in rem minorem, & in æqualem absque vlla iusta causa. Sed credo venialiter tantùm peccare; quia commutatio illa est valida; & aliunde non tam magna causa sufficit ad hanc commutationem faciendam, vt eius omissio peccatum mortale inducat.

19. Tertia conclusio. Si commutatio voti, à vouente propria authoritate fiat, siue fiat in bonum æquale, siue in minus, absque vlla causa, talis commutatio non est irrita, sed valida; tenetur tamen vouens vel prius votum implere, vel supplere id quod commutationi defuit, vt sit in bonum euidenter melius, & sufficiet tunc propria authoritate supplere id quod ad commutationem in rem euidentem meliorem faciendam defecit. Ita Sanchez *lib.4. Decalogi cap.51. n.11. & 12.* Probat, quia si aliquis debitor dolosè solueret creditori suo quinquaginta aureos existimanti creditore se accepisse septuaginta, satisfaceret suæ conscientiæ restituendo eam summam, quæ deficiebat ad implendos septuaginta aureos: ergo etiam ille, qui propria authoritate rem in minus, aut in rem æqualem commutauit, satisfaciet conscientiæ suæ si propria authoritate suppleat id, quod defecit ad faciendam commutationem in rem euidenter meliorem. An autem
Suarez. iste tunc mortaliter peccet, est dubium. Suarez *tom.2. de religione tract. de voto lib.6. cap.19. numer.14.* expresè asserit commutantem, propria authoritate, votum suum, aut iuramentum in rem euidenter æqualem, peccare mortaliter, nisi ignorantia excusetur adhærendo opinioni affirmanti id licere. Fundamentũ illius est, quia etsi appareat modicus defectus, cum reddatur æquale, at quia nihil prorsus facit cum ea commutatio sit irrita, peccabit mortaliter habens animum non implendi illud, quamuis animum habeat materiam subrogatam exequendi. Et à fortiori dicet peccare illum mortaliter, si hanc commutationem propria authoritate faciat in minus.

20. Sanch. At melius Sanchez existimat *lib. 4. Decalogi cap. 51. num. 16.* nec etiam subditum peccare mortaliter, sed solùm venialiter, si votum commutet in rem euidenter æqualem, quia est infidelitas in re modica, quæ deficit, vt res illa sit melior: sicut veniale tantùm est percaiguum quid rei promissæ omittere. Sicut etiam venialiter tantùm peccaret ille fur, qui rem venditioni expositam quinquaginta argenteis furto auferret si restitueret totum illud pretium dimidio argenteo, aut vno argenteo minus; quia sicut furtum illius paruæ quantitatis non esset mortale ratione paruitatis materiæ, ita nec omissio restitutionis
Petr. Led. illius. Et ita docet etiam Petrus de Ledesma *tom.2. summæ, tract.10. cap.8. in fine tertiæ partis, vbi agit de commutatione votorum post tertium dictum, versu, Pero la tal commutaçion.* Et idem dicendum est si commutatio fiat à subdito in rem minorem, modò illud minus non sit tanta quantitas, quæ sufficiat ad peccatum in prædicta materia. Dixi *in prædicta materia,* quia hoc propriè loquendo non est furari, nec spectat ad furtum, sed est infidelem esse in reddenda re voto promissa, & maior quantitas arbitrio prudentis requiritur ad peccandum mortaliter in materia fidelitatis, quàm in materia furti, vt patet.

Addubitant aliqui vtrùm votum ingrediendæ religionis possit quis sua propria authoritate commutare in susceptionem Episcopatus? Affirmat 21.
Viualdus *in candelabro aureo, vbi de voto cap. 14. num. 73.* quia Episcopatus est status euidenter Viuald.
melior ac perfectior, quàm status religionis; est enim status perfectionis acquisitæ. At status religionis est status viæ ad acquirendam perfectionem; est enim religio schola perfectionis, vt probat Plato *de bono statu religiosi, cap. 21.* & do- Plato.
cet D.Bernard. *homilia 4. super missus est.* vbi eam D.Bernard.
scholam humilitatis & virtutum appellat. Vnusquisque autem potest sua propria authoritate, sua vota in id quod euidenter est melius, commutare, vt probauimus *num. 2.* Negandum tamen est cum melioribus authoribus. Ratio est, qui status Episcopalis dicitur perfectus, non quia hominem perfectiorem, Deóque gratiorem efficit, quàm status religionis; sed quia secundùm rectum ordinem perfectionum supponit; est enim status postulans perfectam charitatem, quâ Episcopi, vt veri pastores ad imitationem Christi Domini, veri animarum nostrarum Episcopi, ac pastoris, animam suam ponere debent pro ouibus suis. Vnde licèt absolutè loquendo status Episcopalis sit melior, ac perfectior, quàm status religionis; quia supponit perfectionem acquisitam; tamen hîc, & nunc, & in hac suppositione potest hæc perfectio deficere in persona Episcopi. Vnde hîc, & nunc non est Deo gratius vt illum amplectaris, imò gratius erit Deo si religiosus fias, quàm si fias Episcopus; quia, vt dixi, status religionis est via ad perfectionem. Vt enim variæ sunt disciplinæ literarum, armorum, aliarumque artium, eæque singulæ suos habent magistros, sua gymnasia; ita virtutum disciplina in religione traditur, vt si religionem definire velimus, iure eam virtutis scholam appellare possimus; in religone autem nunquam potest deficere via virtutum, & directio, ac instructio ad illas, &, si deficit, iam non est religio; & ideo cum status religionis ad virtutem dirigat, & ad perfectionem, & in hoc deficere non possit, inde hîc, & nunc gratior est, quàm status Episcopalis. Ita
docet Lessius *tom. 1. de iustit. lib.2. cap.40. dub.6.* Lessius.
in editione Venetiana, num. 103. & Abulensis *in* Abulens.
cap. 30. Numer. quæst. 94. Et patet expresè ex *capite penultimo de voto*, vbi habetur, eum, qui in sæculo vouit in religione profiteri, & post tale votum fuit ad Episcopatum electus, debere Episcopatum resignare, & votum implere, si suæ conscientiæ velit consulere.

Ex dictis sequitur etiam votum subsidij terræ 22.
sanctæ commutari propria authoritate posse in votum religionis, quia votum religionis euidenter est melius, Deóque gratius. An verò commutari possit, si votum illud ab Episcopo, vel Summo
Pontif. sit acceptatum, dubitat Lessius *tom. 1. de* Lessius.
iust. lib. 2. cap. 40. dub. 16. n. 106. in edit. Veneta. vers. Hinc sequitur; tunc enim ius acquiritur Ecclesiæ ad tale subsidium. Vnde saltem, inquit Lessius, sumptus præstandi erunt. Verùm non placet, quia hîc non agimus de sumptibus, & expensis, neque hæ formaliter vouentur, sed tantùm agere debemus

debemus de re, & obsequio formaliter, & expressè Deo promisso in voto. Vnde si constat illud obsequium esse euidenter melius, constat etiam illud à vouente sua propria authoritate in id quod est euidenter melius commutari, ideo nisi obstaret ipsa acceptatio, sine dubio posset vouens illud commutare, & ideo ante acceptationem poterit, post acceptationem non poterit, iuxta ea quæ dicemus *cap. sequenti.*

23. Sequitur denique vota nouitiorum personalia ante nouitiatum emissa posse durante nouitiatu tam authoritate prælati, quàm propria commutari in exercitia probationis, donec vel professionem faciant, vel egrediantur. Quòd *authoritate prælati* possint, non est dubium, quia hic potest etiam illa irritare seu suspendere absque vlla commutatione, vt nouitij melius per exercitia nouitiatus probari possint, vt docet Syluester *verbo, Votum 4. quæst. 7.* & Lessius citatus *versu, Dico tertiò*, idque ipse vsus confirmat: non enim solent commutari, sed suspendi, donec per professionem quodammodo expirent. Quòd etiam *authoritate propria*, probatur, quia hæc commutatio fit in illud quod euidenter est melius; facta autem huiusmodi commutatione, si nouitius egressus fuerit ante professionem, redibit prior obligatio; sicut quando fuit sopita, seu suspensa executio, quia solùm facta est commutatio pro tempore nouitiatus. Ita Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 16. num. 107. in edit. Veneta.* De votis realibus nouitiorum putat ibidem Lessius posse etiam commutari in onera nouitiatus authoritate prælati, quia, inquit, cum per illa nullum sit ius acquisitum tertio, non video, cur non possint sicut alia commutari.

Syluest. Lessius. — Lessius.

Capvt XLIX.

Vtrùm possit quis sua propria authoritate suum votum, vel iuramentum promissorium reale factum in fauorem tertij post illius acceptationem in melius commutare.

Svmmarivm.

Quibus modis fieri possint vota, vel iuramenta in fauorem tertij propter Deum. num. 1.

Refertur prima opinio asserens non posse quenquam sua propria authoritate sua vota, vel iuramenta promissoria in melius commutare dando rem alteri pauperiori, si verba voti, aut iuramenti primario dirigantur ex se vel ex intentione vouentis in Deum, vel Sanctos, vt cum dicitur: Voueo Deo, vel iuro Deo, me daturum tali Sancto, vel tali pauperi, vnum calicem, vel vnam vestem. num. 2.

Quid de authoritate Episcopi. num. 3.

Refertur secunda opinio asserens posse id fieri, & authoritate propria, & Episcopi. num. 4.

Si votum, vel verba iurantis, aut vouentis dirigantur in Sanctum, cui dicata est Ecclesia, vt cum dicitur: Voueo, *vel* promitto D. Antonin, me daturum eius Ecclesiæ centum, *ante acceptationem Rectoris Ecclesiæ potest quis illud in melius commutare, dando alteri Ecclesiæ pauperiori: idem si quis dicat,* Voueo, *vel* promitto, me daturum Petro pauperi decem. *Nam ante acceptationem illius poterit vouens in melius hoc votum commutare sua propria authoritate dando alteri pauperi egentiori.* num. 4 & 5.

Quid post acceptationem. num. 6.

An excipiantur aliqui casus in quibus post acceptationem possint hæc vota, & promissiones authoritate superioris in melius commutari. num. 7. & 8.

Quis sit tunc superior, qui id possit efficere. n. 9.

Refertur tertia opinio docens etiam post acceptationem Rectoris Ecclesiæ, vel pauperis, quibus facta est promissio, posse quemquam illam in rem euidenter meliorem sua propria authoritate commutare. num. 10.

Iudicium authoris. num. 11.

Soluuntur fundamenta tertia, & primæ opinionis. num. 12.

An post acceptationem tertij possit quis sua vota in melius commutare; quando ex intentione vouentis purè propter Deum, & nullo habito respectu ad pauperem illa emisit. num. 13.

Quid in dubio, an saltem secundariò habitus sit talis respectus. num. 14.

Dvplicitér hæc vota, aut iuramenta promissoria fieri possunt. Primò, cum quis ita dicit, *Voueo Deo, aut iuro, vel sub iuramento Deo promitto, me daturum tali Sancto, vel Ecclesiæ vnum calicem, aut me celebraturum hoc anno festum talis Sancti, aut me daturum tali pauperi centum*; ita vt promissio illa aut votum in solum Deum, vel Sanctum dirigatur, vel primariò in Deum dirigatur, secundariò in Sanctos, Ecclesiam, vel pauperes. Secundò, cum quis dicit, *voueo, aut iuro, seu sub iuramento promitto me daturum tali Ecclesiæ, vel Sancto, aut tali pauperi hanc, vel illam rem*, ita vt promissio in talem Ecclesiam, vel in talem pauperem, vel Sanctum primariò dirigatur; secundariò verò dirigatur in Ecclesiam, pauperem, vel Sanctum. His notatis, 1.

Est hac de re triplex opinio. Prima docet, si verba voti, aut iuramenti promissorij dirigantur primariò vel ex se, vel ex intentione vouentis, aut iurantis in Deum, & Sanctos, posse quemquam sua vota, aut iuramenta, sua propria authoritate, in melius commutare; quia tunc soli Deo, & Sanctis acquiritur ius in rem voto, aut iuramento promissam, quibus gratum est illam in melius commutari, secus si primariò, & per se dirigantur in Ecclesiam, vel in pauperem; tunc enim asserit non posse vouentem, aut iurantem votum, aut iuramentum in melius commutare; & eam rem alteri Ecclesiæ, aut pauperi egentiori donare ante acceptationẽ Rectoris ipsius Ecclesiæ, vel ipsius pauperis. Ita docet Syluester *verbo, Votum 4. quæst. 7. dict. 4.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. c. 19. quæst. 12.* vbi citat Caietan. *in opusc. tom. 2. tract. 11. quæst. 3.* Angel. *verbo, Votum 4. dict. 4.* Nauarr. *in manuali Lat. cap. 12. num. 78.* & Lessius *lib. 2. de voto cap. 40. dub. 6. num. 104. versu, Sed quid si addatur promissio. in edit. Veneta.* Et ratio illorum est. Primò, quia Ecclesia, vel pauper cui votum, aut promissio facta est, acquisiuit ius in rem sibi eo voto, vel iuramento promissam; non quidem tale quo dominium rei acquirant, sed quo ius habeant petendi illam in iudicio, vt vouens, vel iurans id quod vouit, aut iurauit sibi soluat, vt patet ex *cap. Ex parte de censibus.* Secundò, quia in causis pus lege canonica 2.

Syluest. Azor. Caiet. Angel. Nauar. Lessius.

ius acquiritur abſenti ante acceptationem, vt colligitur io *l. Illud C. de ſacroſanct. Eccleſijs*, & docenr multi, quos citat, ſed non ſequitur Sanch. (Sanch.) *lib. 1. de matrim. diſp. 6. num.16.* Quare in damnum huius tertij nemo poterit abſque conſenſu illius etiam in melius commutare.

3. Imò quòd nec etiam authoritate Epiſcopi, ſed ſolius tantùm Summi Pontificis poſſit tale votum, ac iuramentum in melius commutari, docent Archidiacoous, Rainenus, & Directorium citati à Syluestro *loco allegato*. (Syluest. Rosell. D Anton.) Docet etiam Roſella *in ſumm verbo, Votum 5. num 6.* D. Anton. 2. *part. tit. 11. cap. 1. § vltimo, verſiculo, De temporali ſubſtantia*, & (Sarmiento,) Sarmiento *lib. de reddit. Eccleſ. part 4. cap. 3. num. 3. & 4. & in defenſorio illius 1. part. monito 71.* vbi aſſerit ex voto facto certæ, & determinatæ Eccleſiæ, vel pauperi acquiri ius ipſi Eccleſiæ, & poſſe ſolum Summum Pontificem hoc votum in melius commutare. Secus ſi locus pius vel Eccleſiæ eſſent indeterminata; quia tunc poteſt Summus Pontifex etiam contra vouentis voluntatem in tali voto habere arbitrium. Et hi hanc opinionem ex eo fundamento probant, quòd Eccleſia, & pauper determinatus, cui votum vel iuramentum factum eſt, & ad quem verba fuerunt directa etiam ante acceptationem, acquirunt ius ad petendam eam rem io iudicio, non quidem ius dominij, quo dominium rei promiſſæ ante acceptationem acquirant, ſed ius vtile, quo in iudicio poſſunt rem promiſſam à vouente, vel iurante repetere: & ideo inquiunt hi authores, non poteſt Epiſcopus ſine conſenſu Eccleſiæ, vel pauperis illius, cui votum, aut iuramentum factum fuit in præiudicium illorum, & iuris ſui acquiſiti, illis inuitis, io melius ea vota commutare, applicando rem promiſſam alteri Eccleſiæ, vel pauperi egentiori.

4. Secunda opinio docet, poſſe non ſolum Epiſcopum; ſed etiam vouentem, ac iurantem ſua propria authoritate ſua vota, & iuramenta noo ſolùm incertæ Eccleſiæ, & indeterminato pauperi facta, ſed etiam certæ, aut determinatæ, in melius commutare, & rem promiſſam dare alteri Eccleſiæ pauperiori, aut pauperi egentiori ante acceptationem Rectoris Eccleſiæ, aut ipſius pauperis abſentis, ſecus poſt illam; tunc enim aſſerit id fieri non poſſe, niſi de illorum conſenſu. Ita docet expreſsè Sanchez (Sanchez.) *lib 4. Decal c. 41. num 7.* loquens expreſsè de authoritate Epiſcopi, *& num. 11* loquens *de authoritate propria*; & Tabiena (Tabien.) *verbo, Diſpenſatio, quæſt. 12. num. 4. ad finem*. Armilla (Armill.) *verbo, Diſpenſare, num. 21.* Ludouic. Lopez (Lud. Lop.) *part. 1. inſtruct. conſc. cap 49 verſiculo penultimo*. Syluester (Syluest.) *verbo, Votum 4. quæſt. 7. dict. 4.* Angelus (Angel.) *verbo, Votum 3. num. 26.* Graphis (Graph.) *1. part. deciſion. lib. 2. cap. 30. num. 11. & 12.* loquuntur de vtraque authoritate tam propria, quàm Epiſcopi, & aſſerunt tunc ſolùm acquiri ius irreuocabile Eccleſiæ, vel pauperi determinato per votum, & promiſſionem, quando ipſa Eccleſia, vel pauper ſciens acceptat, & non ante; etiamſi in inſtrumento publico, & coram teſtibus fiat. Docet etiam Suarez (Suarez.) *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 15. num. 2. fine*, & Sayro (Sayro.) *in claui regia lib. 6. cap. 11. num. vlt.* & Viualdus (Viuald.) *in candelabr. 3. part. cap. 14. num. 16.* & Leſſius (Leſſius.) *lib. 2. de iuſt. cap. 40. dub 11. num. 90. & cap. 41. dub. 12. num. 58. fine.* vbi petunt acceptationem Rectoris Eccleſiæ, vt ius irreuocabile acquiratur. Docent etiam Nauarrus (Nauar.) *in ſumm. Lat. cap. 12. num. 78.* vbi aſſerit hoc eſſe iuxta mentem D. Thom. (D Thom.) *lib. 4. ſent. diſt. 38. q. 1. art. 2. & 2. 2. quæſt. vltim. art. 3. & in tract. de redditibus Eccleſiaſt. in noua edit. quæſt. 1. monit 60. per totum, in antiqua apologia in libr. de reddit. quæſt. 1. monit. 71.* Palatios (Palat) *in 4. diſt 38. diſput. 3. colum. 30. à verſu, At verò vota, fol 877.* Angles (Angles) *in floribus 2. part. quæſt vnica, de voto art. 8. difficultate 6. poſt ſecundam propoſitionem.* Henriquez (Henriq.) *lib. 7. de indulgent. cap. 30. num. 5. in commento, litera K. & num. 6.* Et fundamentum horum omnium authorum eſt. Primò, quia vt etiam fatentur contrariæ opinionis authores, non competit illi certæ Eccleſiæ, loco pro, aut determinato pauperi ante acceptationem ius compellendi vouentem, ac promittentem ad ſoluendum votum per modum actionis; ſed ſola vtilis actio implorandi officium iudicis, vt compellat vouentem, & promittentem ad exequendum votum, aut promiſſum: at quoties hæc ſola actio competit alicui, non dicitur habere ius ad rem, vt conſtat in fratribus minoribus, qui ad legata illis ſoluenda poſſunt implorare officium iudicis, cum tamen nullum ius ad ea comparent. Secundò, quia multo probabilius eſt non acquiri ius pauperibus, Eccleſiis, & locis piis ad promiſſiones & donationes ipſis factas donec acceptent, vt latiſſimè, & doctiſſimè probat Sanchez (Sanch.) *lib. 1. de matrimon. diſp 6. num. 16.* debet enim hæc acceptatio fieri modo humano, vt fiat accommodatè ad vſum hominum. Tertiò, quia cum huiuſmodi vota fiant principaliter Deo, & in eius honorem, obligatio ipſi acquiritur; & ipſe eſt propriè loquendo creditor, & Eccleſia, paupérve tantùm deſignantur, vt materia, & obiectum circa quam religionis cultus eſt Deo exhibendus; Deus autem ſemper gratius habet id, quod éuidenter eſt melius, & ex his reſponſum manet ad fundamenta contrariæ opinionis.

Imò etiam ſi votum, & promiſſio dirigatur in Sanctum cui dicata eſt Eccleſia, vt ſi dicatur, *promitto D. Antonio me daturum eius Eccleſiæ calicem*, adhuc dicendum eſt ante acceptationem Rectoris ipſius Eccleſiæ poſſe hoc votum in melius propria authoritate commutari; quia votum quamuis fiat Sancto, eſt promiſſio Deo facta, & Deus ſemper gratius habet id, quod melius eſt. Vnde omnia in eo voto reperta intelligenda ſunt iuxta ipſius voti naturam, vt ſoli Deo ius vtile acquiratur; & ita docent Caietan. (Caiet.) *in ſuis quodlibetis, tom. 2 tract. 11. qui eſt de voto quæſt. 3. verſiculo, Nec oportet in huiuſmodi votis.* Leſſius (Leſſius.) *lib. 2. de iuſtit. cap. 40. dub. 11. num. 90* Suarez (Suarez.) *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 15. num. 10.* 5.

Poſt acceptationem verò Rectoris Eccleſiæ, aut pauperis cui verba voti, & iuramenti diriguntur; aſſerit hæc ſecunda opinio manifeſtum eſſe huiuſmodi votum, & iuramentum non poſſe nec authoritate propria, nec Epiſcopi, in melius commutari abſque illorum conſenſu. Et ratio eſt aperta, quia tunc tranſit in contractum, & acquiritur ius illi tertio acceptanti, quod ipſo inuito remitti nequit, & de hoc nullus ex authoribus pro ſecunda opinione relatis dubitat, & ita expreſsè docet Sanchez (Suar.) *lib. 4. Decalog. cap. 41. num. 13.* 6.

Excipiunt tamen aliqui eorum duplicem caſum, io quo poteſt tolli obligatio voti, aut iuramenti facti in commodum tertij per commutationem, aut diſpenſationem poſt illius acceptationem, iure per illum acquiſito non obſtante. Primus eſt, quando talis, & tam iuſta cauſa boni 7.

commu

commonis concurreret, vt integrum sit Summo
Pontifici cogere priuatum hominem ad ceden-
dum iure suo, vt illum bonis suis priuare possit.
Sanch. Ita docent Sanchez *lib.4. Decalogi cap. 41. n.16.*
Angel. Angelus *verbo, Papa, num. 6.* & ibi Syluester *ibi*
Syluest. *quæst.13.* Suarez *tom. 2. de Relig. tract. 6. de voto*
Suarez. *cap.15. num.7.*

8. Secundus est, quando Rector Ecclesiæ, aut
præfectus illius loci pij, cui promissio facta est,
habet potestatem remittendi, aut compositionem
Fumus. faciendi in debitis illis. Ita docent Fumus *verbo,*
Tabiena. *dispensare num. 21.* Tabiena *verbo, dispensatio q. 12.*
Lud. Lop. *num.14.* Ludouic. Lopez *1. part. Instructorij con-*
Sanch. *scientia cap. 49. versu penultima.* Sanchez allega-
Suarez. tus *dicto num. 16.* Suarez allegatus *eodem num. 7.*
qui bene addit in hoc casu non dari exceptionem
regulæ positæ, sententiæque explicatæ, quia ad-
est tunc remissio creditoris.

9. Hunc autem prælatum, qui concurrente cau-
sa boni communis potest hæc vota, & promissio-
nes post acceptationem tertij, illo renuente, in
Tabien. melius commutare, dicit Tabiena citatus esse
Summum Pontificem in toto orbe, & Episcopum
Syluest. in sua diœcesi. At Syluester *verbo, votum 4. q.7.*
dict.4. & verbo, Papa, quæst.13. tantùm id conce-
D. Anton. dit Papæ & magna causa interueniente. Diuus
verò Antoninus *2. part. titulo 11. cap. 1. §. vltimo,*
Rosell. *versu, sed de temporali substantia.* Rosella *verbo,*
votum 5. num.6 hoc solummodo concedunt Epis-
copo, quando Ecclesia, cui eleemosyna illa est
promissa, fuit destructa, vel alia huiusmodi cau-
Suarez. sa concurrit. Suarez *tom.2. de Religione tractat.6.*
de voto cap.15. num.7. tantùm dicit id interdum
posse Episcopum, & ideo potestas illius non est
restringenda ad solum casum destructionis Ec-
clesiæ, sed ex quantitate rei promissæ, & circun-
stantiis concurrentibus id pensandum est; sicut
& in aliis Ecclesiæ debitis. quod idem optimè
Sanchez. animaduertit Sanchez *dict. lib.4. Decalogi cap.41.*
num.16. in fine.

10. Tertia opinio docet etiam post acceptationem
Rectoris Ecclesiæ, cui facta est promissio, & vo-
tum, & post acceptationem pauperis cui propter
Deum voto, aut iuramento promissa res fuit,
posse non solùm authoritate superioris, & Epi-
scopi; sed etiam authoritate propria voentis ac
promittentis in melius commutari, dando scili-
cet rem promissam alteri Ecclesiæ pauperiori, aut
pauperi egentiori. Fundamenta huius opinionis,
& quidem non vulgaria, hæc sunt. Primò, quia
vota, & iuramenta promissoria propter Deum
facta, etsi dirigantur ad peculiarem Ecclesiam &
pauperem, & à Rectore Ecclesiæ vel ab ipso pau-
pere acceptentur, vltimatè in Deum propter
quem fiunt, diriguntur. In quolibet enim iura-
mento, & voto huius qualitatis duplex finis in-
uenitur, alter est finis, *cuius*, id est, cuius gratia
fiunt; alter finis, *cui*, id est, cui aliquid conse-
quitur. Cum autem finis *cuius* semper sit in om-
nibus promissionibus principalis finis, & finis *cui*
sit minùs principalis, sequitur, vt in commuta-
tionibus ratio præcipuè illius, & non istius habea-
tur: nam accessorium sequitur principale, & fi-
nis *cuius* est principalis, finis *cui* accessorius. Se-
cundò, quia quando vouentes, aut iuramento
promittentes aliquid Ecclesiæ, vel pauperi parti-
culari, propter Deum voto, vel iuramento pro-
mittunt, dirigunt suam specialem intentionem
ad hunc determinatum pauperem, & ad hanc spe-
cialem Ecclesiam; dirigunt illam propter Deum;
& sic tota ratio ipsius promissionis, & directionis
est Deus, vel Sanctus propter quem promissio fit,
& per accidens est, quòd prælatus, vel curatus
loci pij, vel hic numero pauper, scilicet Antonius
ad quem promissio fit, & vtilitas promissionis
spectat, ius aliquod post acceptationem acqui-
rant; quia acquisitio huius iuris semper fit de-
pendenter à beneplacito Dei, propter quem tam-
quam propter finem principalem promissio voti,
& iuramenti fit. Vnde cum Deus suum maius
obsequium semper habeat gratius, clarum ma-
net, posse vouentes, & iurantes hæc vota, & iu-
ramenta etiam post acceptationem sua propria
authoritate in melius commutare, & facta hac
commutatione non poterunt illi ad quos vtilitas
voti, & iuramenti spectabat, officium iudicis im-
plorare, & vouentes, & iurantes ad exoneran-
dam conscientiam suam cogat, & si implorent,
& constet iudici vota, & iuramenta in melius ro
vera fuisse commutata, ad nihilum poterit iudex
ipsos vouentes & iurantes obligare, quia iam
obligationi suæ satisfecerunt. Tertiò, quia vt su-
pra dixi, omnia vota, & iuramenta propter
Deum facta semper videntur habere imbibitam
ex natura sua hanc conditionem, *vouea, nisi in*
melius voluero hoc votum commutare; cum enim
vltimatè in Deum tendant, & propter Deum vl-
timatè fiant, & Deus semper id quod melius est,
gratius habeat, necessariò hanc conditionem de-
bent ex natura sua includere. Quartò quia is
qui in aliqua religione profitetur, non se soli
Deo obligat, sed etiam suæ religioni, se & suas
omnes actiones tradit, & religio acceptat, & ta-
men potest religione inuita ad meliorem, & per-
fectiorem transire petita & non obtenta licentia,
iuxta caput, *Licet de regularibus*, cuius rationem
reddit Caietanus *2.2. quæst.88. art. 12. paulo post* Caiet.
principium, versicula, Ad huius euidentiam, di-
cens in eo capite, nihil noui iuris statui, sed de-
clarari naturam ipsius voti, nempe posse quem-
piam votum suum etiam acceptatum in melius
sua propria authoritate commutare, & rationem
reddens cur id fieri possit, cum non soli Deo,
sed etiam religioni sit votum emissum, & acce-
ptatum, respondet: *Ratio cur qui potest in tali ca-*
su præiudicare prælatis, & religioni priori, est, quia
non propter illas; sed propter Deum. Prælatis, &
religioni data est religiosi persona; & propter
hoc solius Dei ratio habetur in huiusmodi com-
mutatione. Quintò, quia cessante fine præcipuo,
& vltimato voti, & iuramenti, cessat eius obliga-
tio; ergo cum finis præcipuus, & vltimatus hu-
ius voti, qui est Dei cultus, cesset facta commu-
tatione in maiorem Dei cultum, cessabit quo-
que voti obligatio: & ideo huius sententiæ vide-
tur apertè Caietanus proximè allegatus; & Nau. Caiet.
lib.2. de rest. cap.1. in noua edit. dub. 3. num. 14. Nauar.
vbi ita ait: *Cum quis emisit votum dandi alicui pio*
loco, certam quantitatem etiam postquam acceptata
est, posset Pontifex Romanus illam commutare in
alium vsum, eo quod principaliter ea donatio, aut
promissio ortum habuerit ex religione voti, non ex iu-
stitia, cum non sit facta in gratiam, & vtilitatem
personarum illius loci; sed principaliter in Dei cul-
tum: quare si quis sine voto illam promitteret, vel do-
naret, vel alio contractu, Ecclesia, vel pius locus ac-
quisiuerit, nullo modo possit auferri. Et quamuis
de solo Summo Pontifice loquatur, tamen eius
ratio idem prorsus probat de commutatione facta
per alios prælatos, & authoritate propria quando
fit in id quod euidenter est melius.

Ita se habent huiusmodi opiniones, omnes 11.
quidem

quidem probabiles; ista tertia meo iudicio propter sua fundamenta, videtur probabilior prima. Secunda tamen sententia est ista tertia multo probabilior; quia doctores omnes *num.* 4. pro illa relati expressè asserunt omnem promissionem factam homini propter Deum post acceptationem illius ad quem directa fuit, & ad quem vtilitas illius pertinet, non posse, nec authoritate propria vouentis & promittentis in id quod euidenter est melius, nec authoritate superioris commutari, aut dispensari, negari enim non potest tunc ius irreuocabile homini illi acquiri, vt probatum manet.

12. Nec rationes factæ pro ista tertia opinione probant intentum; quia non est illa legitima ratio, quæ assignatur, cur is transitus ad strictiorem religionem petita, & non obtenta facultate liceat; sed quia in ea obligatione professionis inest tacita conditio, *nisi elegero strictiorem religionem*, iure ita statuenti in *dicto capite*, *Licet de regularibus*; quæ non videtur inesse in aliis votis, & promissionibus acceptatis quamuis illis insit ante acceptationem. Nec ratio finis principalis & vltimati, in qua cætera omnia fundamenta huius opinionis innituntur, videtur multum conuincere; quia non cessat ille finis nisi legitimè facta commutatione, vel dispensatione; hoc autem est, quod inquirimus, & disputamus, an possit legitimè fieri post prædictam acceptationem, quando votum, & iuramentum primò, & principaliter fit propter Deum; secundariò verò propter hominem, hoc est, propter hunc pauperem, & propter hanc Ecclesiam post acceptationem pauperis & Rectoris ipsius Ecclesiæ; & cum Doctores hoc non audeant concedere, non videtur à nobis esse concedendum. Fundamenta etiam primæ opinionis ex his manent soluta, vt patet.

13. Sanch. In eo tamen casu id admittit Sanchez *lib.* 4. *Decalogi capite* 41. *numero* 18. *ad finem*, quando votum, & iuramentum principaliter ex speciali intentione vouentis, vel iurantis fieret propter Deum, & in honorem Dei, nullo modo, nec etiam secundariò respiciendo vtilitatem illius pauperis, aut loci pij; secus quando secundariò saltem illam respiceret, & ratio aliqua pauperis, vel paupertatis loci pij haberetur à vouente vel iurante, ob loci vel personæ paupertatem, vel ob specialem affectionem ad illa; tunc enim non potest absque acceptantis consensu prædictum votum dispensari; nec etiam in melius commutari.

14. In dubio verò an saltem secundariò habita sit ratio illius pauperis, aut loci pij, iudicandum est habitam fuisse, maximè si vouens, aut iurans erga illos aliunde affecti erant; id enim significat promissionem dirigi in eum pauperem vel locum pium; si enim nec secundariò eorum ratio habita esset, dirigeretur planè ea promissio in
Sanch. solum Deum; & ita docet Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.*41. *num.*19. & id ipsum videtur
Azor. docere Azor *tom.* 1. *Inst. moral. lib.* 15. *cap.*19 *quæst.*12. *vers. Annotandum* est.

CAPVT L.

Soluuntur multa dubia. Quæritur, an qui facultatem habent commutandi, habeant quoque facultatem dispensandi; & è contrario, & an qui possunt vota commutare, possint etiam commutare iuramenta, & vota ipsa, si sint iurata.

SVMMARIVM.

Qui habent ordinariam potestatem dispensandi in votis, aut iuramentis, habent etiam illam commutandi. num. 1. & 2.

An illi, qui habent ordinariam potestatem commutandi, habeant etiam ordinariam dispensandi. numero 3.

Quid sentiat Nauarrus. num. 4.

An illi, qui potestatem habent non ordinariam, sed commissam, & delegatam virtute priuilegij, aut iubilei ad dispensandum in votis, & iuramentis, illam etiam habeant ad commutanda prædicta vota, & iuramenta etiamsi de ea in ijs priuilegijs mentio non fiat. Est duplex opinio. Refertur prima affirmans. num. 5.

Refertur secunda negans. num. 6.

Iudicium authoris. num. 7. *Præfertur prima opinio.* ibidem.

An concessa, & delegata potestate ad commutanda vota, & iuramenta per priuilegium, aut iubileum, censeatur etiam commissa, & delegata ad dispensandum in illis. num. 8.

Concessa facultate ad dispensandum in votis, vel iuramentis per Bullam, vel priuilegium, consequenter etiam conceditur ad dispensandum partim, partim ad commutandum. num. 9.

An concessa alicui facultate per gratiam, aut priuilegium ad commutanda vota, vel iuramenta, censeatur eo ipso concedi ad illa commutanda in id quod minus est. num. 10.

Quomodo æqualitas materiæ subrogatæ intelligenda sit. num. 11.

An habens potestatem delegatam per Bullam, aut iubileum ad dispensanda, vel commutanda vota, habeat etiam illam ad dispensanda, vel commutanda vota, quæ fiunt per modum iuramenti, & solo iuramento Deo tantùm præstito emittuntur. num. 12.

An potestas commissa, & delegata per priuilegium ad commutanda, vel dispensanda vota, extendatur ad vota etiam iurata. num. 13.

An quando virtute iubilei conceditur alicui facultas ad commutanda vota, & iuramenta, intelligatur id tantummodo de votis, & iuramentis, quæ quis emisit ante iubileum, an etiam post illud. num. 14.

An quando in iubileis datur facultas confessarijs commutandi vota in certum subsidium, possint confessarij arbitrio suo eam eleemosynam commutare in preces, & ieiunia, vel alia opera pietatis. Refertur opinio negans. num. 15. *Præfertur opinio affirmans.* ibidem.

An possit fieri commutatio hoc modo: Commuto tuum votum in id quod talis vir doctus præscripserit. *num.* 16. *& an peccet vouens contra prius votum, si post acceptationem huius commutationis,*

tationis, & ante præſcriptionem, & aſſignationem materiæ factam à viro docto illud violauerit. *ibidem.*

An ille, qui tempore iubilæi per obliuionem, vel alia de causa non curauit vota ſua commutari, aut diſpenſari, poſſit id poſtea curare, & facere etiam poſt annum à iubilæo elapſum. *num. 17.*

An facta, & acceptata commutatione iuramenti, vel voti poſſit vouens liberè, & ſine peccato redire ad prius votum. *num. 18.*

An ſæpius facta commutatione in alias, & diuerſas materias poſſit vouens liberè, & licitè ad prius votum redire. *num. 19.*

Qualis cauſa ad commutationem requiratur. *n. 20.*

An ſi poſt factam commutationem voti, vel iuramenti in materiam ſubrogatam, materia ſubrogata reddatur impoſſibilis, aut indecens, etiam culpa vouentis, vel iurantis, reuiuiſcat prioris voti, vel iuramenti obligatio. *num. 21.*

An qui religionem abſolutè, & indeterminatè ingredi vouit, & ingreſſus, poſt profeſſionem in perpetuum eijcitur, teneatur aliam religionem ingredi, itaut prius votum indeterminatæ religionis reuiuiſcat. *num. 22.*

Quæ notanda ſunt circa praxim commutationis votorum, & iuramentorum, vt in melius, aut æquale commutentur. num. 23. An habenda ſit ratio expenſarum, & quomodo ſit habenda, & quarum expenſarum, an ratio laboris, itineris &c. *ibidem.*

An requiratur, vt materia ſubrogata, ſit æqualis priori materiæ promiſſæ magnitudine, duratione, & numero. *num. 24.*

Commutatio eſt actus iuriſdictionis. num. 25. Confeſſarij ordinarij iuxta formam Concilij Tridentini approbati; non poſſunt commutare vota, aut iuramenta, niſi ex priuilegio, aut delegata iuriſdictione. ibid. Hoc priuilegium ad commutanda vota etiam iurata habent omnes confeſſarij Societatis IESV expoſiti ad audiendas fidelium confeſſiones. *ibid.*

1\. QVÆSTIO eſſe poteſt, an qui habent poteſtatem ordinariã, vel delegatam diſpenſandi in votis, & iuramentis, habeant etiam illam commutandi prædicta vota, & iuramenta: & ſimiliter quæſtio etiam eſt, an è contrario, qui habet poteſtatem ordinariam, vel delegatam ad commutanda vota, & iuramenta, habeat quoque illam ad diſpenſandum.

2\. Statuo primò. Qui habent ordinariam facultatem, & poteſtatem diſpenſandi in votis, & iuramentis, vt Epiſcopi, & prælati religioſorum reſpectu ſuorum ſubditorum, habent etiam poteſtatem ordinariam commutandi illa. Ita Leſſius (Leſſius.) *tom. 1. de iuſt. lib 2. cap. 40. dub. 16. num. 108. in edit. Veneta*, Sanchez (Sanch.) *lib. 8. de matrim. diſput. 2. num. 14.* Azor (Azor.) *tom. 1. inſtit. moral. lib. 11. cap. 18. quæſt. 7.* Paludanus (Palud.) *in 4. diſtinct. 38. quæſt. 4 art. 3.* Syluester (Syluest.) *verbo, Votum 4. quæſt. 3.* Sotus (Sotus.) *lib. 7. de iuſt. quæſt. 4 art. 3.* Couarruuias (Couar.) *de pactis 1. part. §. 3. num. 10.* & in hoc omnes conueniunt. Et ratio eſt, quia commutatio eſt pars quædam diſpenſationis; neceſſariò in illa incluſa tanquam pars in toto, & ſpecies in genere; eſt enim imperfecta quædam diſpenſatio, vt patet ex *cap. 1. de voto*; ergo ei, cui eſt ordinaria poteſtas iure conceſſa ad diſpenſandum, neceſſariò eſt etiam eodem iure conceſſa poteſtas ad commutandum; nam cui licet maius, licet etiam minus, quando illud minus, incluſum eſt in maiori tanquam pars in toto, & ſpecies in genere. Vnde qui poteſt iure ordinaria poteſtate diſpenſare in tertio gradu conſanguinitatis, poteſt etiam eodem iure diſpenſare in tertio gradu affinitatis, quia hic gradus affinitatis continetur in illo conſanguinitatis.

E contrariò etiam qui habent poteſtatem ordinariam ad commutandum, habent quoque ordinariam poteſtatem ad diſpenſandum. Ita docet 3.
Azor *tom. 1. inſt. moral. lib. 11. cap. 18. quæſt. 7.* ibi: *Cæterum tria mihi probabilius dici poſſe videntur. Primum eſt id quod dicitur, qui poteſt vota relaxare, poſſe etiam commutare, & è contrario, locum habere tantummodo in his, qui iuris authoritate ordinariam relaxandi, & commutandi poteſtatem habent, quales ſunt Epiſcopi, & qui iure, vel conſuetudine, vel præſcriptione Epiſcopalem habent iuriſdictionem, non autem in ijs, qui commiſſam, & delegatã poteſtatem commutandi habent.* Hæc ille; vbi in illis verbis, *& è contrario*, ſatis affirmat eum, qui habet poteſtatem ordinariam ad commutandum, habere etiam illam ad diſpenſandum. Hanc opinionem tenent etiam Sotus *lib. 7. de iuſt. q. 4. art. 3.* Syluester *verbo, Votum 4. quæſt. 3. verſiculo, Secundò*, & videtur docere etiam Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 52. num. 1.* Et vſu, & experientia patet; id enim efficiunt Epiſcopi, & prælati regulares paſſim erga ſuos ſubditos; paſſim enim commutant vota, & iuramenta illorum; ſicut etiam paſſim cum illis in illis diſpenſant. Si enim ius eis concedit poteſtatem ad maius, nempe ad tollendam omnino obligationem voti, & iuramenti per diſpenſationem; cur non concedet ad minus, nempe ad mutandam prædictam obligationem ex vna materia in aliam, quod propriè eſt commutare, cum illud minus incluſum ſit in maiori?

Solùm contra communem ſententiam videtur 4.
eſſe Nauarrus *in manuali Lat. cap. 12. num. 79. verſu, Illud autem:* vbi dicit Sotum allegatum, forte rem non bene perpendiſſe, cum dixit eum, qui habet poteſtatem diſpenſandi, habere etiam poteſtatem commutandi, & à fortiori diceret non bene etiam Sotum rem perpendiſſe, cum è contrario dixit, eum qui habet ordinariam poteſtatem ad commutandum, habere etiam illam ad diſpenſandum. Et ratio Nauarri eſt, quia hæ poteſtates ſunt diſparatæ. Vnde non eo ipſo quòd iure conceditur vna, videtur concedi & altera. Sed Nauarrus loquitur non de poteſtate ordinaria, ſed de poteſtate delegata per iubilæum, bullam, aut priuilegium; dum addit, forſitan dictum Soti eſſe verum in iis, qui poteſtatem habent ordinariam, non in iis, qui poteſtatem habent delegatam, de qua re iam agere incipimus.

Agendo verò de facultate, & poteſtate dele- 5.
gata commiſſa in iubilæis, in Bulla Cruciata, aut in aliis priuilegiis Mendicantium, dubium eſt; an conceſſa poteſtate ad diſpenſandum in votis, & iuramentis, cenſeatur etiam conceſſa ad commutanda prædicta vota, & iuramenta, etiamſi de commutatione in iis priuilegiis mentio non fiat; qua de re eſt duplex opinio. Prima affirmat, eam tenet Sayro (Sayro.) *in clau. regia lib. 6. cap. 12. num. 15. & cap. 11. à num. 116 vſque ad 119.* Leſſius (Leſſius.) *tom. 1. de iuſt. cap 40. dub. 11. num. 94 in edit. Antuerpiana, in editione verò Veneta, dub. 16. num. 108.* Suarez (Suarez.) *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 12. à num 10. vſque ad finem capitis.* Paludanus (Palud.) *in 4. diſt. 38. quæſt. 4. art. 3. concluſ. 5. num. 35.* ait enim quemcumque & quandocumque potentem diſpenſare in voto, quod plus eſt, poſſe quoque

id

Sotus. Henriq. Sà. Aragon. Philiarc. Rodrig. Lud. Lop.

id commutare quod minus est; vbi videtur loqui tam de potestare ordinària, quàm de potestate delegata, cum tam generaliter, & cum dictione vniuersali loquatur; eiusdem sententiæ est apertè Sotus *lib 7. de iust. quæst.4. art. 3. colum.5. paulo ante versiculum, Ex his sit consequens.* & tenent expressè Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap.30. num.5. in fine.* Emanuel Sà *in summ. verbo, Votum, vbi de voti irritat. & dispensatione, num.19.* Aragon. *2. 2. quæst.88. art. 12. colum.6. dict.2. & quæst.89. art.9. columna antepenultima, proposit.2.* Philiarchus *de officio sacerdot. tom.1. part. 2. lib.3. cap.22. ad finem.* Emanuel Rodriguez *in exposit. Bulla Cruciata, §.9. num. 115. & tom. 2. summa, cap.100. ad finem.* Lud. Lopez *2. pars instructory vbi de clausibus, cap.9. colum. 4. & colum 8. versu, Præterea ex prædictis.* Et ratio est primò, quia cui licet id quod plus est, licet quoque id quod minus est, iuxta regulam, *Cui licet, de regulis iuris in 6.* quæ vera est iuxta omnes DD. quando minus continetur in maiori tanquam pars in toto, & species in genere, vt continetur commutatio in dispensatione, vt statim patebit in quinto argumento. Secundò, quia dispensatio remittit omnino vinculum voti; commutatio verò remittit partem voti, nempe, vt non impleatur in materia promissa; sed in alia æquali: eadem autem est potestas de toto ad totum, ac de parte ad partem. Tertiò, quia cui potestas committitur ad totum debitum remittendum, non excedit potestatem suam, si partem debiti remittat, imò fideliùs aget rem committentis, si illud in aliam æqualem commutet. Igitur cum per dispensandi potestatem committatur facultas ad totum votum, & iuramentum remittendum, non excedit commissarius limites suæ facultatis, sed fideliùs agit Dei negotium, illud in rem æquè gratam Deo commutando. Quartò, quia potens remittere totum debitum; potest remittere partem eius; at potens dispensare ex priuilegio, potest remittere totum voti debitum; ergo etiam poterit partem illius, nempe facere, vt id in alia specie æquali soluatur, quod nihil aliud est, quàm commutare. Quintò, quia in commutatione duo continentur, alterum est ablatio vinculi à priori materia, & hoc non repugnat potestati dispensandi, imò id illa efficit: alterum est transferre illam obligationem vinculi in aliam materiam æqualem, & ad hoc sat est prudens arbitrium iudicantis æqualitatem cum acceptatione illius, cui votum commutatur; ergo hæc commutatio non excedit limites delegatæ potestatis ad dispensandum.

Sorbo. Azor. Sanchez. Beia. Nauar. Palat. Medin. Valent. Lud. Lop.

6. Secunda negat: eam docent Sorbus *in compendio priuileg. mendicant. verbo, Votum. in suis ad notationibus, notabili 4.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib.11. cap.10. quæst.4 & cap.18. quæst.7.* Sanch. *lib.8. de matrim. disp.2. num.15. & lib.4 Decalog. cap.53 num 4.* Beja *in suis responsis 2. part. casu 9. fol 81. notabili 3.* Nauarrus *in summ. Lat. cap.12. num.79. & §. in Leuitico, notabili 27. num. 1.* Palatios *in 4. dist.38. disput. 3 columna 37. versiculo, Et sanè si amicus.* Medina *lib. 2. summa, cap.1. fol.258.* Valentia *2.2. disp 6. quæst.6. puncto 7. colum. 10. versiculo, Denique,* Lud. Lopez *1. part. instruct. cap.50. paulo post principium.* Et fundamenta huius opinionis hæc sunt. Primò, quia regula illa, *Cui licet,* qua nititur prima sententia locum tantùm habet, quando minus continetur in maiori tanquam pars in toto, vel species in genere, vt constat: nam potens ex priuilegio dispensare in irregularitate contracta ex homicidio voluntario occulto, non poterit dispensare in irregularitate contracta ab excommunicato in excommunicatione celebrante, quæ multo minor est, cum hæc sint disparata. Sed commutatio nullo modo includitur in dispensatione, quia dispensatio, vel in parte, vel in toto tollit vinculum voti; commutatio verò nullo modo illud tollit, sed tantùm mutat obligationem eiusdem vinculi, ex hac materia in aliam, manente eodem vinculo; ergo concessa facultate, & priuilegio ad dispensandum, non ideo censetur concessa ad commutandum. Secundò, quia esto commutatio sit pars dispensationis, non procedit prædicta regula, *Cui licet maius, licet minus*; quia vt potens remittere votum debitum, seu id quod plus est, possit remittere id quod minus est, videlicet partem debiti, exigitur, vt prior potestas sit omnino absoluta, aut si cum limitatione aliqua requiritur, vt reperiatur eadem limitatio in illo minori, & in ea partiali remissione, vt patet hoc exemplo. Nam si quis committat œconomo, vt liberè possit debitum aliquod remittere, non dubium est, quin possit partem illius remittere; si autem illi committat vt possit remittere inuenta tali, vel tali creditoris paupertate, non poterit remittere, nec fideliter aget si partem remittat, vel totum non inuenta ea paupertate; excedet enim limites suæ potestatis, vt patet; nec actus valeret, nec iuuaretur ea regula, *Cui licet quod maius est, licet etiam id quod minus est*: atqui hoc contingit in potestate dispensandi in votis delegata, vel commissa alicui per priuilegium, non enim illi censetur commissa, vt liberè illa vtatur, sed existenti causa sufficienti ad dispensandum: vndè cum deficit causa, non poterit illa nec licitè, nec validè vti: commutatio autem fieri potest cum leuissima causa, imò & fortè sine causa, at dispensatio non nisi ex iusta causa. Tertiò, quia priuilegia quantumuis fauorabilia, non sunt extendenda vltra verborum proprietatem, vt rectè fatetur ipsemet Suarez *eodem tom.2 de Relig lib.6. cap.19. num 8.* ergo quamuis potestas dispensandi sit fauorabilis, non est extendenda ad potestatem commutandi. Quartò, quia quando argumentum valet affirmatiuè à maiori ad minus, valet quoque negatiuè à minori ad maius. Vt sicut valet, Petrus potest dare decem aureos, ergo & quinque; valet quoque, Petrus non potest dare quinque, ergo nec decem. Atqui hoc non valet, qui habet potestatem delegatam commutandi, habet etiam dispensandi, vt omnes vtriusque opinionis authores fatentur, & dicemus statim *num.8.* ergo nec valebit istud, qui habet potestatem delegatam dispensandi, habet quoque commutandi.

Suar.

7. Ita se habent hæ opiniones. Vtraque valde probabilis. Prima tamen multo est probabilior, & ideo tenenda omnino. Nec argumenta huius secundæ multum conuincunt, nam certum est commutationem contineri in dispensatione tanquam inclusum in includente, partem in toto, speciem in genere, & tollere obligationem vinculi voti ab hac materia priori, & transferre illam in aliam materiam subrogatam. Vnde falsum est, dicere commutationem nullo modo tollere obligationem voti. Certum etiam est commutationem requirere causam, licet minorem requirat, quàm dispensatio; cum enim puta dispensatio tollat ex se omnino obligationem vinculi voti, maiorem causam requirit, quàm commutatio,

mutatio, cum hæc non solùm tollat illam, sed etiam mutet ex hac materia in aliam. Certum etiam est, priuilegia non extendi vltra verborum proprietatem; neque hic vltra hanc proprietatem verborum extenditur tale priuilegium, cum in proprietate verborum, & in re ipsa commutatio contineatur in dispensatione, & pars illius sit, vt communiter fatentur DD. primæ opinionis. Deinde illa priuilegia sunt restringenda, & limitanda ad proprietatem verborum tantùm, quæ sunt propriè priuilegia & mortes iuris, vt sunt cōmissiones ad dispensandum nomine committentis in hoc, vel illo impedimento, aut in hac vel illa inhabilitate ad ordines, ad matrimonium, vel ad dignitatem aliquam aut beneficium Principis, gratia, & fauor, seu potestas ad dispensandum, quam Princeps à se aufert, & alteri concedit, latissimè est interpretanda, cum hæc potestas sit fauor Principis, & fauores sint ampliandi, & non restringendi, maximè cum nemini id noceat, nisi soli Principi concedenti, qui eam potestatem à se aufert, & alteri concedit, vt multis prosit. Licet enim ex concessione huius potestatis sequantur dispensationes, & commutationes, quæ sunt mortes iuris communis, & ideo iuri communi noceat concessio talis potestatis; tamen id non sequitur directè, sed consequenter; directè enim vult Princeps ornare aliquem eo fauore, ea gratia, & potestate, vt latè probat Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp. 5. num. 4.* Alexander de Neuo *in capite, Quod dilectio, de consanguinit. num. 15.* Vallascus *conf. 60. num. 3. volum. 1.* Fumus *verbo, Priuilegium num. 4.* Angelus *ibi num. 3.* Tabiena *ibi quæst. 3.* & patet ex *l. Beneficium ff. de const. Princip. & ex cap. Olim. de verbor. significat.* & est communis sententia Doctorum, quam tenet etiam Iason *in dict. l. Beneficium, num. 19. & 32.* Nec vltimum argumentum quidquam probat, quia tunc solùm valet argumentum negatiuè à minore ad maius, quando valet affirmatiuè à maiori ad minus, cùm illud minus continetur præcisè, & naturaliter in maiori tamquam pars in toto, & est pars illius, & cum illo necessariam connexionem habet, non autem quando continetur moraliter, nam in materiis moralibus res tota pendet ex intentione concedentis: at qui concedit potestatem alicui ad commutandum, non censetur illam concedere ad dispensandum, vt *num. sequenti* dicemus.

(Sanch. Alexand. Vallasc. Fumus. Angel. Tabien. Iason.)

8. Rogas igitur, an concessa, & delegata potestate alicui ad commutanda vota, vel iuramenta per priuilegium aliquod, bullam, aut iubileum, censeatur etiam concessa, & delegata ad dispensandum in illis? Respondeo negatiuè, & in hac re conueniunt DD. vtriusque sententiæ, vt docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 53. num. 2. & lib 8. de matrim. disp. 2. num. 14.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 40. dub 11. num 94. in editione Antuerpiana, in editione verò Veneta dub. 16. num. 108.* & alij communiter. Et ratio est, quia cui committitur minus, non committitur maius, nisi id quoque committens exprimat in commissione sua; qui enim dat licentiam, & commissionem ad remittendum quinque, non dat ad remittendum decem; atqui multo minus est commutare, quàm dispensare, cum pura dispensatio tollat omnino vinculum voti, commutatio verò non illam tollat, sed mutet & transferat ex vna materia in aliam; igitur commissa potestate, datóque priuilegio ad commutandum, non statim censetur dari, & commissa ad dispensandum.

(Sanch. Lessius.)

Fagundez in Decalog. Tom. I.

9. Fatentur tamen capitales vtriusque sententiæ Doctores Sanchez & Suarez, habentes delegatam, & commissam per bullam, & priuilegium dispensandi facultatem in votis, aut iuramentis, posse partim dispensare, partim illa commutare prout sibi melius visum fuerit. Quod optimè notarunt Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 53. num. 5. & lib. 8. de matrim. disp. 2. num. 15. in fine*, & Azor *tom. 1. Inst. moral. lib. 11. cap. 11. quæst. 4* Et ratio est, stando in prima opinione, quia cum commutatio claudatur in dispensatione tamquam pars in toto; sequitur euidenter eum, qui potest totum, posse etiam partem, & consequenter posse ex causa partim dispensare, partim commutare. Stando verò in secunda, ratio adæquata, & principalis est, quia talis præsumitur rationabiliter concedentis voluntas; nam delegans, & committens per priuilegium, aut bullam, potestatem dispensandi, censetur velle illam delegare iuxta frequentiorem, tutiorem, & meliorem vsum, quo Summus Pontifex in eis dispensat; at melior, tutior, ac frequentior, & vsitatior modus, & vsus, quo Summus Pontifex vtitur in votorum, & iuramentorum dispensationibus, est admittēdo semper aliquam commutationem; igitur potestas dispensandi alicui per priuilegium concessa, semper censetur concessa, vt liceat etiam partim dispensare, partim commutare.

(Sanch. Suarez. Sanchez. Azor.)

Dubitant authores, an cum conceditur alicui bulla, priuilegio, aut iubileo delegata potestas ad commutanda vota, vel iuramenta, censeatur etiam concedi facultas ad commutandum in id quod minus bonum est. Partita est opinio in hac re. Primam affirmantem tenet Medina *in sua instruct. confessorum lib. 1. cap. 14. § 7.* & in eam inclinat Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. de voto, cap 40. dub. 11. num. 95. in 1. editione Antuerpiana.* Primò, quia alioquin parum, aut nihil vtilitatis ea facultas afferret, cum multi asserant fieri posse hanc commutationem in id quod æquale est euidenter propria authoritate. Secundò, quia priuilegia cum sint beneficia principum, amplianda sunt, non strictè interpretanda. *capite, Dilecti, de donationibus, l. Beneficium, ff. de const. Principum,* ibi. *Beneficium Imperatoris, quod à diuina eius indulgentia proficiscitur plenissimè interpretari debemus.* Secunda verò negans amplectenda est. Eam tenet Azor *tom. 1. Inst moralium lib. 11. cap. 18. quæst. 6.* Fundamentum illius est, quia voti commutatio eo ipso quod fit in id, quod minus est, non est simplex cōmutatio, sed est partim commutatio, partim dispensatio, vt probauimus *num. 8* & Doctores, quos ibi allegauimus pro hac nostra opinione faciunt: commutatio autem præcisè sumpta non extenditur ad dispensationem. Vnde concessa alicui, & delegata facultate ad commutanda vota, aut iuramenta, non censetur etiam concedi ad illa dispensanda, vt diximus *dict. num. 8.* nec beneficia Principum, tam amplè sunt interpretanda, vt excedant materiam concessionis, nam licet intra eandem materiam, latissimam recipiant interpretationem, non tamen adeo sunt interpretanda, vt vltra materiam concessam egrediantur, & terminos concessionis transiliant. Priuilegia enim non sunt extendenda vltra verborum proprietatem, vt constat ex *cap. Cum dilectus. de consuetudine.* Commutatio autem non est dispensatio, nam commutatio nihil aliud est, quàm permutatio huius rei in aliam æqualem non minorem; si autem commutatur in aliam rem minorem, iam non est commutatio, sed est dispensatio,

10. (Medin. Lessius. Azor.)

ſatio, ſeu relaxatio, ſi non totalis, ſaltem partialis. Nec rectè infertur, parum aut nihil conferre facultatem commutandi vota, aut iuramenta, ſi non poſſet fieri prædicta commutatio in minus; quia cum commutatio hæc non poſſit fieri propria authoritate in æquale bonum, vt ſupra reſoluimus *cap. 48. num. 7.* non parum vtilitatis conceditur, cum delegatur facultas, vt votum, & iuramentum authoritate confeſſarij commutari poſſit in id quod eſt æquale.

11. Animaduerte tamen *æquale* poſſe hîc ſumi per ordinem erga Deum. Cum verò ſæpe minus opus magis gratum Deo ſit ex cauſis & circunſtantiis, quàm maius, ac difficilius erga vouentes; hinc fit, vt ſæpe rectè commutari poſſint vota in minus opus, quod æquale meritum habeat apud Deum, & ſit minus, ſeu facilius reſpectu ipſorum vouentium, quod totum relinquitur arbitrio prudentis confeſſarij. Sic ſæpe peregrinationes valde longinquas in Miſſas commutari poſſunt, & aliqua ieiunia, & eleemoſynas in confeſſiones, & Euchariſtiæ perceptiones, aut Miſſas dicendas, & hæ vt dicantur in aliqua Eccleſia, vel Sancto viciniori; quia hæc quoad meritum tantum valent apud Deum, quantum aliæ quæ dicendæ erant in domo Sancti exiſtentis in loco remotiori. Imò fieri poteſt, vt opus aliquod in intenſione æquipolleat alteri in extenſione, vt
Leſſius. colligitur ex Leſſio *tom. 1. de iuſtit. lib. 2. de voto cap 40 dub. 11. num. 95. in prima edit. Antuerpiana, in Pariſiana verè dub. 16. num. 109.* & amplius patebit ex dicendis *num. 24.* quem vide; & tunc rectè hoc poterit in illud commutari, quicquid in contrarium teneat Azorius
Azor. *tom. 1. Inſtitut. moral. lib. 11. cap. 18. quæſt. 13.* Imò aduerto quòd quamuis vota realia commutentur egregiè in realia, & perſonalia in perſonalia, tamen etiam contrarium fieri poteſt, prout videbitur magis expedire ad Dei gloriam, & ſalutem vouentis. Sic votum eleemoſynæ corporalis poteſt ex cauſa commutari in eleemoſynam ſpiritualem, in ſacrificia, in preces, in ieiunia; vt docet idem Leſſius vtroque loco allegatus. Vnde quando in Bulla, vel iubileo dicitur commutatio votorum facienda in ſubſidium temporale belli contra infideles, vel hæreticos; poteſt fieri in ſubſidium ſpirituale, v.c. in preces, in ſacrificia, in ieiunia iuxta intentionem & finem Ponti-
Viuald. ficis concedentis illud, vt docet Viualdus *cap. 14.*
Leſſius. *num. 39.* & Leſſius *vtroque loco* allegatus. Quæ ſententia eſt probabilis, quando legitima cauſa ſubeſt, vt oſtendemus *num. 15.* Et ratio eſt, tum quia ſubſidium ſpirituale non eſt minùs præſtans, quàm temporale; tum quia alioquin vota pauperum tunc commutari non poſſent, nam nihil ſubſidij temporalis pauperes ipſi conferre poſſunt, vel certè adeo exiguum, vt pro nihilo reputetur; ſed hac de re redibit ſermo *num. 15.*

12. Dubium quoque eſt, an habens facultatem, & poteſtatem delegatam per Bullam, aut priuilegium ad diſpenſanda, vel commutanda vota, poſſint quoque ea vota diſpenſare, aut commutare, quæ fiunt per modum iuramenti, quæque ſolo iuramento Deo tantùm facto emittuntur, vt cum Deo dicitur, *Iuro, aut promitto Deo ſub iuramento, me hoc, vel illud facturum.* Reſpondeo primò, ſi loquamur de facultate ordinaria, conuenire omnes Doctores, Superiores habentes poteſtatem ordinariam ad commutanda, vel diſpenſanda vota, vt ſunt Epiſcopi, & Prælati Religionum reſpectu ſuorum ſubditorum, & alij habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſe etiam ea vota commutare, & diſpenſare, etiam ſi ſint iuramento confirmata. Ita docet Sanchez *lib. 8. de* Sanch.
matrim. diſp 2. num 16. Azor *tom. 1. Inſt. moral.* Azor.
lib. 11. cap. 18. quæſt. 16. & cap. 10. quæſt. 2. Sotus Sotus.
lib. 8. de iuſt. quæſt. 1. art. 9. ad finem; & Caieta- Caiet.
nus *2. 2. quæſt. 89. art. 9.* & de hac re nemo dubitat, vt ſuprà diximus *num. 2. & 3.* Si verò loquamur de poteſtate delegata virtute iubilei, Bullæ Cruciatæ, aut alterius conceſſionis, aut priuilegij Summi Pontificis, de qua noſtra quæſtio procedit, partita eſt opinio. Prima abſolutè negat; eam tenet Azor *vtroque loco* allegatus. Nauarrus Azor.
in ſumma Latina cap. 27. num. 275. verſ. 16. & Nauar.
lib 2. conſiliorum titulo de iureiurando in 1. editione conſil. 3. num. 6. Lodou. Lopez *2. part. Inſtructorij* Lud. Lop.
vbi de clauibus cap. 9. columna 5 verſiculo, Ad punctum denique. Ratio eſt, quia hîc dantur duo diuerſæ rationis vincula, alterum iuramenti expreſſi, alterum voti taciti; & licet vinculum voti ſit maius quàm vinculum iuramenti, vt probat So- Sotus.
tus allegatus; tamen non inde ſequitur regula illa de regulis iuris *in 6. Cui conceditur maius, gratis, & liberaliter in priuilegijs, aut facultatibus, conceditur etiam minus*, quia, vt ſæpe diximus, hæc intelligenda ſunt, quando illud minus eſt incluſum in maiori, tamquam pars in toto, aut tamquam ſpecies in genere, non verò quando illud maius, & minus, ſunt ad inuicem diſparata, & diuerſæ rationis, vt ſunt vinculum voti, & iuramenti. Secundò, quia votum metu factum cadente in virum conſtantem, ipſo iure, eſt irritum, & inualidum: iuramento autem roboratum ſubſiſtit, & eſt validum ratione iuramenti; ergo non ex eo quod concedatur, aut delegetur facultas ad commutandum, aut tollendum, ſeu diſpenſandum votum, cenſetur etiam conceſſa ad commutanda, aut diſpenſanda vota ſi iuramento ſint firmata. Tertiò, quia Societas IESV, cum haberet priuilegium ad commutanda omnia vota præter illa quinque reſeruata caſtitatis, religionis, & triplicis peregrinationis Hieroſolymitanæ, Compoſtellanæ, & Romanæ conceſſa à Paulo III. obtinuit facultatem ſpecialem ad illa commutanda, etiamſi eſſent iuramento roborata à Gregorio XIII. vt habetur *in compendio priuilegiorum, verbo, commutatio. § 1.* Non ergo conceſſa vna poteſtate per priuilegium, ac Bullam, conceditur altera, alioqui fruſtra ſimile priuilegium impetraretur.

Secunda opinio probabilior docet (quamuis 13.
alia ſit etiam probabilis) poſſe eas promiſſiones & vota quæ per modum iuramenti fiunt, aut potius poſſe ea iuramenta, quæ votum continent, & in ſubſtantia nihil aliud ſunt quàm vota, virtute talis priuilegij commutari, ac diſpenſari. Hanc ſententiam tenet Caietan. *2. 2. quæſt. 8. ar-* Caiet.
tic. 9. paulo poſt principium, vbi negari nequit eum loqui de poteſtate delegata, cum dicat hæc verba: *Omnia iuramenta ſubſunt inferioribus Papa, quæ ſi eſſent vota, ſubeſſent eiſdem, quia cui conceſſum eſt poſſe ordinare in maius, conceſſum quoque eſt poſſe in minus.* Vbi optimè ponderat San- Sanch.
chez *lib. 8. de matrim. diſp. 2. num. 18.* illa verba. *Cui conceſſum eſt poſſe ordinare in maius*, &c. Quæ ſecundùm eundem Sanchez non ordinariam poteſtatem, ſed delegatam important. Quod patet ex ratione cui innititur, quæ procedit in poteſtate delegata; nam poſſe id Epiſcopum ex poteſtate ordinaria, quam habet, non innititur ei rationi, *cui conceditur maius, conceditur minus*; po-

teſt

test enim Episcopus id similiter efficere prædicta potestate ordinaria, quando vtrumque vinculum voti, & iuramenti expressè reperitur; sed innititur amplitudini suæ potestatis ordinariæ. Idem tenet expressè Stunica *de voto quæst. 5. n. 42.* Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 30. num. 5.* Emanuel Sà *in summ. verbo, Iuramentum, num. 32. & verbo, Votum, vbi de voti irritatione, & dispensatione, num. 16.* Aragonius *2. 2. quæst. 86. art. 9. quatuor columnis ante finem, versiculo, Dico quartò; & quæst. 88. art. 12. colum. 6. dict. 1.* Viualdus *in candelabro sacrament. 3. part. cap. 14. num. 8.* Emanuel Rodriguez *tom. 1. summæ, in 2. edit. cap. 192. colum. 10. num. 30. & in Bulla Cruciata, §. 9. num. 110. regula 6. & addit. ad eundem locum, §. 9. num 111. & qq. regular. tom. 1. quæst. 63. art. 5.* Docet etiam Sanchez *dict. lib. 8 de matrim. disp. 2. num. 18.* Ratio est, quia ad dispensanda, seu commutanda hæc iuramenta, quæ tacita sunt vota, nulla est opus facultate circa hæc iuramenta directè, sed satis est concessa, & delegata facultas circa votum in eis virtute, & tacitè inclusum, & ideo sublato eo voto per dispensationem, aut mutato in aliam materiam per commutationem, ex consequenti, & quasi per accidens destruitur, ac commutatur iuramentum, vtpote, quod innitebatur illi promissioni tanquam fundamento. Secundò, quia huiusmodi priuilegium extenditur ad omnia vota; ergo ad ea etiam vota, quæ verè, & substantialiter talia sunt, licet virtualiter in iuramentis includantur. Tandem & tertiò, quia dispositum in vno æquiparatorum, ipso iure, censetur dispositum in altero *l. Tantum. ff. de seruo corrupt. iuncta l. Si quis seruo. C. de furtis*, & id docet docet glossa *cap. Si postquam verbor. confirmatione, de electione in 6.* quam commendat Abbas *cap. 2. num. 10. de mut. petit.* Sed quoad hæc priuilegia verè æquiparantur talia iuramenta, & vota; ergo intentum. Minor probatur, quia in his priuilegiis conceditur facultas dispensandi, aut commutandi obligationem ex virtute religionis soli Deo tanquam creditori acquisitam, & solùm spectatur an etiam homini ius aliquod comparatum sit, vt euenit in solis iuramentis homini præstitis; at obligatio tam voti, quàm iuramenti soli Deo præstiti Deo solummodo acquiritur; ergo facultas priuilegij circa vota extenditur ad iuramenta hæc.

Ex dictis sequitur, si priuilegium esset ad commutanda iuramenta soli Deo facta, seu ad commutandas promissiones iuramento soli Deo facto confirmatas, posse prædictum priuilegium extendi ad vota, quia licet non militet tunc prior ratio adducta *num. præcedenti*, eum tunc principalis sit voti obligatio ad quam debet esse extensio; at militat tertia, & posterior ratio *num. præcedenti* adducta, nempe hæc æquiparati quoad commutationem, & dispensationem; & ita docet expressè Sanchez *lib. 8. de matr. disp. 2. n. 19.*

Nec obstant rationes pro prima opinione adductæ. Ad primam enim nego dari hîc duo vincula diuersæ rationis; & dico dari vnum tantùm voti, licet sit sub ratione iuramenti emissum; virtualiter enim & substantialiter iuramentum illud, votum est, vt dictum manet in secunda opinione. Ad secundam respondeo, argumentum procedere in simplici iuramento, non in eo quod virtualiter est votum; nam quando iuramentum est virtualiter votum, & in se votum inclusum habet, certum etiam est tale iuramentum meru extortum cum nihil aliud sit, quàm votum, ipso iure non obligare. Ad tertiam, assero societatem IESV eam declarationem obtinuisse ad tollendos scrupulos, qui in ea re, ex prima opinione, quæ etiam est valde probabilis, vt dixi, oriri poterant.

13. Maius, & vrgentius dubium est, an quando eadem res promissa confirmatur expressè duobus vinculis, altero voti, altero iuramenti additi, aut è contrario altero iuramenti, altero voti, concessa facultate, in priuilegio, aut iubileo ad commutandum, censeatur etiam eo ipso in tali priuilegio concessa facultas ad commutandum votum addito iuramento confirmatum; aut è contrario concessa facultate ad commutandá iuramenta censeatur etiam concessa facultas ad commutanda ea, si fuerint voto addito roborata. Et hac de re est triplex opinio.

Prima negat, prædictam facultatem delegatam ad commutanda, extendi ad vota iuramento confirmata. Hanc tenet Henriquez *lib. 7. de indulgentiys, cap. 30. num. 5.* Azor. *lib. 11. inst. moral. cap. 10 quæst. 1. & cap. 18. quæst. 16. & cap. 19. quæst. 19.* Manuel Rodriguez *in Bulla Cruciata, §. 9. num. 110. & in secundo tom. summæ, cap. 110. in fine, & quæst. regular tom. 1. quæst. 63. art. 5.* & Sorbus *in compendio Mendicantium, verbo, Absolutio 2. quoad sæculares in resolutionibus, quas ibi ponit conclus. 8.* Fundamenta illorum hæc sunt; quia sunt duo vincula expressa, quæ apertè maiora sunt vnico tantùm concesso. Et confirmatur, quia D. Thom. *2. 2. quæst. 89. art. 9. ad 1.* ait iuramentum addi voto, vt per duas res immobiles maior fides habeatur, & Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 8. ad 2.* ait, licet vinculum iuramenti sit minus, additum tamen voto, nexum facere implicatiorem. Tandem, quia Societas IESV cui Paulus III. concesserat facultatem commutandi vota, impetrauit à Gregorio XIII. vt id priuilegium extenderetur ad vota iuramento firmata, vt constat ex compendio priuilegiorum; *verbo, Commutatio, §. 1.* & pro hac opinione faciunt etiam omnes authores, & rationes, quas fecimus *num. 12. §. Dubium quoque, versu, Si loquamur de potestate delegata.*

Secunda absolutè docet, eum qui ex potestate in priuilegio, bulla, aut iubileo delegata potest vota commutare; posse etiam illa commutare licet sint iureiurando confirmata. Ita docet Emanuel Sà *in summ. verbo, Votum, vbi de votorum irritatione, & dispensat num. 16.* & videtur docere Aragonius *2. 2. quæst. 86 art. 9. & quæst. 88. art. 12. colum. 6. dict. 1.* Fundamentum illorum esse potest, quia votum cui additur iuramentum, est materia ipsius iuramenti; quare delegata, & concessa facultate ad commutanda vota necessariò censetur concedi ad commutanda iuramenta; sublata enim, aut commutata materia necessariò tollitur, aut mutatur illius vinculum. Confirmatur, quia accessorium sequitur principale, iuramentum est accessorium voto: quare sublato aut commutato voto, necessariò tollitur aut commutatur prædictum iuramentum. Deinde, quia æquiparantur vota, & iuramenta quoad hoc, vt suprà diximus *num. 12. versu, Secunda opinio, ad finem.* Tandem, quia perinde est ac si idem votum repeteretur, & tunc nullus dubitaret posse virtute eius priuilegij prædictum votum sæpe repetitum commutari, vt patet.

Tertia opinio probabilior (licet etiam hæ duæ sint probabiles) distinguit in hunc modum. Aut iuramentum voto additum apponitur de nouo ad

ad voti confirmationem, & dependenter ab illo; aut non apponitur ad confirmandum votum; sed independenter ab illo. Si apponatur, & præstetur ad voti emissi confirmationem, tunc priuilegium dispensandi, aut commutandi vota extenditur ad vota sic iuramento confirmata; tunc enim iuramentum est voto accessorium, ac proinde satis est sola potestas ad tollendum, aut commutandum voti vinculum, quo sublato, aut commutato tollitur, aut commutatur iuramentum. Et ita docet Sanchez *lib 8. de matrim. disp.* 2. *num.* 23. & Emanuel Rodrig. *in additionibus ad Bullam Cruciatæ*, §. 9. *num.* 11. & docent authores secundæ sententiæ, & rationes pro illa factæ hanc partem conuincunt.

Sanch.
Rodrig.

Si verò non præstetur iuramentum in voti confirmationem, sed independenter ab illo; vt si quis prius vouit ieiunium, & postea iurauit illud, aut prius ieiunium iurauit, & postea vouit illud non quasi votum aut iuramentum confirmans, sed vel eius immemor, vel omnino independenter ab illo; tunc priuilegium erga votum minimè extenditur ad iuramentum simul. Quod probant argumenta, & rationes factæ pro prima opinione, & in hoc casu est vera prima sententia; ita docent authores illius, & Sanchez *dicto lib* 8. *de matrim. disp.* 2. *num.* 23. Cum enim tunc sint duo vincula diuersæ speciei, nec vnum pendeat ab illo vt sic, illo sublato, cesset istud; fortiora sunt vno solo, quod priuilegium tantùm concedit; vnde id priuilegium ad vtrumque extendi non poterit.

Sanch.

In dubio autem, an iuramentum posteriùs emissum, sit præstitum ad solam confirmationem voti, credendum est, & præsumendum ad confirmandum illud fuisse emissum, vt optimè notat Sanchez allegatus *dict. num.* 23. *fine*, eo quòd semper soleat sic præstari, quoties votum præcedit: quare tunc priuilegium concessum circa vota extendetur in eo dubio ad votum simul cum iuramento iuxta Sanciom allegatum.

Sanch.

14. Rogas tamen, an quando in iubileis indulgentiisve, aut in Bulla Cruciata conceditur, & delegatur facultas confessariis ad commutanda vota, intelligenda sit in ea facultas ibi concessa, & delegata tam amplè, vt virtute illius possint etiam commutari vota facta post ipsum iubileum, an solùm intelligatur de votis emissis ante prædictum iubileum, & susceptionem bullæ. Respondeo intelligi etiam de votis emissis post iubileum, & susceptionem bullæ. Ita Nauarrus *in summ Lat. cap.* 12. *num.* 80 *versu, Quibus omnibus.* Corduba *de indulgent. quæst.* 3. *propositio* 2. Azor. *tom.* 1. *inst. moral lib.* 11. *quæst.* 9 Fundamentum illorum est, quia quando datur facultas ad absoluendum à peccatis, pœnis, & censuris reseruatis, nisi aliud exprimatur, protenditur ea facultas ad peccata, pœnas & censuras contractas tam ante, quàm post iubileum. Ergo & quando conceditur, ac delegatur facultas ad commutanda vota, protendetur etiam ea facultas tam ad vota emissa ante, quàm post iubileum. Vbi enim Pontifex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Demum, quia indulgentiæ, cum sint priuilegia, & fauores, extendendæ sunt, & non restringendæ; tantum enim valent, quantum sonant. Quare non placet opinio Soti *lib.* 7. *de inst. quæst.* 4 *art.* 3. asserentis eam facultatem solummodo locum habere in votis ante iubileum factis, non postea emissis, & de hac re iterum redibit sermo *num.* 17.

Nauar.
Cordub.
Azor.
Sotus.

15. Quando tamen in prædictis iubileis datur facultas confessariis commutandi vota in certam eleemosynam, in subsidium v. c. expeditionis aduersus Turcas, existimat Azor. *dict. tom.* 1. *inst. moral. lib.* 11 *cap.* 18. *quæst.* 9. non posse confessarios eam eleemosynam commutare arbitrio suo in alia opera pietatis. v. c. in preces, in ieiunia, quia delegatæ sibi facultatis terminos transilire non possunt, & idem tenet Nauarrus *in summa, Lat. cap.* 12. *num.* 86. *versu, Admonemus*, ibi: *Admonemus insuper confessarios, qui vota per Bullas Cruciatæ commutant, quòd commutatio in vtilitatem ipsius Cruciatæ fieri debet, in quo multi errant commutantes ea in ieiunia, orationes, peregrinationes, missas, & eleemosynas pauperum; quia tenor Bullæ habet, vt huiusmodi commutatio fiat in vtilitatem Cruciatæ, & idem dicendum de his, qui commutant virtute iubileorum, aut aliarum gratiarum, quæ præcipiunt hoc facere in vtilitatem aliquorum locorum particularium.* Hæc ille. Quod si illis obiicias paupertatem illius, qui votum fecit, tantam esse, vt nihil dare queat? Respondet Azor allegatus, oportere dare eleemosynam, licet exiguam, & tenuem, & hominis, cuius votum commutatur, paupertati parem. Et si illi opponas neque illam perexiguam dare posse prædictum pauperem, consequenter respondebit, non posse hunc hominem iubileum comparare, quia non potest confessarius transilire finem delegatæ sibi potestatis, & quia Summus Pontifex non nisi sub hac conditione gratias illas, & iubileum concedit: sed durissima mihi planè videtur hæc Azoris & Nauarri opinio, & prorsus extra rationem, Primò, quia eadem est ratio de parte ad partem, atque de toto ad totum. Vnde si illi fatentur posse prædictos confessarios minuere certam eleemosynam præscriptam à Summo Pontifice. v. c. vigenam in obolum arbitrio suo, considerata paupertate vouentium, cur non concedent etiam posse illam commutare in preces, ieiunia, aut orationes, si tam pauperes sint, vt neque vnum obolum habeant, cùm tam excedant fines suæ commissionis in vno, quàm in alio. Secundò, quia cogunt nobiles pauperes eleemosynam petere ad comparandum iubileum, aut ad eas angustias redigunt, vt illum non comparent. Quod vtrumque durum videtur, maximè, quia nemo tenetur eleemosynam petere, vt rem alienam restituat, nec dum, vt iubileum comparet. Tertiò, quia intentio Pontificis iubileum concedentis est iuuare illam expeditionem temporali subsidio illarum eleemosynarum, & forte magis iuuatur illa subsidio spirituali, ieiuniis videlicet, & precibus ad Deum fusis, quàm prædicta eleemosyna: subsidium enim spirituale, non est minus præstans, quàm temporale. Quartò, quia non est credendum intentionem Summi Pontificis in eo casu fuisse illam quam prædicti authores asseuerant: quare in eo non transiliunt confessarij fines suæ commissionis; sed secundùm illos operantur spectata intentione Pontificis. Et ita docet Lessius *tom.* 1. *lib.* 2. *de voto cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 95. *in prima edit. Antuerpiana, in Parisiana vero dubit.* 16. *num.* 109. & Vinaldus *in candelabro aureo cap.* 14. *n.* 39 & hac de re iam aliquid tetigimus *num.* 11. §. *Aduerte autem.*

Azor.
Nauar.
Lessius.
Viuald.

16. Potest etiam fieri commutatio hoc modo, *Commuto tuum votum in id quod talis vel talis vir doctus præscribet*, vt docent Nauarrus *in summa Lat. cap* 26. *num.* 13. & Lessius *tom.* 1. *de iustit. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 95. *in prima edit. Antuerpiana,*

Nauar.
Lessius.

uerpiana, in Parisiana verò dub. 16. *num.* 109. Nec refert etiam si non nisi peracto iubileo ille præscribat, quia commutatio ante facta est. Neque peccabit vouens contra votum si ante præscriptionem, & assignationem nouæ materiæ ab illo tertio faciendam prius votum violauerit, quia huius obligatio iam est extincta & translata in aliam materiam in genere, vt docet ibidem Lessius, ille enim acceptando talem commutationem implicitè vouet id, quod ille doctor præscripturus est.

17. Vbi etiam animaduertes, si quis tempore iubilei per obliuionem, vel alia de causa non curauit vota sua commutari, aut dispensari, posse id postea curare, & fieri etiam post annum, si ipse intra tēpus iubilei opera ad iubilei comparationem à Pontifice assignata peregit. Ratio est, quia hoc ipso quòd debito tempore opera ad iubilei consecutionem necessaria præstitit, acquisiuit priuilegium, quo possint eius vota commutari, ac dispensari; quod priuilegium non est certo tempori adstrictum, vt colligitur ex tenore, & contextura verborum iubilei. Et idem dicendum est de absolutione à reseruatis, quæ tempore iubilei fuit oblitus, quia ius acquisiuit quilibet ea confitendi. Ita docet Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 16. *num.* 109. *versu, Potest etiam, in editione Parisiana, in editione verò Antuerpiana, dubit.* 11. *num.* 95. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disp.* 15. *num.* 17. Suarez *de pœnit. disput.* 31. *sectione* 4.

Lessius. Sanch. Suarez.

18. Petes, an facta, & acceptata commutatione possit ipse vouens, aut iurans liberè redire ad vsum vel iuramentum prius, omissu eo, in quod facta est commutatio. Respondeo in primis non esse dubium posse quemlibet vouentem ac iurantem redire ad prius votum, vel iuramentum, quando commutatio, & dispensatio simul in minus facta est, quia licitum est cuique propria authoritate in melius commutare, & tunc prior materia euidenter est melior. Et ita docet expressè Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 55. *num.* 24. Et idem dicendum est, quando commutatio facta est in rem æqualem, aut meliorem, vt docet idem Sanchez *num.* 26. & expressè Azor *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 11. *cap.* 18. *quæst.* 10. *& quæst.* 12 Sayro *in clauis regia lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 22. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 97. *in editione prima Antuerpiana, in Parisiana verò dub.* 16. *n.* 111. vbi absolutè, & nulla adhibita distinctione dicunt hanc reditionem licitam esse. Et ratio est, quia cum ipsa commutatio, aut dispensatio fiat in fauorem ipsius vouentis, & iurantis, & in gratiam illius, vt illius vtilitati prospiciatur, in arbitrio illius manet, vti, vel non vti tali gratia: nam in huiusmodi commutationibus non eligitur materia subrogata in fauorem Dei, quasi per id intendendo eius cultum augere; sed eligitur ob solam vouentis vtilitatem, & fauorem, vt facilius votum impleat; non enim absolutè loquendo perinde est, ac si nouum votum emittatur, aut aliud efficiatur extincta prioris voti obligatione, sed extinguitur tantùm votum prius quoad hunc effectum, vt vouens non teneatur amplius ad illud, nisi hanc materiam commutatam relinquat, ac proinde non extinguitur absolutè, sed dependenter ab ista commutatione. & idem docet etiam Suarez *tom.* 2. *de religione lib.* 6. *cap.* 20. *num.* 5. *fine*, quamuis ille dicat contrarium esse etiam probabile.

Sanch. Azor. Sayro. Lessius. Suarez.

19. Vnde, vt optimè animaduertit Lessius *vtroque la-*

co allegatus, si sæpiùs facta sit commutatio, potest vouens seruare quiduis illorum votorum, in quæ facta fuit. v. c. votum peregrinationis annuæ commutatum fuit in menstruam confessionem in toto illo anno; menstrua illa confessio, in ieiunium hebdomadarium totius anni: ieiunium hebdomadarium in certas preces quotidianas: potest vouens satisfacere voto, vel recitando illas preces, vel ieiunando singulis hebdomadis, vel sua peccata confitendo singulis mensibus totius anni, vel annuam peregrinationem suscipiendo.

Commutatio fieri non potest sine causa; qualis autem causa esse debeat, ambiges? Breuiter assero ad commutationem, minorem causam requiri, quàm ad dispensationem; quia dispensatio omnino tollit obligationem voti, ac ab illa liberat; commutatio verò non omnino tollit sed aliam materiam loco prioris subrogat; vnde minor causa requiritur ad hanc subrogationem materiæ, manente eadem obligatione alligata materiæ subrogatæ, quàm ad omnimodam & totalem ablationem prædictæ obligationis. Si fiat igitur commutatio in melius, nulla alia causa requiritur, quàm quòd materia subrogata in quam commutatio fit, sit melior, & Deo gratior; Deus enim & Sancti semper gratius habent id quod melius est. Si fiat in æquale authoritate superioris, vel confessoris habentis delegatam facultatem ad talem commutationem faciendam; sufficit maior propensio voluntatis vouentis, maiorque facilitas in materiam subrogatam. Si autem dubitetur, an sit æquale, sufficit notabilis aliqua molestia ex parte vouentis in implendo voto, vel magna fragilitas cum periculo violandi illud, vel repugnantia patris, vel mariti, vel simile quiddam, quod prudens æstimabit. Ita docet Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 96. *in editione prima Antuerpiana, in Parisiana verò dubit.* 16. *num.* 100. 20.

Lessius.

Potest tamen contingere, vt post factam commutationem voti, vel iuramenti in materiam aliam subrogatam, reddatur ipsa materia subrogata indecens, aut impossibilis. In quo casu dubitant Doctores, an reuiuiscat prioris voti, vel iuramenti obligatio? Et iuxta veriorem sententiam respondendum est non reuiuiscere, quamuis culpa sua ipse vouens, vel iurans omiserit materiam subrogatam implere, & interim reddita sit impossibilis; & ita docet Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 55. *num.* 15. *& lib.* 8. *de matrim. disp.* 9 *n.* 21. & Graphis 1. *part. decision. aur. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 3. & Sayro *in claui regia lib.* 6. *cap* 12. *n.* 14. Viualdus *in candelabro aur.* 3. *part. cap.* 14. *num.* 27. Suarez *tom* 1. *de Relig. tract. de voto lib.* 6. *cap.* 20. *à num* 9. *vsque ad* 12. Et ratio est, quia per commutationem quoad hunc effectum fuit prorsus extincta obligatio circa priorem materiam; at obligatio semel extincta non reuiuiscit. *l. Qui res* §. *Aream, ff. de solution.* Quod in obligationibus propria voluntate assumptis clarius patet; quales sunt iuramenti, & voti; semel enim ablata obligatio nequit reuiuiscere, nisi iterum votum, aut iuramentum de nouo emittatur. Deinde, quia nullo iure probatur commutationem illam sub ea conditione fieri, vt reddita materia subrogata impossibili, reuiuiscat prior obligatio quamuis id insinuet Manuel Rod. contrarium propter hanc rationem tenens *in additionibus ad Bullam Cruciatam*, §. 9. *num.* 117. *& 118.* Nec quando commutatur votum, ea conditio apponi- 21.

Sanch. Graph. Sayro. Viuald. Suarez. Rodrig.

tur; si enim apponeretur, aut tacitè inesset, nihil referret, siue culpatè, siue inculpatè non mandaretur executioni. Denique, quia etsi facta commutatione liberum sit vouenti, vel iuranti redire ad prius votum, vel iuramentum, vt diximus *n.* 18. non inde sequitur reddita materia subrogata impossibili, teneri vouentem, vel iurantem ad priora vota, vel iuramenta redire, quia materia subrogata verè fuit determinata per talem commutationem, & sic extincta ea materia determinata extinguitur vinculi obligatio, quamuis eo priuilegio fruatur vouens, vt possit pro libito redire ad prius votum: spectat enim hæc reditio ad fauorem vouentis, vel iurantis, vt suprà *dicto numer.* 18. diximus.

23. Hinc deducitur non teneri eum, qui religionem vouit, & ingressus post professionem in perpetuum eiicitur, iterùm aliam religionem ingredi. Quamuis enim id aliqui affirment, primò, ex eo fundaméto, quod votum illud de ingredienda religione ante professionem emissum, fuit absolutum, & non fuit de hac vel illa religione determinata & vaga. Secundò, ex eo quòd vouens castitatem, si ad matrimonium transeat, tenetur quantum potest, seruare prius votum, & sic tenetur abstinere à debiti petitione, & soluto matrimonio tenetur castitatem integrè seruare. Sic similiter hic professus expulsus tenebitur ad prius religionis votum ingrediendo aliam religionem, & hi sunt Sotus *lib.* 7. *de iustit. quæst.* 2. *artic.* 1. *in solutione ad* 3. *fine, versiculo, Quid si*, Aragon. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 3. *in solutione ad* 2. *in fine.* Graphis 1. *part. decision. lib.* 2 *cap.* 30 *num* 3. Manuel. Rodrig. *in addit ad Bullam cruciatam* §. 9. *n.* 117. *&* 118. Veiga *tom.* 2. *summæ cap.* 129. *casu* 79. Corradus *in suis responsionibus* 1. *part. quæst.* 285. Attamen verius est minimè teneri, quia omnia vota ante professionem facta commutantur in ipsam professionem; siue fuerint vota de ingredienda Religione vagè, & absolutè siue de ingredienda hac, vel illa Religione determinatè; ac per eam extinguuntur omnino iuxta *caput, Scripturæ, de voto,* obligatio autem semel extincta non reuiuiscit. Et hinc patet solutio ad rationes contrarias: nam votum Religionis indeterminatæ non extinguitur ex eo quòd vouens petens aliquam determinatam non admittatur in eam, aut ex eo quòd post admissionem ante professionem eiiciatur, nec votum castitatis per matrimonium postea initum; at votum religionis siue absolutæ, siue determinatæ extinguitur per votum professionis vt patet ex *prædicto capite, Scripturæ de voto*; & ita docet Sanchez *lib* 4. *Decalogi cap.* 55. *num.* 18 Azor. *tom.* 1. *Inst. moral. lib.* 12. *cap.* 16. *quæst* 5. Sayro *in claui regia lib.* 6. *cap.* 9. *fine.* Lessius *lib* 2 *cap* 41. *dub.* 15. *num.* 111. Qui omnes meritò non distinguunt an votum id fuerit religionis strictioris illa, in qua fuit professus, & an fuerit solius ingressus, an etiam perseuerantiæ; quia etsi forte peccarit profitendo in laxiori contra votum ingrediendi, aut perseuerandi in strictiori, at reuera per professionem in laxiori prius votum extinctum fuit iuxta *caput penultimum de regularibus in* 6. Quod intelligendum est iuxta Lessium allegatum, & Sanciom citatum, nisi dum ille vouit religionem, se expresè obligarit ad aliam religionem capessendam, si contingeret, illum à semel assumpta post professionem eiici; quod tamen adhuc intelligit Sanchez, nisi ille postea expresè vellet id votum commutare in eam professionem, quia tunc, licet postea factus iam professus expellatur, non reuiuiscet.

Sotus. Arag. Graph. Rodrig. Veiga. Corrad. Sanch. Azor. Sayro. Lessius.

Circa praxim verò commutandi vota, vt in melius, aut æquale commutentur, habenda est ratio finis ad quem res voto promissa ordinatur, dignitas enim materiæ promissæ, augetur ex digniori fine, & ita maiori commutatione indigebit. Vnde si quis vouit non ludere ad vitandas blasphemias, & periuria, maiori commutatione opus habet, quàm si finis solus esset vitare prodigam pecuniæ iacturam. Ita Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 56. *num.* 9. Habenda est etiam ratio difficultatis implendi rem promissam, ac materiam subrogatam, quia difficultas auget meritum. Quare votum ieiunij à paupere emissum, si in eleemosynam commutetur, potest in multo minorem eleemosynam commutari quàm si a diuite esset emissum; pluris enim Deus æstimat exiguas pauperis pecunias eleemosynam largientis, quàm multas diuitis. nam Christus Dominus *Lucæ.* 21. prætulit duo æris minuta pauperis viduæ, aliis largius offerentibus. Habenda denique est ratio in commutationibus votorum peregrinationum, laboris, itineris, & expensarum, ac sumptuum, qui faciendi sunt in itione, & reditione; nam etsi expensæ illæ non sint necessariò pecuniis redimendæ, augent tamen difficultatem materiæ promissæ, ac proinde huius etiam difficultatis ad materiæ subrogatæ æqualitatem habenda est ratio. Ita docet Sanchez *cum multis dict. lib.* 4. *Decalogi cap.* 56. *à num.* 11. *vsque ad* 14. 24. Sanchez. Sanch.

Non est tamen necessarium ad voti commutationem, vt animaduertit Sanchez allegatus *n.* 27. vt materia subrogata sit æqualis priori promissæ in magnitudine, duratione, aut numero; poterit enim magnitudo, diuturnitas, & maior quantitas prioris operis promissi, difficultate, seu qualitate operis subrogati compensari, vt optimè etiam animaduertit Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 40. *dub* 12. *num.* 101. & Suarez *tom.* 2. *de Religione lib* 6. *cap.* 19 *num.* 21. Vnde non est opus commutari votum perpetuum in materiam perpetuam; sed poterit in materiam temporalem æqualis obsequij diuini commutari. Sic votum implendum certa die, non est necessarium commutari in opus aliud in eadem die exequendum. Potest enim esse maioris, aut æqualis obsequij diuini exequi materiam subrogatam in alia die, vel tempore. Ita docent Sanchez allegatus *n.* 28. & Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 19 *num.* 6. 25. Sanch. Lessius. Suarez. Sanch. Henriq.

Denique animaduerto ad finem huius capitis commutationem esse actum iurisdictionis, vt alibi diximus; quare cum sit actus iurisdictionis, non potest fieri à confessario ordinario iuxta formam Concilij Tridentini approbato, nisi ipse ordinariam habeat potestatem ad commutandum, aut saltem commissam & delegatam virtute iubilei, Bullæ aut alterius Pontificij priuilegij, vt sæpe diximus, & de se patet. Hoc priuilegium ad commutanda fidelium vota vndecunque ad se venientium habent confessores Societatis IESV, & ratione illorum per participationem cæteri mendicantes, & alij Religiosi, qui ex priuilegio priuilegiorum mendicantium sunt participes. Nam Paulus III. illis hoc priuilegium concessit, his verbis. *Conceditur facultas illis, ex vobis, qui presbyteri fuerint quorumcumque vtriusque sexus Christi fidelium, ad vos vndecumque accedentium confessiones audiendi & confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, ac singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis* 26.

quan

quantumcumque grauibus, & enormibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus, sententijs &c. absoluendi, ac eis pro commissis salutarem pœnitentiam iniungendi, nec non vota quæcumque per eos pro tempore emissa (vltramarinis, visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli de vrbe, ac Sancti Iacobi in Compostella, nec non Religionis, & castitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi: Et Gregor. XIII. anno 1575. in sua bulla in fauorem nostræ societatis concessa, quæ incipit. *Ad perpetuam rei memoriam, decet Romanum Pontificem*, extendit hoc priuilegium ad vota iurata his verbis. *Insuper facultatem aliam presbyteris Societatis prædictæ à Sede Apostolica concessam, commutandi vota etiam ad iurata, dummodo commutatio huiusmodi in alterius præiudicium non fiat, extendimus.* Et Pater noster Generalis Claudius Aquauiua *in compendio nostrorum priuilegiorum verbo, Commutatio, §. 1.* communicat totam hanc facultatem omnibus confessariis ex Societate IESV, à superiore deputatis, & ab Ordinario iuxta formam Concilij Tridentini approbatis.

CAPVT LI.

Quid sit periurium, quotuplex, & quæ pœnæ in periuros sint iure statutæ.

SVMMARIVM.

Quid, & quotuplex sit periurium. num. 1. Quomodo propriè, vel impropriè accipiatur. ibid. & num 2.

Vtrum grauius sit peccatum, periurium ne an homicidium. num. 3. & 4.

Virtus religionis, an sit excellentior iustitia. num. 4. & 5.

Periurium pœnis iuris canonici, & ciuilis subiectum, an solum contingat in solo iuramento promissorio, an etiam in assertorio. num. 6.

Periurij efficiuntur infames infamia iuris canonici, & ciuilis. Quæ sit infamia iuris canonici, quæ ciuilis. num. 7.

Infamia iuris canonici incurritur ob periurium publicum, & notorium notorietate facti, & ob periurium in iudicio conuictum, vel in iudicio confessum num 8.

Infamia iuris ciuilis solùm incurritur ob periurium in iudicio conuictum, vel in iudicio confessum. num 9.

Quæ causæ excusent ab vtraque infamia canonica, & ciuili, & ob quæ periuria non incurratur vtraque infamia. num. 10.

Periuri non admittuntur in testes, nisi solum in iuramentis calumniæ, & fidelitatis. num 11. Quid sit iuramentum calumniæ ibid.

Qui & quales periuri non admittantur in testes, an periuri notorij notorietate facti, an solum in iudicio conuicti, & per sententiam iudicis declarati. num. 12.

An periurus in iudicio conuictus, & de sententia iudicis periurus declaratus, possit in foro conscientiæ iuramentum in iudicio ferre, si non repellatur exceptione periurij. num. 13.

An periuri puniri etiam possint à iudice arbitrariè. num. 14.

An clericus propter periurium publicum, vel in iudicio probatum, amittat, ipso facto, beneficium, vel officium, ac dignitatem obtentam, & fiat inhabilis ad beneficium de nouo obtinendum. num. 15.

An collatio, & institutio beneficij facta periuro sit ipso facto nulla. ibid.

Vtrum maius sit vinculum voti, an iuramenti. n. 16.

Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis, qui sæpe peierant. num. 17.

PERIVRIVM *est mendacium iuramento firmatum.* Ita Iulius Clarus *lib. 5. §. Periurium. num. 1.* & communiter Doctores. 1. Iul. Clar. Sumitur periurium tripliciter. Primò, pro periurio propriissimè. Secundò, pro periurio propriè dicto. Tertiò, pro periurio impropriè dicto. Periurium propriissimè dictum tunc datur, cum iurans sub iuramento aliquid promittit, & non habet animum implendi, nec postea implet; deest enim tali iuramento veritas in verbo, & in facto, seu, vt Theologi appellant, veritas de præsenti, & de futuro. Periurium propriè dictum tunc datur, cum quis quando iuramento aliquid promittit, non habet animum implendi id quod promittit, & postea implet; quia is iurat id quod in animo, & mente non habet, & sic mentitur, & falsum iurat, & contra mentem it, dum iurat id quod in mente, & animo non habet: mentiri enim nihil aliud est, quàm contra mentem ire. Nec obstat quod postea mutans animum, & mentem promissionem suam impleat, quia reuera initio mendacium iuramento confirmauit, mentitusque fuit, falsum dixit, & contra mentem iuit, & tali iuramento veritas de præsenti, seu in verbo defuit, & per accidens fuit, quòd postea impleuerit, & non defuerit veritas de futuro, seu in facto. Ad periurium igitur propriè dictum solùm requiritur quòd iuramento deficiat veritas de præsenti, seu in verbo; ad periurium autem propriissimum vtrumque requiritur, & quòd deficiat veritas de præsenti, & de futuro, seu quod idem est, veritas in verbo, & in facto.

Si tamen quis cum iurauit, animum habuit implendi, & postea non impleuit; periurus est impropriè dictus, quia tali iuramento non defuit veritas de præsenti, sed tantùm de futuro; vnde 2. nec falsum iurauit, nec mentitus est, nec contra mentem iuit, fuit tamen infidelis mutans postea animum, & non implens; & ideo tali iuramento defuit veritas de futuro, seu in facto, non in verbo: quamobrem tale periurium dicitur periurium impropriè, non propriè. Secundo etiam modo periurium impropriè dictũ committitur, cum iuramento deest iustitia, hoc est, cum quis iureiurando promittit se aliquid iniustum facturum. Tertiò, cum deest iudicium, hoc est, cum quis temere & inconsideratè iurat. Vnde periurium hoc secundo & tertio modo dictum, impropriè periurium appellatur, quamuis melius illud periurium impropriissimè appellaremus, vt patet.

Dubium ergo est, vtrùm grauius peccatum sit periurium, an homicidium? Hac de re duplicem 3. opinionem inuenio. Prima asserit periurium homicidio grauius esse peccatum. Ita docet S. Thomas *quodlibet 1. quæst. 9. art. 2.* D. Thom. Sotus *lib. 3. de iust. quæst. 2. art. 3. conclus. 4.* Sotus. Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 12. quæst. 6.* Azor. Syluester *verbo, Periurium, quæst. 2.* Syluest. Tabiena *ibi quæst. 4* Tabiena. Probatur facilè, primò, quia grauitas peccati ex obiecto pensanda est; atqui peierans magis Deum offendit, quàm occidens; ergo periurium grauius est peccatum, quàm homicidium. Minor probatur, quia peierans offendit Deum immediatè; occidens offendit hominem immediatè, & Deum mediante

homine occiso, ergo peierans magis Deum offensione sua attingit, quàm occidens; ac proinde grauius peccat. Secundò, quia homicida in iudicium adductus si obiectum sibi crimen homicidij deneget, cogitur iurare, an id fecerit, necne; igitur periurium pro grauiori crimine habetur; si quidem homicida homicidium confitetur, ne in periurium labatur.

4\. Richard. Gabriel. Maior. Angel. Selua. Rebuff. Secunda opinio docet homicidium grauius peccatum esse periurio. Eam tenent Richardus *in 3. dist. 39. art. 4. quæst. 1.* Gabriel *in 3. dist. 39. quæst 2. art. 3. dub 4.* Maior *in 3. dist. 39. quæst 5.* Angelus *verb. Periurium, num. 8.* Selua *de beneficio 3. part. quæst. 2. art. 3.* Rebuff. *de pacifica possess. num. 223.* Fundamentum illorum est, quia crimen homicidij grauius punitur in omni Republica, quàm crimen periurij, ergo grauius peccatum est homicidium, quàm periurium; grauiora enim delicta grauiori pœna, & minora minori puniuntur *cap. Vt cleric. de vita & honest. cleric. cap. Felicis, §. illud*, vbi DD. communiter de pœnis, *lib. 6. cap. Nisi. de officio delegati, lege Leuia. Vbi DD. ff. de accusat. l. Respiciendum ff. de pœnis.* Verùm istud fundamentum debile est, quia si homicidium grauius punitur in omni Republica, quàm periurium, ideo est, quia magis pax Reipublicæ perturbatur homicidiis, quam periuriis, & ideo leges grauiores pœnas homicidiis, quàm periuriis decreuerunt, non quòd homicidia grauiora essent peccata, sed quod magis pacem Reipublicæ perturbarent. Secundò, quia per homicidium offenditur virtus iustitiæ, per periurium offenditur virtus religionis: iustitia autem maior est virtus, quàm religio, & peccata eo grauiora sunt, quo maiori virtuti opponuntur. Sed nec etiam hæc ratio conuincit; negamus enim virtutem iustitiæ esse excellentiorem virtute religionis; nam illa virtus excellentior est, quæ immediatiùs Deum attingit, at iustitia nullo modo, nec mediatè, nec immediatè attingit Deum, sed proximum, illum offendendo, & mediante proximo, remotè etiam Deum similiter offendet, quia offendit illius creaturam; religio autem mediante cultu externo Deum attingit, & ideo absolutè loquendo excellentior virtus est quàm iustitia. Quamobrem ex his duabus opinionibus primam probabiliorem iudico propter sua fundamenta, & rationes, & quamuis authores huius secundæ de homicidio dubitent, omnes tamen conueniunt periurium grauius esse peccatum adulterio, & furto, & detractione, minus tamen & leuius odio Dei, vt in *lib. 8 octaui præcepti*, ostendemus.

5\. Sed obijcies, si virtus religionis excellentior esset virtute iustitiæ, sequeretur grauius esse peccatum die festo laborare, quàm hominem occidere; quia in primo violatur virtus religionis, in secundo virtus iustitiæ. Respondeo non inde sequi grauius peccatum esse laborare die festo, quàm hominem occidere; quia, qui laborat die festo, non violat præceptum diuinum religionis, sed præceptum humanum illius; nam præceptum diuinum est Deum colere; at quo die, quo tempore, & quibus actionibus in speciali Deus sit colendus, non hoc ad præceptum diuinum spectat, sed ad præceptum humanum Ecclesiæ, quæ suo præcepto iam decreuit Deum esse etiam colendum per cessationem operum seruilium, & per auditionem sacri in diebus festis. Præceptum itaque diuinum religionis de colendo Deo nullum respicit tempus certum, nullam etiam actionem externam certam, & determinatam; Ecclesia autem determinauit tempus, & actiones, quibus Deus est colendus, & ideo contra præceptum Ecclesiæ peccat, qui diebus festis laborat, respicit tamen præceptum diuinum de colendo Deo tempus incertum, & indeterminatum, & actiones in genere: quare nunquam aliquid facere ad honorem Dei grauius est peccatum, quàm homicidium, quia est contra præceptum diuinum de colendo Deo contra latriam, & contra pietatem in Deum. Ita respondet, & optimè Syluester *verbo, Periurium, quæst. 2.* Syluest.

Variæ autem pœnæ periurij sunt, de quibus statim agemus. Animaduertendum tamen est cum Iulio Claro *lib. 5. §. periurium. num. 3.* has pœnas solum comprehendere periuros propriissimè, & propriè dictos, non autem periuros impropriè dictos: periurium autem propriissimè, & propriè dictum solùm locum habet in iuramentis promissoriis, quibus aliquid falsò, & mendaciter promittitur, aut asseritur de futuro, vt diximus *num 1.* non verò in iuramentis assertoriis, quibus aliquod mendacium de præterito aut de præsenti affirmatur. Vnde solùm ille, qui promisit cum iuramento aliquid de futuro, & illud non fecit ex tali periurio commisso super iuramento promissorio efficietur infamis, vt statim dicemus. Ita docet expressè Iulius Clarus *lib. 5. § periurium. num 3.* & expressè etiam Glossa *in l. Lucius §. Quæro. ver. debet autem, ff. de his, qui notantur infam.* Et est communis opinio, vt testatur Lanfran. *in repetit. capitis, Quoniam contra in materia testium. num 106.* Vnde omnes testes, qui iurant falsò in iudicio cum in initio veritatem se dicturos iureiurando promittant, periuri erunt, si veritatem non fateantur. 6. Iul. Clar. Gloss. Lanfran.

Prima igitur pœna periurij est, quòd periuri efficiuntur infames infamia iuris. Et hæc est communis opinio, quam docent Felinus *in capite, Testimonium num 20. de testibus*, & Iulius Clarus *lib. 5. §. Periurium. num. 3.* & patet ex *capite, Infames, & capite, Quicunque in 6. quæst. 1. & ex l. si quis maior. C. de transact.* & ibi glossa. Vnde infamia est duplex: canonica, & ciuilis. Canonica non inducit impedimentum indelebile, sed tale impedimentum inducit, vt tolli possit per pœnitentiam, vitæ mutationem, & bonæ opinionis acquisitionem apud homines. Ciuilis autem inducit impedimentum indelebile, & ideo tolli non potest vitæ emendatione; tollitur tamen per dispensationem, & habilitationem Principis superioris. 7. Felin. Iul. Clar.

Ob periurium autem omnino occultum nulla infamia incurritur, nec ciuilis, nec canonica. Ita Suarez *tom. 2. de Religion. lib. 3. de iurament. cap. 19. num 13.* Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. Periurium. num 11.* & alij, quos citabo *num. 10. §. 1. potest*; nam infamia nunquam incurritur, nisi vbi iura id exprimunt, nullum autem ius exprimit, per periurium occultum incurri publicam infamiam iuris. Neque enim ratio postulabat, vt crimen occultum infamia publica puniretur. Vnde qui occultè iurat se facturum aliquid, & non facit, infamis propriè non est, hoc enim iuramentum nemini nocet, nisi iuranti solùm, ac proinde occultum est, & non publicum, & solum Deum habet vltorem. Et in hoc sensu intelligenda sunt omnia iura, & authores, qui dicunt periuros non esse infames, ita scilicet, vt loquantur de periuriis occultis, & de his hominibus, qui non sunt publicè, & notoriè de periu- 8. Suarez. Iul. Clar.

rio

Sotus. tio infamati; & ita intelligendus est Sotus *lib.* 3.
de iust. quæst. 1. *art.* 10. *& quæst.* 2. *art.* 3. dicens
periuros non esse infames. Quare non est au-
Hostiens. diendus Hostiensis *in summa, titulo de testibus* §.
Quis possit esse testis, dicens infamiam iuris cano-
nici incurri ob quodcumque periurium scienter,
& animaduertenter commissum siue publicum,
siue secretum sit; est enim id falsum, quia licet
ad incurrendam infamiam iuris canonici non
semper requiratur iudicis sententia, qua iudex
declaret in iudicio contradictorio hominem illum
fuisse periurum, tamen requiritur quod periu-
rium sit notorium notorietate facti, ita vt nulla
tergiuersatione celari possit, nullo iuris remedio
occultari; vel quòd periurus proprio ore suum
Azor. crimen in iudicio fateatur vt optimè docent Azor
Suarez. *tom.* 1. *Instit moral lib.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 7. Suarez
tom. 2. *de Relig. lib.* 3. *de iuram. cap.* 19. *num* 14.
Syluest. & Syluester *verbo, Periurium. quæst.* 6. *ad finem.*
Et ratio est, quia hæc infamia est ex illis quæ
incurruntur ob grauitatem delicti, & genus
peccati; infamia autem quæ incurritur ob deli-
cti grauitatem, non requirit nisi notorietatem
ipsius peccati, vt sumitur ex *capite, Infames* 30. *q.* 7.
in fine.

9. Ad incurrendam autem infamiam iuris ciuilis
seu de iure ciuili ipsis periuris impositam, sem-
per requiritur, vel declaratoria sententia iudicis,
qua iudex declaret in iudicio contradictorio ta-
lem hominem fuisse periurum, vel confessio pro-
prio ore in iudicio facta, & in his tantùm periu-
riis publicis, quæ fiunt in iudicio, vel humana
pacta & contractus extra iudicium factos concer-
nunt, quando iuramento promissorio contrahen-
tes promittunt, se contractibus statutos, & iura-
mentum postea violant, & pactis non stant. Ita
Suarez. Suarez allegatus *num* 15. & omnes quos citabi-
mus *numer.* 12. *versu, sed verum.* Ratio est, quia
ius canonicum nihil de hac infamia iuris ciuilis
statuit: sumenda ergo est ex legibus ciuilibus,
quatenus per canonicas non reprobantur, leges
autem ciuiles non apponunt hæc verba, *ipso fa-
cto*, vel alia similia, infames sint. vt videre est;
in l. si quis C. de transact. ergo solùm tales erunt
post sententiam declaratoriam iudicis, aut post
confessionem propriam in iudicio, & in iis per-
iuriis, quæ aliis nocent. vt declarat lex, & glos-
sa ibi, qualia sunt, quæ in iudicio, & quæ extra
iudicium in contractibus humanis committuntur.
Deinde quia oportet rempublicam abundare ho-
minibus honoratis, & non infamibus, & ideo
oportuit etiam, vt non ob quodcumque proba-
tum periurium & mendacium iuramento fir-
matum quis infamis reddatur, & idcirco leges
ciuiles statuunt, vt solùm illi reddantur infames,
qui in iudicio contradictorio tales fuerint senten-
tia iudicis declarati, aut periurium suum proprio
ore in iudicio fuerint confessi, & oportuit etiam,
vt non ob quodcumque periurium infames de-
clararentur, sed solùm ob periuria nociua, & de-
trimentosa Reipublicæ, qualia sunt illa duntaxat,
quæ in iudicio committuntur, aut in contracti-
bus, & pactis humanis extra iudicium fiunt, alio-
quin cum homines sæpe in mendacia iurata la-
bantur, & paucissimi sint veritatis amatores, to-
ta respublica hominibus infamibus repleretur,
vt patet.

10. Ex dictis sequitur excusari posse periurum à
pæna infamiæ iuris canonici, & ciuilis. Primò, si
in iudicio ostendat se non aduertisse ad iuramen-
tum, & nescisse, se falsum iurasse, & putasse se
veritatem dicere; & sic sine dolo iurasse, nam in
eo casu non punitur pœna infamiæ iuris canonici
nec ciuilis; vera enim est iuris exclusio affirmans
periurium non committi sine dolo, hoc est, sine
scientia, & aduertentia, ita Baldus *in l. obserua-* Baldus.
re §. *Proficisci, columna* 3. *ff. de offic. Proconsul.*
Iulius Clarus *lib.* 5. § *Periurium. num.* 9. Iason. *in* Iul. Clar.
l. Videamus. in principio num. 7 *ff. de lit. iur.* Clau- Iason.
dius *in l. Si quis maior. num.* 41. *C. de transaction.* Claudius.
Gomez *in l.* 61. *Tauri num.* 19. Secundò, potest Gomez.
excusari à prædicta pœna infamiæ iuris canonici
& ciuilis, si ostendat in iudicio tale periurium
fuisse occultum, & nulli præiudicium attulisse;
nam eo casu si periurium occultum fuit, & nulli
præiudicium attulit, qui deliberatè, & scienter
periurauerit, non incurrit infamiam iuris canoni-
ci, nec ciuilis, nec potest in iudicio puniri ciuili,
vel Ecclesiastico; tale enim periurium in foro
tantùm animæ solum Deum habet vltorem. Ita
Glossa *in capite, Quicumque. in glossa finali* 6. *q.* 1. Glossa.
& est communis opinio, quam tenet Iason. *in l.* Iason.
si dno Patrom. §. *si quis iurauerit* 2. *post. num.* 1. *ff.*
de iureiurand. & Ioannes de Amicis *consilio* 109. Ioan de Am.
in fine; & Iulius Clarus *lib.* 5. §. *Periurium n.* 11. Iul. Clar.
Tertiò, potest excusari si reus interrogatus in iu-
dicio de crimine proprio ante semiplenam pro-
bationem in ipso examine falsum dicat; tale
enim periurium in foro contentioso puniri non
potest, sed solum Deum habet vltorem. Ita Ale- Alexand.
xander *Apostila ad Barthol. in l.* 1. *sub num.* 1. *ff.*
de bonis eorum; cui nemo contradicit, & Iulius Iul. Clar.
Clarus *lib.* 5. §. *Periurium. numer.* 12. *&* § *finali.*
quæst. 45. *versu, Quid ergo.* An autem idem di-
cendum sit, quando crimen est semiplenè proba-
tum, quidam affirmant, alij negant. Ego cum
negantibus consentio, vt alibi dixi, quia nemo te-
netur dare arma contra se ipsum, nec præbere
ensem iudici etiam post sententiam mortis latam,
vt caput suum amputet; perinde autem est, mo-
raliter loquendo, tunc proprium crimen fateri,
ac ensem contra seipsum præbere. Quartò, ex-
cusari potest à pœna infamiæ iuris ciuilis si osten-
dat in iudicio, tale periurium etiamsi fuerit publi-
cum non fuisse commissum in pactis, & contra-
ctibus humanis, & ideo non fuisse Reipublicæ
detrimentosum iuxta ea quæ diximus *num.* 9. ita
authores ibi allegati.

Secunda pœna est, quòd periurus non sit in 11.
testem admittendus, & à iuramento in iudicio
præstando excludatur tam in causa propria, quàm
aliena. habetur in *cap. Quicumque, & in capite,*
Paruuli 22. *quæst.* 5. quod glossa ibi explicat, &
bene, de solo iuramento sibi vtili; secus de one-
roso, quam sequitur Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 3. Sanch.
num. 5. fine, vt est iuramentum calumniæ, &
præstandæ fidelitatis; quia ex quo semel fuit ma-
lus, & peierauit, præsumitur quod semper peie-
ret. Est autem iuramentum calumniæ, quo quis
cogitur iurare, an querelæ, quas aduersus alios
profert, sint veræ, necne.

Quidam hoc intelligunt de omnibus periuris 12.
notoriis notorietate facti, etsi in iudicio non con-
uictis, si iuramentum id notorium fuerit, quan-
tum ad verba, deliberationem, & factum, quia
nimirum euidens est periurum dixisse verba iu-
randi, & bene deliberasse, & cognouisse se iu-
rare falsum. Ita Syluester *verbo, iuramentum, q.* 2. Syluest.
num. 3. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 3. *co-* Valent.
lum. 4. *versiculo, Disputat verò.* Azor *tom.* 1. *inst.* Azor.
moral. lib. 11. *cap.* 11. *quæst.* 6. Sed verius est opor-
tere ad hanc pœnam incurrendam periurum esse
in

in iudicio conuictum, aut proprio ore in iudicio confessum, quod sustinet Archidiaconus; quem Syluest. Tabien. Sotus. Arag. Sanchez. refert, ac sequitur Syluester *verbo, Periurium* q. 5. Tabiena *verbo, iurare, quæst.* 21. Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 1. *artic.* 10. *columna* 2. Aragon. 2. 2. *quæst* 89. *artic.* 10 *paulo post principium.* & Sanch. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 3. *num.* 5. Et ratio est, quia hi repelluntur à iureiurando ob infamiam, quam ob periurium contraxerunt iure ciuili; de iure autem ciuili solùm illi infames habentur, qui in iudicio contradictorio periuri probantur, aut proprio ore periurium suum confessi sunt in eodem iudicio, vt diximus *num.* 9.

13. Suarez. Et ideo videtur asserere Suarez *tom.* 2. *de Religion. lib.* 3. *de iuramento cap.* 19. *num.* 19. in foro conscientiæ neminem teneri abstinere à iureiurando in iudicio etiamsi fuerit in eodem iudicio de periurio conuictus, donec per exceptionem, vel accusationem repellatur. Probat, quia canones, & iura ciuilia non dicunt, *ipso facto sit repulsus*, sed absolutè dicunt, *repellatur*; ergo per exceptionem, vel accusationem. Secundò, quia ista pœna exclusionis à testimonio in iudicio ferendo fundatur in præsumptione, quod iterum peierabit, qui semel fuit periurus; quæ præsumptio in conscientia cessat, cum quis habet animum iurandi verum, ac proinde nemo tenetur in conscientia à iureiurando abstinere, donec via exceptionis repellatur.

14. Tertia pœna est arbitraria, possunt enim iudices pro arbitrio suo punire periuros. potest autem index Ecclesiasticus propter atrocitatem criminis procedere vsque ad perpetuam depositionem, vel remotionem ab altari, suspensionem ad tempus ab ordine, & officio, & beneficio Suarez. aduersus clericos, vt probat Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 21. & habetur *cap. Presbyt. dist.* 81. & *cap. Cum non ab homine de iud. eadem dist.*

15. Dubitatur, an clericus propter periurium publicum, aut in iudicio probatum, amittat officium, dignitatem, aut beneficium ipso iure. Breuiter, & resolutiuè respondeo: Seclusa infamia, nūquam ob periurium etiam publicum, aut etiam in iudicio probatum, amittit clericus, ipso facto, officium, dignitatem, aut beneficium iam obtentum; nec etiam seclusa eadem infamia manet quis propter huiusmodi periurium inhabilis ad beneficium de nouo obtinendum, etiamsi periurium publicum sit, vel in iudicio similiter probatum: ratione tamen infamiæ, quam incurrunt periuri ob periurium, manet quis inhabilis ad obtinendum beneficium de nouo, non tamen priuatur iam obtento. & ideo institutio, aut collatio beneficij de nouo facta periuro non valet, & Felin. est ipso iure nulla. Ita communiter DD. Felinus *in cap. Ex parte.* 1. *num.* 2. & *sequentibus, de rescript.* Decius. Decius *in cap. Cum non ab homine, post numerum* 5. Selua. *de iudic.* Selua *de benef. fol. mihi* 137. *num.* 7. Rebuff. Rebuffus *de pacifica possess. fol.* 38. Bernardus Dias Dias. *in practica criminali, canone* 80. Ripa *in dict. cap.* Ripa. *Ex parte, num.* 13. Iulius Clarus *lib.* 5. §. *Peri-* Iul. Clar. *rium, num.* 4. Labert. *de iure patr. lib.* 2. *quæst.* 9. Labert. *art* 15. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de iurament.* Suar. *cap.* 15. *num* 4. Gouar. *in cap. Quamuis pactum* 1. Azor. Couar. *part.* § 7. *num.* 7. vbi citat multos. Azor. *tom* 1. *lib.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 9. Et est communis doctrina. Probatur, quia nullus canon extat, in quo pœna priuationis beneficij, ipso iure, clericis ob periurium publicum, vel in iudicio probatum imponatur; ergo clericus propter huiusmodi periurium non amittit, ipso iure, beneficium iam obtentum. Quòd autem ratione infamiæ collatio, & institutio beneficij facta periuro publico, vel in iudicio de crimine, periurij conuicto sit, ipso iure nulla: probatur facilè, quia periurus est infamis, & de iure canonico sufficit ad incurrendam hanc infamiam quòd periurium sit publicum & notorium, itavt nulla tergiuersatione possit negari, nullo iuris remedio occultari, vt diximus *num.* 8. de iure autem ciuili non sufficit quòd sit publicus, & notorius; sed requiritur insuper quòd quis de periurio sit in iudicio contradictorio conuictus, aut quòd illud proprio ore fuerit in iudicio confessus, vt probauimus *num.* 9. infamis autem est irregularis; atqui irregularis non priuatur, ipso iure, beneficio obtento, commissa irregularitate; manet tamen inhabilis ipso iure, vt ei beneficium de nouo conferatur; ergo ratione istius inhabilitatis collatio de nouo facta irregulari, & infami, fuit nulla. Ita Suarez, Azor, & Couarruuias suprà citati. Nec collatio ista facta periurio postea redditur valida per ablationem infamiæ, à principio enim fuit nulla, & quæ semel fuit inualida, nunquam postea conualescunt, vt est commune iuris effatum.

Ad finem huius libri duo supersunt dubia. Primum est, verùm vinculum, & obligatio iuramenti maior sit, quàm voti. Respondeo breuiter, si fiat comparatio voti cum iuramento assertorio, maior est obligatio, ac vinculum ortum ex iuramento assertorio, quàm ex voto. Probatur, quia obligatio non tribuendi Deo falsum, maior est, quàm obligatio reddendi Deo vota sua; quia prior est negatiua, vt constat ex forma præcepti iuramenti, *Non assumes in vanum nomen Dei tui.* Secunda est affirmatiua, vt constat ex forma præcepti de voto. *Reddes Domino vota tua.* Obligatio autem, quæ oritur ex præceptis negatiuis, maior est, quàm quæ oritur ex præceptis affirmatiuis, cæteris paribus: sicut maior est obligatio non furandi pecuniam alienam, quàm dandi promissam: grauiùs enim peccatur per iniuriam furando, quàm per infidelitatem promissam pecuniam non dando; siquidem in altero peccatur tantùm contra iustitiam, in altero contra fidelitatem; & peccata commissa contra iustitiam, cæteris paribus, sunt grauiora, quàm peccata commissa contra fidelitatem. Contra iustitiam autem peccamus attribuendo Deo falsitatem, quia ab illo veritatem furto auferimus. 16.

Si verò fiat comparatio voti cum iuramento promissorio, maior est obligatio voti, quàm iuramenti. Ratio est, quia per votum cum sit promissio facta Deo, datur fides Deo; per iuramentum autem promissorium si fiat homini, datur fides homini, & assertur Deus in testem talis fidei, & sic non manet iurans immediatè Deo obligatus, sed homini; & inter hos duos respectus, primus magis videtur pertinere ad honorem Dei, quia directè, & immediatè Deum attingit. Ita docet Suarez *tom.* 2 *de religione lib.* 2. *de iuramento cap.* 2. *num.* 5. Lessius *tomo* 1. *de iustit. lib.* 2. *cap.* 42. *dubit.* 11. *num.* 52. *in editione Parisiana*; & ita videtur etiam tenere D. Thom 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 8. vbi docet magis teneri nos esse fideles Deo in promissis, quàm hominibus. Et ex hac parte vera est sententia Diui Thomæ, quia ille loquitur de iuramento promissorio. Et sic intelligendi sunt omnes illi authores qui dicunt maiorem esse obligationem, maiúsque vinculum voti, quàm iuramenti; loquuntur enim illi de iuramento 17. Suarez. Lessius. D. Thom.

mento promiſſorio, non aſſertorio: nam cum iuramentum ſit promiſſio facta homini, & votum promiſſio facta Deo, certum eſt magis nos obligati Deo, quàm homini in reddenda re promiſſa: Si autem iuramentum promiſſorium fiat Deo, & non homini, tunc habet rationem, & naturam voti, & ideo in ſubſtantia votum eſt, non iuramentum.

17. Secundum dubium eſt, quomodo ſe gerere debeat confeſſarius, cum iis, qui ſæpe peierare ſolent. Reſponſio. Prudens confeſſarius videbit imprimis, an ante fuerint admoniti huiuſmodi homines, qui paſſim peierant, à ſuis confeſſariis, vt eam prauam conſuetudinem peierandi tollerent. Deinde an ad eam auellendam, tollendámque curam poſuerint, necne; ſi nunquam fuerunt admoniti, eos poterit abſoluere ea conditione, vt firmiter auellere proponant; quod ſimiliter efficiet quando ſemel, aut bis fuerunt admoniti, & nullam curam etiam poſuerunt; ſi verò ter, vel quater, aut pluries admoniti fuerint & neglexerunt, nec villam curam poſuerunt, non negabit abſolutè abſolutionem, ſed differet in aliquod tempus, vt interim curam ponat, niſi iuxta cauſa ſubſit dandi ſtatim prædictam abſolutionem, vt ægritudinis, aut longæ nauigationis, in qua non erit copia confeſſarij. Quod ſi poſt illam dilationem nullam curam poſuerunt, abſolutè eis poterit negare abſolutionem, vt ſic tandem territi reſipiſcant. Si autem aliquam poſuerunt, conferat abſolutionem, & eos Deo commendet ne iterum relabantur.

FINIS.

De

Præcepti tertij Liber, quare hic omiſſus.

De tertio Præcepto nihil habeo dicendum, cùm omnia ſint iam tractata in primo libro, quem edidimus in quinque præcepta Sanctæ matris Eccleſiæ Ibi enim de ſanctificatione feſtorum egimus Cùm enim ageremus ibi de obligatione audiendi Sacri, neceſſe fuit priùs de diebus feſtis agere, de eorum inſtitutione, & obligatione, à qua Poteſtate poſſent inſtitui, Eccleſiaſtica ne, an ſæculari,& an conſuetudine poſſent introduci; an cum conſenſu, vel ſine conſenſu, vel ſine conſenſu populi inſtitui ab Epiſcopis,& Prælatis poſſint: quæ cauſæ ab illorum obſeruatione poſſint excuſare, quæ non poſſint; & denique omnia dubia, quæ circa obſeruationem, & inſtitutionem dierum feſtorum deſiderari poſſunt, ibi abunde inueniuntur. Hîc enim ſuperfluum duximus illa iterum repetere,ne actum ageremus:& hoc velim, vt Lector amicus in mente habeat, legat, & conſideret, ne per obliuionem, aut incuriam, nos Tractationem illius præcepti præteriiſſe arbitretur.

LIBER

LIBER QVARTVS

In quartum Decalogi Præceptum.

TOTVM hoc Præceptum constitutum est in pietate quadam, & obseruantia iure naturali debita parentibus, ac maioribus nostris, quibus nunquam reddere possumus æquale: ab illis enim *vitam, & esse, accepimus.* Habetur hoc præceptum Exod.20.ibi: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Et Deut.5. & sæpe alibi. Et verò tantam Deus huius semper æstimationem præcepti fecit, vt in secunda tabula inter ea, quæ proximum spectant, primum locum voluerit obtineri, adeo, vt nihil crebrius peruersis Hebræorum magistris obiecerit, quàm illius violationem, & impietatem in parentes sub nomine pietatis in Deum introductam; enimverò ex vi verborum, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, non solum eos interiùs, sed etiam exteriùs tenemur honorare, & pascere, eisque alimenta præstare. Iuxta illud, *Honora medicum propter infirmitatem*, id est, *pasce, & ei pretium laboris persolue, hoc enim ei de iure naturali est debitum.* Hebræorum autem scribæ, corrodante eos intus auaritia, docebant filios, teste D. Hieronymo in Matth. 15. se meliùs, ac religiosiùs facturos, si eam alimoniam, quam egenis parentibus daturi erant, Deo darent in ministris templi, ac proinde sibi; id enim magis gratum, & meritorium fore, quia tunc ea alimonia omnibus proficiebat, Deo videlicet, sibi, & parentibus suis. Id autem merum opus auaritiæ erat, vt inde maiorem stipem colligerent, pereuntibus interim fame miseris, ac pauperculis parentibus. Vnde eos Christus reprehendit. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei*, id est, (honora patrem tuum,) *propter traditiones vestras?* Vnde D. Hieronymus ibi. Matth.15. *Volentes prouidentissimam Dei legem subuertere, docuerunt filios, ea quæ parentibus offerenda erant, Deo soluere, & offerre.* De hac ergo obligatione parentum in filios, & filiorum in parentes, fratrum in sorores, & sororum in fratres, dominorum in seruos, & seruorum in dominos, in hoc præcepto Deo dante agemus: & quamuis propter hoc præceptum, *Honora patrem tuum*, de obligatione filiorum in patres priùs nobis agendum erat, quàm de obligatione parentum in filios; tamen vt à maioribus & dignioribus inciperemus, visum nobis fuit de obligatione priùs patrum, quàm filiorum agere: prima enim dignitas parentum est, non filiorum, & primus locus.

D.Hieron.

Capvt I.

De obligatione patrum ergà filios naturales, legitimos, & spurios.

Svmmarivm.

Parentes iure natura tenentur alimenta filys præstare. num. 1.

Aliquando in pœnam delicti, eis poterunt alimenta, victus, & vestitus restringere, licet ob id Missam omittant. num. 2.

Nomine alimentorum veniunt Medicina, & studia Grammatica. num. 3.

An patres teneantur alere filios spurios pauperes, si sint emancipati. num. 4.

Peccant grauissimè patres aliquando ac matres, qui filios exponunt, & tenentur ad restitutionem hospitalibus pro alimentis, matres ad triennium, patres à triennio, & vltra. num. 5 & 12.

An patres teneantur filios, & filias spurias dotare. num 6. & 7.

An in dote possint pactum apponere de repetitione dotis soluto matrimonio, siue habeant liberos, siue non habeant. num. 8.

An dos fily, vel filia spuria vltra medium alimentorum data repeti possit à patre dotante quoad excessum constante matrimonio. num. 9.

An filio ducenti vxorem inuito patre teneatur pater alimenta dare, siue sit spurius, siue legitimus. numer. 10.

Quid si indignam in matrimonium ducat inuitis parentibus. num. 11.

Tenentur patres sub mortali bonas nutrices filys quærere. num. 12.

Omnia præcepta Decalogi primæ, & secundæ tabulæ, fundantur in iustitia. num. 13.

Tenentur illos bonis moribus instruere, & non impedire religionis ingressum absque iusta causa n. 14.

Quæ sit iusta causa impediendi. ibid.

An patres possint suadere filijs habentibus votum castitatis, vt vxores ducant, si incontinentes sunt, & votum sæpe violant. num. 15. 16. 17.

Peccant mort. parentes qui patiuntur filias habere impudicos amatores, & an mort. peccent fœminæ, quæ se cultius ornant quàm illorum status conuenit. num. 18.

An licitè permittant patres, vt filij sui confabulentur cum sponsis de futuro, & an tactus inter eosdem sponsos sint illiciti. num. 19.

An mortaliter peccent patres, qui filios inuitos matrimonio coniungunt, aut ad religionis ingressum cogunt, & an ob id sint excommunicati. num. 20.

An possint licitè impedire filiorum sponsalia contra eorum voluntatem facta. num 21. 22.

An possint ministri iustitiæ obligare patres ad soluendam pœnam pecuniariam pro delictis filiorum, aut expensas Inquisitionum. num 33.

1\. *Patres tenentur iure natura filys exhibere alimenta, bonam educationem, & ad statum vitæ eligendu non cogere.*

EX vi huius quarti præcepti tria tenentur patres iure naturali filiis exhibere, alimenta, bonam educationem, & disciplinam, & eos ad statum vitæ non cogere. Ratione alimenti & necessitatis temporalis tenentur patres filiis succurrere in extrema, & graui necessitate positis, si possint. Cui enim est proprium vitam temporalem conferre, proprium etiam est, ea quæ sunt necessaria ad eam vitam tuendam elargiri. Vnde cum parentes filiis vitam naturalem per actum generationis naturalis contulerint, sequitur, vt de iure naturæ eis teneantur alimenta præstare sine quibus tueri vitam non possunt; siue sint extra, siue intra potestatem paternam; vt cum communi omnium sententia ostendit Couarruuias *in Epitom. part. 3. cap. 8. §. 6. num. 1.* Azor *inst. moral. tom 2. lib. 2 cap. 4.* & Syluester *verbo, Alimenta. num. 2.* quia patres non tenentur alere liberos ex iure patriæ potestatis, sed ex charitate quadam & iure naturali. Quid autem nomine alimentorum, & patris veniat, dicemus statim *num. 3. & 4*

Couar.
Azor
Syluest.

2\. *Patres possunt restringere filys victum, & vestitū ad emēdationem.*

Aliquando tamen possunt patres, si non omnino negare, saltem restringere, & moderari filiis alimenta circa victum, & vestitum ad tempus, in pœnam criminis, & vt in posterum resipiscant, sine graui eorum damno in corpore, aut valitudine. Quod intelligendum est, etiam si filij ob vestitus negationem sacrum non audiant diebus festis. Et ratio est. Primò, quia parentes solùm intendunt filiorum emendationem, non omissionem Missæ; per accidens enim est, quòd illam omittant, emendatio enim à parentibus intenta, satis rationabilis causa est ad vtrosque iam filios, quàm parentes excusandos. Secundò, quia parentes de iure naturali tenentur bonam educationem, & disciplinam filiis præstare per media accommodata ad hunc finem iuxta regulas prudentiæ; tenentur quoque illos, si deliquerint, eodem iure emendare grauiter, ac seuerè, si opus fuerit. Vix autem ad emendationem adolescentium, ac puerorum post ferulam, & verbera efficacius remedium inuenietur vllum, quàm si eis vestitum negent, & de victu tantum subtrahant, quantum necesse erit, vt vita non pereat, & emendatio procuretur, & dum parentes hoc faciunt, ius suum naturale vrgent, licet per accidens omittatur Missa. Sicut Dux, qui iustè arcem oppugnat; iustè poterit ad eam subuertendam tormenta bellica dirigere, cuniculos effodere, machinas adhibere, admouereque, licet inde per accidens multi in ea pereant innocentes, quorum interitum ille minimè intendit; sed vtitur iure suo, quod iustum habet ad eam capiendam. Ne tamen in hoc parentes excedant, & peccent, iudicium prudentis requiritur.

3\. *Quæ intelliguntur nomine alimentorum.*

Nomine autem alimentorum secundùm Panormitanum in *capite, Cum secundum. de præbend.* & vt patet ex *capite, Non liceat,* eodem titulo, veniunt hîc, & in iure vestes, cibi, medicinæ; item habitatio, ac denique ea omnia sine quibus humana vita competenter sustineri nequit, & ita docet etiam Syluester *verbo, Alimentum. num. 1. ad finem.* Nauarrus *in Manuali Latino cap. 14. num. 17. versu, Secundo,* & Bartholus *in l. Legatis, ff. de alimentis, & cib. leg.* Vnde notat etiam (& optimè) ibidem Bartholus ei, cui ex legato debentur alimenta, deberi quoque expensas pro studio ad vitam necessario, sine quo viuere non posset secundùm competentem personæ rationem. v. c. pro Grammatica addiscenda in pueris ingenuis, non autem pro maioribus studiis, quam doctrinam Bartholi sequitur Syluester, qui studio Grammaticæ id expressè asserit, de aliis autem vlterioribus tacet. Sed de hac re dicemus latè infrà *cap. 20. à numer. 12.*

Syluest.
Nauar.
Barth.

Nomine verò patris hîc intelliguntur omnes 4.
ascen

An parentes teneantur alere filios spurios, & illegitimos emancipatos, vel non emancipatos.

ascendentes per lineam paternam, auus, proauus, atauus, deficientibus parentibus &c. nomine antem matris omnes ascendentes per lineam maternam, paterna deficiente. Nec distinguendum est inter filios spurios, aut non spurios, emancipatos, vel non emancipatos, legitimos, aut illegitimos; & quia de iure naturali tenentur patres filios suos alere, & quia de iure canonico (quicquid sit de iure ciuili) tam pater, quàm mater tenentur alere spurios, vt notat Innocentius *in cap. 2. de regular.* & Panormitan. *in cap. Cum haberet, de eo, qui duxit in vxorem eam, quam polluit,* & docet Syluester *verbo, Alimentum, num. 2. medio,* & Nauar. *in manuali Latin. cap. 14. num 3.* & omnes qui dicunt teneri patres, filios, & filias spurias non solùm alere; sed etiam dotare pro ratione alimentorum; quos statim referemus *num. 6.*

Innoc. Panorm. Syluest. Nauar.

5\. Ex dictis sequitur, peccare grauiter, & contra ius naturale patres, ac matres, qui cum possint filios alere, vel spurios, vel legitimos, eos exponunt in templis, & biuiis, & ad ianuas hospitalium, aut in locis publicis, vel secretis, & teneri ad restitutionem faciendam hospitali pro educatione. Sic Toletus *lib. 5. cap. 1. num. 9.* & Nauar *in manuali Lat. cap. 14. num. 17. versu, Tertiò,* & patet ex *cap. 1. & 2. de infantibus expositis*; quæ planè restitutio facienda est pro eo tempore, quo inseruire aliis non poterant, quia postea inseruiendo aliis victum sibi poterant comparare. Animaduertendum tamen est, esse nonnullas vrbes, ac loca, quæ habent bona aliqua publica ex prouentibus redditum sæcularium ad hanc puerorum expositorum educationem applicata, vt in tota Lusitania communiter Conuentus, & Cameræ habent; & de bis dubium esse poterit, an patentes teneantur ad huiusmodi restitutionem. Quidam enim id negant in huiusmodi circunstantiis; primò, quia ea bona ad hunc finem communi omnium ciuium consensu sunt addicta, & vnusquisque suam habet portionem, partemque in huiusmodi bonis. Deinde cui facienda est ea restitutio? Nihilominus existimo teneri eos ad restitutionem, quia licet ea bona communi ciuium consensu ad hunc finem sint applicata, sunt tamen applicata pro alendis pueris expositis, quorum patres sunt pauperes non diuites, vt constat, & sic ea restitutio hospitali facienda est, vt expressè docet Syluester *verbo, Adulterium, n. 7. quæst. 5.* & Nauar. *in manuali Lat. cap. 16 num. 48.* Lapus *in repet. de religiosis domibus,* & Rebellus *2. part. de obligat. iust. lib. 3. quæst. 10. num. 8.* Et verò, si aliqua ex causa hospitali fieri non possit, pauperibus facienda est, aut in operibus piis id erit expendendum, vt est communis doctrina in materia restitutionis: proderit enim id animabus ea bona applicantium. Patres tenentur filios spurios alere à triennio, matres vsque ad triennium tantùm. Vide numerum 12.

Peccant parentes qui filios exponunt quando possunt eos alere, mortiferè. An teneantur ad restitutionem. Tolet. Nauar.

Cui facienda sit ea restitutio.

Syluest. Nauar. Lapus. Rebell.

6\. Sed dubium est, an patres teneantur filios & filias spurias pauperes dotare; sicut iure naturali tenentur alere. Et hac de re est duplex opinio. Prima docet teneri. Eam tenent Nauar. *in manual. Lat. cap. 14. num. 17. versu, Tertiò.* Syluester *verbo, Alimentum, num. 2.* Bathol *in l. finali, ff. de his quibus, vt indig. num. 7.* Baldus *in l. Et me mater, C. de iure dotium.* Abbas *in cap. Cum haberet, de eo qui duxit in vxorem, eam quam polluit.* Barbosa *tom. 1. 4. part. legis primæ ff. soluto matrim. num. 132.* Alexander *l. 1. ff soluto matrim. num. 24.* Petrus Surd *tom 3. consil. 310. num. 2. & tom. 4. consil. 509. à num. 1. & in tract. de alimentis tit. 1. quæst. 10. num 9.* Sanchez *lib. 4. de matr. disp. 26. à num. 20. & lib. 7. disp 88. num. 32.* Azor. *tom. 2. inst. moral. cap. 40. quæst. 6* Et patet ex decisione capitis, *Cum haberet, de eo qui duxit in vxorem eam quam polluit,* ibi: *Vsque ad finem,* id est, *tam pater, quàm mater liberis suis secundùm quod eis suppetunt facultates, necessaria subministrent.* Vbi habetur spurios alendos esse à parentibus pro ratione suarum facultatum. Vnde inferunt hi Doctores bene valere argumentationem de alimentis ad dotem, & idem esse dicendum de illis & de dote; quia dos datur in vitæ subsidium ad alendam vitam, & succedit loco alimentorum, vnde inferunt teneri parentes iure naturali filios, & filias spurias etiam dotare pro ratione alimentorum, sicut eodem iure, & æquitate naturæ tenentur alere, & ad id posse in iudicio forensi cogi, si habeant facultatem.

An patres teneantur filios & filias spurias dotare. Nauar. Syluest. Bathol. Bald. Abbas. Barbos. Alexand. Petr Surd. Sanch. Azor.

Secunda opinio negat omnino; docet enim teneri parentes eos alere de iure naturæ; posseque eos dotare, si velint, non tamen ad id teneri, nec ad id posse cogi in foro exteroo. Ita docet Panormit *in cap. Peruenit, de arbitr. num. 1.* & Vasquez *de successione creata lib. 2. §. 20. n. 314.* Molina Theologus *tom. 1. de iust. disp. 224. fol mihi 974. num. 22.* vbi dicit non valere hanc argumentationem: tenetur quis alimenta præstare alicui puellæ, si ipsa aliunde non habeat, ergo tenetur illam dotare pro ratione alimentorum. Et rationem subdit. Quoniam longè plus est dotem dare, quàm per partes alimenta præstare, & quamuis ille loquatur de fratribus erga sorores pauperes, tamen ratio, quam affert, à fortiori militat etiam in patribus respectu filiarum illegitimarum pauperum, vt patet; & pro hac parte solent allegari caput primum *de cohabit. clericorum, & mulierum,* & glossa ibi, *verbo, Subministret,* & caput, *Non satis dist. 86.* sed ibi solùm commendat D. Ambr. *1. de offic. cap. 3.* ex quo desumptum est caput, opera charitatis erga proximos egenos; & dicit, *grande peccatum esse te abundare, & proximum fame laborare.* Fundamenta istius opinionis hæc sunt. Primò, quia non valet argumentatio de alimentis ad dotem; nam alimenta dantur dietim, aut in singulos menses, vel annos; dos autem simul, & vno cumulo constituitur, & sic in dote agitur de maiori præiudicio parentum, quàm in alimentis; vnde licet patres teneantur alere, non tamen tenentur dotare liberos spurios; posse tamen id efficere, si velint. Secundò, quia in dote erit scandalum, non autem in alimentis soluendis; nam in dote constituenda, videtur renouare pater suam incontinentiam; & alios suo prauo exemplo ad peccarum prouocare, non sic in alimentis præstandis, vt de se patet. Tertiò, quia dos non constituitur primariò ad alendam vitam; sed ad sustentandam familiam; parentes autem solùm ductu naturæ tenentur vitam filiorum, filiarúmque spuriarum alere, non familiam sustentare. Poterunt ergo parentes huiusmodi filios, & filias si pauperes sint, dotare si velint, titulo eleemosynæ, non tamen tenentur dotare, nec ad id possunt cogi in foro interno, aut externo.

Panorm. Vasq. Mol Theol. D. Ambr.

Distinctio inter dotem, & alimenta.

Ego planè ob has rationes vtramque opinionem probabilem iudico, & magis inclino in secundam, quàm in primam; non audeo tamen recedere à prima; quia & communior est, & vsu tritior, pluriumque Doctorum authoritate fulcitur. Omnes enim fatentur valere consequentiam, 7.

Iudiciũ authoris.

& illationem de alimentis ad dotem, pro ratione alimentorum; nec in dote agi de praeiudicio considerabili respectu patris diuitis, cùm etiam dos possit non simul, & vno cumulo constitui, sed per vices ad certum, & constitutum tempus à parentibus assignatum, & sic destruunt primum fundamentum secundae sententiae. Ad secundum dicunt nullum dari scandalum in constitutione dotis: ex duobus enim malis minus est eligendum, & minus malum est filias spurias dotare, quàm illas meretricari: si enim haec ratio scandali fuisset attendenda, nunquam ius canonicum statuisset spurios esse alendos, cum per negationem alimentorum cohiberentur magis eorum damnari. Ad tertium negant dotem non constitui primariò ad alendam vitam, constituitur enim loco alimentorum; vnde censetur induere naturam rei, cuius locum substituit. Tandem respondent non multum roboris habere omnes has rationes simul sumptas, quia sigillatim considerata statim soluuntur. Haec sufficiant pro his opinionibus, forte enim in capite penultimo huius libri iterum tedibit sermo hac de re, cum eam quaestionem discutiemus; An clerici ex fructibus suorum beneficiorum filios, & filias dotare teneantur in defectu bonorum patrimonialium?

8. Hoic dubio aliud est affine. An possint parentes in dote liberorum paoperum spuriorum, pactum, ac conditionem apponere, vt soluto matrimonio, liberis susceptis, vel non susceptis, dos iterum ad patres, ac eorum haeredes reducatur, & sic virtute pacti, ac conditionis dos ipsa possit iterum repeti post mortem liberorum. Quaestionem hanc expressè tractat Petrus Surdus *tom. 3. consil. consil.* 310. *num. 2.* vbi id expressè affirmat. Primò, quia licet dos simpliciter data, & constituta filiae spuriae, subiaceat legi, & statuto deferenti lucrum dotis marito, & liberis ex matrimonio susceptis, iuxta omnes; attamen aliud est dicendum, quando pater expresso pacto vult sibi reseruare dotis repetitionem post mortem filiae, liberis etiam susceptis; nam pater solùm tenetur, & cogitur eam dotare ea ratione, qua tenetur illam alere; non tenetur autem, nec cogitur dotem datam dimittere apud liberos, aut haeredes filiae; sicut non cogitur dictum pro alimentis dimittere; nam si pater rem aliquam, ex proprietatem filiae consignasset, ex qua alimenta perciperet, posset quidem statim demortua filia reuocare, vt docet Bald. *in l. Eam quam, num* 41. *C. de fidei commissis*, quia ratione consignationis non sustinebatur donatio, viuente filia; ratione alimentorum non durat vita alenda post mortem filiae. Vnde pater finiri alimenta morte, & idem expressè docet Azot. *in summ. C. de naturalibus liberis*, & in hac specie de proprietate assignata pro alimentis, & reuersione illius ad parentem docent multi; quos allegat Surdus *de alimentis tit.* 8. *quaest.* 7. *num.* 1. *& sequentibus*. Denique quia patres solùm coguntur dare dotem hanc pro ratione, & loco alimentorum; iuxta omnes Doctores numero praecedenti allegatos Ergo non sunt cogendi dare vltra quam teneantur pro alimentis; ergo poterunt deducere in pactum, vt mortua filia dotata, dos ipsa ad se, suosque haeredes reducatur; nam subrogatum induit naturam eius in cuius locum subrogatur, *leg. Si eum, §. Qui iniuriarum ff. si quis caut.* Et datum ex causa necessitatis, repetitur cessante causa, vt docet Tiraquel *in tract. cessante causa part. 1. num.* 179. Vnde si patres aliter non coguntur dare, aut filias dotare, quàm pro ratione alimentorum cum alimenta sint vitalitia, poterunt in dote praedictam cautionem ponere: nam in rei suae traditione, & in pactis humanis, poterit quisque apponere quamcumque honestam conditionem voluerit, vt patet ex *l. In traditionibus, de pactis*, & docet latissime Boërius *consil.* 101. *num.* 25. Tandem quia si daretur statutum, vt dos filiae spuriae data rediret ad patrem dotantem, ea mortua, iustum esset tale statutum, vt docet Bartholus *in l. finali num. 7. ff. de his quibus vt indign. versu, idem dico in dote*; quem sequuntur plorimi Doctores, quos citat Petrus Surdus *de alim. tit. 8. quaest.* 10. *num.* 3. ergo pactum reseruatiuum tanquam iustum admittendum est. Nec filia spuria, vel alias illegitima, potest iustè queri, aut contradicere, & maritus cuius interest dotem lucrari, sibi debet imputare; sciens enim duxit vxorem spuriam, quae à patre nihil aliud potest iure consequi, quàm vitalitia alimenta illius, & si spuriam duxit non sciens; at debuit quidem statum, ac conditionem vxoris ducendae perscrutari, vt prudentes solent efficere in re simili.

Margin: 8. *An pactum possint apponere de repetitione dotis, soluto matrimonio.* — Petr. Surd. — Bald. — Azor. — Surd. — Tiraq. — Boërius. — Barthol. — Bald. Surd.

9. Sed dubitari hic etiam potest, an dos filiae spuriae vltra modum alimentorum data repeti possit, quoad excessum, à parente dotante, constante matrimonio; & concludunt communiter Doctores non posse propter mariti praeiudicium. Ex quo enim dotans pater id in pactum non deduxit, censetur voluisse libenter praedictum excessum erogare; eo enim casu, cum pater ignorate praesumatur legum dispositiones, quae disponunt dotem acquiri à marito, censetur eo modo dedisse, vt leges suum vigorem retineant, censetur eorum quilibet contrahere secundùm legis, ac iuris dispositionem, quando aliud in contractu non exprimit Et ita docent communiter Doctores cum Barthol. *in l. Si constante, num. 67. ff. soluto matrim.* & Petrus Surdus *titul. de alimentis, dict. tit. 8 quaest.* 10. *num.* 22. cum multis quos ibi allegat. Sed non est quaestio de te omnino indubitabili; contradixerunt enim nonnulli authores quos ibi allegat. Vnde sequitur lucrari maritum totam dotem cum filiae spuriae dotantur, si non apponatur expressè pactum reseruatiuum iuxta omnes Doctores.

10. Ex dictis sequitur etiam, teneri patres alimenta praestare filiis tam legitimis, quàm spuriis, si absque illorum consensu, & voluntate vxorem filij ducant, aut filiae nubant, si ipsi filij pauperes sint, & aliunde artem non habeant, vnde sustententur; nam si diuites fiot aut artificium habeant, non tenentur patres eos alere. Ita docet expressè Sanchez *lib. 4 de matrim. disp.* 26 *num.* 20. Decius *in regula, Nuptias* 30 *fine ff. de regul. iuris.* Ioannes Lupus *in cap. Per vestras, de donat. inter virum, & vxorem, notabili* 3. §. 13 *num.* 1. Molina *lib. 2. de primog. cap. 16. num. 6.* Riminald. multos referens *consil.* 153. *num. 41. volum. 2* Imò nec tantùm tenentur patres praestare alimenta talibus filiis, aut filiabus, sed etiam vxoribus, aut maritis illarum; quia vt expressè habetur *l. Si quis à liberis, quinta, §. si vel parens, versu, Non tantùm, ff. de liberis agnoscendis*; non tantùm alimenta, sed caetera liberorum onera tenentur patres praebere. Vbi glossa *verbo, Caetera*, inquit, *vt vestimenta habeant pro se, & pro liberis, & vxoribus, atque habitationem*. Ita docet expressè Sanchez allegatus *num* 21. Riminaldus *citatus*, Lud. Lopez *5. part. instructorij in 2. edit. cap. 294. §. sequitur, & alia quaestio, fine*. Nec audiendus est ibi idem Lud.

Margin: 9. *An dos filiae spuriae quoad excessum vltra modū alimentorū data repeti possit constante matrimonio.* — Barthol. — Petr. Surd. — 10. *An filio ducenti vxorem inuito patre, vel filiae nubenti teneantur pater alimenta dare.* — Sanch. — Decius — Ioan. Lup. — Molin. — Riminald. — Sanch. — Lud. Lop. — Riminald.

Lud. Lof. Lud. Lopez 1. *part. Instructorij in 2. edit. cap.* 294. §. *sequitur, & alia quæstio, fine*; quatenus limitat, modò filius honestam & dignam ducat vxorem. Idem enim dicendum est siue dignam, siue indignam ducat, cùm ex hac causa de iure communi exhæredari nequeat, vt jam dicere aggredimur numero sequenti.

11\. *An patres tenentur filijs alimẽta præstare, si indignum matrimonium contrahant.*

Sequitur denique quando vir, vel fœmina indignum ineunt matrimonium, si ita diuites essent, vt alimenta haberent, non teneri parentes illos dotare; non enim videtur iustum, obligati parentes ad dotandas filias diuites, vel filios, quando turpi matrimonio, & indigno totam familiam maculatunt: si autem alimentis ad vitam necessariis careant, tunc quidem tenentur patres dotare in modica quantitate conuenienti ad vitæ alimenta necessaria. Sic Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp* 26. *num.* 19. Ripa *lege* 1. *num.* 59. *ff. soluto matrimonio.* Couarruuias 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 13. §. 8. *num.* 7. Molina *lib.* 2. *de primogenit. cap.* 16. *num.* 8. Gutierrez 2. *pract. quæst.* 1. *num.* 5. Veracrux 3. *part. specul. artic.* 20. Lud. Lopez 1. *part. Instruct. in noua edit. cap.* 294. §. *Sequitur, & alia quæstio*, Manuel. Rod. *tom.* 1. *summa cap.* 14. *num* 4 & alij.

Sanch. Ripa. Couar. Molin. Gutier. Veracruz. Lud. Lop. Rodrig.

12\. Ad extremum sequitur teneri parentes ductu naturæ bonas nutrices quærere ad nutriendos filios suos, & peccare lethaliter, nisi illas quærant; & similiter matres quæ negligunt prudentem curam adhibere circa educationem suorum liberorum; & quæ illis alimenta non præbent vsque ad triennium. Ita Nauarrus *in Manual. Latino cap* 14. *num.* 17. & Syluester *verbo, filius* §. 21. & Panormitan. *in capite, Cum haberet, de eo qui duxit in vxorem eam, quam polluit.* Dixi, *vsque ad triennium*, quia solùm in primo triennio tenentur matres pueros alere; in posterum verò patres iuxta Doctores allegatos, & Glossam *in dicto capite, Cum haberet, verbo, subministrent.* & constat ex *l. si quis a liberis, ff. de lib. agnosc.* §. *Non tantùm.* Addit ibidem etiam Nauarrus *dicto numero* 17. *in fine*, peccare quoque venialiter matres, quæ absque vlla causa nolunt filios propriis vberibus lactare, cum causa verò, neque venialiter.

Nauar. Syluest. Panorm. *Glossa capite, Cum haberet.*

13\. *Tenentur patres bonam educationem filijs dare.*

Hæc sunt alimenta corporis. Nunc de bona disciplina, & educatione, quæ sunt alimenta animi, & quæ etiam parentes de iustitia, & pietate naturali filiis præstare tenentur, dicemus. Dixi, *de iustitia naturali*, quia vt doctè animaduertit Toletus *lib.* 5. *summa cap.* 1. *num.* 1. omnia Decalogi præcepta, tam primæ, quàm secundæ tabulæ, fundata sunt in iustitia, & iure naturæ. Est enim iustitia quædam virtus, qua reddimus cuique quod suum est, illique debemus. Huius quatuor sunt species. Prima est, qua Deo reddimus, quod suum est, & hæc dicitur *Religio*; hæc enim nos inclinat, vt Deo adhibeamus debitum cultum, & honorem, si non quantum Deus meretur, at saltem quantum possumus; in qua virtute tria præcepta primæ tabulæ fundantur. Secunda est, qua filiis parentes, & parentibus filij secundùm carnem impendunt id quod eis ex hoc titulo parentum, & filiorum debent, & hæc dicitur *Pietas*, quæ in hoc quarto præcepto fundatur. Tertia est, quà superioribus exhibemus ea, quæ illis ratione superioritatis debemus, & hæc dicitur *Obseruantia*, quæ in hoc etiam quarto præcepto continetur. Quarta est, qua aliis proximis generaliter impendimus ea, quæ debemus, & hæc propriè dicitur *Iustitia*; & hæc aliis sequentibus sex mandatis Decalogi continentur.

Tolet.

14\. Ratione igitur alimenti animi, & bonæ disciplinæ tenentur parentes, & qui loco parentum sunt, filios, & pupillos informare bonis moribus, & curare, vt præcepta Dei seruent: hinc peccant mortiferè parentes, qui filios, aut filias volentes intrare religionem impediunt, sine causa iusta, & qui eos iam ingressos dolosè retrahunt, & qui eis prohibent confessiones, Eucharistiæ communionem, auditionem Sacri, & obseruationem similium sacrarum rerum, quibus, & Dei, & Ecclesiæ præceptis satisfaciant, & spirituale pabulum animis suis prudenter, ac religiosè præstent. Ita docent communiter Doctores, Toletus *lib.* 5. *summa cap* 1. *num.* 8 Nauarrus *dict. cap* 14. *num.* 17. & alij Rationabilis autem causa reuocandi, & retrahendi filios ab ingressu religionis, & à tyrocinio illius si iam ingressi sunt, erit, si timeant parentes infamiam eiectionis propter infirmitatem corporis, aut peruersæ indolis, aut ingenij filiorum; si non habeant ætatem competentem; si illorum ope indigeant ad corporis sustentationem; si filij sorores habeant quarum vitæ remedium ab illis pendeat, & aliæ his similes.

Peccant mortal ter patres qui confessiones filiorum impediunt.

Tolet. Nauar.

15\. Ex fundamento hoc peccant mortiferè parentes qui filios, aut filias habentes simplex votum castitatis aut religionis, cogunt matrimonio copulari iuxta omnes Doctores, & Nauarrum modò allegatum. Dubium tamen esse potest, vtrùm filio habenti votum castitatis, & in concubinatu existenti, & ita carnis incentiuis agitato, vt passim succumbat, & se continere nequeat, licitè suadere possit pater, vt matrimonium ineat, eique id præcipere, vt sic, vel minùs peccet. Bipartita est sententia in hoc puncto. Prima affirmat, eam videtur docere D. Epiphanius *lib* 2. *contra hæreses tom.* 1. *hæresi* 61. *pag.* 6. vbi postquam docuit, grauissimè delinquere, qui contra votum castitatis matrimonio copulantur: consulit ei, qui sæpe cadit, vt matrimonium ineat, ibi, *melius est vnum peccatum habere, quàm plura; melius est lapsum, palam sibi vxorem sumere, quàm quotidie occultis iaculis sauciari.* Et hanc etiam opinionem tenent Angelus, *verbo, Matrim.* 3. *impedimento* 5. *fine*, Veracruz 1. *part. speculi, artic.* 15. *dubio vltimo.* Matienso *lib.* 1. *Recopil. tit.* 1. *rub. glossa* 1. *num.* 152. & pro hac opinione facit etiam caput, *Nerui dist.* 13. desumptum ex D. Gregorio Papa *lib.* 32. *moralium cap.* 18. quatenus habet ex duobus malis minus esse eligendum, ibi. *Si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur.* Fundamentum primum est; quia ex duobus malis minus est eligendum; minus autem malum est, committere vnum peccatum ducendo vxorem, quàm plura sæpe peccando contra idem votum castitatis, & quia licet consulere minus malum, vt maius euitetur, vt est commune effatum. Secundum, quia filius per hoc consilium patris minimè ad peccatum inducitur, nam cum ille maius peccatum, & plura peccata ex peruersæ naturæ debilitate soleat patrare, solùm tunc ad id inducitur, vt peccatum minuat, & vt saltem à parte culpæ patrandæ desistat. Tertium, quia D. Ambrosius *lib de Abraham in lib. de Patriarchis cap.* 6. & D. August. *lib quæst. in Genesim cap.* 42. & refertur *capit.* 1. *quæst.* 14. & D. Thomas *in Genes.* 19. vendicant factum Loth à culpa offerentis filias stuprandas Sodomitis, quod minus malum

An in aliquo casu possit pater suadere filio habenti votum castitatu vt contrahat.

D. Epiph. Angel. Veracruz. Matienf. D. Greg P. D. Ambrof. D August. D. Thom.

consuluerit, ad vitandum maius; sed non est hæc opinio multùm tuta, nec multùm probabilis.

16. Sylvest. Summa Ast. Hostiens. Greg. Lop. Sanch. Secunda tamen probabilior, cui omnino adhæreo, negat constanter. Eam tenet Syluester *verbo, Matrimon. 7. quæst. 5. dict. 9.* Summa Astensis 2. *part. lib.* 8. *titulo* 10. *artic. vnico, quæst.* 10. Hostiens. *in summa titulo de voto §. Quod sunt species num.* 5. Gregor. Lopez *leg.* 2. *verbo, tan tenudos titulo* 8. *part.* 1. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp* 1. *num.* 19. & 14. & omnes qui dicunt votum castitatis habenti, & interroganti, an valeat matrimonium si illud ineat, non esse licitum respondere, *Valet*, sed respondendum esse: *de meo consilio non contrahas*; & hi sunt plurimi. Et fundamenta huius opinionis hæc sunt. Primò, quia, vt minus malum licitè consulatur, opus est, vt ad maius malum iam quisque sit determinatus, & vt illius perpetrationem resolutiuè elegerit, ac statuerit apud se committendam, & non sufficit prauus habitus hominem ad lapsum earnis impellens. Vnde cum huiusmodi filius solùm ex praua consuetudine succumbat, nec resolutiuè electum habeat matrimonium, nunquam licitum erit post votum castitatis matrimonium illi cõsulere, cum id non sit consulere minus malum; sed consulere malum simpliciter. Secundò, quia vt licita sit consultatio, & suasio minoris mali, necesse est, vt nullo alio medio, ac remedio, possit quisque à maioris mali patratione retrahi, nisi illo minori malo sibi proposito, vt docet Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 11. *num.* 21. & Sotus *lib.* 6. *de iustit. quæst.* 1. *art.* 5. *colum.* 5. *versu, His tamen non obstantibus*, Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 335. §. *Hac tamen conclusione*, Salon. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. *controuersia* 1. *column.* 4. §. *Prius est.* Veiga *tom.* 1. *summa cap.* 9. *casu vnico.* Vnde si certis coniecturis constat, nullum remedium adhuc adhibitum fuisse ab huiusmodi filio, vt ab eo vitio emergat, & illum nondum animo statuisse matrimonium contrahere ad vitandum maius malum, nefas erit, illi persuadere, vt tale ineat matrimonium. Neque obstat quòd ille sit in concubinatu diuturno, quia adhuc potest religionem ingredi, vt votum castitatis seruet. Tertiò, quia in hoc casu potest pater filio persuadere, vt petat voti dispensationem, quæ facilè concedi solet allegato incontinentiæ periculo. Quartò denique, quia hæc opinio pluribus authoribus probatur. Attamen si filius ligatus voto ita libidini sit deditus, vt dispensationem obtinere nolit, nec à venere desistere, nec à concubinatu separari, neque religionem ingredi, vt votum in ea seruet; tunc cum omnia iam sint tentata, meo iudicio consulendus erit, vt potius eligat matrimonium, si spëretur, illo inito, huic malo consultum fore. Ita docet tandem Sanchez citatus *num.* 29. his verbis ad finem numeri, *Verùm si eo voto ligatus, ita malo inhæret, vt nec dispensationem petere vellet, nec à venereis desisteret, speréturque matrimonio inito illi malo consultum fore, amplector priorem opinionem, nempe licere id consilium dare, quo à maiori malo retrahatur; tunc enim omnia requisita ad constandum minoris mali consilium reperiuntur.* Hæc ille.

Margin: *Quæ conditiones requiruntur vt minus malum consulatur.* Sanch. Sotus. Molina. Salon. Veiga.

17. Fundamenta primæ opinionis ex fundamentis huius secundæ soluta manent. Licet enim consulere minus malum post electionem maioris, & ante hanc electionem id nullo modo liceat, & quia Sodomitæ electionem maioris mali fecerant, ideo Sanctus Lotb eis minus malum consulebat, & offerebat. Plurimis enim fœminis in regione sua Sodomitæ abundabant, & tamen ita adhærebant maioris mali electioni, ephebotum nempe, vt nunquam à viro sancto, ob eam pranam electionem, ab eo vitio poruerint auelli. Diuus verò Epiphanius ibi consuluit, vt impetrata dispensatione, & debito modo contraheret, ac matrimonio copularetur ille, qui simplex votum castitatis emisit.

Peccant etiam contra pietatem naturalem mortiferè parentes qui patiuntur filias suas habere amatores impudicos, & qui filius à suspectis colloquiis fœminarum non retrahunt, & qui sciunt filios, & filias turpem vitam degere, vti fubio, purpurizo, ceruza, & aliis Veneris illecebris ad illaqueandos animos, & non acriter reprehendunt. Ita Nauarrus *cap.* 14 *num* 18. vnde tenentur parentes, & qui loco parentum sunt, filiorum delicta corrigere, & ob eam causam eos poterunt in carcerem detrudere, & iudici tradere, vt puniantur. Patet ex *l.* 3. *C. de patria potestate.* Et idem dicendum est de dominis, respectu seruorum; vt tradit Syluester *verbo, vxor. quæst.* 3. Illa tamen filia, quæ se ornat cultiùs, quàm suo statui conueniat, absque malo fine, venialiter tantùm peccabunt parentes, si non acriter reprehendant. Sic Nauarrus, & Syluester allegati. 18.

Margin: Nauar. Sylvest.

Peccant denique parentes, qui contentiunt sponsos de futuro cum filiis suis desponsatis tactibus vti impudicis, per partes inhonestas propter periculum copulæ, & pollutionis voluntariæ, cui exponunt sese. Cum enim copula, & pollutio voluntaria inter illos mortiferum peccatum sit, necesse est, vt omnia, quæ ad illam proximè ordinantur, eiusdem culpam participent: qualia sunt tactus inhonesti per partes inhonestas; sunt enim hi tactus, actus copulæ proximiores, & vltimæ illius dispositiones, quando sunt enormes. Ita docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. Sanchez *tom.* 3. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 46. *num.* 52. Nauarrus *in sum. Lat. cap.* 14. *num.* 13. & 16 Caietanus 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. Dixi, *si sint enormes, & per partes impudicas*; quia oscula, & amplexus, & alij tactus honestiores liciti sunt inter sponsos, & sponsas de futuro, si fiant ordinatè, & animo fouendi matrimonium, & non luxuriandi, vt tenent idem Sanchez, Caietanus, & Nauarrus allegati, & Sà *verbo, Luxuria.* §. *Oscula*; tum quia sunt actus magis remoti respectu copulæ, & pollutionis; tum quia sicut matrimonium cohonestat copulam; sic sponsalia cohonestant oscula, quando cum illis fouetur amor in ordine ad matrimonium; tum quia fieri possunt honesti amoris causa, & absque fine delectationis sensitiuæ, ac venereæ. Sed quis habitabit cum igne deuorante? quis fouebit flammam in sinu suo, & non cremabitur? Et ideo meo iudicio semper mortaliter peccabunt parentes, si permittant filias suas secretò cum sponsis confabulari remotis arbitris; tum propter periculum tactuum enormium per pudendas partes; tum etiam propter periculum consensus in prædictam copulam, aut pullutionem. Sic Nauarrus *in Manuali Latino cap.* 14. *num.* 18 & Sanchez *tom.* 3 *lib* 9. *de matrim. disp.* 16. *num.* 12. & Ludou. Lopez *Instruct. cap.* 54. quamobrem tenentur illas ab huiusmodi colloquiis arcere, iuxta citatos authores.

Margin: 19. *An talium impudici sint mortaliter illiciti inter sponsos de futuro.* D. Thom. Nauar. Caiet. Sanch. Caiet. Nauar. Sà. Nauar. Sanch. Lud. Lop.

Tertium ad quod tenentur parentes erga filios, est eos non cogere ad statum vitæ suscipiendum, sed liberum eis debent relinquere quid malint eligere. Ratione huius rei peccant mortiferè 20.

Margin: *Peccant mortalit. parentes cogendo*

filios ad statum vitæ suscipienda sertum. ferè parentes, qui inuitos filios, aut filias matrimonio coniungunt, seclusa graui causa coniungendi, & qui eos cogunt ad religionis ingressum, minis, vi, fraude, dolo, secus si consilijt, aut præmiis. Ita Toletus *lib summa cap.* 1. &
Tolet.
Nauar. Nauarrus *cap.* 14. *num.* 17. & Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 18. *de reformat.* excommunicatione percellit eos omnes siue patres, siue non patres; qui fœminas puellas, vel viduas cogunt, & compellunt, vel ad ingressum religionis, vel ad habitus susceptionem, vel ad emissionem professionis, consilium fauoremque præstant, quod est valde animaduertendum vt notat Nauarrus citatus, quia hæc excommunicatio solùm comprehendit illos, qui fœminas viros coguot, quia pœna est restringenda, non amplianda. Ita enim Concilium Trident. ibi: *Anathemati Sancta synodus subycit omnes & singulas personas cuiuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos, quàm laicos, sæculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam præter quam in casibus iure expressis ad ingrediendum monasterium, vel suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, consilium, auxilium, vel fauorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere quomodocumque eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint: simili quoque anathemati subycit eos, qui sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel voti accipiendi quoquomodo sine iusta causa impediuerint.* Hæc Concilium, & hæc excommunicatio est ipso facto, vt alibi diximus, non comprehendit tamen pœnitentes conuertitas, quæ religiosæ non sunt, vt ibidem ad finem ait Concilium.
Conc. Trid.

21. Gutier. Hinc infertur id quod docet Gutierrez *lib.* 1. *quæst. canonicarum, cap.* 20. *num.* 23. posse patrem impedire sponsalia filij contra eius voluntatem sano modo intelligendum esse, nempe quando scandalum probabiliter timetur, si tale matrimonium ineatur, eo quòd grauissimæ inimicitiæ inter familias inde orientur; aliàs enim cum liberum sit filiis contrahere, vel non contrahere, mortiferè peccabunt parentes si illorum velint sponsalia impedire; & verò postquam iam sunt facta prædicta sponsalia, multo minùs licebit illis matrimonium impedire, nisi sequatur scandalum ex tali matrimonio; cum enim filius teneatur fidem seruare in sponsalibus promissam, idque de iure naturali sit, non poterit pater tuta conscientia impedire, ne filius suam obligationem exequatur. Quando tamen scandalum magnum ex tali matrimonio probabiliter timetur, potest pater iustè impedire matrimonium filij, vel filiæ; nam licet de iustitia teneatur filius implere promissionem sponsaliorum notabiliter etiam impari factam, quia cum conscius sit notabilis excessus, videtur condonationem facere, vt docet Veracruz 3. *part. specul. art.* 19. *conclus* 2. Corduba *in quæstionario lib.* 1. *quæst.* 13. *dict.* 1. Molin *tom.* 2. *de iust. tract.* 2. *disp.* 271. *fol.* 113. mihi, quia tamen vitetur iustitiæ obligate nequit ad actum, qui sine peccato impleri non potest, inde est quòd possit pater impedire matrimonium filij, ex quo notabilia scandala sequuntur, cum promissio illius matrimonij, non nisi cum peccato scandali possit exequi. Ita Sanchez præter authores citatos *lib.* 1. *de matrim. disp.* 14. *num.* 3. & 4.
Veracruz. Corduba. Molin.
Sanch.

Hinc etiam tenetur filius obedire parenti, si vult matrimonium contrahere; si pater eidem præcipiat, vt hanc, non illam ducat in vxorem; si inde ob tale matrimonium grauissimæ inimicitiæ sopiantur, vt latiùs videbimus *capite quarto, numer* 3. 22.

Sed petes, verùm possint ministri iustitiæ, obligare patremfamil. ad soluendam pœnam pecuniariam impositam filiis propter eorum delicta, aut expensas pro inquisitionibus factas in inquirendis delictis filiorumfamilias. Respondeo negatiuè. Ita communiter DD. Couarruuias *lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 7. Baldus *in l. Si qua pœna ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris.* Barthol. *in l.* 1. §. *Si impub. ff. de collat. bonor.* Decius *consil.* 418. idem Baldus 3. *part. consil.* 175. & Panormitan. *in* 5. *decretal. de delictis puer. cap.* 2. §. *legitima.* Et ratio est, primò, quia filijfamiliàs nullum habent dominium in bonis patrum, dum patres viuunt; vnde non sunt cogendi parentes ad soluendam pœnam pecuniariam pro crimine filiorum, etiam ex bonis, quæ pro legitima parte post mortem parentum filiis deberentur. Secundò, quia viuente patre, filij nullam habent legitimam *l.* 5. *ff. de contract.* nec etiam mortua matre, quia pater habet vsumfructum in legitima ex parte matris filiis contingente, & ideo in præiudicium vsusfructus paterni, nec fiscus potest aliquid occupare *l.* 3. §. *Si filius ff. Quod quis.* Tertiò, quia parentes inocentes in hoc valde puniuntur: at iniquum est, quod innocentes parentes pro delictis filiorum puniantur; nam peccata suos debent tenere ligareque authores dumtaxat *l. Sancimus. C. de pœnis*, ibi: *Sancimus ibi esse pœnam, vbi & noxa est*, &c. 23.
Couar. Bald Barthol.
Decius. Bald. Panorm.

CAPVT II.

De obligatione filiorum in parentes.

SVMMARIVM.

Filij tenentur internè amare parentes, & circunstantia odij in illos necessariò est confitenda. num 1.
Quid si eos durè, & asperè tractent, an ea circunstantia sit necessariò confitenda. num. 2.
Peccant mort. filij qui testamenta parentum impediunt, & qui eis mortem desiderant. num. 3.
Et patres à carcere, & captiuitate non liberant, si possunt. ibid. num. 4.
An patres catholici teneantur præstare alimenta filijs hæreticis, & filij catholici parentibus hæreticis, Ethnicis, & Turcis, etiamsi nolint conuerti, à num. 5. *vsque ad* 7. *Quid si patres vrgeant filios vt fidem deserant. ibid. n.* 7.
An tunc possint eos occidere. num. 8.
An quando bona patris ob hæresim, & crimen læsæ maiestatis publicantur, teneatur fiscus alimenta filijs præstare in magna, vel extrema necessitate, & ante, vel post sententiam criminis. n. 9. 10. & 11.
Quæ iure parentes filijs, & filij parentibus alimenta debeant. num. 12.
An in necessitate graui, & extrema succurrendum potius sit parentibus, quàm filijs. num. 13. & 14.
Peccant mortiferè filij, si relictis patribus in graui, & extrema necessitate religionem ingrediantur. num. 15.

Quid si necessitas detur post ingressum religionis. num. 16. Quid si tempore nouitiatus contingat. num. 17.

Quid in dubio, an detur, vel non detur talis necessitas. num. 18.

Quid si à parte rei non detur, at speratur num. 16.

Quid si filij habeant votum ingrediendi religionem. num. 19.

Professio in religione emissa post grauem necessitatem parentum valet, sed mortiferè peccant profitentes. num. 20.

Licitè poterunt filij religionem ingredi post grauem necessitatem parentum, si extra religionem viuere non possint absque periculo peccati, aut si parentes eos ad peccandum prouocent. num 21.

Tenetur filius professus religione egredi in extrema necessitate parentum, si eos possit extra religionem iuuare, & intra non possit. num. 32.

Finita ea necessitate tenetur regredi. num. 23.

Quid de magna necessitate ante, & post professionem contingente. num. 24. 25. & 26. Referuntur variæ opiniones. ibid.

In magna necessitate parentum siue ante, siue post professionem contingat, potest egredi si voluerit; sed non tenetur. num. 27.

An tunc possit habitum dimittere. num 28.

Quod dicitur de necessitate parentum, idem dicendum est de auis, & proauis, & ascendentibus. num. 29.

Patre, & creditore in extremis constitutis tenetur filius potius patri subuenire num 30. An debitore, & creditore extremè vna re indigentibus teneatur debitor eam creditori reddere. ibid. An redeunte meliori fortuna teneatur debitor pretium illius creditori soluere. ibid. versu, Maius dubium esse potest.

An obligatio alendi parentes transeat ad hæredes filij. num. 31.

An ad eos qui iure emptionis, aut permutationis bona filij obtinent. num. 32.

An filij maiores natu teneantur debita parentum soluere ex bonis maioratus, & an vxor ex bonis dotalibus debita mariti. num. 33. 34. 35. & 36

1\. FILII ex quadam lege institiæ, & obseruantiæ naturalis tria quoque tenentur exhibere parentibus: Amorem: Obedientiam: Reuerentiam Ratione amoris tenentur amare parentes non solùm internè, sed externè, adeo, vt qui internè eos odio habent, & aliquod damnum notabile animi, vel corporis desiderant, mortiferè peccent, grauiùs, quàm si alium odio haberent, & tenentur eam circunstantiam patris, vel matris in confessione dicere, quia in ea non solùm violatur charitas, sed etiam pietas naturalis, & obseruantia in parentes: sicut qui patrem occideret, teneretur eam circunstantiam declarare & non sufficeret dicere se occidisse hominem Ita Toletus *lib. 5. summa, cap 1. n. 3.* Nauarr *in manual. Lat. cap. 14. à num. 1.* Azor. *tom 2. inst. moral. lib. 2. cap. 2. quæst. 2.* Syluester *verbo, Filius, quæst. 22.* Tabiena ibi *quæst. 26.*

Tolet. Nauar. Azor. Syluest. Tabien.

2\. Nec sufficit habere internum amorem erga parentes, sed oportet, vt signis externis aliquando manifestetur. Vnde peccant mortiferè filij, si durè, & asperè, & toruo vultu parentes aspiciant diu, secus si per breuem rixulam: sic authores allegati.

3\. Ex defectu amoris peccant lethaliter filij contra pietatem, & obseruantiam in patres, qui parentibus mortem, deliberato animo, desiderant, vt illorum bona acquirant, & qui non laborant, vt illos à captiuitate liberent, & qui in ægritudine non visitant, & eos curare nequeunt, cum possint, maximè si à mentis statu deturbati sint. Sic Nauarr. *in manual. Lat. cap. 14. num. 12. versu, Non peccat*; & hac de causa possunt exhæredari à parentibus, Authentica, *vt cum de appellat. cognoscend. §. Pœnas.* Tenentur etiam necessitatibus eorum spiritualibus subuenire, quantum possunt, vnde filij, qui in periculo mortis non curant, vt parentes sua crimina fateantur, sacramenta suscipiant, & testamenta conficiant, imò impediunt, ne faciant, vt inde lucrum acquirant, & qui parentum animos à restituendis bonis auertunt, peccant mortiferè, & tenentur restituere id ad quod parentes tenebantur, si illorum causa non restituerunt. Ita Toletus *lib. 5. summa, cap. 1. num. 3. §. Rursus tertiò.* Nauar. *in manual. Lat. cap. 14. num. 12.* & patet ex *l. 1. C. si quis aliquem rest. probib.* Peccant denique liberi, qui post mortem parentum legata illorum non soluunt, & pia opera in testamentis relicta non implent, imò ea differre absque iusta causa mortiferum est peccatum, si contra voluntatem legatariorum fiat. Ita Toletus citatus, & Nauarrus *num. 16.* & D. Thom. *quodlibet. 6. art. 14.* Causa autem iusta differendi huiusmodi legata ad tempus est spes quòd bona defuncti post paululum meliùs vendentur, & alia similis.

Nauar. Tolet. Nauar. Tolet. Nauar. D. Thom.

Tenentur etiam filij opem ferre parentibus in graui necessitate constitutis, eos à carcere liberare si inibi detenti sint, eisque alimenta præstare, si possunt. Nauarr. *in manual. Latin. cap. 14. num. 13.* Toletus *lib. 5. summæ, cap. 1. versu, Rursus quartò.* Angelus *verbo, Filius, § 30.* Menoch. *de præsumpt. lib. 2. quæst. 24. num. 16.* Nec solùm filij legitimi, sed etiam spurij, & naturales alimenta parentibus præstare tenentur ipso iure naturali, & humano per regulam correlatiuorum, vt docet idem Menochius allegatos, Petrus Surd. *de alimentis titul. 1.* Pater Molina *de iust. tract. 2. disp. 228. versu, Quintus effectus,* Sayrus *in claui regia lib. 7. cap. 5. num. 15.* Azor. *tom. 2. inst. moral. lib. 2. cap. 3. quæst. 2. & 3.* Cardoso *in praxi iudicialis, verbo, Alimenta, num. 14. & verbo, Filius, num. 40.* & Rebel. *de obligat. iustitia part. 2. lib. 5. quæst. 8. num. 8.* & Pradil. *in summ. legum pœnal. part. 2. cap. 49. num. 2.* Idque etiam si patres iudicis sententia damnati sint ad pereundum fame, atque inedia; quia hæc iudicis sententia solùm obligare potest externos, ne illis alimenta præstent, non autem filios. Cum enim non eximat à filio ius naturale alendi parentem; si nec potest eximere hanc obligationem in tam stricto naturali fundatam. Limitandum tamen hoc est, nisi parentes aliunde ex propriis bonis, arte, officio, industria, vel artificio sibi de alimento prouidere possint, tunc enim non tenerentur filij eos ex propriis bonis alere: nisi illa ars, aut artificium quod patres antea exercebant, illis iam sit dedecori, & ignominiæ, vt optimè animaduertit Nauarrus citatus *argumento legis, si quis à liberis, §. Idem rescripsit, ff. de lib. agnoscend.* iuncta Glossa *ibi*. 4.

Nauar. Tolet Angel. Menoch. Petr. Surd. Molin. Sayro. Azot. Cardos. Rebel. Pradil.

Filij tenentur patres alere etiamsi damnati sint ad pereundum fame, & inedia.

Sed difficultas est non vulgaris, an prædicti filij catholici etiam spurij parentes suos hæreticos alere teneantur vtroque iure naturali, & humano; & è contrario an patres christiani, orthodoxique filios hæreticos, legitimos, illegitimos, spurios, & naturales. Et circa hoc punctum duæ sunt opiniones. Prima de vtrisque asserit 5.

An filij Catholici etiam spurij teneantur hæreticos parentes alere.

asserit teneri, idque quamuis vni respectu aliorum sint ethnici, hæretici, Iudæi, Turcæ, excommunicati, & nolint conuerti. Ita expressè Azor. tom. 2. *Inst. moral. lib. 2 cap. 3. quæst. 2. & 3.* Et idem sentire videtur Glossa *in cap. 1. verbo. fideles dist. 10.* Primò, quia hæc obligatio ex iure naturæ oritur, nec iouenitur aliquod ius humanum illam auferens in pœnam hæresis paternæ. Secondò, quia vt habetur *in l. regia 8. tit. 23. part. 1.* & docet Castro *lib. 2. de iusta hæreticorum punit. cap. 7.* & Petrus Surdus *tract. de alimentis tit. 1. quæst. 18. num. 3. & quæst. 19. à num. 3.* semper pater hæreticus egens præferendus est extraneo catholico in eleemosyna à filio eroganda.

Azor.

Castro. Surdus.

6. Secunda opinio verior distinguit inter necessitatem grauem, & extremam; & de necessitate extrema affirmat cum prima, de graui negat omnino. Ita docet Lara *l. si quis à liberis. §. etsi Impubes num. 1. ff. de lib. agnosc.* & Surdus *de alimentis titulo 7. à num. 29. vsque 35.* & sic explicat legem regiam in contrarium allegatam loquentem de eleemosyna, & idem docet expressè Sanchez *lib. 2. Decalogi cap. 24. num. 7. ad finem.* Fundamentum est, primò, quia maiori vinculo iuris naturæ est pater adstrictus ad filios, quàm filij ad patrem, vt constat, natura enim descendit à parentibus ad filios, & non ascendit à filiis ad parentes. Sed patres catholici non tenentur alere filios hæreticos, nisi extremè indigeant; vt cum multis probat optimè Surdus *tractat. de aliment. tit. 7. quæst. 2. à num. 6.* contra eos, qoos ibi refert *num. 5.* ergo neque filij tenentur alere parentes hæreticos nisi ipsi quoque extremè indigeant. Secundò, quia pater potest filium hæreticum hæreditate priuare, vt constat ex Authentica, *Vt cum. de appellat. agnoscend. §. Causas, versu, si quis de prædictis, & l. Regia 7. tit. 7. part. 6.* & ex *l. Lusitana lib 4 noua recopilat. tit. 88. num. 17. & 18.* Sed frequentissima est Doctorum sententia, quam multis allegans tradit Molin. *de primogen. lib. 2. cap. 16. num 1. 2. & 3.* & Azor *tom. 2. Inst moral. lib. 2. quæst 6 cap. 5.* & approbat Sanchez allegatus hic quòd in omnibus casibus in quibus possunt parentes filios, & filias exhæredare, possint quoque eis seclusa extrema necessitate alimenta negare; ergo filius christianus & catholicus non tenetur parenti hæretico alimenta præstare, nisi in hac necessitate extrema, vt patet. Nam cum hæc sint correlatiua, id quod disponitur in vno v c. in patre, disponitur etiam in altero, id est, in filio, & id quod circa alimenta disponitur in filio, disponitur etiam in patre.

Lara. Surd.

Sanch.

Surdus.

Molin. Azor. Sanchez. *Valet argumentatio de exhæredatione ad alimentorum negationem seclusa extrema necessitate.*

7. Imò addo nec in extrema necessitate teneri filios præstare alimenta patentibus, si parentes filios à fide auertere coenentur, & nolint ab ea intentione desistere. Primò, quia vt docet D. Th. 2. 2. *quæst. 101 art 4 ad primum*, parentes, fratres, & sorores, si nos ad peccatum impellant, deserere, & odio habere tenemur, iuxta illud Christi Domini Lucæ 14 *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, vxorem, filios & fratres, adhuc autem, & animam, hoc est, vitam suam non potest meus esse discipulus*; quod tunc intelligendum est, vt explicat ibi D. Thom. *ad 1.* quando illi filios ad deserendam fidem, & ad malum compellunt. Vnde si eos deserere tenemur; ergo & eis alimenta necessaria ad vitam negare si nolint ab ea intentione desistere; sunt enim iam non patres; sed hostes animæ, & salutis. Et id patebit magis ex dicendis infrà num. 21.

Nec in extrema necessitate tenetur filij patres hæreticos alere, si conentur eos à fide auertere. D. Thom.

Secundò quia filij christiani & catholici possunt accusare patres de crimine hæresis, si eos à fide velint auertere, etiamsi sciant patentes ob id esse igne cremandos, & occidendos, vt docet Toletus *lib. 5. summæ cap. 1. ad finem, versu, Rursus accusare*, vbi dicit in duobus casibus debere filios accusare parentes in crimine læsæ maiestatis, & in crimine hæresis. & statim ipse & Alexand. 3. *part. quæst. 33.* addunt non in omni hæresi debere filios parentes accusare, nisi quando est perniciosa, quæ alios inficit, non tamen si secreta sit, & solùm ipsi patri nociua. Ergo si possunt eos accusare, poterunt etiam eis alimenta negare; quamuis ob id emoriantur, & fame pereant.

Possunt filij catholici accusare parentes de hæresi. Tolet.

Alexand.

Nec solùm eis poterunt alimenta negare si eos à fide catholica auertere conentur, sed etiam eos poterunt iustè occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, si filios ad deserendam fidem vi compellant, tanquam hostes naturæ humanæ iura violantes, non tamen in vincula trudere, vt fame pereant: nam si tempus longius sit, patet aditus ad censores fidei, qui tunc huic morbo grauissimo mederi poterunt iuxta sententiam Episcopi Oriolani *ad cap. 1. libri Machabæorum.* & authoris Summulæ *ex summa Toleti, ad cap. 1. lib. 5 eiusdem summulæ in additiunculis.* 8.

An possint filij parentes occidere si eos ad deserendam fidem compellant.

Præcipuum dubium est, an quando ob patris hæresim bona illius publicantur, teneatur ex iustitia fiscus filiis illius orthodoxis in extremis constitutis alimenta ad vitæ necessaria donare. Et quidem hæc quæstio valdè controuersa, vt videri poterit apud Peregrinum *de iure fisci lib. 5. tit. 1. à num 34. vsque ad 44.* & apud Farinacium *in sua practica in noua edit. tom. 1. part. 1. titulo de delictis, & pœnis quæst. 24. à num. 34. + sequentibus*, multi enim sunt, qui existimant nunquam in bonis patris publicati alimenta debita filiis: imò, nec legitimam illorum. Probari potest, quia sicut filius non potest negare patri hæretico in extremis constituto præcisè vitæ alimenta; ita nec etiam pater filio; fiscus autem in bonis succedit loco patris? Deinde quia videtur extrema ac barbara crudelitas ob delicta patentum in quibus nullam culpam filij habuerunt, eorum filios velle quoque fame occidere. At communis hodie sententia est, ob crimen læsæ maiestatis dumtaxat, & hæresis, negari posse filiis alimenta ad vitæ necessaria post publicationem bonorum patrum; & probatur facilè in hunc modum, quia etsi parentes teneantur iure naturali filios alere, & fiscus succedat loco patrum; tamen non ob hoc impediuntur patres quin possint omnia sua bona nullis alimentis filiorum reseruatis hypothecæ alicui subiicere, & applicare per contractum, & ex vi huius hypothecæ sæpe à creditoribus omnia vsurpantur, nullis deductis filiorum alimentis; ergo à fortiori id poterunt per delictum; nam prior obligatio oritur ex propria parentum voluntate; posterior autem ex legis statuto ob bonum commune. Neque hoc est velle punire filios propter delicta parentum, sed velle antecedenter statuere pœnam delinquentibus, vt atrocitate illius retrahantur parentes à delicto perpetrando. Patet hoc quidem *ex capite. Vergentis, de hæreticis*, in quo Summus Pontifex aufert omnino omnem successionem filiis in bona parentum hæreticorum, iubetque, eis penitus exhæreditatis, omnia bona publicari. Et ita docent Imola *Clement. Pastoral. num. 25. de sent. & re iudicata.* Ioannes Lupus *capite, Per vestras, notabili 3 §. 23. num. 16. de*

9. *An fiscus confiscatis bonis patris teneatur filiis catholicis extremè laborantes alere.* Peregrin. Farin.

Imol. Lupus.

de donat. inter vir. & vxorem; & quamuis §. 24. *num.* 9 videatur contrarium asserere, remittit tamen sese ad hunc locum Simancas *de cathol. Inst. tit.* 29. *num.* 12. Lara *l si quis à liberis* §. *si mater num.* 16 *ff. de lib. agnosc.* Baeça *de non meliorand. filiabus cap.* 15. *num* 25. 26. & 27. Royas, *opinione successionum cap.* 7. *num.* 25. & *singulari* 47. *num* 2. & 3. Barbosa *l.* 1. *part.* 4. *num.* 84. & 85. *ff. soluto matrim* Sanch. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 16. *num.* 15. Idem tradunt in crimine læsæ maiestatis humanæ, Barbosa, & Sanchez, *ibi*, Bossius *in sua practica criminali, titulo de bonor. publicatione num.* 8. & *titulo de crimine læsæ maiestatis num.* 14. Vnde exceptis his duobus criminibus in publicatione omnium bonorum ob alia quæcumque delicta semper reseruantur filiis natis ante prædictam publicationem sua alimenta, vt tenet Iulius Clarus *lib.* 5. *Receptarum quæst.* 78. *num.* 26. Bossius *in practica, titulo de bonor. publ. dicto num* 8. Peregrinus *de iure fisci lib.* 5. *tit.* 1. *a num* 34. & extra hæc duo crimina, vt tradit Sanchez allegatus, intelligendi sunt Dueñas 367. *ampliat* 4. *fine*, & Matienso *lib.* 5. *Recopilat titulo* 8. *lib.* 8. *glossa* 1. *num.* 21. vbi asserunt per publicationem bonorum omnium ob delicta parentum non posse filios iustè suis alimentis priuari præcisè ad vitam necessariis. Et hæc doctrina est vera, & tenenda.

Simanc. Lara. Baeça. Royas. Barbos. Sanch. Bossius.

Quid quando fiscus ob crimen læsæ maiestatis humanæ rapit bona parentum.

Iul. Clar. Bossius. Peregrin. Sanch. Dueñas. Matiens.

10. Dixi, *post publicationem bonorum*, quia ante latam sententiam hæresis incursæ, atque adeo ante bonorum publicationem grauissimum peccatum est filiis hæreticorum alimenta negare, & inhumana crudelitas, vt deducitur ex authoribus allegatis. Et idem est dicendum ante sententiam criminis læsæ maiestatis incursi, vt patet, nullo enim iure id fieri potest.

Ante sententiam hæresis incursæ debentur alimenta à fisco filiis hæreticorum.

11. Ex quo fit id quod tradit Guillielmus Benedictus *cap. Raynutius, verbo, Et vxorem, decis.* 5. *num.* 286. *de testam.* videlicet, si publicatis parentum bonis, ob hæresim, aut crimen læsæ maiestatis, non reseruentur legitimæ, & alimenta filiis, posse filios in foro conscientiæ, si pauperculi sint, occultè sibi compensare, nec teneri sic occultè rapta restituere; & refert pro se Guillielmum de monte Laudensi, sano modo intelligendum esse; quando scilicet extrema necessitate laborarent; in quo casu licitum est cuicumque furari cum omnia tunc sint communia, & ita docent Imola *n.* 9. allegatus, & Ioannes Lupus, ibi etiam allegatus *dict.* §. 2. *num.* 16. & Sanchez *num.* 27. & consequenter tenerentur ad restitutionem, si ad pinguiorem fortunam deuenerint.

Guilliem. Imola. Lupus. Sanch.

12. Dixi *num* 5. iure naturali teneri filios catholicos alimenta parentibus hæreticis etiam, & ethnicis donare, si sint in extrema necessitate constituti; quia solent Doctores hic quærere quo iure filij, & parentes alimenta præstare teneantur; & multi iuris canonici periti existimant parẽtes teneri præstare alimenta filiis iure naturali, filios verò parentibus non iure naturæ, sed gentium. Ita docere etiam videtur Bartholus *in l. si quis à liberis, ff. de lib. agnoscend.* Probant, quia natura descendit à parentibus in filios, atque adeo propensiore iure naturæ, & proximiore debent patres liberos amare, quàm liberi parentes. Deinde, quia belluæ in quibus totum ius naturæ inest, filios alunt suos, non tamen filij parentes, præter vnicam cyconiam, cui id tamquam insigne attribuitur, & ob eam causam pietatis symbolum habetur. Dicendum tamen est cum communi Doctorum, & præcipuè Theologorum sententia filios eodem iure naturæ teneri de alimentis prouidere parentibus in extrema necessitate, aut quasi extrema constitutis, quo parentes tenentur prouidere filiis. Primò ex genere correlatiuorum, sunt enim pater, & filius correlatiua. Vnde quod de vno dicitur, de alio necesse est, dicatur. Secundò, quia natura rationabilis strictiori vinculo obligat filios erga parentes, quam parentes erga filios, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 8. *ad* 3. nam quicquid filius habet, à patre habet; pater autem nihil habet à filio, & ideo ratione beneficij accepti tenentur filij parentibus maximè prouidere; quamobrem licet ius naturæ absolutæ magis incliner parentes ad prouidendum de alimentis filiis, vt in belluis cernitur; at non ita ius naturæ rationabilis; plus enim natura rationabilis inclinat filios ad prouidendum parentibus, propter beneficium totius esse, & vitæ, ab eis acceptum, quàm parentes ad prouidendum filiis, cum nihil ab illis acceperint. Et ita docet D. Thomas citatus, Syluester *verbo, Filij, quæst.* 22. *ad finem*, Azor. *tom.* 2. *Instit. moral. lib.* 11. *quæst.* 1. *cap.* 3. Toletus *lib.* 5. *summæ cap.* 1. *num.* 3. Et ex iuris peritis idem ducent Menoch. *de præsumpt. lib.* 3. *quæst.* 29. *num.* 16. Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 17. Cardoso *in praxi iudiciali, verbo, filius num* 40. & communiter omnes, & ideo parco allegationibus. Vide tamen Rebello præ omnibus doctissimè hac de re loquentem *de obligat. Institia part.* 2. *lib.* 5 *quæst* 8. *num* 8.

Quo iure filij parentibus & parentes filijs alimenta debeant.

Barthol. D. Thom. Syluest. Azor. Tolet. Menoch. Surdus. Cardos. Rebell.

Estque adeo vera hæc doctrina, vt ad extremam necessitatem redactis filiis, & parentibus, teneantur filij potius patribus succurrere, quàm propriis filiis. Ita docet Toletus modò citatus; Syluester *verbo, Filij*, §. 26. Azor. item allegatus *quæst.* 16. & Schola Thomistarum post D. Thomam *in* 2. 2. *quæst.* 26 *art.* 8 *ad* 3. secus extra necessitatem extremam: nam tunc potius filiis, quàm parentibus succurrendum est. Aliqui contrarium putant, vt Barthol. citatus *num. præcedenti*, & Angelus *verbo, Filius, num* 24. & alij iurisperiti. Dicunt enim in extrema necessitate succurrendum potius esse filiis, quàm parentibus, quod est probabile; id autem quod dicimus probabilius, nam filij totum suum esse, & vitam, & quicquid habent, à parentibus habent, parentes autem nihil habent à filiis præter iacula, spinas, & curas, quibus maximè anguntur, ac stimulantur, vt eis vitæ remedium quærant iuxta dictum Iacob. Geneseos 49. *Ruben primogenitus meus, principium doloris mei*, vbi principium doloris sui eum appellat, quia cum primus illius filius esset, primò cæpit parentem curis stimulare circa vitæ illius remedium quærendum. 13.

Tolet. Syluest. Azor. D. Thom. Barth. Angel.

Dixi, *secus extra necessitatem extremam*, quia duplex est necessitas. Altera extrema. Altera grauis. Extrema, si parentes adeo sint pauperes, & ignaui, vt neque habeant victum, neque vestitum, neque industriam ad illum comparandum, aut si morte damnentur propter æs alienum, quod nec habent, nec vnde habeant. Grauis, vt si ad se alendos cogantur eleemosynam petere, cum eorum statui id minimè conueniat. Vtraque necessitas adeo astringit filios in parentes, vt in vtraque si possint, eis teneantur sub mort. de necessariis ad vitam prouidere in extrema, patri priùs quàm filio, in graui filio potius quàm patri, iuxta authores allegatos; & hac de re vide Sayrum *in claui regia lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 16. Et ratio diuersitatis est, quia extra extremam necessitatem, sola naturalis propensio, & ius naturæ præcisè à ratione consideratur in patribus erga filios, 14.

Sayro.

propen

propensione autem naturæ magis amant parentes filios, quàm filij parentes; amant enim illos tanquam aliquid sui, ac proinde amant se in filiis, quia amant in filiis illud esse quod à se acceperunt; & cum illos ex præcisa naturæ vi plus ament, consequens est vt ex ipsa præcisa vi naturæ plus illis debeant extra extremam necessitatem prouidere, quàm parentibus: at verò in extrema necessitate consideratur ius naturæ ratione formatæ; dictat autem ratio naturalis, vt in extremis, magis diligamus eos, à quibus maiora beneficia accepimus; vt patet, & hoc est, quod D. Thom. 2.2. *quæst.*26.*art.*8. *ad* 2. dicit: *Patribus secundùm rationem coniunctionis ad se ipsos naturaliter pluris esse filios diligibiles; secundùm autem rationem eminentioris boni*, id est, secundùm considerationem maioris beneficij accepti; *filys naturaliter pluris esse parentes diligibiles.*

D. Thom.

15. *Existente vtraque necessitate graui & extrema parētum, peccant filij mortiferè si ingrediantur religionem.*

Vtraque tamen necessitas tam grauis, quàm extrema, adeo obligat filios, vt peccent mortiferè, si relictis parentibus, tam in graui, quàm in extrema necessitate religionem ingrediantur. Ita D. Thom. 2.2 *quæst.*101. *art.*4. *ad* 4 & Toletus *lib.*5. *summa, cap* 1. *num.*5. Caietan. *ibi* Alensis 3. *part. quæst.* 33. *num.* 4. *quæstione.* 2. Angel. *verbo, Religio, num.*32. Resella *verbo, Religio* 2. *num.*7. Syluester *verbo, Religio* 2. *quæst.*7. Axor *tom.* 2. *instit. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 5. *aliàs* 3. & *lib.*13 *cap* 1. *quæst.* 8 & alij, quos statim hic allegabimus. Et ratio est, quia religionis ingressus, est de consilio, & non de obligatione; subleuatio autem parentum ab extrema, aut quasi extrema necessitate est de præcepto, & iure naturali. Vnde violant ius naturæ in circunstantijs his, filij, qui parentibus in huiusmodi necessitatibus constitutis ad religionem conuolant, nisi iudicent in religione sufficienter eis posse succurrere: sunt enim religio, & pietas in parentes duæ res quarum vna alteri non contrariatur, neque actus vnius impedit actum alterius, quamobrem non potest actus religionis impedire pietatis actum in parentes, vt patet. Neque obstat illud Christi Domini Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Neque illud quod in Iacobo & Ioanne Matth. 5. commendatur. *Relictis retibus, & patre, secuti sunt eum*, id est, *Christum.* Neque etiam illud Deut 33. *Qui dixit patri suo, & fratri suo, nescio vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum*; quia Iacobus, & Ioannes non reliquerunt patrem, & matrem in necessitatibus; erant enim satis sibi diuites. Parentes verò, sorores, & fratres, & filios, si nos retrahant à bonis actionibus, & ad peccandum impellant, deserere, & odio habere, quoad hoc tantùm debemus, vt explicat D. Thom citatus in responsione ad primum argumentum Et hanc opinionem tenent communiter Doctores Nauar. *in summ. Lat. cap.*14. *num.* 4. Iansenius *in Concordant. Euangel. cap.*60. in ea verba, *Vos autem dicitis.* Corduba *in summ. quæst.* 141. *art.* 1. Palat. *in* 4. *dist.* 38 *disput.* 1. *in solut. ad* 3. *fol.*852. Rodrig *in summ. tom.*2. *num* 4. & *qq tom* 3 *q.*13. *art.*5. *dict.*4. Sà *in summula, verbo, Religio, num* 2. Sanchez *lib.* 4. *Decalog. cap* 20. *num.*3. vbi multos citat.

D Thom. Tolet. Caiet. Alensis. Angel. Rosell. Syluest. Azor.

Nauar. Iansen. Cordub. Palat Rodrig. Sà Sanch.

16. *Quid si necessitas non extet, timeatur tamē futura.*

Quod procedit non solùm, quando parentes hac magna necessitate actu premebantur dum filij erant in sæculo, & de religionis ingressu cogitabant; sed etiam quando probabiliter futura credebatur; quia in iure optimè æquiparatur præsens necessitas necessitati futuræ, quæ de proximo timetur, si est magna necessitas, & non leuis, & sic obligat filios, ne se reddant inhabiles, & impotentes ad succurrendum parentibus. Vnde non bene omnino Emanuel Rodriguez *tom* 2. *summa, cap* 6. *num* 4. asseruit hanc necessitatem intelligendam esse solùm quando patres eam actu patiebantur, dum eorum liberi ad religionem volebant conuolare, quem merito reiicit, hanc nostram opinionem sequens, Sanchez allegatus *num.* 5. citans Abulensem *in cap.* 8. *Matth. quæstione* 67.

Rodrig.

Sanch. Abulens.

17. *An data magna necessitate parentū teneantur filij egredi à nouitiatu.*

Imò procedit etiam hæc opinio, etiamsi tempore nouitiatus filiorum ista magna necessitas cōtingat, tenentur enim tunc egredi, quia cum licitè egredi valeant & perseuerantia in nouitiatu sit opus consilij, præferendum est præceptum iuris naturæ, de succurrendis parentibus in magna necessitate constitutis, operi consilij Ita docet idem Sanchez citatus *num* 7. & Sà *in summula, verbo, Religio, num.* 3. & Nauarr. *comment.* 3. *de regular. num.*48. Palatios *in* 4. *dist.*38. *disput* 1. *in solut. ad* 3. *fol.*852. D. Anton citans Ioannem de Neapol. 3. *part. tit.*16. *cap* 2. §.1. Semper tamen hoc intelligendum est, dummodo ex religione meliùs ac conuenientiùs iuuare parentes liberi non possint. nam si inde meliùs possint, non tenerentur egredi, & idem docet etiam Tabiena *verbo, Pietas, ad finem.*

Sanch. Sà. Nauar. Palat. D. Anton.

Tabien

18. *Quid in dubio de magna necessitate.* Sanchez.

In dubio autem omnibus perpensis, an tam grauis sit necessitas, vt obliget liberos ad succurrendum parentibus, omisso religionis ingressu, existimo cum Sanchez allegato *num.* 6. liberum esse filiis ingredi, vel non ingredi prout maluerint, quia cum tunc dubium sit, an in eo euentu præceptum naturale obliget, obtinet libertas filiorum: sic generaliter loquendo in dubio, an detur in aliquo caso præceptum; docent communiter Doctores, neminem ad illud obligari, vt optimè animaduertit Sanchez *lib* 1. *Decalogi cap.* 10. *num* 9. cum multis quos ibi allegat. Et similiter id eis liberum erit, quando pro vtraque parte dantur rationes probabiles; tunc enim poterit quisque filius sequi quam partem maluerit, minùs etiam probabilem, dummodo tamen probabilis sit, quod sæpe in aliis rebus opinabilibus communiter contingit Ita Sanchez ibidem.

Sanch.

19. *Quid si filij habeant votum de ingredienda religione.*

Neque obstat etiam votum de ingredienda religione si forte illud filij habeant, siue ante eam grauem necessitatem, siue post eam, fuerit emissum; in vtroque enim casu tenentur non ingredi ea durante, & si semper duret, tenentur semper in sæculo manere, voto non obstanti: Sic Sanchez *lib* 4 *Decalog. cap* 20. *num* 8. D. Anton. cum Ioanne de Neapoli citatus. Syluester *verbo, Religio* 2. *quæst* 7. Corduba *in regul. D Franscici, cap.*2. *quæst.*6. *art.* 1. *paulo post initium.* Rodrig. *tom.*2. *summa, cap.*6. *num* 4. & alij. Et ratio stat in promptu, nam si ante eam necessitatem votum fuit emissum, ingens mutatio facta est ex parte rei promissæ, tanta scilicet quanta si daretur ante votum, impediret eius obligationem, vt patet: quoties autem in materia voti tanta mutatio facta est, quanta, si à principio emissionis illius daretur, non obligaret votum ante eam mutationem factum, ea adueniente non obligat, vt est communis resolutio in materia voti, & latè probat Sanchez *lib.*4. *Decalog. cap.*2. *num* 23. In dubio verò an tanta sit facta mutatio, quæ si à principio daretur, non obligaret, obligabit votum ante

Sanch. D Anton. Syluest. Cordub. Rodrig.

Sanch.

causam ab eadem Societate, exolutus votis, dimittitur; quia cum in perpetuum per dimissionem, votorum obligatione exoluatur, non tenetur amplius ad eam redire. Quando autẽ religiosus professus è religione egreditur causa subleuandi parentes extremè laborantes, dimisso etiam habitu secluso omni scandalo, id poterit efficere, si melius sic eos possit iuuare; nam si ius naturale eis concedit maius, egressum nempe à religione, cur non etiam minus; quod clarè supponit Nauarrus *commento 3. de Regularibus num. 49.* De hac tamen redibit sermo *num. 28.*

Poterit filius religiosus dimittere habitum, si melius sic eos possit iuuare.

Nauar.

24\. Tota ergo difficultas est, an non in extrema, sed in graui necessitate parentum teneatur filius professus è religione exire, si sic parentes iuuare possit. In primis communis omnium sententia est, non teneri, nec posse licitè exire si melius aut æquè bene ex religione, quàm in sæculo, parentes possint à filiis iuuari. Solùm ergo quæstio manet de iis filiis professis, qui in sæculo non ex religione, parentum possunt necessitatibus sufficienter subuenire. Et hac de re tripartita est opinio. Prima docet teneri filios professos egredi, petita & non obtenta licentia, ad subleuandam grauem necessitatem parentum, licet non extremam; idq; siue ea necessitas antecesserit professionem, siue eam subsequeretur. Eam docet Anchona *de potestate Papæ q. 5. art. 1.* Henricus de Gandauo *quodlibeto 6. quæst. 9.* Iansenius *in concordia Euangel. cap. 60.* in ea verba, *vos autem dicitis.* Viguerius *lib. 1. Inst. moral. cap. 6. §. 7.* statim *in initio.* Corduba *in Regulam D. Francisci cap. 2. quæst. 6. art. 2.* post quartam opinionem. Et pro hac opinione citantur etiam Palatios *in 4. dist. 38. disput. 1. in solutione ad 3 folio 853.* Adrianus *quodlib. 1. art. 3. ad 7.* & Maior *in 4. dist. 38. quæst. 16. conclus. 2.* sed hi tres posteriores, si bene perpendantur, de necessitate extrema, non de graui loquuntur. Fundamentum huius opinionis est, quia, tam vota, quàm iuramenta quibus nos Deo obligamus, semper intrinsecè hanc conditionem secum deferunt, id est, *Voueo, dummodo hoc Dei præcepto, aut vinculo iuris naturalis non repugnet.* De præcepto autem, & iure naturali est, vt filij parentes iuuent, ac alant in graui necessitate positos, si possunt. Secundò, quia si ea grauis necessitas daretur ante votum professionis, ea sufficienter impediret ingressum religionis filiorum voto promissum; ergo post professionem in tantum impediet obligationem illius, illámque suspendet, in quantum aduersatur subsidio debito de iure naturali parentibus, cum facta sit notabilis mutatio ex parte rei promissæ. Tertiò, quia quando aliqua res præciso omni voto, est melior, quàm sua contradictoria, ea exequenda est post quodlibet votum professionis etiam; sed præciso voto professionis melius est parentibus subuenire, quàm manere in religione; ergo idem dicendum est etiam eadem professione secuta. Quartò, quia ad aliquid amplius obligandus est filius respectu parentum, quàm respectu cuiuslibet extranei; sed extraneo in extrema necessitate tenetur religiosus professus subuenire inuito superiori relicta religione, vt si puer in puteum caderet, & solus religiosus eum inde extrahere posset, vt diximus *num. 22.* ergo etiam id poterit efficere in graui necessitate parentum. Quintò, quia ratione egestatis, possunt patres licitè filios vendere *l. 3. Cod. de patribus, qui filios distraxerunt*; ergo à fortiori eos poterunt extrahere à religione pro eo tempore in quo laborant graui necessitate. Est probabilis ista opinio.

In graui necessitate & non extrema non tenetur filius professus exire si melius in religione parentes iuuare possit aut æque bene.

Quid si melius in sæculo quàm in religione parentes iuuare possit graui necessitate laborantes.

Anchona.
Gandau.
Iansen.
Viguer.
Cordub.
Palat.
Adrian.
Maior.

25\. Sed eius fundamenta non sunt adeo firma, vt non possint facilè dissolui. Ad primum respondeo vota esse conditionata, & ideo in extrema necessitate teneri religiosos professos egredi religionem ad iuuandos parentes; in graui verò, posse id efficere si velint, petita etiam, & non obtenta licentia; non tamẽ teneri. Ad secundum dico necessitatem magnam, si ante professionem detur, solùm impedire, vt votum professionis licitè fiat; si tamen fit, validè fit ipsa professio, licet cum peccato: vnde cum validè fiat, non tenentur egredi religiosi professi in ea circunstantia, vt patet. Deinde dico eam mutationem status habere locum solùm in votis in quibus promittitur solus ingressus religionis, non autem in votis professionis in quibus Deo traditur persona promissa. Ad tertium dico illam maiorem esse veram, quando res in eodem statu permanet, ita vt mutatio status non efficiat illã rem iam esse meliorem sua contradictoria, vt contingit in religioso professo, in quo status professionis assumptus efficit, vt melius illi sit non recedere à conuentu contra superioris voluntatem, cui per professionem traditur, quàm recedere ad parentum subsidium. Ad quartum dicendum est ad aliquid amplius obligandum esse, in æquali necessitate patris, & extranei, non in dispari, vt in argumento sumitur. Ad quintum respondeo id esse verum, dum filius in patris potestate manet, secus quando alteri per professionem est traditus.

In extrema necessitate parentum tenentur filij professi Monasterium egredi: in graui possunt si velint exire petita, non obtenta licentia; non tamen tenentur.

26\. Secunda opinio distinguit inter necessitatem magnam patrum antecedentem professionem filiorum, & subsequentem, & ait, si magna necessitas parentum præcessit filiorum professionem, teneri illos egredi monasterio, vt parentes iuuent, si verò subsecuta fuit, non teneri. Ita Toletus *lib. 5. summæ cap. 1. num. 5.* Nauarrus *in manuali Lat. cap. 14. num. 14.* Syluester. *verbo, Religio 6. quæst. 9.* Ludouic. Lopez *1. part. Instruct. cap. 54* Rodrig. *tom. 2. summæ cap. 6. num. 4* Anton Cucus *lib. 3. Inst. maiorat. tit. 1. num. 126.* Fundamentum illorum est, quia si pater ante professionem iam erat in illa graui necessitate, iniustè filius professus est, ac proinde tenetur egredi. Secundò, quia cum ante professionem teneretur filius adiuuare parentes, transit per professionem cum eo onere in potestatem prælati; res enim semper cum suo onere in potestatem alterius transit, vt constat ex *capite, ex literis, de pignoribus.* Tertiò, quia obligationes de iustitia anteferendæ sunt obligationibus religionis; at filius de iustitia tenebatur succurrere parentibus ante professionem, & iniuriam irrogauit parentibus, profitendo; erat enim illa obligatio iustitiæ antiquior obligatione professionis, ergo tenetur filius religionem egredi, vt debitum illud iustitiæ exsoluat, quando ex religione illud exsoluere non potest. Quartò, quia seruus absque consensu domini matrimonium iniens tenetur obsequium domini anteferre vxori debitum carnale exigenti; non alia ratione, nisi quia ius domini erat antiquius; ergo cum ius patris sit antiquius iure superiorum religionis acquisito per professionem in ipsum religiosum, tenetur ille, illis inuitis, & renitentibus, egredi religionem, vt hoc debitum parentibus soluat, si ex religione soluere non possit. At nec etiam hæc fundamenta multum conuincunt, quamuis hanc opinionem efficiant valde probabilem. Ad primum enim dicendum est, non peccare filium

Tolet.
Nauar.
Syluest.
Lud. Lop.
Rodrig.
Cucus.

Filij non peccant contra iustitiam commutatiuam, sed cōtra pietatem paternam profitendo in necessitate parentū graui.

profitendo contra iustitiam commutatiuam; sed contra pietatem paternam, ac proinde non teneri egredi è religione post professionem; posse tamen id efficere, si velit; teneri verò parenti succurrere ex religione meliori modo quo potuerit, iuxta regulas, & statuta sui ordinis, & de licentia suorum superiorum, qui iustam causam habent ei donandi ad hunc finem omnes facultates, quæ cum regulis, & statutis ordinis compatiuntur. Ad secundum dico, id onus transire cum religioso, durareque in eo, eo viuente; at modo consono statui. Duo reliqua fundamenta ex his rationibus soluuntur facilè, vt patet. Ad tertium enim dico, non dari hîc obligationem iustitiæ commutatiuæ ex qua resultet obligatio restitutionis, sed iustitiæ lato modo, fundatam in charitate, seu potius sup. charit. Ad quartum dicendū obligationem seruorum in dominos esse de iustitia commutatiua, & non charitatis, quemadmodum obligatio filiorū in parres, quare est diuersa ratio,

Tertia potest esse opinio, quæ partim conue-
27. niat cum prima; partim cum secunda, quæ mihi videtur cæteris probabilior: ea est non teneri filium validè professum egredi monasterio, petita & non obtenta facultate ad iuuandos parentes in graui necessitate constitutos, siue ea necessitas daretur ante, siue post professionem, posse tamen id efficere, si velit prædicta facultate petita & non obtenta. Primò, quia præceptum succurrendi parentibus non obligat filios ad relinquendum statum, sed intra eundem statum, quem habent, illos obligat; ergo non tenentur illi statum relinquere ad illos iuuandos. Probatur, quia si filij sint coniugati, non obligat illos ad relinquendam vxorem, & habitandum cum parentibus causa illis succurrendi, clamante scriptura Geneseos 5. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vir vxori suæ.* Ergo tantùm tenetur illis succurrere intra eundem statum, quem habet. Deinde quia si filius sit clericus, non tenebitur militiæ nomen dare, vt parentes in magna necessitate constitutos iuuet; quamuis eo solo modo eos iuuare possit, & aliter non possit, quia status illius id non patitur. Ergo nec filius professus tenebitur eos iuuare monasterio, & habitu dimisso, id enim status religiosus non patitur; poterit tamen licitè id efficere si velit petita, & non obtenta vt dixi facultate; quādo enim finis est licitus, media vnica ad talem finem licita etiam sunt. Tertiò, quia per professionem traditur religiosus prælato, & in eius potestatem transit; at res vni tradita nequit ab eo auferri, vt parentibus subueniatur, quando eorum necessitas non est extrema, vt si promisi Ecclesiæ centum aureos, possum non dare superueniente magna necessitate parentum, si illis solis ei succurrere possum; at si re ipsa illos Ecclesiæ iam tradidi, non possum eos iterum ab ea auferre, nisi de illius licentia, quam si negauerit, illicitè negat. Cum ergo religiosus per votum professionis se prælato tradat, non potest ab ea exire, vt parentibus in magna necessitate succurrat, nisi de eius licentia, quam si prælati negauerint, irrationabiliter negant, & ille rationabiliter ea petita & non obtenta exire potest, considerata materiæ qualitate; qui ea obligatio illis succurrendi est de iure naturæ. Quartò, quia vt docet Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 20. *num.* 21. Prælati habent iustam causam concedendi religiosis hanc licentiā, si ab eis petatur, si extra monasterium parentibus succurrere possint, & intra non possint, ergo iustam

Filius professus in graui necessitate parentum nō tenetur egredi petita, & non obtenta facultate, potest tamen egredi si velit.

Sanch.

causam habebūt tunc religiosi exeundi, ea petita, & non obtenta, ratione grauitatis & necessitatis materiæ; quæ est de iure naturæ. Dixi *ratione materiæ*; quia si religioso negetur à superiori facultas exeundi foras, non sequitur posse illam sumere licitè in quacunque materia; at talis potest esse materia, vt ea petita & non obtenta licitè possit exire; talis est ista præsens, & talis etiam esset si domus proximi incenderetur, & non esset, qui ei succurreret, aut non tam commodè succurreret, ac ipse religiosus. Hæc opinio videtur mihi cæteris probabilior, vt dixi, & quatenus dicit teneri religiosos petere hanc facultatem à superioribus, habet pro se authores primæ opinionis *num.* 24. explicatæ, qui dicunt etiam in extrema necessitate teneri illos eam facultatem à superioribus petere; quanto ergo magis id dicerent in magna, & non extrema? Quatenus autem asserit, ea petita & non obtenta, posse illos licitè egredi si velint, non tamen teneri, habet pro se authores secundæ opinionis expositæ *num.* 26, quatenus dicunt, si magna necessitas parentum subsequatur post professionem, non teneri illos religionem egredi, petita, & non obtenta prædicta facultate. Illud certum teneri filios religiosos professos pro viribus in religione niti, vt huic parentum graui necessitati succurrant salua regulari obseruantia, & prælatorum obedientia; quod si non possunt, tunc quidem petita & non obtenta licentia, licitè poterunt egredi quamuis ad id non teneantur. Et ita expressè docent Sà *verb. religio num.* 2. Rosella ibi *verbo, Religio* 2. *n.* 7. D. Anton. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 2. §. 1. Armilla *verbo, pietas num. vnico*, Tabiena *ibi in fine*. Corduba *in summa, quæst.* 141. *artic.* 2. *in* 4 *opinione puncto* 2. Angles *in floribus* 2. *part. quæst. vnica de voto, artic.* 2. *difficultate* 13. Passarellus *in priuileg. minor. cap.* 42. Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regular.* Alensis 3 *part. quæst.* 33. *memb.* 4. *artic.* 1. *in fine*, & alij. Hanc licentiam possūnt dare Generales, & Prouinciales, vt bene docet Nauar. *lib.* 3. *consil. tit. de Regularib. in* 1. *editione, consil.* 55. *num.* 2. *in secunda, consilio* 71. *num* 2. *& in commentario* 3. *de Regul. n.* 49. vbi apertè dicit posse quoque ab illis hanc licentiam concedi vt habitu dimisso sint extra monasterium, si sic possint, & aliter non possint parentes iuuare. De quare iam dicere aggredimur.

Dubium ergo est, an quando religiosus petita 28.
& non obtenta licentia monasterium licitè egreditur ad iuuandos parentes in graui necessitate constitutos possit licitè habitum externum dimittere, si dimisso possit, & retento iuuare non possit. Nauarrus *in commento* 3. *de regul, num.* 49. manifestè id supponit. Fundamentum illius est, quia cui conceditur finis, conceditur etiam medium necessarium ad talem finem, *lib.* tamen 3. *consil. tit. de regul. in* 1. *editione, consil.* 54. *num.* 2. *in secunda, conf.* 72. *num.* 2. & Rodriguez *tom.* 2. *summæ cap.* 6. *num.* 4. asseruot hanc licentiam dimittendi habitum à solo Papa concedi posse, cum sit res grauissima; & tam aliena à statu religioso, vt neque etiam religiosus professus factus Episcopus habitum possit dimittere. Vnde si solus Papa eam dare potest, non poterunt eā dare superiores, & consequenter neque etiam ipse religiosus habitum poterit, ea petita, & non obtenta, dimittere. Mihi tamen videtur posse huiusmodi religiosum habitum dimittere, si non aliter, nec alio modo, iuuare parentes possit in graui necessitate constitutos, nisi illo dimisso; si enim licitus est ei tunc egressus, cur non licebit etiam medium

Sà. Rosel. D. Anton. Armill. Tabien. Cordub. Angles. Passarel. Rodrig. Alens.

Nauar.

Nauar.

Rodrig.

necess-

necessarium ad hunc finem; præsertim, cum non habitus, sed virtus religiosum efficiat? Nec est simile de exemplo Episcopi, quia nulla necessitas cogit Episcopum religiosum ad mutandum habitum suæ religionis, vt patet. Iam verò quòd prælati religionum, qui licentiam dare possunt religiosis, vt ad tempus religionem egrediantur ad iuuandos parentes, possint etiam eam dare ad mutandum habitum, si sic possint illos iuuare, & aliter non possint, id vt dixi, clarè supponit

Nauar.

Nauarrus *commento 3. de regularibus*, *num.* 49. ait enim ibi, prædictam licentiam non esse concedendam ab ordinario prælato religiosorum, nisi quando habitu retento parentes suos commodè iuuare non possunt; ergo ex sententia Nauarri, quando aliter eos iuuare non possunt, poterit eis proprius prælatus licentiam ad mutandum habitum dare.

29. Quæ hactenus dicta sunt de parentum necessitate, intelligenda etiam sunt de necessitate reliquorum ascendentium, auorum, scilicet, & proauorum, quia omnes illi reputantur vt parentes, & sunt hæredes necessarij descendentium ab intestato, & descendentes eorum ad inuicem, ipso iure, & ideo mutuo sibi alimenta præstare tenentur, si necessitas vrgeat. De necessitate autem magna sororum, & fratrum, & an fratres teneantur monasterio egredi vt sororibus opem ferant, dicemus infrà in *cap.* 16.

30. Dubium autem hîc esse potest, an patribus, & creditoribus ad extremum redactis teneantur filij potiùs patribus, quàm creditoribus subuenire. Et hac de re duplex esse potest opinio. Prima est eorum, qui docent, quando debitor, & creditor simul ad extremam necessitatem deueniunt, teneri debitores potiùs creditoribus suis, quàm sibi ipsis. Et hi sunt

Scotus.

Scotus *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4. in responsione ad argumenta, versu, Ad aliud, aut detinens est*, & Richardus *eodem libro, & dist. art. 5. quæst. 4. ad 5.* Gabriel *ibid. quæst. 2. art. 2. conclus. 2. versu, Ad casum.* Medina *de rest. q. 3. in causa 4. ad 4.* Angelus *verbo, Restitutio, num. 3.* Armilla *eodem verbo, num. 27.* Nauarrus *in manuali Lat. cap. 18 num 60.* omnes citati ab Azor. *tom. 2. inst. moral. lib. 12. quæst. 5. initio.*

Richard.
Gabriel.
Medin.
Angel.
Armil.
Nauar.
Azor.

Fundamentum illorum est. Primò, quia duplici iure, ac nomine ea res creditoribus debetur, & quia res est sua, & ab eo accepta fuit; debita enim non computantur cum rebus debitoris, & quia est in extrema necessitate constitutus; debitor autem vnico tantùm iure, & titulo eam potest retinere, ratione scilicet extremæ necessitatis; ergo tam ipso debitore, quàm patre, aut matre illius ad extremam necessitatem redactis, tenetur debitor eam rem potiùs creditori reddere; quàm sibi retinere, aut illa parentibus subuenire. Secunda opinio est eorum, qui dicunt teneri potiùs debitorem ea re sibi, & suis parentibus subuenire in ea extremæ necessitatis circunstantia, quàm creditoribus in eadem similiter circunstantia existentibus. Et hanc opinionem tenet

Azor.

Azor. *tom. 2. inst. moral. lib 12. cap. 8. quæst. 5. versu, Sed quid si creditor.* Paludanus *in 4. distinct. 15. quæstion. 2. art. 1. conclus. 1.* Sotus *lib 4. de iust quæst 7. art. 1. ad 4.* Caietanus *2. 2. quæst. 62. art. 5. ad 4.* Tabiena *verbo, Restitutio, quæst. 4.*

Palud.
Sotus.
Caiet.
Tabien.

Et id probant, quia in extrema necessitate omnia quoad vsum tantùm, non dominium sunt communia *l. 1. §. Cum in eadem, ff. ad legem Rhodianam de iactu*; fuerunt enim res à principio diuisæ sub conditione redibilitatis, vt, scilicet, in extrema necessitate ad suum priorem statum communitatis quoad vsum tantùm redirent; vnde cum vsus ipsius rei in ea extrema necessitate factus, sit communis, & alioquin magis quis patri adstringatur, quàm creditori, & melior sit conditio tenentis, & possidentis; hinc fit, vt patre, & creditore ad extremam necessitatem deuenientibus, potiùs patri, quàm creditori, ea re, subuenire debitor teneatur; fit etiam quòd quando debitor, & creditor simul ad eam extremam necessitatem deueniunt, non teneatur debitor rem creditori soluere, cum sibi potiùs, quàm illi succurrere, eâ teneatur; & quia possidet, & quia res in ea circunstantia, quoad vsum tantùm ad priorem statum communitatis redit. Vtraque opinio est probabilis; ista tamen secunda valde probabilior, & ideo tenenda est, quicquid dicat

Tolet.

Toletus *lib. 5. summæ, cap. 24. versu, Duplex dubium est*, vbi asserit posse debitorem se & creditoribus in extrema necessitate constitutis, sibi soli prouidere, non tamen dare parentibus, filiis, aut vxori in ea necessitate positis, relicto creditore, in simili necessitate constituto. Contrarium enim dicendum est, vt diximus.

Maius dubium esse potest, an præterlapsa ea necessitate, & redeunte meliori fortuna, teneatur debitor postea ad restitutionem ipsius rei præfato creditore faciendam, qua de re partita est etiam opinio. Primá affirmat; hanc tenere debent omnes Doctores citati pro vtraque opinione præcedenti, & maximè omnes citati pro secunda, quatenus asserunt vsum tantùm rerum, non dominium illarum in extrema necessitate fieri commune. Quare cum dominium rei semper maneat apud creditorem, sequitur præterlapsa ea necessitate, & fortuna meliori redeunte, rem domino suo esse restituendam, & expressè eam docet, & multis probat 31.

Nauar.
Tolet.

Nauarrus *in summ. Lat. cap. 17. num. 61.* & Toletus *in quadam impressione lib 8. summæ, cap. 26. num. 4. in alia lib 5. cap 24. versu vltimo*, incipit, *Alterum dubium*, vbi expressè tenet eum, qui aliquid ab aliquo in extrema necessitate accepit, vel ab eo furtum abstulit, si postea ad pinguiorem fortunam deueniat, teneri illud restituere. Fundamentum illius est, quia qui dat alteri extremè laboranti, non dat ex obligatione iustitiæ, sed charitatis; quia solùm obligatur ex charitate illi in ea extrema necessitate succurrere, non ex iustitia. Vnde qui sic in ea extrema necessitate aliquid accipit, tenetur id restituere meliori fortuna postea redeunte, nisi qui dedit, simpliciter dederit, vt eleemosynam, qua dominium in pauperem transfert: at ex sola datione in necessitate illa non transfert dator dominium rei datæ in accipientem, nisi res sit perexigua, quam verisimile est dantem donasse omnino, aut eleemosynam illi fecisse, sicut fieri solet pauperibus.

Medin.
Adrian.
Almayn.
Couar.
Ioan Andr.
Panorm.

Medina *codice de pœnit. tract. 5. de eleemosyna.* Adrianus *in 4. de rest. in peculiari quæstione de hac re, quæ incipit, Quia dictum est de lucro.* Almaynus *in 4. distinct. 15. quæst. 2.* Couarr. *regula peccatum, part. 2. §. 5. num. 4.* Idem videtur tenere Ioannes Andreas, & Panormitanus *in cap. Si quis de furtis.* Et probant ex lege, *Nicenus ff. de negotijs gestis*, vbi habetur, eum qui alimenta præbuit alteri in necessitate constituto, posse postea repetere, si testatus fuerit, se ea repetiturum. Fundamenta huius opinionis, quæ omnia tangit Nauarrus allegatus, hæc sunt. Primò, quia res à principio, ea conditione, fuerunt diuisæ, vt in

extrema necessitate quoad vsum tantùm fuerint communia, non quoad dominium; ergo sublata ea necessitate, & redeunte meliori fortuna, domino suo restituenda est. Secundò, quia si res ante extremam necessitatem deberetur ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi ex delicto, & postea eam quis in extrema necessitate positus consumeret, deberet illam restituere, & æstimationem illius soluere, vt est communis opinio; ergo etiã tenetur restituere, quando in summa necessitate accipit, & consumit, si postea ad ditiorem statum perueniat, cum sit eadem ratio. Tertiò, quia lege tantùm charitatis, misericordiæ, ac pietatis tenemur succurrere proximo extremè laboranti, non de iustitia commodando scilicet vel alio modo illi de remedio prouidendo, vel locando, quo ab ea necessitate subleuetur, non dando, nec tradendo, ac transferendo dominium illius; alioqui illi, qui alibi est diues, & in hoc loco extremè eget, teneremur de iustitia rem dare, non commodare, aut locare, quod est dictu durissimum: si enim teneremur illam de iustitia tunc ei dare, poterit ille in ea necessitate hîc positus, & alibi abundans eam absque obligatione restitutionis furari; quod similiter durum est dicere. Quartò, quia glossæ receptæ *in l. 2. §. Cum in eadem, ff. ad legem, Rhodianam de iactu, & in cap. Sicut hi. 47. dist.* asserunt commune illud pronunciatum, *Necessitas omnia facit communia*; explicandum esse facere omnia communia, quoad vsum tantùm, aut quoad communicationem, quasi omnia sint tunc communicanda per locationem, commodationem, vel alio modo, non per simplicem donationem, aut ex iustitia.

32. Secunda docet non teneri eum ad restitutionem. Ita Scotus *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4.* Syluester *verbo, Furtum, quæst. 5.* Petrus Nauarra *lib. 3. de rest. cap. 1. num. 344.* Angelus *eodem verbo, quæst. 37.* Rosella *ibid. num. 5.* Tabiena *verbo, Restitutio, quæst. 4.* Fumus *verbo, Furtum, num. 10.* & citari etiam potest pro hac parte Sotus *lib. 4. de iust. quæst. 7. art. 1.* quatenus asserit positum in extrema necessitate si aliquid accepit, non teneri postea illud restituere, redeunte pinguiori fortuna, nisi alibi haberet, vnde id soluere possit. Et pro hac etiam opinione citari potest Azor *tom. 2. inst. moral. lib. 12. cap. 8. quæst. 7. versu, Quid si Titius.* vbi asserit hanc opinionem magis ad veritatem accedere. Fundamentum istius opinionis, & omnium authorum illius, & præsertim Azoris est, quia omnis obligatio restituendi, vel oritur ex ratione rei acceptæ, vel ex ratione iniustæ acceptionis; atqui is, qui consumpsit alienum in extrema necessitate positus non obligatur ratione rei acceptæ, quia iam ea res apud eum non extat, cum bona fide ab eo consumpta fuerit; ergo non tenetur illam ex hoc principio restituere. Nec tenetur etiam illam restituere ratione iniustæ acceptationis, quia bona fide accepit, & bona fide consumpsit: nam omnis acceptatio, vel est iusta, vel iniusta; in præsenti casu talis acceptio non potuit esse iniusta; primò, quia res accepta fuit, bona fide; secundò, quia in extrema necessitate omnia sunt communia: inde enim constare potest in prima illa diuisione res diuisas fuisse sub ea conditione, vt in extrema necessitate fierent communia quoad vsum tantùm, & non quoad dominium. Secundò, quia videtur dicendum res omnes fuisse à principio diuisas sub ea conditione redibilitatis, vt in extrema necessitate iterum fierent communia & quoad vsum, & quoad proprietatem, & dominiũ, iterũ ad suum purum statum redirent. Tertiò, quia quamuis dicamus solùm fuisse diuisas à principio sub ea conditione, vt in extrema necessitate fierent communia quoad vsum tantùm, parum refert; quia non est opus, vt res aliena transeat in dominium illius, qui est in extrema necessitate positus, vt ille excusetur postea à restitutione, si ad pinguiorem fortunam deuenerit; quia satis est, vt à tali restitutione excusetur, quòd res in eo casu licitè, & bona fide accipiatur, & licitè, & bona fide consumatur; nam eo ipso quòd quis in tali necessitate, tuta conscientia, consumpsit, nihil postea tenetur restituere, quia per consumptionem factus est dominus illius, quamuis alioqui non esset si non consumeret: sicut possessor bona fide si consumat fructus ex re aliqua, bona fide perceptos, per ipsam consumptionem, & non antea illos fecit suos, & non tenetur illos restituere, vt docet Azor. *tom. 2. inst. moral. cap. 8. quæst. 7. versu, Auctores verò.* Quartò, quia non est eadem ratio de eo, qui rem ante extremam necessitatem debebat, & in extrema necessitate consumit, ac de eo qui in extrema necessitate accipit, & consumit; quia quando res antea debebatur, debitum illius non extinguitur per consumptionem ipsius rei extrema necessitate adueniente; sed est consopitum, & differtur in tempus fortunæ ditioris; at verò quando quis in summa necessitate rem accipit, & consumit, non tenetur postea æstimationem illius restituere adueniente meliori fortuna; quia non debet illam ex aliquo contractu, aut quasi contractu, delicto, aut quasi delicto.

Primam opinionem iudico probabiliorem, & omnino tenendam propter suos authores & fundamenta, nec fundamenta istius quicquam habent roboris; nam quamuis licitè quis in extrema necessitate positus rem accipiat, & consumat, accipit tamen, & consumit eo pacto, & conditione, vt postea ad meliorem fortunam rediens pretium illius restituat; fuerunt enim à principio res eo pacto diuisæ, vt diximus, nec per consumptionem fit quis dominus illarum, id enim falsum est, & fictè excogitatum: sicut qui rem emit bona fide, & consumpsit, tenetur postea illam ea bona fide sublata, & mala fide redeunte, restituere, quia sub ea conditione in ipsa emptione, & venditione tacitè inclusa illam emit. 33.

Rursus dubitatur, an obligatio alendi parentes transeat ad hæredes filiorum, vel ad eos ad quos bona filiorum hæreditate, testamento, vel donatione venerint; & similiter ex regula correlatiuorum, an obligatio alendi filios transeat ad eos ad quos bona parentum transeunt, vel hæreditate, vel testamento, vel donatione, siue filij legitimi, siue illegitimi, spurij, vel naturales sint. Respondum est affirmatiuè, quia obligatio alendi parentes respectu filiorum, & alendi filios respectu parentum est imposita rebus, & filiorum & parentum respectiuè, & præcipuè in illis consistit: ac sita est, res autem cum suo onere transeunt ad hæredes donatarios, vel legatarios, & ad quoscumque alios transeant titulo gratuito; ex quo fit, vt si filius religionem ingrediatur cum omnibus suis bonis, teneatur religio illius parentes, & ascendentes pauperes alere competenter, si patres ascendentibus desint, qui id possint, & debeant efficere. Similiter si patres illam ingrediantur, tenetur enim ipsa religio illorum liberos legitimos, illegitimos, naturales, & spurios 34.

alere

Azor. alere si indigeant. Ita Azor *tom.2. Instit. moral. lib.11.cap. 3. quæst.7.* & patet ex *lege, Sicut à liberis §. item rescripsit, ff de liberis agnoscendis*, & ita expresè tradiderunt Abbas, & Bartholus, Couar. qoos citat, ac sequitur Cooarrouias *in Epitome 2. part.cap.*8. §.6. *num.* 14. Vnde Bartholus adnotauit filium quoque spurium alendum esse à Religione, & monasterio quod pater eum bonis suis quæ sint capacia talis obligationis intrauit, & ideo docet etiam Franciscus Ripa qoem ibi citat, ac sequitur Couarruuias, donatarium omnium booorum eogendum esse authoritate iudicis, ac magistratus, filios donatoris etiam spurios alere de bonis donatis ab illorum patribus.

32. Non transit tamen obligatio hæc alendi liberos aut patres ad eum, qui iure emptionis, & permutationis, aut solutionis debiti bona parentum Azor. obtinuit, filiorúmve, vt egregiè notauit Azor, *tom.2. Inst. moral.lib.11.cap.5.* Couarruuias allegatus, & multi alij, quos referunt ac sequuntur, nam illa obligatio; quæ erat in his rebus, & prædiis, similiter quoque permutata fuit in aliam, quæ parentes, vel filij ex vi contractus permutationis acceperunt, & in peconiam quam ex vi eontractus venditionis acquisierunt. Vnde ex hac resolutione patet vxorem post diuortium factum, cui maritus alimenta debet, non posse agere tatione alimentorum aduersus eos qui iure emptionis, aut permutationis, vel debiti, bona possident, quæ mariti fuerunt, vt patet ex *l. a. ff. de alimentis legatis, ex l. Huius ff eodem titulo* vbi decernitur solum eos teneti filios defuncti alere, quibus bona illius testamentu sunt legata, non autem teneri eos, qui bona defuncti possident iure emptionis, aut permutationis, aut solutionis debiti, vt malè omnino quidam iuris canonici interpretes tenuerunt. nisi id quoque conditione in pactum fuit deductum.

33. Accedamus tandem ad vltimum, & præcipuum dubium huius capitis. An scilicet teneantur filij maiores natu, qui præter nudum maioratum nulla alia bona à parentibus acceperunt, soluere parentum debita, & ad id possint iure cogi? Communiter respondent omnes in hunc modum: Aut patres ipsi maioratum instituerunt. aut à maioribus iam institurum hæreditario iure acceperont. Si illud instituerunt, aut contraxerunt ea debita post institutionem maioratus, & primogenitorum ius constitutum, aut antea; si post, dicunt non teneri filios debita patris soluere nisi ex fructibus, & reditibus annuis bonorum immobilium, quæ extra vinculum remanserunt, vel hæreditate acceperunt. Si nihil extra vinculum remansit, nihilque hæreditate acceperunt præter nuda bona vinculo adstricta, affirmant nihil debere, præsertim si debita sint magna. Et fundamentum est, quia pater non potuit iure bona vinculata cum præiudicio filiorum creditori pro debitis obligare, post institutum maioratum; & multo minùs illa obligare potuit si ipse maioratum non instituit; sed institutum iam à maioribus accepit. Si verò patres debita contraxerunt ante institutionem maioratus, & vinculationis, communiter asserunt Doctores teneri filios debita parentum soluere creditoribus, & ad id posse in iudicio forensi cogi, quia patres non potuerunt vinculare id quod aliis debebant, sed tantùm bona sua propria; debita autem non computantur cum propriis bonis, vt est commune iuris peritorum effatum. Ita ait Azor *tom. 2. Institutionum moralium lib. 2.cap.3. quæst.12.* eum communi opinione.

Nihilominus circa dubium propositum, an post vinculationem & institutionem maioratus, teneantur filij successores soluere ex bonis, & reditibus maioratus debita parentum, est duplex opinio. Prima docet teneri filios primogenitos, qui nihil aliud bonorum præter maioratum à maioribus institutum à patre acceperunt, soluere debita patris contracta ad familiam alendam; soluendam famulorum mercedem, locationem domus; & ad vestes, & cibaria familiæ. Et idem est dicendum de maioratu; quem patres instituerunt siue ante, siue post debita contracta. Fundamenta huius opinionis validissima sunt. Primò, quia ea debita parentum conuersa fuerunt in vtilitatem filiorum primogenitorum ad quos bona vinculata, & maioratus spectant; vbi autem res aliena in vtilitatem alicuius conuersa est, quamuis ille eam non acceperit, tenetur tamen in defectum accipientis qui non est soluendo, eam soluere. Patet ex *l. Et qui 7. §. Alioquin C. cum eo, & ex l. His solis ff de condit. indebiti*, vbi decernitur ius repetendi pecuniam competere solùm contra recipientem, quod intelligendum est quando recipiens est soluendo; nam si non sit soluendo, competit etiam iuxta glossam ibi, *verbo, Proficit*, contra eos quibus profecit, modò illi rem illam habeant ex causa lucratiua, secus si ex onerosa; sed quando parentes pecunias mutuas acceperunt, peconiæ illæ conuersæ fuerunt in vtilitatem, & commodum filiorum, habéntque illas ex causa lucratiua; lucrati enim sunt eam vtilitatem & illud commodum non ex causa onerosa; ergo patre impotente ad soluendũ tenentur filij natu maiores ea debita per soluere. Et confirmatur, quia si ego socius fui esus hædi, quem alter furto accepit sciens illum esse furto ablatum; teneor illum restituere in integrum in defectu furis, vt multi grauissimi fatentur authores; & docet expresè Gabriel *in 4 dist. 15 quæst 3 post propositionem 3 in corollario fol. mihi* 310. *columna* 1. Gabriel.
Et manifestè videtur docere D. Thomas 2 2. *quæst.61. artic 7 ad 2. & in corpore §. sciendum*, D.Thom.
(vbi dicit primò & principaliter teneri ad restitutionem eos, qui damnum dederunt, secundariò verò, & in defectum illorum eos, qui damni participes scienter fuerunt, & vtilitatem ex eo acceperunt) & non ob aliam causam, nisi quia in meam vtilitatem res illa conuersa est; cur ergo non tenebuntur filij maiores natu restituere debita parentum, quæ fuerunt conuersa in illorum vtilitatem, etiam si nulla alia bona præter nudum maioratum vel à patre, vel à proauis acceperint? Secundò, quia cùm aliquis ex pecunia, vel re aliena ditior fit, tenetur restituere id in quo factus est ditior; vt habetur *in l. 1 ff. ad legem Rhodiam de iactu, in principio*, vbi dicitur, si fluctuante naue, mercium iactus factus sit, detrimentum debere esse commune etiam iis, quorum merces propter illum iactum saluæ factæ sunt; sed occasione mutui accepti à patre paupere filius maior natu ditior factus est; si enim ex bonis maioratus aleretur ipse, & alij fratres; pauperior esset effectus; ergo cum pater non potuit soluere, tenetur ille ex bonis vinculatis soluere, eum id, & ratio naturalis, & iura've naturæ postulent. Tertiò, quia licet pater non teneatur soluere mutuum à filiofamilias acceptum, vt constat ex toto titulo *ff. ad S. C. Maced.* tamen si illud mutuum conuersum fuerit in vtilitatem patris, & in rem ad quam

ille tenebatur, tenebitur, vt constat ex *l. Sed Iulianus 9. §. Proinde, ff. eodem titulo*, & expressè patet *ex capite, Quod quibusdam de solutionibus, & ex capite, Ad hoc. eodem titulo, & ex l. 1. ff. de in rem verso*; ergo quamuis filij, ad quos bona vinculata spectant, non teneantur aliàs ad debita parentum, tenebuntur tamen quando ea debita in illorum vtilitatem conuersa sunt. Quartò, quia quando pater est pauper, & filij sunt diuites, tenentur filij patres alere cum tota familia; ergo filij maiores natu cum sint diuites, tenentur soluere debita facta à patre ad ipsos, & eorum familiam sustentandam. Denique, quia alienum prorsus à ratione est, vt creditores amittant pecuniam suam, quam nobilibus gratis accommodarunt, de qua constat fuisse totam conuersam in commodum & vtilitatem filiorum primogenitorum, maiorumque natu, alioquin enim liceret filijs maioribus natu habentibus bona vinculata furari, saluis bonis vinculatis, ad alendos parentes & familiam illorum, cum id perinde sit: nisi enim creditores eam pecuniam illis accommodarent, bona maioratus minuerentur magis, ac magis, ac oppignerarentur; cur ergo non tenebuntur postea ipsi filij ad huius debita? Et hanc opinionem docent Bartholus *l. his solu fine. ff de conditione indebiti.* Angelus ibi *num. 1.* Iason *n. 2.* & idem Iason *l. Si me, & Titium. num. 3. ff si certum petatur, & l. si eum seruum, num. 1. ff. eodem titulo* vbi Purpuratus *num 5.* Cepola *cautela 246. incipiente; Quid si pater* Cremensis *singul. 136.* Ludouicus Roman. *singulari 210.* & loquentes de filiis æquè, & vxoribus idem docet Lopus *rub. de donat. inter virum, & vxorem §. 66 num. 5. & 6.* & Barbosa *l. Si constante 25. initio. num. 52. ff. soluto matrimonio*; & idem est dicendum de debitis contractis à viro ad alendam vxorem &c. vt videbimus infrà *cap 9. num. 8.*

Barth.
Angel.
Iason.
Purpuratus.
Cepola.
Cremens.
Roman.
Lopus.
Barbos.

35. Secunda opinio docet nec filios maiores natu, nec vxorem teneri illa debita à marito, vel patre contracta soluere ex suis bonis, aut ex bonis maioratus. Probant primò, quia si Petrus, vt suis satisfaciat creditoribus multam pecuniam mutuam petat, & accipiat, bona fide, putans se postea eam posse soluere: si postea contrarium eueniat, nemo dicet creditores illos, quibus eam pecuniam soluit, teneri eam soluere posterioribus creditoribus à quibus eam collegit, & accepit, & tamen tota ea pecunia in illorũ vtilitatẽ conuersa est, vt patet. Ergo similiter quamuis pater, & maritus inopes expenderint aliquã pecuniam, quam ab illis mutuo acceperunt in alimenta, & vtilitatem filiorum, & vxorum, non tenebuntur filij ex proprijs bonis vinculatis, nec vxor ex proprijs bonis dotalibus ea debita soluere, quamuis in illorum vtilitatem fuerint conuersa. Secundò, quia licet filij ratione maioratus essent diuites tempore, quo patres debita contraxerunt ad illos alendos, & similiter licet vxor esset etiam diues tempore mutui accepti à viro paupere ad eam, eiusque familiam alendam; tamen nec vxor tenebatur directè ad alimenta viri, nec pater ad alimenta filiorum, nisi in subsidium, quando scilicet, nec vir, nec filij quærunt aliunde pecunias, vt sibi, & familiæ necessaria ad victum suppeditent, & cum eas quærere possint, nec vxor, nec filij ex proprijs bonis tenebuntur soluere, cum nec suo nomine pecunia petita, nec accepta fuerit. Tertiò, quia vt patet ex *l. Non aduersus 55. C. si certum petatur, & ex l. Eum cui 13. C. de actionibus, & obligat.* actio mutui repetendi est personalis, ac proinde contra solam debitoris personam cui mutuum datum est, competit, eum in illam solum translatum sit dominium mutui accepti, ac instar veri domini de illo potuerit disponere; ergo extincta persona debitoris si nihil prorsus habeat, aut in vita sua cessionem bonorum fecerit, extinguetur ea actio, & non poterit redundare in filios, vel vxorem. Quartò, quia filius, mortuo patre, potest bona sui maioratus dissipata repetere; & vxor potest integram dotem, soluto matrimonio, recuperare, licet pater, & maioratus prodigè illa expenderint vltra debitum alens, vt docet Nauarrus *in summa Hispanica cap. 28. in additionibus ad num. 153. cap. 17. & in Latina eodem cap. 17. num. 155.* & Rodriguez *tom. 1. summa edit. 2. cap. 100. num. 7.* Nec audiendus est Barbosa sentiens teneri vxorem illa alimenta superflua ex suis bonis dotalibus soluere; non enim ita est, quia vir non tenebatur vxorem alere superfluè; si autem ille ad id non tenebatur, nec etiam vxor tenebitur ad onus soluendi superfluè expensa. Quintò, quia mulier lucris, constante matrimonio, acquisitis renuntians, non tenetur ad debita mariti, constante matrimonio, contracta; & filius similiter renuntians bonis acquisitis à patre, non tenetur ad debita patris in alenda familia expẽsa, licet allegetur debita in vtilitatẽ vxoris, & filiorũ fuisse conuersa, vt patet ex *l. 60.* Tauri *lib. 5. recop. tit. 9. l. 9. & ex l. 61.* Tauri *lib. 9. tit. 3. eodem lib. 5.* solùm enim si vterque coniux ad debita se expressè obligauerint, & filius, & pater si se similiter astrinxerint, forte tenebuntur ad id quod in eorum vtilitatem fuit conuersum; at cum se non obligauerint, quæ ratio esse potest, vt ad hæc debita soluenda teneantur? Hæc opinio docetur à Sanchez *lib. 9. matrimon. disp. 4. num. 28. & 29.* & eam tenet Alciatus *l. si eum seruum 27. ff. si certum petatur.* Decius ibi *num. 1.* Additionator *ad Decium litera A.* loquentes de filiis expressè: loquens verò de vxore, & filiis simul idem Sanchez allegatus; loquens autem de vxore tantùm Molina Theologus *tom. 2. de iustitia disput. 425. §. Tertium est folio mihi 1195.* vbi expressè asserit debita mariti non teneri soluere vxorem ex dote propria, etiamsi facta sint ad ipsam familiam communem sustentandam, modò lucris renunciet; & pro hac parte ita sæpe fuisse circa vxorem iudicatum in Senatu Lusitano testatur ipse Molina allegatus, & Gama *decis. 366.* & sæpe vidimus plurimas sententias in hac re fuisse datas, & non est dicendum eas fuisse contra iustitiam datas, cum iudices sint notissimi, integerrimi, & omnino incorrupti: vnde re vera dicendum est datas fuisse iuxta certissima iuris principia, quo id iudicare constricti sunt.

Nauar.
Rodrig.
Sanchez.
Alciat.
Decius.
Sanch.
Molin.

36. Ita se habent huiusmodi opiniones, vtraque satis probabilis. Prima tamen probabilior meo iudicio est; & fundamenta huius secundæ sic soluuntur. Ad primum dico priores creditores ad nihil teneri secũdis creditoribus, quia per solutionẽ sui debiti, nihil acceperũt, quod antea non haberẽt, nec inde facti sunt ditiores, quãuis secũdùm debitum à secundis creditoribus acceptum totum fuerit conuersum in eorum vtilitatem absolutè loquendo, quatenus scilicet suum acceperunt. At verò debitum quod patres contraxerunt ad alendos filios maiores natu, & mariti, ad alendas vxores, quibus erant bona dotalia ex quibus sustentari possint, ita sunt in illorum vtilitatem conuersa, vt inde ditiores fiant, quia si filij à parentibus, & vxores à maritis non alerentur, illi se

debe

deberent alere, & mutuum essent accepturi, ne fame perirent. Ita respondet Baeça *de inope debitore cap. 1. num. 54.* reddens enim rationem ob quam filij hoc mutuum soluere teneantur ex bonis maioratus, ait, *quia nisi pater mutuum accepisset, erant illi illud accepturi, ne fame perirent,* vnde est diuersa ratio in primis, & secundis creditoribus, vt patet.

Baeça.

37. Ad secundum respondeo, quamuis debita non fuerint contracta nomine filiorum, aut vxorum, teneri tamen adhuc ad illa in subsidium parentum, & virorum; quia inde facti sunt ditiores modo explicato. Ad tertium respondeo, nihil referre quòd patres cessionem faciant suorum bonorum, & quòd filij renuncient hæreditati paternæ, aut vxores lucris maritorum, & bonis illorum acquisitis, quia cum ditiores facti sint ex illo debito, ad illud necessariò tenentur ex bonis propriis, si aliunde illa habeant; actio verò personalis directè competit creditoribus aduersus patres, & aduersus maritum; at in defectum, & subsidium illorum competit aduersus filios, & vxores, quia ditiores facti sunt ex debito, & mutuo accepto.

38. Ad quartum patet responsio ex dictis; licet enim filius maior natu, & vxor parente, & marito mortuis, bona sua repetere possint directè; indirectè tamen peti etiam ab eis poterunt alimenta, in quibus facti sunt ditiores. Ad quintum patet responsio ex solutione primi; non tenetur enim mulier renuncians bonis acquisitis constante matrimonio ad debita mariti soluenda, nec filius maior natu ad debita patris renuncians hæreditati paternæ, quando ex ipsis debitis nullum commodum acceperunt, nec inde ditiores facti sunt, secus quando ditiores facti sunt, & commodum acceperunt.

39. Sed quoniam nostræ ordinationes Lusitaniæ *in noua recopil lib 3 tit. 93. & tit. 101. lib 4* disponunt quomodo debita sint soluenda à filiis natu maioribus de maioratibus, & capellis ex bonis regalibus, & patrimonialibus constitutis, rem funditus iuxta nostrum ius, vt mens penitus acquiescat, exponamus summario sequenti.

SVMMARIVM.

Quatenus successor in maioratu ex bonis regia corona subiectis instituto teneatur ad æs alienum, quando contractum fuit ob obsequia regi, & regno impensa, vel ob educationem liberorum, ob solutionem stipendij famulorum, aut ob promissionem dotis in contractu matrimonij. n. 40. & 41.

Quid si debita non fuerint contracta ob prædictas causas; sed ob alias. num. 41.

Quid quando institutor ipsius maioratus hæc debita contraxit ante, & post institutionem illius. num. 43.

Quid si maioratus non ex bonis regiæ coronæ subiectis, sed ex bonis patrimonialibus, aut aliunde fuerit institutus. num. 44. & 45.

Explicatur ius Lusitanum. num. 46.

Quando maioratus est institutus ex bonis patrimonialibus, non regia corona, siue debita contrahantur ab erectore illius post constitutionem maioratus, siue ab administratore, non possunt bona illius pro solutione vendi: possunt tamen reditus illius huiusmodi debitis addici, deducta congrua portione pro alimento possessoris. num. 47. *Si ante constitutionem maioratus fuerit contracta, vendi possunt bona ipsius maioratus ad soluenda debita.* num. 46. *Idem de maioratu ex bonis regia corona instituto.* num. 43.

Quatenus successor in maioratu instituto ex vniuersa hæreditate instituentis, teneatur ad debita illius. num. 48.

An solus primus successor immediatus instituenti, ad illius debita teneatur, an etiam alij successores. num. 49.

Quid si quis testamento maioratum instituat ex vniuersis bonis suis, qualiter tunc teneantur successores ad debita defuncti instituentis. num. 50.

Quid si maioratus fuerit institutus ex quota bonorum. num. 51.

Quid si aliquis instituatur hæres in testamento, & separetur certa quota bonorum ad maioratus institutionem, ad quem tunc spectet solutio debitorum instituentis, ad hæredem ne, an ad vocatum in maioratu. num. 52.

An onus soluendi debita transeat ad successores maioratuum, quando ea contracta sunt ab antecessoribus ob vtilitatem regni, aut reipublicæ. n. 53.

An maioratus confiscari possint ob hæresim. n. 54.

IVre igitur Lusitano *lib. 4. tit. 101. noua recopilationis*, sancitum est, vt si successor in maioratu instituto de bonis regiæ coronæ, mortuus fuerit relictis debitis, quæ de aliis bonis ipsius solui non possint, quia reuera nulla erant, nec dabantur, & debita contracta fuerant ob obsequia regno, vel regi impensa, ob educationem, & sustentationem liberorum, ob solutionem stipendiorum seruitio famulorum debitam, ob dotem matrimonio promissam; tunc quidem successor in maioratu ex prædictis bonis regiæ coronæ instituto tenetur ex reditibus duorum annorum prædicti maioratus intra quatuor annos primos sequentes prædicta debita persoluere, itavt singulis annis illorum quatuor, dimidium redituum soluat, & aliud dimidium pro alimentis successoris relinquatur; quod si reditus horum duorum annorum ad integram debitorum solutionem non sufficiant; præcipit ius Lusitanum, vt in ea circunstantia inter creditores pro rata quantitatis, quæ illis debetur, diuidantur, & quicquid ad integram debitorum solutionem defuerit, maneat insolutum, illudque creditores amittant. 40.

Primi quatuor anni assignantur, non ad tollenda debita, si intra illos non soluantur; sed ne diutius solutio illorum cum damno creditorum differatur; reditus autem duorum tantùm annorum pro omnibus debitis soluendis determinantur ad vtrosque tam dominos, ac successores maioratuum, quàm illorum creditores reddendos cautiores, ne illi plus nimio expendant, nec isti multum illis confidant. 41.

Ex dictis colligitur è contrario sensu, si debita non fuerint contracta ob seruitia Regi, & regno impensa, ob debita stipendia famulorum soluenda; ob sustentationem, & educationem liberorum, aut ob dotem matrimonio promissam; nullo modo teneri successorem maioratus regiæ coronæ illa soluere ex bonis, ac reditibus prædicti maioratus: siquidem nostrum ius illa tantùm debitorum genera præscribit, & alia omittit, vt patet. 42.

Poterit tamen contingere, vt institutor ipsius maioratus ex bonis regiæ coronæ sit ille, qui hæc debita contraxit, & tunc quidem, vel illa contraxit ante constitutionem maioratus, vel post constitutionem illius; si ante vinculationem 43.

bonorum, & constitutionem maioratus contraxit, tenetur ad omnia debita soluenda ex bonis ipsius maioratus, & ad hoc possunt vendi, & alienari bona illius, aut tantum illorum bonorum, quantum ad solutionem sufficiat debitorum; cum in fraudem, & præiudicium creditorum vinculari non possint: si post vinculationem, & perfectam constitutionem maioratus, fuerunt contracta; tunc solum iuxta hactenus dicta, debita soluentur, quando nihil extra vinculum remansit, ex quo solui possint, cum institutores in præiudicium successorum in maioratu, debita contrahere non possint; quia post perfectam constitutionem illius irreuocabiliter factam, sicut reuocari non potest in totum prædictus maioratus, ita neque ex parte, cum nulla debita personalia in ipsius instituentis præiudicium afferri possint, aut tali institutioni ritè, debitè, & irreuocabiliter factæ, aut in ea vocatis, & institutis, vt optimè docent Molina *de primog. lib. 1. cap. 10 n. 11.* Molina Theologus *de maioratuum inst. disp. 640. num. 5.* Caldas Pereira *quæst. forensium, lib. 1 q. 23. num. 63* Emanuel Barbosa *in remissionibus ad regiam ordinationem, lib. 3. titul. 93. num. 2.* Azor. *tom. 2. inst. moral. lib. 2. cap. 3. quæst. 12.* Antonius Gomez *ad legem 40.* Tauri *ad finem, num. 72.* & Peralta *cap. 7. l. 3. §. Qui fidei commissam, n. 124. ff. de hæred. inst.* quatenus absolutè dicunt successores maioratuum non teneri ad debita institutoris si contracta sint post perfectam, & irreuocabilem institutionem maioratuum, ob fundamentum præiectum; teneri verò si ante constitutionem illorum fuerint contracta. Voluit tamen ius Lusitanum ex rationabili æquitate, ne creditores læderentur omnino, vt pro debitis soluendis post maioratuum institutionem ex bonis regiæ coronæ, reditus duorum annorum intra quatuor annos soluendi assignarentur, modo quem suprà explicauimus.

Molin. Mol. Theol. Caldas Eman. Bas. Azor. Ant. Gom. Peralta.

44. Hactenus de institutione maioratus ex bonis regiæ coronæ instituti. Si autem maioratus nō ex bonis regiæ coronæ; sed ex bonis patrimonialibus aut ex tertia, quartáve bonorum parte, aut ex aliunde quæsitis fuerit institutus; tunc quidem si debita contracta fuerunt ab ipso maioratus erectore ante firmam perfectamque constitutionem maioratus, statuit ius Lusitanum *lib. 3. nouæ recopilationis, tit. 93. initio*, vt successor maioratus teneatur soluere debita præfata; & vt ad hoc possint bona maioratus vendi, alienari, & pro debitis capi, & executioni mandari; sicut de debitis contractis ante constitutionem maioratus, ex bonis regiæ coronæ diximus, in quo omnes Doctores citati conueniunt, quatenus absolutè dicunt bona maioratus manere obnoxia debitorum solutioni, quæ ab ipso maioratus institutore fuerunt contracta ante constitutionem illius, & ad hoc vendi, & alienari, & pro debitis posse capi, & apprehendi à creditoribus, quando non sunt vlla alia bona ex quibus debitum possit solui, cum ipsi vinculo maioratus adstringere non possent debita creditorum, vt speciatim notauit Azor *lib. 2. instit. moral. cap. 3. quæst. 12. tom. 1.* Et in hoc pares sunt omnino maioratus instituti, & erecti ex bonis liberis, & regiæ coronæ.

Azor.

45. Si autem debita contracta fuerint à maioratuum institutoribus, & ex bonis liberis, hoc est, non regiæ coronæ post firmam, & irreuocabilem maioratuum institutionem, tunc quidem omnes reditus illorum creditoribus addici possunt pro solutione omnium debitorum; cum possessoria tamen prærogatiua, hoc est, habita ratione, ne egeat, vt resoluunt Emanuel Barbosa *in remissionibus ad regiam legem, lib. 3. tit. 93. ad §. 1. in tom. 1.* & Parladorus *lib. 2. rerum quotid. cap. final. part. 5. §. 3. num. 31.* & citat etiam Emanuel Barbosa, Mendez à Castro *in praxi sæculari Lusitana lib. 3 cap. 21. à num. 18.* & in hoc consistit discrimen inter maioratus institutos ex bonis regiæ coronæ, ac ex patrimonialibus, quod in illis reditus tantùm duorum annorum pro solutione debitorum addici possunt, in istis verò omnes reditus cum prædicta prærogatiua possessoria.

Eman. Bar. Parlad. Mendez. Castro.

Nec obstat, quòd nostra ordinatio *dicto lib. 3. tit. 103.* distinctionem faciat inter debita contracta ab institutore, & fundatore maioratus, & inter debita contracta à possessore, & successore ipsius, & de illis absolutè dicat posse vendi, capi, & pro executione apprehendi bona maioratus si debita fuerint contracta ab institutore maioratus, & non distinguat, ante vel post constitutionem illius firmiter, & irreuocabiliter factam: de istis verò asserat vendi non posse, nec capi, nec pro executione apprehendi, cum debita non fuerint contracta ab institutore; sed à domino, & administratore maioratus; posse tamen reditus, & commoditatem prædicti maioratus vendi, & pro executione sententiæ capi, durante duntaxat vita possessoris, seu administratoris; quia perinde est debita contrahi ab ipso erectore, institutoréque maioratus post firmam, & irreuocabilem constitutionem illius, ac contrahi ab administratore, & possessore ipsius maioratus, iuxta ea, quæ diximus *num. 43.* cum doctoribus ibi allegatis, cum debita personalia instituentis præiudicium afferre non possint institutioni firmiter, & irreuocabiliter factæ, aut successoribus in tali institutione vocatis. 46.

Quando igitur maioratus est institutus de bonis liberis, hoc est, non regiæ coronæ subiectis, siue debita contrahantur ab administratore illius; siue ab ipso institutore post firmam & irreuocabilem constitutionem prædicti maioratus, non possunt bona illius vendi, capi, aut alienari pro debitis huiusmodi; possunt tamen reditus, & commoditas illius vendi, & pro executione sententiæ capi, durante solummodo vita possessoris habita ratione congrui alimenti illius, ne egeat, vt resoluit Caldas Pereira *de resolutione emphyteut. cap. 5. num. 18.* Et approbat Doctor Emanuel Barbosa *tom. 1. remiss. in remissionibus ad lib. 3. tit. 93. ad §. 1. num 2.* & id patet expressè ex nostris ordinationibus *dict. lib. 3 tit. 93. num. 1.* solutis tamen in primis debitis, & oneribus ipsius maioratus, vt ius Lusitanum attestatur, quod semper intelligendum est. 47.

Caldas. Pereira. Eman. Barb.

Quia tamen variè possunt maioratus institui, & multiplices sunt illorum institutiones, pro singulis hæ regulæ memoria tenendæ erunt. *Prima*, si maioratus institutor illum instituit ex vniuersa hæreditate sua quamuis aliquid de suis bonis alteri legauerit, notissimum est successorem in eo maioratu teneri ad omnia debita defuncti institutoris; est enim hæres vniuersalis & in solidum respectu talis institutoris, illique iure hæreditario succedit, & ideo illi competunt omnes actiones defuncti, tam actiuæ, quàm passiuæ, quæ aduersus illum intentari poterant. Ita communiter DD. Molin. *lib. 1. de primog. cap. 10. à num. 1.* & Molina Theologus *tract. 2. de maioratibus disp. 640.* 48.

Molin. Mol. Theol.

post

post initium, & disp 617. proindéque non plura bona tunc censenda sunt relinqui vinculata, quàm quæ solutis omnibus debitis, legatísque defuncti, & expensis funeris superfuerint. quæ omnia persolnenda erunt ex bonis mobilibus; quando verò hæc satis non fuerint, tunc de bonis immobilibus tantum erit distrahendum, quantum sit satis ad ea persoluenda, etiam si defunctus præceperit non alienari, quia hoc illius præceptum in ea circunstantia vim solùm habet, quoad alienationem voluntariam, non necessariam; vt habetur *in l Pater filium in principio, ff. de legatis 3. l. filius famil §. Diui 2. versa, Quòd si liberis, ff. de legatis 1 l cum fides haredis, ff de fideicom Libert. l. Pete. § Pradium ff. de legatis 2.*

49. Nec solùm primus, qui ita institutori hæreditario iure in maioratu successerit, tenetur ex debitis institutoris hæc debita illius soluere; sed etiam quicúmque alius, qui in eo maioratu vlterius successor extiterit, si debita aliqua eiusdem institutoris compareant, aut nondum soluta fuerint à prædecessore, tenentur similiter ea soluere de bonis institutoris, etiamsi opus sit ad id vendere aliqua de vinculo maioratus. Ita Doctores allegati *num præcedenti*; & ratio est, quia successores illi in maioratu illo post primum, rationem habent fideicommissariorum vniuersalium comparatione institutoris; eáque de causa eo ipso quòd maioratus ad eorum quemlibet transit, transeunt etiam cum illo actiones tam actiuæ institutoris, vt id quod ratione illarum illi competit, veniat maioratui, quàm passiuæ, vt latè & doctè probat Molina *de primog. lib. 1. cap. 10 n. 5.* & Molin. Theolog. *de maioratu tract. 2. disp. 640. § Non solùm, & tom. 1. de inst. disp. 186.* per multa intra.

Molin iur. Mol. Theol.

50. Idem dicendum est, si quis testamento maioratum aliquem instituat de vniuersis bonis suis, aut de vniuerso patrimonio, quia quando omnia bona, aut vniuersum patrimonium ex testamento alicui relinquuntur, is censetur hæres in solidum institutus ad quem omnes actiones tam actiuæ, quàm passiuæ instituentis pertinent, vt docet Molina Theolog. *tom. 1. de inst. disp. 155 §. His ita explicatis*, & id ipsum docet etiam Molina *de primog lib. 1. cap. 10. num. 5.*

Mol. Theol. Molin. iur.

51. *Secunda regula*, si maioratus sit testamento institutus ex quota aliqua hæreditatis. v. c. ex dimidia hæreditate, ex duabus tertiis, ex vna tertia, ex quarta, aut ex alia hæreditatis quota, successores in eo maioratu tenentur, non quidem ad omnia debita institutoris, sed ad similem partem proportionalem eorum debitorum, & consequenter ad eum transeunt actiones tam actiuæ, quàm passiuæ; non quidem in solidum, sed pro rata portionis hæreditatis ex qua institutus est maioratus. Ita docet Molina Theologus *de maioratus institutione tract. 2. disp. 640. num. 3. & tom. 1. de iustit. disp. 155.* & Molina *lib. 1. de primogenit. cap. 10. num. 6.* & eodem modo transibunt huiusmodi actiones pro rata in reliquos successores in eodem maioratu pro tempore futuro, cum sint legatarij & fideicommissarij, aut hæredes partiales.

Mol. Theol. Molin. iur.

52. *Tertia regula*, quando hæres instituitur, aut hæredes, & ex quota aliqua bonorum maioratus instituitur, tunc quidem non transeunt actiones, neque actiuæ neque passiuæ partialiter in vocatum ad talem maioratum, sed transeunt ad hæredes pro rata portionis hæreditariæ in qua vnusquisque eorum hæres instituitur; vocatus verò ad eum maioratum accipit de manu hæredum deducto ære alieno eam portionem bonorum ex qua maioratus instituitur. Ita docet Mol. Theol. *lib. de maiorat. instit tract. 2. disp. 640 num. 4.* & Molin. *de primog lib. 1. cap. 10 num 8* & id probant latè, & constat etiam ex *l. cum autem ff de legatis 2.* & ex *l. 1. C. si certum petatur.* Mol. Theol. Molin. iur.

Hîc dubitant aliqui an onus soluendi debita transeat ad successorem maioratus, quando ea contracta sunt ab antecessoribus suis in vtilitatem Reipublicæ, vel maioratus ipsius, & redditibus. 53.
Quæstionem tractat vterque Molina egregiè *de primog. lib. 1. cap. 10 num 15.* Theologus *lib. de maiorat. instit. disp 641. num 1* & resoluunt transire, si interueniat regia facultas ad ea debita contrahenda, aut ad aliqua bona maioratus ad id vendi, & alienari pro iisdem debitis soluendis de eadem licentia Regis, quando commodior alius modus soluendi non occurrit, & addit Molina Theologus: *Sic vidimus annis præteritis cum Rex seruitium à possessoribus maioratuum pro Republicæ indigentia postularet, vt cuidam possessori vnius maioratus concesserit facultatem vendendi annuum censum redimibilem, qui iam erat supra prædictum maioratum constitutus.* Mol. iur. Mol. Theol.

Dubitabis etiam hîc an maioratus confiscari possint ob hæresim vltimorum possessorum: Respondeo breuissimè non posse confiscati quoad proprietatem, & in perpetuum; sed pro vita tantùm hæretici possessoris. Ita docet Suarius *de fide, spe, & charitate disp 22. sect. 5. num. 12.* Molina *lib. 4. de primogen cap. 11. num. 31.* Castro *lib. 2. de iusta hæret. punitione cap. 2.* Vasquez *t. 2. disp. 169. cap 4* Farinacius *de hæresi quæst. 190 § 4. num. 60.* Sanchez *lib. 2. Decalogi cap. 18 per totum.* Azor. *1. part. lib. 8. cap. 12.* Ratio est, quia primogeniti non succedunt in maioratu ex voluntate vltimi possessoris; sed ex voluntate primi instituentis, cui non potest nocere delictum successoris, nec pœna confiscationis illi imposita; confiscatio autem pro vita possessoris hæretici non derogat voluntati primi instituentis. Videndus tamen erit hac de re Simancas *de catholicis Instit. tit 9. n. 152.* & de hac re satis diximus in primo præcepto, vbi de confiscatione bonorum hæreticorum egimus; hîc tamen illam attigimus ad firmandum intellectum in præiacta hactenus doctrina. 54.

Suar. Molin iur. Castro. Vasq. Farin. Sanchez. Azor. Simanc.

Capvt III.

An parentes possint in aliquibus casibus filijs, & filij parentibus alimenta negare, & in quibus.

Svmmarivm.

In omnibus casibus, in quibus possunt patres filios exhæredare, possunt etiam illis alimenta negare, seclusa extrema necessitate. num. 1.

Numerantur aliqui. num 2.

An pœna exhæredationis imposita filiabus nubentibus inuitis parentibus ante 25. ætatis annum sit iam hodie iure canonico abrogata. num 3. & 4.

An sit iniusta lex, si forte detur, ne nobiles ducant vxores ex genere Hebræo. num 5.

Explicatur caput, Secundùm Apostolum, *de secundis nuptijs.* num 6.

Filius masculus de iure Cæsareo exhæredari non potest,

test. si ante 25. ætatis annum vxorem ducat. n. 7.
Nec item de iure Lusitano. num. 15. Si filia post 25. ætatis suæ annum mancipio nubat, potest exhæredari; num. 7. versu, notandum secundò.
Quid si turpem vitam eligat. num. 7. versu, notandum tertiò.
An filia de iure communi possit exhæredari; si absque consensu patris ante 25. ætatis annum nubat indigno. *num. 8.*
Quid si nubat digno. *num. 9.*
Quid si parentes vellent filias maritare, & nolint eas dotare, an exhæredari possint, si ante 25. ætatis annum sine parentum consensu nubant. numer. 10.
Mater luxuriosè viuens non potest filiam similiter viuentem exhæredare. *num. 11.*
Quid de iure Lusitano. *num. 12.*
Quid de iure regni Castellæ statuatur circa filios, & filias nubentes sine parentum consensu. numero 13.
An filia naturalis nubens ante 25. ætatis annum sine parentum consensu possit exhæredari. numero 14.
Annos oportet intelligere completos, *num. 15.*
Quid de iure Lusitano si filia nubat sine parentum consensu ante 25. ætatis. *num. 16.*
Quid si ante eam ætatem cum aliquo fornicata fuerit. num. 17. 18.
An filia per pœnitentiam in sæculo ad frugem recepta; vel per ingressum religionis effugiat pœnam exhæredationis à parente facta. num. 19. 20. 21.

1. IN omnibus casibus, in quibus possunt parentes filios, & filij parentes exhæredare, possunt etiam illis dotem, & alimenta negare, seclusa extrema necessitate, vt docent communiter DD Azor *tom 1. lib. 2. cap. 5. quæst 6* Molina *de primog lib. 2. cap 16 num. 1. 2. & 3.* Sanchez *lib. 2. Decalogi cap 14 à num 7. & lib 4 de matrimon. disp. 26. num. 1.* Molina Theolog. *tom 1. de iust. disp. 176 versu. Ex quibus.* Menochius *lib 4 de præsumptionib præsumptione 189. num. 30.* Spino *in speculo testam glossa 20. num. 66.* Valet enim argumentum de dote ad alimenta, & de alimentis ad dotem; & consequenter quoque de exhæredatione ad negationem dotis, & alimentorum. Videndum est igitur in quibus casibus licitum sit parentibus filios, & filias exhæredare, vt videamus in quibus possint etiam alimenta, & dotem negare, seclusa extrema necessitate. Assero, *seclusa extrema necessitate*; quia, vt vidimus *cap. 2. num. 6.* in duobus tantùm casibus in extrema necessitate possunt parentes filiis, & filij parentibus alimenta negare, in hæresi, videlicet, quando hi illos à vera fide deturbare conantur, & in crimine læsæ maiestatis, proditionisve Principis, aut patriæ; de iure ergo communi, & Lusitano in quatuordecim casibus possunt parentes filios, & filias ab hæreditate excludere. Omnes habentur in *Auth. vt cum de appellat. cognosc. à §. Aliud, vsque ad §. Sine igitur. & in nostris ordin. nouis lib 4. tit. 88.*

Azor. Molin iur. Sanch. Mol. Theol. Menoch. Spino.

2. Primus igitur casus nostri iuris Lusitani, in quo patres possunt filios, & filias exhæredare, eisque alimenta, seclusa extrema necessitate, negare, sit (neque enim necesse est eos iuris ordine referre) Si aliqua filia ante 25. ætatis suæ annum nupserit sine consensu parentum, vel peccauerit in corpus suum, vel turpem, luxuriosamque vitam elegerit, vt habetur *in lib. 4. nostrarum ordinationum in nouis titulo* 88. Sed antequam dubia quæ circa hoc punctum versantur, explicemus, videndum in primis est, an huiusmodi pœna exhæredationis sit iam hodie in fauorem matrimonij abrogata; & consequenter, an possint hodie filiæ ante 25. ætatis suæ annum nubere absque consensu parentum, absque metu exhæredationis.

An exclusio pœna exhæredationis sit per ius canonicum in fauorem matrimonij abrogata.

3. Et hac de re duæ sunt opiniones. Prima docet prædictam pœnam exhæredationis in fauorem matrimonij per ius canonicum esse abrogatam, posseque filias in qualibet ætate cuicumque nubere siue digno, siue indigno absque metu huius pœnæ exclusionis à dote, & ab alimentis. Ita docet Nauarrus *in manuali Latino cap. 14. n. 15.* D. Thom. 2. 2. *quæst. 124. art. 5.* Cabedo 2. *part. decisione 5.* Couarruuias 2. *part. de matr. cap. 3. § 8. num 6.* cum multis, quos allegat, & glossa *in cap. Hoc sanctum* 32. *quæst. 2.* Iulius Clarus §. *Testamentum quæst. 4.* Ledesma 2. 4. *quæst. 49. art. 6.* qui legem 49. Tauri damnat, quæ eandem pœnam statuit in filias sine consenso parentum nubentes; probantque id ex capite, *Secundùm Apostolum*; quod est finale de secundis nuptiis; & id tenet etiam Andreas Fachinetus *lib. 3. cap. 64.* vbi appellat hanc opinionem communem, & communem etiam appellat Couarruuias citatus. Idem tenet Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 65. num. 2.* quamuis cõtrarium dicat probabilissimum. Quòd ergo abrogata sit iam huiusmodi pœna, atque ex ea causa nequeant filiæ exhæredari, aut eis à parentibus dos, & alimenta negari, nisi simul obscænè, & luxuriosè viuant, probant in hunc modum. Primò, quia hæc pœna manifestè est contra libertatem matrimonij, quam maximam Ecclesia requirit, eaque de causa nulla pœna in eo locum habet, vt patet ex capite *Gemma mulier, de sponsalibus.* quamque Ecclesia grauiter tuetur, vt constat ex Concilio Trident. *sess. 24. cap. 9.* ibi. *Quare cum maximè nefarium sit matrimonij libertatem violare, præcipit Sancta Synodus Magistratibus, & Principibus sæcularibus cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant*; ergo talis pœna erit nulla, & ipso iure abrogata cum libertatem matrimonij offendat. Secundò, quia causæ matrimoniales sunt merè spirituales, & illarum cognitio, leges, & moderamina ad solum Summum Pontificem & Episcopos spectant ex Concilio Trid. *sess. 24. cap. 20.* ibi. *Adhæc causæ matrimoniales Episcopi tantùm examini, & iurisdictioni relinquantur.* Et *Canone 12.* ibi: *si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.* Irritæ ergo erunt leges sæculares, quæ huiusmodi causis spiritualibus moderamina voluerint statuere. Tertiò, quia postquam filia ad annos pubertatis peruenit, eligitque contrahere cum viro etiam indigno, Ecclesia non solùm permittit huiusmodi matrimonium, sed etiam tuetur, ac fouet, & defendit, vt inuitis parentibus contrahant in facie Ecclesiæ, ex eo solùm, quod matrimonium sit iuris sui, & plenam habeat libertatem, quam solùm Ecclesia intendit defendere, licet filia per accidens vtendo iure suo mortiferè peccet, patri non parendo, familiamque maculando, si nubat indigno; ergo ex eo quòd ita faciat, & Ecclesia hoc matrimonium defendat, neque pater poterit ob id eam exhæredando punire, neque sæcularis potestas tale matrimonium defendat,

Prima opinio affirmans. Nauar. D. Thom. Cabedo. Couar. Iul. Clar. Ledesm. Fachinetus. Couar. Sanch. Conc. Trid.

defendat, neque pater poterit ob id eam exhæredando punire, neque sæcularis potestas tale matrimonium prohibere, pœna adeo acerba, ac crudeli, vt est exhæredatio, & dotis, & alimentorum priuatio, quæ ex ipsa exhæredatione sequitur.

4 *Secunda opinio negans.* Secunda opinio docet non esse iniustas, nec irritas de iure canonico leges ciuiles, quæ pœna exhæredationis, & consequenter priuationis dotis, & alimentorum puniunt matrimonia filiarum, quæ siue ante, siue post 25. ætatis suæ annum absque paterno consensu nubunt, siue dignis, siue indignis nubant. Eam docet Dominicus Soto *in 4. dist. 29. quæst. 1. art 4* sub ea tamen moderatione, vt procedat quando filia nuberet cum notabili inordinatione, & iniuria parentum, considerata eorum qualitate, & circunstantiis, cum iniquum sit pro leui inobedientia filias tam acerba pœna affligere. Et in toto rigore iuris Lusitani; quod filias ante 25. ætatis annum hæreditate priuat, si absque parentum consensu nubant; quantumuis absque notabili inordinatione id faciant, & dignis nubant, imò etiam dignissimis, vt videbimus statim *num. 13.* Eam docet Rebello 2. *part. de obligat. iust. lib. 2. quæst. 16. sect. vlt. num. 29. §. Contrariam sententiam.* Anton. Gomez *ad leg. 49.* Menchaca *lib. 1. de success. creat. §. 10. à num. 625. quæst. 1.* Barbosa 4. *part. l. prima. ff. soluto matrimon. à num. 36. & deinceps*, cum Alciato, Parisio, Palatio, & Maritoso, quos citat, & probabilem dicit Couarr. 2. *part. epitome cap. 6. initio, à num. 17.* Idem tenet Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 176. fol. 1043.* Salon 2. 2. *post. quæst. 61. tract. de dominio, quæst. 5. art. 5. dub speciali.* Vega *lib. 5. summæ, casu 559.* Viguerius, Ledesma, & plures alij quos citat, & probabilissimum censet Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 25. n. 5.* Probatur hæc sententia: primò, quia matrimonium non solùm est sacramentum, sed etiam contractus ciuilis, & qua contractus, non effugit omnino dispositionem iuris ciuilis; potest enim ius ciuile pœnas statuere ad coërcendos abusus contrahentium, & ad vitanda scandala, quæ inde, & plurima, & maxima oriuntur in Republica Christiana; nihil enim magis intendere debent Principes Christiani, quàm pacem publicam; & leges, quæ hanc pacem procurant, ac firmant, iustissimæ sunt; tales sunt huiusmodi leges, quæ disponunt, ne filiæ nubant sine consensu parentum, sub pœna prædictæ exhæredationis; ergo eæ tanquam iustæ defendendæ sunt; neque enim excedunt finem temporalem potestatis sæcularis; qui est pacem Reipublicæ, & nobilitatem familiarum tueri, ac conseruare. Secundò, quia quamuis matrimoniales causæ in quibus agitur de iure, & valore matrimonij an sit validum, vel inualidum, ac cum peccato, vel sine peccato contractum, sint merè spirituales, & ad Ecclesiæ tribunal pertineant, vt deciditur in cap. *Multorum, 35. quæst. 6.* & c. *De accidentibus, de excess. prælat.* & definitur in Concilio Trident. *sess. 24. de reformat. canone 12.* tamen coërcere abusus matrimonij per pœnas, & leges pœnales, ad illos coërcendos statuere, non est causa merè spiritualis; sed negotium est merè temporale: sic causa hæresis merè spiritualis est, quando agitur, an hic homo fuerit hæreticus necne, & an pœnas hæreticis statutas incurrerit, & tamen ius ciuile, & potestas sæcularis pœnas contra hæreticos statuit ad vim hæreseos cohibendam, & validæ sunt leges, ac iustæ, miniméque abrogatæ; quæ has pœnas statuunt, ergo intentum. Tertiò, quia quamuis Ecclesia matrimonia contracta contra voluntatem parentum tanquam valida tueatur, ac defendat, non tamen approbat modum contrahendi, sed potiùs reprobat, tanquam inhonestum, & peccaminosum; & meritò, cum inde parentes grauissima afficiantur iniuria, & multa scandala oriantur; ergo iustæ erunt leges ciuiles, quæ obuiant huic peccato, & deformitati, statuendo pœnas congruentes ad hunc abusum, & peccatum deuitandum. Quartò, si prædictæ leges essent ipso iure Ecclesiastico, & canonico irritæ, & inualidæ, vel ex eo essent, quia libertati Ecclesiasticæ præiudicium afferrent, vel quia offenderent libertatem ipsorum contrahentium; at neutrum est, ergo validæ sunt. Minor efficaciter probatur, quia si dentur leges sæculares, ne in funeralibus, & ne in nuptiis, aut in primis, & nouis Missis fiant immodicæ expensæ à sæcularibus, quis dubitat eas esse iustas? Per se enim actionem externam sæcularium personarum dirigunt, & congruentem modum statuunt? ac imponunt sumptibus laicorum, quamuis inde per accidens lædantur personæ Ecclesiasticæ & minus accipiant; ergo etiam principes sæculares exhæredando filias per leges suas sine consensu parentum nubentes, siue dignis, siue indignis nubant, per se solùm intendunt cohibere iniuriam parentibus illatam, quamuis per accidens, & indirectè libertas Ecclesiæ aliquo modo restringi videatur. Quintò, quia per huiusmodi indirectam restrictionem non offenditur libertas necessaria ad valorem matrimonij in contrahentibus, imò conseruatur, & perficitur consensus ipsius libertatis, cum nubere sine consensu parentum, & cum peccato, non sit tam vti, quàm abuti libertate, qui abusus lege etiam diuina sub æterno supplicio prohibetur, saltem quando filiæ nubunt indignis; regulariter enim tunc mortaliter peccant ob grauem, & atrocem iniuriam parentibus illatam contra præceptum diuinum de parentibus honorandis, vt docet Nauar. *in manual. Lat. cap. 14. num. 13.* & Sotus *in 4. dist. 38 q 1. num. 1.* Menochius *consil. 69. num. 23 & 51.* Vnde si æterni supplicij comminatio, & exhæredatio regni cælestis ob eam causam statuta, quæ longè maior pœna est, non tollit, nec offendit libertatem nubendi, multo minùs eam offendet exhæredatio temporalis, quæ legibus humanis, iis fœminis statuitur, quæ sine consensu parentum matrimonio copulantur. Sextò, quia legitima quatenus excedit mensuram alimentorum non debetur filiis, nisi ex dispositione iuris ciuilis, vt patet ex adnotatis ad legem, *Iura sanguinis. ff. de regul. iuris.* Validè ergo ex iusta causa per idem ius ab illis auferri potest, imò & ipsa alimenta seclusa extrema necessitate. Septimò, quia leges principum sæculares non sunt facilè condemnandæ tanquam iniustæ, & inualidæ; illæ præsertim, quæ communi vsu in Republica sunt receptæ, & obseruatæ; quales sunt hæ, de quibus disputamus, quæ sunt in viridi obseruantia, scientibus, & consentientibus prælatis Ecclesiasticis; qua ergo iustitia, quo iure sunt tollendæ, & improbandæ? præsertim, quia quòd adolescentulæ, imò, & adolescentes timore huius pœnæ contineantur, nec imprudenter feruore libertatis, animique leuitate sine parentum consensu, matrimonio copulentur, non detrimentum Reipublicæ, sed emolumentum afferri potest, nec præiudicio esse conscientiis, animæ saluti, aut sacramento,

Marginalia: Sotus. — Rebell. — Ant. Gom. — Minch. — Barbos. — Couar. — Molin. — Salon. — Sanch. — Nauar. — Sotus — Menoch.

cramento ; imò potius conscientiis potest consulere salua, sarraque integritate, reuerentia, & valore sacramenti. Cur ergo improbandæ erunt, cum experientia constet, eos qui ita solent contrahere, soluere postea sæpe, sæpissiméque dolere, & in peccato viuere?

5. *Secunda opinio est probabilior. Iusta esset lex si à rege sideretur ne nobiles cũ fœminis Hebræis sub pœna grauibus contrahant.* Ita se habent huiusmodi opiniones, secundam approbo propter sua fundamenta, primam non improbo, imò iudico probabilem. Et obiter hinc animaduerto non fore iniustam legem eiusdem si sanciretur à rege, ne nobiles huius regni Lusitaniæ matrimonio copulentur cum fœminis ex Hebræorum genere sub pœna priuationis bonorum regiæ coronæ, & exclusionis à libro regiæ obligationis, amissionisque sæcularium honorum Reipublicæ, cum id solum fiat ad conseruandum, tuendumque honorem illustrium familiarium, famam, & decorem regni, quod non excedit limites potestatis sæcularis: imò hi sunt ipsissimi fines, ac limites huius potestatis, vt patet. Neç argumenta primæ opinionis vim magnam habent. *Soluuntur argumenta primæ opinionis.* Ad primum enim, nego esse hanc pœnam contra libertatem matrimonij, cum adhuc liberè, & validè possint filiæ, & filij sine parentum consensu contrahere, vt satis probatum est, nec libertas contrahentium arctatur, imò perficitur cum libertas ad inordinatè contrahendum, non sit libertas, alioqui Deus, & Angeli liberi non essent ex eo quòd peccare non possint; nec leges ciuiles puniunt contractum matrimonij, vsumque iuris, in tradenda mutua potestate corporum, sed inobedientiam, & inordinationem in vtendo malè, imò in abutendo hoc iure. Caput verò *Gemma, de sponsalibus*, loquitur de aliis pœnis, quæ non sunt statutæ per leges ciuiles ad euitanda scandala, sed de pœnis pecuniariis, quas parentes pueri, & puerperæ ante legitimam ætatem contrahentium apposuerunt, ne vnusquisque post legitimam ætatem ab ea promissione sponsaliorum resilire possit, quæ libertatem omnino tollebant. Loca Concilij Tridentini nihil ad rem probant, nam nos non negamus causas matrimoniales esse merè Ecclesiasticas, & spirituales, quæ ad iudicium Episcopi spectent; sed dicimus aliud esse causam esse matrimonialem; aliud prohibere abusum Reipublicæ sæcularis ipsis contrahentibus noxium, qui coniunctus est cum ipsa causa spirituali. Illud primum spectat solùm ad Ecclesiasticam potestatem; punire verò hoc secundum, postquam matrimonium est contractum, nihil se immiscendo, an contractus matrimonij sit validus, an inualidus, & iuxta leges Ecclesiæ celebratus, an non celebratus, ad sæcularem potestatem pertinet, ad quam eadem ratione pertinet sancire leges antecedenter, & pœnas statuere quibus huiusmodi abusus puniantur. In alio loco capitis noni prædicti Concilij *sess* 24 non est sermo de parentibus, qui hac de causa filias exhæredant, nec de principibus, ac magistratibus sæcularibus, qui iustas leges condunt huius exhæredationis, sed de his principibus, ac magistratibus, qui suos subditos inuitos, ac renitentes cum iis matrimonium celebrare cogunt, quas hac ratione ditare volunt, vt ex eodem Concilio constat. Quamobrem, cum nec rationes pro prima opinione adductæ conuincant, omnes enim ex dictis sunt solutæ; neç obstet Concilium Tridentinum, nec Caput *Gemma*, loquatur de pœna exhæredationis, sed de pœna conuentionali, quam priuati homines apponunt, quæ præiudicium affert matrimonio; nec aliud ius canonicum afferatur, quod huic pœnæ obsit, non est cur irritas censeamus prædictas leges sæculares, maximè cum sint in viridi obseruantia, videntibus, & consentientibus Prælatis.

Nec caput, *Cum secundum Apostolum*, finale, de secundis nuptiis, quod pro contraria opinione allegatur, aliquid contra nos habet; loquitur enim de viduis, quæ intra viduitatis annum matrimonio copulantur, & in fauorem huius matrimonij abrogat pœnas, quibus ius ciuile huiusmodi matrimonium in honorem defunctorum maritorum puniebat; eæ autem erant amissio omnium bonorum quæ ab ipsis maritis vita functis sibi in testamento relicta, vel in vita donata fuerunt, vt patet ex Authentica *de restit.* & ea quæ parit §. *Vnum siquidem*; quæ pœnæ vt notat Sanchez *lib 7. de matrimon. disp. 90. num 2. & disp 87. num. 10.* post multos, quos allegat, postea extensæ fuerunt ad eas etiam viduas, quæ intra ipsum viduitatis annum stuprantur, fornicanturve, *ne luxuria plus habeat, quàm castitas nuptialis*, vt in eadem ipsa Authentica *de rest §. finali collat. 4.* dicitur. Vnde cum modò ius canonicum in capite finali de secundis nuptiis in fauorem matrimonij has pœnas abrogauerit, relinquit tamen illas integras, & in suo genere quoad illas viduas, quæ non nubunt, sed intra annum viduitatis stuprum committunt, vt egregiè notat Cabedo *2. part. decisionum, decisione 50.* & Sanchez *tom. 2. de matrim. disp. 90. num. 1.* & Iulius Clarus *lib 5 sententiarum, §. stuprum, num 6.* & alij, quos citat Sanchez. At est longè diuersa ratio in viduis, & in puellis, quia viduæ sui iuris sunt, & ideo prædictæ pœnæ, merito quoad illas abrogantur, & non tantum offendunt parentes, quantum puellæ sub potestate parentum constitutæ, vt considerandi patebit, & hac de re iterum redibit sermo *num. 16.* 6. *Sanch.* *Cabed. Sanch. Iul. Clar.*

Primus ergo casus, in quo parentes possunt exhæredare filias, & immunes sunt ab obligatione dotandi illas, & alendi, seclusa extrema necessitate (quia alimenta, & dos in iure æquiparantur, valétque argumentum ab alimentis ad dotem, & à dote ad alimenta, vt notat Sanchez *lib. 4. de matrim. disput. 26. num. 1.* cum omnibus, quos citauimus *num. 1. huius capitis*) est, si filiæ nubant absque consensu parentum, habetúrque hoc, tam de iure communi, & Castellano, quàm de iure Lusitano; diuerso tamen modo in quolibet iure; nam in iure communi in Authent. *Vt cum, de appellationibus cognoscend.* §. *causas*, statuitur, vt si alicui ex parentibus patri, vel matri volenti filiæ suæ, vel nepti maritum dare, & dotem secundum vires suæ substantiæ, illa verò non consenserit, sed luxuriosam vitam elegerit, exhæredari possit, modò tamen illa 25. ætatis annum non expleuerit; nam si illos expleuerit, & parentes distulerint ei maritum quærere, & ex eo contigerit in suum corpus peccare, aut sine consensu parentum libero homini, & non seruo nubere, non poterunt eam parentes exhæredare; *nolumus enim*, inquit, *authenticum hoc ad filias ingratitudinem imputari, quia tunc non sua culpa, sed parentum id commisisse cognoscitur.* Vbi notandum est primò, non procedere hoc in filio, qui quamuis inuitis parentibus, ac renitentibus ante 25. ætatis annum matrimonium ineat, luxurioséque viuat, exhæredari de iure communi non poterit; neque enim authenticum loquitur de viris, sed de fœminis, vt bene notat Menochius *consil 69. num 9.* Petrus Surdus *de aliment. tit. 1. quæst. 6.* Sanchez 7. *Valet argumentum de alimentis ad dotem, & de dote ad alimenta. Sanchez.* *Vt cũ de appellat. cognoscitur.* *Menoch. Petr. Surd.*

Sanch. Barbosa.

Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 24. num. 12.* Barbosa *in l. 1. 4 part. num. 31. ff. solut. matrim.* Neque enim pœna extendi debet de filia ad filium, cùm lex de filio non loquatur, & est diuersa ratio de filio, atque de filia, cùm non tanta subiectio requiratur in viris quanta in fœminis. Notandum est secundò, de iure communi huius Authentici, si filia inuitis parentibus post 25. ætatis annum cum mancipio contrahens exhæredari potest; maiori cum ratione exhæredari posse si ante 25. annum ætatis suæ id inuitis parentibus efficiat, quia id supponit expresè Authenticum. Sic docet

Mol Theol. Iul. Clar. Sotus.

Molina *de iust. tom. 1. disp. 176. num. 14.* Iulius Clarus §. *Testamentum quæst. 41.* Sotus *in 4. dist. 29. quæst. 1. artic. 1.* & alij. Notandum tertiò si post 25. ætatis annum turpem vitam eligat, exhæredari non posse, vt patet ex eodem Authentico ibi: *Nolumus enim hoc ad filia ingratitudinem imputari.* Ita docet Rebello *2. part. de obligat. inst. quæst. 14 sect. 2. num. 15.* & Syluester *verbo, Hæreditas 2. num. 2.* Notandum quartò, vt luxuriosè viuat, non satis esse si furtim, & clanculo, semel, aut bis sui copiam faciat, nec etiam opus esse, vt in lupanari viuat vt aliqui voluerunt, sed satis esse si turpiter viuat, atque inhonestè. Ita Molina citatus *num. 12.*

Rebell. Syluest.

8. Quærunt tamen hi Doctores, an exhæredari possit filia de iure communi, & Cæsareo, si ante 25. ætatis suæ annum nubat indigno, libero tamen & non mancipio, sine consensu parentum. Et respondent communiter affirmatiuè, quia quòd ad patris, vel matris iniuriam attinet, perinde est indigno nubere, ac turpem vitam eligere, & ius commune meritò hæc debet paria reputare, cum non minorem ingratitudinem committat in parentes filia, quæ absque illorum consensu turpem vitam eligit, luxuriosamque. Hæc opinio est communis. Eam docet expresè Rebello *2. part. de obligat. inst. quæst. 14 sect. 2. num. 16.* ibi: *si filia ante 25. ætatis suæ annum sine consensu patris volentis eam coniungere, & dotare, nuberet indigno, exhæredari poterit ex eodem Authentico, sed non si post.* Barbosa *4 part. legis 1. ff. soluto matrimonio num. 39.* Couar. *2 part. de sponsalib. cap. 3. § 8. num. 5.* Glossa *in cap. de Raptoribus 36. q. 2. verbo, Excusata.* Baldus, Parisius, Pinnianus, quos citant Barbosa & Couarruuias allegati. Antonius Gomez *tom. 1. var. resol. cap 11. num. 12.* Iulius Clarus § *Testamentum quæst. 41.* Molina *de primog. lib. 3. cap 9. num 12. 13. 34.* & Emanuel. à Costa §. *Et quid si tantum pater, part. 8. à num. 173. & deinceps.* Verùm ego nunquam hanc opinionem approbabo, quia prædictum Authenticum. *Vt cum. de appellationib. cognosc.* solùm loquitur de filia, quæ ante 25. ætatis suæ annum elegit luxuriosam vitam degere, cum tamen ei pater velit dotē, & maritum dare, & nihil loquitur, nec verbum quidem de filia, quæ nubit digno, vel indigno, vt patet ex illius verbis, ibi; *si alicui ex parentibus volenti filiæ suæ, vel nepti maritum dare, & dotem secundùm vires suæ substantiæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit.* Ecce nihil loquitur prædictum authenticum de filia, quæ ante 25. ætatis annum sine consensu parentum nubit digno, vel indigno; sed de filia tantùm, cui pater vult dotem, & maritum dare, illa verò non consentit, sed eligit turpem vitam agere, & luxuriosè viuere. Quare cum simus in materia pœnali, non est extendenda pœna exhæredationis de casu ad casum non solùm ob paritatem, sed nec etiam ob maioritatem rationis iuxta opinionem magis communem. Deinde quia postquam prædictum Authenticum dixit, posse exhæredari filiam, quæ post 25. ætatis suæ annum sine consensu patris marito se copulauit, mancipio tamen, & non libero, & postquam numerauit casus in quibus parentes possunt filias, & filij parentes exhæredare, statim addidit: *Sed quia causas ex quibus ingrati liberi debeant iudicare in diuersis legibus dispersas, & non apertè declaratas inuenimus, ideo necessarium esse perspeximus, eas nominatim præsenti lege comprehendere, vt præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas apponere, nisi quæ in huius constitutionis serie continentur.* hæc ibi. Quibus verbis satis voluit ius commune excludere paritatem rationis aliarum causarum, cum dicit: *Nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas apponere, nisi quæ in huiusmodi constitutionis serie continentur.* Vnde cum in ea non contineatur hic casus de ea quæ ante 25. annum nubit indigno, profectò præter rationem, & intentionem iuris communis pœnam exhæredationis prædicti Doctores extendunt ob paritatem rationis ad filiam, quæ nubit indigno, cùm tamen re vera non sit vtrobique par ratio; maior enim ignominia parentum est, filiam turpem vitam agere, quàm indigno nubere. Et ita docet expresè Molina *tom. 1. de iustitia disp. 176. num 48 folio mihi 731.* Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 23. num. 3.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap 6. num. 3.* cum multis quos sequitur Sanchez allegatus, & alij quos citabimus infra *num. 54.* vbi & in *num. 53.* hanc quæstionem disputabimus; An ex aliis causis, ab istis commemoratis in prædicto Authentico, possint parentes filios, & filij parentes exhæredare, vbi eam negatiuè resoluemus.

Molin iur. Sanch. Henriq. Sanch.

Ex dictis patet, etiam non posse parentes filias de iure communi exhæredare sine consensu suo nubentes dignis, vt expresè concedit Rebello *2. part. de obligat. inst. quæst. 14. n. 19.* Molina *tom. 2. de primog cap. 16. n. 6.* & Barbosa *4 part. legis prima ff. soluto matr. n. 33.* si enim non possunt illas exhæredare, si nubant indignis, à fortiori non poterunt, si nubant dignis, aut dignissimis. 9.

Rebell. Molin. Barbos.

Sed quid si parentes velint filias nuptui tradere, nolint tamen illas dotare iuxta vires propriæ substantiæ, poterunt ne illæ tunc absque metu exhæredationis ante 25. ætatis suæ annum cui voluerint, libero tamen & non captiuo nubere, sine metu exhæredationis? Affirmatiuè respondet Rebellus citatus, quia ius commune, vt instè exhæredari possint, duo copulatiuè requirit. Primum, quòd parentes velint eis maritum dare. Secundum, quòd velint eis dotem pro viribus propriæ substantiæ constituere. Vnde, altero deficiente, eas iustè exhæredare non poterunt; cum enim ius commune vtrumque copulatiuè requirat, vt iniustè exhæredari possint à parentibus, eas iniustè exhæredabunt si alterum deficiat. Deinde, quia quod ad rem præsentem attinet, perinde est nolle dotare atque nolle maritum dare: quamobrem si constet, aut probari possit in iudicio patrem non habuisse animum dotandi vel maritum dandi, & filiam ante 25. ætatis suæ annum luxuriosam vitam degere elegisse, poterit pater eam tunc ob id exhæredare; si quidem, vt iustè & validè posset, opus erat, vt vellet eam marito tradere & dotare. 10.

Notandum est rursus, non posse matrem de iure communi luxuriosè viuentem exhæredare filiam si ante 25. annum repudiata dote, & marito, 11.

luxuriosam vitam, turpémque elegerit; quia tunc satis iniuria cum iniuria compensatur. Secus dicendum est de patre luxuriosè viuente, is enim filiam meretriciè viuentem ac luxuriosè exhæredare poterit; quia vita luxuriosa nontam vitupeatur in hominibus, sicut in fœminis. Ita Molin. *tom.* 1. *de iust.disp.* 176.*num.* 15. Couar. *in cap. Raynut initio num.* 15. Ægydius Lusitanus *in repet. l. Titia part.* 3. *num.* 38. *&* 41. Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disp.* 24. *num* 6, Barbosa *in l. viro atque uxore num.* 16 *ff solut. matr.*

Molin. Couar. Ægid Lus. Sanch.

12. *Quid de iure Regni Castella.*

De iure verò Regni Castellæ sic breuiter dico. In *l.* 5. *tit.* 7. *part* 6. *& in l.* 49. *Tauri*, confirmata à Philippo II. possunt parentes exhæredare non solum filias, sed etiam filios si ante 25. annum ætatis suæ sine parentum consensu, siue cum dignis, siue cum indignis clandestinum matrimonium contrahant. Quo loco obseruandum est legem *Tauri* non loqui de exhæredatione filiorum, sed filiarum tantùm; additum tamen id esse de filiis à Philippo II. quando eam confirmauit. Addit Sotus *in* 4. *dist.* 28 *quæst.* 1. *artic.* 4. *ad* 4. & Couarruuias *in Epitome part.* 2 *cap.* 6. *initio n.* 22. Carolum V. prædictam legem *Tauri* extendisse ad filiam maiorem 25. annis, quæ nouercam non haberet, sed hodie, vt optimè notat Molina *tom.* 1. *de iust disp.* 176. *num.* 16. *&* 17. *fol. mihi* 724. has leges Castellæ, non iam habere locum, quia Concilium Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* clandestina matrimonia irritauit. In regno etiam Castellæ *leg* 2 *tit.* 1. *lib.* 5. *noua recopilat.* sancitum est ab Alphonso Rege, vt quicumque famulus, qui durante famulatu cum filia vel propinqua domini sui, quæ in domo eius fuerit, contraxerit sine illius consensu, in perpetuum exilium amandaretur; quod si non impleuerit, capite plectatur; illa verò, quæ sic vel matrimonium, vel sponsalia contraxerit, hæreditate priuetur, quæ eo ipso ad fratres, vel propinquiores consanguineos deueniat, & vt solùm parentes contrahentium, vel herus, aut hera possint illos accusare, & nullus alius possit.

Sotus. Molin.

13. *Quid de iure Lusitano.*

Accedamus tandem ad nostrum ius Lusitanum, in quo velut in re domestica aliquantulum latiùs spatiabimur. De iure Lusitano *lib.* 4. *noua recopil. tit.* 88. *num.* 1. si filia aliqua ante 25. ætatis suæ annum fornicata fuerit cum aliquo, vel nupserit sine parentum consensu, siue nubat digno, siue indigno, eo ipso exhæredatur, atque excluditur à successione omnium bonorum sibi contingentium, tam ex parte patris, quàm matris, quamuis expressè ab illis non exhæredetur. Vnde si crimen comprobatum fuerit in iudicio à fratribus, vel ab aliis hæredibus in defectu fratrum; priuatur ea filia, iudicis sententia, hæreditate paterna, maternáque, ob iniuriam omnibus illatam; & adeo seuerè lex Lusitana loquitur, vt nec etiam in mortis articulo, si alij filij, vel filiæ, legitimi extiterint, eam parentes hæredare possint, illis inuitis, modò tamen filiæ superstites simile delictum non commiserint; si autem nullus alius filius, vel filia legitimi extiterint, nec nepotes, nec ascendentes, aut descendentes legitimi ex ipsis nepotibus, atque adeo si defecerint hæredes, qui legitimè succedere possint, tunc poterunt parentes eam filiam sic errantem hæredare, si voluerint, quia tunc ipsis tantùm censetur facta iniuria, quam libenter poterunt condonare. Si tamen filia viro manifestè nobiliori, aut dignissimo nupserit, quàm sibi à parentibus dari possit, tunc non priuatur ipso iure omnibus bonis, quæ à parentibus hæreditario iure accipere posset, sed poterunt parentes si voluerint, eam excludere à dimidietate propriæ legitimæ; quod si expresse eam non excluserint, possidebit totam suam legitimam, & perinde erit, ac si de consensu parentum nuberet. Hæc nostra Lusitana lex ibi. *Se alguna filha antes deter vinte esinquo annos dormir com algum home, ou se casar contra vontade de seu pay, ou sua may, intellige, naon, tende pay, seya desherdada*, &c.

Videamus ergo, ac expendamus singula verba sigillatim. *Se alguna filha*, id est, *Si aliqua filia*. Ex generalitate illius dictionis, *Aliqua*, nostram legem Lusitanam ampliat Ægidius Lusitanus ad naturalem filiam in repetitione legis Titiæ *part.* 3. quod intelligo de filia naturali hominis pedestris, nam filij & filiæ pedestris hominis etiam naturales succedunt parenti in hæreditate paterna, & tanquam legitimi cum aliis computantur de iure Lusitano, idque siue sint nati ex libera, siue ex captiua propria, vel aliena, modò tamen tempore mortis parentum maneant libertate donati, vt habetur *in lib.* 4. *noua recopilationis titulo* 92. *in initio, & fine*; nam de aliis filiis naturalibus viri nobilis, & equestris ordinis, hoc intelligi non potest, cum ij tamquam legitimi cum aliis legitimis non computentur. An verò amplianda etiam sit ad filiam viduam, dicemus *num.* 26. 14.

An lex Lusitania. ipsa comprehēdat filias naturales.

Filha, id est, *Filia*, non procedit dispositio iuris Lusitani in filio, sed filia. Vnde filij masculi quamuis renitentibus parentibus ante 25 ætatis annum matrimonio copulentur liberè, cum quacumque fœmina digna, vel indigna, nobili, vel ignobili, ab hæreditate parentum non excluduntur de iure Lusitano, & Cæsareo; idque quamuis luxuriosè etiam viuant, vt de Lusitano docet Caldas Pereira *in l. Si curatorem, verbo, Lasis n.* 32 *& in quæstionibus forens. quæst.* 18. *n.* 8. Barbosa *in l.* 1. *part* 4. *num.* 31. *cum sequentibus*, *ff. soluto matr.* Ægidius Lusitanus *dict. part.* 3. *legis Titia*, *n.* 31. *versu, quia verè*; de Cæsareo verò, hi omnes; & Sanchez insuper *lib* 4 *de matrim. disp.* 24. *num.* 11. & Menochius *consil* 69. *num* 9. Alexander de Neuo *cap.* 1. *num* 9. *de sponsatien. impub.* Syluester *verbo, hæreditas* 2. *quæst.* 2. & alij quos citauimus *num.* 7. *initio*, quia lex Lusitana *dicto lib.* 4. *noua recopil. tit.* 88. & Authent. *Vt cum. de appellat. cognosc.* §. *Aliud quoque*; imò & *l.* 5. *tit.* 7. *part.* 6. de sola filia meminere, & cum res sit odiosa, multóque grauius sit hoc delictum in fœmina, non extendi debet hæc pœna ad filium. Est tamen hoc contra Vasquez de successione creata *part.* 1. *lib.* 1. §. 10. *num* 634. vbi loquens de iure communi idem dicit de filio atque de filia, & idem quoque de nostro iure diceret, si de illo loqueretur, vt patet. Sed nostra sententia est vera, & præter doctores citatos, eam tenet etiam glossa in cap. *Quintauallis. de iureiurando, verbo, Exhæredare.* 15.

Non comprehendis filios.

Caldas. Barbos. Ægyd. Lus. Sanchez. Menoch. Alexand. Syluest. Vasq.

Antes de vinte esinque annos: id est, *ante* 25. *ætatis suæ annum*; nota filiam post 25. ætatis suæ annum nubentem absque parentum consensu, vel peccantem in corpus suum, exhæredari non posse, tam de iure communi quàm Lusitano, imò & Castellano. Patet ex nostro iure Lusitano *dict. lib.* 4 *noua recopilationis*, *tit* 88. ibi: *Antes de ter* 25. *annos.* Ex iure communi ex Authentico, *Vt cum. de appellat. cognosc.* §. *Causas*, *ante* 25. *ætatis suæ annum*, docet Rebello *de obligat. iustitiæ part.* 2. *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 2. *num.* 14. Caldas Pereira *in quæstionibus forens. lib.* 1. *quæst.* 18. *num.* 7. 16.

Rebell. Caldas.

Ex

Ex Castellano *l. 5. titul. 7. part. 6.* ibi: *Pero si el Padre alongasse el casamiento de su Hija de manera que ella passasse de 25. annos*; quia noluit ius, vt filiæ longius tempus expectarent, ne parentes de illarum cura parum essent soliciti. Annos verò intellige completos, non inceptos. Sic intelligit Sanchez *lib. 4. matrim. disp. 19. num. 9.* Ægydius Lusitanus *dict. 3. part. legis Titia, à num. 32. versu, Legem igitur.* Molin. *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 176. fol. mihi* 1039. Phæbus *tom. 1. decision. 45. num. 5. versu, Ex qua lege*, cum multis quos ibi allegat, & est textus optimus *in l. 3. C. si mancipium ita fuerit alienatum.* Et id in simili resoluit Bartholus *in l. 1. §. Potestatis, ff. peculio.* & optimè Baldus *in l. Si cui legetur, in principio, ff. leg. primo*; & Matienso *lib. 5. tit. 9. l. 2. gloss. 9. num. 5.* Et facit ad rem plurimum *l. ex 3. §. Minorem*, ibi: *Et cum nondum compleuerit, ff. minoribus.* Patet, quia totum illud tempus ante perfectum complementum 25. annorum, dicitur tempus antecedens eum annorum terminum: de completo ergo termino ius est intelligendum, maximè in pœnis, quæ non sunt accelerandæ, sed post suum terminum completum imponendæ: & constat etiam ex Auth. *Sed si post, C. de inofficioso testamento.* ibi: *Sed si post 25. annos*, quæ particula, *Post*, complementum postulat, & ex *dict. l. 5. tit. 5. part. 6.* ibi: *De manera que se ella passasse de 25. annos*, vbi illud verbum, *passasse*, denotat completos annos, non inceptos, vt patet, & nostrum ius secutum fuit hac parte ius commune, & ab eo noluit deuiare, vt communiter omnes docent.

Anni debent esse completi. — Sanch. — Ægyd. Lusit. — Molin. — Phæbus. — Barthol. — Baldus. — Matiens.

17\. *Dormir com algum*, idest; *dormierit cum aliquo*, id est, fornicata fuerit, Lusitano enim idiomate idem vtrumque sonit, dormire cum aliquo, & fornicari cum aliquo, vt dixi *num. 13.* Quæstio ergo est grauis, an sufficiat vnicus concubitus filiæ ad hoc vt possit pater illam iustè hæreditate priuare. Verior resolutio est de iure Lusitano sufficere vnicum actum, & semel peccasse in corpus suum, ante 25. ætatis suæ annum, vt iustè ab hæreditate excludatur. Ita Costa *in §. & quid si tantum, part. 3. num. 101. & 142.* Rebello *de obligat. iustitia, dicta quæst. 14. num. 17.* Barbosa *in l. 1. p. 4. num. 44. ff. solut. matrim.* Ægyd. Lusit. *in repet. prædicta legis Titia. part. 3. num 42. & in tract. de iure, & priuileg. honest. art. 7. num. 8.* id enim satis apertè indicant illa verba iuris Lusitani. *Se alguam filha antes de 25. annos dormir com algum homem.* De iure verò Cæsareo, & communi non sufficit vnicus concubitus; sed requiritur in prædicto Authentico, *Vt cum, de appellat. cognosc.* vt vitam luxuriosam degat; ibi, *Sed luxuriosam vitam degere elegerit.* Vnde, vt bene obseruat Mol. *tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 176. num. 13. fol. mihi* 723. non satis est de iure communi, vt filia exhæredari possit, si semel, aut bis copiam sui furtiuè fecerit, sed requiritur aliqua frequentia, & notitia. Et idem dicendum est de iure Castellano iuxta eundem Molinam. Lex quippe Castellæ 5. *tit. 7. part. 6* quasi prædictum explicans Authenticum apertè videtur exigere, vt illa luxuriosam vitam degat in lupanari: at Gregorius Lopez *ibidem* de sensu à Molina indicato prædictam legem intelligit, quod idem de eodem iure Castellæ loquens sentit idem Molina allegatus. Si autem filia à nemine fuit cognita; quia admodum arcta erat, luxuriosè tamen viuebat; hoc sufficit ad huiusmodi exhæredationis effectum, cum etiam sine coitu vita possit interuenire luxuriosa, turpis, indecens, inhonesta, vt optimè docet Stephanus Gratian *forensium disceptat. c. 213. num. 58.* quem vide si placet, quamuis illius opinio dura videatur, quia reuera repugnat nostro, & Castellæ iuri, vt ex suprà dictis patet: spectato enim rigore nostri & Castellæ iuris coitus requiritur.

An sufficiat vnicus concubitus vt filia à patre possit exhæredari. — Costa. — Rebell. — Barbos. — Ægyd. Lusit. — Molin.

Sed est dubium valde graue, an filia pœnitens sit ad vitam redeat honestam, excludi ab hæreditate possit? Affirmatiuè resoluit communior Doctorum sententia; quamuis aliqui negent. Ita Petrus Surdus *de aliment. tit. 17. quæst. 1. num. 28.* Costa *in d. §. & quid si tantum, part. 3. num. 192.* Mantica *de tacit. & ambiguis conuent. lib. 12. titulo 16. num. 14.* Barbosa *in l. 1. part. 4. num. 45. ff. solut. matrim.* Rebello *de obligat. iust. p. 2. quæst. 14. num. 17.* Ægydius Lusitanus *in repet. l. Titia, p. 3. num. 42.* Caldas Pereira *in quæst. forensib. lib. 1. quæst. 8. num. 8. medio*, sufficit enim semel peccasse, etiam si postea ad meliorem frugem se receperit, vt de iure Lusitano exhæredari possit, quia iam iniuria parentibus illata est, & causa commissa exhæredationis, vt patet ex nost. ordinat. *in noua recopil. lib 4. tit. 88. num. 1.* 18.

Quid si filia pœniteat. — Surd. — Costa. — Mantic. — Babos. — Rebel. — Ægyd Lusit. — Caldas.

Cæterum si parens dum vixit, filiam non exhæredauit, nulla remanet de iure communi hæredibus actio ad eam exhæredandam, nisi quando, vel causam exhæredandi parés ignorasset, vel si sciuit, opportunitatem exhæredandi non habuit, & aliquì exhæredationem omnino facturus præsumebatur, hæc enim in iure communi paria sunt, non exhæredare, & non habere opportunitatem ad exhæredandum. Ita Rebello, & Costa modò allegati. Dixi, *de iure communi*; quia de iure nostro Lusitano actio hæc remanet apud alios filios, & filias remanentes; & apud hæredes ascendentes, & ex nepotibus descendentes legitimos, vt diximus *num. 13.* Imò nec etiam in articulo mortis filiis, & filiabus superstitibus inuitis, filiam peccantem hæredare possunt parentes, quamuis velint, quia considerauit ius Lusitanum iniuriam omnibus illatam, & ideo etiam fratrum, & hæredum remissionem iniuriæ ipsius requisiuit; quam noluit considerare ius commune. quod tamen intelligendum est modò aliæ filiæ simile delictum non commiserint, quia tunc iniuria per iniuriam compensatur. Patet *ex dicto lib. 4. noua ordin. titul. 88.* 19.

An si parens dum vixit nō exhæredauit, possint alij hæredes eam de iure communi exhæredare. — *Quid de Lusitano.*

Si tamen post peccatum, & errorem commissum ita pœniteat, vt religionem ingrediatur, inibique profiteatur; existimant nonnulli purgare filiam satis infamiam anteactæ vitæ per professionem religionis, & sic exhæredati non posse. Ita docet Petrus Surdus *de aliment. tit. 7. quæst. 4. num. 30.* quæ opinio est satis probabilis; est enim famæ damnum reparabile, vt omnes fatentur doctores, & sicut amittitur, ita reparari potest, nullo autem modo meliùs reparabitur, quàm per ingressum, & professionem religionis. Et hanc etiam opinionem tenent Couarr. *in cap. Raynut. initio, num. 20.* Molina *tom. 1. de iust. disput. 176 num. 58.* Syluest. *verbo, Hæreditas 2. num. 4. fine*, quamuis Syluester velit etiam ibi per pœnitentiam & emendationem extra religionem factam effugi pœnam exhæredationis, quæ opinio est nonnullorum; sed quod diximus *num. 18.* est verius. 20.

Quid si filia post peccatum religionē ingrediatur. — Surd. — Couar. — Molin. — Syluest.

Vnde si filia luxoriosè viuat, & per pœnitentiā emendetur in sæcolo, præsertim si iam parentibus sit reconciliata, non posse exhæredari existimat Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 6. num 3.* & citat pro hac opinione ad marginem Costam in *l. Gallus, §. & quid, si tantum, num. 192.* & alios, 21.

Quid si in sæculo per pœnitentiam sit emendata & parētibus reconciliata.

& statim addit; *id tamen non est necessarium; sed satis est emendatum esse iuxta Menchacam de success. creat. §.10. num. 612. & §.30. num. 632. & iuxta Conarrmuiam in cap. Raynut. num.* 18. Vnde apertè sequitur, opinionem quæ docet satis esse, emendationem in sæculo, vt exhæredari non possit. Verùm id quod diximus *num.* 18. est verius; quia iniuria illata est, & causa commissa exhæredationis. Si tamen conciliatio parentum datur ante ipsam exhæredationem factam, tacitè remittitur iniuria ab ipsis parentibus, & sic exhæredari non poterit; secus si accedat post factam exhæredationem iuxta ea, quæ *n.* 25. & 50. dicemus, quia tunc reuocatio exhæredationis iam factæ fieri non potest per tacitam remissionem iniuriæ, quæ fit per reconciliationem; sed requirit expressam reuocationem in scriptis, sicut in scriptis facta fuit exhæredatio, res enim per quas causas oritur, per easdem tollitur.

SVMMARIVM.

In qua parte possint patres, vel matres, exhæredare de iure Lusitano filias nubentes dignioribus viris quàm sibi à parentibus dari possint. num. 21.

Leges exhæredationis pœnales sunt, & non tenentur filij, vel filiæ à bonis abstinere, donec à parentibus, vel per iudicis sententiam exhæredentur. num. 21.

An vt filia nubentes sine consensu parentum ante 25. annum ætatis suæ exhæredentur, opus sit, vt matrimonium consumment num. 23. *Sufficit quòd sit matrimonium ratum. ibid.*

An possint patres filias exhæredare nubentes dignis, vel indignis ante 25. ætatis annum, si priùs de illis tradendis viris indignis tractarunt. num. 24.

An per reconciliationem patris, vel matris cum filia nubente ante 25. annum tollatur exhæredatio. num. 25.

An de iure Lusitano filia vidua nubens sine consensu parentum exhæredari possit. num. 26.

Quid si vidua nubat indigno. num. 27.

Pater, & mater solùm possunt exhæredare filios, vel filias vnusquisque quoad portionem suam & legitimam. num. 25.

Numerantur quatuordecim casus, in quibus patres, vel matres possunt exhæredare filios vel filias, à numero 25. vsque ad numerum 41. & ibi explicantur.

21. *Quid de iure Lusitano si filia ante 25. ætatis annũ nubat manifestè digniori.* Barbos. Cald. Pereir. Mel. Phæb.

A*Vt nupserit sine consensu patris, vel matris:* subaudi æquè digno vel indigno: nam quòd etiam si æquè digno nubat, in totum exhæredari possit, docet expressè insignis Petrus Barbosa *l.* 1. 4 *part. ff. solut. matrim. à num.* 38. Caldas Pereira *de quæstionib. forensib. l.* 1. *quæst.* 19 *num.* 8. Melchior Phæbus *tom.* 1. *de fisco* 45. *num.* 13. vbi asserit ita fuisse iudicatum in Senatu Olisiponensi anno Domini 1616. si tamen manifestè digniori, quàm sibi à parentibus dari possit contra illorum voluntatem nupserit, tunc non in tota legitima exhæredari poterit de iure Lusitano; sed in dimidietate tantùm illius, & si expressè eam non exhæredauerint, totam legitimam possidebit, nec actio erit aliis fratribus, ac sororibus eam exhæredandi, parentibus demortuis, in prædicta dimidietate legitimæ. Pater ex dicto *lib* 4. *noua recopilat. tit.* 88. *num.* 3. ibi: *Porem se a filha casasse com homé, que notariamente sesa conhecido que cason milhor, e mais honradamente, do que seu pay, e may apodiam casar, naon fica desherdada dos bens, e fazenda como acima ditohe, mas somente o pay, ou may apoderaon desherdar, se quiserem da ametade da legitima que lhe pertencia diretamente por morte de cada hum delles, e naon adesherdando expressamente da ditta ametade, auera liuremente sua legitima em todo como se o casamento fora feito por consentimento do pay, ou may; eisso quer ao tempo da morte aya outro filho, ou filha legitima, ou neto de cada hum delles ou os naon haya.* Latinè sic hæc verba Lusitana summa fide vertuntur. *Attamen si filia nupserit viro manifestè meliori, ac nobiliori quam sibi à parentibus dari possit, non manet exclusa, & exhæredata ab omnibus bonis velut suprà dictum est, sed solùm pater, vel mater eam poterunt exhæredare, si voluerint, in dimidietate legitimæ, quæ sibi post mortem cuiusque illorum directè pertinebat. Quod si illam non exhæredauerint, habebit integrè, ac liberè totam suam legitimam, ac si de consensu patris, vel matris nuberet: & hoc quidem quamuis tempore mortis parentum superstes sit alius filius, vel filia, siue sit nepos ex filio, vel filia, siue non sit.* Ex quibus verbis satis datur intelligi, posse filiam exhæredari, imò exhæreditatem manere, ipso facto, ab omnibus bonis sibi contingentibus, tam ex parte patris, quàm matris, si nubat sine illorum consensu viro digno, vel indigno; nam exceptio dignioris firmat regulam, in reliquis. Et meritò; nam vt diximus *num.* 8. iuxta aliquorum sententiam de iure etiam communi, si filia sine consensu patris, vel matris nubat indigno, exhæredari potest, quia si luxuriosam vitam elegerit, in eodem iure exhæredatur, vt patet ex Authentico, *Vt cum. de appellat. cognosc.* toties repetito Et nubere indigno, & turpem vitam agere iura paria iudicant; quod enim ad honorem patris vel matris attinet, perinde est indigno nubere, ac turpem vitam agere, vt docent omnes quos citauimus *n.* 8. Solùm ergo nostrum ius Lusitanum à iure communi deuiat cùm filia nubit digno, in hoc enim etiam casu voluit, vt illa maneat eo ipso exhæredata ab omni legitima tam ex parte patris, quàm matris; in quo seuerior fuit lex Lusitana, quàm Cæsarea.

Illud tamen circa prædictas omnes leges, tam iuris communis, quàm Lusitani, & Castellani obseruandum semper est, eas omnes pœnales esse, & ideo non teneri filios, aut filias, quæ exhæredationis pœnam incurrerint, abstinere à bonis parentum, antequam vel ab ipsis exhæredentur, vel sententia exhæredationis in eos feratur, & sic nihil impediente delicto ab ipsis commisso, quamuis lex statuat, vt ipso facto, aut iure, qui illod commiserit, exhæredatus maneat, ac sit; poterunt portionem legitimæ integram accipere, & exigere, partitionemque bonorum cum reliquis fratribus, ac cohæredibus facere. Et ratio est, quoniam nullus tenetur subiicere se pœnæ, ante latam sententiam, & multo minùs illam aduersus seipsum exequi, vt est communis doctorum sententia, quam docet Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 176. *num.* 20. *fol. mihi* 725. §. *Illud vniuersim.* 22. Molin.

Ou casar, id est, *vel nupserit.* Quærunt hîc Doctores, an opus sit, vt tales nuptiæ sint copula consummatæ, vt filiæ exhæredari possint. Et negatiuè respondendum est cum doctissimo Barbosa 4. *part. leg.* 1. *ff. soluto matrim. num.* 83. & cum Rebello 2. *part. de obligat. iust. quæst.* 14 *num.* 27. quia lex vtitur verbo, *Casar*, quòd propriè de matrimonio rato etiam verificatur. Imò iuxta eundem 23. *An requiratur quod matrimonium sit copula consummatum.* Rebello.

Rebello

Rebello non satis est ad hanc exhæredationem faciendam, si filiæ impuberes matrimonium per verba de præsenti ineant sine parentum consensu quia huiusmodi matrimonium ex iuris interpretatione resoluitur in mera sponsalia, quæ non sufficiunt ad prędictam faciendam exhæredationem, cum eis verba legis non conueniant.

24\. Et addit Caldas Pereira *in quæst. forensib. l. 1. quæst. 18. num* 8. non posse etiam patrem, vel matrem filiam absque eorum consensu nubentem digno, vel indigno per nostrum ius exhæredare si priùs illi de illa viro indigno tradenda tractarunt, quia tunc culpa eorum compensabitur cum culpa filiæ, & iniuria cum iniuria. Cui ego opinioni omnino assentio, quia communis doctorum opinio docet non posse matrem meretricem, filiam meretricem exhæredare, ex eo fundamento, quòd satis iniuria per iniuriam, & culpa per culpam compensatur; sic docet Surdus *de aliment. tit. 7. quæst. 4. num. 12.* Valdes ad Suarium *l. 2. titulo de los casamientos lit. A. fine pag.* 53. Henriquez *lib. 11. de matr. cap. 6 num. 3.* Molin *de iust tract. 2. tom. 1. disp. 179.* Sanchez *de matr. lib 4 disp. 24. n. 6.* Barbosa *in l. viro, atque vxore, num. 16. ff. solut. matrim* idem Caldas Pereira *in quæst. forensib. in commento ad §. soror, num. 31. Instit. de inoff. testam.* Ægydius Lusitanus *in repet. leg. Titia. part. 3. num. 38. & 41. & in priuileg. honestat. artic. 7. num. 11.* Asserunt tamen hi posteriores Ægydius, & Caldas, si matrem pœniteat retroactæ vitæ, & tempore, quo condit testamentum, iam sit emendata, posse tunc filiam meretricem hæreditate priuare, quod intelligo de emendatione per ingressum, & professionem religionis, sicut de emendatione filiæ meretricis, vt non possit exhæredari, diximus *num.* 20. vt sic in præmio, & pœna sint pares, nisi velis multo maiorem esse iniuriam, qua filia meretrix matrem meretricem, quàm illam, qua mater meretrix filiam afficit meretricem, de quo valde dubitare possumus.

Pereira.
Mater meretrix non potest filiã meretricem exhæredare.
Surd. Valdes. Henriq. Molin. Sanch. Barbosa. Pereira. Ægid Lusit.

25\. Dubitabis tamen, an per reconciliationem patris, vel matris cum filia sine consensu illorum nubente tollatur exhæredatio. Respondeo si post factam exhæredationem superueniat reconciliatio, non tolli prædictam exhæredationem, tolli verò si reconciliatio fiat ante ipsam exhæredationem *l filio quem pater ff. de lib. & post.* Couarr. post multos. quos allegat *in cap. Raynut. initio num.* 17. Barbosa *dict. l. 1. 4. part. num* 47. Et ratio est, quia si condemnatio pœnæ semel fiat, nihil prodest pœnitentia, & reconciliatio subsequens. nisi forte postea de nouo reuocetur lex pœnalis ab eo, qui illam potuit statuere; hoc tamen latius tractabimus *num.* 50. vbi agemus de causa exhæredationis inserta in testamento, non reuocato post reconciliationem cum testatore factam.

An per reconciliationem cum parentibus tollatur exhæredatio.
Couar. Barbosa.

26\. An verò lex Lusitana ad filiam viduam extendatur nubentem, vel stuprum committentem absque consensu patris vel matris, & sic exhæredari possit ab illis, bipartita est opinio. Prima id affirmat. Eam tenet Petrus Barbosa *l. 1. 4. part. num 42. ff soluto matrim* Ægidius Lusitanus *tract. de iure, & priuileg honestat. art. 7. num. 9 & 10.* Anton. Gabr *commun. opin. tit. de secundis nuptijs, conclus. 30. num. 10.* Pinel. *in l. 4. C. de bon. mater. n. 28.* Peregrin. *de iure fisci lib. 3. titulo 15. num. 1.* ex eo fundamento, quod quamuis filia vidua iam non sit sub potestate patris, vel matris, tamen præfata lex in hac exhæredatione non attendit ad violationẽ debiti patriæ potestatis, sed ad violationem debiti honestatis; & ad iniuriam parentibus il-

Pœna legis Lusitaniæ nõ extẽditur ad filiam viduã nubentem sine consensu parentum ante 25. ætatis annum.
Barbosa. Ægidius. Ant Gabr. Pinel. Peregrin.

latam per inobedientiam filiæ; vnde satis est violare filiam debitum honestatis ad hoc vt à parentibus possit exhæredari. Est probabilis ista opinio. Secunda tamen probabilior, & tenenda negat omnino. Eam docet doctissimus Rebello 2. *part. de obligat. iust. quæst 297. num. 30.* ex optimo fundamento. Primò, quia filia vidua de iure Lusitano *in noua recop. lib. 1. tit. 87. n. 1. in veterib. lib 4. tit 68. & lib. 1. tit. 67 § 4* per primas nuptias statim emancipata manet, & sui iuris effecta & extra potestatem parentum constituitur; vnde iam non pendet quoad statum, & directionem vitæ suæ à parentum consensu; ac proinde exhæredationem non merebitur si absque illo, viro digno nubat. Secundò, quia lex hæc est pœnalis, & nihil de filia vidua exprimit; non videtur ergo ad filias viduas extendenda sine parentum consensu nubentes viris dignis.

Rebel.

Dixi, *si viris dignis nubant*, quia si nubant indignis, existimat Rebello allegatus nouam inde 27.
iniuriam insurgere parentibus; & propter eam posse parentes filias viduas indignis nubentes ea pœna multare; quod non approbo, quia filia vidua nihil à parentum consensu pendet, cum sit iam sui iuris effecta; vnde potest nubere digno, & indigno, absque metu huius pœnæ, quia lex cum pœnalis sit, & nihil exprimat de filia vidua, de illa minimè est intelligenda, cum pœnæ non sint extendendæ de casu ad casum, & de persona ad personas, nisi forte vbi eadem omnino fuerit ratio, at hic est diuersa ratio, quia maiori iniuria afficit parentes filia puerpera sine parentum consensu nubens indigno, quàm filia vidua cum hæc sit sui iuris, illa non. Nec refert quòd hæc pœna exhæredationis fundetur in iniuria, & dehonestate parentum, non in patria potestate, vt dicebant Barbosa, Ægidius, & Pinellus *numero præcedenti* relati, quia magis dehonestat filia puerpera parentes nubens viro indigno, quàm filia vidua; vnde non est tam considerabilis ista iniuria, quàm illa, vt pari pœna puniatur. Præterea ius canonicum abrogauit omnes pœnas iuris ciuilis impositas viduis ad secundas nuptias transeuntibus intra viduitatis annum, vt vidimus *num. 6.* ex eo fundamento, quòd liberam potestatem habeant cuicumque voluerint nubendi, siue digno, siue indigno, quia melius est nubere, quàm vri, vt patet *ex capite, Cum secundùm Apostolum; de secundis nuptijs*, ibi. *Cum secundùm Apostolum mulier, mortuo viro, ab eius sit lege soluta, & nubendi cui vult tantùm in Domino, liberam habeat facultatem, non debet legalis infamiæ sustinere iacturam*, id est, pœnam, *quæ licet post viri obitum infra tempus luctus* (scilicet vnius anni spatium) *concessa sibi tamen ab Apostolo vtitur potestate, cum in his præsertim sæculares leges non dedignentur sacros canones imitari.* Vbi notanda sunt illa verba, *Cui vult*, id est, tam digno, quàm indigno, modò sit liber.

Quid si filia vidua nubat indignis.

Obseruandum tandem est legem Lusitanam 28.
quando facit matri facultatem exhæredandi filiam sine suo consensu nubentem, intelligendam esse quoad portionem duntaxat sibi ex parte matris contingentem, nam quoad portionem legitimæ ex parte patris contingentem, non est penes matrem facultas, eam exhæredandi. Quod similiter de exhæredatione patris intelligendum est. solùm enim hic hanc filiam exhæredare poterit, quoad bona, & legitimam illi ex parte sua contingentem, non quoad illa, quæ prædictæ filiæ ex parte matris contingunt, vt optimè no-

Rebell.

tauit Rebellu 2. *part. de obligat. Iustit. quæst.* 197. *num* 30. Hæc de primo casu, in quo possunt parentes filios exhæredare, & eis dotem & alimenta negare, tam de iure communi quàm de iure Lusitano sufficiant. Ad alios accedamus.

An filius vel filia exhæredari possit à patre in quẽ violentas manus iniecerit.

29. Secundus casus est, si filius, vel filia violentas manus in patrem, vel matrem iniecerit. habetur *in nouis Ordin. lib. 4 tit* 88. *& in prædicto authentico, Vt cum. de appellat. cognoscend. § Causas autem.* quod intelligendum est cum lethali culpa, secus si ob iustam sui defensionem, vel patriæ, vel proximi id efficeret; ea enim de causa exhæredari tunc non poterit prædictus filius, vel filia. Ita Couarr. *in cap. Raynutius, num.* 9. Molina *tomo* 1. *de iustit tractat.* 2. *disput.* 176. *num.* 1. Iniectionem autem manuum eodem modo accipies, quo accipitur *in cap. si quis suadente diabolo*, ad excommunicationem incurrendam, satis enim est quòd patrem, vel matrem ligno capite, manu pugno, gladio, vel quolibet alio instrumento percutiat.

Couar. Molin.

Quid si in patrem, vel matrem verba iniuriosa protulerint.

30. Tertius est, si filius, vel filia in patrem, vel matrem verba iniuriosa contulerint præsertim in loco publico, vbi pater, vel mater rubore confunderentur, vt si grauem, ac fœdam in eos protulerint contumeliam; arbitrio tamen iudicis committitur iudicandum, quæ grauis atque acerba iniuria censenda sit, perspectis circunstantiis, ac qualitatibus parentum, liberorum, loci assistentium. Ita *in nouis Ordin. lib.* 4. *tit.* 8. *in veterib. lib.* 4. *tit.* 72. § 5. disponitur.

31. Quartus casus est si contra voluntatem parentum mimos egerint, & se histrionibus, aut arenariis associauerint, & in hac professione permanserint; modò tamen parentes eiusdem professionis non fuerint. Item si filius, aut filia, maleficus fiat, & cum illis familiariter viuat; hæc autem verba, vt optimè animaduertit Molina *tom.* 1. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 176. *num* 4. *fol. mihi* 721. vtrumque copulatiuè requirunt videlicet, vt maleficus sit, & cum maleficis versetur, & vt histrio fiat, & cum illis versetur, & in ea professione permanserit, quorum vno deficiente pœna exhæredationis deficiet. Maleficorum autem nomine non incantatores tantùm, sed dæmonum inuocatores intelliguntur, vt vult Couarruuias *in cap. Raynutius, num.* 12. & quicumque alij venefici, vt notant idem Couarruuias, & Molina allegati, imò & verbum Græcum, quod in Authentic. *Vt cum de appellat cognosc.* apponitur; vnde nostra Ordinatio desumpta fuit, vtrumque significat, & maleficum, & incantatorem.

Molin

32. Quintus casus est, si veneno vitam parentum de medio sustulerint, vel tollere tentauerint, aut fauorem, consilium, auxiliúmque aliis adhuc dederint; quare in hoc negotio non solùm effectus mortis secutæ, sed etiam sola intentatio hac pœna exhæredationis punitur, ibi: *Se o filho, ou filha der peçonha a seu pay ou may, ou tratar delha dar, ou der conselho.* Ecce dum dixit, *ou tratar delha dar*, sola intentatio punitur, non secuto effectu. Ita Couarr. *dict. cap. Raynut. num.* 13. Molin. *tom.* 1. *de iust. disp* 176 *n* 5 *fol. mihi* 721. Si tamen filius antequam res detegatur, pœnitentia ductus resipiscat, ac peruersam exuat voluntatem; hanc pœnam euadet, etsi postea resciatur iuxta Couarruuiam, & Molinam, quia lex non excludit pœnitentiam; placet hæc illorum sententia.

Couar. Molin.

33. Sextus casus est, si quacumque alia via dolosè mortem patris, vel matris procurauerint, & hic casus est similis præcedenti, in quo sola procuratio punitur, non effectu secuto.

Septimus est, si filius cum nouerca sua, vxore patris, aut cum concubina, quam pater domi habeat, vel alat, concubuerit. intelligunt autem Molina citatus *n.* 6. & Couar. *n.* 15. hanc dispositionem de concubina vnica domi retenta, vel quæ retenta fuerit more legum ciuilium, & idem bene exprimit ius Lusitanum, & id ipsum intelligit etiam ipsum ius Lusitanum, & commune de filia quæ cum marito matris, aut cum eo cuius mater concubina est, vel fuit retenta domi, rem haberet; si tamen vterque tam filius, quam filia ignorarent nouercatum, & concubinatum, effugerent hanc pœnam, quia deest in peccato specialis malitia, & deformitas, ob quam illa decernitur in iure; solùm enim propter deformitatem illam, quòd sit vxor, aut concubina patris domi retenta, & quòd sit maritus, aut concubinus matris domi retentus, hæc pœna iure nostro & communi decernitur, vt notat Molina allegatus. 34.

Octauus est, si libellum famosum infamiæ obtulit iudici contra patrem, vel matrem, & delator extitit eorum, & propter suam delationem graue damnum in bonis, honore, aut fortunis parentes passi sunt. Ordinationes huius regni Lusitaniæ apertè loquuntur de delatione, & accusatione parentum in iudicio: lex autem 4. Castellæ *tit.* 7. *part.* 6. de delatione etiam & infamatione extra iudicium loquitur, vt optimè animaduertit Molin *dict. tom.* 1. *tract.* 2. *de iust. disp.* 176. *num.* 7. quare in vtroque regno, suo iure standum erit. 35.

Molin.

Nonus est, si pater, vel mater carcere detenti sint, & filius masculus ab illis requisitus pro illis fideiussor esse noluerit, cum tamen bona sufficientia ad id habeat. habetur etiam de iure communi in Authentico citato, *Vt cum. de appell. cognosc.* Molina allegatus *num* 8. videtur velle, vt exhæredationis pœna ob hanc causam incurratur, necesse esse, vt parentum aliquis in vinculis, vel ob debitum, vel ob aliam causam detineatur; nostræ tamen ordinationes de solo debito loquuntur. Notabis autem hanc pœnam solùm masculos incurrere, non fœminas: nam quamuis illæ, renunciato priuilegio Velleiano, fidei iussiones facere possint, ius tamen merito in hoc casu noluit eas ad id obligare, eo quòd vniuersim loquendo minus idoneæ sint ad se ipsas defendendas aduersus creditores. Sic Molina citatus *dict. num.* 8. & Caldas Pereira, *in l. si curatorem verbo, læsis n.* 10. 36.

Molin.

Molin. Pereira.

Decimus casus est, si filius, vel filia prohibeant, parentes facere testamentum: si enim tunc post eã prohibitionem illud condere potuerint, in eo ipso testamento eos poterunt ob eam causam ab hæreditate excludere. Et si propter eam prohibitionem sine testamento decesserint, aut testamentum iam factum non mutauerint, reuocauerintque vt volebant, tunc qui ita impedimento fuit, per iudicis sententiam amittit fisco regio, quicquid de bonis testatoris sibi poterat contingere. 37.

Vndecimus est, si pater, aut mater, vel in furorem, vel amentiam deuenerint, & filius vel filia illorum curationem neglexerint, cum possint illos curare; tunc enim si parentes postea sanitatem mentis recuperauerint, eos poterunt in testamento exhæredare. Si autem ante ipsum furorem, & dementiam testamentum condiderant, omnes, & singulos illorum filios, & filias, probata negligentia in curandis parentibus, poterit iudex repellere ab illorum hæreditate, & illam nepotibus adiudicare. Quod si etiam nepotes & ascendentes, & descendentes ingrati fuerint, & 38.

extra

extraneus aliquis videns eos à suis hæredibus neglectos misericorditer illorum curam agere voluerit. tunc protestatiooe facta & intimata hæredibus, , vt curam illorum habeant, in scriptis tamen, si neglexerint, & ille curam illorum vsque ad finem vitæ egerit, hæreditas tota ipsi à iodice adscribitur;ita tamen, vt si aote dementiam testamentum condiderant, legata priùs in eo relicta impleantur. Habetur io prædict. Auth. *Vt cum. de appellat. cognosc. §. si quis de prædictis*, & io Authentica *liberi, C. de Episcopali audientia,& lib 4. nona recopil. tit. 88. num. 15.* io Veteribus *dict. lib. 4. tit. 72. §. 14. 15. 16. & in l. 5. Castella tit. 7. part. 6.*
Greg. Lop. quamuis Gregorius Lopez ibi existimet, tunc totam hæreditatem adiudicandam esse fisco regio, soluto pretio curationis eis, qui eam misericordiam illis præstiterunt; quod tamen diximus, est probabilius.

39. Duodecimus est, si pater, aut mater captiui sint, & filij, & filiæ libertatem illorum non curauerint; tunc enim, recuperata postea libertate, eos poterunt exhæredare: similiter si in eadem captiuitate illorum culpa moriantur, probata culpa, excludentur per iudicis sententiam ab hæreditate paterna, & ascendentibus descendentibusque legitimis adiudicabitur, vt decernit nostrum ius Lusitanum *lib 4 noua ordin. tit. 88. n. 16.* Si verò etiam culpa istorum id euenerit, per Episcopum loci illorum, faciendum erit inuentarium bonorum suorum, & totom pretium in redimendis captiuis erit expendendum: si tamen illi testamentum iam confecerant, omnia priùs in eo præscripta, sunt adimplenda, excepta hæredum iostitutione. Pœna autem hæc solùm locum habet in ingratis hæredibus qui 18. ætatis annum excesserint. sic disponit ius commune; nostrum vero Lusitanum nihil disponit io hoc casu; quare voluit, vt in eo dispositio iuris communis seruaretur. Ad redimendos autem parentes captiuos fas est minori qui 18. annum excesserit cõtractus celebrare, & alienare bona ipsorum captiuorum, vt redemptionis pretium inde deducatur, tenenturque captiui stare postea prædictis contractibus.
Molin. Sic Molina *tom 1. de iustit. num. 32. fol. mihi 729.* & habetur in Auth. *Vt cum. de appellat. §. si vnum de prædictis*, & Stephanus Gratian. *disceptat. forensium, disp 108. num. 6. 19. & 20 & in num. 7.* resoluit inuitis etiam filiis posse vendi bona pro redimendo patre captiuo; & de bonis etiam vinculatis intelligit.

40. Decimustertius est, si parentes criminalibus de causis accusauerint, quæ non sint aduersus Principem, aut patriam; nam si aduersus Principem aut patriam fuerint, non poterunt ob id exhæredari, neque etiam si filij, aut filiæ parentes accusauerint de crimine hæresis, cum sit crimen læsæ maiestatis diuinæ, & aduersus rem publicam Ecclesiæ: causæ tamen tales esse debent, vt pareotes morte plectendi sint, aut in perpetuum exilium amandandi, aut vnde iofamia ootabilis
Molin. Couar. Greg. Lop. parentibus sequatur. Ita Molina *tom. 1. de iustit. disp. 176. num. 5. fol. mihi 721.* Couarr. tamen *in cap. Raynutius vnitio, num. 11.* & Gregor. Lopez *in l. 4. tit. 7. part. 6.* efficaciter probant idem esse dicendum si ob talem accusationem puniendi essent alicuius membri amissione. Addit etiam Couar. idem simpliciter esse, si tales filij non coacti testes essent io iisdem causis, aut aduocati, vel procuratores aduersus prædictos parentes.

41. Decimusquartus casus est, si filij, aut filiæ hæretici fuerint, & à fide defecerint. Ita habetur in præfato Authentico, *Vt cum. de appellat. cognosc. §. Si quis de prædictis*; iuxta ea quæ diximus *cap. 2. num 5. 6. 7. 8. & 9.*

SVMMARIVM.

De causis ob quas filij exhæredare possint parentes, eisque alimenta negare.

In omnibus casibus, ob quos licitum est filijs patres exheredare, licitum est etiam eis alimenta negare, seclusa extrema necessitate. num. 42.

Septem sunt. Primus si filij venena propinauerint, vel alio modo vitam auferre procurauerint. n. 43.

Secundus est, si pater concubuerit cum vxore filij, vel concubina domi retenta. num. 44. *Vel mater cum marito, vel amasio filia.* ibid.

Tertius est, si filios impediuerint, ne condant testamentum. num. 45.

Quartus est, si modo aliquo filios amentes fecerint. num. 46.

Quintus est, si eos in furorem, vel amentiam conuersos non curauerint. num 47.

Sextus est, si à captiuitate liberare noluerint. n. 48.

Septimus est, si patres fuerint haretici, & filij catholici. num 49. *& ibi remissiuè.*

An exheredatio in testamẽto facta inserta in eo causa exheredationis, tollatur per reconciliationem patris cum filio, vel filij cum patre. num. 50.

Quando pater non exheredauit filium, vel filius patrem, de iure communi, non possunt heredes hoc allegare, vt ab eis hereditatem adimant, etiam quando id fecerint, quia causam exheredationis ignorarunt, vel non habuerunt commoditatem exheredandi. num. 51.

Quid de iure Lusitano fieri potest. num 52.

An patres possint filios, & filij patres ob alias causas similes exheredare, & eis alimenta negare, licet in iure non sint expressa. num. 53. & 54.

An valeat exheredatio facta à patre tempore mortis; si et filius dicat, se nolle aliquod de illis bonis dolore motus. num. 55.

PRæmitto ante omnia ex omnibus causis, ob quas licitum est filiis parentes exhæredare, licitum quoque eis esse, illis alimenta negare seclusa extrema necessitate, vt in initio huius capi- 42.
tis tertij diximus *num. 1.* & specialiter notat Mo- Molin.
lina *tom. 1. de iust disp. 168 fine, fol. mihi 666.* quod patet expressè ex *l. vltima, C. de alend. liberis, l. Si quis à liberis, §. Iudex, ff. de liberis agnoscend.* & glossa vtrobique. & *l. 6. tit. 19 part. 4.* quæ tamen exprimit eis noo esse deneganda ea alimenta, quæ præcisè ad vitam conseruandam fuerint necessaria. Sic glossa vltima *in cap. Cum haberet. de eo qui duxit in matrimon. &c.* Glossa item in Authenticum. *Vt cum. de appellat. cognosc. §. Sine igitur, in verbo, Habere.* Barthol. & Panor. & communis DD. sententia; quam sequuntur Nauar. Nauar.
in manual. Lat. cap. 12. num. 17. Couar. *in epitom.* Couar.
part. 6. cap. 8. § 6. num. vltim. & Aoton. Gomez Ant. Gom.
tom 1. var. resol. cap. 12. num. 13.

Assignauimus ergo casus io summariis præce- 43.
dentibus, in quibus possint patres filios exhæredare, eisque alimenta, seclusa extrema necessitate, negare. Reliquum est, vt modò assignemus casus in quibus è contrario possint filij parentibus etiam alimenta negare, eosque exhæredare. Et hi septem tantùm sunt; vt habetur in prædicto Authentico, *Vt cum, &c. & in nouis ordinat. lib 4.*

tit 88. Primus est, si pater, vel mater, vel auus, vel proauus in defectu parentum, filiis, aut nepotibus venena propinauerint, aut quocumque alio modo vitam illis auferre tentauerint. quod Molin. intelligit Molina *dicto tom. 1. de iust. disput. 176. num. 34 fol. mihi 729.* etiam cum eos de crimine propter quod pœnam mortis mereantur, accusauerint, vel denunciauerint, imò, & de crimine ob quod sint mutilandi iuxta legem 15. *titul. 7. part. 6.* Excipe tamen nisi accusatio, aut denunciatio sit de crimine læsæ maiestatis, proditionisque Principis, & Reipublicæ, vel patriæ; & hæresis, vt etiam in casibus in quibus liberum est parentibus, filios & filias exhæredare diximus.

44. Secundus est, si pater concubuerit cum vxore filij, aut concubina domi retenta actu; vel quæ fuerit domi alta, & retenta, id sciens & non ignorans. Et idem est dicendum iuxta ordinationes huius regni Lusitaniæ *dict. tit. 88.* si mater se immiscuerit cum marito, vel amasio filiæ domi ab eo altæ & retentæ.

45. Tertius est, quando pater, vel mater, vel auus, aut auia filiis, & nepotibus impedimento fuerunt dolosè, & malitiosè, ne filij, vel filiæ, vel nepotes possint condere testamentum iuxta ea, quæ diximus in summario præcedenti *n. 37.* quæ omnia hîc applicanda erunt.

46. Quartus est, si pater, vel mater filios, & filias suas potu aliquo, vel modo à statu sanæ mentis deturbauerint, amentes fecerint, vel quouis alio modo eorum vitæ fuerint insidiati, aut illis mortem fuerint machinati.

47. Quintus est, si pater, vel mater filiorum suorum, qui iudicium rationis, mentémque amiserunt, curationem neglexerunt, & curam illorum in eo statu habere noluerunt, cum possint, poterunt enim filij & filiæ postea mentis sanitati restituti, etiam diuinitus eos hac de causa exhæredare, & idem dicendum est de nepotibus respectu proauorum, vt suprà diximus.

48 Sextus est quando filius, aut filiæ in captiuitate sunt, & parentes illorum libertatem non curant, cum possint; & hîc etiam applicanda erunt ea omnia, quæ de parentibus captiuis respectu ipsorum filiorum, & reliquorum hæredum nihil curantium ipsorum libertatem, diximus summario antecedenti *num. 39* Quod si parentum, aut hæredum negligentia in captiuitate emoriantur, ex ipsorum bonis de quibus testari poterant, alij captiui sunt similiter redimendi, vt docet Molina Molin. *tom. 1. de iust. disp 176. num 4 fol mihi 730.*

49. Septimus, quando filij, & filiæ sunt catholici; parentes verò hæretici. In eo enim casu eos exhæredare poterunt prædicti filij. & filiæ, catholici; hæc omnia habentur in præfato Authentico, *Vt cum, de appellat cognosc.* & nos iam satis hoc punctum tractauimus *in cap. 2. num 5. 6. 7. 8. 9.* Et quæ diximus, hîc dicta censeantur.

50. Ex omnibus his causis, ob quas filij à parentibus, & parentes à filiis exhæredari possunt, & ab alimentis excludi, seclusa extrema necessitate, nonnulla dubia necessariò expedienda insurgunt. Primum est, an si pater filium in suo testamento, aut filius patrem exhæredet apposita causa in eodem testamento, censeatur exhæredatio reuocata, per amicitiæ redintegrationem? Et quidem hac de re dupliciter loqui possumus. Primò, in hunc modum; vel ipsi ante confectionem testamenti amicitiam redintegrarunt, vel post confectionem illius, & appositionem causæ exhæredationis; si ante confectionem reconciliati sunt, existimat Couarr. cum multis, quos refert ac sequitur *in cap. Raynutius initio, num. 17.* & Molina Couar. Molin. *tom. 1. de iust. disp. 176. num. 54. fol. mihi 373.* & est communis resolutio, non posse confici testamentum validè, in quo alter alterum ab hæreditate excludat, & si fiat, inserta etiam causa exhæredationis inualidum omnino esse tale testamentum (quod intelligendum est, quoad illam exhæredationẽ non quoad cætera in eo disposita; quia vtile non vitiatur per inutile.) Ratio, ac fundamentum illorum est; quia eo ipso quòd alter alteri ingratitudinem tacitè remisit, vel expressè, abolita omnino est causa exhæredationis, & ideo sine legitima causa postea exhæredat. Posse autem ingratitudinem tacitè remitti, censerique remissam, si ad pristinam amicitiam redeant, apertè colligitur ex *l. 3. § vltimo. iuncta l. 4. sequenti, ff. de adimendis legat. & ex l. Et ipsius. C. familiæ erciscundæ*, & aliis iuribus, quæ Emanuel à Costa §. *Et quid si tantum patri, num. 183.* citat, ac Costa. sequitur; & ideo diximus *num 25.* cum multis, quos ibi citauimus per reconciliationem factam ante exhæreditatem, tolli omnino ipsam exhæredationem, quia tollitur causa illius. Si verò post confectionem testamenti in quo causa exhæredationis inserta fuit, redeant in amicitiam, & non reuocato testamento, qui illud fecit emoriatur; variant authores. Bartholus enim *in l 3 ff. de adimendis legatis*, cum aliis quos citant Couartuuias, Barthol. & Emanuel à Costa, docent per illam reconciliationem tacitè ademptam esse exhæredationem factam in testamento, quia per illam censetur tacitè remissa ingratitudo, & iniuria ob quam vel pater in testamento filium exhæredabat, vel filius patrem; ac proinde tam patrem, quàm filium in eo euentu nihil impediente ea exhæredatione in prædicto testamento facta, legitimè succedere, ac si facta non fuisset; allegatur etiam pro hac parte à Molina Syluester *verbo, Hæreditas 2. n. 3.* Syluest. *fine.* Sed Syluester ibi ita ait. *Notandum est etiam quod dicit Alexander de Imola in l. Dotis causa. ff. soluto, qui ex ibi notatis duo infert. Primò, quod filius, qui ingratitudinem commisit, adeo quod exhæredari posset, si viuo patre agat pœnitentiam, vel ante conditum testamentum, non poterit exhæredari.* Quibus verbis satis apertè loquitur de reconciliatione tacita facta per pœnitentiam ante conditum testamentum, non post confectionem illius, & sic cum prima, & communi resolutione consentit. Couartuuias *dict. cap. Raynutius init. n. 17.* Couar. cum aliis, quos citat, ait, in eo euentu non sufficere remissionem tacitam. quæ fit per reconciliationem; sed requiri expressam, ac proinde non posse succedere exhæredatum in tali testamento in bonis exhæredantis, idque probat ex *l. Filio, quem pater, ff. de liber, & posthu.* vbi postquam dicitur censeri remitti ingratitudinem per reconciliationem, addit Papinianus Iurisconsultus hæc verba: *Filio quem pater iterum arrogauit*, id est, iterum in amicitiam recepit, *exhæredationem ante scriptam nocere dicto.* Et hanc opinionem tenet etiam Barbosa *in l. 1. 4. part. ff. soluto matr. num. 47.* Barbos. & Rebello 2. *part. de obligat. iustitia, quæst. 14.* Rebell. *num. 27.* & tenent alij, quos citauimus *num. 25.* Et ratio est, quia illa exhæredatio sicut fuit facta per voluntatem expressam tabellis obsignatam, ita per eandem voluntatem expressam reuocanda erat, res enim per quas causas oritur, per easdem tollitur. At verò Molina *tom. 5. de iustitia disp. 176.* Molin. *num. 56.* Costa *in l. Gallus, §. & quid si tantùm, ff.* Costa. *de liberis, & posthumis, num. 183.* aiunt legitimum

testa

testamentum in quo filius, apposita, & inserta causa, fuit exhæredatus, validum esse atque subsistere; nihilominus eum per reconciliationem tacitè fuerit causa exhæredationis in eo inserta reuocata, neque vlterius subsistat, sanè tali filio competere, non quidem ius allegandi inualidum esse testamentum, quoniam quoad hoc exhæredatio adhuc illi nocet; sed querelã inofficiosi testamenti. Quare petere poterit aduersus hæredem in eo scriptum, possessionem hæreditatis, aut partis illius, quæ sibi tanquam legitimo hæredi debebatur. Si verò sibi obiiciatur exhæredatum fuisse legitima causa inserta, replicabit causam remissam fuisse, & iam non subsistere, annullabitque proinde testamentum tanquam sibi iam tunc inofficiosum; addunt hoc pacto intelligendam esse opinionem Bartholi, & tanquam veram sequendam, & amplectendam. Ego opinioni Couarruuiæ assentior propter suos authores, & fundamenta.

51. Sed dubium est, an quando pater exhæredare non potuit filium, vel filius patrem; quia causam legitimam exhæredationis ignorabat, vel quia sciens, ac compos illius commoditatem non habuit ad exhæredandum, exhæredaturus tamen credebitur si haberet, fas sit hæredibus eam causam obiicere filio post mortem patris, eáque in iudicio probata auferre ab illo tamquam indigno hæreditatem. Et hac de re est duplex opinio. Prima affirmat, eam docet Ioannes Andreas, & Panormitanus, & alij, quos citat Anton. Gomez *tom. 1. variar. resol. cap. 11. num. 11.* Secunda negat omnino, eam tenet Antonius Gomez *ibidem*; Molina Theologus *tom. 1. de iust. disp. 176. n. 44. fol. mihi 730.* & alter Molina *de primogenijs lib. 1. cap. 15. num. 15. & sequentibus.* ex duplici fundamento. Primò, quia in Authentico, *Vt cum. de appellat cognosc.* præscribitur forma validæ exhæredationis; ea autem est, vt ab ipsomet patre respectu filij, vel filio respectu patris, vel auo respectu nepotis, vel nepote respectu aui, & similium ascendentium respectiuè fiat inserta causa; & non dicitur quòd fiat ab hæredibus; vnde cum hæc pœna sit, non est extendenda de persona ad personam, & de vno casu ad alterum. Secundò, quia paterno amore potuit pater dissimulare, & parcere filio, & filius reuerentia, & amore intimo in patrem illi etiam parcere, & ad hęredes non transit declaratio voluntatis testatoris. Vtraque sententia est probabilis; ista tamen secunda de iure communi probabilior.

Ant. Gom.

Mol. Theol. Molin.

52. Dixi, *de iure communi*; quia de iure nostro Lusitano colligitur expressè, fas esse hæredibus eam causam obiicere filio post mortem patris, probatáque ingratitudine filij in iudicio ei erit auferenda hæreditas, & aliis hæredibus adiudicanda. Ita enim nostræ ordinationes nouæ *dicto lib. 4. titulo 88. §. 1. & 2.* sermonem inferunt de filia sine consensu parentum nubente. *Si aliqua filia ante 25. ætatis suæ annum dormierit cum aliquo*, intellige copulam habuerit, *vel nupserit absque consensu patris, vel matris, in defectu patris, exhæredata sit, & exclusa ab omnibus bonis tam patris, quàm matris, quamuis illam pater, vel mater expressè non exhæredauerint. Quod si tempore mortis patris, vel matris alij fuerunt filij, vel filiæ, non poterit pater, vel mater illis inuitis filiam errantem hæredare.* Ecce tantùm pertinet ad alios hæredes de iure Lusitano ius exhæredandi ingratos, vt nec etiam parentes illis eam ingratitudinem possint remittere, aliis inuitis; considerauit enim ius Lusitanum iniuriam ob eam ingratitudinem omnibus illatam, imò toti familiæ, vt statim expressit ibi. *Quod si tempore mortis patris, vel matris, nullus fuerit filius, vel filia, nec nepotes, aut descendentes legitimi ex nepotibus, tunc poterit pater, vel mater hæredem instituere filiam errantem, quia cum tunc illis solùm facta fuerit iniuria, meritò illam potuerunt cõdonare, nullo alio existente filio, vel filia, vel nepote, vel descendente; aut ascendente, ex nepote cui tunc præiudicium fiat.* Ecce dum dicit; *nullo alio existente filio, vel filia, vel descendente, aut ascendente*; satis significauit iuxta nostrum ius semper vocari alios hæredes, vt succedant ingratis, ac proinde probata eorum ingratitudine in iudicio necessariò esse excludendos. Nec solum in hoc speciali casu, in quo filia vel peccat in corpus suum, vel nubit parentibus inuitis, hoc locum habet, sed etiam in aliis omnibus in quibus de iure exhæredari possunt, vt specialiter notatur etiam in eodem iure Lusitano eodem *tit. 88. lib. 4. num. 15.* in iis hæredibus, qui patrem vel matrem, vel auum, aut auiam in furorem versos curare neglexerint, à quibus propter eam negligentiam præcipit, vt adimatur hæreditas, & detur aliis hæredibus, qui misericorditer cum illis se egerunt, eorumque sanitatem procurarunt. Semper ergo ius Lusitanum ob crimen hæredum inhabilium vocat alios habiles, & non ingratos, & consequenter eis tribuit ius ad ostentandam, probandamque istorum ingratitudinem in iudicio, qua probata, necessariò excludentur ingrati & succedent grati. Et hoc reperit in omnibus casibus de quibus dicit posse filios à parentibus, & parentes à filijs, auos à nepotibus, & nepotes ab auis exhæredari, semper enim addit in fine cuiusque casus; *Exclusus sit, vel excludatur ab omni hæreditate; propter ingratitudinem, & iniuriam factam parentibus, vel filijs*; & subintelligendum est, & vocentur alij hæredes, qui simile vitium ingratitudinis non commiserint, ad prædictam hæreditatem: & hæc de hoc puncto sint satis.

53. Maius dubium esse videtur an ex aliis causis, ac istis commemoratis æquè grauibus possint patres filios, & filij patres, aui nepotes, & nepotes auos exhæredare, eisque alimenta negare. Affirmant Couar. *in cap. Raynutius de test. initio. n. 17.* Anton Gomez *tom. 1. var. resol. cap. 11. num. 12.* Iulius Clarus *§. testamentum. quæst. 41.* Molina *de primog. lib. 3. cap. 9. num. 32. 33. 34.* Emanuel à Costa *§. & quid si tantùm pater, part. 3. à num. 173.* & dicunt hanc esse opinionem communem; adduntque nunquam fuisse intentionem legislatoris Authentici, *Vt cum. de appellat. cognosc.* per prædictas causas assignatas omnino excludere omnes alias causas in vniuersum sed solùm fuisse excludere alias contentas in lege aliqua prædicto Authentico antiquiori. Deinde, quia omnes leges rationi innituntur, & ratio postulat, vt propter alias grauiores, quæ passim dari possunt, quibus se filij præbeant ingratiores, & magis iniuriosos erga parentes, & parentes erga filios, exhæredentur.

An ob alias causas præter assignatas possint patres filios, & filij patres exhæredare.

Couar.

Ant. Gom.

Iul. Clar.

Molin.

Costa.

Prima opinio affirmat.

54. Negat omnino secunda opinio, eam docet Alexander de Imola, & alij, quos citat, ac sequitur Gregor. Lopez *ad legem 8. tit. 6. glossa vltima*, & Molina Theologus *tom. 1. de iust. disput. 176. num. 48. fol. mihi 731.* docet etiam Hostiensis cuius mentionem fecit Molina dum dicit *Certè mihi probabilissima videtur opinio Hostiensis & Alexandri, neque ab eo audeo recedere.* Probatur hæc opinio, quam sequor: primò, quia in prædicto Authentico

Secunda negat.

Greg. Lop.

Mol. Theol.

Hostiens.

thentico

thentico, *Vt cum. de appellat. cognoſ.* ita dicitur. *Sed quia cauſas ex quibus ingrati liberi debeant iudicari in diuerſis legibus diſperſas, & non apertè declaratas inuenimus, quarum aliquæ, nec digna nobis ad ingratitudinem viſa ſunt, aliqua verò cum eſſent digna, prætermiſſa ſunt; ideo neceſſarium eſſe perſpeximus, eas nominatim præſenti lege comprehendere, vt præter ipſas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis cauſas apponere, niſi, quæ in huius conſtitutionis ſerie continentur.* Secundò, quia fundamentum à paritate, imò, & à maioritate rationis in rebus pœnalibus de quibus agimus, eſt nullius momenti, non enim pœnæ extendendæ ſunt, ſed limitandæ ad caſum de quo agunt, vt eſt commune pronunciatum. Tertiò, quia in *l. 8. tit. 7. part. 6.* manifeſtè dicitur ex nulla alia cauſa in pœnam ingratitudinis poſſe filios, aut parentes ad inuicem exhæredare niſi ex his præcedentibus ibi; *Mas ſi por alguna otra razon fuera de las ſobredichas deſherdaſſe el padre al hyo, no valdria tal desherdamiento.* Et quamuis huiuſmodi lex ſolùm habeat vim in regno Caſtellæ, & extra illud non habeat; attamen ex illa conſtat doctiſſimos recopilatores legum regni Caſtellæ ita ſenſiſſe. Et quamuis etiam in noſtro iure Luſitano nihil exprimatur; attamen ſatis eſt, quòd id exprimatur in iure communi, & in Regno Caſtellæ, vt id de noſtro iure teneamus, quia cum caſus in illo non eſt prouiſus, præſcribunt noſtræ ordinationes, vt ius commune ſequamur, vel ius regni Caſtellæ, ſi de eo nihil prouiſum fuerit in iure communi. Quartò, quia interpretationes, & fundamenta contrariæ opinionis non ſubſiſtunt, authores verò illius, licet per ſe ſatis ſint graues, attamen nouiores cum ſint alij poſt alios, ſecuti ſunt antiquiores re non ſatis perpenſa, & examinata.

55. Si tamen filius tempore, quo pater ægritudine oppreſſus condebat teſtamentum, ei diceret, ſe ſe nolle quicquam de ſuis bonis hæredare; & pater ob eius dictum eum in teſtamento exhæredet, valebit exhæredatio; vt tenet Barthol. *in lege ſi quando C. de inoffic. teſtam.* & docet Syluester *verbo, Hereditas 2. num. 3.* non obſtantibus iis, quæ modò diximus, quia hæc exhæredatio non fit ob ingratitudinem filij, eo nolente, ſed fit ex voluntate eius, & ſine iniuria, & ingratitudine illius, & fundatur non in ingratitudine filij, aut peccato; ſed in mera ceſſione illius de bonis paternis, modò tamen non appareat, ſe per ea verba noluiſſe exhæredari, v. c. ſi ex vehementi dolore mortis futuræ parentis dixerit dolore perculſus. *Poſt mortem tuam mi pater nihil volo de bonis tuis;* quia tunc cenſetur id dicere dolore turbatus, vt de facto contigiſſe teſtatur idem Bartholus. Sed ea exhæredatione non obſtante, illi hæreditas fuit adiudicata iudicis ſententia; verba enim generalia non obligant in particulari, maximè ſi officioſa ſint. vnde bene quidam politicus dixit, vilem eſſe & inurbanum qui verba officioſa vellet de mundo tollere: tollere autem illa, qui eum officioſa ſint, vellet eſſe obligatoria; alioquin enim ſemper homines cum maxima cautela loquerentur, & neque eſſent vrbani, neque politicè cum aliis agerent, quod eſt durum.

Barth. Syluest.

CAPVT IV.

Ad quid teneantur filij ratione obedientiæ, ac reuerentiæ erga Patres.

SVMMARIVM.

Filij tenentur obedire parentibus in iis, quæ ad domus gubernationem ſpectant, vnde peccant lethaliter ſi noctu egrediantur. num. 1.

In rebus iniuſtis non tenentur obedire parentibus, & in quibus. num. 2.

Nec in iis quæ pertinent ad ſtatum vitæ ſuſcipiendæ. num. 3.

Poſito quòd velint contrahere, mortale eſt non ducere dignam, quam pater deſignat ad ſedendas inimicitias familiarum. ibid.

Mortale etiam eſt ducere indignam contra voluntatem parentum. ibid.

An mortaliter peccent filij ſi non ducant dignam, quam pater vult, & aliam ducant æquè dignam. num. 4.

Filius magnatis, quem pater non vult alere ſecundum qualitatem perſonæ, an peccet mort. ſi fœminam ditem, & nobilem ducat genere aliquantulo inferiorem. num. 5.

An legatum amittat filius, vel filia, quæ non nubit de conſenſu patris, vel perſonæ deſignatæ ſi ea conditione ſibi relinquatur. num. 6.

Quid ſi relinquatur ſub ea conditione, vt de conſilio patris, vel perſona deſignata nubat. num. 7. 8.

An valeat legatum ſub ea conditione relictum, vt nubat certo generi perſonarum nobili. num. 9.

Quid ſi relinquatur ſub ea conditione, vt non nubat ante 25. ætatis annum, ibid. verſu, Item ne.

Peccant mort. filij ſi parentes percutiant, vel conuitiis laceſſant. num. 10.

Et qui illos negant, & an in aliquo caſu licitum ſit illos negare. num. 11.

Et qui criminaliter accuſant. Et an teneantur illos accuſare ob crimen hæreſis, & in quali hæreſi. num. 12. 13. *Et an ob crimen læſæ maieſtatis.* ibidem.

RATIONE obedientiæ tenentur filij ſub lethali culpa obedire parentibus in iis, quæ ad gubernationem domus pertinent. Quamobrem non obedire præcepto parentis conantis filios à peccato mortali, vel ab illius occaſione auertere, videlicet, ne noctu egrediantur, ne ſe cum hominibus flagitioſis, ac ſceleratis immiſceant, vt fugiant noxias familiaritates, vt ludos prohibitos deuitent, meretricum colloquia, & alia huiuſmodi vitia, mortale peccatum eſt. Ita docent Toletus *lib. 5. ſumma cap. 1. num 6.* Nauar. *in manuali Lat. cap. 14. num. 12.* & communiter omnes. 1.

Tolet. Nauar.

Non tenentur tamen filij obedire parentibus in rebus iniuſtis, veluti ſi eos iubeant falsò iurare, hominem occidere, aut percutere. In his enim intelligitur illud Chriſti Domini, *qui non negauerit patrem, vel matrem, non eſt me dignus*, &c. Et illud Actorum 5. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, vnde quoties præcepta parentum ſunt contra Deum, non illis eſt parendum. Sic Toletus *lib. 5. ſumma cap. 5. num. 6.* & Nauar. allegatus, & de ſe patet. 2.

3. Non tenentur etiam filij obedire parentibus in iis, quæ spectant ad vitæ statum capiendum; sunt enim in hac re liberi, vt diximus *c.1.num.*20. vnde etiam peccant mortiferè patres, qui eos cogunt ad prædictum statum, vt ad ingressum religionis, aut matrimonium contrahendum, vt *ibidem* diximus. Posito tamen quòd filij velint contrahere, mortale est, non ducere vxorem, quam pater vult, si digna sit, vt illo matrimonio inimicitiæ aliquæ sopiantur. Ita Nauarrus, & Toletus statim allegandi hîc, & Henriquez *lib.*11.*de matrim. cap.*6. *num.* 6. Et est communis opinio doctorum. Mortale etiam est ducere indignam contra voluntatem parentum; quia iniuria infertur non solùm patri; sed toti etiam familiæ, & si filiæ sint, quæ indignis nubant, si ante 25. ætatis annum nubant, possunt exhæredari à patre, vel matre, vt diximus suprà *c.*3.*n.*16. Secus si post 25. annum nubant, quia tunc exhæredari non poterunt; peccant tamen grauissimè ob iniuriam, & inobedientiam in patres commissam. Ita Toletus *dict.lib.*5.*summæ, cap.* 1.*n.*6. Nauar. *in summa Lat. cap.*14.*num.*15. & est communis opinio.

Tolet.
Nauar.

4. Dubium graue est, an mortiferè peccet filius, qui non vult ducere dignam, quam pater præcipit, & aliam ducit æquè dignam sine rationabili causa ducendi præter ipsam filij voluntatem; & hac de re triplex est opinio. Prima affirmat mortaliter peccare. Eam videtur docere Nauarr. *in summ. Lat. cap.* 4. *num.*15. quamuis propter suam solitam breuitatem non ita clarè in hoc puncto loquatur. Tenet expresse Guttierrez *lib.* 5. *quæst. canonicarum, cap.*20. *num.*3. Petrus Barbosa 4. *part. l.*1. *ff. soluto matrim. à num.*33. Veracruz *in speculo coniugali* 3. *part. art.*10. *concl.*3 *fol.*649. & Gutierrez citat pro se multos, Sotum, Petrum Sotum, Menochium, & alios. Probant, quia in re graui, & iusta patrem offendunt sine iusta causa. Secunda opinio negat omnino. Eam tenet expressè Toletus *lib.* 5. *summæ, cap.* 1. *num.* 6. ibi: *Ducere vxorem indignam contra voluntatem patris, peccatum mortale est, secus si sit digna; non enim tunc mortale est, nisi cum multum patri referret aliam ducere.* Molina *de primog. lib.* 2. *cap.*13. citatur etiam pro hac parte D. Thom. 2.2.*quæst.*104. *art.*5. *in corpore*, ibi enim hæc verba dicit. *Non tenentur, nec serui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio, vel virginitate seruanda, aut aliquo alio huiusmodi.* Corduba *casu* 171. Victoria §.267. Couarruuias *cap.*3.§.8. & à fortiori docet Henriquez *lib.*11. *de matrim. cap.*6. *num* 4. vt statim patebit ex iis, quæ dicemus *num.* 5. Tertia opinio docet teneri quidem filiòs sub mortali petere consilium à parentibus, non tamen teneri illud sequi, quia in iis, quæ ad electionem status, ad proprij corporis sustentationem, & filiorum generationem spectant, omnes homines sunt pares, nec filij subiiciuntur parentibus. Ita docet Sanchez *lib.*4. *de matrimon. disp.*23.*n.*10. & allegat pro se Guttierrez loco à nobis allegato; sed non bene allegat: Guttierrez enim docet id quod dicit prima opinio. Citat etiam D. Thomam in loco pro secunda opinione allegato; sed D. Thom. cum ibi loquatur de obedientia famulorum erga dominos, herosve suos, nihil hac de re amplius loquitur, quàm id quod in citatis illius verbis exprimitur. Ego primam opinionem sequor quatenus asserit esse peccatum mortale filium contrahere contra voluntatem, & consensum patris, quia in re graui ei non obedit; & aliunde pater æquè dignam, & diuitem ei ducendam proponit, ac illam, quam filius sponte sua elegerat.

Nauar.
Guttier.
Barbosa.
Veracruz.
Tolet.
Molin.
D. Thom.
Cordub.
Victor.
Couar.
Henriq.
Sanchez.

5. Filius tamen natu maior, & primogenitus magnatis, quem pater, aut neglexit alere pro qualitate personæ, & iuxta statum, & connatum, quem alij primogeniti suæ conditionis, formæ, & qualitatis habent; aut iracundius mittit in regionem distantem veluti in exilium, & matrimonio illius digno resistit; is quidem licitè, & absque peccato, inscio, & inuito parente, poterit nobilem vxorem ducere ditissimam, licet aliquanto esset genere dispar, quia circa electionem status liberi sunt filij, nec tam strictè subiiciendi sunt dispositioni, ac voluntati paternæ. Ita expressè docet Henriquez *lib.*11. *de matrim. cap.*6. *num.*4. & citat pro hac parte Sotum *in* 4. *dist.*28. *quæst.*5. *art.*1. & *dist.*29. *quæst.* 1. *art.*4. & Molina *lib.*2. *de primog. cap.*13. vbi dicit communiter loquendo hoc tantùm esse veniale peccatum, & asserit ita respondisse recentiores consultos hac de re. Vnde si in eo casu veniale tantum est ducere fœminam ditem aliquantulo genere inferiorem; à fortiori veniale tantum erit ducere æquè dignam, imò fortè nec veniale.

Henriq.
Sotus.
Molin.

6. Quærunt tamen Doctores hîc, an legatum amittat ille filius, vel filia cui prædictum legatum testamento relinquitur sub ea conditione, vt nubat de consensu patris, si eo inuito nubat. Respondent communiter Doctores negatiuè. Ita Henriquez *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 6. *num.* 4. Gamma *decisione* 314. Emanuel à Costa *l. Cum tale*, § *si arbitratu*, *ff. de cond. & demonstr. n.*53. Molina *lib.*2. *de primog. cap* 13. *num* 35. Sanchez *tom.*1. *de matrim. lib.* 1. *disp.* 34. *num.*22. Molina Theolog. *tom.*1. *de iust. disp.*207. *fol. mihi* 1564. Manuel Rodrig. *tom.* 1. *summa, edit.*1. *cap.* 533. *num.*6. Syluester *verbo, Consilium.* Menchaca *controu. cap.*5.*num.*14. Et idem dicendum est de successione, & institutione maioratus, si ea conditione instituatur, vt successores non possint contrahere nisi de consensu, & voluntate parentum. Est enim eadem vtrobique ratio, vt optimè notat Molina Iurisconsultus loco allegato. Fundamentum est, quia ea conditio impeditiua est libertatis matrimonij ac proinde pro non apposita habenda est; nam quamuis honestum sit filios in matrimoniis contrahendis voluntatem parentum sequi, atque amplecti; tamen iura omnimodæ libertati matrimonij fauere volentia omnes conditiones huic libertati modo aliquo repugnantes reiiciunt, & pro non appositis iudicant. Et non est negandum ea conditione intimidari contrahentes quoad matrimonium, quod omnino liberum esse debet iuxta caput, *Gemma mulier. de sponsalibus.* Secundò, quia hic casus decisus est in *l. Filia sua*, *ff. de condit. & demonstr. & in l. Cum tale*, §. *si arbitratu*, ibi. *Si arbitratu Lucij Titij filia mea Sempronio nupserit, remittendam esse, seu pro non apposita censendam conditionem.* Vnde si talis conditio pro non apposita censenda est, ea nubente, sine tali arbitratu, & licentia, legatum consequetur, ne nuptiis impedimentum afferatur.

Filius cui legatum relinquitur, vt contrahat de consensu patris nõ amittit legatum si sine eo consensu contrahat.

Henriq.
Gamma.
Costa.
Sanch.
Molin.
Theol.
Rodrig.
Syluest.
Menchac.

7. Non erit tamen reiicienda, sed firma, & valida habenda conditio, si dicat, vt cum consilio, vel de consilio patris, vel certæ, ac designatæ personæ filia nubat vel legataria, aut filius, vel legatarius matrimonium contrahat, quia tunc solùm intelligitur, vt audito patris, vel personæ designatæ consilio matrimonium contrahant, quod consilium sequi non tenentur. Ita docet Molina Iurisconsultus, Henriquez, Sanchez, & Gamma,

Quid si relinquatur sub ea cõditione, vt de consilio patris cõtrahat.

&

Menchac. & Menchaca allegati *num. precedenti.* Et ratio est manifesta, quia consilium solùm requiritur, vt honestè contrahatur, & adhuc liberum relinquitur legatariæ, vt nubat cui voluerit, & sic hæc conditio simpliciter non est impeditiua matrimonij: nam quamuis saltem per aliquod tempus ex hac obligatione consilij petendi differatur matrimonium, non tamen ultra illam teneiunt, quia simpliciter matrimonij libertatem non impedit, vt optimè notat Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 35. Molin. Non est tamen hæc resolutio de re omnino indubitabili; quia contraria opinio, id est, quòd etiam hæc conditio de petendo consilio tanquam turpi, & impeditiua matrimonij reijcienda sit, acerrimè defenditur ab Emanuale à Costa in dicta *l. Cum tale*, §. *si arbitratu, à n.*12. vbi alios idem sentientes refert, at quod diximus, est tutius, & probabilius.

8\. *Quid si maioratus instituatur sub ea conditione, vt non nisi de cōsilio, aut consensu patris, vel designatæ personæ successor illius contrahat.* Molin. Si tamen testator in testamento, aut institutor maioratus in institutione dicat, vt non aliter nubat filia, vel filius contrahat, nec succedat in maioratu, aut legatum obtineat, nisi nupserit, vel contraxerit de consilio patris, vel alterius personæ designatæ, existimat Molina *de primog. dicto lib.* 2. *cap.* 13. *à num.* 15. *vsque ad* 39 & præcipuè *dict. num.* 39 tunc eam conditionem pro non apposita censendam esse, & tanquam turpem, inutilem, & impeditiuam matrimonij reijciendam, & sic posse nubere, & legatum, vel maioratum non amittere sine eo consilio nubentes contrahentesque. Computatur enim tunc hæc conditio cum illa prima de non nubendo, nisi de consensu parentum, quia tunc matrimonij libertas non ad tempus tantùm, sed simpliciter impeditur. Et idem docet etiam Abbas *in cap Ex parte, de const. num* 4 & Felinus *ibid. num.* 1. *col.* 3. *versiculo, Recipit prædicta conclusio.* Abbas. Felin.

9\. Valet etiam legatum sub ea conditione relictum, si nubat certo generi personarum nobili, quia præmio inuitat, & ad meliora compellit. Ita Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap* 6. *num.* 6. Item ne præmaturè contrahatur ante 25. annum iuxta eundem Henriquez *ibidem.* Henriq. Vnde conditio non reijcietur tanquam turpis & inutilis, & sic amittetur legatum si ante tempus à testatore præscriptum matrimonium contrahatur. Probat primò; quia leges ciuiles permittunt filiam maiorem 25. annis impunè nubere absque patris consensu, & metu pœnæ exhæredationis siue nubant dignis, siue indignis, modò non nubant mancipiis, vt constat ex Authentico, *Vt cum. de appellat. cognoscend.* & ex l. huius regni Lusitaniæ *titul.* 88. *lib.* 4 *noua recopil* & ex l 49. *Tauri* regni Castellæ. Vnde cum hæ leges iustæ sint, iusta quoque erit lex & conditio à testatore imposita, quæ præscribit ne ante 25. ætatis annum matrimonium contrahatur Secundò, quia hæc conditio non impedit matrimonium; sed differt illud ad tempus magis consonum, & in quo homines maturiori iudicio pollent, nec restringit voluntatem contrahentium ad certas personas; sed ad certum tempus. Tertiò, quia vnusquisque potest ponere in suis contractibus & testamentis omnes conditiones, quas voluerit, modò illæ sint licitæ, & honestæ; huiusmodi autem conditio licita, & honesta est, quia ad licitum, & honestum finem, & maximè rationi consentaneum tendit. Quid enim magis licitum, & honestum esse potest, aut rationi consentaneum, quàm vt iuuenes, & adolescentulæ matura ætate contrahant? Hanc opinionem non impugno, quia rationabililis videtur, licet non desint rationes quibus impugnari possit.

10\. Ratione reuerentiæ paternæ, vt alibi diximus, peccant lethaliter filij qui parentes iniuriosè percutiunt grauiter, vel leuiter, & tenentur hanc specialem circumstantiam in confessione aperire. Ita Nauarr. *in manuali Lat. cap.* 14. *num.* 13. Toletus *lib.* 5. *summa, cap.* 5. *num.* 7. Richard. *in* 3. *dist.* 37. Alexand. *in* 3. *part. de quarto præcepto.* Nauar. Tolet. Richard. Alexand. Idem est dicendum, si contumeliosis verbis ad iracundiam patres notabilem prouocent iuxta hos Doctores. Secus si verba ex se non sint talia; sed quia pater extra modum iracundus est, ea tanquam iniuriosa accipit, & inde occasionem irascendi accipit: tunc enim solùm veniale erit iuxta Toletum allegatum. Nunquam tamen licitum est, parentes percutere, nisi te cum moderamine inculpatæ tutelæ à morte, quam ille tibi inferre intentat, defendas: tunc enim licitum est ipsos etiam parentes occidere, & contra illos arma capere, quia vim vi repellere iure naturali licet. Imò & contra illos & fratres, & propinquos arma capere, & pugnare vsque ad occisionem licet, item ad defendendum Regem, patriam, fidem, & templum. Ita Azor. *tom.* 2. *cap.* 11. *quæst.* 10. Azor.

11\. Mortiferè etiam peccant filij, qui parentes suos dedignantur, & ratione paupertatis contemnunt. Cum tamen filius est in aliqua dignitate constitutus, parentes verò humiles, & abiecti, & ex recognitione parentum sibi alioquod notabile damnum timent, vel in vita, vel in honore, vel in fama, vel pecunia, non erit peccatum mortale illos, absque contemptu exteriùs negare, modò eos interiùs venerentur, & illorum necessitatibus opem ferant. Ita Toletus *lib.* 5. *summæ, cap.* 5. *num.* 7. Nauarrus *in manual. Latin. cap.* 14. *num.* 13. allegatus *versu* 8. quòd maximè locum habet, quando expressè parentes consentiunt. Tolet. Nauar.

12\. *In quibus casibus licitum sit filijs parentes accusare.* Peccant similiter filij mortiferè, qui patrem accusant in criminali foro, nec in eodem audiuntur contra parentes; licitum tamen est filiis coram iudice sæculari, & ciuili petere alimenta, quando iniustè à patre denegantur; vt docet Toletus *lib.* 5. *summa, cap.* 1. *num* 8. Tolet. & praxis communis tribunalium, tenentque communiter Doctores, Syluest. *verbo, Filius*, §. 28. Toletus citatus, Richardus *in* 3. *dist.* 13. Syluest. Richard. & nos satis iam diximus alibi. Excipe tamen crimen hæresis, vel proditionis patriæ, Principis, Reipublicæ; in his enim duobus criminibus tantùm læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ poterunt filij criminaliter accusare parentes in iudicio licitè & iustè. Ita Toletus & Syluester *locis allegatis*, & Nauarrus *in manuali Latin. cap.* 14. *num.* 13. *versu, Septimò*, & Decius *in cap.* 1. *num.* 7. *de officio delegati.* Syluest. Nauar. Decius. Et patet ex argumento legis, *Minime. ff. de Religione & sumptib. funerum.* & Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *instit. moralium cap.* 2. & alij inter quos est Simancas *de catholic. instit. titul.* 27. *numero* 35. Azor. Simanc. Sed de hac re satis egimus libro & præcepto primo.

13\. *An ob hæresim teneantur filij parentes accusare.* Dixi consultò, & aduertenter, licitum esse filiis parentes accusare in his duobus casibus hæresis, & proditionis Principis, læsæve maiestatis diuinæ, & humanæ, & non dixi, *teneri illos accusare:* quia res est valde dubia, an teneantur. Circa quam bipartitò diuiditur opinio. Prima docet licitum id esse filiis, non tamen teneri in conscientia parentes accusare. Secunda docet teneri. Vera

reso

resolutio sit non de omni hæresi teneri filios catholicos parentes hæreticos accusare: sed de illa tantùm, quæ aliis nociua est, & quæ alios inficit. Vnde si hæresis secreta sit, & solùm ipsi patenti nociua, non tenentur filij catholici parentes accusare. Ita docet expressè Toletus *lib. 5. summa cap. 1. versu, Rursus accusare.* Alexander 3. *part. quæst. 33.* & hanc tenet etiam Simancas *de cathol. Instit. dicto tit. 29. à num. 35.* Et ratio est, quia naturalis ratio dictat commune bonum præponendum esse proprio, & particulari, hæresis autem multos inficiens communi bono aduersatur; à Rege autem, Principe, vel Republica multorum salus pendet, vnde lege naturali charitatis tenemur communem patriæ salutem nostræ priuatæ anteponere, idque docet natura ipsa, quæ partem corporis veluti manum, vel brachium exponit periculis, ne caput, & totum corpus pereat: Idem dicendum de patribus erga filios, & de fratribus erga fratres, & de aliis propinquis.

Tolet.
Alexand.
Simanc.

CAPVT V

Vtrùm filius adulterinus teneatur matri credere, vel suppositus, vt hæreditatem legitimis restituat.

SVMMARIVM.

Explicatur status quæstionis. num. 1.

Refertur prima opinio affirmans teneri filium suppositum, & adulterinum matri credere, vt hæreditatem legitimis dimittat. num. 2.

Astruitur secunda opinio verior negans. num. 3.

An mater quando est infamata saltem in hora mortis teneatur se manifestare filio illegitimo, vt hæreditatem legitimis dimittat. num. 4. *An filius teneatur matri tunc credere.* ibid. & num. 3. *Quid si aliquando se illegitimum reputauit.* ibid.

Fama non est pecunia compensabilis. num. 5. & 15.

Ius naturale, aut diuinum non obligant ad restitutionem boni temporalis, cum periculo solius famæ, aut solius vitæ. num. 6. 7.

Prædicator tenetur prædicare impio auditori cum vita etiam periculo. num. 8.

Adultera tenetur legitimis tertiam bonorum partem relinquere, vt si meliori modo, quo potest, illis satisfaciat. num. 9.

Tenetur suadere filio illegitimo, & adulterino, vt religionem incapacem bonorum ingrediatur. numero 10.

Si mater se filio adulterino manifestauit, & ille ei credat, tenetur hæreditatem legitimis dimittere. num. 11. *Ille tamen non tenetur ei credere.* numero 3. & 4.

An adultera ne filijs legitimis noceat, si iam de adulterio erat infamata, teneatur se manifestare si filium ex adulterio suscepit. num. 12.

Tenetur se manifestare cessante periculo famæ, & vitæ si credat quòd filius ei sit crediturus, & hæreditatem legitimis relicturus. num. 13.

Illegitimus possidens bona fide legitimam, vel maioratum, 30. annis, habet ius præscriptionis. numero 14.

Quid si legitima restituenda legitimis sit illustris maioratus, comitatus, aut regnum, & fama adultera, non ita grauis. num. 15.

Filius illegitimus natus in figura matrimonij, an teneatur petere dispensationem vt sacris ordinetur. num. 16.

1\. VT clatiùs procedamus, suppono mulierem coniugatam finxisse sibi partum filij, quem secretò ab alia muliere siue coniugata, siue non coniugata accepit: suppono etiam mulierem coniugatam ex adulterio filium sucepisse: quæro modo vtrùm teneatur rem filio supposito, vel ex adulterio suscepto manifestare, ne illi hæreditatem legitimorum accipiant.

2\. Et hac de re bipartita est opinio. Prima docet teneri huiusmodi mulierem cum periculo etiam mortis, & famæ rem manifestare, ne præiudicium inferatur filiis legitimis. Ita docet Adrianus *de rest. quæst. 1. dubio 1. & in 1. Quodlibeto 3. in responsione ad 2. argumentum*, & Paludan. *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 1.* & Maior. *in eodem 4. dist. 15. quæst. 13.* Probant primò, quia fama est pretio æstimabilis, & ideo quando aliter restitui non potest; aliqua pecunia iubetur compensari. Ergo non obstante metu famæ amittendæ, tenetur adultera rem manifestare, ne filius illegitimus & adulterinus in pecunia, bonis, & legitima præiudicium afferat legitimis; & ideo hanc opinionem debent etiam sustinere omnes authores qui dicunt famam esse pretio æstimabilem, & hi sunt præter allegatos, Sotus *lib. 4. de inst. quæst. 6. artic. 3.* & alij multi. Secundò, quia omni iure naturali, & diuino tenentur damnificantes satisfacere læsis, & fures res furtiuas dominis restituere; sed id ad quod iure naturæ tenemur, & diuino, non est propter vitæ periculum, & famæ relinquendum, nam pro effugienda morte, non licet pauperi furari à diuite, seclusa extrema necessitate. Tertiò, quia si quis falsum testimonium contra aliquem innocentem in iudicio diceret, teneretur illud in eodem iudicio retractare, non obstante quòd ipsemet maneat infamatus, imò & quòd pœna talionis puniatur, vt probat Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 6 ad 4.* Quartò, quia homo læsus potest famam suam repetere in iudicio quamuis sciat ablatorem illius esse grandi pecunia multandum, imò & vita puniendum. Quintò, quia prædicator tenetur veritatem impio prædicare, quamuis sciat mortem sibi euenturam, & iactutam famæ, & quamuis intelligat impium sibi minimè crediturum: ergo etiam illa mulier tenebitur veritatem filio illegitimo, vel supposito dicere, quamuis sciat illum sibi minimè crediturum; & quamuis inde famam amittat.

Adrian.
Palud.
Maior.
Sotus.

3\. Secunda opinio verior, & tenenda, docet mulierem hanc non teneri in conscientia non solùm cum periculo vitæ, & famæ simul, sed nec etiam cum solo periculo vitæ, aut solius famæ crimen suum manifestare, quamuis noceat aliis filiis legitimis, aut hæredibus mariti. Ita expressè Nauar. *in manuali Latino cap. 16. num 43. & 44.* Gutierrez *lib. 1. quæst. canon. cap. 68. num. 15.* Couarruuias *regula, peccatum, initio num. 3.* & præcipuè *num. 50. versu 4* Caietan. *2. 2. quæst. 62. artic. 6* Castro *de potest. legis pœnalis lib. 2. cap. 11. versu, ob hanc causam.* Syluest. *verbo, Adult. q. 1.* Antonius Gomez, Innocentius, & Abbas quamuis hi tres posteriores authores loquantur solùm de eo casu, in quo periculum mortis sequitur. Henriquez *lib 11. de matrim cap. 21. num. 3.* & alij, quos citat Henriquez. Probatur ex triplici fundamento. Primò, quia filij illegitimi matri credere non tenentur affirmanti illos non esse legitimos;

Nauar.
Gutier.
Couar.
Caiet.
Castro.
Syluest.
Ant. Gom.
Henriq.

gitimos; ergo nec illa tenetur se manifestare cum talis manifestatio non sit profutura. Sic correctio fraterna non obligat, cessante spe correctionis; nec inde speratur bonum, sed manifesta tantùm infamatio sui ipsius. Secundò, quia si teneretur se manifestare, esset ratione restitutionis legitimæ, quam tenetur facere, vel aliis filiis legitimis, vel hæredibus mariti; sed in materia restitutionis hæc regula est verissima; quam probat Gutierres citatus *num.* 10. nunquam aliquem teneri ad restitutionem si maius damnum inde sibi sequatur, quàm sit bonum, quod ex tali restitutione aduenit personæ, cui restitutio fit; eo enim euentu debet dominus rei secundùm regulas charitatis, velle, ne sua res cum grauissimo damno alterius sibi restituatur; at omnia bona temporalia, sunt res modicæ comparatione famæ proximi, imò sunt res inferioris ordinis, vt statim patebit, & si hoc non vult, est omnino irrationabilis. Tertiò, quia nemo tenetur restituere pecuniam, & res inferioris ordinis cum detrimento famæ. vt probat Caietanus 2 2 *quæst.* 62. *artic.* 6 & Sotus *lib.* 4 *de iustit. quæst.* 6 *art.* 3 *ad* 4. *pag.* 333 & Nauarrus *in manuali Latino cap.* 17. *num.* 18. pecunia autem, & bona temporalia res sunt ordinis inferioris, fama verò superioris; ergo intentum.

Caiet.
Sotus.
Nauar.

4. Et hæc opinio procedit etiam in mortis articulo; nam quando mater non est diffamata, nec etiam in articulo mortis tenetur se manifestare filio illegitimo, nisi in eo casu, quo credit se profuturam, ratò autem euenire poterit, vt firmiter hoc credat, cum filius ei non teneatur credere. Vnde, vt optimè notat Henriquez *de matrimon. cap.* 21. *num.* 3. *medio. Perpendat hoc confessarius ne vltra modum compellat matrem ad hanc manifestationem; quia illa vix tenetur hoc facere propter spem parum probabilem, nec detegere crimen adulterij cum magno sui honoris detrimento etiam in hora mortis:* vnde Nauarrus *consil.* 1. *tit.* 18. *de filijs presbyter.* ita dicit; *filius non tenetur credere matri dicenti sibi esse illegitimum cum natus sit in figura matrimonij, & se debet reputare legitimum ex publica opinione ex fauore legis, filium. ff. qui sunt sui iuris, & addit, & ego si talis essem, ita facerem;* & idem repetit *cap.* 27. *num.* 201 & idem docet etiam Couarruuias 2. *part. sponsal cap* 8. § 3 *num* 8. & Angelus *verbo, Adulterium,* §. 5. & Syluester *ibidem* § 2. imo addit Henriquez citatus *num* 2. & Nauarrus non teneri ei credere, quamuis forte aliquot annis reputauerit se illegitimum; quia habet ius ad possessionem, & bonum nomen ex publica fama, & æstimatione, quæ plurimum in hac re probat, ac subinde habet ius ad bona etiam maioratus; quæ legitimo filio debentur, & & ita docet Menochius de arbitris iudic. *lib.* 11. *centur.* 1. *casu* 89. *num.* 27. ibi: *non tenetur filius matri credere etiam si mater affirmet filium illum non esse ex proprio marito generatum; nec enim hæc matris assertio filio detrimentum aliquod afferre potest* ita Glossa *in l. etiam. de probat. & in l. vltima. ff. eodem.* & Bartholus *in l. filium, ff de his qui sunt sui, vel alieni iuris,* & Cardinalis Paleotus *de nothis & spurijs cap.* 24. Hæc Menochius.

Henriq.
Nauar.
Couar.
Angel.
Syluest.
Menoch.
Glossa.
Barthol.
Cardin.

5. Ad argumenta primæ opinionis respondeo. Ad primum dico, famam non esse pretio æstimabilem, nec pecunia compensabilem; iubetur tamen aliquando pecunia compensari, non quòd natura sua sit vendibilis, aut illa compensabilis; sed quia aliter restitutio fieri non potest. Qua etiam ratione pro vita iubent leges ciuiles fieri compensationem, vt patet ex *l.* 1. §. 1. *& ex l. finali. ff. de his qui deiecerunt.* Nec tamen ob id dicunt contrarij authores vitam esse vendibilem, eiusdémve ordinis cum pecuniâ; nam pecunia non datur pro pretio famæ, vel vitæ, quia cum hæ sint superioris ordinis, nullum habent pretium, imò excedunt omnem æstimationem; sed datur pro reparatione damni inde secuti, & mutilato aliquo membro datur aliqua pecunia non pro pretio mutilationis, caret enim omni pretio; sed pro damno, quod ex tali mutilatione sequitur. Sic etiam confessarij iis qui constituti sunt in omni impossibilitate ad debita soluenda, iubent, vt saltem pro creditoribus suis orent, non quòd debitum temporale orationibus compensetur, sed aliqualis compensatio fiat, vt fieri potest.

Ad secundum respondeo, nec ius naturale, nec diuinum obligare cum vitæ periculo, aut famæ, ad restitutionem, quando secundùm regulas prudentiæ iniustè, & iniuriosè, seu inuito domino, res aliena retinetur, non verò quando ex debito, & rationabili consensu domini saltem tacito. Vnde mater ad eas angustias redacta ex tacito consensu filiorum legitimorum, & hæredum mariti, si non expresso, saltem interpretatiuè tacito, & secundùm regulas prudentiæ, & charitatis habito, est in causa damni, nam etsi filij legitimi id expressè nolint & sint inuiti, tamen irrationabiliter sunt inuiti; tenetur enim vnusquisque proximus in ea circunstantia velle potius re sua temporali carere, quàm proximus fama sua, & vita, cum illæ altioris sint ordinis, & nullam æstimationem recipiant; & si id nolunt, irrationabiles sunt. Ad confirmationem dico, si pauper sit in extrema necessitate, licitum esse mihi si non habeam vnde subueniam, à diuite furari, vt illi opem feram, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, saltem quod vsum. 6.

Ad tertium dico, esse diuersam vtrobique rationem, nam iurans falsum contra innocentem, eum læsit in fama, in nostro autem casu læsio, non est in fama; sed in bonis temporalibus, & in patrimonio, & legitima inferioris ordinis. Ad id quod addebatur in quarto; respondeo esse etiam diuersam rationem; nam in eo casu iustè ad mortem ille per authoritatem iustitiæ damnabitur, qui alium iniustè infamauit: at in nostro casu maritus adulteræ si illa se manifestauerit, eam occidet authoritate priuata quod nunquam est licitum; sic etiam optimè respondet Gutier. *lib.* 1. *quæst. canon. cap.* 58. *num.* 24 7.

Gutier.

Ad vltimum respondeo esse etiam diuersam rationem, quia impius auditor tenetur prædicatori credere; at filius non tenetur in eo casu matri credere; vnde prædicator tenetur illi prædicare cum vitæ etiam periculo. Deinde ille qui retractat dictum suum, vt famam proximo restituat, seque ideo infamat, non infert sibi maius damnũ, quàm alteri dederit, sed tantum perdit, quantum damnum dedit; si enim famam perdit, famam abstulit, & ideo siue speret alios credituros, siue non speret, tenetur forte famam alteri restituere, quamuis ob id se infamet. Vnde non est mirum quòd ille, qui cum pluribus malitiosè infamauit alium, teneatur in conscientia cum periculo etiam famæ propriæ se publicè retractare, licet credat sibi non esse habendam fidem. Ita etiam respondet Gutierrez allegatus *num.* 24. §. *Ad* 4. At quamuis ille ita respondeat, mihi tamen in eo 8.

Gutier.

casu

casu videtur non teneri se retractare, cum inde nullus fructus speratur, & sicut cessat præceptum diuinum, & naturale fraternæ correctionis, quando non speratur emendatio, sic per accidens videtur suspendi, & ad tempus cessare præceptum diuinum & naturale restitutionis famæ, quando ex eo quod quis se retractet, vel publicè, vel secretò, sibi fides non erit babenda; non enim tunc restituet famam, sed renouabit infamiam, forte iam consopitam, & obliteratam.

9. Hæc quamuis vera sint, tenetur tamen adultera secreto, & meliori modo, quo potuerit satisfacere competenter absque sui manifestatione damnum filiis legitimis illatum, & ideo si tertiam bonorum partem babeat, aut bona aliunde acquisita, tenetur ea aliis filiis legitimis relinquere, & ex ea reficere quantum potest, damnum illis à se illatum. Ita communiter Doctores pro hac opinione citati *num.* 3. Guttierr. allegatus *lib.* 1. *quæst. can. cap.* 38. *num.* 28. Henriq. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 21. *num.* 3. Nauar. *in manual. Lat. cap.* 16. & *cap.* 17. *num.* 201. Corduba *in summ. quæst.* 102. & alij communiter, & Couar. citatus *num.* 3.

Guttier.
Henriq.
Nauar.
Cordub.

10. Deinde tenetur suadere filio illegitimo, vt eam religionem ingrediatur, in qua professus, non succedat in bonis, vt sic saltem quoad possit restitutionem faciat, & boc illi confessarius debet iniungere; ad hoc tamen mater non tenetur ex iustitia; sed ex charitate, vt animaduertit Henriquez modò allegatus, quia furtè illegitimus, nec vires, nec aptam indolem, nec vocationem Dei habet ad religionem ingrediendam, ac profitendam.

11. Si tamen mater se manifestauerit filio illegitimo, ad quod (vt diximus) non tenentur, & tot vrgeant coniecturæ, vt ille indubitanter credat se esse illegitimum, tenetur hæreditatem aliis, & maioratum restituere; stultè tamen faciet id credendo. Ita Nauarrus *in manual. Lat. cap* 17. *num* 48. & Henriquez allegatus *num.* 2. vt si mater post crimen commissum facta sit probatæ vitæ, & religionem ingrediatur, & mortis tempore iuset illum non esse legitimum; adhuc tamen filius illi non tenetur credere cum natus sit in figura matrimonij, & se tueatur fama publica, quæ debet præualere famæ, & notitiæ particulari *l. Filium, ff. qui sunt sui iur.* Angel. *verbo, Adulterium*. §. 5. Syluest. *ibi* §. 2. Medina *lib.* 1. *instruct. cap.* 14. §. 18. *num.* 33 Sotus *lib.* 4. *de iust. quæst.* 7. *artic.* 2. *ad* 2. *in fine*. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 201. Couar. 2. *part. sponsal. cap.* 8 §. 3. *num.* 8. & in simili casu in Clementina, *Si furiosus* 1. *part. init. num* 9. Anton. Gabr. *tom* 1. *opin.* 170. & *tom.* 2. *tit. de præsumpt. can.* 14. & optimè Nauar. *consil.* 1. *tit.* 18. *de filys presbyter.* vbi dicit. *Si ego essem, ita facerem*, id est, *non crederem*. Si tamen aliunde fama etiam publica sit se non esse legitimum, & tot vrgeant coniecturæ, vt rem ferè indubitabilem efficiant, tenetur ex iustitia hæreditatem legitimis dimittere, si tunc testimonium matris accedat.

Nauarr.
Henriq.

Fama publica præualet peculiari.
Angel.
Syluest.
Medin.
Sotus.
Nauar.
Couar.
Ant Gabr.
Nauar.

12. Vnde dubium est, an hæc mulier teneatur, se manifestare, si iam erat adulterij infamata, suppositionis, & ficti partus, & credat etiam se sine periculo mortis id reuelare posse, & quod maritus, & filius illegitimus ei fidem habituri sint. Respond. in hoc casu teneri. Ita docet expressè Nauar. *in manual. Lat. cap.* 16. *num* 45. & Couar. *regul. peccatum, initio, num.* 6. & Guttier. *dict. lib* 1. *quæst. canon. cap.* 38. *num.* 28. imò 26. Et ratio est manifesta, nam concurrentibus prædictis omnibus circunstantiis nulla datur causa ob quam illam possimus excusare; cessat enim periculum mortis, & alioquin illa famam iam amiserat, ac proinde cessat periculum famæ amittendæ, & ratio fidei sibi non babendæ, si quidem credit sibi alios credituros, cur ergo non obligabitur? profectò nullum video principium, nullam rationem ob quam illam possimus excusare in his circunstantiis.

Nauar.
Couar.
Guttier.

13. Si tamen illegitimus ex errore facti putans se legitimum possedit bona fide; ea bona triginta annis, quamuis postea constet se esse illegitimum, potest ea retinere tuta conscientia iure præscriptionis; babetque ius excipiendi contra hæredem, qui bona peteret. Ita docet expressè Henriquez *dict. lib.* 11. *de matrim. cap.* 21. *num.* 2. *fine*, his iisdem verbis bic appositis. Angel. *verbo, Adulterium*, §. 6. & omnes, qui agunt de titulo præscriptionis cum bona fide.

Quid si illegitimus bona fide possedit legitimã, vel maioratũ 30. annis & postea sibi constet se nõ esse illegitimum.
Henriq.
Angel.

14. Imò idem dicendum est iuxta bos authores si mater credat filium propter nimiam probitatem, fidémque, quam de se conceptam habet sibi statim crediturum, & bæreditatem aliis, vel maioratum relicturum; tunc enim tenetur etiam illa id filio secretò reuelare, ita communiter omnes, modò cesset periculum famæ vel vitæ.

15. Dubium bîc insurgit graue. An quando maius est dispendium, quod filiis legitimis, vel cuilibet alteri tertio, adueniat ex occultatione criminis, quàm sit damnum famæ ipsius matris, v. c. si bonum restituendum, sit illustris maioratus, regnum, ducatus, comitatus, vel alia hæreditas magni momenti; teneatur mater se manifestare cum sola iactura famæ. Et certè in boc puncto non desunt autbores, qui existiment teneri matrem se manifestare cum solo periculo famæ, secluso periculo vitæ. Ita tenet expressè Couar. *regul. peccatum, initio, num.* 6. *versic, Sed si*, Sotus *lib.* 4. *de instit. quæst.* 6. *art.* 6. *in resp. ad* 1. & *q.* 7. *art.* 2. *in responsione ad* 4. & omnes citati pro prima opinione, qui dicunt comparandam esse æstimationem famæ cum æstimatione debiti, & legitimæ, famamque pecunia esse compensabilem, & si valor debiti excedat valorem famæ, obligandam esse adulteram ad se prodendam cum solius famæ & non vitæ periculo. Sed omnino tenendum est, nec etiam cum solius famæ periculo teneri adulteram se manifestare; licet maioratus, & regnum excedat multis partibus valorem famæ illius. Ita tenet expressè Caietanus 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. Nauar. *in manual. Latin. cap.* 16. *num* 49. Guttierrez *lib.* 1 *quæst. canon. cap.* 38. *n.* 27. § *Est tamen declaratio*. Et ratio est, quia fama cum sit bonum superioris ordinis, nullam recipit æstimationem, aut compensationem, sicut nec vita illam recipit iuxta illud Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum quam diuitia multa*, & iuxta Ecclesiast. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi.* Deinde, quia filij illegitimi non tenentur matri credere se manifestanti, vt est communis opinio, quam docet Guttierrez citatus *num.* 3. Abbas *in cap. Officij*, *num* 4. Barthol. *in l. Filius, ff. de his qui sunt sui iur.* Couar. *in regul. peccatum, n* 6. §. 2. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centuria* 1. *casu* 89. *n.* 27. vbi multos allegat Nauarr. *cap.* 27. *num.* 201. ergo illa non tenetur se manifestare, nec etiam in eo casu, quo valor hæreditatis excedat valorem famæ, & ideo nec confessarij in conscientia eam obligare poterunt ad se manifestandam, nisi tamen veritas adulterij tam clara sit, & euidens, &

Quid si maioratus sit regnum.

Couar.
Sotus.

Caiet.
Nauar.
Guttier.

Guttier.
Abbas.
Barth.
Couar.
Menoch.
Nauar.

& illa tam infamata de illo, vt nulla tergiuersatione celari posset.

16. Hoc patet etiam, illum filium illegitimum, qui natus est in figura matrimonij, & se fama ac honore publico tuetur, bona fide putans se esse legitimum, posse ordinari sacris absque alia dispensatione, quamuis mater ei affirmet se esse illegitimum, quia neminem fraudat, & vtitur iure suo. Ita docet expresse Henriquez *lib. 11. de matrimon. cap. 21. num. 2.* Nauar. *cap. 27. in summa Lat. num.* 201. & Henriquez citat etiam ad marginem *litera H.* Couar. *in Clementina, si furiosus,* & Maiolus *lib. 1. de irregular. cap.* 10. si tamen matri credit (quod non tenetur facere) tunc iam est in mala fide, & tenetur petere dispensationem illegitimitatis, quæ facilè sibi concedetur, & sine illa ordinari non poterit, vt docet Nauarrus hîc.

Filius illegitimus natus in figura matrimonij potest ordinari sacris absque dispensatione.
Henriq.
Nauar.
Couar.
Maiolus.

Capvt VI.

Vtrùm aliquis teneatur solutæ credere quando affirmat ex ipso peperisse, & an adulter teneatur reficere damnum maiorato, ac legitimis filijs ex adulterio secuto.

Svmmarivm.

Adulter qui ex aliena vxore filios suscepit, non tenetur ad restitutionem filijs legitimis, nec alimenta propriorum, nisi ei certò constet prolem esse suam. num. 1.

Non sibi id constare potest, quandiu habet probabilem rationem dubitandi, an sit sua, & in quibus casibus illam possit habere. num. 2.

Quid si mulier soluta, vel adultera cum duobus conuersetur, & de facie vnius constet indicium prolis. num. 3.

Quid si maior sit probabilitas prolem esse suam, quàm non suam. num. 4.

Si adulter, vel solutus, nullam habeat rationem dubitandi, quod proles sit sua, tenetur restituere alimenta illius à triennio, & vltra. numero 5.

An adulter teneatur restituere damnum legitima filijs legitimis, quando agnoscit prolem esse suam, & nullam habet rationem dubitandi de contrario, si non fuit author, vel consultor suppositionis pro legitima. Refertur opinio negans. numero 6. & 7.

Astruitur opinio affirmans teneri etiamsi non fuerit author, nec suasor talis suppositionis, & impostura. num. 8.

Tenetur in defectu adultera. num. 8. & 9. *Quid si vterque tam adulter, quàm adultera in eam suppositionem conuenerunt.* num. 9.

An adultera, testamentum faciens, possit sine mendacio eos filios in eo nominare. num. 10.

1. Dico primò. Adulter qui ex aliena vxore filios suscepit, non tenetur ad vllam restitutionem, vel compensationem faciendam pro alimento, & legitima, imò nec pro maioratu aliorum filiorum ex legitimo toro, nisi ei certò, euidenter, & moraliter constet prolem esse suam; non constat autem id certò & moraliter, nec constare potest, quandiu probabilem habet rationem dubitandi de contrario. Ita Lessius *lib. 2. de iniurys per stuprum, & adulterium, cap. 10. dub. 6. num. 39. tom. 1. de instit.* Sotus *lib. 4. de iustit. quæst. 7. art. 2. versu, Sed molestior.* Nauarrus *in manuali Latin. cap. 16. num.* 48. & 49. Guttierrez *lib. 1. quæst. canon. quæst. 38. num. 37.* Corduba *quæst. 31. dicto 4. in fine.* Henriquez *lib. 11. de matrimon cap 21. num. 3.* & facit pro hac parte *caput, Graue, 11. quæst. 3. & caput, Dominus, de secundis nuptijs.* Ratio est, quia in dubio, in materia de iustitia, & restitutione, melior est conditio bona fide possidentis, & nemo tenetur aliquid restituere, & re sua se priuare, nisi ei certò, & moraliter constet, non esse suam: non potest autem ei certò, & moraliter constare prolem non esse suam, quandiu habet probabilem rationem dubitandi de contrario: fieri enim tunc potest, vt quis probabiliter credat prolem esse suam & non esse suam: quo casu beatus, qui possidet, iuxta prædictos authores.

Lessius.
Sotus.
Nauar.
Gutier.
Cordub.
Henriq.

Tandiu autem habet probabilem rationem dubitandi, an proles sit sua, atque adeo se excusandi à restitutione, quandiu fundatur in leuitate adulteræ in sinistra fama illius, vt si cum alio adulterium etiam commisit, vel si illa quoque dubitet an filius ex marito sit, an ex adultero, & quandiu iustè credit mulierem sibi mentiri, v. c. quia adulter est homo pecuniosus, illáque vult illius pecuniis, & diuitiis insidiari; aut quia vna tantùm vice ad illam accessit, & maritus sæpe, vel alius à marito, vt expressit Henriquez *lib 11. de matrimon cap 21. num. 3.* tunc enim ad nihilum tenetur. Ita etiam Guttierrex, & Corduba citati, & Nauarrus *in manual. Latino cap. 16. num.* 48. & 49. ibi: *Adulter non tenetur credere prolem esse suam, quando mater est leuis, & soluta cum alys adulterari; vel quando illamet dubitat vtrùm filius huius, aut mariti sit;* hæc ille. 2.

Henriq.
Guttier.
Cordub.
Nauar.

Ex hoc fundamento, si soluta mulier cum duobus conuersetur, neuter eorum tenetur credere prolem esse suam; imò licet Titius suam esse credat, quod de facie constet indicium, & Sempronius eam suscipiat, dotet, nutriat, & ditet, non tenetur Titius eam suscipere, quando quidem Sempronius vel sua leuitate, vel mulieris impostura deceptus est. Sic expresse Sotus *lib. 4. de iust. quæst. 7. art. 2. versu, Sed molestior.* Idem dicendum, si adultera coniugata cum duobus itidem conuersetur. Et ratio est, quia constat illam alium etiam admisisse, & tu non teneris adulteræ, aut solutæ credere tibi affirmanti, & iuranti prolem esse tuam; si quidem nec filij ei teneotur credere sibi affirmanti non esse legitimos, vt suprà probauimus *cap. præced. num.* 3. & *num.* 4 Et ratio adhuc est, quia tu nec auxilium nec consilium dedisti adulteræ, vel solutæ, vt prolem alteri accommodaret; iam verò si soluta, vel adultera modò vni, modò alteri dixerit prolem esse suam; in hoc casu, etiamsi de facie vnius constet, neuter illorum tenetur credere prolem esse suam, iam enim habet probabilem rationem dubitandi an sit sua, fundatam, ac stabilitam in leuitate, & inconstantia ipsius adulteræ, vel solutæ. Ita Lessius *tom. 1. de inst. lib. 2. de iniurys per stuprum, & adulterium, cap. 10 dub. 6. num. 39.* & colligitur ex Nauarro *in manuali Lat. cap. 16. num.* 48. & 49. quia iam mater leuis est, & inconstans, & solita cum aliis adulterari; nam 3.

Quid si adultera cũ duobus conuersetur, & de facie vnius cõstet, & alter prolem suscipiat, & dotet.
Sotus.
Lessius.
Nauar.

Gloss. Menoch. Paris. Vallasc.

ex oris similitudine leuissima coniectura, & indicium desumi potest, & pene nullum, cum ex imaginatione & aliis causis oriri possit, vt docet Glossa *in l. Quaret aliquis, ff. de verbor. signif.* & Menochius *de arbitr. casu* 89. *num.* 98. Parisius *lib.* 2. *consil.* 10. *num.* 18. & Vallaseus *tom.* 2. *consult.* 177. *num.* 14.

4. Si tamen pensatis rebus omnibus maior sit probabilitas, quam vnus habet, quòd proles sit sua, quàm non sua, aduc crediderim ad nihilum teneri, quia re vera babet adhuc probabilem rationem dubitandi an sit sua, & quandiu eam babet, non tenetur eam acceptare pro sua, vt iam diximus: ad sedandos tamen scrupulos conscientiæ tantum deberet restituere, quanta probabilitas est quòd sit sua, quamuis de hoc nullam mentionem faciant authores, sed absolutè dicant neminem teneri ad aliquam restitutionem dum probabiliter dubitat, an proles sit sua.

Sotus.

5. Dico secundò. Si adulter, vel solutus agnoscat prolem esse suam, & nullam habeat iustam rationem dubitandi, an sit sua, tenetur restituere saltem ea quæ expensa sunt in alimentis prolis à tertio anno in posterum, quamuis non suaserit suppositionem, aut imputationem alteri factam. Hæc est contra Sotum *lib.* 4 *de iust. quæst.* 7. *artic.* 2. *versu, sed molestior*, & probabitur infrà *n.* 8. Dixi, *à tertio anno inposterum*, quia vsque ad tertium, renentur matres filios alere suis expensis, à triennio antem in posterum tenentur patres, vt suprà probauimus *cap.* 1. *num.* 5. ita colligitur *ex cap.* 2. *de conuers. infidel.* & probat glossa *ibi.*

Sotus. Henriq. Lessius.

6. Sed præcipua difficultas est, an adulter teneatur restituere damnum legitimis filiis in eo casu, quo prolem esse suam agnoscit, & nullam habet probabilem rationem dubitandi de contrario. Qua de re duplex est opinio suis authoribus stabilita, & suis rationibus fundata. Prima docet non teneri, modò non fuerit author imputationis. Nam si fraudis particeps fuit consulens aut suadens adulteræ vt filium spurium supponeret pro legitimo, renetur resarcire dãnum aliis filiis legitimis quando adultera non potest, aut non vult, modò ille possit sine periculo honoris proprij, vel famæ, & consequenter vitæ, quia consilio doloso fuit causa damni; quod proinde iure naturæ tenetur resarcire saltem in secondo loco in defectu matris prout potest, secus verò si non fuit author, consultor, aut suasor talis fraudis, & suppositionis. Ita docet expresè Sotus *lib.* 4. *de iust. quæst.* 7. *artic.* 2. *versu, sed molestior*, Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 25. *num.* 3. *litera Y.* & dicit probabilem Lessius *lib.* 2. *de iniurijs per adulterium, & stuprum tom.* 1. *de iust. cap.* 10. *dub.* 6. *num.* 42. Et fundamentum huius opinionis est. Primò, quia adulter non est verè causa damni proxima efficax, & per se, sed est causa remota; & per accidens, nec in adulterij commissione intendebat, vt adultera vteretur ea fraude, & suppositione, si ex illo adulterio filius nasceretur, nec consilium, aut auxilium ad eam fraudem perpetrandam dedit; sed solùm intendebat voluptatem suæ libidinis explere. Quare si consilium non dedit, nec authòr, nec suasor fuit talis suppositionis, non tenetur ad vllam restitutionem, dato autem eo consilio, & auxilio tenetur ad restitutionem, quia iniusta causa damni fuit per consilium fraudulentum. Secundò, quia si adultera, & coniugata procurare sibi aborsum inscien te adultero, non censeretur adulter causa homicidij, nisi illud suasisset. Ergo similiter non censebitur causa damni, eo quòd filius pro legitimo supponatur, nisi eam suppositionem, & imposturam suadeat.

7. Dices censeri causam, & authorem damni, quia coniugatam in eam necessitatem per adulterium adduxit, vt filium spurium pro legitimo supponeret marito. Respondeo non eam coniecisse in illam necessitatem nolentem, sed volentem; vnde ipsa sibi debet imputare, quod in eam necessitatem sit adducta, non enim per iniuriam, illam in eam coniecit, sed sponte, & voluntariè.

Guttier. Syluest. Cordub. Lessius. Nauar. Caiet. Palud. Angel.

8. Est probabilis ista opinio. Secunda tamen opinio probabilior, docet huiusmodi adulterum minimè dubitantem, an proles sit sua, teneri ad restitutionem pro expensis educationis à triennio, & vltra, & pro legitima aliis filiis legitimis, & debere ea damna restituere si vnde habet, vel ex tertia bonorum suorum parte, vel aliunde in defectu matris, siue fuerit author, & suasor talis impositionis, siue non fuerit. Ita tenet expresè Gutierrez *lib.* 1. *Quæstionum canon. cap* 38. *n.* 33. & Syluester *verbo, Adulterium num.* 7. *quæst.* 5. ibi: *Vtrùm adulter teneatur ad restitutionem damnorum, & expensarum, quæ maritus incurrit ex filio nato in adulterio, & dico quod sic secundum Archidiaconum, si hoc scit, aut verisimiliter credit prolem esse suam, & mater satisfacere non potest, adde tu, aut etiam non vult*, hæc ille. Corduba *in summa quæst.* 31. *dict.* 4 Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *de iniurijs per adulterium, & stuprum. dub.* 6. *à n.* 42. *&* 45. Nauar. *in manual. Lat. cap.* 16. *num.* 48. *&* 49. Caietan. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *ad.* 2. Palud *in* 4. *dist.* 15. Angelus *verbo, Adulter.* § 4 & alij Primò, quia non expedit in re tam nefaria fauere adulteris illósque excusare. Secundò, quia reuera ille adulter causa fuit iniusta iniusti damni, & damnum à parte rei datum fuit iniquo modo, & per iniuriam mariti committendo adulterium cum coniugata, vnde moraliter fuit causa efficax damni; de iure ergo naturali illud tenetur resarcire. Neque dici potest hoc damnum secutum fuisse ex adulterio per accidens, quia cum fraus impositionis sequatur ex adulterio, & ex illo damnum, inde est, qoòd volens adulterium, necessariò vult damnum, & fraudem impositionis; qui autem vult per fraudem damnum alteri dare, & de facto dat, tenetur illud restituere, nam actiu adulterij erat actio contra iustitiam, & ex illa ordinariè, & communiter loquendo sequitur fraus suppositionis; quare qui vult adulterium, necessariò vult effectum suppositionis, qui ex illo communiter resultat.

9. Dixi, *in defectu adulteræ*, quia si ea impositio, seu suppositio pro legitimo fiat à sola adultera, adultero id minimè consulente, vel suadente, tunc ea restitutio primò, & per se spectat ad adulteram, & in defectu illius, si non potest, vel non vult, ad ipsum adulterium; si autem adulter author, & suasor fuit imposturæ, ac suppositionis, tunc ad vtrumque immediatè, & æquè primò, & per se spectat talis restitutio, & ideo vnusquisque ad eam tenetur pro sua dimidietate. Sunt tamen aliqui, qui dicunt tunc quidem ipsum adulterum consultorem, & suasorem teneri primò ad prædictam restitutionem, matrem verò executricem talis consilij, teneri in defectum illius, in defectum verò matris teneri quemcumque alium executorem: sed id quidem verum est, quando illud damnum tertij non cedit in commodum vtriusque, consulentis scilicet, & exequentis; at hic, &

& nunc illud damnum resultans ex ea impostura filiis legitimis cedit in commodum vtriusque consulentis, & exsequentis. Vnde cum hîc, & nunc prædictum damnum cedat in commodum adulteræ, & adulteri, vterque pro sua dimidietate ad illud tenebitor; quando autem alter ob paupertatem non potest, aut non vult, tunc illorum quilibet ad totum damnum tenetur in defectu alterius.

10. Ad vltimum dubitant nonnolli, an adultera quæ ex adulterio filium suscepit, possit licitè in testameoto eum filium nominare cum illud facere non possit, nisi affinnando filium esse legitimum, & ex legitimo matrimonio natum; quod est iogens, & perniciosum mendacium legitimis nociuom; perniciosum autem mendacium nulla ratione cohonestari potest, & ideo ob nullam omomu tem est asserendum *cap. 1. 22. quæst. 2. cap super eo. de vsuris.* Dicendum tamen est posse id licitè facere, tum quia potest eos appellare filios, non vtendo legitimorum appellatione; tum quia sine mendacio potest eos legitimos appellare, mente subintelligendo, tales esse, communi existimatiooe; tum quia plurimum interest filiorum legitimutum posse eam testari, vt ex tertia bonorum sui ipsius parte eis restituat damnum datum per imposturam, vt patet, & ita docet Nauarius *in manuali Latino cap. 16. n. 48. versu, Interrogatus.* Nauar.

Capvt VII.

De obligatione mariti erga vxorem; & an coniux innocens possit propria authoritate debitum coniugi adultero negare.

Svmmarivm.

Extra casum necessitatis extremæ, vel quasi extremæ, potius tenetur vir vxori succurrere, quàm filiis, & parentibus. n. 1. Quid in extrema. ibid.

Quando possit, vel non possit vir vxorem à confessione impedire. num. 2.

Tenetur vir vxorem non vt servam, sed vt adiutricem & coæqualem tractare. num. 3.

Tenetur ei iniurias non inferre. num. 4.

Tenetur cum vxore cohabitare. num. 5.

Tenetur non solùm cum ea habitare in domo; sed etiam in toro & mensa. num. 6.

Possunt coniuges ad inuicem mutuo consensu separari quoad torum, & mensam. num. 7.

Quando vltra communem consensum voto ad id se adstringunt, ad quid tunc teneantur. num. 8. *Quid si vnus tantùm voueat altero insciente.* ibid.

An coniux qui altero insciente post matrimonium consummatum castitatem vouit, possit ad secundas nuptias transire. num 9.

Ad quid teneantur coniuges quando ambo voto castitatis se mutuo consensu obligarunt. num. 10.

Quibus casibus possit vir ab vxore abesse ea inuita. num. 11.

An maritus teneatur secum deferre vxorem si illa illum velit comitari, in iis casibus, in quibus ei licet ab ea, ea inuita, diuertere. num. 12.

Quam peregrinationem possit vir inuita vxore vouere. num. 13. An peregrinationem terræ sanctæ. ibid. versu, deinde, *& num. 14.*

An vnus coniux altero inuito possit habitum mutare, & indui vestibus tertii ordinis. num. 15.

An vota longæ peregrinationis, & abstinentiæ emissa ab vno coniuge altero insciente sint ipso iure irrita, an potius valida, donec ab altero irritentur. num. 16.

An coniux innocens possit licitè debitum negare, & propria authoritate separari a coniuge adultero. num. 17. Affirmandum. ibid.

Quid si tunc ei sub excommunicatione præcipiatur cum coniuge habitare. num. 18.

Coniux adulter non est ipso facto iure petendi priuatus, donec ab altero coniuge priuetur ei debitum negando. num. 19.

An coniux innocens ob adulterium occultum alterius coniugis possit ab eo propria authoritate diuertere, eo inuito, & longè proficisci. n. 20. & 21.

Maritvs debet singulari, puróque amore diligere vxorem, vt Christus dilexit Ecclesiam, *ad Ephesios 5.* non ficto, non meretricio, vt concubinarius concubinam, aut adulter adulteram. Adeo vt extra casum extremæ necessitatis potiùs teneatur vir vxori, quàm parentibus & filiis succurrere; quia in iis, quæ ad œconomiam spectant, & alimentorum rationem seclusa extrema indigentia arctior est coniugalis vnio, iuxta illod Geneseos 2. *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ;* & Matth. 19. *Itaque iam non sunt duo, sed vnum. Relinquet,* id est, quoad cohabitationem, & quoad alimentorum sustentationem, seclusa extrema necessitate; in extrema enim necessitate potiùs est parentibus, & filiis succurrendum, quàm vxori, quia quoad parentes est debitum antiquius, ac proinde fortius, & ratio boni quod est dilectionis obiectum, inuenitur excellentius in patribus; ab illis enim, *& vitam & esse accepimus.* Quamobrèm ductu naturæ rationalis diligere debemus pareotes, vt principia, à quibus nostrum esse accepimus: vnde maior est cum illis coniunctio quoad esse absolutè, cui in extrema necessitate subuenitur, quàm com vxore. Quoad filios verò, ea ratio id euidenterprobat, quia illi sunt aliquid patris & matris. Suot enim pars viscerum illorum, & aliquid sobstantiæ propriæ parentum; vxor aotem non est pars substantiæ viri. Ita docent communiter Doctores, D. Thomas 2. 2. *quæst. 26. art. 11.* & ibi Bañes, & Aragonius ad finem; Valentia 2. 2. *disp. 3. quæst. 4. punct. 5. corollario 10.* Sanchez *lib. 9. de matrimonio disput. 4 num. 16.* Vnde minus bene Henriquez *lib. 11. de matrimon. cap 18. num. 1.* asserit in extremis necessitate constitutis vxore, filiis, & parentibus, potiùs vxori quàm illis esse subueniendum, & citat pro se Diuum Thomam allegatum, qui id minimè dicit. 1. D. Thom. Bañez. Aragon. Valent. Sanch. Henriq.

2. Tenetur etiam maritus non impedire vxorem absque legitima causa ab obseruatione præceptorum Dei, & Ecclesiæ, vnde mortiferè peccabit si absque prædicta causa iusta, & rationabili ei vetet, ne diebus festis Missam audiat, ne præcepti ieiunia obseruet, ne confiteatur, & Eucharistiam accipiat tempore obligationis Paschatis, & quadragesimæ. Ita Toletus *lib. 5. summa cap. 2.* Nauar. *cap. 14. num. 19.* Henriquez *lib. 11. de matr. cap. 18. num. 1.* Ea autem quæ non sunt ex obligatione præcepti; sed ex deuotione tantùm, vt missas diebus solutis audire, Ecclesias eo tempore frequentare, confiteri aliis ab Ecclesiæ præceptis temporibus, vxoribus impedire peccatum mortale Tolet. Nauar. Henriq.

le non erit, sed tantùm veniale si sine causa fiat. Aliquando tamen mortale erit vxorem impedire, ne confiteatur extra tempus quadragesimæ, ne Eucharistiam accipiat, aut concionem audiat, cum scilicet, eis multum refert, ac conuenit criminum expiatio, Eucharistiæ assumptio, aut concionis auditio; sed iam tunc vrget præceptum si non Ecclesiasticum, certè diuinum, vel emergendi à peccato, & redeundi in amicitiam cum Deo, vel euitandi periculum peccandi, & tentationis fugiendæ, vt de se patet, & animaduertit Toletus allegatus.

3. Tenetur rursus maritus vxorem non vt fernam, aut mancipium tractare; sed vt sociam & adiutricem coæqualem; qua ratione prouidè Deus Enam non de fede, aut capite Adami efformauit, sed de costa, & latere illius eduxit, eique dedit sociam, vt Adamus intelligeret, non sub pedibus mulierem versandam, & Ena agnosceret non super caput viri esse imponendam, sed viro debere subiici in gubernatione, & regimine domus, tanquam latus capiti, vt optimè Lipomanus probat ex patribus *Geneseos* 2. & Bellarminus *de matrimon. cap.* 2. Vnde peccat mortiferè vir si vxorem grauiter percutiat. Aliquando tamen parcè, & moderatè, id efficere, si post admonitionem non resipiscat, non erit mort. imò nec veniale; habita tamen ratione personæ & conditionis. Ita Syluester *verbo*, *Vxor*, *quæst*. 3. Nauar. *in manual. Lat. cap*. 14. *num*. 19. Toletus *lib*. 5. *cap* 2. Et ratio est, quia vxor non est serua, sed socia, & adiutrix, & neque seruum immoderatè percutere fas est, vt habetur *l*. 10. *ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris*, §. *finali inst. eodem*. Vir autem leuiter verberans mulierem sine causa, aut grauiter cum leui causa, punitur in iure ciuili ad dandam ei tertiam partem dotis propter nuptias, vt habetur in Authent. *Vt licet mater, vel auia*, §. *Si quis autem propriam*, *&* C. *de Repud. Auth. de nouo iure*, vt tenet Syluest. *suprà* citatus.

Lipom. Bellarm.

Syluest. Nauar. Tolet.

4. Similiter tenetur maritus ex iustitia iniurias vxori non inferre; nam quamuis aliquando liceat ob emendationem verbum ei iniuriosum dicere, tamen id facere animo iniuriandi, & non emendandi mortale est, maius, vel minus iuxta iniuriæ grauitatem. Vnde grauiter peccat maritus, si animo iniuriandi vxori obiiciat proauorum progeniem, humilitatem generis, & similia; imò licet suapte natura verba iniuriosa non sint, si tamen animo iniuriandi proferantur, culpa mortali non vacant; & è contrario si verba ex sua natura sint iniuriosa, licet animo iniuriandi infamandique non dicantur, mortale quoque est peccatum; quia ex illis ferè semper vel infamia sequitur, vel periculum illius timetur, & qui se exponit periculo mortiferè peccandi, peccat mortiferè. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst*. 73. *art*. 2. Nauarr. *in manual. Latin. cap*. 14. *num*. 19. *&* *in cap. Inter verba* 11. *quæst*. 3. & Toletus *dict. lib*. 5. *summa cap* 2.

D. Thom. Nauar. Tolet.

5. De eadem etiam iustitia tenetur vir cohabitare cum vxore, & nolle cohabitare cum illa multo tempore absque causa, mortale est; quia data causa, non est mortale, vt si alibi mercaturam exerceat, aut negotia vtilia tractet, vel ad tempus exulet, & similia. Ita Toletus, & authores modò citati. Vnde tenentur coniuges iure naturali, ac diuino simul cohabitare, quod ab omnibus admittitur, & probat latè Sanchez *lib* 9. *de matrim. disp*. 4. *num*. 2. quia non minor est obligatio cohabitandi, quàm reddendi debitum; sed

Sanch.

hæc est de iure naturali, & diuino, & oritur ex ipsa natura contractus matrimonij ergo & illa. Deinde, quia Alexander III *cap*. 1. *de coniug. Lepros.* hanc obligationem cohabitandi probauit ex illo Geneseos 2. *Erunt duo in carne vna*; & ex illo Matth. 5. *omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa; facit eam mœchari*; vnde manifestè sentit hanc obligationem ex ipso iure naturæ, ac diuino enasci, & oriri.

Obligatio cohabitandi est de iure naturæ in coniugibus.

6. Hæc autem obligatio non solùm est in eadem domo habitandi, sed etiam simul in eadem mensa accumbendi, in eodemque toro iacendi, vt optimè docet Sanchez *lib*. 9. *de matrim. disput* 4, *num*. 2. *ad finem*, & Anton. Cucus *l*. 5. *inst* Maior *titul* 11. *num*. 125. id enim ad perfectam coniugum vnionem exigitur, & ad mutuam amicitiam amorémque inter eosdem coniuges fouendum, augendúmque requiritur. Et verò quòd hæc cohabitandi obligatio oriatur ex ipsamet natura contractus coniugalis, matrimoniique, patet primò ex ipsa definitione matrimonij tradita à magistro sententiarum *in* 4. *dist*. 26. communi Theologorum consensu recepta, approbatáque ab Alexandro III. *cap. Illud de præsumptionibus. Est viri, & mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens.* Secundò, quia natura ipsa quæ inclinat ad maris, & fœminæ coniunctionem ad propagandam sobolem, inclinat etiam ad eorum cohabitationem, vt soboles meliùs educetur. Vnde cum contractus coniugalis ipsam naturæ inclinationem in obligationem deducat, sequitur vt ipsa quoque cohabitatio, quæ ex hac inclinatione oritur, ab eadem etiam natura in obligationem deducatur.

Quid nomine cohabitationis intelligatur. Sanch. Cucus.

Quid sit matrimonium.

Possunt tamen coniuges ex iusta causa mutuò consensu separari quoad torum, & carnalem, seu maritalem coniunctionem. Probatur ex 1. ad Corinth. 7. *Nolite fraudare adinuicem nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi*; & ex D Aug. & refertur *cap. Quod Deo* 33. *quæst*. 5. ibi: *Tanto sanctius inter vos coniuges manebatis, quanto sanctiora, ac concorditer placita seruabatis.* Causa autem iusta huius separationis esse potest. Prima, amor continentiæ seruandæ, vt Deo vacent expeditiùs, non autem cum ex odio, aut indignatione diuturna ad inuicem mutuo consensu separantur. Secunda, si absit incontinentiæ periculum; vtraque causa colligitur ex verbis D. Pauli, *nisi forte de consensu ad tempus, & iterum reuertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Quamobrem index Ecclesiasticus requisitus permittere non debet coniuges iuuenes inuicem esse separatos propter incontinentiæ periculum, vt bene docent Abbas *cap* 1. *de coniug. Lepros. num*. 7. & ibi Alexander de Neuo *num*. 6. & Sanchez *lib* 9. *de matr. disp*. 4. *num*. 5. & idem Abbas *in cap. Ad id quod de sponsal. num*. 3. 7.

D August.

Abbas. Alexand. Sanchez.

Quando autem vltra communem consensum voto se obligant coniuges, ad quid tunc teneantur, & an possint resilire, dubium est graue. Quod sic breuiter resoluo. Aut ex communi consensu continentiam vouerunt, sicut ex communi consensu se ad inuicem separarunt, aut alter altero nesciente, aut sciente quidem; sed absque licentia illius tantùm vouit. Et quidem votum castitatis post matrimonium consummatum emissum ab altero coniuge absque alterius licentia, obligat ad non petendum debitum, & sic non potest coniux illo ligatus petere; potest tamen 8.

 reddere.

teddere. Patet ex *cap. Quidam de conuersatione coniug.* Vbi quando vir renitente vxore professus est, decernitur professionem fuisse irritam, obligan tamen vouentem ad votum castitatis in ea professione emissum, in quantum se potuit obligare, nimirum ad non exigendum debitum, ibi: *Votum non tenuit; vlterius verò non poterit vxorem accipere, promisit enim se non exigere debitum quod in eius potestate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit, non reddere autem non erat in eius manu, sed in mulieris potestate.* Patet etiam ex *cap Placet. eodem titulo de muliere coniugata*, quæ credens virum obiisse professa est, ibi: *Licet votum eius vsquequaque non tenuerit, tatenus tamen fuit obligatorium quatenus poterat se obligare*; & ita docet Sanchez *lib.9. de matrim. disp 35 num.23.* Syluester *verbo, Votum 4. quæst.2.dict.4.* Nauar. *cap.12. num.60. fine in manuali Lat.* Anton. Gomez *in Bulla Cruciata, clausula 10. num 67.* Sotus *lib 7. de iust. quæst 3.art.2. versu, Quod si contra arguas.* Henriquez *lib.11. de matrim. cap.15. num.8. fine*, & alij quos citat Sanchex allegatus. Et si aliqui sunt Doctores qui dicunt huiusmodi votum esse protsus irritum, intelligendi sunt, esse irritum quoad non reddendum debitum, vt patet ex dictis, & docet Nauarrus, & Sanchex, & Sotus, *locis allegatis.*

Sanch. Syluest. Nauar. Ant. Gom. Sotus. Henriq.

9. Nec solùm votum castitatis emissum ab vno coniuge post matrimonium consummatum absque consensu alterius obligat ad non petendum debitum; sed etiam ad non ineundum aliud matrimonium, si alter coniux moriatur: si tamen ineatur, valet. Patet ex cap *Quidam. de conuers. coniugum.* vbi id expressè habetur, & ex cap. *Placet, eodem titulo*, vbi dicitur id votum eatenus obligare, in quantum coniux potuit se obligare: constat autem potuisse se obligare ad abstinendum ab aliis nuptiis; & ita docet Sanchex allegatus *num.29.* Paludanus *in 4. dist. 32. quæst.2. art.1. num.14* Nauarrus, & Henriquex *numero superiori* allegati. Obligat etiam ad abstinentiam à quouis actu venereo extra matrimonium iuxta hos Doctores; quia cum ad id se potuerit obligare, censetur emisso prædicto voto castitatis ad id se obligasse iuxta prædictum caput, *Placet. de conuers. coniug.*

Sanch. Palud. Nauarr. Henriq.

10. Et ex dictis sequitur votum castitatis emissum ab altero coniuge de consensu alterius obligare, & ad non petendum, & ad non reddendum; ad non petendum, quia ad id se poterat obligare absque consensu alterius coniugis: ad non reddendum, quia mulier per consensum censetur viro & vir vxori remisisse obligationem reddēdi, erat enim id in potestate vtriusque, vt dicitur in cap. *Quidam. de conuers. coniugum.* Sed hæc ad materiam de voto & matrimonio spectant. Accedamus, imò reuertamur iterum ad propria huius loci.

11. Quamuis verò cohabitatio coniugum sit de iure naturali, & diuino, vt probatum est *num.5. & 6.* permittitur tamen viro diu abesse inuita vxore ex causa iusta. Primò, si princeps eum ad bellum conducat. Secundò, si id necessarium sit ad gubernationem domus, & rem familiarem tuendam, quia in his & similibus euentis irrationabiliter est inuita, neque enim tenetur vir ei morem gerere cum bonorum iactura, aut præbendo se regi inobedientem; nam in ipso matrimonij contractu pollicentur sibi coniuges mutuam operam, & ex illo tenetur vir vxorem, & familiam sustentare, & gubernare. Quoties ergo vir prudenter iudicauerit ad eam gubernationem, & sustentationem, necessariam esse diuturnam absentiam, irrationabilis erit vxor, si illam voluerit impedire. Ita Sotus *in 4. distinct.32. quæst. vnica, art.3. ad 1. versu, At verò.* Sanchez *lib.9. de matrim. disp.4. num 13.* Nauar. *in summ. Lat. cap.16. num.32. versu, Tertiò.* Rodrig. *tom.2. summa, cap.9. num.7.* Vxor tamen absque viri licentia expressa, vel tacita, non potest abesse, vt optimè ibi animaduertit Sanchex, & Sotus allegati; quia nec militiæ, nec aliis negotiis idonea est, nec ad eam spectat œconomia domus tanquam caput velut spectat ad virum.

Sotus. Sanch. Nauar. Rodrig.

Dubium tamen est, an maritus teneatur secum deferre vxorem in ea circunstantia qua illum velit tunc comitari? Pars affirmatiua videtur clarè probari ex cap. *Quod super, de voto, in fine*, vbi deciditur virum in peregrinationem terræ sanctæ abeuntem teneri deferre vxorem illum volentem comitari, & remanere nolentem, quod etiam habetur in *l. finali tit.8. part.1.* Et idem dicendum erit in quacumque alia viri profectione cum eadem sit ratio. Dicendum tamen est, si vir proficiscatur statim reuersurus, aut notabilem moram facturus, non vno in loco, sed in diuersis, non teneri secum ducere vxorem, quia magno id esset impedimento, valdéque molestum viro, & magnæ expensæ essent faciendæ. Quare tunc vxor nolens remanere, esset irrationabiliter inuita. Si verò maritus vno in loco sit diu habitaturus, & illi non sint necessariæ graues expensæ ad transferendam vxorem, tenebitur secum ducere, quia tunc rationabiliter vult vxor virum suum sociare, & in hoc casu intelligitur caput citatum. *Quod super. de voto*, & ita docet Sanchex *lib 9. de matr. disp.4. num.14.* 12.

Sanch.

Potest tamen vir cum sit caput vxoris, breuem aliquam profectionem efficere, & peregrinationem vouere absque illius consensu, non tamen poterit longam vxore inuita promittere, & exequi, quia Deo non placent vota quæ cum damno alterius implenda sunt; quale esset huiusmodi votum quod in præiudicium debiti, & cohabitationis coniugalis fieret; displicet enim Deo infidelis, & stulta promissio; hæc autem nec fidelis, nec prudens esset, si cum damno tertij efficeretur. Deinde, quia in cap. *Ex multa, §. In tanta. de voto*, ex speciali priuilegio conceditur viro, vt possit absque vxoris consensu, imò, ea renitente, vouere peregrinationem in subsidium terræ sanctæ; at vt ibi explicat Glossa *verbo, Viri*, & Abbas *num 8.* & Sanchez *lib. 9. de matrimon. disp 4. num.15.* is est specialissimus casus fauore terræ sanctæ; & non de voto peregrinationis causa deuotionis, sed de voto causa subsidij intelligitur, ac proinde hoc non habet locum in voto causa deuotionis facto absque subsidio; sed in voto subsidij. Ita præter citatos D. Anton. *3 part. tit.1. cap.21. §.1.* Rosella *verbo, Votum 2. num.8.* Syluester *verbo. Votum 5. quæst.1.* Abulensis *c.30. in Numer. quæst.83.* Rodrig. *tom.2. summæ, cap.90. num.7.* Angles *in florib. 2. part. quæst. vnica, de voto art.7. post. 9. difficult. dub.3. concl.1.* Arag. *2.2. quæst.88. art.8. fol. mihi 1020.* 13.

Glossa. Abbas. Sanch. D. Anton. Rosell. Syluest. Abulens. Rodrig. Angles. Aragon.

Dices, vxor tenetur sequi virum, quòd si nolit, sibi imputet; ergo ipsa inuita poterit vir vouere longam peregrinationem terræ etiam sanctæ causa deuotionis, & non subsidij, huiusmodique votum exequi ea inuita. Respondeo vxorem non teneri sequi virum in quacumque profectione, sed in ea tantùm quæ ipsius statum decet: 14.

decet: longæ autem peregrinationes, nec vxores decent, nec eis sunt conuenientes, vt optimè probat Sanchez *lib 1. de matr. disp. 41. num* 8. quare illud votum in vxoris præiudicium est vi patet. Vxor verò nullius peregrinationis votum nec breuis, nec longæ renitente marito exequi potest, quia in vouendi potestate non sunt pares, eo quod vir sit caput, & vxor illi subdita. Ita Sanchez modò allegatus, & Abulensis.

Sanch.

15. Similiter neuter coniux absque consensu alterius potest habitum mutare, & indui vestibus v.g. tertij ordinis D. Francisci, nec potest exequi absque huiusmodi consensu votum prædictæ mutationis, nisi forte esset ad breuissimum tempus, quia horrorem generat, ac proinde obligationi reddendi debitum nocet. Quare nec licebit viro absque vxoris consensu vestibus Eremitæ indui, nec similiter vxori vestibus mulierum, quas Beatas appellamus, quia vestes huiusmodi coniugatos dedecent, horrorisque in altero coniuge causa sunt. Ita Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 3. num* 9 Rosella *verbo, votum* 2. *num.* 9. Syluest. *verbo, votum* 5. *quæst.* 1. Nauarrus *in summa cap.* 12. *num.* 6.

Sanch. Rosell. Syluest. Nauar.

16. Dubitant aliqui, an vota longæ peregrinationis (& idem de votis longæ abstinentiæ) coniugum sint ipso iure irrita, an potius valida donec à coniuge in cuius præiudicium fiunt, irritentur: sunt enim nonnulli qui dicunt esse ipso iure irrita, ac proinde nulla irritatione indigere. Ita Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 3. artic* 1. *versu, An verò possit*, & Rodriguez *tom* 2. *summæ cap.* 90. *num.* 7. additque Sotus peccare mort. virum longam peregrinationem vouentem absque vxoris consensu. Fundamentum illius est, quia vouet rem sibi prohibitam & præiudicium alteri coniugi afferentem, ac proinde facit votum vinculum iniquitatis, sicut faceret, si voueret se minimè debitum redditurum. Dicendum tamen est huiusmodi votum validum, & licitum esse; non posse tamen impleri, nec obligare donec vxori sit manifestatum, & ipsa illud approbet: quare nec vir absolutè vouens peccabit, nisi expresè intenderet se obligare contra vxoris voluntatem; tunc enim peccaret, & votum esset ipso iure naturæ irritum. Probatur, quia hoc votum pendet à voluntate alterius, & licitum est vouere rem à voluntate alterius pendentem sub ea conditione si ab altero approbetur. Sic religiosi sæpe vouent rem sibi prohibitam, & pendentem à voluntate superioris, quam tenentur exequi, si superior votum approbauerit, & votum est validum donec à superiore irritetur, & est similis omnino ratio in votis coniugum. Nec est simile de voto non reddendi debitum, nam illud ipso iure est irritum, quia est directè emissum contra fidem matrimonij, & est votum de re aliena præstenda Deo; habet enim alter coniux dominium in corpore alterius, quoad debitum, quod non habet in actionibus ipsius coniugis liberis: votum verò longæ peregrinationis, & abstinentiæ non opponitur directè matrimonio, nec debito coniugali; sed est aliquod veluti grauamen alterius coniugis, quare validum erit, & obligabit, licitum tamen erit alteri coniugi illud irritare, & ab eo dissentire. Ita communiter DD. *in materia de voto* Caietan. 2. 2. *quæst* 88. *art.* 8. Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 3. n.* 8. Turrec. *cap. sunt quadam* 17 *quæst.* 1. *num.* 9. Angles *in florib.* 2 *part. quæst. vnica art.* 7. *post.* 9. *difficultat. dub* 3 *conclus.* 1. Nauar. *in summa cap.* 12. *num.* 61. & Lud Lop. 1. *part. Instr cap.* 46 §. *Mulier vxor.*

Sotus. Rodrig.

An votum coniugum longe peregrinationis sit ipso iure irritum, an ab altero coniuge irritandum.

Caiet. Sanch. Turrec. Angles. Nauar. Lud Lop.

17. Dubium tamen est, an adulterium committente altero coniuge, possit innocens coniux propria authoritate, minimè iudicio Ecclesiæ expectato ei debitum denegare, & an possit ei non cohabitare; ac proinde diuortium propria authoritate celebrare; & longissimè inuito adultero coniuge proficisci, quamuis adulterium sit occultum. Et circa primum dubium; An possit coniux innocens propria authoritate non expectato iudicio Ecclesiæ debitum coniugi adultero negare; variæ sunt opiniones. Resolutiuè dico coniugem innocentem certum de adulterio alterius coniugis eo ipso eximi ab obligatione debiti reddendi, nec ad id requiri, aut adulterium esse publicum, aut Ecclesiæ iudicium. Ita docent plurimi, quos citat, ac sequitur Sanchez *lib* 10 *de matrim. disp.* 12. *num.* 5. ex iurisperitis, Hostiensis *capite, Porro. num.* 3 *de diuortio*, & ibi Ioannes Andreas *in* 3. Anton Butrius *num.* 12 Ancharran. *num* 9. & idem Hostiens. *cap. finali num.* 3. *de adult.* & ibi Abbas *num.* 6. Præposit. *in cap. Illa num.* 7. *de diuort.* Astensis *summa* 2. *part. lib.* 8. *tit.* 11. *artic.* 3 *quæst.* 17. Angel. *verbo, Matr* 4. *num.* 1. Syluester. *verbo, Diuortium quæst.* 8 Armilla *ibi num* 7. & *verbo, Matrim. num* 76. Tabiena *verbo, Matrim.* 4. *quæst.* 4. *num* 5. Couar. *in* 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 7 §. 5. *num.* 11. *in fine*, Barbosa *rub* 2. *part. num.* 26. *ff. solut. matrimon.* D. Thom. ex Theologis. *in* 4. *dist.* 35. *quæst. vnica artic.* 3. *corpore.* Durandus *in* 4 *quæst.* 1. *artic.* 2. *num.* 7. Palud. *quæst.* 1. *artic.* 4 *conclus.* 1. *num.* 17. & *dist.* 27. *quæst.* 4. *artic.* 2. *num.* 11. D. Anton. 3 *part. tit.* 5. *cap.* 21. §. 5. Victoria *in summa de matrim. num.* 290. Sotus *in* 4. *dist.* 36. *quæst. vnica artic.* 3. *conclus* 1. Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 14. §. *Secundum est.* Henriquez *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 27. *num.* 1. Graphis 1. *part. decis lib* 1. *cap.* 84. *num.* 1. Ludou Lopez 2. *part. Instruct. cap* 54. *de matrim* vbi de diuortio quoad habitationem, Sà *verbo, diuortium num.* 1. Rodriguez *tom.* 1. *summa edit.* 2. *cap.* 204 & alij. Ratio est primò, quia iure naturæ in ipso contractu matrimonij hæc conditio inserta est, vt seruanti fidem fides seruetur, secus eam violanti, nec id ex conuentione partium contrahentium instar pœnæ conuentionalis oritur, sed est quasi conditio in ipsa natura contractus inclusa, quamuis per acidens aliqualis pœna sit respectu coniugis adulteri, qui quasi in pœnam fidei coniugij violatæ iure exigendi priuatur, at potiùs est conditio quàm pœna. Sicuti suadent Doctores pœnam à testatore impositam legato sub conditione relicto, castè viuendi, potius esse conditionem, quàm pœnam. Secundò, quia negatio debiti est res occulta, quæ de se non postulat publicitatem, ergo quamuis sit pœna, cur delictum publicum, & sententiatum requiret? Tertiò, quia vir innocens adulteram cognoscens incurrit bigamiam; si ergo teneretur occultè eam cognoscere, & ei debitum reddere, cogeretur damnum bigamiæ pati, quod non est dicendum. Quartò, quia coniux innocens reddens debitum coniugi adultero, eo ipso ei iniuriam sibi illatam condonat; si ergo teneretur ei debitum reddere, teneretur etiam ei iniuriam condonare, quod nemo Theologus dicat.

Coniux potest propria authoritate diuerti à coniuge propter adulterium occultum; & num. 20.

Sanch. Hostiens. Ioan. Andr. Butrius. Anchar. Abbas. Præposit. Astensis. Angel. Syluest. Armill. Tabiena. Couar. Barbos. D Thom. Durand. Palud. D Anton. Victoria. Sotus. Bellarm. Henriq. Graphis. Lud. Lop. Sà. Rodrig.

18. Vnde si iudex sub excommunicatione latæ sententiæ præcipiat coniugi innocenti certo moraliter scienti occultum adulterium alterius; quod probari in iudicio nequit, vt reddat illi debitum, non tenetur ille ex natura rei obedire, nec coram Deo est innodatus censurà; quia præceptum Ecclesiæ

Quid si iudex eis sub excommunicatione præcipiat, vt cohabitent.

clesiæ ex falsa præsumptione procedens non obligat in foro poli, in quo veritas innocenti constat; potest tamen teneri ratione scandali vitandi. Vnde si breui potest adulterium probare, cum tunc non magnum inde scandalum oriatur, & breui possit rationibus tolli, nec ratione scandali reddere, & petere tenebitur, secus si longa mora necessaria sit, tunc enim ratione scandali tenebitur. Ita Sanchez *lib* 10. *de matr. disp.* 12. *num.* 6. Abulens. *cap.* 19. *in Matth quæst.* 72. *in solut. ad* 4. vbi dicit non teneri illum reddere etiam si maneat censuratus vsque ad mortem; sed loquitur ex natura rei, & secluso scandalo, quod idem clarè sentit Palud *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 4. *art.* 2. *num.* 11. vbi dicit non teneri obedire, melius tamen esse parere; & idem sentit Sotus *in* 4. *dist.* 36. *quæst.* *vnica artic.* 3. *ad finem corpor. versu, alia est ambiguitas.* Veracruz 3. *part.. speculi art.* 5. *conclus.* 4. Ledesma 2 4 *quæst.* 64. *art.* 3. *paulo post principium,* Bartholomæus Ledesma *dub* 67. *de matr. concl.* 3. Veiga *tom.* 1. *summa cap.* 8 *casu* 5. Petrus à Ledesma *de matrim. quæst.* 62. *art.* 3. *notabili* 2. qui omnes dicunt huiusmodi hominem in foro conscientiæ non esse excommunicatum, & solùm in publico ratione scandali teneri abstinere ab iis, quæ excommunicato sunt prohibita; vnde in secreto potest audire sacrum, & in publico etiam, si priùs rationibus possit tollere scandalum videntium, & cum illo assistentium.

Sanch. Abul. Palud. Sotus. Veracruz. Ledesm. Barth. Led. Veiga. Petr. Led.

19. An verò coniux adulter dum eius adulterium ab innocente coniuge ignoratur, sit ipso iure priuatus potestate, ac iure petendi debitum à coniuge innocenti, ita vt peccet mortaliter, si illud ab eo petat, est dubium. Cui respondendum est negatiuè, & ideo posse illud licitè petere, & iudicem implorare, si opus erit, vt alterum coniugem compellat reddere. Dum enim coniux innocens adulterij conscius illum non priuat, non est ipso iure priuatus potestate petendi debitum; ita Sanchez *lib.* 10. *de matr. disp.* 12. *num.* 8. *& lib.* 1. *disput* 68 *num.* 4 *&* 5. Vnde si coniux innocens leuibus indiciis, & non sufficientibus ad faciendum diuortium adulterium subodoraretur, eique negaret debitum; posset adulter coniux iudicem adire, vt illum cogat reddere, & adulter rogatus sub iuramento à iudice, non tenetur fateri suum occultum adulterium, non rogatur enim iuridicè nisi cum iudex sufficientibus indiciis, & in iudicio probatis, eum interrogat. Quare si coniux adulter sciat coniugem innocentem habere sufficientem sui adulterij certitudinem, vt in foro conscientiæ ei negare debitum possit, quamuis id probare in iudicio non possit, non potest in conscientia eum in iudicio compellere, vt reddat sibi debitum, & si fortè iudex ex falsa præsumptione illum compulit, tenetur ipse ab ea compulsione desistere, quia nolente innocente certo de adulterio nocentis, reddere, destitutus est ipse omni iure petendi. Non tenetur tamen adulter, & nocens restituere dotem, & bona, donec per iudicis sententiam adulterij sit damnatus quia amissio bonorum est mera pœna, quæ nullo iure debetur, nisi post iudicis sententiam; & negatio debiti est quædam veluti conditio inclusa in ipsa natura contractus matrimonij; quare non seruata conditione fidei coniugalis, non tenetur ei alter coniux debitum reddere.

Coniux occultè adulter non priuatur ipso iure, iure petendi debitum ab innocente.

Sanchez.

20. Secundum dubium *num.* 17. tactum, est, an ab altero coniuge adulterium committente possit, coniux innocens diuertere propria authoritate longè proficisci, eique non cohabitare. Respondeo affirmatiuè in foro conscientiæ, modò tamen adulterium sit certum, licet sit occultum, & in foro externo probari non possit. Ita Sanchez *lib.* 10 *de matrim. disp.* 12. *num.* 31. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 17. *num.* 2. Barbosa *in rub ff solu. to matrim.* 2 *part. num.* 26. Bellarminus *lib. de matrimon. cap.* 14. §. *secundum.* Nauar. *in summa Lat. cap.* 22. *num.* 23. *fine, & lib.* 3. *consil tit. de conuers. coniug. in* 1. *edit consil.* 5. *fine, in posteriori cons.* 14 *fine.* Patet ex capite, *Dixit Dominus* 32. *quæst.* 2. deducto ex Diuo Hieronymo ibi. *Vbicumque fornicatio est, liberè dimittitur vxor*; Liberè, id est, nulla requisita sententia, vel licentia, sic explicat Sanchez. Probatur facilè, quia vt probauimus *num.* 17. dato adulterio occulto, certo tamen, moraliter est licita separatio tori; ergo erit licitum diuortium propria authoritate, si cesset scandalum: nam maior est obligatio reddendi debitum, quàm obligatio cohabitandi, & conuiuendi simul, vnde necessariò hæc maior esse debet, quàm illa; propter quod enim vnum quodque tale, & illud magis tale, vt est commune pronunciatum Philosophorum. In foro tamen externo cogetur innocens non diuertere à nocente; quia si adulterium est occultum, non permittitur in foro externo diuortium celebrari propria authoritate, ante iudicis sententiam ipsius adulterij commissi. Quare si coniux adulter restitutionem in iudicio petat, ei concedetur, nec admittetur exceptio opponentis coniugis innocentis ipsum adulterium, donec ad pristinum statum restituatur coniux diuertens, quia restitutione facta agetur de illa exceptione, & probato adulterio diuortium celebrabitur; quod si in probatione defecerit innocens, cogetur in matrimonio perseuerare. Patet ex capite, *Literas, & ex capite, In literis, & ex capite, Conquestus, & ex capite, Cum quis, de restitutione spoliatorum*; causa enim rest. multis gaudet priuilegiis, imò & prædonem ante omnia restituendum esse dicit textus *cap. In literis*, & colonos *l. cum fundum, ff. de vi & vi armata*; etiam restituendos esse docet prædicta lex. Et ratio est clara, quia sine citatione, & actu iudiciali nemo est à sua possessione priuandus *cap. Licet Episcop. de Præb. in* 6. & id latè docet Menochius *de recuperanda possessione remedio* 1. *n.* 111. *& sequentibus.* Nec refert, quòd alter statim offerat probationes adulterij, vt optimè probat Sanchez post multos *lib.* 10. *de matrim. disput.* 12. *num.* 22. quia iura resistunt, & ante omnia requirunt restitutionem, & ita cum Sancio sentiunt Glossa *in capite Literas de restit. spoliat. verbo, incontinenti* Innoc. *ibid. verbo, Probationes.* Hostiens. *in dict. cap num* 4. 7. 8. Anton. Butr. *num.* 52. Abbas *num.* 5. *&* 18. Imol. *n.* 13 *versu, in glossa incontinenti.* Bald *ad cap. In literis eod. tit. de rest. spoliat. num.* 2. ibi, Cardin. *num etiam secundo*, Barthol. *in l. vnica num* 4 *&* 5. *C. Quor. legator. & l. Naturaliter* §. *nihil commune num* 2. *ff de acquirend. possessione*, & alij plurimi, quos ibi citat Sanchez.

Sanch. Henriq. Barbos. Bellarm. Nauar.

Obligatio cohabitandi oritur ex obligatione reddendi debiti.

Cap. Literas. Cap. In Literis. Cap. Conquestus. Cap. Cum quis.

Menoch.

Sanchez. Gloss. Innoc. Hostiens. Butrius. Abbas. Imola. Glossa. Baldus. Cardin. Barth.

Vnde vir nobilis, qui dotem nobilis vxoris dilapidauit, propria authoritate ab ea diuertere potest si illa adulterium committat, licet illud probare in iudicio non possit, & sit occultum, modò tamen ille certus moraliter sit de veritate commissi adulterij; nec tenetur in conscientia ei dotem restituere, tum propter iniuriam sibi factam tum quia ille liberam dispositionem, & administrationem omnium bonorum dotis habebat, & ideo validè, licet illicitè, ea bona consumpsit. 21.

CAPVT

Caput VIII.

Utrùm coniux catholicus teneatur admittere coniugem hæreticum conuersum de hæresi damnatum, & an ob solam hæresim ante sententiam damnationis ab eo possit diuertere omnino, propria authoritate; & an coniux innocens possit ab adultero diuertere post adulterium carnale.

SVMMARIVM.

Hareticum est dicere non ob aliam caasam nisi ob adulterium posse virum vxorem dimittere, & ab ea diuertere. num. 1.

An ob solam haresim possit catholicus coniux à coniuge heretico propria aathoritate diuertere ante sententiam iudicis. num 2.

Quibus rationibus opinio affirmans innititur. num 3. & 4.

An hac saparatio sit solùm licita quoad mutua obsequia, & cohabitationem, an vero etiam qaoad debiti negationem. num 5.

Tenetur coniux catholicus à coniuge heretico diuertere si adsit periculum peruersionis. num. 6.

Ad faciendum diuortium propria authoritate ob adulterium carnale sufficit vnicus actus adulterij, nec oportet admonere coniugem, vt corrigatur, secus ob haresim. num 7.

Christus Dominus loquens Matthæi 5. *de diuortio, de solo diuortio ob adalterium carnale locatus fuit.* num. 8.

An coniux catholicus teneatur admittere in conscientia hareticum coniugem de haresi damnatum conuer,um tamen. Refertur prima opinio in hoc negotio. num. 9.

Refertar secunda negans. num. 10. *Quid si ante iudicis sententiam de haresi latam catholicus propria authoritate ab eo fuerat separatus, & post sententiam latam de haresi ad fidem conuertatur ibidem vtroque namero 9. & 10.*

An ad diuortium perpetuum à coniage haretico sufficiat sententia condemnatoria haresis; an requiratur etiam vltra illam sententia diuortij. num 11.

An post sententiam condemnatoriam haresis vxoris possit vir catholicus ad sacros ordines, & religionem transire, ea inuita. num. 12. *Refertur prima opinio.* ibid.

Refertur, & astruitur secunda affirmans. num. 13.

Quoties licet viro vxore manente in saculo de haresi Ecclesia reconciliata ad religionem transire, licet ei pariter sacris ordinibus, ea inuita, ordinari.

An post adulterium carnale possit vir innocens inuita adultera sacris ordinibus initiari, sicut, & ad religionem conuolare. Refertur opinio negans. num. 15.

Astruitur affirmans verior. num. 16.

An vt liceat coniugi innocenti ad sacros ordines, & religionem transire, opus sit expectare sententiam adulterij. num. 17.

Quid in foro externo dicendum sit. num. 17. & 18.

Qaid in foro conscientia. num. 19.

An coniux qui propter adulterium coniugis vult transire ad religionem, vel sacros ordines, possit interrogatus dicere se non esse coniagatum. num 20.

An valeat professio si id neget. num 21.

Proponuntur dubia in sequenti sammario explicanda. num. 22.

1. Hactenvs egimus de diuortio ob adulterium carnale; in præsenti capite disputandum est, an liceat etiam propria authoritate diuerti, & separari à coniuge hæretico nondum per sententiam de hæresi damnato. Et in primis præmitto hæreticam esse eam sententiam nonnullorum hæreticorum, qui dicebant ob solam fornicationem carnalem, diuortium celebrari, ac fieri posse, damnatam in Concilio Tridentino *sess. 24. de matrim. canone* 8. ibi: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse, decernit, anathema sit.* Nam licet Christus Dominus Matth 5. ob solam fornicationem dimitti posse vxorem dixerit, tamen veritas catholica ab eodem Christo edocta semper tenuit, etiam absque peccato coniugis posse hanc separationem fieri, & pluribus de causis. Primò, absque crimine alterius, cum gratia melioris status eligendi, mutuo consensu, coniuges separantur in sæculo in continentia viuentes; eamque vouentes, vt decernitur toto titulo *de conuers. coniug.* Secundò, ob crimen coniugis; & quidem ob quatuor crimina hæc separatio fieri poterit. Primò ob fornicationem carnalem. Secundò ob fornicationem spiritualem, de qua hîc nobis sermo erit. Tertiò, si alter coniux compellat alterum ad peccandum. Quartò, ob sæuitiam coniugis. Neque obstat dictum Christi Domini dicentis Matth. 5. non esse dimittendam vxorem nisi ob *fornicationem tantùm*, nam illa particula taxatiua, *tantùm*, non excludit alias causas numeratas, quia Christus Dominus ibi loquutus fuit de causa dimissionis petita ex ipsa intrinseca natura coniugij, matrimoniique, & hoc modo sola fornicatio carnalis est causa diuortij, & separationis voluntariæ; quia sola fornicatio carnalis directè opponitur fidei coniugali, & substantiæ ipsius matrimonij: non loquutus tamen est de ipso matrimonio, & coniugibus illius, vt personæ quædam sunt, quarum consortium sibi inuicem perniciosum esse potest, & grauis causa peccandi, & hoc modo multæ etiam causæ contingere possunt ob quas ius ipsum diuinum, & naturale, causa incolumitatis corporis, & animæ, diuortium à coniuge concedat, sicut concedit ab aliis proximis, & personis. Vnde quando Alexander III. *cap. 2. de coniug. lepros.* probat permissum non esse ratione lepræ à coniuge separari; locutus fuit de causa intrinseca naturæ matrimonij, ac si diceret: Ex ipsa intrinseca natura coniugij non est licitum à coniuge separari, nisi ob fornicationem tantùm carnalem, quia hæc directè destruit fidem coniugalem: aliunde tamen in quantum illa cohabitatio, & consortium nociuum esse potest saluti, vel animæ, vel corporis alterius coniugis, licita erit ea separatio, vel ad tempus, vel in perpetuum; si perpetuum fuerit impedimentum. Et hæc omissis aliis est melior responsio, & explicatio ad verba Christi Domini *Matth. 5.* quam approbat Bellarminus *lib. 5. de matrimon. cap. 14. §. Dicendum est*, Sanchez *lib. 10. de matr. disputatione 15. num. 2.* Maldonado *in Matth. 5. num. 32.* Valentia *in suis controuers. lib. vno de indissolub.*

Conc. Trid.

Ob quas causas diuortiũ fieri possit.

Bellarm.

Sanch.

Maldonad.

Valent.

dissolub. matrim. cap. 6. His præmissis dubium est,

2. An ob solam hæresim ante sententiam damnationis possit coniux catholicus propria authoritate à coniuge hæretico diuertere & separari, & an ob apostasiam à fide. Et in primis concors est Doctorum sententia, dum coniux in hæresi persistit, nec resipiscit, posse coniugem catholicum ab eo diuertere, & separari, eúmque propria authoritate, eo nolente, dimittere. Ita docet Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 10. num. 3. & num. 6.* vbi expressè dicit posse catholicum coniugem propria authoritate recedere à coniuge hæretico non resipiscenti ante sententiam latam, & non concedi hæretico restitutionem spolium allegan ti, obiecta sibi hæresis exceptione, propter periculum peruersionis: docet etiam Anton. de Butrio *cap. de illa, num. 2. de diuort.* Præpos. *ibi n. 1.* Alexander de Neuo *num. 3.* addens (& bene) quamuis hæresis non sit notoria, quod approbat Sanchez *dict. num. 6.* Patet ex eodem *cap. de illa,* ibi: *De illa, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis quòd mulier ei cum reuersus fuerit, est reddenda.* Ecce vnum dicit, & alterum supponit. Dicit ei esse reddendam post emendationem, non ante, etiam si restitutionem postulet: supponit fuisse licitum diuortium propria authoritate sine iudicio Ecclesiæ factum. Ergo dum non fuerit conuersus, ei erit deneganda restitutio: & ex D. Paulo ad Titum 3. ibi: *Hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem deuita.* Vbi Apostolus de omnibus generaliter loquitur, nec coniuges, aut parentes excipit. Quamuis verò omnes Doctores admittant dari diuortium ratione hæresis, dissentiunt tamen circa fundamentum & rationem huius rei reddendam. Quidam asserunt veram, & germanam rationem huius rei esse, quia hæresis est fornicatio, & adulterium quoddam spirituale; licet enim omnia crimina appellentur in sacris litteris fornicationes spirituales iuxta illud Ezechielis 16. *multiplicasti fornicationes tuas*; id est, peccata tua; & Nahum 3. *propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ ostendam gentibus ignominiam tuam*, id est, propter multitudinem peccatorum tuorum o Synagoga, te per gentiles puniam, & te gentibus irridendam ostendam; attamen periculum hæresis speciali quodam nomine fornicatio, & adulterium appellatur, quia prima desponsatio animæ fit cum Deo per fidem, iuxta illud Oseæ: *Desponsabo te mihi per fidem.* Et iden docent dum Christus Dominus concessit Matthæi 5. & 19. diuortium ob solam fornicationem, nomine fornicationis vtramque fornicationem intelligi, carnalem & spiritualem; quia Christus Dominus generaliter de fornicatione locutus fuit, & verbum generaliter dictum, generaliter accipiendum est, *cap. 2. de coniug. leprosis.* Deinde quia si Christus Dominus de sola fornicatione carnali loqueretur, non posset Ecclesia diuortium concedere ob hæresim, quia Ecclesia non habet potestatem supra ius diuinum, sed solùm habet potestatem declarandi casus iure diuino, & naturali exceptos; concedit autem Ecclesia diuortium ob hæresim; ergo intentum. Et ideo ex hoc fundamento, hoc docent Hostiensis *cap. 2. num. 1. de diuortio.* Ioannes Andreas *ibi num. 2.* Anton. de Butrio *num. 8.* Abbas *ibi in fine*, Anchattan. *num. 2.* Cardinal. *num. 1.* Alexander de Neuo *num. 7.* Gabriel *in 4. dist. 35. quæst. vnica, art. 2. conclus. 1.* & alij multi, inter quos est etiam Rosella *verbo,*

Dum coniux non vult discedere, potest coniux innocens propria authoritate ab eo diuertere.

Butrius. Præpos. Neuus.

Sanch.

Prima desponsatio animæ cum Deo fit per fidem.

Hostiens. Ioan Andr. Butrius. Abbas. Anchar. Card. Alexand. Gabriel.

Impedimentum, imped. 9. num. 9. & verbo, Diuort. num. 13. Syluest. *verbo etiam, Diuort. quæst. 10.* Turrecremata *37. quæst. 32. in summ. art. 1. num. 7.* Petrus Soto *de matrim. lect. 12. ad finem.* Castro *l. 2. de lege pœnali cap. 4. §. vt nostram.* Franciscus Marcus *decis. 526. num. 6. part. 2.* Barbosa *rubr. ff. soluto matr. 2. part. num. 18.*

Rosell. Syluest. Turrecr. Sotus. Castro. Marcus. Barbosa.

Alij alia ratione nituntur, quòd videlicet hæresis sit contra bonum prolis, sicut fornicatio carnalis; non enim bene educabitur proles in vero Dei cultu à parente hæretico, & quòd sit contra animorum commistionem, sicut carnalis contra corporum. Ita D. Thom. *in 4. dist. 35. quæst. vnic. art. 1. ad 3.* & ibi Palud. *quæst. 1. art. 1. conclus. 2. num. 7.* Astensis *summ. 1. part. lib. 8. titul. 11. art. 3. quæst. 10.* Tabiena *verbo, matrimon. 4. quæst. 2. num. 3.* 3.

D. Thom. Palud. Astens. Tabien.

Quamuis hæ rationes sint probabiles, verissima tamen huius rei ratio, periculum sufficiendi alterum coniugem. Ita Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 17. num. 6.* & Sanchez *lib. 10. de matr. disp. 15. num. 6.* Et hæc ratio firma est, ex ea tamen sequitur quòd cessante hoc teneatur coniux catholicus admittere hæreticum, si propria authoritate diuortium fecit; si verò non fecit, sequitur non posse licitè ab eo diuertere, & separari cessante eodem periculo peruersionis, quod bene probat Sanchez. Hoc tamen procedit de hæresi ante sententiam iudicis condemnantis coniugem de ipsa hæresi; nam post latam sententiam, etiamsi coniux hæreticus sit emendatus, & cesset omne periculum peruersionis, non tenetur coniux catholicus hæreticum admittere, vt statim dicemus *num. 9. & 10.* quia Ecclesia in pœnam hæresis facit ius, & potestatem concedit coniugi catholico diuertendi in perpetuum ab hæretico, eo inuito, vt ibidem dicemus, & docet Sanchez allegatus *dict. num. 9.* 4.

Traditur vera ratio ob quam coniux innocens ab hæretico propria authoritate absque iudicio Ecclesiæ separari potest.

Henriq. Sanch.

Limitant tamen nonnulli, vt liceat propria authoritate diuertere à coniuge hæretico ante sententiam latam hæresis, quoad mutua obsequia, & cohabitationem, non tamen quoad debitum. At dicendum est quoad omnia esse licitum huiusmodi diuortium: si enim debitum teneretur reddere hæretico, ex familiaritate imminet et idem periculum catholico. Deinde, quia cohabitatio est de iure naturali propter redditionem debiti. Vnde si teneretur ad debitum, teneretur etiam cohabitare cum coniuge hæretico, saltem indirectè ex quadam naturali consequentia. Denique quia *in cap. 2. de diuortijs*, generaliter, & indistinctè asseritur licere catholico separari ab hæretico, & subdit textus; *non dissoluitur matrimonij vinculum.* Vnde si textus intelligeretur de sola separatione quoad habitationem, manente obligatione reddendi debitum, frustra adderet non dissolui vinculum, id enim nunquam in dubium vocatum fuit. Voluit ergo textus decidere quæstionem de obligatione, & separatione quoad debitum, & omnia decidit, & demum addidit tantùm non dissolui vinculum matrimonij; cæteras verò obligationes omnes dissolui, & ideo hanc partem sustinent Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 15. num. 4.* Hostiensis *cap. 2. num. 1 de diuort.* & ibi Ioannes Andr. *num. 2.* Antoo de Butrio *n. 8.* Abbas *fine.* Cardinalis *n. 1.* Anchar. *num. 2.* Neuo *num. 7.* Rosella *verbo, Imp. imped. 9. num 9.* Abulensis *cap. 19.* Matth. *quæst. 10.* Franciscus Marcus *decis. 526. part. 2.* Barbosa *rubr. ff. solut. matrim. part. 2. num. 23. paulo post principium.* Henriquez *lib. 11. de matr. cap. 17. num. 6.* 5.

Sanch. Hostiens. Ioan Andr. Butrius. Abbas. Card. Anchar. Neuo. Rosell. Abul. Marc. Barbosa. Henriq.

Imò

6\. Imò tenetur coniux catholicus diuertere ab hæretico nolenti resipiscere & cessare à conatu peruertendi ipsum catholicum; quia ius naturæ obligat deuitare omne periculum animæ iuxta illud D. Pauli ad Titum 3. *Hæreticum post primam & secundam correptionem deuita*; in hoc autem euentu certissimum imminet periculum. Ita Sanchez allegatus *num.* 5. Summa Astensis *part* 2. *lib.* 8. *titulo* 21 *artic.* 2. *quæst.* 14. Palatios *in distinct.* 15. *disput. vnica, col.* 7. *versu, porrò in gratiam, folio* 785. *mihi*

Sanch. Astens. Palat.

7\. Ea tamen est distinctio inter fornicationem, adulteriúmve carnale, & spirituale, quia ad faciendum diuortium propria authoritate propter adulterium carnale sufficit vnicus actus, nec oportet expectare correctionem, vt licitum sit coniugi innocenti nocentem dimittere, ab eóque diuertere, quod ius semel amissum, nunquam recuperat adulter per pœnitentiam. In fornicatione autem spirituali non sufficit vnicus, vel alter actus hæresis, imò non sufficit hæresis, si cesset periculum peruertendi alium coniugem; si tamen coniux hæreticus refugit correctionem, & pertinax est in machinatione, & intétione peruertendi coniugem catholicum, dimittendus omnino est: imo (vt dixi numero præcedenti) tenetur catholicus iure diuino ab eo tunc diuertere; & si ante sententiam hæresis resipiscat, tenetur idem ipse catholicus iterum eum admittere. Constat ex *cap.* 2. *de diuortijs, & ex capite, Non solum* 28 *quæst.* 1. & rationem huius rei tradunt glossa capitis finalis *titulo de conuers. coniugum, verbo, Iudicio*, & ibi Anton. *fine*. Cardinal. *num.* 2. *quæst.* 3. Sotus *in* 4. *dist* 39 *quæst. vnica, art.* 4. *ad* 3. quia fornicatio spiritualis solam animam coniugis polluit adulterantis; carnalis verò animam, & corpus, & ideo hæc magis opponitur fidei coniugali, magisque coniugem innocentem offendit. Vera tamen causa est, quia causa diuortij propter hæresim nondum per sententiam iudicis declaratam, est temporalis, cessatque hæretico emendato, ac resipiscenti. Causa verò diuortij ob adulterium carnale est perpetua, nec cessat per adulteri resipiscentiam, vnicus enim actus sufficit, vt liberum sit coniugi innocenti in perpetuum à nocente diuertere, eo inuito. Ita docent expressè D. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *quæst. vnica, artic.* 1. *ad* 3. Bonauent. *in* 4. *dist.* 39. *in exposition. literæ num.* 3. vbi Palud. *quæst. vnica, fine.* Vincentius *speculo doctrin. tom.* 2. *lib* 10. *cap.* 41. Abulensis *cap* 19. *in Math. q* 71. Supplementum Gabr. *in* 4 *q vnica art.* 2. *concl.* 6. *& dist.* 35 *q. vnica art.* 1. *ad* 2 *post* 2. *concl.* Sotus *in* 4. *dist.* 39. *q vnica, art.* 4. *ad* 4. *&* 4. *& dist.* 35. *q vnica, art.* 1. *ad* 2 Nider *in summa præcept* 6. *cap* 4 Veracrux 3. *p specul art.* 2. *fine* Henriquez *lib* 11. *de matr. cap* 17. *n* 6 Barthol. Ledesma *dub.* 54. *de matr. conclus.* 5. Ludou. Lopez 2 *part Instruct. de matrimon. cap.* 53, *ad finem* §. *Quæritur deinde*, & alij multi, quos citat, ac sequitur Sanchez *lib* 10. *de matrim. disp.* 15. *n.* 11.

Ad faciendū diuortium propria authoritate ob adulterium carnale sufficit vnicus actus, in spirituali verò opus est admonitione coniugis hæretici.

Anton. Cardin. Sotus. D. Thom. Bonauent. Palud. Vincent. Abulens. Gabr. Sotus. Nider. Veracruz. Henriq. Barth. Led. Lud. Lop. Sanch.

8\. Hæc est doctrina rationi conformior, quamuis omnes illi qui dicunt fornicationem spiritualem omnino comprehensam fuisse à Christo Domino *Math* 5. & 19 nomine adulterij, & adulterium spirituale omnino simile esse quoad diuortium adulterio carnali, consequenter dicant sufficere vnicum actum hæresis ad faciendum diuortium perpetuum, propria authoritate, & sic non teneri coniugem catholicum emendatum, hæreticum coniugem resipiscentemque admittere ante sententiam latam; & hi sunt omnes quos citauimus *num.* 2. Sed locus Christi de sola fornicatione carnali intelligendus est. Et ratio est, quia vnum & idem ius non est accommodandum diuersis omnino rebus iuxta caput, *Quia circa de Priuileg.* at quis non videt latissimum esse discrimen inter adulterium carnale, & spirituale? Deinde quia Christus Dominus de diuortio perpetuo sermonem intexuit, & de vnico adulterio tamquam eius sufficienti causa. Denique quia *in cap* 2. *de diuortijs*, expressè traditur causam diuortij in adulterio spirituali esse periculum animæ, vt diximus *num* 4. & probat doctissimè Sanchez *lib.* 10. *de matrimon. disp.* 15 *num.* 9. & hoc periculum animæ esse germanam causam, ac verissimam huius rei, docet etiam Abulensis *cap.* 19 *in Matth. quæst.* 70. Sotus *in* 4. *dist* 36. *quæst. vnica artic.* 1. *ad* 2. Veracruz 3 *pars. specul. art.* 1. *conclus.* 3. Palat. *in* 4. *dist.* 35. *disput. vnica, column.* 8. *versu. ex his colliges. & dist.* 27. *disp.* 3. *column.* 29. *in solut. ad* 14 *fol.* 606. Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 14. §. *sed hæc disputatio*; Henriquez *lib.* 11. *de matr. cap.* 16. *num* 6.

Sanch. Abul. Sotus. Veracruz. Palat. Bellarm. Henriq.

Præcipua ergo difficultas est, an coniux catholicus teneatur admittere coniugem hæreticum post sententiam hæresis latam, & de hæresi condemnatum, emendatum tamen, veréque pœnitentem, & conuersum. Et hac de re duæ sunt præcipuæ opiniones. Prima docet, coniugem catholicum propria authoritate diuertentem ante iudicis sententiam teneri redire ad coniugem iam emendatum; diuertentem autem post sententiam hæresis latam ad id non teneri si velit religionem ingredi, teneri verò si velit in sæculo manere. Hæc est valde communis, & probabilis; eam docet Glossa *in cap. finali, verb. Iudicio*, & *capite, De illa, in fine, capite, Quanto, in fine. & de diuortijs.* Hostiensis *in summa titulo de diuort. num.* 11. *fine.* Ioannes Andreas *dicto capite, Quanto in fine, & dicto capite, De illa num.* 3. & ibi Anchar. *num.* 5. Alexander de Neuo *num.* 3. *&* 8. Cardinalis *dicto capite, Quanto num* 3. ibi Henricus *num.* 7. Summa Astensis 2. *part lib.* 8. *titulo* 21. *artic.* 2. *quæst.* 14. Abulens. *in Matth. cap.* 19. *q* 75. *versu, Dicendum quod vtramque*, Sotus *in* 4 *dist.* 39 *quæst. vnica artic.* 4 *ad* 3. Iulius Clarus *lib.* 5. *Receptar.* §. *Hæresis, num.* 15. *versu, Item propter hæresim*; Veracruz 3. *part. specul. art.* 2 *concl* 5 Petrus Surdus *de Aliment. titulo* 7. *quæst.* 21. *n* 7. Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp* 15. *num.* 18 Rodriguez 1. *tom. summ. cap* 230 *num.* 2. *conclusione* 2. Graphis 2. *part decis. lib.* 1. *cap* 12. *num.* 73. & alij, quos ibi citat Sanchez. Probatur ex *capite finali de conuersat. coniug.* vbi diuertenti post sententiam non conceditur plena libertas ad manendum in sæculo post coniugem conuersum, sed limitata, vt religionem ingrediatur; ergo si ad religionem non transierit, minimè eximetur ab obligatione alendi admittendique vxorem. Quod si opponatur *cap. De illa, de diuortijs.* vbi plena exemptio conceditur; Respondent id corrigi quoad hoc per *caput, Quanto, in fine de diuortijs* & per *caput finale.* Ita specialiter respondet Glossa *capitis, De illa. in fine.*

9\. *An coniux catholicus teneatur admittere hæreticum coniugem de hæresi condemnatū & emdatum. Sententia affirmans.*

Glossa. Hostiens. Ioan. And. Anchar. Alex. Henric. Astensis. Abul. Sotus. Iul. Clar. Veracruz. Petr. Surd. Sanch. Rodrig. Graph.

10\. Secunda, & vera opinio concordat cum prima in priori casu, docétque teneri coniugem catholicum, coniugem hæreticum conuersum admittere, quando ab eo ante sententiam hæresis, & iudicium Ecclesiæ propria authoritate se separauit. Si verò post sententiam iudicis de hæresi & iudicium Ecclesiæ ab eo diuertit, non teneri illum admittere, si in sæculo maneat, sed liberum ei esse

Astruitur vera sententia.

eum admittere, vel non admittere, prout maluerit, ac si adulterio carnali commisso diuertisset. Hanc sententiam probat Sanchez *lib. 10. de matr. disp. 15. num. 19.* Monald. *in summ. de matrimon. tit. de dispari cultu, verf. penultimo.* Angel. *verb. Matrim. 4.* Almainus *in 4. dist. 31. quæst. vnica,* Abulensis *cap. 19 in Matth quæst. 72.* Castro *lib. 2. de iusta hæret. punitione, cap. 7.* Couarr. *in 4. Decretal. 2. part. cap. 7. §. 5. num. 5.* Matienso *lib. 1. recopilat. tit. 1. rubr. glossa 1. num. 8.* Barbosa *2 part. num 20. ff. solut. matrim.* Graphis *lib. 2. decis. aurear. 1. part. cap. 84. num. 16. & 2 part. lib. 1 c. 12. num. 22.* & Lud. Lopez *2. part. instruct. de matr. cap. 54. paulo post initium versu, Quartus casus;* Rojas *de hæreticis 2. part. assert. 40. num. 235.* vbi refert pro se Couarruuiam, & Castro, qui sunt præcipui authores huius opinionis, & eam videtur tenere Simancas expresè *de cathol. inst. tit. 40. num. 16.* Probatur primò, quia licet in capite finali de conuersar. coniugum ita dicatur. *Mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur,* (id est ab hæresi, vt ibidem explicat glossa, verbo, remansit) *propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata, ad religionem liberè conuolare:* hic tamen textus probat quidem posse ad religionem conuolare, non probat verò non posse etiam in sæculo manere; neque enim hæc est bona consequentia. Potest ad religionem transire; ergo non potest in sæculo manere. Respondent authores prioris opinionis bene inferre è contrario: at licet argumentum è contrario validissimum sit, nullam tamen vim habet quando contrarium est in iure expressum Expressum autem est in iure posse coniugem catholicum post sententiam iudicis ab hæretico diuertentem manere in sæculo, si voluerit, & non teneri admittere coniugem conuersum ab infidelitate reuertentem, vt patet ex *cap. de illa, de diuortys, ibi: De illa quæ à viro labente in hæresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis quòd mulieri, cum reuersus fuerit, est reddenda, quæ & si reuerti noluerit, compellatur: si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum, nullatenus dicimus compellendam.* Imponit enim Ecclesia huiusmodi hæretico, qui de hæresi, iudicio Ecclesiæ, damnatus fuit, hanc pœnam, vt non possit ad catholicum coniugem reuerti, nisi ille, illum iam conuersum, voluerit admittere, & in pœnam hæresis eum in perpetuum priuat iure petendi consortium coniugale. Forte vt vacet intensius Deo, & orationi, & vt propiùs ad Deum per pœnitentiam accedat, sicut ab eo per infidelitatem longissimè fuerat regressus. Deinde, quia Ecclesia in pœnam hæresis in iudicio conuictæ facit ius coniugi catholico in perpetuum diuertendi ab hæretico, etiamsi resipiscat, & ita hoc diuortium est pœnam, ait Castro *lib. 2. de I. pœnali, cap. 4. §. vt nostram, & lib. 2. de iusta hæret. punitione, cap. 7.* & Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 15. num. 9. & 19.* & Valentia *in suis controuersijs aduersus hæret. controuers. lib. vnico de insolubilit. matrimony, cap. 6.* vbi ait posse Ecclesiam in pœnam semel commissi criminis diuortium perpetuum cōcedere, sicut contingit in hæresi quando disceditur ex peculiari iudicio Ecclesiæ: & Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 17. num. 6.* Vbi ait hæresis damnatum censeri inter alias pœnas damnari pœna diuortij perpetui. Et verò posse Ecclesiam hanc pœnam hæreticis in iudicio conuictis imponere, inde constat, quia potest coniugem hæreticum bonorum famæ, vtæque ipsius amissione damnare; ergo, & pœna diuortij, quæ comparatione aliarum est minor. Denique, quia Ecclesia priuat de facto iure exigendi debitum coniugem ob delictum, & copulam, per quam contrahit affinitatem cum proprio coniuge, vt est certissimum, & latè probat Sanchez *lib. 6. de matrim. disp 9 num. 8.* Ergo à fortiori poterit priuare ob hæresim, & absoluere coniugem catholicum ab obligatione reddendi, & cohabitandi, & de facto absoluit in prædicto cap. *De illa, de diuortys.* Secundò, quia licet cap. *De illa, de diuortys,* sit posterius capite illo finali *de conuers. coniug.* & leges posteriores quando expresè non contradicunt, & derogant priores ad illarum sensum sint trahendæ, & per illas explicandæ, ne detur correctio imò imperfectio iuris iam statuti, vt constat ex *l. Sed & posteriores ff. de legatis, iuncta glossa, verbo, Pertinent,* & docet Butrius *cap. Cum dilectus, num. 15. de consuetudine.* & ibi Imola *n. 12.* & Abbas *cap. Cum olim, in fine, de sentent. & re iudicata.* Felinus *cap. Non potest, eodem tit num. 8. versu, Limita dupliciter.* Alexand. *consil 85 n. 12. lib. 4.* Berous *cap. Quoniam, num. 31. de iure patronat.* tamen lex prior, siue caput finale *de conuers. coniug.* non expresè loquitur de hac re, neque expresè definit non posse coniugem catholicum manere in sæculo, absque obligatione admittendi coniugem hæreticum damnatum de hæresi per sententiam Ecclesiæ; sed tantùm dicit posse, prædicto coniuge hæretico nolente, ad religionem transire: ibi enim in pœnam eo magis damnati conceditur catholico libertas transeundi ad religionem, ac proinde ad religionem cogendus non est. Datur ergo ei optio manendi in sæculo, vel transeundi ad religionem prout maluerit. Vnde non coarctauit diuertendi facultatem coniugis catholici ad ingressum religionis tantùm: sed explicauit casum religionis, supponens posse etiam manere in sæculo, & sic exposuit casum difficiliorem supponens tanquam verum minùs difficilem; si enim solùm diceret eximi coniugem catholicum ab obligatione reddendi debitum, & cohabitandi cum hæretico conuerso, non inde sequeretur habere licentiam conuolandi ad religionem, nam ratione affinitatis amittit coniux exigendi debitum, ita vt alter non teneatur illud ei reddere; & tamen non inde sequitur posse alterum ad religionem transire.

11. Petes tamen, an ad hanc separationem perpetuam requiratur specialis sententia diuortij, an sufficiat sententia condemnatoria hæresis. Sunt enim quidam qui existiment requiri specialem sententiam diuortij, & non sufficere condemnatoriam sententiam hæresis. Ita Ouandus *in 4. dist. 39. disp. vnic. propositione 13.* Dicendum tamen est minimè desiderari sententiam diuortij; sed iudicium Ecclesiæ requisitum nihil aliud esse quàm sententiam iudicis Ecclesiastici, qua declaratur illum fuisse hæreticum; qua sententia data, sine vlteriori sententia diuortij integrum est coniugi catholico omnino diuertere, & vel manere in sæculo, vel ad religionem transire. Cum enim diuortium sit quædam pœna hæresis, eo ipso, quod aliquis coniux hæreticus declaratur per iudicis sententiam, hac etiam pœna damnatur, sicut consequenter etiam damnatur pœna amissionis bonorum, famæ, & honoris, &c. Ita docent communiter DD. Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 15. num. 20.* Castro *lib. 2. de iust. hæret. punit. cap. 7.* Couarr. *in 4. decretal. 2. part. cap. 7. §. 5.*

Marginalia: Sanch. Monald. Angel. Almain. Castro. Abul. Couar. Matienso. Barbosa. Graph. Lud. Lup. Rojas. Castro. Sanch. Valent. Henriq. — Sanch. *Leges posteriores quando expresè non contradicunt prioribus, ad illarum sensum trahendæ sunt.* Butrius. Imola. Abbas. Felin. Alex. Berous. *Non requiritur specialis sententia diuortij.* Ouand. Sanch. Castro. Couar.

Barbosa. Graph. Lud. Lop. Henriq. Sotus.

§.5. *num.*7. Barbosa *in rubr.* 2.*part. num.*21.*&* 22. *ff. soluto matrim.* Graphis 1. *part. decision. aurear. lib.* 2.*cap.*84. *num.*16. Lud Lopez 2.*part instruct. cap.*54. *vbi de diuortio quoad habitationem*, *versu*, *Quarum casus.* Henriquez *lib.*11. *de matr.cap.*17. *num* 6. Sotus *in dist.*39. *quest. vnica*, *art.*2. *ad* 3. *versu*, *Si verò talis.* Et addit Sanchez ibi. Nec opus est, quòd in actu publico condemnetur huiusmodi coniux de hæresi per iudicis sententiam; si enim reuera declaretur per illam illum fuisse hæreticum, & vt talis habitu pœnitentium induatur, & reconcilietur, quamuis in occulto, & intra priuatos parietes id fiat, id sufficiet, quia semper verificatur præcessisse Ecclesiæ iudicium, & sententiam declarantem hæresim; quam declarationem statim sequuntur pœnæ hæreticis in iure statutæ; quarum vna est diuortium perpetuum, vti diximus.

12. Sed dubium est, an post sententiam latam, qua vxor hæretica declaratur, possit eius vir catholicus ordinibus sacris manens in sæculo initiari, sicut potest si velit ad religionem transire ea inuita & renitente, vt hactenus diximus? Negant nonnulli inter quos est Angles *in florib.*1. *part. de matrimon. quæst.*12. *de dispari cult. art.*2. *post* 7. *dub. difficult.* 2. Cañedo *in summ. sacram. vbi de matrimon. cap.* 7. *ad finem.* Ludouicus Lopez 2. *part. instruct. cap.* 54. *vbi de diuortio*, *versu*, *Notandum autem est breuiter*; & consequenter negabunt omnes, qui dicunt, nec etiam post adulterium carnale commissum ab vxore, & probatum in iudicio, posse virum, ea inuita, ad sacros ordines in sæculo manentem transire, licet possit religionem intrare, & profiteri; quos statim referemus *num.* 15. Probant primò, quia ingressus religionis permittitur expressè, & conceditur coniugi catholico in iure *in cap. finali de conuers. coniug.* ibi: *Mulier quæ in fide permansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata ad religionem liberè conuolare*: transitus verò ad sacros ordines in sæculo manendo nullibi in iure expressè permittitur. Secundò, quia vxor cuiuslibet viri sacris ordinibus initiati tenetur post viri mortem à secundis nuptiis abstinere, *cap. Quia iu[...]t*, *d.* 28. *& cap. Seria*, *d.* 32. nequit autem huiusmodi mulier cogi ad abstinendum à secundis nuptiis post mortem viri. Tertiò, quia Extrauagant. *Antiquæ Ioann.* 22. *de diuortio*, habetur nulli licere ad sacros ordines transire, nisi vt in sacris canonibus permittitur; nullus autem est canon permittens viro catholico, vt sacris ordinibus initietur manens in sæculo inuita vxore post sententiam hæresis illius. Quartò, quia cum vir sacris initiatus maneat in sæculo, facilè poterit iterum vxori commisceri, & sic multa sacrilegia committere. Quintò, quia non potest vir ad sacros ordines promoueri, nisi vxor in sæculo relicta, voueat castitatem: obligare autem vxorem hæreticam iam conuersam ad fidem ad vouendam continentiam, est dura res *cap. Coniugatus*, *de conuersat. coniug.* Est probabilis ista opinio.

13. *Potest maritus catholicus manēs in sæculo sacris ordinari inuita vxore de hæresi iudicio Ecclesiæ conuicta.*

Secunda tamen sententia verior, ac tenenda, docet liberum, ac licitum esse coniugi catholico manenti in sæculo post sententiam hæresis alterius coniugis ad sacros ordines, sicut & ad religionem transire, coniuge conuerso reclamante, ac renitente. Ita expressè Sanchez *lib* 10. *de matrimon. disput.* 15. *num.*21. Rodriguez *tom.*1. *summa, cap* 230 *num.*2.*conclusione* 2. Veiga *tom.*1. *summa*, *cap.*89. *casu* 3. Sotus *in* 4. *dist.* 39. *quæst. vnica*, *art.*4.*ad* 3. Palat. *in* 4. *dist.*25. *quæst. vnic. col.*7. *fol.*783. Barbosa *in rubr.* 2 *part. num.*20. *ff. soluto matrimon.* quia eadem est omnino ratio de transitu ad sacros ordines, atque ad religionem, cum vtrobique detur perpetuum votum solemne castitatis, & consequenter perpetua status mutatio. Vnde cum in iure expressè concedatur coniugi catholico transitus ad religionem inuito altero coniuge de hæresi in iudicio conuicto, & iam conuerso, consequenter etiam expressè conceditur transitus ad sacros ordines; maximè quia hoc est fauor catholici innocentis, & fauores sunt ampliandi, & licet sit pœna hæretici coniugis iam reconciliati, parum refert, quia hæc pœna necessariò resultat ex pœna perpetui diuortij, qua punitur, vt hactenus diximus. Neque est opus, vt coniux de hæresi damnatus, & reconciliatus similiter ad religionem transeat, vel in sæculo manens continentiam promittat, vt huiusmodi transitus ad ordines sacros, vel religionem sit licitus coniugi catholico, quia facultas concessa catholico innocenti nullam debet vim inferre coniugi hæretico reconciliato. Deinde, quia in prædicto capite finali *de conuers. coniug.* dicitur liberum esse coniugi catholico ad religionem transire: non esset autem ei liber huiusmodi transitus, si necessariò esset expectandum votum continentiæ coniugis hæretici conuersi, aut etiam ingressus illius in religionem. Neque obstat si dicas in eo casu posse hæreticum iustè ad id cogi, nam nec votum, nec professio coacta est valida, vt patet. Et hanc opinionem necessariò debent etiam tenere omnes, qui dicunt liberum, & licitum omnino esse coniugi innocenti ad sacros ordines manendo in sæculo conuolare inuita vxore adulterium carnale committente, & de illo in iudicio conuicta, quos statim referemus *num.*16.

Sanch. Rodrig. Veiga. Soto. Palat. Barbos.

Nō est necesse vt cōiux hæreticus ad id continentiam voueat.

Ad primum argumentum opinionis contrariæ, dices, hanc regulam esse generalem *Quoties licet viro ad religionem conuolare vxore hæretica reconciliata in sæculo manente, ac renitente, licet ei quoque sacris ordinibus initiari in eodem sæculo manendo, nisi aliunde adsit impedimentum irregularitatis, bigamiæ, natalis &c.* Quam tradunt Syluester *verbo, diuortium quæst.*17.*num.*20.*dict.*1. Armill. *verbo, diuort. num.*11. Victoria *in summa vbi de matr. num.*253. Sotus *in* 4. *dist.*27. *quæst.* 1. *artic.*4. *fine.* Nauar. *lib.* 3. *consilior. in* 2. *edit. titulo de conuersat. coniug. consil.* 10. *num.* 1. Ouandus *in* 4. *dist.*39. *quæst. vnica*, *proposit.* 16. Sanchez *lib.* 10. *de matr. disp.* 12. *aliàs* 11. *num.* 16. *fine.* Henriquez *lib.*11. *de matrim. cap.*8. *num.*10. *initio*, *& lib.* 12. *cap.*5. *num* 10. Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.*3. *art.*2. *num.*10. D. Anton. 3. *part. titulo* 1. *cap.*21. §. 1. *ad finem.* Gofredo *in summa tit. de conuers. coniug. num.*8. Ad secundum responde tunc vxorem teneri à secundis nuptiis abstinere post obitum viri ad sacros ordines transeuntis, quando de eius licentia illis initiatus est; quia tunc censetur ipso voto castitatis se astringere, secus quando initiatus est, ipsa adulterium committente, vel carnale, vel spirituale hæresis; in hoc enim casu potest ad secundas, tertiásve nuptias egregiè conuolare. Sic respondet Abbas *in capite*, *Constitutus*, *num.* 5. *de conuers. coniug.* quam responsionem approbat Sanchez allegatus *n.* 17. Ad tertium iam responsum manet, licet enim nullus sit textus expressè concedens, & permittens viro catholico, & innocenti post adulterium 14.

Syluest. Armill. Victor. Sotus. Nauar. Ouand. Sanch. Henriq. Palud. D Anton. Gofred. Abbas.

 carnale,

carnale, vel ſpirituale hæreſis conuictæ tranſitum ad ſacros ordines in ſæculo manenti, ſatis tamen eſt, id expreſſum eſſe in religionis ingreſſu cum vtrobique ſit eadem ratio, vt patet ex dictis. Ad quartum dic verum eſſe id periculum ſubeſſe; at cum poſſit Dei gratia tentationibus reſiſtere, licitus eſt tranſitus ad ſacros ordines, præſertim quia etiam in religione non manet extra periculum prædictæ commiſtionis. Ad quintum dic id verum eſſe, quando fit tranſitus ad ſacros ordines, vel religionem, integra, & illæſa matrimonij fide: noluit enim ius canonicum prædictum tranſitum concedere ex ſola alterius coniugis licentia, ſed requiſiuit etiam ſimilem religionis ingreſſum, aut ſaltem votum caſtitatis in ſæculo; ſecus quando coniux diuertit ob adulterium carnale, vel ſpirituale alterius.

15\. *An poſt adulterium carnale poſſit vir innocens in ſæculo manens ſacris initiari inuita vxore adultera.*

Innoc. Hoſtienſ. Ioan Andr. Butrius. Card. Aſtenſis. Frisb. Brunell. Gutier. Graph.

Simile dubium eſt, an poſt adulterium carnale poſſit vir innocens iiſdem ſacris ordinibus initiari inuita, & reclamante vxore adultera, ſicut poteſt ad religionem conuolare; & de hac re duplex etiam eſt opinio. Prima negat, eam tenet expreſsè Innocentius *in capite, Veniens, in fine, de conuerſation. coniug.* & ibi Hoſtienſis *num.* 8 *&* 9 & Ioannes Andreas *num.*4 & Butrius *ibidem num.*4. & hoc dicit eſſe tutius Cardinalis ibi *in fine*, & tenet etiam ſumma Aſtenſis 2. *part. lib.* 4. *titul.* 11. *artic.* 2. *quæſt.* 9. *initio.* Friſburgo *in ſumma confeſſorum. lib.* 1. *titulo* 8. *quæſt.*49. Brunellus *de ſponſalib. declar.*7. *num.* 11. Gutier. *quæſt. canon. lib.* 1. *cap.*25. *à num.*13. Graphis 2 *part. deciſ. aur. lib.*1. *cap.*12. *num.* 64. & id confirmant omnibus ciſdem rationibus, quas fecimus *num.* 12. pro coniuge adulterium ſpirituale committente; & præcipua eſt, quia in iure expreſſum eſt, vt coniux poſſit ob adulterium ſpirituale hæreſis conuictæ in iudicio alterius coniugis ad religionem conuolare, non autem ad ſacros ordines, vt patet ex capite finali *de conuerſ. coniug.* & idem eſt idem dicendum de adulterio carnali ob eandem rationem. Vnde licitum eſt coniugi innocenti ad religionem tranſire poſt adulterium alterius coniugis, eo inuito, & renitente, non autem ad ſacros ordines in ſæculo manente; quia cum vir ſic initiatus maneat in ſæculo, facilè poterit vxori adulteræ commiſceri & multa ſacrilegia admittere, quæ non admittet ſi religionem ingrediatur, ibique profiteatur, & ordinetur: quod forte conſiderauit ius dum tranſitum ad religionem permiſit, non autem ad ſacros ordines.

16\. *Vera ſententia affirmans.*

Secunda tamen opinio quam amplectimur, & à qua non recedimus, docet liberum ac licitum eſſe viro innocenti inuita vxore adulterium carnale committente ad ſacros ordines manendo in ſæculo tranſire. Sicut liberum ei eſt ſi voluerit ad religionem commigrare, inibique profiteri; quia adultera omni iure coniugali deſtituitur, vnde cum eo omnino in pœnam criminis deſtituatur, æquè licebit viro, ipſa inuita, ad ſacros ordines, atque ad religionem tranſire. Ex regula illa generali quam tradidimus *num* 14 *Quoties licet viro ad religionem inuita vxore tranſire, licet ei quoque ad ſacros ordines manendo in ſæculo conuolare*; in duobus autem caſibus hoc licitum eſt. Primò, ob adulterium ſpirituale hæreſis, vt definitum eſt in capite vltimo *de conuerſation. coniug.* Secundò, ob adulterium carnale propter eandem rationem; & quia hanc cauſam dimiſſionis vxoris expreſſit Chriſtus *Matthæi* 5. *&* 9. ob adulterium enim carnale priuatur adulter coniux omni iure coniugij. Et hanc opinionem tenent ex iuriſperitis Gloſſa in capite, *Conſtitutus de conuerſ. coniug verbo, ad gradum*, & ibi Butr. *num.* 4. Abbas *num.*5. Cardinalis *in capite, Veniens, in fine, eodem tit.* Goffred. *in ſumma tit. de conuerſ. coniug. num.*8. Aretinus *conſil.* 59. *num.* 8. *probat.* 3. *in fine*, Syluester *verbo, diuort. num.*20. ibi Armilla *num.* 11. Nauarrus *lib.* 3. *conſil. edit.* 1. *titulo de conuerſ. coniug. conſil.* 5. *fine, & lib.* 4. *tit. de ſponſal. conſil.* 23. *num* 6. *in* 2. *edit. lib.* 3 *de conuerſ. coniug conſil.* 10. *num.*1. *& conſ.* 12. *num.* 3 *& conſ.* 14. *num.* 5 Barboſa *rub.* 2. *part. num.* 25. *ff. ſoluto matrim.* Anton. Gom. *in Bulla cruciata, clauſula* 10. *num* 69. Ex Theologis Sanchez *lib.*10. *de diuortio, diſp.* 11. *num.* 16 Henriquez *lib.*8 *de matr. cap.*8. *num* 10. *initio*, Sà *in ſumma, verbo, diuortio.* 2. *part. verſu, poſt diuortium.* Corduba *in ſumma q.* 138. Victoria *in ſumma num.* 253. *de matr.* Sotus *in* 4. *diſtinct.*27. *quæſt* 1. *artic* 4. *in fine, & diſtinct.* 36. *quæſt. vnica, artic.*5. *ad* 3. & alij quos citat ibidem Sanchez.

Gloſſa. Butrius. Abbas. Card. Goffred. Aretin. Sylueſt. Armill. Nauar. Barboſ. Ant. Gom. Sanch. Henriq. Sà. Cordub. Victor. Sotus.

17\. *An requiratur ſententia de adulterio.*

Præcipua difficultas hîc eſſe poteſt, an vt liberum ſit coniugi innocenti poſt adulterium carnale alterius coniugis ad religionem & ſacros ordines inuito coniuge adulterante tranſire, opus ſit expectare iudicium Eccleſiæ circa hæreſim alterius coniugis, vt hactenus diximus, an non expectata ſententia diuortij & adulterij, liceat coniugi innocenti liberè ad religionem, vel ſacros ordines commigrare. Et hac de re multiplex eſt opinionum varietas. Breuiter & reſolutiuè dico tunc licere in foro externo coniugi innocenti ad religionem, & ſacros ordines tranſire adultero inuito, & repugnante, ita vt non poſſit repeti ab ipſo adultero, nec ei ſit reſtituendus, quando vel præceſſit ſententia adulterij, ſeu diuortij, vel ea non expectata adulterium carnale ita notum eſt, vt poſſit innocens propria authoritate deſerere conſortium coniugale, & cohabitationem adulteri abſque metu reſtitutionis. Dixi, *in foro externo*, quia vt diſtinctè procedamus, oportet diſtinguere ea quæ in foro externo, & quæ in foro conſcientiæ obſeruanda ſunt: nam certum imprimis eſt, vt coniux in religione profiteatur, vel ad ſacros ordines, manens in ſæculo, aſcendat, ita vt in foro externo reuocari nequeat ab adultero coniuge, non ſufficere adulterium occultum, ſed requiri, vt dixi, vel ſententiam adulterij, vel vt adulterium ita ſit notum, vt non timeatur reſtitutio ſi coniux adulter dimiſſus reſtitutionem petat ſui coniugis: nam ſi adulterium ita ſit occultum, vt probari nequeat in iudicio alleganti, petentique reſtitutionem coniugi adultero, reſtituendus erit ſic profeſſus, vel ordinatus, non obſtanti eiuſmodi adulterij exceptione, quoniam exceptio adulterij occulti non impedit reſtitutionem, impedit autem exceptio adulterij publici. Videndum ergo eſt, quæ publicitas adulterij in foro externo ſufficiat ad impediendam hanc reſtitutionem.

18\. Et hac de re duplex eſt opinio. Prima docet non ſufficere qualemcumque publicitatem; ſed oportere ita notoriam eſſe, vt publicè coniux habitet cum adultero, quia hæc ſola publicitas ſufficit, vt coniux propria authoritate diuortium celebrare poſſit abſque reſtitutionis periculo; & hanc tenet Albericus *in ſuo repertorio litera M. verbo, Matrimonium* 8 *verſu, quid ſi aliquis.* Monaldus *in ſumma de matrim. titulo de diuortio.* §. *Propter quid fiat diuortium, verſu, Item ſi vterque.* Ioannes de Friſbur. *in ſumma confeſſ. lib.*4. *tit.*22.

Alberic. Monald. Friſbur.

&

Gloſſa. Alexand. Nauar. Ant. Gabr. Cordub. Syluest.

& alij. Seconda & probabilior docet non oportere ita notoriom eſſe, vt publicè babitenr; Sed ſufficere ita eſſe notorium, vt in iudicio probari poſſit adulteriom, quia id ſatis eſt vt coniux innocens profeſſus, aut ſacris ordinibus initiatus, reſtitui non poſſit coniugi poſſeſſorium petenti, allegata exceptione adulterij, & probata. Ita Gloſſa *in capite, Agathoſa, verbo, fornicat. 27. quaſt. 2.* Alexander de Neuo *cap. ex litteris num. 20. de diuortijs.* Nauar. *lib. 3. conſil. conſilio 116. num. vnico.* Anton. Gabriel. *tom 1. commun. opin. lib. 1. verbo, adulterium fol. mihi 22. column. 2.* Cordub. *in ſumma quaſt. 138.* Syluest. *verbo, diuort. n. 16. diſt. 2 quaſt. 23.* & alij.

19. Hæc bene habent pro foro externo, & quidqoid ſit de illo, dicendum tamen eſt in foro conſcientiæ, vt licitus ſit tranſitus coniugis innocentis, vel ad religionem, vel ad ſacros ordines inuito coniuge adultero non requiri ſententiam adulterij, nec publicitatem talem, vt coniux adulter publicè habitet cum amaſio, nec ita notorium adulterium, quod in iudicio probari poſſit, ita vt non timeatur reſtitutio coniugis innocentis allegantis poſſeſſoriom; ſed ſufficere occultum adulterium, certum tamen, quia hoc ſatis eſt, vt in foro conſcientiæ ſecluſo ſcandalo liceat propria authoritate diuortium celebrare, vt ceſſet ius coniugale, ac ſubinde iniuria coniugis derelicti; quæ ſola obſtant in foro conſcientiæ mutationi ſtatus coniugum. Ita docet Sanchez *lib. 10. de matrim. diſp. 11. num. 11. & diſp. 12. num. 31.* docet etiam Nauarrus *lib. 3. conſiliorum titulo de conuerſ. coniug. edit. 1. conſil 5. fine, in 2. conſil. 14. fine.* Nata *conſil. 116. num. vnico*, & omnes, quos citauimus *in cap. 7. num 10.* Intellige tamen licere in foro conſcientiæ ad religionem, vel ſacros ordines tranſire, itemque validè vouere caſtitatem in ſæculo ob adulterium occultum, certum tamen, ſi ſolum attendamus iniuriam coniugis derelicti, & damnum coniugij, ſiue iuris coniugalis, quia cum hoc ſit ſufficiens in eodem foro ad faciendum diuortium, propria authoritate, in perpetuum, nulla iniuria irrogatur adulteranti coniugi, nec ipſi contractui coniugali, aut ſacramento matrimonij; aliunde tamen poterit eſſe culpa grauis, vel ratione ſcandali, vel detrimenti religionis, ordinisve ſacri, quoniam ſi coniux derelictus reſtitutionem petat in iudicio coniugis profeſſi, vel ſacris initiati, ei reſtituetur ex quo detrimentum patietur religio, & iniuriam profeſſio, & ordo. Vnde hac ratione eſſet id prorſus illicitom moraliter loquendo, niſi adulterij, aut diuortij ſententia præcedat; quoniam cum dubium valde ſit, an ſufficiat adulterium eſſe notorium vt impediatur bæc reſtitutio; grauis eſſet iniuria ordinis ſacri, & religionis litibus vexari, cum dubius ſit valde ſententiæ euentus, quòd coniux non reſtituetur.

(margin: Sanch. Nauar. Nata.)

20. Quare his bene conſideratis, exiſtimat, & bene, Sanchez *lib. 10. de matrim. diſp. 11. num. 2. medio*, hunc coniugem, diuortij ſententia non expectata rogatum à Monachis an ſit coniugatus, vel ab Epiſcopo promoturo ad ordines, aut literas dimiſſorias ad id conceſſuro, teneri veritatem fateri, nec poſſe negare ſe eſſe coniugatum, vt in ſimili docent Nauarr. *lib. 4. conſil. in vtraque edit. titulo de diuort. conſil. 3. fine, num. 4.* Rodriguez *tom 1. ſumma cap. 240. ad finem*, nam iuſtam cauſam habent interrogandi, & non admittendi ad religionem, & ordines, huiuſmodi coniugatum ante diuortij ſententiam. Dixi numero præcedenti prope ad finem id eſſe prorſus illicitum moraliter loquendo; quia ſi id contingeret in partibus remotiſſimis, vbi periculum repetitionis non eſſet, exiſtimo cum eodem Sancio allegato *num. 12.* id eſſe licitum, nec teneri fateri ſe eſſe coniugatum; ceſſant enim tunc circonſtantiæ extrinſecæ ob quas id non licebat, vt patet.

(margin: Sanch. Nauar. Rodrig.)

Hîc verò interrogabis, num ſi innocens rogatus taceat ſe eſſe coniugatum, & ſic ad religionem & profeſſionem admittatur, valeat ipſa profeſſio. Reſpondeo valere niſi ſit aliquod ſtatutum in ipſa religione, quod ipſam profeſſionem irritet, idque quamuis ea mente & intentione admitteretur à ſuperioribus ipſius religionis vt veritate cognita non eſſent admiſſuri; modò tamen in ipſa admiſſione ad profeſſionem actum hunc voluntatis expreſsè non elicerent: *Nolumus admittere hunc, ſi eſt coniugatus*; quod moraliter loquendo nunquam accidit. Ita docet expreſsè Sanchez *lib. 10. de diuortio diſp. 13. num. 14.* Fundamentum illius eſt, quia vel eſſet bæc profeſſio irrita propter ius coniugis dimiſſi, & hoc non; quoniam eo ipſo, quod in adulterium etiam occultum labitur, omni iure coniugali priuatur in foro conſcientiæ, & liber manet innocens ad mutandum ſtatum in eodem foro, vt bactenus probauimus. Vel eſſet irrita propter illam voluntatem habitualem ſeu intentionem ſuperiorum religionis, *non admitteremus illum ad profeſſionem ſi ſciremus eſſe coniugatum*; quia ea mens arguit quidem fore vt nollent ſi ſcirent, non tamen arguit de facto noluiſſe, & ideo hæc mens habitualis nec votum ſimplex caſtitatis irritat, vt latè probat idem Sanchez *lib. 10. de matrim. diſp. 9. n. 15.* nec dum ſolenne profeſſionis. Et confirmatur, quia ea voluntas, & intentio babitualis non irritat matrimonium niſi error ſit circa perſonam, aut circa ſobſtantiam contractus, vt ſi quis ducat Mariam credens eſſe ditiſſimam, aliàs non ducturus, matrimonium valet, & paria ſunt matrimonium, & profeſſio quoad hoc vt ſolùm irritentur, quando error eſt circa perſonam, non circa accidentalia perſonæ: nullus enim diceret profeſſionem eſſe inualidam, ſi profitens ſe ditiſſimum fingeret, cum paupertimus eſſet, & tamen ea veritate cognita nullo pacto admitteretur, vt patet. 21.

(margin: 21. An valeat profeſſio tunc. — Sanchez.)

Age dum: finiamus hoc caput explicatione duorum, vel trium dubiorum. Primum eſt, an coniux de hæreſi damnatus poſſit licitè ad religionem, ordinéſve ſacros tranſire inuito coniuge catholico, ac reclamante, aut ſaltem de eius licentia requiſita. Secundum eſt, num per copulam ſponte habitam à coniuge catbolico poſt notitiam hæreſis ita remittatur iniuria, vt amplius illi non liceat ab eo diuertere. Tertium eſt, vtrum detur compenſatio mutuæ iniuriæ, & fidelitatis ſi vterque coniux de hæreſi damnetur, vel ſi alter de hæreſi damnetur, alter verò adulterij carnalis ſit reus, & bæc explicabuntur in ſummario ſeqoenti. 22.

SVMMARIVM
Capitis præcedentis.

An coniux de hæreſi damnatus, conuerſus tamen poſſit inuito coniuge catholico ad religionem, vel ſacros ordines tranſire. Refertur opinio aſſerens tranſitum eſſe illicitum, validum tamen. num. 23.

Astruitur verior opinio asserens transitum fuisse illicitum, & professionem nullam, & sacros ordines nulliter susceptos, & teneri redire ad coniugem, si illum petat, teneri tamen non petere debitum; posse tamen reddere propter votum castitatis adnexum sacris ordinibus, & professioni. ibi, num.23.

Quid si de licentia coniugis catholici ad sacros ordines promoueatur, aut religionem ingrediatur. num.24. An tunc requiratur, vt coniux catholicus similiter ad religionem transeat, vel saltem castitatem voueat manens in sæculo. ibi, numero 24.

Si coniux catholicus nolit admittere hæreticum damnatum, & conuersum, vel adulterum; poterit tunc hæreticus absque alia licentia ad religionem, & sacros ordines transire, & si iam ordinatus, vel professus fuerit, non poterit amplius catholicus illum reuocare, num.25.26.

Quid si nondum profiteatur, an possit petente catholico reuocari. num 27.

An data à coniuge catholico, vel innocente adultero, vel de hæresi damnato licentia, ad vouendam castitatem, vel ingrediendam religionem, possit iterum reuocari ante votum & professionem factam. num.28.& 27.

An per copulam habitam à coniuge catholico cum coniuge hæretico nondum damnato, cedenetur ius diuertendi, quod habet, ita vt ab illo amplius diuertere non possit in foro conscientiæ. num.29.

Quid in foro externo. num 30.

Quid si copulam haberet cum illo cum expresso animo non remittendi per illam ius quod habet ab eo diuertendi. num.31.32.

Quid si copulam haberet cum illo negatiuè se habens quoad animum remittendi, vel non remittendi ius suum, quod habet ad diuertendum ab illo. numero 33.

Vtrùm detur mutua iniuria compensatio vtroque coniuge de hæresi damnato per sententiam, vel altero damnato, altero adulterij reo, ita vt neuter altero inuito possit ab eo diuortium facere in perpetuum. num.34.35.& 38.

An detur hæc compensatio inter coniuges adulteros, quoad actionem, & ius diuertendi alterum ab altero. num 38. *fine, versu,* & pro hac opinione. *An detur quoad accusationem criminalem, ita vt maritus adulter non possit accusare vxorem similiter adulteram.* num.39.

An detur hæc compensatio quando vnus est damnatus, alter non, ambo tamen sunt hæretici. numero. 36.

23. *An coniux de hæresi damnatus possit inuito catholico ad religionem & sacros ordines transire.*

Angel. Tabiena.

CIrca primum dubium numero præcedenti tactum, an scilicet coniux de hæresi damnatus, & conuersus, possit inuito coniuge catholico ad religionem, vel sacros ordines transire. Prima docet non posse, sed teneri huiusmodi coniugem hæreticum redire ad coniugem catholicum petentem vt redeat, nisi iam hæreticus professus esset, aut sacros ordines suscepisset. Ita docent Angelus, *verbo, Matrimonium 4. num.3.* Tabiena *verbo, Matrimonium 4. quæst.5. num. 6* & alij Dicendum ergo est non posse huiusmodi hæreticum mutare statum inuito coniuge catholico, & professionem fuisse nullam, & sacros ordines illicitè susceptos, quia totum id fuit factum in præiudicium catholici, & teneri redire ad coniugem catholicum, si id petat, at tenebitur ipse coniux hæreticus in eo casu propter votum castitatis in professione factum, & sacris ordinibus adnexum, non petere, & post solutum illud matrimonium non inire aliud. Ita docet Sanchez *lib.10. de matrimon. disput.15. num.14.* Palatios *in 4. dist.35. disp. vnica col.7. fol. 783.* Syluester *verbo, Diuortium, quæst.10* Armilla *ibi num.8.* Sotus *in 4. dist 39 quæst. vnica, artic.4. ad 3. versu, Si verò sciscitaris.* Barbosa *in rub 2. part. num.22. ff. soluto matrim.* Manuel. Rodrig. *tom.1 summa, edit.2. cap.230. n.2. conclus.2.* Veiga *tom.1. summa cap.89. casu 3.* Probatur, quia sicut in adulterio carnali post latam etiam adulterij sententiam non potest coniux adulter statum mutare, & ad religionem, aut sacros ordines transire, inuito coniuge innocenti, aut saltem sine eius licentia; ita nec in spirituali; quia coniux innocens potest cedere iure suo, & remittere iniuriam coniugi adultero, vel de hæresi damnato, vt constat, & latè probat idem Sanchez *lib.10. de matrim. disp.10. num. 12. & 13.*

Sanch. Palat. Syluest. Armill. Sotus. Barbosa. Rodrig. Veiga. Sanch.

24. Imò Sotus, Emanuel Rodriguez, & Veiga allegati, non satis esse aiunt licentiam coniugis catholici, vt hæreticus ille post sententiam possit ad religionem transire, sed desiderari vt ipse quoque catholicus transeat, vel saltem voueat castitatem in sæculo. At cum post latam sententiam hæresis aduersus hæreticum, concessum sit catholico diuortium perpetuum, & ei facultas ab eo perpetuo diuertendi data censeatur, sufficiet licentia catholici manentis in sæculo absque vllo voto, vt possit ipse hæreticus statum mutare, siue in religione profitendo, siue ordines sacros assumendo. Sufficiet, inquam, nisi aliunde detur aliud impedimentum, videlicet irregularitatis, vel aliud quodcumque. Censetur autem ea licentia data, & sufficiet ad validam mutationem status, si post sententiam hæresis latam catholicus sciat hæreticum ad religionem transire, vel sacros ordines, & non contradicat: & idem est dicendum de coniuge innocenti post sententiam diuortij ob adulterium datam; quia, qui tacet, consentit in iis, quæ ad illum pertinent, cum de illius præiudicio agitur. Ita docet Sanchez *lib. 10 de matr. disp. 10. n. 14.* Syluester *verbo, Matrim.9. quæst.11.* D. Anton. *3. part. tit.1. cap.21. § 6. versu, effectus.*

Sanchez. Syluest. D. Anton.

25. Imò si lata diuortij sententia coniux innocens, vel catholicus monitus, nolit adulterum, vel hæreticum reconciliare; potest adulter, vel hæreticus statum mutare profitendo, vel ad sacros ordines transeundo; & semel iam professus reuocari non poterit; quia innocens, vel catholicus non assentiens reconciliationi, videtur concedere licentiam adultero, vel hæretico, vt ad religionem transeat; & si negata reconciliatione contradicat ingressui religionis, & susceptioni sacrorum ordinum, est omnino irrationabilis; nam innocens, vel catholicus post sententiam hæresis, vel diuortij, non habet ius omnimodum in adulterum, aut hæreticum, vt ipsum quasi ligatum habeat, & non possit sibi consulere statum eligendo, si ad reconciliationem non admittatur: sed solùm habet ius reconciliandi. Quare hac reconciliatione requisita & denegata, liberum erit, alterum ad religionem transire, vel ad sacros ordines. Ita Sanchez *lib.10. de matrim. disput.10. num.16.* Vincentius *speculo doctrinali, tomo 2. lib. 9. cap. 90. ad finem.* Abulens. *cap. 19. Matth. quæst.75. ad finem, corpor. & quæst. 76. in solut. ad 3.* Veracruz *3. part. specul. art. 6. probatione 3. secunda conclusionis.* Patet ex *capite, Gaudemus, de conuers. coniug.* ibi: *Mulieres, quæ lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum ante diligenter*

Sanch. Vincent. Abul. Veracruz.

commo

commoniti, eas conuersas noluerint recipere, in claustris cum religiosis mulieribus studeat collocare, vt perpetuam pœnitentiam ibi agant. Quem textum intelligunt ibi Hostiensis *num.* 3. & Ioan. Andreas *num.* 3. & Anchar. *num.* 2. & Cardinalis *num. vnic. quæst.* 1. de inclusione, vt profiteantur in religione. Hunc tamen intellectum reprobat Panormit. *ibi*, *num.* 7. dicens non includi huiusmodi mulieres ibi, vt professionem faciant; sed ne incontinenter viuant, quod videtur verius. Ratio ergo ob quam, si mariti post admonitionem reconciliari cum illis noluerint, possint illæ statim ad religionem conuolare, nulla amplius licentia eorum requisita, ea est iuxta Sancium, & cæteros Doctores modò citatos, quoniam non ennuenientes mariti prædicti reconciliationi, videntur licentiam concedere adulteris, vt ad religionem transeant, ibique profiteantur.

Hostiens. Ioan Andr. Anchar. Cardin.

26. Et hanc admonitionem per Episcopum faciendam esse docet Panormit. *cap. De illa*, *num.* 2. *de diuortijs*, & ibi Ioannes Andr. *num.* 3. Butrius, & alij. At in foro conscientiæ non est necesse, vt ab Episcopo fiat, vt docet Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 10. *num.* 16. & Abulensis, Vicentius, & Vetacrux modò allegati.

Panorm. Ioan. Andr. Sanch.

27. Possunt autem coniuges innocentes, qui sic moniti reconciliationem negarunt, sententiam mutare, & reuocare adulteros donec profiteantur; at professione facta, nec possunt nec audiendi sunt, si velint reuocare; sed sibi imputare debent seram reconciliationem, quia vsque ad professionem res est integra, & dum talis est, non ita iure reconciliationis priuari sunt, vt non possint eos pœnitere reconciliationis denegatæ. Ita Sanchez allegatus *dict. num.* 16. Hostiensis, Ioannes Andr. & Butrius item allegati, & Veracruz 3. *part. speculi*, *art.* 6. *probat.* 3. *secunda conclusionis*. Et idem dicendum est si negata eadem reconciliatione ad sacros ordines coniuges nocentes transierunt, aut votum castitatis emiserunt; nam post votum emissum & sacros ordines assumptos, non poterunt innocentes eos repetere, quia res non est integra, nec iustè queri possunt, quia sæpe moniti reconciliationis, eam non admiserunt. Sic Sanchez allegatus *dict. num.* 16. & Sotus *in* 4. *dist.* 36. *quæst. vnic. art.* 5. *ad* 3. vbi ait posse adulterum, sententia diuortij lata, emittere votum castitatis, siue simplex, siue solemne, nec eo emisso, reuocari posse ab innocenti ad pristinum matrimonij vsum, idque cum Soto sentit Ludou. Lopez *part. instruct. vbi de matrim. cap.* 54. §. *Penultimo*, *num.* 2. *&* 1. *part. cap.* 195. §. *Præterea.* Sed intelligendi sunt hi Authores modò requisita priùs fuerit reconciliatio, & negata; nam si petita non fuit, nec negata, nihil in præiudicium coniugum innocentium, nocentes efficere potuerunt, vt explicauimus *num.* 23.

Sanch. Veracruz. Sanch. Sotus. Lud. Lop.

28. Similiter data ab innocente licentia adultero expressa ad castitatem in sæculo vouendam, aut ingressum religionis, re integra, id est, ante votum emissum, eam poterit reuocare, teuocatáque tenetur adulter maritaliter cum eo petendo, & teddendo viuere. Ita docet Sanchez *lib.* 10 *de matrim. disp.* 10. *num.* 14 & D. Thom. *in* 4. *distinct.* 35. *quæst. vnic. art.* 6. *ad* 3. vbi cautè dixit teneri adulterum ad innocentem redire, nisi iam votum emisisset, quasi aliud sentiens, quando data licentia nondum votum emissum est; nam ex parte innocentis matrimonium est integrum, & illæsum, & per eam licentiam non se priuauit potestate ad illam reuocandam, re adhuc integra.

Sanch. D. Thom.

Secundum dubium est, an per copulam sponte à coniuge catholico cum hæretico habitam post notitiam hæresis, ita condonetur ius diuertendi, vt ab eo amplius diuertere non possit in conscientia. Est graue dubium, ad quod sic per distinctionem respondet Thomas Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 15. *num* 26. Si copula fuit habita à coniuge catholico cum hæretico ante latam hæresis sententiam, non fuit facta condonatio iuris, quod catholicus habet ad diuertendum ab heretico, nisi expressus animus illi esset, illud condonandi cum fuerit acquisitum. Et ratio est, quia nemo censetur dare, aut condonare id quod non habet; at coniux catholicus ante sententiam qua declaretur coniux hæreticus, nondum habet ius acquisitum ab eo diuertendi, ac proinde nihil habet, quod actu remittat, nisi expressus animus remittendi ferretur in tempus futurum, cum ius haberet Si autem copula fuit habita post prædictā sententiam condemnatiuam hæresis; tunc quidem si catholicus haberet animum expressum non condonandi per eam copulam ius quod habet diuertendi ab hæretico, in foro conscientiæ non esset condonatio, nec teneretur in eo foro admittere coniugem ad pristinum maritale consortium; quia actus humani non excedunt intentionem agentium, nec fictio illa culpam venialem excederet. Si tamen haberet animum condonandi, esset condonatio in conscientia, & in eodem foro teneretur catholicus coniugem hæreticum admittere, & ab eo diuertere non poterit, quia satis esset velle catholicum condonare omne ius sibi competens, vt remittere censeatur. 29.

An per copulam sponte à coniuge catholico cum hæretico habitā ita condonetur iniuria, vt ab eo diuerti non possit. Sanch.

Dixi, *in foro conscientiæ*, quia in foro externo iudicabitur vera condonatio etiam si expressum animum haberet non condonandi, in foro enim externo præsumitur intentionem fuisse cum facto confirmatam. Ita Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 15. *num.* 21. & Emanuel Sà *verbo*, *Diuortium*, *num.* 7. quapropter cum hæc remissio in foro externo non verbis, sed factis ipsis fiat, parum curat forus externus de intentione si externum factum habeat, latitat enim animus factis, & ex factis animum iudicat, & necessariò prædictum animum supponit, ac præsumit. 30.

Sanch. Sà.

Si tamen errore ductus reconciliationem faceret coniux catholicus per eam copulam habitam post sententiam hæresis, & haberet animum remittendi ius diuertendi sibi acquisitum post prædictam sententiam, putans ex errore se illud remittere teneri, & ad id obligari, tunc non censeretur remissum in foro conscientiæ; quia deficit spontanea voluntas remittendi. Ita docet Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 14. *num.* 16. *&* *disp* 15. *num.* 26. cum aliis. Vt enim detur voluntas remittendi, oportet vt homo sit liber, & sciat se posse remittere, & non remittere; ignorat autem hoc ille, qui cogitat se ad id teneri, & se non esse liberum ad non remittendum, & esse obligatum ad condonandum. 31.

Sanch.

At oppones, ius hoc acquisitum à coniuge catholico post sententiam hæresis alterius coniugis ad perpetuum diuortium faciendum, est pœna, quæ à iure hæreticis imponitur; ergo nec tacitè, nec expressè remitti poterit à coniuge catholico; homo enim particularis non potest impedire, aut remittere pœnas iuris. Sicut si coniux affinitatem contrahat cum altero coniuge; coniux innocens petens ab eo debitum, non ideo illi remittit pœnam, 32.

nam, quam incutit ob affinitatem per copulam carnalem contractam ad non petendum, quia est pœna iuris, quam remittere non potest. Respondeo esse diuersam rationem; quia ea pœna non petendi contracta ob affinitatem, ita est pœna iuris, vt nullo modo sit à iure imposita in fauorem coniugis innocentis, quare ipso inuito potest Episcopo dispensante auferri. At in adulterio carnali, & spirituali, ea pœna adultero imposita, tota est imposita in fauorem innocentis, & ita est pœna iuris, vt sit fauor illius, quod in adulterio carnali constat, & in hæresi facilè probatur; datur enim ius catholico diuertendi ab hæretico in perpetuum, si vellet, ad vitandam infamiam facti, quam contraheret habitando cum hæretico, vnde ipso inuito non potest tolli, ipso verò volente potest, vt bene notat Sotus *in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 4. ad 3. versu, Si verò talis.* Sotus.

33. Sed quid si neuter animus adesset expressus, nec condonandi, nec non condonandi per eam copulam ius acquisitum ad perpetuum diuortium? Respondeo meo iudicio tunc esse virtualem condonationem, & non posse amplius à coniuge hæretico diuertere in conscientia; nam si coniux catholicus; post adulterium commissum, & sententiam latam hæresis sciebat sibi competere ius ad perpetuum diuortium faciendum, cum coniuge errato; profectò censetur tacitè, aut virtualiter remittere ius sibi acquisitum, & in suum fauorem à iure sibi datum: satis enim censetur remittere iniuriam sibi à coniuge factam per nouum accessum ad illum. Ita mihi videtur: quamuis Sanchez *lib. 10. de matr. disp. 15. num. 16* concedat in adulterio carnali esse condonationem neget verò in adulterio spirituali; quia ad condonationem hanc faciendam in adulterio carnali, non tanta, nec tam expressa voluntas desideratur, quanta in adulterio spirituali: nam in adulterio carnali, ratio diuortij est mera iniuria facta innocenti ob carnis diuisionem, ac proinde per nouam copulam, & accessum ad coniugem adulterum, imò & per nouam familiaritatem cum illo, satis caro diuisa, iterum vnitur, & amicitia redintegratur. At in adulterio spirituali, ratio diuortij, & iuris acquisiti ad illud, non est iniuria coniugi catholico illata; sed in pœnam fidelitatis Deo debitæ, violatæ per hæresim, absoluitur coniux catholicus ab obligatione admittendi hæreticum; ac proinde actus copulæ, & amicitiæ coniugalis non tantam habent connexionem cum remissione huius iuris, quantam in adulterio carnali. Est probabilis ista opinio Sanctij; sed admodum metaphysica in materia tam morali; negari enim non potest in adulterio spirituali ius ad diuortium faciendum concessum ab ipso iure coniugi catholico ob adulterium spirituale coniugis, ideo ei concedi, vt vitet infamiam facti, quam contraheret habitando cum hæretico; vnde satis censetur hæc infamia remissa per nouum accessum ad coniugem hæreticum, imò potius censetur hoc ius ad vitandam prædictam infamiam, remissum, & condonatum per ipsum accessum, & saltem hæc mea opinio est valde probabilis. Sanch.

34. *An detur mutua iniuria compensatio si vnus eligit adulterium carnale committat.* Tertium dubium est; vtrùm detur mutuæ iniuriæ compensatio si vterque coniux de hæresi damnetur per iudicis sententiam: vel altero sic de hæresi damnato, altero verò de adulterio carnali, ita vt neutri diuortium liceat. Respondeo breuiter hæresim ante sententiam latam, qua coniux de hæresi condemnatur, non esse sufficientem causam diuortij perpetui, vt diximus in hoc *cap. 8. num. 4.* esse tamen sufficientem causam diuortij ad tempus dum hæreticus non resipiscit, emendato autem hæretico, iam non datur causa diuortij. Non ergo datur quoad diuortium compensatio adulterij carnalis cum hæresi ante prædictam sententiam; quia causa diuortij ob adulterium carnale est perpetua nulla expectata sententia; at non ita ob adulterium spirituale ante dictam sententiam. Vnde integrum erit hæretico nondum damnato diuertere perpetuò à coniuge adultero carnale adulterium committente, non tamen erit integrum ipsi adultero, perpetuò diuertere à coniuge hæretico ante prædictam sententiam, nisi ad tempus solùm dum non corrigitur; quia non datur æqualis, & perpetua causa diuortij ex vtraque parte; quæ quidem æqualitas necessaria est in veris compensationibus; lata autem sententia contra hæreticum, & eo condemnato de hæresi vtraque fornicatio est causa diuortij perpetui, & in hoc casu duplex est opinio. Prima docet dari compensationem adulterij carnalis cum spirituali. Ita Syluester *verbo, Matrim 9. quæst. 8 § 8. & verbo, Diuortium, quæst. 11 §. 14.* & ibi Rosella *num. vltim.* Armilla *num. 9.* Gaeta *in repetitione capitis, Ad lumina 30. quæst. 1. §. 4. num. 234* D. Anton *2. part. tit. 1. cap. 16. § 6. versu, Nota etiam.* Ioannes Andr. *cap. finali de conuersat. coniug. num. 4.* Butrius *ibi, num. 4.* Anchar. *ibi, num. 3.* & alij. Probant, quia vtraque fornicatio est sufficiens causa perpetui diuortij; ergo à fortiori idem operati debet quoad reconciliationem. Secundò, quia ideo dum vterque coniux est adulterij carnalis reus, neutri datur in foro externo diuortium; quia paria delicta mutua compensatione abolentur; at eædem rationes militant altero existente reo adulterij carnalis, altero spiritualis coniuncti. *alter spirituale.* Syluest. Rosell. Armill. Gaeta. D. Anton. Ioan Andr. Butrius. Anchart.

Secunda opinio negat omnino, quia longè diuersa est ratio diuortij in vtroque delicto: in carnali enim adulterio, ratio diuortij est fides violata, & carnis diuisio; in spirituali autem, diuortij ratio est, quòd in pœnam hæresis absoluatur catholicus à debita cohabitatione cum hæretico ad vitandam infamiam facti, quam ex tali cohabitatione contraheret. Deinde, quia iniuria illata per hæresim ab ipso coniuge hæretico coniugi catholico, non potest compensari per iniuriam adulterij carnalis commissam à coniuge catholico in coniugem hæreticum per adulterium carnale: iniuria enim illata per hæresim, primariò Deo infertur, cui fides Theologica denegatur; secundariò coniugi catholico; at verò iniuria illata per adulterium primariò infertur coniugi, cui fides coniugalis denegatur, secundariò Deo. Tertiò, quia in diuortio non attendenda est grauitas delicti in se, sed in ordine ad matrimonium, vt latè probat Sanchez *lib. 10. de diuortio, disp. 6 num. 5.* at in ordine ad matrimonium grauius est adulterium carnale, quàm spirituale, quia maior iniuria infertur matrimonio per adulterium carnale, quàm per spirituale, cum magis hoc, quàm illud aduersetur prædicto matrimonio, vt latè probat Petrus Surdus *de alimentis titul. 7. quæst. 21. num. 8.* & Abulensis *in cap. 19. Matth. quæst. 76. in fine corporis*, & Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 17 §. respondent nonnulli.* Vnde cum maior iniuria inferatur matrimonio per adulterium carnale, quàm per spirituale; sequitur posse hæreticum coniugem post sententiam damnatum, vt magis offensum in fide matrimoniali 35. Sanch. Petr Surd. Abul. Bellarm.

niali diuertere à coniuge carnaliter adultero, non è contra. Quare ex his vera sententia concluditur, nullam dari compensationem quoad diuortium inter hæc crimina; nec etiam quando hæreticus iam est per sententiam damnatus; quia vera compensatio, cum sit actus iustitiæ commutatiuæ, dari non potest, nisi inter res omnino æquales. Quamobrem potest hæreticus coniux per sententiam damnatus liberè diuertere à coniuge adultero, & adulter ab hæretico, si velint, nec tenentur ad inuicem iterum mutuo conuenire, cum non detur compensatio quoad diuortium inter hæc crimina. Si autem hæreticus non sit damnatus, non potest adulter ab eo diuertere in perpetuum, sed ad tempus tantùm dum non conuertitur; conuerso autem, & Ecclesiæ reconciliato, tenetur eum admittere, & ita non dari compensationem diuortij inter huiusmodi crimina docet expressè Sanchez *dict. lib.* 10. *de matr. disp.* 16. *num.* 3. *medio.* Baldus *cap.* 1. *Qualiter vasallus debet domino fidelitatem.* & Gregor Lopez *in l.* 8. *tit.* 9 *part.* 4. *verbo, Porfiado,* quia causæ diuertendi sunt inæquales. Sanchez. Baldus. Greg. Lop.

36. Imò existimat Sanchez ibi non dari etiam compensationem quoad diuortium si vterque coniux sit hæreticus; quia ille qui non est de hæresi damnatus, potest in perpetuum diuertere à damnato, & conuerso, eo inuito, ac renitente; ille autem qui est de hæresi damnatus, non potest in perpetuum diuertere à non damnato; sed tantùm ad tempus dum non emendatur, & Ecclesiæ non reconciliatur; emendato autem, tenetur ad eum redire iuxta ea quæ diximus *n.* 4. *huius cap.* 8. atque ita inter hæreticum emendatum & non emendatum dari non potest vera compensatio diuortij, cum non detur æqualis causa diuertendi.

37. Sanch. Nec etiam iuxta eundem Sancium *dict. num.* 3. & 4. dari potest compensatio quoad diuortium, quando vterque coniux de hæresi damnatus est, ita vt teneantur iterum mutuò cohabitare, quia quamuis delicta sint paria, & par causa, & ratio diuertendi. & paria delicta, mutua compensatione tollantur: attamen hoc est intelligendum, quando pœna iuris delicto correspondens directè, & principaliter est imposita in fauorem vtriusque; at pœna diuortij perpetui in hæresi non ponitur in iure, primò & principaliter, in fauorem coniugis innocentis; sed imponitur in meram pœnam delicti, eo quòd debitam fidem hæreticus Deo non seruauerit, quamuis indirectè & consequenter resultet in fauorem coniugis innocentis. Ita docet Sanchez *dicto lib.* 10. *de matrimon. disp.* 16 *n.* 3. & *lib.* 1. *de eodem matrim. disp.* 68. *n.* 4. Sanch.

38. Sed quamuis hæc illius opinio sit probabilis, probabilior tamen mihi videtur sententia; quæ admittit mutuam compensationem quoad diuortium inter coniuges hæreticos, de hæresi damnatos: quia delicta re vera sunt paria, vterq; enim de hæresi cōuictus est in iudicio cōtradictorio, & pœna perpetui diuortij, si velint diuertere, par; vtrique enim in pœnam delicti data est facultas à iure perpetuò diuertendi, & parum refert quòd primariò, & principaliter infligatur hæc pœna diuortij in pœnam fidei Deo debitæ violatæ, consequenter verò, & minùs principaliter in fauorem vtriusque coniugis, & in pœnam illius à quo alter, eo inuito, diuertitur: nam conuerso hæretico, & fidei Ecclesiæ reconciliato, tollitur peccatum infidelitatis erga Deum, & consequenter ex parte Dei tollitur pœna diuortij, & Ecclesia, & Deus per illam connexionem optát, vt iterum ad maritalem conuictum reducantur huiusmodi coniuges ad vitandum periculum incontinentiæ in vtroque quod plerumque dabitur, & ad vitanda alia incommoda, quæ ex tali separatione oriri possunt. Solùm ergo manet illa pœna quatenus est fauor vtriusque coniugis, quare necessariò tunc admittenda est talis compensatio, velint, nolint, coniuges, quia si ille potest ab alio, eo inuito, separari in perpetuum; hic etiam potest ab illo, eo inuito in perpetuum diuertere, & sic vterque habet suum fauorem, & suam pœnam æqualem, in æqua autem pœna necessariò admittenda est mutua compensatio, compensatione autem admissa, tenentur in conscientia iterum ad statum antiquum redire, & ad inuicem diuertere non poterunt, absque peccato. Et pro hac opinione citari possunt omnes, qui dicunt dari hanc mutuam compensationem delicti inter adulterium carnale, & spirituale, & hi sunt Goffredus *in summa, titulo de adulterij, num.* 6. & *tit. de diuortijs, num.* 14. & D. Anton. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 21. §. 6. *versu, Nota etiam,* & Syluester *verbo, Matrimon.* 9. *quæst.* 8 § 8. & *verbo, Diuortium quæst.* 11. §. 14. & Armilla *ibi num.* 9. & Rosella *num. vltimo.* Citari etiam possunt pro hac parte omnes, qui admittunt dispensationem diuortij in adulterio carnali, & hi sunt omnes hîc citati, & alij plurimi; quia omnes illi fundantur in mutua & æquali iniuria, fauore, & pœna. Goffred. D. Anton. Syluest. Armill. Rosell.

39. Dixi modò, *quoad compensationem, pœnas diuortij esse æquales*; quia licet omnes coniuges æquales sint quoad accusationem ciuilem respectu diuortij celebrandi, & donationis propter nuptias, & quoad dotem amittendam, & lucrandam. At quoad accusationem criminalem, non censentur pares: viro enim conceditur accusare criminaliter vxorem adulteram, non tamen è contrario, quia non tanta honestas requiritur in viro, quanta in fœmina, vt habetur expressè *l.* 1. *C. ad legem Iuliam de adulterijs*, & docet Sanchez cum multis *lib.* 10. *de matrim. disp* 8. *num.* 33. Hinc deducitur accusante viro vxorem criminaliter de adulterio, non posse illam opponere exceptionem similis adulterij, nec esse in iudicio admittendam, si opponatur, quia in hac accusatione sunt dispares; licet sint pares in accusatione ciuili quoad diuortium faciendum, & quoad donationem propter nuptias, & quoad dotem amittendam. Ita docet idem Sanchez citatus modò *num.* 34. Butrius *in cap. fin. num.* 5. *de adulter.* Barbosa *in rub.* 2. *part. num.* 38. *ff. soluto matrim.* Couat *in* 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 7. §. 6. *num.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 37. *quæst. vnica, artic.* 3. *ad finem, corpore.* Cenedo *in collectan. iuris, collectan.* 166. *num.* 4. vbi plurimos, & grauissimos refert, & est doctrina communis & vera. Sanch. Butrius. Barbos. Couat. Sotus. Cenedo.

Caput IX.

De obligatione viri erga vxorem quoad alimenta.

SVMMARIVM.

Proponuntur varia quæstiones tractanda. numero 1.

Tenetur vir vxorem alere, quam sine dote duxit. num. 2.

Quid

Quid si illa sit diues, & maritus postquam illam sine dote duxit, dotem petat, & illa neget: refertur prima opinio affirmans teneri illam alere. ibid. num 3.
Astruitur sententia negans. num.4.
Quid si pater illius sit diues. num.5.
Maritus pauper non tenetur vxorem alere. num 6.
Maritum pauperem tenetur vxor diues alere. numero 7.
An mortuo marito nulla omnino bona relinquente teneatur vxor illius vidua soluere ex suis bonis dotalibus debita mariti contracta ad eam, & familiam illius alendam. num. 8. Refertur prima sententia affirmans. ibid.
Refertur secunda negans. num.9.
Sententia authoris. num.10.
An filij maiores natu teneantur ex redditibus maioratus soluere debita parentum facta ad illos alendos num.11. & remissiuè ad caput 2. num.34.
Quid si vir dederit centum vxori ad soluendum crediteribus, an tunc teneatur illa ea soluere ex suo si ea centum expenderit in propriam sustentationem. num.12.
An vxor insumens aliquid pro sustentatione de bonis acquisitis à viro per vsuras, teneatur illud restituere ex suo, si maritus non habeat vnde restituat. num.13.
Quid si matrimonium sit contractum per contractum medietatis num.14.
Coniuges pauperes tenentur se mutuò alere. numero 15.
Vir de iustitia tenetur vxorem alere dum cum eo habitat. num:16.
Secus si ab eo culpa sua, & propria temeritate discedat. num 17.
Quid si vir dotem vxoris habet, quæ ab eo sua culpa discedit. num.18.
Vxorem, quæ à viro ob nimiam castigationem discedit, tenetur vir alere. num.19.
Vxori adulteræ, an teneatur vir alimenta præstare. num.20.
Quia de foro externo. num.21.22.
Quid de foro conscientiæ. num.23.
Vxorem adulteram non potest vir licitè occidere, licet occidat impunè. num.24.
An vir teneatur vxorem alere quam in solis osculis, & amplexibus deprehendit. num.25.
Vir accusans vxorem de adulterio, tenetur eam alere, & expensas ad litem dare. num.26.
Vxorem contra virum diuortium petentem in iudicio tenetur vir alere, & expensas ad litem dare. num 27. num.27.
An vir teneatur vxorem alere, quam iniustè domo expulit, si illa postea fame, vel necessitate oppressa adulterium committat. Refertur opinio affirmans. num 28.
Astruitur negans. num.29. Quid si eo fine expulit. ibidem.

1\. VARIÆ in hoc sunt capite quæstiones disputandæ. Prima est, an coniuges teneantur sibi inuicem mutuò alimenta præstare: an vir teneatur vxorem alere quam sine dote duxit, aut cum dote promissa sed non soluta, & an teneatur vxorem adulteram alere siue cum dote, siue sine dote eam in matrimonium acceperit, & quid quando vxor sua culpa à viro sponte recedit, & illi non vult cohabitare; & alia dubia hîc suo ordine tractabuntur, quæ scitu sunt dignissima, & vtriusque fori notitiam requirunt.

2\. *Vir tenetur vxorem alere quam sine dote duxerit.*

Sic in primis statuo: Tenetur vir vxori alimenta præstare, quam absque dotis promissione duxit Probatur, quia sibi imputare debet, quòd nullam dotem postulauarit; Deinde quia tacitè videtur personam vxoris pro dote accipere; sunt enim nonnullæ, quarum industria plus valet, quàm multa dos; & ad ei hæc alimenta præstanda potest in vtroque foro cogi. Hæc est communis Doctorum, & neminem contrarium asserentem ioηenio; ita Molina *tom. 2. de iustit. disput 425. pag 1130. §. Si marito dos, infra initium.* Couarruuias *in Epitome in 4 lib. decretal. part.2. cap.3 §. 8. num.5. & cap.7. num. 2.* Surdus de alimentis multos referens, ac sequens *tit. 1. quæst.32. num.11. & tit.7. quæst.19. num. 1.* Barbosa *2. part. rub ff. soluto matrimonio num.43.* Simancas *de cathol. Inst. tit.16. num. 19.* Bertachinus *in repert. litera M. verbo, Maritus alere, initio.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 5. num. 8.* & alij.

Molin. Couar. Surdus. Barbosa. Simanc. Bertach. Sanch.

3\. *Quid si illa sit diues vel eius pater.*

Solùm hîc dubium esse potest, an maritus teneatur vxorem alere, quam sine dote duxit, quando illa est diues, aut pater eius. Duæ sunt hac de re opiniones Prima affirmat: Hanc tenet Molina citatus, vbi sic ait, *Si quis duceret aliquam vxorem nulla illi promissa dote, tunc si parentes vxoris dotare eam possint, cogendi sunt id facere, & siue dotent siue non, teneretur maritus in eo euentu illam sustentare.* Hæc ille; & fundamentum est, quia sibi imputare debet nullum de dote sibi priùs constituenda pactum inisse, & quia re vera indotatam duxit: & addit nec illam, nec parentes eius teneri postea in conscientia illi dotem constituere; ita cum Molina docent multi quos refert, sed non sequitur Sanchez *lib 6. de matrim disp. 5. num.8* & ita sentit Petrus Surdus *de alimentis titulo 7 quæst.19. num. 1. & tit.1. quæst.32. à num.12.* addit tamen *quæst. 32. num. 15.* posse postea ab vxore, vel parentibus illius dotem petere competentem, quam si negent, ei posse negare alimenta, & non teneri eam ampliùs ex suo alere, quia aliud est alere, aliud dotem petere competentem. Vnde si nolit alere, nec dotem petere, cogetur alere; si autem petit, non tenetur postea eam alere.

Surdus

4\. Secunda opinio, quam veriorem existimo, docet non teneri virum vaorem alere, quam sine dote duxit si illa diues sit, & dotem nolit constituere. Hanc tenet Baldus *l. finali num. 9. C. de sententia; quæ sine certa quant.* Iason. *l. si donaturus. §. si quis in debitam, num. 4. ff. de cond. causa data.* Ioannes Lupus *in cap. Per vestras, de donat. inter vir. & vxorem, notabili 3. §.2. num 1.* & Sanchez *lib 9. de matrim. disput.5. num 9. & lib. 1. disput. 59 n.4. & disp. 60. num. 2.* & in his duobus locis posterioribus multos pro se citat. Fundamentum est, quia dum mulier diues absque dotis promissione ducitur, videtur tacitè elicere actum de dote constituenda; quare dum dos tacitè promissa non soluitur, iustam causam vir habet ei denegandi alimenta: nunquam enim solent viri mulieres diuites ducere; nec tanto studio eas inquirunt ac solicitant, nisi sub tacita dotis intentione; quam præsumitur mulier promittere dum aliquem in maritum acceptat.

Bald. Iason. Ioann. Lup. Sanchez.

5\. Quando autem non ipsa mulier, sed pater eius diues esset, dotemque pater illi constituere nollet, tunc profectò astringeretur eam de suo alere, quia dotem in pactum non deduxit. Ita docet Molin *tom.2. de iust. disp.425. fol. mihi 1130. §. si marito dos.* Couar. *in epitome 4. lib. decretal. cap.7.* in

Molin. Couar.

Sanch. *in initio, num 2.* Sanchez *dict. lib. 9 de diuortio, seu de matr. disp 5. num. 9. fine.*

6. Barbos. Bald. Hæc autem intellige, si maritus diues sit & possit; nam maritus pauper non tenetur vxorem alere; sicut non tenetur filios; nemo enim ad impossibile obligari potest, nec quisquam tenetur vxori vltra id quod facere potest. Ita Barbosa *l. Si constante 25. init. num. 52 ff. soluto matr.* Baldus *in l. Vbi adhuc, num. 25. de iure dotium,* & ita habetur *in l. Si quis à liberis, §. penultimo, ff. de lib. agnoscend.*

7. Tolet. Sard. Sanch. Bertach. Barth. Pontan. Petr. Greg. Imò quamuis proprium sit viri, vxorem, filios, & familiam sustentare, & teneatur laborare, vt illis huiusmodi alimenta præstet, & mortiferè peccet, nisi id efficiat; vt optimè docet Toletus *lib. 5. summa, cap. 2.* tamen si vxor diues sit, & maritus pauper, & ignauus, nec habeat industriam ad alendam vitam, tenetur vxor viro inopi, & ignauo alimenta præstare, vt probat *l. Si cum dote 23. §. si maritus ff. soluto matrimonio,* ibi: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse?* & docet Surdus *de alimentis, tit. 1. quæst. 35. num. 6. 7. 8. & quæst. 36. num. 6. & 7.* & ibi *in num. 7.* cum multis quos citat, tenet si bona dotalia non sufficiant, teneri vxorem ex bonis paraphernalibus ea alimenta viro pauperi tribuere, & ita docet etiam Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 4. num. 27.* Bertachinus *in Rep. lit. V. verbo, Vxor alitur, versu, Vxor diues.* Guido Papæ *decis. 439 num. 2.* Bartholus *in tract. de alimentis, num. 49.* & in citat. *l. Si cum dotem, §. sin autem. num. 16.* Pontanus *de alimentis, cap. 14. num 5* habetur *tom. 8. tractatuum iuris, part. 1.* Petrus Greg. *Syntagmat. iuris lib. 9. cap. 19. num. 5.* & alij. Oritur hæc obligatio ex ipso iure naturæ cohabitandi simul propter debitum reddendum iuxta illud Geneseos 2. *Erunt duo in carne vna*; vt diximus *cap. 7. num. 5.*

8. Lara. Gamma. Barbos. Surdus. Et hinc oritur hæc quæstio, an scilicet, quando, mortuo viro, & soluto matrimonio, nulla supersunt viri bona, teneatur vxor illius vidua ex bonis suis dotalibus, vel arrhis, soluere debita à viro suo contracta ad ipsam, & familiam alendam, v. c. ad soluendam famulorum mercedem, domuum locationem, ad vestes, & cibaria familiæ. Et hac de re duplex est opinio. Prima affirmat, eam tenet Lara *l. Si quis à liberis, §. si quis ex his, num. 115 ff. de lib. agnosc.* Gama *1. part. decis. 366. num. 7.* Barbosa *l. Si constante 25. in init. num. 52. ff. soluto matr.* Petrus Surdus *de aliment. priuil. 48. num. 5.* & addit Barbosa *num. 35.* viro dante maiora alimenta, quàm teneretur inspecta qualitate personæ, adhuc obligari mulierem, si bona habet, in illius subsidium; & hi citant alios.

Gabriel. Probant primò, quia quando res aliena in vtilitatem alicuius conuersa est, quamuis eam minimè furto acceperit, tenetur ille in cuius vtilitatem conuersa est, in subsidium accipientis, eam soluere, & restituere, vt cernitur in illis, qui hædum furtiuum vescuntur, scientes esse furtiuum, tenetur enim vnusquisque illorum in subsidium furantis illum restituere; quia in aliorum vtilitatem conuersus fuit, vt docet expressè Gabriel *in 4. dist. 15. quæst 3. post proposit. 3.* æquiparantur enim hi illis, quorum alij alicuius census vineam demoliuntur, vnusquisque suum modicum accipiendo, quorum vnusquisque per se ad suam partem, & in defectum aliorum ad totum tenetur, vt patebit in septimo præcepto *lib. 1. cap. 13 à num. 4.*

Secundò, quia vbi aliquis occasione rei alienæ fit ditior, tenetur quamuis rem illam apud se non habeat, restituere id in quo factus est ditior, idque in vtroque foro, vt patet *ex l. 2. ff ad legem Rodiam de iact. merc. in principio,* vbi decernitur, si laborante naue aliquarum mercium iactus factus sit, detrimentum esse commune, & ad illas teneri illos quorum merces propter aliarum iactum saluæ factæ sunt, quia occasione iactus rei alienæ, ditiores facti sunt, perirent enim omnes merces nisi illæ iactarentur. Sed occasione mutui accepti à viro paupere vxor eo alimentata ditior facta est; ex suis enim se bonis, aut ex mutuo accepto aleret; ergo in defectum, & subsidium viri tenetur soluere.

Tertiò, quia quando vxor est diues, & maritus pauper, tenetur vxor maritum alere, vt resoluimus *num præcedenti*; ergo æs alienum ad hoc contractum, est verè debitum ipsius vxoris; ac proinde tenetur vxor illud soluere, & pro illo in foro externo potest conueniri.

Secunda sententia negat omnino, eam docet 9. Arias. Molin.
Gomez Arias *l. 49. Tauri, num. 7.* Molina *tom. 2. de iust. disp. 435. §. Tertium est,* ibi; *& quamuis Gama reclamet affirmans in eo euentu de dote, & vxoris bonis esse soluenda ea debita quando in alimentis vxoris, & familia fuerunt consumpta, mihi sanè id non placet; quoniam nullo solido fundamento probatur.* Tenet etiam hanc opinionem Emanuel Rodriguez *1. tom. summæ, edit. 2. cap. 100. num. 8.* & Sanchez *lib. 9. de matrimon. disput. 4. num. 39.* Rodrig. Sanch.

Probant primò, quia vxor minimè teneretur ad ea debita à viro paupere contracta pro suis alimentis, si facultates viri successu temporis augerentur; ergo non tenetur quando vir est pauper, & non habet vnde soluat; quia si ratione paupertatis mariti teneretur, postea redeunte viro ad meliorem fortunam non resurgeret ea obligatio, nec ea deobligaretur vxor; si enim paupertate viri extingueretur illius obligatio, profectò auctis illius fortunis non reuiuisceret, obligatio enim semel extincta non reuiuiscit *l. Cum ex causa, C. de remiss. pignor.*

Secundò, quia si Titius, vt satisfaciat suis creditoribus, æs alienum conflet, existimans se posse illud in futurum soluere: si postea non possit, nullus dicet creditores illos, quibus eo mutuo satisfactum est, propterea quod totum illud in illorum vtilitatem fuerit conuersum, teneri eam pecuniam soluere posterioribus creditoribus, nec etiam dicet hos posteriores actionem habere erga illos priores; quia hi posteriores nullum contractum cum prioribus inierunt, nec illi ab istis quicquam acceperunt, aut mutuum petierunt. Ergo similiter quamuis maritus mutuam pecuniam conflet ad alendam vxorem, & illius familiam, & ea pecunia in vtilitatem vxoris conuersa sit, non tenebitur vxor ad illius solutionem; quia nullum contractum cum creditoribus iniit, nec quicquam ab illis accepit. Tertiò, quia *in l. 60. Tauri lib. 5. recopil. tit 9. l. 6.* generaliter deciditur mulierem, lucris durante matrimonio acquisitis renunciantem, non teneri ad æs alienum constante eodem matrimonio à viro conflatum.

Ita se habent huiusmodi opiniones ambæ pro- 10.
babiles. Prima mihi probabilior est, & fateor nunquam mihi placere potuisse hanc Sancij opinionem; quia ea in causa est multorum scandalorum in Republica, & multarum litium, & quod deterius est, occasio esse potest expilandi crumenas,

menas, & res alienas, inde enim mariti occasionem sument viuendi splendidè, & alendi vxores ex alieno mutuo, si postea illæ ad id non tenerentur in defectum illorum. Et ideo ad primum respondeo obligationem illam reuiuiscere, redeunte viro ad meliorem fortunam, quia ob paupertatem non fuit simpliciter extincta; sed extincta ad tempus, & sub conditione redibilitatis nisi melior redeat fortuna.

Ad secundum respondeo, secundos creditores non habere ius neque actionem aduersus priores; quia per solutionem sui debiti nihil acceperunt, quod antea non haberent, & quia licet ea pecunia in illorum vtilitatem fuerit conuersa, tamen in rigore inde ditiores non sunt facti, cum suum acceperint; contra verò illa mulier ditior facta est ex mutua pecunia aliena, quam maritus ad eam alendam mutuo accepit; quia nisi illam sic aleret, illa tenebatur se alere ex suo, ac proinde ditior facta est, quatenus non expendit id quod debebat expendere, nisi illud esset mutuum.

Ad tertium dico parum referre quòd mulier illa constante matrimonio, aut mortuo viro renuntiauerit bonis acquisitis à viro, imò & hæreditati viri, quia si inde facta est ditior, ad id tenetur, nec ius Castellæ aliquid in nostro casu decidit, vt consideranti patebit, & si decidit, procedit in foro externo, non conscientiæ. Si tamen vxori constiterit virum suum debita non conuertisse in bonum commune domus, & alimentum familiæ, sed in illicitos vsus, ludos, & scortationes ea expendisse, tunc quidem nec in foro conscientiæ, nec in foro externo ad ea tenebitur, si id in foro externo probare potuerit.

11. Eadem est quæstio, an filij primogeniti, qui nihil aliud acceperunt à parentibus præter suum maioratum à suis maioribus institutum teneantur ad debita parentum contracta ab ipsis patribus ad illos alendos, & sustentandos, quam etiam pro affirmatiua parte decidimus *cap. 2. num 34. & 6.* & quæ ad explicationem pleniorem huius quæstionis hîc desunt, inde petantur, ibi enim eam quæstionem latiùs tractauimus.

12. Sanch. Fatetur tamen Sanchez citatus *dicto lib. 9. de matrim. disp 4 num.* 31. vxorem teneri de suo soluere debita viri contracta ad se alendam in eo casu, in quo vir traderet vxori centum, v. g. vt solueret creditoribus, & illa ea expenderit in suam, suæque familiæ sustentationem; quia in hoc posteriori casu causam dedit ne creditores debitum suum recuperarent, & citat pro se Ludouicum
Lud Lop. Lopez 1 *part. instruct. cap.* 161. §. *Qualis autem, versu, Tandem dubitari potest*, quæ doctrina vera est, & nostra etiam vera.

13. Est hîc dubium graue emergens. An vxor non plus insumens de bonis à viro suo per vsuras acquisitis, quàm congruam sustentationem iuxta personæ propriæ qualitatem, teneatur postea ad restitutionem de suis bonis faciendam iis, quibus maritus per vsuras damnum dedit, si maritus nihil
Nauar. habuit vnde solueret Negant omnino Nauar-
Sanch. rus *in manual. Lat. cap.* 17. *num.* 168. & Sanchez *dict. lib. 9. de matrim. disp. 4. num.* 3. & ibi citat
Molin. pro se Molinam *tom 2. de iust. disp.* 350. § *de vxore eiusmodi*; sed ibi apud Molinam in mea editione, nec rem, nec talem §. inueni. Fundamentum illorum est, quia non minùs debitor est vir vxori suæ talis sustentationis, quàm cæteris creditori-
Molin. bus, & alioqnin vt docet idem Molina *dict. tom* 2. *disp* 274. mulier semper præfertur aliis creditoribus mariti, & debitum mulieris aliorum creditorum debito. At id consequenter debent affirmare omnes citati *num.* 8. pro nostra opinione; quia totum id expensum est à viro in vxoris vtilitatem, & inde illa facta est ditior, quia tantum deberet insumere ex proprio, nisi ex alieno à marito aleretur, quare velit nolit ad id tenebitur.

Hæc tamen quæ dicta sunt in opinione Sancij, & Molinæ *num.* 9. explicata, intelligenda sunt, 14.
quando matrimonium celebratum fuit per contractum dotis, & arrharum, & sub ea conditione, vt mulier soluto matrimonio extraheret suam dotem integram, & arrhas, quia tunc ille tenebatur sustentare vxorem ex fructibus dotis, & ex bonis propriis salua semper illius dote, & arrhis; nam si per contractum medietatis bonorum, matrimonium celebratum fuit, vt plerumque fit in nostra Lusitania, non sic res habet, sed sumptuum omnium, quos vir facit, dimidium pertinet ad vxorem, & sic tenebitur illa in illorum opinione, si consumptis omnibus bonis dotalibus mariti, & vxoris, debita remaneant, post mortem viri ex suis bonis paraphernalibus, vel aliunde soluto matrimonio, hæreditate acquisitis, dimidium debiti soluere creditoribus pro se à viro alenda contracti. At in nostra opinione si quæ bona paraphernalia constante matrimonio habebat, totum debitum tenetur soluere, quia totum insumptum est in illius sustentatione, vt supponimus, & tantundem illa insumptura erat ex ipsis, nisi ex debito à marito ad effectum illam alendi contractum, aleretur. Et idem dicendum est si post mortem viri, & soluto matrimonio aliqua bona hæreditauit; quia eadem debita erat illa factura ad se alendam.

Ex dictis satis constat teneri coniuges sibi in- 15.
uicem alimenta præstare in necessitatibus; quando enim maritus est pauper, & vxor diues, tenetur vxor maritum alere, vt diximus *num* 7. ex suis bonis paraphernalibus, & ex propria industria, & oritur hæc obligatio, vt ibidem diximus, ex iure naturæ, & obligatione cohabitandi simul propter redditionem debiti coniugalis: quamuis autem in necessitatibus hæc obligatio mutua sit, tamen præcipua quadam obligatione tenetur vir vxorem alere, vt patet ex *l. Penultima, ff. vt in possess. legatu & ex l. Si filias, §. 1. ff. familia erciscund & l. Si cum dotem, §. sin autem, ff. solut. matrimonio*, & latissimè id probat Surdus *de aliment.* Surdus.
tit. 1. tota quæst. 31. Et ratio à priori est, quia ideo dotem cum vxore accipit, vt matrimonij onera subeat; præcipuum autem onus matrimonij est sustentatio mulieris, & familiæ, quæ de iustitia debetur vxori; per dotem enim, & matrimonij contractum tacitè à viro hanc suam, suæque familiæ sustentationem vxor emit, in cuius quasi pretium, vt egregiè docet Molina *tom. 2. de iusti-* Molin.
tia disp. 274. *pag.* 128. §. *Equidem.* vxor illi dedit dotem, & insuper præstat iuuamen & operas suas

Ex quo principio optimè infert ibidem Molina posse mulieres in Hispania, & maximè in Lusitania inuitis maritis eas eleemosynas facere, quas facere consuescunt aliæ mulieres sui status, opum, & conditionis, quia eleemosynæ in iure nomine alimenti veniunt; vnde si certa portio mulieri in iudicio assignetur ad competentem sustentationem, ratio in ea adiudicanda haberetur, non solùm victus, vestitus, ornatus, & famulatus iuxta qualitatem personæ spectatis opibus, sed etiam eleemosynarum, & honestæ recreationis, quia
hæc

hæc omnia veniunt io iure nomioe congrui alimeoti. quod per dotem constitutam tacitè à maritis emunt; quando autem dos promissa nou soluitur, statim dicemus.

16. Hæc autem alimenta tenetur vir vxori de iustitia dare, quando vxor viro cohabitat, & ab eo voluntariè non recedit: si enim absque viri culpa propria temeritate ab eius consortio recedat, eam alere non tenetur, quia vxor debet esse in obsequio viri. Vnde si obsequium præstare nolit, receptura non est alimenta sibi debita; *qui enim non facit quod debet, non recipit quod oportet, l. si ea. C. de condit. insertis in l. Iulianus §. assinis ff. de act. empt.* & quia obligatio viri ad alendam vxorem oritur etiam ex iure oaturæ cohabitandi simul propter debitum reddendum iuxta illud Geneseos 2. *Erunt duo in carne vna*, & celebrato matrimonio emit vxor à viro haoc sustentationem constituta dote & pecunia dotali sub illa conditiooe; *modò cum viro habitet, & ab eo culpa sua, & propria temeritate non recedat.* Ita docent Petros Surdus *de aliment. tit. 1. quæst. 32. num. 17. & titulo 7. quæst. 16. à num. 2.* Brunonius à Sole *in suo compend. lit. M. verbo, Maritus cogitur.* Petrus Barbosa 2 *part. rub. ff. soluto matrim. num. 43.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 4. num. 20.* Guttier *in qq. Canon. lib. 1. cap. 24. num. 7.* Couar. *in 4 decretal. 2 part. cap. 7. § 5. num. 2* Bald. *l. 1. num. 9. C. de legat.* & communiter omnes.

Petr. Surd.
Brunonius.
Barbos.
Sanch.
Guttier.
Couar.
Baldus.

17. Si autem non propria temeritate, sed culpa viri, v. g. ob sæuitiam illius, aut ob periculum imminentis mortis, vel veneni, vxor ab eo recedat, & io illius obsequio non sit, tenetur vir eam alere, ac si io illius obsequio maneret, etiamsi eam absque dote duceret, quia si secum habitaret, ad id teneretor, & quia vt diximus *num. 2.* tenetur vir vxorem alere, quam absque dote duxit, ac si cum dote duceret; quia vxore pro dote contentus fuit, & sibi imputet si dotem non petiuit. Vnde cùm ob culpam viri cum eo noo habitet, gaudet habitantis priuilegio, & tenetur vir in conscientia eam alere, & ad id io foro externo obligabitur, cogetúrque vt docet Sanchez *dict. lib. 9. de matrim. disput. 4. num. 21. ad finem.* Ioaones Lupus *capite, Per vestras de donat. inter virum, & vxorem, notabili 3. in principio num. 4. versu, Ego verò.* Barbosa 2 *part. Rubrica, ff. soluto matrimon. num. 43.* Maticoso *lib. Recopil. tit. 9. l. 2. glossa 1. num. 50.*

Sanch.
Ioan. Lup.
Barbosa.
Matiens.

18. Dices etiam quando vxor propria culpa, & absque sæuitia viri, aut culpa ipsius viri ab eo recedit, videtur vir teneri ex iustitia eam alere si dotem habeat, quia ratione dotis tamquam pretio constituto, vxor alimenta congrua à viro emit, & ideo, vt diximus, ex iustitia tenetur vir eam alere & semper alere. Respondeo vxorem quæ dote constituta viro nupsit, ad duo ex natura contractus ipsius matrimonij obligari. Primò ad tradendam viro dotem promissam. Secundò ad manendum in ipsius obsequio; quare si in alterutro deficiat, statim cessat ipsam alendi obligatio; per matrimooialem enim contractum se obligat vir ex parte sua ad alendam vxorem, competenter ad genus suum, vxor verò ad dotem ei tradendam & ad manendum in ipsius obsequio; quare si in altera harum conditionum vxor deficiat, vir eam alere non tenetur. Sic respondet Petrus Surdus *de alim. tit. 7. quæst. 17. num. 14.* Quæ responsio est optima, & eam approbat Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 4. num. 21.* & omnes *num. 16* allegati.

Surdus.
Sanch.

19. Hinc bene infertur vxorem, quæ à viro suo recedit ob nimiam corporis castigationem, à viro esse alendam; quia culpa viri ab eo recedit; secus si ob moderatam, quia sine culpa viri culpa sua, & propria temeritate recedit: permissum enim est viro vxorem corrigere, & moderatè punire, talis enim est ioter illos societas, qualis inter patrem, & filium, non qualis inter seruum, & dominum. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 4. num. 22.* Lud. Viues *in lib. de officio mariti, capite de eligenda vxore, ad finem.* Lara *l. si quis à liberis §. si quis ex his, num. 110. ff. de lib. agnoscend.* Petrus Surdus *de aliment. titulo 7. quæst. 16 num. 5.*

Sanchez.
Viues.
Lara.
Surdus.

Vxori adulteræ, ao vir teneatur alimenta præstare, est dubium. Quidam asserunt teneri facta etiam tori separatione, quia noo desinit esse vxor. Ita ait Iulius Clarus *lib. 5. receptar. §. Adulterium. versu, facta autem.* Antoo. Gabr. *tom. 1. communium opinionum lib. 5. fol. 21. versu, Adulteram vxorem etiam tori separatione*; sed miror hos viros tam doctos hoc dixisse. Debent fundari, quia licet ob adulterium possint viri impunè vxores adulteras occidere propria authoritate; attamen illicitè occidunt, & peccant mortiferè occidendo; licet enim ob id per leges ciuiles, non puniantur propter iustum dolorem; attamen non excusantur à peccato. Vera enim opinio dicit posse maritum impunè propria authoritate adulteros in adulterio comprehensos occidere, non tamen licitè, & absque peccato: quam tenet Sanchez *lib. 10. de matr. disp. 8. num. 39* Gutierrez *quæst. pract. l. 2. quæst. 1. num. 22.* Lud. Lop. *1. part. Instruct. cap. 295. §. pro faciendo.* Syluester *verbo, Homicid. 1. quæst. 2. dicto 6.* Valentia *2. 2. disput. 5. quæst. 8. punct. 3. § secundum est.* Aragonius *2. 2. quæst. 64. art. 3. ad 2* Sà *in summa verbo, Homicidium num. 15.* Couarruu. *in 4 decretal. 2. part. cap. 7. § 7. num. 9.* Nauarra *lib. 3. de restitut. cap. 3. part. 2. in noua edit. dub. 8. num. 206.* Nauarrus *in summa Hispan. cap. 15. num 3. in fine*, & alij multi, quos citat, ac sequitur Sanchez *ibidem*, & patet ex *l. Gracchus, C. ad legem Iuliam de adult.* quia leges permittentes aliquid impunè fieri, noo ideo à culpa excusant: sic in Republica permittunt leges, ad vitanda maiora scandala, lupanaria, & meretrices, & tamen illæ à peccato non excusantur. Vnde si maritus peccat occidendo vxorem adulteram in adulterio deprehensam, etiam peccabit mortaliter ei alimenta negando, cum alimenta dentur ad alendam vitam, & illorum negatio sit quædam vitæ sublatio, imò quædam vitæ enecatio. Sed hoc fundamentum statim solues *num. 24.* 20.

Iul. Clar.
Ant. Gabr.
Sanch.
Gutier.
Lud. Lop.
Syluest.
Valent.
Aragon.
Sa.
Couar.
Nauarra.
Nauar.

Negatio alimentorum est quædam vitæ enecatio.

Alij censent vxorem eiectam à viro ob adulterium non notorium, sed occultum, alendam esse à viro, & ad id virum teneri, secus si illam eiciat ob adulterium notorium, quia in priori casu non priuatur vxor iure quod habet in virum, nec alimentis, nisi secuta sententia, nec potest à viro domo expelli, nec vir ab ea diuertere, & separari. Sic docet Alexander de Neuo *capite, Plerumque, de donat. inter virum, & vxorem. num. 9. & 10.* Rosella *verbo, Diuortium num. 11. fine.* Angel. *verbo, Dos, num. 27.* Armill. *ibi, num. 18.* Tabiena *quæst. 11. num. 12.* Syluest. *ibi, quæst. 14. dict. 9.* & specialiter Petrus Surdus *de aliment. tit. 1. q. 118. num. 5. & titulo 7. quæst. 16. & 57.* Ioannes Lupus *cap. Per vestras. de donat. inter virum, & vxorem § 39. num. 5.* Roland. *consil. 50. num. 6. vol. 1.* Lara *l. si quis à liber. §. si quis ex his, num. 75. ff. de lib. agnoscend.* 21.

Alexand.
Rosell.
Angel.
Armill.
Tabien.
Syluest.
Petr. Surd.
Ioan. Lup.
Roland.
Lara.

22. At hoc videtur procedere in foro externo, quia in eo ſicut vir non poteſt negare habitationem, & conuictum vxori occultæ adulteræ, ita nec alimenta; ſed cogetur ad vtrumque donec diuortij ſententia feratur.

23. In foro autem conſcientiæ, ſicut vir conſcius adulterij vxoris, & de illo moraliter certus, negare poteſt conuictum, & cohabitationem vxori; ita & alimenta negare, vt diximus *cap.8.num.19.* vbi probauimus ex natura rei poſſe virum innocentem conſcium adulterij occulti vxoris ſuæ, ita ab ea ſeparari, vt poſſit ad religionem, & ad ſacros ordines tranſire, quia omni iure maritali poteſt tuta conſcientia eam ſpoliare. Ita docet Sanchez *lib.10. de matr. diſp. 8. num.* 25. Sotus *in 4. diſt.36. quæſt. vnica art.3. ad finem cap.* Barthol. de Ledeſm. *de matr. dub. 67. fine.* Rodrig. *tom.1. ſumma in 2. ed't. cap.140. num. 4.* & ratio eſt, quia Chriſtus Dominus *Matth.5. & 19* permittit viris dimittere vxores ob adulterij cauſam, & non requirit publicum, aut notorium adulterium: ſufficiet ergo, vt vir poſſit ab vxore diuertere quòd adulterium ſit certum, licet occultum ibi, Matth. 5. *Dictum eſt antiquis, qui dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari.* & 19. *Ego autem dico vobis, quia quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, mœchatur.* Et huic noſtræ opinioni fauet etiam Abbas *cap. finali, num. 10. de adulter.* & ibi Anan. *num.* 2. quatenus indiſtinctè docent viros non teneri præſtare alimenta adulteris vxoribus, quod rectè intelligit Sanchez allegatus, ſi illas expellant ob adulterium occultum, aut ab illis toro ſeparentur. Et idem dicendum eſt, ait, ſi eas domo non expellant, vel ab illarum toro non ſeparentur, eo quod commodè non poſſint, vel careant probatione, qua contra ipſas litigantes ſe tueri poſſint; at non habent eas, vt vxores; ſed retinent inuiti donec commodè dimittere poſſint.

Sanch. Sotus. Barth. Ledeſm. Rodrig.

Abbas. Anania.

24. Ad fundamentum opinionis *num. 20.* appoſitæ. Reſpondeo Chriſtum permiſiſſe dimiſſionem vxorum, & ſeparationem tori ipſarum viris ob illatum adulterium, & non permiſiſſe occiſionem, imò prohibuiſſe vniuerſim omnes occiſiones propria authoritate factas in 5. præcepto Decalogi; *Non occides*; & conſequenter etiam permiſiſſe illis negationem alimentorum; quia hæc non debentur vxoribus, niſi dum in obſequio ſuorum virorum ſunt, vt ſuprà diximus, & quamuis alimentorum negatio ſit quædam vitæ ſublatio, imò quædam vitæ enecatio, attamen id quidem eſt lato modo, non preſsè, & per ſe loquendo. Deinde dic per negationem alimentorum non intelligi hic alimenta præcisè ad vitam neceſſaria, vnde ſi vxores in extrema neceſſitate ſint, non poſſunt mariti vxoribus adulteris alimenta denegare; ſi enim debentur cuilibet proximo, etiam illis debentur; quia adhuc ſunt proximæ, & ita illis debentur ſicut debentur Turcis, & infidelibus in extrema neceſſitate conſtitutis.

Quo ſenſu teneatur maritus alimenta dare & poſſe negare vxori adulteræ.

25. Aliqui doctores hoc ita ampliant, vt non ſolùm non teneatur vir vxorem adulteram alere; ſed nec etiam cùm eam in ſolis oſculis, & amplexibus deprehendit; quia ſicut ob hæc priuatur vxor dote: ita & alimentis: ita Lara *l. ſi quis à liberis § ſi quis ex his num.77.ff de liber agnoſcend.* Surdus *de alimentis tit.7.quæſt.16. num.35.* ſed ſicut non eſt verum eam tunc priuari dote, vt optimè, & latè oſtendit Sanchez *lib. 10. de matrim. diſp.4. num.12.* ita nec alimentis priuari poteſt. Deinde, quia ſolùm priuari poteſt alimentis ob adulterium, quando eſt certum; at oſcula, & amplexus non eſt adulterium, nec diſpoſitiones proximæ ad illud, ſed remotæ, nec eſt certum, quæ admiſit oſcula, & amplexus, commiſiſſe adulterium in virum ſuum. Fauet huic opinioni Sanch. *dict. lib.10. de matr. diſp.8. num.* 27. Nec etiam oſcula & amplexus ſunt ſufficiens cauſa dimiſſionis, cum Chriſtus ſolùm permittat, & concedat viris licentiam ad vxores dimittendas ob adulteria, & fornicationem, vt patet Matthæi 5. & 19.

Lara. Surdus. Sanch. Sanchez.

26. Hæc cum ita ſint, in foro tamen externo certum eſt accuſante viro propriam vxorem de adulterio lite pendenti teneri eum ei non ſolùm alimenta; ſed etiam expenſas ad litem dare, & ad id cogi ne negetur iuſta defenſio adulteræ, quæ omnibus iure naturali debetur. Ita docet Ceuallos, communis contra communem *quæſt. 734.num.18. & ſequentibus.* Barboſa *in rub.ff. ſoluto matr.part.2. num 44.in fine, verſu, poterit tamen, & in l.1.p.1. num.58. ad finem.* Trentaſincb. *lib.1.variar. tit. de alimentis reſolut. 1. num. 37.* Sanchez *de matrim. lib 10. diſp 8.num.28.* Cardin. Thuſc. *tom.1. lit. A. concluſ. 309.* Fariñacius *in praxi criminali q.143.* Vallaſcus *conſultat.1.num 4.* Rebuffus *tom. 1. ad leg. Gall. titulo de ſentent. prouiſionalibus artic. 3. gloſſa 1. num.17.* Surdus *de aliment. tit.1. q. 118. num.5.* Alij verò quos refert ibi Ceuallos *num.17.* negant quando adulterium eſt notorium; ſed Sanchez, & reliqui omnes fatentur cogendum eſſe virum in foro externo, alimenta, & expenſas vxori dare vſque ad condemnationem adulterij, & pendente lite nihil innouandum.

Vir dum accuſat propriã vxorem de adulterio, tenetur ei alimenta, & expenſas ad litẽ dare.

Ceuall. Barboſa. Trentaſ. Sanch. Card.Tuſc. Farin. Vallaſc. Rebuff. Surd.

27. Similiter quando vxor aduerſus virum litem diuortij ob adulterium ab eo contra eam commiſſum indiceret, non eſt dubium ei virum debere alimenta dare, & expenſas ad litem, ne expenſis deſtituta cauſa cadat, & ne ei negetur iuſta defenſio; & ita ſæpe vidi iudicari in Senatu Brachatenſi in cauſis matrimonialibus, & ita multis relatis docet optionè Barboſ. *in rub ff. ſoluto matr.2. part. num 44. in fine.* Gutierrez *quæſt. canon. lib.1. cap 14. num.7.* Peguera *deciſ. criminal. 20. num.5.* Sanchez *lib. 10. de matrim. diſp.8. num. 28. fine,* & alij multi.

Barboſa. Gutier. Peguera. Sanch.

28. Sed quid ſi vir à principio cauſam dederit adulterij vxoris, eam domo iniuſtè pellendo & illa poſtea in adulterium labatur? Et hac de re eſt duplex opinio. Prima docet in conſcientia ei virum debere alimenta, & ad id teneri, & omnes id facilè concedunt, qui dicunt in eo caſu probato adulterio non lucrari virum vxoris dotem; & hi ſunt Ioannes Lupus *rub. de donat. inter virum & vxorem §.20. num.4. & 5. & §.64 num.3. & in capite, Per veſtras, eodem tit.notabili 3. ad finem ipſius principij,* & Couar. *alios referens 4 decretal. 2.part.cap.7.§ 5.num.2.* Ludouic. Lopez *2.part. Inſtrum. vbi de matrimon.cap.54. vbi de diuortio paulo poſt initium num. 51.* & alij quos citat, ſed non ſequitur Sanchez *lib.10. de matrim. diſp. 5. num.10.* & Ciſuentes *l.81. Tauri limitatione 4.* vbi aſſerit quando vir iniuſtè vxorem expulit, ſi illa poſtea fornicata eſt, ei debere alimenta; quia viri culpa in adulterium lapſa fuit, & idem docet Couaruuias, quando mulier ob ſæuitiam viri ab eius conſortio fugit, & poſt fugam adulteratur, non poſſe ſcilicet eam à viro de adulterio accuſari ad dotis amiſſionem; quia illius culpa

Ioan.Lup. Couarr. Lud.Lop. Sanch. Ciſuent.

culpa in adulterium lapsa fuit; sed hæc opinio neque est vera, nec tenenda.

29. Secnnda, & vera opinio docet non teneri virum in eo casu in conscientia vxori adulteræ alimenta præstare; quia expulsio iniusta minimè excusat vxoris adulterium, nec ipsi imputatur marito nisi tanquam causæ remotæ, & ideo in conscientia ei non debere maritum alimenta docet
Sanch. Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 8. num. 26.* quod intelligo, nisi eo fine expelleret, vt vxor adulterium committeret; tunc enim sicut adultera non posset priuari dote, ita nec alimentis; quia in adulterio saltem tacitè cōsentit, & maritum etiam dantem causam lenocinij, & illud procurantem, in illoque consentientem ab accusatione tam adulteri, quàm adulteræ & amissionis dotis, apposita, & probata exceptione, repelli posse est
Perez. melior resolutio; quam docet Perez *leg. 2. prope*
Hortens. *finem, titul. 14. lib. 8. ordinat. pag.* 276. Hortens. Caualcant. *de brachio regio 1. part. num. 282. versu, Sextò litera N.* Itaque nec etiam in foro externo vxor excusatur à pœna adulterij, vel amissionis dotis propter famis necessitatem, aut propter paupertatem; secus si eò hæc tenderent, vt
Sanch. vxor adulterium committeret. Ita docet Sanchez
Farinac. *lib. 10. de matrim. disp. 5. num. 6. & 10.* Farinacius *in praxi criminali, quæst. 141. num. 60. & quæst. 141.*
Barbos. *num. 15. & 13.* & Barbosa *in l. 2. in it ff. soluto matrimonio, part. 1. num. 96.* Nec etiam si dicat illa maritum suum sibi negasse debitum. Ita Farina-
Boerius. cius *dict. quæst. 141. num. 56.* vbi allegat Boerium *decis. 297. num. 15.* & Petrus Gregorius *syntagm. iuris lib. 36. cap. 6. post medium, num. 39.*

30. Ad finem huius capitis dubitabis quid dicendum sit si ob propriam culpā, vel hæresim de qua fuit in iudicio conuicta vxor, ipsa iudicis sententia in perpetuo carcere includatur; sed meliùs hoc dubiū tractabitur c. 13. ad quem locū te remittimus.

Capvt X

Quatenus vir teneatur ex dote vxorem alere, & an ob dotem non solutam illi liceat negare alimenta, & cohabitationem, ipsámque non traducere, aut iam traductam, domo expellere.

Svmmarivm.

Tenetur vir vxorem alere ex dote solùm. num. 1. *Ob dotem non solutam non potest ei debitum negare num. 1. versu,* Secunda propositio.

Dote promissa & non soluta non tenetur eam alere, & potest ei negare alimenta. num. 2.

Si non integra dos soluatur, sed pars tantùm, non tenetur ad omnia alimenta, sed ad partem tantùm. num. 3. Versu, Secunda, & melior. *Quidam ad nulla alimenta teneri virum existimant ibi, versu,* Prima asserit.

Quid si dos non ab ipsa vxore, aut patre illius, sed ab externa persona sit promissa. num. 4.

Si extraneus promisit dotem, quam non potest soluere, non tenetur vir vxorem alere. num. 5. Tenetur verò si ipsá, aut parentes illius illam promiserunt modò dolo non promiserint videntes se eam non posse soluere. ibid. versu, At si dolosè.

Quid si dote non soluta vxor marito inseruiat, an tunc illam teneatur alere. num. 6.

Tenetur vir vxorem alere, quam absque dotis promissione duxit. n. 7. Et remissiuè ad caput 9. n. 2.

An quando vir non tenetur vxorem alere ob dotem non solutam, posset eam non traducere, aut iam traductam expellere num. 8. Refertur opinio affirmans posse eam non traducere, non tamen traductam expellere. ibid.

Refertur secunda opinio affirmans posse eam non traducere, & posse traductam licitè expellere. n. 9.

Idque siue dos sit promissa ab extraneo, siue ab vxore, vel patre illius. num. 10.

Quid si per dolum dos promissa sit. num. 11.

Quid in hac opinione dicendum sit, si non dos tota, sed pars illius soluatur. num. 12.

An expulsa è domo vxore ob dotem non solutam, possit agere in iudicio de dotis recuperatione. n. 13.

Si vir dote non promissa vxorem duxit, non potest illam domo expellere, nec ei negare alimenta. num. 14. Quid si vxor sit diues, aut parentes illius, & maritus postea alimenta petat, & illi negent. num. 15.

Astruitur tertia opinio affirmans teneri virum, qui non tenetur alimenta dare vxori, dote non soluta, eam traducere, & non posse traductam expellere. n. 16. Sentētia authoris hanc approbat. n. 17. & 18.

Soluuntur argumenta pro prima, & secunda sententia facta. num. 19.

Dote promissa non soluta potest maritus vxori alimenta negare, non tamen potest eam domo expellere, aut nondum traductam non traducere. num. 20. & 21.

An vxor possit ab habitatione & à domo expelli, quando coniuges impediti sunt ad petendum debitum. num. 22.

Tenentur tunc torum separare ad vitandum periculum. num. 23.

VT distinctè procedamus, & certa ab incertis separemus, præmittendæ sunt propositiones, quæ ab omnibus recipiuntur, & deinde videbimus in quibus versetur difficultas, & sit varietas Doctorum. 1.

Prima propositio. Tenetur vir vxorem alere ex dote soluta. Est communis, & à nemine negatur. *Maritus non potest debitū negare vxori ob dotem non solutam.*

Secunda propositio. Ob dotem non solutā non potest ei debitum negare coniugale, ab omnibus etiam accipitur. Ratio est, quia obligatio reddendi debitum non oritur ex dotis traditione; sed ex ipsa intrinseca natura contractus matrimonij; ita speciatim Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 5.* Sanch.
num. 1. Angelus *verbo, Dos, num. 9.* Syluester *ibi,* Angel.
quæst. 10. Molina *tom. 2. de iust. disp. 425. §. si ma-* Syluest.
rito. Sà *verbo, Dos, §. Accepturus sine dote.* Molin. Sà.

Tertia propositio. Dote promissa, & non soluta, non tenetur maritus vxorem ex suo alere, 2.
nec ei alimenta præstare. Ita Sanchez citatus *n. 2.* Sanch.
Glossa *Auth. de non eligendo secundo nubere, §. fi-* Glossa.
nali, verbo, Onera. Fundamentum est, quia dos quasi in pretium datur, vt ex eius fructibus teneatur vir onera matrimonij sustinere, vxoremque alere; quare dote non soluta non tenetur maritus illam alere. *Dote promissa, & non soluta nō tenetur vir vxorem alere.* Hoc tamen intelligendum est, quando promittens dotem est in mora soluendi; nam si tempus aliquod concessum sit à viro ad dotem soluendam nondum adueniente tempore, tenetur ex suo alere, quia concessa ea dilatione tacitè ad id se obligauit, adueniente autem non tenetur.

Sed quid si adueniente tempore tota dos promissa non soluatur; soluatur autem pars illius? 3.
Est partita opinio tunc. Prima asserit non teneri

virum vxorem alere; quia dum dos sibi integra non soluitur, contractus fides sibi non seruatur, & ea de causa nec ipse tenetur seruare fidem in contractu matrimonij tacitè promissam, eam alendi. Ita Ioannes Lupus *in cap. Per vestras, de donationibus inter virum, & vxorem, notabili 3. in principio, num. 2. versu, Et hoc non solum*, & alij plures, quos citat, sed non sequitur plenè, Surdus de alimentis *tit. 7. quæst. 17. num. 3.*

Lupus.
Surdus.

Secunda & melior asserit teneri tunc ad alimentorum partem pro rata solutæ dotis. Ita docet Sanchez *lib. 9 de matrim disp. 5. num. 3.* Petrus Surdus allegatos *num. 5. & 6.* & in foro conscientiæ hæc est vera. Et ratio est, quia eadem est ratio partis ad partem, & totius ad totum *l. Quæ de tota, ff. de rei vendicat.* Vnde sicut tota dote recepta tenetur ad sustentationem totalem, ita recepta parte ad partialem sustentationem tenebitur. Neque obstat quòd non sit illi seruata fides, vt ipsam etiam non seruet, nam vbi primùm partem dotis acceptauit, tacitè velit, nolit, se ad partem præstandi alimenti obligauit.

Sanch.
Surdus.

4. Doctrina in tertia propositione tradita procedit, & est vera, siue dos promissa sit ab ipsa vxore, siue à patre illius, siue à quocumque alio propinquo, vel extraneo; quia in omnibus ratio facta procedit. Cum enim nondum sit solutum viro pretium sustentationis, non tenetur ad onus quod resultare solet ex solutione pretij. Ita Sanchez *dict. lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 4.* Baldus *in l. Quod in vxorem, num. 2. C. de negot. gestis*, & ibi Paulus *num. 4.* Salicetus *in fine*, Ruinus *consil. 144. num. 16. vol. 5.* Pontanus *de alimentis cap 14. num. 7.* habetur *tom 8. tractatuum iuris, part. 1* Surdus *de alimentis, tit. 7. quæst. 17. n. 34.* vbi alios refert.

Sanch.
Bald.
Paulus.
Salicet.
Ruinus.
Pontan.
Surd.

5. Sed quid si promittentes dotem siue sit ipsa vxor, siue parentes, vel propinqui, vel quicumque alius extraneus illam soluere non possint, nec habeant vnde possint, vt plerumque fit, sæpe enim promittuntur dotes amplissimæ, quæ tamen non soluuntur, nec est vnde soluantur, tenebitur ne tunc vir vxorem alere? Respondeo si extraneus promisit, & non soluit, nec habet vnde soluat, maritus non tenetur vxorem alere; si autem vxor eius aut parentes vxoris dotem promiserint, eam alere tenetur, & sic est latum discrimen inter hoc promittentes. Et ratio discriminis est, quia vxor, eiusque pater gaudent priuilegio, vt conueniri non possint pro dote soluenda vltra quàm facere possint, & sibi imputet maritus, qui fideiussores non adsciuit. Ita de vxore doctissimè probat Barbosa multis allegatis *l. Maritum 13. num. 57. ff. soluto matrimon.* Et de Patre *num. 67.*

Si extraneus dotem promisit, & non soluit, nec habet vnde soluat, non tenetur maritus vxorem alere, secus si parentes illius illā promiserunt.

Barbos.

At si dolosè promiserunt, tunc quidem non tenetur vir vxorem alere, ne dolus, & fraus patrocinetur authoribus, & quia quando dolosè promiserunt, carent priuilegio, vt conueniri non possint, & quòd hoc priuilegio careant, & vir non teneatur vxorem alere, quando vel ipsa, vel parentes eius sibi dolosè dotem promiserunt, quam soluere non poterant, latè probat idem Barbosa *num. 71.* Tota hæc doctrina traditur à Sanchez *citat. num. 5.* & à Petro Surdo *de alimentis, tit. 7. quæst. 17. num. 27. 30. & seqq.* & est vera. Quare non placet Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 8 num. 2.* vbi asserit non teneri virum ad vxoris alimenta, quando socer non vult, aut non potest dotem soluere.

Barbos.
Sanch.
Surd.
Henriq.

6. Nec obstat quòd vxor seruiat marito, & in obsequio illius sit; nam licet aliqui inter quos est Abbas *consil. 85. num. 2. & 3. volumine* 2. & Anchartanus *in cap. Per vestras, de donationibus inter virum, & vxorem, num. 14* & Ioannes Lupus ibi *notabili 3. §. 1. num. 1.* & alij quos refert Surdus *de alimentis, tit. 7. quæst. 17. num. 38.* sed non quitur, imò ab illis *num. 39.* discedit, existiment teneri tunc maritum vxorem alere non tanquam vxorem, sed sicut famulam sibi ministrantem: contrarium tamen est dicendum, quia vxor duo tenetur præstare viro propter sustentationem, dotem, & obsequium; quare altero deficiente non tenetur maritus eam alere, vt suprà diximus; & docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 5. num. 6.* Præterea, quia authores omnes, quos statim referam *num. 8.* censent, dote non soluta vxorem alendam non esse, non tamen ob id posse à marito domo expelli. Vnde colligitur non cogi ipsum ad eam alendam, eo quòd illa in domo & obsequio illius sit iuxta illorum sententiam. Habebit tamen verum opinio Abbatis in eo casu in quo non soluta dote vir alat vxorem non facta protestatione illius; quia tunc videtur affectu coniugali facta donatio; quod bene colligit Sanchez citatus *num. 7.* ex *l. Si quis à liberis, §. si mater, ff. de lib. agnosc.* ibi: *Nec impetrare debes ea quæ exigente materno affectu in filiam tuam erogatura esses.* Iunge glossam verbo, *Materno*, vbi dicit id procedere; *licet non modica esset, nisi esset protestata.* Protestatio enim facta tollit donationem tacitam, quia est expressio volontatis contrariæ; non facta autem ea protestatione, tunc non solùm, vt famulam, sed vt vxorem eam vir alere tenetur.

Abbas.
Anchar.
Lupus.
Surd.
Sanch.
Sanch.

Quarta propositio. Vir tenetur alere vxorem, quam absque dotis promissione duxit, quia sibi imputare debet, quòd nullam dotem exegerit, videturque ipsam vxoris personam pro dote accipere. Hæc iam manet probata & explicata *cap. 9. à num. 2.* ad quem locum te remittimus; eam tamen docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 8.* 7.

Sanch.

Sed petes, an quando vir non tenetur vxorem alere ob dotem promissam non solutam, possit etiam similiter non traducere, traductamque domo expellere, eique negare alimenta, & cohabitationem; & in hoc, cardo difficultatis est. De hoc triplex est sententia. Prima sic distinguit; si vxor non sit traducta, dicit posse non traduci, dote promissa, & non soluta; si verò iam traducta sit, negat posse domo expelli propria authoritate viri. Hanc tuetur Petrus Barbosa *l. 1. part. 3. ff. soluto matrim.* Molina 2. *tom. de iust. disp. 425. pag. 1130. versu, Si marito dos*, vbi citat Couarruuiam *in 4. decretalium, cap. 7. in princip. num 2.* & Antonium Gomezium *ad leg. 50. Tauri, n. 31.* & Molina dicit sibi esse communem. Tenet etiam Syluest. *verbo, Dos, quæst. 10. num. 11.* citatus ibi ab eodem Barbosa. Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 16. num. 3. fine; & cap. 17. num. 2.* vbi in hoc secundo loco docet deberi viro dotem promissam; si tamen socer promissam dotem non vult, aut non potest soluere, excusari virum à receptione, & sustentatione sponsæ, id est, à traductione, & idem repetit in primo loco *dict. num. 3. in fine*, & nihil in vtroque agit de expulsione, quod etiam Sanchez *lib. 9. de matrimon. disput. 9. num. 16 fine*, bene animaduertit. Fundamenta huius opinionis ex aliarum fundamentis desumenda sunt. 8.

Barbosa.
Molin.
Couar.
Ant. Gom.
Syluest.
Henriq.
Sanch.

Secunda sententia ait posse virum eam non traducere, & traductam domo expellere, eique alimenta, 9.

alimenta, & cohabitationem denegare, & hoc liberum, & licitum illi esse, idque siue dos promittatur ab ipsa vxore, aut illius patre, aut à quo-
Anchar. cumque alio extraneo. Eam docet Ancharranus *in capite, Per vestras de donat. inter virum, & vxorem num* 13. Alexander de Neuo *ibi num.* 3. Ioan-
Alexand. Ioann.Lup. nes Lupus *ibi notabili* 3. *in initio num.* 2. *versu, sed & ego teneo*, & plures alij quos citat pro hac
Sanchez. opinione Sanchez *dicto lib.* 9. *de matrim. disput.* 5. *num.* 11.

Limitant tamen nonnulli vt ancnto iure canonico non liceat eam traductam domo expellere propria authoritate, sed praecedenti iudicio Ec-
Baldus. Angel. Tabiena. Sà. clesiæ. Ita Baldus *nouell. de dote, part* 6 *princil.* 43. *num.* 3. Angelus *verbo, Dos. num.* 9. Tabiena *ibi quæst.* 8. *num* 9. Sà *verbo, Dos.* §. *Accepiam sine dote*, limitans adhuc quoad expulsionem non licere eam expellere, si ipsa vacet culpa non solutionis promissæ dotis.

Probatur primò hæc opinio ex capite, *Per vestras de donat. inter virum, & vxorem*, ibi. *Ne occasione dotis detenta vir, qui dimisit vxorem adultery pœnam incurrat*, id est, præstetur cautio dotis soluendæ, ne occasione dotis detentæ &c. & ex *l. finali C. ad Senatusconsult. Velleianum*, ibi, *Neque enim ferendum est mulierem fieri indotatam; & sic à viro forsitan repelli*; vbi S. P. & iurisconsultus supponunt fas esse viro ob dotem non solutam vxorem domo repellere, eique alimenta, & cohabitationem negare, eo vel maximè quod in *capite, Per vestras*, vxor expulsa fuerat, & tamen P. consultus non iubet prius vxorem restitui quàm præstetur dos; censet ergo S P. posse vxorem domo expelli.

Probatur Secundò, quia vir sine dote non tenetur onera matrimonij sustinere, poterit ergo vir dote promissa & non soluta vxorem domo expellere, & illam non traducere, ac suo cogatur onera sustinere.

Tertiò, quia omnia iura fauent deceptis, & indigni sunt decipientes omni fauore; quamobrem cum vir deceptus sit, illi potius, quàm mulieri est fauendum, vt ei possit hac de causa habitationem, & alimenta negare, & sic eam domo expellere.

10. Et in hac sententia verius est posse vxorem expelli sine dos promissa sit ab extraneo, siue ab ipsa vxore, vel parte illius; quia expulsio hæc non permittitur viro propter vxoris culpam, sed ne vir cogatur onera matrimonij sustinere ex suo

11. Verùm id intelligendum est, quando dos à patre, vel ab ipsa vxore dolo promittitur, videntes, scilicet & intelligentes, se non posse illam soluere, vt diximus *num.* 5. nam si dos sit promissa ab vxore, vel à patre illius absque dolo, & non sint soluendo, quia facultatibus lapsi sunt, existimo non posse vxorem etiam in hac opinione domo à marito expelli, quia nec alimenta potest maritus ei tunc negare, vt diximus *dicto num* 5. & hæc expulsio in tantum est licita, in quantum est licita alimentorum, & cohabitationis negatio.

12. Retenta etiam hac sententia similiter dicendum est, posse quoque vxorem expelli si dotis pars soluta non sit; quia licet tunc teneatur vir ad alimentorum partem, vt diximus *num* 3. *versu, Secunda melior asserit*; at quoad eiectionem domus non militat eadem ratio, quia obligatio alendi est diuidua, cohabitandi indiuidua. Præterea quia conductor potest expelli parte pensionis non
Surdus. soluta; ita Surdus *de alimentis titulo* 7. *quæst.* 17.

num. 23. *& sequentibus* Lara *leg. si quis à liberis.* §. Lara.
si quis ex his, num 54. & alij quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 13. & hi Sanch.
sunt Lupus *in capite, Per vestras, notabili* 3. *in initio num.* 2. *versu, & hoc non solum*, & Gomez Arias Lupus.
l. 17. *Tauri num.* 129. Gom. Arias.

Et quamuis vir ob dotem non solutam vxorem domo eiecerit, potest tamen in iudicio agere de dote sibi promissa soluenda paratus vxorem iterum reducere. Ita Hostiensis *dicto capite, Per vestras de donat. inter virum, & vxorem num* 4. vbi Ioannes Andr. *num* 10. Butrius *num.* 7. Anan. *num.* 4. Alexander de Neuo *num.* 3 nec audiendus est Ancharranus ibi oppositum sentiens. 13. Hostiens. Ioan. Andr. Butrius. Anan. Alexand.

Si autem vir duxit vxorem non promissa dote non potest vxor domo expelli, nec ei alimenta à viro negari, vt pulchrè docet Ruinus *consilio* 144. *num.* 16. *vol.* 5. Brunonius à Sole *in suo repertorio* multos referens *litera M. verbo, maritus alere cogitur.* 14. Ruinus. Brunon.

Quod si vxor sit diues, nolitque dotem constituere, tunc qui dicunt non posse ei à viro negari alimenta, perinde dicent, non posse etiam eam domo ab eo expelli iuxta ea quæ diximus *cap.* 9. *num.* 3. quos ibi inuenies citatos. At qui dicunt posse ei à viro negari alimenta, si priùs ipse dotem ab ea petat, postquam sine dote duxit, consequenter dicent negata dote negari quoque ei posse alimenta ab ipso viro, & ab illo expelli iuxta ea quæ diximus *dicto cap.* 9 *num* 4. 15.

Tertia sententia docet teneri virum ad illius traductionem, & ad iam traductæ retentionem, non teneri tamen illam tunc alere, & id etiam diximus *cap.* 13. *num.* 2. ita docet expressè Sanchez *lib.* 9. *de matrim disp.* 5. *num.* 17. & 18. 16. Tertia opinio. Sanchez.

Probatur primò, quia dotem promissam solui, aut non solui, nihil ad ius cohabitandi attinet; quia ius cohabitandi non oritur ex solutione dotis; sed oritur ex intrinseca natura contractus ipsius matrimonij, & ex lege naturali, & diuina, *erunt duo in carne vna*; sicut & obligatio reddendi debitum coniugale non oritur ex solutione dotis, sed ex ipsa natura contractus matrimonij; ergo sicut non solutio dotis non eximit virum à redditione debiti, vt latè probat Sanchez *lib.* 9. Sanch.
de matr. disp. 4. *num.* 2. ita non eximet ab obligatione cohabitationis.

Secundò, quia Christus Dominus *Mat.* 5. & 19 prohibuit vxorem dimitti, excepta fornicationis causa, nec hæc causa non solutionis dotis inter causas diuortij numeratur *in capite, Porrò, de diuortijs*, vbi illæ numerantur omnes, ergo &c.

Tertiò, quia præcipuus finis cohabitationis non est, vt vxor à viro alatur ad quod dos constituitur, sed vt mutua sibi obsequia præstent ad prolis generationem, & commodam educationem: sed hic finis non cessat non soluta dote; ergo non cessabit obligatio cohabitationis.

Quartò, quia in cæteris contractibus nominatis agere possunt contrahentes, vt altera pars impleatur, non vt resiliat contrahens ab ipso contractu. Vt si vendidi Petro domum meam pecunia credita, si ille illam non soluat termino præfixo, conuenire ego eum possum, vt mihi soluat pecuniam, & damnum inde mihi datum; at non possum eum conuenire, vt à venditione recedat; ergo vir cui promissa dos negatur, poterit aduersus committentem agere, vt seruet fidem, non tamen licebit pactum cohabitandi ex natura matrimonij ortum infringere. Hæ sunt rationes

Afflict. Cucus. Couar. Baeza. Octau. Matiens. Surdus.

Sancij iisdem quasi verbis ab illo exceptæ, & pro hac opinione citat ille Afflictis *decis.* 289. *num.* 4. Antonium Cucum *lib.* 5. *Inst maiorat. titulo* 11. *num.* 127. Couarr, *in* 4 *decretal.* 2. *part. cap.* 7. *in initio num.* 2. vbi dicit esse probabilem. Bæzam *de non meliorandis filiabus causa dotis cap.* 32. *n.* 11. Octau. *Decis. Pedem.* 152. *num.* 18. Matientium *lib.* 5. *Recopil. tit.* 1. *rub glossa* 1. *num.* 91. Surdum *de alimentis tit.* 7. *quæst.* 17. *num* 21. Licet enim ille ibi neutram partem definiat, dicit tamen hanc magis conuenire naturæ matrimonij, saluti animarum, & iuri canonico, quibus verbis videtur hanc sententiam approbare.

17. *Indiciũ authoris.* Ita se habent huiusmodi opiniones, fateor omnes esse probabiles, & omnes authoritate suorum doctorum satis fulciri. Secunda plures authores habet, citat enim Sanchez pro illa magnam illorum multitudinem. Ego autem fateor cum Surdo hanc vltimam esse iure canonico magis conformem, vtiliorem saluti animarum, magis amorem inter coniuges fouere, & naturæ matrimonij, qui est contractus perpetuus, & indissolubilis, magis accommodatam; quæ omnia in causa sunt, vt ab illa non recedam.

18. Et hac vltima opinione retenta, dicendum est nec iudicis authoritate posse vxorem ob hanc causam expelli, vt bene aduertit Couarruuias citatus *dicto suo num.* 2. quam animaduersionem illius approbat, & rectè, Sanchez allegatus *lib.* 9. *de matr. disp* 5. *num.* 17. *fine*, quia hæc non est sufficiens expulsionis causa, nec à iure canonico numerata *dicto cap. Porrò. de diuortijs.*

19. Restat, vt argumenta aliarum opinionum soluamus. Ad primum argumentum pro secunda sententia allatum, quod etiam pro prima afferri poterat; Respondeo Summum Pontif. in eo capite, *Per vestras*, non definire id licitum esse; sed supposita expulsione siue iusta, siue iniusta, respondisse ad principale quæsitum de dotis cautione an præstanda sit necne, & dixisse posse præstari, ne iterum vxor occasione dotis non solutæ expelleretur à viro cum periculo incontinentiæ vtriusque. Ad iurisconsultum dices non definire illum id licere; sed quasi per transennam dixisse id forte contingere posse, ibi; *neque enim ferendum est mulierem fieri indotatam; & sic à viro forsitan expelli.*

20. Ad secundum respondeo, verum esse teneri maritum ex dote subire onera matrimonij v. c. onera alendi, sustentandique vxorem, illiusque familiam; non autem onera cohabitandi simul, ad hoc enim obligatur ex vi contractus matrimonij, in quo vxorem indiuiduam sibi vitæ sociam adiunxit; ac proinde eam non posse domo expellere, dote non soluta, nec ei debitum negare, posse tamen eam non alere, quia ad id non tenetur, nisi ex dote. Ita respondent, & bene, Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp* 5. *num.* 18. Sanch.

21. Ad tertium dices, satis iura subuenire decepto in eo, in quo dolum passus est, vt scilicet non teneatur illam alere propter non solutionem dotis, in qua, & circa quam deceptus fuit, & ideo eum ab alendæ vxoris onere eximere, ac liberare; non posse tamen subuenire viro decepto, nec iustum esse ei subuenire circa cohabitationem, imò in expulsione, aut non traductione; quia non pendet hæc cohabitatio à dotis solutione, in qua dolus versatus fuit, sed ex vi contractus matrimonialis, vt dixi.

22. Sed dubitabis hîc, an cum coniuges ad petitionem, & redditionem debiti sunt impediti, videlicet ratione voti, aut affinitatis, vel cognationis contractæ, liceat viro vxorem domo expellere, sicut licet, imò sicut tenetur debitum non petere, aut non reddere. Et videtur dicendum licere, quia obligatio cohabitandi simul oritur ex intrinseca natura contractus matrimonij, quo vir indiuiduam vxorem perpetuæ vitæ sociam elegit propter obligationem debiti; vnde si cessat hæc obligatio, videtur consequenter cessare obligatio simul cohabitandi. Breuiter tamen respondendum est id minimè licere; quia Christus Dominus *Matth.* 5. *&* 19. ob solam fornicationis causam vxorem dimitti permisit, quoad cohabitationem, & non ob aliam ortam ex intrinseca natura matrimonij. Ita respondet Glossa *in capite, Nosse, verbo, non fraudetur* 30. *quæst.* 1. Abbas *in capite, Si vir, fine de cognat. spirituali.* & ibi Alexander de Neuo *num.* 2. & clariùs *cap.* 2. *num* 2. *de coniug. lepros.* Supplementum Gabrielis *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *artic.* 2. *conclus.* 4. Brunellus *de sponsalibus, conclusione* 20. *num.* 13. Glossa. Abbas. Alexand. Gabriel. Brunel.

Quando autem ita impediti essent, vt neutri liceret, nec petere, nec reddere, aut neutri petenti reddere, certum est teneri eos totum separare gratia vitandi periculum; at ab habitatione, & domo non posse adhuc vxorem expelli; quia Christus ob solum adulterium coniugem dimitti permisit, quamobrem optimè Turrecremata *capite, Quod Deo* 33. *quæst.* 3. *num.* 2. dicit ob votum continentiæ mutuo consensu emissum eximi coniuges à redditione debiti, non tamen ab alijs obligationibus matrimonij, & sic teneri cohabitare simul, quod approbat Sanchez *lib.* 9 *de matr. disp.* 5. *num.* 19. 23. Turrecr. Sanch.

CAPVT XI.

An possit gener licitè, & sine vsura, fructus fundi sibi oppignorati percipere, dum tota dos non soluitur, saluo dotis capitali.

SVMMARIVM.

Potest gener percipere fructus fundi oppignorati, salua dote, quandiu ei dos non soluitur. numero 1.

Quid si ipsi fructus successu temporis dotem excedant. num. 2.

Quid si non soluatur totum debitum dotis; sed pars illius. num. 3. *Refertur prima opinio asserens posse integros fructus percipere quandiu tota dos integrè non soluitur.* ibid.

Astruitur secunda affirmans minuendos esse fructus pro rata partis dotis iam soluta. num. 4.

Quilibet maritus potest hos fructus percipere, quandiu sibi dos non soluitur promissa, esto non sit gener eius qui dotauit. num. 5.

Potest dotatus pacisci cum dotante, vt quandiu sibi dos non soluitur, tantum sibi detur, quantum cum illa homo mediocriter industrius lucraretur, salua ipsa dote. num. 6.

Iustum esset statutum, si daretur, vt certum quid pendatur dotato annuatim, quandiu sibi dos non soluitur, num. 7.

Quid si maritus dotatus concessit dilationem ad soluendam dotem; an possit postquam illam concessit, non

non reseruatis fructibus illius, illos petere; refertur prima opinio negans. *num.* 8.

Astruitur affirmans. num. 9. *Quid si maritus, qui eosdem fructus non reseruauit, erat iure ciuili peritus.* *ibid.*

An possit maritus percipere illos fructus fundi oppignorati, si illi onera matrimonij excedant. num. 10.

Quid in opinione eorum, qui iustitiam percipiendi hos fructus fundant in tacita donatione dotantantis, aut in ratione lucri cessantis, dicendum est. num. 11.

Quid in opinione eorum, qui illam fundant in damno emergente. num. 12. *In conscientia non possunt percipi, quoad hunc excessum.* *ibid.*

An soluto matrimonio per mortem coniugis possit maritus percipere illos fructus non computando eos cum dote. num. 13. *Refertur prima opinio affirmans.* *ibid.*

Astruitur opinio negans. num. 14. *Quid de iure Lusitano tenendum est.* *ibid.*

Cui pereant fructus si fundus oppignoratus, dum dos non soluitur, constante matrimonio pereat. numero 15.

1\. Casus est, Titius. v.e. dedit filiam suam in vxorem Stichio promissis mille aureis pro dote, soluitque statim tertiam dotis partem; & pro altera parte non soluta tradidit ei certum prædium in pignus, quoad vsque integram dotem non solueter: dubitatur modò, an possit Stichius licitè, & sine vsura percipere fructus prædij oppignorati, quandiu ei dos integra non soluitur, idque quamuis ratione temporis fructus excedant partem capitalem dotis. Respondeo affirmatiuè, & ita definitum est expresè, *in cap. Salubriter de vsuris*, ibi: *Sanè generum ad fructus possessionum, quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ computandos in sortem non credimus compellendum, cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda* & Gloss. *ibi verbo*, Onera, *hoc ideo dicit, quia fructus dotis propter onera matrimonij cedunt lucro marito. C. de iure dotium lex pro óneribus; fructus verò percepti ante matrimonium restituuntur mulieri, nec cedunt lucro marito*; intellige, *quia nondum sustinebat onera matrimonij*; hæc ibi Glossa, & patet ex *l. Pater, ff. de dolo malo*, & habetur in nouis Ord. Lusit. *lib.* 4. *tit.* 67. *num.* 1. & docet Ludou. Lopez 2. *part. instruct. cap.* 60. *init.* Nauarr. *in manual. Lat. cap.* 17. *num.* 213. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 1. & Sotus statim allegandus. Ratio autem iustificaos hane perceptionem non est accipienda ex tacita condonatione dotantis, vt voluit Nauarrus citatus; quia non potest constare de ista condonatione, nec ex parte lucri cessantis, vt voluit Medina Complutensis; quia hæc ratio est valde peculiaris, & solùm militat in vno genere personarum, in mercatoribus nempe, qui suis pecuniis negotiantur; sed accipienda est ex parte damni emergentis, vt docet optimè Lud Lopez citatus §. *Igitur*. hæc enim ratio emergentis damni generalis est, & militat in omni genere personarum, damnum enim emergens dicitur, non solùm quando ex eo quod non soluisti mutuum, aut debitum, tempore statuto, domus cecidit, vel frumentum emisti cariùs; sed etiam quando ex hoc aliquod simile damnum quis accipit. Ex eo autem quòd socer, vel qui promisit dotem, illam non soluit tempore præfixo, patitur gener damnum graue; quia cogitur sustentare onera matrimonij, & alimenta præstare vxori ex suo proprio; quod non tenetur facere, nisi ex dote promissa, seu ex fructibus illius, ac proinde in recompensationem istius damni bene potest huiusmodi fructus fundi oppignorati accipere.

Gloss. Ord. Lusit. Lud. Lop. Nauarr. Couar.

Dices posse eos accipere pro eo tempore, quo ipsi fructus non excedunt principale debitum; non autem amplius, quia nulla potest assignari ratio iustificans talem acceptionem. Respondeo, posse eos fructus percipere, quandiu capitale non soluitur, licet temporis extensione fructus percepti capitale debitum excedant. Et rationem iustificantem esse. Primò, quia mora semper nocet ei per quem fit. Vnde cum res fructifera detur, & oppignorentur illius fructus, quandiu dos non soluitur, iustè percipiuntur fructus quandiu ipsa non integrè soluitur. Secundò, quia si vno cumulo solueretur capitale, res tam fructifera emeretur, quàm fructifera est res oppignorata; & fortasse magis fructifera emeretur; & si non emeretur, cogeretur gener aliunde ex suo onera matrimonij subire, & sic semper ratione damni emergentis, fructus posset gener percipere, licet temporis successu excederent capitale. 2.

Sed quid si socer non soluat totum capitale, soluat verò partem illius, tenetur ne tunc gener minuere de perceptione fructuum ipsius rei oppignoratæ aliquid pro rata? Respondeo esse duplicem opinionem. Prima negat omnino. Primò, quia priuilegium est dotis, vt dum integra non soluitur, prædicti fructus percipiantur, & hanc partem necessariò debent tueri illi, qui dicunt non teneri virum vxorem alere, nec in totum, nec in partem, quandiu dos integra sibi non soluitur, quia contractus fides sibi non seruatur soluendo totam dotem promissam tempore præfixo; quamobrem, nec ipse tenebitur aliquid minuere de fructibus prædicti fundi, nisi vellet tantundem minuere ad recompensationem sibi faciendam ex alimentis mulieris, ne de suo cogatur illam alere; quod non poterit in eo casu, illa repugnante, efficere, vt patet. Et hi sunt omnes, quos citauimus *cap.* 9. *num* 3. *versu, Prima asserit*, inter quos est Ioannes Lupus *in cap. Per vestras, de donat. inter virum, & vxorem, notabili* 3. *in princip. num.* 1. *versu, Et hoc non solùm*, & alij quos citat, sed non sequitur Surdus *de alimentis, tit.* 7. *quæst.* 17. *num.* 3. 3.

Lupus. Surdus.

At secunda, & melior opinio affirmat teneri generum diminuere de fructibus fundi tantum quantum accrescit sibi ex capitali dotis solutæ pro rata. Hanc docet Sanchez *lib* 9. *de matrimon. disp.* 5. *num* 3. & Petrus Surdus allegatus *num.* 5. *&* 6. & alij quos allegat. Primò, quia eadem est ratio de toto ad totum, atque de parte ad partem, *l. Qua de tota, ff. de rei vendicat.* Vnde sicut tota dote recepta tenetur gener restituere totos fructus ipsius fundi, imò & totum fundum, ita recepta parte dotis tenetur restituere, & minuere partem fructuum ipsius agri pro rata respondentem parti dotis solutæ. Secundò, quia soluta parte dotis debitæ censetur socer illam soluens ea semper intentione soluere, vt tantum diminuatur pro rata ex fructibus, quos percipiebat gener ex prædicto fundo; quia id poterat quando partem dotis soluit, iustè in pactum deducere. Vnde tacitè soluisse censetur saluo suo iure diminutionis prædictorum fructuum, ne plus lædatur quàm oportet. 4.

Sanch. Surdus.

Ex hac doctrina tria corollaria inferuntur. Primum est, posse quemlibet maritum quamuis 5.

non sit gener eius, qui tale pignos dedit, fructus eiusdem pignoris percipere in conscientia eom prædicta admonitione non computando eos eum promissa dote, quamuis illam excedant temporis successu, nisi contrarium exprimatur in contractu dotis. Hoc patet ex dictis.

6. Secundum est, posse maritum pacisci cum eo, qui dotem sibi promisit, & non soluit, vt quandiu non soluerit, pendat sibi in singulos annos tantum, quantum aliquis mediocriter industrius ex illa dote, ipsa salua, lucraretur. Ita docet Nauatrus citatus *in manual. Lat. cap. 17. num. 213.* & Panormitanus *dict. cap. Salubriter, de vsuris*, & Couar. *lib. 3. var. cap. 1.* & Sotus *lib. 6. de iustit. quæst. 1. artic. 2.* quicquid dicat Ioannes Lupus *in repetitione capitis, Per vestras, de donat. inter virum, & vxorem, notabili 6.* vbi contrarium sentire videtur.

Nauar. Panorm. Couar. Sotus. Lupus.

7. Tertium est, quòd iustè fetuati possunt statuta terrarum præscribentia, vt qui dotem promittit, quoad soluat, certum quid in singulos annos pendat. Similiter vt maritus dum non soluit arrhas hæredibus vxoris certum quid pendat annuatim respondens reditibus, ac fructibus arrharum. Omnia hæc corollaria approbat Ludouicus Lopez 1. *part instr. cap. 60.* allegatus, & Nauarrus citatus *dict. num. 213.*

Lud. Lop. Nauar.

8. Sed quid, si maritus concessit dilationem ad solutionem dotis; poterit ne postquam illam concessit, petere fructus dotis ad sustentandam mulierem, & onera matrimonij subeunda, si à principio id in pactum non deduxit? Negat Armilla *verbo, Vsura, § 23* Fundamentum illius est, quia eo ipso quod concessit dilationem, & id non deduxit in pactum, videtur virtute renuntiasse iuri quod habebat ad tales fructus, ac proinde nec illos poterit postea petere, nec in conscientia percipere si offerantur; quia sicut poterat vxorem ducere sine dote, ita & renunciare fructibus dotis per totum illud tempus, quo prædictam dilationem concessit.

Armill.

9. At contrarium dicendum est cum Lud. Lopez *2. part. instruct. cap. 60. §. Ex quo.* Couar & Soto, & aliis citatis. Et ratio est, quia si concessit dilationem, secundùm ius videtur concessisse; ius autem concedit ei, vt possit percipere hos fructus, quandiu dos integrè non soluitur, vt diximus, & patet ex *cap. Salubriter, de vsuris.* Deinde, quia non videtur renuntiasse iuri, quod ignorabat; quæ enim per errorem irrita fiunt, infecta censentur; vt docet Sanchez *lib 3. de matrim. disp 5. num. 2. & 4.* vbi dicit factum contra legem pro infecto haberi. Vnde si iuris peritus esset, qui hanc dilationem concessit, cum non præsumatur ius ignorare, eo ipso, quòd eam dilationem concessit, & in pactum fructus dotis non deduxit, illos dimittere, & iuri renuntiare videretur; non sic verò quicumque alius, qui iuris peritus non esset, imò eum sibi à iure concedator posse huiusmodi fructus percipere, vt patet ex prædicto *cap. Salubriter, de vsuris*, & ex *l. Pater, ff. de dolo malo*, cum dilationem concessit, secundum ius concedere visus est, vt optimè animaduertunt Doctores citati. Aliter tamen dicendum erit si expressis verbis huic iuri renuntiauit, vt paret.

Lud. Lop. *Quæ per errorem iuris fiūt infecta censentur.* Sanch.

10. Maius dubium est, an possit maritus percipere omnes illos fructus salua dote, si ipsi excedant onera matrimonij? Respond. Doctores, qui docent hos fructus posse percipi ratione lucri cessantis, consequenter affirmabunt, iustè percipi posse, etiamsi excedant onera matrimonij, quos videre poteris apud Couartuuiam *lib. 3. var. c. 1.* nam cum hæc ratio sit admodum particularis, & in vno tantùm genere personarum, videlicet in mercatoribus, militet; non solent illi mensurare onera matrimonij, & alimenta vxorum per acquisitionem lucri, ac proinde tantùm poterunt iustè percipere quantum lucrum eis cessat, quod ferè semper est plurimum; vnde siue multum, siue parum, prædictos fructus onera matrimonij excedant, iustè illos poterunt percipere.

Couar.

11. In opinione etiam Nauarri, qui rationem iustificantem horum percipiendorum fructuum in tacita donatione dotantis constituit, consequenter etiam dicendum est inter illos posse percipere maritum quantumlibet onera matrimonij excedant: totum enim illum excessum donatum fuisse tacitè à dotante credendum est, vt ipse Nauarrus *in manual. Lat cap 17. dicto num. 213.* insinuat, imò dicit expresse.

Nauar.

12. At in nostra opinione, qui cum Soto *lib 6. de iustit. quæst. 1 art. 2.* & Couarr. *dicto lib. 3. variar. cap. 1.* & cum Ludouico Lopez *2. part. instruct. cap. 60.* & aliis, rationem horum percipiendorum fructuum, non in ratione lucri cessantis, nec in tacita donatione dotantis fundamus, sed in ratione damni emergentis, quia cogitur vir aliunde ex suo alere vxorem, quam non tenetur alere nisi ex fructibus dotis, necessariò dicendum est, si aliter fuerit expressum in matrimonij contractu, in foro conscientiæ non posse maritum percipere huiusmodi fructus, quatenus excedunt onera matrimonij, rarò autem aut nunquam illam excedent; *quia frequentius dotis fructus non sufficiunt ad onera matrimonij supportanda, vt ait Summus Pontifex dict. cap. Salubriter de vsuris.*

Soto. Couar. Lud. Lop.

13. Hic autem insurgit aliud dubium, non ita facilis expeditionis. An scilicet soluto matrimonio per mortem coniugis, possit viuens coniux, vel maritus percipere eosdem fructus, quandiu dos ipsi non soluitur absque computatione cum dote, seu salua semper dote capitali. Et similiter Doctores qui hanc iustam perceptionem constituunt, vel in tacita donatione dorantis, vel in ratione lucri cessantis, facilè se expediunt id affirmando. Alij verò, qui in sola ratione damni emergentis iustitiam percipiendi huiusmodi fructus constituunt, non ita facilè ab illo se expediunt; communis tamen resolutio affirmat, & eam docet Ludouicus Lopez *dict. 2. part. instruct. c. 60 §. His igitur.* & ibi citat Syluestrum Nauatrum, & Angelum, & ita docet etiam Glossa *l. vnica, de rei vxoriæ act. §. ex actis*, qui omnes tenent soluto iam matrimonio posse maritum licitè, & sine vsura percipere hos fructus absque obligatione computandi illos cum dote promissa, quandiu dos non soluitur. Primò, quia maritus suscepit dotem, & fructus fundi oppignorati pro dote cum onere alendi vxorem & familiam filiorum si remaneat, salua dote; ergo poterit accipere illos fructus, pro se, & sua familia alenda; quandiu sibi dos non soluitur. Secundò, quia filij & hæredes succedunt iuri matris, mater autem habebat ius ad recipiendos illos fructus quandiu sibi promissa dos non solueretur. Ergo illi etiam habebunt, cùm in iure illius succedant.

Lud. Lop.

14. Hæc de iure communi; nam de iure Lusitano certum est non posse maritum soluto matrimonio ampliùs illos fructus percipere absque computatione cum dote, vt habetur in nostris Ord. nouis *lib. 4. tit 65. num. 1.* ibi: *E isto auera lugar en quanto durar o casamento, eo marido sustentar a molher*

a molher segundo a vzança da terra; porque apartado o casamento por morte de cada hum delles, ou por qualquer outra maneira, daby por diante naon podera mais auer arenda dacousa empenhada sem adescontar do principal, e em outra maneira todo o ganho que daby se leuasse sem este desconto seria vsura; Reddo fideliter Latinè, id est, *hoc autem locum habebit, quandiu durauerit matrimonium, & maritus vxorem sustentauerit secundum regionis vsum; quia soluto matrimonio morte cuiuscumque illorum, vel quauis alia via, in posterum non poterit amplius percipere reditus res pignori tradita, quin eos cum principali computet, & aliter omne lucrum inde acquisitum absque hac computatione principalis, vsura erit.* Hæc ibi ordinationes Lusitanæ, & cum illis consentiunt Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas *in prædicto capite, Salubriter de vsuris.* Et fundamentum horum Doctorum erat, quia neque mulier mortuo marito, neque maritus mortua vxore, tenetur alere familiam integram, quemadmodum tenebantur, vtroque viuente, & ideo carent illo iure; siquidem minuitur onus matrimonij, & sustentatio familiæ: vnde cum iure careant percipiendi fructus, non possunt illos recipere absque computatione cum dote, neque filij possunt hìc succedere iuri parentis, cum ius parentis, morte illius sit extinctum. Ego hanc opinionem in qua fundatur ius nostrum Lusitanum, omnibus bene perpensis pro foro etiam conscientiæ iudico meliorem, & rationi magis consentaneam, vt consideranti patebit.

15. Sed adhuc rogas, an si interim dum constante matrimonio fructus oppignorati fundi iustè percipiuntur, fundus ipse, vel aquarum illuuione, vel quouis alio casu pereat, & infructiferus reddatur, Cui pereant fructus? Respondeo perire socero, non genero, seu dotanti, non dotato; & ita fallit hìc illa regula, *Cuius est emolumentum, eius est & detrimentum, vel emtionis, vel deteriorationis. l. Plerumque ff. de iure dotium in principio* § 1. *& l.* 1. *C. eodem titulo*; & ita docet expresè Glossa *in dicto capite, Salubriter, verbo onera, ad finem.* Et ratio est in promptu; quia fundus ille non fuit æstimatus, nec computatus cum dote, vel fructus illius, sed tantùm fructus illius fuerunt pignori dati, quandiu dos non solneretur, salua dote, & iure ad illam; quare pereunte fundo, adhuc ius dotale integrum manet, & tenetur dotans dotem promissam dotato constituere.

Caput XII.

De obligatione vxoris erga virum. An vxor teneatur virum sequi, & vir vxorem.

Summarium.

Tenetur vxor in licitis sub culpa mort. obedire marito. num. 1.

Peccat mortiferè si eum in iuramenta iniqua faciat prorumpere. num. 2. *Ex iustitia tenetur marito obedire.* ibid.

An vxor nobilis teneatur marito vilia obsequia præstare. num. 3. 4.

Quid significet verbum, dominari, *in sacris literis.* num. 5. *versu,* Ad secnudum. *Vxor nunquam debuit obsequia vilia marito. ibi, versu,* Ad tertium.

Viri possunt facere donationes remuneratorias suis vxoribus. num. 6.

Tenetur vxor virum sequi, domicilium aliò mutantem, nisi matrimonium ab initio contractum fuerit sub pacto non mutandi illud. num. 7.

Valet pactum in matrimonio appositum mutandi domicilium, siue ab vxore, siue à viro apponatur. num. 8.

Si post pactum appositum, & matrimonium contractum noua causa mutandi domicilium adueniat, poterit mutari, & perinde est ac si pactum non apponatur, & quæ causa sufficiant. num. 9.

Si absque hac noua causa alter coniux pactum non seruet, tenetur alter illum sequi. num. 10.

An pacti fide violata, pœna illi interposita in conscientia debeatur. num. 11.

Valet in maioratibus pœna amissionis maioratus apposita, nisi successor habitet in certo loco. numero 12.

An valeat legatum relictum alicui sub conditione dum in certo loco habitauerit. num. 13.

Vxor non tenetur virum sequi domicilium aliò mutantem, si ei valetudinis, vel salutis animæ sequatur detrimentum. num. 14. & 15.

Non tenetur vxor virum Anglicum sequi ad terras hæreticorum proficiscentem. num. 16.

An vt vxor teneatur virum sequi, requiratur, vt detur causa necessaria mutandi domicilium. numero 17.

An vir teneatur vxorem aliquando sequi aliò proficiscentem, & habitare volentem. num. 18.

An vxor teneatur sequi virum vagabundum. numero 19.

VXOR tenetur ex obedientia, & iustitia obedire marito in rebus licitis, & honestis, quamobrem mortiferè peccat illa, quæ notabiliter est marito inobediens in iis, quæ ad œconomiam & gubernationem domus, atque familiæ spectant. Ita Nauarrus *in Manuali Latino cap.* 14 *num.* 20. Toletus *lib.* 5. *summa cap.* 2 Syluester *verbo, vxor, à num.* 2. nam cum maritus sit caput, velle gubernare, illo spreto, lethiferum est. Dixi *illo spreto*, quia si desit contemptus & contumacia, mortale non est, velle in aliquibus gubernare, & suum iudicium mariti iudicio præferre; quia obligatio, & subiectio vxoris erga præcepta mariti non est tanta, vt in licitis & honestis absque mariti contemptu non possit illa suum iudicium interponere, neque enim vxores sunt mancipia, aut ancillæ, sed sociæ; quamobrem in aliquibus debent mariti illarum iudicium sequi; quando autem id fieri debeat, iudicio prudentis committitur. 1. Nauar. Tolet. Syluest.

Peccat etiam vxor mortiferè, si cum rixosa sit, & morosa, sciat sæpe ex eo maritum in blasphemias, & iuramenta prorumpere: tenetur enim quantum potest se corrigere, & similes occasiones marito non dare. Sic authores citati. Dixi *ex obedientia & iustitia teneri vxorem marito obedire*; quoniam in matrimonio tacitè hic contractus celebratur inter virum, & vxorem; *Ales me, & ego tibi dotem dabo, & insuper tibi in licitis obediam*; & ideo ex vi contractus tenetur vir vxorem alere, & illi cohabitare iuxta ea quæ in superioribus dicta sunt. Vxor verò tenetur etiam illi cohabitare, dotem promissam dare, & insuper marito tanquam capiti obedire, & illi obsequium præstare, vt ex dictis 2.

ctis in superioribus patet, & ex dicendis patebit statim.

3. Rogabis autem, quæ obsequia teneatur vxor ex iustitia, & ex vi contractus matrimonij præstare marito. Et de hac re duæ sunt opiniones. Prima docet omnia obsequia licita teneri illi præstare etiamsi vilia sint, & vxor sit nobilis, imò
Pinell. nobilissima. Ita docet Aires Pinellus *de bonis maternis l. 1. part. 3. num. 61. versu, sed prædictis viri;*
Barbatius. & Barbatius *in additionibus ad Baldum l. si vxorem C. de condit. insertis.* asserens vxorem nobilem teneri ad omnia obsequia viro, licet vilia
Ioan. Andr. Angel. sint, & idem videtur tenere Ioannes Andreas *in capite, Literas num. 9. de rest. spoliatorum*, & Angel. *verbo, vxor. num. 2.* dicunt enim indistinctè teneri vxores ad omnia obsequia virorum; sed hi forte rixati fuerant cum vxoribus, tempore, quo hæc scriptis mandarunt. & hanc opinionem ait Tiraquellus forte veriorem esse *de nobilitate cap. 20. num 95. & sequentibus.* quod in hunc modum probat, quia non debet esse conditio creditoris peior ob debitoris nobilitatem, nisi aliter sit in iure cautum; sed ex iuris dispositione tenetur vxor obsequia præstare viro, cum ipsi sit subdita *l. Sed si vir ex lana, ff. de donat. inter virum, & vxorem cap. Hæc imago. & cap. Est ordo 33. q. 5.* vbi dicitur mulierem esse viro subditam, & penè eius famulam; ergo licèt vxor sit nobilis, ad hæc tenetur, cum in iure vxor nobilis non excipiatur. Secundò, quia vir tanquam caput mulieris in omnibus eam potest dirigere, & omnia ei præcipere obsequia; modò non sint peccato obnoxia, iuxta illud Scripturæ Geneseos 3. *Mulieri quoque dixit Deus. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Si ergo est dominus, illa est quasi serua, & seruus in omnibus licitis, licet vilibus, tenetur domino obedire. Tertiò, quia ab initio contractus matrimonij ierat conditio nobilitatis vxori; & tamen voluit matrimonium contrahere cum viro etiam ignobili; ergo ignobilitas illius eam non excusat ab his obsequiis, eo enim quòd se ad matrimonium obligauit, consequenter ad hæc obsequia adstrinxit. Est probabilis ista sententia.

4. *Vxor nobilis non tenetur vilia obsequia marito præstare.*

Secunda probabilior, & tenenda docet non teneri vxorem nobilem ad obsequia vilia marito; sed ad ea solùm, quæ illius dignitatem, ac nobilitatem non dedecent. vnde non tenetur lauare mariti pedes, cibos condire, domum verrere, tergere, fricare, nec parietes noua calce dealbare; & alia vilia, ac seruilia id generis obsequia ministrare. Facit pro hac opinione lex *interdum lana ff. de operis liber.* ibi: *Sed si libertaque operas promisit ad eam dignitatem perueniat, vt inconueniens sit præstare patrono operas ipso iure*
Bald. *hæc interdicunt*; & hanc opinionem tenent Bal-
Abbas. dus *l. si vxorem num. 6. C. de condit. insertis.* Abbas
Felin. *cap. Literas num 27. de rest. spoliat.* Felinus *in cap. Illud num. 11. de præsumptionibus, versu, Adde istis.*
Decius. Decius *consilio 202. versu, Nec obstat quod alia.*
Corset. Corsetus *tract. de potestate Regia quæst. 30. fine.*
Ioan Lup. Ioannes Lupus *rubric. de donat. §. 31. num. 2. &*
Rosell. *§. 50. num. 33. & §. 62. num 6.* Rusella *verbo,*
Syluest. *vxor num. 6.* & ibi Syluester *quæst. 2.* Suarez *l. 9.*
Suarez. *titulo de los pleitos lib. 1. num. 13. fine.* Garcia *de*
Garcia. *donat. remuneratorijs, num. 28.* Sanchez *tom. 1. de*
Sanch. *matr. lib. 6. disp. 9. num. 24.* & facit pro hac opinione quod docet Cynus, & Salicetus ad legem
G. Bened. *si vxorem*, & Guillielmus Bened. *capite, Raynutius de test. verbo, dotem, quam ei dederat n. 47.* Vbi docent vxorem nobilem non teneri operari viro, quæ intelligenda sunt, nisi coniuges ita pauperes essent, vt famulam conducere non possint; tunc enim vxor quamuis nobilis ad ea opera, & obsequia teneretur. Ratio est, quia vxor, non est serua, nec famula; sed socia & coadiutrix: prædicta autem opera, & obsequia famulæ propria sunt, ac seruæ, vt de se patet.

Argumenta pro prima opinione facta facilè 5.
soluuntur. Ad primum ex allegatis iuribus deductum, Respondeo verum esse subditam esse viro, & teneri ei obsequia præstare; modò tamen vilia non sint, & quæ illius dignitati officiant, & ideo dici non seruam simpliciter, sed quasi seruam; quia seruorum proprium munus est obedire dominis tamquam capitibus, ad quod tenentur vxores viris, non tamen obedire in vilibus obsequiis tamquam seruæ.

Ad secundum, respondeo verbum illud *dominari* in sacra pagina, non indicare dominationem in subditos, tanquam in seruos, & mancipia; sed indicare dominium, & superioritatem quandam excellentem, quo pacto Reges dominantur vassallis, non tanquam illorum seruis, & mancipiis, sed tamquam subditis.

Ad tertium dices, nunquam vxorem debuisse obsequia hæc vilia viro, quæ suam dedecent dignitatem, nec ad ea per matrimonium se obligasse. & sic etiam respondetur ad argumentum, & rationem Tiraquelli initio prioris opinionis appositam de creditore nobili erga debitorem vilem.

Est hæc secunda opinio adeo vera, vt omnes 6.
authores illius citati *num 4.* asserant posse viros facere vxoribus suis donationes remuneratorias pro obsequiis sibi impensis, & valere in iure huiusmodi donationes; quia non omnia obsequia vxorum viris sunt omnino debita, & quæ debita non sunt, remuneratione digna sunt.

Ex vi verò contractus matrimonij, vt dixi 7.
num. 2. ad finem, tenetur vxor viro cohabitare propter rationem debiti, & redditionem illius, vt sint duo in carne vna, & vt obsequia personalia; quæ illius personam non dedecent, præstare possit. Hinc est quod tenetur vxor virum sequi domicilium aliò mutantem, nisi matrimonium ab initio sub pacto non mutandi domicilium fuerit
celebratum; ita docet Nauarr. *in summa cap. 14.* Nauar.
num. 10. Capua *lib. 2. decision. aurear. cap. 59.* Capua.
num. 2. Philiarchus *de officio sacerdotis tom. 1. lib. 1.* Philiarch.
de matr. disp. 41. num. 2. & de hac propositione nemo dubitat, & eam tenet D. August. & habetur *cap. Vnaquæque 13. quæst. 2.* ibi. *Vnaquæque mulier sequatur virum suum siue in vita, siue in morte*; & ratio est quia coniuges tenentur ad mutuum obsequium quod præstare sibi nequeunt, nisi simul habitent, & cum vir sit caput mulieris Geneseos 3. Ephes. 5. & 1. ad Corinth. 11. rectè infertur vxorem in hac habitatione sequi debere virum; & cum materia sit grauissima, tenetur ad hoc sub peccato lethali. Et hoc adeo verum est, vt contraria coniugis consuetudo tamquam iuri
diuino aduersa nihil prosit; sic Glossa *cap. 1. de* Abbas.
coniug. leprosor. verbo, consuetud. vbi Abbas *n. 3.* Alex.
Alexander de Neuo *n. 4. & 6.* Præposit. *in 2. & 3.* Præposit.
Sanchez *lib. 1. de matr. disp 41. num. 2.* Sanch.

Hæc doctrina patitur has exceptiones. Prima 8.
est, nisi matrimonium ab initio sub pactum non mutandi domicilium fuerit celebratum; vt diximus, quia licet dubium sit, an hoc pactum sit validum si in matrimonio apponatur, attamen multò

multò certius est huiusmodi pactum valere, siue illud in fauorem viri, siue in fauorem vxoris apponatur. Patet ex authoritate Doctorum ita docet Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 4. num. 2.* Hostiensis *in summ. tit. de coniug. seruor. num. 5. fine. & in cap. 1. Qui matr. accusare possunt post principium*; & ibi Panor. *num. 5.* Præposit. *in l. Card. cap. 2. eodem tit. num. 3.* Henriquez *cap. De illis, de sponsal. num. 4.* Anton. Gomez *lib. 2. variar. cap. 10. num. 14.* Ioannes Lupus *in rubr. de donat. § 2. num. 3.* Bernard. Dias *regul. 800.* Rosella *verbo, Vxor, num. 3.* Angel. *ibi, num. 9.* Syluester *ibi, quæst. 8.* Tabiena *quæst. 2. num. 3.* Armilla *num. 6.* Nauarr. *in summa cap. 14. num. 20.* Anton. Gabr. *tom. 2. com. lib. 14. verba, Pactum, fol. 175. & lib. 9. verbo, Vxor, fol. 471.* Practica forensis *lib. 1. tit. de matrim. §. 5.* Anton. Cucus *lib. 5. inst. maiorat. tom. 11. num. 150.* Speculum conscientiæ *tract. 2. cap. 56. §. 1.* Lud. Lopez *instruct. cap. 54. ad finem.* Capua *lib. 2. decis. aur. cap. 59. num. 2.* Philiarchus *de officio sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 4. cap. 19. versu, Sextò,* Rodrig. *tom. 1. summa, cap. 15. n. 2.* & hi alios citant. Probatur, quia in contractibus potest quis apponere omnes conditiones, quas voluerit, modò sint licitæ, & honestæ *cap. Verum, de condit. appositis, & l. 1. C. de Pactis erga, & in contractu matrimonij*, hæc autem conditio non mutandi domicilium, siue apponatur à viro, siue à muliere, licita, & honesta est. Quia vt constat *ex cap. Gemma mulier, de sponsal. & ex l. Titia. ff. de verborum obligat.* sola pœna in matrimonio coniungendo, vel dissoluendo apponi prohibetur, quæ matrimonij libertati officit; sed hæc pœna non mutandi domicilium, non officit, imò perficit matrimonij libertatem; apponitur enim vt cohabitatio sit magis indiuidua inter coniuges. Tertiò, quia licet lex *Titio centum*, reprobet conditionem habitandi in certo loco; at hoc intelligitur de conditione vana; at hæc conditio non est vana; sed cedit in maximum vxoris fauorem, & in fauorem viri si ab illo apponatur, ne scilicet deserta patria inter extraneos vitam degere hic, vel illa cogatur.

Sanch. Hostiens. Panorm. Præpos. Henriq. Ant. Gom. Lupus. Bern. Dias. Rosell. Angel. Syluest. Tabiena. Armill. Nauar. Gabriel. Cucus. Specul. Lud. Lop. Capua. Philiarc. Rodrig.

9\. At hoc intelligendum est nisi noua, & grauis causa superueniat recedendi. v. c. quia cœli temperies minùs salubris est, & est impedimento saluti, vel generationi, aut procreationi filiorum; vel si in eo oppido capitales inimicitias contraxit; tunc enim spreto pacto etiamsi iuramento firmatum fuisset, possunt aliò commigrare; nam in eo casu pactum antecedens obligare non posset, facit lex *si conuenit. cum duplici sequenti, ff. pro socio*, vbi deciditur societatem ex noua causa superuenienti dissolui posse ante tēpus præfixum: semper enim pacta intelligenda sunt persistente eodem rerum statu, & non mutato, & ita docent omnes Doctores citati, & specialiter Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 40. num. 3.* & Tiraq *l. 1. Connub. Gloss. 1. part. 1. num 39.* Nec obstat si pactum, & conditio fuit firmata iuramento; quia iuramentum non valet contra bonos mores; at si vir solus, aut sola vxor abesset, & posset ob nouam causam superuenientem mutare domicilium, daretur in altero coniuge ansa peccandi, & committendi adulteria; & sic iuramentum esset contra bonos mores, imò esset vinculum iniquitatis, non religionis; quare nec pacto expresso iurato ad id coniuges se obligare possunt. *cap. Tua, de iureiurando, & c. Veniens, de regul.* Ita docet Abbas *in c. Qui matr. accusare poss. num. 5.* & ibi Alex. de Neuo *n 6.* & Sanchez *lib. 1. de matr. disp. 4 num. 4.*

Pactum ex noua causa superueniēti dissolui potest.

Sanchez. Tiraq. Abbas. Alexand. Sanch.

Ex his infertur primò, si aliquis coniux non seruato pacto absque noua causa superueniente 10.
domicilium mutet, non teneri alterum coniugem illum sequi. Nec obstat lex diuina cohabitandi simul, quia licet lex diuina fortior sit lege, conditione, & pacto humano, tamen lex diuina in hoc euentu non obligat, vt optimè docet Sanch. citatus *n. 6.* Bern. Dias, Angelus, Syluest. Nauarr. Speculum conscientiæ, & Capua, omnes allegati *n. 8.* & Emanuel Rodrig. item ibidem allegatus.

Infertur secundò, quoties nulla noua causa 11.
mutandi domicilium superuenit, teneri coniugem obseruare pactum, & adstringi pœna conuentionali adiecta, si qua illi fuit apposita; cum enim pactum valeat, nec pœna aliquo iure reprobetur, valebit quoque. Sic idem Sanchez *lib. 1. de matr. disp. 40. num. 5.* Anton. *cap. 1. Qui matrimon. accusare possunt, num. 9.* & ibi Alexander de Neuo *num. 6.* & Abbas *num. 5.* Si autem noua recedendi causa adueniat, cum tunc pactum non obliget, nec pœna obligabit. Sic docent iidem Authores, Sanchez speciatim *dict. num. 5. ad finem.* Tiraquel *l. 1. connub. glossa 1. part. 1. num. 39.* Perez *lib. 4. ordin. tit. 11. l. 29.* Axeued. *lib. 6. recopilat. tit. 3. l. 19. fine*, & alij suprà citati.

Sanch. Anton. Alexand. Abbas. Sanch. Tiraq. Perez. Axeued.

Infertur tertiò, valere conditionem appositam 12.
maioratibus, vt successor sub pœna amissionis maioratus habitet in certo loco, quia interest defuncti ad memoriam, ac honorem ibi successorem habitare, vbi domus, & familiæ origo suæ est, aliò enim migrando faciliùs memoria defuncti aboletur. Sic Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 40. num. 7.* Axeuedo *lib. 5. recapil. tit. 6. l. 11. num. 21.* Pelaes de Meres *de maioratib. 1. part. quæst. 57. per totam.* Quod intelligendum quoque est nisi iusta causa recedendi superueniat vt diximus, *num. 9.* de viro, & vxore, vt docet Sanchez allegatus *n. 7.* Esset autem iusta causa recedendi si fœmina in maioratu succedat, & alienigenæ nubat, iussuque viri ad ipsius domicilium pergat, quia vxor tenetur sequi virum. Sic Sanchez & Pelaes de Meres *num 4.*

Sanch. Axeued. Pelaes.

Notabis tamen valde esse dissimile, si testator 13.
testamento relinquat Petro centum sub conditione habitandi in certo loco, vel si eidem legatum testamento leget, dum in tali loco habitauerit; nam in primo casu, reiecta conditione illa, quæ seruitutis speciem continet, debetur legatum quando ea conditio in nullius fauorem apposita est; in secundo verò non reiicitur, quamuis in nullius fauorem apponatur: non enim obligatur legatarius ad speciem seruitutis; sed spe lucri inuitatur, vt in certo loco habitet: quare tandiu legatum habebit, quandiu in eo loco permanserit. Ita docet Emanuel à Costa *lib. 2. selectar. cap. 19. num. 5.* Sanchez *lib. 1. de matrim. disp 40. num. 8.* & constat ex *l. Titio centum, §. Titio centum, ff. de condit. & demonstrationibus.*

Costa. Sanchez.

Secunda exceptio quam patitur doctrina *n. 7.* 14.
tradita, *versu, Hinc est*; est, modò vxor sine graui detrimento sequi possit maritum suum: nam eo dato, illum sequi non tenetur, sicut nec debitum reddere tenetur cum eo graui salutis, vel valetudinis detrimento. Ita Sotus *in 4. dist. 35. quæst vnic. art. 1. ad 2. fine.* Sanch. *lib. 1. de matr. disp. 41. num. 3.*

Sotus. Sanch.

Tertia exceptio est, nisi vir velit vxorem tra- 15.
here ad peccatum, tunc enim non teneretur vxor illum sequi cum vrgentius sit præceptum vitandi peccati, vitæque tuendæ spiritualis, quàm præceptum cohabitandi viro. Ita docent Rosella

verba,

Angel. Syluest. Tabien. Armill. Capua. Specul. Lud. Lop. Sanch. Nauar.

verbo, Vxor, num 3. Angelus *ibi num.* 9. Syluest. *ibi quæst.* 8. Tabiena *quæst.* 2. *num.* 3. Armilla *n.* 6. Nauarr. *in summ. cap.* 14. *num.* 20. Capua *lib.* 2. *decision aurear. cap.* 59. *num.* 2. Speculum conscientiæ *tract.* 2. *cap.* 36. §. 1. Ludouic. Lopez 1. *part. instruct. cap.* 54. *ad finem.* Sanchez *lib.* 1. *de matrimon. disput* 41. *num.* 4 item Nauarrus *lib.* 4. *consil. in vtraque edition. titul. de diuortio consilio* 7. *num* 4.

16. Hinc sequitur, si detur periculum peccandi mortaliter, vel amittendæ fidei, non teneri mulierem sequi virum, veluti, si vir ad hæreticos velit proficisci, vt ibi viuant: vnde si mercator Anglus coniugatus cum Lusitana velit vxorem in Angliam deferre, non teneretur illa illum sequi. Ita deducitur ex Doctoribus modò allegatis *n.* 15. datur enim euidens periculum peccandi, & fidei amittendæ.

17. Sed dubium est, an vt vxor teneatur virum sequi aliò domicilium mutantem, necessarium sit, vt detur causa mutandi illud. Et hac de re bipartita est opinio. Prima affirmat. eam tenet Alex. de Neuo *capite, De illis, de sponsalibus, num.* 11. *& cap.* 1. *num.* 7. *Qui matrimonium accusare possunt.* Probat, quia durum esset velle obligare vxorem ad sequendum maritum sine causa, volentem aliò domicilium mutare.

Alexand.

Secunda negat, & dicit omnino dicendum esse teneri vxorem sequi maritum sine causa aliò domicilium transferentem, modò non detur inhonestas in transmutatione. Ita docet Glossa *in c.* 1. *de coniug. lepros. verbo, Sequatur.* Hostiensis *ibi super eadem verbo* Innocent *num. vnic.* Anton. *n.* 11. Anchar *num.* 6. Abbas *in cap. De illis, num* 4. *de sponsalib.* Rosella *verbo, Vxor, num.* 3. Angelus *verbo, Vxor, num.* 9. Syluest. *ibi, quæst.* 8. Tabiena *quæst* 2. *num*... & Glossa *in cap Vnaquaque, verb. Sequitur* 13. *quæst.* 2. vbi docent vxorem teneri sequi virum mutantem domicilium. & solùm excipiunt, & dicunt non teneri, quando ex causa turpi, & inhonesta mutaret. Probant, quia aliàs nulla esset distinctio inter virum, & vxorem; quod est absurdum; nam vir est caput, vxor socia illius, & coadiutrix, imò membrum capitis; oportet ergo, vt detur aliqua distinctio inter virum, & vxorem, quoad obligationem comitandi, ac sequendi alium; ea autem est, vt vir teneatur vxorem sequi quando vult mutare domicilium ex causa; vxor verò semper teneatur maritum sequi siue detur, siue non detur causa mutandi domicilium; modò tamen in tali mutatione nec detur inhonestas, nec turpitudo. Nec hoc durum debet videri, cum maritus sit caput ad quod gubernatio domus spectat, illa non sit.

Glossa. Hostiens. Innoc. Anton. Anchar. Abbas. Rosell. Angel. Syluest. Tabien.

18. Vnde cessat illa quæstio, an vir teneatur aliquando sequi vxorem aliò migrantem, sicut vxor tenetur sequi virum semper. Respondendum enim est negatiuè, solùm enim quando vxor ex causa domicilium ab vno loco in alium mutat, illam vir sequi tenetur; quia quoad mutua obsequia coniugalia, & redditionem debiti, pares sunt, vnde in hoc consistit differentia inter virum, & vxorem, quoad obligationem comitandi, vt cum vir sit caput, possit liberè eligere locum, vbi figendum sit domicilium, & vxor teneatur illum sequi, siue detur causa mutandi illud, siue non; vxor verò non possit illum eligere, nec vir teneatur illam sequi nisi dum necessitate compulsa illud mutat; ius enim matrimonij, & obligatio reddendi debitum compellens vxorem ad sequendum virum, compellit etiam virum ad sequendam vxorem ex causa iusta, vt diximus. Ita Sanchez *lib.* 1. *de matr. disp.* 41. *num* 14. *&* 15. & omnes quos citauimus *num.* 17. pro secunda opinione.

Sanch.

19. Non tenetur tamen vxor virum sequi, si vagabundus sit, modò non fuerit talis ab initio cum matrimonium cum illo contraxit: nam si talis erat, & non ignorabat illius conditionem, tenetur illum sequi euagantem; secus si ignorabat illius consuetudinem, aut si talis factus est post matrimonium contractum; imò si à principio sciebat eum esse vagabundum, solùm eum teneretur sequi quandiu ex modo euagandi nullum sequeretur peccatum. Ita docet Syluester *verbo, Vxor, quæst* 8. Nauarr. *in manual. Latin. cap.* 14. *num.* 20. Toletus *lib.* 5. *summa, cap.* 2. Sanchez plurimos referens ac sequens *lib.* 1. *de matrim. disp.* 41. *n.* 5. Capua *lib* 2. *decis. aur. cap.* 59. *num.* 3 Lud. Lopez 2. *part. instructory de matrim. cap.* 54. *fine.* Rodrig. *tom.* 1. *summa cap* 15. *num.* 2. Couarr. *in* 4. *decretal* 2. *part. cap.* 7. *init. num.* 5. Menochius *lib.* 2. *de arbitr. centur.* 5. *casu* 469. *num* 4. 5. *&* 7.

Syluest. Nauar. Tolet. Sanch. Capua. Lud. Lop. Rodrig. Couar. Menoch.

Capvt XIII.

An vir teneatur vxorem, quam dotatam duxit, alere, si eius dos ob illius culpam, vel hæresim publicata fuerit; & an monasterium teneatur religiosum de hæresi damnatum iterum admittere, & alere.

SVMMARIVM.

Maritus an teneatur alere vxorem cuius dos ob illius hæresim fuit publicata, vel culpa illius amissa. Refertur prima sententia affirmans, modò eam ad suum consortium admittat. num. 1.

Refertur secunda sententia negans, etiamsi ad consortium coniugale admittat. num. 2.

Astruitur tertia sententia asserens non teneri maritum catholicum eam admittere, nec alere, etiamsi admittat nisi in defectum parentis illius. num. 3. 4. 5. 6.

Iudicium authoris, & soluuntur rationes primæ, & secundæ sententiæ. num 7.

An vir teneatur vxorem alere, quæ ob proprium crimen hæresis perpetuo carcere includitur. num. 8.

Quid si ob aliud crimen. num. 9.

Quid si bona illius publicata non sint. num. 10.

An monachi, & moniales, qui ante professionem in hæresim Iudaismi fuerunt lapsi, sint verè religiosi. à num. 11. *vsque ad* 14.

Quid de illis qui post professionem hæretici facti sunt. num. 15. *versu*, De illis verò.

An illos teneantur monasteria admittere verè conuersos, & pœnitentes. à num. 16. *vsque* 19. *Quid si ante professionem fuerint hæretici. num.* 16. *versu*, Nihilominus. *Quid si post professionem. ibid. versu*, Non secundus.

An casu quo non teneantur monasteria prædictos monachos, & moniales admittere, teneantur illas extra monasteria alere. num. 20.

Quid si fiscus illarum dotem rapuit. num. 21.

Quæ summa assignari debeat pro alimentis. numero 22. *&* 23.

Quid si monasteria bona fide dotes consumpserunt. num. 24.

Quid

Quid de Monachis Diui Francisci quorum monasteria incapacia dotis sunt. num. 25.

1. *An vir vel coniux catholicus teneatur coniugem de haresi damnatum alere.* DVBIVM est graue, an vxorem dotatam cuius dos ob hæresim, vel aliud crimen illius publicata fuit, teneatur maritus alere; & eadem quæstio esse potest de monialibus, & personis Religiosis, quæ de hæresi sunt condemnatæ, an teneantur monasteria eas iterum admittere, & alere. Et de vxore quæ de hæresi damnata fuit, & cuius dos ob hæresim publicata, tres inuenio opiniones. Prima docet teneri virum catholicum vxorem de hæresi damnatam, & cuius dos ob hæresim fuit publicata, alere, si eam ad suum consortium admisit, secus si non admisit. Ita docet Abbas *consilio* 85. *num.* 4. *volumine* 2. Ioannes Lupus *in capite, Per vestras, de donat. inter virum, & vxorem, notabili* 3. §. 1. *num.* 1. Antonius Gomez *l.* 78. *Tauri num.* 6. Simancas *de catholicis Instit. tit.* 16. *num.* 19. Petrus Surdus *de alimentis tit.* 7. *quæst.* 21. *num.* 6. & 7. & *num.* 5. & citat ibi Surdus pro se Gondisaluum *in tract. de hæreticis quæst.* 15. *num.* 9. Probatur hæc opinio, primò, quia in defectum dotis, & patrimonij, tenetur vir vxorem alere propter debitum coniugale, quæ est in illius obsequio, & crudele esse, & inhumanum ei tunc alimenta negare; & hoc est fundamentum Abbatis, Ioannis Lupi, & Simancæ. Secundò, quia maritus tenetur alere vxorem indotatam, vt probabimus *cap.* 9. *num.* 2. & in eo casu perinde est, ac si fine dote duceret.

Prima opinio. *Abbas. Lupus. Ant. Gom. Simanc. Surdus.*

2. *Secunda opinio.* Secunda opinio docet non teneri virum cam alere, etiamsi ad suum consortium coniugale admittat, & in eius seruitio, toro, & obsequio sit. Eam docet Rojas *de hæret.* 2. *part. num.* 325. *assertione* 40. & hanc debent etiam docere illi, qui dicunt obligationem alendi vxorem non oriri ex toro, & cohabitatione, neque ex debito coniugali, aut obsequio marito præstito, seruitióve, sed ex dote constituta, quam ipsa vxor secum adfert, si illam adfert; si verò non adfert, & maritus sine dote duxit, videtur contentus esse vxore pro dote, & tunc consequenter se noluit obligare ad eam sine dote alendam, inter quos est Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 5. *num.* 18. vbi dicit non posse maritum domo expellere vxorem dote promissa, & non soluta, nec ei debitum negare; posse tamen eam non alere, quia ad id non tenetur nisi ex dote. Citari etiam possunt pro hac sententia omnes illi, qui docent teneri virum traducere vxorem dote non soluta, quam cum dote duxit, & iam traductam teneri in conscientia eam domi retinere, & non posse eam expellere, & ad illius retentionem posse in foro obligari externo; non teneri tamen eam alere, quia obligatio cohabitandi non oritur ex solutione dotis promissæ, sicut oritur obligatio alendi vxorem; sed oritur ex intrinseca natura contractus ipsius matrimonij, & ea lege naturali, & diuina, *erunt duo in carne vna*; & hi sunt Afflictis *decis.* 284. *num.* 4. Cucus *lib.* 1. *Instit. maioratum tit.* 11. *num.* 127. Couarr. *in* 4 *decretal.* 2. *part. cap.* 7. *in initio num.* 2. Baëza *de non meliorand. filiabus causa dotis cap.* 32. *num.* 21. & Decis. Pedem. *decis.* 132. *num.* 18. & Matienso *lib.* 5. *recopilat tit.* 1. *rub. glossa* 1. *num.* 91. & Petrus Surdus *de alimentis tit.* 7. *quæst.* 17. *n.* 21. quos omnes citauimus *cap.* 10 *num.* 16.

Rojas. *Sanch.* *Afflict. Cucus. Couar. Baëza. Decis. Ped. Matiens. Surd.*

3. *Tertia opinio.* Tertia opinio docet non teneri maritum illam alere si parentes illius possibilitatem illam alendi habeant; teneri verò in defectum parentum, si eam ad coniugale consortium admisit. Ita expresse docet Sanchez *lib* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 10. & nullum authorem citat pro se Probat primò, quia aliud est vxorem sine dote ducere, aliud cum dote ducere, quam vxor sua culpa, & proprio delicto amisit: nam vir ratione dotis solutæ tenetur vxorem alere, & dum non soluitur, non tenetur eam alere; perinde est autem culpa, & hæresi vxoris dotem amitti, & publicari, ac si soluta non esset: non tenetur ergo vir eam alere, quando illa vel hæresi, vel quocumque alio crimine culpa sua dotem amisit. Nec est simile, quando vir indotatam duxit, quia tunc sua sponte, nullo recepto pretio, se ad illam alendam obligauit.

Sanch.

Secundò, quia supposito quòd eam admiserit & in eius consortio sit, & parentes eius eam alere non possint, amor coniugalis, & nexus tam arctus postulat, vt à viro alatur, ne fame pereat.

Tertiò, quia id constat deducto argumento ex *l. Quod si nulla* 28. *ff. de religios. & sumpt. funer.* vbi deciditur vxorem dote carentem sumptibus patris sepeliendam esse, & si pater pauper sit, nec sit aliquis vxoris hæres, sumptibus mariti, *ne iniuria eius*, vt ibidem iurisconsultus ait, *videatur, vxorem eius insepultam relinqui.*

Quartò, quia quando culpa mulieris deperditur dos; tenetur adhuc pater illius eam alere, vt multis citatis, & allegatis probat Molin *de primog. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 24. Et confirmatur, quia nec etiam in eo casu, quo vir vxorem sine dote duxit, eam tenetur alere si pater illius diues sit, & petita postea à marito dote, eam ille neget, iuxta eam opinionem, quam retulimus *cap.* 9. *num.* 3. sed non secuti sumus.

Molin.

Quintò, quia quando vxor patre caret, qui eam alere possit, tunc quidem tenetur maritus vxorem hæreticam de hæresi condemnatam, si eam ad consortium coniugale admisit, alere; nam prima sententia solùm differt ab ista tertia, quia tertia simpliciter dicit maritum teneri eam alere; ista verò prima docet primò ad id teneri patrem illius, si illum habet, & diues est; si autem non habet, aut si habet, ita pauper est, vt illam alere non possit, teneri maritum; & sic omnes authores citati pro prima opinione, pro ista citari etiam possunt.

In quo differat ista sententia à prima.

Dixi, *si illam ad consortium coniugale admisit*, quia non teneri virum vxorem de hæresi conuictam in iudicio, conuersam, à qua post sententiam diuertit, iterum admittere, est communis omnium opinio; quam docuimus multis pro ea relatis *cap.* 8. *num.* 10. & quam docet Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 15. *num.* 19. Barbosa 2. *part. rub. num.* 20. *soluto matrim.* & Castro *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punit. cap.* 7. & Couarruuias *in* 4 *decretal.* 2. *part. cap.* 7. §. 5. *num.* 5. & Rojas *de hæretic.* 2. *part. assert.* 40. *num.* 235. Simancas *de cathol. Inst. titulo* 40. *num.* 16. & patet expresse ex *cap. De illa, de diuortijs*, ibi. *De illa quæ à viro labente in hæresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis, quòd mulier ei cum reuersus fuerit, est reddenda; quæ & si reuerti noluerit, compellatur; si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.* Vbi expresse deciditur mulierem catholicam non teneri recipere virum suum de hæresi damnatum, Ecclesiæ reconciliatum, nec ad id posse obligari, teneri verò si iudicio Ecclesiæ non fuit conuictus & Ecclesiæ reconciliatur, in eo

4. *Non tenetur vir catholicus de hæresi conuictã coniugẽ admittere ad consortium.* *Sanch. Barbos. Castro. Couar. Rojas. Simanc.*

eo casu, quo propria authoritate ab eo recessit, vt latè probauimus *cap* 8. *num*.10.

5\. *Nec in eo casu, quo vir catholicus vxorē de hæresi condemnatam admisit, eam tenetur alere, si illius dos publicata fuit.*

Imò nec in eo casu, quo vir catholicus vxorem post hæresis damnationem admisit, eam tenetur de iustitia alere; sed solùm ex charitate in defectum patris illius; quia obligatio alendi vxorem ex iustitia adnexa est doti. Vnde cum propter delictum vxoris fisco addicta sit, perinde est ac si non soluatur; non soluta autem dote non tenetur vir vxorem ex iustitia alere, sed tantùm ex charitate. Et idem est dicendum de crimine læsæ maiestatis, & de quocumque alio crimine ob quod dos publicari soleat ob eandem rationem, vt docet Petrus Surdus *de alimentis tit*.7. *quæst*.21. *num* 4. Bossius *in tract. de pub. bonorum. num*.73. Iulius Clarus *in pract. criminali, quæst*. 78. *num*. 15. & alij.

Surdus. Bossius. Iul. Clar.

6\. Sanch.

Si tamen dos non publicetur, nec culpa vxoris pereat, sed casu fortuito, existimo cum Sancio *lib* 9. *de matrim. disp*.5. *num*.10. *in medio*, teneri virum vxorem ex iustitia alere propter rationem Iurisconsulti in *l. Si cum dotem* 33 § *si maritus, ff. soluto matrimonio*, ibi. *Quid enim tam humanum est quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse?* Quia perinde est tunc ac si sine dote duceretur, & sicut maritus tenetur vxorem alere, quam sine dote duxit, sic etiam tenetur illam alere cuius dos absque culpa illius fortuitò periit.

7\. *Iudicium authoris circa has opiniones.*

Ita se bene habent huiusmodi opiniones; omnes sunt probabiles. Prima probabilior est secunda; tertiam verò quam sequor, prima, & secunda probabiliorem iudico. Rationes secundæ iam manent solutæ. Ad rationes primæ respondeo, ob solum consortium coniugale non teneri virum catholicum vxorem cuius dos ob hæresim illius publicata fuit, ex iustitia alere, nec ad id se obligare tacitè, quando eam iterum ad consortium admisit, sed tantùm ex charitate & in defectum patris illius; quia obligatio alendi vxorem ex iustitia, non oritur ex debito coniugali, sed ex dote, vt diximus.

Ad secundam dico, non perinde esse dotem culpa vxoris amitti ac eam sine dote ducere, vt inde inferatur teneri maritum eam de iustitia alere, sicut tenetur ille, qui indotatam vxorem duxit: sed perinde esse tunc ac si vxorem duceret cum dote promissa, & non soluta; quo casu vir non tenetur vxorem alere; sic nec cum culpa illius dos ipsa publicatur. Si tamen fortuitò & sine culpa vxoris dos amitteretur, perinde esset, ac si sine dote duceretur, & teneretur tunc vir eam alere, sicut tenetur illam alere, quam sine dote duxit.

8\. Hinc oritur aliud dubium huic affine. An, scilicet, vir teneatur vxorem alere, quæ ob proprium crimen, vel hæresim perpetuo carcere includitur. Et omnes fatentur non teneri illam alere, si dos illius publicetur; quia tunc nec ratione dotis, cum publicetur; nec ratione consortij coniugalis, tenetur, cùm per carcerem perpetuum ad quem damnatur, perpetuò à viro separetur; nec enim vir tenetur illi in eo carcere cohabitare. Ita docet expressè Simancas *de cathol. Inst. tit*.16. *num*.18. *in priori edit.* Ioannes Lupus *in Rubrica de donat. inter virum, & vxorem*. § .64. *num*.7. Boërius *decis*. 22. Romanus *consil*. 517. Alexander *in l. Quod in vxorem. C. de Negot. gestis*, & *consilio* 131. *lib* 4 Socinus *consilio* 286. *lib*. 2. Gratus *consilio* 7. *lib*. 5. Tiraquellus *in l*. 1. *connub. num*. 26. Rojas *singular*. 526. Petrus Surdus *de aliment. tit*.7. *q*.21. *n*.9. Sanchez *lib*.9. *de matrim. disp*.4. *n*.23.

Simanc. Lupus. Boerius. Roman. Alex. Socin. Gratus. Tiraq. Rojas. Surdus. Sanch.

9\. Et idem dicendum est de muliere, quæ ob crimen læsæ maiestatis, vel culpa sua ob aliud quodcunque delictum publicatis bonis, fiscóque addictis ad perpetuum carcerem damnatur ob eandem rationem, vt docet Surdus allegatus.

10\. Si autem bona publicata non sint nec fisco addicta, & tamen vxor ad perpetuum carcerem damnetur, cum tunc dos maneat apud virum; existimo teneri virum alere vxorem in eodem carcere: si autem quia ob aliud delictum, quod non sit hæresis, ad perpetuum carcerem damnetur, cum dos tunc non publicetur, & aliunde illud delictum non habeat pœnam diuortij adnexam, nec pœna inclusionis perpetuæ directè tendat ad separationem habitationis, diuortiúmque, sed ad punitionem delicti, inde fit, vt vir tam ratione dotis, quàm ratione cohabitationis teneatur vxorem alere. Ita docet Sanchez *lib*.9. *de matrimon. disput*.4. *num*.23. Probat primò, quia culpa illa & crimen vxoris, ob quod ad perpetuum carcerem fuit relegata, fuit in causa separationis, & diuortij ex perpetua inclusione resultantis; non ergo illa separatio volita fuit in se, & ab ipsa vxore delinquente; sed in causa tantùm, dum voluit admittere crimen ob quod perpetuò inclusa fuit. Vnde cum non fuerit illa separatio in se volita, & dos non fuerit publicata, tenetur illam alere. Non tenetur tamen illam alere, quando ab eo propria temeritate recessit, & fugit, quia per illum recessum directè voluit, & intendit diuortium & separationem.

Probatur secundò, quia vir tenetur alere vxorem, quæ culpa sua facta est leprosa, licet vxor in causa voluerit separationem à viro; ex lepra enim resultat separatio cohabitationis, ergo etiam tenebitur illam alere, quæ culpa sua in perpetuo carcere fuit inclusa. Probatur tertiò, quia vxor tenetur alere maritum pauperem, qui culpa sua bannitus fuit, vt docet Gigas *de crimine læsæ maiestatis, quæst*. 21. *numer*. 4. Cephalus *consilio* 324. *lib*.3. Iulius Clarus *lib*. 5. *Receptarum in practic. criminali* § *finali quæst*. 82. *versu, Item quæro*; Anton. Gabriel. *tom*. 2. *commun. lib*. 9. *folio vltimo totius tomi*. Et tandem pro hac opinione citatur Simancas *de catholicis instit. in* 2. *edit. titul*.16. *num*. 18. & 19. Petrus Surdus *de alimentis tit*.7. *quæst*.26. *num*. 14 vbi eam tenent expressè.

Gigas. Cephal. Iul. Clar. Ant. Gabr. Simanc. Surdus.

11\. Accedamus ad illam quæstionem, quam adhuc in proprijs terminis apud nullum tractatam inueni authorem; an scilicet, monasteria teneantur monachos, & moniales de hæresi forte conuictos & ad fidem conuersos admittere, & casu quòd non teneantur admittere, an illos teneantur alere. Hîc verò tria dubia tractanda sunt sunt. Primum est, an huiusmodi moniales maneant veræ religiosæ. Secundum est, an monasteria illas teneantur admittere conuictas, & verè pœnitentes. Tertium est, an casu quo illas admittere non teneantur; teneantur illas foris alere competenter. Ad primum dubium resolutiuè cum distinctione, respondeo; aut huiusmodi moniales ante professionem, hæresi Iudaismi infectæ erant, aut non erant. Si ante professionem ea hæresi infectæ erant, siue in illam lapsæ fuerint in sæculo, aut in religione, in nouitiatu, vel extra illum; Dico mihi videri illas non esse verè religiosas, & professionē illarum fuisse nullam, & inualidam. Moueor primò, quia vt valida sit professio, opus est, vt vota

Religiosæ quæ ante profes-

sunt Iudaismi haresi infecta erant, non sunt vera religiosa nec illum professio fuit valida.

vota professionis emittantur in religione approbata à Summo Pontifice & Sede Apostolica; & quòd Summus Pontifex eam approbet, & possit approbare, vt statuitur in iure *in cap. vnic. de voto, in 6. & cap. finali de relig. domibus eodem lib.* & tenent communiter Doctores, Bellarm. *lib. 2. de monach. cap. 4.* Nauarr. *in cap. non dicatis, in antiquis 12. quaest. 1. num. 13. & 14 in nouis in commentario 1. de regular. num. 18. corollar. 23.* Abbas *in rubr. de regular. num. 1.* Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 25. num. 10.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. c. 41. de statu relig. dub. 1. num 10.* Sed huiusmodi moniales nec credebant, nec sibi persuadebant talem esse veram religionem in orbe, neque esse Summum Pontificem qui illam possit approbare; sed omnia, fictionem, falsitatem, figmentum, stultitiam, hominum inuentum, & meram fallaciam à piis abolendam iudicabant; ergo non sunt veræ religiosæ.

Bellarm.
Nauar.
Abbas.
Sanch.
Lessius.

Secundò, quia status religiosus est veluti quoddam ædificium spirituale, quod fundatur, & stabilitur super lapidem angularem, ac firmum fundamentum Ecclesiæ catholicæ, quam Christus pretioso suo sanguine acquisiuit, iuxta illud D. Pauli 1. Corinth 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere prater id, quod positum est, quod est Christus IESVS*; & 1. Cor. 3. *Vnusquisque videat super quo adificet.* At huiusmodi moniales, quæ ante professionem in hanc hæresim lapsæ sunt, non credebant, nec sibi persuadebant dari in orbe veram Ecclesiam catholicam. Igitur non sunt veræ religiosæ, nec professionem validam emiserunt, sublato enim fundamento, necesse est, vt totum corruat ædificium; iuxta Concilium Tridentinum *sess. 24. de regul. cap. 1. in fine.*

Tertiò, quia vota solemnia professionis emissa in religione approbata constituunt statum immobilem in Ecclesia inhabilitantem personas verè professas ad contrahendum validè matrimonium iuxta Doctores communiter. Ita Lessius *tom. 1 de iust lib 2 de statu religioso, cap. 41. dub. 1. num. 10* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 25. num. 8. & 9.* D. Thom *2. 2. quest 183. art. 1.* & ideo definiuit Concilium Tridentinum *de fide sess. 24. de regular.* huiusmodi statum esse perfectiorem statu matrimoniali; sed huiusmodi moniales omnino sibi persuadebant, talem statum non dari, nec se posse illi obligare, quomodo ergo veræ religiosæ esse poterunt?

Lessius.
Sanch.
D. Thom.

Quartò & vltimò, quod omnino rem concludit, quia professio est velut quidam contractus onerosus obligatorius ex vtraque parte; in illo enim obligatur professus religioni, & religio vicissim Dei nomine per suos superiores obligatur religioso ad recipiendum eum, alendum, tractandumque iuxta institutum religionis, & ideo cum sit contractus onerosus, necesse est, vt sit validus, vt ex parte religionis detur acceptatio; ex parte verò profitentis traditio propriæ personæ, vt docet Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 25. num. 13.* Azor. *lib. 12. inst. moral. tom. 1. cap. 14. quaest. 5. in fine.* Sotus *lib. 7. de iust. quaest. 2. art. 5. colum. 6. versu, Igitur si opinio, & versu, Sed aut.* Toledo *lib. 4 summa, cap 18. num. 4.* Valentia *2. 2. disp 6. quaest. 6. punct. 5. column. 4* Aragon *2. 2. quaest. 88. art. 7.* Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de regularibus in edit. 1. consil. 5 num. 1. in posteriori consil 26. num. 1.* aliter non erit contractus onerosus; sed gratuitus, & simplex votum seu promissio ex parte tantùm promittentis obligans; superiores autem non consentiunt acceptare Dei nomine Iudæorum vota ad professionem, qui in Christo non credunt, & talis acceptatio erit inualida, iniusta, & irrationabilis si daretur; eligunt enim huiusmodi moniales hunc modum viuendi honoris causa, & in remedium vitæ, ac forte, vt melius sub simulatione, & ouina pelle Christum IESVM Saluatorem illudant, & maiorem iniuriam rebus sacris inferant. Igitur ex defectu acceptionis ex parte superiorum Dei nomine & ex defectu intentionis tradendi se Christo authori status religiosorum, & superioribus illius nomine: ex parte illarum inualida erit huiusmodi professio, vt patet. Dices non esse necessarium, vt credant, & sibi persuadeant esse in orbe terrarum Ecclesiam catholicam, statum religionis, aut quòd venerit Christus in orbem terræ, & illum fundarit, ac stabilierit, pretioso suo sanguine, & solùm sufficere velle se per illa professionis vota Deo obligare; quia cum obligatio votorum sit de iure naturæ, æquè obligat fideles, qui in Christum credunt, & infideles, qui in illum non credunt, vt docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 33. num. 6.* Guiliel. *in rubr. 4. dist. 39. quaest. 1. art. 1.* & sufficere etiam habere intentionem vouendi, & faciendi per vota id quod faciunt alij religiosi, qui vota professionis emittunt. Veluti in sacramento baptismi, non est necessarium vt infidelis & Iudæus quando in extrema necessitate baptizant, in Christum credant, aut credant validum esse baptismum, aut bonum actum, aut sacramentum se facere; sed sufficit quod habeant intentionem faciendi, & de facto efficiant id, quod Ecclesia facit, etiamsi per irrisionem faciant vt docent communiter Doctores, inter quos est Tolet. *lib. 2 summ. cap 20* Et forte etiam in sacris ordinibus, quando quis initiatur, non est necessarium, vt credat verum dari statum sacerdotij in orbe, vt initiatus maneat, & obligatus ad onera sacrorum ordinum; sed sufficit quod velit recipere quod alij recipiunt, & quòd intentionem habeat ordinandi se sicuti alij ordinant.

Sanch.
Azor.
Sotus.
Tolet.
Valent.
Aragon.
Nauar.

Sanch.
Guiliel.
Tolet.

Ad hoc respondeo primò, verum esse obligationem voti, cum sit de iure naturæ fideles, & infideles obligare; dico tamen votum harum monialium reuera non fuisse votum solemne professionis; sed mansisse votum simplex tantùm, nam vt votum solemne esset, necesse erat, quòd professionem emittentes sibi persuaderent esse in orbe terrarum statum religionis à Summo Pontifice approbatum, & superiores quibus se vellent obligare; & insuper opus erat, vt ea ipsa vota acceptarentur Dei nomine ex parte superiorum, & Ecclesiæ: veluti cum quis emittit votum simplex castitatis, opus est etiam, vt credat Deum esse, cui se & vult, & potest obligare; & aliter si hoc non credit, non manet obligatus quantumuis cogitet se obligatum manere; quia maneret obligatus, & non maneret; quæ est manifesta implicatio; maneret quidem obligatus, quia per votum se voluit obligare: non maneret obligatus, quia iudicauit non esse Deum cui se possit obligare. 12.

Respondeo secundò, destruendo omnino hac responsione fundamenta contraria; diuersam omnino rationem esse in voto, & sacramentis; nam in sacramentis, recurrendum nobis est ad primæuam Christi institutionem, qui voluit, & potuit illa instituere sub hac forma, materia, intentione, ministro, & modo; & non sub illa, vel illo; & Ecclesia iam satis declarauit, vt habemus in Concilio Trid. *sess. 7. de baptismo, canone 4.* & ex

Conc. Trid.

Nicol. Tolet. D Thom. Henriq.

Nicolao primo *in cap. A quodam Iudæo, de consecrat. distinct.* 4 & docent Toletus *lib. 2. summa, cap.* 20. D. Thom 3 *part. quæst.* 67. *art.* 5. & Henriquez *lib. 2. de baptismo, cap* 28. *num.* 1. sufficere in sacramento baptismi. quia est omnium sacramentorum ianua; velle Iudæum, vel quemuis alium infidelem, efficere dum baptizat id quod efficit Ecclesia; licet in baptismo non credat, & per irrisionem baptizet, imò licet existimet & sibi persuadeat se actum positiuè malum efficere, & omnia cogitet merum figmentum esse, & falaciam. Et ratio diuersitatis in hoc sita est; quia infidelis dum baptizat, nihil recipit; nec ad aliquid manet obligatus; vouens autem manet obligatus ad id quod vouet, & ideo necesse est, vt qui votum professionis emittit, cognoscat, & sciat esse superiorem in orbe, cui se velit Dei nomine obligare, & esse statum religiosum cui maneat obligatus, aliter stulta erit talis promissio: at nec Deus, nec prudens homo stultam promissionem acceptant, displicet enim Deo stulta, & infidelis promissio. Et hæc est præcipua, & germana ratio ob quam Ecclesia non explicuit adhuc, nec forte explicabit vnquam, sufficere in votis professionis, quòd vouentes intentionem habeant faciendi per vota id quod alij faciunt, licet existiment, & sibi persuadeant non existere in terris superiores veros, & legitimos, quibus se velint obligare, imò contrarium credant.

13. Nam contrarium constat ex intentione Ecclesiæ; status enim religionis est quidam status descendens à Christo, habens fundamentum in Euangelio, in consilijs Christi, ordinatus, & vigorem habens à Summo Pontifice: & ex hac parte quatenus descendit à Christo, non indigebant olim religiones approbatione Pontificis, nec Sanctus Antonius, Basilius, Benedictus aut Augustinus eam vnquam requisierunt, vt docet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.* 25 *num.* 10. Vnde vota priorum illorum hominum non erant vota solemnia professionis; sed erant vota simplicia, vt docet expresè Hieronymus Plati *lib. 2. de bono status religiosi, cap.* 21. Basilius Poncius *quæstione* 3. *cap.* 3. quod significat Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disput.* 25. *num.* 10. & supponit tanquam verum Suarez *tractatu* 3. *de Religione lib.* 1. *cap.* 14. Azor. *tom.* 1. *instit. moralium lib.* 12. *cap.* 6. *quæst.* 3. Postea verò successu temporis ad maiorem decorem, & authoritatem status religiosi prohibita est à Sede Apostolica institutio veræ religionis, nisi à Summo Pontifice approbaretur, vt habetur *in capite finali, de religiosis domib. in* 6. *& in cap. vnico, de voto, eodem titulo*, & docent Sanchez *dicto lib.* 7. *de matrimon. disputat.* 25. *num.* 10. & Bellarminus *lib.* 2. *de monachis, cap* 4. & Lessius *tom.* 1. *de iustit. lib.* 2. *cap.* 41. *de statu Religion. dub* 1. & per vota castitatis in professione emissa inhabiles reddidit Summus Pontifex omnes religiosos ad contrahendum validè matrimonium; vnde constat solemnitatem votorum in professione totam esse à Summo Pontifice; qui non solùm eam matrimonij inhabilitatem potest ponere in votis solemnibus professionis, sed etiam in simplicibus, vt de facto posuit in votis simplicibus religiosorum Societatis IESV, vt definitum est de fide, & constat ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino*, vbi id de fide definit Summus Pontifex & neque locum ambigendi de hac re relinquit, vt latè docet Suar. *tom.* 4. *de Relig. cap.* 1. *&* 2. Quapropter, qui sibi persuadet, & credit nullum esse in orbe terrarum Summum Pontificem vicarium Christi, qui possit approbare, & instituere hunc statum religiosum, consequenter credit, & cogitat se illi non posse obligare; & de facto non manet illi obligatus, quantumuis cogitet se illi obligatum manere; imò & quamuis illi se velit obligare, nullam contrahat obligationem, quia voluit se obligare ad illum superiorem, quem de facto credit non dari, & ideo talis obligatio, non erit obligatio, sed stulta imaginatio: sic qui cogitat se consecrare si de facto non consecrauit, non manet Eucharistia consecrata, quantumuis cogitet se consecrasse; & qui cogitat se esse diuitem, si de facto talis non est, non erit diues; & qui cogitat aliquem esse suum iudicem, si ille de facto talis non est, nec habet iurisdictionem, non erit quidem iudex, quantumuis se illi velit obligare. & quicquid iudicat, inualidum est, vt habetur in *l. Si per errorem, ff. de regulis iuris.* Felinus *in cap. Ecclesia, num.* 14. *versu* 10. *de constitutionibus.* Felin.

Olim religiones diui Basilij & Antonij non erant approbata à Summo Pontifice, nec vota illorum erant solemnia, sed simplicia.

Hieronym. Plati. Basil. Ponc. Sanch. Suarez. Medin. Azor.

Sanch.

Bellarm. Lessius.

Solemnitas in votis professionis reddit religiosos inhabiles ad contrahendum validè & tota est à Summo Pontifice.

Suarez.

Nec obstat contra hanc resolutionem Epistola illa, quam Illustrissimus Cardinalis Melinus nomine Sanctitatis Vrbani VIII. anno 1624. ad Illustrissimum Dominum D Ferdinandum Martiñs Mascarenhas hac de re scripsit, quam fideliter de verbo ad verbum scriptam hîc apponimus. 14

Fuit habita larga, & matura consideratio super id, quod vestra Illustrissima scripsit in sua 10. *die præteriti Februarij scripta, super monales ex sanguine Hebræo descendentes, quæ modo in carcere detenta causa Iudaismi, asserunt se iam esse hæreticas tempore quo professionem emiserunt; qua de re habita sæpe consultatione in congregatione coram Domino nostro sanctitas sua & hi patres mei illustrissimi, intellecto etiam Theologorum sensu, & grauium Doctorum ad hunc effectum deputatorum, resolutum fuit, quod de prædictis monialibus tractetur, ac de professis, & cogantur ad obseruantiam professionis quam emiserunt, & velut tales puniantur pro excessibus commissis ad sanctum officium pertinentibus, pænis rationi debitis. Propter quam declarationem explicata manet altera difficultas circa monasteria, an illas debeant admittere; quia habitis vt professis nulla est dubitatio teneri monasteria, in quibus professa sunt, illas admittere; & difficultatem in contrarium facientes, debent ad id cogi censuris: Dominus Deus prosperitatem, &c.* 24. *Augusti anno* 1624. *vestra Illustrissima Cardinalis Melinus.* Nam sanctitas Vrbani VIII. non declarat de fide, nec tanquam particularis doctor, illas esse verè professas; solùm enim dicit, & iubet, quod vt tales tractentur, & cogantur ad obseruantiam religionis; quam professæ sunt; qua in re non illis fauere voluit, vt consideranti patebit, imò eas magis grauare, & punire: si enim, non vt professæ tractarentur, nollent forte iterum monasteria repetere; & sic religiosæ disciplinæ obseruantiam euaderent, & obnoxiæ tantùm manerent pœnis, quæ sibi à Dominis Inquisitoribus, veiut alijs hæreticis ponerentur; at Summus Pontifex vult, & præcipit, vt illæ vtrisque puniantur; ibi; *ad obseruantiam religionis vbi professa sunt, cogantur, & vt tales*; hoc est, vt hæreticæ, *pro excessibus commissis ad sanctum officium pertinentibus puniantur.* Quæ resolutio Summi Pontificis deducta est in proprijs terminis ex iure, ex *capite, De Iudæis*, 45. *dist.* vbi cum ibi ageretur de Iudæis, qui vi, & necessitate fidem susceperunt: ita dicitur; *fidem quam vi,*

vel

vel etiam necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, vilis & contemptibilis habeatur. Ita planè, quia huiusmodi mulieres professionem emiserunt in religione, non quia religionem esse, aut fidem catholicam crediderunt, sed in vitæ remedium, vel coactæ honoris causa: præcipit Summus Pontifex, vt iterum à Monasterijs, in quibus professæ sunt, recipiantur, & velut professæ tractentur; non tamen dicit, nec declarat illas esse professas, & id præcipit Summus Pontifex *ne status religionis, quem susceperunt, vilis, & ne fides catholica*, quam exteriùs profitebantur, & ad quam conuersæ sunt, *contemptibilis habeatur*, & ad vitanda maiora scandala, & peccata quibus in sæculo manentes tamquam fœminæ obnoxiæ manebant, *ne nomen Domini blasphemetur.*

15. *Quæ in hæresim lapsæ sunt post professionem, sunt veræ religiosæ.*

Ex his manet responsum ad primum dubium, an, scilicet, veræ religiosæ manerent post hæresim; locuti fuimus de illis, quæ iam ante professionem in hæresim lapsæ sunt.

De illis verò quæ post professionem ad Iudaismum declinarunt, breuiter dico eas veras esse religiosas. Primò, quia hæresis superueniens professionem illis nec ademit, nec illam vitiauit; nam vtile non vitiatur per inutile, quando illud inutile est diuersi generis, vt est regula iuris in 6. Deinde, quia obligatio per eas causas tollitur, per quas oritur, vt est principium iuris notissimum deductum ex *l. 3. ff. de rescind. vendit. & ex l. 1. & 2. Codice quando liceat à vendit. recedere*, & docet Molina Theolog *tom 2. de Iustit. disp. 373. initio*, & Anton. Gomez *tomo 2. variarum cap. 2. num. 21.* Vnde cum causæ ex quibus orta fuit obligatio professionis, sint traditio propriarum personarum ex illarum parte, voluntásque profitendi, & acceptatio ex parte superiorum, Dei, & Ecclesiæ nomine, per has causas duntaxat hæc obligatio tolli poterat, & non per hæresim superuenientem. His itaque resolutis secundum dubium aggrediamur.

Mol. Theol. Gomez.

16. *Anteneatur monasteria illas admittere.*

An verò teneantur illas, id est, tam primas, quæ ante professionem iam erant hæresi Iudaismi infectæ, quàm secundas, quæ post professionem in illam prolapsæ sunt, monasteria admittere; secluso hoc Summi Pontificis mandato; & fortè videbitur alicui respondendum esse affirmatiuè. Primò, quia Summus Pontifex videtur in hanc partem inclinare, dum ait: *Et velut professæ tractentur*, & dum præcipit Monasterijs, vt eas recipiant, & vt cogantur censuris, si huic receptioni resistant, ac repugnent. Nihilominus re bene considerata dico nec primas, nec secundas teneri monasteria admittere post sententiam declaratoriam hæresis incursæ, secluso hoc Summi Pontificis mandato. Non primas, quæ ante professionem in Iudaismum lapsæ sunt, primò, quia non fuerunt veræ professæ, vt in primo dubio resoluimus. Secundò, quia hæreticus post sententiam de hæresi conuictus ipso iure fit inhabilis ad omne officium, ac beneficium, vt patet ex iure, *cap. Ad abolendam, de hæreticis, in 6 cap. Quicumque, & cap Statutum, eodem titulo*; & docent Farinacius *de hæresi q. 189. num 55 & 56.* Bursatius *consil. 14 num. 18 & n. 23. lib. 1.* Azor *tom. 1. Instit. moral. lib 8. cap 13 quæst. 7.* & Sanchez *in 1. præcepto Decalogi, lib. 2. cap. 26. num. 1.* Nec opus est iuxta hos authores sententia condemnatoria pœnæ; sufficit enim declaratoria criminis incursi. Religio autem loco beneficij habetur in iure, vt probat Nauarrus *de Regularibus, in cap. Statuimus, num 25.* per multos, & multa iura; nam sicut beneficiatus post possessionem beneficij ius habet recipiendi fructus illius, ita religiosus post professionem ius habet ad victum, & vestitum in religione. Tertiò, quia semper in illis datur periculum peruersionis erga alias personas suæ nationis, si fortè in monasterijs sint, *argum cap. vt officium, de hæreticis, in 6.* vnde cum tanto periculo non teneantur monasteria illas admittere, sed dimittendæ sunt cum dote sua, & bonis proprijs, deductis alimentis, si quæ fortè monasterijs donarunt; donarunt enim illa in consequentiam personarum. Vnde cum donatio & traditio propriarum personarum inualida fuerit, inualida quoque erit talis donatio bonorum, vt patet. Non secundas, quæ post professionem ad Iudaismum defecerunt: tum quia patres catholici non tenentur filios de hæresi iudicio Ecclesiæ conuictos admittere, neque enim tenentur illos alere, nisi extremè indigeant, sicut etiam nec filij catholici tenentur patres de eadem hæresi conuictos sustentare, nisi extremè quoque egeant, vt latè docet Sanchez *tom. 2. Decalogi cap. 24. num. 7.* & possunt illos exhæredare, vt patet ex Authent. *Vt cum. de appellat. cognoscend. §. si quis de prædictis, ex l. Lusitana lib. 4. in nouis tit. 88. à num 17.* & docet Simancas *de cathol. Instit. tit. 29. num. 48.* Petrus Surdus *de alimentis tit. 7. quæst 2. à num. 6. & tit. 1. num. 2.* Molina *de primogen. lib. 2. cap. 16. num. 2. & 3.* Sanchez allegatus *dicto lib. 2. Decalogi cap. 24. num. 7. ad finem.* Azor *tom. 2. Inst. moral. lib. 2. cap. 5. quæst. 6.* & valet argumentatio iuxta hos authores de exhæredatione ad alimentorum negationem, & de alimentorum negatione ad domus expulsionem, vt sæpe diximus. Religiosi autem loco filiorum habentur in iure *capite, Licet, de sepulturis in 6. l. Qui in potestate. ff. de testam. Auth. Ingressi C. de sacrosanctis Ecclesiis.* Nauar *in cap Non dicatis 12. quæst. 62.* Rebellus *de oblig. iust. 1 part. quæst. 15 sect. 3. num. 22.*

Farin. Bursat. Azor. Sanch.

Sanch. Simanc. Surd. Mol. iur. Sanch. Azor.

Religiosus loco filij habetur in iure, respectu Religionis.

Nauar. Rebel.

17. *Mariti catholici non tenentur admittere vxores conuictas de hæresi.*

Tum quia mariti catholici non tenentur admittere vxores conuictas iudicio, & sententia Ecclesiæ de hæresi; priuat enim ius coniuges conuictos in fauorem catholicorum coniugum, & in pœnam hæreticorum, iure repetendi consortium coniugale, & liberum manet catholicis illos admittere, vel non admittere, vt patet ex *cap. De illa, de diuortijs*, ibi: *De illa quæ viro labente in hæresim ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis quòd mulier ei cum reuersus fuerit*, hoc est, conuersus, *est reddenda, quæ, & si reuerti noluerit compellatur. Si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam*; & docent Doctores communiter, Sanchez *lib. 10. de matr. disp 15. num. 19.* Couarruu. *in 4. decretal. 1. p. cap. 7. § 5. n. 5.* Barbosa *2. p. Rub. num 20. ff. soluto matr.* Simanc. *de cathol. institut. titulo 40. num. 16.* Sed monasteria, & superiores illorum nomine Christi loco sponsorum, respectu harum monialium, habentur; vt patet ex *capite, Quæ Christo spiritualiter nubunt. & ex cap. Quotquot virginitatem causa 27. quæst. 1.* ergo moniales de hæresi conuictæ priuantur etiam iure repetendi monasteria, & consequenter non tenentur monasteria illas admittere; sed liberum illis erit eas admittere, vel non admittere prout maluerint.

Sanch. Couar. Barbos. Simanc.

18. Nec dicas pœnas non esse extendendas de persona ad personam, & de casu ad casum, vt est communis opinio Doctorum habens fundamentum in illa notissima iuris regula in 6. *Pœnæ sunt restringendæ, fauores sunt ampliandi.* Nam sunt quædam pœnæ iure impositæ in eos, qui talia, vel

talia crimina commiserint; sunt aliæ, quæ à iudice tantùm arbitrariè imponuntur, & hæ de persona ad personam extendi possunt, illæ non possunt. Pœnæ enim, quæ non sunt statutæ à iure, sed arbitrariè imponuntur à iudice, de persona ad personam arbitrio iudicis extendi possunt, habet enim iudicis arbitrium locum, vbi certa pœna legibus statuta non est. *cap. de causis de officio delegati, cap. super his de accusat. §. pœn. l. 1 ff. de iure delib. §. ait prætor. cap. vltimo de transact. in fine.*

Glossa. Glossa *in cap finem de dolo & contumac. in decretal. verbo, & si soluendo:* quando verò pœnæ in iure pro aliquibus casibus statutæ sunt, non sunt extendendæ de casu ad casum, licet eadem ratio aut forte maior detur. Glossa ibi & DD. communiter. Deinde hoc non est extendere pœnas ad diuersos casus vltra adulterium, nam professio in religione est matrimonium quoddam spirituale iuxta caput. *Quæ Christo spiritualiter nubunt. 27. quæst. 1.* Sicut enim coniuges per matrimonium manent inhabiles ad contrahendum validè, viuentibus suis consortibus, ita religiosi post professionem manent inhabiles ad contrahendum validè post professionem. Quapropter non est hoc extendere pœnam diuortij ad diuersos casus; sed est comprehendere eamdem pœnam vtrumque matrimonium & diuortium spirituale, & temporale, vt patet. Deinde quia hîc subintrat alia regula iuris notissima, qualis illa est, quæ docet omnem legem, quæ imponit pœnam aliquibus casibus, eo quòd frequentiùs contingant, non excludere, imò comprehendere omnes similes, qui minus frequenter contingunt, in quibus eadem est ratio: quæ regula deducitur ex lege vnica, *verbo, sponsam C. de raptu Virginis*; & ex Clementina prima, *verbo, præsidentes, de rescriptis*, & ex Imola *ibi num. 21.* quam regulam maximè commendant Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 14. num. 16.* & Rebuffus *tractatu nominationum q. 5. num. 25.* & Valascus *tom. 1. consultatione 8. num. 2.* & Glossa 1. *verbo, Iudæi. capite, De his qui ad Ecclesiam confugiunt.* Vnde cum frequentiùs contingat in matrimonio carnali coniuges in hæresim labi, quàm coniuges religiosos in spirituali, ideo leges imponunt pœnam diuortij illis, non hos tamen excludunt, sed tanquam minùs frequenter labentes includunt. Adde non esse omnino certam illam opinionem, quæ docet pœnas non esse extendendas de casibus ad casus, in quibus eadem est ratio. Nam Sanchez *lib. 10 de matrim disp. 4. num. 3* & multi alij, qui sequuntur opinionem, quæ docet pœnam non esse extendendam de casu ad casum diuersum ob identitatem rationis, etiam asserunt ob crimen sodomiæ posse coniugem innocentem à nocente diuerti, sicut potest ob adulterium carnale, cum tamen longè diuersum sit crimen adulterij à crimine sodomiæ; quam doctrinam plusquam quadraginta authoribus probat, & confirmat Sanchez.

Lex comprehendens casus frequentiores, non excludit minùs frequentes.

Imola. Sanchez. Rebuff. Valasc. Glossa. Sanch.

19. Tertiò, quia experientia docet hæreticos, vt plurimum fictè, & subdolè conuerti, vt habetur *in cap. Vt officium, de hæreticis, in 6.* ibi: *Prouiso solerter ne simulata conuersione redeant ad fidem fraudulenter, & vos, imò, & se ipsos fallentes sub specie agni lupum gerant*; hæresis enim cum sit error intellectus, difficillimè exuitur, & ideò fortè instituit Deus, vt signum fidei, & character baptismalis intellectui imprimeretur, iuxta Theologos, & ad voluntatem extenderetur, vt docet Henriq. *lib. 2. de Baptismo cap. 7. num. 3.* vt hanc partem contra fidei errores roboraret muniretque: & durum admodum videtur obligare monasteria ad has personas recipiendas cum tanto aliarum suæ nationis periculo, si fortè ibi sunt, maximè, quia experientia docet eas, in religionibus vbi sunt, sæpe inter se conuenire diuisiones, & conuenticula facere separatim ab aliis, nec mirum cum à Christo, qui est omnium caput, per hæresim diuidantur. Adde nonnulla esse monasteria, quæ pro instituto habent, vt si religiosi de hæresi fuerint conuicti, ab eis ampliùs non admittantur. Nec dicas ius peculiare cuiusque religionis non posse esse præiudicio iuri communi, nullibi enim in iure communi statuitur, vt monasteria teneantur recipere religiosos de hæresi iudicio Ecclesiæ conuictos.

Hæretici fictè, & subdolè conuertuntur.

Character fidei in baptismo intellectui imprimitur, & ad voluntatem extenditur.

Quapropter, re bene considerata, dico, secluso hoc nouo mandato Summi Pontificis, nullam iuris esse obligationem monasteriis, prædictas recipiendi moniales. Addo verò iustissimè Summum Pontificem præcepisse, vt monasteria illas iterum iam conuersas, & pœnitentes admittant: potiores enim sunt causæ quas habuit ad hoc præcipiendum, quàm quas habere poterant monasteria ad illas non recipiendas. Causæ autem quibus permotus fuit Summus Pontifex ad hoc præcipiendum, vt colligitur ex iure, *ex cap. de Iudæis. dist. 45.* hæ sunt. Prima, ne fides, quam susceperunt, & status religionis vilis, & contemptibilis haberetur. Secunda, ne nomen Domini blasphemaretur, grauiora scandala, & peccata in sæculo committendo, quàm in religione; poterat enim in iuuenibus monialibus pudicitia extra religionem periclitari. Tertia, quia iura antiqua præcipiunt, vt hæretici conuicti in monasteriis recludantur, vt ibi per pœnitentiam propiùs Deo accedant, à quo per hæresis errorem longissimè fuerant separati; quare vestigiis antiquorum Pontificum insistens merito hoc præcipit Summus Pontifex. Quarta, quia monasteriis non fuerant confiscatæ illarum dotes, & obligatio alendi illas dotibus est intrinsecè adnexa; quæ causæ cum partim ad materiam iustitiæ, partim charitatis pertineant, & authoritatem fidei Catholicæ, & decus religiosi status respiciant; maiores profectò sunt, quàm quas monasteria pro se afferre poterant, ne illas reciperent.

Ob quas causas Summus Pontif. præcipit vt monasteria moniales de hæresi conuictas admittant.

Tertium dubium est, an casu quo monasteria non teneantur prædictas moniales, & religiosos de hæresi conuictos, & ad fidem conuersos recipere; teneantur eos extra monasterium alere competenter. Respondeo breuissimè cum distinctione, aut fiscus illarum dotem (& legitimas si quæ fortè erant monasteriorum bonis incorporatæ) rapuit, aut non rapuit; sed monasterio reliquit: si rapuit, non teneri illas alere existimo. Primò, quia obligatio alendi moniales doti intrinsecè addicta est, sicut obligatio alendi vxores earum dotibus adnexa est; quare amissa dote illarum culpa, non tenentur ampliùs monasteria illas alere, sicut amissa dote ob culpam vxoris, vel propter hæresim, vel propter crimen læsæ maiestatis, vel ob aliud quodcumque, quo dos publicari soleat, non tenentur mariti vxores alere, vt docent communiter Doctores Petrus Surd. *de aliment. tit. 7. quæst. 21. num. 4.* Simancas *de cathol. Instit. tit. 16. num. 18.* Bossius *in tractatu de public. bonorum, num. 73.* Iulius Clarus *in practica criminali, quæst. 78. num. 15.* Molin. Theolog. *tom. 2. de iustitia disp 425. §. Si marito dos,* Glossa *in Authent. de non eligendo secundo nubere, §. finali, verbo, Onera,* Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 5. num. 2.* Patet ex 20.

Mariti non tenentur vxores alere confiscata dote illarum culpa.

Surdus. Simanc. Bossius. Iul. Clar. Mol. Theol. Glossa. Sanch.

ex *l. Prooneribus*, *C. de iure dotium, leg. dotis fructus. ff. eodem.* Quare nec ratione dotis tenentur monasteria illas alere, si illam fiscus rapuit, nec ratione seruitij, & obsequij præstiti monasterio; quia non admittuntur, nec monasteria tenentur illas admittere, nulla ergo est talis obligatio.

Addo præterea nec etiam in eo casu, quo monasteria post confiscationem dotis illas veluit admittere, teneri eas alere ex iustitia, sed eam obligationem spectare ad illarum parentes, fratres, vel propinquos; quia nec mariti tenentur vxores alere, quarum dotes fiscus rapuit illarum culpa, etiamsi illas admittant, & in obsequio maritorum sint, quia præstatio obsequij oritur ex consortio coniugali, & ex eo quod maritus caput sit, & ideo cum id ex hoc principio debeat vxor marito, non tenetur maritus eam alere ob eam præstationem, vt docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 10.* Rojas *de hæreticis 2. part. num. 325. assert.* 40. quia vir ratione tantùm dotis solutæ tenetur vxorem alere, & dum non soluitur, liber est ab eo onere; at quando culpa vxoris publicatur dos, perinde est, ac si non esset soluta, & ea obligatio ad illius parentes tunc spectabit, si diuites sint, vt tenet expresè Molina *de primogenijs, lib. 2. cap. 16. num.* 24. per multos, & multa iura, in defectum verò parentum tenebitur vir eam alere ex charitate in eo casu, quo illam ad consortium coniugale admiserit.

Sanch.
Rojas.
Molin.

21. Si verò fiscus illarum dotem non publicauit, sed monasteriis reliquit, existimo teneri religiones eas extra monasterium alere in eo casu, quo illas noluerit admittere. Ducor primò, quia obligatio alendi moniales addicta est doti, sicut obligatio alendi vxorem eidem doti adnexa est, vt suprà probauimus. Quare dum dos manet in monasterus, tenentur monasteria illas alere. Secundò, quia fiscus de iustitia eam dotem poterat publicare: si ergo non publicauit, non abstulit monasteriis obligationem illas alendi, imò videtur, eo pacto, & conditione tacita, relinquere, vt de illa à monasteriis alantur. Tertiò, quia quando vnus religiosus professus ob sua demerita & ex grauissima culpa à suo monasterio in aliud eiusdem, vel diuersi ordinis transmutatur, quia v.c. in illo perniciosus est aliis, seditiones excitat, & contentiones, vel aliud delictum committit translatione dignum, tenetur monasterium in quo professus est, illum alere in illo ad quod transfertur, vt patet *ex cap. De lapsis 16. quæst. 6.* vbi sancitur tantùm de fructibus bonorum ipsius monasterij à quo transfertur, & in quo professus est, concedendum esse monasterio in quod ad pœnitentiam transmittitur, quantum sufficere possit pro alimentis illius, ne illi onerosus sit, ibi: *Ad vsum tamen suum accipiat, vnde ad pœnitendum subsistat, ne si uudetur loco, in quo datus fuit prædictus religiosus ad pœnitentiam, sit onerosus*; quo sanè canone noster casus deciditur, vt patet; perinde est enim non rapere fiscum dotem, ac si prædicta monialis ob alia ab hæresi demerita extra proprium monasterium ad pœnitendum poneretur, & id patet etiam ex *cap. Si quis rapuerit, 27. quæst. 1.* vbi Glossa *verbo, cum suis rebus*, ita idem explicat, quod idem probat textus in Authent. *C. de sacrosanctis Episcop.* & docet Hostiensis & Ioannes Andreas *in cap. Quod à te.* Archidiac. *in cap. 1. 17. quæst.* 4. Couarr. *in cap. 1. num. 20. de testamentis*, Molina Theologus *tom. 1. de iust. disp.* 120. *versu, Quando religiosus in pœnitentiam.* Menoch. *de arbitr. quæst. lib. 11. centur. 5.*

Religiosus alendus est stipibus monasterij à quo transfertur, si in aliud ob demerita transferatur ad pœnitentiam.

Hostiens.
Ioan. Andr.
Archidiac.
Couar.
Molin.
Menoch.

casu 436. num. 30. versu, Quintus est casus.

Quæ autem summa assignari debeat pro victu, 22.
& alimentis cuiusque religiosæ translatæ, iudicis arbitrio committitur, vt docet idem Menochius allegatus *num. 31.* Archidiaconus *dict. cap. Si quis rapuerit, 27. quæst. 1.* Bona verò in posterum acquirenda primo monasterio acquiruntur. Ita Abbas *in capite vnico, de infant. expositis*, & Molina Theologus *dict. disp. 12 colum. penult.* Menochius allegatus: quare hoc etiam iuuat, vt ex illo sustentatio religiosi deducatur.

Menoch.
Archic.
Abbas.
Molin.
Menoch.

Dices, maritus non tenetur alere vxorem de 23.
hæresi iudicio Ecclesiæ conuictam; ergo nec monasterium tenebitur alere monialem de hæresi damnatam. Respondeo esse diuersam rationem, quia bona mulieris fiscus rapuit; at dotem monialis non rapuit, vti diximus: quare est diuersa ratio, vti etiam diximus.

Scio esse nonnullos Doctores, qui dicunt non 24.
teneri monasteria prædictas moniales alere extra religionem eo casu, quo illas nolint admittere, etiamsi fiscus illarum dotem non rapiat; quia iam ea dos bona fide consumpta est, & disparuit, ac proinde disparuit etiam obligatio alendi illas ex illa. Sed non animaduertunt naturam dotis eam esse, vt dotatus teneatur alere dotantem ex fructibus dotis salua semper dote; quare etsi dos bona fide consumpta sit, mansit tamen ea obligatio in ipsis monasteriis; sic semper inter vxorem, & maritum dotatum hoc pactum tacitè initur in ipsa dote; *doto te, vt alas me ex fructibus dotis, salua semper dote, nisi tamen ob mea demerita illa à fisco rapta fuerit. l. Pro oneribus. C. de iure dotium, l. Dotis fructus. ff. eodem.* Sanchez *lib 9. de matrim. disp. 5. num. 2.* ibi: *Dos enim quasi in pretium datur, vt ex eius fructibus maritus matrimonij onera sustineat, salua dote.*

Sanch.

Sed de religioso D. Francisci, cuius monaste- 25.
rium est incapax bonorum; Respondeo monasterium non teneri illum admittere, si in hæresim lapsus fuerit, & de illa in iudicio conuictus, quamuis ad fidem reuertatur, & pœniteat, vt de omnibus religiosis probatum manet, nec etiam teneri illum alere extra monasterium cum emendicando viuant huiusmodi religiosi; nemo enim tenetur emendicare, vt alium sustentet. Quare huiusmodi religiosus cum ordinatus fuerit ad titulum paupertatis, vel emendicando viuat, vel ex stipendio missarum; si suspensus à sacris ordinibus non fuit, imò in eo casu parentes, vel fratres illius, illum tenentur alere cum tota illius legitima apud illos manserit. Ita docet expresè Molina *de primog. lib. 2. cap. 16. num.* 24. loquens de vxore quæ culpa sua dotem amisit: sed eadem est ratio de religioso, vt patet ex dictis, & colligitur ex Couarruuia *cap. 1. num. 2. de testamentis*; & videtur docere Molin. Theolog. *tom. 1. de iust. disp.* 120. *versu, Quando religiosus*, Menochius *de arbitris, lib. 11. centur. 5. casu 436. num. 3. versu, Quintus casus*, & colligitur etiam ex Sanchez *lib. de matrim. disput. 5. num. 10.* & patet ex *l. Quod si nulla 28. de relig. & sumptibus funerum*, vbi deciditur vxorem dote carentem, quia fiscus illam rapuit, sumptibus parentum sepeliendam esse.

Molin.
Couarr.
Molin.
Menoch.
Sanch.

CAPVT XIV.

De obligatione dominorum in seruos & seruorum in dominos.

SVMMARIVM.

Tenentur domini curare ex iustitia, & charitate, ne serui prauè viuere assuescant, & vt præcepta Dei, & Ecclesiæ seruent. num. 1.

Quando teneantur eos domo eijcere, si nolint resipiscere. num. 2.

Possunt domini negare consensum seruis suis ad contrahendum, non tamen verbis, aut minis illorum matrimonia impedire. num. 3. & 4.

Peccant domini matrimonium suorum seruorum impediendo. num. 5.

An dum seruus cogitat de matrimonio ineundo possit dominus illum aliò vendendum mittere num. 6. *Quid si iam seruus fidem adstrinxit.* ibid. *Quid si non adstrinxit.* ibid.

Quando matrimonium filij patrem dedecet, potest pater non præbere consensum; non tamen potest minis, aut terroribus impedire. num. 7.

An quando mancipia coniugata sunt, vtri potius satisfaciendum est seruitio Domini, an obligationi reddendi debitum, si eodem tempore concurrant. num. 8. *Refertur prima, & communior sententia, asserens potius satisfaciendum esse obligationi debiti reddendi, si de consensu domini contraxerunt.* ibidem.

Refertur secunda opinio docens magis domino, quàm debito reddendo satisfaciendum, siue de consensu domini, siue eo inuito, contrahant. num. 9.

Refertur tertia, asserens, id pensandum esse ex circunstantijs occurrentibus ex periculo incontinentia in coniuge, & ex necessitate obsequij domini. num. 10. & 11.

Refertur sententia Sancij. num. 12.

Iudicium authoris. num. 13.

Refertur prima opinio negans licitum esse seruos captiuos in longinquas partes separatim vendere. num. 14.

Refertur secunda opinio distinguens inter dominos consentientes, aut non consentientes matrimonio. num. 15.

Refertur tertia opinio docens illicitam esse moraliter talem venditionem si dominus consentiat matrimonio, & à fortiori si non consentiat. num. 16.

Refertur quarta opinio. num. 17.

Quid tenendum sit in hac materia. num. 18. & 19.

Quid tenendum sit cum dominus indiget pretio seruorum. num. 20. & 21.

Quid quando vnusquisque seruus captiuus est sui domini. num. 22. & 23.

An teneatur dominus concedere locum seruo captiuo ad debiti exactionem, quando contraxit contra eius voluntatem. num. 24.

1. EX vi huius quarti præcepti Decalogi tenentur domini non solùm ex charitate; sed etiam ex iustitia curare, ne serui prauè viuere assuescant, peierare, Dei præcepta, & Ecclesiæ contemnere, & monere, vt diebus festis Missam audiant, sacramenta Confessionis, Eucharistiæ, Extremæ Vnctionis suo tempore suscipiant, & qui hæc negligunt, & notabiliter in hac re deficiunt, peccant mortiferè. Ita Nauar. *cap. 14. num. 21.* & communiter Doctores. *Ex charitate,* quia sunt proximi: *Ex iustitia*, quia sicut seruus tenetur ex iustitia domino seruire: sic dominus tenetur ex eadem iustitia ei stipendia dare, alimenta, & doctrinam; nomine enim alimentorum, tam alimenta veniunt corporalia, quàm spiritualia doctrinæ. Hinc est, quod dominus qui seruum neophitum habet, & non curat eum doctrina christiana instruere, peccet lethaliter, sic Nauarrus *in manuali Lat. c. 14. num. 21.* Nauar.

2. Peccant etiam domini lethaliter, qui notabiliter negligunt peccata publica suorum seruorum corrigere, & tenentur eos domo eijcere, quando neque verbis, neque iusta pœna resipiscunt, modò ob eam causam detrimentum magnum in seruitio, atque obsequio non patiantur; nam si patiantur, sufficiet eos asperè reprehendere, & obiurgare; tenentur, inquam, eijcere, si verosimiliter credant hac eiectione corrigendos fore; secus si existiment prædicta eiectione futuros deteriores; punitio enim & expulsio cessat, sicut & fraterna correctio, vbi nullus fructus speratur. Ita idem Nauarr. modò allegatus, & alij communiter.

3. Tenentur etiam domini non impedire seruorum suorum matrimonia, idque maximè si sciant eos in concubinatu esse; non tenentur tamen præbere consensum, & facultatem ad contrahendum, si illam petant, si captiui sint, imò & liberi, sed solùm tenentur non impedire de facto, si de facto voluerint contrahere: itaque possunt negare consensum, & facultatem ad contrahendum; non tamen possunt verbis, aut minis contradicere matrimonio, illudque impedire; valde enim distat negare consensum, nam certa res est posse seruos, inuitis dominis, licitè matrimonium inire etiam captiuos, vt docet D. Tho. *in 4. dist. 36. quæst. vnic. art. 2. in corpore*, quem vniuersa Thomistarum schola sequitur. Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 21. num 3.* Nauarrus *in manual. Lat. cap. 14. num. 21. & cap. 22. num. 34.* & habetur *in cap. 1. de coniug. seruorum*, & Glossa *ibi*: ita enim dicitur in prædicto cap. *Nec inter seruos debent matrimonia vllatenus prohiberi; & si contradicentibus dominis, & inuitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissoluenda.* Et ratio est communis, quia ius seruitutis, quod domini in seruos captiuos habent, ex iure gentium oritur, ius autem ad matrimonium contrahendum, est ius diuinum & naturale conditum à Deo, vt authore naturæ, & gratiæ ad ipsius naturæ humanæ propagationem, & in remedium concupiscentiæ, vnde ius dominorum in seruos non adeo se extendit, vt vsum matrimonij possit seruis prohibere, cum ius gentium aduersus ius naturæ præualere non possit. Deinde, quia ius hominis ad matrimonium contrahendum potius est dicendum ius naturæ humanæ ad suam propagationem, & conseruationem tuendam, quàm ius priuati cuiuslibet indiuidui ad suas proprias actiones exercendas, & seruus per ius seruitutis in dominorum voluntatem translatum, amittit quidem ius priuatum suarum indiuiduarum actionum; non amittit autem ius naturæ humanæ, quod ipsa habet ad propriam conseruationem, quod bene, ac præclarè dixit textus *in prædicto cap. 1. de coniugio seruorum*, ibi: *Nullatenus inter seruos matrimonia prohiberi posse.*

D Thom. Sanchez. Nauar.

Ius seruorum ad matrimonium contrahendū est potius ius naturæ ad sui conseruationē quam ius hominis particularis.

4. Non tenentur tamen domini consentire in seruorum matrimonio; sed possunt licitè negare consensum, nullum impedimentum verborum, aut minarum obtrudendo, ne damnum in seruitute

Domini an teneantur cōsentire in seruorum matrimonio.

rute patiantur, quod necessariò ex tali matrimonio subire necesse est, vt docent communiter Doctores Sanchez *lib.7.de matrim.disp.*21.*num.*7. Palatios *in* 4.*dist*.30.*disp.vnica col*.8.*dub*.4. Henriquez *lib*.11.*de matrim. cap*.10. *num.4.vers*.6.Sà *in summa verbo, matrim. vbi de imped.num.*1.*versu, cum seruo*; Nauarr. *in Manuali Latino cap*.14. *num*.21.

Sanch. Palat. Henriq. Sà. Nauarr.

5. Ex his principiis duo corollaria necessariò inferuntur. Primum est, nefas esse dominis matrimonium seruorũ positiuè impedire, & ideo iure optimo, serui ab Ecclesia aduersus dominos illud prohibentes defenduntur, proteguntur que. Cum enim serui sint in hoc negotio sui iuris, nec dominis subdantur, iniustè domini eis matrimonium interdicunt, & iustè ab Ecclesia defenduntur vt sæpè diximus. Secundum est, non posse prædictos dominos tuta conscientia seruos suos punire, quòd matrimonium contrahant contra illorum voluntatem; quia vtuntur suo iure, & in nihilo delinquant. Ita Sanchez citatus *num*. 6. Barthol. Ledesma *de matrim. dubio* 31. *conclus*. 4. Petrus Ledesma *de matr. quæst*. 52. *artic*. 2. *in corollario*, quod infert ex secunda conclusione. An autem mortiferè peccent domini, si seruos ob hanc tantùm causam puniant, ex qualitate supplicij indicandum erit, vt optimè notauit Sanchez *dicto lib.7. de matrim.disp.*21.*num.*6.

Sanch. B. Ledesm. Petr. Led. Sanch.

6. *An dominus possit licitè vendere mancipium, quod de ineundo matrimonio agitur.*

Sed dubitabis, an, conscio domino, de tractatione mancipij ineundi matrimonij fas sit illud vendere, vel aliò vendendum mittere. Et hac de re bipartita opinio esse potest. Prima asserit nefas esse omnino. Primò, quia ius serui ad matrimonium contrahendum non potest à domino impediri, vt hactenus diximus; sunt enim serui ad hoc sui iuris. Secundò, quia iudex Ecclesiasticus potest tunc dominum censuris prohibere, ne seruum vendat. Tertiò, quia in fraudem matrimonij id efficietur à domino; fraus autem, & dolus nemini patrocinari debet; omnia enim iura diuina, & humana fraudi obsistunt. Secunda asserit dominos non amittere dominium in seruos per eam tractationem matrimonij, ac proinde sicut ante eam eos vendere poterant: ita & post eam. Rem ita decidit Sanchez *lib* 7. *de matrim. disput*. 21. *num* 9 si mancipium iam fidem suam de matrimonio contrahendo adstrinxit, aut sponsalia sunt celebrata, non potest licitè dominus illud vendere, & eo medio vti. Si autem sponsalia nondum inita sint, poterit tunc dominus seruum venundare nihil impediente prædicta tractatione. Probat primò, quia per illa sponsalia iam est cœptum matrimonium & quia seruus, inuito domino, poterat fidem suam fœminæ seruæ, vel liberæ de matrimonio cum ea ineundo adstringere, ac proinde per eam promissionem, & fidem legitimum ius comparauit fœmina ad matrimonium prædicti serui. Vnde cum iam tertio ius sit acquisitum, non potest dominus ius tertij impedire. Ante sponsalia verò cum ius nulli tertio sit acquisitum, non amittit dominus, nec ei interdictum manet ius quod antea habebat ad vendendum seruum; nec directè impedit matrimonium, sed iure suo vtitur dominus, vt suæ indemnitati consulat; nec potest dici fraudem in matrimonium committere, qui iure suo vtitur, vt latè, & doctè docet idem Sanchez *lib*. 3.*de matr.disp*.18. *num*.29. At verò iudex, & Ecclesia defendit seruum propter præsumptionem violentiæ illatæ à domino, ne serui contrahant: nam si iudici constet, nec violentiam inferri seruo, nec illum fidem suam astrinxisse, non potest iustè iudex, & Ecclesia seruum defendere, & si tunc defendat, nec præceptum iudicis, nec excommunicatio valebit.

Res deciditur. Sanch. Sanch.

7. *Pater quãdo possit matrimonio filij obsistere.*

Hæc est communis doctrina huius rei, quam iudico bene stabilitam; quia quamuis pater nequeat filij matrimonium impedire minis & terroribus grauibus, potest tamen quando tale matrimonium ipsum non decet, prudenti modo illi obsistere iure suo vtens, vt optimè docet Sanch. *lib*.4 *de matrim. disp*.22.*num* 5. Vnde si pater bono, ac prudenti modo potest obsistere matrimonio filij, cur non poterit dominus, vt se indemnem seruet, bono, & prudenti modo impedire matrimonium serui illum distrahendo?

Sanch.

8. Vtrùm verò mancipium, aut ancilla contrahentes magis teneantur dominis quoad obsequium seruitutis, quàm vxoribus, & maritis, quo ad redditionem debiti, est dubium. Quidam dicunt teneri magis ad reddendum debitum, quàm ad seruitium dominis præstandum, quando de licentia & consensu dominorum contraxerunt; quia eo ipso, quòd domini in principali, hoc est, in matrimonio consenserunt, consenserunt etiam in accessorio; accessorium enim sequitur principale, vt habetur *in cap. Prud. de officio delegat.* & *in l.ad legem, ff de Procurat*. Et hæc est communis omnium doctrina. Secus si domini prædicto matrimonio non assenserunt, & ita docet Syluester *verbo seruitus, num* 7. Nauarr. *cap*.22.*num*.34. D. Anton. 3 *part.tit*.1.*cap*.3. §.2 *notabili* 1. Rosella *verbo seruus* 3.*num*.1. Angel *verbo, matrim.* 3. *imped*.4. *num*.15. Ioannes Andreas *in cap*.1.*de coniug seruor.num*.9. Anchartan. *ibi num*.7. Præposit.*n*.6. *vers.in glossa vltima* Richard *in* 4.*dist*.36. *art*.4.*quæst*.2. Paludanus *ibi, quæst*.2.*art*.2.*num*.14. *concl*.4.& alij.

Syluest. Nauar. D. Anton. Rosell. Angel. Ioan Andr. Anchar. Præposit. Palud.

9. Alij asserunt si eodem tempore coniux debitum petat, & dominus aliquod seruitium quod tunc debitum reddendum impediat, præcipiat, (in hoc enim sensu procedit quæstio, vt patet) magis obsequendum esse domino, quàm coniugi, siue seruus contrahat de consensu, siue absque consensu domini: imò contradicente domino. Probant primò, quia *in cap*.1. *de coniug seruor.* dicitur seruum teneri ad consueta domino obsequia præstanda, ac si coniugatus non esset. Secundò, quia res cum suo onere transeunt ad possessorem, vt patet ex *cap. ex literis, de pignorib.* vnde licet vxor in seruum coniugem ius acquirat, quoad redditionem debiti, id intelligendum est saluo iure domini, ius enim domini in hoc casu præualet, quia seruus iam erat affectus ad seruitium domini, & cum eo onere ad coniugem transiuit iuxta regulam iuris. *Qui prior est tempore, potior est iure, de regulis iuris in* 6 Nec obligatio superueniens cum prioris detrimento induci potuit. Nec dominus seruorum matrimonio consentiens se priuauit hoc iure, & hanc opinionem docet Goffredus *in summa, tit. de coniug. seruor. num*.22. Innocent. *cap*.1.*de coniug. seruorum, num. vnico*.& ibi Hostiensis *num*.10 super verbum *Exhiberi*. Et lex regia Castellæ 2. *tit*. 5. *part*. 4. Temperant tamen statim hi Doctores modò periculum fornicationis vxori non immineret, non reddito sibi debito, præponderat enim tunc hæc ratio, cum dominus ex charitate teneatur modicum detrimentum in seruitio pati, ne alter peccet. Nisi tamen, vt ibidem asserit Hostiensis *n*.11. periculo mortis expositus esset dominus superueniente inimico, & repente illum inuadente; quia

Goffred. Innoc. Hostiens.

quia tunc potius domino, quàm coniugis debito tenetur.

10. Alij tenent, in eo etiam casu, quòd dominus contradicat matrimonio, & repugnante domino celebratum sit; potius teneri seruum coniugi debitum petenti, quàm domino eodem tempore seruitium imperanti; modò dominus non sit in graui necessitate prædicti obsequij constitutus. Fundamentum huius opinionis est, primò, quia mora reddendi debiti coniugalis modica est, quamobrem æquum est, vt dominus eam patiatur, quò seruus matrimonij muneribus satisfaciat; & huius sententiæ sunt Glossa *in cap. 1. de coniug. seruor. verb. seruitia*, & ibi Cardinalis *num. 5. quæst. penultim.* Henricus ibi *num. 1.* Monaldus *in summ. vbi de matrim. titulo de impedimento condit. paulo post initium.* Hostiensis *in summa tit. de coniug. seruor. num. 4. initio* Celaica *in 4 dist. 36. quæst. 1. dub. 2.* ex iis quæ mouet post secundi argumenti solutionem.

Gloss. Cardin. Henric. Monald. Hostiens. Celaica.

11. Alij censent ad ferendum iudicium vtri potiùs satisfaciendum sit; peculiares circunstantias in hoc negotio occurrentes inspiciendas esse, nimirum periculum incontinentiæ propriæ, damnum coniugis ex dilatione imminens, detrimentum domino redundans ex mora præstandi obsequium si prius seruus coniugi debitum reddat, & illius causam postponendam esse, qui minori necessitate vrgetur, cuique mora minus damnum infert; quia iuxta lumen naturæ rationalis, illi prius satisfaciendum est, qui maiorem necessitatem patitur; at ex natura rei, & vbi cætera sunt paria, videndum esse, an domino sciente, & consentiente, an eo inscio, & repugnante, matrimonium contractum sit, & si eo sciente, & consentiente matrimonium contractum sit, coniux petens præferendus est seruitio, & obsequio domini, quia dominus consentiens matrimonio omnia accessoria illius visus est concessisse. Si eo nesciente, aut repugnante, tunc quidem anteferendus est dominus, quia eius ius in seruum prius est, vt diximus *num. 8.* quam opinionem debent probare omnes ibi à nobis citati; & eam nominatim tenent D Thom. *in 4 dist. 36. quæst. vnica art. 2. ad 3.* & ibi D. Bonauent. *artic. 1. quæst. 1. ad vltimum*, Durand. *quæst. 2. num. 4.* Supplementum Gabrielis *quæst. 1. artic. 3. dub. 3. corollar. 1. & 2.* Anton. *cap. 1. de coniug. seruorum num. 10.* Abbas *ibi num. 6.* Alexander de Neuo *num. 10.* Tabiena *verbo, Imped. imped. 1 quæst. 7. num 8.* Armilla *verbo, matr. num 6.* Turrec. *num vnico 29. quæst. 2. in solut. ad 3.* Sotus *in 4. dist 35. quæst. vnica art. 1 ad 2.* Ledesma *2. part. 4. quæst. 54. art. 4. vol 2. §. Circa materiam.* Sà *in summa verbo, matr. de impedim dirimant. num. 1. versu, Dominus consentiens.* Lud Lopez *2. part. Instructor. vbi de matrim. cap. 47. de imped. conditionis. §. Circa prædictam.*

D Thom. D Bonau. Durand. Gabriel. Anton. Butr. Abbas. Alexand. Tabien. Armill. Turrecr. Sotus. Ledesma. Sà. Lud. Lop.

12. Sanchez *lib. 7. de matrim. disp 21. num. 15. & 16.* ait sine dominus cnnsentiat prædicto matrimonio, siue non consentiat, cæteris paribus, semper anteferendum esse seruitium domini prædicto coniugali debito, & sic non esse in potestate alterius coniugis seruitium domini crebrò interrumpere, aut plus iusto impedire crebra debiti petitione; quia sicut liberum est viro vxore deserta aliquandiu abesse pro negotiis expediendis ea inuita, nec ius vxoris est impedimento huic absentiæ; sic etiam ius vxoris non potest esse impedimentum seruitio domini, & sic licebit domino suum mancipium in rebus suis occupare, secum deferre cùm aliò proficiscitur; & aliò mittere causa negotij, & similia. Sicut enim ius vxoris, quod habet in maritum, non impediet hæc ex mariti voluntate facienda; ita nec debent impedire facienda ex domini voluntate, cui vir iure subditur seruitutis.

Itaque non admittit Sanchez distinctionem inter matrimonium initum à seruo domino volente, & consentiente, & eo repugnante, & contradicente, quam tamen communem esse in hoc puncto fatetur, & dicit falsum esse absolutè loquendo ius domini antiquius esse iure vxoris in ipsum seruum acquisito per matrimonium, imò absolutè loquendo ius vxoris antiquius esse affirmat iure dominorum; nam ius vxoris dupliciter considerari potest; vno modo quoad possessionem actu apprehensam in corpore coniugis serui per matrimonium, & hoc modo certum est ius domini antiquius esse: alio modo quoad suam primæuam originem, ex qua principium traxit, & hoc modo ius coniugis antecedit ius domini, quia proficiscitur ex iure naturali ad quod natura omnes homines, seruos, ac liberos inclinat ad propagandum genus humanum, & ex illo primæuo iure naturæ, quod habent serui ad potestatem sui corporis per matrimonium tradendam in ordine ad hanc propagationem; ius autem naturæ, prius est iure gentium à quo oritur ius seruitutis.

Sed non propterea tenentur magis serui satisfacere obligationi reddendi debitum coniugi, quàm obsequium dominis, cum non minus ius habeant domini in seruos post matrimonium contractum, ne ratione matrimonij contracti impediantur à seruitio proprio, quàm habeat quilibet vir ne ratione etiam prædicti matrimonij impediatur ab actionibus, & perfectionibus necessariis ab vxore, & sic debiti petitionem impedire. Cur ergo ratione seruitij domino exhibendi non poterit aliquando maritus seruus hanc debiti petitionem suspendere? Tandem quia lex matrimonij solùm obligat ad debiti solutionem rationi congruam, quæ iustis occupationibus minimè obstat: obedire autem domino, iusta occupatio est.

Omnes huiusmodi opiniones sunt probabiles. Prima tamen *num 8.* exposita, & hæc vltima probabiliores videntur, illa verò quæ *num. 11.* explicatur, parum, aut nihil distat ab illis. Ad argumentum pro opinione *numero 9.* explicata; allatum ex *cap 1. de coniug. seruorum.* Respondeo illum textum solùm probare per matrimonium non effugere seruum ius seruitutis, nec effici sui iuris; sed adhuc teneri ad consueta domino obsequia exhibenda, vt *num. 11. & 12.* explicauimus. Et in hoc sensu seruum cum suo onere transire in potestatem coniugis per matrimonium. 13.

Vtrum autem integrum, ac licitum sit dominis seruos coniugatos in partes longinquas separatim vendere; dubium est graue. Circa quod variæ opiniones circunferuntur; tres, vel quatuor sunt præcipuæ Prima negat omnino. Primò, quia interest Reipublicæ nequis re sua abutatur; abuteretur autem dominus dominio, quod habet in seruum, si illum in fraudem matrimonij in longinquas terras distraheret; maximè, quia non desunt vbique seruorum emptores, & in eadem vrbe, & pago, qui iusto pretio eos emant. Ita docent D. Thom. *in 4. dist. 36. quæst. vnica artic. 2. ad 4.* & ibi Palud. *quæst. 2. art. 1. conclus. 13. num. 9.* Glossa *cap. 1. de coniug. seruorum, verbo, seruitia,*

14. *An domini possint licitè vendere seruos coniugatos in partes longinquas.*

D Thom. Palud. Glossa.

Innoc. Hostiens. Monald. Turrecr. Viguer. Lud.Lop.

seruitia, & ibi Innoceut. *num. vnic.* Hostiens. *in summ. tit. de coniug. seruorum, num.5.* Monald. *in summ.* vbi *de matrim tit. de imped. condit. paulo post initium.* Turrecremata *in cap finali 29. quæst. 2. num. 2.* Viguerius *lib. inst. cap. 16. §. 57. versu 9. imped 2.* Ludouic. Lopez *lib. 1. de contractibus, cap 5. fine.*

15. Secunda opinio distinguit inter dominos consentientes, aut non consentientes matrimonio seruorum, & si dominus consensum præstiuit tacitum, vel expressum prædicto matrimonio mancipij. negat omnino posse illud vendere, aut distrahere in alium locum, & sic in hoc casu consentit cum prima opinione. Si verò non concessit prædicto matrimonio; sed ignorante, aut inuito domino seruus illud contraxit, siue cum libera, siue cum captiua, asserit non debere dominum eum vendere absque necessitate in locum remotum, si inueniat iustum pretium in eodem loco, non tamen culpam esse lethalem inuento pretio & absque necessitate eum tunc in alias partes vendere. Ita sentiunt Henriquez *lib. 11. de matrim. cap 10. num. 4. versu 6. iuncto commento, litera G.* Toledo *lib 7. summæ, cap. 3. num. 3. propositione 1. in fine.* Nauarrus *in summa, cap. 22. num. 34.* ibi: *Honestum esset ne in remotas partes venderet, etiam dum contra voluntatem eius contraheret, quamuis ad id sub pœna mortalis peccati non teneatur iuxta communem in c. 1. de coniug. seruorum, saltem quando commodè in vicinas vendere possit.* Hæc Nauarr. Ita etiam videtur sentire D. Anton. *3. part. tit. 1. cap. 3. in fine principij.* Henricus *cap. 1. de coniug. seruorum ad finem.* Rosella *verbo, Seruus 3. fine.* Supplement. summæ Pisanæ *verb. Seruus 3. num. penult.* Sà *in summa, verb. matrim. de imped. diriment. num. 1. versu, Dominus consentiens.*

Henriq. Tolet. Nauar. D. Anton. Henric. Rosell. Sà.

16. Tertia opinio docet illicitam esse mortaliter venditionem in partes remotas, quando de consensu domini est contractum matrimonium. Ita D. Bonauent. *in 4. dist. 36. in exposit. lit. B.* vbi Richard. *art. 4. quæst. 2.* Onand. *ibi, disp. vnica, fine.* Angelus *verbo, matrimon. imped. 4. num 15.* Syluester *verbo, Seruitus, quæst. 7.* Petrus de Ledesma *de matrim. quæst 52. artic. 2. dub. 1. quod monet post solutionem ad 5.* Sotus *in 4 distinct. 35. quæst. vnic. art. 1. in solutione ad 2.* Bartholom. à Ledesma *de matrim dub. 31. conclus. 4.* Ludouic. Lopez *2. part. instruct.* vbi *de matrim. cap. 47. col. antepenult.* Si verò ignorante, vel inuito domino matrimonium fuit contractum; quidam illorum aiunt considerandum esse, an absque suo præiudicio possit dominus seruum vendere in alias regiones absque culpa graui, & mortali, non adesse autem huiusmodi præiudicium, quando æquè vtiliter posset dominus hîc, aut illîc, vbi non impediretur vsus coniugalis, vendere prædictum seruum, & aliter iniuriam seruo fieri, & esse peccatum contra iustitiam; quia violatur ius serui, quod habet ad petendum debitum. Ita D. Bonauent. Angel. Syluester Petrus Ledesma, Richardus. Alij dicunt illicitam esse talem venditionem, nisi dominus, bona fide, necessitate compulsus id faceret, vt si profectus dominus aliò seruum duceret, & illîc necessitate pressus eum venderet. Ita Sotus, Barthol. à Ledesma, Ludouic. Lopez & alij.

D. Bonau. Richard. Onand. Angel. Syluest. Petr. Led. Sotus. B. Ledesm. Lud. Lop.

17. Quarta opinio docet absolutè, & nulla distinctione facta, quando vterque coniux captiuus esset siue vnius, siue diuersorum dominorum, mortaliter esse illicitam venditionem vnius, aut vtriusque coniugis ad partes ita dissidentes, vt nequeant debito matrimonij vsui operam dare; quod si vxor, aut maritus liber existat, posse tunc seruum captiuum vbique vendi: tunc enim non læditur vsus matrimonij, cum liber coniux teneatur sequi captiuum; quia ad id se tacitè obligauit, quando captiuum coniugem matrimonio sibi copulauit. Ita Hostiens. *cap. 1. de coniug. seruor. fine*, & ibi Ioannes Andr. *fine.* Abbas *fine.* Anchar. *fine.* Alexander de Neuo *num. 11.* Præposit. *num. 6. fine.* Tabien. *verbo, Impedimen. 5. q 8. num. 9.*

Hostiens. Ioan. Andr. Abbas. Anchar. Alexand. Præpos. Tabien.

18. Vides quàm dissidentes sint Doctores in hac vna re tam graui, & passim occurrenti, in qua maximè consentientes esse deberent. Vix hic pes figitur, & mens sibi constare potest. Ne ergo vacillet intellectus, his propositionibus breuiter quid tenendum sit expedio. Prima propositio Si alter coniux liber sit, alter captiuus, siue libertatem ante matrimonium, siue post matrimonium assecutus sit, potest dominus coniugem captiuum vbique vendere licitè, & honestè, siue eo consentiente, siue inuito, aut nesciente an matrimonium contractum sit, vt docet expressè Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 22. num. 8 & 9.* & quamuis nullum pro se authorem afferat, tamen optimo fundamento nititur, & pro hac parte citari possunt Hostiensis, Abbas, Ioannes Andreas, Ancharranus; Alexander de Neuo, & Tabiena modò allegati quatenus absolutè dicunt posse seruum captiuum coniugatum cum libera, & seruam captiuam cum libero vbique vendi, ac in longissimas regiones distrahi; quia, eo ipso, quòd se captiuo coniugi copulauit ad eum sequendum vbicumque venderetur, se tacitè obligauit. Probatur hæc propositio in hunc modum. Primò, quia non posse vendi captiuum coniugem à domino, consurgit ex vinculo matrimonij, in quo dominus consensit, vel non consensit, ne, scilicet, ex eo quòd in longinquas terras vendatur, matrimonij vsus impediatur, vt omnes fatentur: at quando alter coniux est liber, minimè impeditur huiusmodi matrimonij vsus; quia coniux liber tenetur sequi coniugem captiuum propter rationem debiti; vt patet. Ergo intentum. Nam quando vxor est libera, & vir captiuus, facilè probatur, quia vxor tenetur virum sequi, domicilium aliò ex propria voluntate mutantem, cum vir sit caput mulieris, & ad illum spectet gubernare, & domicilium mutare; vnde si tenetur eum sequi domicilium aliò ex propria voluntate mutantem, quanto magis ex necessitate, & caussa venditionis factæ à domino maritum sequi tenebitur? quod si nolit, sibi imputet, & non domino, qui minimè impediuit matrimonij vsum per talem venditionem. Deinde, quia si erat libera tempore matrimonij, & scienter captiuo nupsit, sibi imputare debet: considerandum enim ei erat posse seruum aliò à domino vendi; ius enim vendendi seruum siue dominus in illius matrimonio consentiat, siue non consentiat, non amittitur ab ipso domino post matrimonium, cum is consensus solùm illum obliget ad non impediendum matrimonij vsum; qui nequaquam impeditur per prædictam venditionem, cùm vxor libera teneatur virum suum sequi, vt diximus. Si erat ancilla, obseruare etiam debebat posse se aliquando fieri liberam, & ita cogi venditum seruum comitari.

Si alter coniux sit liber, alter captiuus, potest captiuus vendi in partes longinquas & tenetur liber illum sequi. Sanch.

19. Si verò vxor est ancilla, & maritus liber, etiam si dominus illius in matrimonio consenserit, poterit pariter dominus illam aliò vendere; quia cum

cum maritus ſit liber, poteſt eam ſequi, & ſic non impeditur vſus matrimonij, imò ex cauſa tenetur maritus liber vxorem ancillam aliò proficiſcentem comitari, vt optimè docent Gloſſa *capitis primi de coniug. leproſor. verbo, Sequantur.* vbi Hoſtienſis ſuper eo verbo, *Sequantur.* Innoc. *num. vnic.* Anton. *num.* 11. Anchartanus *num.*6. Henriq. *cap. De illis, num. 4. de ſponſalib.* Alexand. de Neuo, *ibi num.*12. Roſella *verbo, Vxor, num* 3. quatenus abſolutè dicunt, teneri virum ſequi vxorem, quando illa ex cauſa neceſſaria recedit à domicilio illud aliò transferens, quia ad mutua obſequia coniugalia pares ſunt; & quamuis loquantur abſolutè, & non de vxore ancilla, id ſufficit; quia venditio eſt cauſa neceſſaria ſequendi vxorem, nec dominus in ancillæ matrimonio conſentiens ſe obligauit ad eam nequaquam in partes remotiſſimas vendendam, caſu quo vir poſſit eam commodè ſequi, & ſi grauatur vir, parum refert; quia ad id ſe periculum expoſuit ancillam ducendo, & ſibi imputet. Ita expreſsè Sanchez *lib. 7. de matrimon. diſput.* 22. *num* 9.

Gloſſa. Hoſtienſ. Innoc. Anton. Anchar. Henriq. Alexand. Roſell. Sanch.

20\. Secunda propoſitio. Quando vterque coniux eſt captiuus eiuſdem domini, vel vnus tantùm liber, & alter captiuus, & vnus alterum ſequi commodè non pnteſt, & ideo ab obligatione ſequendi coniugem immunis eſt; ſi conſenſu domini matrimonium contractum fuit, tenetur dominus de iuſtitia non ita diſtrahere ſeruum, vt matrimonio vti non poſſint. v. c. Nupſit ancilla Petri de illius conſenſu homini libero vel captiuo ſuo, qui ob cæli intemperiem aliqua in regione in morbus incidit periculoſos, aut ibi inimicitias exercet, is haber iuſtam cauſam non ſequendi vxorem ad eam regionem proficiſcentem, & immunis eſt ab ea obligatione, & conſequenter tenetur dominus, ſi prædicto matrimonio conſenſit, in eam regionem ancillam non vendere. Hanc propoſitionem tenet Sanchez allegatus *num.* 10. & eam admittunt omnes citati *num.* 15. *&* 16. Et patet, quia concedens principale, concedit etiam acceſſorium, vt conſtat *ex cap. Prudentiam, de officio delegati.* Illam tamen temperat ſtatim idem Sanchez allegatus, modò ancilla, vel ſeruus malè moratus non ſit latro, fur, aut fugitiuus, ita vt non poſſit illum dominus retinere domi, niſi cum periculo, aut detrimento ſuo, nec in proprio loco, aut in partibus vicinis emptorem inuenit. Quam limitationem ſumpſit Sanchez ex Palatio *in 4. diſt. 30. diſp. vnic. dub.* 5. *colum.* 10. *verſu, Iudicarim,* quæ optima eſt; quia ſi iudex poteſt in delicti pœnam ſeruum in triremes mittere, non obſtante iure matrimonij, quod tunc impeditur, ita poterit dominus, licet nòn iudiciaria punitione, tamen domeſtica permiſſa dominis vti ob vitia, & delicta ſerui, qualis eſt venditio ſerui in alias regiones longinquas non inuento iuſti pretij emptore in proximis.

Quid quando vterque coniux eſt captiuus eiuſdē domini, vel vnus tātùm, & de conſenſu domini matrimonii initum fuit. Sanch. Sanch.

21\. Tertia propoſitio. Siue dominus conſentiat matrimonio ſuorum ſeruorum, ſiue non conſentiat, ſecluſa neceſſitate vendendi ſeruum, vel ancillam, non poteſt illum vendere in partea remotas, vbi vſus matrimonij impeditur, vnde inuento hîc iuſto pretio mortaliter peccaret dominus eum alium in locum diſtrahendo Ita expreſsè Sanchez *lib 7. de matrim. diſput.* 22. *num.* 11. D. Bonauent. *in 4 diſt.* 36. *in expoſitione literæ, num.*6. vbi Richard. *art.*4 *quæſt.*2. Ouandus *ibi, diſput. vnic fine.* Angel. *verbo, matrim.* 3. *imped.* 4. *n.* 15. Syluester *verbo, Seruitus, quæſt.*7. Petrus de Ledeſm. *de matrim. quæſt.* 52. *art.*2. *dub.*1. *poſt ſolutionem. ad* 5. Sotus *in* 4. *diſt.* 35. *quæſt. vnic. art.* 2. *in ſolutione ad* 2. Barthol. Ledeſma *de matrimon. dub.* 31. *concluſione* 4 Lud. Lopez 2. *part. inſtruct. vbi de matrim. cap* 47. *columm. antepenult.* Probatur, quia impedire vſum matrimonij, ſine cauſa, & neceſſitate, res eſt grauiſſima, vnde ignoro penitus quomodo Henriquez, Toletus, & Nauarrus *num.* 15. relati, dicere potuerint illicitum id eſſe, ſed non murtale; & ideo illorum opinionem improbabilem omnino cenſet Sanchez *dict. num.* 11. *quia*, inquit, *ſaltem lex charitatis conſtringit dominum ne ſimili venditione vtatur in grauiſſimum ſalutis ſpiritualis vtriuſque coniugis detrimentum abſque propria neceſſitate præponderanti:* Et poſtea *num.* 12. *ſequenti*, addit Sanchez multo probabilius eſſe, & ſibi ferè certum videri, peccatum mortale eſſe contra iuſtitiam; & idem tenent Sotus, & Ludouicus Lopez citati, & Veracrux 1. *part. ſpeculi, art.* 30. *concluſ.* 3. quia eo ipſo, quod ſerui habent ius ad contrahendum inuitis dominis; habent etiam ius ad vtendum matrimonio illis inuitis, vnde ſicut dominus iniuſtitiam committit, eis matrimonium impediendo abſque iuſta cauſa, ita & vſum illius, vt de ſe patet.

Sanchez. D Bonau. Richard. Ouand. Angel. Syluest. Petr. Led. Sotus. B Barthol. Lud. Lop. Veracrux.

Et quidem, vt hæc venditio iuſta ſit; non ſatis eſt non inuenire dominum in eo oppido emptorem iuſtum pretium pro ſeruo offerentem; ſed deſideratur neceſſitas, quæ iuri ſerui præponderet; qualis erit ſi magna neceſſitas vrget dominum, vt ſeruum vendat, & notabilis eſt diminutio pretij, quia ſpectata charitatis lege, magni momenti eſt periculum ſpirituale incontinentiæ vtriuſque coniugis, cui non quæcumque diminutio pretij, & neceſſitas domini præferenda eſt; ſpectato verò iure iuſtitiæ ſerui ad vſum prædicti matrimonij, manifeſtius eſt deſiderari rationem illi præponderantem, ne detur iniuſtitia. 22.

Quarta propoſitio; ſi vterque coniux captiuus ſit diuerſorum dominorum, & in diuerſis locis habitantium, ita vt mutuo coniuncti nequeant obſequiis dominorum ſatisfacere, tunc vt vitetur iocontinentiæ periculum, poteſt Eccleſia cogere alterum dominum, vt vendat alteri volenti emere Ita Sanchez *lib.* 7. *de matr. diſp* 22. *num.* 16. Gloſſa *in cap. finali, verbo, Habeant* 29. *quæſt.* 2. Goffredus *in ſumm. titul. de coniug ſeruor. num.* 3. Aſtenſis 2. *part. ſummæ, lib.* 8. *tit.* 15. *art.* 2. *quæſt.* 5. *&* 6. Henricus *cap. finali, de coniug. ſeruorum.* Roſella *verbo, Seruus* 3. *num.*2. Supplementum ſummæ Piſanæ *verbo, Seruus* 3. *num.* 3. Turrecremata *cap. finali, num.* 3. 29. *quæſt.* 2. Probatur, quia ſicut quando ſeruus eſt multorum dominorum, & illi vnus ex illis pro ſua parte concedit libertatem, in fauorem libertatis coguntur alij domini vendere ſuas partes, vt ſeruus ille liber fiat, vt patet ex *l.* 1. *C. de communi ſeruo manumiſſo*, ita cogetur alter dominus vendere ſeruum in fauorem matrimonij, cùm cauſa matrimonij ſit fauorabilior in iure, quàm cauſa libertatis. Et ſi neuter dominus emere velit, cogendus erit alter vendere cuicumque extraneo in parte illa, in qua alter ſeruus eſt; & ſi nullus inueniatur emptor, emat Eccleſia, *argumento ducto ex cap. Fraternitatem, diſt.* 54. 23.

Quid ſi vterque coniux captiuus ſit diuerſorum dominorum. Sanch. Gloſſa. Goffred. Aſtenſ. Henric. Roſell. Turrecr.

Sed dubium eſt, an teneatur dominus concedere locum ſeruo ad debiti exactionem, quando contraxit contra eius voluntatem. Reſpondeo affirmatiuè; nam ſiue ſeruus ex voluntate domini, ſiue abſque illa matrimonium contrahat, maius, 24.

An dominus teneatur concedere locum ſeruo, vt debitū reddat.

quando contra eius voluntatem cõtraxit. ius, & antiquius ius habet prædictus seruus ad honestam & moderatam debiti exactionem, quam dominus habeat iure seruitutis ad obsequia quæ hanc moderatam exactiooem impedimento esse possunt, negatio autem loci illam impedit, vt patet. Cum enim anterius sit ius serui ad matrimonium ineundum, vt diximus *numero* 21. sequitur, vt hoc ius sit præferendum quoad honestum matrimonij vsum, ne vacuum

Sanchez. & inane sit. Ita docet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.* 21. *num.* 17.

CAPVT XV.

De obligatione vassallorum erga Reges, & Dynastas, & famulorum in Dominos, & Dominorum in famulos, & Regum in vassallos.

SVMMARIVM.

SÆCVLARIVM Principum & iudicum iurisdictio, & integritas, in tribus maximè elucet, ac consistit. Primò in administratione iustitiæ sine personarum acceptione: est enim iustitia virtus, quæ reddit vnicuique quod suum est. Secundò, vt integritatem morum ac modestiam seruent, & exemplo subditis præluceant. Tertiò, vt Deum timentes reuereantur Ecclesiam, & mandata eius obseruent. Quod ad primum attinet, principes & iudices in administranda iustitia, & controuersiis decidendis solum Deum verum omnium iudicem præ oculis habere debent & neminem respicere, nec patrem, nec matrem, nec fratres, nec amicos, instar Melchisedechi; qui ideo Rex Salem, Rex pacis, & iustitiæ in sacris literis sine patre, sine matre appellatur, quia in administranda iustitia nullo respectu, nullo affectu, nec patris, nec matris, nec amicorum, aut cognatorum mouebatur. Vnde Rex Cambises (vt referunt Valerius maximus *lib. 6. cap. 3.* & Felinus *in elucidatione Decalogi super 4. praeceptum cap. 7.*) cuiusdam corrupti iudicis pellem è corpore detractam sellæ iudiciariæ intendit, in eáque filium eius iudicaturum considere iussit; vt ea atroci, ac noua pœna, iudicum licentiam, & corruptelem cohiberet: quod hodie si fieret, non tot clamores viduarum, ac pauperum querelæ ederentur. Multis igitur modis Reges ac Principes peccare in vassalos suos possunt. Primò cum obligatione restitutionis non administrando iustitiam, & non reddendo suum cuique ius. Ita Nauarrus *in summa Lat. cap. 25. n. 1. §. secundo.* Secundò excitando seditiones aut non sedando eas, constituendo iudices, & præfectos indignos, non ferendo leges iustas, & necessarias, aut non exequendo factas. Ita Nauarrus *suprà* & D Thom. *de Reg. Principis, lib. 1. cap. 15.* & probatur *ex cap. Administratores 23. quæst. 5. & cap. Alius 15. quæst. 5.* Tertiò populum armis non communicando, artibus, & exercitiis necessariis ad suam suique regni defensionem, adeo vt ex huius rei defectu regnum, vel partem illius periculo exponat. ita authores citati. Quartò pecunias congerendo, & grauando notabiliter subditos ob auaritiam nullo iusto fine sibi proposito; tributa noua, & nouas gabellas, subditis absque necessitate publica imponendo cum obligatione restituendi illa; nam quamuis ob bonum finem ea exigat; si tamen absque necessitate publica exigat & imponat, tenetur illa restituere. Ita Nauarrus *cap. 25. num 6. vers. decimosexto*, cum necessitate tamen publica illa potest imponere, si sui redditus non sufficiant. *argument. cap. Cum secundùm, de præbend & cap. 2. 11. quæst. 2.* ita Nauarrus allegatus, & alij: & multo magis peccant Principes & tenentur ad restitutionem, si noua tributa populis imponant ad conuiuia, choreas immodicas, & quæ iustam recreationem excedant, & alias prodigalitates, quas vulgus solet liberalitates appellare. Ita Nauarrus citatus *dicto versu, decimo sexto*, quem in hoc loco vide pulchrè in hac re discorrentem. 1.

In quo splendeat sæcularium Principum iurisdictio.

Valerius. Felin. Nauar. Nauar. D.Thom. Nauar. Nauar.

2. Quod ad exemplum, & integritatem morum attinet, in Principe, ac iudice requiritur, vt luxu seposito colat modestiam, & exemplo cæteris præeat; nam Regis ad exemplum totus componitur orbis, & imprimis requiritur in iudice, vt sumptus secundùm opum quantitatem metiatur ne prædo sit ipse, qui prædones persequi tenebatur, & ne grassetur in subditos, quos defendere debebat. Hinc Sapiens Prouerbiorum 28. *Visus esu-*

riens, & leo rugiens, est princeps impius super populum pauperem. Vnde oportet, vt caueant, ne vel pretio corrumpantur, vel precibus flectantur, ne limites iustitiæ munerum intuitu transiliant, & prædones publica voce vocentur. hoc est illud D. August serm. 31. ad fratres in Eremo: *Cum quæsitum fuisset à Socrate, cur tam crebro risu inordinato solueretur, video, inquit, magnos latrones ad suspendum duci facere paruos: & contenta voce clamat, O quàm digniores estis suspendio, qui in cathedris, & domibus habitatis latrocinia maiora committentes, quàm qui in syluis cum tremore, & timore quotidie latitare videntur.* Quamobrem non solùm peccant lethiferè iudices, qui munerum intuitu iustitiam vendunt, sed etiam, qui in hac re famæ propriæ non consulunt. Vnde D. August. & refertur *in cap. Noli 12 quæst. Duæ res sunt conscientia & fama; qui confidens conscientia negligit famam, crudelis est.* Loquitur de iudicibus, & prælatis. Crudelis est, id est, in seipsum mortaliter peccat, & se mortiferè occidit.

3\. Quod ad tertium attinet, desideratur in Principibus, vt Dei timorem habeant, & Ecclesiam tueantur, pro cuius defensione publicæ fidei iuramenta præstant, vt de terris suæ iurisdictioni subditis vniuersos hæreticos pro viribus studeant exterminare. Quod si facere domini temporales neglexerint, excommunicationis vinculo innodantur, vti habetur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *coacto cap. 3. § damnati*, & duobus sequentibus.

4\. Cauendum etiam est Principibus, & iudicibus sæcularibus, ne iurisdictionem Ecclesiasticam interturbent, & falcem immittant in alienam messem, ne ad modum Oziæ Regis 2. *Paralip. 26.* inconcessa in templo tangentes lepra percutiantur, si non corporis, saltem mentis; præfixam semper ob oculos oportet, vt habeant illam sententiam Christi Domini *Matth. 22.* gladium spiritualem & temporalem diuidentis. *Reddite ergo quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari*; imò vice versa. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Vnde si contra iustitiam, & æquitatem aliquid agant, vel exigant sæculares Principes contra fidem, contra religionem, contra præcepta Ecclesiæ catholicæ, aut sacra illius dogmata, nequaquam eis est obediendum; oportet enim obedire Deo magis, quàm hominibus; quod pulchrè quidem docet Hosius Episcopus Cordubensis apud. D. Athanasium *lib. ad solitariam vitam agentes*, admirabili constantia Constantium Imperatorem hæresi Ariana infectum in hunc modum confundens. *Non te, inquit, misceas rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit. Nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit, & quemadmodum, qui tuum principatum malignis oculis carpit, contradicit Ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne, quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini fias obnoxius: Dato, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Non ergo fas est nobis in terris imperium tenere, neque tibi Thimiamatum, & sacrorum potestatem habere*

5\. Tenentur ergo subditi, & vassalli parere Regibus, & Principibus suis iusta decernentibus in rebus sæcularibus, & peccant lethaliter contra obedientiam, & iustitiam, si eorum leges, & præcepta iusta, & rectè violauerint; & qui illos contemnunt, vel eis debitum honorem negant, vel curam, vel clam, vt docet D. Thom 2.2. q. 105. *art. 1.* Nauarrus *in summa Lat. cap. 19. num. 22.* (D. Thom. Nauarr.)

& alij, & probatur ex illo Pauli ad Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* & ad Ephesios 6. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* vbi iubet, vt superioribus tamquam Christo pareamus, à quo omnis ordinata potestas descendit. Sicut enim Christus non præciperet iniusta, & inordinata, ita nec Principes illa præcipere debent; alioqui enim in illis eis parendum non erit: & ad Titum 3. *Admone illos*, id est, populos, *Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedire. Admone ad omne opus bonum paratos esse.* & 1. Petri 2. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei.* Duo enim in Ecclesia sunt gladij. Potestas, scilicet, temporalis, & spiritualis, & vtrique potestati iusta præcipienti oportet obedire; non enim sine causa gladium portat.

Tenentur etiam populi Reges suos alere, & sustentare, eisque tributa ordinaria, & extraordinaria pendere, ad illorum sustentationem, & regni defensionem, & Ordinatio nostra huius regni Lusitaniæ *lib. 2. tit. 26.* sigillatim nominat regalia tributa quibus Reges à principio contenti sunt ad propriam sustentationem, & regni defensionem; quamobrem ex vi huius contractus tenentur etiam Reges populos defendere in pace, & iustitia gubernare, & etiam maritimam tutam reddere à latronibus; & si in hoc notabiliter defecerint, tenentur ad restitutionem, quia redditus regales, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc eis à populis assignata, & statuta, vt docet D. Thom 2. 2. *quæst. 62. art. 7. in corpore, & ad 3.* (D Thom.) Nauarrus *in tract. de datis, & promissis pag. 47.* (Nauar.) Gregor. Lopez *l. fin. tit. 20. partita 2. in glossa 2.* (Greg Lop.) Afflictus *in rubr. quæ sint regalia, num. 28. & decisione 265. num. 8.* (Afflict.) & non possunt ponere noua populis tributa, nisi in magnis necessitatibus totius regni, aliàs grauiter peccant; nam cum ex tacita conuentione iuribus regalibus fuerint contenti, vt ait textus *in Authentic. vt iudices sine quoquo suffragio. §. illud videlicet, in fine, columna 1.* non possunt alia noua tributa imponere, & à propria conuentione recedere, *cap. Quod semel de regul. iuris in 6. capite, Militare 23. quæst. 1.* Innocentius *in capite, Innouamus de censib.* Afflict. *cap. 1. verbo, Vectigalia, quæ sunt Regalia num. 3.* (Innocent. Afflict.) Rolandus *consilio 1. num. 53. lib. 2.* Medina *de rest. quæst. 13. columna 2.* Nauarrus *in manuali cap. 21. num 6.* & alij passim. (Roland. Medin. Nauar.)

Cum autem magnæ superuenerint necessitates totius Regni, vt propter bonum publicum, & defensionem totius regni, aut conseruationem dominiorum, statuumque illius, necessium sit noua aliqua tributa imponere, prius quàm imponantur, debent Reges ostendere, & explicare populis præsentem, vrgentémque regni necessitatem, & manifestare insuper omnia in quibus Regalia iura, redditus, & tributa sunt exhausta, & se non habere bona ex quibus publicis, ac præsentibus necessitatibus succurrere possint, aut vendere, ad eam necessitatem subleuandam: & tunc primò debent auferre bona regiæ coronæ à donatariis, quibus illa donarunt, quia huiusmodi bona tamquam res, quæ à populis donatæ, & assignatæ Regibus fuerunt ad regni defensionem, regalémque sustentationem, censentur à Rege ea tacita conditione fuisse donata, vt in magnis Regni, & Reipublicæ necessitatibus, iterum auferri

possint;

possint; erant enim illis veluti hypothecatæ, & addictæ, vt latè docet Rolandus *consil. 1. à n. 160. lib. 2.* Ioannes Neuisan. *consil. 12. num 64. inter consilia Bram.* Lucas de Peña *l. Quicumque. col. 3. & sequent C. de omni agro deserto. lib 11.* Afflictis *in rubr. Quæ sint regalia, num. 65. & in prælud. const. rubr. 24 num 4.* Ledesma *2. 4. quæst. 28. art. 3.* Soto *lib. 3. de iust. & iure, quæst. 5. art. 1. in fine.* Menchac. *illustr. cap. 4. num 5.* Ex his factis, hoc est, manifestata populis in comitiis publica necessitate, & ostenso haustu redditiuum regalium, qui vendi possint, & demptis, atque ademptis à donatariis, bonis regiæ coronæ, tunc concedit ius licentiam, ac potestatem Regibus & Principibus ad imponenda populis tributa in ordine ad bonum publicum totius regni. Ita Nauarr. *in manual. Lat cap. 25. num 6 versu, Decimosextò, ad finem.* Ledesma *2. 4. quæst. 18. art. 3. folio mihi 253.* Afflictis *in rubr.* Quæ sint regalia, *à num. 85. lib. 3.* & quæ sint regalia *lib. 3. feudi à num 89.* latè prosequitur Roland. *consil. 1. à n. 62. lib. 2.* optimè Osorius *in historia regis Emanuelis pag 448.* & is modus adhibendus est, inquit optimè Osorius, ne immodicis sumptibus sine vllo Reipublicæ fructu vti Reges possint, & ne in auarissimos homines, quorum cupiditas nullis opibus satiari potest, opes, & pecunias Reipublicæ transferant, cum illius gemitu, & querimonia in potentium domorum constructionem, & pauperum destructionem.

Roland. Neuisan. Peña. Afflict. Ledesma. Soto Menchac. Nauar. Ledesm. Afflict. Roland. Osor.

Et verò huiusmodi tributa non possunt imponi alicui vel aliquibus vassallis io particulari, sed omnibus generaliter imponenda sunt, vt optimè docet Castro *lib. 1. de lege pœnali, cap. 5. pag. 40. col. 7.* & patet ex *l. 1. ad finem. C. de apoch. public. lib 10. & l. 1. ad finem C. quibus muner. vel præst. lib. 10. & l. Omnes, ad finem. C. de operibus publ.* quia cum communis necessitas omnes tangat, omnes debent ad eam concurrere.

Castro.

6. Prælatis etiam Ecclesiæ tenetur grex Christi obedire in iis, quæ ad eorum iurisdictionem spectant; ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus omnium fidelium, & hæc veritas est de fide: quanquam Ioannes Vuicleph. *in artic. 9 in concil. Constantiensi damnato sess. 8.* noluerit Ecclesiæ Prælatos esse admittendos; in cuius damnatum hæresim Ioannes Brenzius hæresiarcha successit, eiusdem damnationis, & perditionis filius, & locus ex quibusdam scripturæ locis prauè admodum intellectis Primò, quia Dominus, inquit, ait *Nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester.* Secundò, quia Paulus se seruum omnium fatetur non Superiorem, non Prælatum, non Magistrum 2. Corinth. 4. *Nos autem seruos vestros per IESVM, quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* Tertiò, quia idem Paulus 1. ad Corinth. 3. fatetur omnes esse docibiles Dei, & solùm Christum esse verum Patrem, verum Episcopum, & Pastorem animarum nostrarum. *Neque enim qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Quartò, quia Petrus Epistola 1. cap. 2. ingenuè fatetur Christum solum esse Episcopum, & Pastorem animarum nostrarum: *Recurrite*, inquit, *ad Episcopum animarum vestrarum, qui est Christus.* vnde infert Brenzius, *Omnes sunt feræ, omnes oues, siue Gregorius Papa, siue Maximilianus Imperator, siue Philippus magnus Hispaniarum Rex.* Vides quomodo nullos Prælatos in Ecclesia Dei visibili Brenzius admit-

tat. Apage solus ipse Prælatus, doctor solus esse volebat. Bene videbat ipse Ecclesiam Dei esse visibilem sub vno visibili capite cōgregatam, nempe Papa. & sub isto capite alia visibilia locorum, & diœcesum capita requiri Episcopos, videlicet, qui instar Apostolorum, particulares diœceses sibi commissas gubernarent, tollit tamen omnia capita, vt ipse solùm caput emineret. O sanum caput plenum ventorum auris, qui eum Prælatos, & superiores Ecclesiasticos de medio tollat, solus ipse caput esse vult, & se omnibus tanquam omnium superior præferret!

E contrario verò Theodorus Beza, Primates, Superiores, & Prælatos in Ecclesia admittit, sed qui sint Principum, & Regum sæcularium pedibus subiecti, ductus authoritate quadam D. Pauli prauè intellecta. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, ad Romanos* 13. & expositione D. Chrysostomi *sermone 23. in Epistola ad Romanos* 5 ad suum sensum malignè detorta, qui ita hunc locum exponit. *Omnibus*, inquit, *ista præcipit Paulus sacerdotibus & monachis, non autem solis secularibus.* Vnde infert Beza non solùm Clericos & Prælatos Ecclesiæ subditos esse Regibus, & Principibus sæcularibus, sed illorum etiam causas omnes merè spirituales temporalium Principum iurisdictioni submittendas esse, & in eorum iudiciis tractandas, & decidendas. Pulchet adulator, vt sic per adulationem venenum hæresis Principum sæcularium animis paulatim instillaret, eosque tandem perderet lupus rapax. 7.

Admiror planè horum hominum impudentiam, infamiam, & miram adulandi artem: nunquam profectò tales operarios, tales seruos, & prædicatores misit Deus in mundum, vt illum edocerent, ac reformarent, cum tamen ipsi reformatorum nomine, ac nomenclatura se passim iactent. Christus inquit: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*; illi inquiunt: *Discite à nobis, quia superbi sumus, & inflati corde.* Tanquam superbus omnes superiores Ecclesiasticos è medio tollit Brenzius, vt se omnium superiorem constitueret. Tanquam inflatus Beza impler Principum temporalium animos perniciosissimis, ac fœdissimis adulationibus, & Principes sæculares non veretur Episcopis, imò & Summo Pontifice superiores facere, Episcoposque admittit, sed qui sint Principum sæcularium pedibus subiecti; quibus præcipio, vt inter se conueniant, vt possint rectiùs edoceri; nam eorum sententiæ non sunt conuenientes, nec concordes. Vnus enim superiores Ecclesiasticos, & Episcopos è medio tollit; alter non tollit, sed admittit: at ea conditione, vt sint subiecti, & iurisdictionem spiritualem à Regibus accipiant temporalibus, & sic eorum sententiæ non conueniunt. Dum tamen non conueniunt, discipuli eorum audiant, qui hanc doctrinam ab illis acceperunt; doceo illos, & sint omnes docibiles veritatis, qui hactenus discipuli diaboli fuerunt, veram enim Dei doctrinam illis tradimus à Christo Domino prædicatam, ab Apostolis plantatam. Audi Brenzi, & disce saltem ex doctrina Bezæ superiores esse Ecclesiasticos in Ecclesia Dei. Alios enim posuit Christus in Ecclesia sua Doctores; alios Episcopos; Rectores alios; Prophetas alios, & Pastores, vt docet Paulus ad Ephes 4. & Lucas actorum 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei* 1. Timoth. 3. Psalm. 108. & aliis in locis passim Episcoporum mentio fit: & quamuis Paulus se om- 8.

nium seruum profiteatur, cum tamen ipse esset superior, inde humilitatem discere debebas, ne te omnibus præferres, & super omnes instar Luciferi extolleres, vt grauiori casu rueres ad inferos; necesse est enim vt quo altiùs se quisque attollit, eò decidat depressiùs. Fatemur enim vnum esse Magistrum verum, & Episcopum animarum nostrarum in cœlis, caput inuisibile, visibilis Ecclesiæ Christum IESVM, qui nos intus edocet, prædicantibus, rigantibus, & plantantibus Apostolis, quorum nos omnes docibiles sumus, nisi enim Christus intus nos doceat, parum refert prædicare Paulum; nam neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus, qui tamen prius quàm ascenderet in cœlum, potestatem in Ecclesia sponsa sua visibili visibiles pastores constituendi reliquit, quibus tanquam à Deo missis tenemur obedire, quia maturo suo consilio spiritualia gubernant, & Rempublicam Christianam ad supernam beatitudinem dirigunt salutaribus profectò legibus, præceptis, ac dictamentis: remoto quippe hoc regimine Ecclesiastico, quid oro esset in Ecclesia Dei visibili, nisi odia, rapinæ, & auaritia, vt apud vos sunt? Et sic solus Christus est caput inuisibile visibilis Ecclesiæ. Vicarius Christi est caput visibile, cæteri Episcopi membra huius capitis; neque enim Summus Pontifex potest instar Dei esse vbique præsens, quare oportebat, vt Christus ei suas vices committeret, ad instituendos Episcopos, & pastores, quibus omnibus tenemur obedire tanquam à Deo missis dum iusta decernunt.

9. Audi Beza, & miram tuam impudentiam depone. Sententia Pauli ita intelligitur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subiecta*. Hoc est, quæuis anima suis superioribus obediat, sæcularis superiori sæculari, Ecclesiasticus Ecclesiastico: aliàs si omnis anima cuilibet superiori subdi debet, & non suo, cur Pilatus non imperauit iis, qui erant de potestate Herodis? *Lucæ* 23. Cur Rex Hispaniæ non imperat Francis? Audis? bene vides argumentum. Notanter dixit Paulus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subiecta*, non Regibus, non Principibus, vt potestates etiam Ecclesiasticas includeret, quod non ignorauit Chrysostomus dum dixit: Omnibus ista præcipit Paulus sacerdotibus, & monachis respectiuè, scilicet, ad suos superiores.

10. Vis itaque Prælatos Ecclesiasticos Regibus, & principibus temporalibus & sæcularibus subdere, & animam corpori, non corpus animæ; cum tamen à Deo creata sit, vt illa regat, istud obediat. O pulchrum caput, & plenum ratione, qui vult Dei leges peruertere, & Deo ponere legem curat. Principes sæculares, Reges, Duces, Imperatores, & reliquus populus christianus sunt oues, & potius subici debent Episcopis, & prælatis, quàm Episcopi Regibus, vt videre est in Concilio Arelatensi 2. c. 2. sub Carolo Magno coacto. Saul à Samuele sacerdote priuatur regno, & rude donatur. Constantinus Imperator, vt refert Nicephorus *lib.* 8. *cap* 6. *&* *lib.* 2. *cap.* 2. *historiæ tripartitæ*, noluit Episcopum in Concilio Nisseno assidentium causas decidere, quod indignum indicarit superiores subdito submitti. Audi Ambrosium ad Imperatorem Valentinianum scribentem Epistola 32. *In causa fidei*, inquit, *vel Ecclesiasticis alicuius ordinis, is iudicare debet, qui nec sit impar, nec iure dissimilis, sacerdotes de sacerdotibus debet iudicare*. Vbi, quando, audisti Beza in causa fidei laicos

Conc. Arel.

Niceph.

de Episcopis iudicasse? Reges subdi debent Episcopis in causa fidei, non Episcopi Regibus; quod ingenuè fassus est Valentinianus Imperator, vt refert Theod. *lib.* 4. *historia Ecclesiastica*, *c.* 5. accersitis enim Episcopis, *Eum collocate*, inquit, *in Pontificali solio, cui nos quoque imperij moderatores nostra capita sincerè subdimus, cuiusque reprehensiones libenter admittamus*. D. Ambr. vt idem refert Theod. *c.* 6. Theodosium Imperatorem excommunicauit, & è templo eiecit; quod certè non efficeret, nisi diuinitus potestatem à Deo sibi concessam, non humanitus acquisitam habuisset. Gregorius III. Summus Pótifex authoritate Apostolica, qua pollebat, Leonem Imperatorem Iconoclastarum authorem imperio priuauit, & fidelium consortio; vt docet Platina *in vita eiusdem Pontificis*. Duobus mundus gubernatur luminaribus, sacra Pontificum authoritate, & Regalis potestatis maiestate; illa hac superior in spiritualibus, ista illi subdita; & tanto illa ista est excellentior, quanto animus excellit corpus. Innocentius Papa Arcadium Imperatorem, quia cósentit, vt Beatus Ioannes Chrysostomus sede sua pelleretur, excommunicauit. Zacharias Papa Regem Francorum diademate spoliauit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius locum suffecit; *cap. Alius* 15. *q.* 6. Innocentius III. Othoni IV. à se primo coronato, & postea de se, & de tota Ecclesia pessimè merito imperium abstulit, *cap. Nouit, de iudicijs*. Honorius III. Federicum II. sacra canonum dogmata peruertentem imperiali dignitate priuauit. Innocentius IV. Federicum III. ob eius insidias, & Pontificum persecutionem Siciliæ, Apuliæque Regno exauthorauit. Bonifacius VIII. Petro, & Iacobo Columnensibus cardinalatum, & Philippo Gallorum regnum ademit. Ioannes XXII. Ludouicum Ducem Bauariæ Ecclesiæ rebellem, ac schismaticum declarauit, ac deposuit. Vides Bezenses? quis maior est, deponens, an qui deponitur? recumbens, an qui ministrat?

Theod.

Theod.

Plat.

Præterea, quis deuoluit electionem Imperij Romani ad Germanos? non ne summus Pontifex? cuius authoritate id factum est, nonne illius? An ignoratis, quod opprimente Ecclesiam Romanam Astulphi Regis Longobardorum crudelitate, petiit illa suppetias, auxiliúmque à Constantino, & Leone eius filio, Imperatoribus Constantinopolitanis, & cum recusarent Romanæ patrocinari Ecclesiæ, Stephanus Papa II. natione Romanus transtulit imperium ad Carolum Magnum, qui fuit filius Papini, quem Zacharias prædecessor eius substituerat Ludouico Francorum Regi à se sceptro spoliato, vt refertur *capite, Alius* 15. *quæst.* 6. Quæ translatio facta est anno salutis nostræ 776. & sic imperium deuolutum est ad Teutonicos & Germanos, vt constat ex *cap. In die, dist.* 5. *& in cap. Omnes* 22. Nonne etiam scitis in consecratione Imperatoris expressis verbis declarari Deum Petro cœli, & æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cælestis Imperij iura commisisse? scitis & satis scitis; at hæc malitia vestra occultatis; hanc tamen vellicationem libenter sustinete, dum vobis aliam fortiorem paro, libentissimè oblaturus si per occasionem se obtulerit, nulla enim maior mihi voluntas, quàm vel vos docere, vel vestram malitiam detegere; satis enim docti, & edocti estis, & ex abundanti malitiosi.

11. *Quo tempore deuolutum fuerit imperium orientis ad Germanos, & à quo.*

At dicetis, superiores sunt Episcopi Regum, & Principum sæcularium potestate, & potestas sæcularis subditur potestati Ecclesiasticæ Iudicent

ergo

ergo Episcopi causas sanguinis, & controuersias criminales dirimant, patibulo addicant homines, mactent, & iuguleor. Respond nequaquam id eis permissum esse, quia sunt ministri nouæ legis, quæ mansuetudine ad bonum inducit, non seueritate cogit, & quia sunt sacramentorum ministri quorum est magis, proprium sanguinem effundere, quàm fundere alienum. Vnde D. Ambrosius *oratione ad Auxentium Arianum*, quæ infertur Epistola 32. & 33. *Arma nostra sunt orationes, & lachrymæ.* Nihilominus tamen nonnulli Prælati spirituales vtrumque habent gladium, vtramque iurisdictionem temporalem, & spiritualem: sic *Genesis* 14. Melchisedec Rex Salem, & Sacerdos Dei altissimi prædicatur. Sic Heli Sacerdos 1. *Regum* 1. vtroque gladio spirituali, & temporali pollebat; nam 40. annis decidendit Iudæorum controuersiis præfuit. Sic Moyses iudex populi extitit in temporalibus, & sacerdos in spiritualibus. Hi omnes adumbrant nouæ legis saeerdotium, teste Apostolo 1. *ad Corinth.* 4. Vnde Christus *Lucæ* 22. ad Apostolos: *Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat illum.* Respondit Petrus, *Domine sunt duo gladij hic: Satis est*, inquit Dominus; concludens posse beatum Petrum, & eorum successores & pastores, ac prælatos Ecclesiasticos vtrumque habere gladium, vtramque iurisdictionem: & D. Bernardus *lib.* 4. *de consideratione ad Eugenium Papam*, explicans illud Christi ad D. Petrum Ioannis 18. *Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus est, inquit, gladius temporalis, tuo tamen nutu non tua manu enaginandus: alioquin si ad prælatos spirituales gladius sæcularis non posset pertinere, respondentibus Apostolis: Ecce duo gladij hic, non dixisset Dominus, satis est, sed nimis est; superfluum est*, hæc D. Bernard ibi.

13. *An domini possint famulis mercede conductos ad hospitalia mittere in infirmitatibus.* Hactenus tamen satis contra Brenxenses, & Bezænses hæreticos digladiati sumus. Veniamus ad nostrum institutum. Sicut famuli mercede conducti tenentur suum obsequium dominis præstare, ità domini eis suum salarium & stipendium dare. An autem teneantur domini eos in infirmitatibus curare? Est dubium: secluso tamen contractu, inter famulum & dominum celebrato. si fortè detur, teneotur domini de iustitia eas expensas facere in illorum curatione, quas alioqui facerent in illorum alimentis, si bene valerent; ita Angelus *verbo, famulus, num.* 2. Syluester *ibi quæst.* 4. Tabiena *ibi num.* 3. Bartholus *in l. si cum dotem ff. soluto matrimonio.* Aduertendum tamen est famulis infirmis durante infirmitate non deberi salarium; solum enim teoentur domini illis dare cibaria, modicas, ac tenues expensas, putà per octo aut decem dies prout pluries iudicatum fuit, vt refert Aloysius Riccius *in decisionibus Curiæ Neapolitanæ Archiepiscop. decis.* 220. 2. *part. num.* 11. At verò immodicas non teoentur in illorum curatione facere, vnde tenentur illas ipsi famuli dominis soluere, si fortè factæ sunt, & habeant vnde soluant, vt docet Azor *tomo* 2. *Institutionum moralium lib.* 2. aliàs 11. *cap.* 39 *vers. Vnde quæritur. pag. mihi* 46. Molin. Theolog. *tomo* 2. *de inst. quæst.* 505. *initio.* Petrus Surdus *de aliment. tit.* 4 *quæst.* 5. *num.* 5. Farinacius *in praxi crimin. part.* 1. *tit.* 1. *quæst.* 2. *num.* 20. & *part.* 6. *quæst.* 176. *num.* 14. & patet ex nouis Ord. Lusitaniæ *tit.* 35. *num.* 4.

D. Ambr. — Angel. Syluest. Tabien. Barth. — Ricc. — Azor. Mol. Theol. — Surdus. Farin.

14. Quamobrem si morbus est periculosus, & diuturnus, & qui non nisi magnis expensis curari possit, licitum est heris famulos suos mercede conductos ad hospitalia mittere; si ipsi famuli bona aliunde non habeant, nec expensas quibus curari possint; si verò morbus est leuis & modicæ expensæ in illo curando fieri possint, illicitum id erit, vt docet Azor *eiusdem quæst.* 4. Azor.

Dubium tamen est, an seruus qui promisit seruire domino integrum annum certo stipendio; si primis sex mensibus tantùm inseruiat, ei teneatur dominus dimidium stipendij, & mercedis soluere. Syluester *verbo, Famulus, quæst.* 5. Azor *tomo* 2. *lib.* 11. *cap.* 39. *quæst.* 7. & Barthol. *in l. Diuort. §. Quod in anno, ff. soluto matrimonio*, & communis opinio ait non teneri dominum dimidiam ei partem soluere; sed paulo minorem. Imò de iure Lusitano *in nouis Ordinat. titulo* 34. & 35. ratione fidei violatæ nihil ei omnino soluendum esse decernitur. At hæc in foro exteriori procedunt, nam in foro conscientiæ crediderim teneri dominum ei dimidiam partem stipendij soluere, & consequenter pro rata temporis stipendium seruis soluendum esse arbitror; quamuis Molina *tomo* 2. *de iustitia, disput.* 506. *versu lib.* 4. *pagina mihi* 1641. vt infrà videbimus *num.* 20. asserat nihil ei in foro poli deberi, quod est contra Authores modò allegatos, qui dicunt non teneri dominum dimidiam partem soluere in conscientia, sed paulo minorem. Mihi tamen videtur, ei totum dimidium esse soluendum. Et meum fundamentum est, quia forus conscientiæ est tribunal veritatis, & in rei veritate dimidium temporis seruiuit, & ius Lusitanum fundamentum habet in malitia seruorum, & in damno quod malitia, & culpa sua præsumuntur famuli dare. Supporro autem hîc nec damnum, nec malitiam interuenisse, & sic cessante præsumptione, cessat iuris Lusitani dispositio. In hoc tamen regno seruanda est Ordin. citata, & Molinæ sententia tam respectu domini, quàm respectu serui, si sine iusta causa aliquis recedat à contractu. 15.

Syluest. Azor. Barth. — Molin.

Si in anno quo suas operas locauit, & seruire promisit, aliquo tempore fuit infirmus, finito anno, non tenetur postea supplere illud tempus, nec dominus compellere eum potest, vt perseueret aut tempus resarciat, nec etiam ipse compellere potest dominum vt se sinat tempus illud resarcire, quoniam seruiendi onus fuit absolutum in anno, & elapso anno, non manet prædictum onus in tempus sequens: sic qui non ieiunat, aut non recitat diuinum officium tempore, quo ex Ecclesiæ præcepto tenebatur, non tenetur postea id resarcire, quia fuit onus diei, seu temporis, non teoetur tamen dominus ei soluere mercedem integram illius anni; sed detrahendum erit aliquid pro rata dierum infirmitatis. Sic communiter Doctores, Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 505. *initio pag. mihi* 1631. Azor *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 3. *dict. quæst.* 5. Abbas *in cap.* 1. *de clericis ægrotant.* Syluester *verbo Famulus, quæst.* 5. Glossa *in cap. si pro tua, de rescript. in* 6. & patet ex *l. cum heres*, §. *Stichus famulus, quæst.* 5. Glossa *in cap. si pro tua, de rescript. in* 6. & patet ex *l. cum heres, §. Stichus, ff. de statu liber.* 16.

Molin. Azor. Abbas. Syluest. Gloss.

Famulus qui in triennio postquam exiuit à domino mercedem non petiit, non potest illam petere finito triennio, actio enim petendi salarium conuentum, & statutum pro seruitio triennio expirat, & vltra illud in iudicio peti non potest. Ita communiter Doctores, Couar. *in regul. possessor. part.* 2. §. 1. Baeça *de decima tutoris cap.* 30. *num.* 20. Valasc. *consult.* 125. Caldas Pereira *in l. si curatorem, verbo, sua felicitate num.* 77. Flores de Mena 17. *Actio petendi salarium in iudicio pro seruitio triennio expirat.*

Couar. Valasc. Pereira.

Mena. Molin. Gama. Rebell. Lusit. Gutier.

Mena *lib. 8. var. quæst.* 8. §. 2. Molin. *de iust. tract.* 2. *disp.* 67. Gama *decisione* 334. Rebello *de obligat. iust. part.* 2. *lib* 14. *quæst.* 13. *num.* 10. & ita habetur de iure Lusitano *lib.* 4. *tit.* 32. *in nouis ord. in veteribus tit.* 20. Gutierrez *in l. Nemo potest à num.* 200. *ff. delegatis* 1. Romæ tamen biennio præscripsit famuli salarium per Bullam Pij V. 33. *in bullario fol. mihi* 973. refert Stephanus Gratianus *decision.* 53. quem citat Aloysius Riccius *in collect. decisionum, collectanea* 285. *medio*, in foro autem conscientiæ existimo ei deberi.

Gratian. Ricc.

18. Minori tamen seruo impedito, & absenti non currit triennium, vt docet Flaminius *de resignat. tom.* 2. *lib.* 11. *quæst.* 4. *num.* 55. Flores de Mena *lib.* 1. *var. quæst* 8. §. 2. *num.* 54. Nec absenti currit iuxta prædictos Doctores; & iuxta Azeuedo *l.* 6. *num.* 22. *tit.* 15. *lib* 4. *nouæ recopilationis.* Mexia *in tractatu taxæ panis, concl.* 1. *num.* 142.

Hoc triennium nõ currit minori impedito vel absenti. Flamin. Mena Azeued.

19. Ad interrumpendam autem præscriptionem triennij in salario famulorum sufficit petitio ipsius salarij extraiudicialis, vt docet Gutierrez *de iurament. confirmatorio part.* 3. *cap.* 1. *num.* 24. Patet Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disp.* 37. *num.* 17. Flores *lib.* 1. *var. quæst* 8. §. 1. *num.* 63. & §. 2. *num.* 41. Potestque famulus præsens tuta conscientia, transacto eo triennio, sibi occultè recompensare de salario debito, si dominus illud soluere nolit; quia hæc præscriptio sola est actionis ad petendum debitum salarium in iudicio: vbi autem datur sola præscriptio actionis, nunquam in foro conscientiæ emittitur ius rei, vt optimè ibi docet Sanchez allegatus. & Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 67. *n.* 3. *vers. His ita relatis.* Cald. Pereira *de empt. c.* 24. *n.* 63. *ad finem*, & multis citatis docet etiam Gutier. *l. Nemo potest. n.* 487. *ff. de legatis* 1. Imò tam intra triennium quàm vltra triennium potest famulus cui non fuit solutum pretium, nec dominus illud sibi vult soluere, & via iustitiæ non potest illud recuperare; vel quia sibi deficiunt probationes, vel quia expendet magis quàm sibi de salario debetur, tuta conscientia, sibi occultè compensare, & absque scandalo, vt resoluunt communiter DD. inter quos est Flores citatus *lib.* 1. *variar. quæst.* 8. §. 1. *num.* 22. & Caldas Pereira item allegatus.

Gutier. Sanch. Flores. Sanch. Molin. Pereira. Gutier.

SVMMARIVM.

An dominus, qui sine causa famulum ad annum conductum, paratum anno integro seruire expellit, teneatur integram ei mercedem soluere. num. 20.

Quid si dominus de damno sibi a seruo illato queratur. num. 21.

An famulus teneatur resarcire damnum domino quod culpa sua illi dedit saltem leui. num. 22.

An famulus teneatur in conscientia restituere domino illud, quod alter, eo vidente, furto à domino abstulit. num. 23. *Quid si sub sua cura erat.* ibid. *Quid si dominus ei clauem domus tradidit, & alter è domo, se vidente, aliquid abstulit.* ibid.

An famulus, qui iurauit domino se ei reuelaturum si quem sciuerit eius bona abstulisse, teneatur ad iurandum. num. 24. 25.

Quid de seruis, qui absque mercede, & gratis seruiunt, an possint postea illam petere, ita vt eis debeatur. num. 26.

Pueris vulgo Pagens, *an debeatur salarium ante 14 annum.* num. 27.

Quid si dominus illo non indigebat, & ad instantiam patris illum accepit quoad vsque alium commodum inueniret. num. 28.

Capellanis, & famulis Episcoporum, & dynastarum, an debeatur salarium; si beneficia, aut officia ab illis acceperunt. num. 29.

An domini teneantur in conscientia restituere aliquid famulis, qui pro minori iusto pretio infimo se locarunt. num. 30. 31.

An obligandi sint famuli, qui gratis seruium ad restitutionem, quando aliquid accipiunt ad vestitum, vel corporis ornatum. num. 32.

Quid si famulus seruiat minori pretio infimo sperans aliquod beneficium à domino. num. 33.

An peccent parentes, vel domini, qui scrinio aperto filiorum, aut famulorum fidelitatem experiuntur. num. 34.

An licitum sit nemorum custodibus se abscondere eo fine, vt homines deprehensi caueant illuc redire, & alii vt homines nemora liberiùs ingrediantur, vt id crimen postea pœna capitis luant. num. 35.

An famulo, qui locauit operas suas domino ad peragendas causas, augeri debeat salarium ad augmentum causarum. num. 36.

An ijs famulis, qui inseruiunt mechanicis, vt eos suas artes doceant, debeatur salarium. num. 37.

QVando famulum ad certum, & definitum tempus pro certa mercede susceptum, dominus ante finitum tempus, imò statim in initio, videlicet post vnum mensem domo expellit, compellendus est dominus illi integram mercedẽ soluere: hoc tamen intellige, modò nulla iusta causa expellat, & famulus ex parte sua contractum, vt oportebat, paratus esset explere, nec tenetur prædictus famulus sic iniustè expulsus complere prædictum tempus; quia per illum non stetit. Ita communiter Doctores, Molina *tomo* 2. *de iustit. disput.* 506 *versu lib* 4 *pagina mihi* 1641. Rebello *de obligat. iustit. part.* 2. *lib.* 14 *quæst.* 13. *num.* 16. & habetur *in nouis Ordin. Lusitaniæ lib.* 4. *tit.* 34. *in antiquis titulo* 21. consentit apud Hispanos *lex* 8. *titulo* 4. *lib.* 4. *nouæ Recopilat.* docet etiam Azor *Institutionum moralium* 3. *parte*, *lib.* 8. *de locato*, *cap.* 13. *quæst.* 5. & 6. Flores de Mena *lib.* 1 *variarum quæst.* 8. § 2. *num.* 18. Si etiam famulus ipse ante tempus sine culpa domini discedebat, cogendus est famulus in foro externo restituere totam mercedem integram, aut partem illius, si illam partem iam acceperat, & seruire integrum tempus nulla soluta mercede, vt contractus locationis ex vtraque parte sit æqualis. Ita Doctores allegati. Si verò non accepit, neque in foro conscientiæ, neque in exteriori, tenetur dominus illi soluere mercedem commeritam; sed poterit in pœnam iustè eam retinere, quamuis sententia iudicis ei non adiudicetur; vt specialiter docet Molina citatus. Et verò casus hic satis frequens est in confessionibus in Lusitania propter dispositionem dictæ legis, *lib.* 4. *in nouis Ordinat. titulo* 34. *in antiquis titulo* 21. sed hæc opinio Molinæ fundamentum habere videtur in malitia serui, nam seclusa ea malitia in foro conscientiæ pro rata temporis, quo seruiuit, videtur ei merces esse soluenda, vt diximus *num.* 15. Et ratio Molinæ est, quia cui datur actio ad aliquid repetendum, si id iam soluisset, competit exceptio, quod non teneatur illud soluere si ab eo petatur, ac proinde interim dum ab eo non petitur, licitè illud retinet paratus excipere ac petere vt sibi adiudicetur in pœnam iustam lege statutam si petatur; quæ ratio procedit tota in foro externo vt patet, non in foro conscientiæ. 20.

Molin. Rebell. Ord. Lusit. Azor. Mena. Ord. Lusit.

21. Si famulus, finito anno, aut tempore quo se, suasque

suasque operas conduxit, à domino recedit, tenetur dominus ei soluere salarium, & pretium locationis, statim, si non sit alia consuetudo soluendi illud ante finem anni, vt resoluit Flores de
Mena Mena *lib.* 1. *var. quæst.* 8. *num.* 55. Si autem dominus illud non soluit propter damnum sibi à famulo illatum, tenetur ante iudicem, vel probos viros ferum de damno requirere, alioquin quando postea famulus mercedem exegerit, non poterit dominus ab eo damnum petere, quoniam præsumitur tunc id efficere malitiosè, & fraudulenter, ne integrè illi soluat mercedem debitam. Quando autem dominus, vel coram iudice, vel probis viris protestatus est damnum; solum conceduntur illi quatuor dies ad illud probandum incipientes à puncto, quo famulus mercedem exegerit, si tamen statim re ipsa soluat integram mercedem famulo, cum protestatione de damno sibi illato, tunc maius tempus illi conceditur ad
Molin. illud in iudicio probandum; quod relinquitur arbitrio iudicis. Ita docet Pater Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 306. *sub versu, Si damnum aliàs num.* 15. & habetur in nouis Ord. Lusitaniæ *lib.* 4. *tit.* 35. *num.* 1.

22. Tenetur autem famulus mercede conductus, qui sua culpa saltem leui domino damnum dedit, illud in foro conscientiæ ei resarcire Ita resoluunt communiter Doctores, nihil impediente iuris Lusitani dispositione, de qua numero præceden-
Molin. Azor. ti egimus. Ita docet Molin. *tom.* 2. *de iust. disp.* 306. *versu, Si damnum al as, num.* 15. Azot. *part.* 3 *inst. moral. lib* 8. *de locato, cap.* 13. *quæst* 7. Vbi idem resoluit in famulo, qui domino gratis seruit; nam hic etiam ex leui culpa de damno domino tenetur; quia eo ipso quod sponte sua famulatum offert, fidelem curam, diligentiamque in rebus dominiruendis, ac seruandis videtur polliceri.

23. *An famulus teneatur domino in conscientia restituere ea quæ videt ab aliis furto accipi.* Quid si famulo sciente alius quispiam à domino aliquid furto abstulit; tenetur ne tunc prædictus famulus damnum illud in conscientia domino reficere? Est dubium, in quo distinguendum est. Aut res illa furto à domino ablata, erat in custodia ipsius famuli, aut non erat. Si erat in custodia illius, tenetur illam resarcire; quia ratione sui muneris, & officij custodis damno occurrere tenebatur. Si non erat, lege quidem charitatis, non autem iustitiæ tenebatur damno domini occurrere, ac proinde non tenetur in conscientia illud damnum domino resarcite, vt communiter
Azor. Molin. resoluunt Doctores. Ita Azor. 3. *p. inst. mor. lib.* 8. *de locato, cap.* 13. *quæst.* 8. Molina *tom* 2. *de iustit. disp.* 506. *num.* 15 *versu, Virium vero.* Et idem dicendum est si cura sit ei de illa re à domino commissa saltem pro tunc, quando damnum, eo vidente, & sciente, domino infertur, aut furto aliquid aufertur v. c. quia saltem pro tunc clauis ei traditur ad aperiendam domum, aut ad aliquid in ea faciendum extrahendumve ex ea; tenetur enim tunc domino restituere, si quid inde, eo sciente, furto ablatum fuerit, vt optimè docet Molina allegatus; & consequenter tenetur famulus in eis circumstantiis illud furtum de iustitia impedire si possit; si autem propter maiorem vim impedire non possit, tenetur admonere damnificantem & auferentem vt illud restituat. Quod si nolit admonere, cum possit, existimat Molina teneri tunc famulum de iustitia illud domino restituere vel saltem id illi reuelare, quando ea via iudicat damnum posse resarciri, quod semper intelligendum est modò tutò & sine magno periculo id detegere possit.

Ex dictis patet resolutio ad illam dubitationem in hac re communem, an famulus ille qui iurauit domino se ei reuelaturum, si quem sciuerit eius bona furto abstulisse, iuramento adstringatur? Et in hac re iuxta superius dicta distinguendum est: nam si res furata, erat sub custodia illius famuli, cui iuramentum præstitum fuit, licitè potest furem reuelare, sicut enim poterat illum furtum asportantem prosequi, & voce, ac clamore indicare; ita licitè potest domino reuelare; si verò sub illius custodia non erat deputata, tenetur furtum domino reuelare si illud potest probare; si verò probare illud non potest, reuelare non tenetur, nec debet, nisi tali cui possit prodesse, & non obesse; & si alio modo iurauit, non fuit licitum iuramentum, nec obligatorium; sic nemo tenetur reuelare Episcopo visitanti, licet iurauerit se veritatem dicturum, nisi ea crimina, quæ potest in iudicio probare. Ita docet Syluester *verbo, Famulus, num* 8. *quæst* 8. *argumento capitis, Quisquis,* 2 1. *quæst.* 4. & patet etiam ex dictis numero præcedenti. 24. Syluest.

Notandum tamen est in foro externo, si famulus fugam capessens à domino discessit, præsumi illum subtraxisse bona, quæ non reperiuntur in domo extare, si ante fugam ibi aderant, Ita in Authent: *de exhibend. reis, §. si verò semel, verbo, Factum.* Iason. *in l. Admonendi, num.* 91. *ff. iureiurand. & in § Ex maleficijs, num* 90. *inst. de actionibus.* Viues *tom.* 2. *communium opin. lib.* 9. *titul.* 28. *num.* 76. *versu, Septimò fallit ibi, imò plus* Mascardus *de probat. conclusione* 832. *num* 3. & Bouadilla *in sua politica lib.* 1, *cap.* 13. *num.* 33. 25. Iason. Viues. Mascard. Bouadil.

Sunt etiam nonnulli famuli, qui dominis gratuitum præstant obsequium, & nulla constituta mercede inseruiunt, quod Lusitanè dicitur, *Seruir amerce*, vel *seruir abem fazer.* Et quidem, si obsequium cui inseruiunt, tale esset pro quo ordinatiè merces solueretur, potest famulus exigere mercedem, illique erit adiudicandum tantum mercedis, quantum in eo loco constituitur aliis pro similibus solui obsequiis. Si verò obsequium non esset tale pro quo merces ordinario solueretur, sed quale præstare solent pueri nobilium, qui arbitrio dominorum relinquunt, vt sibi tribuant, quod voluerint; tunc etiam in eo euentu famuli, vel famulæ exigere possunt pretium iustum suorum obsequiorum, spectato tempore, quo inseruierunt, spectata etiam qualitate seruorum, dominorum, & obsequiorum; quod in praxi seruatur in Lusitania; præsertim quando prælatus aliquis, aut nobilis alius è vita discedit non compensatis obsequiis famulorum, vt testatur Molina *tom.* 2. *de iust. disp* 306 *initio.* 26. Molin.

Puero autem pedisequo Lusitanè *pagem*, non debetur salarium seruitij, nisi post quatuordecim annos expletos; puellæ verò nisi post duodecim; neque enim, tam illi, quàm illæ ante hanc ætatem salarium in Lusitania merentur ob præstitum obsequium, vt docet Cabedo *part.* 1. *decis.* 161. *num.* 5. & ita habetur *lib.* 4. *noua ordinationis, titulo* 31. §. 8. & ante hanc ordinationem ita sæpe iudicatum fuit in Lusitania, vt refert idem Cabedo *ibidem*, solùm enim contenti esse debent in ea ætate, alimento, vestitu, & bona educatione dominorum, vnde vt optimè animaduertit Flores de Mena *lib.* 1. *var. quæst* 8. §. 2. *num.* 9. non erunt domini in conscientia tuti si huiusmodi pueros, ac puellas bona educatione non instituerint, nec præstent alimenta aut victum, & vestitum competentem; & ita Nauarrus *cap.* 17. *num.* 109. 27. Cabed. Mena. Nauar.

28. Notandum tamen est si dominus nullo modo famulo indigebat; sed ob eius amicitiam, aut ad eius, vel parentis illius instantiam, eum in domo sua recepit, nulla mercede constituta; quousque aliud commodum quærat, nullum ei salarium deberi in vtroque foro; vt optimè docet Flores de Mena *lib. 1. var. quæst.* 8. §.2. *num.*5. & videtur haberi *in ordin. nouis Lusitaniæ, lib.*4. *titul.* 31. § 9. & expresè docet Molina *tom.* 2. *de iust. disput.* 506. *versu, Quod itaque, paulo infra medium.* (Flores. Molin.)

29. Similiter famuli, & capellani Episcoporum, & nobilium virorum, ac dynastarum, qui gratis illis inseruiunt ob sperata beneficiorum aut officiorum præmia, si aliquod beneficium, aut officium ab eis consequantur, non possunt petere salaria; si verò non consequantur possunt, & tenentur ea illis domini soluere in vtroque foro; modò non ob suam indignitatem, ea illis non conferrent, vt notauit idem Flores de Mena *dicto lib.* 1. *var. quæst.*8. §. 2. *num.*10. & patet *ex nouis Ord. Lusitaniæ, lib.*4. *tit.*31. §.10. (Flores.)

30. Sunt autem multi famuli ex iis, qui dominis pro certo stipendio constituto inseruiunt; qui sæpe de tenuitate stipendij conqueruntur, & ob illam se volunt à furtis minoribus excusare, & sæpe confessariorum aures ea re obtundunt; sunt etiam alij ex iis, qui gratis, & solùm ob victum, & vestitum inseruiunt; qui ita miserè tractantur à dominis, ac sustentantur, vt vix ad victum necessaria illis præstent; pro quibus has regulas statuo.

31. Prima, si attento obsequio, & ministerio in quo famuli pro pretio inseruiunt, & attenta multitudine, aut penuria seruorum, qui ad ita seruiendum eo tempore comperiuntur, eis constituatur saltem infimum pretium pro stipendio, quod ea regione eo tempore constitui solet famulis tali ministerio seruientibus, id quidem censendum est iustum stipendium, ac proinde si prædictus famulus aliquid eo titulo vsurpet, quod sibi iustum stipendium non detur, tenetur illud restituere nisi euidenter constet dominum non esse inuitum. Si autem eis constituatur minus infimo stipendio tunc consueto; vel quia famulus quando se locauit, & de pretio conuenit, consuetum stipendium ignorauit, vel quia coactus fuit inuitus à ministris regiis pro eo stipendio inseruire, vel à quocumque alio, vel quia necessitate compulsus, non inueniens maius, pro eo se locauit, cum tamen nulla alia detur circunstantia cur minus valeat suum ministerium, & obsequium, quàm aliorum; tunc quidem dominus tenetur ei pretium augere, & restituere vsque ad limites iusti infimi. Ita docet expresè Molina *tom* 2. *de iust. disp.*506. *versu, Quod itaque, pag. mihi* 1637. (Molin.)

32. Secunda, si famulus, qui nulla mercede constituta pro solo victu, & vestitu gratis domino inseruit, tam miserè tractetur à domino, vt neque ad victum necessaria, quæ aliis in domibus similibus famulis donantur, sibi ministrentur; neque indusia, calcei, galeri, & his similia eis conferantur; sed domini expectent, vt ea sibi famuli aliunde quærant, profectò non erunt culpandi prædicti famuli, neque obligandi ad restitutionem, si ad hæc tantùm, de bonis dominorum aliquid occultè vsurpent, modò à dominis sibi necessaria quoad victum, & vestitum priùs petant, si id efficere possint sine suo damno, & maximo rubore, alioquin enim ea poterunt sibi occultè vsurpare, quin ea à dominis petant. Ita Molina *tom.* 2. *de iust disp.*506. *versu, Illud est obseruandum.* Ratio est, quia sustentatio competens, ac vestitus competens licet parcus, iuxta communem omnium consuetudinem, eis de iustitia debetur, quare iniustitiam non committent, si ea à dominis occultè vsurpent. (Molin.)

33. Obseruandum verò est, esse nonnullos famulos, qui minori quidem mercede seruiunt, quàm alioquin spectato infimo stipendio sit iusta; volunt tamen id libenter remittere, & condonare dominis suis, vel propter beneficia iam accepta, vel vt gratiam apud illos mereantur, spe maioris boni ab illis aut illorum causa obtinendi, & tunc quidem non tenentur domini eis mercedem augere vsque ad iustum pretium infimum; neque illi poterunt sibi occultè compensare, quia ibi non cernitur nuda locatio; sed permixta condonatio. Ita Molina *tom.* 2. *de iustit. disput.* 506. *versu, Illud etiam est obseruandum.* (Molin.)

Rogabis tamen hîc, an si postea nihil à dominis obtineant gratiæ; possint sibi occultè compensare? Negat Molina citatus (& bene) quia spes promerendæ gratiæ, aut beneficij consequendi, non fuit simpliciter conditio sub qua ea condonatio facta est, qua non secuta, reddatur ea condonatio nulla, vt communiter resoluunt Doctores apud Molinam *tom.* 1. *de iust. disp.*210. ac duabus antecedentibus; sed est causa motiua, & finalis donandi; vnde si fructus spei desit, sibi imputent, non domino, & parum refert quòd si id scirent, nullomodo ita inseruirent, non enim obligatio domini oritur erga seruos ex iis, quæ fierent; sed ex iis, quæ facta sunt. (Molin.)

34. Obseruandum denique est, non peccare parentes, vel dominos, qui filiis, vel famulis non auferunt aliquam occasionem furandi, cum eos ad furandum propensos vident, sed posse eos obseruare, eisque arcam, vel scrinium apertum relinquere, eo fine, vt furto comprehensi resipiscant, non tamen eo fine, vt peccent, furenturque; quia tunc id non solùm est permittere furtum, sed cooperari, & positiuè ad illud concurrere. Ita docet Sanchez *lib.* 10. *de matr. disp.* 12. *num* 52. Sà *verbo, Peccatum, num.* 7. Nauarrus *in summa Hispanica, cap.*28. addit ad numerum 30. *cap.* 14. § *La decima.* Corduba *in summ. q.* 5. *corol.*4. *fine.* Petrus Nauarra *lib.* 3. *de rest. cap.*4. *part.* 1. *dubit. vltima in noua edit. num.* 104. Et quamuis Nauarra concedat licitum esse etiam prædictis dominis, & parentibus, filiis, & famulis arculam apertam relinquere, & eis occasionem præbere, eo fine, vt furentur, & peccent, vt postea ab illis caueant; id tamen nullo modo admittunt Sanchez, & Sà, cum id iam non sit permittere, sed concurrere, & cooperari cum peccato illorum, vt patet. Sic etiam suspicanti marito adulterium vxoris licitum est illam obseruare cum testibus idoneis, vt eam possit de adulterio conuincere; quoniam id non est eius peccato conniuere aut cooperari; sed illud permittere ad proprium commodum; aliud enim est rogare, iubere, consulere malum, & cum illo concurrere; aliud permittere, & non auferre occasionem illius: hoc licet, vt quia cautior fiat, & veritatem deprehendat: illud nunquam licet, vt optimè probant prædicti authores, & speciatim Sanchez allegatus. (Sanch. Sà. Nauar. Cordub. Nauar.)

35. Similiter licitum est nemorum custodibus, *Couteiros* vocant Lusitanè, se abscondere, eo fine, vt illuc ingredientes semel deprehensi caueant iterum

iterum illuc redire, non tamen id eis licet efficere, eo fine, vt illuc liberiùs ingrediantur, & sic pœnam capitis soluant, & mortaliter peccant, si eo fine id efficiant, vt optimè docent Nauarr. *in summa Lat. cap. 17. num. 123. Hispanicu num 124.* Sanch. x modò allegatus Petrus Nauarra allegatus *dub. vltimo num* 105. Corduba *in summa q.66. dicto 2. versa, Maseldano.* Valentia 2. 2. *quæst. 6. puncto 5. dubio 7. in fine.* Rodrig. *tom. 1. summa edit. 2. cap. 124 n.7.* Veiga *tom. 1. summæ cap. 120. casu 1. colum 4.*

Nauarrus. Sanch. Nauar. Cordub. Valent. Rodrig. Veiga.

36. Si famulus operas suas domino locauit ad peragendas causas, & sollicitanda negotia, non tenetur dominus illi augere salarium ad augmentum causarum, sicut nec etiam augetur salarium aduocati aut medici auctis causis, aut infirmis, nisi à principio id sit conuentum. Ita docet Gutier. *in pract. lib. 1. quæst. 32. n. 2.* Afflictis *de constit. Siciliæ Regni Rub. 82. de salario aduocatis num.* 4. & patet ex nouis Ordin. Lusitaniæ *lib. 4. tit. 31. §. 1.* & hoc verum est, licet Azeuedo *leg. 2. num. 3 tit. 16. lib. 2. noua recopilationis,* & Menochius *de arbitr. casu* 223. teneant in iudice, & aduocato diminuto labore diminui salarium, & aucto augeri; quod improbabile omnino iudico, & contra mentem contrahentium, & communem praxim, vt optimè animaduertit Flores *lib. 1. var. quæst. 8. num. 51.*

Gutier. Afflict. Ord. Lusit. Azeued. Menoch. Flores.

37. Iis verò famulis, qui inseruiunt mechanicis magistris suis, vt eos suas artes edoceant, non debetur salarium; imò ipsi ex consuetudine salarium soluunt magistris, vt eos doceant. ita Molina *de iustit. tom. 2. disp 56. versic, Alterum est, alias num. 6.* Azor *tom. 3. Instit. moral. libro 8. cap. 13. quæst. 3.* Rebello *de oblig. iust. part. 2. lib. 14. quæst. 13. num. 2.*

Molin. Azor. Rebell.

Capvt XVI.

De obligatione fratrum in fratres, & sorores quoad alimenta, & dotem.

Svmmarivm

Fratres tenentur de iustitia fratribus, & sororibus extremè indigentibus alimenta præstare. numero 1.

Sororem vtrinque natam tenetur frater alere, & dotare competenter ad genus suum, si pauper illa sit. num. 2.

Idem de sororibus consanguineis, hoc est, ex eodem patre, & diuersa matre. num. 3.

An patruus teneatur dotare filiam fratris pauperem. num. 4. num. 4.

Quid de sororibus vterinis ex eadem matre, & diuerso patre. num. 5. tenentur eas fratres alere non dotare. ibid.

An teneantur eas dotare saltem pro modo, & ratione alimentorum. num. 6. & 7.

Quid si fratres sint hæredes matris, an tunc teneantur sorores vterinas dotare. num. 8.

An fratres minores teneantur sorores consanguineas, & vtrinque natas dotare alienando propria bona immobilia; & an ad hoc decretum iudicis requiratur. num. 9.

Quid si soror aliqua bona habens insufficientia ad dotem à Patre testamento legata. num. 10.

Si lis pendeat inter fratrem, & sororem circa dotem, alenda est interim soror pauper à fratre diuite, saltem dotis legato si ei ab aliquo relinquatur, vel etiam à patre. num. 11.

Quid si frater solum maioratum possideat, & non sit hæres patris. num. 12.

An quando fratres, & sorores dotem culpa sua amiserunt, teneantur fratres, & sorores diuites, eas adhuc alere. num. 13. & 14.

An in omnibus, in quibus fratres tenentur sorores dotare, possint apponere pactum, vt soluto matrimonio, dos iterum ad eos reuertatur, num. 15. Et quid si ex bonis communibus, & indiuisis dotent. ibid.

An fratres teneantur sorores pauperes dotare, quando fuerunt à patre exhæredatæ, num. 16. 22. An alere. num. 22.

Nunquam fratres tenentur sorores, & fratres suos dotare, nisi in defectum ascendentium. num. 17.

Quid si frater administret bona sororis, an tunc ex suis propriis teneantur dotare. num. 18.

Quid quando duo fratres habent bona communia, & vnus ex tota massa altero vidente filium dotat. num. 19.

Pater tenetur iterum dotare filiam viduam, quæ casu amisit dotem, non tamen frater sororem. numero 20.

An quisque teneatur dotare consobrinas suas. numero 21. & num 14

An filius teneatur dotare matrem pauperem, si velit nubere. num. 25.

Illvd imprimis præmittendum est fratrem fratri, vel sorori, & sorores item fratribus, & sororibus extremè indigentibus debere alimenta non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia, & pietate quadam naturali, vt docet Azor *tom. 2. lib. 11. cap 40. quæst. 1.* nam si exteris tunc subuenire tenentur, quanto magis fratribus, & sororibus? Similiter quando fratres bona non habent ex quibus conuenienter ad genus suum viuere possint in vtroque foro poli, & soli, tenentur fratres diuites eis alimenta præstare quibus honestè ad suum genus viuant: vnde si fratres egeni ad hoc implorent iudicis officium, tenetur iudex obligare fratres, & sorores diuites ad illos alendos, imò & dotandos conuenienter ad genus suum, vt iam incipimus explicare. 1.

Azor.

Prima conclusio. Sororem vtrinque natam, hoc est, ex eodem patre, & matre, tenetur frater diues alere. & dotare, si pauper illa sit, conuenienter ad genus suum in vtroque foro soli & poli. Est communis, & ita communiter Doctores, Barbosa *tom. 1. 4. part. l. 1. ff. soluto matrim. folio mihi 406. num. 125. ad finem.* Afflictis *lib. 3. const. Rubr. 14. num. 22.* Menochius *lib. 4. de præsumpt. præsumptione 189. num. 43. & consilio 81. num. 1.* Barthol. *ad legem, Cum plares 13 de administr tutorum §. finali.* vbi probat sororem vterinam, id est ex eadem matre, sed diuerso patre natam, non teneri fratrem diuitem dotare, significans è contrario teneri dotare ex eodem patre, & diuersa matre natam, & à fortiori vtrinque coniunctam; docet etiam Ripa *in l. non omnis C. de administ. tutor. num. 83.* Bolognet. *ibi num. 128.* Syluanus *consil. 12. num. 2.* Molin. *lib. 2. de primog. cap. 15. num. 60.* Lara *in l. Si quis à lib. §. Idem rescripsit num 92. ff. de lib. agnoscend.* Garcia *tract. de expensis cap. 3. num. 40.* Baldus Nouellus *in tract. de dote part. 6. priuileg. 16.* Campegius *tract. item de dote part. 1. quæst. 23.* Boërius *quæst. 129. num. 8.* 2.

Fratres vtrinque nati, hoc est, ex eodem patre, & matre, si sint diuites, tenentur dotare fratres & sorores pauperes.

Barbosa. Afflict. Menoch. Barthol. Ripa. Bologn. Syluan. Mol. iur. Lara. Garcia. Nouell. Campeg. Boërius.

Corra

Corral. R min. Palat. Cortasius *in l. Qui liberos num.* 116. *ff. de ritu nuptiar.* Riminald *consil.* 77. *num.* 7. & à nemine negatur. Solus Palat. *Rub. in repet. capitis, Per vestras. notabili* 3. §. 24. *num* 3. *fol. mihi* 230. ausus est dicere hanc conclusionem iure non probari; quia dicta tex. *Cum plures*, §. *finali*. tantùm probat id licitum, & honestum esse, non tamen obligatorium. Probatur primò in iure ex dicta lege. *Cum plures*, §. *Cum tutor. ff. de administ. tutorum*; & ex *l. Non omnis. ff. eodem*. Et ratio est. Primò, quia inter fratres consanguineos, & vtrioque natos arctissima est consuetudo, cùm illis omnia iura nominis, agnationis & familiæ sint communia.

Secundò, quia cum deficiunt ascendentes frater, vel soror vtrinque natus succedit fratri, vel sorori ex vtroque latere ab intestato; ergo in defectum ascendentium, hoc est auorum, & proauorum, frater, & soror diues tenebitur dotare, & alere fratrem, & sororem pauperem competenter ad genus suum; nam vt res se habet in iure quoad ius hæreditandi, ita & quoad ius dotandi, & alendi.

Tertiò, quia si frater, vel soror vtrinque nati in testamento suo hæredem instituant infamem iuris, vel facti, puta ebrium, periurum &c. præterito fratre vel sorore vtroque latere. coniunctis, huiusmodi fratres, & sorores præteriti habent querelam inofficiosi testamenti aduersus infamem institutum, nisi ipsi quoque laborent infamia, aut defuncto fratri essent ingrati & probata ea infamia, in iudicio eis adiudicabitur hæreditas, vt docent communiter Doctores Molin. Theolog. *tom* 1. *de iust. disp* 159. §. *Nihilominus*, Caldas Pereira *quæst. forensium consil.* 13. *num.* 4. Gomez *tom.* 1. *variar. resol cap* 1. *à num.* 37 & patet ex iure Lusitano *in no uo ordin. lib.* 4 *titulo* 90. *num.* 17. *in antiquis titulo* 4. & ex iure Castellæ *l.* 2 *tit.* 8. *part.* 6. & ex iure communi *inst. de inofficioso testamento, versu, soror autem, citato*, & ex *l. Fratris*, ac *l. Fratres C. de inoffi ciose testamenta*.

Mol. Theol. Pereira. Gomez. Lusit. Castellæ.

Quartò, quia frater potest alienare bona fideicommissi à patre suo, vel auo subiecta, vt dotem sorori pauperi constituat, quia si viueret pater, qui suo testamento constituit fideicommissum, teneretur omnino in vtroque foro hâc filiam suam pauperem dotare, & propterea moriens, & fideicommissum constituens, præsumitur noluisse constitutionem hanc dotis impedire, vt docet Menochius citatus *dicta præsump.* 189. & 38. *lib.* 4 *præsumptionum*; & probat lex *Mulier.* §. *Cum proponeretur. ff. ad Trebellianum*, & in specie, ita docuit Baldus *in Auth. res quæ n.* 17. & Corneus *n.* 3. ibi, & Cursius Iunior *n.* 17. qui asserit hanc esse communem opinionem, & expressè Molina *de primogen. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 3. & 6. cum aliis quos citat.

Menoch. Baldus. Corneus. Cursius. Molin.

3. *Quid si sint ex eodem patre & diuersa matre?* Secunda conclusio. Circa fratres, & sorores pauperes consanguineas tantùm, hoc est, ex eodem patre natas, diuersa tamen matre, idem est dicendum, atque de fratribus & sororibus vtrinque coniunctis; ac proinde teneri fratres, & sorores diuites in subsidium, & defectum ascendentium auorum, scilicet, & proauorum illas alere, & dotare competenter ad genus suum in vtroque foro poli, & soli. Ita expressè Molina Theologus *tom.* 1. *de iust. disput.* 159. §. *Nihilominus* Menochius *dicta lib.* 4. *de præsumptionibus præsumptione* 189. *num.* 4. Iason. *in Auth. res quæ, num.* 17. & 25. Baldus, Campegius, Boetius, Cortasius, & Riminaldus *num. præcedenti* allegati; & patet ex dicta *l. Cum plures*. §. *Cum tutor ff. de Administr. tutorum*; & id probant ex omnibus rationibus suprà factis pro prima conclusione; quæ omnes hic procedunt, & constat etiam ex his verbis dictæ legis *Cum plures, ibi*, §. *finali*. *Sed non dabit dotem sorori ex alio patre natæ, etiamsi ea aliter nubere non possit: nam si id faciat, & si honestè faciat. ex liberalitate tamen facit; non ex iustitia*; vbi ab hac obligatione dotandi ex iustitia, non tamen alendi, excluditur tantùm soror vterina, hoc est, ex diuerso patre, & eadem matre nata; non excluditur verò soror consanguinea ex eodem patre, & diuersa matre progenita; quia hæc cum sorore vtrinque nata in iure comparatur; & idem docet Bartholus ad dictam etiam leg. *Cum plures*, §. *finali*. vbi probat sorori vterinæ non teneri fratrem, vel sororem diuitem dotem dare; teneri verò illam alere, vt statim in 3. *conclusione* dicemus; significans, vt diximus *num. præcedenti*, teneri dotare consanguineam ex eodem patre, & diuersa matre. Idem tenet etiam Barbosa *tom.* 1. 4. *part. l.* 1. *ff. solut. matr. num.* 127. Fulgosius *consilio* 228. *num.* 3. Probatur primò, quia in fratribus, & sororibus consanguineis speciali modo considerantur in iure iura cognationis, sanguinis, & familiæ, vt patet ex *l.* 2. & *l. spurij ff. vnde cognati*; Ergo considerari etiam debet onus dotandi. Secundò, quia fratres, & sorores consanguinei succedunt ab intestato fratribus, & sororibus consanguineis. Tertiò, quia si à fratre, vel sorore consanguinea instituatur hæres persona infamis præteritis fratre, consanguineo, vel sorore; prædicti præteriti fratres habent querelam inofficiosi testamenti aduersus talem hæredem institutum, vt docent Molin. Theologus citatus, Caldas Pereira *in quæst. forens. consil.* 13. *num.* 14. & Anton. Gomez *tom.* 1. *var. cap.* 1. *à n.* 37. & ita intelligendæ sunt ordinationes Lusitaniæ, vt ait Molina, licet hoc in eis non exprimatur. Quartò, quia ob dotem sororis pauperis consanguineæ potest frater alienare bona fideicommissò à patre suo vel auo subiecta; vt docet Menoch. citatus post multos, quos ibi allegat, & hoc procedit, siue fratres diuites sint hæredes patris, siue non sint iuxta prædictos Doctores.

Barth. Barbos. Fulgos. Pereira. Gomez.

4. Solet etiam dubitari de patruo; an teneatur dotare filiam fratris. Et non teneri docet post alios Riminald. Iunior *consil.* 777. *num.* 6. & Menochius *l.* 4. *de præsumption. præsumption.* 189. *num.* 43. *ad finem*; & hac de re dicemus aliquid *num.* 21.

Reminald. Menoch.

5. *Quid si sint ex diuerso patre, & eadem matre.* Tertia conclusio. Sorores, & fratres vterini pauperes, hoc est, ex eadem matre, & diuerso patre nati, non tenentur fratres, & sorores diuites dotare competenter ad genus suum; tenentur tamen alere, nisi tamen sint hæredes bonorum matris; tunc enim non solùm alere, sed etiam dotare tenentur ad genus suum competenter, sicut tenebantur matres. Ita docet idem Barbosa *tom.* 1. 4. *part. l.* 1. *ff. solut. matr. num.* 127. Gregor. Lopez *l.* 16. *part.* 6. *versu, Las hermanas*; Azor *tom.* 2. *inst. moral. lib.* 2. *cap.* 40. §. *Quæres*. Colligitur ex Molin. *dicto tom.* 1. *de iust. disp.* 159. §. *Nihilominus*; tenet expressè Bathol. *l. Cum plures* 13. *ff. de Administ. Tutar.* §. *finali*. vbi probat, sorori vterinæ non teneri fratrem diuitem dotem constituere, quando matris hæres non fuit; tenet etiam Baldus Nouellus *in tract. de dote, part.* 6. *priuileg.* 16. Probatur ex *l. Cum plures, citata ibi*, §. *finali*. *Sed non dabit dotem sorori ex alio patre natæ; etiamsi ea*

Barbos. Greg Lop. Azor. Molin. Barth. Nouell.

ea aliter nubere non possit, nam si id faciat, & si honestè faciat, ex liberalitate tamen facit, non ex iustitia. Deinde probatur rationibus Primò, quia non nobis sunt de iure iura cognationis cum illis communia. Secundò, quia non competit illis querela inofficiosi testamenti aduersùs hæredem institutum infamem; si forte illis prætermissis, frater, vel soror vterina illum instituit, vt expressè do-
Mol. Theol. cet Molina Theologus *tom. 1. de iust. disput. 159. dicto §. Nihilominus*; & alij quos citat. Tertiò, quia non potest frater, vel soror vterinus alienare bona sibi à patre, vel auo fidei commisso tra-
Menoch. dita ad illos dotandos; vt optimè docet Menochius *lib. 4. de præsumpt. præsumptione 189. n. 42. 43. & 44.* Quartò, quia fratres, & sorores vtrinque coniuncti excludunt ab intestato vterinos tantùm; imò & filij fratrum, & sororum, vtrinque coniunctorum, excludunt ab intestato, fratrem ex eadem matre & diuerso patre, vt optimè
Molin. probat Mol. *tom. 1. de iust. disp. 164. §. septima conclusio, pag. mihi 641.*

6. Sed dubitabis, an frater vterinus teneatur saltem pro ratione alimentorũ dotare sorores, & fratres vterinos, sicut tenetur alere, nihil eis amplius pro dote constituendo, nisi id quod aliqui plus minusve, in eorum alimentis insumpturus erat?
Greg. Lop. Molin. Campeg. Boërius. Tiraq. Affirmat Gregorius Lopez *l. 18. titul. 16. part. 6.* Molin. *lib. 2. de primog. cap. 15. num. 62.* & id docet etiam Campegius *de dote 1. part. quæst. 23.* Boërius *decision. 129. num 9.* Tiraquel. *de primog. quæst. 62. ad finem*; quamuis hi tres posteriores absolutè defendant teneri fratres dotem statuere sororibus vterinis: tamen Barbosa illos explicat, vt teneantur non absolutè, sed pro ratione alimentorum. Probant, quia hoc non est dotare simpliciter secundùm dignitatem, & facultates suas competenter ad genus suum; sed pro modulo, & tenuitate alimentorum; bene enim valet argumentum de alimentis ad dotem, & de dote ad alimenta; vt passim communiter Doctores asserunt, & in iure nomine dotis veniunt etiam alimenta, vt alibi docuimus. Vnde in iure valet hoc argumentum, tenetur alere, ergo tenetur dotare pro ratione alimentorum.

7. Secunda opinio, & verior, affirmat non teneri fratres diuites sorores vterinas pauperes dotare, nec pro modulo alimentorum. Ita docet do-
Barbos. ctissimus Barbosa *4. part. l. 1. ff. solut. matrim. tom. 1. num. 126. fol. mihi 406. col. 2.* Neque obstat ratio adducta in contrarium; quia in hoc negotio non valet argumentatio ab alimentis ad dotem, cùm habeamus textum expressum quòd fratres non teneantur dotare sorores vterinas in *d. l. Cum plures, §. finali. ff. de administ. tutorum,* ibi: *Sed non dabit dotem sorori ex alio patre natæ etiamsi ea aliter nubere non possit.* Et ratio à priori est, quia alimenta præstantur dietim, & menstruatim, aut ad summum annuatim; dos verò præstatur simul, & vno cumulo; & sic in dote agitur de maiori præiudicio, vt colligitur ex *l. Tutor 14. §. finali, ff. de administr. tutorum*; hæc est enim natura dotis, vt simul proferatur, & constituatur. Vnde non valet argumentatio ab alimentis ad dotem, valet tamen de dote ad alimenta, hæc enim est bona; tenetur dotare, ergo tenetur alere. hæc tamen non est bona; tenetur alere, ergo tenetur dotare, quia in dote agitur de maiori præiudicio, quàm in alimentis; dos enim datur simul & vno cumulo, alimenta autem dantur dietim, aut annuatim, vt patet.

8. Dixi in hac vltima conclusione; *nisi tamen sint hæredes bonorum matris*, quia frater ad alendam, vel dotandam vxorem vterinam duplici modo conueniri potest; vel tanquam hæres matris, vel tanquam frater vterinus: si primo modo conueniatur, certum est teneri eam dotare, & alere prout tenebatur, vt patet ex *l. 2. §. Ex his. ff. de verborum oblig.* & docet Barbosa *tom. 1. 4 part. legis primæ ff. solut. matrim. num. 127. initio. fol. mihi 407. col. 1.* Et probatur, quia ea obligatio erat imposita rebus non personis, ac proinde ea bona cum suo onere transierunt ad fratrem hæredem; vt habetur expressè *in cap. Cum haberet, de eo qui duxit in vxorem*, &c. Et tenet Panormitanus *consil. 115. init. lib. 2.* & alij, quos citat, ac sequitur Molin iurisconsul. *lib. 2. de primog cap. 15. num. 42.* Si secundo modo conueniatur, id est, tanquam frater, solùm tenetur alere, & non dotare; sicut enim frater tenetur alere sorores naturales tanquam frater, vt constat ex Authent. *licet. C. de naturalibus lib.* & docet Barthol. *l. Si quis à liberis, num 5. ff. de liberis agnoscend. & l. finali, num. 2. C. de alendis, lib. 6.* & Roland. *consil. 54. num. 48. lib 1.* à fortiori sororem vterinam tenebitur alere, vt arguit Fulgosius *consilio 128. num. 3.* Barbos. Panorm. Molin. Barthol. Roland. Fulgos.

Et verò prima, & secunda conclusio, adeo extendendæ sunt, vt fratres tanquam fratres teneantur dotare sorores consanguineas, & vtrinque natas etiamsi prædicti fratres minores sint: nam ex causa dotandi prædictas sorores poterunt illi licitè, & validè alienare bona etiam immobilia, vt docet expressè Barbosa allegatus *num. 128. paulo infra medium, dict. tom. 1 fol. 407. mihi, col. 2.* Et colligitur ex mente legis, *Cum plures 13. §. finali, ff. de administr. tutorum*, & est expressum *l. 18. tit 6 part. 6.* neque aduersus hanc alienationem, aut dotis promissionem est postea concedi-tur restitutio; quia cum iure communi fuerit visus, cessat restitutio *l. finali, C. de in integ. restitut.* & *l. Inter eos 52. §. Cum inter, ff. de fideiussor.* & ita in terminis docet etiam Ruinus *consilio 100. num. 4. lib. 1.* nam quamuis Panormitan *consil. 12. col. vltima, lib. 1.* exigat iuramentum, vt minor à restitutione excludatur, tamen, vt optimè explicat Barbosa *num. 129.* hoc intelligendum est, quando soror dotanda, erat diues, haud frater iure non esset obligatus illam dotare Cum enim tunc iure communi visus non sit, poterit aduersùs promissionem dotis restitutionem impetrare, nisi iuramentum interueniat: secus si soror erat pauper, quia tunc iure communi visus est. Animaduertendum est tamen ad validitatem alienationis bonorum immobilium pro dote sororis pauperis requiri decretum iudicis; nam si illud requiritur quando alienantur pro dote ipsius minoris leg *Lex quæ tutores, C. de administ. tutorum,* à fortiori illud requiretur, quando prædicta bona alienantur pro dote aliena, vt docet Barbosa *tom. 1. 4. part. l. 1. ff. solut. matrim. num. 129 fol. mihi 408 col. 1. fine.* Si autem sola mobilia dentur in dotem, non requiretur decretum iudicis; sed solus minor ea potest dare, vt ibidem dicit Barbosa. 9. Barbos. Ruinus. Panorm. Barbosa.

Procedit etiam prædicta prima, & secunda conclusio in eo casu in quo pater relinquat filiæ in testamento dotem aliquantulam; nam cum hoc legatum ei non sit præstandum nisi post contractas nuptias, vt decernitur in l. *Item quia, §. 1. ff. de pactis*, interim alenda est soror pauper à fratre; neque propter alimenta præstita legatum dotis in aliquo minui debet, vt est textus expressus 10.

in

Cassan. Barbos.

in l. *Qui filium*, *ff. vbi pupillus educari debeat*, & id probat Cassanæus *de consuetud. Burgundiæ, rubr.* 1. §. 12. *verbo*, *Viuant*, *num.* 3. & Barbosa citatus *num.* 129. *ad finem.*

11. Imò etiamsi fortè lis pendeat inter sororem & fratrem super dotem constituendam, interim soror à fratre alenda est saluo doris legato *l. Si instituta*, §. *de inofficioso*, *ff. de inoff. testam. l. finali, de ordin. cognit.* & ita docet Afflictis *decisione* 11. Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 16. *num.* 36. Barbosa citatus *dict. num* 129.

Afflict. Molin. Barbos.

12. Dubium tamen est, vtrum frater solum maioratum possidens ex fructibus illius teneatur sorores consanguineas, & vtrinque natas pauperes dotare competenter ad genus suum. Et affirmandum est sine dubio. Ita Baldus *cap.* 1. *de successione feudi*, *num.* 8. *initio*, Tiraq. *tractat. de primog. quæst* 62. *num.* 1. Barbosa *tom.* 1. 4 *part. l.* 1. *ff. solut. matrim. num.* 129. *fine*, *fol. mihi* 408. *col.* 2. & Suarez *l. Quoniam*, *in priorib. limitat* 2. *ad leges Regni*, *num.* 10. *C. de inoff. testament.* & quamuis idem Suarez hoc restringat quando sorores sunt descendentes illius, qui maioratum instituat, verius tamen est iuxta Barbosam & prædictos Doctores hoc generaliter procedere; & id tenet etiam Molin. *lib.* 3. *de primog. cap.* 15. *num.* 59. asserens ita sæpe fuisse iudicatum; quia non tenetur frater dotare sorores inopes ex eo quòd bona maioratus sint obnoxia huic oneri, sed ex charitate quadam sanguinis, vt probat idem Barbosa allegatus, ac proinde non poterit eum soror conuenire tanquam hæredem; sed tanquam fratrem.

Bald. Tiraq. Barbosa. Suarez. Molin.

13. Procedunt rursus prædictæ conclusiones, vt frater diues teneatur alimenta vitæ necessaria præstare fratri, & sorori pauperi, etiamsi culpa sua amiserint bona propria à patre sibi pro legitimis suis tradita, ex quibus alioquin commodè sustentari potuissent, si non dilapidassent; nam quamuis culpa sua in egestatem deuenerint, nihilominus tamen indigent, & non habent vnde viuant. Ita Azor. *tom.* 1. *de inst. moral. lib.* 2. *c.* 4. *quæst.* 3. & Panormitan. *tract. de alimentis, cap* 10. *num.* 1. Ioannes Andreas, & alij quos ipse Panormit. allegat, maximè quia hæc obligatio adnexa est iuri sanguinis, quod non amittunt cum culpa sua in egestatem deueniunt.

Azor. Panorm. Ioan. Andr.

14. Rogabis etiam, an soror quoque diues teneatur alere fratres & sorores inopes, & dotare iuxta superiùs dicta. Et respondendum est affirmatiuè ex regula correlatiuorum, & ita Barbosa *tom.* 1. 4. *part. l.* 1. *ff soluto matrimon. fol.* 411. *num.* 133. & Paul. de Castro *lib.* 1. *consilior. consil.* 435. *num* 4.

Barbos. Castro.

15. Maius dubium est, an in eo casu, quo fratres tenentur dotare sorores pauperes consanguineas, & vtroque latere coniunctas, possint apponere pactum quod mortuis sororibus ad illos transeat dos, si non habeant liberos? Respondeo si ex bonis communibus, & ex legitima sorori contingenti illam dotent, non posse, & si illud apponatur, non valere pro ea parte dotis ex legitima sorori contingenti. Ratio est, quia cum tunc ex obligatione dotent, succedit regula legis, *Si arrogator, ff. de adoption.* vt post Bald. Nouellum docet Barbosa *tom.* 1. 4. *part. l.* 1. *ff. soluto matrimon. num.* 135. *prope finem*, & Greg. Lopez *l.* 15. *tit.* 11. *part* 4. *glossa finali*. Deinde, quia tunc dos succedit loco legitimæ; vnde cum per prædictum pactum soror dotata excludatur à sua legitima, non potest apponi tale pactum.

Barbosa. Greg Lop.

Dices, Pater potest deducere in pactum, vt dos, quam dedit filiæ, sibi restituatur soluto matrimonio si sine liberis discedat, vt patet *in l. Quoties* 30. *ff. soluto matrim.* ergo & frater. Respondeo cum Barbosa citato esse diuersam rationem; pater enim potest id facere, quia tenetur filiam dotare iterum, si ad paupertatem venerit, post viduitatem; quamobrem pactum in dote poterit apponere, vt soluto matrimonio si filij non remaneant, dos ad se iterum reuertatur. At fratres non tenentur sorores iterum dotare, vt statim videbimus *num.* 19. ac proinde non possunt tale pactum apponere nisi pro ea parte qua ex bonis propriis sororem dotarunt, vt docet Paulus de Castro *consilio* 351. *lib.* 1. & Barbosa citatus. Castro.

16. Illud tamen obseruandum est primò, non teneri fratres sorores pauperes dotare, quando fuerunt à patre exhæredatæ ritè, ac debitè, quia cum pater propter iniuriam sibi irrogatam ab onere dotandi filias ingratas liberetur, eadem ratione censeri debent ab eo onere liberi esse filij, & filiæ ditiores erga fratres, & sorores, iniuria enim facta parentibus, filüs quoque imò & toti familiæ fit, vt patet ex *l. Corn. ff. de iniurijs*, & hoc expressè tenet Barbosa suprà citatus *n.* 135. Neque obstat quòd ius canonicum leges ciuiles abrogauerit per quas patresfamilias poterant filias, & filios exhæredare, nam solùm illas abrogauit in matrimonij fauorem, in eo casu, quo filiæ contra patris voluntatem, vel matris, defuncto patre nupserit, & in aliis casibus non abrogauit, vt suprà iam diximus.

17. Obseruandum est secundò, non teneri fratres sororibus egenis dotem constituere nisi in subsidium, & in defectum patris, matris, aui, vel auiæ, aut alterius ascendentis; si enim ascendentes habeant, & possint, ad illos hæc obligatio spectat primò, & ad fratres in defectum illorum. Ratio est, quia hi præferuntur fratribus in successione; vnde ita etiam subire primò onus dotandi & alendi debent, vt docent Molin. *lib.* 2. *de primog cap.* 15. *aliàs* 10. *num.* 68. & Barbosa citatus *num.* 138. Molin. Barbos.

18. Obseruandum est tertiò, si frater administret bona sororis, non teneri illam ex suo dotare; nam cum soror tunc bona habeat, non cogetur frater eam dotare ex suis propriis, & cum sit administrator bonorum sororis, magis debet censeri dotasse ex bonis illius, quàm ex propriis *l. Cum post* 44. *ff. de administ. tutor.* §. 1. & docet Barbosa citatus *num.* 138. quod sanè videtur intelligendum, quando sororis bona sunt separata à bonis fratris, & ab eo separatim administrantur; nam si bona sint communia & indiuisa, & ex illis dos constituatur, videtur frater habuisse animum donandi sorori partem ipsi contingentem iuxta regulam *legis vnicæ*, §. *Accedit*, *C. de rei vxor. actio.* & Paulo de Castro *consil.* 351. *num.* 16. *lib.* 1. & ita Bald. *l. finali*, *num.* 12. & ibi Salicetus *C. de dotis promiss.* & Menochius *de arbitr. iud. casu* 88. *num.* 48. & Barbosa *tom.* 1. 4. *part. l.* 1. *ff. soluto matrim. num.* 138. *fol. mihi* 414 *col.* 1. licet aliquantulum repugnet prædictus Paulo de Castro; & facit pro hac parte id quod tradit Albericus *l. finali*, *in fine. C. de dotis promission.* quòd frater simpliciter dotando sororem in dubio ex bonis propriis videtur eam dotare, & non ex bonis sororis tantùm.

Barbos. Castro. Bald. Salicet. Menoch. Barbos. Alberic.

19. Imò si duo sint fratres habentes bona communia, & indiuisa, & alter sciat & patiatur alterum dotare propriam filiam ex bonis communibus

Barbosa. Campeg. Decius. Ant. Gabr.

nibus; pro parte sua videtur donasse consobrinæ dotatæ *argum. l. si seruus communis, C. de donat. inter virum & vxorem*, vt docet Barbosa allegatus; Campegius *de dote 1. quæst. 20.* Decius *consil. 66. col. penult. ad finem, & consil. 68. num. 4.* & multi alij, quos refert ac sequitur Anton. Gabriel *lib. 3. commun. opin. tit de iure dotium, conclus. 2. num. 5.* Neque obstat quod tacens non debet videri habere animum donandi. *argument. l. cum de indeb. C. de probat.* vt in simili tradit Paulus de Castro *cons. 96. ad finem, lib. 2.* quia id non procedit quando aliquis patitur rem suam donari coniuncta personæ, & in parua quantitate; his enim duobus concurrentibus præsumitur donandi animus; vt tradunt And. Siculus *consil. 16. num. 19. lib. 2.* Purpurarius *l. cum quid, num. 127. C. si certum petatur.* Cladius *l. qua dotis, num. 24. ff. eodem.*

Quando præsumatur animus donandi. Sicul. Purpur. Cladius.

20. Obseruandum est quartò, quòd licet pater teneatur iterum dotare filiam viduam, quæ casu amisit primam dotem, ex eo quod simpliciter sit obligatus illam dotare; & non in subsidium alterius iuxta dispositionem iuris; quæ dispositio nunquam intelligitur de prima vice, vt post multos habet Barbosa *dicto tomo 1. 4 part. l. 1. ff soluto matrimonio, fol. mihi 415. col. 1.* & Imola *l. si cum dotem, §. 1. ff. eodem*, & Socinus *consil. 5. num. 7. l. 4.* Frater tamen qui semel sororem dotauit, neque in foro conscientiæ, neque in foro externo obligatur, aut cogi potest iterum sororem dotare, in vtroque tamen tenetur alere. Et ratio diuersitatis est; quia ideo pater tenetur filiam iterum dotare, si amissa prima dote in paupertatem deuenerit, quia iuxta regulas iuris ordinarias tenentur patres filias dotare: at fratres tenentur tantùm sorores dotare iuxta regulas iuris extraordioarias, & in subsidium, ac defectum patris, & ascendentium, vt optimè notauit Petrus Barbosa allegatus.

Barbos. Imol. Socin.

21. Animaduertendum tamen est, quòd quamuis frater teneatur sorores dotare, non tenetur tamen dotare consobrinas filias sororis, aut fratris; quia id in iure expressum non est, & quia sororem vterinam non tenetur dotare, vt supra probauimus *conclusione 3. num. 5* & à fortiori neque consobrinas; quæ ei manent in remotiori gradu, vt diximus *num. 4.* cum Menochio, & aliis. Imò neque alimenta consobrinis præstare tenentur, ita vt ad id possint iure cogi; quia id etiam in iure dispositum non inuenitur, vt post alios resoluunt Costa *l. 2. selectarum cap. 20. num. 2.* Garcia Galleeus *tract. a. de expens. cap. 3. num. 35.* Barbosa citatus *num. 142.* Molina *lib. 1. de primog. cap. 15. num 67.* Neque repugnat textus in capite primo *de cohabit. clericor.* vbi sobrious clericus iubetur alere amitam; non enim ea ratione iubetur id facere, quia amita erat, sed quia pauper erat; & quia clericus ex redditibus Ecclesiasticis tenetur subuenire pauperibus, maximè consanguineis *capite, Non satis. dist. 50.*

Costa. Garcia. Barbos. Molin.

22. Diximus *num. 16.* non teneri fratres dotare sorores pauperes exhæredatas à patre ob delictum aliquod præter matrimonium ab eis contra voluntatem parentum contractum. Rogabis modò an saltem illas teneantur alere si pauperes sint, & extremè indigeant. Respondeo affirmatiuè. Fundamentum est, quia etiam in hoc casu pater hæc alimenta præcisè ad vitam necessaria illis præstare tenetur, vt alibi diximus & frater tenetur hoc facere in subsidium patris, & in defectum illius. Ita Azor *tom 2. Inst. moral. lib. 2. cap 40. q 4* & Pontanus *tract. de alimentis cap. 10. num. 1.* Si tamen frater sorori aliquid dedit nomine alimentorum; & illa culpa sua id dissipauit, non tenebitur ampliùs ei alimenta præstare; nisi quatenus tenetur alteri proximo in extremis constituto, vt concludit Salicetus *l. 2. in fine, C. de alendis lib.* & Lara *l. Si quis à liberis §. Idem rescripsit num. 101.* quia frater non tenetur sororem alere, nisi in subsidium & defectum patris, & ascendentium, & iuxta regulas extraordinarias iuris; & ideo sufficit si semel & prima vice alimenta ei conuenientia assignauerit iuxta ea quæ diximus de dote *num. 20.* quod probat, & docet Barbosa *dicto tom. 1. 4. part. l. 1. ff. soluto matrim. num. 141. fol. mihi 415. column. 2.*

Azor. Pontanus. Salicet. Lara. Barbosa.

Rogabis tamen, an filius teneatur dotare matrem inopem, si velit nubere. Respondeo negatiuè, nam quamuis ei debeat alimenta, non tenetur tamen eam dotare, neque pro ratione alimentorum, cum per nouum matrimonium ipse filius quodammodo afficiatur iniuria, & ideo non erit cogendus eam dotare; quamuis cogendus sit alere. Ita Barbosa *tom. 1. 4. part. l. 1. ff. soluto matrim. fol. mihi 413. num. 136. fine, post multos & multa in a.* 23.

Barbosa.

Capvt XVII.

An frater clericus teneatur dotare sorores, filios, & filias proprias pauperes, quos forte habet, ex fructibus beneficij.

Svmmarivm.

Clerici beneficiati tenentur in vtroque foro sorores pauperes suas competenter alere ex fructibus beneficij in defectum bonorum patrimonialium, & filios item, ac filias suas spurias. num. 1.

Possunt dotare si velint, non tamen tenentur. numero 2.

Valet argumentatio de dote ad alimenta; non tamen de alimentis ad dotem. num. 3. & num. 9.

Alimenta dantur diesim, dotes vno cumulo. ibid.

Refertur, & reijcitur opinio asserens teneri eas dotare pro modo, & ratione alimentorum. num. 4. & 9.

Non tenentur in dote apponere pactum, vt soluto matrimonio dos ad Ecclesiam reuertatur. numero 4.

An liceat clericis ex fructibus beneficij dotare sorores, & fratres etiam spurios, & spurias alere. num. 6.

Quid sit coitus damnatus. num. 7.

Pius V. reuocauit licentias, & facultates concessas prælatis clericis, & beneficiatis ad testandum, & dotandum de fructibus beneficij. num. 8. *Non reuocauit præstationem alimentorum, & ea quæ sunt de iure naturæ.* num. 8.

An clerici & beneficiati teneantur dotare filios, & filias, & sorores pro ratione alimentorum. num. 9.

Negatiuè resoluendum est. ibid.

Quid si non dotent, & pudicitia sororum, aut filiarum periclitetur. num. 10.

An alimenta præstanda sint spectata solum indigentia naturæ, an competenter ad genus, & diuitias. num. 11.

Resoluitur, præstanda esse etiam filijs & sororibus

spurijs spectatis diuitijs, dignitate, & facultate patris, vel fratris. *num.* 12. & 13.

1. DICENDVM est primò teneri clericos, & beneficiatos in vtroque foro sorores suas pauperes, filios, & filias proprias alere ex fructibus, ac redditibus beneficij conuenienter ad genus suum, & ad id iure cogi posse in foro externo. Ita docet expresse Glossa *in cap. Omnino, dist.* 31. Abbas *in capite, Peruenit, de arbitris*, Angel. *verbo, Clericus, quæst.* 13. *num.* 11. Syluest. *verbo, Clericus, quæst.* 15. Azor *tom.* 2. *Inst. moral. lib.* 11. *cap.* 40. *quæst.* 5. & ita necessariò docere debent omnes authores, qui dicunt teneri quoque in vtroque foro eos dotare de iisdem fructibus, & hi sunt Barbosa *tom.* 1. 4. *part. l.* 1. *ff. soluto matrim. num.* 132. *anno* 1616. *mihi* 410. *col.* 1. Garcia Gallec. *tract. de expens. cap.* 3. *num.* 36. & Nauarr. *de spol. clericorum* § *vltimo num.* 11. & 12. & Lara *l. si quis à liberis*. § *Idem rescripsit num.* 96. & alij. Et ratio est, quia fructus beneficij in vsus pauperum expendi debent, & alioquin lex charitatis potius nos ad consanguineos, quàm ad extraneos in æquali necessitate obligat. Oppones in *cap. Peruenit* 1. *quæst.* 6. dici grauius esse peccatum cum ex bonis Ecclesiæ aliquid consanguineis damus, quàm extraneis. Respondeo id locum habere cum Episcopus, aut quilibet alius beneficiatus aliquid consanguineis diuitibus elargitur, & ad eos potiùs ditandos, quàm alendos & sustentandos cum pauperes non sint. Hæc de alimentis.

Glossa. Abbas. Angel. Syluest. Azor. Barbosa. Garcia. Nauar. Lara.

2. De dote sic statuo: posse fratres, & patres clericos, & beneficiatos tuta conscientia si velint, sorores, & fratres suos, filios & filias suas etiam spurias pauperes dotare ex iisdem fructibus beneficij, non tamen ad id teneri in foro aliquo nec interno, nec externo. Ita docet Panorm *in cap. Peruenit, de arb. n.* 1. & 5. & facit pro hac parte *cap.* 1. *de cohabitatione cler. & mulier* & ibi glossa *verbo, subministrent.* & caput, *Non satis, dist.* 86. & Azor *tom.* 2. *Inst. moral. lib.* 11. *cap.* 40. *quæst.* 6. & Vasquez *de successione creat. lib* 2. §. 10. *num.* 314. vbi latè probat dotem non succedere loco alimentorum; sed huiu modi Authores ex diuersis fundamentis hoc defendunt; nam fundamentum Panormitani est, quia hoc casu dos præstatur titulo eleemosynæ, solùm hoc titulo fratres clerici, & beneficiati sorores suas pauperes, fratres, filios, & filias in defectum bonorum patrimonialium dotare possunt ex fructibus beneficij; vnde necessaria est consequentia quòd ad hoc cogi non possint, nam extra casum extremæ necessitatis committitur arbitrio eleemosynam facientis; cui potius velit eleemosynam præstare; eleemosyna enim est voluntaria, & non coacta quoad electionem personæ seclusa extrema necessitate, & cæteris paribus: quamuis enim Episcopi, & Prælati Ecclesiastici teneantur eleemosynam dare; tamen extra casum extremæ necessitatis & cæteris paribus voluntaria est electio personæ, cui eleemosyna facienda est, vt docet D. Thom. *quodlib* 8. *art.* 13. Caietan. 2 *tom. tract.* 5. *cap.* 3. & Socinus Iunior *n* 200. additio Capellæ Tholosanæ *quæst.* 189. *ad finem.* Fundamentum Azoris est, quia dos succedit etiam loco alimentorum. Vnde si tenentur alere, tenentur etiam pro modo alimentorum dotare; sed hoc fundamentum probat teneri, & non probat posse tantùm, & non teneri.

Panorm. Azor. D. Thom. Caiet. Socin. Tholos.

3. Quamobrem fundamentum Panormitani est melius, ac firmius; & fundamentum Azoris facilè potest impugnari ex doctrina suprà tradita; tum quia non valet argumentatio ab alimentis ad dotem; valeat tamen de dote ad alimenta; eum alimenta dictum præstentur, annuatim, aut menstruatim; & sic facilius præstentur; dos verò vno cumulo constituitur: & sic in dote agitur de maiori præiudicio dotantis, tum quia dos primariò datur ad sustentandam familiam, secundariò ad sustentationem vitæ; alimenta verò semper dantur, & solùm dantur ad sustentandam vitam conuenienter ad genus tantùm; quamobrem est diuersa ratio in dote, & alimentis. Dicendum igitur est posse fratres clericos, & beneficiatos si velint, dotare sorores & fratres, filios, & filias suas pauperes ex fructibus beneficij in subsidium & defectum bonorum patrimonialium, non tamen ad id teneri; solùm enim tenentur alere non dotare.

4. Contraria tamen opinio, quæ docet non solùm posse si velint eas dotare; sed etiam ad id teneri in vtroque foro in defectum bonorum patrimonialium; est communior, & plures habet authores; sed aliam iudico probabiliorem, quam tenet expresse Barbosa *tom.* 1. 4. *part. l.* 1. *ff. soluto matrim. num.* 132. *fol. mihi* 410. *col.* 1. Butrius *in capite, Peruenit. de arbitr. num.* 2. Imola *ibi num.* 1. Garcia Gallecus *tract. de expensis cap.* 3. *num.* 36. Et id probant primò ex dicto capite, *Peruenit*, & ex *l. Cum plures* 13. §. *finali ff. de administr. Tutor.* Cuius dispositio est generalis, & omnes fratres debet comprehendere etiam clericos; sed etiam comprehendit generalis dispositio legis *Promittendo* 41. *in initio. C. de iure dotium*; vbi disponitur, fratrem clericum promittentem dotem sorori, teneri eam in subsidium & defectum bonorum patrimonialium ex fructibus beneficij persoluere. Sed ex dicto capite, *Peruenit*. nihil colligitur contra nostram doctrinam; quia ibi tantùm dicitur fratrem clericum sponte sua dotasse sororem, non tamen dicitur dotasse initum, aut obligatum fuisse ad dotandum; postquam autem liberè & sponte dotauit, iustissimè potuit obligari ad soluendam dotem promissam ex fructibus beneficij in defectum bonorum patrimonialium. Neque lex, *Cum plures*, clericos comprehendit expresse, cum clerici, & eorum bona Ecclesiastica effugiant dispositionem iuris ciuilis, nec ius ciuile absque Papæ facultate de bonis Ecclesiasticis disponere potest, quales sunt beneficij fructus.

Barbosa. Butrius. Imola. Garcia.

Quare absolutè dicendum est posse fratres clericos ex prædictis beneficij fructibus dotare sorores pauperes, filios, & filias suas spurias, non tamen ad id teneri, nec teneri etiam apponere pactum in dote, vt soluto matrimonio dos ad Ecclesiam reuertatur; quia prædicta dos datur titulo eleemosynæ, quæ cum datur, absolutè datur, & non sub conditione reuertendi ad dantem si accipiens emoriatur, vel viuus redeat ad meliorem fortunam, posse tamen illud apponere si voluerint. Et ratio est, quia clerici possunt dotare ex fructibus suorum beneficiorum, & hæredes instituere quoscumque alios pauperes sine appositione talis pacti; ergo & sorores proprias, & filios, & filias suas, quando pauperes sunt; neque enim ex eo quod consanguinitate sint propinqui, peioris fiunt conditionis, quàm reliqui pauperes; & hæc est opinio Panormitani *num.* 2. allegati. 5.

Maius dubium est, an liceat Clericis ex fructibus beneficij dotare sorores, & fratres spurios & spurias ex coitu legibus damnato ex iure antiquo, & communi. Et imprimis loquendo simpliciter 6.

citer

citet de alimentis dico non solùm posse, sed etiam teneri eos alere; & posse ad id obligari pro vtroque foro. Loquendo verò de dote, dico posse id licitè efficere si velit, non tamen ad id teneri; neque ad id posse obligari in aliquo foro. Ita

Azor. Curtius. Panorm.

Azor. *tom. 2. inst. moral. lib. 7. cap. 1. quæst. 10. & lib. 11. cap. 4. quæst. 7.* & Curtius *de iure patronat. verbo, Honorifice, num. 13.* & Panor. *in cap. Peruenit, de arbitr.* & Syluest. *verbo, Clericus 4. q. 14.* & Palæotus *de nothis, & spuriis filys, cap. 46. n. 6.*

Syluest. Palæot.

nam licet ius ciuile id negauerit filiis spuriis, & ex coitu damnato, vt constat ex Authent. *Ex complexu. C. de incest. nupt.* & Authent. *quibus modis naturales efficiantur liberi, §. vltimo,* & Authent. *licet Patri. C. de natural. lib. ad finem*; & ostendit Azor. *tom. 2. lib. 2. cap. 4. quæst. 4.* ius tamen canonicum æquiùs iudicauit hac in re; quam æquitatem iam hodie iudices ciuiles ordinariè sequuntur teste eodem Azor. *tom. 2. lib. 2. cap. 4. quæst. 7. §. At verò.* & constat ex cap. *Cum haberet, de eo qui duxit in vxorem eam, quam polluit per adulterium,* & cap. *Per venerab. in fine, qui filij sint legitimi*: & ex Glossa *in prædicto cap. Cum haberet.* Et ratio est, quia alimenta sunt simpliciter ad vitam necessaria, & hæc iure naturali, non æquitate tantùm quibuslibet filiis etiam spuriis debentur, nec possunt minui, aut potestate humana tolli, vt probat Couarr. *in epitome 2. part. cap. 8. § 6. num. 7.* Vnde meo iudicio ius ciuile non priuat simpliciter spurios istis alimentis ad vitam necessariis, sed aliis lautioribus ad honestatem familiæ, & sic respondet Azor. citatus.

Couar.

7\. *Quid sit coitus dānatus.* Coitus autem damnatus non est qualecumque peccatum in re fornicaria, sed coitus, & copula vel inter personam, aut personas adulteras, aut habentes impedimentum dirimens, vel impediens, consanguinitatis, affinitatis, vel voti castitatis simplicis, aut solemnis, vel sacros ordines. Itaque filij spurij, seu ex coitu damnato, illi dicuntur in iure, qui sunt ex adulterio, & quorum patres, vel matres habent hæc impedimenta ad contrahendum.

8\. Hæc procedunt de iure canonico antiquo, nunc verò, an id interdictum sit clericis constitutione noua Pij V. quæ incipit; *Quæ ordini Ecclesiastico*, est dubium; nam ibi Summus Pontifex reddit in clericis omnes licentias, & facultates irritas, priuilegia, dispensationes, & donationes, siue inter viuos, siue causa mortis, testamenta, & alia huiusmodi in quoscumque illegitimos, siue proprios, siue externos facta. Respondendum tamen est, noluisse Summum Pontificem per hæc verba iuri communi derogare; quod præscribit, vt filiis, & sororibus etiam spuriis alimenta præstentur, quæ sunt de iure naturæ; sed voluisse tantùm abrogare aliquas speciales licentias, & facultates concessas aliquibus Prælatis, Clericis & personis Ecclesiasticis testandi, aut donandi aliquid de fructibus, & redditibus beneficij. Neque etiam voluisse illis interdicere constitutionem dotis titulo eleemosynæ & pro modo alimentorum. Ita respondet Azor. *tom. 2. inst. moral. lib. 1. cap. 11.* & Nauarrus *in tractatu de spolijs clericorum, §. 19. num. 9. 10. & 11.* & est communis responsio, quam etiam tradit Barbosa *tom. 1. 4. part. l. 1. ff. soluto matrim. num. 65.*

Azor. Nauar. Barbos.

9\. Tradidi doctrinam, quam veriorem iudicaui: quamuis Petrus Barbosa modò citatus, & Barthol. *in Auth. ex complexu, C. de incest. nupt. & l. Meum, §. Duorum, num. 18. ff. de legatis 2. & l. finali, num. 7. C. de his quibus, vt indign.* & Berois

Barthol. Berois.

quæst. familiar. 127. & Couarr. *de sponsal. 2. part. cap. 8. § 6. num. 11.* & Gama *decis. 149. num. 7.* & Roland *consil. 85. num 4. lib. 3.* & Molin. *lib. 1. de primog. cap. 15. num. 45.* & Matienso *l. 8. tit. 8. lib. 5. ordin.* existiment teneri quoque patres clericos non solùm filiis, & filiabus spuriis, sed etiam fratribus, & sororibus dotem dare pro modo, & ratione alimentorum ex fructibus beneficij, & id probant ex fundamento suo tacto in *num. 4.* quod iam solutum manet. Nam licet pater teneatur alere filium, & filiam spuriam, & frater sororibus item spuriis alimenta præstare competenter ad genus suum, non ob id sequitur teneri etiam dotare pro modulo alimentorum, quia alimenta dantur dietim, annuatim, & per singulos menses, dos autem vno cumulo præstatur, & sic in dote agitur de maiori præiudicio, & onere dotantis, & ideo non est compellendus, aut obligandus pater filiam spuriam dotare, nec dum sororem, vt præter citatos supra docet Campeg. *de dote 1. part. quæst. 17. ad finem.* Ludouicus de Sardis *tract. de naturalibus liberis, cap. de obligat. inter patrem, & filium, num. 5.* neque valet, vt dixi, argumentum de alimentis ad dotem, licet valeat de dote ad alimenta; vnde valet hæc consequentia, tenetur frater dotare, ergo tenetur alere. Non valet tamen hæc consequentia. Tenetur alere; ergo tenetur dotare, quia in dote agitur de maiori præiudicio, & onere, quàm in alimentis, vt patet.

Couarr. Gama. Roland. Molin. Matiens. Campeg. Sardis.

Dices, hoc maius onus patris, vel fratris facilè posse tolerari, vt conseruetur pudicitia filiæ spuriæ, vel sororis; quod maximè patri, vel fratri sacerdoti incumbit, iuxta Bald. *consil. 456. num. 8. lib. 5.* Ex quo fundamento maiori iure teneri patres filias spurias dotare, quàm alere propter periculum honoris defendunt Tellius *l. 10. Tauri, num. 10.* & Vincentius de Franchis *decisione 283. num. 4. in 1. part.* Sed si illam amiserint, sibi imputent filiæ spuriæ; neque enim illatum honor tantùm conducit ad honorem parentum, vt illis tantùm onus necessariò imponendum sit, præsertim cum non sit consequentia necessaria, vt non constituta dote pudicitiæ iacturam faciant, cum eis non desint alimenta necessaria. 10.

Bald. Tellius. Franch.

Dubitant tamen Doctores, quæ alimenta huiusmodi filiabus, & filiis, sororibus, & fratribus spuriis præstanda sint, an illa solùm, quæ sunt præcisè ad vitam necessaria, an verò illa, quæ necessaria sunt ad transigendam vitam competenter ad genus proprium: sunt quidem multi, qui dicunt solùm patres, & fratres teneri ad ea alimenta præstanda, quæ præcisè necessaria sunt ad vitam sustinendam nulla habita ratione diuitiarum, vel honoris, generis paterni; quia cum huiusmodi alimenta spuriis præstentur miserationis gratia, secundùm naturæ tantùm indigentiam præstanda sunt. Ita Bald. *l. Si maritus, ff. eodem.* & ita in terminis docet Palatius *in repet. capitis, Per vestras 3. notabili, § 24. num. 3. fol. mihi 222. & in repet. rubr. § 65. num. 52.* & Bermond. *tract. de publ. concubinar. verbo, Qui etiam filios, n. 59. pag. 340.* Cassan. *consil. 39. num. 55. & consil. 40. num. 4.* Roland. *consil. 74. num 41. lib. 1.* Gama *decis. 343. num. 4. & decis. 201. in fine, & decision 225.* Cordub. *l. Si quis à liberis, §. idem rescripsit, à num 48. ff. de lib. agnoscend.* & alij quos citat Petrus Barbosa *tom. 1. 4. part. l. 1. ff. solut. matrim. fol. mihi 361. col. 2.* sed non sequitur. 11.

Bald. Palat. Bermond. Cassan. Roland. Gama. Cordub. Barbos.

Dicendum tamen est alimenta præstanda esse filiis, & filiabus, sororibus, & fratribus spuriis, 12.

Corset. Couar. Barbos. Greg. Lop. Castan. Tellius. Ceruant. Molin. Matiens. Glossa.

attentis diuitiis paternis, vel fraternis, honore, dignitate, generis splendore. Ita tenet expresè Corsetus in singularibus, *verbo*, *Spurius* 2. Couar. *de sponsal. 2. part. cap. 8. §. 6. num. 7.* Barbosa modò allegatus; Gregorius Lopez *l. 10, tit. 13 part. 6. verbo*, *Heredar.* Cassaneus sibi contrarius *in consuetudinibus Burgundiæ, rubr. 8. §. 3. num. 11.* Tellius *l. Tauri* 10. *num. 2.* & ibi Ceruantes *à num. 6.* & hanc opinionem in forensibus controuersiis communiter receptam esse testatur Molin. *lib. 2. de primog. cap. 15. num.* 18. & Matienso *l. 8. tit. 8. lib. 5. ordin.* Glossa 1. *num. 10.* Probant ex capite, *Cum habeat*, *ad finem de eo qui duxit in vxorem eam quam polluit per adulterium*, dum spuriis iubet præstari alimenta secundùm id quod suppetunt facultates paternæ; ergo ad diuitias paternas debet haberi respectus, & consequenter ad eius dignitatem, & generis splendurem, ibi: *Filÿs*, scilicet spuriis, *secundùm quod eis suppetunt facultates necessaria subministrent*: id est, alimenta. Vnde glossa ibi, *verbo*, *Secundùm facultates*; ita ait, *hoc est regulare, quòd secundùm facultates alimenta ministrentur.* l. *Si quis à liberis, ff. de lib. agnoscend.* Considerauit enim ius canonicum educationem liberorum esse iuris naturalis.

Ad fundamentum contrariæ opinionis respondendum est, alimenta hæc spectato iure canonico non dari præcisè secundùm exigentiam naturæ, & commiserationis causa; sed secundùm exigentiam naturæ, spectata paterna, & fraterna dignitate; & spectato iure sanguinis, & generis nobilitate; diuitiarúmque facultate, vt patet.

13. Barbos. At verò Barbosa *dicto tom. 1. 4. part. l. 1. ff. soluto matrim. num. 67. fol. mihi 361. col.* 1. parum sita opinione contentus vult aliam inducere adhibita quadam interpretatione ad prædictum caput, *Cum huberet, de eo qui duxit in vxorem eam quam polluit*, atque textum velle necessaria tantùm alimenta esse præstanda, modò tamen in his necessariis considerentur paternæ facultates; vt si dites sit, necessaria præstétur secundùm id quod diues familiam suam alere solet; si verò pauper, tunc præstentur necessaria, vt pauperes solent familiam suam alere; vt probat caput, *Non cogimur 41. dist.* & docet in simili Panormitan. *in c. Nobis, de iure patronat. num. 6.* filia igitur pauperis, inquit, aletur pane, & oleribus; filia verò diuitis diuerso genere ciborum. Quicquid tamen de hac re sit, nostra sententia est bona, & iure canonico optimè stabilita; & hæc parum distat ab illa, cum diuitias paternas, fraternasque in simili alimentorum prouisione iubeat considerari.

Capvt XVIII.

An Episcopi possint testari & facere donationes remuneratorias ex bonis Ecclesiæ; & si diuersas Ecclesias habeant, an possint ex bonis vnius remunerare seruitia sibi impensa in alia.

Svmmarivm

Episcopi de rebus intuitu Ecclesiæ acquisitis siue mobilibus, siue immobilibus, de iure testari non possunt. num. 1.

Viuentes si sint sui compotes, possunt etiam in agritudine constituti de bonis tantùm mobilibus eleemosynas moderatas facere. num. 2. *Quomodo intelligendum sit verbum*, Moderatas. *ibid. Non prohibentur in iure alienationes perexiguæ bonorum immobilium Ecclesiæ, terrulæ, v. c. & prædioli & quanti valoris esse debeat ista terrula.* ibid.

Possunt Episcopi, & Prælati testari, & donare, & liberè disponere de rebus ex hæreditate artificio, aut doctrina acquisitis. num. 3.

Seruitia, quæ de iustitia debentur famulis Episcoporum de redditibus Ecclesiæ sunt deducenda; & hæc tenentur ipsi Episcopi in suis testamentis iubere solui, & solui debent de fructibus ab ipsis Episcopis decedentibus acquisitis, & in defectu illorum si non sit vnde soluantur, de fructibus Ecclesiæ sub alio Episcopo factis soluenda sunt. n. 4.

Filÿ maiores natu an teneantur ad debita paterna ex redditibus si aliunde non sit vnde soluantur, & quid de maioratibus ex bonis regiæ coronæ institutis. num. 5.

Episcopi, & Prælati morientes possunt in testamentis suis facere donationes remuneratorias de bonis mobilibus Ecclesiæ pro seruitÿs sibi strenuè impensis, siue consanguineis, siue externis, & possunt aliquid in testamento relinquere pauperibus, & pÿs locis. num. 6.

Vnde sint hæ donationes remuneratoriæ deducendæ, quando nulla bona mobilia, nulli extiterint fructus ab ipsis Episcopis decedentibus acquisiti. num. 7.

Obsequia & seruitia facta Episcopis, quatenus talia, censentur facta suis Ecclesÿs, ac proinde sicut illi manent obligati, manent Ecclesiæ obligatæ ad illarum remunerationem. num. 8.

Quidam Episcopus moriens reliquit in testamento, vt salaria suorum famulorum soluerentur in duplo vltra salarium taxatum à iure, quæritur an illud duplum sit legatum, an sit donatio remuneratoria. num. 9. 10. 11. 12.

An vt donatio remuneratoria sit, exigatur exprimi in ea fieri ob benemerita. num. 13. & 14.

Si Episcopus diuersas mitras habuit, donationes remuneratoriæ, debita, & salarium famulorum vnde soluenda sint. num. 15.

Vt donatio remuneratoria censeatur, quæ merita requirantur, & an debita debeant esse æquipollentia. num. 16. & 17.

1. Præmitto primò, Episcopos, Archiepiscopos, & Prælatos, nec de rebus mobilibus, nec de immobilibus intuitu Ecclesiæ acquisitis posse de iure testari; de licentia tamen posse Pater ex cap. *Ad hæc de testamentis*, ibi: *Ad hæc, præsentibus innotescat, quod clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de iure testari non possunt.* & ex cap. *Relatum* 2. *eodem titulo*, & quamuis caput, *Ad hæc*, solùm de mobilibus loquatur, tamen caput, *Relatum*, tam de mobilibus, quàm de immobilibus loquitur, ibi: *Dubitabis an hoc sit de immobilibus tantùm, vel de mobilibus sentiendum. Respondemus quòd generaliter bona qualibet per Ecclesiam acquisita debent post acquirentis obitum iuxta Lateranense Concilium remanere*; id est, Ecclesiis, quarum intuitu fuerunt acquisita; ac proinde de illis testari Episcopos non posse; & idem quamuis caput, *Ad hæc*, de mobilibus tantùm loquatur, à fortiori id etiam intelligendum esse de immobilibus, asserit illius glossa, *verbo*, *De mobilibus*, nam cum intentio iuris fuerit consulere Ecclesiis, expressit quod fieri non poterat in bonis mobilibus, vt inde pateret quod fieri non posset

possit in bonis immobilibus, in quibus de maiori praeiudicio Ecclesiarum agebatur.

2. Praemitto secundò, posse huiusmodi Praelatos, & Episcopos viuentes, etiam in aegritudine constitutos modò sint sui compotes aliqua de bonis tantùm mobilibus intuitu Ecclesiae acquisitis non ratione testamenti, sed eleemosynae, eleemosynas moderatas facere; & in his praeferre amicos & consanguineos pauperes. Patet ex eodem capite *Ad hac.* de testamentis, & ex capite *Relatum* 2. *eodem titulo.* Illud autem *moderatè* debet attendi & considerari iuxta consuetudinem locorum, facultates Ecclesiae, redditusque annuales illius, & iuxta necessitates occurrentes & qualitates personarum, quae se se offerunt subleuandae, vt optimè animaduertunt Zerola *in praxi Episcopali* 1. *part. verbo, Alienatio num.* 6. Ostiensis *in summa in titulo de his quae fiunt à Praelatis.* §. *vltimo, in principio.* Staphilaeus *de noua forma gratia num.* 37. Gomez *de gratia expectat. num.* 98. Itaque totum hoc negotium arbitrio prudentis committitur; prudens verò arbitrator in eleemosynis de iis rebus mobilibus intuitu Ecclesiae acquisitis, quas Episcopi viuentes facere possunt arbitrandis, liberalior esse debet, quàm in alienationibus; quae fiunt de bonis immobilibus, per Ecclesiam acquisitis, quae cum sint in iure strictissimè prohibitae; tamen semper in eodem iure excipiuntur terrulae, vineolae, praediola, & ea bona, quae non prohibentur alienari, vt constat ex cap. *Terrulas, de bon. Eccles. non alien.* qualis autem & quanti debeant esse valoris ipsae terrulae & ipsa bona immobilia modica, quorum alienatio in iure non prohibetur, arbitrio etiam iudicis committitur, considerantis circumstantiis, vt docet Rodoan. *tractat. de rebus Ecclesiae non alienand quaest.* 52. *num.* 77. at verò Staphilaeus *de liter gratia, fol.* 35 52. *num.* 1. & 2. asserit caput *Terrulas* extendi ad valorem centum ducatorum, & id docet etiam Zerola *in praxi Episcopali*, 1. *part. verbo, Alienatio, num.* 6. & ita vidisse practicari ait in Curia Salernitana, id tamen (vt iam diximus) in bonis mobilibus attendendum est iuxta consuetudinem terrae, & facultates, & redditus Ecclesiae; nam illae terrulae dicentur modicae respectu vnius Ecclesiae, & vnius loci, quae non ita erant respectu alterius Ecclesiae, & loci: planè in eleemosynis, vt dixi, faciendis ex bonis mobilibus intuitu Ecclesiae acquisitis, consuetudo habet, vt Praelati liberaliores sint, & in iis possint praeferre amicos, & consanguineos; quamuis enim textus, & iura antiqua seuerè has donationes, & eleemosynas in consanguineos inhibeant, tamen loquuntur de his Praelatis, qui consanguineis diuitibus eas donationes faciunt, & qui illos ex bonis Ecclesiae locupletare volebant, non verò de illis quorum indigentiam volunt iuxta illorum qualitatem & proptios redditus subleuare.

Quomodo eleemosyna moderata Episcoporum attendantur.

Zerola. Ostiensis.

Staphil. Gomez.

Rodoan.

Staphil.

Zerola.

Cuius valoris esse debeat bona immobilia minima qua in iure non prohibentur alienari.

3. Praemitto tertiò, posse huiusmodi Episcopos, & Praelatos liberè testari, donare & disponere de illis bonis, vel mobilibus, vel immobilibus, quae vel ex haereditate, vel artificio, aut doctrina ipsi acquisierunt, vt patet ex *cap. Relatum* 2. *de testamentis, ibi, Caterum, qua ex hereditate, vel artificio, aut doctrina prouenerunt, distribuantur pro arbitrio decedentis.*

4. Praemitto quartò, seruitia, quae de iustitia debentur famulis Episcoporum de redditibus, & bonis Ecclesiae illorum, esse deducenda; & haec teneri ipsos Episcopos de iustitia in suis testamentis inhere solui, quando illa in vita non soluerunt, & si extant fructus aliqui acquisiti ab ipso Episcopo decedenti, ex illis haec debita sunt soluenda; sin autem nulli extent, soluenda sunt ex fructibus ipsius Ecclesiae acquirendis: quamuis sit sub alio pastore, quia Ecclesia tenebatur sustentare congruenter Praelatum, & Pastorem suum per suos fructus absolutè, & non per fructus tantùm acquisitos tempore Praelati decedentis; nomine autem congruae sustentationis Praelati, veniunt etiam famuli ipsius Praelati quibus ad decentiam sui status indigebat, vt ebatur que, quod planè deducitur ex *cap. Praesenti, de officio ordinar. versu, Porrò,* in quo iubet Summus Pontifex vt bona, & fructus victi, & acquisiti ab Episcopis decedentibus successoribus seruentur integri, *solutis tamen debitis*, & glossa ibi, *verbo, debitis*, rationem reddit: *quia*, inquit, *ad debita decessoris manet Ecclesia & successor obligatus, sicut heres filius ad debita paterna.* Patet ex *cap. Ad hoc, de solutionibus*, vbi expressè deciditur successorem in beneficio teneri soluere debita decessoris pro necessitate Ecclesiae contracta in defectu bonorum acquisitorum tempore Praelati decedentis; illa autem debita censentur pro necessitate Ecclesiae contracta, quae pro alendo pastore suo, cum famulatu ad suum statum competenti fuerunt contracta, quare in defectu fructuum, ac bonorum à Praelato antecedenti acquisitorum tenetur ipsa Ecclesia per suos redditus venturos, haec debita de iustitia persoluere, sicut filius successor in haereditate paterna tenetur de iustitia debita paterna soluere, vt expressè deciditur in dicto capite, *Ad hoc, de solut.* ibi: *Sicut filius debita patris soluere tenetur, ita Praelatus sui decessoris pro Ecclesia necessitate contracta*; & glossa ibi verbo, *Praedecessoris. Est enim successor quasi heres ipsius decessoris*; nam sicut haeres eum haereditatem paternam acceptat, manet, velit, nolit, ex vi contractus taciti ipsius acceptationis ad omnia debita paterna de iustitia obligatus, ita successor ex vi contractus acceptationis beneficij, manet de iustitia obligatus, ad debita sui decessoris pro Ecclesiae necessitate cōtracta, cum intrinsecè in acceptatione beneficij haec conditio soluendi haec debita includatur ex bonis ipsius Ecclesiae, quando nulla fuerunt ab Episcopo decedente relicta. Sicut enim sub hac conditione intrinseca acceptant beneficia, vt in conscientia teneantur restituere fructus pro rata, quando officium diuinum pensumque horarum non persoluunt, ita sub hac conditione intrinsecè ipsi acceptationi illa acceptarunt soluendi debita contracta à Praelato decedenti pro necessitate Ecclesiae.

5. Sic in nostris Ordin Lusitaniae statuitur *lib.* 4. *titulo* 101. *in nouis*, quòd filius successor in maioratu ex bonis coronae regiae instituto tenetur soluere debita parentis decessoris ex redditibus duorum annorum eiusdem maioratus, intra quatuor annos; quando nulla fuerint bona alia de quibus solui possint. dummodo ea debita contracta fuerint pro seruitio famulorum, pro obsequiis Regi, Regnoque impensis, pro dote, & pro sustentatione liberorum, vt suprà iam diximus: si verò maioratus instituti fuerint ex bonis liberis & regiae coronae non subiectis, statuit ius Lusitanum ibi, vt filij successores teneantur soluere omnia debita contracta à parentibus decessoribus ex redditibus ipsorum maioratuum absolutè, & absque illo duorum annorum termino, deducta semper congrua sustentatione ipsorum filiorum, qui in maioratibus succedunt, vt probat Emanuel Barbosa

Filij maiores na tu quatenus tenentur ad debita paterna.

Barbosa. Mendez. Parlad. bosa *in Remiss. ad Reg. Legem lib. 3. tit. 93. tom. 2.* Mendez de Castro *in praxi seculari Lusit. lib. 3. cap. 21. a num. 18.* Parlador. *lib. 2. rerum quotid. cap. fin. part. 5. § 3. num. 31.* Quare videri nouum non debet, si Episcopi successores teneantur ad debita decessorum, cùm filij maiores natu ad debita parentum decessorum ex redditibus maioratus, teneantur in defectu aliorum bonotum. Vnde glossa *in d. cap. Ad hoc, de solution.* in casus propositione ita ait: *Nota quod filius heres tenetur soluere debita patris ex contractu, vel quasi contractu, & quod Prælatus prædecessoris sui, debita soluere tenetur si pro vtilitate Ecclesiæ contracta fuerint:* æquiparans in omnibus Prælatum successorem cum filio successore, & nouo hærede, & Prælatum decessorem cum mortuo parente.

6. His præmissis, ac prænotatis dubium est. An Episcopi decedentes possint in testamentis suis donationes remuneratorias seruitiorum sibi impensorum facere de bonis mobilibus Ecclesiæ, nam de immobilibus, vt iam diximus, non possunt siue eas faciant seruis, siue consanguineis suis, siue alijs, qui sibi viuentibus seruitia aliqua, & obseqnia remunetatione digna præstiterunt; itémque an possint in prædictis testamentis eleemosynas aliquas facere religiosis, pijs locis, & pauperibus. Cui dubio sine dubio respoodendum est affirmatiuè, constat expressè *ex cap. Relatum 2. de testament.* vbi postquam Papa Innocentius III. dixerat non posse Prælatos testari de bonis mobilibus intuitu Ecclesiæ acquisitis, statim excipit donationes remuneratorias, ibi: *Consuetudinis tamen est non improbandæ. vt de his pauperibus, & religiosis locis, & illis qui viuenti seruierant Prælato siue consanguinei sint, siue alij, aliqua iuxta seruitij meritum conferantur.* Vbi glossa *verbo, conferantur. Non ita amarè istud prohibitum est sicut dicit lex de donat. inter virum, & vxorem, ff. de donationibus inter virum, & vxorem si id quod. §. si quis serui operas.* Et ita docet etiam glossa *in cap. Ad hæc, eodem titulo de testamentis*, in *verbo, non possunt*, ibi, *in morte tamen possunt Episcopi largiri*, hoc est, donare, *tam consanguineis, quàm extraneis intuitu seruitij recepti de mobilibus iuxta caput Relatum 2. de testamentis, versu Licet.* Hæc ibi glossa. Et constat etiam *ex cap. Quicumque 12. quæst. 11. & ex cap. Ecclesiasticis, eodem 12. quæst. 11.* ibi: *Ecclesiasticis vtilitatibus desudantes Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere.* Et has donationes remuneratorias possunt efficere non solùm Episcopi, & Prælati sæculares de bonis mobilibus Ecclesiæ, sed etiam Prælati regulares de bonis monasterij tempore, quo ea administrant pro quantitate meritorum, plus, minúsve & etiam tutores, & curatores ex bonis pupillorum suorum, si seruitia, & obsequia remuneranda præstita fuerint in ordine ad bona ipsarum

Molin. Ecclesiarum, & pupillorum, vt docet P. Molin. *tomo 1. de iustit. disput. 148. § quarta conclusio, &*

Nauar. *tomo 2. disput. 292. vers. Alterum est*, & Nauarr. *in Apolog. quæst. 1. Monitione 81. & 82.* & alij, & de hoc est dubitandum.

7. Solùm dubitari potest, vnde hæ donationes remuneratoriæ soluendæ sint si eas Episcopi in suis testamentis faciendas relinquant? Respondeo primò, soluendas esse ex redditibus, & fructibus ab ipsis acquisitis, si aliqui extiterint; si verò non extiterint in defectu illorum soluendas esse ex redditibus Ecclesiæ, quamuis sint sub alijs pastoribus: deducitur ex Molina *tomo 2. loco allegato*, asserit enim ibi posse Prælatos eas efficere, & debere monere successores suos, vt soluant prædictas donationes ex redditibus Ecclesiæ, pro cuius vtilitate seruitia, & obsequia fuerunt impensa sicut *num. 4.* diximus de salarijs, & seruitijs famulorum; & consequenter dicendum est teneri Prælatos successores de iustitia prædictas donationes soluere; si re vera seruitia, & obsequia remuneratione digna præcesserint, & fuerint in iudicio probata per textus, & rationes ibi allegatas; quod voluit significare Molina *dicto tomo 2. de iustitia, disput. 292. § Alterum est*, cum dixit: *Poterunt Episcopi admonere successores suos, vt has donationes remuneratorias soluant*, vt ostenderet obligationem, quam de iustitia post hanc admonitionem incurrebant: non enim dixit, *poterunt rogare, & exhortari aut petere*; sed *poterunt admonere:* petitiones enim, & rogationes cadunt supra meram, & liberam voluntatem; admonitiones verò supra obligationem aliquam, vt colligitur expressè *ex cap. Cùm contingit, de senten. excommunicat. & ex cap. Sacro, & ex cap. Statuimus, & ex cap Constat, de sentent. excommunicat. lib. 6.* quod patet ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ in ferendis excommunicat. nam monet priùs illos quos vult excommunicare, vt tale vel tale opus faciant, aut non faciant, & non id ab illis petit, & ideo vtitur his verbis, *moneo, admoneo*; non his, *peto, rogo*; vt *Donationes remuneratoriæ non requirunt debita iustitiæ.* significet obligationem, quam incurruot post talem admonitionem, vtitur enim Ecclesia rigore illo in quo in iure hæc verba accipiuntur; nam quamuis hæ donationes respectu dantis non requirant debita iustitiæ, quæ ipse debeat de iustitia in foro conscientiæ recompensare, sed satis sit, quòd talia sint merita, quæ virum honestum, &

Molin. probum deceat remunerare, vt optimè notat Molina *tomo 1. de iustitia, disput. 244. fol.* 1054. &

Sanch. Sanchez *lib. 6. de matrimonio, disput 6. conclusio-*

Menoch. *ne 1.* Menoch. *de præsumpt. lib. 4 præsumpt. 167. à*

Iul. Clar. *num. 32.* Iulius Clarus *lib. 4. Receptarum, §. Dona-*

Couar. *tio, quæst. 3. initio.* Couarr. *in cap. Cùm in officijs, de testament. num 9.* at postquam factæ sunt, aut testamento relictæ, si re vera merita extent, ac præcesserint, & fuerint probata in iudicio post sententiam latam de iustitia debentur, & de iustitia tenetur hæres, aut Prælatus, in illis grauatus ea soluere; requirit enim Respublica, & Ecclesia suos ciues, & Prælatos gratos, & honestos viros, & ad remuneranda seruitia, & obsequia sibi diligenter, & strenuè impensa pronos. Est enim hæc remuneratio debitum quoddam de iure naturæ; natura enim naturaliter homines ad gratitudinem impellit; vnde genus quoddam permutationis in iure appellatur huiusmodi donatio, vt patet ex *l. sed & si lege, §. Consuluit, ff. de petit. hæred.* ibi: *Et vel vt genus hoc esse permutationis.* Vbi Iurisconsultus appellat donationem remuneratoriam ex gratitudine obligantem permutationé quandã.

Nec opus est, vt hæc obsequia strenua facta sint Ecclesiæ immediatè; sufficit enim quòd fiant 8.
illius Episcopis, Prælatis, ac Pastoribus, quatenùs Prælati illius sunt, vt censeantur facta Ecclesiæ. Et ratio est, quia Episcopi sunt procuratores suarum Ecclesiarum iuxta textum *in cap. de donat.* & quatenus tales tenentur Ecclesiæ illos alere, & sustentare competenter per suos redditus, & illi tenentur vicissim eas gubernare, illarum bona procurare, ouesque illarum pascere spiritualiter, & ad vitam, & felicitatem æternam dirigere, & inter Episcopum, & Ecclesiam, quando Episcopus illam acceptat, virtualiter hic contractus celebratur: *pasces me in spiritualibus, & ego te compe-*

tenter

tenter ad tuum statum per meos redditus alam in temporalibus ; & sub nomine alimentorum veniunt etiam famuli, & familiæ ipsorum Episcoporum, illorum statui conuenientes. Vnde obsequia ab ipsis famulis iisdem Episcopis strenuè impensa, quatenus Episcopi sunt, censentur facta ipsis Ecclesiis, vt docet Parnormit *in cap. Cum secundum, de præbend.* & patet ex *cap. Non licet eodem tit.* & ex Barthol *in l leg. ff. de aliment. & cibar. legat.* & tenent Syluester *verbo, Alimentum, num. 1. ad finem*, & Nauarrus *in manuali Lat. cap. 14. num. 17. versu, Secundò* ; & ideo Ecclesiæ per suos redditus illa debent remunerare.

Panorm. Barthol. Syluest. Nauar.

9. Ex dictis patet responsum ad illam satis difficilem quæstionem circa quam consulti sumus ab illustrissimo Domino D. Ioanne Emanouele meritissimo Episcopo Conimbricensi anno Domini 1626. Ea erat in hunc modum. Quidam prælatus habuit tres mitras Leiriensem, Lamecensem, Conimbricensem, testamentum fecit non habens facultatem à Summo Pontifice ad testandum, inter alia, quæ in testamento suo disposuit, fuit, vt famulis suis doplum stipendium solueretur præ illo, quod à iure Lusitano illis taxatur. Ita quòd si ius Lusitanum taxat duo, eis soluantur pro annuo seruitio quatuor; disposuit etiam, vt hæ omnes seruitiorum solutiones deducerentur, si esse posset ex redditibus vltimæ mitræ, cui præfuit Conimbricensi, cum tamen ipsi famuli et seruitium, ac famulatum præstiterint in aliis etiam mitris, quas priùs obtinuit. Hæc erat quæstio proposita, ex qua duo quærebantur.

10. Primum, an istud salatium, quod supra simplex à iure Lusitano taxatum illis iubetur in prædicto testamento solui, sit legatum necne, & an tanquam legatum prædictis famulis Episcopi testatoris, non debeatur, cum ipse facultatem ad testandum non haberet. Secundum, an posito, quòd eis debeatur, deducendum sit ex redditibus vltimæ mitræ, sicut ipse in testamento disposuit, si ita iure fieri possit, an aliunde : & idem quærebatur de aliis debitis, quæ ipse Prælatus decessor, ac testator contraxit. An scilicet omnia deducenda essent ex redditibus vltimæ mitræ, cui præfuit, & in qua decessit è vita, an pro rata ex redditibus aliarum infulatum quibus præfuit.

11. Ad primum quæsitum respondi mihi videri illud duplum non fuisse legatum ; sed donationem remuneratoriam seruitiorum, obsequiorumque sibi strenuè à suis famulis impensorum ; legatum enim in se consideratum nihil aliud est, quàm quædam donatio merè gratuita, & liberalis nulla obsequia remuneranda respiciens, quam testator post mortem suam in suo testamento iubet vt ex suis bonis efficiatur, vt constat ex Inst. *de leg. §. 1. l. Legatum, ff. de legatis 1.* & docet Syluester *verbo, Legatum 1. num. 1.* & Fumus *eodem verbo, num. 1.* & alij passim. Solutio autem seruitiorum non est donatio liberalis sed debitum. Vnde cum huiusmodi Prælatus in suo testamento respiciat ad seruitia, & obsequia sibi à suis famulis impensa, & iusserit, vt ea seruitia vltra simplex salarium in lege taxatum, in altero tanto suis famulis soluerentur, planè visus fuit voluisse eos in eo ampliori salario remunerare, nam tanquam dominus gratus voluit strenua obsequia suorum famulorum quasi iure naturali gratitudinis recompensare iuxta legem, *Aquilius regulus. ff. de donat.* ibi : *Defendi non meram donationem esse* ; intellige liberalem, & nulla respicientem obsequia ; *sed officium magistri mercede remuneratum.* Et quamuis sapientissimus doctor Ludouicus à Leyua meritissimus primarius Conimbricensis sacrorum canonum professor in suo doctissimo responso existimauerit fuisse hoc legatum, & ratione legati liberauerit illustrissimum Dominum D. Ioannem Emanuelem ab obligatione soluendi illud duplum cum Episcopus decessor testari non posset de iure, nec licentiam ad testandum haberet : tamen ego contrarium iudicaui, & motus sum his rationibus. Primò, quia vt dixi, Episcopus decessor voluit, vt illud maius salarium seruitiis sibi impensis inniteretur, & de seruitiis, ac obsequiis locutus est in testamento, dum ita disposuit, *iubeo vt seruitia meorum famulorum in duplo a lege taxato soluantur.* Quare cum de seruitiis loqueretur, & voluerit, vt illud plus iisdem seruitiis inniteretur, profectò id rationem habere non potest legati, & donationis merè liberalis, sed donationis remuneratoriæ ; nam donatio liberalis nullo modo respicit merita remuneranda, vt doctè, & latè probat Sanchez *lib. 6. de matrimon. disp. 6. num. 2.* & patet ex *l. 1. ff. de donat.* vbi dicitur eam esse propriè donationem liberalem ad quam faciendam donator nulla præcedenti causa ducitur, nisi vt magnificentiam, & liberalitatem suam exerceat : at huiusmodi Prælatus decessor non ex mera liberalitate ductus fuit, sed ex seruitiis sibi impensis, cum hoc in testamento disposuit ; ergo illud *Plus* rationem ingreditur donationis remuneratoriæ non legati, seu donationis simplicis, & liberalis ; donatio enim, & legatum in nullo alio distinguuntur quàm, vt vna fiat in testamento, & post mortem altera in vita, & ante mortem ; vnde si legatum fit ob seruitia sibi impensa, dicitur donatio remuneratoria ; si sine ordine ad seruitia, dicitur donatio liberalis. Patet ex cap. *Relatum 2 de testamentis*, vbi loquitur Summus Pontifex de testamentis Episcoporum, & ait in illis posse facere donationes remuneratorias, ibi : *Consuetudinis tamen non improbandæ est, vt de iis, id est, de bonis mobilibus intuitu Ecclesiæ acquisitis, iis, qui viuenti seruierant, siue consanguinei sint, siue alij, aliqua iuxta seruitij meritum conferantur*, hoc est, testamento relinquantur.

Donatio liberalis nullo modo innititur seruitijs remunerandis.

Sanch.

Nec refert, quòd ipse Episcopus donator, non 12. & 13.
exprimat in testamento suo, se illud pro remuneratione seruitiorum suis famulis reliquisse, nam melior opinio fert, quòd vt donatio remuneratoria censeatur, non est opus quòd donator mentionem in illa obsequiorum sibi impensorum faciat, dummodo à parte rei ea obsequia, & seruitia præcesserint, & talia, quæ remuneratione digna sint, donatario tamen tunc incumbit ius probandi ea seruitia in iudicio ; quæ omnia optimè docent Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 88. num. 53.* Gutierrez *lib. 1. practic. quæst. 120. fine.* Mascard. *de probat. conclus. 560. num. 10.* Garcia *de donat. remunerat. num. 49* Glossa *in l. Si donatio, in verb. Post. C. de collat.* Sanchez *lib. 6. de matrim. cap. 6. conclus. 2.* Rosella *verbo, Donatio 1. num. 47.* Syluester *verbo, Donatio 2. quæst. 7. dict. 13.* Nauarr. *in summ. Latin. cap. 17. num. 146. Hispana 145.* Molina *tom. 1. de iust. disp. 244. §. Quando constat.* Et cum hìc dentur multi donatarij tot scilicet quot sunt famuli Episcopi decessoris, profectò difficillimè illi ea merita probabunt ; quod si illa in iudicio non probauerint, illud *duplum* eis adiudicari non debet. Et ratio huius rei est, quia si reuera præcesserunt merita, illa fuerunt causa finalis, & totalis talis donationis remuneratoriæ, non mera liberalitas donatoris, & ideo non opus

Menoch. Gutier. Mascard. Garcia. Glosso. Sanch. Rosell. Syluest. Molin. Nauar.

est, vt donator dicat, se id facere in remunerationem obsequiorum: At in hac donatione euidenter probatur donatorem mentionem fecisse de meritis remunerandis, in illis verbis. *Iubeo vt seruitia meorum famulorum in duplo soluantur*, vbi donator nominauit expressitque seruitia, quæ in illo duplo remunerare voluit; & quamuis illa nominauerit per accidens, & ratione illorum seruitiorum, quæ de iustitia soluenda erant, eo quòd adhuc soluta non fuissent, id parum refert, quia quamuis nulla seruitia exprimeret, sufficiebat, vt ea donatio remuneratoria censeretur, quòd reuera præcesserint: quando tamen illa non exprimuntur, opus est, vt in furo fori ea merita probentur, vt dixi, vt donatio effectum donationis remuneratoriæ sortiatur; in foro tamen poli respectu ipsorum famulorum, vt in bona conscientia sint, & non teneantur aliquid restituere, si forte illud ex vi talis donationis habent, sufficit, quòd seruitia remuneranda in veritate dentur, & non est opus, vt in iudicio probentur; iuxta Molinam, Sanchez, & Gutierrez allegatos.

14. Barbos. Ex fundamentis hactenus præiactis communiter reprobatur doctrina doctissimi Barbosæ *in l. Quæ dotis 34. ff. solut. matrim num. 56. & 57. fol. mihi 679. col. 1. tom. 2.* & Baldi *in l. Illud, num. 8. C de sacr Ecclesiis*, asserentium non esse illam donationem remuneratoriam censendam, sed liberalem tantùm, in qua donator merita non exprimit, quamuis à parte rei talia merita præcesserint, quæ remunerari debuissent, & probari possint. Fundamentum illorum est, quia tunc merita illa cẽsentur causa impulsoria talis donationis, non causa finalis: in donationibus autem remuneratoriis attendenda est causa finalis ob quam fiant, non causa impulsiua, ob quam quis moueatur ad illas faciendas. At hoc illorum fundamentum satis conuellitur, & nostrum confirmatur, ex eo quòd homines communiter loquendo non ita sint liberales, vt velint facere gratis suas donationes, & non ex aliquo debito iuris naturalis saltem gratitudinis.

Bald.

15. Ad secundum quæsitum respondi, non solùm seruitia remuneratione digna, sed etiam ea, quæ nondum erant soluta, & de iustitia iuxta iuris Lusitani taxationem debebantur, & debita omnia personalia quæ decessor contraxerat, soluenda esse pro rata temporis, quo vnicuique mitræ præfuit, & inseruiuit, & pro numero famulorum quos habuit ex redditibus, & fructibus ipsarum insularum, primò ex victis, & acquisitis, si quos, cum translatus est de vna ad aliam victos habuit, & in defectum illorum ex fructibus acquirendis ipsarum Ecclesiarum, quamuis sub nouis sint pastoribus iuxta ea, quæ diximus à *num. 7.* & deinceps. Si verò ipse Episcopus decessor fructus victos secum tulit, cum translatus est de vno Episcopatu in alium, & omnes incorporati sunt in vltima mitra, Ecclesiæque cui præfuit, id probandum incumbit creditoribus illius: quod si probauerint, tunc vltima illa mitra, quam obtinuit, tenebitur ad omnia debita, donationes remuneratorias, & ad famulorum salaria ipsius Episcopi, non quasi illa teneatur alere Episcopum pro tempore, quo alteri mitræ inseruiuit; vnaquæque enim illarum tenebatur alere suum pastorem pro eo tempore: sed quasi ex accidenti, quatenus scilicet redditus, & fructus victos illarum ex quibus ipse tenebatur hæc debita, seruitia, & salaria, & donationes remuneratorias soluere, ipse secum tulit, & in vltima mitra incorporauit, & ita credo respondisse in hoc puncto cæteros DD. huius almæ Academiæ Conimbricensis, qui hac de re fuerunt consulti.

Illud admonuerim ad donationem remuneratoriam requiri, vt obsequia, & benemerita, sint insignia, non enim quæcumque satis sunt, vt donatio remuneratoria sit; si enim non fuerint insignia, dicetur simplex donatio, non remuneratoria; vt de donatione remuneratoria Ecclesiæ docet Glossa *capitis, Si quos. 57. verbo, Meritos 12. quæst. 2.* & Sanchez *lib. 6 ad matr. disp. 6. num. 5.* & Lupus *de donat. inter coniug. in rubr. de donat. § 56. num. 32.* & Castilho *in proœmio legum Tauri super glossam.* 16.

Gloss. Sanchez. Lupus. Castilho.

Debent etiam merita esse plus minusve æquipollentia, ita vt remuneratio illa multum non excedat, quod arbitrio prudentis iudicis remittitur, attenta obsequiorum, & donatorum qualitate, an diuites sint, an nobiles: nobiles enim multo maiorem solent referre gratiam. Ita docet Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 6. num. 10* Menochius *de arbitr. lib. 2. casu 132. num. 7. & sequentibus.* Iulius Clarus *lib. 4. receptar. §. donatio, quæst. 3. fine. & quæst. 7. §. Sed plenè.* Garcia *de donat. remun. num. 53.* Vnde, vt ibidem doctè notat Sanchez cum multis, tota donatio remuneratoria dicetur, quamuis merita excedat, si multum non excedat id quod diuites, & nobiles in eo euentu remunerare solent. 17.

Sanch. Menoch. Iul. Clar. Garcia.

Capvt XIX.

De obligatione fratrum in fratres quoad partitionem bonorum, & quæ bona teneantur vel non teneantur adducere in diuisionem.

SVMMARIVM.

Redditur ratio ob quam de materia partitionis inter fratres hic tractemus. num. 1.

Frater, qui ingreditur partitionem cum alijs fratribus, tenetur adducere ad collationem de iure Lusitano rem omnem tam mobilem, quàm immobilem à patre acceptam. num. 2. *Siue causa dotis acceperit, siue ex quocumque alio titulo.* ibidem. *Quid per rem mobilem, aut immobilem intelligatur.* ibid. in fine.

Ad cognoscendum, an donatio facta à patre, vel matre filio, vel filiæ sub paterna potestate constitutæ, excedat legitimam filij, vel filiæ, & tertiam patris, vel matris dantis, vel dotantis, inspiciendum est vel tempus donationis, vel tempus mortis donantis, & partitionis prout filius, vel filia maluerit: num. 3.

Tempus electionis ad æstimandum valorem rei donatæ solùm habet locum in donationibus, quæ fiunt à patre, vel matre filio causa dotis, non in alijs donationibus extra dotem de iure Lusitano, & Hispano, & quid de iure communi. num. 4.

Inspecto iure communi solum illa patris, vel matris respectu filij, vel filiæ sub illorum potestate constitutæ dicitur inofficiosa donatio, quæ excedit legitimam filij, & attingit legitimam aliorum; inspecto verò iure Lusitano, & Hispano, vltra hoc necesse est etiam, vt excedat partem illam de qua pater, vel mater liberè disponere possunt. num. 5.

An

An filius vel filia dotata teneatur afferre ad collationem non solum rem immobilem datam a patre, vel matre causa dotis, sed etiam omnes fructus perceptos quatenus & quomodo de iure Lusitano. num.6.

Quid de iure communi, num. 7. Quid de Hispano. ibidem.

An ea quæ à patre, vel matre vni ex filijs extra dotem minutatim, & per partes dantur, adducenda sint ad collationem. num.8.

Quid si pater, vel mater non filijs, sed alijs extraneis aliquid attingens filiorum legitimam, & cum præiudicio illorum, & quod tempus inspiciendum sit vt valor æstimetur, an tempus donationis, an tempus mortis patris, vel matris, vt id ipsum in partem de qua liberè disponere possunt, imputent. num.9.

An filius, vel filia dotata à patre, vel matre, cum ingreditur collationem, teneatur adducere collationem sumptus conuiuij nuptiarum. num. 11. Quid de alijs sumptibus, vt hastiludij, aut agitationis taurorum. ibidem.

Quid de vestibus, & ornamentis datis à parentibus pro tempore nuptiarum. num.12.

An vestes pretiosa, quas sponsi sponsis mittere solent, ad diem nuptiarum adducenda sint ad collationem soluto matrimonio. num.13.

Quid in dubio, an reuera illa missio vestium fuerit mera, & simplex donatio. num.14.

Quid de vestibus pretiosis, quas mariti dare solent vxoribus constante matrimonio, an hæ etiam soluto matrimonio adferenda sint ad partitionem. num.15.

Quid de alijs vestibus ad vsum communem, & ordinarium. num.17.

Quid quando pater, vel mater filium, vel filiam sub suam potestatem constitutam dotarunt vltra legitimam illius, & tertiam de qua disponere poterant si matrimonium contractum habebant per communicationem bonorum, & quid si per dotem & arrhas. num.18.

Quando monasterium ratione religiosi, vel religiosa vult ingredi collationem cum alijs fratribus, & coheredibus, qua teneatur conferre. An vestes, & supellex, an popina, an prandium professionis. num.19. & 20.

Quid de expensis factis in primo sacro, quando filiusfamilias ad sacerdotium promouetur, an sint conferenda, si voluerit collationem ingredi. numero 21.

An monasterium teneatur adducere ad partitionem supellectilem monialis, & quid nomine supellectilis intelligatur. num.22.

An tensa, seu redditus annuales, quos patres dare solent filiabus monialibus, aut filijs religiosis, adducendi sint ad collationem in eo casu quo monasterium iudicium partitionum voluerit ingredi. num.23.

Donationes remuneratoria facta filijs à parentibus pro ea quantitate in qua valerent, si alijs fierent extraneis, an adducenda sint ad collationem, & quid de donatione facta à patre filio sub sua potestate degenti in præmium emancipationis, vt illam filius acciperet. num.24.

1\. ROGATI, & lacessiti post completum iam, & absolutum quartum præceptum hanc materiam de partitione bonorum inter fratres breuiter explicamus, vt amicorum votis satisfaciamus; est enim valde vtilis & in vtroque foro quotidiana, & vsu trita. Quare si non omnia, saltem frequentiora dubia, de quibus sæpe fuimus interrogati, explicabimus.

Et verò in nostro iure Lusitano in nouis ordinat. *lib. 4. titulo 97.* initio expressè statuitur, vt si frater voluerit ingredi collationem cum aliis fratribus, teneatur adducere ad prædictam collationem tam bona mobilia, quàm immobilia sibi à parentibus donata; ibi, *Se o pay ou a may, ou ambas simul*, &c. verto Latinè, Lusitana verba relinquo (non enim Lusitanis solùm, sed vniuerso orbi hæc scribimus.) *Si pater, vel mater, vel vterque simul rem aliquam mobilem, aut immobilem alicui filiorum suorum vel causa dotis, vel ob quamcumque aliam causam, vel modum dederint; ipse filius teneatur post mortem patris, & matris afferre omnia in diuisionem, & collationem cum omnibus fructibus perceptis à morte donatorum patris, scilicet, vel matris, aut vtriusque simul*, &c. Et infrà. *Quod si filius, vel filia, quibus facta fuit donatio, noluerit ingredi hæreditatem patris, vel matris cum alijs fratribus, aut vtriusque simul, non teneatur reddere fratribus suis rem sibi donatam, nisi donatio ipsa excedat legitimam illius filij, aut filia, quibus facta fuit donatio, & tertiam insuper bonorum partem patris vel matris, qui talem donationem fecerunt.* Per rem autem mobilem, aut immobilem in hac materia partitionum intelliguntur etiam debita, quorum ius pater ipse vel mater in filios, aut filiam causa dotis, vel cuiuscumque alterius finis transtulit, vt docet Vallasc. *de partitionib. cap.13.* & Emanuel Barbosa *in remission. ad Ordin. Reg. Lusitania lib.4. tit. 97. in tom.2. fol. mihi 209. col.1. num.1.* — 2. — Vallasc. Barbosa.

3\. Notabis autem ad cognoscendum, an donatio ex causa dotis excedat legitimam, & tertiam bonorum partem dotantis, & ideo fuerit inofficiosa, & adducenda sit ad collationem quoad æstimationem, inspiciendum esse vel tempus quo dos data, aut promissa fuit, vel tempus mortis donantis, aut promittentis, arbitrio illius cui dos constituta, aut promissa fuit; quoad alias verò donationes factas filiis extra dotem inspiciendum tantùm esse tempus mortis defuncti parentis, vt expressè decisum est in nouis Ordinat. Lusitaniæ *lib.4. tit.97. §. 4.* & docet Vallascus *tom. 2. consult. 188. num.3. & num.13.* Caldas Pereira *in l. Si curatorem, verbo, Lasis, num.96. & de emption. & vendit. cap.10. à num. 7.* & idem Vallascus *de partitionib. cap.15. num.83. & cap. 19. num. 5. & cap.24. num.10.* — Vallasc. Caldas.

4\. Datur itaque filiis, vel filiabus dotatis electio temporis, quo malint æstimari bona patris, vel matris, quod illis commodius visum fuerit ad minuendam, vel excusandam collationem dotis, & hoc in donationibus, quæ illis à parentibus fiunt causa dotis duntaxat, non in aliis quæ fiunt extra dotem. quod procedit non solùm de iure Lusitano vt videre est *in dicto §.4. tit 97. lib 4. noua ordinat.* sed etiam de iure Hispano in Regno Castellæ, vt patet ex *l.19. Tauri*, & docet Anton. Gomez *ibi à num.33.* quamuis de iure communi huiusmodi articulus non sit tam expressus, imò valde dubius, vt optimè animaduertunt Vallasc. *dicto tom.2. consult. 188 num. 3. in fine.* & Anton. Gomez *in dicta l. 29. Tauri num.35.* Multum autem conuenit scire quid circa electionem temporis quoad valorem, & æstimationem bonorum, quæ causa dotis, vel extra dotem dotata, ac donata sunt, ius statuat, quia fieri potest, vt vno tempore dotans, aut donans defunctus pater, vel mater sit locupletior, vt passim propter rerum — Vallasc. Gomez.

rum vicissitudines, & temporum varietatem videmus, & sic ioiioc fit legitima, & tertia tempore dotis, quàm tempore mortis, vel è contrario, vt optime animaduertunt authores allegati, & speciatim Vallasc. tom.2. consl.188.num.3.

5. Notabis etiam inspecto, & considerato iure communi eam solùm dici inualidam,& inofficiosam donationem, quæ legitimam aliorum filiorum attingit, eisque in ea præiudicium affert, vt habetur in toto titulo, & rubrica, *C. de inofficiosa donat. & inofficiosa dote.* Inspecto verò nostro iure Lusitano inofficiosa erit, & inualida, quando attingit legitimam aliorum filiorum, exceditque legitimam recipientis filij, vel filiæ recipientis, & tertiam bonorum defuncti. In Regno autem Castellæ tunc erit inofficiosa attento iure illius, quando excedit legitimam recipientis filij, vel filiæ, & tertiam, & quintam partem bonorum ipsius patris, vel matris, donantis, ac donantis vita functi, vt patet ex iure Lusitano *lib. 4. noua ordin. tit.77. §.4.* ex iure Castellano *l. 29. Taur.* & docet Anton.Gom. *dicta lege 29.num.33.* & Vallasc. *tom.2. consult.188.num.1.* Gomez. Vallasc.

6. Quia tamen noua nostra Ordinatio Lusitana *dicto lib. 4. titulo 97.* asserit statim in ipso initio teneri filium, & filiam dotatam afferre ad collationem omnia bona mobilia, vel immobilia, cum omnibus fructibus (si fructuosa fuerint) perceptis à tempore mortis patris, vel matris dotantis vsque ad tempus partitionum, modò ea bona fructifera sint in potestate filij, vel filiæ dotatæ, nam si fuerint extra illorum potestatem, non tenetur, vt exprimit ius nostrum Lusitanum afferre in diuisionem, & collationem fructus perceptos à tempore mortis dotantis vsque ad partitionem, sed ipsa bona tantùm, aut illorum valorem. Dubitabis an teneatur hæc afferre in diuisionem, & an collatio huius inofficiosæ donationis, ac dotis locum habeat, siue filius, aut filia dotata, ac donata velit ingredi diuisionem, ac hæres esse, siue non. Et ad hoc dubium, quod præcipuum solet esse in hac materia, respondendum est, cum distinctione. Nam si vult esse hæres, & ingredi bonorum diuisionem cum reliquis fratribus, & hæredibus, tenetur conferre totum quicquid sibi in dotem datum est cum fructibus perceptis à tempore mortis patris, aut matris dotantis ad tempus collationis, si dos frugifera, ac fructuosa erat, iuxta ordinationem nostram *lib 4. titulo 98. initio;* & hoc siue dos sit inofficiosa, siue non sit. Si verò nolit hæres esse, & renunciauerit successioni, requisitus tamen filius dotatus ab aliis fratribus, & hæredibus læsionem suam, & inofficiositatem prædictæ dotis, ac donationis allegantibus, tunc solùm tenetur restituere & afferre in diuisionem id solum quod excedit suam propriam legitimam & tertiam bonorum patris, vel matris dotantis, vel vtriusque simul, si vterque dotem constituit cum fructibus huic excessui respondentibus, idque concessa sibi electione æstimationis, & valoris bonorum tempore dotis, vel mortis, vt diximus *num.4.* & docet Vallasc. *tom 2.* Vallasc. *consult.188. num.4. & de partitionib. cap.15.n.83. & cap.19 num.5. & cap. 20. num. 20.* & Caldas Pereira *in l. Si curator. verbo, Lasis num.96. & de emption. & vendit. cap.10. num.7. cum sequentibus.* & Molin. *tom.1. de iustit. disput.238. versu, Cum audiuis.* Caldas. Molin.

7. Hæc de iure Lusitano: De iure autem communi solùm tenetur afferre in diuisionem excessum propriæ legitimæ, vt in materia collationis docet Baldus *in l. Si emancipati in fine. C. de collat.* & Vallascus modò allegatus. Et ratio est, quia excessus ille erat iure communi spectato inter alios fratres diuidendus vt probat Authent. *Vnde si parens. C de inoff. testam.* vbi immoderata donatio facta vni ex filiis reuocatur per alios, & ad legitimam reducitur, & speciatim in dote probat textus *in l. vnica. C. de inoffic. dote.* vbi adeo reuocatur inofficiosa dos, vt etiamsi facta sit ob bene merita, reuocetur quatenus attingit legitimam aliorum filiorum, eisque in illa præiudicium esse potest, vt docent Fulgosius, Paulus, Iason. in dicta Authent. *Vnde si parens,* Segur. *in l Cohæredi §. Cum filia. versu, Sed prædictis non obstantibus ff. vulgar. fol.28. col.1.* & Arias *in l.27. Tauri fol.164.* De iure autem Regni Castellæ tenetur adducere in diuisionem excessum propriæ legitimæ, & tertiæ, & quintæ patris bonorum patris, vel matris dotantis, vt diximus *num.5.* Baldus. Vallasc. Fulgos. Paulus. Iason. Segura. Arias.

Secundum dubium est, an ea, quæ à patre, vel matre vni ex filiis extra dotem minutatim & per partes donantur, adducenda sint in diuisionem, & collationem in eo casu, quo excedant legitimam recipientis filij, & attingant legitimam aliorum, & in eo etiam casu, quo pater, vel mater id de sua tertia bonorum parte non minuant, vt præiudicium aliis reficiant, & quid si huiusmodi donationes tot ac tales sint, vt excedant legitimam recipientis, & tertiam parentis dantis? Et verò Gutierrez *pract. lib.2. quæst.68.* resolutiuè asserit donationes modicas factas à parentibus non per modum quotæ, sed minutatim non venire in considerationem, vt in quintum & tertium apud Hispanos, & in tertiam bonorum partem apud Lusitanos computentur, secus tamen ait si ex his singularibus donationibus magnus coalesceret aceruus, & filiis in legitima notabile fieret præiudicium; tunc enim tenebuntur patres, vel matres id in quo præiudicio in legitimis aliis suot filiis, io tertium, & quintum necessariò computare. Quod si eæ minutæ donationes in tantum cumulum excreuerint, vt apud nos tertium, & apud Hispanos tertium, & quintum excedant, tenentur filij donati, aut filiæ præiudicium reliquis fratribus, & cohæredibus reficere in foro soli, & poli, & adducere in collationem, valorem & æstimationem prædicti excessus inspecto mortis tempore, non inspecto, neque attento, aut considerato valore, ac æstimatione temporis donationis, vt docet Vallascus *tom.2.consult.190. a num.27.* & ratio est, quia legitima solùm debetur filiis post mortem patris vel matris non ante, & quia priuilegium est dotis, seu donationum, quæ fiunt causa dotis, vt diximus *num.4.* vt valor, & æstimatio bonorum, quæ causa dotis filiis à parentibus constituta sunt, regulentur per valorem temporis donationis, vel mortis prout filij & filiæ dotatæ elegerint, lex enim nostra *dict. lib.4. tit 97. § 4* nullam recipit interpretationem, sed simpliciter asserit inspiciendum esse tempus mortis reiecta quacumque alia sententia. 8. Gutier. Vallasc.

Si autem pater, vel mater donauerint non filiis, aut filiabus suis, sed aliis extraneis cum præiudicio legitimæ filiorum, inspiciendum tunc est donationis tempus non mortis illorum, & per illud metiendus est valor, & æstimatio rerum donatarum, vt inualida, & inofficiosa iudicetur donatio prædicta habito semper respectu ad facultates donatorum, vt docet Vallascus *tom. 1. consult.189.num.29.* quia lex nostra solùm loquitur de donationibus factis vni ex filiis à parentibus, cum 9. Vallasc.

cum præiudicio legitimæ aliorum, & in eo casu asserit metiēdam esse æstimationem rerum donatarum iuxta tempus mortis donatorum, quia tunc solùm præiudicium id esse possit legitimis filiorum, cum filiis non debeatur legitima nisi post mortem parentum: in quo deuiat ab opinione utrāque communi, in quo inspiciendum erat tempus donationis, non mortis, non solùm in donatione facta filiis, sed etiam extraneis, vt docet idem Vallascus allegatus *dicto num.* 29 & patet ex Authent. *Vnde si parens. C. de inofficioso testamento*, ibi: *Quantum poterat ante donationem deberi*. & Authent. *de immensis donat. collat.* 7. ibi: *Necessarium habeat in distributione hereditatis, tantam vnicuique filiorum seruare ex lege partem, quanta fuit prius quàm donationem pater in filios, aut filium, quos exhonorauit, faceret.* quæ iura ad nostrum propositum, & intentum expendunt

Iason. Fulgos. Bereng. Iason in prædicta Authent. *Vnde si parens, num.* 1. & Fulgosius *consil* 99 Bereng latè in *l.* 4. *num.* 139. *ff. ad legem falsidiam.* Ne igitur à communi opinione, & iure sine iure expresso deuiemus, tempus mortis in donationibus filiorum extra causam, & intuitum dotis inspiciendum esse asserimus cum nostro iure Lusitano expresso, in reliquis verò donationibus factis extraneis, non tempus mortis, sed tempus donationis præ oculis habendum esse asserimus cum communi.

10. Prædictam autem electionem temporis mortis, vel donationis ad æstimationem valoris donationis habet non solùm filius vel filia dotata, sed etiam nepos, vel neptis, cuius mater fuit dotata, si ipsa neptis est hæres; quia in eam transfertur illud ius electionis temporum, quod ad matrem spectabat iuxta *l. In omne ius ff. de acquir.*

Vallasc. *hereditate*, vt docet Vallascus *tom.* 1. *consult.* 188. *num.* 31.

11. Tertium dubium est, an enim filij, vel filiæ dotatæ ingrediuntur collationem cum aliis fratribus, vel sororibus, teneantur ad illam adducere sumptus factos à Patre, vel matre pro conuiuio, & festiuitate nuptiarum. Respondeo nega-

Valasc. Barthol. Garcia. tiuè cum Vallasco *in praxi de partit. cap.* 13. *n.* 55. & Bartbol. *l.* 1. §. *Nec castrense, num.* 9 *ff. de collat bonor.* & Garcia *de expensis, cap* 4. *num.* 10.

Molin. Gomez. Nauar. & Molin. *tom.* 1. *de inst. disp.* 238. *versu, De expensis.* & Gomez *ad l.* 29. *Tauri, num.* 15. & Nauar. *in manual. cap.* 17. *num.* 165. vide infrà *num.* 20. vbi hac de re recurret sermo, & patet ex nostris ordinat nouis *dicto lib.* 4. *tit.* 97. §. 2. ibi: *E naon traraon a collacam*, &c. id est, *& non afferent ad collationem prandium, vel cœnam acceptam à parentibus pro die nuptiarum.* Alij verò sumptus in ludis, in agitatione taurorum facti, attento nostro iure regio debent conferri: ex quo enim ius nostrum ad illa duo prandium videlicet, vel cœnam se restrinxit, alias expensas necessariò exclusit. Quod adeo verum est, vt etiamsi filius, vel filia habeat bona propria ex quibus possint fieri huiusmodi sumptus, & illa bona sint in potestate patris, adhuc pater censeatur illos de suo proprio efficere, vt notat Baldus in Authent. *Res quæ. num.* 5. *C. commun. de leg.* & Vallascus *de part. c.* 13.

Vallasc. *num* 57. & alij.

12. Maius dubium est, an vestes, & ornamenta data à parentibus pro tempore nuptiarum adducenda sint, & conferenda; quod in hunc modum decidit Vallascus allegatus *num.* 52. aut constat eas vestes, & ornamenta accommodata, dataque fuisse à parentibus filiis, vel filiabus nubentibus, vt ornatiùs apparerent pro illo die; aut constat fuisse simpliciter donata, & non pro illo tantùm die, ac festiuitate nuptiarum. Si constat fuisse tantùm data, aut accommodata pro illo die, non conferenda sunt, vt patet, quia non fuerunt translata in dominium filiorum, sed semper permanserunt in dominio parentum. Si hoc non constat, sed constat fuisse simpliciter donata, tunc attento iure communi non sunt conferenda, quia sunt simplices, & liberales donationes, quæ de iure communi non conferuntur, quando non excedunt quantitatem, quam parentes donare poterant absque insinuatione iuxta *l. penultimam C. de collat.* & textum in Authent. *ex testamento. C. eodem.* attento verò iure nostro Lusitano conferenda sunt, siue nuptiæ factæ sint inter personas nobiles, siue inter ignobiles, & vestes sint pretiosæ, siue non pretiosæ, ibi *lib.* 4. *noua ordin. tit* 97. *init.* *Se o Pay ou May, ou ambos iuntamente de rem alguā cousa mouel, ou de rayz ao filho, ou filha em casamento, ou per outra qualquer maneira sera obregado atrazer tudo a collacam*, &c. vbi illa verba nostræ ordinationis, *Ouper outra qualquer maneira*, id est, *Siue quouis alio modo*, generalia sunt, & generaliter procedunt, & important omnem donationis modum: sicut illa etiam, *Se o Pay ou May der alguan couza mouel ou de rayz ao filho, ou filha, sit obligatus afferre illam ad collationem*, generalia etiam sunt, & generaliter procedunt tam de vestibus pretiosis, quàm non pretiosis. Dictio enim illa, *alguan couza mouel, ou de rayz*, id est, *res aliqua mobilis, vel immobilis*, omnem modum donationis vestium, siue illæ pretiosæ sint, siue non pretiosæ, comprehendit, & illa etiam, *Se o Pay, ou May*, id est *si Pater, vel Mater*. omnes personas includit siue nobiles, siue ignobiles, & ita docet expressè attento rigore nostri iuris Lusitani (& optimè) noster iureconsultus Vallascus *in praxi de partition. cap.* 13. Vallasc. *num.* 54.

Hinc insurgit aliud dubium huic dubio præcedenti affine; vtrùm vestes pretiosæ, quas sponsi solent mittere sponsis suis ante contractum matrimonium, vt in die nuptiarum illis induantur, soluto breui matrimonio per mortem sponsæ sine liberis decedentis restituendæ sint ipsi sponso, aut hæredibus illius. Et eadem quæstio est de ornamentis aureis, & argenteis. Cui dubio cum distinctione respondendum est; nam aut quando missæ sunt ab sponso sponsæ, constat voluisse eas illi simpliciter donare, aut non constat, sed dubium est. Si constat voluisse sponsum simpliciter donare, non sunt restituendæ, sed pertinent ad hæredes sponsæ, non ad sponsum, neque ad hæredes illius, modò non excedant quantitatem, quam sponsis absque insinuatione donare poterat: nam si excedant, valor pro excessu restituendus est, & ita communiter Doctores, Afflictis *decis.* 315. *à num.* 6. Ancharranus *consil.* 181. *tutto.* Buttrius *consil.* 39. *incipit*, *Quia maior pars.* Gama *decis.* 123. *num* 1. & id constat ex *l.* 1. *C. de donat. ante nuptias*, & in hoc puncto consentiunt omnes. In dubio autem an voluerit, vel noluerit donare, dissentiunt valde: nam Afflictis modò allegatus asserit, aut saltem videtur asserere in dubio pertinere hæc ad sponsam, & hæredes illius, non ad sponsum, quia in dubio præsumenda est simpliciter donatio, maximè si motis sit in aliqua ciuitate, regno, aut prouincia hæc ab sponsis ad sponsas mitti (vt est in nostro regno Lusitaniæ) & verecundum sit sponsum id non facere. Probat, quia in omnibus contractibus, & donationibus 13. Afflict. Anchar. Buttrius. Gama.

nibus ſpectandus eſt ſemper mos regni, & ciuitatis: ſemper enim huiuſmodi res cenſentur donatæ iuxta morem ciuitatis, vt conſtat ex *l. penultima. §. 1 ff. ſoluto matrimonio.* Addit tamen Afflictis ex prædicta hac lege. *Sanè prodigalia veſtimenta, quæ modernus abuſus induxit, donata cenſeri non puto, nec monilia, nec lapides pretioſos. quia nemo præſumitur velle malè vti ſubſtantia ſua cum damni enormitate.*

14. Quicquid tamen ſentiat Afflictis *dicta deciſione 315. num. 7.* receptior eſt hodie ſententia, quæ docet in hoc dubio donationem ſimplicem non præſumi, & ideo pertinere huiuſmodi veſtes, & ornamenta, etiamſi non excedant quantitatem, quam ſponſus abſque inſinuatione donare non poteſt, ſed intra illam contineantur, ad ſponſum mittentem ſoluto matrimonio, non ad ſponſam.

Barthol. Imol. Palat. Ita docent communiter DD Barthol. *in l. 1. §. nec caſtrenſe. ff. de collat. bonor. num. 10.* Imola *in l. penult. §. ſeruus, num. 10. ff. ſoluto matrimon.* Palat.

Rubeus. Gama. Rubeus *in repet. rubr. de donat. inter virum & vxorem, §. 7.* Gama *deciſ. 123. num. 1.* & alij. Et ratio huius rei deſumitur ex gloſſa communiter recepta *in l. Cum quid. ff. ſi certum petatur*, quæ aſſerit nunquam præſumi donationem ſimplicem, ſi aliunde detur aliqua coniectura, qua contrarium poſſumus coniectare iuxta *l. Cum de indebito ff. de probat.* Cum igitur in præſenti caſu illa occurrat coniectura, quòd ſponſus has veſtes ſponſæ mittat, vt ornatior in die nuptiarum appareat, vel in templum exeat, ceſſat omnino donationis præſumptio, & ita fuit iudicatum in caſu ſimili in Senatu Luſitano Olisiponenſi, vt refert Gama citatus. Nec argumentum, & coniectura Matthæi de Afflictis conuincit dum ait, in hoc caſu ſi veſtes, aut monilia miſſa ſunt tradita, ac miſſa ſunt in ciuitatem, aut locum, in quo moris eſt ad ſponſam mitti, & verecundum eſſet ſponſo id non facere, præſumendam eſſe donationem: nam hæc coniectura infirma eſt, & in illum ſtatim retorqueri poteſt, vt optimè docet

Gama. Gama citatus *dicta deciſ. 123. num. 1. paulo infra medium*, in ea enim circumſtantia ſi verecundum eſſet ſponſo hoc non facere, magis præſumitur id fieri ob neceſſitatem, quàm ob voluntatem, *argumento. l. Pecuniæ. ff. de alimentis. & cibar. legat.* ideoque non cenſentur ſimpliciter merè gratis, & liberaliter donatæ, quia in neceſſitatibus nemo præſumitur liberalis, nemo liberalis exiſtit. Cum itaque apud noſtros Luſitanos mos, & conſuetudo exiſtat, vt ſponſi hæc ſponſis mittant, profectò non eſt præſumenda donatio talium veſtium, ſed ſimplex miſſio cum onere reuertendi ad ſponſum ſoluto matrimonio.

15. Et idem dicendum eſt de veſtibus pretioſis, quas mariti dare ſolent vxoribus conſtanti matrimonio; hæ enim etiam, & monilia aurea, & argentea ſoluto matrimonio adducenda ſunt in collationem cum hæredibus mariti, ſi matrimonium contractum fuit per carthulam dimidietatis, vt aiunt, vt moris eſt in noſtro regno Luſitano. & ita docet

Gama. Gama *deciſione prædicta 123. n. 1. ad finem.* Et ratio, ac fundamentum eſt, quia hæ etiam veſtes & iocalia dari ſolent à maritis vxoribus, vt ornatiùs, & decentiùs mulieres veſtiantur, cum foras egrediuntur: quoties autem res huiuſmodi à maritis, & ſponſis, vxoribus, ſponſiſque donantur, vt ornatiùs, & decentiùs appareant & veſtiantur pro aliquibus celebrioribus diebus, non cenſentur ſimpliciter donata, vt do-

Afflict. cet etiam Afflictis *dicta deciſ. 315.* & id probat per multos, & multa iura in ſponſis. Et eadem ratio eſt de maritis erga vxores, & ad hanc rem conducit valde textus *in l. Si quid ff. de legatis 3.* vbi dicitur res, quas maritus, cauſa vxoris emit, antequam vxorem duceret, perinde eſſe ac ſi conſtanti matrimonio emiſſet; atqui ex reſolutione communi res comparatæ cauſa vxoris, & illi traditæ non efficiuntur ſuæ, neque hæredi ſuo competunt ſi pretioſæ ſint: ergo neque huiuſmodi veſtes vxoris erunt ſoluto matrimonio, ſed ad partitionem, & collationem cum hæredibus mariti adducendæ ſunt.

Neque contra id quod reſoluimus *num. 14.* 16.
obſtat quòd donatio per ſponſum ſponſæ facta valet, vt quædam largitas ſponſalitia *l. Cum veterum. C. de donat. ante nuptias. l. Si ante, eodem tit.* quia id nos non negamus ſi expreſsè fiat donatio, & de illa conſtet, vt ibidem diximus; at nos loquimur in caſu dubio, in quo de tali donatione non cõſtat, in quo Bartholi opinio ibidem relati ſeruanda eſt, maximè cum ille dicat opinionem ſuam eſſe communem, & in Luſitania communiter hæc opinio ſeruatur.

Aliæ verò veſtes, quæ ordinariæ ſunt, & vſui 17.
quotidiano inſeruire poſſunt, non adducendæ ſunt ab vxoribus in partitionem cum hæredibus mariti, quia hæ ad alimenta pertinent, & ad vxorem pertinent, hæredeſque illius, vt docet Mat-
thæus de Afflictis *dicta deciſ. 315. num. 3.* & be- Afflict.
ne, ac doctè id probat. An autem ad vſum quotidianum inſeruiant, an ad ornatum, iudicabit prudens iudex ſpectatis diuitiis, qualitate, generis ſplendore, & aliis circumſtantiis viri, & vxoris, vt ibidem aſſerit Afflictis.

Si autem matrimonium contractum fuit iuxta 18.
morem regni Luſitani per communicationem bonorum vulgò *per carta da metade*, tunc quidem filio, vel filia dotata mortuo vno ex parentibus, qui illam dotarunt, tenetur afferre in diuiſionem cum aliis fratribus, caſu quo illam ingrediatur dimidietatem tantùm dotis, mortuo autem vtroque, patre ſcilicet, & matre, totam dotem, vt habetur in noſtris ordinat. nouis Luſitan.
lib. 4. §. 1. tit. 97. & tradit Gama *deciſ. 309. aliàs* Gama.
310. Si contractum fuit matrimonium per contractum dotis, & arrharum, tunc ſiue vnus, ſiue vterque ſimul, dotem filio, vel filiæ conſtituerunt, ſeruandum erit ius commune; ius autem cõmune in eo caſu decernit vt ſi pater ſolus dotat filiam, vel filium ſine interuentu vxoris, mortuo eo filius, vel filia dotata afferat totam dotem cum aliis fratribus ad partitionem, collationemque cum aliis fratribus. Si verò ſola mater dotet filiam, vel filium ex bonis ſuis dotalibus, quod in iure eſt valde dubium, an ſcilicet ſola mater de bonis ſuis dotalibus viuente patre poſſit filium,
vel filiam dotare, de quo vide Vallaſcum *in pra-* Vallaſc.
xi de partit. cap. 13. num. 58. & 59. ſed retenta opinione quòd poſſit, tunc etiam mortua matre pari modo conferet filia totam dotem ad partitionem cum aliis fratribus: Si vterque ſimul pater ſcilicet, ac mater dotarunt, tunc etiam mortuo vno dimidium tantùm dotis in diuiſionem, & collationem afferre tenetur, ſi illam ingrediatur, totam verò dotem mortuo vtroque. Ita docet Vallaſcus ibi cum aliis, quos allegat.

Sed à dote, & matrimonio carnali, & tempo- 19.
rali gradum faciamus ad matrimonium, & dotem ſpiritualem & ingreſſum filiæ in religionem bonorum capacem; nam hæc etiam dicitur nubere Chriſto Domino, & ex fauore valet argumentum de

de matrimonio, & dote carnali ad spiritualem,
Barth. *cap. Inter corporalia de transslat. Episcop.* Barthol.
su *l.* 1. § *si parentes. num.* 1. *ff. si quis à parente.*
Vallasc. Vallasc. *in praxi de partition. cap.* 13. *num.* 31.
Nec obstat huiusmodi dotes pro monialibus dari
vice alimentorum iuxta Concilium Tridentinum
sess. 15. *cap.* 16. *de regul.* alioqui si darentur pro
puta admissione ad locum sacrum, & professio-
nem, esset illicitum omnino, & simonia, vnde
videntur huiusmodi dotes non conferendæ, si
monasteria velint ingredi diuisionem, & collatio-
nem cum fratribus monialis, mortuo patre, vel
matre, vel vtroque simul prædictæ monialis,
quia alimenta filiis data non conferuntur à liberis
l. 1. *§. si inter. ff. de lib. agnoscend.* nam etiam dos
sæcularis habet rationem alimentorum, & tamen
confertur; aliud enim est alimenta dierum, aut an-
norum filiis ministrare, aliud est simul cumula-
tim dotem certam monasterio, vel filiis, aut filia-
bus, cum matrimonio copulantur, præstare vice
alimentorum: quia in isto casu non in figura ali-
mentorum, sed in figura dotis, & per modum
dotis alimenta donantur. Si enim per modum
tantùm alimentorum prædicta dos monasterio da-
retur, profectò repeteretur à monasterio id quod
à moniali relictum esset, & non esset insumptum,
quod non solet, nec videmus fieri.

20. Petes igitur, an illa etiam, quæ vltra dotem
monasterio solent dati, vt supellex, *Euxoual*
vocant Lusitani, v. c. valor vestium monialium,
lectus, culcitræ, sindones, linteamina, propinæ, &
alia huiusmodi conferenda sint in casu, quòd mo-
nasterium cum aliis fratribus, & hæredibus mo-
nialis spe melioris legitimæ collationem ingredi
voluerit; succedit enim monasterium ratione
Propinæ an conferantur. monialis loco filij, & hæredis. Responsio. In pri-
mis propinæ non sunt conferendæ, si in locum
prandij, epularum, seu conuiuij donentur, quod
in die professionis solet dari monialibus. Ratio
est, quia etiam expensæ factæ in die nuptiarum
pro prandio, & conuiuio matrimonij carnalis non
conferuntur, vt diximus *num.* 11. cum authori-
bus, quos ibi allegauimus, & id expressè statui-
tur in nouis Ordinationibus *lib.* 4. *tit.* 97. §. 2. Si
autem vltra hoc conuiuium dantur etiam pro-
pinæ aliæ monialibus, tunc quidem huiusmo-
di propinæ cum dentur quasi in augmentum
dotis, sine dubio conferendæ erunt; augmentum
enim dotis, naturam dotis habet, & accessorium
sequitur principale, quando illius naturam habet,
& ab illo non separatur. *l. Etiam. C. de iure do-
tium, & l. Inter Socerum § cum inter. ff. de pactis*
Vallasc. *dotalibus.* Et ita docet Vallascus *in praxi de par-*
Tiraq. *tition. cap.* 13. *num.* 37. Tiraquellus *l. Retract.* 1.
Garcia. § 1. *glossa* 18. *num.* 51. Garcia *de expens. cap* 4.
Gomez. *num* 10. Anton. Gomez *l.* 29. *Tauri, num* 25. Mo-
Molin. lin. *tom.* 1. *de iust. disp.* 238. *versu, de expens.* Na-
Nauar. uar. *in summa cap.* 17. *num.* 165. qui omnes vno,
excepto Molina & Vallasco, loquuntur de ex-
pensis prandij factis in die matrimonij carnalis:
sed eadem est ratio, vt diximus & docet Vallas-
cus, de expensis factis pro prandio in die profes-
sionis filiæ monialis, cum procedat argumentum
de matrimonio carnali ad spirituale, vt bene do-
cet Vallascus allegatus. Addit tamen Nauarrus
loquens, vt dixi, de expensis factis pro prandio
in die nuptiarum, nisi pater fecit eos sumptus
animo computandi eos in legitima talis filij, aut
filiæ; credit tamen Molina allegatus patrem non
fore audiendum in iudicio etiam stando in iure
communi; nam de iure Lusitano non est dubium

quòd non sit audiendus, cum id expressè in eo
statuatur, vt vidimus. Vnde, vt optimè notat
Molina allegatus tenetur pater, vel mater hos
sumptus facere de portione, hoc est de tertio suo
in regno Lusitaniæ, de qua liberè potest dispo-
nere, tum quia æqualis est sors omnium filiorum,
& filiarum in ea parte, cum singulis fiant huius-
modi expensæ si ad nuptias peruenisnt, aut reli-
giosæ fiant; tum vel maximè, quia hi sumptus
ad competentem ac rationabilem administratio-
nem suorum bonorum spectant, & Molina lo-
quitur etiam expressè, vt dixi, cum Vallasco de
expensis factis pro prandio filiæ monialis ob
identitatem rationis matrimonij carnalis, & spi-
ritualis.

Idem propter eandem rationem dicendum est 21.
de expensis, quas parentes faciunt in prandio
primi Sacri suorum filiorum, & in prandio quan-
do filius ad gradum doctoratus promouetur, &
in aliis similibus euentibus, quando filius est sub
patria potestate, & à parentibus alitur. Ita Mo- Molin.
lina *tom.* 1. *de iust. disp.* 238. *§. de expensis.* Si ta-
men filius habeat propria bona, poterit, inquit,
pater, vel mater si velit, vt etiam hæc conuiuia,
& prandia de huiusmodi bonis fiant, sicut & to-
tam sustentationem, ait, antequam vxorem du-
cat, poterit ei de huiusmodi bonis præbere. Bal-
dus tamen, & Vallascus *num.* 11. allegati, asserunt Vallasc.
si filius, vel filia habeat bona propria, quæ sint
sub potestate, & administratione patris, ex qui-
bus huiusmodi sumptus fieri possint, adhuc cen-
seri patres illos de suo proprio efficere, quod non
est contra id, quod Molina docet, cum ille so-
lùm dicat posse patrem si vellet, illos de his bonis
filiorum facere.

Supellex Lusitanè *Oeuxonal*, id est, lectulus, 22.
culcitræ, stragula, linteamina, sindones, &c.
etiam conferenda sunt, & ad partitionem addu-
cenda, sicut fit in dote sæculari, quia iuxta no-
strum ius omnia conferenda sunt, & in collatio-
nem adducenda, nisi expressè excepta inuenian-
tur, ibi, *lib.* 4. *noua ordin. tit.* 97. *initio: Seia obriga-
do à trazertudo à collacam,* hoc est, *sit obligatus af-
ferre omnia ad collationem.* Solùm autem in eo ex-
cipiuntur expensæ factæ causa conuiuij. Ita do-
cet Vallascus *in praxi de partitionib. cap.* 13. *nu-* Vallasc.
mero 36.

Tensæ, seu redditus annuales, qui in Lusita- 23.
nia Monialibus à parentibus vltra dotem dari so-
lent ad subleuandas necessitates occurrentes, non
sunt conferendi, quia non dantur monasterio pro
augmento dotis, sed dantur Monialibus ipsis pro
vita illarum tantùm, via eleemosynæ, & loco ali-
mentorum annuatim, alimenta autem non confe-
runtur. Ita Vallascus *in praxi de partition. cap.* 13. Vallasc.
num. 39.

Nec etiam donationes remuneratoriæ factæ fi- 24.
liis à parentibus in ratione salarij pro seruitio sibi
impensu pro ea quantitate in qua valerent si aliis
extraneis pro eodem seruitio donarent: ita Na- Nauar.
uarrus *in summa Latina cap.* 17. *num.* 145. Nec
etiam iuxta Iulium Clarum donatio facta à patre
filio sub sua potestate degenti in præmium eman-
cipationis, quia satis potest dici donatio remune-
ratoria facta causa præexistenti, vt scilicet eman-
cipationi consentiat; nam filius non potest à pa-
tre inuitus emancipari. Ita docent Iulius Clarus Iul. Clar.
lib. 4. *§. donatio, quæst.* 8. *num.* 5. Alexander *cons.* 21. Alexand.
lib. 3. *post num.* 9. Rimiualdus, & alij quos ipse Rimin.
Iulius Clarus allegat post multa iura.

Caput XX.

An patrimonium factum à patre, vel matre filio pro sacris sit conferendum, & quid de donatione facta ab eodem patre pro militia, pro assistentia in curia, pro studio literarum, & gradu doctoratus, pro libris emendis & alijs ad studium necessarijs.

Summarium.

Decretum Concilij Tridentini non inducit absolutam prohibitionem alienationis patrimonij pro sacris ordinibus. num. 1.

An patrimonium sacrorum ordinum adducendum sit ad collationem si attingat legitimam aliorum filiorum. & tertiam patris dotantis. Refertur opinio negatiua. num. 3.

Præfertur affirmatiua. num. 4. *Bona Castrensia donata cum præiudicio tertij ad collationem adducuntur, & quatenus de iure Lusitano bona donata ob militiam exempta, aut non exempta sint ab onere collationis.* ibid.

Non valet spectare iure communi argumentum de bonis donatis ob militiam terrestrem, ad bona donata ob militiam cœlestem. num. 5.

An in casu, quo filius clericus ingrediatur collationem, teneatur ad illam adducere non solùm ipsum patrimonium, sed etiam omnes fructus perceptos, quatenus, & quomodo. num. 6.

Bona mobilia, quæ à patre, vel matre donantur filio sub sua potestate constitute, vt equi, arma, & vestes, & expensa ad militiam, an ad collationem veniant. num. 7.

Quid de iure Lusitano. num. 8.

Quid si pater, vel mater causa belli, & militia aliquid mobile filio iam vxorato, aut emancipato dederit. num 9.

Bona quasi castrensia quæ donantur à patre, vel matre pro assistentia in palatio, an ad collationem afferantur. num. 10.

Quid nomine palatij intelligatur, an intelligantur etiam filij Regis bastardi. num. 11. & 10.

Expensa facta a patre, vel matre cum filijs sub illorum potestate constitutis studentibus an sint exempta ab onere collationis, & quatenus. num. 12.

An nomine alimentorum, veniant expensæ factæ cum filijs pro maioribus studijs, an solùm pro studijs Grammatica. num. 13. & 14. & 15.

Si pater habeat in sua potestate aliqua bona propria filij castrensia, quasi castrensia, aut aduentitia, an censeatur in studijs maioribus illum alere de illis, an de suis proprijs. num 16. & 17.

De iure Lusitano, & Hispano non sufficiunt quæcumque coniectura ad colligendum velle parentes alere in studijs filios suos de parte sua legitime, sed requiritur quod expressè id illis intiment, & protestentur. num. 18.

An parentes teneantur alere filios in studijs captis quoad vsque illa absoluant, & formentur. numero 19.

An libri dati à parentibus filijs ad studendum à collationis onere sint exempti. num. 20. *Quid si filiusfamilias erat doctor, iudex, vel aduocatus, & iam exercebat suum munus, aut erat in promptu ad illud exercendum, & pater illi libros tradidit, aut promisit, an tunc illi adducendi sint ad collationem.* ibid. *Quando libri ad collationem adducuntur, quoad æstimationem tantum adducuntur, & pro quo tempore facienda sit æstimatio illorum, an pro eo statu in quo sunt; an pro tempore, quo empti, & traditi fuerunt filio.* num. 20.

Quid sentiat Antonius Gomez circa huiusmodi libros in hac materia collationis illorum. num. 21.

QVæstio apud doctores controuersa 1.
satis hodie est, an donatio facta à patre
filio ad titulum patrimonij pro suscipien-
dis ordinibus sacris, conferri debeat in eo casu,
quo filius sacris ordinibus initiatus collationem
cum aliis fratribus ingredi voluerit, aut alij fra-
tres in legitimis defraudati id requisierint? Et
ad resolutionem huius quæstionis supponit Val- Vallasc.
lascus *in praxi de partitionib. cap. 13. à num. 77. vs-*
que ad 80. decretum Concilij Trident. *sess. 21.*
cap. 2. de reformat. non inducere absolutam pro-
hibitionem alienandi prædictum patrimonium,
sed donec sacris ordinati Ecclesiasticum benefi-
cium sint adepti, vel aliunde habeant vnde con-
gruè, & decenter viuere possint, quæ suppositio
est vera, & patet ex prædicto capite eiusdem
Concilij in fine.

Facta igitur hac suppositione, est duplex opi- 2.
nio hac de re. Prima docet posse filium sacris
ordinatum spe consequendi maiorem, ac melio-
rem portionem, quàm sibi à parentibus in patri-
monio fuerit donata, conferre cum aliis fratribus
suum patrimonium, non tamen ad id teneri; nam
si contentus suo patrimonio velit abstinere ab
hæreditate paterna, id poterit efficere. Ita docet
Vallascus *de partition. dict. cap. 13. à num. 77.* Mo- Vallasc.
lin Theol. *tom. 1. de iust. disp. 241. §. ex hoc co-* Molin.
rollario. Probant primò, quia attento iure nostro
Lusitano *lib. 4. tit. 97. initio.* regula est affirmatiua,
vt omnia, quæ pater, vel mater, vel vterque si-
mul filiis donarunt *per qualquer maneira*, hoc est,
quocumque modo, adducant in collationem, nisi in
casibus ibi exceptis. ibi autem non excipitur tale
patrimonium. ergo illud adducendum erit, si fi-
lij spe melioris portionis voluerint diuisionem
ingredi. Secundò, quia non obstat Concilium
Tridentinum *dict. sess. 21. cap. 2. de reformat.* ibi
enim solum prohibet alienationem patrimonij,
quando initiatus sacris ordinibus ad titulum præ-
dicti matrimonij non habet aliunde vnde viuere
possit; atqui spe melioris legitimæ illud dimittit,
non alienat, sed in melius commutat, & habet
vnde melius sustentari possit; igitur non potest
obstare Concilium tali dimissioni. Tertiò, quia, vt
docet Toletus *lib. 1. summa cap. 48. num. 7.* patri- Tolet.
monium pro sacris ordinibus factum licitè emi
& vendi potest, si clericus habeat aliunde benefi-
cium, aut vnde viuat; non prohibetur ergo hu-
iusmodi alienatio per Concilium Tridentinum
in eo casu, & consequenter neque in nostro ob
eandem rationem, & idem cum Toleto docet
etiã Cenall. communis contra communem, *q. 527.* Cenall.
& citat Flaminium pro se, & Azeuedo, vbi dicit Flamin. Azeued.
eam venditionem in eo casu posse fieri sine licen-
tia Episcopi, probátque ex eo, quia in præsenti
euentu, quando scilicet Sacris initiatus habet be-
neficium, aut aliunde vnde viuat, cessat finis, &
intentio Concilij Tridentini, ne scilicet cogantur
mendicare cum dedecore sacrorum ordinum,
quibus ego etiam assentio.

Maius

3. Maius dubium est; an quando patrimonium hoc attingit aliorum filiorum legitimam & tertiam patris dotantis excedit, & illi suam læsionem allegant, teneantur clerici adducere suum patrimonium in diuisionem, & collationem cum aliis fratribus, vt læsio reficiatur. qua de re est duplex opinio. Prima id omnino negat, & ait non posse iudicem competentem ad hanc collationem cogere quoad prædictum patrimonium. Hanc tenet Vallascus *de partit. cap.* 13. *à num.* 77. Duenhas *ad regulam* 222. *limitat.* 3. Anton. Gomez *ad legem* 29. *Tauri, num.* 21. vbi Tellius *num.* 16. Auendaña *glossa* 3. *num.*8. Rojas *de success. cap* 7. *à n.*46. Azeuedo *l.* 10. *num.* 29. & 30. *titul.*6. *lib.*5. *noua recopil.* Matienso *l.* 3. *glossa* 2. *num.* 14. *tit.*8. *eodem lib.* Spino *in speculo testam. glossa* 18. *à num.* 66. Quintanad. *Ecclesiast. part.* 1. *lib.*3. *ad finem.* Polydor. Rip. *obseruat.* 230. Iaffredo Bald. *decis.*16. Gratianus *regula* 95. *num.* 6. Mendez de Castro *in l. Cum oportet. num.* 165. *C. de bonis, quæ liberis.* Stephanus Gratian. *disceptat. forens. cap.* 159. *à num.*31. Caldas Pereira *in l. Si curatorem, verbo, Læsis, num.* 132. & nouissimè *quest. forens. in commento ad §. Sed hæc. part.* 2. *num.* 48. *versu, Ex quo.* Iustinianus *de inoff testam.* Fundamentum est. Primò, quia donata à patribus filiis ob militiam terrestrem, non conferuntur, etiamsi attingant legitimam aliorum filiorum, & tertiam parentum excedant, quia castrensia reputantur *l. finali. C. de collat.* Ius Lusit. *in nouis ord. lib* 4 *tit.* 97. §.9. ergo neque etiam conferentur ea, quæ donantur ob militiam cœlestem, valet enim argumentum ab vna militia ad aliam. *l. Miles, ff. de re iudicata.* Secundò, quia resistit Concilium Tridentinum tali collationi *sess.*21. *de reformat. cap.*2. dum resistit, & inualidat annullationem patrimonij absolutè interim dum clerici non habent aliunde vnde viuant, aut beneficium ex quo congruè, & decenter ali possint, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, maximè quia hoc potuit Concilium, & Ecclesia statuere, etiamsi donatio prædicti patrimonij aliquantulum legitimam reliquorum filiorum attingeret ob fauorem boni communis animarum, & sacrorum ordinum; & quia si patres erant tam pauperes, vt prædictum patrimonium suam tertiam excederet, & legitimam aliorum filiorum attingeret, id satis compensabatur; solent enim fratres clerici quicquid habent, & sacris ordinibus acquirunt, in bonum & vtilitatem fratrum, & sororum pauperum effundere, eas alendo, & dotando, vt passim videbimus, & sic in ea assignatione patrimonij non agitur de præiudicio aliorum filiorum, sed de commodo, & vtilitate illorum. Neque obstat, si aliqui clerici contrarium efficiant, magno suarum conscientiarum damno; id enim rarò contingit, & contrarium frequentius esse solet, & ea quæ rarò contingunt, non veniunt in consideratione, nec leges aptantur casibus rarò contingentibus.

4. Secunda opinio affirmat prædictum patrimonium esse conferendum. Hinc tenent Couar. *in cap. Raynaldus*, §.2. *num.* 7. *de testam.* Azor. *de partition. part.*2. *quæst.*13. Salzedo *in pract. ad Bernard. cap.*18. *num.*16. Menchac. *de success. creata.* §. 22. *num.*44. Perez *leg.*4 *tit.*12. *l.* 3. *ordinat.* Emanuel Rodrig. *in summ. tom* 1. *cap.* 15. *num.*8. Gutierrez *in pract. lib.*1. *quæst.*65. Petrus de Ledesma *in summ. part.* 1. *tract. de sacramento ordinis, cap.*7. *conclus.*6. *ad finem.* Pater Molina *tom.*1. *de iust. disp.*238. & *disp.* 241. *ad finem.* Garcia *de beneficijs, part.* 2. *cap.*5. *num.*159. & alij quos refert sapientissimus Augustinus Barbosa *in suis remissionibus ad Concil. Trident. sess.*21. *de reformat.* c.2. *num.*25. meus quondam auditor diligentissimus. Fundamenta huius opinionis, & non contemnenda hæc sunt. Primò, quia quando prædictum patrimonium excedit portionem illam, de qua pater, vel mater illud constituens, liberè disponere potest, quæ in Lusitania est tertia bonorum pars, & in Castella tertia, & quinta, non est negandum in præiudicio id esse aliis filiis, quorum legitimam attingit; quæ autem cum præiudicio tertij efficiuntur, iure naturali sunt illicita, & inualida, *cap. Si diligenti, de foro competenti.* Nec pia mater Ecclesia quando in Concilio Tridentino hanc patrimonij alienationem prohibuit, voluit præiudicare aliis filiis, neque id præsumendum est, imò contrarium, quare is casus censetur omissus, casus autem omissus per leges iuris communis metiendus est; quare cum ea quæ donantur causa dotis carnalis si præiudicio sunt aliis filiis, adducantur in collationem, à fortiori etiam adducenda erunt ea, quæ donantur pro matrimonio spirituali, & susceptione sacrorum ordinum, cum valeat argumentum de vno matrimonio ad aliud. vt suprà probauimus. Secundò, quia non potest hîc militare ratio boni communis animarum, cum plures animæ tunc ob defectum alimenti periculo exponantur, quales sunt animæ reliquorum fratrum, & sororum, nec hoc præiudicium compensari potest per bonum, & eleemosynas, quæ fieret a fratre clerico dotato, cum hoc ex natura sua sit incertum, & præiudicium reliquorum fratrum certum & liquidum: de incerto autem ad certum, & de non liquido ad liquidum, nulla potest dari compensatio. Tertiò, quia Concilium Trident. non prohibet absolutè alienationem prædicti patrimonij nisi in casu, quo clerici non habeant aliunde bona ex quibus decenter viuant, aut beneficium vnde ali competenter possint, & quando exceptis his casibus illum prohibet, non intendit præiudicium esse tertio, id enim iniustum planè esset. Quartò, quia bona castrensia donata cum præiudicio tertij, etiam adducenda sunt ad collationem, quatenus tertio præiudicant. Quintò, quia attento iure huius regni Lusitaniæ hæc opinio omnino recipienda est, vt doctè animaduertit Vallascus *de part. cap.* 13. *num.* 159 nam de iure Lusitano bona quasi castrensia donata ob militiam terrestrem non sunt omnino exempta à collatione, sed solùm illa, quæ dantur filio soluto, qui est sub paterna cura, vel filio vxorato ad effectum tantùm, vt eques fiat, vt patet ex nouis ordinat. *lib.*4. *tit* 97. & nec etiam donantur absolutè, sed sub limitationibus; quia si adhuc extant tempore mortis patris donantis, vel constat fuisse in alios vsus insumpta, ad collationem afferenda sunt, vt ibidem decernitur. Cum igitur donata bona ad titulum patrimonij sacri ordinis ipsis filiis clericis tempore mortis parentis dotantis extent, necessariò erunt conferenda, quatenus præiudicio sunt aliis filiis, ac proinde sequitur attento nostro iure, quod non possint inniti priuilegio bonorum quasi castrensium, vt à collatione eximantur, vt patet. Adde etiam quòd attenta praxi huius regni, vt optimè notat Vallascus allegatus, non eximuntur ab obligatione collationis, nisi ea bona quæ inueniuntur excepta per nostras leges, ouilibi autem inuenitur exceptum in illis huiusmodi patrimonium, vt latè probat Vallascus *de partit.*

Vallasc. Duenhas. Ant. Gom. Tellius. Auend. Rojas. Azeued. Matiens. Spin. Quintad. Polydor. Iaffred. Gratian. Mendez. Stephan. Cald. Pereir. Iustin.

Couar. Azor. Salzed. Menchac. Perez. Rodrig. Gutier. Petr. Led. Molin. Garcia. Barbos. Vallasc.

Fagundez in Decalog Tom.I.

partit. in prax. cap. 13. *à numero* 77. *vsque ad* 78.

5\. Ego huic vltimæ opinioni subscribo propter sua fundamenta, & authores, quamuis non negauerim primam etiam esse valde probabilem Illud tantùm non valere in rigore iuris communis argumentum deductum de bonis donatis ob militiam terrestrem ad bona donata ob militiam cœlestem, quod erat fortius argumentum primæ opinionis, cum illud inueniatur in iure expressum, hoc non inueniatur. Non enim negare possumus ob bonum commune regni, & defensionem illius, & ob splendorem suæ curiæ posse principes temporales faciliùs disponere de bonis temporalibus suorum subditorum, quàm ob bonum commune animorum propriorum subditorum, imò hoc nullo modo posse illos efficere, cum id excedat suam iurisdictionem; quare cum nullibi in iure communi inueniatur expressum valere argumentum de militia terrestri ad militiam cœlestem, non multum roboris habet præcipuum fundamentum primæ opinionis. Imò

Menchac. vt doctè animaduertit Menchaca allegatus *de success. creata.* §. 22. *num* 44. *lib.* 3. ideo ea, quæ dantur à patre filio causa militiæ, non afferuntur ad collationem, quia supponuntur iam esse consumpta & non extare; nam si extent, vel aliquid ex illis; quod ad hæredes, & fratres alios transmitti possit, id ad collationem afferendum est, & cum legitima filij donati imputandum, vt colligitur ex mente legis, *Omnimodo. C. de inofficioso testam. in* §. *imputari*, quare etiamsi valeat argumentatio de militia temporali ad spiritualem, cum patrimonium factum ob militiam spiritualem & sacros ordines extet, necessariò imputari debet cum legitima, & afferendum in diuisionem, siquidem erit imputandum & afferendum si extaret, & datum esset ob militiam temporalem, vt patet.

6\. Notatim etiam in casu, quòd filius clericus velit sponte sua spe melioris portionis, & non requisitus à fratribus ingredi collationem, teneri illum afferre in diuisionem non solùm bona sui patrimonij; sed etiam omnes fructus illorum perceptos à tempore mortis patris vel matris dotantis vsque ad tempus partitionum. Si verò ipse nolit esse hæres, nec sponte ingrediatur collationem, sed lacessitus à fratribus suam læsionem allegantibus, solùm tenetur afferre in diuisionem id quod excedit suam legitimam, & fructus huius excessus concessa sibi electione æstimationis, & valoris bonorum prædicti patrimonij tempore mortis patris vel matris dotantis, vel tempore constitutionis dotis, prout ipse maluerit, vt diximus *cap.* 1. *num.* 6. post medium.

7\. Bona mobilia, quæ à patre, vel matre, vel à quocumque alio donantur filiofamil. proficiscenti in bellum, vel ad militiam, vt arma, equi, & alia huiusmodi, vel ad paranda necessaria ad bellum, sumptusque in militia faciendos, castrensia bona sunt, & non sunt ad partitionem afferenda de iure communi loquendo *l. Mulier, l. Miles præcipua, & l. Castrense. ff. de peculio castrensi, l.* 1. *C. eodem tit. lib.* 12. *& lib.* 4. *C. familiæ erciscundæ*; secus si bonum immobile donetur à parente filio eunti in bellum; nam hoc non pertinet ad castrense peculium, & necessariò est conferendum, vt asseritur *in l.* 1. *C. de castrensi pecul. lib.* 12. *& l.* 4. *C. familiæ erciscundæ*; secus etiam si quid pater, aut mater donet filio è bello reuertenti, nam neque hoc pertinet ad castrense peculium, neque ex collatione exemptum *l. Pater*

Molin. *miles ff. de castrensi peculio*. Ita docet Molin *tom.* 1. *de iust. disp.* 230. *versu, Deinde bona mobilia*, & Vallasc. *de part. cap.* 13. *à num.* 167. Hæc de iure Vallasc.
communi. Nauarrus *in summa Lat. cap.* 18. *n.* 145. Nauar.
Iulius Clarus §. *Donatio, quæst.* 8. Iul. Clar.

De iure autem Lusitano si quid mobile pater 8.
aut mater dederit filio sub sua potestate constituto pro bello, militia, aut assistentia in curia regia ad peculium castrense filiorum pertinet, & à collatione sunt exempta si iam insumptum fuerit tempore mortis parentis donantis; si quid tamen nondum fuerit insumptum, sed extiterit, ad peculium castrense prædicti filij non pertinet, vt de iure communi pertinebat, sed tenetur filius id adducere ad collationem, si tempore mortis parentis fuerit repertum, aut id tunc vendidit, vel alienauit. Ita habetur *lib.* 4. *noua ord. tit.* 97. §. 9 & docet Vallascus *de part, dicto cap.* 13. *à num.* 167. & Vallasc.
Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 230. §. *Deinde bona,* Molin.
post medium.

Si verò pater, aut mater aliquid mobile filio 9.
coniugato, & vxorato in bellum proficiscenti, aut causa militiæ dederit ad sumptus tempore belli, & militiæ faciendos, id non pertinet ad peculium castrense talis filij; sed potius quicquid ille eo pacto acceperit, tenetur postea adducere ad collationem cum cæteris fratribus. Excipe nisi quando ad bellum, & militiam proficiscebatur, nondum erat eques, Lusitanè *Caualeiro:* nam tunc si nondum eques erat, quod accepit causa belli, & militando insumpsit, non tenetur ad collationem afferre. Et idem dicendum est iuxta Gamam *decis.* 140. *num.* 1. de eo, quod insumpsit, dum se parabat ad belli expeditionem, & profectionem, si casu aliquo fortuito non profectus est, quia per illum non stetit. Ita habetur *lib.* 4. *noua ord. dict. tit.* 97. §. 9. & docent Molina, & Vallascus proximè allegati: Si quid tamen adhuc tempore mortis patris, vel matris donantis extat & superfluit, ad collationem adducendum est, & si post mortem alterius, vel vtriusque parentis illud vendidit, aut alienauit, tenetur afferre æstimationem pretij ad prædictam collationem. In eo enim computatur cum filiofamilias, vt notat Molina *dicto tom.* 1. *de iust. disput.* 23. *versu,* Molin.
Deinde bona mobilia, in fine. & Vallascus *de partit.* Vallasc.
lib. 13. *num.* 168. *cum sequentibus.*

Bona etiam castrensia, aut quasi castrensia, di- 10.
cuntur bona omnia mobilia, quæ à patre, vel matre donantur filiofamilias tantùm pro expensis, & assistentia curiæ in palatio, & ad collationem non sunt trahenda. Dixi *filiofamil. tantùm,* quia si filius fuerit coniugatus, ad collationem tenetur afferre quicquid ei à patre, vel matre fuerit donatum, etiamsi ad sumptus pro aula, & palatio donetur. Nomine autem palatij de iure Lusitano tam intelligitur Regis aula, quàm Reginæ, quàm cuiusque Regis filij Ita habetur *in noua ord. dict. lib.* 4. *tit.* 97. §. 9. & docet Molina *tom.* 1. *de iust.* Molin.
disp. 230. *versu, Deinde bona.* & Vallasc. *de partit.* Vallasc.
cap. 13. *num.* 168.

Dubitant tamen Doctores an appellatione fi- 11.
liorum Regis intelligantur etiam filij bastardi, & & non legitimi. Et certè Vallascus modò allegatus *num.* 169. *&* 170. putat intelligi, & bene, quia cum lex Lusitana vtatur nomine filiorum absolutè, & sine distinctione, quod est nomen naturæ, & non iuris, euidenter sequitur, quòd comprehendantur etiam bastardi iuxta Bartholom *in l. Tutelas ff. de capit. administr.* vbi etiam optimè resoluit teneri filium afferre ad partitionem cum fratribus quicquid inconsumptum ab aula regia

roda

reduxerit in eo statu, in quo repertum fuerit tem-
pore collationis, quæ sententia Vallasci est vera.
12. Expen æ factæ à parentibus filiis sub paterna
cura constitutis pro studiis tam de iure Lusitano,
quàm communi conferuntur, nec parentes tenen-
tur eas in suum tertium aut portionem de qua li-
berè possunt disponere, accipere: constat ex *l.*
Quæ pater, ff. familiæ ercifcundæ, consentit apud
nostros Lusitanos Ordinatio Noua *lib.* 4. *tit.* 97.
Greg. Lop. §. 5. apud Hispanos *l.* 111. vbi Greg Lopez *tit.* 4.
Barbosa. *part.* 5. docet Barbosa *in l.* 1. *ff. soluto matrim. p.* 7.
Mendez. *num.* 28. 29. 30. Mendex à Castro *in l. Cum oportet.*
Vallasc. *num.* 173. *C. de bonis. quæ lib.* Vallascus *de partit.*
Caldas. *cap.* 13. *num.* 151. Caldas *in commentar. ad §. sed*
hac part. 2. *num.* 50. *versu, quod etiam iastit. de in-*
officioso test. Azot *inst. moral. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4.
Azor. Reginald. *quæst.* 7. & 18. Reginaldus *in praxi fori pœniteat.*
lib. 10. *cap.* 43. vbi etiam resoluit teneri patrem in
conscientia expensas facere, vt filius det operam
litteris, quibus alij suæ conditionis more patrio
Iul. Clar. erudiri, informatique date solent. Iulius Clarus
Molin. *lib.* 4 *sent. §. donatio. quæst.* 6. *num.* 8. Molin. *tom.* 1.
de inst. disp. 239 *initio.* Et verò verba nostræ or-
dinationis ibi, & verba legum iuris communis
procedunt in primis de expensis factis in studiis
Grammaticæ, & cæterarum artium, sine quibus
commodè pueri ingenui viuere non possunt. Id
enim important illa verba nostræ ordinationis *Em*
estudo. Latinè *in studio.* & de hoc nullus ex Do-
ctoribus citatus ambigit. Et ratio est, quia ex-
pensæ factæ pro studiis, continentur sub alimen-
tis, quæ patres necessariò, tenentur filiis sub pa-
Barthol. tria potestate degentibus præstare iuxta Bartho-
lum *in l. de bonis. §. non solùm ff. de Carbonar. edicto*
Garcia. & Garciam *de expensis cap.* 3. *num.* 47. Rolandum
Roland. *consil.* 12. *lib.* 1. Cardin. Tusch. *litera A. concl.* 282.
Tusch. Trentas. Trantasinch. *var. resolationum lib.* 1. *tit. de aliment.*
Coler. *resolut.* 3. *num.* 27. Martinum Coler. *de aliment.*
Surd. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. & 10. Surdum *tract. de ali-*
ment. tit. 4. *quæst.* 6.
13. Nam quamuis difficilis quæstio sit, an nomine
alimentorum veniant etiam expensæ causa stu-
dij factæ cum filiis, & pro negatiua parte stet tex-
tus *in l. Legatis. ff de aliment. & cibar. legatis*, ibi,
Legatis alimentis cibaria, vestitus, & habitatio de-
betur, quia sine his ali corpus non potest; cætera, quæ
ad disciplinam pertinent, legato non continentur.
Pro affirmatiua stat textus expressus *in l. de bonis*
§. non solum. ff. de Carbon. edict. ibi: *Non solùm*
alimenta præstari debent pupillo, sed in studia, &
cæteras necessarias impensas debent impendi pro mo-
do facultatum. Consentit etiam textus *in l. Qui fi-*
lium. ff vbi pupil. educari valeat, & textus *in l. Offi-*
cio, ff. eodem. Sed pro reconciliatione horum tex-
tuum ita communiter eos concordant authores,
vt primus textus pro prima opinione adductus,
loquatur solùm de alimentis naturæ; secundus
pro secunda opinione loquatur non solùm de
alimentis naturæ, sed etiam naturæ humanæ po-
liticæ, bene institutæ, & formatæ. Vnde primus
textus loquitur de alimentis, quæ iure naturæ
debentur: secundus de alimentis, quæ debentur
ex legis dispositione; nam sub alimentis iuris di-
spositione debitis comprehenduntur tam alimen-
ta ad vitam necessaria, quàm ad studia; sub ali-
mentis verò iure naturæ debitis comprehendun-
tur tantùm alimenta necessaria ad vitam præcisè
producendam. Ita conciliat. & bene, hos textus
Genua. Nicolaus Genua *fol.* 149. & Eman. Barbosa *tom.* 2.
Barbosa. *remiss in remissio. ad legem Regiam Lusitanam*
lib. 4. *tit.* 97. *ad §.* 7. *num.* 4. *folio mihi* 212. *col.* 2.

De expensis factis in aliis studiis ad altiores 14.
scientias veluti ad Philosophiam, Theologiam,
Iurisprudentiam, Medicinam, est maius dubium.
Sed attento nostro iure Lusitano, hæ etiam ex-
pensæ non sunt conferendæ. nec à parentibus
imputandæ in tertium, aut in partem de qua li-
berè possunt disponere, ibi *in dicto lib.* 4. *ordin.*
noua. tit. 97. § 1. *ou em escholas* Latinè *vel in scholis*,
positum enim fuit hoc verbum ad distinctionem
minorum studiorum, ne id ipsum bis repetatur,
vt eleganter animaduertit Vallascus *dicto cap* 13. Vallasc.
de partition. à *num* 152. attento verò iure commu-
ni contrarium tenet Garcia *de expensis cap.* 3. à
num. 47. cum aliis, quos ibidem citat: at conside-
rato iure communi probabilior opinio docet non
esse conferendas has expensas, quam tenet Val-
lascus citatus. & Molina *tom.* 1. *de inst. disp.* 239. Molin.
initio. Et ratio est, quia scientiæ cedunt in bo-
num commune, neque ad hæredes sunt transmis-
sibiles, nec vendi possunt, vt patet *ex l. Quæ pa-*
ter 2. *ff. familiæ ercifcundæ*: Et idem dicendum
est *de iure Regni Castellæ*, vt docet Molina allega-
tus, & constat ex *l.* 5. *tit.* 15. *part.* 6. & *l.* 3. *tit.* 4. *p.* 5.
Imò attento nostro iure Lusitano non est cu- 15.
randum, an prædictæ expensæ factæ cum filiis stu-
dentibus consumptæ, vel non consumptæ sint,
extent, vel non extent, tempore mortis parentis,
vt suprà diximus: siue enim extent, siue non extet,
non conferuntur. quia eo ipso, quod nostrum ius
expressit quod expensæ, aut bona mobilia data pro
militia, & aula in eo statu, in quo sunt tempore
mortis parentis donantis, afferendæ sunt, voluit,
vt non afferantur hic vbi id non expressit, vt egre-
giè notauit Vallasc. *de p c.* 13. *n.* 158. in hoc enim Vallasc.
satis significauit bona illa. & expensas exemptas
esse à prædicta collatione propter generalitatem
verborum quibus loquitur, *in studijs*, *aut scholis*
iuxta regulam vulgarem legis. *Cum prætor. ff. de*
iudicib. & vbi ius non distinguit, nec nos distin-
guere debemus.
Quod si pater habeat aliqua bona, quæ sint 16.
propria filijfamilias, castrensia, quasi castrensia,
aut aduentitia, in dubio censebitur ipsum filium
in studiis alere de bonis ipsius filij, non propriis,
quia non tenentur patres de suo præstare alimen-
ta filiis, quando filij habent bona propria de qui-
bus ali possunt. ita limitant præcedentem doctri-
nam Bartholus *in tractatu de duobus fratribus.* Barthol.
num. 16. & *in l.* 1. §. *Nec castrense. num.* 8 *ff. de col-*
lat. bonor. Syluest. *verbo*, *Peculium* 2. *quæst.* 2. Syluest.
Nauarr. *in summa Latin. cap.* 17. *num.* 160. Antou. Nauar.
Gomex *ad legem* 29. *Tauri, num.* 16 Gregor Lop. Gomez.
ad legem 5. *tit.* 15. *part.* 6. & Vallasc. *in praxi de* Lopez.
part. cap. 13. à *num* 158. Molin. *tom.* 1. *de inst. di-* Vallasc.
sput. 230. Hoc tamen non tollit, quo minus pos- Molin.
sint parentes, si velint, de suis bonis filios alere
in studiis, & aula regia, quamuis filij habeant
bona propria, vnde sustentari possint, quin te-
neantur eos sumptus accipere in tertiam, vel par-
tem, de qua liberè possunt disponere. Primò, quia
hi sumptus, vt probauimus *num.* 12. & 13. ad ali-
menta filiorum spectant, & præstare hæc alimen-
ta filiis ad ordinariam administrationem bono-
rum ipsorum parentum spectat. Secundò, quia
ob hanc administrationem licitum est parentibus
præferre vnum ex filiis aliis in alimentis, vestitu,
cibo, famulatu, & cultu, modò hoc attentis, in-
spectisque facultatibus rationis modum non ex-
cedat. Tertiò, quia tam priuilegiata sunt alimen-
ta quæ filiis causa studij præstantur, vt ad quasi
castrensia bona pertinere videantur, eo quòd

Molin. Nauar.

ſcientiæ in commune bonum Reipub. cedant. Ita docet Molin *tom.1. de inſt. diſp.239. verſu, limitant tamen.* Nauar. allegatus & Vallaſcus item citatus *à num.162.*

17. Barth.

Nec obſtat id, quod Bartholus ait *in tractat. de duobus fratribus, num.16. & l.1.§ Nec caſtrenſe, num.8. ff. de collat. bonor.* vbi aſſerit quando pater habet bona filij ſui in pecunia numerata, non cenſeri tunc alere filium in ſtudio de bonis filij, cenſeri verò ſi habeat bona filij non in pecunia numerata. Meritò enim Molina *dicto tomo 1. de iuſtit. diſput.239 verſ. Bartholus.* & Anton. Gomez *ad l.29 Tauri num.16.* & alij allegati, exiſtimant ſemper cenſeri parentes filium alere de bonis proprijs, non de bonis ipſius filij, ſiue habeat filius ſua bona in pecunia numerata, ſiue in alijs rebus mobilibus, aut immobilibus. Ratio eſt, quia *l. vltima, ff. de petit. hered.* indiſtinctè loquitur de quibuſcumque bonis filij; imò loquitur de hæreditate filij. Hæreditas autem comprehendit non ſolas pecunias, ſed quæcumque etiam alia bona mobilia, & immobilia. Si tamen filius habeat huiuſmodi bona propria, & pater proteſtatus fuerit eas expenſas, quas cum illo facit, deducendas eſſe ex proprijs bonis filij, aut computandas eſſe cum legitima illius, vel ex alijs coniecturis ex hac voluntate patris conſtet, vt quia referebat in album prædictas expenſas, tunc tenebitur filius illas adducere in collationem, non quidem totas, ſed id quod plus inſumpſit in ſtudijs, quàm inſumpſiſſet, ſi in domo paterna aleretur. Ita docent Anton. Gomez allegatus; Garcia *de expenſis cap.4 num.4.* Vallaſcus *de part. cap.13. num.163.* & Molina *tomo 1. de inſtit. diſput.239. verſ. quod hactenus.* & conſentit *l. Qua pater 2. ff. familia erciſcunda.* Et id etiam docent huiuſmodi authores quando filius non habet bona propria, ex quibus ali poſſit in ſtudijs: nam ſi tunc etiam pater proteſtetur, aut de illius animo, & intentione conſtet voluiſſe illum filium alere, non de ſuis proprijs bonis, ſed de bonis ad illius legitimam attinentibus, tenebitur tunc quidem filius prædictas expenſas ad collationem adducere.

Ant. Gomez. Garcia. Vallaſc. Molin.

18. Molin.

Putat tamen Molina *dicto tomo 1. de iuſtit. diſput.239. verſ. quod hactenus,* & bene, tam de iure Luſitano, quàm Hiſpano, non ſufficere quamcumque coniecturam, ſed requiri expreſsè quòd parens filio proteſtetur ſe nolle illum mittere ad ſtudiū, nec velle continuare ſumptus illius, niſi ipſe tale incrementum velit accipere in ſuam legitimæ portionem, itaut circa eam rem veluti quidam contractus inter patrem, & filium intercedat. Et ratio Molinæ eſt, quia iura horum regnorum quæ citauimus. *num. 12. & 13.* abſolutè ſtatuunt non eſſe computandos prædictos ſumptus in legitimam filiorum, quamobrem extra rationem eſt, quòd inſcio, & non conſentiente filio expreſsè, propter ſolum occultum animum paternum, tales impenſas ei in legitimam imputentur. Mihi hæc opinio Molinæ placet.

19.

Si verò filius de licentia patris incepit nauare operam ſtudijs, aut ſcientijs, ſunt quidam qui exiſtiment teneri parentes ei omnes expenſas vſque ad gradus doctoratus, vel ad gradus formaturæ ſubminiſtrare; ſecus ſi à principio inuito patre operam ſtudijs nauauit. ita Menoch. *de præſumpt. lib.3 quæſt.29. num.86. & lib 4. quæſt.191. num.18.* vbi *num.20.* idem dicit de filio naturali Cordub. *in §. Non tantum, num.32.* & Caldas Pereira *conſil.14 num.32.* Rebellum *de obligat. iuſtit. part.2. lib.1. quæſt.8. ſect.3. num.33.* vbi etiam reſoluit, quòd filijfamilias inuitis etiam parentibus operam literis dare poſſunt, & teneri parentes eos alere; & idem etiam reſoluit Regnald. *in praxi fori pœnit. lib.20. cap.43.* Si alij filij paris conditionis in ſtudijs ſimiliter verſentur, & à parentibus alantur. Dicendum tamen eſt non teneri patres filijs alimenta in ſtudijs præſtare quoad vſque ea abſoluant, & conſequenter nec mortuo parente reliquos cohæredes eadem alimenta continuare quoad vſque ipſi formentur, niſi inter patrem, & filium, & reliquos cohæredes pactum intercedat, quòd prædicta alimenta in legitimam filiorum imputentur. Ita docent Anton. Gomez *ad legem 29. Tauri* cum multis quos allegat. *num.18.* & Molina *tom. 1. de inſt. diſp. 239. verſu, Dubium eſt*; & omnes qui dicunt poſſe patres ratione adminiſtrationis bonorum, quam habent, dum viuunt, vnum ex filijs in alimentis, veſtitu, & comitatu alijs præferre, non tamen ad id teneri; quos citauimus *num. 16.* & hi ſunt Nauar *in ſumma Latin. cap.17. num.260.* & Garcia *de expenſis cap.4 à num.4.*

Menoch. Cordub. Pereira. Rebell. Gomez. Molin. Nauar. Garcia.

Quid de libris à patre filio in ſua poteſtate conſtituto ad ſtudium datis? conferendi ne ſunt huiuſmodi libri poſt mortem patris ad partitionem cum reliquis cohæredibus pro æſtimatione illius ſtatus, in quo inueniuntur? Reſpondeo, ſi libri empti fuerunt à patre filio, & filius ſub patria poteſtate exiſtens, erat doctor, licentiatus, vel aduocatus, vel iudex, vel abſoluerat ſtudia ſua, & erat iam in procinctu paratus ad exercendum id, quod didicerat, & prædicti libri iam filio erant traditi, aut promiſſio, & donatio illorum illi à patre facta, & à filio acceptata, & tunc quidem ſunt ipſius filij, & ad bona quaſi caſtrenſia illius pertinent, & nec filius tenetur eos adducere ad collationem, nec pater illos imputare in tertiam, & partem de qua liberè poteſt diſponere. Ita communiter Doctores. Si verò tempore mortis patris illi nondum erant traditi, nec illorum donatio, & promiſſio à patre filio facta, & à filio acceptata, ſiue filius ſtudia abſoluerit, & eſſet in procinctu ad exercendas literas, quas didicerat, aut illas iam exerceret, ſiue non, conferendi ſunt prædicti libri, quia nondum erat perfecta donatio. Ita communiter DD. Anton Gomez *ad legem 29. Tauri n.17.* Afflictis *deciſ.247. num.2.* Bartholus *in tractat. de duobus fratribus num.15. & in l.1. §. Nec caſtrenſe num.2. ff. de collat. bonor.* Nauar. *in ſumma Lat. cap.17. num.159.* Molina *tom.1. de iuſt. diſp.239. verſu, quod ad libros attinet.* Menochius *de arbitr. lib. 2. centur. 2. caſu 231. & lib. 3. de præſumpt. quæſt.29. num.85.* Vallaſcus *de part cap 13. n.159. & 160.* Stephanus Gratianus *diſceptation. forenſ. cap.50. num.24.* Rebuffus *de priuileg. ſcholaſticorum, priuilegio 55.* Marienſo *l.3 gloſſa 2. à num.3. tit. 8. lib.5. noua recopilationis.* Perez *l. 8. tit.2. lib.1. ordinat. pag. 46.* Auendanho *ad legem 29. Tauri gloſſa 3 num. 6.* & Cardinalis Mantica *de tacitis, & ambig. conuent. lib.19. tit.14. à num. 8.* Vbi in *num. 11.* optimè reſoluit in caſibus in quibus non præſumitur facta donatio, & filius tenetur libros ad partitionem afferre, ſufficere afferre illorum æſtimationem pro eo ſtatu in quo reperiuntur: debet enim iudex eos in eius portionem imputare, ne aliquod detrimentum filius literatus patiatur, propter memoriam localem, quam in his libris habet, & *num.12.* repetit æſtimationem librorum faciendam eſſe, non inſpecto tempore emptionis, ſed mortis patris, ſeu diuiſionis, ita vt quod minus valent, computetur inter expenſas

20.

Gomez. Afflict. Barth. Nauar. Molin. Menoch. Vallaſc. Gratian. Rebuff. Marienſ. Perez. Auendan. Card.

expensas cum filio studenti factas; si verò pluris valeant, incrementum illud accrescat bonis paternis diuidendum inter cohæredes, & id ipsum docet expressè Molina allegatus, & pene cæteri Doctores. Et ratio huius doctrinæ est. Primò, quia prædicti libri sunt bona quasi castrensia filiorum, & sicut expensæ, & bona, quæ causa militiæ donantur filio à patre, adducendæ sunt ad collationem pro ea parte, quæ illarum extat, & inconsumpta, est; sic prædicti libri cum non sint consumpti, in diuisionem sunt afferendi pro ea parte, quæ illorum extat, hoc est pro valore, quem habent tempore diuisionis, vt diximus. Secundò, quia prædicti libri computantur inter expensas cum filio in studio factas, cum non sint minùs necessarij ad studium, quàm cæteræ expensæ, vt de se patet.

21. Solus Antonius Gomez allegatus vult huiusmodi libros in quocunque euentu semper esse filiorum studentium, & literatorum, quando filiis sunt traditi etiamsi studia sua non absoluant, nec in procinctu sint ad exercendas literas, in bonum commune, quas perdidicerant, & ideo nunquam esse adducendos ad collationem. Verum, id quod dicimus, est communius, neque enim patres tradere intendunt filiis prædictos libros dum in studio versantur, ita vt statim ipsorum efficiantur, & plenum dominium in illos habeant, sed traduntur ad vsum, sicut & reliqua supellex, qua in studio vtuntur; quamobrem dominium illorum, sicut & reliquæ supellectilis ad patrem spectat, & in patre perseuerat, suntque proinde veluti bona profectitia, nondum donata à parentibus filiis. Adde quamuis essent donata, donationem istam esse donationem ob causam, ac proinde absque dubio conferendam. Ita prædictus Molina *tom. 1. de inst. disp. 239. versu, Quod ad libros attinet.*

Capvt XXI.

Quid de expensis factis cum filijs pro doctoratu, pro militia, pro ereptione à captiuitate, pro liberatione à crimine, pro beneficio obtinendo. Soluuntur multa dubia.

Svmmarivm

An expensa facta à parentibus cum filijs sub sua potestate constitutis pro doctoratu adducenda sint ad iudicium partitionum. num. 1.

Quid de expensis factis pro illis decorandis dignitate militari, aut pro illa illis emenda, aut consequenda. num. 2.

Quid de expensis factis pro eadem militia ingredienda. num. 3.

Quid de expensis factis pro addiscenda arte machanica. num. 4.

Quid de expensis factis pro obtinendo beneficio Ecclesiastico. num. 5. & 6.

Quid de expensis, & pretio pro eruendis filijsfamilias à captiuitate, à crimine, & quid de pœna pecuniaria, quam patres pro illis soluunt, quando ad illam damnantur; & de pecunia de qua cum partibus filiorum conueniunt. num. 7.

Quid de sumptibus consumptis in honesta recreatione, vt in hastiludio, & alijs similibus iuxta qualitatem filiorum. num. 8.

Quid si filij habeant bona aduentitia, vnde hæ expensæ deduci possint, remissiuè ad caput 20. n. 16. & 17.

An tunc possint patres donare filijs omnem vsumfructum illorum. num. 9.

Quid si à principio quando filius acquisiuit bona aduentitia, pater illi liberè reliquit vsumfructum illorum. num. 10.

Quid si illi dedit fructus prædictorum bonorum aduentitiorum postquam illos collectos habebat. n. 11. & 12. & 13.

Quid de remissione, aut tacita condonatione bonorum profectitiorum facta à patre filio sub sua potestate constituto, an valor illius adducendus sit ad collationem cum alijs fratribus, & cohæredibus. num. 14.

Quid si pater filiofamiliàs sub sua potestate constituto dimittat emphyteusim, aut fructus illius, an teneatur filius afferre totum in diuisionem. n. 15. Et remissiuè ad caput 23. à num. 10.

Filius qui est sub potestate patris, & de bonis paternis sustentatur, si aliquid sua industria, & labore cum bonis paternis lucretur, totum est patris, & ad collationem post mortem patris adducendum. num. 16.

Quid si filius negotiando cum pecunia patris aliquid acquirat suo labore, & industria, & de bonis paternis non sustentetur, an id quod acquirit, sit ad collationem, cum reliquis fratribus; & cohæredibus adducendum, & quatenus. num. 17.

Filiofamiliàs, qui in domo patris est, & de illius bonis sustentatur, laboranti in re patris; cæteris non laborantibus, nec pater, nec hæredes patris, & cohæredes ipsius filij tenentur aliquod salarium pro eo labore ei dare, licet opera, qua fecit, illud mereantur, & si pater pro tali seruitio aliquid ei dedit in vita, tenetur filius illud adducere ad collationem. num. 18.

Sed quid si filius protestatus est, vel animo proposuit, se non inseruire patri, nisi sibi tantum pro eo seruitio donaretur, quantum salarium donaretur extraneo. num. 18.

Si filiusfamiliàs seruiuit extraneis, & lucratus fuit plura salaria, licet pater pro toto tempore vitæ suæ habeat in eis vsumfructum, tamen post patris mortem, ea salaria reddenda sunt filio. num. 19.

Qvid de expensis factis cum filiis sub pa- 1.
tria potestate constitutis à parentibus,
pro doctoratu, aut pro eis decorandis
gradu aliquo literario, laureæve. Respondent
communiter Doctores non esse conferendas huiusmodi expensas, nec teneri patres illas in tertium, vel quintum, vel partem de qua liberè disponere possunt, imputare. Ita Perez *lib. 8. titul. 2.* Perez.
lib. 1. ordinat. pag. 48. & lib. 5. tit. 7. pag. 206. Re- Rebuff.
buffus *de priuileg. scholasticorum, priuileg. 55. n. 3.*
Vallasc. *de partit. cap. 13. num. 175.* Gutierrez *pra-* Vallasc.
ctic. lib. 7. quæst. 65. num. 10. Molina *tom. 1. de inst.* Gutier.
disp. 241. versu, Quod ad posteriorem. Anton. Go- Molin.
mez *ad legem 29. Tauri, num. 21.* Garcia *de ex-* Gomez. Garcia.
pensis, cap. 4. à num. 13. & deinceps. Probatur ex *l. Omnimodo, §. Imputari. C. de inofficioso testamento*, vbi dicitur solùm id debere filium constitutum sub patria potestate in diuisionem afferre, & in suam legitimam computare, quod vendibile est, & ad hæredes transmissibile; vnde cum huiusmodi honor, & laurea, nec vendi, nec ad hæredes transmitti possit, non est afferendus ad diui-

sionem, nec expensæ illius, cum expensæ sint accessoriæ ad illum, & inseparabiles moraliter ab illo, & accessorium sequatur principale.

2. Idem ob eandem rationem dicendum est, de expensis factis cum filiis sub patria cura constitutis pro illis decorandis dignitate aliqua aut gradu, vel commenda militari. Ita Rebuffus *de priuilegijs scholast. priuileg.* 55. *num.* 1. & Molina, & reliqui authores modò allegati. Probatur ex *l.* 1. *§. Sed an id. ff. de collat. bonor.* quæ lex agens de dignitate militari, quam pater emit, vel quærit filio, ita ait: *Sed an id, quod dignitatis nomine a patre datum est, vel debetur, conferre quis in commune cogatur? & Papinianus ait, non esse cogendum; hoc enim propter onera dignitatis præcipuum haberi oportere; sed si adhuc debeatur, hoc sic interpretandum est, vt non solùm oneretur is, qui dignitatem meruit, sed commune sit omnium hæredum onus hoc debitum.* Hæc lex. vbi vides si expensæ iam factæ sint, & à parentibus solutæ, non esse cogendum illum filium ad eas in diuisionem adducendas, cum sint bona castrensia; si verò tempore mortis patris nondum erant solutæ, aut debebantur, non esse imputandas in legitimam filij, sed esse deducendas de aceruo communi, sicut, & reliquum æs alienum, vt patet. Limitat tamen Molina *dicto tom.* 1. *disp.* 239. *versu, Quod hactenus, & disp.* 241. *versu, Hinc patet*, loquens tam de commenda, & dignitate militari, quàm de doctoratu, & laurea palladia, nisi forte parentes cum filiis conuenissent se ea lege id facere, vt prædicti sumptus in illorum legitimam imputentur iuxta dicta in capite præcedenti *num.* 18.

Rebuff. Molin. Molin.

3. Idem etiam ob parem rationem dicendum est de expensis factis cum filio sub patria potestate constituto pro militia ingredienda, cum similiter talis militia nec vendibilis sit, nec ad hæredes transmissibilis Ita Vallascus *de partitionib. cap.* 13. *num.* 60. & 61. plures plena manu refert Flores ad Gamam *decis.* 140. in principio, & est communis opinio, cum hæc bona castrensia sint, & cum bonis castrensibus computentur.

Vallasc. Gamam.

4. Similiter non conferuntur sumptus facti à parentibus cum filiis cuiuscunque artis etiam mæchanicæ. Patet ex nostro iure Lusitano *dict. lib* 4. *noua ordinationis, titul.* 97. §. 7. concordat apud Hispanos lex 5. *tit.* 15. *part.* 6. & *l.* 3. *tit.* 4. *partita* 5. docet Molina *tom.* 1. *de inst. disput.* 239. *initio.* Et ratio est, quia huiusmodi etiam artes in bonum commune cedunt, & nec ad hæredes transmissibiles sunt, nec vendibiles Et id ipsum etiam authore Molina, dicendum est de expensis factis etiam in arte saltandi, vel canendi; tales enim sumptus inter alimenta sunt computandi, eaque de causa nullibi sunt conferendi.

Molin.

5. De expensis à parentibus cum filiis factis sub illorum potestate constitutis in consequendo, & obtinendo beneficiu aliquo Ecclesiastico, communiter Doctores asserunt non teneri filios illas ad collationem adducere, nec parentes in tertiam, vel partem de qua liberè possunt disponere, computare. Ita Molina *tom.* 1. *de inst. disput.* 241. *versu, Quod ad posteriorem*, & id etiam docent Anton. Gomez *ad legem* 29. *Tauri, à num.* 21. & Barthol. *in l.* 1. *§. Nec castrense, ff. de collat. bonor. & glossa* 1. *in l. Omnino. §. Imputari C. de inoffic. testamento.* & denique reliqui omnes authores, quos citauimus *num.* 1. huius capitis, ex fundamentis sæpe iam tactis, quia huiusmodi beneficia non sunt vendibilia, nec ad hæredes ex natura sua transmitti possunt iuxta leges modò allegatas, quæ statuunt teneri filios duntaxat computare in suam legitimam id quod natura sua est vendibile, aut ad hæredes transmissibile. Vnde si neutrum ei competat, computari non debet, nec consequenter expensæ illius cum sint accessoriæ, & accessorium sequatur principale. Et hæc opinio attento iure communi est verissima: contrarium tamen sequitur solus Vallascus ex his, quos viderim *de partit. lib.* 13. *num.* 175. attento nostro iure Lusitano, vbi asserit attento prædicto iure impensas factas à patribus in expediendis bullis ad comparationem beneficij pro filiis sub illorum potestate constitutis. v. c. canonicatus, episcopatus, prioratus, &c. esse conferendas, & in legitimam filiorum imputandas. Primò, quia ius nostrum *dicto lib.* 4. *noua ord. tit* 97. *initio*, generaliter decernit, si pater, vel mater, vel vterque simul aliquid mobile donauerint filiis suis sub sua potestate constitutis, *vel ad matrimonium, vel quocumque alio modo*, teneantur filij id afferre in collationem cum aliis fratribus, & verum est dicere, quòd in proposito casu pater donauerit filio illas expensas pro assequendo beneficio; neo enim aliter illud filius assequeretur nisi expensis illis factis. Et bene comprehenditur iste casus sub illis verbis, *vel quocumque alio modo*, est enim quidam modus dandi expẽdere de meo in rem tuam, vel vt tu rem aliquam consequaris. Secundò, quia expẽsæ, quas pater fecit in re emphyteutica comparanda, quæ pertinet ad vnum filium, conferendæ sunt, & repeti possunt ab aliis fratribus, & cohæredibus in iudicio partitionum, vt habetur in nouis ord. *dict. lib.* 4. *titul* 97. §. 22. licet aliter dicendum esset de iure communi; nec inspecto iure Lusitano curandum est, an illud quod expenditur pro re aliqua assequenda à filio sit vendibile, an inuendibile, transmissibile, vel non transmissibile ad hæredes, quia illud procedit in iure communi, non in iure Lusitano, in quo id in partitionibus, & collationibus non consideratur, nec quòd res, quæ datur à patre, sit iam consumpta à filio, sed quòd res sit donata, & à prædictis collationibus expressè non excipiatur, vt patet ex nouis ord *loco allegato.* §. 15. ego hanc opinionem Vallasci probabilem iudico, & in iudicio forensi sequendam.

Molin. Ant. Gom. Barthol. Vallasc.

In Lusitano olim Senatu iudicatum fuit, vt refert Gama *decis.* 318. *num.* 15 expensas cuiusdam bullæ, quam pater à Summo Pontifice consecutus fuit in fauorem filij maioratus, quæ ad summam duorum ducatorum millia attingebant, imputandas esse prædicto filio maiorato: nam in ea bulla Summus Pontifex Paulus III. concessit patri, & successoribus, hæredibus eius maioratus, vt duas partes redditũum certarum Ecclesiarum posset pater separare, & separatas tanquam ad duo beneficia haberet ius præsentandi, & iudicatum fuit totam expensarum summam esse imputandam in portionem filij maioris natu, quia hac vtebatur gratia, & habebat ius præsentandi ex notatis à Baldo *in l. Omnino. §. Imputari. C. de inoff. testam* post Bartholum *in lege* 1 *§. Sed neque castrense, ff. de collat. bonorum.* ibi enim, inquit Baldus (& nos iam id probauimus) dignitatem militarem emptam per patrem in vtilitatem filij si non potest vendi, nec ad hæredes filij transmitti, non imputandam esse in legitimam filij quoad expensas, & pretium emptionis, secus si posset vel vendi, vel ad hæredes transmitti. Vnde cum huiusmodi maioratus ad hæredes, & in institutione vocatos transmitti possit, in illius legitimam 6.

Gama. Bald. Barthol.

prædictæ

prædictæ expensæ computandæ sunt, quandoquidem in euidentem vtilitatem maioratus id edebat, & ille solus ea iuris prærogatiua præsentandi vtebatur, & ideo regulandæ erant, tamquam quælibet aliæ expensæ factæ in vtilitatem iuris maioratus, ius enim naturale dictat, vt qui sentit commodum, sentiat incommodum, *argumento legis, Secundum naturam de regulis iuris.* Nec obstat dicere filium maiorem natu ex ea bulla nullum commodum habuisse, quia melius ei fuisset, si præsentasset ad integrum commodum Ecclesiarum, & non ad diuisum: quia tale ius præsentandi sic diuisum in partes, honorificentius est, ac proinde cōmodius maioratui, & patrono æquippe qui plures obsequia illi præstantes posset præsentare.

7. Expensæ factæ pro redimendo filio è captiuitate, vel pro eo à delicto aliquo eruendo, aut pœna illius soluenda, neque expensæ litis, neque pecuniæ de quibus pro delicto filij cum partibus illius pater conuenit, adducendæ sunt ad collationem, neque patet tenetur hæc in partem suam de qua testari, ac disponere potest, suscipere. Patet ex nostris nouis ordin *tit.* 97. §. 8. docet Vallascus *cap.* 13. *de partit. n.* 176. Molina *tom.* 1. *de iust. disput.* 240. *versu, item quod.* Nauarrus *in summa Latin. cap.* 17. *num.* 165. Antoni Gomez *ad legem* 29. *Tauri num.* 19. *&* 20. post Bartholum *in l. Stichus ff. de peculio legat.* & idem de iure communi dicendum est etiam iuxta Syluestrum, *verbo, Peculium* 2. *quæst.* 14. & Nauarrum allegatum, & patet ex *l. liber captiuus, C. de captiuis, & postlimin. reuers.* Petrus Surdus *decis.* 167. *num.* 11. Stephanus Gratianus *disceptat. Forensium cap.* 50. *num.* 1. Et ratio est, quia ex pietate paterna præsumitur parentes has expensas fecisse animo donandi, & non computandi illas in legitimam filij, & id postulat competens administratio bonorum, quam pater plenam habet, exigitque necessitas filij, imò eo ipso, quod filius in illum statum deuenit, quodammodo ad filij alimenta spectant. Si tamen constet parentes velle, vt filij id accipiant in suam legitimam, tunc tenentur filij id ad collationem adducere. Constabit autem primò de voluntate parentis si in codice rationum scripserit has expensas, vt patet ex lege *Nesennius ff. de negot. gestis, in fine,* cum glossa *in verbo, in ratione.* ibi, *Si protestata.* Secundò, si pater protestatus fuerit coram filio se ei in suam legitimam imputaturum prædictos sumptus, non sufficit tamen animus internus patris, sed opus est, vt verbis, aut signis declaretur externis, vt suprà diximus. Si tamen filij fuerint incorrigibiles, & rixis, seu delictis committendis assueti, non obligatem parentes eos propriis expensis liberare, neque enim ad id in ea circunstantia tenentur, nisi filij velint accipere expensas in partem propriæ legitimæ, & sic indicatum fuisse in casins contingentia à viro doctissimo in hoc regno; & verò si hæ expensæ tempore mortis parentis erant debitæ, & nondum solutæ, deducendæ sunt ex communi aceruo bonorum patris, quemadmodum, & aliæ debita paterna, & non sunt imputandæ in partem legitimæ ipsius filij, nisi pater (vt dixi) ita cum illo conuenisset. Ita Molina citatus *dicta disp.* 240. §. *Item quod,* & Vallascus similiter allegatus, & consentiunt omnes Doctores allegati, idque satis apertè colligitur ex *l. Liber captiuus C. de captiuis. & postlimi. reuers.* tunc enim si pater prædictas expensas non soluerat in vita, soluendæ sunt post mortem, & de bonis communibus, sed de sola legitima prædicti filij.

Ideo dicendum est de sumptibus consumptis in honesta aliqua recreatione, venatione, bastiludio, & similibus pro qualitate personæ, quia pertinent ad alimenta competentia, ideòque etiam parentes non tenentur eos accipere in partem suam, de qua possunt disponere. Idem de aliqua pia peregrinatione. Nec probo sententiam illorum, qui dicunt si filij habeant aliqua bona propria, censendos esse parentes facere huiusmodi expensas de bonis ipsorum filiorum, & ideo teneri præfatos filios, quod ita cum illis insumptum est, conferre cum aliis fratribus post mortem parentū. quia cum huiusmodi sumptus ad alimenta spectent competentia ipsorum filiorum, & patres teneantur eos competenter alere ad genus suum, non video rationem ob quam filios sub cura parentum constitutos obligemus prædictos sumptus post mortem parentum in collationem afferre. Et quia hæ expensæ continentur intra ordinariam administrationem bonorum, quæ ad patrem spectat dum viuit, possunt patres ratione huius administrationis præferre vnum ex filiis aliis, in victu, vestitu, & alimentis, vt diximus. Ita communiter DD. & patet ex iure Lusitano nouæ ordin *lib.* 4. *titulo* 97. docet Nauarrus *in summa Lat. cap.* 17. *num.* 160. & Syluester *verbo, pecul.* 2. *quæst.* 8. Barth. *in tractatu de duobus fratribus num.* 16. quod semper intelligendum est, vt supra diximus, nisi expressè aliter pater cum filio conueniat; tunc enim si ita conuentum fuerit, imputabuntur prædicti sumptus in legitimam filij, vel in bona aliqua si forte filius ea sub potestate patris habeat;

Sed ponamus quòd filij familiàs habent bona aduentitia sub potestate patris, in quibus filij habent dominium, patres verò administrationem tantùm, & vsumfructum dum viuunt. Quærimus vtrùm possint patres donare, vel relinquere filiis sub sua potestate constitutis vsumfructum horum bonorum aduentitiorum, quin filij teneantur eos ad partitionem afferre, aut patres in suam tertiam, & partem de qua liberè possunt disponere, suscipere. Et quidem breuiter cum distinctione respondeo: Nam si pater iam habet fructus horum bonorum aduentitiorum collectos, & eorum dominus est factus, & illos remittit, vel donat expressè filio sub sua potestate constituto, & hæc cessio, remissio, vel donatio sit alicuius quantitatis arbitrio prudentis æstimabilis in ea circunstantia, donatio illa fuit inualida, & tenetur filius illam ad collationem adducere, nisi pater velit illam in suum tertium accipere. Et id patet, quia illi fructus collecti ad patrem pertinebant, tamquam fructus profectitij; licèt essent producti ex bonis aduentitiis, & iam erant in substantia patris incorporati, & sic indubitanter ad collationem venire debent, nisi pater velit eos accipere in suum tertium, & partem de qua disponere potest Si verò tertium patris excesserunt, adducendi sunt ad collationem pro excessu, vt patet. Ita docet, & bene, Vallascus *de partit. cap.* 13. *num.* 139. *fine.* & Castro *in l. Cum oportet, num.* 30 *C. de bonis quæ liberis,* constat ex nostris Ordin. nouis *lib.* 4. *tit.* 97. *initio.*

Si verò pater statim in principio cum hæc bona filio relinquuntur antequam colligat fructus illorum, & acquirat prædictum vsumfructuum aduentitiorum bonorum, illum remittat, seu donet filio sub paterna cura constituto; tunc non tenetur filius tales fructus, seu talem vsumfructum conferre. Ratio est, quia tunc non est propriè

Marginal notes (left column): Vallasc. Molin. Nauar. Gomez. Barth. — Surdus. Gratian.

Marginal notes (right column): 8. — Nauar. Syluest. Barth. — 9. — Vallasc. Castro. — 10.

propriè donatio, cum pater nunquam comparauerit talem vsumfructum, nec quicquam de suo dederit, aut diminuerit. Ita docet
Vallasc. Nauar. Vallascus allegatus *num.* 146. & Nauarrus *in manuali Lat. cap.* 17. *num.* 145. vbi citat prædictam legem, *Cum*
Corneus. *oportet.* Corneus *consil.* 285. *vol.* 1. *num.* 15. & 16. Vnde pater ære alieno grauatus, qui huiusmodi vsumfructum filio sub sua potestate constituto dimisit, si aliunde non habeat vnde soluat, à prædicto ære alieno liberatur, nec creditores possunt facere executionem in prædictis bonis aduentitiis, vt optimè docet Vallascus *dict. num.* 146. ex Tello, & Riminaldo, & aliis, quos citat, & ex Corneo modò allegato

11. Si autem pater postquam collegit, & acquisiuit tales vsusfructus bonorum aduentitiorum filij, eos tacitè dimittit filio, vel per dissimulationem finit filium postquam collectos habet, eos accipere; tunc quidem tacitè donat, & venire debent ad collationem, quia iam tunc sunt profectitij, vt patet. Si verò non collegit, & per totam vitam, vel per aliquod tempus tacens, & dissimulans, finit eos filium percipere, tunc quidem illa tacita remissio reuocabilis est in vita patris, vt patet; potest enim pater quoties voluerit illam reuocare, cum semper ab illius voluntate pendeat, morte tamen patris, si reuocata non fuit in vita, confirmatur. Vnde si reuocata fuit in vita, tenentur filij illos vsusfructus adducere ad collationem, quia signum est nunquam fuisse intentionem patris eos filio remittere. Si verò non fuit reuocata, cum morte parentis confirmetur, non tenetur filius illos adducere. Ita
Vallasc. Boërius Buttius. Barthol. Vallascus *de partition. cap.* 13. *num.* 141. Boërius *decis.* 196. *num.* 5. Buttius & Bartholus *in l. Cum oportet C. de bonis quæ liberis.* & Boërius testatur hoc esse magis commune, & Vallascus addit consentire hoc cum lege nostræ ordinationis nonæ *lib.* 4. *titulo* 97. *initio*; neque enim ibi dicitur esse adducendum esse ad collationem post mortem patris, id quod filius ita habet à patre.

12. Neque obstat, quòd inspecto iure, & praxi huius regni simplex donatio facta à patre filio sub sua potestate constituto semper ad collationem adducitur, quæ tamen morte patris confirmatur, & ante reuocabilis erat. Hoc enim procedit solùm in donatione, quam pater facit filio de rebus propriis, in quibus pater habet dominium, remissio autem, seu donatio vsusfructus bonorum aduentitiorum, non est donatio rei propriæ, sed rei ipsius filij, quia bona adueniitia quoad dominium sunt ipsius filij: & quamuis pater ex lege nostra statim acquiratur vsusfructus bonorum aduentitiorum, & hinc videatur aliquid de suo dare; tamen illa acquisitio fit tacita conditione, nisi pater nolit acquirere, & ideo si noluerit acquirere, sed tacitè remittat, non tenetur filius id adducere ad collationem, nisi pater ante mortem, eam donationem reuocauerit, ac proinde eo ipso, quod pater statim ab initio talem vsumfructum
Vallasc. filio remisit, nec ante mortem reuocauit, censetur numquam acquisitus ita, & optimè Vallascus *in praxi de partition. cap.* 13. *num.* 144.

13. Alij iure communi attento, & considerato, asserunt huiusmodi remissionem tacitam esse statim firmam, & irreuocabilem, & non teneri filium huiusmodi fructus adducere ad collationem
Acurs. etiam reuocante patre in vita sua. Ita Acursius *in l.* 2. *C. de inoff. donat. & in §. Igitur. Inst. per quas*
Baldus. Tellus. *personas.* Baldus *in l. Cum oportet §. Non autem,* & fatetur communem, & tenendam Tellus *l.* 17. *Tauri num.* 63. Et ratio est, quia talis remissio magis censetur renunciatio, quàm donatio, & vsusfructus renunciatus perit statim, & consolidatur cum proprietate. Itaque siue hæc remissio, seu tacita donatio sit reuocabilis, siue irreuocabilis, in hoc puncto concordant huiusmodi Doctores hos vsusfructus in proposito casu non esse ad collationem adducendos, modò, vt primi authores dicunt, remissio illorum non reuocetur à patre, dum viuit; nam hæc remissio nihil minuit de substantia patris, & collatio non fit nisi de iis, quæ à substantia patris exierunt: & facit pro hac parte textus celebris in *lege, Cum oportet §. sin autem res C. de bonis, quæ liberis,* &c. vbi Imperator loquens in hoc casu de patre tacente, & permittente per totam vitam suam filium recipere fructus aduentitiorum bonorum, & eos retinere, statuit filium ex hoc ipso prædictos fructus lucrari, ita vt ampliùs à patre super illos non perturbetur, nec aliqua fratres actio oriatur, quod in rei veritate est dicere, vt notat Vallascus *num.* 141. non teneri filium ad collationem illos adducere. Secundi verò authores asserunt nunquam teneri illos ad collationem afferre, siue pater eam tacitam donationem in vita sua reuocet, siue non reuocet.

14. Sed quid de remissione, aut tacita donatione bonorum profectitiorum facta à patre filio sub sua paterna potestate degenti, & quid etiam de expressa? Respondeo esse sine dubio ad iudicium
Vallasc. Gama. partitionum adducendam. Ita Vallascus *in praxi de partit. cap.* 13. *num.* 148. & Gama *decision.* 118. quia tunc non datur, nec remittitur à patre, vel matre ius quærendum, sed ius iam quæsitum: nam sicut pater iam in actu est dominus bonorum profectitiorum, & quoad vsusfructum, & quoad proprietatem; ita etiam iam est in actu dominus fructuum, & redditaum ipsorum bonorum, saltem illorum, qui non fuerint industriales.

15. Similiter quando pater in vita sua tradit vel remittit vni ex filiis sub sua paterna potestate constituto emphyteusim, vel fructus illius, tenetur ipse filius eam afferre ad partitionem, & in legitimam suam computare, licet emphyteusis non fuerit empta à patre, nec meliorata. Ratio est, quia tantundem pater diminuit de propria substantia, quantundem filius de emphyteusi consequitur, & tantundem repetitur minus diuidendum inter alios fratres cum notabili illorum præ-
Barth. iudicio. Ita Barthol *in l.* 1. §. *Nec castrense, n.* 4. *ff de collat. bonor.* & est communis sententia, vt ait Vallascus *cap.* 13. *num.* 156. patetque ex nostra lege regia in nouis ordinat. *lib.* 4. *tit.* 97. §. 12. Sed hac de re infrà fusiot tedibit sermo *in cap.* 23. *à num* 10. vbi hæc latiùs explicabimus.

16. Notabis autem ex nostro iure Lusitano *dicto lib.* 4. *tit.* 97. § 16. Si filius, qui cum altero, aut vtoque parente commoratur, & de illorum bonis sustentatur, quicquam sua industria, suoque labore bonis parentum lucretur, id totum ad parentes pertinere & post mortem illorum adducendum esse ad partitionem, & collationem cum
Molin. Mendez. alis fratribus. Ita resoluunt Molin. *de iust. tom.* 1. *disp.* 234. *versu,* Vt quod hac de re, ubi mentio. Mendez à Castro *in l. Cum oportet part.* 2. *num.* 19. & 22. *C.*
Caldas. *de bonis quæ liberis,* &c. Caldas *in l. si curatorem, verbo, Lesis, num.* 118.

17. Notabis etiam si filius negotiando cum pecunia patris aliquid acquisiuerit sua industria, & labore, si non sustentetur bonis patris, totum id, quod respon

respondet tali labori, & industriæ, & in dubio quid ei respondeat, dimidietatem lucri esse aduentitiam, & acquiri filio quoad proprietatem, & patri quoad vsumfructum per totum tempus vitæ patris, & ideo mortuo patre ad filium prædictus vsusfructus pertinet, & consolidatur cum dominio, & proprietate, & non adducitur ad
Barthol. collationem. Ita Barthol. *in l. Illud, C. de collat. & in Authent. ex testam. C. eodem tit.*
Auendaño. Auendaño *ad legem 29. Tauri, glossa 4. ad num. 17.*
Azeued. Azeuedo *l. 3. num. 24. tit. 8. lib. 5. recopilat.*
Petr. Surd. Petrus Surdus *de alimentis, tit. 9. quæst. 20. num. 9.*
Flores. Flores *lib. 1. var. quæst. 8. §. 2. num. 27.* constatque ex nostris ord. *dict. tit. 97. lib. 4.*

18. Notabis etiam filio laboranti in re patris, & sub eius potestate constituto non teneri patrem, nec post patris mortem alios cohæredes filij, & hæredes patris salarium aliquod soluere, licet opera, quæ fecit, salarium mereantur. Ita Flores *var.*
Flores. *lib. 1. quæst. 8. §. 2. num. 24.* cum sequentibus, vbi *num. 34.* addit: si pater pro seruitio tali filio aliquid dedit in vita, aut in morte relinquat, teneri prædictum filium totum id ad collationem adducere, nisi pater velit illud accipere in partem suam, de qua liberè disponere potest; at debet hæc resolutio Flores procedere in eo casu, quo filius non protestatus est patri, aut saltem animo suo statuit, se non inseruire patri, nisi sibi tantum pro seruitio suo à patre donetur, quantum donaretur extraneo; in hoc enim casu quo expressè, aut tacitè protestetur se eo animo seruire, requiritur, vt pater ob suam operam, & laborem ei tantum det, quantum daret alteri extraneo, si ipse ei inseruiret; seruitium enim filij prædicti meritò attendi potest, ad hunc effectum vt ei pater tantum donet, vel relinquat, ob prædictum seruitium, quantum pro eodem seruitio daret extraneo, ita quod id ei non imputetur in legitima, nec pater teneatur illud in suum tertium computare: quod intelligendum est, modò patrem ob suam paupertatem non teneatur filius
Nauar. alere. Ita docet Nauarrus *in summa, Lat. cap. 17.*
Barthol. *num. 144. ad finem, & 148.* ex mente Bartholi *in l. 1. §. Castrensia. ff. de castrensi pecul. & l. Si donat. C. de collat.* quamuis tamen vnus filius patri suo inseruiat, & alij non. & pater tantum ei donare, aut relinquere possit, quantum donaret extraneo, vt diximus; si tamen non dat, neque filius in vita sua cum patre conuenit, vt sua merita, sicut merita alterius extranei remunerarentur, nec protestatus est se id ab eo, aut eo mortuo, ab eius hæredibus petiturum; à suis fratribus cohæredibus remunerationem aliquam ratione suorum meritorum poscere non potest, quia illud amore
Nauar. filiali facere censetur, vt ait Nauarrus *dicto n. 148. argumento legis, Nensenim. ff. de negot. gestis, l. 1. & l. Alimenta. C. de inoffic. donat.* & in hoc sensu locutus fuit Flores allegatus.

19. Si autem filius sub patria potestate constitutus ex voluntate patris seruiuit aliis extraneis, & lucratus fuit plura salaria, licet pater pro toto tempore vitæ suæ habeat in eis vsumfructum, attamen post patris mortem debent ex aceruo bonorum reddi ipsi filio tanquam bona aduentitia, vt exprimitur in nostro iure Lusitano *lib. 4.*
Flores. *tit. 79. §. 7.* & docet Flores *var. lib. 1. quæst. 8. §. 2. n. 37.* & Emanuel
Barbosa. Barbos. *in remiss. tom. 2. lib. 4. tit. 97. n. 4.*

CAPVT XXII.

Utrùm officia donata à Rege patri, vel empta pecunijs paternis, adducenda sint quoad valorem ad collationem inter fratres & alios cohæredes.

SVMMARIVM.

Officia donata à Rege, vel Regina, vel ab aliquo Principe, vel dynasta, filiofamilias pro meritis paternis, non sunt adducenda ad collationem pro æstimatione. num. 1. & 2.

Quid de officijs concessis à conuentu Olisiponensi, vel alterius vrbis causa dotis. num. 3.

Si emantur officia à patribus pro se, & pro filijs suis ex propria pecunia paterna, aut à filijs eadem pecunia paterna pro se ipsis, adducenda sunt ad collationem. à num. 4. vsque ad 6. & 7.

Officia quando venduntur in Lusitania de licentia Regis, semper venduntur personis idoneis, præmissa prius bona diligentia, & examine circa personam ementis. num. 8.

Officia si emantur à viro matrimonio constante ex communi viri, & vxoris pecunia, soluto matrimonio post mortem adducenda sunt ad collationem quoad æstimationem, facta æstimatione valoris pro tempore mortis viri, & collationis, non pro tempore emptionis. num. 9. *Idem de emphyteusi ibi, & remissiuè.*

Si emantur officia à parentibus pro se tantùm, & postquam illis bene functi sunt, licentiam à rege obtineant, vt post mortem in illis filium, vel filiam nominent, vt plerumque fit in regno Lusitaniæ, non adducuntur ad collationem. num. 10. *Et idem est de officijs, quæ patres non emerunt, sed à Regibus vel Republica acceperunt.* ibid.

Si emptum fuerit officium à patre pro se ipso tantùm, & pater viuens illud vni ex filijs dimittat pro æstimatione temporis quo pater victurus erat, ad collationem adducetur. num. 12.

An licitum sit Regibus & Principibus vendere officia habentia, & non habentia iurisdictionem adnexam. à num. 13. vsque ad 17.

OFFICIA in triplici sunt differentia; aut enim donantur à Rege, Regina, vel ab aliquo alio Principe patribus, vel filiis; aut emuntur à patre sibi, & pro filiis pecunia patris, aut à filiis eadem pecunia paterna, aut à patribus pro se tantùm emuntur, & post emptionem transacto aliquo tempore, quo bene officiis functi sunt, vt plerumque fit in Lusitania, impetrant à Rege, vel Principe facultatem renunciandi illa filio, vel filiæ, seu genero pro dote filiæ. 1.

Si donentur à Rege, vel Regina, vel ab aliquo Principe, aut dynasta patri, vel filiofamilias pro meritis paternis, non sunt adducenda ad collationem, quoad æstimationem, vt resoluit Vallascus *in sua praxi de part. cap. 13. num. 27. vsque ad 29.* Et probatur id apertè ex *l. Nostra, lib. 4. noua ord. tit. 97. §. 10.* quia huiusmodi officia cum dantur à Rege, vel Principe patribus pro filiis, aut filiis pro meritis paternis, intuitu etiam matrimonij, & vt ibidem dicitur in eadem lege nostra Lusitana, *pera seu casamento, ou aiuda delle,* computanda sunt inter bona aduentitia, vt ait nostra lex, & non profectitia; vnde cum bona aduentitia filiorum 2. Vallasc.

filiorum post mortem patrum, tota sint filiorum, & non veniant ad partitionem, quia in illis filij viuentibus patribus habebant dominium, patres verò solam, & nudam administrationem, & vsumfructum, vsus autem fructus post mortem patrum consolidetur cum dominio; inde fit, quòd necessariò tota fiant filiorum, & nullo modo veniant ad collationem. Sic etiam officia huiusmodi licet intuitu, & contemplatione patrum filiis donentur, cum iuxta hanc legem inter bona aduentitia numerentur, inde est, quòd collationi non sint obnoxia in nostro Regno Lusitaniæ, ibi: *Et volumus prædictas nostras donationes, seu beneficia conferri inter bona aduentitia, & rationem aduentitiorum habere.* Quod intelligitur non solùm de officiis donatis à Rege, vel Regina, vel Principe, sed etiam de officiis datis à quibuscumque dominis, vel dynastis, vt ibidem prædicta lex exprimit, & quamuis nostra lex loquatur de rebus, quæ donantur à Rege vel Regina, vel huiusmodi personis causa patris, vel intuitu patris, ipsis filiis in patria potestate constitutis, ad iuuamen matrimonij illorum, à fortiori sub his rebus intelliguntur officia, vt optimè notauit Vallascus allegatus, & patet ex his verbis legis; *vel quacumque alia beneficia.* Lusitanè, *ou outras quaesquer merces*: quæ verba generalia sunt, & omnem donationem quarumcumque rerum, etiam officiorum includunt.

3\. Procedit etiam nostra lex Lusitana in officiis concessis à Camera seu conuentu regiminis Olisiponensis, aut cuiuscumque alterius vrbis filiabus officialium præmortuorum ad contrahendas nuptias, quod patet ex illis verbis illius *per quasi cum personas*, Lusitanè *quaesquer pesoas*, quod est latissimum verbum, & personas etiam fictas quales sunt Cameræ, seu vrbium conuentus ciuiles, comprehendit, vt notat Vallascus *in praxi c. 13. num 29* post Tiraquel. *1. retract. §. 1. glossa 7. n 20.* & alij quos ibi citant: voluit enim lex nostra latissimis priuilegiis afficere donata ad dotem.

Vallasc.
Tiraq.

4\. Si emantur officia à parentibus sibi ipsis, & pro filiis ex propria pecunia paterna aut à filiis eadem pecunia paterna pro se ipsis, tunc est maius dubium, an ad collationem pro æstimatione adducenda sint. Quidam enim dicunt inspiciendum esse, an Principes & Respublicæ sint faciles, aut difficiles in concedenda facultate ad emenda, vel vendenda huiusmodi officia publica. Et quidem si sint valde difficiles, & raro soleant concedere hanc facultatem, asserunt non esse afferenda ad collationem quoad æstimationem, ex eo quòd talia officia non possunt simpliciter vendi, aut ad hæredes liberè transmitti sine licentia domini Regis, aut Reipublicæ, & sic absolutè dici possunt inuendibilia, & non transmissibilia, quia quæ pendent à voluntate alterius difficillimè illa concedentis, moraliter impossibilia censentur, & sic moraliter sunt talia officia inuendibilia & ad hæredes transmitti non possunt, ac proinde à collatione sunt libera. Ita docet Nicolaus de Vbaldis *in tractat. de successione abintestato columna* 10 Guilliel. *in capite, Raynutius de testamentis, verbo, Duas habens filias.* Couarruuias *lib. 3. var. cap. 19. num. 6.* Aretinus, & Iason *ad legem, Iulianum. ff. de legatis* 1. ibi: *Cum detrahi non soleant*: Craneta *consil. 235. initio, lib. 2.* Costa *Selectar. lib. 1. cap. 8. num. 14.* Barthol. *in l. 1. §. Nec castrense ff. de collat. bonorum.* Vnde cum in regno Lusitaniæ talis licentia vendendi, aut emendi officia difficillimè concedatur, & rarissimè impetretur, inde est quòd non sit æstimatio illorum adducenda ad collationem, attenta ista communi opinione, vt docet Vallascus *de partit. dict. c. 13. num. 63. fine*, vbi dicit se sæpissimè ita vidisse iudicare in hoc regno Lusitaniæ. Facit pro hac opinione quòd honores & dignitates, quæ non sunt ad hæredes transmissibiles, & vendi non possunt, & expensæ factæ in illis emendis, & comparandis, non adducuntur ad collationem, vt capite præcedenti diximus, & docet Molina *tom. 1. de iust. disp. 141. versu, Quoad posteriorem*, & Vallascus citatus cum multis *num. 174. & 175.*

Vbald.
Guiliel.
Couar.
Aretin.
Iason.
Cranet.
Costa
Barthol.
Vallasc.
Molin.
Vallasc.

5\. Alij dicunt conferenda esse talia officia quoad æstimationem si emantur à patribus sibi ipsis, & pro filiis aut à filiis pecunia paterna, si soleant Principes facilè licentiam ad illa vendenda concedere, idque etiamsi non detur in dotem, vel in donationem propter nuptias filiarum, aut filiorum, sed simpliciter; & sic ex parte conueniunt cum prima opinione, ex parte differunt. Ita docet Ripa *in l. In quartam num. 163. ff. ad legem falsidiam.* Couar. citatus *dict. num. 6.* Gama *decis. 29. col. 2. num. 2.* Tellius *ad legem 10. Tauri, num. 11.* Menchaca *de success. creatu. §. 30. num. 218.* & alij multi, quos citat Vallasc. *dict. cap 13. in praxi de partit. num 63.* & inde inferunt officia Romanæ Curiæ, quæ solent vendi, conferibilia esse ad collationem pro æstimatione; & similiter cum in Regno Castellæ in aliquibus regionibus soleant Principes facilè concedere licentias ad huiusmodi venditiones officiorum publicorum, vnanimiter affirmant Doctores Hispani æstimationem prædictorum officiorum conferendam esse cum reliquis cohæredibus, vt patet ex allegatis, quibus addere possumus Garciam *de expens. cap. 4. num 4.* Costam *select. lib. 1. cap. 8. à num. item 14.* In tali autem æstimatione inspicitur tempus mortis, non tempus emptionis: seu non tempus emptionis, sed collationis, vt docet Gama *decis. 29. num. 6.* vbi citat ad hoc Bartholum *in l. 1. §. Nec castrense ff. de collat. bonorum.* & Baldum *in l Omnimodo, §. Imputari. C. de inofficioso testamento* & Iasonem *in l. Illud, num. 5. C. de collat.* vbi Alex. *num. 2.* & Anton. Gomez *ad 29. Tauri, num. 12.* Hæ opiniones à nobis relatæ attento iure communi, & Castellæ, sunt communes.

Ripa.
Couar.
Gama.
Tellius.
Menchac.
Vallasc.
Garc.
Costa.
Gama
Barthol.
Bald.
Iason.
Alexand.
Ant. Gom.

6\. Nihilominus Vallascus *de partit. in praxi, c. 13. num. 64.* contra istas opiniones inducit suam, & affirmat semper sibi persuasum habuisse, verius esse in hoc regno Lusitaniæ huiusmodi officia siue empta à patre pro filio, siue empta à filio sibi pecunia paterna; siue emptio facta sit cum expressa licentia Regis concessa expressè ad vendendum, siue tacita ad renunciandum, vt fieri solet honestioris nominis causa, cum tamen sit ad vendendum, siue facilè, siue difficilè, & cum magna difficultate Reges illam soleant concedere, semper esse quoad æstimationem conferendam, & ad partitionem adducenda pro tempore partitionis (vt asserebat secunda opinio) non emptionis.

Vallasc.

Et quidem suam opinionem ex his fundamentis firmat. Primò, ex generalitate nostræ legis regiæ in ordin. nouis *tit. 97. initio*, vbi generaliter decernitur omnia bona quocumque modo à patre vel matre acquisita, vel ab vtroque simul, esse ad collationem adducenda, & talia officia veniunt etiam appellatione bonorum; postquam enim acquisita sunt pecuniis paternis, in bonis patris censentur, & numerantur; maximè, quia non exigui redditus ex illis colliguntur. Vnde si

constaret

constanti matrimonio emantur, vel acquirantur ad diuisionem inter virum, & vxorem soluto matrimonio quoad æstimationem adducuntur, vt latè, & doctè probat Couarr. *lib. 3. variar. cap. 19. à num. 4. vsque ad 6.* vbi testatur ita sæpe fuisse iudicatum. Couar.

Secundò, quia si Pater hanc pecuniam non daret, pro officio empto pro se, & filio, & de eius substantia non exiret, tanto plus reperiretur in eius bonis inter alios filios, & hæredes diuidendum, & iniquum est hoc damnum, & præiudicium illis fieri, vnius filij causa, vt docet Auendaño *resp. 9. num. 2. & resp.* 38.

Tertiò, quia per hoc obuiatur inæqualitati inter filios, quæ est potissima ratio introducendæ inter eos obligationis conferendi, vt constat ex iure nostro Lusitano *tit. 97. lib.* 4. & prædictum ius ibi sòlùm excipit certos casus, in quibus id quod datur à patre filio, non venit ad collationem, ergo in cæteris veniet, in huiusmodi autem casibus non excipiuntur huiusmodi officia.

Quartò, quia in iure communi non confertur, nisi id quod lex exprimit, ac declarat *l. Illam, C. de collat.* & hoc etiam voluntati patris subiicitur. Hodie verò apud nos illud edictum est affirmatiuum, & generale, attento iure regni, & in æqualitate filiorum fundatum; quare cum paucis rebus exceptis cætera ad collationem veniant, præter illa excepta, omnia alia ad eam venire debent, quia exceptio firmat regulam in aliis.

Quintò, si pater daret illam pecuniam filio ad emendum prædium aliquod pro dote, illud prædium sine dubio ad collationem veniret, & conferendum esset pro æstimatione temporis collationis, non emptionis; quid autem refert, quòd pater illam daret pro emendo prædio, quàm pro officio? cum verissimum sit patrem in vtroque casu illam pecuniam filio dedisse, & eum aliis prætulisse. & tandem eam in fraudem suæ substantiæ, & præiudicium aliorum diminuisse.

7. Et retenta hac opinione, quæ in nostro regno est communior, & tutissima, parum refert, an licentia facilè sit impetrabilis necne, quia illud procedit attento iure communi iuxta quod obligatio conferendi pendebat à patris voluntate, vt patet ex Authentica *ex testam. C. de collat.* & alienum videbatur à voluntate patris, quod officia, quæ nec vendi, nec ad hæredes transire poterant, à filiis conferrentur, quod secus est de iure Lusitano iuxta quod non attendimus patris voluntatem, sed filiorum æqualitatem, vt constat ex nouis ordin. *lib. 4. tit. 82. initio, iuncto titul. 97. in principio.*

8. Neque obstat primò, quod non expediat Reipublicæ huiusmodi officia vendi, & transmitti ad hæredes: quando enim venduntur, semper venduntur personis idoneis examinatis priùs à Rege, & à Senatoribus regiæ aulæ, quàm possessionem accipiant

Non obstat secundò, quòd cum in his venditionibus, seu rennociationibus officiorum, quando emuntur, semper interueniat licentia Regis, eo ipso videantur esse exempta ab onere collationis iuxta ordinationem *dicto lib. 4. titulo 97. § 10. 11. & 12.* cum donata à Rege quasi castrensia, aut castrensia bona sint, quæ ad collationem non veniunt, quia prædicta ordinatio in illis paragraphis loquitur in aliis casibus, non verò vbi interuenit emptio facta à patre pro se, & filiis pecunia paterna, aut facta à filio pro se eadem patris pecunia, in qua emptione non immiscetur Princeps tanquam donans, sed tamquam authorizans, & dans robur, & valorem illi actui.

Non obstat tertiò prædictum filium non posse vendere tale officium, aut ad hæredes transmittere sine eadem licentia Regis, quæ non facilè conceditur, sed cum magna difficultate, & sic moraliter loquendo esse huiusmodi officia in nostro regno intransmissibilia. Satis enim est, quod per totam vitam eo fruatur, vt veniat ad collationem quoad æstimationem, nam de iure nostri Regni data in dotem veniunt ad collationem, vt patet ex *lib. 1. nouæ ordin. titulo 97. §. 14. & 15.* etiamsi sint consumpta, licet contrarium inueniatur statutum in iure communi. *l. Ea demum. C. de collat.* Afflict. *decis.* 247. Afflict.

9. Procedit etiam hæc nostra doctrina, vt diximus *num. 6.* in officiis publicis emptis à viro matrimonio constanti, hæc enim etiam adducenda sunt ad collationem, quoad æstimationem, cum vxore post mortem viri facta æstimatione, vt diximus *num. 1. ad finem*, pro tempore mortis viri, & collationis, non emptionis. Ita docet Couarruuias *lib. 3. variar. cap. 19. num. 4. 5. & 6.* ita enim ait *num. 4. Ego verò contrariam sententiam censeo iure veriorem esse in hunc sensum, vt decurionatus officium, & similia, quæ fuerint per virum matrimonio constante acquisita, quantum ad eorum iustam æstimationem vxori esse communia, & pro parte dimidia eidem competere.* hæc ille. & idem docet Auendanho *resp. 9. num. 2. & resp. 38.* quia hæc officia fuerunt empta ex pecunia communi viri, & vxoris, & ideo æquissimum est, vt ea sint communia eidem viro, & vxori, quoad æstimationem, alioqui licentia maritis præberetur vtendi mille fraudibus aduersus vxores suas ad effugiendam & euitandam diuisionem bonorum acquisitorum matrimonio constante. Et idem dicendum est de emphytheusi empta communibus pecuniis vxoris, & mariti, illa enim etiam adducenda est ad collationem ab hæredibus mariti cum ipsa vxore quoad æstimationem, pro valore quo æstimabatur tempore mortis viri, seu collationis, non emptionis, vt expressè habetur in nostris ordinationibus nouis *lib. 4. titulo 97. num. 23. & 24.* eadem enim est ratio de officio, & de emphyteusi communi pecunia viri & vxoris empta, vt patet. Couar. Auendan.

Neque obstat quod officia & emphyteusis ex natura sua sint indiuisibilia, nec diuidi, aut partiri possint, vt possunt aliæ hæreditates, quia illa semper indiuidua permanent, & solùm quoad æstimationem diuiduntur, & sic magis diuiditur valor, & pecunia, quàm officium & emphyteusis. Deinde in rebus etiam natura sua indiuiduis communio, & diuisio inter virum, & vxorem locum habet, vt optimè probat Couarruuias *dicto lib. 3. var. cap. 19. num. 5.* nam marito ædificante Ecclesiam constante matrimonio, & ex ea causa ius patronatus Ecclesiastici acquirente, ius istud est etiam vxori commune, & diuisibile post mortem mariti, habétque vxor ius præsentandi simul cum hæredibus mariti, quod ius ad hæredes suos transmitti potest. Ita docet Lupus *in rubrica de donat. inter virum, & vxorem. §. 61. num. 23.* & tamen ius hoc patronatus indiuiduum est iuxta textum *in cap. 1. de iure patronat.* vbi glossa, & item glossa *in cap. Pia mentis 16. quæst. 7.* textus *in l. Quadam mulier. ff. familiæ erciscundæ, l. Carmelia pia. ff. de iure patronat.* nam semper prædictum ius patronatus saltem quoad substantiam manet indiuiduum, licet quoad ius præsentandi, & eius exercitium sit diuiduum. Couar. Lupus

10\. Si emantur prædicta officia à parentibus pro se tantùm, & post emptionem transacto aliquo tempore, quo bene prædictis officiis & sine scandalo functi sunt, licentiam à Rege, vel Principe obtineant, vt illa possint post mortem renunciare filio, filiæve, vel genero pro dote, vt plerumque fit in Lusitania; adhuc sunt qui dicant illa esse post mortem patris ad collationem quoad æstimationem afferenda, inter quos est Gama *in decisione 29. à num. 4.* & Vallascus *in praxi de collation. c. 13. n. 72.* & pro hac parte militāt omnes rationes quas fecimus *à num. 6.* quæ hîc applicandæ erunt, & illic eas videre poteris, neque enim fas est, eas iterum repetere.

Gama. Vallasc.

11\. Verùm dicendum est, non venire prædicta officia ad collationem quoad æstimationem, fuit enim iste casus iam totus decisus, & iudicatus in nostro Regno Lusitaniæ, vt illi refragari durum videatur. Nam in Senatu Regio Olisiponensi, vt refert Gama allegatus, indicatum fuit in fauorem filij, cui pater post mortem suam de licentia Regis officium reliquerat, & absolutus à prædicta æstimationis collatione in decisione 114. per Senatores ciuilium causarum iudicatum fuit in fauorem generi, vt etiam non teneretur conferre, quasi magis hoc procederet à gratia, & liberalitate Regis, quàm à patre, & non licet iam contra tot sententias Senatus reluctari.

Fundamentum huius rei est, quia quæ donantur à Rege alicui in dotem filij, vel filiæ, vel in adiumentum dotis, & causa nuptiarum, eximuntur ab onere collationis, vt patet ex nostro iure Lusitano *lib. 4. noua ordin. tit. 97 §. 10 & 11. & 12.* nam pater emit illud officium pecunia propria pro se tantùm, & pro vita sua, officia enim ex natura sua vitalitia sunt, & postea obtinuit à Rege, vel Principe hanc gratiam, vt in fine vitæ suæ illud relinqueret filio, vel filiæ causa dotis, aut paupertatis; vnde magis filij illud habent ex gratia, liberalitate, & dono Regis vel Principis, quàm ex donatione patris: cum verò illud habeant ex liberalitate Principis, cessat omnino collatio. *l. Cum multa C. de bonis, quæ lib.* præualet enim gratia Principis, & ideo ex sola gratia illa nominatio filij vel filiæ ad officium in morte patris sola, & mera gratia Principis reputanda est iuxta Baldum *in preludio feudi, versu, pro delectu.* & Alexandrum *consil. 7. num. 2. lib. 7.* & Afflictis *decis. 392. num 9.*

Baldus. Alexand. Afflict.

Præterea, quia donata à Rege sunt quasi castrensia, quæ non veniunt ad collationem *l. 1. §. Nec castrense. ff. de collat.* Boëtius *decis. 14. n. 13.* Denique fauent tradita à Gama *decis. 114.* vbi resoluitur donata à Rege filiofamilias, vel parentibus, vt dent filiisfamilias, non esse conferenda iuxta ord. nouam. *lib. 4 tit. 97. §. 10.* & veterem *lib. 4. tit. 77. § 8.* ibi: *Volumus, vt nec res, quas nos dederimus, nec illarum æstimatio ad collationem veniant.* Et quamuis ibi loquatur lex de redditibus, vel censibus vitalitiis, vel perpetuo alicui familiæ ex gaza regia adscripti Lusitanè *de iuro, ou tenças*, tamen eadem ratio est de officiis, cum habentur ex Regis gratia, vel dono, nam à Rege donata non conferuntur.

Boëtius. Gama.

12\. Animaduertit tamen Molina *tom. 1. de instit. disp. 241.* quando officium fuit emptum à patre pro se ipso tantùm, & de licentia Regis translatum ad filium, viuente ipso patre, teneri filium saltem pro æstimatione temporis quo pater victurus erat, afferre illud ad collationem, sicut de emphyteusi empta à patre statuitur in lege nostra, *lib. 4. in nouis tit 92. §. 42. in veteribus tit. 77. à §. 32.* quæ opinio est Gamæ *decis. 92. num. 4. & 5.* & Vallasci *in praxi de partit. cap. 13. num. 76.* vbi ait Gama pretium officij non esse conferendum iuxta tempus emptionis, sed collationis, hoc est translationis.

Molin. Gama. Vallasc.

Sed contra Molinam iudicatum fuit sæpe in Senatu Regio Olisiponensi, & ideo etiamsi pater in vita sua officium filio tradidisset, & non in articulo mortis, nullo modo est afferenda illius æstimatio ad collationem pro eo tempore, quo pater arbitrio prudentis victurus sperabatur; & est diuersa ratio de emphyteusi empta à patre, & de officio, quia emphyteusis simpliciter, & ex natura sua est transferibilis ad hæredes emptoris, & non indiget noua gratia, & facultate Regis, vel Principis ad emptionem, aut translationem, & si indiget, facilè impetratur talis gratia, & facultas, quod non ita est in officiis, vt suprà vidimus.

Petes verò hîc ad complementum huius doctrinæ, an licitum sit Regibus, & Principibus vendere officia publica. Cui breuissimè cum distinctione respondendum est; aut enim prædicta officia habent adnexam iurisdictionem, vt officium Iudicis, Senatoris Regij, Prætoris Vrbium; aut non habent, sed consistunt in nudo tantùm ministerio, ob quod officiales stipendium aliquod taxatum à legibus habent, seu redditus à Rege ob officij functionem percipiunt, vt Tabellionatus, Thesaurariæ, Scribæ, &c. similia: si non habent iurisdictionem adnexam, licitè vendi à Principibus possunt, & licitè etiam dari possunt, vt vendantur, sed non expedit. Ita docet expressè Cassaneus *1. part. cathalogi gloriæ mundi, considerat. 60. §. Alia autem. folio 38.* Baldus *in l. Barbarius lectura 1. num. 6. ff. de offic. pretoris.* Vallascus *de part. cap. 13. num. 67.* Nauarrus *in manuali Lat. cap. 25. num. 7.* Baeça *de dote cap. 26. num. 15.* Guillielm. *in cap. Raynutius, verbo, duas habens filias, num. 54.* Sotus *lib. 3. de iust. & iure quæst 6. art. 4. conclus. 1. in solutione primi argumenti, & versu, sed ingerit.* & D. Thom. *opusc. 2. quæst. 1.* qui ita id consuluit Ducissæ Brabantiæ. Et ratio est, quia id nullibi nec tacitè, nec expressè est prohibitum iure diuino, sed tantùm iure ciuili, & humano, cui Princeps supremus non est subditus. Vnde Papa in curia Romana prædicta officia, quæ non habent iurisdictionem, aliquando vendit, prudenti tamen electa persona, cui vendantur. 13.

Cassan. Baldus. Vallasc. Nauar. Baeça. Guillielm. Sotus. D. Thom.

Asserunt tamen huiusmodi authores hoc non congruere honestati publicæ, propter incommoda, quæ inde resultare possunt; hæc tamen satis tolluntur, vt optimè ait Vallascus *in praxi de partit. dicto cap. 13. num. 68.* ex eo quòd non temere à Rege & Principe vendantur, sed cum maximo delectu examinata priùs persona ementis, & probata, aut aliunde nota idoneitate illius, vt fit in Regno Lusitaniæ, quando Rex licentiam concedit alicui, vt officium suum alteri vendat; informatur enim Rex ipse de persona emente, & postquam probatissimis testimoniis de illius sufficientia constat, prædictam licentiam concedit; & idem affirmat ibi Vallascus se non semel vidisse vendi sub hasta hæc publica officia iurisdictionem non habentia ad solutionem debiti regalis, vt officia quæstorum Lusitanæ *Almoxarifes* in vita eorum, & officium Thesaurariæ bonorum defunctorum absentium. 14.

Vallasc.

Quod verò de iure communi hæc etiam officia 15.

cia publica, quæ non habent adnexam iurisdictionem, vendi non possint; patet ex Auth. *vt iudi sine quo* & Auth. *de mandat. Princip.* §.2. & id latè ostendit glossa *in cap. Sicut* 1. *quæst.* 6. & Boërius *decis.* 149. *num.* 3. & Auendaño *respons.* 9. *col.* 2. & 3. sed cum principes absoluti sint supra ius commune, vt dixi, & aliunde incommoda ob quæ huiusmodi officiorum venditio prohibetur, ab illis vitari possint, vt diximus, nihil obstat hæc prohibitio, vt patet.

Boërius. Auend.

16. Si habent iurisdictionem aliquam adnexam, licitè vendi non possunt regulariter loquendo, vt omnes authores *num* 13. attestantur. Primò, quia licet nullibi hæc venditio iure diuino prohibita, interdictaque inueniatur expressè; at tacitè inuenitur prohibita, quatenus iure diuino, & naturali iustitia vendi prohibetur in octauo præcepto Decalogi: non est enim negandum tacitè vendi iustitiam, aut occasionem proximam dari ad iustitiam vendendam, si hæc officia publica iurisdictionem habentia dimidantur, vt per fas, nefasque pretiũ auferant officij prædicti emptores. Secundò, quia officia publica publicam iurisdictionem habentia nullam recipiunt æstimationem, administratio enim iustitiæ nullam recipit æstimationem, & ideo omnino est inuendibilis, vt docet Auend. *dict. resp.* 9. *col.* 2. & 3. nam, vt inquit Tullius, quem refert, ac sequitur Baldus *in l. Barbarius. ff. de off. Prætoris col.* 1. *res malè agitur, cum quod virtute fieri debet, pecunia tractatur.*

Tullius. Bald.

17. Et ideo Pius V. anno Domini 1571. mensi Decembri pontificio quodam diplomate incipienti *Etsi Romani.* sub pœna capitis, & alis grauissimis pœnis hanc officiorum iurisdictionem adnexam habentium emptionem & venditionem prohibet in hæc verba. *Nemini de cætero liceat mediante pecunia vel solutione, & traditione, aut promissione aliarum rerum per se, & per interpositas personas aut alias quouis alio modo aliquas dignitates, aut officia exercitium, & administrationem iurisdictionis habentia, procurare, assequi, obtinere, ac si quis his præsentibus literis contrauenire quoquomodo dici, aut censeri potuerit, ipsum contrauenientem, eo ipso confiscationis omnium bonorum, degradationis, & amissionis tam priuilegij doctoratus, quam quorumcumque per eum obtentorum officiorum, tam sæcularium, quàm Ecclesiasticorum, ac demum vltimi supplicij pœnam irremissibiliter incurrere volumus,* &c. quæ ibi videre poteris, & in Nauarro *in summa Latina cap.* 25. *num.* 7. *versu, Admonemus hic.*

Nauar.

Capvt XXIII.

An emphyteusis adducenda sit ad collationem, quatenus, & quomodo.

Svmmarivm

Quid sit emphyteusis. num 1.

In dubio quando constat eam esse vitalitiam, credendum est esse perpetuam, & in phateosim. numero 2.

Emphyteusis perpetua, & in phateosim diuiditur inter heredes, quæ diuisio irrequisito domino fieri potest, nec de illa soluitur laudemium. num. 3. & 4.

Ne præiudicium fieret dominis directis in diuisione pensionum, statuit ius Lusitanum, vt incapitatio solutionis pensionum fiat in vno ex filijs vel hæredibus. num. 5.

Si olim diuisæ simul fuerunt pensiones cum emphyteusi perpetua, possunt directi domini illarum obligare vnum ex hæredibus in solidum pro tota pensione, vt sibi pro illa respondeat. num. 6. & 7.

Possunt etiam iudicem ordinarium adire, vt obliget vnum ex hæredibus ad respondendum directis dominis pro tota pensione. num. 8.

Emphyteuses emptæ à patre, vel matre pecunia paterna, adducendæ sunt ad collationem pro æstimatione, si pater, vel mater in illa post mortem suam nominauit, nec solùm ipsæ emphyteuses adducendæ sunt, sed etiam omnia melioramenta in illis facta. n 9. & 10. *Æstimatio vel facienda est pro valore temporis collationis, vel emptionis, & æstimatio melioramentorum vel pro tempore collationis, vel pro tempore, quo illa facta sunt.* num. 10.

An melioramenta cedant domino directo, an hæredibus vltimi emphyteutæ, si emphyteusis clausulam habeat, vt finitis vitis, vel tempore concessionis emphyteusis liberè reuertatur ad dominium cum omnibus suis melioramentis. a n. 11. vsque ad 13.

Si pater emphyteusim propria pecunia emptam filio, vel filiæ in vita sua tradat, non solùm ipsa emphyteusis cum suis melioramentis adducenda est ad collationem, sed etiam æstimatio illius temporis, quo pater victurus erat, si illam possideret. n. 14.

Quid si pater post mortem suam nominauit filium, vel filiam in emphyteusi vitalitia, non propria pecunia empta, sed accepta à maioribus per nominationem, an tunc adducenda sit ad collationem. num. 15.

An nouus emphyteuta possit conueniri à directo domino pro pensionibus ab alijs emphyteutis non solutis, an solùm hæredes illorum conueniendi sint pro prædictis pensionibus. num. 16.

An directus dominus tam Ecclesiasticus, quam sæcularis, teneatur renouare emphyteusim finitis vitis, & elapso tempore concessionis. num 17.

Quid si directus dominus illam sibi velit vindicare. num. 18. *Quid si paupertatem alleget.* num 19.

Quid si emphyteuta in illa habeat meliorationes factas, an tunc teneatur directus dominus eam illius hæredibus renouare. num. 20. & 21.

In casu in quo descendentes & in defectu descendentium in quo transuersales agnati fuerint in æquali gradu, datur locus gratificationis domino directo. num. 22.

An dominus directus possit aliquod pretium moderatum accipere, pro noua renouatione pro electione personæ in qua nominat, quando omnes personæ nominandæ sunt in gradu æquali cum vltimo emphyteuta, & liberum illi est, eligere vnam, quam maluerit. num. 23. & 24.

Emphyteusis *est contractus per quem vtile dominium rei immobilis transfertur in perpetuum, vel ad tempus, pro quo soluitur aliquid reale per tempora constituta directo domino in dominij recognitionem.* Hanc definitionem reiectis aliis, vt meliorem tradit Vallascus *de emphyteusi, quæst.* 1. *num.* 1. Si transfertur in perpetuum, dicitur emphyteusis in phateosim. Si ad tempus, hoc est ad duas vel tres generationes, seu vitas, dicitur simpliciter emphyteusis, & dici potest temporanea, seu vitalitia emphyteusis; appellamus enim vulgariter generationem vitam

Vallasc.

vuiuscuiusque emphyteutæ, vt optimè animad-
Vallasc. uertit Vallascus citatus *num. 12.* Dicitur in defi-
nitione *in perpetuum*, primò, deinde *vel ad tem-
pus.* quia omnis contractus per quem transfer-
tur dominium vtile alicuius rei in alium, ex na-
tura sua est perpetuus; pacto tamen partium fie-
ri potest, vt non sit perpetuus, sed vitalitius, vt
ad duas vel tres vitas, aut generationes; pacta
enim in hoc contractu peculiariter leges dant, vt
constat ex *l. 1. & 2. C. isto tit. §. adeo. Inst locati*,
& ibi glossa recepta; nec ideo desinet vera esse,
& propria emphyteusis quòd ad vitam, vel ad se-
cundam, vel tertiam generationem res in alium
transferatur: quamuis enim naturalia contractus
mutentur, non tollitur tamen vis, & nomen ipsius
Iaso. contractus, vt docet Iaso *l. Cum quod, num. 2. ff.*
Vallasc. *si certum petatur*, & Vallascus *de emphyteusi, dicta
quæst. 1. num. 12. ad medium.*

2\. Ex dictis colliges in dubio quando non con-
stat emphyteusim esse vitalitiam, & ad vitam, seu
certas generationes fuisse concessam, iudicandam
Angel. esse perpetuam, & in phateosim, vt docet Angel.
de non alienandis, §. Emphyteusim, num. 19. coll. 2.
Iaso. & Iaso *l. 2. n. 160. C. Isto tit.* quia cum primæua
natura huius contractus, & primæua institutio
illius fuerit perpetua (vt dixi) inde est, quòd in
dubio quando de contrario non constat, semper
præsumendum sit retinere suam primæuam natu-
ram, & institutionem, vt optimè animaduertit
Vallascus post multos de emphyteusi, *q. 1. n. 12.*

3\. His veluti necessario prælibatis ad rem no-
stram de partitionibus accedamus. Emphyteusis
perpetua diuiditur inter hæredes, & ad collatio-
nionem adducitur inter fratres, & cohæredes; quæ
diuisio irrequisito domino fieri potest, nec de ta-
li diuisione soluitur laudemium, nisi habeat clau-
sulam, quæ hanc domini directi requisitionem
ad prædictam diuisionem faciendam postulet;
potest enim esse perpetua, & huiusmodi clausu-
Cabed. lam habere. Ita docet Cabedo *tom. 1. decis. 107.*
Vallasc. *num. 1.* Vallascus *de emphyteusi, quæst. 1. num. 22.*
Probatur, quia perpetua emphyteusis inter res
hæreditarias reputatur, & ideo ad collationem
venire debet, sicut, & aliæ res hæreditariæ, &
olim etiam de iure communi inter bona propria
computabatur, & ad iudicium diuisionum, seu
familiæ erciscundæ veniebat *l. 2. ff. si ager vecti-*
Bald. *galis, l. Item prædicta*, vbi Baldus *ff. familiæ, l. Bo-*
Iaso. *norum. ff. de verborum significat.* Iaso *consilio 125.
lib. 2. & in l. Quod dicitur, num. 3. ff de verb. obli-
gat.* vbi probat bonorum propriorum appellatio-
ne comprehendi etiam perpetuam emphyteu-
sim, augere patrimonium, & ad collationem
venire.

4\. Et hoc adeo verum est, vt etiam irrequisito
domino diuisio hæc, & collatio emphyteusis per-
Iason. petuæ olim fieret iuxta Iason. *in l. vltima, n. 114.*
Felin. *C. de iure emphyteutico*, & Felinum *in cap. Quæ*
Alexand. *in Ecclesiarum, num. 89. de constitutionib.* Alexand.
in l. Qui Romæ, §. Duo fratres, num. 9. ff. de verb.
Ripa. *obligat.* & ibi Ripa *num. 86.* & Cabed. *dict. tom. 1.*
Cabed. *decisione 107. num. 2.* Nec de tali diuisione laude-
mium aliquod directo domino olim soluebatur,
nec hodie soluitur; quia est diuisio necessaria, &
Barthol. ita docet Barthol. *in l. Et ideo, ad finem. ff. de con-*
Bertrand. *dictione furtiua.* Bertrandus *consil. 380. lib. 2. du-
bio 2.* & Cabedo allegatus.

5\. Quia tamen leges consulebant, vt ab huius-
modi diuisionibus iudices partitionum abstine-
rent, ne alioquin pensio, quæ directis dominis
soluebatur, confunderetur, vt patet ex textu
in l. Communi, ff. communium diuidundorum, initio;
ideo nostra lex secuta illud optimum iuriscon-
sulti consilium *lib. 4. titul. 97. §. 22.* statuit ne ta-
lis emphyteusis diuidatur nisi per æstimationem,
& tota vni soli hæredi assignetur, cum obliga-
tione satisfaciendi in pecunia, vel aliis bonis,
aliis hæredibus suam portionem, quam assigna-
tionem nostri authores Lusitani vocant *incapita-
tionem*, Lusitanè *emcabecamento*, vt patet ex no-
stro iure Lusitano *lib. 4. titul. 96. §. 23.* voluit enim
nostrum ius Lusitanum prouidere dominis dire-
ctis, ne diuisa pensione cum hæreditate inter
multos, confusio, & difficultas solutionis indu-
ceretur, & in magnum præiudicium directorum
dominorum id ipsum resultaret, quamobrem,
vt tale præiudiciom lex nostra deuitaret, pru-
denter statuit, vt huiusmodi perpetuæ emphy-
teuses per æstimationem diuiderentur inter fra-
tres, & cohæredes, & integræ, atque indiuisæ
in se vni ex hæredibus assignarentur, cum obliga-
tione soluendi aliis fratribus, aut cohæredibus
certi redditus annui, quoad illis pretium æstima-
tum pro suis partibus non soluitur: & est hoc
iuxta æquitatem iuris communis, vt patet ex *l.
Curabit, C. de actionibus empti*, tradit Couarruuias Couar.
lib. 3. variar. cap. 4. & docet Cabedo *tom. 1. deci-* Cabed.
sione 156. num. 4. & 5. & Gama *decis. 71. num. 5.* Gama.
& 6. & hoc iure vtuntur iudices pupillorum in
diuisionibus, & partitionibus in nostra Lusi-
tania.

Si verò alicubi in aliqua prouincia, aut regio- 6.
ne nostri regni Lusitani moris sit has emphyteu-
ses diuidere inter fratres, & cohæredes in re, &
non quoad æstimationem, cum suis singulis pen-
sionibus pro rata rei diuisæ, aut olim per incuriam
directorum dominorum, ita iam diuisæ fuerunt,
quarum multæ hodie inueniuntur in nostro Re-
gno, possunt domini directi, ne tam ingens de-
trimentum patiantur, obligare quemcumque
hæredem, vt sibi in solidum totam suam pen-
sionem soluat, & ipse obligare alios cohæredes,
vt sibi pro suis pensionibus pro rata respondeant;
& ita sæpe iudicatum fuit in Senatu regio Lusi-
tano, vt cuiusque hæres, & possessor singula-
ris in solidum conueniri possit. Ita docet Val- Vallasc.
lascus *de iure emphyteutico, quæst. 32. num. 15.*
Mendez de Castro *in sua praxi lib. 3. cap. 21. §. 10.* Castro.
Rebuffus *in l. 35. §. pignus. ff. de verbor. significat.* Rebuff.
Couarruuias *lib. 3. variar. cap. 7. num. 7.* ibi: *Qua* Couar.
*in re oportet prænotare creditorem, cui plures res
fuerint iure hypotheca obligatæ, posse aduersus
quemlibet possessorem ex pluribus earundem rerum
in solidum agere ad integram debiti solutionem, nec
posse cogi contra omnes actionem hypothecariam, aut
contra eorum quemlibet pro rata actionem deducere
in iudicium.* hæc ille. Et idem tenet etiam Mat-
thæus de Afflictis *in const. Neapolitanis, lib. 1. rubri-
ca 17. num. 26.* & Corneus *consilio 175. lib. 1.* &
probat textus *in l. Moschis ff. de iure fisci*: secun-
dum glossam & Bartholum ibi. Et ratio est, vt in-
quit Couaruuias, quia si creditor cogeretur cum
pluribus rerum possessoribus litigare, & à plu-
ribus separatim particulares solutiones, & pen-
siones recipere maximo cum discrimine, & gra-
uissimis expensis id efficeret, quod procedit ma-
ximè in nostro casu de emphyteusi; nam cum di-
recti domini in emphyteutas dominium vtile in
perpetuum transtulerunt, & à se abdicarunt, ea
conditione tacita inclusa in ipso emphyteutandi
pacto id fecerunt, ne tam graue præiudicium pa-
terentur.

Contra

7. Contrarium tamen sequuntur plurimi Doctores affirmantes non posse creditorem agere contra vnum possessorem in solidum, sed debere agere contra omnes inter quos est Dinus *in dicta l. Moschu*, & Cassaneus *in consuetud. Burgundiæ, Rubrica* 5. § 2. *num.* 57. quam opinionem seruari in praxi in Regno Neapolitano testatur Afflictis citatus *dicto num.* 26. & asserunt huiusmodi Doctores priorem sententiam non probari *in dicta l. Moschu ff. de iure fisci*, sed probari hanc posteriorem, cum ibi iurisconsultus respoonderit contra omnem possessorem agendum esse. Sed vt optimè explicat Couarrunias citatus *dicto lib.* 3. *variar. cap.* 7. *num.* 7. hæc responsio intelligenda est, vt contra omnem possessorem agendum sit pro re possessa, ita vt contra eius partem agatur, non verò pro pensione, & solutione illius, nam licet fiat diuisio inter hæredes de re ipsa, nunquam tamen fit, nec potest fieri de pensione respectu iuris domini directi; quare potest directus dominus vnumquemque illorum in solidum obligare: & quicquid sit de praxi, & vsu regni Neapolitani, hæc est praxis consueta in nostro Lusitano, & plures, & grauiores authores, meliores que rationes pro hac nostra praxi stant, & pro ea sæpe fuit iudicatum, vt ait Mendez à Castro allegatus. Imò executiuè possunt procedere domini directi contra quemlibet in solidum hæredem, vt de facto in hoc regno Lusitaniæ procedunt, alioqui malè ageretur cum illis, & plus expenderent, maioresque sumptus facerent, quàm sæpissime valeret pensio soluenda contra omnem æquitatem, & rationem. Nec emphyteuta contra quem in solidum directus dominus iudicium executiuum intentat, iustè queri potest, cum à principio ea res sub ea tacita conditione in perpetuum emphyteusim fuerit illius maioribus à dominis directis tradita, vt diximus, & pat est credere.

8. Quamobrem possunt etiam directi domini, vt ordinariè in hoc regno Lusitaniæ fit, iudicem ordinarium adire, vt obliget vnum ex his hæredibus, qui emphyteusim in partes diuisas habent vt suscipiant hanc incapitationem, & respondeat, pro omnibus directo domino, qui postea singulas pensionum portiones a singulis recuperabit, & tenetur iudex tamquam executor nostræ legis, quæ has incapitationes iubet fieri *in dicto lib.* 4. *noua ordinationis tit.* 96. §. 23. id efficere, & iustis eorum petitionibus fauere; quod vt singuli libentius accipiant, poterunt directi domini, si voluerint, eos aliqua spe præmij allicere, vt scilicet, cum quisque suam portionem vendere voluerit, casu, quo directus dominus emere noluerit, illam emat ipse hæres, in quo prædicta incapitatio fit, & cogatur vendens eam illi vendere, & non alteri pro eodem pretio, quod quisque alius extraneus obtulerit, vt sæpe vidi efficià quodam integerrimo procuratore cuiusdam religionis cum non exiguo omnium cohæredum beneplacito.

9. Aliæ emphyteuses, quæ non sunt in phateosim, seu in perpetuum, sed ad tempus & pro duabus, vel tribus vitis, aut generationibus, vitæ enim, & generationes in idem recurrunt, vt supra diximus *num.* 1. aut sunt pecuniis paternis à patre emptæ, aut à suis maioribus hæreditario iure per nominationem acceptæ; & has quidem, aut patres, dum viuebant, in filios, vel filias causa dotis transtulerunt, aut in hora mortis in testamēto nominarunt in illis aliquem ex filiis, vel quamcumque aliam personam, si liberæ nominationis erant & non erant emphyteuses familiæ, seu generationis, & per hos omnes modos, & differentias discurremus, & videbimus quatenus afferendæ, vel non afferendæ sint ad collationem.

In primis si huiusmodi emphyteuses emptæ à parentibus, vel fratribus fuerunt pecunia paterna, omnes fatentur afferendas esse ad collationem quoad æstimationem, si in eis patres aliquem ex filiis vel cohæredibus filiorum nominarunt. Patet ex nostris ordinationibus nouis *lib.* 4. *tit.* 97. *num.* 22. ibi: *Saluo se fosse comprado, ou acquirido do dinheiro ou fazenda*, &c. Latinè, *Si empta fuerit emphyteusis, vel acquisita pecunia, aut bonis patris, vel matris nominantis; in hoc enim casu, tenebitur filius, vel filia nominata afferre ad collationem pretium, quo empta fuit prædicta emphyteusis, vel id in quo æstimabatur tempore, quo illam à patre, vel matre accepit, hoc enim in electione illius constituitur. Itemque si aliqua melioramenta pater vel mater in ea emphyteusi fecerit, valor, & æstimatio illorum ad ad collationem adducetur, inspecto quoad æstimationem prædictorum melioramentorum, vel tempore, quo illa in emphyteusi facta fuerunt, vel tempore, quo prædictam emphyteusim acceperit; prout ipse filius, vel filia, vel alius cohæres nominatus maluerit; quod volumus, vt locum minimè habeat in melioramentis exiguis, nec in aliquibus aliis expensis, quas nominans absque alia conuentione partium, aut conditione contractus emphyteutici tenebatur efficere.* hæc ibi in nostra lege, quæ omnia fideliter Latinè de verbo ad verbum transcripsit, quia non solùm nostris Lusitanis, sed etiam toti orbi hæc scribimus. Et ita docet Vallascus *de Emphyteusi quæst.* 1. *num.* 23. *& in praxi de partitionib. cap.* 13. *num.* 97. 102. 105. *& cap.* 26. *num.* 25. Caldas Pereira *de nominat. q.* 15. 18. *& 22. & de potestate eligendi cap.* 17. *num* 8. nec mirum est, nam licet de iure communi, vt intendit probare Vallascus *de emphyteusi quæst.* 38. *num.* 12. *&* 13. emphyteusis sit indiuidua omnino, sicut & feudum iuxta textum in *l.* 7. *ff. commun. diuis.* qui diuisionem prohibet in feudo: attamen de iure nostro Lusitano prædictæ emphyteuses in re sunt indiuiduæ, diuiduæ verò quoad æstimationem, quando pecunia, aut bonis patris vel matris emuntur. Et ratio, quam considerauit nostra lex, est, quia si illa pecunia in id non expenderetur, veniret profectò ad diuisionem, aut si illa bona alia non addicta emphyteusi emerentur, similiter ad collationem veniret. ergo & emphyteusis debet etiam venire etiamsi causa dotis filio, vel filiæ donetur, alioqui enim fraudarentur alij fratres, & cohæredes, & non bene consuleretur eorum æquitati, & paritati in legitimis, vt constat, & omnes rationes, quas fecimus *capite præcedenti num.* 6. pro officiis emptis pecuniis paternis, hîc etiam militant, & omnes Doctores ibidem, & numeris sequentibus allegari pro hac etiam parte allegari possunt, cum eadem sit ratio quoad collationem de officiis prædicta pecunia emptis, atque de emphyteusi. 10.

Quod adeo verum est, si de melioramentis loquamur, vt finita emphyteusi extinctionem vitarum, & personarum, quibus illa concessa fuit, vel per lapsum temporis in concessione propositi melioramenta facta in emphyteusi non cedant lucro domini directi, sed hæredibus vltimi emphyteutæ, & inter illos illorum pretium, & æstimatio est diuidenda, vt docet Gama *decisione* 41. *num.* 7. *initio*, *& decis.* 75. *initio*, *& decisione* 333. *num* 4. & tenet Speculat. *in tit. de locat.* §. *Nunc aliqua*, 11.

Dinus. Cassaneus. Vallasc. Pereira. Vallasc. Gama. Specul.

Iaso. *aliqua, versu* 131. Iaso *in l.2. num.27. de iure emphytent.* iuxta quam seorentiam pluries iudicatum fuit in Senatu Lusitano, vt ait Gama primo loco allegatus. Potest tamen per pactum emphyteuticum contrarium statui, vt scilicet omnia melioramenta finita emphyteusi domino directo cedant, vt expressè ait Gama primo, & secundo loco citatus, & docet Bartholus *in l. iubemus, §. fin. C. de sacrosanct. Eccles.* Sicque ipsi emphyteutæ patienter ferre debent vulnera suis propriis telis facta: quando tamen huiusmodi pactum apponitur in ipsa emphyteusi, pensio illius, & annuus redditus minuendus est arbitrio prudentis pro grauamine melioramentorum.

Barthol.

12. Vallasc. Aluarus tamen Vallascus 1. *part. de iure emphyteut. quæst.* 25. *num.* 19. contrariam opinionem conatur inducere; ait enim ibi prædictum pactum appositum in emphyteusi, quòd finita emphyteusi per extinctionem personarum, vel lapsum temporis in concessione illius appositi, melioramenta in emphyteusi facta domino directo cedant, non valere, & nihilominus eo pacto non obstante pertinere omnia prædicta melioramenta ad hæredes vltimi emphyteutæ, non ad hæredes domini directi. Fundamentum illius est, quoniam verba illa generalia in contractu apposita, vt finita emphyteusi omnia melioramenta ad dominum directum pertineant, & vt emphyteusis eum omnibus suis meliorationibus ad illum reuertatur, non ita strictè debent intelligi, vt emphyteuta omnino sua melioramenta perdat, sed quòd reuertatur ad illum cum melioramentis omnibus in hunc sensum, ut emphyteuta possit ea tollere, sed recipiat æstimationem illorum de redditibus ipsius emphyteusis, vel aliunde, ne quis videatur suum liberaliter donare. *l. Campanus, ff. de operib. lib.* & quiduis aliud potius præsumendum est, quàm donatio. *l. cùm de indebito, versic. Nec enim.* & *l. generaliter, C. non numerata pecunia.* Deinde, quia illa verba sunt dubia, eum recipiant sensum, vt emphyteusis reuertatur ad dominum directum cum suis omnibus melioramentis, deducto tamen pretio illorum quod ad hæredes vltimi emphyteutæ pertinebit. Et in dubio non videtur emphyteuta ædificare animo donandi, vt ait Iaso *in l.2. num.* 33. *C. de iure emphyt.* & quia Bartholus pro contraria parte allegatus tantùm dicit valere tale pactum, vt res reuertatur cum suis melioramentis omnibus ad dominum directum, non tamen dicit, quòd non sit soluenda æstimatio illorum, quod saltem in emphyteusi Ecclesiastica locum habebit, ne Ecclesia, quæ est cultrix iustitiæ, *cap.* 1. *§.* 1. *de alienand. feud.* aliena iactura locupletetur.

Iaso.

13. Verùm, licet Vallascus ibi asserat variè in nostro Senatu pro vtraque parte fuisse iudicatum, sententia illius non placet Gamæ *decis.* 75. *num.* 2. nec placet hodie melioribus Senatoribus, quia ea locum non habet in casu à contrahentibus expresso, pacta enim in his contractibus emphyteuticis obseruanda sunt: neque contrahentes clariùs mentem suam exprimere poterant, quàm dicendo, quòd finita emphyteusi res cum suis omnibus melioramentis ad dominum directum reuertatur; & sic dici non potest ea verba esse ambigua. Et quamquam aliqui distinguant inter magnas, & paruas meliorationes, & dicant magnas ad hæredes vltimi emphyteutæ pertinere, exiguas ad dominum directum; vt ait lex nostra Lusitana *dicta lib.* 4. *tit.* 97. *§.* 22. in verbis à nobis *num.* 10. citatis, ibi, *volumus, vt hæc locum nunimè habeant in melioramentis exiguis*: tamen obstant ea verba. *Omnes meliorationes*; qui enim totum dicit, nihil excludit *l. Iulianus ff. de legatis* 3. Item quia semper in huiusmodi contractibus apponi solet hæc clausula, vt omnes meliorationes *liberè* ad dominium directum reuertantur: quomodo autem liberè reuertentur ad illum, si illarum æstimatio deducatur? non enim liberè redditur, quod aliquo onere redditur *argumento Clementinæ* 1. *verbo, Liberè, de sepulturis.*

Patent hæc magis, quia Bartholus *in l. iubemus §. sanè, Secunde C. de sacrosanct. Ecclesiis*, ponit hunc casum, si Ecclesia concedit prædium Titio, hoc pacto adiecto, vt illi liceat domum in eo ædificare, hoc pacto adiecto, quod prædium cum domibus finita emphyteusi ad dominum, seu Ecclesiam reuertatur, & asserit valere tale pactum, & cum Bartholo consentit Iaso *in l.2. n.* 28. *C. de iure emphyteutico.* Barthol. Iaso.

Nec placet solutio, quam Vallascus huic argumento inuenit, asserens ibi fuisse appositum pactum super rem certam expressam, hoc est super domum, at secus rem habere in illis verbis generalibus, *Omnes meliorationes*, in quibus non dicitur quòd res reuertatur ad dominum directum cum tali vel tali melioratione in speciali, sed cum omnibus. Cæterum cum eadem sit ratio de toto ad totum, & de parte ad partem, non video solidum fundamentum, quo hæc solutio tanti authoris fulciri possit; maximè, quia in prædictis contractibus in quibus magis emphyteutæ grauantur, minor semper pensio apponatur: quare persistit Bartholi & non placet Vallasci opinio.

Imò si pater in vita sua emphyteusim propria pecunia paterna emptam filio, vel filiæ causa dotis, vel quacumque alia ratione tradat, non solùm illa adducenda erit ad collationem, si excedat legitimam ipsius filii, & tertium, vel quintum, aut partem illam de qua pater liberè disponere potest, quoad æstimationem, inspecto tempore valoris, vel quo prædicta emphyteusis empta à patre fuit, vel quo tradita est filio prædicto, vt disponit expressè ius nostrum Lusitanum *dicta lib.* 4. *noua ordinat. titul.* 97. *§.* 22. & probauimus hactenus. Sed etiam adducenda est ad prædictam collationem, quoad illam æstimationem, quam haberent redditus prædictæ emphyteusis pro toto tempore, quo pater victurus sperabatur, quia in hoc etiam defraudantur legitimæ aliorum fratrum, & cohæredum; nam si prædictam emphyteusim possideret, nemo dubitat auctiores futuras esse legitimas filiorum; & ita expressè statuitur in prædicta lege nostra allegata in hæc verba. *Iubemus, vt si pater vel mater in vita sua emphyteusim prædictam causa dotis vel quocumque alio titulo dederit alicui ex suis filiis, teneatur ipse filius eam adducere ad collationem quoad æstimationem pro tempore, quo illi fuit tradita, si voluerit ingredi collationem cum aliis fratribus*: adde, aut requisitus fuerit ab illis, & reliquis cohæredibus allegantibus excessum legitimæ ipsius filii, & tertiæ partis bonorum, de qua pater liberè disponere poterat. & id ipsum iam probauimus *cap. præcedenti, n.* 12. loquentes de officio, quod pater propria paterna pecunia sibi emit, & filio dum ipse pater viueret tradidit vel causa dotis, vel quocumque alio titulo; & authores, & rationes, quas ibi adduximus & citauimus, hic etiam applicentur, cum eadem procedat ratio vtrobique. 14.

Si verò emphyteuses à maioribus per nominationem hæreditario iure ad aliquem deuenerint, & 15.

& non sint perpetuæ, & in fateosim (de his enim iam suprà egimus) sed sint vitalitiæ, seu vitarum, aut generationum, hæc enim in idem recurrunt. vt etiam iam diximus, nam vna vita, est vna generatio, & secunda vita, secunda generatio, & tertia, tertia: tunc quidem aut pater, vel mater emphyteuta illam in vita sua donarunt filio, vel filiæ sub sua potestate constitutæ causa matrimonij, vel alio quouis titulo; vel post mortem suam in illa emphyteusi prædictum filium, vel filiam nominarunt. Si in vita sua, & dum viuerent dederunt, tenetur filius prædictam emphyteusim adducere ad partitioné pro æstimatione temporis, quo pater, vel mater qui erant vltimi possessores, & vltimæ vitæ victuri sperabantur. Ita nostrum ius Lusitanum decernit *dict. lib. 4. noua ordinat. tit. 97. §. 22.* ibi: *Si pater, vel mater dantes, vel dotantes fuerint vltima vita, vltimave persona emphyteuta, afferet filius dotatus, vel filia ad partitionem æstimationem valoris pro vita patris tantùm: Si verò non in vita donauerint, sed post mortem suam in prædicta emphyteusi filium, vel filiam nominauerint, vt post mortem suam, illam possideant, nec prædictam emphyteusim, nec valorem illius ad collationem afferre obligabuntur, nec illi ad legitimam imputabitur.* Ita nostra ordinatio. Hæc breuiter dicta sint de hac obligatione fratrum in fratres quoad bonorum partitionem. Ampliores tractatus inuenies apud Vallascum, & Molinam allegatos. Hic tamen hæc, quæ nobis vtilia visa sunt ad perfectionem huius quarti præcepti diximus, ne nostros beneuolos lectores tam vtili doctrina priuaremus, & ne sine illa mutilum hoc præceptum videretur.

16. Petes tamen hîc primò, an possit conueniri nouus emphyteuta pro pensionibus præteritis aliorum emphyteutarum non solutis? Quæstionem breuiter tractat Cabedo *tom. 1. decis. 149. num. 4.* & resoluit posse conueniri nouum emphyteutam pro prædictis pensionibus aliorum emphyteutarum non solutis à domino directo emphyteusis; posse tamen prædictum nouum emphyteutam agere contra hæredes prædecessorum. Fundamentum illius est, quia emphyteusis est hypothecata prædictæ pensioni; sicut commenda, vel beneficium ex quo pensio alicui soluitur, est hypothecatum eidem pensioni, ita vt illa pensio sit onus reale adnexum emphyteusi, & beneficio, & non onus personale impositum possidenti emphyteusim, vel beneficium. Quare cum sit onus reale, potest nouus possessor pro præteritis pensionibus conueniri; nam tale onus reale transit ad quemlibet possessorem, imò res, hoc est beneficium, & emphyteusis cum suo onere ad nouum possessorem transfertur. Ita docet Gigas *de pensionibus, quæst. 44. & quæst. 43.* Abbas *in cap. Pastoralis, num. 5. de decimis, & cap. decis. 20. à n. 26.* & de nouo emphyteuta constat ex *l. Imperatores, ff. de publican.* quos omnes citat Cabedo allegatus, & ait ita fuisse iudicatum in Senatu Olisiponensi anno Domini 1585.

Cabed.

Gigas. Abbas.

17. Vidi sæpe dubitare apud viros doctos, an finitis vitis, vel generationibus, elapsóve tempore concessionis, teneatur dominus directus emphyteusis Ecclesiasticæ illam hæredibus emphyteutarum decessorum, in emphyteusim iterum tradere, seu quod idem est, iterum emphyteusim renouare: & an prædictus dominus possit aliquod pretium moderatum accipere in gratificationem pro prædicta nominatione seu pro electione personæ, cui renouet emphyteusim, quando omnes personæ quæ renouationem postulant, sunt in gradu æquali respectu vltimi emphyteutæ sine nominatione decedentis, & in voluntate domini directi est huic potius, quàm illi renouationem facere. Et ad primum dubium, respondeo, licet spectato iure, & ratione dominus directus possit emphyteusim sibi vendicare, & eam iterum finitis vitis, & elapso tempore concessionis renouare: tamen hac de re tres opiniones inuenio. Prima docet non teneri dominum directum tam Ecclesiasticum, quàm sæcularem finitis vitis, & generationibus, aut elapso tempore concessionis emphyteusim hæredibus vltimi emphyteutæ renouare, siue illam velit sibi vendicare, siue non; sed posse illam liberè alteri cui voluerit de nouo emphyteutare. Hæc probari potest primò, quia pacta in emphyteusi apposita cum omnibus suis conditionibus iustis in illis insertis sunt seruanda; potest enim quis apponere in suis contractibus omnes conditiones iustas, quas voluerit, vt omnes fatentur; nam quamuis iura decernant, vt emphyteusis melioramenta sint ipsius emphyteutæ, tamen potest per conditionem appositam in contractu emphyteutico contrarium fieri, vt scilicet prædicta melioramenta finitis vitis, & elapso tempore concessionis ad dominum directum pertineant, non ad emphyteutam, vt suprà *num. 11.* docuimus, & est doctrina Bartholi *in l. Iubemus, §. finali. C. de sacros. Ecclesiast.* non ex alio capite, nisi quia conditio apposita erat iusta, & à conditionibus iustis in contractibus appositis non est recedendum *l. finali. C. de alluuion. l. finali. C. de iure emphyteut.* sed prædicta conditio, vt extinctis vitis, & generationibus, elapsóve tempore concessionis emphyteusis reuertatur ad suum dominum, & dominium vtile consolidetur cum dominio directo, est iustissima, & in omnibus emphyteusibus solet semper apponi, ergo ab ea non est recedendum, ergo finitis generationibus, & elapso tempore concessionis potest dominus directus eam alteri dare, & non tenetur eam renouare hæredibus vltimæ vitæ, seu vltimi emphyteutæ; nullum enim in hoc eis fit grauamen, nulla iniuria à domino directo, qui virtute pacti conuenti cum primo emphyteuta in hoc procedit, & non absolutè, & motu proprio. Secundò, quia vltimus emphyteuta, cum in eo finiuntur vitæ, & generationes pro quibus res tradita fuit in emphyteusim, nullum habet ius nominandi aliquem ex filiis in prædicta emphyteusi; ergo neque filij habent ius requirendi hanc renouationem; ergo poterit dominus directus illam sibi vendicare, vel alteri tradere in emphyteusim, prout maluerit. Tertiò, quia aliud est dare dominium vtile alicui alicuius rei ex natura sua fructiferæ in emphyteusim perpetuam, aliud dare ad tempus, & limitatis vitis, & generationibus; & alia est emphyteusis perpetua, alia vitalitia, & temporanea. Si ergo teneretur dominus directus eam iterum renouare, & vltimus emphyteuta posset in iure petendi prædictam renouationem vnum ex filiis nominare, iam non esset emphyteusis vitalitia, & temporanea, sed perpetua, vt patet. Quartò, quia durissimum est velle me obligare ad dimittendum in perpetuum, quod non nisi sub certa pensione dimisi ad tempus. Quintò, quia pacta, & conuentus hominum, non obligant vltra intentionem agentis; atqui nunquam domino directo fuit talis intentio, quomodo enim melius poterat suam intentionem explicare, quàm dicendo, vt extincta tali,

vel tali vita res iterum ad se liberè reuerteretur. Sextò, quia contraria opinio est contra charitatem, impedit enim opera charitatis; nam nullus prudens postea audebit rem alteri pro viris, & certo tempore emphyteutare, si verum est, quòd maneat in perpetuum obligatus ad emphyteusim renouandam. Quæ enim sunt pro charitate inducta, non debent contra charitatem militare; atqui emphyteusis vitalitia, & temporanea, est pro charitate introducta; ergo non debet contra illam militare.

18. Secunda opinio docet posse dominum directum, siue sæcularem, siue Ecclesiasticum extinctis viris, & generationibus, & elapso tempore concessionis, prædictam emphyteusim sibi vindicare, & si velit aliis emphyteutare, teneri renouare illam hæredibus vltimi emphyteutæ, & non aliis; & posse consequenter vltimum emphyteutam in hoc iure nominare vnum ex filiis,

Panor. quem ipse maluerit. Hanc tenet Panormitan. *in cap. Bona secundò, num. 28 de postulat. prælator.* vbi asserit renouationem emphyteusis Ecclesiasticæ non concedi quando ipsa Ecclesia sibi vult retinere emphyteusim. Tenet etiam Ripa *in l. 5. n. 9. ff. de priuileg. creditor.* Iulius Clarus §. *emphyteusis, quæst 43, num. vlt.* Gama *decisione 41. num. 1.*

Ripa. Iul. Clar. Gama.

Cald. Pereir. Caldas Pereira *de renouat. emphyteusis, quæst. 8. num. 17.* vbi plures refert, & de hac re latè agit, & pro hac parte militant omnes, aut ferè omnes rationes factæ pro prima opinione. Deinde, quia dictum Bartoli in hac sententia, quæ affirmat teneri dominum directum, tam Ecclesiasticum, quàm sæcularem renouare emphyteusim tam descendentibus vltimi emphyteutæ, quàm transuersalibus, fundamentum habet *in l. 1. §. Permittitur. ff. de aqua quotidiana, & æstiua*, dum ait teneri dominum directum emphyteusim extinctis viris, & elapso tempore concessionis, renouare descendentibus vtilis domini, & fieri eis iniuriam si ea renouatio non concedatur, intelligendum est de æquitate, & conuenientia, non verò de iustitia rigorosa: nam verbum illud, *iniuria*, ibi non significat veram iniuriam, & iniustitiam, sed æquitatem, quasi vulgari modo dicatur iniuria, non rigorosè.

19. Et addunt authores huius sententiæ id sine dubio verum esse, quando monasterium, vel directus dominus sæcularis paupertatem suam & indigentiam probat; tunc enim cessat æquitas, seu iniuria de qua Bartholus agebat, & in qua illius opinio fundamentum habuit; nam charitas bene ordinata incipit à se ipso, seu à propria persona, *l. Præses, C. de seruitutib. & aqua*, & ideo non teneri Ecclesiam in hoc casu emphyteusim

Ant. Gabr. renouare docent etiam Anton. Gabriel *lib. 3. commun. opinion. de iure emphyt. conclusione 1. num. 14, limit. 4.*

Nicol. Mil. Iaso. Nicol. Mil. *in suo repertorio, verbo, Emphyteusis finita.* Iaso *consil. 28. num. 8. lib. 3* Ludou.

Gozadin. Ripa. Marant. Villalob. Gama. Gozadinus *consil. 39. num. 21.* Ripa *in l. 1. num 9. ff. de priuileg. creditor.* Maranta *disput. 8. num. 22.* Villalobos *in verbo, Emphyteu. num. 49.* & addit Gama *dict. decisione 41. num. 8.* quando verisimile est dominum directum non sibi retinere velle emphyteusim, sed aliis extraneis concedere, deferendum illi esse iuramentum, an reuera sibi illam velit, an aliis concedere.

20. Tertia opinio docet teneri dominum directum illam renouare hæredibus vltimi emphyteutæ, si vltimus emphyteuta in ea melioramenta aliqua fecit, & consequenter posse illum in hoc iure renouationis nominare quem vellet ex filiis, & in defectum illorum ex descendentibus, aut transuersalibus (sed hac de re statim agemus.) Ita docent communiter Doctores *in l. §. Permittitur. ff. de aqua quot. & æst.* Imola *consil. 68. n. 4.* Imol. Paul. *consil. 142. col. 2. lib. 2.* Decius *consilio 131.* Paul. Decius. Paris. *consil. 28. lib. 1 post numerum 6.* Iulius Clar. Parif. §. *Emphyteusim, quæst. 43.* Vallascus *de iure emphyteutico, quæst. 2, num. 7, & tom. 1. consult. 105. n. 4.* Iul. Clar. Vallasc. Cabedo *tom. 1. consult. 203. num. 5.* Gama *decisione 40, num. 3. & num. 8.* Cabed. Gama. & alij multi, quos ipsi citant. Et ratio est, quia cessantibus melioramentis videtur cessare æquitas renouandi fundata *in l. 2. C. de alluuio. & palud.* quæ ait dolendum esse labores nostros ab aliis possideri. Circa quod negotium tradit multa Franciscus Ripa *de peste, num. 156.* Ripa. & facit illud Virgilianum, *in queis consevimus agros?* & vt animaduertit Vallascus citatus *dicta quæst. 2. de emphyteusi, num. 7.* Vallasc. melioratio est vna ex conditionibus requisitis ad postulandam renouationem, idque maximè in emphyteusi Ecclesiastica propter constitutiones omnium Episcopatuum huius Regni Lusitani, in quibus id ipsum requiritur; & etiam, quia renouatio non solet esse in praxi, nisi probatis melioramentis iuxta textum *in l. Congruit præf. fiscal. lib. 11.* & in omnibus casibus in quibus iudicata est renouatio, præcipua ratio in melioramentis fundamentum habet.

Et consequenter debet hæc opinio addere deficientibus melioramentis non teneri dominos di- 21.
rectos prædictam renouationem concedere ob easdem causas; nam si præcipua ratio concedendi illam est ea, quæ à melioramentis fundamentum accipit, cessantibus iisdem melioramentis, debet cessare renouatio, cessante enim causa cessat effectus. Iam verò si detur probatio deteriorationum, non solùm non habet locum renouatio, sed datur locus commisso, & pœnæ caducitatis iuxta *Auth. Qui rem. C. de sacros. Eccles.* Cum tamen culpa suos semper sequi debeat authores, *cap. Non afferantur, 24. quæst. 1. l. Sancimus. C. de pœn.* solus ille hanc pœnam caducitatis incurret, qui prædictas deteriorationes fecit, non alij emphyteutæ; nam cum ille in vita non fuerit accusatus, actio illa pœnalis non transit lite non contestata ad successores *l. vnica. C. ne ex delict. defunct.* Baldus *l. finali. num. 4. C. de reuoc. donat.* Bald. Cassad. *decis. 3. num. 31.* Gama *decis. 17. num. 2.* Cassad. Gama. Nauarr. *in cap. finali de simon. num. 30. fol. mihi 125.* Decius alios referens *consil. 185. in causa. num. 9.* Ruinus *consil. 159. num. 12. lib. 1.* Curtius Nauar. Decius. Ruinus. Iunior *de feud. 4. part. num. 157.* Cæterùm hæc opi- Curt. Iun. nio quòd requirat accusatio in vita emphyteutæ deteriorantis, vt pœna caducitatis incurratur ab illius hæredibus, est satis controuersa, vt docet idem Gama *dicta decis. 57. per totam*, & non videtur bene posse aptari ad casum renouationis, licet aptetur ad casum caducitatis; nam quando dantur deteriorationes, licet cesset pœna commissi non intentata actione pœnali in vita contra emphyteutam, non tamen cessat ratio indignitatis ob quam sit indignus tali renouatione, & ad petendam renouationem, si ostendantur deteriorationes, licet ipse illas non fecerit; quia factum est id propter quod inductus est contractus emphyteuticus, scilicet ad conseruandam, & meliorandam rem, non ad destruendam; alioqui id quod inductum fuit ad ædificationem, cederet in destructionem; & sic propterea quod contra finem contractus actum sit, inclinat Vallascus Vallasc. *de iure emphyt. 1. p. quæst. 2. & tom. 1. consult. 101. num. 5.*

num. 5. *versu, verum*, ad hoc probatis detetiorationibus non dati locum renouationi etiamsi illa non fuerint factæ per vltimum emphyteutam, in quo vitæ, & generationes finiuntur.

22. Hæc ita se habent: nihilominus praxis consueta, & vsus forensis huius regni frequentibus, & quotidianis sententiis confirmatus, est obligare dominos directos emphyteusum, siue illæ sint Ecclesiasticæ, siue sæculares, ad faciendam hanc renouationem non solùm descendentibus vltimæ vitæ, sed etiam transuersalibus agnatis in eo casu, quòd vltimus possessor, seu vltima vita, & emphyteuta neminem eorum in iure renouationis nominauit, veluti, si ab intestato decessit, & hoc siue vltimus emphyteuta fecerit, siue non fecerit melioramenta in ipsa emphyteusi. Ita hodie communiter praxis habet, & docet Barthol. *l.* 1. §. *Permutitur. ff. de aqua quot. & æstiua.* vbi asserit fieri iniuriam ei, qui vltimo emphyteutæ succedit, nisi ei fiat renouatio; docet etiam Gama *decis.* 41. Garcia *in tractatu de expensis, & meliorat. cap.* 15. *num.* 18. Abbas, & Canonistæ *in cap. Bona* 2. *in fine de postulat. prælat.* vbi Glossa. Caldas *de nominat. emphyteusis quæst.* 18. *num.* 22. *& quæst.* 17. *num.* 21. *&* 32. Maranta *disput.* 8. *num.* 31. Iulius Clarus §. *emphyteusis, quæst.* 43. *num.* 2. loquens etiam expressè de transuersalibus agnatis non cognatis, & de iisdem etiam loquentes id docent Decius *consilio* 131. *col. finali. versu. Et quamuis, & consil.* 78. vbi addit ita sæpe fuisse iudicatum & idem repetit *consil.* 47. *&* 49. Vallascus *consult.* 101. *tom.* 1. *num.* 2. vbi se citat ad tractat. *de emphyt. quæst.* 43. *num.* 2. & in vtroque loco de transuersalibus etiam agnatis loquitur Curtius *de feudo* 2. *part. quæst.* 15. *pag.* 141. Iam verò hæc praxis caret omni dubio si aliqua meliotamenta probentur fuisse facta in ipsa emphyteusi, vel ab vltimo emphyteuta, vel ab aliis maioribus, quia vt ait *l.* 2. *C. de alluuio.* dolendum est maximè labores nostros ab aliis extraneis possideri, vt tradit Ripa *in tractatu de peste, num.* 256. idque maximè locum habet in emphyteusi Ecclesiastica, nam cum Ecclesia sit cultrix iustitiæ, & mater pietatis, illas non debet offendere in casu proposito, & verò nec Barth cit. nec Garc. allegat nec Ripa *in l.* 1. *C. de priu cred.* ad hanc renouationem requirunt aliqua melioramenta; sed absolutè dicunt siue probentur melioraméta, siue non probentur finitis vitis, & extincta emphyteusi, semper deberi non solùm descendentibus, sed etiam transuersalibus vltimi emphyteutæ, qui ab intestato decessit, & nullum in iure renouationis nominauit, prædictam renouationem, & obligandos esse in foro extero dominos directos ad illam concedendam. Primò; quia finito, & aperto feudo tenetur dominus directus renouare illud descendentibus vltimi feudatarij, vt tradit Vallascus *de iure emphyt. quæst.* 38. *num.* 17. cum multis, quos ibi citat a ergo etiam à paritate rationis tenebitur dominus directus emphyteusim renouare: Secundò, quia hoc non potest dici alienatio; siquidem res est iam alienata, & extra Ecclesiam quoad dominium vtile, nec in hoc casu locum habent pœnæ Clementinæ *Ambit. de rebus Ecclesiæ non alien.* Sed est continuatio eiusdem contractus emphyteutici, cum eadem recognitione pro dominio directo. Nec obstat conditio apposita in prædicto contractu, quòd extincta emphyteusi finitis vitis, & generationibus, res ad dominum directum reuertatur; nam hæc verba sunt generalia, quæ in omnibus contractibus emphyteuticis generaliter apponi solent, & verba generalia, parum, aut nihil operantur, neque obligant in particulari. Tertiò, quia nisi ad hanc renouationem faciendam tenerentur domini directi, sequentur magna præiudicia, damnáque Ecclesiis, si emphyteusis fuerit Ecclesiastica; nam impedientur voluntates fidelium, vt nulla prædia, nullas eleemosynas Ecclesiis testamento relinquant, cum videant alimenta eripi per ipsam Ecclesiam à suis descendentibus, & agnatis; nam cum olim ordinariè, & regulariter loquendo prædia & terræ emphyteutatæ Ecclesiis per ipsos sæculares pro eleemosynis relictæ fuerint, & Ecclesiæ illas illorum descendentibus & agnatis in emphyteusim dederint, eo quòd per se ipsam commodè illas colere non posset, si sæculares modò videant dominos directos Ecclesiasticos tanto erga suos descendentes, & transuersales rigore vti, sine dubio scandalum hoc illis erit, & illorum manus, veluti funibus alligabit, voluntatésque auertet ne postea vllas eleemosynas Ecclesiis relinquant, & sic in hoc casu magis agitur de vtilitate, quàm de præiudicio Ecclesiæ, vt ex discursu facto patet.

In eo verò casu in quo descendentes, & in defectum descendentium in quo transuersales agnati fuerint in æquali gradu, quod fieri potest, si vltimus emphyteuta habuerit plures filios, & filias, & in defectum filiorum plures consobrinos, vel consobrinas, filios ex fratre, datur locus gratificationis domino directo, & potest eligere ex illis, quem maluerit, etiam fœminis, relictis masculis, & minoribus, ac iunioribus, relictis natu maioribus. Ita docet Caldas Peteira *de renouat. emphyteusis quæst.* 18. *num.* 22. *& quæst.* 17. *num.* 21. *&* 32. ibi: *Potest directus dominus vni ex filys, vel descendentibus in æquali gradu vltimi possessoris cui magis voluerit emphyteusim renouare, & filia exclusis fratribus*; & id ipsum docet Parisius *consil.* 22. *num.* 36. *lib.* 1. facit textus *in cap. Ex parte, de feudo*, vbi finito feudo dominus directus poterit liberè dare cui ex fratribus voluerit, prout etiam tenet Alexander *in l. si mihi, & Titio. col. penult. ff. de verbor. signif.cat.* & Barthol. *in l. Vt iurisiurand.* §. *liberi num.* 5. *ff. operis libert.* Salicetus *in l.* 2. *quæst.* 17. & ibi Iaso *num.* 187. *C. de iure emphyt* Conducit lex, *Vnum ex familia*, vbi iuris ciuilis periti §. *itaque ff. legati* 2. & lex *Peto.* §. *finali, ff. eodem.* vbi quando quis tenetur vni ex familia aliquid relinquere, & grauatus est fideicommissum relinquere vni ex dicta familia, satisfaciet eligendo vnum, quem velit in gradu æquali. Et ratio est, quia sicut pater, qui erat vltima vita, poterat nominare vnum ex filiis, quem maluerit, & vltimus emphyteuta vnum ex transuersalibus agnatis, quem voluerit, existentem in æquali gradu, idque in defectum descendentium, non est cur id ipsum directo domino negetur; & ita iudicatum fuit in Sena Bracharensi, vt tradit idem Caldas *de renouat. emphyt. quæst.* 17. *num.* 32. & addit Doctor Sebastianus Gil qui per triginta & eo amplius annos in eo Senatu Præses fuit in suis doctissimis aduertendis manu scriptis, quæ vidi: *Sic vidimus ab Archiepiscopo Sancto D. D. Bartholomeo de Martyribus ordinis Dominicani in quadam emphyteusi mensæ Archiepiscopalis elegisse filiam vltima vita prætermisso filio maiore natu*; & hoc non semel fecisse ex consilio sui Senatus tunc temporis eruditissimi, testatur idem ipse doctissimus vir in prædictis aduertendis. 23.

Ex

Barth. Gama. Garc. Abbas. Glossa. Marant. Cald. Iul. Clar. Decius. Vallasc. Curtius.

Caldas. Parisius. Alexand. Barthol. Salicet. Iaso. Caldas.

23. Ex quo colligitur posse dominum directum quicumque ille sit, siue Ecclesiasticus, siue sæcularis, aliquod pretium moderatum in gratificationem prædictæ electionis accipere, quia enim liberum illi sit, eligere quem velit ad hanc renouationem, & non adstringatur iure aliquo magis hunc, quàm illum ex æqualibus in gradu ad hanc electionem vindicare, potest illum eligere, qui sibi gratior extiterit; cæteris autem paribus gratior est ille, qui aliis nihil offerentibus, moderatum aliquid in gratificationem offert. Si tamen omnes offerant, non potest directus dominus illum eligere, qui maius præmium obtulerit, id enim tunc species est venditionis non electionis: sed ex his omnibus, qui pro hac electionis gratificatione aliquid obtulerint moderatum, poterit eligere, quem maluerit. Et fundamentum huius rei est, quia si à principio dominus directus Ecclesiasticus de licentia Summi Pontificis præcedentibus omnibus solennitatibus iure requisitis eas terras emphyteuticaret, posset illas in emphyteusim ei tradere, qui sibi gratior extitisset; ergo etiã modò datur eadem ratio; quia quamuis prædictus dominus directus teneatur ex iustitia renouare hanc emphyteusim vni ex hac familia, non tamen huic, vel illi obligatur in speciali, sed vni ex istis, quem ipse elegerit, ac liberè ad hanc electionem vocauerit; & ita docet Rodriguez 2. *part. summæ cap.* 10. *conclusione* 9 Lud Lopez *1. p. Instruct. cap* 106. & 2. *part. cap.* 29. Bañez 2. 2. *quæst* 62. *art.* 5. *dub.* 4. & alij.

Rodrig.
Lud. Lop.
Bañez.

24. Non habet tamen hoc locum in electoribus beneficij Ecclesiastici, quando oppositores sunt æquè digni, quia quamuis tunc possint præferre, quem maluerint, tamen pro illo fauore non possunt pretium accipere sine peccato simoniæ, vt communiter tenent Doctores cum Lessin *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 9 *num* 64. quia hic fauor ordinatur ad aliquid spirituale. Neque in ministris iustitiæ, seu in iudicibus, quando litigantes æqualem iustitiam habent. nam pro eo fauore eligendi vnum ex illis pro quo ferat sententiam nullum pretium accipi potest absque obligatione restitutionis, quia sicut is qui mutuum dat, non potest aliquid accipere ab aliquo tertio cuius gratia illius amico aliquid mutuum dat; ita iudex non potest aliquid accipere pro electione personæ ad ferendam sententiam ex iis litigantibus, qui æqualem iustitiam habent, quia supposito, quòd publici ministri iustitiæ sint, ex officio tenentur iustè agere, vt docet Turrianus 2. 2. *disp.* 4. *dub.* 3. Rebellus *part.* 2. *lib.* 18. *quæst.* 20. *num.* 1, 5. *vnde.* & alij. Nam sicut actio iustitiæ inuendibilis est, ita gratia, & fauor, qui cum illa coniungi potest, inuendibilis est. Nam sicut ministri iustitiæ, qui ex publico sunt conducti ad illam administrandam, iustitiam vendere non possunt, ita nec fauorem nec gratiam illius venalem queunt efficere: procedit tamen, & locum habet in electoribus & suffragantibus ad cathedram, & in aliis similibus.

Lessius.
Turrian.
Rebell.

***

CAPVT XXIV.

An filius teneatur ad collationem cum alijs fratribus, & cohæredibus adducere ea quæ malè consumpsit. Soluuntur alia dubia.

SVMMARIVM.

Refertur opinio illorum, qui asserunt teneri filios ea quæ in ludis, & cum meretricibus in præiudicium aliorum fratrum illicitè absumpserunt, ad partitionem adducere. num. 1.

Præfertur secunda opinio, asserens, quando filius non maiorem quantitatem malè absumpsit, quàm pater contentus esset, vt ille illam in suam honestam, & decentem recreationem insumeret, non teneri prædictum filium id ad partitionem conferre. num. 2.

Quomodo intelligendum sit ius Lusitanum disponens, vt filius teneatur ad partitionem adducere omnia à parentibus donata. num. 3.

Quomodo se debeat gerere confessarius in foro pœnitentiæ cum huiusmodi adolescentibus, qui multa à parentibus furto ablata malè consumunt in aliorum fratrum præiudicium. num. 4.

An quando pater talis ingenij est, vt ea, quæ filius malè viuendo absumpsit, ei nullo modo donaret, teneatur filius conferre num 5.

Quid quando summa malè à filio insumpta, tanta esset, vt, attentis parentis facultatibus, excederet honestum, & iustum alimentum, quod pater licitè cum filio poterat efficere, & pater illum excessum ei libenter remittat, an tunc teneatur prædictum excessum ad collationem adducere. numera 6.

An si peracta bonorum partitione hæredes conueniant, vt nullus reliquis de euictione teneatur, valeat pactum & conuentio. num. 7.

In quibus casibus possint hæredes contrauenire, aut non contrauenire contra partitionem in illorum præsentia à iudice factam. num. 8.

Quando aliquis ex hæredibus minor est, potest postea per beneficium restitutionis vsque ad vigesimumquintum ætatis suæ annum ad reuocationem partitionum agere. num. 9.

SVNT multi filij, qui multa à parentibus furto auferunt, quæ malè viuendo, indebitè, & illicitè ludendo, & in meretricios tractatus turpiter, & non sine nocumento aliorum fratrum, & cohæredum absumunt; & de his procedit quæstio, an hæc illi teneantur cum fratribus ad partitionem adducere, & in partitionem legitimæ, quæ ad illos pertinet computare: qua de re duas opiniones inuenio. Prima affirmat, eam docet Nauarrus *in summa Latin.* *cap.* 17. *num.* 164. vbi pro se citat glossam *in l. illud. C. de collat.* docet etiam Syluester *verbo, Peculium* 2. *quæst.* 9. Anton. Gomez *ad legem* 29. *Tauri num.* 25. Nauarrus tamen ibidem *num.* 146. D. Antonio. 2. *part. titulo* 1. *cap.* 15. §. 1. excipit nisi pater dum viueret, illa ei condonaret. Sed hæc exceptio Nauarri in iure Lusitano perexiguum fundamentum habet, cum filius de eodem iure loquendo, vt suprà diximus, teneatur adducere ad partitionem omnia, quæ sibi à patre 1.

Nauar.
Syluest.
Ant. Gom.

fuerunt

foerunt donata, & ideo, eo iure inspecto, condonatio illa patris nihil filio prodesse potest, quo minus teneatur conferre ea, quæ de bonis paternis malè consumpsit. Fundamentum ergo huius opinionis est. Primò, quia filius nullum aliud ius in bonis viuentis patris, aut matris habet, quàm quòd sustentari debeat ex illis iuxta legem, *Si quis à liberis, §. Idem. ff. de lib. agnoscend.* ergo si quid immoderatum ex eis furto acceperit à patre, tenetur illud ei, aut saltem singulis illius hæredibus & suis cohæredibus pro rata restituere. Secundò, quia nulla ratio dictat quòd cum nocumento aliorum fratrum, & contra voluntatem paternam viuat vnus filius luxuriando, cæteris in sua tenuitate permanentibus, cum bona patris non mediocre augmentum habere possent, nisi ita extenuarentur in aliorum fratrum præiudicium. quare sine dubio ius naturæ illos ad restitutionem obligat.

2. Secunda, quæ veritatem magis attingit, nec in totum negat, nec in totum affirmat, ait, quando filius non maiorem quantitatem malè absumpsit, quàm pater contentus esset, vt ille in sui sustentationem, honestámque recreationem insumeret, ad nullam restitutionem teneri, si quid intra illam summam inordinatè, illicitè, & contra voluntatem patris vel matris in ludo, & cum meretricibus, aut quouis alio modo illicito absumpsit. Ita docet Sotus *lib. 4. de iust. quæst. 5. art. 5.* Molin. Theolog. *tom. 1. de iust. disp. 242. init. versu, Vt verò hac, & versu, Deinde dico.* Ratio est, quia non semper quando filius inordinatè, & illicitè aliquid contra voluntatem patris insumit, ita vt mortaliter peccet transgrediendo patris voluntatem, tenetur illud restituere, aut adducere ad collationem cum aliis fratribus; nam rarò inuenitur pater, qui si quod ita insumitur, non valde excedat, velit, vt filius post mortem suam ad partitionem adducere teneatur, & sufficit ea tacita, & præsumptiua voluntas patris, vt illud adducere non teneatur.

Sotus.
Molin.

3. Neque obstat, quod de iure Lusitano teneatur filius adducere ad partitionem donata à patre, quoniam id, vt iam suprà diximus, non est intelligendum de iis, quæ inter alimenta computari possunt, de quorum numero sunt hæc de quibus disputamus; pater namque potest pro arbitratu suo maiora alimenta, quoad victum, vestitum, & equitatum, seruos, & recreationes vni ex filiis dare, quàm aliis, & ideo potest condonare tacitè filiis multa, per interualla, quorum neque singula, neque omnia simul sumpta, habita ratione intercapedinis temporis excessiua sint spectatis illius facultatibus; & ideo hæc, quæ poterat ratione maiorum alimentorum vni ex filiis donari, si filius malè absumat, non tenetur filius restituere; quia etsi pater inuitus sit, est tamen inuitus quoad modum, eo quòd filius id malè insumat, non quoad substantiam.

4. Vnde, vt ait Molina proximè allegatus *versu, Deinde dico, in medio*, quando aliquis filius accedit ad confessionem, qui similia contra voluntatem patris consumpsit, si moderata sint, & non exorbitantia, neque inconsueta, rogandus est an certus sit patris sui voluntatem non esse, vt post mortem suam teneatur adducere ad partitionem ea, quæ, vt narrat, malè insumpsit; & si affirmatiuè respondeat, arbitratur Molina nihil illi iniungendum esse; si dubitet, aut credat patrem velle, vt ea adducat, cogendus est restituere, aut obtinere à patre veniam, nisi confessarius sua prudentia iudicet illum decipi: solent enim filij aliquando ob seueritatem parentum in illorum vitiis obiurgandis, & tenacitatem, & parcimoniam illorum quando patres parum liberales sunt, longè aliter de patribus in hoc negotio concipere, quàm rei veritas habet.

Dubitant tamen aliqui, an quando pater talis est ingenij, vt quamuis contra voluntatem illius, filius hæc non ita immodica, sed solita, & non exorbitantia malè in ludis, & cum meretricibus insumat, non tamen post prædictam insumptionem, eum obligare vult ad restitutionem, obliganda sit meretrix, & ille etiam obligandus ad restitutionem, qui in ludo hæc à filio lucratus est. Negat Molina *tom. 1. de iust. disput. 242. versu, Vt verò hac*, ob prædictam rationem, quia scilicet hæc non excedunt ea, quæ pater poterat cum filio isto in alimentis insumere, & quia quamuis sit inuitus quoad modum, non est tamen, quoad substantiam. Vnde sequitur solùm peccare filium mortaliter ea ita insumendo, non tamen teneri ea restituere, aut ad partitionem cum filiis fratribus afferre. 5.

Quando verò summa inordinatè, & illicitè à filio insumpta, tanta esset, tamque insolita, vt attentis diuitiis, & facultatibus, attentáque qualitate parentum, & filij, omnino excederet alimentorum fines, tunc etiamsi constet, patrem illam velle remittere, & liberè filio donare, quantum in se est, tenetur tamen filius adducere excessum ad partitionem, nisi pater in portionem de qua liberè disponere potest, id accipiat, aut nisi fratres tantundem inordinatè insumpsissent; nam tunc locus est compensationi. Ita idem Molina allegatus *versu, Deinde dico, ad finem.* Et iuxta hanc doctrinam Molinæ, hic à nobis traditam, respondendum est ad argumenta primæ opinionis Nauarri, habet enim filius ius in bonis patris, vt ex illis sustentetur, & illam summam, quam malè insumpsit, poterat pater cum illo in illius alimentis insumere; quod si filius illicitè, & meretriciè illam insumpsit, inde solùm fit, vt mortaliter peccet, modo explicato, vt ex dictis patet. 6.

Molin.

Peracta itaque bonorum partitione, si hæredes conueniant vt nullus reliquis de euictione teneatur, tunc quidem, cum pactum & commodum, & incommodum omnibus sit, in posterum de euictione non tenentur. Ita habetur expressè *l. Si familiæ. C. famil. ercifcund.* & glossa *ibi*, & Molina Theologus *tom. 1. de iustit. disputat. 145. versu, Facta bonorum*, & Doctores communiter. 7.

Molin.

Si bonorum partitio facta fuerit in præsentia fratrum, aut hæredum omnium, eo ipso, quòd absoluta est, atque ab omnibus subscripta, non potest deinceps reuocari, etiamsi eorum aliquis aduersus illam velit opponere, semper tamen excipiendum est, nisi eorum aliquis velit opponere se fuisse deceptum vltra medium iusti pretij, idque priùs probet, perinde ac contingere solet in contractu emptionis, & venditionis, vel in quouis alio. Excipitur etiam, nisi hæredum aliquis intra annum post absolutionem partitionum, opponat ac probet se læsum fuisse in sexta parte quantitatis, quam habere debebat, & quòd talis error interuenerit, vt sine dubio aliter fieret partitio, quàm facta fuit; tunc enim partitio reuocatur. Et in *l. Si soror. C. de collation.* statuitur, 8.

vt

vt si error in partitinoe bonotum interuenerit, eo quod aliquid ad partitionem ab aliquo hærede non fuerit allatum, quod tamen foret adducendum, posse tunc læsum iudicem adite, tenerique iudicem io eo casu iubere, vt id ad aeeruum bonorum adducatur, & suam partem dare ei, qui fuit læsus.

Quando verò aliquis ex hæredibus minor erat tempore quo partitio fuit absoluta, si se læsum inuenit postea, potest illam dissoluere vsque ad vigesimum nonum ætatis suæ annum per beneficium restitutionis io integrum, iuxta ius commune. Hæc habui, quæ ad rem moralem ad quartum præceptum circa materiam partitioonm adiungerem, cæterasque questiones, quæ ad forum ciuilem magis pertinent, quàm ad forum conscientiæ, ad iuris ciuilis peritos remittimus; neque eoim iudicamus fas oobis esse cum querimoniis aliorum faleem in alienam segetem immittere. Si quid tamen immissum fuit, id præter intentionem planè fuit, & siue animo inferendi iniuriam alicui.

LIBER

LIBER QVINTVS

In quintum Decalogi Præceptum

DE HOMICIDIO.

HOMICIDII materia, quæ nostra est iniquitas, frequentissima est; quotidie enim videmus ex leuissima causa homines occidi, quapropter in hoc deflenda est maximè misera hominum conditio, quòd contra ductum naturæ, contra morum disciplinam, contra vtriusque iuris canonici & ciuilis leges, & quod caput est, contra expressum Dei præceptum, tantum inter se homines fæuiant, vt alij alios occidant, & vita horribilem in modum priuent; vnde pulchrè ait D. Thomas. 2.2. *quæst.* 112. *artic.6.* homicidium de se non esse appetibile, sed magis horribile, eo quòd non habeat in se alicuius boni rationem. De hoc ergo horribili homicidio nobis in præsenti libro disputandum est: Et in primis agendum nobis erit de homicidio priuata authoritate facto: Deinde de homicidio publica authoritate exercito: Tandem de restitutione damni per homicidium iniustum illati, & in hac materia præcipuas dubitationes Deo adspirante discutiemus. D. Thom.

CAPVT I.

Quotuplex sit homicidium, quid sit, qualem pœnam habeat, quàm graue peccatum sit.

SVMMARIVM.

Homicidium duplex est, aut publica, aut priuata authoritate factum. num. 1.
Quid sit homicidium. num. 2.
Temporale, & spirituale homicidium quid sit. numero 3.
An sit homicidium grauius peccatum, quàm furtum & adulterium. num 4.
In extrema, & graui necessitate licitum est furari, non tamen occidere. num. 5.
Pœna homicidij regulariter loquendo est pœna mortis. num. 6.
Ab hac pœna an nobilissimi homicidæ excusentur. num. 7.
De iure Lusitano in vires nobilissimos sententia mortis non potest executioni mandari sine noua consensu, & mandato Regis. num. 8.
An valeat statutum puniens homicidium sola pœna pecuniaria. num. 9.
An aliqua homicidia eximantur à pœna. numero 10.
Quid sit homicidium culposum, quid dolosum, & insidiosum. num. 11.
Qua pœna puniendum est homicidium culposum, qua dolosum; An vtrumque pœna ordinaria mortis, an vnum pœna ordinaria iuris, alterum pœna arbitraria iudicis. num. 12.
An ille, qui vnum occidit, putans se alium occidere, puniendus sit pœna ordinaria iuris, an arbitraria iudicis. num. 13. *Refertur prima opinio asserens puniendum esse pœna arbitraria.* ibid.
Refertur secunda asserens puniendum esse pœna ordinaria iuris. num. 14. *Prima est probabilior, & tenenda.* ibid.

HOMICIDIVM, inquit D. Augustinus *epistola* 54. *ad Macedonium*, bipartitò accipitur; aut enim est à iudice; aut à latrone, id est, aut publica, aut priuata authoritate fit, & vtrumque, si illicito modo fiat, prohibetur. Deut. 5. Exod. 20. *Non occides*: nam quamuis hoc diuinum præceptum de non occidendo præcipuè videatur comprehendere homicidium illicitum, & iniustum priuata authoritate factum

factum cum videatur principibus, & iis qui publica authoritate fruuntur, concessum, reuera tamen non his tantùm terminis angustatur, sed longiùs spatiatur, comprehenditque etiam homicidium iniustum publica authoritate factum; si quidem non quodlibet homicidium, sed iustum, id est ex iusta causa exercitum principibus, & publicæ authoritati vel permittitur vel præcipitur vt constat ex illo eiusdem Exodi 23. ad Moysem dicto tamquam ad iudicem, ac gubernatorem, principemque populi, penes quem publica erat authoritas puniendi, *Maleficos non patieris viuere*, & ex illo ad Romanos 13. *Omnis anima*, hoc est, omnis homo, vt explicat D. Aug. tract. 105. in Ioannem *potestatibus sublimioribus subdita sit; si malum feceris, time; non enim sine causa gladium portant*. Portant enim illum ad resecanda mala, quæ pullulant, grassatorque per orbem, vt docet D. Thom. 2.2. *quæst.* 64. *art.* 3. Sicut enim membrum putridum præscinditur in corpore humano, vt saluti totius corporis consulatur: ita homo Reipublicæ communitati noxius laudabiliter è medio tollitur, ne modicum illius malitiæ fermentum totam massam Reipublicæ corrumpat, quapropter perspicuum est hominem tunc à iudice occidi, non quia homo est, sed quia sceleratus est; & ideo odio malitiæ, zeloque iustitiæ, occiditur, non odio naturæ. Quæ iustitiæ executio non priuata temeritate, sed publica authoritate fit.

2. I. Anan. Definitur homicidium, si vim nominis spectes, variè à variis authoribus. Nam Ioannes de Anania *in rubrica de homicidio num.* 1. & 2. *versu, Tertiò quæris*, ita illud definit: *Est occisio hominis ab homine facta*. Dicitur in hoc definitione *hominis occisio*, ad differentiam illius occisionis, qua animal occiditur; tunc enim non homicidium, sed animalicidium appellabitur: Dicitur *ab homine facta*, ad distinctionem illius occisionis, qua homo occiditur ab aliquo animali, quia tunc non dicetur propriè occisio, sed casus, sed interitus fortuitus. Respicit igitur hæc descriptio homicidij Ananiæ vim potius nominis, & etymologiam illius, vt optimè animaduertit Carretius in *practica tract. de homicidio, & assassinio in principio n.* 1. quàm substantiam, & naturam illius. Carret. Et ideo ille sic homicidium definit. *Est illicita hominis ad mortem casio*. ibique singula huius definitionis verba latè prosequitur. Relinquo alias descriptiones homicidij à iurisperitis introductas, parum vtiles, quas videre poteris apud Prosperum Farinacium *tom.* 4. *quæst.* 119. Farinac. Meliùs, & breuiùs à Theologis sic describitur homicidium *Est iniusta, & illicita hominis occisio*, & hoc homicidium est illud, quod prohibetur iure humano, & diuino in quinto Decalogi præcepto. Est verò homicidium iniustè factum illud, quod vel à priuata authoritate fit non seruato debito moderamine inculpatæ tutelæ; vel à publica non seruata debita iustitia, & iuris ordine, & de vtroque in hoc opere agemus.

3. Farinac. Iac. Boul. Omitto parum vtiles homicidij differentias, à Doctoribus vtriusque iuris introductas, & præcipuè illam Farinacij *dict. tom.* 4. *quæst.* 119. deductam ex Iacobo Bouleot. *in repet. legis, capitali. §. famos. num.* 63. *ff. de pœnis*. in qua duo asserit esse homicidiorum genera, vnum spirituale, alterum corporale. Spirituale appellat primò illud, quo detractor iniustè aliquem fama priuat; quia in iure huiusmodi detractor homicida dicitur *capite, Homicidiorum de pœnit. dist.* 2. Secundò illud, quo quisque proximum suum odio habet. Tertiò illud, quo suadet alteri, vt proximo noceat, quia in iure etiam tam suasor mali quàm odio alterum habens homicidæ appellantur *capit. Noli putare, de pœnit. dist.* 1. *capite, homicidium, ibidem*. Quartò illud, quo quisque proximo suo modo aliquo nocere studet. *cap. homicidium de pœnit. dist.* 1. Quintò illud, quo aliquis fratri suo extremè indigenti negat alimenta. Homicidium verò corporale appellat illud, quo corpus hominis occiditur. Omitto inquam has homicidij differentias, quia, vt dixi, vix ad institutum nostrum vtiles esse possunt.

Homicidium igitur, vt à Theologis definitur, grauissimum, & atrocissimum est peccatum: grauius, quàm furtum, & adulterium: est enim homicidij damnum irreparabile, & per illud homini infertur maximum nocumentum omnium, quæ illi inferre possumus, vt latè, & doctè probat Socinus *consilio* 157. *num.* 8. *lib.* 2. Probat primò, quia grauiora peccata sunt ea, quibus infertur nocumentum corpori quàm ea, quibus infertur nocumentum rebus hominis externis, & bonis illius, & ideo pro vnico homicidio imponitur pœna mortis, non ita pro vnico furto nisi fuerit vestitum grauissimis circunstantiis. Secundò, quia in decem præceptis Decalogi priùs ponitur præceptum vetans homicidium, quàm præceptum prohibens furtum, & adulterium. Prius enim dicitur. *Non occides*, quàm, *Non mœchaberis, non furtum facies*. Tertiò, quia in decretalibus priùs ponitur titulus homicidij, quàm titulus adulterij, & furti, ex quo ordine conijcitur grauius esse peccatum homicidium primo loco prohibitum, quàm furtum, quàm adulterium. 4. Socin.

Probat etiam, quia facilius dispensatur cum fure, quàm cum homicida voluntario, vt patet *ex capite, Sicut dignum de homicidio. §. finali*, inductis iis, quæ habentur *in cap. finali, extra de furt.* Et quia propter famis necessitatem licitum est furari, non tamen ob eandem necessitatem licitum est vnquam hominem occidere: quibus omnibus coniecturis, & rationibus inferunt iurisperiti veluti Conrad. *in pract. tit. de homicid. n.* 2. *fol.* 315. Decian. *in tract. crim. lib.* 9. *c.* 17. *n.* 18. Marsil. *in l.* 1. *n.* 3. *ff. ad l. Cornel. de sicar.* cum Socino suprà allegato, grauius etiam esse homicidium peccato adulterij, quod probant ex textu *in cap. Si quod verius* 30. *q.* 2. quamuis ex circunstantiis v. c. in adulterio & furto famoso contrarium dicendum sit, vt consuluit olim Decius *consil.* 65. *lib.* 1. neque ex eo quod formaliter, & ex obiecto homicidium grauius sit peccatum adulterio, & furto: tollitur quod ex aliqua circunstantia grauiora hæc censeantur homicidio. Vera autem, ac germana huius rei ratio est, quia damnum illatum per mortem, homicidiumve est damnum irreparabile: damnum verò per furtum, & adulterium datum, est de se, & ex intrinseca ratione sua reparabile; nam damnum per adulterium illatum quoad nocumentum in fortunis, in portione legitimam filiorum ex vero matrimonio susceptorum attingente reparari potest, & quamuis, quoad honorem, & famam pecuniis reparari non possit, vt in octauo præcepto dicemus; neque enim honor & fama vllam recipit æstimationem, reparari tamen potest rectè factis, & bonis operibus, moribus in melius compositis: & præterea fama est quid homini extrinsecum, vita verò est quid homini intrinsecum, & tam intrinsecum, vt ea sublata, ita tollatur homo, vt ampliùs in rerum natura 5. Conradus. Decian. Marsil. Decius.

natura per naturam non existat. Et ideo communiter, ac simpliciter loquendo magis homines æstimant vitam, quàm famam, quàm honorem; maiorque proinde iniuria illis fit in iniusta vitæ, quàm honoris ablatione: & sic tandem grauius est peccatum homicidij, quàm peccatum furti, & adulterij

6. His præmissis; pro pœna homicidij sic statuo. Homicidij pœna regulariter loquendo in iure statuta, est pœna mortis. Patet ex *l. 3. §. patiatur. C. de Episcop. aud.* ibi: *Homicida, parricidaque quod fecit semper expectet.* & ex *l. Cornelia, de public. prædict.* vbi dicitur homicidas vltore ferro esse persequendos. Patet denique ex *l. penult. §. qui alias personas, ff. de parricid.* & ex iure diuino id ipsum constat: nam *Genes. c. 9* ita habetur: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius.* Et Matth. *cap. 26.* ita à Christo seruatore nostro dicitur. *Omnes, qui gladio percusserit, gladio peribit.* & Apocal. *13. qui in gladio occiderit, oportet gladio occidi:* & Leuit. *24. qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur.* Et paulo post. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, ab altari meo euellas eum, vt moriatur,* quæ verba referuntur *in cap. 1. extra de homicid.* hæc doctrina est communis omnium Doctorum.

Iul. Clar. Ita Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. homicid. num. 18.*
Couar. Couarr. *lib. 2. var. cap. 9. num. 2.* Anton. Gomez
Ant. Gom. *de delictis, cap. 3 tit. de homicid. num. 1.* Farinacius
Farinac. *tom. 4. quæst. 119. tit. 14 inspect. 1. num. 12. fol. 105. col. 1. in fine.* Placa in *epitome delictor. lib. 1. cap. 10.*
Placa. *post numerum 2.* Albert. *tractatu de agnosc. assert.*
Albert. *cathol. quæst. 23. post num. 29.* Rolandus à Valle
Roland. *consil. 12. num 23. lib. 3. & consil. 57. num. 1 lib. 4.*
I. Ludouic. Iosephus Ludou. *decis. Lucens. 62. num. 8.* Decius *tract. crimin. lib. 9. cap. 17. num. 8. & cap. 20. n. 1.* & ratio est. Primò, quia naturalis ratio dictat ve id, quod quis alteri mali fecit, semper expectet, vt dicitur *in cap. Cum omnes, de const.* & habetur *in dicta l. 3. C. de Episcop. audient.* ibi: *Homicida, parricidaque, quod fecit, semper expectet:* Fundamentum habet hæc ratio in illo principio de iure naturæ, *quod tibi non vis, alteri ne facias,* ex quo hoc aliud sequitur, *& quod alteri malum facis, tibi iustè inflictum putes.* Secundò, quia natura ipsa cognationem quandam humanam inter homines constituit, vt dicitur *in l. Vt vim. ff. de iust. & iure:* & *l. Notandum, ff. de appellat.* Hanc autem cognationem humanam homicida per homicidium minuit, & vim infert naturæ; quid ergo mirum si naturalis ratio dictet ipsum esse de medio tollendum? Tertiò, quia homicida iniustè occidens. Deum offendit, Rempublicam, parentes occisi, & ipsum occisum, ergo iure morte occidentis vindicari potest tam graue, & perniciosum crimen. Accedit, quia sanguis hominis innocentis occisi clamat ad Deum de terra instar sanguinis innocentis Abel pro mortis vindicta iniusti occisoris, *Genesis, cap. 4.* & animæ interfectorum continuò apud Deum, & homines vindictam proclamant iuxta illud Apocalypsis *6. Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habent, & clamabant voce magna: Vsquequo Domine sanctus, & verus non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum?*

7. Estque hæc mortis pœna in iure contra homicidas imposita adeo iusta, vt ab illa nec homines dignitate, & nobilitate præcellentes excusentur, vt docet Iulius Clarus & Couarruuias suprà allegati, Angelus *in l. 3. § legis ff ad legem Corneliam,*
Angel.

de sicarijs. Afflictis *in 1. part. const. regn. rubr. 13. num. 1. & 2.* Ludouic. Lucens. *decis. 62. num. 12.* & alij, quos statim allegabimus. Nec obstat lex *1. ff. ad legem Corneliam, de sicar.* & lex *3. §. legis Corneliæ. ff. eodem tit.* in quibus homicidæ nobiles non pœna mortis, sed deportationis in exilium ad insulas, & omnium bonorum proscriptione afficiuntur: Non obstat, inquam, quia licet his legibus innixi id ipsum tenuerint Salicetus *in l. Is, qui cum telo, col. finali ad finem, versu, Item quia.* Angelus *consil. 14. num. 2.* & Montaleon. *in sua pract. fol. 210. num. 535. versu, Nam humiles;* tamen id verum erat de iure antiquo digesti: non est tamen verum hodie de iure nouissimo codicis, abiit enim ius illud antiquum digestorum in dissuetudinem; quare hodie illa pœna legis Corneliæ non est in vsu, vt optimè animaduertit Afflictis modò allegatus, Placa *lib. 1. delict. cap. 10. post numerum 2.* sed eius loco ad coërcendam homicidarum nobilium audaciam successit pœna mortis, & hæc est pœna hodie communis, vt præter citatos docet Farinacius *tom. 4. quæst. 119. titul. 14. inspect. 1. num. 17.* vbi citat multos. — Afflict. Lud. Luc. Angel. Montal. Farin.

8. Hæc de iure communi: de iure autem Lusitano postquam homicidæ sanguine, & nobilitate præcellentes, vel ob homicidium, vel ob quodcumque aliud delictum per senatores regios ad mortem damnantur, non potest ea sententia executioni mandari absque nnua Regis licentia, & facultate, vt decidirur *in nouis ord. lib. 25. Initio,* & quamuis ibi sermo tantùm sit de pœna mortis, quæ fertur in illos propter adulterium; tamen consuetudo regni habet, vt in pœna mortis propter homicidium hoc etiam obseruetur.

9. Controuerrunt tamen hîc Doctores, an valeat statutum, vel consuetudo regni, populi, aut prouinciæ, disponens, vt homicida ad certam pœnam pecuniariam, non mortis damnentur. Et certè hac de re partita est sententia. Prima affirmat, eam tenent Barthol. *in l. ff. de publ. iudic. num. 10. & 11. versu, Vlterius quæro.* Bald. *in l. Data opera, num. 12. C. de his, qui accus. non possint, & num. 7. & 14. versu, Ex his infero.* Marian. Socin. *in cap. 2. num. 12. de delictis puer.* Albert. *in tract. stat. part. 2 quæst. 122.* quæ incipit, *Item quæro,* vbi dicunt ita communiter hodie practicari, quibus assentitur Carrer. *in pract. fol. 515. num. 12. & 18.* & verò Perusij, & Ferrariæ refert Farinacius *tom. 4. quæst. 119. inspect. 2. num. 42. folio 109. col. 2.* hoc statutum de facto dari: nam apud Perusinos punitur homicidium simplex, hoc est non insidiosum, nec proditorium pœna pecuniaria multæ centum librarum si vnus tantùm occidatur; si verò duo, pœna mortis. Apud Ferrarenses verò referente eodem Farinacio *num. 44.* punitur pœna eadem pecuniaria ad iudicis arbitrium. Damnate autem hæc statuta durum admodum videtur, quia in his duabus nobilissimis ciuitatibus Doctores vigent nobilissimi, & sapientissimi, qui, si essent iniusta, laborarent pro viribus, vt tollerentur. Fundamentum huius opinionis est, quia pecunia est mensura rerum omnium, atque adeo æstimationis vitæ, honoris, & famæ. — Barthol. Baldus. Marian. Albert. Carrer. Farinac.

Secunda opinio negat omnino valere tale statutum, & consuetudinem: Eam expressè tenet Iul. Clarus *lib. 5. sent. §. homicid. num. 19.* Ioannes de Anania *in cap. finali. num. 1. de delictis pueror.* Couarr. *lib. 2. var. cap. 9. num. 2. Dec. cap. 2. de const. post numerum 2.* Hostiensis *in cap. 2. num. 2. de delict. puer.* — Iul. Clar. I. Anania. Couarr. Hostiens.

Ioan. Andr. Butrius. Anchar. Igneus. *pueror. verbo, Consuetudinem.* Ioannes Andreas ibi, *num.* 5. Butrius *num.* 3. Anchartan. *num.* 1. Ioannes Igneus *l. Cornelia. § ex hoc edicto*, *num.* 62. *ff. ad Syl.* vbi ait suis temporibus ita fuisse in Senatu iudicatum contra Nouarienses, apud quos erat consuetudo, vt homicidij pœna, pœna pecuniaria centum aureorum recompensaretur; & Alberic. licet Albericus *in* 2. *part. statutorum. quæst.* 122. asserat contra Nouarienses totum orbem contrarium tenere; tamen potuit olim ita ibi obseruati. Felin. Tenet etiam Felinus *in rubr. de homicid. versu, Secundus casus est*, vbi tunc demum admittit valere huiusmodi statutum, cum in eo vltra pœnam mortis imponitur pecuniaria, aliàs non. Ratio est. Primò, quia iniusta vitæ priuatio, præcisâ à damno extrinseco, nullam recipit æstimationem, sicut nec iniusta ablatio famæ; quare præcisè pro hac iniusta ablatione nulla debetur restitutio, vt infrà dicemus, cum de restitutione egerimus, & docet Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 23. *num.* 141. Lessius. Nauar. Suar. Tolet. Ant. Gom. Nauarrus *cap.* 15. *num.* 20. Suarius *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 12. Toletus *lib.* 4. *summæ*, *cap.* 16. *num.* 3. Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 6. *num.* 12. Secundò, quia pœna mortis pro homicidio imposita nec diuitiis, nec dignitate, aut nobilitate præcellentes, vt suprà diximus, excusantur. Tertiò, quia nullam culpam timet reus diues, quam pecuniis se redimere posse confidit, vt dicitur *in capite*, *Pauper* 11. *q.* 3. atque adeo oportuit in republica pro homicidio dari pœnam, quæ omnibus tam diuitibus, quàm pauperibus esset communis. Tandem, quia si prædictum statutum valeret, aut consuetudo, id nihil aliud esset, quàm vitam hominum venalem facere, & inuitarentur scelerati ad homicidia passim perpetranda, eum pœnas pecuniarias parum timeant. Ego hanc secundam opinionem vtpote veriorem amplector, & contrariam parum probabilem censeo. Fundamenta primæ opinionis iam penè sunt soluta: nam vita hominum nullum pretium recipit, vt diximus; & licet pecunia sit mensura rerum omnium, est quidem mensura rerum omnium vendibilium, & recipientium pretium, atque æstimationem; at vita nec vendibilis est, nec pretium aliquod potest recipere. Vide numerum 26. vbi hac de re non nihil etiam dicemus.

10. Non procedit tamen hæc secunda sententia in his casibus sequentibus, quia in illis vel nulla pœna punitur occidens, vel certè non mortis, sed alia mitiori, & perexigua, si modum à iure permissum excedat. *Primò*, in patre occidente filiam in adulterio deprehensam. *Secundò*, in marito occidente vxorem in eodem adulterio inuentam. *Tertiò*, in homicidio ad necessariam defensionem commisso. *Quartò*, in homicidio contra voluntatem occisoris perpetrato. Vnde vertunt etiam Doctores in dubium, an quando in rixa subitò, & inopinatè contingenti quis alium occidit casualiter & inuoluntariè, possit occidens impetrare dispensationem huius irregularitatis ab Episcopo iuxta formam Concilij Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. cum sit contracta ex homicidio inuoluntario & casuali, quam quæstionem resoluemus *in cap.* 13. *num.* 11. *ad finem. Quintò*, in occidente vnum putante se alium occidere. *Sextò*, quando percussus non ex vulnere, quod de se mortiferum non erat, sed ex culpa, & negligentia medicorum, aut ex propria incuria, emoritur. *Septimò*, in homicidio casuali. Hos omnes casus excipiunt Doctores à communi, & ordinaria pœna mortis in iure pro homicidio decreta, vt videre est apud Prosperum Farinacium *tom.* 4. Farinac. *quæst.* 119. *de homicid. inspect.* 2. *num.* 16. *fol.* 107. *col.* 1. quos modò non prosequimur, quia de illis sigillatim infrà nobis agendum est.

Animaduertendum tamen est homicidium culpabile dici à Doctoribus vtriusque iuris illud, quod licet cum culpa mortali committatur, sine dolo tamen, sine insidiis, & proditione committitur. Sicque homicidium culpabile, quod illi culposum appellant, directè distinguunt contra homicidium dolosum, insidiosum, & proditorium, hoc est, cum dolo, & fraude, cum insidiis, eum proditione commissum. Et verò hoc homicidium culpabile non pœna ordinaria mortis, sed arbitraria iudicis, exilij vel triremium, & aliquando etiam partim pœna exilij, partim pecuniaria maiori vel minori iuxta qualitatem culpæ, personarum, & probationum punitur. Ita docet Iulius Clarus *lib.* 5. *sent. §. Homicidium*, Iul. Clar. Cæpol. R. Marant. *num.* 3. Cæpola *consil. crimin.* 37. *col.* 1. Robertus Maranta *in speculo fol.* 26. *num.* 59. & 60. vbi addit hac in re neminem dissentire. 11.

Exemplis circa homicidium culpabile res clarior euadet. Proiecit quis lapidem in confertam hominum multitudinem, quo ictu vnus fuit interfectus, hic, & nunc non adfuit dolus in illo homine occidendo, adfuit tamen culpa in illo lapide proiiciendo, & ideo huiusmodi homicidium non est puniendum pœna ordinaria mortis, sed extraordinaria pecuniæ, vel exilij, vel vtriusque simul ad arbitrium iudicis. Deinde noluit portitor fluuialis recipere in cymbam suam, cum possit, onustos multos spe maioris nauli pro secunda traiectione, & in secunda irruenti subitò illuuione submergitur cymba; vel omnes recepit in illam, cum tamen illa tot tantosque non caperet; hic quidem portitor non caruit culpa, non tamen habuit positiuum animum occidendi, & ideo in illum non pœna ordinaria mortis, sed arbitraria debent iudices animaduertere. Ita docet Iulius Clarus *lib.* 5. *sent. modo allegatus.* Vasquez Iul. Clar. Vasq. Angel. *lib.* 1. *illustr. controuers. cap.* 10. *num.* 2. Angelus *in l. Cornelia. ff. de sicar.* ex his exemplis alia conijce.

Similiter culpabile homicidium erit, pœna arbitraria puniendum, non ordinaria mortis, cum quis sine animo occidendi alium percutit, ex qua tandem percussione emoritur. Et verò quod non habuerit animum occidendi, coniiciendum est ex genere armorum, vel instrumentorum, quibus illum percussit. v. e. si cum baculo, vt contigit, teste Iulio Claro *dicto lib.* 5. *sent. §. Homicidium*, *num.* 4. Iul. Clar. mulieri, quæ famulam suam, quam putabat ex viro suo esse grauidam, capite percussit, ex qua tandem percussione obiit, quæ sententia senatus Neapolitani non fuit ad mortem damnata, sed in exilium ad insulas relegata ad septennium: Ex modo percutiendi, & ex parte corporis, qua percussit, vt si ensem quis habeat, vel hastam, non tamen ferro feriat, sed ensis manubrio, vel ligno hastæ; Is quidem non præsumitur habere animum occidendi, sed percutiendi tantùm; & sic tandem homicidium culpabile, non insidiosum, non dolosum committet, ac proinde non ordinaria pœna mortis, sed arbitraria exilij in illum animaduertendum est à iudice, vt præter Iulium Clarum allegatum docet Marsilius *consil.* 67. *num.* 18. Marsil. 12.

13. Circa illum, qui vnum occidit putans se alium occidere, an sit puniendus pœna ordinaria mortis, an

an extraordinaria ; & arbitraria ad iudicis arbi-
trium, partita est opinio. Prima docet huiusmo-
di homicidium puniendum esse pœna arbitraria
Farin. iudicis, non ordinaria legis. Ita Farinacius *tom* 4.
quæst.119. *de homic. inspect*. 2. *num*. 16. *fol*. 107.
Placa. Placa *lib*.5.*delict.cap*.27. *num*. 1. Vasquez *illustr.*
Vasq. *controuers. cap*.96. *post num*.52.
Gramma. Grammat. *in con-
sil. regn. Neapol. folio* 14. *num*.21. vbi dicit in Se-
natu Neapolitano in casus occurrentia ita fuisse
iudicatum. Fundamentum illorum est, quia hu-
iusmodi homicidium respectu illius , quem occi-
dit, fuit merè casuale, & per accidens contingit;
quare licet fuerit culposum quatenus absolutè
voluit occidere , non tamen fuit respectu occisi
voluntarium, dolosum, aut insidiosum. Et facit
pro hac opinione id quod hodie communiter
Doctores asserunt, volentem, scilicet, percutere
Titium laicum, & facientem bonam diligentiam
quanta arbitrio prudentis necessaria videbatur,
ne Sempronium clericum percutiat , si forte er-
rans Sempronium percutiat , non incurrere ex-
communicationem capitis, *Si quis suadente diabo-
lo* : quia licet illa actio non excusetur à culpa
mortali, excusatur tamen à sacrilegio formali, non
materiali, ob quod excommunicatio prædicti ca-
pitis præcisè incurritur. Quam doctrinam tra-
Conar. dunt Conarruuias *in repet. capit. Alma mater*
Iul.Clar. *fol. mihi* 497. *post num*.15. *versu, nonò*. Iulius Cla-
Suarez. rus *lib* 5. *sent* §.*finali num*.8. Suarez *tom* 5 *de cen-
Syluest. sur.disp*.22.*sect*. 1. *num* 52. Syluester *verbo* , *Ex-
communic*.6. §. *Secundo*. Sic etiam in præsenti ne-
gotio licet occisor non excusetur ab homicidio
culpabili , seu culposo , vt iurisperiti loquuntur,
excusatur tamen ab homicidio doloso, insidioso,
ac proditorio , cui soli pœna mortis in iure de-
cernitur.

14. Secunda opinio docet imponendam esse tali
homicidio pœnam ordinariam mortis, quam cum
Iul.Clar. multis tenet Iulius Clarus *lib* 5. *sent*. §. *Homici-
dium num*. 5. Fundamentum illius est, quia quam-
uis respectu illius hominis occisi in particulari
cesset qualitas animi deliberati , tamen absolutè
non cessat ; absolutè enim voluit occidere , & de
facto occidit ; quare immeritò excusabitur à pœ-
na mortis . Prima tamen sententia mihi videtur
probabilior & tenenda , quamuis hæc secunda
fuerit olim communior. Fundamentum huius
opinionis iam ex dictis solutum manet.

SVMMARIVM.

De homicidio à proposito, doloso, insidioso, & proditorio.

Quid sit homicidium dolosum. *num*.15.
Quid à proposito. *num*.16.
Animus occidendi ex tempore in rixa habitus vnde colligatur, & vnde animus ex interuallo habitus. num.17.
Quid sit homicidium insidiosum. *num*.18.
Oportet hæc homicidiorum genera agnoscere , non solum ad impositionem pœnæ ordinariæ, vel arbitrariæ ; & ad cognoscendum , quodnam illorum gaudeat immunitate Ecclesiæ. *num*.19.
Quid sit homicidium proditorium. *num*.20. *&* 21.
Homicidia proditoria, & insidiosa non tuetur Ecclesia sua immunitate. *num*.21.
Assassini an gaudeant immunitate Ecclesiæ. n.22. *& quid de mandantibus per eos fieri homicidia. ibid. An mandans interfici aliquem per assassinos puniendus sit pœna ordinaria mortis. ibid. Crimen assassinatus, an requirat probationem plenam. ibid.* §. Illud notandum ; *An assassini iure canonico, pœna aliqua puniantur. ibi, versu,* Assas-sinorum pœna.
Quid sint propriè assassini. num.23. *An excommunicentur ipso facto in iure mandantes fieri homicidia per assassinos.* *ibid.*
An hac pœna excommunicationis ipso facto extendatur ad eos, qui inter Christianos hæc homicidia fieri mandant per christianos pecunia conductos. num.24.
An illi , qui in Italia dicuntur assassini , sint verè in iure assassini. *num*.25.
Consuetudo vnius loci non extenditur ad alium. numero 26.

HOmicidium dolosum , seu per dolum , & 15.
fraudem commissum, ferè semper coincidit
cum homicidio insidioso , proditorio, & cum ho-
micidio à proposito ; quare quod de illis dixe-
rimus, de isto quoque dictum censeatur. Solùm
animaduerto hæc homicidia non simpliciter ho-
micidia, sed homicidia qualificata à Doctoribus
appellari. Homicidium autem qualificatum sem-
per habet adnexam pœnam mortis, & legis ordi-
nariam , si plenè , & perfectè probatum fuerit,
non arbitrariam iudicis *l*. 3. *C. de Episcopali au-
dient. l. Si seruum C. de his , qui ad Eccles. confug.
l*.3. §. *legis Corneliæ & l. qui cædem ff. de sicar. l.
Pœna, ff. de Parricid*. §. *Item lex Cornelia* 1. *Instit.
de publ iudic.* Homicidium ergo qualificatum
quatuor modis fieri potest. *Primo* , ex proposi-
to : *Secundo*, ex insidiis & fraude : *Tertio* , prodi-
toriè. *Quarto*, per assassinos. Et de omnibus his
generibus homicidij nunc nobis agendum est.

Quid autem sit homicidium *à proposito* , non 16.
ita clarè constat apud authores. Quidam enim
putant nunquam dari homicidium à proposito,
nisi insidiæ præcesserint , & sic homicidium ex
proposito cum homicidio insidioso confundunt,
ac permiscent ; inter quos est Casonius *in practi-
ca fol*.53.*n*.8. Alij melius autumant, tunc dari ho-
micidium à proposito, cum quis absque dolo, &
insidiis alium aggreditur occiditque præuia animi
deliberatione, & animo occidendi ex longo tem-
pore, interuallo , & præmeditatò habito : quia si
cui forte obuius inimicus fiat , cuius nunquam
mortem meditatus fuit, animóque deliberato, &
calore iracundiæ , efferuescente sanguine , illum
occidat ; dicetur hîc homicidium commisisse,
quia defecit ei animi deliberatio ex interuallo, &
præmeditato habita ; nisi euidenter ex coniectu-
ris appareat , hanc animi deliberationem illum
habuisse : nam quamuis ea , quæ in animo con-
sistunt, soli Deo cognita sint ; tamen per indicia,
& coniecturas, animi qualitates coniicere possu-
mus : vt docet Baldus *in l*. 2. *ff. de testam*. Phœ- Baldus.
bus *tom* 1. *decis*.78. *num*.10. Mantua *consilio* 152. Phœbus.
lib. 1. *& consil*. 236. *&* 294. *eodem libro*. Iulius Mantua.
Clarus *lib*.5.*sent*. §. *Homicidium. num*.8. Quare Iul.Clar.
si in hoc casu occisor lorica , & ferro obarmatus
inimicum expectasset ; aut cum multitudine per-
sonarum ad eum finem conquisita ad illum occi-
dendum ei obuius fit , is quidem ob has conie-
cturas non dicetur homicidium simplex, sed qua-
lificatum , & à proposito , animoque ex multo
tempore præmeditato commisisse , iuxta Man-
tuam, & Iulium Clarum modò allegatos. Dixi,
antea conquisita , quia si huiusmodi personæ non
fuerint conquisitæ, sed casu superuenerint ; non

vel tali vita res iterum ad se liberè reuerteretur. Sextò, quia contraria opinio est contra charitatem, impedit enim opera charitatis; nam nullus prudens postea audebit rem alteri pro vitis, & certo tempore emphyteutare, si verum est, quòd maneat in perpetuum obligatus ad emphyteusim renouandam. Quæ enim sunt pro charitate inducta, non debent contra charitatem militare; atqui emphyteusis vitalitia, & temporanea, est pro charitate introducta; ergo non debet contra illam militare.

18. Secunda opinio docet posse dominum directum, siue sæcularem, siue Ecclesiasticum extinctis vitis, & generationibus, & elapso tempore concessionis, prædictam emphyteusim sibi vindicare, & si velit aliis emphyteutare, teneri renouare illam hæredibus vltimi emphyteutæ, & non aliis; & posse consequenter vltimum emphyteutam in hoc iure nominare vnum ex filiis, Panor. quem ipse maluerit. Hanc tenet Panormitan *in cap. Bona secundò, num. 28 de postulat. prælator.* vbi asserit renouationem emphyteusis Ecclesiasticæ non concedi quando ipsa Ecclesia sibi vult retiRipa. Iul Clar. Gama. nere emphyteusim. Tenet etiam Ripa *in l. 1. n. 9. ff. de priuileg. creditor.* Iulius Clarus §. *emphyteusis, quæst 43. num. vlt.* Gama *decisione 41. num. 1.* Cald. Pereir. Caldas Pereira *de renouat. emphyteusis, quæst. 8. num. 17.* vbi plures refert, & de hac re latè agit, & pro hac parte militant omnes, aut ferè omnes rationes factæ pro prima opinione. Deinde, quia dictum Bartholi in quo sententia, quæ affirmat teneri dominum directum, tam Ecclesiasticum, quàm sæcularem renouare emphyteusim tam descendentibus vltimi emphyteutæ, quàm transuersalibus, fundamentum habet *in l. 1. §. Permittitur. ff. de aqua quotidiana, & æstiua*, dum ait teneri dominum directum emphyteusim extinctis vitis, & elapso tempore concessionis, renouare descendentibus vtilis domini, & fieri eis iniuriam si ea renouatio non concedatur, intelligendum est de æquitate, & conuenientia, non verò de iustitia rigorosa: nam verbum illud, *iniuria*, ibi non significat veram iniuriam, & iniustitiam, sed æquitatem, quasi vulgari modo dicatur iniuria, non rigorosè.

19. Et addunt authores huius sententiæ id sine dubio verum esse, quando monasterium, vel directus dominus sæcularis paupertatem suàm & indigentiam probat; tunc enim cessat æquitas, seu iniuria de qua Bartholus agebat, & in qua illius opinio fundamentum habuit; nam charitas bene ordinata incipit à se ipso, seu à propria persona, *l. Præses, C. de seruitutib. & aqua*, & ideo non teneri Ecclesiam in hoc casu emphyteusim Ant. Gabr. renouare docent etiam Anton. Gabriel *lib. 3. commun. opinion. de iure emphyt. conclusione 1. num. 14. Nicol. Mil. Iaso. limit. 4.* Nicol. Mil. *in suo repertorio, verbo, Emphyteusi finita.* Iaso *consil. 28. num. 8. lib. 3.* Ludou. Gozadin. Ripa. Marant. Villalob. Gama. Gozadinus *consil. 39. num. 21.* Ripa *in l. 1. num 9. ff. de priuileg. creditor.* Maranta *disput. 8. num. 22.* Villalobos *in verbo, Emphyten. num. 49.* & addit Gama *dict. decisione 41. num. 8.* quando verisimile est dominum directum non sibi retinere velle emphyteusim, sed aliis extraneis concedere, deferendum illi esse iuramentum, an reuera sibi illam velit, an aliis concedere.

20. Tertia opinio docet teneri dominum directum illam renouare hæredibus vltimi emphyteutæ, si vltimus emphyteuta in ea melioramenta aliqua fecit, & consequenter posse illum in hoc iure renouationis nominare quem vellet ex filiis, & in defectum illorum ex descendentibus, aut transuersalibus (sed hac de re statim agemus.) Ita docent communiter Doctores *in l. 5. Permittitur. ff. de aqua quot. & æst.* Imola *consil. 68. n. 4.* Imol. Paul. *consil. 142. col. 2. lib. 2.* Decius *consilio 131.* Paul. Decius. Paris. *consil. 28. lib. 1 post numerum 6.* Iulius Clar. Paris. §. *Emphyteusim, quæst. 43.* Vallascus *de iure emphyteutico, quæst. 2, num, 7. & tom. 1. consult. 103. n. 4.* Iul. Clar. Vallasc. Cabedo *tom. 1. consult. 203. num. 5.* Gama *decisione 40, num. 3. & num. 8.* Cabed. Gama. & alij multi, quos ipsi citant. Et ratio est, quia cessantibus melioramentis videtur cessare æquitas renouandi fundata *in l. 2. C. de alluuio. & palud.* quæ ait dolendum esse labores nostros ab aliis possideri. Circa quod negotium tradit multa Franciscus Ripa *de peste, num. 256.* Ripa. & facit illud Virgilianum, *in quem consevimus agros?* & vt animaduertit Vallascus cita- Vallasc. tus *dicta quæst. 2. de emphyteusi, num. 7.* melioratio est vna ex conditionibus requisitis ad postulandam renouationem, idque maximè in emphyteusi Ecclesiastica propter constitutiones omnium Episcopatuum huius Regni Lusitani, in quibus id ipsum requiritur; & etiam, quia renouatio non solet esse in praxi, nisi probatis melioramentis iuxta textum *in l. Congruit præf. fiscal. lib. 15.* & in omnibus casibus in quibus iudicata est renouatio, præcipua ratio in melioramentis fundamentum habet.

21. Et consequenter debet hęc opinio addere deficientibus melioramentis non teneri dominos directos prædictam renouationem concedere ob easdem causas; nam si præcipua ratio concedendi illam est ea, quæ à melioramentis fundamentum accipit, cessantibus iisdem melioramentis, debet cessare renouatio, cessante enim causa cessat effectus. Iam verò si detur probatio deteriorationum, non solùm non habet locum renouatio, sed datur locus commisso, & pœnæ caducitatis iuxta Auth. *Qui rem. C. de sacros. Eccles.* Cum tamen culpa suos semper sequi debeat authores, *cap. Non afferantur, 24. quæst. 1. l. Sancimus. C. de pœn.* solus ille hanc pœnam caducitatis incurret, qui prædictas deteriorationes fecit, non alij emphyteutæ; nam cum ille in vita non fuerit accusatus, actio illa pœnalis non transit lite non contestata ad successores *l. vnica. C. ne ex delict. defunct.* Baldus *l. finali. num. 4. C. de renoc. donat.* Bald. Cassad. *decis. 3. num. 31.* Gama *decis. 17. num. 2.* Cassad. Gama. Nauarr. *in cap. finali de simon. num. 30. fol. mihi 125.* Nauar. Decius alios referens *consil. 185. in causa. num. 9.* Decius. Ruinus *consil. 159. num. 12. lib. 1.* Ruinus. Cursius Iunior *de feud. 4. pars num. 157.* Curs. Iun. Cæterùm hæc opinio quòd requiratur accusatio in vita emphyteutæ deteriorantis, vt pœna caducitatis incurratur ab illius hæredibus, est satis controuersa, vt docet idem Gama *dicta decis. 37. per totam*, & non videtur bene posse aptari ad casum renouationis, licet aptetur ad casum caducitatis; nam quando dantur deteriorationes, licet cesset pœna commissi non intentata actione pœnali in vita contra emphyteutam, non tamen cessat ratio indignitatis ob quam fit indignus tali renouatione, & ad petendam renouationem, si ostendantur deteriorationes, licet ipse illas non fecerit; quia factum est id propter quod inductus est contractus emphyteuticus, scilicet ad conseruandam, & meliorandam rem, non ad destruendam; alioqui id quod inductum fuit ad ædificationem, cederet in destructionem; & sic propterea quod contra finem contractus actum sit, inclinat Vallascus Vallasc. *de iure emphyt. 1. p. quæst. 2, & tom. 1. consult. 101. num. 5.*

num. 5. versu, verum, ad hoc probatis deteriorationibus non dati locum renouationi etiamsi illa non fuerint factæ per vltimum emphyteutam, in quo vitæ, & generationes finiuntur.

22. Hæc ita se habent: nihilominus praxis consueta, & vsus forensis huius regni frequentibus, & quotidianis sententiis confirmatus, est obligare dominos directos emphyteusum, siue illæ sint Ecclesiasticæ, siue sæculares, ad faciendam hanc renouationem non solùm descendentibus vltimæ vitæ, sed etiam transuersalibus agnatis in eo casu, quòd vltimus possessor, seu vltima vita, & emphyteuta neminem eorum in iure renouationis nominauit, veluti, si ab intestato decessit, & hoc siue vltimus emphyteuta fecerit, siue non fecerit melioramenta in ipsa emphyteusi. Ita hodie communiter praxis babet, & docet Barthol. (Barth.) *in l. 1. §. Permutitur. ff. de aqua quot. & astiua.* vbi asserit fieri iniuriam ei, qui vltimo emphyteutæ succedit, nisi ei fiat renouatio; docet etiam Gama (Gama.) *decis. 41.* Garcia (Garc.) *in tractatu de expensis, & meliorat. cap. 15. num. 18.* Abbas (Abbas.), & Canonistæ *in cap. Bona 2. in fine de postulat. prelat.* vbi Glossa (Glossa.). Caldas (Cald.) *de nominat. emphyteusis quæst. 18. num. 22. & quæst. 17. num. 21. & 321.* Maranta (Marant.) *disput. 8. num. 51.* Iulius Clarus (Iul. Clar.) *§. emphyteusis, quæst. 43. num. 2.* loquens etiam expresse de transuersalibus agnatis non cognatis, & de iisdem etiam loquentes id docent Decius (Decius.) *consilio 131. col. finali. versu, Et quamuis. & consil. 78.* vbi addit ita sæpe fuisse iudicatum & idem repetit *consil. 47. & 49.* Vallascus (Vallasc.) *consult. 101. tom. 1. num. 2.* vbi se citat ad tractat. *de emphyt. quæst. 43. num. 2.* & in vtroque loco de transuersalibus etiam agnatis loquitur Curtius (Curtius.) *de feudo 2. part. quæst. 15. pag. 141.* Iam verò hæc praxis caret omni dubio si aliqua meliotamenta probentur fuisse facta in ipsa emphyteusi, vel ab vltimo emphyteuta, vel ab aliis maioribus, quia vt ait *l. 2. C. de alluuio.* dolendum est maximè labores nostros ab aliis extraneis possideri, vt tradit Ripa *in tractatu de peste, num. 256.* idque maximè locum habet in emphyteusi Ecclesiastica, nam cum Ecclesia sit cultrix iustitiæ, & mater pietatis, illa non debet offendere in casu proposito: & verò nec Barth eit nec Garc. allegat nec Ripa *in l. 1. C. de priu cred.* ad hanc renouationem requirunt aliqua meliotamenta; sed absolutè dicunt siue probentur meliorameta, siue non probentur finitis vitis, & extincta emphyteusi, semper deberi non solùm descendentibus, sed etiam transuersalibus vltimi emphyteutæ, qui ab intestato decessit, & nullum in iure renouationis nominauit, prædictam renouationem, & obligandos esse in foro extero dominos directos ad illam concedendam. Primò; quia finito, & aperto feudo tenetur dominus directus renouare illud descendentibus vltimi feudatarij, vt tradit Vallascus *de iure emphyt. quæst. 38. num. 171* cum multis, quos ibi citat: ergo etiam à paritate rationis tenebitur dominus directus emphyteusim renouare. Secundò, quia hoc non potest dici alienatio; si quidem res est iam alienata, & extra Ecclesiam quoad dominium vtile, nec in hoc casu locum habent pœnæ Clementinæ *Ambit. de rebus Ecclesiæ non alien.* Sed est continuatio eiusdem contractus emphyteutici, cum eadem recognitione pro dominio directo. Nec obstat conditio apposita in prædicto contractu, quòd extincta emphyteusi finitis vitis, & generationibus, res ad dominum directum reuertatur: nam hæc verba sunt generalia, quæ in omnibus contractibus emphyteuticis generaliter apponi solent, & verba generalia, parum, aut nihil operantur, neque obligant in particulari. Tertiò, quia nisi ad hanc renouationem faciendam teneantur domini directi, sequentur magna præiudicia, damnàque Ecclesiis, si emphyteusis fuerit Ecclesiastica: nam impedientur voluntates fidelium, vt nulla prædia, nullas eleemosynas Ecclesiis testamento relinquant, cum videant alimenta enpi per ipsam Ecclesiam à suis descendentibus, & agnatis; nam cum olim ordinariè, & regulariter loquendo prædia & terræ emphyteutatæ Ecclesiis per ipsos sæculares pro eleemosynis relictæ fuerint, & Ecclesiæ illas illorum descendentibus, & agnatis in emphyteusim dederint, eo quòd per se ipsam commodè illas colere non posset, si sæculares modò videant dominos directos Ecclesiasticos tanto erga suos descendentes, & transuersales rigore vti, sine dubio scandalum hoc illis erit, & illorum manus, velut funibus alligabit, voluntatésque auertet ne postea vllas eleemosynas Ecclesiis relinquant, & sic in hoc casu magis agitur de vtilitate, quàm de præiudicio Ecclesiæ, vt ex discursu facto patet.

In eo verò casu in quo descendentes, & in defectum descendentium in quo transuersales agnati fuerint in æquali gradu, quod fieri potest, si vltimus emphyteuta habuerit plures filios, & filias, & in defectum filiorum plures consobrinos, vel consobrinas, filios ex fratre, datur locus gratificationis domino directo, & potest eligere ex illis, quem maluerit, etiam fœminis, relictis masculis, & minoribus, ac iunioribus, relictis natu maioribus. Ita docet Caldas Pereira *de renouat. emphyteusis quæst. 18. num. 22. & quæst. 17. num. 21. & 32.* ibi: *Potest directus dominus vni ex filijs, vel descendentibus in æquali gradu vltimi possessoris cui magis voluerit emphyteusim renouare, & filiæ exclusis fratribus*; & id ipsum docet Parisius *consil. 22. num. 36. lib. 1.* facit textus *in cap. Ex parte, de feudo,* vbi finito feudo dominus directus poterit liberè dare cui ex fratribus voluerit, prout etiam tenet Alexander *in l. si mihi, & Titio. col. penult ff. de verbor. significat.* & Barthol. *in l. Vt iurturand. §. liberi num. 5. ff. operis libert.* Salicetus *in l. 2. quæst. 17.* & ibi Iaso *num. 187. C. de iure emphyt* Conducit lex, *Vnum ex familia*, vbi iuris ciuilis periti *§. itaque. ff. legati 2.* & lex *Peto. §. finali, ff. eodem.* vbi quando quis tenetur vni ex familia aliquid relinquere, & grauatus est fideicommissum relinquere vni ex dicta familia, satisfaciet eligendo vnum, quem velit in gradu æquali. Et ratio est, quia sicut patet, qui erat vltima vita, poterat nominare vnum ex filiis, quem maloerit, & vltimus emphyteuta vnum ex transuersalibus agnatis, quem voluerit, existentem in æquali gradu, idque in defectum descendentium, non est cur id ipsum directo domino negetur; & ita iudicatum fuit in Sena Bracharensi, vt tradit idem Caldas *de renouat. emphyt. quæst. 17. num. 32.* & addit Doctor Sebastianus Gil qui per triginta & eo amplius annos in eo Senatu Præses fuit in suis doctissimis aduertendis manu scriptis, quæ vidi: *Sic vidimus ab Archiepiscopo Sancto D. D. Bartholomeo de Martyribus ordinis Dominicani in quadam emphyteusi mensæ Archiepiscopalis elegisse filiam vltima vita pretermisso filio maiore natu*; & hoc non semel fecisse ex consilio sui Senatus tunc temporis eruditissimi, testatur idem ipse doctissimus vir in prædictis aduertendis.

23. (right margin, beside "In eo verò casu")

Margin: Caldas. Parisius. Alexand. Barthol. Salicet. Iaso. Caldas.

Ex

23. Ex quo colligitor posse dominum directum quicumque ille sit, siue Ecclesiasticus, siue sæcularis, aliquod pretium moderatum io gratificationem prædictæ electionis accipere, quia cum liberum illi sit, eligere quem velit ad hanc renouationem, & non adstringatur iure aliquo magis hunc, quàm illum ex æqualibus io gradu ad hanc electionem vindicare, potest illum eligere, qui sibi gratior extiterit; cæteris autem paribus gratior est ille, qui aliis nihil offerenobus, moderatum aliquid in gratificationem offert. Si tamen omnes offerant, non potest directus dominus illum eligere, qui maios præmium obtulerit, id enim tunc species est venditionis non electionia: sed ex his omnibus, qui pro hac electionis gratificatione aliquid obtulerint moderatum, poterit eligere, quem maluerit. Et fundamentum huius rei est, quia si à principio dominus directus Ecclesiasticus de licentia Summi Pontificis præcedentibus omnibus solennitatibus iure requisitis eas terras emphyteutaret, posset illas in emphyteusim ei tradere. qui sibi gratior extitisset; ergo etiã modò datur eadem ratio; quia quamuis prædictus dominus directus teneatur ex iustitia renouare hanc emphyteusim vni ex hac familia, non tamen huic, vel illi obligatur io speciali, sed vni ex istis. quem ipse elegerit, ac liberè ad hanc electionem vocauerit; & ita docet Rodriguez 2. *part. summa cap. 10. conclusione 9* Lud Lopez 1. *p. Instruct. cap* 106. *&* 2. *part. cap.* 29. Baõez 2. 2. *quæst* 62. *art.* 5. *dub.* 4 & alij.

Rodrig. Lud. Lop. Boñez.

24. Non habet tamen hoc locom in electoribus beneficij Ecclesiastici, quando oppositores suot æquè digni. quia quamuis tunc possiot præferre, quem maluerint, tamen pro illo fauore non possunt pretium accipere sine peccato simoniæ, vt communiter tenent Doctores cum Lessio *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 14. *dub* 9 *num* 64. quia hic fauor ordinatur ad aliquid spirituale. Neque in ministris iustitiæ, seu in iudicibus, quando litigantes æqualem iustitiam habent. nam pro eo fauore eligendi vnum ex illis pro quo ferat sententiam nullum pretium accipi potest absque obligatione restitutionis, quia sicut is qui mutuum dat, non potest aliquid accipere ab aliquo tertio cuius gratia illius amico aliquid mutuum dat; ita iudex non potest aliquid accipere pro electione personæ ad ferendam sententiam ex iis litigantibus, qui æqualem iustitiam habent, quia supposito, quòd publici ministri iustitiæ sint, ex officio teneotur iustè agere, vt docet Turrianus 2. 2. *disp.* 4. *dub.* 3. Rebellus *part.* 2. *lib.* 18. *quæst.* 20. *num.* 1. 5. *vnde.* & alij. Nam sicut actio iustitiæ inuendibilis est, ita gratia, & fauor, qui cum illa coniungi potest, inuendibilis est. Nam sicut ministri iustitiæ, qui ex publico sunt conducti ad illam administrandam, iustitiam vendere non possunt, ita nec fauorem nec gratiam illius venalem queunt efficere: procedit tamen, & locum habet in electoribus & suffragantibus ad cathedram, & in aliis similibus.

Lessius. Turrian. Rebell.

***

Caput XXIV.

An filius teneatur ad collationem cum alijs fratribus, & cohæredibus adducere ea quæ malè consumpsit. Soluuntur alia dubia.

Summarium.

Refertur opinio illorum, qui asserunt teneri filios ea quæ in ludis, & cum meretricibus in præiudicium aliorum fratrum illicitè absumpserunt, ad partitionem adducere. num. 1.

Præfertur secunda opinio, asserens, quando filius non maiorem quantitatem malè absumpsit, quàm pater contentus esset, vt ille illam in suam honestam, & decentem recreationem insumeret, non teneri prædictum filium id ad partitionem conferre. num. 2.

Quomodo intelligendum sit ius Lusitanum disponens, vt filius teneatur ad partitionem adducere omnia à parentibus donata. num. 3.

Quomodo se debeat gerere confessarius in foro pœnitentiæ cum huiusmodi adolescentibus, qui multa à parentibus furto ablata malè consumunt in aliorum fratrum præiudicium. num. 4.

An quando pater talis ingenij est, vt ea, quæ filius malè viuendo absumpsit, ei nullo modo donaret, teneatur filius conferre. num. 5.

Quid quando summa malè à filio insumpta, tanta esset, vt, attentis parentis facultatibus, excederet honestum, & iustum alimentum, quod pater licitè cum filio poterat efficere, & pater illum excessum ei libenter remittat, an tunc teneatur prædictum excessum ad collationem adducere. numera 6.

An si peracta bonorum partitione hæredes conueniant, vt nullus reliquis de euictione teneatur, valeat pactum & conuentio. num. 7.

In quibus casibus possint hæredes contrauenire, aut non contrauenire contra partitionem in illorum præsentia à iudice factam. num. 8.

Quando aliquis ex hæredibus minor est, potest postea per beneficium restitutionis vsque ad vigesimumquintum ætatis suæ annum ad reuocationem partitionum agere. num. 9.

SVnt multi filij, qui multa à parentibus furto auferunt, quæ malè viuendo, indebitè, & illicitè ludendo, & in meretricios tractatus turpiter, & non sine nocumento aliorum fratrum, & cohæredum absumunt; & de his procedit quæstio, an hæc illi teneantur cum fratribus ad partitionem adducere, & in partitionem legitimæ, quæ ad illos pertinet computare; qua de re duas opiniones inuenio. Prima affirmat, eam docet Nauarrus *in summa Latin. cap.* 17. *num.* 164. vbi pro se citat glossam *in l. illud. C. de collat.* docet etiam Syluester *verbo, Peculium* 2. *quæst.* 9. Anton. Gomez *ad legem* 29. *Tauri num.* 15. Nauarrus tamen ibidem *num.* 146. D Antonin. 2. *part titulo* 1. *cap.* 15. §. 1. excipit nisi pater dum viueret, illa ei condonaret. Sed hæc exceptio Nauarri in iure Lusitano perexiguum fundamentum habet, cum filius de eodem iure loquendo, vt suprà diximus, teneatur adducere ad partitionem omnia, quæ sibi à patre fuerunt 1.

Nauar. Syluest. Ant. Gom.

fuerunt donata, & ideo, eo iure inspecto, condonatio illa patris nihil filio prodesse potest, quo minus teneatur conferre ea, quæ de bonis paternis malè consumpsit. Fundamentum ergo huius opinionis est. Primò, quia filius nullum aliud ius in bonis viuentis patris, aut matris habet, quàm quòd sustentari debeat ex illis iuxta legem, *Si quis à liberis*, §. *Idem. ff. de lib. agnoscend.* ergo si quid immoderatum ex eis furto acceperit à patre, tenetur illud ei, aut saltem singulis illius hæredibus & suis cohæredibus pro rata restituere. Secundò, quia nulla ratio dictat quòd cum nocumento aliorum fratrum, & contra voluntatem paternam viuat vnus filius luxuriando, cæteris in sua tenuitate permanentibus, cum bona patris non mediocre augmentum habere possent, nisi ita extenuarentur in aliorum fratrum præiudicium. quare sine dubio ius naturæ illos ad restitutionem obligat.

2. Secunda, quæ veritatem magis attingit, nec in totum negat, nec in totum affirmat, ait, quando filius non maiorem quantitatem malè absumpsit, quàm pater contentus esset, vt ille in sui sustentationem, honestàmque recreationem insumeret, ad nullam restitutionem teneri, si quid intra illam summam inordinatè, illicitè, & contra voluntatem patris vel matris in ludo, & cum meretricibus, aut quouis alio modo illicito absumpsit. Ita docet Sotus *lib. 4. de iust. quæst. 5. art. 5.* Molin. Theolog. *tom. 1. de iust. disp. 241. init. versu, Vt verò hæc, & versu, Deinde dico.* Ratio est, quia non semper quando filius inordinatè, & illicitè aliquid contra voluntatem patris insumit, etiamsi mortaliter peccet transgrediendo patris voluntatem, tenetur illud restituere, aut adducere ad collationem cum aliis fratribus; nam ratò inuenitur pater, qui si quod ita insumitur, non valde excedat, velit, vt filius post mortem suam ad partitionem adducere teneatur, & sufficit ea tacita, & præsumptiua voluntas patris, vt illud adducere non teneatur.

Sotus. Molin.

3. Neque obstat, quod de iure Lusitano teneatur filius adducere ad partitionem donata à patre, quoniam id, vt iam suprà diximus, non est intelligendum de iis, quæ inter alimenta computari possunt, de quorum numero sunt hæc de quibus disputamus; pater namque potest pro arbitratu suo maiora alimenta, quoad victum, vestitum, & equitatum, seruos, & recreationes vni ex filiis dare, quàm aliis, & ideo potest condonare tacitè filiis multa, per interualla, quorum neque singula, neque omnia simul sumpta, habita ratione intercapedinis temporis excessiua sint spectatis illius facultatibus; & ideo hæc, quæ poterat ratione maiorum alimentorum vni ex filiis donari, si filius malè absumat, non tenetur filius restituere; quia etsi pater inuitus sit, est tamen inuitus quoad modum, eo quòd filius id malè insumat, non quoad substantiam.

4. Vnde, vt ait Molina proximè allegatus *versu, Deinde dico, in medio*, quando aliquis filius accedit ad confessionem, qui similia contra voluntatem patris consumpsit, si moderata sint, & non exorbitantia, neque inconsueta, rogandus est an certus sit patris sui voluntatem non esse, vt post mortem suam teneatur adducere ad partitionem ea, quæ, vt narrat, malè insumpsit; & si affirmatiuè respondeat, arbitratur Molina nihil illi iniungendum esse; si dubitet, aut credat patrem velle, vt ea adducat, cogendus est restituere, aut obtinere à patre veniam, nisi confessarius sua prudentia iudicet illum decipi: solent enim filij aliquando ob seueritatem parentum in illorum vitiis obiurgandis, & tenacitatem, & parcimoniam illorum quando patres parum liberales sunt, longè aliter de patribus in hoc negotio concipere, quàm rei veritas habet.

Dubitant tamen aliqui, an quando pater talis est ingenij, vt quamuis contra voluntatem filius, filius hæc non ita inmodica, sed solita, & non exorbitantia malè in ludis, & cum meretricibus insumat, non tamen post prædictam insumptionem, eum obligare vult ad restitutionem, obliganda sit meretrix, & ille etiam obligandus ad restitutionem, qui in ludo hæc à filio lucratus est. Negat Molina *tom. 1. de iust. disput. 242. versu, Vt verò hæc*, ob prædictam rationem, quia scilicet hæc non excedunt ea, quæ pater poterat cum filio isto in alimentis insumere, & quia quamuis sit inuitus quoad modum, non est tamen, quoad substantiam. Vnde sequitur solùm peccare filium mortaliter ea ita insumendo, non tamen teneri ea restituere, aut ad partitionem cum filiis fratribus afferre. 5.

Quando verò summa inordinatè, & illicitè à filio insumpta, tanta esset, tamque insolita, vt attentis diuitiis, & facultatibus, attentáque qualitate parentum, & filij, omnino excederet alimentorum fines, tunc etiamsi constet, patrem illam velle remittere, & liberè filio donare, quantum in se est, tenetur tamen filios adducere excessum ad partitionem, nisi pater in portionem de qua liberè disponere potest, id accipiat, aut nisi fratres tantundem inordinatè insumpsissent; nam tunc locus est compensationi. Ita idem Molina allegatus *versu, Deinde dico, ad finem.* Et iuxta hanc doctrinam Molinæ, hic à nobis traditam, respondendum est ad argumenta primæ opinionis Nauarri, habet enim filius ius in bonis patris, vt ex illis sustentetur, & illam summam, quam malè insumpsit, poterat pater cum illo in illius alimentis insumere; quod si filius illicitè, & meretriciè illam insumpsit, inde solùm fit, vt mortaliter peccet, modo explicato, vt ex dictis patet. 6.

Molin.

Peracta itaque bonorum partitione, si hæredes conueniant vt nullus reliquis de euictione teneatur, tunc quidem, cum pactum & commodum, & incommodum omnibus sit, in posterum de euictione non tenentur. Ita habetur expressè *l. Si familia. C. famil. ercifcund.* & glossa *ibi*, & Molina Theologus *tom. 1. de iustit. disputat. 145. versu, Falla bonorum*, & Doctores communiter. 7.

Molin.

Si bonorum partitio facta fuerit in præsentia fratrum, aut hæredum omnium, eo ipso, quòd absoluta est, atque ab omnibus subscripta, non potest deinceps reuocari, etiamsi eorum aliquis aduersus illam velit opponere, semper tamen excipiendum est, nisi eorum aliquis velit opponere se fuisse deceptum vltra medium iusti pretij, idque priùs probet, perinde ac contingere solet in contractu emptionis, & venditionis, vel in quouis alio. Excipitur etiam, nisi hæredum aliquis intra annum post absolutionem partitionum, opponat ac probet se læsum fuisse in sexta parte quantitatis, quam habere debebat, & quòd talis error interuenerit, vt sine dubio aliter fieret partitio, quàm facta fuit; tunc enim partitio reuocatur. Et *in l. Si soror. C. de collation.* statuitur, 8.

vt

vt si error in partitione bonorum interuenerit, eo quod aliquid ad partitionem ab aliquo hærede non fuerit allatum, quod tamen foret adducendum, posse tunc læsum iudicem adire, tenerique iudicem in eo casu iubere, vt id ad aceruum bonorum adducatur, & suam partem dare ei, qui fuit læsus.

9. Quando verò aliquis ex hæredibus minor erat tempore quo partitio fuit absoluta, si se læsum inuenit postea, potest illam dissoluere vsque ad vigesimum nonum ætatis suæ annum per beneficium restitutionis in integrum, iuxta ius commune. Hæc habui, quæ ad rem moralem ad quartum præceptum circa materiam partitionum adiungerem, cæterasque quæstiones, quæ ad forum ciuilem magis pertinent, quàm ad forum conscientiæ, ad iuris ciuilis peritos remittimus; neque enim iudicamus fas nobis esse cum querimoniis aliorum falcem in alienam segetem immittere. Si quid tamen immissum fuit, id præter intentionem planè fuit, & sine animo inferendi iniuriam alicui.

LIBER

LIBER QVINTVS

In quintum Decalogi Præceptum

DE HOMICIDIO.

HOMICIDII materia, quæ nostra est iniquitas, frequentissima est; quotidie enim videmus ex leuissima causa homines occidi, quapropter in hoc deflenda est maximè misera hominum conditio, quòd contra ductum naturæ, contra morum disciplinam, contra vtriusque iuris canonici & ciuilis leges, & quod caput est, contra expressum Dei præceptum, tantum inter se homines fæuiant, vt alij alios occidant, & vita horribilem in modum priuent; vnde pulchrè ait D. Thomas. 2.2. *quæst.* 112. *artic.*6. homicidium de se non esse appetibile, sed magis horribile, eo quòd non habeat in se alicuius boni rationem. De hoc ergo horribili homicidio nobis in præsenti libro disputandum est: Et in primis agendum nobis erit de homicidio priuata authoritate facto: Deinde de homicidio publica authoritate exercito: Tandem de restitutione damni per homicidium iniustum illati, & in hac materia præcipuas dubitationes Deo adspirante discutiemus. D. Thom.

CAPVT I.

Quotuplex sit homicidium, quid sit, qualem pœnam habeat, quàm graue peccatum sit.

SVMMARIVM.

Homicidium duplex est, aut publica, aut priuata authoritate factum. num. 1.
Quid sit homicidium. num. 2.
Temporale, & spirituale homicidium quid sit. numero 3.
An sit homicidium grauius peccatum, quàm furtum & adulterium. num 4.
In extrema, & graui necessitate licitum est furari, non tamen occidere. num. 5.
Pœna homicidij regulariter loquendo est pœna mortis. num. 6.
Ab hac pœna an nobilissimi homicidæ excusentur. num. 7.
De iure Lusitano in viros nobilissimos sententia mortis non potest executioni mandari sine nouo consensu, & mandato Regis. num. 8.
An valeat statutum puniens homicidium sola pœna pecuniaria. num. 9.
An aliqua homicidia eximantur à pœna. numero 10.
Quid sit homicidium culposum, quid dolosum, & insidiosum. num. 11.
Qua pœna puniendum est homicidium culposum, qua dolosum; An vtrumque pœna ordinaria mortis, an vnum pœna ordinaria iuris, alterum pœna arbitraria iudicis. num. 12.
An ille, qui vnum occidit, putans se alium occidere, puniendus sit pœna ordinaria iuris, an arbitraria iudicis. num. 13. *Refertur prima opinia asserens puniendum esse pœna arbitraria.* ibid.
Refertur secunda asserens puniendum esse pœna ordinaria iuris. num. 14. *Prima est probabilior, & tenenda.* ibid.

HOMICIDIVM, inquit D. Augustinus *epistola* 54. *ad Macedonium*, bipartitò accipitur; aut enim est à iudice; aut à latrone, id est, aut publica, aut priuata authoritate fit, & vtrumque, si illicito modo fiat, prohibetur. Deut. 5. Exod. 20. *Non occides*: nam quamuis hoc diuinum præceptum de non occidendo præcipuè videatur comprehendere homicidium illicitum, & iniustum priuata authoritate factum

factum eum videatur principibus, & iis qui publica authoritate fruuntur, concessum, reuera tamen non his tantùm terminis angustatur, sed longiùs spatiatur, comprehenditque etiam homicidium iniustum publica authoritate factum; si quidem non quodlibet homicidium, sed iustum, id est ex iusta causa exercitum principibus, & publicæ authoritati vel permittitur vel præcipitur vt constat ex illo eiusdem Exodi 23. ad Moysem dicto tanquam ad iudicem, ac gubernatorem, principemque populi, pœnas quem publica erat authoritas puniendi, *Maleficos non patieris viuere*, & ex illo ad Romanos 13. *Omnis anima*, hoc est, omnis homo, vt explicat D. Aug. tract. 105. in Ioannem *potestatibus sublimioribus subdita sit; si malum feceris, time; non enim sine causa gladium portant*. Portant enim illum ad resecanda mala, quæ pullulant, grassanturque per orbem, vt docet D. Thom. 2.2. *quæst. 64. art. 3.* Sicut enim membrum putridum præscinditur in corpore humano, vt saluti totius corporis consulatur: ita homo Reipublicæ communitati noxius laudabiliter è medio tollitur, ne modicum illius malitiæ fermentum totam massam Reipublicæ corrumpat, quapropter perspicuum est hominem tunc à iudice occidi, non quia homo est, sed quia sceleratus est; & ideo odio malitiæ, zeloque iustitiæ, occiduntur, non odio naturæ. Quæ iustitiæ executio non priuata temeritate, sed publica authoritate fit.

2\. I.Anan. Definitur homicidium, si vim nominis spectes, variè à variis auctoribus. Nam Ioannes de Anania *in rubrica de homicidio num. 1. & 2. versu, Tertiò quæris*, ita illud definit: *Est occisio hominis ab homine facta*. Dicitur in hoc definitione *hominis occisio*, ad differentiam illius occisionis, qua animal occiditur; tunc enim non homicidium, sed animalicidium appellabitur: Dicitur *ab homine facta*, ad distinctionem illius occisionis, qua homo occiditur ab aliquo animali, quia tunc non dicetur propriè occisio, sed casus, sed interitus fortuitus. Respicit igitur hæc descriptio homicidij Ananiæ vim potius nominis, & etymologiam illius, vt optimè animaduertit Carrerius in *practica tract. de homicidio, & assassinio in principio n. 1.* Carrer. quàm substantiam, & naturam illius. Et ideo ille sic homicidium definit. *Est illicita hominis ad mortem cæsio*. ibique singula huius definitionis verba latè prosequitur. Relinquo alias descriptiones homicidij à iurisperitis introductas, parum vtiles, quas videre poteris apud Prosperum Farinacium *tom. 4. quæst. 119.* Meliùs, & breuiùs Farinac. à Theologis sic describitur homicidium *Est iniusta, & illicita hominis occisio*, & hoc homicidium est illud, quod prohibetur iure humano, & diuino in quinto Decalogi præcepto. Est verò homicidium iniustè factum illud, quod vel à priuata authoritate fit non seruato debito moderamine inculpatæ tutelæ; vel à publica non seruata debita iustitia, & iuris ordine, & de vtroque in hoc opere agemus.

3\. Omitto parum vtiles homicidij differentias, à Doctoribus vtriusque iuris introductas, & præcipuè illam Farinacij *dict. tom 4. quæst. 119.* Farinac. Iac.Boul. deductam ex Iacobo Boulent. *in repet. legis, capitali. §. famos. num. 63. ff. de pœnis*. in qua duo asserit esse homicidiorum genera, vnum spirituale, alterum corporale. Spirituale appellat primò illud, quo detractor iniustè aliquem fama priuat; quia in iure huiusmodi detractor homicida dicitur *capite, Homicidiorum de pœnit. dist. 2.* Secundò illud, quo quisque proximum suum odio habet. Tertiò illud, quo suadet alteri, vt proximo noceat, quia in iure etiam tam suasor mali quàm odio alterum habens homicidæ appellantur *capit. Noli putare, de pœnit. dist. 1. capite, homicidium, ibidem*. Quartò illud, quo quisque proximo suo modo aliquo nocere studet. *cap. homicidium de pœnit. dist. 1.* Quintò illud, quo aliquis fratri suo extremè indigenti negat alimenta. Homicidium verò corporale appellat illud, quo corpus hominis occiditur. Omitto inquam has homicidij differentias, quia, vt dixi, vix ad institutum nostrum vtiles esse possunt.

Homicidium igitur, vt à Theologis definitur, grauissimum, & atrocissimum est peccatum: grauius, quàm furtum, & adulterium: est enim homicidij damnum irreparabile, & per illud homini inferimus maximum nocumentum omnium, quæ illi inferre possumus, vt latè, & doctè probat Socinus *consilio 157. num. 8. lib. 2.* Probat primò, quia grauiora peccata sunt ea, quibus infertur nocumentum corpori quàm ea, quibus infertur nocumentum rebus hominis externis, & bonis illius, & ideo pro vnico homicidio imponitur pœna mortis, non ita pro vnico furto nisi fuerit vestitum grauissimis circunstantiis. Secundò, quia in decem præceptis Decalogi priùs ponitur præceptum vetans homicidium, quàm præceptum prohibens furtum, & adulterium. Prius enim dicitur, *Non occides*, quàm, *Non mœchaberis, non furtum facies*. Tertiò, quia in decretalibus priùs ponitur titulus homicidij, quàm titulus adulterij, & furti, ex quo ordine coniicitur grauius esse peccatum homicidium primo loco prohibitum, quàm furtum, quàm adulterium. 4. Socin.

Probat etiam, quia facilius dispensatur cum fure, quàm cum homicida voluntario, vt patet *ex capite, Sicut dignum de homicidio. §. finali*, iunctis iis, quæ habentur *in cap. finali, extra de furt.* Et quia propter famis necessitatem licitum est furari, non tamen ob eandem necessitatem licitum est vnquam hominem occidere: quibus omnibus coniecturis, & rationibus inferunt iurisperiti veluti Corrad. *in pract. tit. de homicid. n. 2. fol. 315.* Decian. *in tract. crim. lib. 9. c. 17. n. 18.* Marsil. *in l. 1. n. 3. ff. ad l. Cornel. de sicar.* cum Socino suprà allegato, grauius etiam esse homicidium peccato adulterij, quod probant ex textu *in cap. Si quid verius 30. q. 1.* quamuis ex circunstantiis v.c. in adulterio & furto famoso contrarium dicendum sit, vt consuluit olim Decius *consil. 65. lib. 1.* neque ex eo quod formaliter, & ex obiecto homicidium grauius sit peccatum adulterio, & furto: tollitur quod ex aliqua circunstantia grauiora hæc censeantur homicidio. Vera autem, ac germana huius rei ratio est, quia damnum illatum per mortem, homicidiumve est damnum irreparabile: damnum verò per furtum, & adulterium datum, est de se, & ex intrinseca ratione sua reparabile; nam damnum per adulterium illatum quoad nocumentum in fortunis, in portione legitimam filiorum ex vero matrimonio susceptorum attingente reparari potest, & quamuis, quoad honorem, & famam pecuniis reparari non possit, vt in octauo præcepto dicemus; neque enim honor & fama vllam recipit æstimationem, reparari tamen potest rectè factis, & bonis operibus, moribus in melius compositis: & præterea fama est quid homini extrinsecum, vita verò est quid homini intrinsecum, & tam intrinsecum, vt ea sublata, ita tollatur homo, vt ampliùs in rerum natura 5. Corradus. Decian. Marsil. Decius.

natura per naturam non exiſtat. Et ideo communiter, ac ſimpliciter loquendo magis homines æſtimant vitam, quàm famam, quàm honorem; maiorque proinde iniuria illis fit in iniuſta vitæ, quàm honoris ablatione: & ſic tandem grauius eſt peccatum homicidij, quàm peccatum furti, & adulterij

6. His præmiſſis; pro pœna homicidij ſic ſtatuo. Homicidij pœna regulariter loquendo in iure ſtatuta, eſt pœna mortis. Patet ex *l. 3. §. patiatur. C. de Epiſcop. aud.* ibi: *Homicida, parricidáque quod fecit ſemper expectet.* & ex *l. Cornelia, de public. prædict.* vbi dicitur homicidas vltore ferro eſſe perſequendos. Patet denique ex *l. penult. §. qui alias perſonas, ff. de parricid.* & ex iure diuino id ipſum conſtat: nam *Geneſeos* 9 ita habetur: *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, effundetur ſanguis illius.* Et Matth. *cap.* 26. ita à Chriſto ſeruatore noſtro dicitur. *Omnis, qui gladio percuſſerit, gladio peribit.* & Apocal. 13. *qui in gladio occiderit, oportet gladio occidi*: & Leuit. 24. *qui percuſſerit, & occiderit hominem, morte moriatur.* Et paulo poſt. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, ab altari meo euellas eum, vt moriatur,* quæ verba referuntur *in cap. 1. extra de homicid.* hæc doctrina eſt communis omnium Doctorum. Iul. Clar. Ita Iulius Clarus *lib. 5. ſent. §. homicid num.* 28. Couar. Couarr. *lib. 2. var. cap 9. num.* 2. Anton. Gomex Ant Gom. *de delictis, cap. 3 tit. de homicid. num.* 1. Farinacius Farinac. *tom. 4. quæſt. 119. tit. 14 inſpect. 1. num. 12. fol. 105. col. 1. in fine.* Placa *in epitome delictor. lib. 1. cap. 10.* Placa. *poſt numerum* 2. Albert. *tractatu de agnoſc. aſſert.* Albert. *cathol. quæſt. 23. poſt num.* 29. Rolandus à Valle Roland. *conſil. 12. num 23. lib. 3. & conſil. 57. num. 1. lib. 4.* Ioſephus Ludou. *decíſ. Lucenſ. 62. num.* 8. Decius I. Ludouic. *tract. crimin. lib. 9. cap. 17. num. 8. & cap. 20. n. 1.* & ratio eſt. Primò, quia naturalis ratio dictat vt id, quod quis alteri mali fecit, ſemper expectet, vt dicitur *in cap. Cum omnes, de conſt.* & habetur *in dicta l. 3. C. de Epiſcop. audient.* ibi: *Homicida, parricidaque, quod fecit, ſemper expectet*: Fundamentum habet hæc ratio in illo principio de iure naturæ, *quod tibi non vis, alteri ne facias*, ex quo hoc aliud ſequitur, *& quod alteri malum facis, tibi iuſtè inflictum putes.* Secundò, quia natura ipſa cognationem quandam humanam inter homines conſtituit, vt dicitur *in l. Vt vim. ff. de. iuſt. & iure*; & *l. Notandum, ff. de appellat.* Hanc autem cognationem humanam homicida per homicidium iniuſtum tollit, & vim infert naturæ; quid ergo mirum ſi naturalis ratio dictet ipſum eſſe de medio tollendum? Tertiò, quia homicida iniuſtè occidens. Deum offendit, Rempublicam, parentes occiſi, & ipſum occiſum, ergo iure morte occidentis vindicari poteſt tam graue, & pernicioſum crimen. Accedit, quia ſanguis hominis innocentis occiſi clamat ad Deum de terra inſtar ſanguinis innocentis Abel pro mortis vindicta iniuſti occiſoris, *Geneſeos, cap.* 4. & animæ interfectorum continuò apud Deum, & homines vindictam proclamant iuxta illud Apocalypſis 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habent, & clamabant voce magna: Vſquequo Dominus ſanctus, & verus non iudicas, & vindicas ſanguinem noſtrum?*

7. Eſtque hæc mortis pœna in iure contra homicidas impoſita adeo iuſta, vt ab illa nec homines dignitate, & nobilitate præcellentes excuſentur, vt docet Iulius Clarus & Couarruuias ſuprà allegati, Angel. Angelus *in l. 3. § legis ff ad legem Corneliam, de ſicarijs.* Afflictis *in 1. part. conſt. regn. rubr. 13. num. 1. & 2.* Afflict. Ludouic. Lucenſ. *decif. 62. num.* 12. Lud. Luc. & alij, quos ſtatim allegabimus. Nec obſtat lex 1. *ff. ad legem Corneliam, de ſicar.* & lex 3. *§. legis Corneliæ. ff. eodem tit.* in quibus homicidæ nobiles non pœna mortis, ſed deportationis in exilium ad inſulas, & omnium bonorum proſcriptione afficiuntur: Non obſtat, inquam, quia licet his legibus innixi id ipſum tenuerint Salicetus *in l. Is, qui cum telo, col. finali ad finem, verſu, Item quia.* Angelus *conſil. 14. num.* 2. & Monta- Angel. leon. *in ſua pract. fol. 210. num. 535. verſu, Nam* Montal. *humiles*; tamen id verum erat de iure antiquo digeſti: non eſt tamen verum hodie de iure nouiori codicis, abiit enim ius illud antiquum digeſtorum in diſſuetudinem; quare hodie illa pœna legis Corneliæ non eſt in vſu, vt optimè animaduertit Afflictis modò allegatus, Placa *lib. 1. delict. cap. 10. poſt numerum* 2. ſed eius loco ad coërcendam homicidarum nobilium audaciam ſucceſſit pœna mortis, & hæc eſt pœna hodie communis, vt præter citatos docet Farinacius *tom. 4.* Farin. *quæſt. 119. titul. 14. inſpect. 1. num.* 17. vbi citat multos.

Hæc de iure communi: de iure autem Luſitano poſtquam homicidæ ſanguine, & nobilitate 8. præcellentes, vel ob homicidium, vel ob quodcumque aliud delictum per ſenatores regios ad mortem damnantur, non poteſt ea ſententia executioni mandari abſque noua Regis licentia, & facultate, vt deciditur *in nouis ord. lib. 25. initio,* & quamuis ibi ſermo tantùm ſit de pœna mortis, quæ fertur in illos propter adulterium; tamen conſuetudo regni habet, vt in pæna mortis propter homicidium hoc etiam obſeruetur.

Controuertunt tamen hîc Doctores, an valeat ſtatutum, vel conſuetudo regni, populi, aut 9. prouinciæ, diſponens, vt homicidia ad certam pænam pecuniariam, non mortis damnentur. Et certè hac de re partita eſt ſententia. Prima affirmat, eam tenent Barthol. *in l. ff. de publ. iudic.* Barthol. *num. 10. & 11. verſu, Vlterius quæro.* Bald. *in l.* Baldus. *Data opera, num. 12. C. de his, qui accuſ. non poſſunt, & num. 7. & 14. verſu, Ex his infero.* Marian. Marian. Socin. *in cap. 2. num. 12. de delictis puer.* Albert. Albert. *in tract. ſtat. part. 2 quæſt.* 122. quæ incipit, *Item quæro*, vbi dicunt ita communiter hodie practicari, quibus aſſentitur Carrer. *in pract. fol. 515.* Carrer. *num. 12. & 18.* & verò Peruſij, & Ferraræ refert Farinacius *tom. 4. quæſt. 119. inſpect. 2. num 42 fo-* Farinac. *lio 109. col.* 2. hoc ſtatutum de facto dari: nam apud Peruſinos punitur homicidium ſimplex, hoc eſt non inſidioſum, nec proditorium pœna pecuniaria multæ centum librarum ſi vnus tantum occidatur; ſi verò duo, pœna mortis. Apud Ferrarenſes verò referente eodem Farinacio *num.* 44. punitur pœna eadem pecuniaria ad iudicis arbitrium. Damnare autem hæc ſtatuta durum admodum videtur, quia in his duabus nobiliſſimis ciuitatibus Doctores vigent nobiliſſimi, & ſapientiſſimi, qui, ſi eſſent iniuſta, laborarent pro viribus, vt tollerentur. Fundamentum huius opinionis eſt, quia pecunia eſt menſura rerum omnium, atque adeo æſtimationis vitæ, honoris, & famæ.

Secunda opinio negat omnino valere tale ſtatutum, & conſuetudinem: Eam expreſsè tenet Iul. Clarus *lib 5. ſent. §. homicid. num.* 19. Ioannes Iul. Clar. de Anania *in cap. finali. num. 1. de delictis puer.* I. Anania. Couarr. *lib. 2. var. cap. 9. num 2. Dec. cap. 2 de conſt.* Couarr. *poſt numerum* 2. Hoſtienſis *in cap. 2. num. 2. de delict.* Hoſtienſ.

Ioan. Andr. Buttius. Anchar. Igneus. *puceror. verbo, Consuetudinem.* Ioannes Andreas *ibi, num.5.* Buttius *num.3.* Ancharran. *num.1.* Ioannes Igneus *l. Cornelia § ex hoc edicto, num.62. ff. ad Syl.* vbi ait suis temporibus ita fuisse in Senatu iudicatum contra Nouarienses, apud quos erat consuetudo, vt homicidij pœna, pœna pecuniaria ceorum aureorum recompensaretur; & licet Albericus *in 2. part. statutorum, quæst.122.* asserat contra Nouarienses rotum orbem contrarium seruare; tamen potuit olim ita ibi obseruari. Tenet etiam Felinus *in rubr. de homicid. versu, Secundus casus est*, vbi tunc demum admittit valere huiusmodi statutum, cum in eo vltra pœnam mortis imponitur pecuniaria, aliàs non. Ratio est. Primò, quia iniusta vitæ priuatio, præcisa à damno extrinseco, nullam recipit æstimationem, sicut nec iniusta ablatio famæ; quare præcisè pro hac iniusta ablatione nulla debetur restitutio, vt infrà dicemus, cum de restitutione egerimus, & docet Lessius *tom.1. de iust. lib.2. cap.9. dub.23. num.141.* Nauarrus *cap.15. num.20.* Suarius *tom.1. de relig. lib.1. cap.14. num. 12.* Toletus *lib.4. summa, cap.16. num.3.* Anton. Gomez *tom.3. var. cap.6. num.12.* Secundò, quia pœna mortis pro homicidio imposita nec diuitijs, nec dignitate, aut nobilitate præcellentes, vt suprà diximus, excusantur. Tertiò, quia nullam culpam timet reus diues, quam pecunijs se redimere posse confidit, vt dicitur *in capite, Pauper 11. q.3.* atque adeo oportuit in republica pro homicidio certam pœnam, quæ omnibus tam diuitibus, quàm pauperibus esset communis. Tandem, quia si prædictum statutum valeret, aut consuetudo, id nihil aliud esset, quàm vitam hominum venalem facere, & inuitarentur scelerati ad homicidia passim perpetranda, cum pœnas pecuniarias parum timeant. Ego hanc secundam opinionem vtpote veriorem amplector, & contrariam parum probabilem censeo. Fundamenta primæ opinionis iam penè sunt soluta: nam vita hominum nullum pretium recipit, vt diximus; & licet pecunia sit mensura rerum omnium, est quidem mensura rerum omnium vendibilium, & recipientium pretium, atque æstimationem; at vita nec vendibilis est, nec pretium aliquod potest recipere. Vide numerum 26. vbi hac de re non nihil etiam dicemus.

Albetic.

Felin.

Lessius. Nauar. Suar. Tolet. Ant. Gom.

10. Non procedit tamen hæc secunda sententia in his casibus sequentibus, quia in illis vel nulla pœna punitur occidens, vel certè non mortis, sed alia mitiori, & perexigua, si modum à iure permissum excedat. *Primò*, in patre occidente filiam in adulterio deprehensam. *Secundò*, in marito occidente vxorem in eodem adulterio inuentam. *Tertiò*, in homicidio ad necessariam defensionem commisso. *Quartò*, in homicidio contra voluntatem occisoris perpetrato. Vnde vertunt etiam Doctores in dubium, an quando in rixa subitò, & inopinatè contingenti quis aliom occidit casualiter & inuoluntariè, possit occidens impetrare dispensationem huius irregularitatis ab Episcopo iuxta formam Concilij Tridentini *sess. 24. cap.6.* cum sit contracta ex homicidio inuoluntario & casuali, quam quæstionem resoluemus *in cap.13. num.11. ad finem. Quintò*, in occidente vnum putante se alium occidere. *Sextò*, quando percussus non ex vulnere, quod de se mortiferum non erat, sed ex culpa, & negligentia medicorum, aut ex propria incuria emoritur. *Septimò*, in homicidio casuali. Hos omnes casus excipiunt Doctores à communi, & ordinaria pœna mortis in iure pro homicidio decreta, vt videre est apud Prosperum Farinacium *tom.4. quæst.119. de homicid. suspect.2. num.16. fol.107. col.1.* quos modò non prosequimur, quia de illis sigillatim infrà nobis agendum est.

Farinac.

Animaduertendum tamen est homicidium culpabile dici à Doctoribus vtriusque iuris illud, quod licet cum culpa mortali committatur, sine dolo tamen, sine insidijs, & proditione committitur. Sicque homicidium culpabile, quod illi culposum appellant, directè distinguunt contra homicidium dolosum, insidiosum, & proditorium, hoc est, cum dolo, & fraude, cum insidiis, cum proditione commissum. Et verò hoc homicidium culpabile non pœna ordinaria mortis, sed arbitraria iudicis, exilij vel triremium, & aliquando etiam partim pœna exilij, partim pecuniaria maiori vel minori iuxta qualitatem culpæ, personarum, & probationum punitur. Ita docet Iulius Clarus *lib.5. sentent. §. Homicidium, num.3.* Cæpola *consil. crimin.37. col.1.* Robertus Maranta *in speculo fol.26. num. 59. & 60.* vbi addit hac in re neminem dissentire. 11.

Iul. Clar. Cæpol. R. Maranr.

Exemplis circa homicidium culpabile res clarior euadet. Proiecit quis lapidem in confertam hominum multitudinem, quo ictu vnus fuit interfectus, hic, & nunc non adfuit dolus in illo homine occidendo, adfuit tamen culpa in illo lapide proiiciendo, & ideo huiusmodi homicidium non est puniendum pœna ordinaria mortis, sed extraordinaria pecuniæ, vel exilij, vel vtriusque simul ad arbitrium iudicis. Deinde noluit portitor fluuialis recipere in cymbam suam, cum possit, onustos multos spe maioris nauli pro secunda traiectione, & in secunda irruenti subitò illuuione submergitur cymba; vel omnes recepit in illam, cum tamen illa tot tantosque non caperet; hic quidem portitor non caruit culpa, non tamen habuit positiuum animum occidendi, & ideo in illum non pœna ordinaria mortis, sed arbitraria debent iudices animaduertere. Ita docet Iulius Clarus *lib. 5. sent. modo allegatus.* Vasquez *lib.1. illustr. controuers. cap.10. num. 22.* Angelus *in l. Cornelia, ff. de sicar.* ex his exemplis alia coniice.

Iul. Clar. Vasq. Angel.

Similiter culpabile homicidium erit, pœna arbitraria puniendum, non ordinaria mortis, cum quis sine animo occidendi alium percutit, ex qua tandem percussione emoritur. Et verò quod non habuerit animum occidendi, coniiciendum est ex genere armorum, vel instrumentorum, quibus illum peremisit, v.c. si etiam baculo, vt contigit, referente Iulio Claro *dicto lib.5. sent. § Homicidium, num.4.* mulieri, quæ famulam suam, quam putabat ex viro suo esse grauidam, capite percussit, ex qua tandem percussione obiit, quæ sententia senatus Neapolitani non fuit ad mortem damnata, sed in exilium ad insulas relegata ad septennium: Ex modo percutiendi, & ex parte corporis, qua percussit, vt si eosem quis habeat, vel hastam, non tamen ferro feriat, sed ensis manubrio, vel ligno hastæ; Is quidem non præsumitur habere animum occidendi, sed percutiendi tantùm; & sic tandem homicidium culpabile, non insidiosum, non dolosum committet, ac proinde non ordinaria pœna mortis, sed arbitraria exilij in illum animaduertendum est à iudice, vt præter Iulium Clarum allegatum docet Marsilius *consil.67. num.18.* 12.

Iul. Clar.

Marsil.

Circa illum, qui vnum occidit putans se alium occidere, an sit puniendus pœna ordinaria mortis, 13.

au

an extraordinaria; & arbitraria ad iudicis arbitrium, partita est opinio. Prima docet huiusmodi homicidium puniendum esse pœna arbitraria iudicis, noo ordinaria legis. (Farin.) Ita Farinacius *tom 4. quest.*119. *de homic. inspect.* 2. *num.* 16. *fol.* 107. (Placa.) Placa *lib.* 1. *delict. cap.* 27. *num.* 1. (Vasq.) Vasquez *illustr. controuers. cap.* 96. *post num.* 32. (Gramma.) Grammat. *in consil. regn. Neapol. folio* 14. *num.* 21. vbi dicit in Senatu Neapolitano in casus occurrentia ita fuisse iudicatum. Fundamentum illorum est, quia huiusmodi homicidium respectu illius, quem occidit, fuit merè casuale, & per accidens cootingit; quare licet fuerit culposum quatenos absolutè voluit occidere, non tameo fuit respectu occisi voluntarium, dolosum, aut insidiosum. Et facit pro hac opinione id quod hodie communiter Doctores asserunt, volentem, scilicet, percutere Titium laicom, & facientem booam diligentiam quanta arbitrio prudentis necessaria videbatur, ne Sempronium clericum percutiat, si forte eerans Semproniom percutiat, non incurrere excommunicationem capitis, *Si quis suadente diabolo*: quia licet illa actio non excusetur à culpa mortali, excusatur tamen à sacrilegio formali, non materiali, ob quod excommunicatio prædicti capitis præcisè iucurritur. Quam doctrinam tradunt (Couar.) Couarruuias *in repet. capit. Alma mater fol. mihi* 497. *post num.* 15. *versu, nonò.* (Iul. Clar.) Iulius Clarus *lib* 5. *sent* §. *finali num.* 8. (Suarez.) Suarez *tom* 5 *de censur. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 52. (Syluest.) Syluester *verbo, Excommunic.* 6. §. *Secundo.* Sic etiam in præsenti negotio licet occisor non excusetur ab homicidio culpabili, seu culposo, vt iurisperiti loquuntur, excusatur tamen ab homicidio doloso, insidioso, ac proditorio, cui soli pœna mortis in iure decernitur.

14. Secunda opinio docet imponendam esse tali homicidio pœnam ordinariam mortis, quam cum multis tenet (Iul. Clar.) Iulius Clarus *lib* 5. *sent.* §. *Homicidium num.* 5. Fundamentum illius est, quia quamuis respectu illius hominis occisi in particulari eesset qualitas animi deliberati, tamen absolutè non cessat; absolutè enim voluit occidere, & de facto occidit; quare immeritò excusabitur à pœna mortis. Prima tamen sententia mihi videtur probabilior & tenenda, quamuis hæc secunda fuerit olim communior. Fundamentum huius opinionis iam ex dictis solutum manet.

SVMMARIVM.

De homicidio à proposito, doloso, insidioso, & proditorio.

Quid sit homicidium dolosum. *num.* 15.

Quid à proposito. *num.* 16.

Animus occidendi ex tempore in rixa habitus vnde colligatur, & vnde animus ex interuallo habitus. num. 17.

Quid sit homicidium insidiosum. *num.* 18.

Oportet hæc homicidiorum genera agnoscere, non solum ad impositionem pœnæ ordinariæ, vel arbitrariæ; & ad cognoscendum, quodnam illorum gaudeat immunitate Ecclesiæ. *num.* 19.

Quid sit homicidium proditorium. *num.* 20. *&* 21.

Homicidiu proditoriu, & insidiosu non tuetur Ecclesia sua immunitate. *num.* 21.

Assassini an gaudeant immunitate Ecclesiæ. n. 22. *& quid de mandantibus per eos fieri homicidiu. ibid. An mandans interfici aliquem per assassinos puniendus sit pœna ordinaria mortis. ibid. Crimen assassinatus, an requirat probationem plenam. ibid.* §. Illud notandum; *An assassini iure canonico, pœna aliqua puniantur. ibi, versu,* Assassinorum pœna.

Quid sint propriè assassini. num. 23. *An excommunicentur ipso facto in iure mandantes fieri homicidia per assassinos.* *ibid.*

An hæc pœna excommunicationis ipso facto extendatur ad eos, qui inter Christianos hæc homicidia fieri mandant per christianos pecunia conductos. num. 24.

An illi, qui in Italia dicuntur assassini, sint verè in iure assassini. *num.* 25.

Consuetudo vnius loci non extenditur ad alium. numero 26.

HOmicidinm dolosum, seu per dolum, & 15.
fraudem commissum, ferè semper coincidit cum homicidio insidioso, proditorio, & cum homicidio à proposito; quare quod de illis dixerimus, de isto quoque dictum censeatur. Solùm animaduerto hæc homicidia non simpliciter homicidia, sed homicidia qualificata à Doctoribus appellari. Homicidium autem qualificatum semper habet adnexam pœnam mortis, & legis ordinariam, si plenè, & perfectè probatum fuerit, non arbitrariam iudicis *l.* 3. *C. de Episcopali audient. l. Si seruus C. de his, qui ad Eccles. confug. l.* 3. §. *legis Corneliæ & l. qui cædem ff. de sicar. l. Pœna, ff. de Parricid.* §. *Item lex Cornelia* 1. *Instit. de publ iudic.* Homicidium ergo qualificatum quatuor modis fieri potest. *Primo*, ex proposito: *Secundo*, ex insidiis & fraude: *Tertio*, proditoriè. *Quarto*, per assassinos. Et de omnibus his generibus homicidij nunc nobis agendum est.

Quid autem sit homicidium *à proposito*, non 16.
ita clarè constat apud authores. Quidam enim putant nunquam dari homicidium à proposito, nisi insidiæ præcesserint, & sic homicidium ex proposito cum homicidio insidioso confundunt, ac permiscent; inter quos est Casonius *in practica fol.* 13. *n.* 8. Alij melius autumant, tunc dari homicidium à proposito, cum quis absque dolo, & insidiis alium aggreditur occiditque præuia animi deliberatione, & animo occidendi ex longo tempore, interuallo, & præmeditatò habito; quia si cui forte obuius inimicus fiat, cuius nunquam mortem meditatus fuit, animóque deliberato, & calore iracundiæ, efferuescente sanguine, illum occidat; dicetur hic homicidium commisisse, quia defecit ei animi deliberatio ex interuallo, & præmeditato habita; nisi euidenter ex coniecturis appareat, hanc animi deliberationem illum habuisse; nam quamuis ea, quæ in animo consistunt, soli Deo cognita sint; tamen per indicia, & coniecturas, animi qualitates conijcere possumus: vt docet Baldus *in l.* 2. *ff. de testam.* (Baldus.) Phœbus *tom* 1. *decis.* 78. *num.* 10. (Phœbus.) Mantua *consilio* 152. *lib.* 1. *& consil.* 236. *&* 294. *eodem libro.* (Mantua.) Iulius Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *Homicidium. num.* 8. (Iul. Clar.) Quare si in hoc casu occisor lorica, & ferro obarmatus inimicum expectasset; aut cum multitudine personarum ad eum finem conquisita ad illum occidendum ei obuius fit, is quidem ob has coniecturas non dicetur homicidium simplex, sed qualificatum, & à proposito, animoque ex multo tempore præmeditato commisisse, iuxta Mantuam, & Iulium Clarum modò allegatos. Dixi, *antea conquisita*, quia si huiusmodi personæ non fuerint conquisitæ, sed casu superuenerint; non

præsumetur animus deliberatus ex internallo habitus illum occidendi. Si autem dubitatur an fuerint, vel non fuerint conquisitæ,& vocatæ ad tale homicidium, tunc ad veritatem indagandam recurrendum erit ad alias coniecturas, quales sunt præparatio armorum, genera illorum, vulnerum confossiones, narium, vel aurium amputationes,& aliæ ex quibus deliberatus animus occidendi ex longo tempore conceptus, & homicidium à proposito colligatur.

17. Animaduertes tamen hic aliud esse præsumere deliberatum animum occidendi modò conceptum; aliud præsumere deliberatum animum occidendi ex intervallo, & præmeditato habitum: nam animus occidendi potest colligi ex parte corporis in qua inflictum fuit vulnus; ex multitudine vulnerum, ex genere armorum; & ideo etiamsi quis immediatè post acceptionem iniuriæ, aut ex exigua temporis intercapedine aduocet amicos, vt armati secum regrediantur, & iniuriantem se, confodiant multis vulneribus, occidantque planè, quia durabat calor iracundiæ, non dicetur homicidium à proposito: si tamen sedato calore, & animo ad tranquillitatem cōposito illos aduocet, quod fieri potest spatio vnius diei, aut viginti quatuor horarum postquam iniuriam accepit, iam dicetur homicidium ex proposito, seu vt Lusitanè dicitur, *Reixa velha*. Italicè *à sangue fredo*; quia animus deliberatus ex intervallo habitus ad occidendum ex nullis aliis coniecturis meliùs coniici potest, quàm ex longo intervallo, ex odio diuturno, ex tractatu, & nuntiis, vltro, citroque missis, ac remissis; sufficit autem hoc spatium vnius diei, aut viginti quatuor horarum, vt longum interuallum censeatur: totum tamen hoc negotium arbitrio prudentis iudicis committitur, qui ex circunstantiis rem considerabit. Ita
Iul.Clar. Iulius Clarus *dict.* §. *Homicidium n.* 8 cum reliquis quos citat. Vnde pœna ordinaria mortis homicidis imposita, non arbitraria iudicis, puniendus est ille, qui intermissa eadem intercapedine vnius diei aut viginti quatuor horarum cum telo, & arcu, scopletáve nitrato puluere, & pila plumbea onerata, ambulauit inimicum quærens, vt occideret, de factoque occidit, quia hoc homicidium, est homicidium à proposito, & omne homicidium à proposito pœna ordinaria mortis afficitur.
Salicet. Ita Salicetus *in l.* 15. *qui cum telo. C. de sicar. &*
Couar. *& l.* 1. *ff de extraord.* Couarr. *in Clement. si furio-*
I.Igneus. *sus, in princip* 2 *part. num.* 6. Ioannes Igneus *in l.* 1.
Iul.Clar. §. *Occisorum. num* 41. *ff. ad Syll.* Iulius Clarus §.
Geripard. *finali, quæst* 95. *num.* 2. Geripardus *consil.* 6. *n.* 14. *&* 20. Dixi, *de factoque occidit*, quia si in eum explosit scopletam glandine, & sulphure oneratam, telumque, aut sagittam contorsit, & non occidit, licet de iure ordinariæ pœnæ mortis subiiciatur, vt disponitur *in l. Is qui cum telo.* vbi Bartholus, Baldus, & alij. *C. ad legem Cornel. de sicar.* de consuetudine tamen ea non punitur, sed in exilium mittitur, & pœna arbitraria pro arbitrio iudicis afficitur. Ita Doctores omnes modò allegati. Sed hac de re redibit sermo *nu.* 43. *& sequentibus.*

18. Insidiosum homicidium, seu per insidias commissum similiter pœna ordinaria mortis, non arbitraria iudicis in iure afficitur. Ita habetur *l* 3. *C. de episcopal. audientia, l. Si seruus C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. l. qui cadem ff. de sicar. l. pœna. ff. de parricid. & §. Item lex Cornelia inst. de publ. iudic. & l.* 1. *C. quando liceat vnicuique*, docentque
Hyppol. Hyppolitus *in l.* 1. *à num.* 1. *C. de sicar.* Bossius *titulo de homicidio num.* 106. Iulius Clarus §. *homicidium, num.* 18. Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 1. Placa *de delictis cap.* 10. *n.* 2. Petr. Gregor. *lib.* 36. *syntagm. iuris cap.* 15. *num.* 50. cum multis quos refert, ac sequitur: vt diximus *num.* 15. Tunc autem homicidium insidiosum dicitur cum aliquis occulto in loco aliquem expectat, illúmque incautè aduenientem occidit, vel insidiosè, fictè, & simulatè è domo in qua est, foras aduocatum interficit. Et verò si hoc homicidium eodem iracundiæ calore fiat, quod fieri potest, si per nuntium, aut alium tertium insidiosè è domo extrahatur, tunc quidem erit insidiosum non à proposito: si autem fiat ex interuallo temporis animo præmeditatè habito ad occidendum, vtrumque erit, & insidiosum, & à proposito. Vnde patet posse esse homicidium insidiosum, non tamen à proposito, & posse esse à proposito, non tamen insidiosum; & posse esse simul insidiosum, & simul à proposito. Bossius. Iul.Clar. Ant.Gom. Placa. Petr.Greg.

Oportet verò hæc homicidiorum genera agnoscere, non solùm ad impositionem pœnæ ordinariæ mortis, aut arbitrariæ iudicis, sed etiam ad internoscendum quando gaudeant homicidæ illa perpetrantes, vel non gaudeant priuilegio immunitatis Ecclesiæ: quia si homicidium fuerit à proposito, non gaudet homicida Ecclesiæ immunitate, si ad illam confugiat; vt latè probauimus *lib.* 4. 2. *præcepti cap.* 4. *num.* 46. *in quinque præcepta Ecclesiæ, fol. mihi in prima editione.* 398. & asserunt communiter Doctores, Suarez *tom.* 1. *lib.* 3. *de relig. cap.* 15. *num.* 10. Nauarrus *in summa Latin. cap.* 25. *num.* 1. Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 20. *num* 7. Iulius Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *finali quæst.* 30. *num.* 12. Guido Papæ *decision.* 121. Boërius *decisione* 109. *num.* 7. Alexander *consilio* 145. *n.* 46. *& n.* 51. *lib.* 7. Corradus *in practica, fol. mihi* 268. *num.* 6. *in fine.* Blancus *in practica fol.* 4. *n.* 26. Ordinatio Lusitana *in quinta lib.* 2. *tit.* 5. *à num.* 1. Neque item gaudet eadem Ecclesiæ immunitate homicida, si homicidium per insidias committatur, vt tenent expressè Iulius Clarus allegatus, & Suarius, & Nauarrus citati, Remigius *de immunitat. Ecclesiæ fol.* 6. *fallentia* 13. Paterque ex *cap.* 1. *de homicidio.* ibi: *Si quis per industriam occiderit proximum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Quamuis si in eodem homicidio interueniat quod ex proposito & per insidias fiat, is rigorosius & à fortiori obseruari debet, vt ratio ipsa conuincit. 19. Suarez. Nauar. Couar. Iul Clar. Guid.Pap. Boërius. Alexand. Corrad. Blanc. Ord Lusit.

Proditorium homicidium propriissimè illud est, quod per proditionem, seu proditoriè committitur, nulla alia intercedenti iniuria antecedenter illata, nullo odio, nulla rixa præcedente: vt cum quis socium itineris, vel mensæ occidit, vel cum quis se alterius amicum fingit, & à tergo aggreditur, atque interficit. Ita Bartholus *in l. respiciendum.* §. *delinquunt, num.* 1 *ff. de pœnis*, Igneus *in l. si certum.* §. *si vnus ex dominis. ff. ad Syll post num.* 14. Iulius Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *homicidium num.* 10. Et hoc quoque oportet animaduertere, quia huiusmodi homicidæ vltra pœnam ordinariam mortis, quam incurrunt, vt probant iura, & authores allegati *num.* 18. initio, non gaudet etiam Ecclesiæ immunitate, vt docet Iulius Clarus citatus *num.* 15. *&* 53. Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 20. *num.* 7. Anton. Gomez *cap.* 10. *de delictis post num.* 2. *versu, Quintò limita.* Remigius *de immunit. Eccles. fol.* 125. *num.* 1. Placa *lib.* 1. *delictor. cap.* 21. *num.* 6. Igneus *in l.* 5. §. *Si dominus num.* 7. *ff. ad Syll.* Milleus *in practica criminali folio* 32. 20.21. Barthol. Igneus. Iul.Clar. Couar. Gomez. Remigius. Placa. Igneus. Milleus.

lio 32. *num.* 19. & hanc esse communem consue-
tudinem totius orbis testatur Couarruuias alle-
gatus; non enim vult pia mater Ecclesia prodi-
tores, & insidiatores sua immunitate defendere.

22. Assassini, & mandantes patrari per eos homi-
cidia, priuilegio hoc immunitatis Ecclesiæ non
fruuntur, vt communiter resoluunt Doctores,
& possunt inde extrahi à quocumque iudice sæ-
Iul. Clar. culari. Ita Iulius Clarus *lib. 5. sentent.* §. *Assassini,*
Placa. *num.* 5. Placa *lib. 1. de delict. cap.* 19. *n.* 24. Mencha-
Menchac. ca *lib. 3. de test.* §. 22. *num.* 53. *versu*, *Illud autem.*
Couarr. Couarr. *lib. 2. var. cap.* 20. *num.* 7. Ant. Gomez
Gomez. *de delict. cap.* 10. *num.* 2. *versu*, *Quintò limita.*
Patet ex *cap.* 1. *de homicidio*, *in* 6. vbi assassinus
tanquam Christiani nominis hostis à toto popu-
lo Christiano perpetuò diffidatus dicitur, hoc est,
diuisus, scissus, & separatus: homicidium autem
assassinio qualificatum ordinaria pœna mortis
vindicatur, non arbitraria iudicis. nam quamuis
in iure ciuili non inueniatur expressa pœna ali-
qua in assassinos, debet tamen esse capitalis mor-
tis, quia omni iure diuino, & humano cautum
est, vt aliquem interficiens morte puniatur, vt
probauimus *num.* 6. imò in pluribus locis praxis,
& consuetudo obseruat, vt ij, qui pro pretio
alios interficiunt (qui etiam sumpto nomine à
veris assassinis Syriæ, vt statim numero sequenti
dicemus, infami assassinorum nomenclatura de-
fœdantur) ad caudam equi trahantur ad mortis
supplicium, alibi verò membratim scinduntur,
vel ignitis tenacibus vellicantur. Ita docet Soci-
Placa. nus, quem refert Placa *de delictis*, *lib.* 1. *cap.* 19.
Carer. *num.* 1. Carrer. *in pract. fol.* 294. *num.* 35. & Iulius
Iul. Clar. Clarus *dicto* §. *Assassini, num.* 4. quod optimè fa-
ctum est in detestationem tam fœdi, & inhuma-
ni delicti.

An verò mandans interfici aliquem per assas-
sinos plectendus sit pœna ordinaria mortis, an
autem tantùm pœna arbitraria iudicis, si mors
non sequatur, quando conatus deductus fuit in
actum externum; est partita opinio. Prima ne-
gat; fundamentum illius est, quia videtur admo-
dum durum, & rigorosum, quod delictum ho-
micidij ordinarij ex quo mors non secuta fuit,
morte puniatur, quare mitiori pœna arbitrio iu-
dicis debet puniri, *argumento. l.* 1. *ff. de extraord.*
crimin. & l. Aut facta. §. *Euentus.* & *l. Cogitatio-*
Dinus. *nis. ff. de pœnis*, & ita docent Dinus, & Angelus
Angel. *in l. Item apud Labeonem*, §. *Si curauerit. ff. de iniur.*
At verò quod huiusmodi mandantes non sint
damnandi ad mortem, sed ad pœnam arbitrariam
Gramat. modò pecuniæ, modò triremium, testatur Gra-
mat. *voto* 8. & *voto* 20. & *super const. regni fol.* 14.
Iul. Clar. *col.* 2. Iul. Clar. *dict.* §. *Assassini, num.* 7.

Secunda affirmat; fundamenta illius hæc sunt.
Primò, quia in grauioribus, & atrocioribus de-
lictis punitur conatus deductus in actum exter-
num pœna ordinaria, vt alij resipiscant, & pax,
ac tranquillitas in Republica seruetur. Secundò,
quia per huiusmodi mandantes non stetit quomi-
nus effectus mortis sequeretur; fecerunt enim
quantum potuerunt, vt proximum interficerent,
quare digni sunt, vt morte puniantur: *argumento*
legis, *Si quis non dicam. C. de Episcop. & cleric.* &
l. Quisquis. C. ad legem, *Iul. maiest.* & *legis*, *Si*
Glossa. *quis cum telo. C. de sicar.* & ita docet Glossa *in d.*
Couarr. *l. Si quis non dicam.* Couarr. *in Clementina, si furio-*
Placa. *sus*, *in repet. fol.* 180. *versu*, *Secundo proponitur.*
Afflict. Placa *lib.* 1. *de delict. cap.* 19. *num.* 9. Afflictis *in* 2. *p.*
Gramat. *const. regn. rubr.* 12. *num.* 51. *in fine.* Gramat. *vo-*
Capic. *to* 9. Capic. *decis.* 155. Salzed. *cap.* 97. *num.* 6. vtra-
Salzed.
que opinio est probabilis, vbi nulla est consuetu-
do puniendi huiusmodi mandantes per assassinos
homicidia patrari, certa aliqua pœna, sequantur
iudices quam maluerint. Sed de hac re latiùs age-
mus *num.* 17. vbi inquiremus, an mandantes pa-
trari delicta, eadem pœna puniantur, qua man-
datarij, hîc enim solùm in particulari egimus de
mandantibus per assassinos, vt omnia, quæ ad
hanc speciem delicti spectant, absolueremus.

Illud notandum erit, crimen assassinij non re-
quirere probationem ita liquidam, claram, &
apertam, vt alia crimina requirunt; sed sufficit
probatio per singulares testes tendens ad pro-
bandum idem crimen. Sufficit etiam, quod hu-
iusmodi crimen probatur per probabilia argu-
menta, vt assassinus de crimine assassinij punia-
tur. Patet ex *cap.* 1. vbi communiter Doctores de
homicidio, *lib.* 4. Ait communem Bossius *in titul.* Bossius.
de consit. num. 55. & *in tit. de iud. num.* 201. Pla- Placa.
ca *lib.* 1. *de delictis*, *cap.* 19. *num.* 16. Iulius Clar. Iul. Clar.
lib. 5. §. *Assassinus, num.* 6. Salzedus *cap.* 97. *num.* 3. Salzed.
Merg. *consil* 23. *num.* 12. Posthucque in hoc cri- Merg.
mine dicta testium recipi lite non contestata, par-
teque absente, vt tenet Hyppolit. *in practica*, §. Hypolit.
diligenter, & *in l. De vnoquoque*, *casu* 50. *ff. de re*
iudicata. Gramat. *consil.* 40. Salzedo *cap.* 97. *n.* 6. Gramat.
§. *lite non contestata*, & alij. Salzed.

Assassinorum pœna de iure canonico, cum in-
fideles sint, vt statim dicemus, nulla esse potest;
non enim punit Ecclesia eos, qui extra illius gre-
mium semper fuerunt; mandantes tamen per illos
interficere, eorumque fautores, auxiliatores, de-
fensores, occultatores, receptatoresque ipso fa-
cto sunt excommunicati, priuanturque si Ec-
clesiastici sint ipso facto, ordine, honore, di-
gnitate, officio, & beneficio Ecclesiastico licet
mors non sequatur, *cap.* 1. *de homicid. lib.* 6. vbi
Ioannes Monachus, Dominicus, Ioannes Andreas;
ex quibus pœnis, & ex illis verbis præcipuè eius-
dem capitis, *Honore, officio, & beneficio ipso facto*
priuamus. colligit Couarruuias *lib.* 2. *var. cap.* 20. Couar.
à num. 9. & 10. huiusmodi mandantes, si clerici
sint, ipso facto amittere priuilegium clericale,
quia est honor illorum, & posse à quolibet per-
cuti absque excommunicatione capitis, *Si quis.*
Cum Couarruuia consentit Syluester *verb. Assas-*
sinus, num. 3. & Geminian. *in dicto cap.* 1. *de homi-* Geminian.
cid. in 6. imò addit Syluester *num.* 2. *in fine*, posse Syluest.
huiusmodi assassinos à quolibet priuato homine
impunè occidi, quia sunt perpetuò diffidati,
hoc est banniti, & idem est diffidare, seu banni-
re aliquem, atque statuere, quod impunè zelo
iustitiæ possit interfici, & illius bona possint oc-
cupari, vt notant Doctores *in cap.* 1. *de homicid.*
lib. 6. & *in cap. Felicis*, *de pœnis*, *lib.* 6. & in hanc
rem est optimus textus *in l.* 3. §. *finali. ff. ad legem,*
Corneliam, de sicar. Suarius tamen *tom.* 5. *de cens.* Suarius.
disp. 23. *sect.* 5. *num.* 46. *in fine*, negat omnino pos-
se illos percuti absque excommunicatione capitis,
Si quis, quia non ipso facto amittunt priuilegium
clericale, nisi priùs ter admoneantur, & per sen-
tentiam iudicis illo honore, officio, & beneficio
priuentur, vt dicemus infrà *in cap.* 2. vbi latè de
hac re agemus.

Dubitant tamen Doctores, qui sint proprij as- 23.
sassini. Quidam enim existimant esse genus homi-
num infidelium in Syria degentium parentium
Christianis dominis, qui ita nutriti sunt, vt cre-
dant se posse saluari si ex mandato dominorum
suorum quemlibet pro certa pecunia occidant;
in hoc enim putant se obsequium magnum præ-

Suarez. Couar. Volaterr. Nauar. Glossa. Placa. Aret. Capic. Gram. Corrad. Iul Clar. Salzed. Barthol. Alexand. Bursat. Roland. Menoch.

stare Deo. Ita docet Suarez *tom. 5. de cens. disp. 23. sect. 5. num 6.* Couarr. *lib. 2. var. cap. 20. n. 9. & 10.* Volaterran. *lib. 11. histor. cap. de sectis Syriæ.* Nauarrus *in summ. Lat. cap. 27. num. 135.* Glossa *in verbo, Formidantes, in cap. 1. de homic. lib. 6.* Placa *de delict. lib. 1. cap 19. num 2.* Aretin. *consil. 113. num 17* Capicius *decis. 155* Grammat. *voto 8. & 9.* Corrad. *in pract. fol. 237. num 1.* Iulius Clarus *lib. 5. §. assassim, num. 1.* Salzedus *cap. 97. versu, Non sit secuta, ad med.* Angelus *verbo, Assassin. in princip.* Bartholus *in l. Cicero ff. de pœnis.* Alex. *consil. 166. in fine, lib. 7.* Bursat. *consil. 20. num. 4. lib. 1.* Rolandus à Valle *consil. 14. lib. 4.* Menoch. *de arbitr. lib 2. caut. 360. num. 41.* Probant primò, quia in prædicto *cap. 1. de homic. in 6.* incipit, *Pro humani redempt. gener.* solum comprehenduntur in pœnis ipsius capitis Christiani mandantes occidere per prædictos Syriæ assassinos, non comprehenduntur autem ipsi assassini. Signum ergo est huiusmodi assassin os esse infideles, & non esse capaces prædictarum pœnarum censuræ ipso facto, priuationisque officij, & beneficij; alioqui enim illi etiam comprehenderentur. Secundò, quia in dicto capite satis significatur hos assassinos esse infideles, & habere dominos temporales christianos cuius iussu homicidijs incumbant, ibi enim ita dicitur: *Cum nonnulli magnates taliter potire formidantes coacti fuerint securitatem ab eorum assassinorum domino impetrare, sicque ab eo non absque christiana dignitatis opprobrio redimere vitam suam.* Quare videtur extra dubium hos assassinos esse infideles, & ideo non comprehendi in pœnis prædicti capitis primi *de homicidio, in 6.* & solum comprehendi in illis christianos mandantes per illos homicidia patrari.

24. Et in hac opinione, quæ est verior, communior & certior, non incurrunt excommunicationem ipso facto, nec priuationem honoris, dignitatis, officij, aut beneficij Ecclesiastici illi, qui mandant alios interficere per christianos, quos ad id pecunia conducunt, quamuis huiusmodi interfectores pecunia ad tantum nefas conductos vulgus Italicum assassinos appellet; non sunt enim propriè loquendo tales. Ita docet Nauarrus *dicta summ. Lat. cap 27. num. 135. in fine.* Salzedus *cap. 97. num. 1.* Couarr. *in Clementina, si furiosus, 2. part. in princip. num. 9. de homic.* Menochius *de arbitr. lib. 2. caut. 360. num. 39.* deducitur ex *cap. 1. de homicid. lib. 6. & ex l. Aut facta ff. de pœn.* Angelus *consil. 14.* & id ipsum debent fateri omnes numero præcedenti allegati.

Nauar. Salzed. Couarr. Menoch. Angel.

25. Sunt tamen aliqui Doctores, qui asserunt, assassinos non solùm esse hoc genus hominum infidelium Syriæ, sed etiam eos, qui in Italia dicuntur assassini, quique viis publicis hominum cædibus, & spoliis grassantur. Fundamentum illorum est, quia huiusmodi assassini in Italia habent suos duces, & veluti dominos, quibus parent; & quia non obstat, quòd pœnæ capitis primi *de homicidio, lib. 6.* imponantur solum mandantibus per eos patrari homicidia, non ipsis assassinis eadem homicidia patrantibus, vt inde colligatur illos tantummodo assassinos in hoc capite intelligi, qui in Syria degunt, & infideles sunt, quibus propter infidelitatem suam ex eo quod extra Ecclesiam sunt, excommunicationis pœnæ infligi non poterant: nam voluit Summus Pontifex in his pœnis comprehendere mandantes, non assassinos mandatarios, quia id sufficiebat ad vitanda prædicta homicidia: Si enim illi ea non mandaverint, hi ea non committerent. Et hanc opinionem ex hoc fundamento tenent illi, quos tacitè refert Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. Assassinii, num. 1.* & hi sunt, vt refert Syluester *verbo, Assassinus, num. 2.* Imola, & Geminianus *in dict. cap. 1. de homicidio, in 6.* Bartholus *in l. Non solum, §. Si mandato ff. de iniurijs,* & Salicetus *in l. Ea quidem. C. de accus.*

Iul Clar. Syluest. Imol. Gemin. Barthol. Salicet.

Ipse verò Iulius Clarus modò allegatus, & Bossius *in consilio de mandato ad homicidium, n. 16.* & alij, quos citat, intelligunt has pœnas prædicti capitis primi *de homicidio, in 6.* comprehendere omnes illos homines sceleratos, siue Itali sint, siue quicumque alij, qui pro pecunia Christianos homines occidunt; quia hi etiam, cum more infidelium assassinorum Syriæ homines christianos pro certa pecunia interficiant, transsumptè, & per quandam similitudinem, vulgari nomine assassini passim appellantur. Nec refert quòd sub alicuius domino non sint, ex cuius iussu homicidia hæc exequantur, aut quod non sint infideles; sufficit enim quòd solùm pecunia conducti christianos occidant: nam, vt quis crimen assassinij habere dicatur, sufficit, quòd iussu alterius pro pecunia aliquem christianum occidat: sed si hæc Iulij Clari opinio esset vera, totus orbis huiusdi assassinis repleretur, cum passim videamus huiusmodi homicidia pro pecunia patrari, iussu aliorum.

Bossius.

Et verò in his duabus opinionibus modò relatis dicendum est excommunicatione ipso facto innodari eos, qui christianos mandant interficere, per quoslibet Christianos, quos ad id pacta pecunia conducunt, & cæteras pœnas prædicti capitis primi de homicidio incurrere si Ecclesiastici sint, veluti priuationis, honoris, officij, aut beneficij Ecclesiastici, quod tamen non est in vsu.

Ex his opinionibus, vt dixi, prima est certior & communior, & ideo tenenda. Illud certissimum est homicidium per quemcumque hominem pecunia conductum perpetratum, homicidium esse qualificatum, vt suprà iam insinuaui, & dignissimum esse pœna ordinaria mortis, tam in mandante, quàm in exequente: vt refert Iulius Clarus *lib. 5. sentent. §. Assassim, num. 1. & 2.*

Clarus.

Diximus suprà *num. 9.* non valere statutum, aut consuetudinem vrbis, regni, aut prouinciæ, quæ disponunt, quòd homicidia non ad mortem, sed ad certam pœnam pecuniariam damnentur; posito tamen, quòd prædictum statutum, aut consuetudo valeat, non possunt valere extra loca, vbi talis consuetudo est, aut extra terminos vrbis, vel regni, pro quo tale statutum factum fuit. Quare Ferrarienses, atque Perusini ciues, in quorum vrbibus Ferrariæ, & Perusij huiusmodi statutum, & consuetudo erat, committentes homicidia extra illarum terminos, non sunt damnandi ad pœnam pecuniariam iuxta formam statuti patriæ suæ, sed ad pœnam ordinariam mortis, quia leges patriæ extra illam non obligant, & quia in delictis puniendis non attenduntur leges, & statuta patriæ committentis delictum, sed attenduntur leges, & statuta loci; in quo delictum committitur. Vnde si in loco domicilij, homicidium puniatur pœna pecuniaria, & in loco delicti pœna mortis, puniendus est homicida pœna mortis non pecuniaria. Ita docet Prosper Farinacius *tom. 4. quæst. 119. de homicid. inspect. 2. num. 44. column. 2.* Bartholus, Sapia, Angelus, Fulgosius, & Salicetus *in l. 1. ff. quod quisque iuris.* Carrer. *in practica criminali tractatu 3. de homicidio, & assassinio, §. Circa secundam legem,* 26.

Farin. Salicet. Carrer.

Iul.Clar. *gem Moysi num.* 68. Iulius Clarus §. *Homicidium num.*19. *fine.*

SVMMARIVM.

De mandantibus, an mandans patrari delictum eadem pœna puniatur, qua mandatarius. Agitur de mandatarijs; qui sint propriè loquendo inquiritur.

An mandans patrari delictum, & homicidium, & mandatarius eadem pœna puniantur. Refertur opinio affirmans. *num.*27.

Refertur secunda negans. *num.*28.

Præfertur tertia dicens; si lex dicat, Si quis occiderit, furtum fecerit, moriatur, *tunc quidem eam pœnam comprehendere solos mandatarios exequentes, ac facientes; si autem dicat,* pœna homicidij, vel talis, aut talis delicti sit mors, *talem pœnam vtrosque comprehendere mandantes & mandatarios. num.* 29. *An mandans incurrat irregularitatem. ibi, & quid si mandatarius occidatur ab illo, quem mandans mandauit occidi, an tunc ipse mandans illam incurrat. ibi, versu,* Non est autem.

An sit dicendus verus mandans ille dominus, qui dicit famulo: ito& ne redeas in domum, nisi aliquid sentiam de illo negotio, *& famulus statim pergit armatus, & occidit.* *num.*30.

Quid si dominus famulo dicat, accipe lignum & ne redeat, nisi aliquid sentiam de illo negotio, *& ille pergit, & ligno inimicum domini occidit.* *num.*31. *&* 32.

Quid, si dominus ad aures famuli secretè loquatur, & famulus statim abeat, & occidat inimicum domini; an tunc dominus dicatur verè mandans. *num.*33.

Quid dicatur in iure fieri in continenti. *num.* 33.

Quid si è contrario famulus secretè loquatur ad aures domini, & dominus incontinenti occidat inimicum famuli, an tunc famulus dicatur verè mandans. *num.*35.

Ex prædictis tribus circunstantijs: nempe ex secreta locutione, ex capitali inimicitia præcedenti: ex homicidio in continenti secuto, procedendum est iudici ad torturam. *num.*36.

Qua pœna puniendus sit mandans, quando mandatarius excessit mandatum, v. c. quando mandans præcepit percussionem tantùm, & mandatarius excessit ad mortem. num. 37. *Refertur prima sententia afferens plectendum esse pœna arbitraria iudicis, non ordinaria legis.* *num.*37.

Refertur secunda distinguens de mandante percussionem alapa, aut in pede, brachio, non in capite, aut in corde, & de mandante absolutè. num. 38. *Sententia authoris ibi, versu,* Verùm ego. *numero* 38.

Mandans ac mandatarius eadem pœna irregularitatis puniuntur, si mandatarius excessit mandatum, & occidit, aut mutilauit, quamuis mandans id illi inhibuerit. *num.*39.

Assignatur diuersa ratio inter dispositionem iuris ciuilis, & canonici circa mandatarios excedentes mandatum mandantium. *num.*40.

Quid si mandans mandauit mandatario, vt clericum percutiat, & famulus ei dicat, se nequaquam id facturum, & tamen postea percutiat causa domini, absque voluntate illius, quia forte pœnitentia ductus iam illam retractauit, ea tamen retractatio non peruenit ad notitiam famuli, an tunc dominus incurrat censuram canonis, & maneat irregularis. *num.*41.

Sed ex hactenus dictis multa insurgunt dubia. 27.
Primum est, an mandans homicidium committi & mandatarius eadem pœna puniantur. Et in hoc puncto variæ sunt opiniones. Prima affirmat. Eam tenet Farinacius *tom.*4. *quæst.* 134. *de consult. cap.*2. *num.*93. Barthol. *in l. solum num.* 1. *ff. de iniur. & infl.* Cicero *ff. de pœnis.* Abbas *in cap. Nihil. num.*9. *de elect.* Iaso *in Auth. quas act. n.*17. *C. de sacrosanct. Ecclesijs.* Salzed. *cap.* 67. *num.* 6. Curtius Iunior *consil.*237. *num.* 5. Cotta *in verbo, Mandans homicidium.* Carrer. *in pract. fol.* 331. *post num.* 123. Iulius Clarus §. *finali quæst.* 89. *n.*1. Decius *in l.* 15. *damnum, num.* 2. *ff. de regul. iur.* Abbas *in cap. licet num.* 3. *de decimis & capite, qui facit, de reg. iur. lib.* 6. *& l. quod iussu ff. de regul. iur.* Ratio est, primò, quia agentes, consentientes, & simul cooperantes pari pœna puniuntur iuxta textum *in cap.*1. vbi glossa *verbo, Pari pœna, de offic. iud. delegati,* & ibi communiter DD. *& in cap. Notum, in fine* 2. *quæst.* 1. *& capite facientis in fine dist.*86. *& in cap.* 1. *de homicid. lib.*6. mandantes autem, & mandatarij simul consentientes sunt, & simul cooperatores, ergo eadem pœna debent puniri. Secundò, quia non solùm æqualiter peccant mandantes, ac mandatarij, sed magis peccant ipsi mandantes, ac consulentes, quàm mandatarij exequentes. Si ergo non maiori pœna puniuntur, saltem æquali debent puniri: & verò quod magis peccent, inde facilè probatur, quia non solùm peccant, sed inducunt ipsos mandatarios ad peccandum, eisque offendiculum præstant, & ideo damnabiliores sunt. Sic grauiùs peccat ille, qui sua authoritate, vel signis externis, vel complacentia delicti, est alteri causa & occasio detrahendi quàm ipse detractor, vt docet D. Thom. 2.2. *quæst.* 73. *artic.* 4. Corduba *in tractatulo de detract. q.* 4. *fol. mihi* 120 *pag.*1. Adrianus *in* 4. *de restit. fama.* D. Chrysost. *homil.*25. *in epistola ad Romanos*; vbi ait; *non tantum perditionis habere peccare, quantum reliquos ad peccandum inducere, & animare:* nam in eo casu, qui inducit ad detrahendum, est causa principalis delicti detractionis, non merè occasionalis: illa enim dicitur causa principalis, quæ ad opus per se, & directè inclinat; illa verò causa occasionalis, quæ ad idem opus per se, & directè non inclinat, sed alter ex ea sua malitia sumit occasionem peccandi. Sicut qui corripit sceleratum, est causa occasionalis ob quam ille in scelere magis perseueret, & deterior fiat, non causa principalis, cum intendat per se, & directè eius emendare delictum. Sic igitur mandant, & consulens patrati delictum homicidij, vel cuiuscumque alterius speciei, est causa principalis, non simplex occasio illius, quia influit, inclinat, mouetque alterum ad peccandum; & ideo quoad Deum grauiori pœna dignus est, vt notat D. Chrysostomus *loco citato* ibi: *Igitur, & tu quoque, si reliquis perditionis causa fueris, grauiora tormenta patieris, quàm qui per te submersi sunt.* quoad homines verò, & in foro externo si non maiori, & grauiori, saltem æquali pœna debet puniri mandans ac consulens, atque ipse mandatarius punitur. Et de hac pœna externa clamat D. Paul. *ad Roman. cap.* 1. *in fine. Digni sunt morte, non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Farin. Barthol. Abbas. Iaso Salzed. Curt. Iun. Cotta. Carrer. Iul. Clar. Decius. D. Thom. Cordud. Adrian. D Chrysost.

Nec refert, quòd mandatarius erat aliàs cri- 28.
men

men patraturus, etiamsi mandans id ei in suis non dedisset mandatis. nam, vt docent Bartholus, Iaso, & Iulius Clarus, parum refert quòd mandatarius esset aliàs commissurus delictum, quia adhuc mandatum illud influit, inclinat, & mouet, & magis inflammat, & intendit voluntatem ad patrationem illius: intentio enim voluntatis recipit magis, & minus. Et quamuis ponamus tam plenam esse eam intentionem, vt magis intendi non possit, id est per accidens, & adhuc peccaret mortaliter mandans, quia hîc & nunc verum est dicere illum mandare delictum, & influere in illud. Quare parum refert, quòd mandatarius aliàs delictum esset facturus, aut non facturus, quia licet hæc distinctio olim à nonnullis admittebatur, hodie est communiter reprobata, vt præter Doctores allegatos tenet Gomez *in §. Pœnales num. 10. instit. de act.* Curtius Iunior *in consil. 237. num. 5.* Couarr. *in Clementina si furiosus fol. 291. versic. Hæc verò distinctio.*

Gomez. Curt. Iun. Couar.

29. Secunda opinio negat. Primò, quia indignum est, quod ob mortem vnius duo occidantur, mandans, scilicet, & mandatarius; asseruntque proinde authores huius opinionis mandatarium, si de facto occidat, pœna mortis esse puniendum mandantem verò, vel consulentem pœna alia arbitraria ad arbitrium iudicis. Secundò, quia minus videtur esse, vti malo alterius etiam præter vllam necessitatem, quàm facere malum: sed qui mandat alium occidere, vtitur malo occidentis, & non facit malum homicidij: igitur &c. Sic qui signis, complacentia, & authoritate sua, alium ad detrahendum animat, non tam grauiter peccat, quàm detrahens, cum ipse non faciat malum detractionis, sed vtatur malo detractionis ipsius detrahentis. Tertiò, quia vel mandatarius erat alias facturus tale delictum, vel non erat; si erat, eo mandans non tenebitur; si non erat, eo quidem tenebitur, sed non æquabiliter, cum ipse per se non occiderit: hanc opinionem secuti olim fuerunt nonnulli Doctores, quos tacito nomine præterit Iulius Clarus *lib. 5. sentent § finali quæst. 89. num. 1.* & debent tenere omnes, qui dicunt minùs peccare animantes detractores ad detrahendum, quàm ipsi detractores, qui detrahunt.

Iul. Clar.

30. Tertia opinio sic distinguit; aut pœna in lege statuta est in mandantem, & mandatarium simul; aut non statuta simul in illos: si lege statuta est, consideranda sunt verba legis. Nam si lex, & statutum dicat, *si quis occiderit, si furtum fecerit*, vel *qui tale, aut tale delictum commiserit, moriatur*, vel *excommunicatus ipso facto sit*: tunc quidem pœna legis comprehendit solùm mandatarios, exequentes, seu facientes, non mandantes, non consulentes, Ita docet expresè Barthol. *in l. aut qui aliter §. hæc verba, n. 3. ff. quod vi aut clam. & in l. Sed si vnius §. seruus à num 2 ff. de iniurijs.* Decius *in l. si quis id quod num. 38. ff. de iurisd. omn. iud.* Alexander *in l. 1. initio num 23. ff. de verbor. oblig.* Iaso *in l. si quis pro emptore num. 136 ff. de vsucap.* Toletus *lib. 1. summæ cap. 8. num. 7.* Nauarrus *in summa lat. cap. 27. num. 51.* Henriquez *lib. 13. de excommun. cap. 17. num. 2. fine, & cap. 21. num. 4.* deducitur ex Sancio *lib. 3. de matrim. disp. 49. num vltimo.* Sic censura lata in iure *in Clementina 1. de sepult.* contra sepelientes excommunicatum, non extenditur ad mandantes, & consulentes. Nec censura lata contra contrahentes *in Clement. 1. de consang. & affinit.* extenditur ad consulentes, cooperantes, aut auxilium ferentes, vt docet Toletus.

Barthol. Iul. Clar. Decius. Alexand. Iaso. Tolet. Nauar. Henriq. Sanch.

Et ratio est, primò, quia pœnæ sunt restringendæ, ita vt saluentur tantùm verba pœnalia, non extendendæ; quare cum pœna imponitur facientibus, non est extendenda ad mandantes: solùm enim mandatarij exequentes dicuntur propriè facientes. Secundò, quia tunc verba legis diriguntur ad personas facientes, non ad mandantes, aut consulentes. Si verò verba legis dicant. *Pœnam huius, aut illius delicti incurrant tam mandantes, quàm consulentes, mandatarij, auxiliumque ferentes*; non est dubium mandantes, & mandatarios comprehendere, cum de omnibus expresè loquatur. Si autem dicant: *pœna homicidij sit mors; pœna talis furti sit excommunicatio: pro homicidio sit pœna mortis: pro furto sit excommunicatio ipso facto*; tunc quidem pœna his verbis imposita comprehendit tam mandantes, quàm mandatarios exequentes, atque consulentes, & auxilium ferentes, cooperantesque. Ratio est, quia tunc verba legis cadunt super delictum, non super personas tantùm facientes, & tam delictum committit mandans, cooperans, auxilium ferens, aut consulens, quàm mandatarius, seu persona exequens. Ita docent communiter Doctores, & loquens de homicidio ita docet expresè Bartholus *in dicta l. sed & si vnius § seruus à num. 2 ff de iniurijs.* vbi ait hanc opinionem esse communiter approbatam, *& d. l. aut qui aliter ff. finali num. 3. ff. quod vi, aut clam,* Decius *in l. Si quis id quod num. 38. ff. de iurisdict. omn iudic.* Curtius Iunior *in l. 2. §. si procurator num 4. ff. quod quisque iur.* Alexand. *l. 1. in principio num. 23. ff de verbor. obligat:* Bossius *in titulo de pœnis num. 14.* Iaso *in dicta l. si quis id quod num 36. ff. de iur. omn. iud. & in l. si is qui pro emptore num. 361. ff. de vsucapio.* Pract. Carrer. *fol. 302. num. 59.* Plaça *lib. 1. delict. cap. 1. num. 8. & cap. 15. num. 22.* Iulius Clarus *§ finali. quæst. 88. num. 2.* Villalpand. *in repet. l. 22. cap. 99. num. 6.* Curtius Iunior *in l. 2. §. si procurator, num. 4. ff. quod quisque iur.*

Barth. Decius. Curt. Iun. Alexand. Bossius. Carrer. Iul. Clar. Villalp. Curt. Iun.

Non est autem dubium illum, qui mandauit aliquem occidi, aut mutilari, manere irregularem secuto effectu occisionis, aut mutilationis. Maius dubium est, an quando mandans mandat aliquem occidi, & mandatarius occiditur ab illo, qui iubetur occidi, quia præualuit contra mandatarium. Et communiter Doctores respondent manere irregularem mandatarium: & ita Sayrus *de cens. lib. 7. cap. 2. num. 12.* Reginald. *in praxi tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 11. sect. 1. num. 326.* Tabiena *verbo, irregularitas 2. §. 12.* & alij, quos citat Sayrus. Fundamentum illorum est, quia mandans fuit in culpa talis homicidij, & hoc euenire posse debuit cogitare. Probabilis est etiam contraria opinio, quam sequitur Henriquez *lib. 14. cap 16. num. 1. lit. K.* Bonacina *de censuris disp. 7. punct. 7. quæst 4. num. 17.* Auila *de cens. part. 7. disput. 6. sect. 2. dub. 5. concl 4* Antonius Diana *tractat. 1. miscellaneo. resol. 17.* Fundamentum illorum est, quia opinio contraria solùm potest esse verisimilis, quando ille, qui mandatur occidi, est vir fortis ac viribus præualens, mandatarius verò tam animo imbellis, vt facilè animaduertere posset mandans, mandatarij mortem facilè posse sequi; secus è contrario, si mandatarius esset vir animosus, & qui mandatur occidi animo debilior. Vtraque sententia est probabilis, probabilior tamen prima. In hac tamen irregularitate, quam mandans in prima opinione incurrit, potest dispensare Episcopus iuxta Concilium Tridentin. *sess. 14. de reformat. cap. 7.* causa cognita, quia est

Sayrus. Regin. ld. Tabien. Henriq. Bonac. Auila. Anto. Dian.

cx

ex homicidio casuali, vt docet Antonius Diana allegatus, & ista irregularitas est ex homicidio casuali, vt ait Suarez *de censuris*, *disp.44. sect.3. num.16.* & Filliuc. *tom.1. tract.10. cap.2.n.36.*

Suarez. Filliuc.

30. Sed dubium est non vulgare inter authores, an sit dicendus verus mandans ille dominus, qui qui famulo dicit. *Ito, non redeas domum nisi aliquid sentiam de illo negotio.* Et famulus statim pergit armatus, & occidit illum, qui iniuriam domino intulit. Planè Farinacius *tom. 4. quæst.134. cap.2. num.41.* asserit hîc dari verum mandatum, ac proinde verè dominum fuisse mandantem, & famulum mandatarium. Idem sentit Barthol. *in l. Si quis mihi bona. ff. de acquir. hæred. §. Sed si quis mandauit.* Bald. *ibi, §. Pater,* vbi asserunt ita fuisse iudicatum Florentiæ, in quodam viro nobili, qui ea de re fuit capite damnatus. Angel. *ibi, num.4.* Iaso *num.12.* & idem Iaso *in l.1. num.28. C. de ser. fug.* vbi ait decisionem Bartholi ab omnibus fuisse approbatam. Iacobinus *ibi, num.7.* Paulus de Castro *in l.1. num.4. C. de his quib. vt indig.* Felinus *in cap. Afferte, num.13.* Menoch. *de præsumpt. lib.1. præs.27. num.15.* Mascard. *de probat. lib.2. consil. 866. num. 17.* practica Corrad. *in titulo de mandant. homicid. num.9. versu, Decimò amplia.* Et ratio est, quia ex circunstantiis facti nempe ex repentina executione, ex genere armorum, ex facto homicidij, & ex iniuriæ acceptione ita colligitur mandatum, vt intellectus nisi in illo quiescere non possit.

Barthol. Bald. Angel. Iaso. Iacob. Paul. Castro. Menoch. Mascard. Corrad.

31. Asserit tamen Farinacius allegatus non esse verum ac proprium mandatum homicidij, si dominus famulo dicat. *Accipe lignum, & non redeas domum nisi aliquid sentiam de illo negotio:* quia tunc ex genere armorum non videtur mandasse homicidium, ac proinde ait, non eadem pœna mortis dominum mandantem esse plectendum, qua famulus mandatarius occidens. Citat Farinacius pro se Iasonem *in l. Si quis mihi bona, §. Sed si quis mandauit, num.17. ff. de acquir. hæred.* & idem, addit, dicendum est si dominus dicat famulo, *fac cum isto cultro, vt noua sentiam*, quia cum culter sit instrumentum perexiguum, non est aptum instrumentum ad occidendum, sed ad vulnerandam faciem. Et de cultro ita docet etiam Carrer. *in tract. tit. de homicid. & assassin. num.17. §. Circa secundum videlicet de mandante.* Montal. *in pract. arbitr. part.4. fol.213. num.547.* Decius *in tract. crimin. lib 9. cap. 34. num.21.* quam doctrinam, vt iacet, probo, nisi aliud suadeat, quod homicidium mandauerit, veluti si ei dicat, *mitte istum cultrum in cor illius, aut in alnum*, tunc enim licet instrumentum fuerit exiguum, aptum erat ad occidendum, & ex parte corporis in qua iussit cultrum immitti, manifestè colligitur homicidij, non vulneris mandatum.

Carrer. Montal. Decius.

32. Alij seuerius adhuc prædicta verba, *Non redeas domum nisi aliquid sentiam de illo negotio*, extendunt ad eum casum in quo dominus expressè prohibuisset famulo, ne occideret. Nam adhuc si famulus occidat, teneri existimant, ad eandem pœnam mortis, qua tenetur famulus. Et hi sunt Carrer. *in pract. tit. de homicid. & assass. §. Circa secundum, num.5.* Tiraquel *de pœnis causa 27. n.8. in fine.* Placa *in epitom. delict. lib.1. cap.14. num.5. versu, Alia subijcitur species.* Verùm hanc extensionem non approbo, nec illam approbat Farinacius, quia mandans non tenetur de excessu, quando erat in potestate mandatarij non excedere mandatum, prout reuera erat in casu præsenti, in quo famulus poterat facere, vt dominus aliquid noui sentiret de suo inimico, eo non occiso. Et ita tenet Farinacius allegatus *num.45.* Baldus *in l. Non ideo minus. C. de accusat.* Iaso *in l.1. C. de seru. fug. num. 31. versu, Facit doctrina Baldi.* Corsetus *singul. in verbo, Præceptum 1. incipit famulus cuiusdam nobilis, versu, Ad hanc limitationem.* Sed hac de re statim redibit sermo latior.

Carrer. Tiraq. Placa. Farin. Iaso. Corset.

Item si dominus ad aures famuli secretè loquatur, & famulus pergat armatus & incontinenti occidat inimicum illius qui ei ad aures locutus fuit; asserunt multi, & grauissimi Doctores, hîc præsumendum dari verum homicidij mandatum, ac proinde eadem pœna ordinaria mortis plectendum esse mandantem, ac mandatarium. Ita Baldus *in l.1. num.10. C. de ser. fug.* Barthol. *in l. Si ventr. §. eorum ratio, num 1. ff. de priuileg. credit.* vbi loquitur de nostro casu, quo quis locutus fuit ad aures homicidæ, & ille statim perrexit, & occidit. Fulgos. *ibi, num.1.* Felinus *in cap. Afferte, num.13. de præsumpt. & in cap. 1. num. 13. versu, Vtrum autem præsumatur, de offic. de legat.* Anton. Gomez *de delictis, cap.3. rubr. de homicid. num.36.* Iulius Clar. *§. finali, quæst.89. à num.7. versic. finali.* Menochius *de præsumpt. lib.5. præsumpt. 27. num. 16.* Mascardus *de probat. lib. 1. conclus.419. num.1. & 2.* Fundamentum illorum est, quia ex breuitate temporis, inter locutionem domini ad aures famuli, & homicidium, præsumitur euidenter alloquens, dedisse mandatum, vel consilium ad occidendum. Sed hoc maximè verum erit, si præcedat capitalis inimicitia: nam tunc ex his tribus circunstantiis, nempe ex secreta allocutione ad aures, ex homicidio incontinenti secuto, ex inimicitia capitali inter alloquentem dominum, & occisum, manifestè colligitur homicidij mandatum, & aliqua ex his circunstantiis deficientibus crederem mitiori pœna puniendum esse alloquentem, quàm occidentem mandatarium: atque adeo puto mandatarium ad mortem, mandantem alloquentem ad pœnam iudicis arbitrariam damnandum esse. Nam sola allocutio secreta est leuissimum indicium, & per se sumptum non sufficit ad torturam, vt docet Bald. *in l. Non hoc in fine. C. vnde legitim.* Mascardus *de probat. lib 1. conclus 419. num.11.* maximè, quia semper præsumendum est homines inter se loqui de rebus licitis, vt pluribus adductis probat idem Baldus *consilio 250 lib. 1. num. 1.* Quamobrem, opus est, vt ad hoc indicium accedat etiam indicium inimicitiæ; imò nec etiam hæc duo indicia sufficient, nisi sequatur homicidium incontinenti. 33.

Bald. Barthol. Fulgos. Felin. Ant. Gom. Iul. Clar. Menoch. Mascard. Bald. Mascard. Bald.

Id autem dicitur in iure fieri incontinenti quod fit aliquando immediatè post allocutionem, aliquando interiecta aliqua temporis intercapedine secundùm subiectam materiam ad iudicis arbitrium, vt docet Menochius *lib 2. de arbitr. quæst. casu 7. num 8. & 9.* hîc autem in hac locutione requiritur, quod eodem fere ductu temporis post secretam locutionem antequam homicida ad alios actus externos diuertat, inimicum illius, qui sibi ad aures locutus fuit, occidat, vt bene notat Prosper Farinacius *dicto tom.4 quæst.134. num.36. fol.366. col.1.* 34.

Farin.

Si tamen è contrario famulus loquatur ad aures domini, & dominus incontinenti occidat inimicum famuli, non præsumetur mandatum; & quia non est præsumendus inferior mandare superiori; & quia non præsumitur, quòd dominus vellet vindicare iniuriam sui famuli, quando illa 35.

ei

Carer. Farin.

ei non fuit illata, causa, & intuitu domini. Ita post Bartholum, & Alexandrum, quos allegat docet Carret *in pract. crim. tit. de homic. & assass. 3. § circa secundum*, videlicet *de mandante, num. 17.* Farinac. allegatus *num. 64.*

Decian.

36. Ex prædictis tamen tribus circunstantiis simul concurrentibus, videlicet, ex secreta locutione ad aures; ex præcedenti graui inimicitia; ex homicidio incontinenti secuto, procedendum prius est iudici ad torturam iuxta Iulium Clarum, & multos, quos sequitur *§. finali, quæst. 86. versu finali*, quia si datur tortura, aut sustinet, aut non sustinet; si sustinet, arbitraria pœna debet plecti; si non sustinet, sed confitetur delictum, damnatur ad mortem: cum Iulio Claro consentit Decianus *lib. 7. cap. 17. num. 36 & lib 9. cap 14. num. 3.* imò etiam post confessionem delicti in ipsa tortura non fore damnandum ad pœnam mortis huiusmodi reum acriter defendit Iulius Clarus allegatus. Ita enim tandem ait: *Si ego essem index, nunquam punirem dominum pœna homicidij, nisi ille esset solitus talia facere, & tutius esset, punire illum tunc pœna aliqua extraordinaria, quàm ordinaria mortis.* Communiter tamen Doctores hanc opinionem Iulij Clari reiiciunt, & damnandum ad mortem asserunt, si delictum in tortura fateatur; si autem constanter negat, tunc asserunt ad arbitrium iudicis esse damnandum. Ita Ripa *in l. Si ventr. §. eorum ratio, num. 4 ff de acquir. hæred.* Felinus *in cap. Afferte, de præsumpt.* Aretin *in cap Tertio loco, de probat. num. 30.* Angel. *de malef. verbo, Et Sempronium.* Rodulphus *num. 42* Placa *epitome de delict. lib. 2. cap. 14 n. 5. versu, Primo frequentiori.*

Ripa. Felin. Aret. Angel. Rodulph. Placa.

37. Inquires, qua pœna puniendus sit mandans, cum mandatarius excessit mandatum. v.c. quando mandans solam percussionem, aut verberationem mandauit, mortemque inhibuit, mandatarius verò excessit, & occidit. Hac in re partita est sententia. Prima docet mandantem non esse tunc pœna mortis ordinaria plectendum, sed arbitraria ad iudicis arbitrium: quia mandans non tenetur de excessu mandatarij, maximè quando in illius manu fuit facile non excedere. Ita docent illi, quos citauimus *num. 23.* post medium Et docet Decius *consil 482. num. 16.* circa finem, & tenet Cæpola *consil. 35. 36. & 37.* nam tunc ille excessus potius adscribendus est malitiæ mandatarij, quàm mandantis, aut consulentis respectu illius, cui consilium dedit: ac proinde solus mandatarius, ad mortem damnari debet, non præcisè pro mandato, sed propter excessum mandati.

Decius. Cæpol.

38. Secunda sententia distinguit; nam vel mandans mandatum dedit, vt alapa percuteret, virga, vel baculo, & mandatarius excessit, & occidit. Vel absolutè mandauit vulnerare; si mandatum dedit percussionis tantùm alapæ, virgæ, vel baculi, & mandatarius excessit mandatum, ait ista opinio, non teneri mandantem de homicidio, nec fore puniendum ad mortem, sed ad pœnam iudicis arbitrariam. Si mandauit vulnerare, aut absolutè id mandauit, aut partem corporis nominauit, circa quam vulnus infligeretur. v. c. circa aures, circa faciem, circa pedem, vel brachium, circa cor, circa caput, circa aluum. Si secundùm faciem, aurem, pedem, brachium, aut caput, vulnus infligi mandauit, & mandatarius, mandatum excessit atque occidit; ait puniendum esse mandantem pœna arbitraria ad iudicis arbitrium, quia ipse tunc non mandauit homicidium, nec causam proximam homicidij, cum ex natura talium vulnerum, quæ in mandatis dedit communiter, & regulariter loquendo, non sequatur homicidium, aut mors: mandatarium verò ad pœnam mortis ait esse damnandum, & id sibi tribuat, suæque culpæ, cum tam insolenter mandatum excesserit Si secundùm aluum aut cor ferire mandauit, perinde est, ac si mortem mandauerit; quare tunc vterque tam mandans, quàm mandatarius ad eandem mortis pœnam damnandi erunt. Ita docet Iulius Clarus *lib. 5. §. finali, quæst. 89. num. 5.* Placa *lib. 1. delictor. cap. 15. n. 1.* Decius *consil 612.* Baldus *in l. Non ideo minus. C. de accusat.* Iaso *in l. 1. C. de seru. fug. num. 11.* & communiter Doctores. Si absolutè vulnerare mandauit, non designans partem circa quam ictus infligeretur, quamuis ipse mandans mortem inhibuerit, existimat Iulius Clarus allegatus teneri de homicidio mandantem, & eadem pœna mortis, qua mandatarium afficiendum esse. Et ratio illius est, quia vulnera non dantur ad mensuram, & quia tunc facile erat mandatario mandatum excedere, & valde difficile cohibere sese; quam sententiam tenet etiam Bossius *tit. de mandato ad homicid. num. 10.*

Iul. Clar. Placa. Decius. Bald. Iaso. Bossius.

Verùm ego huic opinioni Iulij Clari acquiescere non possum, & mihi videtur in eo casu mandantem pœna arbitraria, mandatarium verò pœna ordinaria mortis affici debere; quia mandans in ea circunstantia solum vulnus mandauit, & non designauit partem corporis. v. c. cor, aut aluum; secundùm quam ictus infligeretur, ex quibus ordinariè mors sequitur. Quare cum detur tam grauis excessio ex parte mandatarij, ipse sibi maiorem pœnam mortis attribuat, quam in ea circunstantia non meretur mandans, sed tantùm arbitrariam. Nec fundamentum Iulij Clari multum vrget, quia ex illo sequeretur puniendum esse mandantem pœna mortis, quando ipsa mors sequitur ex vulnere, quod ipse mandauit in pede, vel brachio, vel manu infligi, cum vulnera circa eam partem non dentur ad mensuram, quod tamen ipse negat.

Solum obstat huic iuris ciuilis peritorum opinioni ius canonicum, in quo eadem irregularitatis pœna punitur mandans verberationem tantùm, prohibensque mutilationem, vel occisionem, qua punitur mandatarius quando excedit mandatum, & mutilat, aut occidit, vt patet expresse ex textu *in cap. Is qui de homicidio, in 6.* ibi: *Is, qui mandat aliquem verberari, licet expressè inhibeat, ne occidatur nullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet, vel occidat cum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire posse debuit cogitare.* & glossa ibi *verbo, Culpa, in additione.* Patet etiam *ex cap. Presbyterum, de homicid. in decret.* in quo eadem pœna irregularitatis punitur presbyter, qui leuiter in capite causa disciplinæ percussit puerum, si inde mors sequatur, ac puniendus erat, si illum occidisset. Et ex *cap. Sicut dignum, de homicid. eodem tit. §. illi autem,* ibi: *Illi autem, qui animo feriendi, aut capiendi illum sanctum virum Cantuariensem Archiepiscopum fatentur venisse, si de illa captione mors eius secuta fuisset, pari pœnitentia, vel fere pari existerent puniendi:* pœnitentia, id est, pœna. 39.

At dicendum est aliud esse loqui de iure canonico, quo ad pœnam irregularitatis in eo impositam, aliud de iure ciuili, quoad pœnam ciuilem corporis afflictiuam; nam Ecclesia vult suos ministros mites, ac mansuetos, & omnino à sangui- 40.

ne

ne expertes, & ideo eadem pœna ſpirituali irregularitatis æquè punit mandatarios, ac mandantes; ius autem ciuile cùm ſeueriori pœna mortis in homicidia animaduertat, non eadem pœna mortis punit mandantem verberare, aut percutere cum cautela inhibitionis necis, ac ipſum mandatarium cum culpa ſua mandatum excedit.

41. Similiter de eodem iure canonico, ſi mandans mandauit famulo, vt clericum percutiat, & famulus renuat, & dicat ſe nolle id efficere, & poſtea efficiat cauſa domini abſque voluntate illius, quia forte illam iam pœnitentia ductus retractauit, ea tamen retractatio non peruenit ad notitiam famuli, nec illi fuit intimata; adhuc cenſura capitis, *Si quis ſuadente diabolo*, prædictus dominus innodatus manebit, vel pœnam irregularitatis incurret, ſi mutilet, vel occidat, ſicut manet,

Suarez. & incurrit famulus mandatarius. Ita docet Suarez *tom. 5. de cenſuris diſp. 44. ſect. 3 verſa, de mandante. num. 9.*

Maiol. Maiolus *de cenſuris cap. 48. §. 2. n. 3.* citans Innocentium *in cap. Ad audientiam. de homicid.* &

Bald. Baldus *in l... C. de ſeruis fug.* docet Gloſſa

Gloſſa. *in cap. Cum quis, de ſent. excommun. in 6. verbo, ſuo nomine.* Ratio eſt, quia primum crimen iniuſtitiæ, quod dominus mandauit, adhuc perſeuerat, quandiu dominus mandans mandatum non reuocauit, & talis reuocatio mandatario intimata non fuit; ſemper enim effectus ſequitur ex vi prioris mandati: ad hanc autem reuocationem ſufficiet quæcumque ſignificatio voluntatis, etiam ſi non verbis, ſed ſignis, aut effectibus fiat, veluti ſi mandans amicitiam, vel affinitatem cum illo cuius mortem, aut percuſſionem mandauit, contrahat: ita Suarez allegatus.

Cardoſ. Cardoſus *in practica iudicial. verbo, Mandatum. num. 4.* quia ſufficit, quod tacitè, vel expreſsè reuocarit mandatum. Et verò in prædictis terminis idem dicendum erit de pœna homicidij ſi mors ſequatur; eadem enim pœna mortis punietur mandans, ac mandatarius, quandiu reuocatio ſui mandati tacitè, vel expreſsè non fuit mandatario intimata.

S V M M A R I V M

De conatu ad actum externum deducto, an ſaltem in grauioribus delictis puniatur eadem pœna qua delictum ipſum punitur.

In leuioribus delictis, non punitur conatus, & affectus deductus ad aliquem actum externum eadem pœna, qua puniretur delictum intentum, ſi de facto committeretur. num. 42.

In grauioribus tamen delictis, qualia ſunt proditio patriæ, Principis, crimen læſæ maieſtatis, parricidia, fratricidia, aſſaſſinia, &c. an tunc conatus ad actum externum deductus, etiamſi nõ ſequatur effectus, eadem pœna puniatur, qua puniretur delictum, ſi patraretur, eſt duplex opinio. Refertur prima affirmans. num. 43.

Refertur ſecunda aſſerens de iure puniri conatum deductum ad forum externum, eadem pœna, qua punitur delictum; de conſuetudine autem totius orbis etiam in atrociſſimis delictis non ita fieri. num. 44.

Iudicium authoris. num. 45.

Propinans alicui venenum ad occidendum aliquem, an mortis pœna puniendus ſit quando effectus mortis ſequitur, & quid quando non ſequitur. numero 46.

Qua pœna puniatur iudex, qui pecunia corruptus aliquem ad mortem damnauit. num. 47.

Quid de medico, qui venenoſum pharmacum infirmo præbuit ſecuto, vel non ſecuto mortis effectu. num. 48.

Quid de dante poculum amatorium ſecuto mortis effectu. num 49.

Quando diuerſa pœna imponitur alicui delicto iure communi & lege patria, ſequenda eſt pœna legis patriæ. num. 50.

Qua pœna puniebantur olim parricidæ apud Ægyptios. num. 51.

Qua apud Romanos olim. num. 52.

Qua pœna puniantur hodie apud eoſdem Romanos. num. 53.

Pœna publicationis bonorum de iure communi loquendo non habet locum in crimine parricidij, ſed parricidarum bona pertinent ad illorum hæredes. num. 54.

Qua pœna puniantur parricidæ de iure canonico. num 55.

IN leuioribus delictis communis hodie opinio tenet, affectum, & conatum deductum ad aliquem actum externum proximum patrationi delicti non puniri eadem pœna tam in mandante quàm in mandatario, (& etiam in committente ſine mandato alterius) qua puniendum foret delictum, ſi de facto committeretur: deducitur hæc huius opinionis reſolutio ex *l. 1. vbi DD. ff. de extraord. crim. & l. qui falſam. ff. ad leg. Cornel. de falſ.* eam docet gloſſa *verbo, in mortem, in cap. 1. de præſumpt.* & gloſſa 1. *in l. Si quis non dic. raper. C. de Epiſcop. & cler.* Decius *in l. non vult hæres eſſe. num. 4. ff. de reg. iur.* Ratio eſt, quia ſummus rigor ſumma iniuria videtur, & re vera maximus rigor eſſet, ſi tam ſeuerè ſaltem in leuioribus delictis puniretur conatus, & affectus deductus ad actum externum, quàm ſeuerè punitur ipſum delictum. Quare cum conatus ille in huiuſmodi delictis ſit iam ad externum actum deductus, punibilis ſine dubio manet; quamuis delictum ipſum non fuerit conſummatum, non tamen eadem pœna qua animaduerteretur in ipſum delictum, ſi conſummaretur: nam per conantem non ſtetit quo minus conſummaretur; oportet ergo, quod tam prauus conatus ad actum externum deductus puniatur, alioqui ſi impunibilis maneret, verteretur id in maximum Reipublicæ detrimentum, vt conſideranti patebit. Dixi *ad actum externum deductus*, quia actus interni in foro externo nec puniuntur, nec puniri poſſunt; ſola enim illorum punitio ad Deum ſpectat. *cap. Cogitationis, de pœnit. diſt. 1. l. 1. § hæc autem. ff. quod quiſque iuris. l. cogitationis. ff. de pœnis.* Gloſſa 1. *in l. Si quis non dicam rapere. C. de Epiſc. & cleric.* illorum enim vindictam Deus ſibi ſoli reſeruabit, qui apparentium & non apparentium, occultorum, & publicorum iudex eſt. 42.

Gloſſa. Decius. Gloſſa.

At circa eundem conatum in atrocioribus delictis, qualia ſunt, proditio patriæ, & Principis, delicta læſæ maieſtatis, parricidia, fratricidia, aſſaſſinia, & crimen, quo quis ſe vult occidere ad fugiendam infamiam delicti, quam incurrit, ſi publicè, & authoritate iuſtitiæ puniatur, grauia ſacrilegia furtorum in Eccleſiam, & imagines Sanctorum commiſſa, & alia ſimilia; eſt bipartita opinio. Prima docet puniendum eſſe prædictum conatum eadem pœna ordinaria, qua puniretur 43.

delictum, si consummatum foret, quando delictum habet in lege, & iure certam aliquam pœnam statutam. Probatur hæc opinio ex cap. *Si quis non dicam, cap. quisquis, capite, Si quis necandi cap. Si forte, de pœnis. dist. 1. cap. 1. de homicid. lib 6. l. si quis non dicam rapere. C. de Episcop. & cleric.* vbi glossa 1. & DD. *l. si quis alicui. C. ad legem Iul. maiest.* Glossa *in l. 1. §. hæc autem. ff. quod quisque iur. verbo, Putamus.* Felinus *in cap. 1. à num. 1. de off deleg. verbo, limita 2.* Couarruuias *Clem si furios. folio 176. num. 6.* Boërius *de seditiosis. præsupposito 7. num. 41.* Igneus *in l. 1. § occisor. num 41. ff. ad Syll.* vbi affirmat se pluris ita vidisse obseruati in grassatoribus viarum, & veneficis, & *in l. Si sequens §. cum ex parte num. 10. eod. tit.* refert fuisse supplicio capitis affectum nobilem quendam, qui sæpius conspirauerat in necem agnati & gentilis sui valde propinqui, liberis carentis, illumque veneno, & sagitta perimere parauerat, licet de facto perimere non potuisset, & in aliis casibus atrocibus punitum fuisse affectum deductum ad actum exteriorem, ac effectum, refert Papo. *lib. 23. tit. 10. per totum.* Fundamentum est, quia ita oportet fieri ad cautelam aliorum, ad pacem Reipublicæ, ad vitandas insidias fratrum, consanguineorum, & propinquorum, & vt viæ publicæ ad commercium humanum tutæ sint, itinera secura, & insidiis libera, alioqui Respublica, quæ bene ordinata esse debet, vndique concuteretur, & maximis latrociniis, fœdis insidiis, & aliis atrocissimis delictis scateret, & in syluam scandalorum verteretur.

Glossa. Felin. Couar. Boërius. Igneus.

44 Secunda opinio ait de iure ita fieri debere; de consuetudine autem generali totius orbis etiam in atrocissimis delictis nunquam puniri affectum deductum ad actum externum eo modo quo in iure certa, & statuta pœna punitur effectus secutus, licet deuentum fuerit ad actum proximum consummationis delicti, sed puniri pœna arbitraria, grauissima tamen iuxta qualitates, & circunstantias delictorum. Ita docet Afflictis 3. *part. rubr. 24. in initio post num. 15.* Speculator *in tit. de accusat. §. 1. num. 7. in fine.* quem refert ac sequitur Alexand. *consil. 15. num. 2. lib. 1. & consil. 140. num. 2. lib. 2.* Cottetus *in repertorio Abbatis, verbo affectus* Iaso *in l. 1. §. finali in fine. ff. quod quisque iur* Boërius *decis. 316 num. 3.* Carrer. *in pactica fol. 186. num. 8.* Baldus *consil. 361. in fine lib. 1.* Angel. *dicta l. 1. §. finali ff. quod quisque iuris, num. 3. & consilio 143 num. 3.* vbi asserit huiusmodi consuetudinem esse toto orbe receptam. Marsota *in speculo. fol. 26 num. 54* Fulgosius *consilio 149. num. 4. versu, superest de tertio.* Iulius Clarus *§. finali. quæst 92. num. 1.* Bertrand. *consilio 228. num. 6. lib. 7.* & hæc consuetudo videtur æquitati maximè consentanea, ne tot in Republica homines vita priuentur, qui alioqui illi inseruire possunt.

Afflict. Specul. Alexand. Cottet. Iaso. Boërius. Carrer. Baldus. Angel. Marant. Fulgos. Iul. Clar. Bertrand.

45 Ego quæstionem sic dirimerem; aut lex, vel statutum in huiusmodi atrocissimis delictis punit expressè conatum ad actum externum deductum, aut non punit: si punit, & est in viridi obseruantia, obseruandum est prædictum statutum; si abiit in desuetudinem, standum erit iudicis arbitrio, qui arbitrariam pœnam delicto imponet; si est consuetudo generalis loci, vrbis, regni, prouinciæ, aut regionis, quòd arbitraria pœna puniatur prædictus conatus ad actum externum deductus, arbitrium iudicis erit sequendum: nam de generali consuetudine totius orbis vix constare potest, & sic tandem resoluit Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. finali. quæst. 92. num. 2. ante finem,* & resoluendum censeo: regulariter tamen non debent iudices ordinariam pœnam conatui imponere iam ad ictum externum deducto. Iul. Clar.

46. Ille autem, qui venenum propinat alicui ad illum occidendum, punitur ordinaria pœna mortis velut homicida. *l. 1. & 3. initio ff de sicarys;* & verò quando mors sequitur, non est de hoc negotio dubitandum; quando verò mors non sequitur, non ita videtur liquidò constare, quamuis enim huiusmodi delictum sit vnum ex atrocissimis, quæ & committi, & in iudicium afferri possunt, concludunt tamen communiter Doctores, non illi esse ordinariam pœnam mortis imponendam, sed arbitrariam iudicis. Ita speciatim Carrer *in practica crimin. fol. 281. num. 11.* & practica Conradi *folio 338. num. 11.* Vnde, vt ait Iulius Clarus, in hoc negotio variè fuit iudicatum *lib. 5. sent. §. Homicidium num. 13.* Ex duabus enim ancillis, quæ dominis suis venenum propinauerant, quædam ad publica flagella, quædam ad seruiendum perpetuò, in quodam Xenodochio infirmis damnata fuit; sed mitis admodum hæc pœna à quolibet prudente iudicabitur, nisi ex probationis defectu ita factum fuerit. Alius verò pro veneno dato ex quo non fuit nex secuta, ad triremes fuit ad decennium relegatus. Sed in pœnis arbitrariis oportet iudices habere fauorabiles.

Carrer. Conrad. Iul. Clar.

Iudex qui innocentem ad mortem damnauit, pœna capitis truncatur, si id fecit pecunia corruptus, vel odio, aut iracundia commotus, vt constat ex lege *lex Iulia §. finali ff. ad legem Iul. repet.* & idem dicendum est, si dedit operam, vt accusatus, vel inquisitus falsò conuinceretur, aut ipse reus innocens in iudicio fateretur id, per quod postea ad mortem damnaretur, si ex ea confessione mors secuta fuit, quia fuit cooperator, patet ex *l. Cornelia de sicarys, & l. 1. initio. & l. 3. § qui falsa. ff. de sicar.* Idem dicendum est, si iudex reum aliquem indebitæ torsioni subiecit, & adeò excessit in torquendo, vt reus expirauerit. Ita Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. finali quæst. 64. versu, Iudex autem, & versu, Antequam tamen.* 47. Iul. Clar.

Similiter medicus si mortiferum venenum scienter applicuit, vt infirmum occideret, secuto mortis effectu pœna homicidij ordinaria plectitur, *l. Cornelia. ff. de sicar. l. Necessario. §. finali,* ibi, *Medicus infirmus, ff ad Syllan.* tenetur insuper ipse medicus, qui propter imperitiam suam præbet infirmo causam mortiendi ad omnia damna, & interesse. Ita Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. Homicidium num 17. fine.* vt infra dicemus, cum de restitutione homicidij egerimus. 48

Dans poculum amatorium ex quo contingit, quòd acceptor, moriatur, vt homicida pœna necis ordinaria in iure communi plectitur, *l. 2. §. qui abortion. ff. de sicar.* sic etiam verus homicida habendus est ille, qui misit simulatè, & callidè aliquem per viam, in qua perspectum illi erat, eam esse obsessam ab illius hostibus, qui eum expectabant, vt occiderent secuto mortis effectu, vt probat textus *in l. 3. §. Item si quis. ff. de sicar.* 49.

Et verò notandum omnino est, non debere iudicem, dum ponit pœnam arbitrariam, excedere terminos rationis, vt deciditur *in l. Hodie. ff. de pœnis,* & notant communiter Doctores ibi. Similiter notandum erit, quòd quando in iure communi statuta est certa pœna pro aliquo delicto, & alia diuersa eidem delictu imponitur le- 50.

Bald. Decius. Beroius. Castrens. Alciat. Alberic. Ant Gom. Roland. Iul. Clar.

ge patriæ, regni, aut prouinciæ, sequendam esse pœnam legis patriæ, quia per patrium statutum censetur ablata pœna iuris communis. Ita tenet Bald. *in l. Data opera, num. 19. C. qui accus. non poss.* & ex omnium mente ita resoluunt Decius *in cap. De causis, num. 14.* Beroius *num. 75. de off. & potest. iud. delegat.* Paulus Castrensis *l. 1. §. dixerit aliquis, num 6. ff. de publican.* Alciat. *consil. 453. num. 5. versu, Non obest igitur.* Alberic. *in 1. part. statut. quæst. 8. num. 10.* Anton. Gomez *de delict. cap. 1. num. 38. in fine.* Rolandus à Valle *consil. 35. num. 48. lib. 2.* Iulius Clarus *§. finali, quæst. 85. n. 5.* & hoc obseruat praxis in toto orbe terrarum, si ita dicere fas est. Et ratio est, quia Principes absoluti possunt condere leges, & statuta pro recto regimine suorum vasallorum in dominiis suis; quare de hac resolutione non est dubitandum.

Azor. Menoch. Gabriel. Decian.

51. Parricidij olim pœna grauissima erat apud Ægyptios: distendebantur enim parricidæ, & acutissimis calamis per singula membra impetebantur, mox minutissimis ictibus sauciati super spinarum aceruos coniiciebantur, ac tandem applicito igne comburebantur, populo spectante. Si verò pater filium occidisset, occisorem patrem ad stipem alligabant, & continuò per tres integros dies defuncti filij sui corporis à se occisi inspector erat; arbitrabantur enim, nulla iustiori pœna, posse seuerius tam horrendum crimen filicidij puniri, quàm proprij facinoris conscientia; nam parricidium, & filicidium nefandissimum omnium crimen appellat Azor. *in summ. de his, qui parentes, vel liberos occiderunt,* & maximum omnium scelerum vocat Menochius *de arbitr. quæst. lib. 2. casu 356. num. 10. in additionibus.* Et quidem quamuis Hieronymus Gabriel *consil. 196. post numerum 5. lib. 1.* asserat parricidium esse minus graue delictum, quàm assassinium, loquitur de parricidio commisso à filio spirituali occidente patrem spiritualem, non de filio naturali enecante patrem naturalem. Hinc si leges patriæ aliquid statuant in fauorem parricidarum, intelligendæ sunt de parricidis spiritualibus, hoc est, de filiis spiritualibus, qui patres suos spirituales occidunt: si verò homicidio seueriorem pœnam infligunt, quàm iure communi sit inflicta; de parricidis prædictæ leges sunt intelligendæ, ne aliàs parricidæ in eo regnu meliotis sint conditionis, quàm homicidæ, vt optimè notauit Decianus *in tract. crimin. lib 9. cap. 16. num 34. versic. Sed & verius est.* Vide de huiusmodi pœnis ab antiquis parricidis impositis Decianum, & Menochium modò allegatos.

Decian.

52. Romani *in l. penult. ff. ad l. Pompeiam de parricid.* in hunc modum parricidium puniebant. Parricidas sanguineis virgis optimè verberatos recéti corio insutos cum cane, vipera, & gallo gallinaceo & simia, in mare, vel flumen proiiciebant, si hæc proxima erant; si verò longè distabant, bestiis subiiciebantur, vt qui pœnè bestiale crimen, & prorsus contra rationem committerent, & postea carebant sepultura. Patet ex textu *in l. Pœna parricidij. ff. ad leg. Pompeiam de parricid. & l. 1. C. de iis, qui parentes occider.* pœna autem inclusionis in corio cum diuerso animalium genere, & proiectionis in mare, vel viuum flumen, non omnibus, sed solùm iis parricidis, qui crimen suum in iudicio fatebantur, infligebatur, teste Suetonio Tranquillo in vita Aug. *cap. 33.* vt refert Decianus *in tract. criminal. lib 9. cap. 14 n. 11. cap. 16. num. 19.* Parricidium autem solum committitur, & dicitur, quando pater, vel mater, auus, vel auia, occiditur; nam quando frater à fratre occiditur, non parricidium, sed fratricidium, seu potius homicidium qualificatum dicitur. Quare in cæteris personis præter ascendentes, pro homicidio reputatur, & ordinaria mortis pœna afficitur, vt habetur in dicta *l. Pœna parricidij, §. qui aliàs. ff. ad legem Pomp. de parricid.* Angel. *ibi, num. 1.* Salicetus *in l. 1. num. 1. C. de his, qui parent. occid. num. 1. opposit. 1.*

Angel. Salicet.

Bartol. Farin. Cæpol. Carrer. Iul. Clar. Menoch.

53. Hodie seueta hæc pœna de corij inclusione cum cane, simia, vipera, & gallo, ab aula forensi recessit, & loco illius suffecta est pœna vltimi supplicij, addita alia seueriori pœna arbitrio iudicis infligenda. Ita Alexand. ad Bartol. *in l. 3. in 1. addit. ff. ad dictam leg. Pompei.* Farinac. *tom. 4. quæst. 119. tit. 14. fol. 119. col. 2. num 12.* Cæpolla *consil. 5. num. 32. fine, versu, Ego tamen credo.* Carrer. *in pract. tract. 3. de homicid. & assassin. §. nouo quæro, num. 36.* nec illis hodie sepultura negatur, vt animaduertit Farinacius allegatus *n. 15.* Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. parricidium, num 5. versu, Sed quæro quæ sit pœna,* Menoch. *de quæst. arbitr. lib. 2. casu 356. num. 15. & sequent. in addition.*

Decian. Farin. Menoch. Farin. Cinus.

54. Pœna verò publicationis bonorum, non habet locum in crimine parricidij; sed bona parricidarum de iure communi loquendo pertinent ad illorum hæredes, tam ab intestato, quàm ex testamento, ita vt etiam accusatione pendente possint parricidæ condere testamenta, nisi ipsi ex patrati criminis conscientia ad fugiendam pœnam se ipsos occidant post commissum parricidium, quia tunc succedit fiscus in illorum bonis; puniuntur enim tunc in eo casu parricidæ publicatione omnium bonorum; nam cum mortie puniri non possint, cum ipsi se occiderint, reliquum erat, vt publicatione bonorum punirentur. constat ex toto titulo Digestorum, qui sibi mortem consciuerunt, quæ publicatio bonorum non ipso iure, sed per sententiam fit. *l. In fraudem, §. eius bona, & §. sequenti. ff. de iure fisci. l. Parricidij. ff. ad l. Pompeiam de parricidijs,* ibi, *Parricidij postulatus, si interim decesserit, si quidem sibi mortem consciuit, successorem sibi fiscum habere debebit; si minus,* id est, si mortem conscientia peccati sibi non consciuerit, *eum, quem voluit, si modo testamentum fecerit, si verò intestatus decesserit, eos hæredes habebit, qui lege vocantur.* Et ibi hoc ipsum expressè notat glossa in figuratione casus, & in verbo, *quem voluit,* & in verbo, *postulatus,* id est, accusatus; & hodie quidem non habere locum hanc pœnam confiscationis bonorum in crimine parricidij, nisi in eo tantum casu modò relato, apertè docet Decianus *in tract. crimin. lib. 9. cap. 14. num. 3.* Farinac. *tom. 4. q. de parricidio 120. titul. 14. fol. 120. num. 16. ad finem, col. 1.* quidquid contrarius teneat Menochius *de arbitr. qq. lib. 2. casu 356. num. 121.* vbi ait parricidam priuari omnibus bonis, quorum est dominus, & hoc dubitatione caret: sed imò potius, inquit Farinacius, dubitatione caret, non priuari, nisi simul se ipsum occidat conscientia criminis commissi, cœpta iam accusatione, & expostulatione vt pœnam effugiat, non ante illam, quia si hic parricida sui ipsius occisor, non esset captus de crimine parricidij accusati, vel saltem in eo deprehensus, sed tantùm suspectus, tunc fiscus, vt bona illius capiat, tenetur probare ipsum mortem sibi consciuisse metu pœnæ delicti commissi, non impatientia doloris, eo quod illud commiserit, iuxta Farinacium allegatum *dicto num. 16. versu, Pœna autem.* Cinum *in dicta l. 2. C. qui testam. fac. poss.*

Bartol. Bald. Bartolum ibidem, & alios *in l. finali ff. de bon. eor. qui mort. sibi consciuer.* Baldum *in l. finali, C. de iure fisci, lib.* 10. Imò & licet vxor teneatur lugere maritum de iure communi per integrum annum, & vestes lugubres portare sub pœna infamiæ, hoc tamen locum non habet in marito taliter sei) sum occidenti. *l. Libellorum. §. non solent. ff. de his, qui notant. infam.*

55. & 56. Hæc de iure ciuili: nam de iure canonico, parricidæ non puniuntur pœna mortis, quia nec Deus, nec Ecclesia vult mortem peccatorum, sed vt conuertantur, & viuant; *argumento capitis, Agnouimus* 2. 6. *quæst* 6. *& capitis, His à quibus,* 23. *quæst. vltima*; & ita docet Baptista de Sancto

Blasio. Blasio *in tract. discord. iuris ciuilis, & canonici, cap.* 138. Vnde mater filium occidens iracundiæ calore, quia pater illum filium esse suum negabat, in monasterium ad pœnitentiam perpetuam agendam detruditur; prout est textus *in c.* 1. *de his, qui filios occiderunt*, qui planè textus æquè loquitur de foro pœnitentiæ, atque de foro contentioso; cum enim ius canonicum non vtatur pœna mortis, loco illius vtitur perpetuo carcere, vel perpetua detrusione ad monasteria, vt statim videbimus capite sequenti.

CAPVT II.

Quæ sit homicidij pœna iure canonico statuta, tam in laicos, quàm in clericos: An clericus ipso iure pro homicidio beneficio priuetur; an ante priuationem faciat fructus suos; an possit illud renunciare; an aliud de nouo acquirere.

SVMMARIVM.

Clericus homicida, mandans, vel consulens homicidium, aut illi assistens, authoritatem facto præbens, perpetuò deponitur, & ad monasterium ad septennium, vel quinquennium detruditur. numero 1.

An in casibus in quibus ius ciuile mortẽ imponit, imponat semper ius canonicum pœnam perpetui carceris, quæ sit pœna criminis nefandi in iure canonico. num. 2.

Hodie in Lusitania clerici pro homicidio ad triremes, vel in Angolam ad exilium damnantur. num. 3.

An clericus beneficiatus homicida & ex homicidio voluntario irregularis, ipso facto beneficium de iure amittat, itavt non faciat fructus suos, & teneatur in conscientia illud dimittere ante vllam iudicis sententiam. Refertur prima sententia probabilior negans. num. 4. 5. 6. & 7.

Quid de clerico, qui per assassinos mandat aliquem Christianum occidi. num. 8.

Et quid de clerico beneficiato alicuius Ecclesiæ, qui vel beneficiatum suum, vel Rectorem eiusdem Ecclesiæ, in qua est beneficiatus, occidit. num. 9.

An in casu, quo clericus eum beneficiatum suum, vel Rectorem occidat; aut per assassinos mandet aliquem Christianum occidi, iustè faciant fructus suos, dum suo beneficio iudicis sententia non priuantur. ibid. versu, Sed in his etiam duobus, *& num.* 10.

Irregulares ex homicidio voluntario, si sint clerici retinent beneficium, & faciunt fructus suos, donec per vltimam sententiam beneficio priuentur, quia per legitimam appellationem suspenduntur priores sententia. num. 11.

Refertur secunda opinio minùs probabilis dicens clericum irregularem ex homicidio voluntario ipso iure, & facto ante vllam sententiam amittere in conscientia beneficium, & non facere fructus suos. num. 12. 13. 14. 15. 16.

An prædictus beneficiatus possit licitè, & validè, ante sententiam iudicis, qua beneficio priuetur, illud renunciare, & quid post illam. num. 16. 17. 18.

An quando clericus homicida resignat beneficium in fauorem tertiæ personæ lite pendente, requiratur ad valorem resignationis, vt mentio fiat litis pendentia. num. 19.

An quando aliquis impetrauit beneficium hominis homicida pendente accusatione illius, si forte ille priuetur, nihilominus stante hac impetratione, possit illud licitè, & validè renunciare, etiam post sententiam priuatoriam illius. num. 20. 21.

An collatio beneficij irregulari facta, sit ipso iure nulla. Refertur prima sententia probabilior affirmans. num. 22.

Refertur secunda probabilis dicens eam collationem esse illicitam, sed validam. numero 23. 24. 25.

Iudicium authoris. num. 26.

Respondetur ad fundamenta secunda sententiæ. à num. 16. *vsque ad* 27. 28.

Qui iustè proximum suum defendit, cum moderamine inculpata tutela, & morte iniusti inuasoris illius, non fuit irregularis. num. 29.

Collatio beneficij facta ab irregulari est inualida. num. 30.

Si Summus Pontifex conferat beneficium ei, quem sciebat esse irregularem, eo ipso cum illo dispensat. num. 31.

Prima sententia relata numero quarto procedit non solùm in beneficijs curatis, sed etiam in beneficijs simplicibus. num. 32.

Quid senserit in hac re Zerola. num. 33.

Clerico oculorum lumine orbato non potest de nouo conferri beneficium simplex, nec dum curatum. num. 34.

QVINQVE quæstiones in hoc capite tractandæ sunt. Prima est, quæ sit pœna homicidij in iure canonico statuta tam in clericos, quàm in laicos. Primò igitur, clericus in iure canonico perpetuò deponitur pro homicidio, & in monasterium ad septennium, vel quinquennium detruditur, non solùm, si illud ipse committat, sed etiam, si mandet, consulat, suadeat, aut illi assistat, authoritatem facto præbens, patet ex *cap. Sicut dign. §. clericos, extrà de homic.* ibi: *Clericos autem, quos constat armatos interfuisse tanto facinori, & illos qui consilium dederunt, perpetuò non solùm ab altaris ministerio deponendos esse censemus, sed etiam in districto claustro monachorum ad septennium, vel quinquennium debeant ab Ecclesiarum introitu coerceri.* & ibi glossa *in verbo, Consilium.* Bernardus Dias *in pract. crimin. cap.* 94. *aliàs* 88. *num.* 1. *versu, committitur autem.* Salzedus *ibi.* Placa *in epitome delict. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 1. Farinacius *tom.* 4. *quæst.* 119. *de homicid. titul.* 14. *num.* 47. *fol.* 110. *col.* 2. & alij. Ratio est, quia non solùm manibus committitur homicidium, sed etiam facto, consilio, mandato, suasu, & ideo quocumque istorum modorum committatur, non solùm Dias. Salzed. Placa. Farin.

ſolum non debet quis promoueri ad nouos ordines ſacros, ſed etiam debet iudicis ſententia in perpetuum deponi. Vbi animaduertes, quòd vltra diſpoſitionem perpetuam detruditur in carcerem, vel in monaſterium, ad ſeptennium, vel quinquennium, quia, vt ſupra dixi, in iis caſibus, in quibus iura ciuilia pœnam mortis imponunt: iura canonica, quæ pœnam ſanguinis non infligunt, loco mortis pœnam carceris, vel incluſionis in monaſterio inducunt ad ſeptennium, vel quinquennium, vel in perpetuum iuxta circumſtantias delicti, & probationes illius, vt eſt textus *in capite, Nouimus, de verbor. ſignific.* & *in cap. penultimo ad finem de hæret.* & *in cap. quamuis de pœnis in 6.*

2. Albericus tamen *in tract. de agnoſcendis aſſertionibus catholicis quæſt. 25. num. 32.* affirmat, non ſemper eſſe verum iura canonica imponere pœnam perpetui carceris, vbi iura ciuilia pœnâ mortis infligunt, vt patet in crimine nefando, in quo iura ciuilia pœnam mortis imponunt, & tamen de iure canonico clericus pro hoc crimine detruditur in monaſterium *capite, Clericus de exceſſ. prælat.* & in famoſis latronibus, quos ius ciuile ſoſpendio enecat. *l. capita. §. famoſos. ff. de pœn.* Et tamen, ſi clerici ſint, iure canonico ab vſu ordinum perpetuò deponuntur, & in monaſterium, non in carcerem, ad agendam pœnitentiam detruduntur, vt conſtat *ex cap. Tuæ, de pœnit.* Sed hæc conciliantur, ſi dicas, incluſionem monaſterij perpetuam pro carcere perpetuo reputari, quando verò in monaſterio ſuſpecti ſunt de fuga, tunc perpetuo carceri addicuntur; vel quando homicidium eſt admodum atrox, & qualificatum, & pro huiuſmodi atrocitate, & maiori, vel minori probatione delicti iudices ſolent maiorem vel minorem pœnam videlicet ad ſeptennium, vel quinquennium imponere, prout illis videtur melius expedire ad aliorum terrorem, & ſatisfactionem publicæ iuſtitiæ.

3. Quidquid tamen de iure ſit, hodie proculdubio pro homicidio voluntario clerici ad triremes damnantur, vel in exilium in partes Braſiliæ, vel Angolæ in Luſitania amandantur, ad iudicis arbitrium; quia inſpectis cauſis, & circunſtantiis maiorem, vel minorem pœnam, vt dixi, ſolent iudices Eccleſiaſtici imponere prout illis ad ſatisfactionem iuſtitiæ, & publici ſcandali melius videtur.

4. Secunda quæſtio eſt, an clericus beneficiatus pro voluntario homicidio ipſo iure, & facto, beneficio in iure priuetur, ita vt non faciat fructus ſuos, & teneatur in conſcientia illud dimittere ante vllam iudicis ſententiam. Et verò circa hoc punctum duas inuenio opiniones. Prima reſolutiuè docet, clericos homicidas, & ex homicidio voluntario irregulares, licet poſſint iudicis ſententia beneficiis priuari, ſiue ſint beneficia curata, ſiue ſimplicia, non tamen ipſo iure, & facto eſſe illis priuatos, atque adeo non teneri in conſcientia illa dimittere, donec per ſententiam vltimi iudicis illis priuentur, facereque proinde fructus ſuos; poſſe tamen ad amiſſionem & reſtitutionem illorum à die commiſſi criminis, vel cæpræ litis à iudice damnari, & dum ſic non damnantur, tuta conſcientia, illos retinere. Patet hæc opinio ex cap. *Ex litteris de exceſſibus prælator.* vbi priuatus fuiſſe dicitur Epiſcopus irregularis propter homicidium, cui authoritatem præſtitit, ſuo Epiſcopatu iudicis ſententia; non enim in eo capite dicitur, eſſe ipſo iure priuatus Epiſcopatu, ſed ſententia Papæ fuiſſe priuatum (& idem eſt de aliis beneficiis curatis, & non curatis) ibi; *Nos autem, quia idem Epiſcopus in furis ſuſpendio grauiter noſcitur deliquiſſe, cum authoritatem non tantùm præſtiterit, verùm etiam præſentiam exhibuerit corporalem, ipſum indignum altaris miniſterio putamus. Cum igitur pontificale officium ſine altaris miniſterio, non valeat adimpleri, mandamus, vt Epiſcopatui cedat.* Patet etiam ex capite, *Veritat. de dol. & contumac. ad finem.* vbi Epiſcopus homicida inceſtuoſus, & dilapidator bonorum Eccleſiæ, ſententia item Papæ Epiſcopatu priuatur, ibi: *Nos igitur tulimus ſententiam perpetuæ depoſitionis in ipſum, & eum tam à pontificali, quàm ab omni officio ſacerdotali priuantes, ſine ſpe aliqua reſtitutionis duximus condemnandum.* & ex capite *Clericis ne clerici, vel monachi*, ibi: *Clericis iudicium ſanguinis agitare non licet.* & infra. *quod ſi quis tale quid fecerit, honore priuetur, & loco:* vbi notandum eſt non dicere, huiuſmodi textus, declaramus incurriſſe in pœnas in iure impoſitas, & commiſiſſe talia, vel talia crimina, ſed dicere, illum Epiſcopatu priuamus, & honore, & loco priuentur, id eſt, iudicis ſententia, & probato prius crimine in iudicio Et hanc opinionem tenent
hodie communiter DD. eam tenet Suarez *tom. 5.* Suarez.
de cenſur. diſp. 40 de irregularit. ſect. 2. num. 15. folio mihi 978. col. 2. & num. 18. fol. 980. & num. 20. & 21. fol. 981. vbi dicit dum iudex illum non priuat per ſententiam ſuo beneficio fructus ſuos facere, & non teneri poſt ſententiam iam perceptos reſtituere à die commiſſi criminis, niſi in illis etiam
expreſsè à iudice damnetur. Couarruuias *in 4.* Couas.
decretal. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 7. & in Clement.
Si furioſus in 2. part num. 6. in relect. Garcia *de be-* Garcia.
nef. part. 11. cap. 10. num. 43. Nauarr. *in ſumma* Nauar.
Latin. cap. 27. num. 249. Fagnacius *tom. 4. q. 119.* Farin.
de homicid. tit. 14. fol. 111. num. 63. & 70. Inno- Innoc.
cent *in cap. Cum noſtris de conceſſ. prabend.* Præ- Præpoſit.
poſitus *in cap. ſtudeat, col. finali diſt. 50.* Ananias Anan.
in cap. Inquiſition. num. 3. & ibi Felinus *num. 2. de* Felin.
accuſat. Zabarella *in Clementina conſt. de elect. §.* Zabarell.
veter. in fine & §. Ceterum. & idem Felin. *in cap.* Felin.
de quarta, de præſcript. col. 10. num. 35. Boërius *de-* Boërius.
ciſ. 98. num. 4. Corneus *in l. 1. col. 1. C. de his quib.* Corneus.
vt indig. Placa *in epitome delictor. num. 1. cap. 11.* Placa.
poſt numerum 3. & 8. verſu, quidquid ſit fol. 172.
qui omnes idem teſtantur de fructibus, quod te-
ſtatur Suarez allegatus. Abbas *in cap. finali de ex-* Abbas.
ceſſib. prælator. notabili penult. Ancharranus *in reg.* Anchar.
peccatum num. 1. de regul. iuris in 6. oppoſit. 1. Go- Gomez.
mez *in cap. 1. num. 7. de reſcript. & in cap. 2. n. 42.*
de conſt. in 6. & in regul. Cancellariæ de annali poſ-
ſeſſore. quæſt. 41. Hieronymus Gabriel. *conſil. 196.* Gabriel.
num. 7. lib. 1. Bermon. *de publico concubinatu in* Bermon.
gloſſa, priuet, num. 2. Bernardus Dias *in practicar.* Dias.
cap. 94. alias 88. num. 2. Iulius Clarus *§. Homici-* Iul. Clar.
dium. num. 16. verſu, de iure autem canon. Flamin. Flamin.
Pariſ. *in tract. de reſignat. lib. 5. quæſt. 3. à num. 82.*
& lib. 3. quæſt. 16. num. 4. Ratio generalis ab omnibus his authoribus tacta eſt. Primò, quia nullum crimen inducit priuationem ipſo facto officij, aut beneficij, niſi id expreſsè exprimatur in iure; in iure autem canonico nullibi hæc pœna imponitur homicidis voluntariis, & irregularibus ex voluntario homicidio; ſin minus, aſſignetur textus, in quo hoc hæc pœna ſit expreſſa.

Secundò, quia ſi clerici irregulares ex homici- 5.
dio voluntario, non amittunt ipſo facto, & iure beneficium, vt modò reprobatum eſt; ſequitur, quòd dum per iudicis ſententiam illo non priuan-

tur, retineant iustum titulum, & dominium illius, ac proinde sequitur, vt vt fructus suos faciant; maximè, quia ratione beneficij tenentur horarum pensum recitare, quæ est magna pars oneris officij clericalis, vt docet Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 3. & si munus aliud ad officium clericale pertinet, tenentur procurare, vt per alios fiat; ergo hoc satis est vt fructus suos possint efficere stando in iure naturali, & diuino, & aliunde cum nullo iure humano illis priuentur, necesse est, vt illos suos faciant; nullus enim textus est sacrorum cannnum ex quo hæc priuatio fructuum ipso facto colligatur, seu, quod necessarium est, in quo illa expresè imponatur.

Sotus.

6. Tertiò, quia etiamsi daretur textus in quo ipso facto, & iure imponeretur hæc pœna priuationis beneficiorum, & fructuum illorum, adhuc requireretur sententia iudicis declaratoria, quæ declararet beneficiatum commisisse crimen homicidij, & irregularitatis, ob quod ipso facto priuatur beneficio, & fructibus illius, vt illos non possit retinere, & dum talis declaratoria sententia non datur, iustè illos retinet, & possidet; quia lex, & canon, qui eam pœnam ipso facto imponeret, esset pœnalis & grauis, & nulla pœnalis tam seuerè obligat, vt adstringat delinquentem in cõscientia, vt ipse in seipsum pœnam exequatur, maximè quando pœna talis est, vt propriam actionem hominis requirat, qualis est, seipsum beneficio, & fructibus illius priuare, quod tamen per iudicem meritissimò fit: nam, vt docet Syluester *verb. Assassinus, num.* 4. Archidiaconus & Ioannes Andreas ad caput primum homicidij *in* 6. ita enim Syluester allegatus: *Omnia iura mundi, quæ dicunt ipso facto, vel ipso iure pœnam imponi, debent intelligi, dummodo secuta sit sententia declaratoria, per quam declaratum sit fuisse commissum crimen propter quod illa pœna ipso facto imponitur.* & ita docet Suarez *tomo* 5. *de cens disp.* 30 *sect.* 1. *num.* 15. *in fin. & lib.* 5. *de legib. cap.* 8. *num.* 15. Felinus *in cap.* 2. *de fide instrum. num.* 9. Hieronym. Gabriel. *consil.* 196. *n.* 4. *in fin. & conf.* 187. *num.* 7. *lib.* 2. Farinac. *tom.* 4. *quæst.* 119. *de homicidio, fol* 122. *num.* 66. *col.* 1. & idem Suarez *tom.* 5. *de censuris, disput.* 40. *sect.* 2. *num.* 22. vbi dicit in omnibus illis delictis specialibus, quæ simul cum irregularitate habent adnexam priuationem beneficij ipso facto, licitè posse beneficiatum percipere, & retinere fructus beneficij, vsque ad declaratoriam sententiam, quia licitè beneficium retinet vsq; ad vltimam declaratoriam sententiam à qua non fuit appellatum, est enim optima hæc consequentia, vt optimè docet Felinus *in cap. Sciscitamur, de rescript. num.* 2. & 3. *Licitè retinetur beneficium; ergo licitè percipiuntur fructus illius.* In pœnis tamen spiritualibus, quales sunt censuræ, non requiritur aliqua iudicis sententia, vt incurrantur, quia hæ suam secum trahunt executionem, vt alibi latè diximus.

Syluester. Suarez. Felin. Gabriel. Farin. Suarez. Felin.

7. Est adeo vera hæc sententia, vt nec etiam ob parricidium, vel homicidium à proposito, valdéque qualificatum (nisi forte sit assassini vel homicidium illud, quo quis aliquis beneficiatus alicuius Ecclesiæ, occidit combeneficiatum suum, vel prælatum suum, seu rectorem ipsius Ecclesiæ, ipso iure beneficium amittitur, quamuis enim qualitates parricidij, & homicidij à proposito, efficiant, vt homicidæ acriùs, ac seueriùs puniantur, vt suprà diximus, & est textus *in l. aut facta. ff. de pœnis & in l. quid ergo, §. Pœna grauior. ff. de his, qui notantur infam.* non tamen ob huiusmodi qualitates pœna amissionis beneficij, aut fructuum illius ipso facto in iure canonico vllibi imponitur, vt speciatim notant Farinacius allegatus *num* 65. & Hieronym. Gabriel. *consil.* 187. *lib.* 2. *num* 12. vbi dicit se ita obtinuisse in Rota, & non fuisse priuatum beneficio eum, qui propriis manibus occiderat confessarium suum, seu patrem spiritualem.

Gabriel.

8. Dixi, *nisi forte sit assassini*; quia clericus, qui per assassinos Christianũ aliquem mandat occidi, excommunicatur ipso facto, & ipso facto beneficio priuatur, vt patet ex *cap.* 1. *de homicid. in* 6. ibi: *Excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, officio, & beneficio incurrat sententias ipso facto, & illa liberè alijs, per illos ad quos illorum collatio pertinet, conferantur.* & ita docet Suarez *tomo* 5. *de cens. disput.* 23. *sect.* 5. *num.* 46. *ad finem*, & Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 9. & 10. Syluester *verb. Assassinus, num.* 2.

Suarez. Couar. Syluest.

9. Dixi quoque, *nisi sit homicidium quo beneficiatus alicuius Ecclesiæ occidit combeneficiatum, vel Rectorem eiusdem Ecclesiæ*, quia tunc etiam priuatur beneficio eiusdem Ecclesiæ non alterius ipso facto. Patet ex *cap. In quibusdam, extra de pœnis*, ibi: *Statuimus si patroni, vel beneficiati aliquam Ecclesiæ rectorem, vel clericum alium ipsius Ecclesiæ per se, vel per alios occidere, vel mutilare, ausu nefando, præsumpserint, patroni ius patronatus, & beneficiati beneficium prorsus amittant.* vbi illud *prorsus*, idem est, atque ipso facto, vt docet Rebuffus *in praxi benefic. num.* 4. *in rubr. de modo amittendi benefic.* Farinacius *tomo* 4. *quæst.* 119 *de homicid. titulo* 14 *fol.* 112. *num.* 68. & Hieronymus Gabriel *consil.* 187. *num.* 8. *lib.* 2. & *consil.* 196. *num.* 6. *lib.* 1. vbi optimè docet eam priuationem habere solummodo locum in beneficio illius Ecclesiæ cuius combeneficiatum, vel rectorem occidit, non verò in aliis beneficiis; si quæ forte in aliis Ecclesiis obtineant. Sed reuera in his etiam duobus casibus requiritur sententia iudicis, vt ipsi beneficio priuentur, & dum illo per sententiam non priuantur, iustè beneficium retinent, & fructus suos faciunt, vt diximus, *num.* 6. nam si hæc consequentia, vt docet Felinus citatus *num.* 6. *ad finem*, est bona: *licitè retinetur beneficium, ergo licitè percipiuntur fructus illius, licitéque retinentur*: Hæc quoque bona etiam debet esse: *licitè & validè retinetur beneficium ante sententiam declaratoriam criminis; ergo illicitè, & inualidè ante illam alteri confertur.*

Rebuff. Farin. Gabriel. Felin.

10. Sed videtur obstare prædictum caput primum *de homicidio in* 6. incipit, *pro humana redemptione*, quatenus præcipit, vt clericorum irregularium beneficia ex homicidio voluntario per assassinos facto liberè aliis conferantur, per suos collatores, & ab eis auferantur, ibi: *& illa liberè alijs per illos, ad quos illorum collatio pertinet, conferantur. Liberè*, id est, illis non vocatis, vt docet glossa ibi, verbo, *liberè*, & Tiraquellus *de reuocat. donat. in verbo, Reuertatur num.* 335. Quare glossa, & Tiraquellus ibi videntur sentire huiusmodi clericos irregulares ex homicidio voluntario per assassinos facto, ipso iure, & facto, ante vllam iudicis sententiam, ita amittere beneficia, vt statim ab illis possint auferri per collatores illorum, & alteris dare, illis non citatis, & non auditis in iudicio. Et idem erit dicendum forte de irregularibus ex aliis homicidiis voluntariis: sed contrarium est dicendum, vt dixi, nam Hostiensis citatus à prædicta glossa explicans illud aduerbium *liberè*, & illa verba *ipso facto alteri conferantur*; ita ait.

sit. *Liberè, id est, non obstante oppositione, vel contradictione ipsius beneficiati:* quod idem videtur, ac non obstante defensione illius in iudicio in quo supponit illum esse in iudicio audiendum, & adhuc expectandam esse iudicis sententiam, & nullo modo excusationes illius esse in iudicio admittendas, si plenè, & publicè de homicidio per assassinos facto constet.

11\. Dixi *num* 4. donec per vltimam sententiam declaratoriam criminis beneficio priuentur, licitè ac validè irregulares ex homicidio voluntario beneficium retinere, & fructus suus facere, quia per legitimam appellationem, dum causa ex toto non finitur, suspenditur prior sententia, vbi primùm appellatio intimata recipitur, inhibetur iudex à quo, & causa ad primum statum in quo erat ante sententiam à qua appellatum primò fuit, regreditur iuxta textum capitis, *Ad præsentiam, de appel. in Decret.* ibi: *Ad eum statum reducas omnia in quo erant tempore appellationis emissa:* & textum capitis, *Bona eodem titulo*, ibi: *In eum statum in quo erant tempore appellationis facta decernimus reducēdos*; nam postquā iudex à quo est appellatum, detulit appellationi, suspenditur illius sententia, & eximitur ille, qui appellauit, à iurisdictione illius. Patet ex *cap. Cum appellationibus*, vbi Doctores, Dominicus, Ioannes Andreas, Ancharranus *de appellat. lib. 6.*

12\. Secunda opinio minùs probabilis docet irregularem ex homicidio voluntario ipso iure, & facto ante vllam sententiam amittere beneficium curatum, non tamen simplex, & non facere fructus suos, & teneri illud statim in conscientia dimittere; fructus verò perceptos dum per sententiam iudicis, beneficio non priuatur, posse retinere, post sententiam verò, qua beneficio priuatur, teneri restituere omnes fructus perceptos à die commissi criminis, siue extent, siue non extent, siue illis factus fuerit ditior, siue non fuerit (sed hæc opinio sibi non constat; si enim ante vllam sententiam ipso facto tenetur in conscientia dimittere beneficium, etiam tenetur dimittere fructus illius, cum ex nullo alio titulo possit retinere fructus, quàm ex eodem quod tenet beneficium; quare si non habet ius ad retinendum beneficium, neque etiam ad retinendos fructus illius.) Ita docet Paul. de Castro *in l. 1, num. 3. C. de his, quib. vt indig.* Iaso *ibi.* Baldus & Angelus *in l. Prædon ff. de pet. hered.* Romanus *in l. Diuortium ff. solut. matrim.* Henric. Boic. *in cap. Ad nostram, col. 11. versu, Venio modo, extra de empt. & vendit.* Ripa *in l. finali, quæst. 56. C. de reuoc. donat.* Bermond. *in tract. de publico concub. in verbo, Priuet, num. 9.* Iulius Clarus §. *finali, quæst. 73. num. 9. versu, finali.* Dias *in pract. c. 123, versu, Beneficijs priuari, & in vlt. edit. cap. 174. sub num. 5.* Villadiego *de irregularit. cap. 3. num. 22.*

Castro. Iaso. Baldus. Angel. Roman. Henr. Boic. Ripa. Bermond. Iul. Clar. Dias. Villad.

Alij verò authores huius opinionis loquendo magis consequenter asserunt prædictos irregulares ex homicidio voluntario teneri ante vllam sententiam dimittere in conscientia beneficium curatum non simplex, & non facere fructus suos, tenerique proinde illos etiam cum beneficio dimittere. Ita docet Rebuff. *in praxi benef. in rubr. de pacif. possess. n. 262. & rubr. de modo amitten. benef. num. 42.* Ioannes Igneus *in repet. leg. necessar. §. non aliàs, num. 116. ff. ad Syll.* Felinus *in cap. Inquisitionis, de accusat. num. 2.* & ibi citat Ioannem Andream *in cap. Minor, dist. 50. & in capite, penult. de pœnis.* Sed omnes huiusmodi authores hactenus in hoc numero relati nullo textu funDantur, ac proinde illorum opinio subsistere non potest, cum non fundetur in iure, nec in illo stabilimentum habeat. Ratio tamen illorum est. Primò, quia beneficium, aut est simplex, & adeo simplex, vt solùm obliget ad recitandum officium canonicum, & in hoc nulla est obligatio dimittendi illud, cum irregularis teneatur officium diuinum recitare, nam propter irregularitatem ab hac obligatione non est liber. Aut est beneficium curatum, cuius ministerium per aliud exerceri potest, & de hoc etiam loquendo, nulla est obligatio dimittendi illud, cum fructibus, dum per alium ministerium ipsius beneficij impletur, & per alium obligationi illius satisfacit; nam, qui habet onus, debet habere commodum fructuum, dum prædictum onus per se, aut per alium subit, quia quæ per alios facimus, per nos ipsos facimus. Aut est beneficium curatum, vel aliud Ecclesiasticum, veluti cannonicatus, qui personalem residentiam, cum personali exercitio alicuius operis requirit, & de hoc dicunt authores primo loco citati, vsque ad versum, *Alij verò*, teneri beneficiatum illud statim in conscientia dimittere; posse tamen retinere fructus illius, quoad vsque illo per sententiam priuetur: sed non video cohærentiam huius opinionis, vt dixi, propter rationem factam.

Rebuff. I. Igneus. Felin. I. Andr.

Alij id probant ex alijs fundamentis: nam quidam illorum dicunt irregularem ex prædicto homicidio voluntario ipso facto amittere titulum beneficij, & sic non posse facere fructus suos, & teneri statim in conscientia tam beneficium, quàm fructus illius dimittere ante vllam sententiam. Ita speciatim Rebuffus allegatus *numero præcedenti*, & omnes, qui post illum sequuntur, ac ibi referuntur, & hi consequenter loquuntur; vt dictum manet. Sed hoc fundamentum liberè ab illis est introductum, quia nullibi in iure canonico talis pœna inuenitur, quæ hanc priuationem fructuum, & beneficij ipso facto, ante vllam sententiam inducat, & quamuis illam induceret, adhuc requireretur iudicis sententia, quia tunc illa particula; *Ipso facto, ipso iure*, intelligeretur, ipso facto post vltimam iudicis sententiam, vt suprà diximus *num.* 6. Si verò lex diœcesanea, aut constitutio, vel consuetudo alicuius Episcopatus detur, quæ decernat vt beneficiatus non residens, aut personaliter non seruiens, non faciat fructus suos, illis priuabitur in conscientia, & tenebitur illos Ecclesiæ restituere, non ex vi irregularitatis, sed ex vi talis legis, aut consuetudinis: quare persistit prima sententia cum suis fundamentis. 13.

Imò sunt aliqui authores, qui existiment, quod licet huiusmodi irregulares priuentur postea iudicis sententia suis beneficiis, non possint tamen illis fructibus priuari, quos vsque ad tempus sententiæ legitimè perceperunt. Ita docet Suarez *tom. 5. de cens. disp. 40. de irregul. sect. 2. num. 25.* Calderinus *in clement. constitutionem. §. cæterum, de elect. circa finem.* Et ratio illorum est, quia prædictus irregularis potest, & tenetur recitare officium diuinum, vti diximus suprà, & potest etiam reliquæ parti officij sui per alium satisfacere. Et verò, si hoc fecit, cum iustè vsque ad illud tempus titulum beneficij retinuerit, iniustè profectò talibus fructibus per sententiam à iudice priuabitur, quod mihi non displicet, imò arridet. 14.

Suarez. Cald.

Oppones cum Couarruuia *num* 4 allegato tenente posse præfactos irregulares priuari per sententiam iudicis omnibus fructibus perceptis à die commissi criminis. Vel ipse irregularis ante di- 15.

ctam sententiam exhibuit ministerium adnexum beneficio, hoc est, recitauit officium diuinum, & reliquis obligationibus illius satisfecit vel per se, vel per alium; vel non exhibuit. Si non exhibuit, eo ipso non facit fructus suos, & tenetur illos Ecclesiæ restituere. Si exhibuit, dignus est maiori pœna. quia in peccato, & in irregolaritate illud exhibuit. Ergo nullo modo ei prædicti fructus sunt concedendi.

Sed ad hoc respondemus rationem non vrgere. Primò, quia supponimus illum satisfecisse per se, vel per alium omnibus obligationibus prædicti beneficij quod sine nouo peccato facere poterat, recitare enim officium licitè ipse potest irregularis, & quæ per se non potest, per alios facere potest sine peccato. Deinde si non satisfecit, aut plenè non satisfecit, non statim merebitur priuatione fructuum puniri; sed poterit alia pœna puniri; imò ex eo quòd his obligationibus satisfecerit in peccato, non propterea sequitur, quòd priuandus sit fructibus beneficij; quia licet in eo augeret culpam, & dignus esset grauiori pœna, nullum tamen est ius in quo pro illo crimine amissione fructuum puniatur. Hoc tamen non tollit, quominus in conscientia obligetur aliquem partem fructuum restituere pro rata muneris non exhibiti, solùm enim contendimus ex natura rei non teneri iudices huiusmodi irregulares damnare ad amissionem fructuum siue à die commissi criminis, siue à contestatione litis, siue à tempore, quo sententia lata est contra illos, tanquam in pœnam delicti: vt bene docet Suarez *tom 5. de cens. disp 47 de irregular. sect. 2. n. 21. & 22.* Illud aduertimus hîc, si clerici huiusmodi sint pauperes, & in amissionem fructuum perceptorum, vel percipiendorum damnentur, ex æquitate relinquendam illis esse debitam partem illorum, qua sustententur, ne cum dedecore sacrorum ordinum mendicare cogantur.

Suarez.

16. Tertia quæstio est, an prædictus beneficiatus irregularis possit licitè, & validè post commissum delictum ante sententiam iudicis, qua beneficio priuetur, illud renunciare, & quid post sententiam, si ab illa appellauit. Respondeo ita affirmare communiter Doctores, si loquamur de casu ante iudicis sententiam. Ita Farinacius *tom. 4. quæst. 119 de homicid. num. 71. col. 2. fol. 112.* Flaminius Paris. *de resignat. benef. lib 3. quæst. 16. n. 1. & 45.* Rufinus *in tract. de benef. cap. 20 num. 5.* Gabriel *consil. 196. num. 12. in fine, lib. 1.* Boërius *decis. 205. sub num. 7* Felinus *in cap. Per tuas, de simon. num. 5.* Butrius *consil. 43. num. 2. & 3.* Geminian. *consilio 105. versu, Quoad primum*; & debent tenere omnes citati *num. 4.* pro prima opinione. Et ratio, ac fundamentum est, quia licitè, & validè retinet titulum beneficij, cum nullibi in iure illo ipso facto priuetur; & quamuis illo ipso facto priuaretur, adhuc expectanda, & requirenda erat iudicis sententia, vt probatum manet, ac proinde licitè faceret fructus suos, & illos retineret; ergo licitè, & validè beneficium resignare potest, non solùm in manu superioris, sed etiam in fauorem tertiæ personæ. Quod procedit, etiam, secundùm Chrystophorum Rufinum, & Farinacium in parricidio, & in alio quocumque delicto.

Filliuc. Flamin. Rufin. Gabriel. Boetius. Felin. Butrius. Gemin.

17. Imò amplius addo, hanc communem resolutionem veram esse, non solùm ante litem contestatam sed etiam postquam causa est conclusa apud iudicem ad proferendam sententiam, imò & post latam sententiam, qua quis beneficio ob homicidium priuatur, quando ab ea fuit appellatum iustè, & legitimè, & appellationis causa pendet. Ita de conclusione causæ videtur constare ex cap. 2. *Dudum. de elect.* ibi ad finem. *Tamen cum non restaret nisi proferenda sententia, idem tam iuri, si quid ei competebat, quàm liti cessit spontanea voluntate, cuius cessionem duximus admittendam.* Constat enim ex hoc textu Summum Pontificem admisisse resignationem post causæ conclusionem; ante prolatam sententiam; cum nihil aliud restaret, nisi prolatio sententiæ; & ita tenent Antonius de Butrio *in hoc textu, num. 11. versu, Nota consilium.* Abbas *ibi, num. 4. notabili penult.* Boërius *decis. 206. num. 5* Rebuffus *in pract. benef. titulo, de modo amitten. benef. num. 51.* Placa *in epitome delict. lib. 1. cap. 11. num. 9. in fine.* Farinacius *tom. 4. quæst. 119. de homicidio, tit. 14. num. 78. & 79. col. 1.* licet contrarium sentiant multi, quos ibi citat, sed non sequitur. Et verò loquendo de casu in quo fuit lata sententia amissionis beneficij, à qua fuit appellatum, & appellationis causa pendet. Ita docet Rebuffus allegatus *n. 53. versu, Ideo resignatio bona est, & consil. 82.* Farinacius *num. 82.* Placa *in epitome, delict. lib. 1. cap. 11. num. 8. ante finem.* Flaminius *de resignat. lib. 3. quæst. 16. num. 17. & sequentib.* Et ratio est primò, quia prædicta appellatio licet causam non extinguat, saltem suspendit illam, & ad primum statum in quo ante appellationem erat, reducit, vt probauimus *num. 11.* & docent Lappus *alleg. 1.* & Paris. *consil. 12. num. 216. lib. 2.* & Farinac. allegatus *num. 82.* Atqui ante appellationem, & prolationem sententiæ licitè, & validè poterat resignare, etiam in fauorem tertij; ergo & post illam. Secundò, quia paria sunt in iure renunciare beneficium pendente accusatione, ac renunciare illud post sententiam latam pendente appellatione. *l. Postquam, §. Imperator.* & ibi Barthol. *ff. vt leg. nom. Cau.* Sed pendente accusatione licitè, & validè poterat renuntiare, ergo & post latam sententiam pendente appellatione.

Butr. Abbas. Boërius. Rebuff. Placa. Farin. Farin. Placa. Flamin. Lappus. Paris. Farin. Barthol.

18. Vnde si superior, vel ille ad quem collatio beneficij spectabat, statim post sententiam, qua reus ad amissionem illius damnatur, illud alteri conferat, quando ab ea non fuit appellatum, poterat tamen intra terminos iuris appellari, talis collatio nulla erit, & non valebit. Ratio est, quia prædicta collatio non transiuit simpliciter in rem iudicatam, vt de se patet. Ita Parisius *lib. 3. de resign. benef. quæst. 16. num. 23.* Farinacius *tom. 4. disp. 119. tit. 14. num. 83. column. 2. fol. 113.* & citat Parisius multas decisiones Rotæ in hanc rem.

Paris. Farin.

19. Dubitabis tamen, an quando clericus homicida resignat beneficium in fauorem tertiæ personæ, lite pendenti, requiratur ad valorem ipsius resignationis, vt mentio fiat litis pendentiæ, sententiæ priuatoriæ, & appellationis interpositæ? Rebuffus *in praxi*, id omnino affirmat *in titulo de modo amittend. benef. num. 52. in fine*, quamuis contrarium tenuisse videatur *consilio 82. num. 7.* Farinacius quoque modò allegatus *num 34.* hanc declarationem omnino requiri contendi in resignatione facta in fauorem tertiæ personæ, secus in resignatione facta in manibus Papæ, vel superioris, quia tunc cum Papa possit illud liberè conferre cui voluerit, parum refert, quòd non fuerit expressa litis pendentia, aut priuationis lata sententia. Cum Farinacio, & Rebuffo consentit Parisius *lib. 3. de resignat. benef. quæst. 16. num. 12. & sequentibus, santo num. 16. in fine, & 46.* & Placa *in epitome delictor. cap. 11. num. 9. initio.* Et

Rebuff. Paris. Placa.

consir

confirmator hæc vera opinio ex toto ferè titulo de rescriptis, vbi Papa sæpe declarat subreptitiam fuisse impetrationem rescriptorum, in quibus non fuerunt declaratæ circunstantiæ, quæ illum poterant retardare, ac difficilem reddere in concessione talium rescriptorum: quare impetrans rescriptum debet exprimere qualitatem aggrauantem, quoniam regulariter loquendo vitiatur rescriptum, quando impetratur, tacita illa circunstantia, qua expressa, Princeps non ita facilè concederet, *cap. Postulasti*, vbi DD. *de rescript. l. 1 ff. de natal. rest. cap. Super literis, de rescript.* vbi Ioannes Andreas, Hostiensis, & Baldus, & alij
Oldrad. Alexand. Ioan. Andr. communiter, Oldradus *consil.* 347. incipit, *factum tale est*, Alexand. *consil.* 195. *lib.* 2. Ioannes Andreas *in addition. ad Specul. in titulo de rescript.* §. 1. & alij communiter.

20\. Hic autem dubium insurgit de illo, qui à Summo Pontifice impetrauit beneficium hominis homicidæ, aut criminosi pendente adhuc illius accusatione, & causa criminali, cum clausula, *de prouidendo*, si forte homicida, aut beneficiatus criminosus sententia iudicis illo priuatus fuerit. An nihilominus, stante hac impetratione, possit ad hoc prædictus beneficiatus, pendente lite, vel post sententiam priuatoriam latam, à qua fuit ab illo appellatum, licitè, & validè illud renuntiare? Et verò in hac re opus est distinctione. Nam vel huiusmodi beneficiatus simpliciter beneficium renunciauit in manibus Papæ; vel illud renunciauit in fauorem tertiæ personæ, non aliter, nec alio modo. Et tunc vel illud renunciauit bona fide, ignorans videlicet talem impetrationem; vel mala fide, sciens prædictam impetrationem. Si simpliciter renunciauit in manibus superioris, aut Summi Pontificis, valet quidem prædicta renunciatio, & licita est; quia in eo casu, Summus Pontifex, cum ad libitum de beneficio possit disponere, & illud liberè, cui noluerit, conferre,
Gemin. in nihilo læditur. Ita docet Geminianus *cons.* 105.
Butrio. *col.* 2. *versu, quoad primum.* Anton. de Butrio *in cap. Dudum 2. de elect. column. penultim. in fine.*
Felin. *versu, Nota consilium.* Felinus *in cap. Inquisitio-*
Boëtius. *nis col. 1. in fine, de accusat.* Boëtius *decisione* 205. *num. 7. versu, quamuis.* Selua *in tract. de benefic.*
Selua. Flamin. *part. 3. quæst. 2.* & est communis, vt testatur Fla-
Cassan. minius *de resignat. lib. 3. quæst. 16. num. 38.* Cassa-
Aufrer. neus *cons. 44. num.* 2. Aufrer. *in additionibus ad*
Couar. *Capellam Tholosanam decis.* 436. Couarruuias *in*
Placa. *Clement. si furiosus 1. part. §. 3. num. 7.* Placa *in opitome delict. lib. 1. cap. 11. num. 10.* Ignatius Lo-
Lopez. pez *in additionibus ad Bernardum Dias in pract. crim. cap. 44. in prima edit. verbo, ipso iure.*

21\. Si renunciauit in fauorem tertiæ personæ, non aliter, nec alio modo, & id fecit bona fide ignorans prædictam impetrationem, valet, & licita est talis resignatio, & effectum non habebit prædicta
Farin. impetratio. Ita docet Farinacius *tom. 4. dicta*
Rota. *quæst. 119. tit. 14. num. 88. col. 1. fol. 114.* Rota
Boëtius. *decis. vlt. vt lite pendenti, in nouis.* Boëtius *deci-*
Flamin. *sion.* 206. Flaminius *lib. 3. de resignat. quæst. 13.*
Placa. *num. 36.* Placa *in epitome delict. lib. 1. cap. 11. n. 9.* Et ratio est, quia bona fide processit in huiusmodi resignatione, & actus bonæ fidei sunt validi, nec vlli debet præiudicare illud, quod ignorabat; qui enim errat, & ignorat, non consentit. *l. in summ, & l. nihil consensui. §. non videtur, ff. de regul. iuris in 6.* Si renunciauit mala fide, sciens, & non ignorans impetrationem, non valet, nec licita est talis resignatio in fauorem tertiæ personæ, quia tunc propter clausulam irritantis decreti, quæ solet inseri in impetratione, talis renunciatio nulla est, & ipso iure manet irrita. & consequenter illicita, quia est facta contra obedientiam, &
in fraudem prædictæ impetrationis. Ita Farina- Farin.
cius allegatus *num.* 89. Anton. de Butrio *cons.* 43. Butrio.
quem refert, ac sequitur Boëtius *dicta decis.* 205. Boëtius.
num. 9. aliàs 206. Felinus *in cap. Nostra, de re-* Felin.
script. num. 28. Foller. *in practica crimin. verbo & si confessi, aut conuicti extiterint, cap. 33. num. 38.* Foller.
Placa citatus *dicto num.* 9. Lancellotus *in tract. de* Placa.
attent. cap. 5. num. 10. Paris. *de resign. lib. 3. q. 16.* Lancel.
num. 35. & num. 42. 48. & 37. vbi dicit hanc do- Paris.
ctrinam esse communem. quidquid post Couarruuiam in contrarium sentiat Ignatius Lopez *in* Lopez.
addit. ad Bernardum Dias in pract. cap. 49. verbo, ipso iure, versu, Nec desunt. Et probatur à simili: nam licèt accusatus de graui crimine possit, pendent. lite, permutare beneficium, quod habet
cum aliquo, vt tenet Nauarrus *in consil. 2. tit. de* Nauar.
accusat. & sequitur Parisius citatus *num.* 10. non Paris.
tamen potest hoc facere post eiusdem beneficij, cum quo permutauit, impetrationem, vt docet
Geminianus *cons. 105. col. 2. versu, Quoad secun-* Gemin.
dum. Boëtius *decision.* 195. *num.* 6. Rebuff. *in pract.* Boëtius.
benef. super regulam de infirmit. resignat. glossa 12. Rebuff.
num. 19. quos refert, ac sequitur Lancellotus ci- Lancel.
tatus *num.* 14. consentitque Flaminius allegatus Flamin.
num 49.

Quarta quæstio est: vtrùm collatio beneficij 22.
irregulari facta sit ipso iure nulla? Planè circa hoc punctum duplex circumfertur opinio. Prima probabilior, & communior, ait non solùm grauiter peccare huiusmodi irregulares beneficia accipientes, sed etiam collationem, electionem, & præsentationem illis factam, esse, ipso iure, &
facto, nullam. Eam docet Nauarrus *in manuali* Nauar.
Latin. cap. 27. num. 249. versu, Sextò quòd omnis.
Couarruuias *in cap. Alma mater 1. part. §. 7. n. 1.* Couar.
Henriquez *lib. 14. cap. 2. num. 5.* Felinus *in cap.* Henriq.
Inquisitionis, de accusat. num. 7. Flaminius *de resi-* Felin.
gnat. lib. 4 quæst. 3. à num. 32. & lib. 5. quæst. 3. Flamin.
num. 181. & quæst. 6. num. 79. Gutierrez *quæst. ca-* Gutier.
non. lib. 1. cap. 5 num. 92. Vgolinus *de irregular.* Vgolin.
cap 65. initio. Zerola *in praxi 1. part. verbo, Be-* Zerola.
neficia §. 5. dub. 5. & 2. part. verbo, irregularitas §. 4. & 8. Philiarch. *de offic. sacerd. 1. part. lib. 4.* Philiarc.
cap. 6. ad finem. Rodrig. *in summa tom. 1. cap. 182.* Rodrig.
num. 3. Veiga *in speculo curat. cap. 12. num. 313.* Veiga.
Sayrus *de cens. lib 6. cap. 2. num. 21.* Lessius *tom. 1.* Sayrus.
de iust. lib. 2, cap. 34. num. 120. Azor. *tom. 1. instit.* Lessius.
moral. lib. 6. cap 7. quæst. 2. Auila *de cens. 7. part.* Azor.
disp. 2. dub. 6. Molina *tom. 1. de iust. tract. 3. di-* Auila.
sput. 72. num. 2. Garcia *de benef. 7. part. 11. num. 2.* Molin.
& 5. quæ opinio satis probari videtur ex *cap. 2.* Garcia.
in fine, de cler. pug. in duello. & cap. 2. de cleric. non ordin. ministr. & ex capite finali *eodem tit.*

Probatur rationibus. Primò, quia inhabilis ad vnum, est etiam inhabilis ad omnia ei adnexa inseparabiliter, *cap. Translato, de const.* sed irregularis est inhabilis ad ordines, & illorum vsum, & beneficium Ecclesiasticum prærequirit ordinem, & vsum eius; datur enim beneficium propter ordinis officium, iuxta caput finale *de rescript. in 6.* Ergo irregularis est inhabilis ad beneficium, & consequenter collatio illi facta non valet. Confirmatur, quia collatio facta indigno tali indignitate, quæ impedit vires collationis, seu vsum ordinum, ad quem tendit collatio, & in quo consistunt vires collationis, est ipso iure nulla, & nullius momenti, *cap. Cum in cunctis. cap. Nobis olim, de elect. cap. graue nimis, de præbend.* Abbas

ibi

ibi, *num.* 11. atqui irregularitas, est indignitas, quæ impedit collationis vires, vsum scilicet ordinum; ergo collatio facta irregulari est ipso iure nulla.

Secundò, quia in prædicto *cap. 2. de cleric. pug. in duello*, dicitur posse dispensari cum quodam clerico, qui erat irregularis, quoad beneficium obtinendum; ergo collatio illi facta sine tali dispensatione erat nulla, cum non fuerit canonicè facta; fuit enim facta contra sacrorum canonum impedimentum: ergo non canonicè.

Tertiò, quia licet irregularitas nunquam incurratur, nisi expresse sit in iure expressa, vt dicitur *in cap. Is qui, de sent. excommunicat. lib. 6.* & consequenter neque etiam collatio beneficij, sit ipso iure nulla, nisi etiam in casibus iure expressis, & nullus textus detur, qui expresse dicat hanc collationem factam irregulari esse ipso iure nullam; tamen verba textuum quos allegauimus, satis ostendunt irregularem habere expressum impedimentum, quo reddatur inhabilis ad talem impetrationem, & collationem beneficij, & ita habet vsus, & consuetudo totius orbis, quæ huiusmodi irregulares ita impeditos indicat, vt non possint validè beneficia obtineri; vsus enim, & consuetudo interpretari potuit hunc esse verum sensum illorum textuum.

Quartò, quia semper hîc interuenit defectus voluntatis ex parte conferentis, qui defectus sufficit, vt collatio sit omnino nulla ipso facto, & in hoc est differentia maxima inter beneficium obtinendum, & iam obtentum, quod iam obtentum, fuit legitima voluntate collatum, & iam ab illa non pendet; obtinendum verò pendet à voluntate conferentis, quæ voluntas non censetur de iure dari, nisi persona sit habilis; non est autem iure, & canonicè habilis, quandiu est irregularis; ergo collatio irregulari facta, est nulla.

23. Secunda opinio docet non posse irregularem licitè beneficium de nouo accipere absque dispensatione irregularitatis, validè tamen illi conferri, & dum per iudicis sententiam talis collatio illi facta non irritatur, licitè, & iustè retinere prædictum beneficium, & fructus eius percipere. Ita

Suarez. expresse Suarez *tom. 5. de cens. disput. 40. sect. 2. num. 34. 35. & 36.* (non negat tamen Suarez priorem sententiam esse securiorem, & practicè probabiliorem) Innocentius *in cap. nostr. de concess. preb. num. 1.* Anchar. *in regula peccati venia, in 6. opposit. 1.* & cum Speculatore Francus *in prædicta regula, num. 5. ad finem.* Syluest *verb. Excommunicat. 4. num 4.* citans glossam Raymundi, Nicol. Plouius *de irregularit. num. 39. & 40. regula 44.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 34. dub. 22. n. 116. §. notandum tertiò*, & in eam inclinat Felinus *in cap. Inquisitionis, de accusat. num. 6. & 8* Probant primò, quia nullum ius est, in quo irregularibus imponatur hæc pœna, vt collatio beneficij illis facta, sit ipso iure, & facto nulla, & sicut irregularitas non incurritur nisi in iure sit expressa, *cap. Is, qui*, vbi DD. *de sent. excomm. lib. 6.* ita neque hæc tam grauis, & acerba pœna irregularibus est imponenda, nisi in iure expresse illis imponatur: nam secluso speciali iure, irregulares, qua tales, non sunt incapaces beneficij Ecclesiastici, cum illud retinere possint; nec per irregularitatem fiunt magis incapaces receptionis, quàm retentionis, quia sicut retinere non est actus ordinis, ita nec recipere.

Innoc. Anchar. Franc. Syluest. Raymund. Plouius. Lessius. Felin.

24. Confirmatur, quia iura quæ allegantur pro prima opinione, solum prohibent, non irritant, ipso facto, collationem beneficij factam irregularibus: iura enim, quæ allegantur, & quæ allegari possunt pro contraria opinione, hæc sunt, in primis caput 2. *de cleric. pugn. in duello*, & caput 2. & caput finale *de cler. non ord. ministr.* caput, *Cum bona, de ætat. & qualit.* caput, *Dudum, de elect.* caput, *Cum inter*, *eodem titulo*, caput, *Postulastis, de cler. excom. ministr.* At *in cap. 2. de cler. pug. in duello*, solùm dicitur posse dispensari cum clerico irregulari quoad beneficium obtinendum. Ex quibus verbis solùm probari potest, talem collationem, si illi facta fuerit, posse per iudicis sententiam irritari, non tamen fuisse ipso facto irritam, si absque tali dispensatione beneficium illi conferatur.

Caput secundum, & caput finale, *de cleric. non ord. ministr.* nihil probant, quia neque ex illis satis constat, sermonem ibi esse de beneficio obtinendo, neque illam fuisse veram dispensationem: quia in capite secundo sermo est de professione facta in religione: ibi enim dicitur, *Salubriùs autem sibi prouidebit, si ad regularem vitam se duxerit transferendum.* Supponit ergo irregularem esse habilem ad professionem religionis, cur ergo non erit etiam habilis ad receptionem beneficij Ecclesiastici, cum professio in religione beneficium quodammodo sit: est enim ius ad portionem, & vestitum, sicut beneficium est ius ad receptionem fructuum beneficij Et verò quòd professio facta ab irregulari in religione approbata à Summo Pontifice, valida sit, licet illicita, patet ex *cap. 1. de filijs presbyter.* & ex *cap. 2. de apostatis.*

In capite, *Cum bona*, quod pro contraria opinione allegari potest, *de ætat. & qualit.* non est sermo de irregularitate, sed de suspensione, & de suspensione absoluta, quæ videtur includere priuationem à beneficio obtinendo, & obtento, quam irregularitas non includit; nam textus ille non minùs de beneficio obtento, quàm de obtinendo procedit, vt patet ex illius verbis, ibi: *Non licet eis illa, quæ habuerunt beneficia, vel quæ postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere.*

In cap. *Dudum, de electione*, solùm dicitur eum, qui ad ordines defectum patitur, impediri per sacrorum canonum sanctiones, quo minùs possit ad officium Prælaturæ promoueri. In quo significatur, talem electionem esse illicitam, & prohibitam; non tamen esse ipso facto irritam.

Caput, *Cum inter*, solùm loquitur de electione, & collatione facta à suspensis à beneficio, & iurisdictione, de qua omnino est diuersa ratio; nam electio facta à suspensis ab officio, & beneficio, ipso iure est nulla, cap. *Cum inter R.* vbi Abbas *num. 16. de elect.* cap. *Cum dilectus, de consuetud.* cap. *Cum bona, de ætat. & qualit.* allegato, cap *Postulastis, de clerico excommun. ministrante*: at nullibi in iure inuenitur expressum, quod collatio facta irregulari, sit ipso facto nulla.

Denique in cap. *Pastoralis*, sermo est de excommunicato, non de irregulari, nam certum est in iure non valere, & irritam omnino esse, non irritandam, collationem factam excommunicato. Vnde ille excommunicatus, qui in excommunicatione beneficium obtinuit, non potest tuta conscientia illud retinere, nec fructus illius percipere, nisi cum illo fuerit dispensatum, cap. *Postulastis*, vbi Abbas *num. 2. de cleric. excom.* Si tamen tempore collationis, quoad illum effectum fuerit absolutus ab illo, qui absoluere potest, vt mos est in

litteris

litteris Apostolicis de prouidendo io aliquo beneficio, quæ sempet afferuot illam clausulam de absoluendo, vel absolutum censeri ab omni excommunicatione, quoad illum effectum; tunc valet collatio, vt est textus, vbi communiter Doctores in cap. *Proposuit*, *de cleric. excom.* at non est argumentandum de collatione facta excommunicato ad collationem factam irregulari, quia in legibus pœnalibus argumentum à simili non est efficax, maximè, cum plures effectus habeat excommunicatio, quàm irregularitas.

Neque etiam adduci potest textus in capite vltimo *de clerico non ordinato ministr.* vbi dicitur excommunicatum minori excommunicatione esse ineligibilem, quòd videatur idem à fortiori dicendum de irregulari: nam hoc etiam solùm probat eam electionem excommunicati minore excommunicatione esse illicitam, & irritandam,
Suarez. non verò ipso iure irritam, vt docet Suarez *tom 5. de censur. disput.* 40. *sect.* 2. *num.* 31. *fol. mihi* 986. *col.* 1. & quamuis foret ipso iure irrita, non bonum argumentum inde deduceretur ad irregularitatem, quia, vt dixi, in pœnis non valet argumentum à simili.

25. Probant secundò, quia si collatio beneficij facta irregulari esset ipso facto irrita, & irregularis, esset ineligibilis, & incapax ad obtinendum beneficium; sequeretur, quòd collatio facta irregulari illi, qui absque culpa sua factus est irregularis, vel defendendo iustè proximum, vel officium iudicis exercendo, non valeret. Quod videtur contra totum titulum *de cleric. ægrot.* vbi habetur irregularem clericum esse inhabilem ad vlteriores ordines suscipiendos, non tamen ad vsum ordinum susceptorum.

26. Ita se habent huiusmodi opiniones; ista secunda non est improbabilis. Prima tamen est communior, & verior, & ab ea non est recedendum. Neque rationes ac fundamenta huius secundæ multum vrgent: nam ad primam & secundam rationem respondeo, falsum omnino esse, irregularem tam esse inhabilem ad beneficia de nouo obtinenda, quàm ad iam obtenta retinenda, vt patet ex dictis; in iure verò satis expressum est, irregularem esse ineligibilem ad officium, & beneficium, vt patet ex capite vlt. *de clerico non ord. ministr.* ineligibilitas autem non potest solùm intelligi de ineligibilitate irritanda, vt voluit Sua-
Suarez. rez *tom.* 5. *de cens. disp* 40 *sect.* 2. *num.* 32. Sed de vtraque ineligibilitate est intelligenda tam irritanda, quàm irrita. Nec refert quòd prædictus textus loquatur de excom. minori; quia ratio, quæ in eo textu datur, expressè cernitur in irregulari. quia prædictus irregularis, qui eligitur ad beneficium, & cui beneficium confertur, ad id munus eligitur à quo per sacros canones est separatus, & inhabilis, quæ inhabilitas intrinsecè oritur ex ipsa irregularitate, secluso omni iure positiuo. nam contra ius naturale est, posse validè beneficium conferri ei, qui officium ob quod datur, non potest implere: quare quamuis in iure non sit expressum quod irregularis est inhabilis vt ei validè beneficium conferatur, tamen sufficit, quòd sit inhabilis ad exequendum officium, seu vsum officij clericalis, ob quod ei datur, & confertur beneficium.

27. Confirmatio, quæ sumitur ex interpretatione textuum hactenus data, qui pro prima opinione adducuntur de facto, vel adduci poterant, est omnino extorta, & contra mentem textuum: nam dum Summus Pontifex ait in cap. 2. *de cleric. pug. in duello*, posse dispensari cum clerico irregulari, & de facto inibi dispensat cum illo, non intelligit de dispensatione, vt licitè accipiat beneficium, sed vt validè, vt vtis communis interpretatur. Et sic iam in iure est expressum, irregularem esse incapacem, vt validè beneficium de nouo accipiat, & collationem illius illi factam esse similiter irritam, & inualidam.

Ad secundam rationem respondeo, eam solùm probare illum, qui sine culpa sua incidit in irregularitatem, vel quia fures suspendit, eo quòd officium iudicis exercebat, vel quia ei sine culpa sua à prædone abscissi fuerunt duo digiti, & dimidium palmæ, vt dicitur *in cap. Presbyterum*, *de cleric. ægrot.* posse licitè, & validè obtinere beneficium non requirens maiorem vsum ordinum, quàm illorum, quos iam habebat: nam in eo capite habetur huiusmodi irregulari posse beneficium conferri non requirens celebrationem Missæ: vnde infert Suarez *tom.* 5. *de cens. disput.* 40. Suarez. *sect.* 2. *num.* 38. *ad finem*, omni irregulari, qui siue culpa, siue sine culpa sua irregularitatem contrahit quæ maiorem vsum ordinum non requirit, quàm eius, quem prædictus irregularis non habet impeditum, posse licitè, & validè beneficium conferri, vt de irregularitate contracta sine culpa patet ex prædicto *cap. Presbyterum*, *de clerico ægrotante*; & de irregularitate contracta cum culpa ex *cap.* 2. *de cleric. non ord. ministr.* & ex *cap. Studeat*, *dist.* 50. sed de hac re redibit sermo *num.* 33. 28.

Ille verò, qui iustè proximum suum defendit occidendo illius iniustum inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, nullo modo fit irregularis, cum inuoluntariè omnino occiderit, & huic actui non se antecedenter ingesserit, quemadmodum iudices antecedenter se ingerunt officio iudicum voluntariè illud suscipientes, vnde contrahunt irregularitatem ex defectu lenitatis; quod infra latius patebit. Argumentum verò deductum ex cap. 2. *de cler. non ordin. ministr.* vnde sumitur, exemplum à professione religionis ad receptionem beneficij, non valet, quia professio religionis non est propriè beneficium, vnde facta ab irregulari est valida, non verò collatio, & acceptio beneficij illi facta; nam professio de se, & ex se non requirit ordines, neque ex natura sua ordinatur ad exercenda clericorum ministeria, sed ad perfectionem acquirendam per obseruationem regularum illius religionis, in qua emittitur. Et quamuis sint aliqua impedimenta, quæ ipsam professionem reddant inualidam, vt defectus ætatis, & defectus integri anni nouitiatus, & debita æris alieni, quæ religio soluere non possit; tamen illa non sunt irregularitates, sed sunt alterius generis impedimenta. 29

Oppones, collatio beneficij facta ab irregulari est valida: potest enim, vt suprà diximus, irregularis licitè, & validè beneficium renunciare in fauorem tertiæ personæ, etiam post sententiam priuatoriam illius, si ab ea legitimè fuit appellatum. Ergo, & facta personæ irregulari valida erit. Consequentia videtur bona, quia in his rebus plus est dare, quàm accipere, & irregularitas ex se, & ex natura sua magis separat ab agendo, quàm à patiendo, & recipiendo. Negatur consequentia, quia si hoc argumentum aliquid probaret, multum probaret: probaret enim collationem factam irregulari non solùm esse validam, sed etiam esse licitam; quod tamen authores huius secundæ opinionis negant. Ratio ergo 30.
diuer

diuersitatis est, quia renunciare beneficium, neque per se, neque ex consequentia est prohibitum iure canonico irregulari. Non per se, quia non est actus ordinis; non ex consequenti, quia irregularis renuntians beneficium, licet det aliquid, quod postulat executionem ordinum, à quibus ipse per irregularitatem est suspensus, tamen non confert inhabili, sed alteri habili. Ita
Suarez. Suarez *tom.5. de cens. disp.40. sect.2. num.40. fol. mihi 988. col.2.* glossa in cap. *Cum olim, de maiorit. & obed.* Selua *de benef.2. part. quæst.11. n.7.*
Selua.

31. Si Summus Pontifex conferat beneficium ei, quem sciebat esse irregularem; vel quia ei proposita fuit ipsa irregularitas; vel quia ille illius notitiam habebat, eo ipso cum illo dispensat ad talem collationem: si verò illi non fuit proposita, aut illam ignorabat, eo ipso collatio est nulla, quia inuoluntaria fuit, & subreptitia. Ita
Suarez. Suarez modò allegatus *num.36.* & ideo fortasse ait
Calderin. Calderinus *consil.20. in tit. de preb. & consilio 4. in titul. de occusat.* impetrationem literarum ad beneficia ab irregulari obtentam esse nullam, & irritam: quod procedit etiam de Episcopis respectu omnium irregularitatum, in quibus illi dispensare possunt.

32. Prima sententia procedit non solùm in beneficiis curatis, sed etiam in simplicibus. Ita specia-
Garcia. tim Garcia *de benef.7 part. cap.11 num.15.* Naua-
Nauar. rus *in summ Lat. cap.27. num.249.* Suarez *tom.5.*
Suarez. *de cens. disp.40. sect.2. num.36.* & ita ferè omnes pro prima, & secunda opinione allegati, quia caput *de cler. pugnant. in duello*, & caput, *Studeat, dist 50.* probant irregularem esse inhabilem ad obtinendum beneficium etiam simplex sine dispensatione, & iuuat Concil. Trid *sess.14. cap.7. de reform.* vbi de homicida ait. *Vt nullo vnquam tempore ad sacros ordines promoueri possit, nec illi aliqua beneficia Ecclesiastica, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat.*

33. Licet Zerola *in praxi Episcopali 1. part. verb. Priuatio, & 2. part. verbo, Irregularitas, §.10.* non bene dicat irregularem ex homicidio voluntario, si non est homicida ex industria, bo e est, ex proposito, non esse ipso iure inhabilem ad beneficia simplicia, quæ sacros ordines non requirunt, & allegat pro se Caputacensem *decis.236. part.1.* qui id non dixit. Solùm enim loquitur, vt aduer-
Garcia. tit Garcia *num. præcedenti*, allegatus de irregularitate contracta ex morbo sine culpa contrahentis: & laborantem morbo caduco reddente illum irregularem si iam primam tonsuram habet, non fieri irregularem ad beneficia simplicia; quod verum omninò est: quia nec etiam clericus iam aliquos sacros ordines habens, si ob infirmitatem, irregularitatem contrahat, fit irregularis ex defectu ordinis vlterioris ad obtinenda ea beneficia, quæ requirunt vsum tantummodo ordinis, quem
Garcia. habet, vt suprà diximus *num.28.* Ita docet Garcia
Azor. *de benef.7. part. cap 11. num.18.* Azor. *tom.1. inst. moral. lib.6. cap 4 quæst. 14.* vbi ait eum, qui suscepta prima tonsura sinistri oculi infirmitate, vel capitis morbo laborat, irregularem esse ad sacros ordines, posse tamen beneficium simplex obti-
Suarez. nere. Et Suarez *tom. 5. de cens. disput. 40. sect.2. num 18.* id ipsum etiam ait; dicit enim ibi, eum, qui laborat morbo aliquo impediente vsum sacrorum ordinum, irregularem esse ad beneficium curatum obtinendum, non autem ad simplex, si iam primam saltem tonsuram habet; & id ipsum
Lessius. docet Lessius *tom.1. de iust. lib.2. cap.34. num.121.*
Saytus. & Saytus *lib.6. cap.2. num.23. de excomm.* & citant textum capitis 2. *de clerico ægrotante*, vbi, vt suprà iam retulimus, dicitur, illum clericum, cui duo digiti, & dimidium palmæ à prædone sine culpa sua fuerunt abscissi, posse habere beneficium, eique de nouo conferri, non requirens celebrationem.

Clerico tamen incidenti in cæcitatem, non videtur de nouo posse conferri beneficium simplex, quia ratione talis infirmitatis fit irregularis ad recitandas horas canonicas, & officium diurnum; beneficium autem datur propter officium. Ita Lessius allegatus *num.130.* & Garcia item citatus *num.34.* 34.

SVMMARIVM.

An suspensus ab officio sit ipso iure suspensus à beneficio. num.35.
Refertur sententia negans, siue suspensio fit à iure, siue à iudice, & siue ob crimen leue, siue magnum, & contumacia. num.36.
Refertur sententia affirmans minùs probabilis, quàm prima. num.37.
Quando aliquis suspenditur per iudicem ab officio, vel beneficio, intelligitur suspensus in eo territorio, vbi iudex iurisdictionem exercet, potestque in illo officium, & beneficium habere. num.38.
Refertur tertia sententia distinguens inter crimen leue, & graue, & in crimine graui esse suspensum ab officio, esse ipso iure suspensum à beneficio, secus in leui. num.39.
Præfertur omnibus prima sententia. num 40.
Respondetur ad fundamentum tertiæ opinionis. numero 41. 42.
Si suspensio ab officio facta à iudice sit perpetua, dicunt nonnulli authores suspensionem à beneficio includi tunc in suspensione ab officio, & non facere suspensum fructus suos. num 43.
Improbatur hæc sententia num.44. Suspensus à iudice in perpetuum ab officio, tenetur renuntiare beneficium, & quare. ibid.
Suspensus à iudice à beneficio, non est suspensus ab officio, neque à iurisdictione, quam exercet ratione officij. num 45.
An suspensus ab officio possit obtinere nouum beneficium, ita vt electio illius, collatio, & præsentatio illi facta noui beneficij, non solùm sit illicita, sed etiam irrita. num.46. Refertur prima, & communior opinio affirmans. ibid.
Suspensus ab officio, potest facere, & de facto facit fructus suos beneficij antiqui, non illius, quod de nostro ei confertur. num.47.
Refertur opinio asserens suspensum ab officio posse validè obtinere nouum beneficium, non tamen licitè. num.48.
An suspensus à beneficio possit eligere, & eligi, conferre, & ei conferri aliud de nouo. num.49. Modò id ei non competat ratione beneficij. de excommunicato, & interdicto quid. num.50.

AD complementum doctrinæ huius capitis, solùm restat inquirere: An suspensus ab officio, sit ipso iure suspensus à beneficio: & an collatio beneficij facta suspenso, interdicto, vel excommunicato, sit ipso iure irrita, an tantùm sit illicita, & irritanda, quia prohibita, valida tamen. Et quamuis hæ quæstiones pertineant ad titulum suspensionis, & excommunicationis, & homicidij: tamen vt hîc hæc omnia simul reperiantur, ne intellectus vacillet, operæ pretium duximus ea explanare. 35.

36. Et verò circa primum punctum variæ sunt opiniones. Prima ait suspensum ab officio non eo ipso censeri suspensum, ipso iure à beneficio; siue suspensio sit à iure, siue à iudice; & siue propter crimen leue, siue magnum, & immane imposita, siue ob aliam quamcumque causam. Hanc tenet Suarez *tomo 5. de cens. disp. 26. sect. 3. num. 4. fol. mihi 685. col. 2.* Toletus *lib. 1. summa, cap. 43. num. 5.* Glossa *in Clementina, cupientes, de pœnis, verb. suspensi.* Nauar. *cap. 27. in sum. Lat. 160* Abbas *in d. Clem. cupientes, & in c. Apostolis, de except.* Et ideò quando suspensio ab officio præcisè fertur, siue à iudice, siue à iure, siue ob delictum graue, siue leue, sicut prædicta suspensio non includit ipso iure suspensionem à beneficio, sic consequenter non priuat suspensum fructibus beneficij exceptis distributionibus, quæ non conferuntur, nisi iis, qui personaliter assistunt, & ministrant diuinis officiis, vt præcitati auctores docent. Et ratio est, quia suspensio ab officio non includit ex natura sua suspensionem à beneficio: nam aliquando iudices in pœnam criminis imponunt suspensionem ab officio tantùm; aliquando ab officio, & beneficio simul: & in iure inuenitur etiam aliquando suspensio posita ab officio tantùm; aliquando ab officio, & beneficio. frustra igitur adderetur secunda pars à beneficio, si includeretur in prima, nẽpe in suspensione ab officio, neque enim iura, & iudices verba addũt frustratoria, quod patet ex *cap. Inter, de purg. canon.* ibi, *licet Ecclesiastica constitutio tales ab officio tantùm, vsque ad purgationem canonicam doceat suspendendos, quia tamen etiam eum à beneficio propter immanitatem suspendisti, nolumus improbare.* Ex quibus verbis constat suspensionem ab officio non includere suspensionem à beneficio, nisi exprefsè adiungatur. Et ratio est, quia in pœnalibus verba strictè accipienda sunt; nam quando lex vult, vtrumque exprefsè imponit, vt patet *ex cap. decernimus, dist. 28. cap. præter dist. 32. cap. 1. de secundis nupt. cap. 2. de fideiussor.*

[Margin: Suarez. Tolet. Glos. Nauar. Abbas.]

37. Secunda opinio docet in suspensione ab officio, siue à iure, siue ab homine, semper suspensionem à beneficio contineri, sic suspensum ab officio, ipso iure suspensum esse à beneficio, & non facere fructus suos. Ita gloss. *in clement. cupientes, de pœnis, verbo suspensi.* Cardinalis *in clem. 1. quæstio 7. versic. cæterum, de priuileg.* Imola *in cap. cum dilectus, col. 7. de consuet.* Præpositus *in cap. Presbyterum col. 2. & 3. dist. 28.* Glossa *in capite latores, de cleric. excom. minist. verbo ab officio*, Glossa *in cap. quia sæpè, de elect. eodem verbo, suspensi.* Et ratio est, quia beneficium datur propter officium, ergo suspensus ab officio, eo ipso censetur suspensus à beneficio, & non potest consequi fructus beneficij; nam accessorium sequitur principale; beneficium autem accessorium est respectu officij; confirmatur, quia excommunicatio priuat fructibus beneficij: & potissima ratio huius priuationis est, quia excommunicatio ipso iure priuat excommunicatum omni vsu Ecclesiastici officij: ergo idem erit de suspensione ab officio.

[Margin: Cardin. Præpo. Glos.]

38. Addit etiam hæc opinio suspensum simpliciter per iudicis sententiam à beneficio intelligi solummodo suspensũ in eo territorio, in quo beneficiũ habet, & iudex suã iurisdictionẽ exercet. posséque proinde habere beneficium in alio territorio, quia illa suspensio simpliciter factà non intelligitur nisi in territorio illius iudicis. Ita tenet gloss. *fin. in cap. Pastoralis. §. verùm, de appel.* Si autẽ iudex explicauit suam mentem in sententia, & in ea declarauit illum esse suspensum ad omnia beneficia absolutè: tunc asserit hæc opinio effectum sententiæ porrigi, atque extendi ad beneficia extra territorium iudicis, executionem tamen illius sententiæ pertinere ad iudices territorij, in quo sunt prædicta beneficia. Ita Anton. de Butr. Abbas *num. 21.* & alij, *in dicto capite Pastoralis citato §. verum, de appellat.* Salzedus *in pract. cap. 230. num. 3.* Si autem suspensio sit à iure, tunc ait hæc opinio, suspensum remanere inhabilem ad omnia beneficia absolutè in quocumque territorio obtinenda.

[Margin: Glos. Salzed.]

39. Tertia opinio distinguit de suspensione à iudice ob crimẽ leue, & ob crimen graue, & immane: nam si quis suspendatur ob crimen graue, v.g. ob contumaciam, asserit suspensum ab officio, esse suspensum à beneficio, & non facere fructus suos, quia illos potest facere, si velit resipicere, & emendari, neque de illis illi esse prouidendum, donec emendetur, quia per illum stat; secus si crimen sit leue, & non pendeat à voluntate suspensi: tunc enim ait suspensum ab officio non esse ipso iure suspensum à beneficio. Ita Abbas *in cap. Pastoralis, § verum, num. 16 de appellat.* Glossa *in cap. Vvintoniensis, de elect.* Fundamentum huius sententiæ est, quia crimen graue, & immane maiorem pœnã merentur, quàm leue; quare ratio ipsa postulat, vt pro vtroque hæc distinctio inferatur.

[Margin: Glos.]

40. Verùm prima opinio omnibus præfertur: neque enim verum est in verbo, *officium*, contineri beneficium: & esse officium principale, beneficium accessorium, licèt beneficium propter officium detur. Nam licet ratio institutionis beneficij sit officium, & ob officium, beneficium instituatur: tamen non semper necessarium est, vt qui habet beneficium, per se, & personaliter exerceat officium, vt validè, & interdum licitè fructus beneficij percipiat, cum per alium illud possit exercere; ac proinde licet quis suspendatur ab officio, non propterea, & quasi ex natura rei, suspenditur in radice à beneficio, & fructibus illius, eo vel maximè, quia semper tenetur officium canonicum recitare, quod est præcipuum onus beneficij, vel saltem magna pars illius. Solùm ergo illa ratio potest procedere in illis fructibus, qui respondent assistentiæ, & ministerio personali, quod per alium exerceri non potest, quales sunt distributiones quotidianæ, Ecclesiarum cathedralium, iuxta *cap. licet, de præbend.* ita respondet Suarez *tomo 5. de cens. disp. 26. sect. 3. n. 4. fol. 686. col. 1.* Et hæc ad fundamenta secundæ opinionis.

[Margin: Suar.]

41. Ad fundamentum tertiæ opinionis respondeo distinctionem illam criminis grauis, & leuis non venire ad rem: nam ad internoscendam pœnam grauem, vel leuem, quæ delicto imponitur, non est attendendum ad grauitatem, & leuitatem delicti, sed ad verba legis & iudicis; imò potiùs ad verba iudicis, quàm legis. nam si iudex ferat sententiam sub hac forma, *Suspendo te ab officio, & beneficio*, licet attenta qualitate lumiois pœna sit admodum rigorosa ob lenitatem criminis, valebit tamen dummodo intolerabilem errorem non cõtineat; solent enim iudices in crimine minùs graui aliquas circumstantias considerare, quæ grauissima pœna dignæ sunt. At verò si iudex sententiam in hunc modum ferat, *Suspendo te ab officio, vel beneficio*, licet crimen veram suspensionem officij, & beneficij mereatur, nulla erit sententia, quia iudex nullam in ea pœnam determinatam imposuit, nam ex vi verborum neutra signatè imponitur. Ita Syluester, *verbo Suspensio, à num. 5.* Suarez *tomo 5. de cens. disp. 26. sect. 3. num. 6.*

[Margin: Suar.]

42. Neque in hoc negotio admittenda est consi-

deratio contumaciæ delicti: quia nec etiam suspensio posita à iudice, vel iure ob delicti contumaciam, si sit ab officio tantùm, includit suspensionem à beneficio, quia, vt dixi, in pœnis semper inspicienda sunt verba iudicis, & iuris, & pœnæ non sunt ampliandæ: quamobrem licet crimen sit dignum morte, si tamen iudex delinquentem ad mutilationem membri condemnet, ea erit illius pœna, quia de facto possunt iudices aliquando minuere, aliquando pœnam augere, visis, & consideratis circunstantiis delicti, quas non potuit lex considerare; iuxta quas prudentialiter iudicium proferet.

43. Si tamen suspensio ab officio imposita à iudice fuerit perpetua, existimant nonnulli tunc suspensionem à beneficio, & fructibus illius includi in ea perpetua suspensione ab officio: & hi sunt Toletus *lib. 1. summa cap. 43. num. 3.* Cardosus *in praxi iudic. verbo, suspensio. num. 3.* Imola *in cap. cum dilectus, de consuet. col. 8.* Decius *in cap. Apostolica, de except.* Salxedus *in practica cap. 130. num. 5.* Graphis *lib. 4. decis. aur. cap. 25. num. 7. circa finem.* Glossa *verbo suspendatur, in cap. si quis Episc. dist. 83.* Citatur etiam pro hac parte caput *si quis 1. q. 3.* Ratio illorum est, quia cum beneficiú detur propter officium, idem est, perpetua suspensio ab officio, atque perpetua suspensio, & priuatio à beneficio. Deinde quia ea perpetua suspensio ab officio, est similis perpetuæ depositionis beneficij.

Tolet. Cardos. Imol. Dec. Salxed. Graph. Glos.

44. Sed neque etiam hæc doctrina placet, quia quamuis suspensio ab officio sit perpetua, semper est suspensio ab officio, & nunquam est suspensio, aut priuatio à beneficio, & in pœnis non datur extensio: nam licet beneficium propter officium detur, nunquam beneficium est accessorium officio, vt suprà diximus. Ita docet Sayrus *lib. 4. de cens. cap. 5. num. 7.* Vuald. *in candelab. vbi de suspens. num. 171. conclus. 1.* Henriquez *lib. 13. de excom. & suspens. cap. 32. pag. 3. & alij.* Non est tamen negandum, suspensum à iudice in perpetuum ab officio teneri renunciare beneficium, quia cum beneficium detur, & instituatur propter officium, si ille in perpetuum suspenditur ab officio, indirectè manet obligatus ad dimittendum, resignandúmque beneficium, quod licitè, & validè facere potest, si à sententia appellauerit, dum ei locus datur ad proponendam legitimam appellationem, vt suprà diximus *num. 17. de irregular.* Et verò, si huiusmodi suspensus ab officio in perpetuum renunciare noluerit, aut meliorationem procurare sententiæ; tunc quidem ob contumaciam beneficio priuari potest à iudice, vt docet idem Sayrus *argumento capitis cum bona, de ætat. & qualit.* nunquam tamen tunc suspensio officij, est priuatio beneficij, nec ratione suspensionis ab officio, sed ratione noui delicti contumaciæ priuatur beneficio.

Sayrus. Viuald. Henr. Sayrus.

45. Et consequenter si suspensio imposita à iudice, vel à iure sit suspensio à beneficio; non ideo censebitur ita suspensus, suspensus ab officio, & à iurisdictione illa, quam ratione officij exercet. Ita Toletus *lib. 1. summa cap. 43. num. 4.* Glossa *in cap. Cum Vintonensis, de elect.* Panorm. *in cap. cum dilect. de consuetud. num. 20* Nauarrus *in summa Lat. cap. 27. num. 153 versu sexto.* Si tamen iurisdictio illa erat adnexa beneficio, non officio; tunc quidem suspensus à principali, hoc est, à beneficio, eo ipso erit suspensus à tali iurisdictione, quæ illi est accessoria, iuxta decisionem capitis, *cum in cunctis, de elect. in 6.*

Tolet. Glos. Panorm. Nauar.

46. Præcipuum dubium hic est, an suspensio ab officio impediat collationem noui beneficij, ita vt collatio, præsentatio, aut electio sic suspenso facta, non solùm sit illicita, sed etiam ipso iure irrita. Et verò hac de re est duplex opinio. Prima, & communior affirmat. Eam docet Toletus *in summa. lib. 1. cap. 14. § vltimo.* Sayrus *de censur. lib. 4. cap. 5. num. 5. & 6.* Suarez *tomo 5. de cens. disp. 26. sect. 3. num. 7.* vbi dicit hanc opinionem esse probabilem, & pro hac opinione citari possunt omnes, quos citauimus *num. 4.* pro prima opinione, asserentes collationem factam irregulari non solùm esse illicitam, sed etiam ipso facto irritã. Patet ex cap. *dilectus, de consuet.* & ex glossa ibi. Fundamentú illorum est, primò, quia licet eligi ad beneficium, & collocari in beneficio, non sit actus officij, à quo ille, cui beneficium confertur, est suspensus; tamen cum suspensus ab officio, sit priuatus officio propter quod beneficium datur, consequenter etiam, & in radice censetur priuatus susceptione, & collatione beneficij, quod ei dari, & cóferri nõ potest sine tali officio. Secundò, quia, in cap. vltim. *de cler. excom. minist.* dicitur excommunicatum minori excommunicatione esse ipso iure inelegibilem ad beneficia Ecclesiastica, quod perinde est, ac dicere, vt suprà diximus, nec licitè, nec validè posse eligi; ergo à fortiori hoc dicendú est de suspenso ab officio, cum prædicta suspensio grauior sit cẽsura. Tertiò, quia suspẽsus ab officio, nec licitè, nec validè potest actiuè eligere, præsentare, aut conferre beneficium alicui, *c. cum inter R.* vbi Abbas, *num 6.* & DD. communiter, *de elect. cap cum dilectus, de consuet. cap. cum bona, de ætat. & qualitat cap. Postulastis, de cleric. excom. ministr.* ergo nec passiuè eligi, cum eadem sit ratio. Nec dici potest, quod argumentum à simili in materia pœnali vim non habeat, quia, vt optimè notat Suarez, modò allegatus, argumentum deductum ab excommunicatione minori ad suspensionem, non est à simili, sed est deductum ex regula generali, quæ in prædicto capite vltimo, *de cler. excom. ministr.* ponitur, eum scilicet, qui est suspensus, & priuatus officio, consequenter, & in radice suspensum, priuatum; atque inhabilem esse, ad ea, quæ nec dari, nec constare possunt sine tali officio. Vnde licet in suspensione ab officio formaliter, & expressè non fiat mentio suspensionis, & inhabilitatis ad comparandum beneficium; tamen in radice continetur huiusmodi suspensio, & inhabilitas in illa.

Tolet. Sayrus. Suar. Abbas.

Notabis autem illum, qui est priuatus ab officio non à beneficio, licitè posse percipere fructus ipsius beneficij, & facere illos suos, quia diuersissimum quid est, nouum titulum beneficij noui acquirere, atque acquisitum retinere; & ideo licet suspensus ab officio non possit validè nouum titulum beneficij acquirere; iustè tamen & licitè retinet acquisitum, dum illo iudicis sententiâ non priuatur; quare cum fructus debeantur propter titulum beneficij, qui illum iustè retinet, iustè, & validè illos potest recipere. Ita Suarez numero sequenti allegandus, & communiter DD. 47.

Secunda opinio, quam probabilem dicit Soares *tomo quinto, de cens. disp. 26. sect. 3. num. 7 & 8.* ait prædictam collationem noui beneficij factam suspenso ab officio esse illicitam, & prohibitam, non tamen irritam, sed irritandam, quemadmodum etiam dixerat de collatione facta irregulari, & pro hac opinione citari possunt omnes, quos suprà citauimus *num. 23.* dicunt collationem beneficij, factam irregulari ex homicidio voluntario esse illicitam, sed validam, & non esse ipso iure irritam, 48.

ritam, sed irritandam; & hi sunt Innocent. *in cap. cum nostr. de conceß. prabend. num.* 1. (Anchar.) Ancharran. *Regula, peccati venia. in 6. opposit.* 1. (Francus.) Francus ibi, *num.* 5. *ad finem* (Syluest.) Syluester *verbo, Excom.* 4. *num.* 4. (Plouius.) Nicolaus Plouius *de irregular. regula* 44. *num.* 39. *&* 40. (Lessius.) Lessius *tomo* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 21. *num.* 116. §. *notandum* 3. Sed hæc opinio Suarij, ex iisdem fundamentis reiicitur, quibus reiecimus suprà à numero 22. illam etiam illius, qua tenuerat collationem factam irregulari esse illicitam, sed validam, irritandam, non irritam: & ex fundamentis modò factis pro nostra prima sententia *num.* 46. explicata manet. fundamenta enim Suarij sunt prorsus eadem, quæ fecerat pro irregolari; quare non est cur iterum proponantur, & soluantur, cum iam proposita, & soluta sint.

49. Suspensus autem à beneficio potest licitè, & validè eligere, & eligi, conferre, & ei conferri aliud beneficium de nouo; non potest tamen nec licitè, nec validè percipere fructus beneficij iam obtenti, à quo suspensus est, vt modò diximus, *num.* 47. nisi ad modicam pensionem, si est pauper, & non habeat, vnde sustenretur, ne cum dedecore sacrorum ordinum mendicare cogatur. (Tolet.) Ita Toletus *lib.* 1. *summæ cap.* 14. §. *vltimo* (Panorm.) Panormitan. (Felin.) & Felinus *in cap. Apostolica, de except.* (Palud.) Paludanus *num.* 4. *dist.* 18. *quæst.* 7. *art.* 3. *conclus.* 8. (Saytus.) Saytus *lib.* 5. *cons. cap.* 6. *num.* 4 vbi benè asserit suspensum à beneficio tantum, in nullo officio habere impedimentum, & ideò posse excommunicare, eligere, & eligi, præsentare, & præsentari; quod expreßè etiam tradit glossa *in cap. Cum Vintoniens. verbo, admiserant* (Nauar.) Nauarrus *in summ. Lat. cap.* 27. *num.* 16. *versu, Sexto* (Henriq.) & Henriquez *lib.* 13. *de excom. cap.* 32. *pag.* 4. Et ratio, ac fundamentum est, quia suspensio à beneficio non includit suspensionem ab officio; quare si ei competit electio, & collatio ratione officij, cum ab illo non sit suspensus, eligere, & conferre poterit licitè, & validè. deinde cum beneficium detur propter officium & ille in nullo habeat officium impeditum, sequitur quod licitè, & validè ei possit conferri nouum beneficium.

50. Limitanda tamen est hæc doctrina iuxta Nauarrum, & Henricum allegatos, modò ei electio, præsentatio, & collatio non competat ratione beneficij à quo suspensus est; nam si hæc ei competant ratione beneficij, cum ab illo suspensus sit, ab his quoque, quæ illi sunt adnexa, & accessoria, suspensus erit, & illicita, & inualida, tunc erit talis electio, collatio actiua, & præsentatio, non passiua, vt dixi.

51. De excommunicato & ob excommunicationem interdicto, certum est in iure non posse præsentare nec præsentari, eligi, aut eligere, conferre, aut ei conferri beneficium, & talem collationem & præsentationem, tam actiuam, quàm passiuam, esse non solum illicitam, sed etiam inualidam, irritam, non irritandam, vt patet ex *cap. Postulastis*, (Abbas.) vbi Abbas *num* 2. *de cleric. excommun.* quod est communissimum in materia excommunicationis. (Couar.) Ita docet Couarr. *in cap. Alma mater*, §. 7. 1. *part. num.* 11. (Azor.) Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *q.* 2. § *excommunicatum*, quod adeo verum est, vt nec etiam excommunicatus minori excommunicatione possit ad beneficium siue simplex, siue curatum eligi, & talis electio, & collatio sit non solùm irritanda, sed ipso facto irrita, & nulla. potest tamen ipse eligere. Ita Glossa, Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Cardinalis, (Panorm.) & Panormitanus *in cap. Si celebrat. de clerico excommun. ministr.* (Azor.) Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *quæst.* 7. quia excommunicatus minori excommunicatione est ineligibilis, eo quod sacramenta percipere iure nequeat, & is qui ad beneficium promouetur ratione sui muneris, non solùm debet sacramenta tractare, sed etiam suscipere; id verò quod dicitur in dicto *cap. Si celebrat*, talem electionem esse irritandam supradicti Doctores interpretantur, est declaranda irrita, & inanis. Hæc summatim, atque obiter dicta sint ad intelligentiam doctrinæ hîc propositæ, nam in materia excõmunicationis locum proprium habent, vbi latiùs tractantur.

CAPVT III.

Vtrùm liceat aliquem occidere priuata authoritate cum moderamine inculpatæ tutelæ, ob propriæ vitæ defensionem, & bonorum magni momenti, & ob defensionem proprij honoris, & pudicitiæ.

SVMMARIVM.

Licitum est cuique etiam clerico, & religioso ob defensionem propriæ vitæ iniustum inuasorem occidere cũ debito moderamine inculpatæ tutelæ. n. 1.

Ob tale homicidium nulla irregularitas incurritur. Explicatur Concilium Tridentinum. num 2.

Reijcitur opinio docens ob prædictum homicidium incurri irregularitatem. num. 3.

Prædictum homicidium in foro etiam externo, est impunibile. num. 4.

Quid si sacerdos dum celebrat inuadatur, & ibi se iustè defendat, inuadentemque occidat, an continuare sacrificium possit. num. 5.

Doctrina prætacta procedit etiam in quibuscumque religiosis, & fratribus minimis, & clericis respectu suorum superiorum, si ab illis inuadantur iniustè. num 6.

An etiam procedat in vasallis respectu dominorum, & Principum. num. 7. & 8.

An inuasus, qui potest se iustè defendere, occidendo iniustum inuasorem peccet mortaliter, si id non faciat. Vera sententia affirmat. num. 9.

An quando aliquis iustè se defendens iniustum sui inuasorem occidit, teneatur circunstantias homicidij confiteri. num. 10.

An ob defensionem propriorum bonorum magni momenti liceat inuasorem occidere. Refertur opinio negans. num. 11.

Quid dicendum sit in hac opinione, si defensio incipiat à bonis temporalibus, & postea periclitetur vita illius, qui sua bona iustè defendit, nisi inuasorem bonorum occidat. num. 12.

Refertur secunda opinio, docens licitum esse personis sæcularibus tantum sua bona defendere cum morte inuasoris illorum, non Ecclesiasticis, siue inuasor sit nocturnus, siue diurnus. num. 13.

Refertur tertia opinio asserens licitum id esse omnibus personis tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, siue inuasor sit nocturnus, siue diurnus, incurri tamen ob homicidium inuasoris irregularitatem. num. 14.

Præfertur sententia docens id licitum esse omnibus personis, & ob id nullam irregularitatem incurri. num. 15.

Quod procedit in dubio an inuasor venerit animo tantùm furandi, & etiam occidendi. num. 16.

Iudicium authoris. num. 17.

Soluuntur rationes, & fundamenta aliarum opinionum. *num.18. & 17.*

Quæ autem sint bona magni momenti, iudicabit prudens. *num.19.*

An ob defensionem proprij honoris liceat aliquem occidere. num. 20. Refertur opinio negans. ibid. Præfertur vera opinio affirmans. *ibid.*

An liceat viro nobili sibi insultantem virga, vel fuste occidere, ne ictum virga patiatur. num.21. 22. 23.

An licitum sit virgini, vel adolescenti inuasorem suæ pudicitiæ occidere. *num.24.*

1. IN hoc negotio hanc verissimam statuimus conclusionem, reiectis aliis sententiis. Licitum est cuique siue clerico, siue laico, siue cuicumque religioso cum moderamine inculpatæ tutelæ vim vi repellendo ob defensionem vitæ propriæ, & integritatis membrorum, in quocumque loco etiam sacro, & tempore, quo diuina officia celebrantur, iniustum inuasorem occidere, neque ob hoc iustum, & licitum homicidium aliqua irregularitas, aut excommunicatio incurritur, etiamsi clericus, aut religiosus occidatur. Et simile homicidium in foro externo, probata iusta defensione impunitum manebit. Est communis apud Theologos, & iuris peritos. patet ex cap. *Si verò, de sent. excomm,* ibi: *Si verò clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad sedem Apostolicam transmitti, si incontinenti vim vi repellat, cum vim vi repellere omnes leges, omniaque iura permittant.* Et ita docet glossa ibi, *verbo, Vim vi.* & ex *l. Vt vim vi, ff. de iust. & iure,* ibi: *Quod quisque ob tutelam corporis sui fecit, iure fecisse existimetur.* & *l. Scientiam, §. qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil.* ibi: *Qui cum aliter se tueri non possent, damnum dederunt, innoxij sunt, l. Itaque si seruum. ff. eodem tit. l. Si vt allegas, C. ad leg. Cornel de sicar. l. Si quis percussorem. C. eodem. §. iniuria, Inst. ad leg. Aquiliam.* cap. *Interfecisti,* vbi Abbas *num.3. de homicid.* cap. *Significasti,* vbi Glossa *in verbo, Moderamine, eodem tit. Clementina vnica, de homicid.* Hippolyt. *consil 4. num. 5.* Bartol *ad leg. Cornel. de sicar.* & Glossa ibi, *in verbo, Moderamine.* Farinacius *tom 4 quæst. 125. de homicid. tit. 14. num. 11. 20. & 32 fol. 201.* vbi citat pro hac opinione plusquam quadraginta auctores, Hostiensis *in cap. Si vero, de excomm. num. 4. in verbo, Transmitti.* Anchartanus *ibi, num. 4. notabili 4.* Butrius *num. 2.* Zabarella *ante num. 1. versu, Qui repellendo, vim vi.* Abbas *num. 1. & 4.* Anton. Gom. *tom. 3. var. resol. cap. 3. de homicid. num 20 ad medium.* Iulius Clarus *in pract. § homicid. num. 19. 24. 27. & 28.* Suares *tom. 5. de censur. disput. 46. sect. 1. num. 2. & 4.* Sotus *lib. 5. de inst. quæst. 1. art. 8.* Lessius *tom. 1 de inst. lib. 2. dub. 8. num. 41.* Maior *in 4. distinct. 15. quæst. 2.* Armilla *in verbo, Excommunicatio,* contra percutientes clericos *1. num. 5.* Nauarrus *in summa Lat cap. 27. à num. 107.* Couarr. *in clem. vnic. de homic 3. part §. vnic. num. 6.* Albericus *in l. Vt vim vi, num 3. ff. de iust. & iure.* Paulus Castrens. *ibi, num. 8 versu, Item in quantum.* Probatur, quia iusta defensio propriæ vitæ, & propriorum membrorum est de iure diuino & naturali, & à Papa, vel Principe tolli non potest. *cap. Cum inter, de except. Clement. Pastoralis, § cæterum, de sent. & re iud. l 1. § cum aries, ff. si quad paup. fecisse. & §. finali, Inst. de iure naturali.* Afflictis *decis. 391. num. 2.* Cæsar Vrs *decis. 391. num. 1.* & communiter DD. Ergo ab ea peccatum abest, & est licita, cum ius diuinum peccatum non admittat; ergo non incurritur ob hoc homicidium excommunicatio, si occidatur clericus; neque irregularitas, cum irregularitas, & excommunicatio capitis, *Si quis suadente,* sint pœnæ, quæ non incurruntur, nisi ob culpam mortalem voluntariam: & tale homicidium non est voluntarium humano modo, sed est omnino necessarium, & inculpabile, cum vim vi omnes leges, & omnia iura diuina, & humana repellere permittant: ergo non est dignum pœna irregularitatis, aut excommunicationis, quia caret culpa; vbi enim non datur culpa, non est pœna: neque hîc ob defectum lenitatis irregularitas incurri potest, quia defectus lenitatis non datur, vbi datur iustæ defensionis necessitas.

Abbas. Glossa. Hippol. Bartol. Farin. Hostiens. Anchar. Butrius. Zabarel. Abbas. Ant Gom. Iul Clar. Suarez. Sotus. Lessius. Maior. Armill. Nauarr. Couar. Alberic. Castrens. Afflict. Vrs.

2. Neque obstat Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 7.* vbi ita ait. *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, vt quis se à morte defendat, fuisse commissum narretur, quara quodammodo dispensatio iure debeatur,* &c. quibus verbis videtur supponere incurri irregularitatem ob homicidium commissum ob iustam vitæ propriæ defensionem, vim vi repellendo, & deberi dispensationem prædictæ irregularitatis dari. Non obstat, inquam, quia, vt optimè animaduertit Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 30. num. 364.* & Suarez citatus *dict. tom. 5. de censur. disp. 46. sect. 1. num. 1. fol. mihi 1128. col. 1.* & Nauarrus *consil. 36. de homicid.* Concilium Tridentinum loquitur ibi de homicidio, in quo seruatum non fuit debitum moderamen; vel ea verba significant talem homicidam in foro externo non esse habendum pro irregulari si debitum moderamen inculpatæ tutelæ non excedat, quia quoad Deum, & in foro conscientiæ talis non est; & sic si hoc modo explicetur Concilium, magis fuerit pro nobis, quàm contra nos; & quo pacto explicatur Concilium, eo pacto explicari debet caput, *Significasti, de homicidio,* vnde simile argumentum deducitur.

Nauar. Suarez.

3. Scio tamen D. Thomam 2. 2. *quæst. 64. artic. 4. ad 3.* & Syluestrum *verbo, Homicidium 1. quæst 9. dict. 4.* Maiolum *lib. 5. de irregular. cap. 48. num. 9.* & alios esse, qui existimant eum, qui cum debito moderamine se suaque defendendo, alium occidit, manere irregularem, maximè si is, qui se defendit, sit clericus; & pro se citant caput, *De his clericus 1. dist. 50.* quæ opinio fuit olim antiquorum iurisperitorum, vt colligitur ex glossa capitis, *Sicut dignum, de homicid §. clericus, & ex l. Vt vim, ff. de iust & iure. verbo, Nam iure.* Renera tamen, vt notant Suarez, & Petrus Nauarra modò allegati ex Clementina, *Si furiosus, de homicid* euidentes constat, non incurri talem irregularitatem ob homicidium factum ob defensionem vitæ propriæ cum debito moderamine inculpatæ tutelæ; & probabilius est de iure antiquo in prædicto cap. *De his cleric. 1. dist. 50. & in cap. Significasti, de homic.* eam non incurri; loquuntur enim huiusmodi textus de homicidio in quo non fuit seruatum moderamen necessarium, vt sentit glossa *in cap. Si quis viduam. verbo, Defensionis, & in cap. Sicut dignum, eodem tit.*

D. Thom.

4. Quod autem hoc homicidium sit in foro externo, probato iusto moderamine impunibile, patet ex citato textu *in l. Vt vim, ff de inst. & iure,* & ex Cyno *ibi, num. 2. notabili 2.* Bartol. *num. 1. notabili 1.* Fulgosio *in princip notabili item 2.* Decio *num 6.* Patet etiam ex *l. Scientiam, §. qui cum aliter. ff ad leg. Aquiliam,* ibi; *Qui cum aliter se tueri non possint, damnum dederunt, innoxij sunt.*

Cyn. Bartol. Fulgos. Decio.

&

Alberic. Farin. Iul. Clar. Ant. Gom. Bart. Cicero.

& itá docet ibi Albericus *num.* 2. Farinacius *tomo 4. quæst. 125. tit. 14. de homicid. num. 3.* vbi plusquam quadraginta authores citat, vt dixi pro hac opinione, quam Iulius Clarus *in pract. §. homicidium, num. 19 vers. excusatur autem*, appellat indubitatam, omniúmque gentium more, & consuetudine receptam. Quod etiam tenet Anton. Gomez *tomo 3. variarum resolutionum cap. 3. rubr de homicid. num.* 20 Fundamentum est primò, quia homicidium factum ob iustam sui defensionem cum debito moderamine inculpatæ tutelæ, caret culpa, ergo & pœna; nam pœna non cadit nisi in culpam; ergo est impunibile. Secundò, quia nefas est hominem homini ad mortem insidiari; ergo fas est homini insidianti, & se appetenti resistere, & occidere; quia, vt optimè docet Bartol. *in d. l. vt vim, in princ. vers. Et ratio est, ff de iustit. & iure*, illud est licitum, cuius contrarium est illicitum; vnde cum illicitum sit homini, homini ad mortem, vel membri mutilationem insultare, illúmque inuadere, licitum profectò erit iniustum inuasorem occidere seruato debito moderamine: quod si est licitum, ergo impunibile: nam vt ait Cicero in oratione pro Milone, *gladius ad occidendum hominem ab ipsis legibus porrigitur se iustè defendenti.*

Abbas. Mar. Soc. Decius. Hippol. Ioan de Lig. D Anton. Lessius. Suarez. Iul Clar. Glossa. Farin. Capua. Carrer. Placa.

5. Doctrina nostræ conclusionis, *num* 1 præiactæ procedit, in quocumque loco, etiam in Ecclesia consecrata, quæ tunc per effusionem sanguinis, & occisionem inuadentis cum debito moderamine factam non polluetur, nec purificatione indigebit. Procedit etiam in quocunque officio sit quisque occupatus, vt si Sacerdos ad altare celebrás inuaditur ab aliquo, licitè potest dimittere celebrationem, & se defendere, & si se defendendo, occidit inuadentem se, potest in continenti redire ad altare, & sacrificium Missę perficere sine metu irregularitatis, quamuis prædictus inuasor clericus, vel religiosus sit Ita Abbas *in capite, Clerici, 1. num 2. de vita, & honest. cleric.* Mar. Soc. *in Reper. cap. ad audientiam, num 40. de homicid.* Decius, *in l. Vt vim, ff. de iust & iur num. 6.* Hippolytus *in l. is qui aggressorem, C. ad leg. Corn. de sicar. num. 2.* Ioannes de Lignano *in tract. de iusto bello, cap. 36.* D Anton. 3 *p. titulo 34. §. 1. cap. 3.* Lessius *tom 1. de iust. lib. 2. cap 9 dub 8 n. 41.* Suarez *tom. 5. de cens. disp 46 sect 1. n. 5. in fine.* Iul. Clar *§. Homicidium, n. 29 & 30* Glossa *in cap significasti, de homicid. verbo, Tutelæ.* Farinacius *tom. 4. q. 125. de homicid. tit 14 n. 22. & 29.* Capua *lib. 1. decis aur. cap 65. n 9. in fine.* Carrer. *in pract. crim pract. de homicid. & assassinio, § quinto excusat. n 3* Placa *epitome delict. cap. 28. num. 4. & 6.* & alij plures, quos citat Farinacius.

Decius. Salomon. Bolognet. Host Ant. de Bu.

6. Procedit rursus veritas nostræ conclusionis in clericis, & religiosis respectu etiam suorum superiorum, si ab illis iniustè inuadantur; illis enim etiam licitum est ob defensionem vitæ propriæ cum prædicto moderamine inculpatæ tutelæ eos occidere, quando aliter mortem euadere non possunt Ita Farinacius allegatus, *n. 34.* Decius *in d. l. vt vim ff. de iust. & iur. num. 8.* ibi Salomon *n. 10. in fine, versu, Attamen pro periculo.* Bolognet. *ibi num. 16.* Angel *in l quoniam multa, C ad legem Iul. de vi publ. num. 16.* Hostiensis *in cap. significasti 2. num. 19 de homicid.* Anton. de Butrio *ibi n. 19.* & communiter omnes. Et ratio est, quia cum iniustè, & iniquè à superioribus inuadantur, iam non sunt superiores, sed inimici, & iniqui aggressores, licitum autem est vim vi repellere inimicorum, etiam cum morte illorum, quando aliter vitam nostram tueri non possumus.

Farin. Marsil. Pet. Caleph. Carrer. Placa. Iul. Clar. Decian. Azor. Lessius.

7. Aliqui ob eandem rationem, & fundamentum modò tactum, absolutè docent veritatem nostræ conclusionis procedere absolutè in vasallis respectu dominorum suorum quacumque dignitate fulgentium; quia ius naturale contra omnes omnibus iustam defensionem concedit, & quia bonum commune, quod in illis periclitatur, non obligat, vt anteponatur vitæ propriæ, quando prædicti domini temporales ex propria malitia, & nullo iure permittente alium aggrediuntur. Ita Prosper Farin. *tom 4 q. 125. de homicid. num. 34. fol. 202. col. 1.* Marsilius *consilio 4. num 6.* Petrus Caleph *consil. crim. diuersor. 103. num. 7. lib 1. in paruis.* Carrer. *in tract. de homicid. & assassin. §. quinto excusat defensio num. 5. & in tract. de appellat §. Vndecimus casus est, num 9. versu, & idem in Principe.* Placa *epitome delict cap. 28. num. 8.* Iulius Clarus *§. Homicidium, num 23. vers. prætereà etiam*, Decianus *in tract. crimin lib 7. cap 49. num. 15.* Azor *tom. 3. lib. 1. cap. 2.* Lessius *tom 1. de iust. lib. 2. dub 8 num. 41.* & alij.

Suar.

8. Sed hoc cum hac generalitate nullo pacto est admittendum. sed limitanda est hæc doctrina, vt procedat modò magna in republica Christiana scandala, & perturbationes non timeantur ex illorum iusta occisione, veluti mortes, bellorum incendia, hæresum introductiones, & alia similia; quæ cum regulariter timeantur, regulariter & communiter loquendo semper hoc erit illicitum: imó tam vtilis potest esse cuiuscumque iniusti aggressoris persona bono communi Reipublicæ, vt secundùm prudentiæ, & charitatis regulas, teneatur quisque potius iniustam sui occisionem, & necem pati, ne multorum vitæ pereant, quàm inuadentem se iniustè, iustè perimere; ius enim naturale dictat commune bonum præferendum esse proprio, & peculiari. Ita Suarez *tom. 5 de cens disput. 46. sect. 3.* Lessius, & Azor modò allegati.

Farin. Castro. Salon. Ayrerius.

9. Insurgit hîc quęstio, an aggressus, & insultatus, qui se potest iustè defendere occidendo aggressorem, atque insultantem cum debito inculpatæ tutelæ moderamine, peccet mortaliter contra charitatem propriam, si se sinat ab eo occidi, séque non defendat, cum possit nulla iusta subsistente causa, an teneantur sub mortali se defendere; & communiter respondent omnes affirmatiuè. Ita Farinacius *tom. 4. quæst. 125. de homicid. tit. 14. num. 23. fol. 201. col. 1.* Paul. de Castro *in l. vt vim, ff. de iust. & iure num. 9.* Salon. *ibi num 15.* Iacob. Ayrerius *in tract. de homicidij necessitate. part. 1. num. 395. & sequentib.* qua de re redibit iterum sermo *cap. 6. num. 10.* Et ratio est, quia perinde erit tunc, ac si ipse se perimat. Secundò, quia tam intrinseca est hæc obligatio iuris naturalis, qua vitam nostram tueri debemus vt nulla subsistente causa, quæ actum profusionis illius cohonestet, illam profundere nequeamus absque graui peccato. Tertiò, quia peccat grauiter ille contra charitatem. & interdum contra iustitiam si ad id tenetur ex officio, qui sine graui detrimento suo mortem proximi non deuitat, cum potest; igitur à fortiori peccabit grauiter contra charitatem propriam, si mortem suam non deuitet; & se sinat ab iniusto inuasore perimi, nulla subsistente causa; causa autem iusta illum à peccato excusans erit, si inuasus, sit in statu gratiæ, moraliter loquendo, & inuadens in statu peccati mortiferi; tunc enim non tenebitur inuasus se iustè defendere cum morte illius, ne illius salus

pereat; nam debemus vitam nostram temporalem periculo mortis obiicere, vt vitam spiritualem proximi lucremur. Item si inuadens sit Princeps, vel persona alia publica, à qua multorum vita temporalis, aut spiritualis pendeat; veluti si iniustus inuasor, sit famosus prædicator, aut litteratus, qui potest resistere hæreticis seminantibus prauam, & hæreticam doctrinam in vrbe, aut Republica. Item, si cæteris paribus vita inuadentis magis necessaria sit illius liberis, vel aliis ab illo dependentibus, iuxta regulas charitatis.

10. Cum igitur in vtroque foro soli, & poli, iusta sit defensio vitæ propriæ cum moderamine inculpatæ tutelæ cum inuasorum occisione, modo explicato; sequitur euidenter esse reiiciendam omnino opinionem glossæ *in l. vim ff. de iust. & iur. in verbo, Nam iure, initio*, Alberici ibi *n. 2.* Iason. *num. 22.* Fortunij *num. 15.* vbi hanc regulam statuunt: *In omnibus casibus, in quibus de iure ciuili, & canonico impunibile est homicidium, peccare mortaliter homicidas homicidium committentes, & teneri in confessione sacramentali se accusare de hoc peccato mortali, & eis deberi iustam pœnitentiam à confessarijs imponi.* Quod etiam tenet Curtius *in eadem l. num. 10.* & Mantua *num. 8.* Nam hæc doctrina tam generaliter tradita falsa est: si enim iustè, ac licitè occidunt, quomodo peccare possunt? Permittunt tamen iura ciuilia maritis occisionem vxorum, quas cum leonibus deprehendunt in flagranti delicto, ob iustum dolorem, & tale homicidium est de iure ciuili impunibile, vt constat ex *l. Gracus, ff. ad legem Iuliam de adult.* licet maritus illicitè, & cum graui peccato vxorem, & lenonem tunc occidat, vt patebit infrà *cap. 10.* & velle ex vno casu regulam generalem firmiter statuere, irrationabile omnino est, vt considerantí patebit.

11. Præcipua quæstio, quæ ex dictis exoritur, est: an etiam sit licita, & iusta defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ pro defensione bonorum temporalium magni momenti cum occisione iniustè inuadentium? Et hac de re quadripartita est sententia. Prima negat omnino, & dicit solum id licitum esse pro defensione vitæ propriæ, quæ recuperari non potest, & non pro defensione bonorum temporalium, quæ recuperari possunt, & consequenter ait eos, qui pro defensione horum bonorum proximos inuasores occidunt, quantumcumque cum debito moderamine occidant, peccare mortaliter contra iustitiam, & incurrere irregularitatem, & excommunicationem capitis, *si quis*, si fortè inuasor sit clericus, aut religiosus.

Farin. Eam docet Farinacius *tom. 4. quæst. 125. de homicid. tit. 14. num. 221. fol. 220.* constat ex *cap. 2. in fine, extra de homicid.* in quo perpetua imponitur pœnitentia presbytero occidenti furem pro liberatione rei sibi furatæ cum morte, & occisione

Zabarell. furis. Zabarella *ibi ante n. 1. vers. si presbyter* Host. *n. 9. verb. presbyter.* & ex *cap. Suscepimus, eod. tit.* ibi: *Verum quoniam expediebat post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quam pro conseruandis vilibus rebus, & transitorijs, tam acriter in alios exardescere*, vbi grauis pœnitentia imponitur monacho, qui latronem multa à se furto auferentem ligauit, & occidit, & irregularis declaratur; & ibi gloss. *in figuratione casus, & in verbo ligauerunt, & verbo detinere, & verbo sustinere iacturam.* Ioan. Andr. *ibi num. 1. in verbo vestimentis. & n. 3.*

Ant. de Butr. Felin. *verbo acriter.* Anton. de Butrio *num. 4. & 6 vers. tertio casu, & num. 7.* Felinus *ibi notab. 1.* Probatur primò, quia huiusmodi bona externa, cum sint recuperabilia, non videntur licitè posse defendi cum occisione illius, qui à nobis illa furto aufert, cum vita recuperari non possit, videtur enim charitas obligare, ad illa dimittenda, pro vita proximi tuenda. Secundò, quia fur, qui iniustè hæc bona rapit, non est dominus vitæ suæ, sed solus Deus; mors enim, & vita in manibus Dei sunt, & homines sunt tantùm custodes vitæ suæ, non domini. Ergo non potest quis vitam prædonis, illum occidendo, destruere, vt res suas temporales tueatur, cum aliquid Dei destruat, non latronis.

Limitant tamen huiusmodi Doctores hanc suam opinionem: modò clericus, vel quisque alius ob defensionem rerum furtum non sit adductus in tale discrimen vitæ propriæ, vt illam tueri non possit, nisi latronem occidendo cum prædicto moderamine; quia tunc iam non ageretur de defensione rerum, sed de iusta defensione vitæ. 12.

Fort. Garc. Quæ limitatio vera est omnino, & illam approbant communiter Doctores, Fortunius Garcia *in repet. l. vt vim, num. 31. ad finem ff. de iustit. & iure, versu, Quod tamen intellige. & versu, Rursus tenens.* Bolognet. *num. 65.* Angel. *in l. quoniam multa, num. 4 in fine, C. ad legem Iuliam de vi pub.* Felinus *cap. 2 de homicid. num. 5* Couarruuias *in Clement. si furiosus, part. 3 §. 1. num. 6. vers. Primus, & vers. Tertio* Polydor. *in tract. de tempore nocturno, cap. 24 rubr. de furib. num. 53.* Farinacius allegatus *num. 223.*

Bolognet. Angel. Couar. Polydor. Farinac.

Secunda affirmat, sed addit id licitum tantummodo esse omnibus personis sæcularibus, non Ecclesiasticis; quia hæ potius debent hanc grauem bonorum externorum iacturam pati, quam illorum prædones siue nocturnos, siue diurnos occidere, ac proinde incurrere prædictas Ecclesiasticas personas irregularitatem, fures occidendo, quantumcumque cum debito moderamine id efficiant, & etiamsi illa aliter recuperare non possint, nec vllam spem ampliùs habeant illa recuperandi postea, & consequenter etiam loquendo, dicunt incidere in excommunicationem capitis, *si quis suadente diabolo*, si fur occisus, mutilatus, vel percussus, clericus, aut religiosus sit. Ita docet Panorm. *in cap. Suscepimus, de homicid.* Tolet. *lib. 5. summ. cap. 6. n. 14.* Caiet. *2. 2. q. 64 a 7.* D. Ant. *3. part. tit. 4. cap. 3.* Fundamentum illorum desumitur ex *cap. Suscepimus, de homicid.* in quo Summus Pontifex reprehendit certos religiosos, qui furem illos spoliantem tunicis, & vestimentis, & omnia illorum bona vi rapientem occiderant, & declarat illos irregulares esse; & rationem reddens ait: *Satius enim erat post tunicam relinquere pallium, quàm pro his rebus vilissimis, & transitorijs tam acerbè in alium exardescere.* Ratione hanc suam opinionem confirmant, quia personæ Ecclesiasticæ non ita debent terrenis bonis inhærere, vt pro conseruatione illorum proximos inuasores occidant, cum nec vxores habeant, nec liberos, quos alant. Deinde, quia Ecclesia tamquam mater piissima vult suos ministros alienos ab omni specie homicidij voluntarij, sanguinisque effusione, quare cum huiusmodi personæ Ecclesiasticæ ad Ecclesiam pertineant, meritò illis hoc homicidium prohibet. 13.

Tertia sententia ait omnibus personis tam laicis, & sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, licitum esse bona sua temporalia magni momenti defendere cum occisione inuasorum, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, sicut illis licitum est vitam propriam defendere, seruato eodem moderamine; 14.

Bartol. Butr. Angel. Iaso Paris. Alexand. Glos. Abbas. Villad. Nauar. Plouius.

ramine; fieri tamen irregulares illos, qui tantùm pro rebus suis defendendis inuasores illarum interficiunt, vel mutilant. Ita docet Bartol. *in l.1. num.2. C. vnde vi*, Anton de Butrio *in cap. Olim 1. de rest. spoliato*. Angelus *in l. Is, qui aggressorem, num.2. C. ad leg. Cornel. de sicar.* Iaso *in l. Vt vim, num.10 & 36 ff. de iust. & iure*. Paul. Paris. *in cap. Dilectissimi filij, num.36. de except.* Alexand *consil.109. col.5. lib.1.* Glossa *in cap. Significasti 18. de homicid. in verbo, Moderamine*. Abbas *ibi, n 5.* Socin. *in cap. Ad audientiam, de homicid.* Villadiego *in tract. de irregular.* Nauar. *in summ. cap.15. num.2.4. & 5.* & in hoc *num.5.* addit Nauar. hoc seruare stylum curiæ Romanæ, qui facit ius, & *cap.27. num.209. & 213.* Plouius *in tract. de irreg. regula 36.* Et pro hac opinione quatenus ait incurrere prædictos defensores irregularitatem, citari etiam possunt omnes primæ opinionis, qui putant talem defensionem pro bonis tantùm externis esse omnino illicitam, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis. Fundamentum huius opinionis est. Primò, quia homicidium istud quamuis inculpabile, & licitum sit, est tamen voluntarium, quod est ad contrahendam irregularitatem, vt patet in iudicibus, qui latrones iustè suspendunt, tabellionibus & testibus qui tamen irregulares fiunt, eo quòd se voluntariis homicidiis immisceant. Secundò, quia ius canonicum solum excipit defensionem propriæ vitæ, vt patet ex Clement. *Si furiosus, de homicid.* ibi: *Eum qui mortem aliter vitare non valet.* & nihil loquitur de defensione bonorum. Et ex *cap.2 de homicidio*, ibi: *Te tuaque liberando*: nam ibi iungitur vita cum bonis. In quo satis significatur, tunc solum non incurri irregularitatem defendendo bona, quando cum illis simul defenditur vita.

15. Quarta, & vltima sententia docet licitam esse hanc defensionem bonorum temporalium magni momenti omnibus personis tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus cum occisione inuasorum seruato debito moderamine, & ob eam nullam irregularitatem, neque excommunicationem capitis, *Si quis*, incurri, si forte inuasores sint clerici; idque siue prædicti inuasores sint nocturni, siue diurni. Hæc opinio est hodie communior, & mihi pro vera habetur. Eam docent Suarez *tom.5. de cens. disp.46. sect.2. num.4 fol. mihi 1134. col.1.* Petrus Nauarra *lib.2. de rest. cap.3. n.414. & 364.* Toletus *lib 5. summæ, cap 6 §. tertius casus ad tuendam rem, in fine capitis*. Henricus Boicius *in cap.2. de homicid. num. 13. & 14.* loquens speciatim de personis Ecclesiasticis, quod à fortiori diceret de sæcularibus, Ananias *ibi, num.9. versic. Adde prædictis.* Felinus *in dict. cap. 2. de homicid. num.5.* Iacobus Æmilianus *consil.2. num.54* docet etiam, quamuis cum formidine, Couarr *in Clem. Si furiosus 3 part. in fine* & sub eadem formidine idem docet Fortunius *in l. Vt vim, ff. de iust. & iure*, & Castro *lib.2. de leg. pœnali, cap.14.* Insinuat illam Sotus *lib.5. de iust. quæst.1 art.8.* vbi nihil distinguit inter eum, qui se suaque defendit. Fundamentum est. Primò, quia irregularitas non incurritur nisi expressa sit in iure, nullibi autem in iure est expressum, quod ob iustam defensionem propriarum rerum, cum occisione, aut mutilatione inuasorum seruato debito moderamine prædicta irregularitas incurratur: nam hoc in primis non est expressum in iure nouo Clementinæ, *Si furiosus*. quia ibi solùm dicitur non incurrere irregularitatem illum, qui vitam propriam defendit cum prædicto moderamine, & nihil loquitur ea

Suarez. Nauar. Tolet. Boicius. Anan. Felin. Æmilian. Couar. Fortun. Castro. Sotus.

Clementina de defensione propriarum rerum, quare in ea nihil de hac defensione est expressum. Non in iure antiquo, imò in antiquo iure inuenitur expressè non incurrere irregularitatem, nec peccare illos, qui sua bona defendunt cum debito moderamine *in cap.2. de homicidio*, ibi: *Te tuaque liberando*, vbi illud *que*, non copulatiuè, sed disiunctiuè accipiendum est, pro *vel*, vt explicat Suarez allegatus *num.8.* quia sumus in materia fauorabili. Sic in cap *Verum, de iureiurando*, dicitur, absoluendus ille est, qui iuramentum inuitus pro vita, & rebus seruandis fecit, vbi illud, &, idem est, atque *vel*, iuxta eundem Suarium; caput autem, *Suscipimus, de homicidio*, loquitur de eo qui moderamen debitum excessit, & aliter poterat recuperare sua bona: si quidem ille monachus prædonem comprehendit, alligauit & ab eo alligato sua bona abstulit, & postea occidit, vt ex textu patet: quare si iam recuperauerat bona, ad quid excessit occidendo? Secundò, quia irregularitas ex homicidio voluntario non incurritur, nisi per culpam mortalem, aut per spontaneam voluntatem, qua se homo ingerat officio iudicij dicundi, quando ratione officij aliquem suspendit, vt etiam cernitur in notariis, tabellionibus, testibus & accusatoribus, quando aliquem iustè, & sine odio, sed zelo iustitiæ cooperantur ad mortem alicuius rei malefactoris; quia hi omnes voluntariè se immiscent his officiis antecedenter: hîc autem non datur culpa lethalis, cum licitum sit res proprias defendere, seruato debito moderamine; nec voluntariè, & spontè se huiusmodi defensores rei propriæ immiscent huic officio, sed inuiti, & coacti ab ipsis inuasoribus. Deinde, quia illa irregularitas iudicis, notarij, accusatoris, & testis, est ex defectu lenitatis, & pertinet ad quartam speciem irregularitatis, de qua Theologi, & iuris canonici periti in materia irregularitatis: ista vero est ex culpa, quæ cum non detur, non datur pœna irregularitatis. Et eadem ratione non innodabitur defensor propriarum rerum excommunicatione ipso facto capitis, *Si quis suadente diabolo, 17. quæst.4.* Si inuasor, quem mutilauit, vel occidit, persona fuerit Ecclesiastica, quia hæc iuris excommunicatio non incurritur, nisi per actionem diabolicam, in qua detur peccatum mortale, iuxta Doctores communiter: ita Suarez *tom.5. de cens. disput.22. sect.1. num. 25.* Molina *tom. 3 de instit. tractat.3. disp.51. num. 6.* hîc autem, vt dixi, in hac occisione, mutilatione, aut percussione huius inuadentis clerici, nullum datur peccatum mortale, nulla actio diabolica.

Suarez. Molin.

Et hæc quidem doctrina huius vltimæ sententiæ procedit etiam in eo casu, in quo dubium est, 16.
an fur veniat animo tantùm furandi, an animo furandi, & occidendi simul; quia in dubio an vita propria amittenda sit, potest quilibet etiam clericus illam defendere, cum debito moderamine, vt docet Farinacius *tom. 4. quæst. 125. de homicid. tit.14. num.124. fol.223. col.1.* Polydor. *in tract. de temp. noct. cap 24. rubr. de fure, num.53.* Iacobus Airer. *in tract. de homicid. necessit. part.1. num 139* Nec obstat caput tertium de homicidio, in quo dicitur, eum, qui furem nocturnum occidit, non censeri reum homicidij, quia ignorabat, an ad furandum venerat, an ad occidendum; quia, vt patet ex contextu huius capitis, & docet Suarez *tom.5. de cens. disput. 46. sect.2. num.9. fol.1136. col.1.* loquitur caput istud de eo casu in quo constabat furem diurnum, voluisse tantùm

Farin. Palidor. Airer. Suarez.

furati in loco, in quo poterat vocibus, & clamoribus fugari, & sic furto obuiare; atque adeo loquitur de circumstantia in qua potuit vitari damnum furti absque homicidio nos autem semper loquimur quando aliter recuperari res non potest, nec furtum graue vitari, nisi cum morte, aut percussione latronis inuadentis.

17. Ita se habent huiusmodi opiniones; hæc vltima sine dubio est probabilior, & ideo illi adhæreo; maximè quia quando bona temporalia sunt magni momenti, ab illis vita nostra pendet. Vnde si licet inuadentem occidere seruatis seruandis ob defensionem vitæ, cur non ob defensionem illorum bonorum à quibus vita pendet, & sine quibus viuere non possumus? Rationes, & fundamenta aliarum opinionum iam sunt soluta. Ad primum fundamentum primæ opinionis respondemus ea iura, quæ ibi pro illa allegantur, loqui de casu in quo excessum fuit moderamen inculpatæ tutelæ: nam caput, *Suscepimus, de homicidio*, loquitur de homicidio in quo monachus latronem alligauit, & à quo sic alligato bona omnia sua recuperauit, & post recuperationem illorum illum occidit, in quo notabiliter debitum moderamen excessit: si enim bona iam recuperauerat, ad quid vltra excessit ad mortem? Ad primam rationem illius respondeo charitatem Christianam non nos obligare ad præferendam vitam prædonis, nostris rebus magni momenti, nisi quando ille est positus in extrema necessitate, tanquam proximus: at in casu præsenti ille non est positus in necessitate, sed in iniqua voluntate, vt patet; detrimentum verò vitæ quod illi tunc sequitur, ipsi potius, quàm res suas defendenti imputandum est. Ad secundam rationem dico vsum vitæ plenum, & absolutum, quem ipse prædo habet, satis esse, vt tali vsu iustè priuari possit in pœnam inuasionis bonorum magni momenti. Sicut etiam ille vsus vitæ, quem habemus, satis esse solet, vt nos iustè morti exponamus pro iusto stipendio, quod in bello iusto meremur. Deinde dico defensorem non intendere ei vitam adimere, sed intendere res suas recuperare, quas nullo alio modo recuperare potest, nisi latronem occidendo. vnde ipse sibi potius mortem voluntariè consciuit, quàm ab alio fuerit vita ei ablata.

18. Cæteræ rationes secundæ, & tertiæ sententiæ jam sunt solutæ: nam personæ Ecclesiasticæ, etiam indigent his rebus temporalibus ad conseruandam, tuendámque vitam propriam, quemadmodum indigent personæ sæculares: quare si hæc actiua defensionibus propriarum rerum cum morte inuasoris seruato debito moderamine, vim vi repellendo de se & ex obiecto suo est iusta, & licita, vt iura decernunt diuina, & humana, omnibus personis sæcularibus, & Ecclesiasticis talis esse debet, & non illis licita, his illicita: quod enim illicitum est iure naturæ, omnibus est illicitum, vt de se patet.

19. Dixi, *si bona sint magni momenti*, quia pro re minima, vnius, aut duorum aureorum, indignum planè erit alium occidere. Quæ autem res sit magni momenti, & quando sit, arbitrabitur prudens inspectis circunstantiis loci magis, ac minus periculosi; personarum magis vel minus indigentium; temporis in quo magis, vel minus indiget, & aliis similibus, quæ in simili negotio considerari solent, tam in iudicio, quàm extra illud.

20. Inquires adhuc, vtrùm ob defensionem proprij honoris possit quis iustè, & licitè occidere eum moderamine inculpatæ tutelæ inuasorem illius? Negant omnes quos citauimus *num* 11. qui dicunt hoc tantummodo licere ob defensionem vitæ propriæ, aut membri. quia hæc recuperari non possunt. non ob defensionem bonorum externorum, famæ, honoris, vel pudicitiæ, quæ recuperari possunt. Fundamenta illorum iam in prædicto *num*. 11. tacta sunt, & ideo illa non repetimus. Vera tamen, & probabilior sententia affirmat, & ait consequenter nullam pœnam irregularitatis ob id incurri, ne sententiam excommunicationis capitis, *Si quis*, si forte inuasor nostri honoris, aut pudicitiæ sit clericus, & ob eam iustam defensionem occidatur, aut mutiletur. Eam docet Lessius *tom*. 1. *de iustit. lib*. 2. *dub*. 11. *num*. 66. Sotus *lib*. 1. *de iust. quæst*. 1. *art*. 8 Nauar. Lessius. Sotus.
in summa Lat cap. 15 *num* 3. Farinacius post multos, quos citat ac sequitur *tom*. 4 *quæst* 125. *de homicid. titul*. 14 *num*. 41. Salomon. *in repetition. legis Vt vim ff. de iust. & iure, num*. 3. Boëtius *decis*. 168. *num*. 5. Toletus *lib*. 5. *summæ, cap*. 6. § *secundo casus, ad finem capitis*. Ananias *in cap. Suscepimus, de homicidio*. Syluest. *verbo, Homicidium* 1 *quæst*. 5 Iulius Clarus *lib* 5. *sent*. § *homicid. n*. 26. ibi: *Et multo magis dicendum est, quod liceat alicui alterum interficere pro defensione proprij honoris; nam periculum famæ æquiparatur periculo vitæ*. hæc ille. Tenet etiam Bartol. *in l*. 1. *num* 8. *C. vnde vi*. Angel. *in l. Is qui aggressor. C. de sicar. num*. 2. *in fine*, vbi ait hanc esse communem in vrbis practicam. Petrus Nauarra *lib*. 2. *de rest. cap*. 3. *num*. 16 § *quartus casus*; & omnes qui asserunt hoc etiam esse licitum pro defensione honoris proximi, quos infrà citabimus. Patet ex cap. 2 *de homicidio*, ibi: *Te itaque liberando*, vbi conceditur iusta defensio cum morte iniusti inuasoris, non solùm ob defensionem vitæ propriæ, sed etiam bonorum propriorum magni momenti, honor autem apud viros prudentes pluris valet quàm bona fortunæ valeant, imò vitæ æquiparatur.

Nauar. Farin. Salomon. Boetius. Tolet. Anan. Syluest. Iul. Clar. Bartol. Angel. Nauar.

Hinc inferunt aliqui ex Doctoribus allegatis licitum esse viro nobili sæculari occidere sibi insultantem, qui fuste, vel alapa illum vult percutere, si aliter percussionis ignominiam vitare nequit (an autem teneatur hos ictus vitare fugiendo, dicam infrà in cap 6.) hanc illationem concedit expressè Lessius *tom* 1. *de iust lib*. 2. *dub*. 12. *num* 77. Anton. Gumez *tom*. 3. *var. cap*. 30. *alias* 3. *num* 23. Toletus *lib*. 5. *summæ*, *cap*. 6. §. *secundus casus, ad finem capitis*. Sotus *lib* 4. *de iust q*. 1. *art*. 8. deduciturque ex Nauarro *in summ. Latin. cap*. 15. *num*. 3. vbi ait iuxta caput, *Sunt, de pœnit. in illa glossa in verbo, Modestia*. & iuxta illud Prouerbiorum 22. *melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ*. honorem pluris valere, quàm bona fortunæ. Colligunt etiam ex Iulio Claro *dicto* §. *homicidium*, *num*. 34. vbi id ipsum repetit, quod Nauarrus ait: quæ illatio bona est, & videtur omnino concedenda considerato prudenti hominum iudicio, qui cætera pluris solent æstimare honorem, quàm bona temporalia; imò & quam vitam. 21.

Lessius. Ant Gom. Tolet. Sotus. Nauar. Iul. Clar.

Quamobrem non probo opinionem Bologneti *in l. Vt vim, num* 42. *ff. de iust. & iure*, vbi ait pro defensione honoris proprij non esse licitum statim ab initio inuasionis inuasorem illius occidere, sed licitum tantùm esse resistere dumtaxat, & si postea deuentum fuerit ad discrimen vitæ, tunc licitum esse occidere, secus aliter; quia tam tunc non agitur defensione honoris, sed vitæ. Nec opinionem Iacobi Ayrer. *in tract. de homicidij* 22. Bologn. Ayrer.

cidij necessitate, part. 1. *num.* 93. *& seqq.* vbi magistraliter docet pro sola honoris defensione non licere quemquam interficere: neque ex hoc sequitur posse quemquam licitè morte illum præuenire, qui sibi vult verbali iniuria contumeliam inferre, vt infrà *cap.* 5. dicemus.

23. Ex quibus constat ad sanum sensum reducendum esse Nauarrum *dicto cap.* 15. *num.* 3. *in summa Latin.* asserentem nemini licere se defendere maiori vi, quàm sit necessaria ad propulsandam iniuriam, iuxta legem 1. *C. vnde vi.* quare si aggressor percutiat alapa, virga, baculo, vel pugno, non esse licitum hanc iniuriam propulsare ense illū feriendo, vel occidendo, nisi quando pugnus inuasoris tam fortis est, ac gladius ipsius inuasi,
Iul. Clar. & Iulium Clarum *lib.* 5. *sentent.* §. *homicidium, num.* 34. vbi id ipsum docet, quod Nauarrus, quia hi duo authores loquuntur de eo casu, in quo quis potest iniuriam insultantis repellere æquali vi, & instrumento; at nos supponimus non posse illam hic, & nunc repelli, nisi morte ipsius insultantis: neque enim ictus dantur ad mensuram; nec tenetur insultatus fugere, quando insultans cum alapa, vel virga appetitur, præsertim si sit nobilis, vt infrà dicemus: nec ei tenetur dicere, Expecta donec aliam virgam inueniam, qua me æquali vi defendam: quod necessariò sequitur ex doctrina Iulij Clari, & Nauarri.

24. Licitum quoque est adolescenti, vel mulieri, vel cuiuis alteri pro defensione pudicitiæ, & castitatis inuasorem occidere, cum aliter se defendere non potest, etiamsi inuasor sit clericus, & vir religiosus, nec ob id tunc excommunicatio
Tolet. aliqua incurritur, vt suprà diximus. ita Toletus *lib* 5. *summa, cap.* 6. *versu, Quartus casus est ob ca-*
Lessius. *stitatem, ad finem capitis.* Lessius *tom.* 1. *de iustit.*
Syluest. *lib.* 2. *dub.* 12. *num.* 76. Syluester *verb homicidium*
Nauarr. 1. *quæst.* 5. *num* 9. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restit.*
Farin. *cap.* 3. *num.* 393. Farinacius *tom.* 4 *quæst.* 125 *de ho-*
Bald. *micidio, tit,* 14. *num.* 44. *fol.* 102. *col.* 2. Baldus *in l. vt vim, num.* 9. *versu, Sed pone, ff. de iustit. & iure.*
Decius. Decius *ibi num.* 32. & patet ex textu *in l.* 1. §. *item Diuus, ff. ad legem Corneliam de sicarijs,* ibi, *Diuus Adrianus rescripsit eum, qui stuprum sibi vel suis per vim inferentem occidit, dimittendum.* & glossa
Alberic. ibi *in verbo, dimittendum.* Ita etiam Albericus *in*
Iodoc. *l.* 1. *num.* 17. *versu, Si persona, C. vnde vi.* Iodocus
Bossius. *in pract. criminali cap.* 80. *num.* 21. Bossius *in tit. de*
Vgolin. *homicid num* 81. Vgolinus *de cens. part.* 2. *cap.* 11.
Ayrerius. §. *Proposuimus, num.* 7. Iacob. Ayrerius *in tractat. de homicid. necess. part.* 1. *num.* 135. & 140. Ratio est, quia pudicitia, & castitas plus æstimatur, quàm multæ opes. Vnde si licitum est inuasores illarum occidere, cum aliter defendi non possunt, multo maiori ratione licebit inuasores pudicitiæ, & castitatis interficere.

25. Ad finem huius capitis notabis virginem, vel adolescentem, qui vim pudicitiæ patiuntur, quamuis ab inuasore superentur, si non consentiat interiùs in turpi actu, non peccare, nec virginitatem amittere quoad Deum, vt optimè docet Toletus *lib.* 5. *summa, cap* 6. §. *quartus est ob castitatem, ad finem capitis.* vnde Syluester *verbo, homicidium* 1. § 8. asserit posse adolescentem, & virginem inuasores suæ pudicitiæ non occidere, si velint, & posse etiam illos licitè occidere, quia possunt pati corruptionem, dummodo consensum cohibeant in delectatione: attamen, quia hoc valde periculosum est, securius esset occidere, si possint, vt ait Toletus allegatus nam illud remedium sumendum est cum aliud non occurrit.

CAPVT IV.

An ob defensionem vitæ, honoris, bonorum, & pudicitiæ proximi, liceat inuasorem occidere; & an ad hoc teneantur iudices ex iustitia. Et superiores respectu suorum subditorum.

SVMMARIVM.

Licitum est omnibus etiam clericis, & religiosis ob defensionem vitæ, proximum defendere absque metu irregularitatis, vel excommunicationis, si inuasor illius sit clericus, seruato debito moderamine. num. 1.

Et multo magis id licebit ob defensionem vitæ patris, matris, amici, vel affinis. num. 2.

Idem dicendum est ob defensionem bonorum proximi si sint magni momenti. num. 3.

Idem de defensione pudicitiæ ipsius proximi. num. 4.

Limitabis tamen quando fœmina, vel adolescens vim patitur in pudicitia, secus quando consentit sponte sua. num. 5.

Idem de defensione honoris proximi. num. 6.

Quid quando proximus inuasus dedit antecedenter causam ob quam inuadatur, vel quia commisit adulterium cum vxore inuasoris, vel quia antecedenter illum verbis, & iniurijs prouocauit. n. 7. 8. & 9.

Verba iniuriosa, & adulterium, quibus inuasor prouocatus fuit, non ordinantur ex se ad occisionem prouocantis, & adulterantis. num. 10.

An non solum possimus licitè defendere honorem, pudicitiam, bona, & vitam proximi innocentis, quando ab alio iniustè inuaditur cum morte inuadentis, sed etiam ad id teneamur ex charitate sub peccato mortali. num. 11.

Qui teneantur, vel non teneantur de iustitia proximum defendere. num. 12. *An Reges, Principes, Iudices, & Prætores vrbium respectu suarum vasallorum, & subditorum.* ibid.

An Episcopi, Prælati, & Rectores Ecclesiarum, erga suos. num. 13.

An tutores, curatores, pædagogi, & custodes rerum, & vinearum pretio ad id conducti. num. 14.

An milites respectu eorum Principum, qui iusto pretio, & stipendio eos ad id conducunt. num. 15.

An Prætores vrbium, iudices, & ministri iustitiæ salario conducti ad administrandam iustitiam Reipublicæ, & obuiandum damnis illius teneantur in conscientia cum manifesto periculo vitæ illius obuiare. num. 16.

Nemo tenetur proximum innocentem iniustè aggressum cum manifesto vitæ suæ periculo defendere. num. 17.

PRIMA conclusio sit. Licitum est omnibus etiam clericis, & religiosis alium occidere pro defensione vitæ proximi, 1.
quando aliter illam defendere non possunt, seruato debito moderamine inculpatæ tutelæ: & ob id neque irregularitas, neque excommunicatio aliqua incurritur, siue clericum, siue religiosum, siue quemcumque alium inuasorem occidant. ita Lessius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 13. *n.* 87. Lessius.
Suarez *tomo* 5. *de censuris, disput.* 46. *sect.* 3. Couarr. Suarez.

Couar. Maior. Iul. Clar. Bartol. uarr. *in Clement. si furiosus, part. 3. § vnico, num. 5.* Maior. *in 4. distinct. 15. quæst. 3.* Iulius Clarus §. *homicidium, num. 27. & 28.* Bartol. *in l. vt vim, ff de instit. & iure. & in l. si quis in seruitute, num. 3. ff de furtis.* Decius. Alciat. Farin. Baldus. Castr. Fulgos. Mantua. Cyn. Ananias. Decius *in dicta l. vt vim, num. 32.* Alciatus *cons. 475.* Farinacius *tomo 4. quæst. 125. titulo 14 fol. 231. col. 2. num. 290. & num. 276. & 277.* Bald *in prædicta l. vt vim, à num. 4.* Paulus Castrens. *ibi num 10.* Fulgos. *num. 4.* Mantua. *n. 16. & 80.* Cynus *in l. 1. num. 8. C. vnde vi.* Ananias *in cap. 2. de homicid. num. 6.* & alij communiter. Et ratio est, primò, quia licitum est omnibus causam proximi innocentis defendere cum illius inuasoris occisione, quando vim patitur iniustè; atqui proximus tunc est innocens; ergo licitum nobis est illum defendere cum morte iniusti inuasoris illius. Secundò, quia charitas obligat ad defendendum proximum, vitámque illius, quando sine graui incommodo, & detrimento nostro id possumus efficere; atqui hîc nullum sequitur nobis incommodum, vt supponimus, cum prædictum homicidium in foro externo sit impunibile, probato iusto moderamine defensionis, vt suprà diximus. Ergo intentum. Tertiò, quia proximum quoad vtramque vitam spiritualem, & temporalem tenemur ex præcepto charitatis diligere, sicut nosmetipsos; non tantum, quantum, hoc est, non quoad eundem gradum meriti in vita spirituali, nec quoad eandem diuturnitatem, & commodum illius in vita temporali; at quantum ad conseruationem absolutam illius, ita vt nunquam nobis sit licitum ipsum proximum excludere vel à vita spirituali, vel à temporali; atqui excluderemus illum à vita temporali, si cum debito moderamine inculpatæ tutelæ eam ei non defendamus, cum possumus; ergo tenemur illam ei defendere ex præcepto charitatis, quod apertiùs constabit infrà *in num. 12.* ad quem te remittimus. Quæ sententia adeo est vera, vt procedat etiam iuxta Lessium allegatum, etiamsi proximus nolit, vt dictum non defendamus: quia cum non sit dominus vitæ suæ, non potest aliis prohibere, ne illam defendamus; sumus enim ad inuicem membra Reipublicæ, quod mihi non displicet.

2. Quod si hoc nobis licitum est ob defensionem vitæ cuiuisque proximi extranei, multo magis licebit ob defensionem vitæ patris, matris, fratris, amici, affinis, propinqui, consanguinei, & socij itineris, quoniam societas est ad instar fraternitatis. Iul. Clar. Patet ex *l verum. ff pro socio.* docet Iulius Clarus *dict. §. homicidium, num 29.* Suarez, Lessius, & alij allegati, & Couarr. Couar. Abbas. *lib. 1. variarum resolutionum cap 10. post num. 8.* Abbas *in cap. si verò 1. de pœnis, num. 11.*

3. Secunda conclusio, Idem dicendum est de defensione bonorum proximi quando sunt alicuius momenti; & de defensione pudicitiæ, & castitatis. De defensione bonorum ita docet Suarez. Lessius. Iul. Clar. Nauar. D. Ant. Suarez *tomo 5. de censuris, disput 46. sect. 3.* Lessius *tomo 1. de instit. lib 2. cap. 9. dub. 13. num 87.* Iulius Clarus *dicto §. homicidium, num 29.* Petrus Nauarra *lib. 2. de restitut. cap. 3. à numero 393.* D. Anton. *3. part. titulo 4. cap. 3. §. 2.* Bartol. Decius, Alciatus allegati *num. 1.* Bernius. Butrius. Bernius *in cap. 1. de offic. delegat, num. 84.* Butrius *in cap. olim causam, de restitut. spoliat. num. 38.* & patet ex textu *in cap. dilecto, de sentent. excommunicat §. & quidem, in 6.* Franc. Claud. Anchar. Francus *ibi num. 4. & 5.* Claudius *in l. vt vim, num. 48 ff. de instit. & iure, in lectura.* Ancharranus *in cap. Si verò, de sentent. excommunicat, num. 5,* & ibi Butrius *num. 7.* Abbas *num. 11. ad finem.* Felinus ibi *col. finali, versu, quid pro rebus proximi.* & alij. Fundamentum est penè idem, quod pro prima conclusione attulimus; deinde quia iniuria, quæ fit personæ nobis sanguine, amicitia, vel affinitate coniunctæ quodammodo in nos redundat: quare sicut nobis licitum est nostram iniuriam in bonis cum morte inuasorum debito moderamine seruato deuitare, ita & in bonis proximi, & harum personarum. Tandem, quia à bonis externis, quando sunt magni momenti, vita pendet, quare si possumus vitam proximi innocentis cum occisione inuadentis defendere, possumus etiam licitè illius bona magni momēti eodē moderamine, & morte illa inuadentis tueri.

Idem, de defensione pudicitiæ: ita docet Farinacius *tom. 4. quæst. 125. num 44. & 49.* Iodocus *in practic. criminali, cap. 80. num. 21.* vbi citant multos. Lessius citatus *dicto tomo 1. lib. 2. cap. 9. dub. 13. num. 88.* Petrus Nauarra *lib. 2. de restitut. cap. 3 post numerum 393.* D. Anton. *3 part. tom. 4. cap. 3. § 2.* id etiam tenent omnes, qui dicunt licitum nobis esse defendere honorem proximi, quos statim citabimus *num 6.* & alij, quos citabimus *num sequenti*, & Suarez *tom. 5. de censuris, disput. 46 sect. 3. num. 5.* Nam pudicitia, & castitas pluris æstimatur, quàm bona temporalia æstimentur. Deinde, quia illud homicidium inuasoris pudicitiæ proximi, non est respectu defendentis illum voluntarium, sed necessarium; non enim ex voluntate fit, sed inuitè, & coactè ob proximi necessitatem. Et quamuis charitas obliget ad defensionem proximi, sine offensione alterius proximi; tamen cum proximus vim patiens in pudicitia, & castitate, sit innocens, & alter proximus illam inuadens, sit nocens, & iniuriosus in eo facto, iustè possumus, ac licitè innocentem defendere cum morte inuasoris, quando aliter illum defendere non possumus, & ille sibi prædictum damnum vitæ attribuat, quia ipsemet pudicitiæ inuasor ad hoc homicidium quodammodo defensorem proximi vim patientis coëgit: vt patet. 4. Farin. Iodoc. Lessius. Nauar. D. Ant. Suarez.

Hoc tamen limitandum est, quando fœmina, vel adolescens, vel quilibet alius proximus vim in pudicitia patiens, non consentit in prostitutione, & vel tacitè, vel apertè à nobis auxilium desiderat, vel implorat: nam si consentiat, non licebit inuasorem, oppressorémque occidere. Et idem dicendum est de quacunque fœmina, etiamsi in statu virginitatis non sit; & de viro ne patiatur sodomiam. Ita docet Caiet. *2. 2. quæst. 64. art. 3.* Sotus *lib. 5. de iustit. quæst. 1. art. 8.* Petrus Nauarra *lib 2. de restitut. cap. 3. num. 394.* Quamobrem laudatur maximè à Cicer. *orat. pro Milone*, quidam adolescens, qui tribunum suum occidit volentem suæ pudicitiæ vim inferre, & à Mario duce exercitus fuit absolutus, præmiisque donatus ob tale homicidium. 5. Sotus. Nauar. Cicero.

Tandem idem dicendum est de defensione honoris proximi. Ita docent Sayrus *in claui reg. lib. 7. cap. 10. num. 35.* Salon. *2. 2. quæst. 64. artic. 7. conclus 2. corollar 1.* Ludouic. Lopez *1 part. instruct. cap. 62.* Sà *verbo, Homicidium.* Lessius *tom. 1. de iust. lib 2. cap. 9. dub 13. num 88.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. post numerum 393.* Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. homicidium, num. 26. 27. 28.* Suarez *tom. 5. de cens. disput 46 sect. 3.* quatenus absolutè docet ob licitam proximi, & rerum proximi defensionem, nullam incurri irregularitatem, neque excommunicationem capitis, *Si quis*, 6. Sayrus. Salon. Lud. Lop. Sà. Lessius. Nauar. Iul. Clar. Suarez.

Si

si forte is, qui occiditur, vel mutilatur, sit persona Ecclesiastica. Ratio est, quia fama, & honor, aut ait Iulius Clarus *dicto num. 26.* æquiparantur vitæ; vnde cum licitum sit defendere vitam proximi, vt probauimus *num. 1. huius capitis*, seruatis seruandis cum occisione inuasoris, licitum quoque erit defendere illius honorem, & famam. (Iul. Clar.)

7. Maius dubium est, an hoc licitum sit, quando proximus inuasus dedit antecedenter causam ob quam ab alio inuadatur, facto, vel verbis: facto, vt quia commisit adulterium cum vxore inuasoris, & in actu adulterij deprehenditur à marito, maritusque adulterium vult occidere, quærimus nunc, an ipse adulter iustè, & licitè se possit tueri cum occisione mariti inuadentis, & an prædictum adulterum possimus licitè quoque, & iustè defendere, cum morte inuadentis, quando aliter illum defendere non possumus, seruato moderamine debitæ tutelæ. Et verò, quod prædictus adulter se possit licitè tueri interficiendo maritum illius cum qua adulterium commisit, venientem ad se occidendum quando non potest se aliter liberare, docent communiter Doctores, quia ratio naturalis permittit, vt vnusquisque se defendat aduersus periculum vitæ *l. Itaque si seruum, ff. ad leg. Aquil. l. 2.* vbi Bartol. & omnes *C. ad legem Cornel. de sicar.* & quia quamuis adulter causam dederit antecedenter adulterium committendo, & maritum adulteræ facto ipso prouocando; tamen iustè se defendit, & licitè; cum maritus illum illicitè priuata authoritate velit occidere, ac proinde licet prædictus adulter absolutè in ordine ad adulterium sit nocens, tamen in ordine ad hanc defensionem innocens est; vnde & ipse tanquam innocens se iustè potest defendere cum morte iniusti inuasoris; & nobis licitum est illum defendere, qui licitè se defendit, etiam cum morte inuasoris, quando aliter illum defendere non possumus. Tandem, quia adulter facto ipso, hoc est, adulterio prouocans maritum adulteræ, in actu quo maritus adulteræ illum priuata authoritate, ante accusationem, & sententiam latam illum inuadit ad mortem, vim vi repellit; nam cum illicitè illum inuadat, vim illi infert, & cum illicitè illi vim inferat, licitè alter vim repellit; quare & ille licitè & iustè se potest defendere ab inuasore cum morte illius, & nos licitè & iustè illum etiam defendere possumus tanquam proximum iniustè, & illicitè oppressum, idque absque vlla irregularitate, hæc opinio est hodie communior Eam docent Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap 9. dub. 13. num 87. in medio.* Saytus *in claui regia, lib. 7. cap. 10. num. 24.* Salon. 2. 2. *quæst 64 art. 7. controuersia 1. conclus. 2.* Beia *2. part. casu 21.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 361. & 362.* Mercado *tract. 6. cap 4. §. que dicemus.* Syluester *verbo, Homicidium 1. dicto 3.* Cardosus *in praxi iudic. verbo, Irregularitas, num. 10.* Ouandus *in 4. sent. dist. 25. proposit. 15. ad finem.*

(Bartol.) (Lessius.) (Saytus. Salon. Beia. Nauar. Mercad. Syluest. Cardos. Ouand.)

8. Scio esse nonnullos authores, qui contrarium asserant, inter quos est Nauarrus *in summ. Lat. cap. 27. num. 218. & cap. 15. num. 7.* vbi dicit prouocantem alium, & causam dantem, vt inuadatur, si postea inuasorem occidat, homicidam esse voluntarium, modò ipsa causa, quam dedit, directè tendat ad insultationem alterius aduersus se ipsum, & talem causam putat adulterium, maximè, quia præuidere debebat adulter homicidij consecutionem: & citat pro se Nauarrus D. Anton. *3. part. tit 5. cap 8. §. 1. col. 2.* Sed vt optimè notat Petr Nauarra *dict. num. 361.* D Antoninus ibi nihil tale dicit: in titulo autem *7 de ira, c. 8 §. 1.* loquitur de homicidio casuali, & non ob iustam defensionem factum. Citat etiam Caietanum *2. 2. quæst. 64. art. 8. in medio*, sed Caietanus ibi longè aliud tenet, vt statim patebit. Ad rationem Nauarri respondemus adulterum, quamuis antecedenter causam dederit, ob quam inuaditur, tamen in ipso actu aggressionis, inuasionisque, quando à marito adulteræ inuaditur, licitè se defendere, cum alter illum illicitè priuata authoritate velit occidere: nobis autem licitum est iuuare, & defendere illum proximum, qui se iustè defendit, vt dictum manet.

(Nauar.) (Nauar. D. Anton.)

Et id, quod diximus hactenus de eo, qui prouocauit antecedenter aggressorem facto, seu adulterio, dicendum est etiam de eo, qui prouocat aggressorem verbis, & iniuriis iuxta Doctores *num. 7.* allegatos ob eandem prorsus rationem: nam adhuc etiam iste licet aggressorem iniuriis prouocet, illicitè, & iniustè ab aggressore prouocato priuata authoritate aggreditur. Patent enim tribunalia iustitiæ, in quibus illum accusare potest, & cum iniustè, & illicitè inuadatur, licitè, & iustè ipse se defendit, & nos illum licitè etiam, & iustè defendere possumus. 9.

Tandem probatur efficaciter nostra doctrina, quia verba iniuriosa, & adulterium, quibus inuasor prouocatus fuit, non ordinantur ad occisionem inuasoris; sed potius natura sua ordinantur ad occisionem prouocantis, & adulterantis, ac proinde taliter prouocantes, quando prouocant, non dant operam rei illicitæ in ordine ad homicidium alterius: quare non imputabitur mors inuasiti, seu prouocati, si forte contingat ipsi adultero prouocanti, quando aliter se defendere non potuit; quia, vt est doctrina certa in materia irregularitatis, desumpta ex Caietano *2. 2. quæst 64. art. 8.* quam probauimus *cap. 13. num. 11. & 12.* quoties quis non dat operam rei illicitæ per ordinem ad homicidium alterius, etiamsi homicidium contingat, excusatur ab illo Vnde si inebriato Loth esset peccatum mortale, non propterea puniendus erat Loth, inquit Caietanus, propter homicidium alicuius in illa à se commissum, quia illa inebriatio non tendebat ad homicidium alterius per illam intentum à Loth, sed ad voluptatem, quam ipse Loth ex vini haustu capiebat. Quamobrem cum adulterium, & verba iniuriosa non tendant ad mortem mariti, vel alterius personæ prouocatæ, sed potius ad voluptatem venercam adulterantis, & ad voluptatem verbis prouocantis; imò, hoc adulterium, & hæc verba iniuriosa prouocatoria, de se, & ex natura sua tendant potius ad mortem, & homicidium prouocantis, & adulterantis, quàm ad mortem mariti prouocati: sequitur, quòd si prouocans, & adulterans se aliter defendere non potest, quando à marito adulteræ inuaditur, licitè se possit defendere cum occisione illius, & quòd etiam licitè illum possimus defendere cum morte ipsius mariti illicitè illum inuadentis. 10.

(Caiet.)

Sed adhuc inquires, an non solùm possimus licitè defendere honorem proximi innocentis, pudicitiamque illius, vitam, & bona temporalia magni momenti, sed etiam, an teneamur id efficere sub peccato lethali. Respondeo hac vltima conclusione. Qui vitam proximi, honorem, pudicitiam, vel bona fortunæ magni momenti non defendit cum licitè, & iustè potest defendere, etiam 11.

etiam cum morte iniusti inuadentis, quando aliter defendere non potest, peccat mortaliter contra charitatem, modò absque notabili detrimento, & damno suo id possit efficere, non tamen tenetur ad restitutionem damni, quod vitare poterat, nisi sit persona, quæ de iustitia illud teneatur euitare, vt statim dicemus. Ita Lessius *tom. 1. de iustit. lib. 2. cap. 9. dub. 13. num. 43.* Glossa *in l. Vt vim ff. de iust. & iure, verbo, Defendere.* Fortunius Garcia *ibi, num. 34. & 35.* Claud. Seyssell. *num 87. in lecturu, & in repet. num. 117. in fine,* Franciscus Curtius *num. 89* Mantua. *num. 10. ad medium.* Farinacius *tom. 4. quæst. 125. de homicid. num. 306. fol. 203. col. 1.* Boërius *decis. 183. num. 7.* Vgolinus *de cens. part. 2. cap. 11. §. propositumus, num. 5.* Et ratio est, quia charitas proximi obligat ad defensionem illius, quando sine nostro magno damno illum defendere possumus, alioqui si tunc non obligaret, nunquam obligaret: non tamen tenetur ille, qui tunc proximum non defendit, ad vllam restitutionem, quia peccata contra charitatem solam, non obligant ad restitutionem; quæ verò sunt contra iustitiam obligant. vnde illi, qui de iustitia tenentur proximum defendere, si id omittant, cum possint, & damnum proximo ex hac sua omissione resultet, tenentur illud ei in conscientia restituere.

[Margin: Glossa. Lessius. Garcia. Seysel. Curtius. Mantua. Farin. Boetius. Vgolin.]

12. Qui verò teneantur de iustitia proximum defendere, non ita constat apud Doctores. Nauarrus enim *in summ. Lat. cap. 24. num. 18.* putat omnes superiores sæculares, veluti Reges, Principes, Prætores vrbium, ac iudices erga suos subditos, & subditos erga superiores ad id teneri, cum Nauarro ita tenent Farinac. *tom. 4 quæst. 125. de homicid. num. 314. fol. 233. col. 2.* Bald. *in l. 1. §. quis est ff. de off. præfecti vrbis.* Lessius suprà allegatus *num. 49.* Fortunius Garcia *in repet. legis, Vt vim, num 34. §. vel ministratione officij. ff. de iust. & iure.* Franciscus Curtius *ibi, num 59. lectura 2. in fine.* Bolognetus *num. 80.* Carrerius *in practica crimin. in tract. de homic. & assassin num. 69.* Boërius *decis. 183. num. 11.* Fundamentum est, quia Reges, & Principes conducti sunt à populo; Prætores verò, & iudices à Regibus, & Principibus ad gubernationem Reipublicæ, & auersionem malorum illius, & singulorum ciuium. Ideo enim populi tributa Regibus pendunt, vt Reipublicæ damnis occurrant, & Reges, ac Principes ideo salaria honorifica tribuunt suis ministris, vt similiter quantum in illis est, damnis Reipublicæ, & singulorum ciuium occurrant, & ideo ratione officij tenentur vtrique ex iustitia, delictis, damnis, & scandalis obuiare, populos in iustitia sustentare, scandalosos homines, prædones, & fures punire, capere, in vincula trudere: ne publicis latrociniis Respublica vexetur.

[Margin: Nauarr. Farin. Bald. Lessius. Garcia. Curtius. Carrer. Bolognet. Boetius.]

13. Secundò tenentur Episcopi, Prælati, & Rectores Ecclesiarum, erga suas oues, & subditos in ordine ad damna spiritualia dumtaxat: nam hi quoque obligantur ex officio iuxta modum gubernationis suæ spiritualis ad procuranda bona, & auertenda mala spiritualia, ab ouibus suis, easque defendendas à lupis, & hæreticis hominibus. Idem quoque est dicendum de superioribus regularium erga subditos, & oues suas. Ita Lessius *tom. 1, de iust. lib. 2. cap. 9 dub. 13. num. 49.* Farinac. *tom. 4. quæst. 125. de homicid. tit. 14. n. 320. & 321.* Carrer. *in tract. de homicid. & assassinio, §. quintò excusat defensio, num. 78.* Placa *epitome delict. lib. 1. cap. 28. num. 28.* sicut enim inter vasallos, & Reges suos, & inter Reges, & vrbium Prætores, ac iudices datur virtuale pactum, *Do vt facias*: ex parte Regum erga vasallos, *Nos vos regemus in pace, & defendemus, ac tuebimur à malis, per vos, & per ministros nostros, vobisque iustitiam administrabimus*: ex parte vasallorum erga Reges, & Principes suos, *Nos vos alemus iustis tributis, & regalibus redditibus, quos vobis damus, ac relinquimus si nobis iustitiam administraueritis, & in pace defenderitis.* Ita inter pastores spirituales, & oues datur virtuale pactum, *Do vt facias*: ex parte pastorum spiritualium ad oues suas, *Nos vos pascemus spiritualibus & gubernabimus, procurabimusque vestra bona spiritualia, per nos, & ministros nostros*: ex parte ouium ad pastores suos, *Nos vos alemus fructibus nostris, decimis, & alijs prouentibus, vt nos in spiritualibus pascatis, nobisque iustitiam in spiritualibus administretis, & mala à nobis spiritualia auertatis.* Vnde ex vi huius contractus omnes ad inuicem manent ex iustitia obligati; sunt enim hæc correlatiua, vt docet Nauarrus *in summ. Lat. cap. 24. num. 18.* quæ ex vtraque parte contrahentes ex iustitia obligant.

[Margin: Lessius. Farin. Carrer. Placa.]

Tertiò tutores, curatores, pædagogi, & custodes rerum, & vinearum, & vrbium tenentur ex iustitia defendere suos pupillos, & eorum bona, & illos ad quorum custodiam se tacitè, vel expressè obligarunt, stipendio aliquo, aut salario accepto. Ita Nauarrus *in summ. Lat cap. 24 n. 18.* & alij communiter: nam tutoris officium est in primis facere pupillos bene moratos, & illorum bona conseruare à damnis, & iniuriis: datur enim tutor primariò ad personam, secundariò ad bona pupilli, & velint nolint tutores, vbi primum officium acceptarunt ad hoc tacitè se ex iustitia obligarunt, *l. 1. ff. de tutel. cap. 1. num. 12. quæst. 1.* & tutoris bona eo ipso manent tacitè obligata, & hypothecata pro fideli administratione bonorum pupilli. *l. vnic. §. 1. C. de rei vxor. act.* Glossa *ibi, in verbo. Rerum l. Pro officio, C. de administr. tutor.* vbi glossa *in verbo, Obligata.* Iaso *in l. Constante, ff. solut. matrim. num. 221.* Doctores *in § tutores, Inst. de obligat. quæ ex quasi-contract.* hæc enim obligatio tutelæ dicitur ex quasi contractu, & alter alteri manet obligatus, iuxta dictum §. *tutores.* Curatoris verò appellatione lato nomine venit in iure tutor, iuxta §. *hæc omnia*, vbi Glossa *verbo, Ad curatorem, in auth. vt hi, qui obligatas, collat 6.* Sed in hoc distinguuntur curatores à tutoribus, quòd curatores primò, & principaliter dantur rebus pupillorum, non personis, *l. In copulandis, C. de nupt.* Iaso *in l. Si quis in fundo, n. 46. ff de legat. 1.* Secundariò tamen dantur personis. Glossa *in verbo, Persona, in §. certè autem, Instit. qui test. tut dare poss.* & Glossa finalis, *in dicta l. In copulandis, C. de nupt.* bona quoque curatorum similiter manent obligata pro administratione bonorum pupillorum. Custodes tenentur ad arctissimam, & fidelissimam custodiam earum rerum, quas custodiunt, & sic tenentur de culpa lata, & leui, non tamen de casu fortuito, *l. Qui mercedem*, vbi Glossa, & Bartol. *num 1 ff. locat.* 14.

[Margin: Iaso. Bartol.]

Quartò tenentur milites, quia ad hoc se stipendio conducunt, & denique omnes serui, & famuli salario conducti ad rem aliquam tractandam, etiamsi sub potestate dominorum non sint. Ita docet Farinacius *tom 4. quæst. 125. de homicid. num. 312* Claudius *in l. Vt vim, ff. de iust. & iure. sub n. 87.* Bologner. *ibi, n. 84. versu, Et idem videtur.* Angel. *de malef. verbo, Et dictus Titius se defendendo, num. 34.* Placa *in epitome delict. lib. 1. cap. 28. num. 28.* & alij. 15.

[Margin: Farin. Claud. Bolognet. Angel. Placa.]

Dubium

16. Dubium tamen hîc oritur, an Prætores vrbium, iudices, & ministri iustitiæ stipendio, ac salario conducti à Rege, & Republica ad administrandam iustitiam, & obuiandum ciuium damnis, teneantur in conscientia cum manifesto vitæ periculo illis obuiare? Respondeo negatiuè, & ita est dicendum de aliis, qui ex officio, & de iure proximum defendere tenentur, quoties se ipsos periculo vitæ exponerent: præterquam in vasallo respectu Regis, & milite, qui vitam de iustitia tenentur periculo vitæ exponere, ne Rex periclitetur, ne vrbs capiatur. Ita Farinacius allegatus *dicto tomo 4. quæst. 125. de homicid. titulo 4. num. 327.* Claudius *in dicta repetit. legis vt vim, num. 130. ff de iustit. & iure.* Curtius *ibi num. 60.* Bolognet. *num. 85.* Baëça *consil. 1. num. 24. in fine.* Carrerius *in practic. tractat. de homicid. & assassin. §. quantò excusat defensio, num. 70.* & alij. Et ratio est, quia ministri iustitiæ se primò, & primariò conducunt ad administrationem iustitiæ, quæ occupatio totam planè hominem requirit; secundariò verò ad obuiationem damnorum, armis si opus fuerit, salua tamen illorum vita: talis enim administratio iustitiæ, & malorum occursus, ad quæ se conducunt, est ciuilis administratio, non belligera, nec armifera: è contrario verò est in militibus, ac ducibus, quorum stipendiaria conductio primò, & principaliter ad propugnandam, defendendámque Rempublicam tendit, vsque ad effusionem sanguinis, si opus fuerit: quare ex diuerso fine ministrorum iustitiæ, & militum, ad quem iusto stipendio à Rege, & Republica conducuntur, diuersa oritur obligatio inter illos.

Farin.
Claud.
Bologn.
Baëça.
Carrer.

17. Ex dictis euidenter concluditur neminem teneri ex charitate aggressum innocentem defendere cum vitæ suæ periculo, sed solùm cum absque vitæ periculo, & graui alio damno, & dispendio suo id potest efficere, quia charitas non obligat cum tanto vitæ, aut rerum detrimento, vt de se patet: magis enim tenetur quisque vitam propriam procurare, quàm aliorum, & bona propria, quàm proximorum; nemo enim magis est proximus, quàm quisque sibi. Quæ doctrina est communis apud Theologos, & eam tenet etiam Paulus de Castro *in l. vt vim, num. 12.* & ibi Decius *num. 33.* & Bolognet. *num. 77. ff de iustit. & iure.* vbi magnam congeriem Doctorum pro hac veritate Bolognetus accumulat, quos apud illum videre potens.

CAPVT V.

In quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ, & quando dicatur fuisse moderatum, quando excedens.

SVMMARIVM.

Moderamen inculpatæ tutelæ in quo consistit. num. 1. *& 2. Consistit in tempore continenti, in modo, in causa.* ibid.

An se defendat incontinenti ille insultatus, qui in domum se recipit, arma quærens, & postea in foro percutit insultantem. num. 3.

An tunc tale homicidium puniendum sit ordinaria mortis pœna. num. 4.

Consistit etiam moderamen inculpatæ tutelæ, in modo se defendendi: in quo consistat talis modus, an homicida illum excedens puniendus sit pœna ordinaria mortis, an arbitraria iudicis. num. 5

An inæqualitas armorum in rixis subitò, & repentè actis tollat moderamen inculpatæ tutelæ. num. 6.

An etiam illud tollat inæqualitas facti ad factum, hoc est, inæqualitas percussionis ad percussionem, vulneris ad vulnus. num. 7.

Æqualitas causæ in quo consistat. num. 8.

Non seruatur æqualitas causæ si quis animo offendendi, & non se defendendi vulneret, vel occidat inuasorem. num. 9.

Quomodo constare possit ex coniecturis, quo animo se quisque defendat. num. 10. 11.

Quando fuerit, vel non fuerit seruatum moderamen inculpatæ tutelæ tam ex parte causæ, quàm modi, & temporis, totum pendet ex iudicio prudentis iudicis. num. 12. & 13.

DIXIMVS suprà esse illud homicidium, in quo fuit seruatum moderamen inculpatæ tutelæ non solùm impunibile pro foro externo, sed etiam licitum pro foro conscientiæ interno, & carere omni pœna irregularitatis, & excommunicationis canonis *si quis suadente diabolo*, si fortè pro iusta defensione propria, & proximi percutiatur clericus. Nunc videndum est in quo consistat prædictum moderamen inculpatæ tutelæ, vt sciamus quando fuerit seruatum, aut excessum. 1.

Consistit hoc moderamen in tribus, videlicet, *in tempore, in modo, in causa.* In tempore, hoc est, vt defensio vitæ, vel rei propriæ, aut proximi, magni momenti, fiat incontinenti, seu in flagranti delicto inuasionis, non ex magno interuallo. Si enim ex magno interuallo facta fuerit, id non erit vim in actu repellere, sed erit vindictam sumere; quod nunquam licitum esse potest. Vindictam enim iniuriæ solus Deus sibi reseruauit Ezechiel. 9. *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Et Deuteron. 32. *Mea est vltio, & ego retribuam vindictam.* Ita docet Saytus *in claui regia lib. 7. cap. 10. num. 18.* & patet ex *cap. Significasti 2. de homicidio.* Salomon *in repetitione legis vt vim, ff de iustit. & iure, num. 9. ante finem.* & ibi Claudius *num. 56. in principio in lectura.* Bolognet *num. 46.* vbi dicit id incontinenti fieri, quod fit durante rixa, vel aggressore ab illa non discedenti, & ad alios actus non diuertenti. Cynus *in l. 1. num. 4. ad medium, C. vnde vi.* Bartol. *ibi num. 9* Baldus *num. 8.* Hostiensis *in cap. significasti 2. extra de homicidio, num. 17.* Anan. *ibi num. 38.* Butrius *in cap. olim causam, de restitut. spoliatorum, num. 37.* Bellamera *ibi num. 22.* Angelus *de malefic. in verbo, Et dictus Titius se defendendo, n. 18.* vbi optimè dicit, id fieri incontinenti, & se incontinenti aliquem defendere, quando id ipsum facit, vel in aggressu inuasionis, vel successiuè immediatè, vel quasi immediatè post: vt iam diximus. 2.

Ezech. 9.
Deuter. 32.
Saytus.
Salomon.
Claudius.
Host.
Butrius.
Bellam.
Angel.

Vnde non videtur admittenda doctrina Cæpollæ *conf. 42. num. 2.* vbi tradit incontinenti fieri defensionem, quando insultatus se in domum confert arma quærens, & statim ad aggressorem regreditur, illúmque in foro repertum vulnerat; nec doctrina Bontioi, qui asserit, *in conf. 9. n. 13.* quem refert Menochius *conf. 107. num 40. lib. 1.* illum se incontinenti defendere, qui sequenti die conuocatis amicis interficit illum, à quo in die præce 3. Cæpol.

præcedenti verberatus fuit, qoia hæc propulsa-
tio ioiuriæ, moraliter loquendo, dicitur incon-
tineoti facta, est enim actus defensionis, actus
moralis, qui requirit moram temporis. Quam
Boërius. doctrinam videtur approbare Boërius *decis.*168.
*num.*6 *fine*, vbi allegat Cæpollam *loco citato*.
Mascard. Nec deoique doctrina Mascard. *de probat. lib.* 3.
*conclus.*1126.*num.*51. vbi videtur tenere eam de-
fensiooem fieri incontinenti in qua inuasus pro
interficiendo inuasore suo conuocatis amicis,
statim ad inuasorem regreditur, eúmque occi-
dit. Nam licet huiusmodi defeosio sit actus mo-
ralis, & actus moralis requirat continuationem
temporis; tamen post intermissionem rixæ, te-
gressus ad illam, potentioribus armis, videtur po-
tius vindictam sumere de iniuria, quàm iusta de-
fensio: quando autem detur defensio circa bona
externa incontinenti quoad recuperationem illo-
rum, dicemus *cap. sequenti, num.*21.

4. Credo tamen non esse punienda huiusmodi
homicidia in prædictis casibus ordinaria mortis
pœna, sed arbitraria iudicis, consideratis omnibus
circunstantiis maioris, vel miooris interualli;
quoniam nisi in eadem rixa, & eodem conflictu
sequatur homicidium, non potest dici commis-
sum ad necessariam defensionem; dicetur tamen
commissum post prouocationem; in homicidiis
autem commissis post prouocationem semper mi-
nuitur pœna prouocato iudicis arbitrio, vt opti-
Farin. mè notat Farinacius *tom.*4.*quæst.*125. *de homicid.*
*tit.*14 *num.*342.*fol.*156.*col.*2.

5. *Secundò* consistit moderamen inculpatæ tute-
læ *in modo*: quamobrem si aggressus excedat mo-
dum io se defendendo, arbitraria pœna erit pu-
niendus in iure ciuili, noo ordinaria, quia tunc
punitur tantùm excessus homicidij, vel mutilatio-
nis, aut vulnerationis, non homicidium, mutilatio,
Iul. Clar. aut vulneratio. Ita Iulius Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *ho-*
Blanc. *micidium, num.*34. Blanc. *in pract. crimin. fol.*146.
Bologn. Bologuetus *consil.* 36. *col.* 6. Modus autem hic
exemplificatur ab auctoribus multis modis. Pri-
mò in æqualitate armorum. Secundò in æquali-
tate facti. Tertiò in æqualitate offeosionis, & de-
fensioois. *In æqualitate armorum*; vt in gladio
pro gladio; in sclopeto, pro sclopeto. *In æquali-*
tate facti, vt videlicet percussus in parte corporis
non periculosa, non repercutiat in parte corpo-
ris periculosa. v.c. vt percussus in brachio, vel in
humeris non repercutiat in capite, vel in corde.
In æqualitate offensionis, & defensionis, vt si aliquis
offendat pugno, alius se defeodat pugnu; quia
si in aliquo istorum non seruetur æqualitas, iam
non seruatur moderamen inculpatæ tutelæ; mo-
deramen enim inculpatæ tutelæ consistit in æqua-
litate armorum ad arma; facti ad factum; offen-
sionis ad defensionem, ita vt quis se ita defendat,
qualiter offeoditur: alioqui seruabitur quidem
moderamen tutelæ, non tamen inculpatæ tutelæ,
atque ita punietur excessus facti arbitrio iudicis,
Butrius. non factum. Ita Antonius de Butrio *in cap. Si-*
Anchar. *gnificasti* 2. *de homicid. num.* 20. Ancharanus *ibi*
Abbas. *num.*9. Abbas *num.*1. *in fine*. Zabatella *num* 4. Ho-
Zabarel. stiensis *num.*21. Ioannes Andreas *num.* 9. & 10.
Host. Ioannes de Lignano *in tractat. de bello, cap.*121.
Ioan. And. Boërius *decis.*168. *num.*4. Sebast. de Medic. *de ca-*
Ioan de Lig. *su fortuito* 1 *part. quæst.* 8. *num.* 52. Iodoc. *in pract.*
Boërius. *cap.*76. *num.*14. Moron *de fide, treuga, & pace,*
Sebast. Med. *quæst.*161. *num.*3. Iacobus Ayrerius *de homicidij*
Iodoc. *necessitate, part.* 1. *num.*96. & 383. & 391. Ange-
Moron. lus *de malef. in verbo, Et dictus Titius se defenden-*
Ayrerius. *do, num.*18. *versu primo quod in defensione requira-*
Angel.
tur factorum æqualitas. Claudius *in repetit. legis vt* Claud.
*vim, ff. de iustit. & iure, num.*62. Bologner. *ibi* Bologn.
*num.*42. Odofred *in l. scientiam, § qui cum aliter,* Odofred.
ff. ad legem Aquiliam. Baiardus *ad Iulium Cla-* Baiard.
*rum in adnotat. § homicidium, num.*110. qui om-
nes arbitrantur ita consistere muderameo incul-
patæ tutelæ in æqualitate armorum ad arma, vt
existimeut, non licere sibi aggredientem te, per-
cutientémque pugno, virga, lapide, dentibus, ba-
culo repercutere, aut vulnerare; alioqui punien-
dum esse excessum arbitrio iudicis. Ideo, vt re-
fert Baiardus citatus, Mediolani fuit quidam ad
triremes damnatus, qui verbis offensus, & bacu-
lo in capite, & armis à quadam fœmina percul-
sus doloris, & iniuriæ impatientia illam gladio in-
teremit.

Verùm ista æqualitas armorum, moraliter lo- 6.
quendo, in repentinis rixis, & insultibus est om-
nino impossibilis, vnde venùs crederem cum
multis, quos statim citabo, inæqualitatem armo-
rum non tollere muderamen inculpatæ tutelæ,
quando defensio fit incootineoti. Vnde puto li-
cuum esse cuique se cum gladio defeodere ab
illo, qui illum cum cultello aggreditur; & cum
lancea tueri ab eo, qui illum gladio inuadit. Ita
Salomon *in repetit. l. vt vim, ff. de iustit. & iure*, à Salomon.
*num.*6. *vsque ad* 11. Salicetus *in l.* 1. *C. vnde vi,* Salicet.
num 5. Farinacius *tomo* 4. *quæst.*125 *de homicidio,* Farin.
*tit.*14 *num.*360. *fol.*239. *col.*1. vbi asserit excessum
in genere armorum, & inæqualitatem eorum
non continere oisi culpam leuissimam, quæ nullo
modo punitur. Blancus *in practic.* §. *tertia pars*
*defensionis, num.*3 vbi oon admittit æqualitatem
armorum, quando aggressus se non poterat ali-
ter defendere. Carrer. *in practic. in tractatu de ho-* Carrer.
*micid. & assassin. num.*9. *§ circa quartum*. Mascar- Mascard.
dus *lib.* 5. *de probat. conclus.*1126. *num.*36. vbi ait
non esse attendendum ad æqualitatem armo-
rum, quando inuasus, iosultatúsque se defeu-
dere non poterat, nisi cum armis potioribus;
quando autem se defendere possit, vel non pos-
sit, totum id arbitrio iudicis committitur. Proba-
tur hæc opinio rationibus. Primò, quia vt di-
ctum manet, huiusmodi armorum æqualitas
non potest attendi, & considerari in repeotina
rixa, vt consideranti patebit. Secundò, quia po-
test esse inuadens tam valens, ac potens gla-
dio, quàm valens est inuasus lancea, vel sclope-
to. Tandem, quia ille, qui aliter vim, offen-
sionémque vitare non potest, potest inuaden-
tem se manu vacua, factóque pugno, inconti-
nenti lapidibus, baculóque vulnerare, & occi-
dere; vt latè probat Salomon allegatus *num.* 7.
quare quando aliter se defendere quis possit,
vel non possit, & quando armorum æquali-
tas consideranda, vel non consideranda sit,
totum hoc negotium arbitrio iudicis commit-
titur, vt excessum in illis puniat, vel non pu-
niat.

Æqualitas facti ad factum, hoc est, percussio- 7.
nis ad percussioné, vulneris ad vulnus, moraliter
etiam loquẽdo, est impossibilis, & considerari non
potest; non enim vulnera dantur ad mensuram,
nec semper statera in manu afferenda est ad li-
brandam mensuram percussionum. Nec calore
iracundiæ potest attendi pars corporis, vt in ea-
dem parte repercutiatur inuadens: quia feruor
rixæ, iracundiæ calor, præsens iniuriarum con-
tinuum, angustiæ temporis, in conflictu non pa-
tiuntur plenam iudicij deliberationem in homi-
ne inuaso; quare sufficit, si inuadenti dicat,
ne

ne ad se accedat, alioqui se illum occisurum, si iniuriam manu ei inferre voluerit, sumptis testibus, de hac requisitione, & monitione, si opus fuerit. Ita Beroius *consil.173. num 2. & 21. lib.3.* vbi latissimè probat moderamen inculpatæ tutelæ seruatum dici etiamsi quis se defendendo grauiorem inferat offensionem, quàm receperit. Farinacius *tom.4. in quæstione allegata, num* 351. Bonifac. *in Clement.1. post num. 34. de homicid.* Baldus *in l. Vt vim. sub num.9 ff. de iust. & iure*, Claudius *ibi in lect. num.34. & in repet. num.104. versu, Dicit Baldus.*

Beroius. Farin. Bonifac. Bald. Claud.

8. Æqualitas causæ in eo cernitur, vt causa se defendendi, & non vlciscendi iniuriam sibi illatam percussus percutiat, vel occidat, quando aliter se defendere non potest. Sicut enim alter illum inuadit causa offendendi, ita alter se æqualiter defendit, causa non recipiendi iniustam offensionem, quod nihil aliud est, quàm vim vi repellere. Ita Iaso *in præcitat. l. Vt vim vi ff. de iust. & iure, num.2.* Bolognetus *num* 89. vbi plurima refert exempla, quibus respectu causæ moderamen inculpatæ tutelæ dicitur fuisse excessum, aut seruatum, Bartol. *in l.1. C. vnde vi.* Ananias *in cap. Significasti, de homicid. 2. num* 37. Cæpol. *consil.43 num.7. versu, Tertiò consistit circa causam.*

Iaso. Bolognet. Bartol. Cæpol.

9. Ratione igitur causæ non dicetur fuisse seruatum moderamen inculpatæ tutelæ, tam in iusta, & licita defensione personarum, quàm rerum, si quis non animo se tuendi, sed vlciscendi inuasorem percutit, vel occidit; vt patet ex *l. Scientiam, § qui aliter, ff. ad legem Aquil.* ibi: *Et hoc se tuendi dumtaxat, non etiam vlciscendi causa factum sit.* & ex cap. *Significasti 2. de homicid in fine*, ibi: *Non ad sumendam vindictam sed ad iniuriam propulsandam.* & ibi glossa *in verbo, Moderamine.* Hostiensis *num.15. & 19* Abbas *num* 1. Zabarella *num 4. in fine, in secunda opinione.* Carrer. *in practica criminali, in tract. de homicid. & assassin. num.41. §. circa quartum.* Placa *in epitome delictor. lib.1. c.28. num.20.*

Hostiens. Abbas. Zabarel. Carrer. Placa.

10. Difficile autem constare poterit, quo animo se quisque defenderit, animo ne vlciscendi se, an animo propulsandi iniuriam. Quamobrem ad coniecturas recurrendum erit, & ad confessionem inuasi, & insultati: & verò si ille animum suum fateatur in iudicio, non requiretur alia melior probatio, vt de prædicto animo constet. Ex coniecturis etiam facti animus agnoscetur, v. g. si inuasus inuasorem capiat, exarmet, & vinctum habeat, & postea occidat: nam ex hoc facto constat manifestè non fuisse seruatum prædictum moderamen inculpatæ tutelæ, cum manifestè ex tali facto appareat id factum fuisse animo potius vlciscendi, quàm defendendi se ipsum, vel sua

11. Animaduertit tamen Bartolus ex textu legis, *Deuotum, C. de metallar. lib.12* quòd quando aliquis confessus est se percussisse, vel occidisse aliquem se vlciscendo, intelligitur de se defendendo, quia tunc verbum, *Vlcisci*, ponitur pro verbo, *Defendere*, & *vltio*, pro *defensione*. Cum Bartolo consentit Claudius *in repet. legis, Vt vim, n.85. ff. de iust. & iure.* Franciscus Curtius *ibi, n.90.* Carrer. *in pract. in tract. de homicid. & assassin. num.18.* Verùm ex contextu verborum, ex modo loquendi, & antecedentibus, & consequentibus circumstantiis colligi poterit, an pro vltione intelligatur vera defensio, & pro se defendere, se vlcisci.

Bartol. Claud. Curtius. Carrer.

12. Quamobrem inspectis, ac pensitatis omnibus mihi persuadeo neque ex parte modi, neque ex parte temporis, neque ex parte causæ posse dari certam regulam ad colligendum certò, & infallibiliter quando fuerit, vel non fuerit seruatum moderamen inculpatæ tutelæ, sed totum id prudentis arbitrio esse remittendum: sicut remittitur quantus, & qualis sit excessus, vt hac, vel illa pœna puniatur, tandem concludunt Baldus *in dict. l. Vt vim, ff. de iustit. & iure, numer.9.* Claudius *num.* 77. Bellamera *in l.1. C. vnde vi, in versu, & istud de moderamine.* Bartol. *num.10.* Antonius de Butrio *in cap. Significasti 2. de homicid. num.27.* Anchatran. *ibi, num.9.*

Bald. Claud. Bellam. Butrio. Anchar.

Iudex autem, vt sæpe dixi in hoc iudicio ferendo, animaduertere debet, ad qualitatem personarum, ad præsentiam circunstantium, ad qualitatem facti, & iniuriæ, & ad alias circunstantias, quæ in facto contigerunt, ex quibus bene consideratis formare poterit iudicium, an fuerit, vel non fuerit obseruatum moderamen inculpatæ tutelæ. In dubio autem semper inclinare debet fuisse seruatum prædictum moderamen, & homicidium factum in iustam sui, vel proximi defensionem, dubia enim semper interpretanda sunt in fauorem rei inquisiti. Ita docet Lara *de anniuersarijs, & capellis, lib.2. cap.4. num.36. argumento capitis, Estote misericordes, de regulis iuris, in 6.* Et in dubiis factum, & verbum, quod ad bonum, vel malum sensum trahi potest, interpretandum est in bonum, *l. In ambigua, ff. de legib. C.2. de regul. iuris, l. Merito ff. pro socio, l. Si procurator, ff. de condict. indebiti.* Nauarr. *in summ. Lat. præludio 5. num.5. ad finem.* 13.

Lara. Nauar.

Capvt VI.

An possimus inuasorem vitæ nostræ morte præuenire. An liceat fugientem latronem sclopeta, telo, vel sagitta occidere, si rem nostram magni momenti nolit dimittere, & quid si illam iam occultauit?

SVMMARIVM.

Quibus modis possit vita nostra ab alijs impeti. numero 1.

An quando insultans actu non aggreditur alium, est tamen in actu proximo ad illum aggrediendum, vt quia præparat sclopetum, vel ensem, possit licitè alter illum morte præuenire. num. 2.

Quid quando maritus subijcit ceruicali pugionem, ad occidendam vxorem nocte, an vxor illum possit licitè prius occidere. num. 3. & 4.

An nobis liceat illum morte præuenire, qui per famulos nos iubet occidere. num. 5.

An liceat cuique illum occidere, qui falsis testibus, & criminationibus in iudicio vitam suam impetit. Refertur sententia affirmans. num. 6.

Præfertur sententia negans. num. 7.

Quid de illis, qui apud Principes, & viros nobiles famæ, & honori nostro continuò detrahunt, nosque infamant. num. 8. *Refertur opinio affirmans. ibid.*

Explicatur negans, & præfertur. num. 9.

An in omnibus casibus in quibus potest quis licitè proximum occidere cum moderamine inculpatæ tutela, possit ipse permittere se potius occidi, ne proximum ipse occidat. num. 10.

An nobis liceat nostra iusta defensio contra iniustum inuasorem cum periculo vitæ pueri innocentis interfecti. num. 11.

An liceat latronem fugientem telo, sagitta, vel sclopeta occidere. num. 12.

Quid si iam ipse latro occultauit rem, quam furto abstulit. num. 13.

Statuuntur aliqua regula, vt sciamus quando est nobis licitum, vel illicitum res nostras, vel proximi cum morte inuasorum illarum recuperare. num. 14.

Prima est: Licitum est occidere furem dum se præparat ad furandum rem tuam, vel proximi magni momenti, & quatenus. ibid.

Secunda est. Si fur nocturnus sit, siue se telo, & armis defendat, siue non defendat, licitè illum poteris occidere, si te, vel res tuas, vel proximi, magni momenti aggrediatur. num. 15.

Soluitur oppositio contra hanc regulam. numero 16. & 17.

Tertia regula est. Fur diurnus nisi se, furtumque defendat, telo, vel armis occidi non potest, si furtum dimittat, & quid si non dimittat. num. 18.

Quarta regula est. Si fur fugiat cum re furata, & clamoribus illam non dimittit, potest insequi, & à longè telo, vel sclopeta occidi, modo res sit magni momenti. num. 19.

Quinta regula est. Si rem meam, vel proximi furatam habeas iam positam in certo loco, & te incontinenti insequar, & tu illùc me ingredi volentem impedias, licitè possum te occidere. num. 20.

Traduntur alia regula à numero 21. vsque ad 24. Quando res incontinenti recuperatur diximus cap. 5. num. 2.

1. PRO intelligentia rerum, quæ tractandæ sunt in hoc capite; notabis multis modis vitam nostram, vel occisionem membri posse ab aliis impeti. Primò, si nondum insultatus, appetitus est ab insultante, est tamen insultans in actu proximo ad illum appetendum, veluti si sclopetam præparet, aut fomitem applicet, vt explodat, vel si ensem habeat in manibus, & eum longè distet, paulatim ad insultatum accedit. Secundò, si armis iam appetiuit, & vulnerauit. Tertiò, si inuasor accedat ad alium, & ille nullo modo possit eum euadere, nisi fugiendo, vel illum morte præueniendo. Sed de hoc vltimo casu, an tunc teneatur inuasus effugere, ne se inuadentem occidat, an possit illum occidere, dicemus infrà capite sequenti.

2. Sit ergo prima conclusio, quando insultans, & inuasor actu non aggreditur alium, est tamen in actu proximo, ad illum aggrediendum, vt mutilet, vel occidat, vel grauiter offendat; licitè illum poterit priùs occidere vim vi repellendo, absque periculo irregularitatis, & excommunicationis canonis, *Si quis*, si forte inuadens sit clericus, aut persona Ecclesiastica, & non possit inuasus aliter præsens periculum euitare. Ita communiter
Sayrus. DD. expressè Sayrus *in clau. reg. lib. 7. cap. 10. de homicid. priuat. auth. facto, num. 18. §. secunda est.*
Sotus. Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 2. art.* 8. Petr. Nauar. *lib. 2.*
Nauarr. *de rest. cap. 3. num.* 349. Beia *part 2. casu* 21. Nauar.
Beia. *in summ. Lat cap. 15. num.* 3. Toletus *lib. 5. cap. 6.*
Tolet. *num.* 24. Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 9 dub. 8.*
Lessius. *num* 44. Iulius Clar. *lib. 5 sent. num.* 32. Felinus *in*
Iul. Clar. *cap. Suscepimus, de homic.* Iaso *in l. Vt vim, ff. de*
Felin. *i ust. & iure, num.* 38. Decius *ibi, num.* 35. Carrer. *in* Decius.
pract. fol. 403 *num* 131. Riminald. *consil. 44. n.* 12. Carrer.
Alexand *consil.* 109. *num. 4. lib. 1. & consil.* 119. Riminald.
num. 2. lib. 7. Bossius *in tit. de homicid. num.* 86. qui Alexand. Bossius.
omnes Iurisperiti à Felino, & deinceps numerati absolutè docent posse insultatum morte præuenire insultantem, quando aliter se defendere non potest, & non teneri effugere: quod sanè intelligendum est non solùm quando actu illum aggreditur, sed etiam quando est in actu proximo ad aggrediendum. Probatur, quia etsi nondum actu inuadat, in procinctu tamen est ad inuadendum, & nemo tenetur expectare actum inuasionis; sic qui præparat sclopetam, vt alterum occidat, & ille iam suam præparatam habet, poterit in illum priùs suam exonerare; imprudens enim erit si expectet, vt alter priùs in eum suam exoneret, vt optimè notauit Toletus allegatus, & Iulius Iul. Clar.
Clarus citatus *num.* 33. & Baldus *in l. 1. num.* 18. Bald.
C. vnde vi, cum plurimis, quos ibi citat.

Exemplum ponunt Toletus, Sayrus, Sotus, 3. & 4.
Beia & Lessius in marito, qui pugionem condit sub ceruicali ad occidendam vxorem de nocte clauso ostio claue; vxor enim in eo casu licitè poterit maritum priùs occidere, etiamsi sit adultera, & idem de quocumque alio inuasore, qui alterum proximo actu parat occidere: hic enim etiam præueniri licitè potest morte ab eo, qui statim inuadendus est; quando mortem sibi intentatam aliter euadere non potest. Sic qui alteri parauit venenum, vt illud ei propinet, potest illud industriè conuertere in authorem, si alter vitare periculum non potest, vt docet Cord. *lib. 1.* Cordub.
quæst. 38. qui casu planè similis est illi de pugione, vt consideranti patebit. Si enim tunc non daretur tempus præueniendi mortem suam morte alterius, profectò nunquam daretur?

An verò licitum etiam tibi sit illum morte præ- 5.
uenire, qui per famulum, & sicarium, te iubet occidere, dubitant aliqui? Planè Bañes 2. 2. *q.* 64. Bañes.
art. 7. dub. 4. Petrus Nauarra *lib. 2. de rest quæst* 95. Nauarr.
art. 8. ad 3. & alij nouiores affirmant. Fundamentum illorum est, quia ille actu mandat inuadere, & parum refert, an per se, vel per alium occidat, sicut qui alteri mandat, vt de me detrahat, parum refert, vt per se, vel per alium de me detrahat. Et in hanc opinionem inclinat Lessius Lessius.
tom. 1. de iustit. cap. 9. dub. 8. num. 46. mihi non displicet hæc illorum opinio, in eo tantùm casu, & circunstantia, in qua ob huiusmodi mandatum mors instet, & in propinquo sit. nam si periculum adhuc sit longinquum, non ausim omnino approbare eam opinionem; Bañes tamen adhuc persistit in sua sententia, & respondet eandem esse rationem, cum ille ita insidiatur alterius vitæ, vt nulla alia via possit insidiatus morti suæ obuiare; quòd omnino Lessio non placet, tum quia periculũ est longinquum: tum quia rarò fiet, interposita hac longinquitate, vt nulla alia ratio euadendi detur, tum quia licentiosa admodum facultas hominibus permittitur ad occidendos alios, quolibet prætextu; casus tamen magis ex iudicio prudentis, quàm ex iuris definitione pendet, quare non ita facile hoc concedendum est, vt inde ansa accipiatur ad occisiones aliorum; nec ita difficile faciendum, vt periclitetur vita illius, cuius occisio alteri mandatur; quare totum hoc negotium iudicio prudentis committendum est, qui consideratis circunstantiis, & qualitate personarum, indole, ingenio natiuo, consuetudine in rebus simi-

libus,

libus, & propositi tenacitate iudicium feret in re tam periculosa.

6. Similiter dubitari potest hîc, an liceat cuique illum prius occidere, qui falsis testibus, criminationibus, & querelis vitam suam impetit in iudicio, imponendo illi nefarium crimen hæresis, aut tale aliud flagitium, ob quod in iudicio ad mortem sit à iudice damnandus, quando non alia sit ratio periculi euadendi. Et verò circa hoc punctum partita est opinio. Prima affirmat. Ita Bañez
Bañez. 2. 2 *quæst.* 64 *artic.* 7. *dub* 4. *&* 5. vbi asserit licitum esse cuique occidere illum, qui pergit ad iudicem, vt illi imponat falsum crimen, propter quod sit occidendus, aut notabiliter falsò infamandus, si nulla alia via detur vitandi hoc damnum. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *n.* 376.
Caietan. Caietanus 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 8. *ad* 3. Fundamentum illorum est, quia nihil interest, vt quis alterum occidat gladio proprio, an alieno, calumniator autem occidit gladio alieno, nempe iudicis, & ea quidem mors fœdior est, & ignominiosior toti familiæ hominis appetiti; quamobrem licitum erit præuenire morte, tam infame genus mortis, ac tam perniciosum?

Lessius. Secunda opinio negat. Eam docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 8. *num.* 47. Ayterius *tractat. de homicidij necessitate part.* 1. *num.* 93. *& sequentibus*, & omnes quos statim dabimus *num.* 9. Primò, quia non licet morte præuenire illum, qui verbalem tantum iniuriam nobis infert, vt statim dubio sequenti dicemus, etiamsi grauissimis, & ignominiosissimis iniuriis nos lacessat. Secundò, quia facilè ex ea opinione occasionem homines accipient ad occidendos alios; nam facilè sibi persuadent se per calumniam ab aliis accusari; & nullum remedium sibi suppetere, quàm tollendo de medio accusatores. Tertiò, quia rarissimè continget quod nullum aliud remedium detur ad euadendam mortem intentatam, quàm desperata via. Sed vera resolutio huius dubij est similis resolutioni dubij præcedentis; pendet enim magis ex prudentis arbitrio, quàm ex iuris definitione: quare quod illic diximus, hîc repetitum censeatur: non negamus tamen priorem opinionem speculatiuè loquendo esse probabilem, sed formidamus illam admittere in praxi, quia semper in ea periculosa erit.

7. Mouent etiam Doctores hîc, hanc quæstionem: vtrùm liceat nobis illos occultè priùs occidere, qui verbalibus iniuriis nostram famam lædunt, & an etiam licitum sit occidere eos, qui iisdem verbalibus iniuriis proximos lacessunt, si aliter illos defendere non possumus? Cui respon-
Farin. dendum censeo negatiuè. Ita respondet Farinacius *tomo* 4. *quæst.* 125. *de homicid. tit.* 14. *num* 42.
Ayterius. Iacob. Ayterius *in tractat. de homicidij necessitate part.* 1. *num.* 93. *& seqq* Et ratio est primò, quia iniuriæ verbales non à viris strenuis, sed à vilibus, & ignauis iaciuntur; propriè enim loquendo magis sunt mulierum, quàm hominum, ac proinde nocere non possunt. Secundò, quia cum vim non inferant, vi repelli non possunt.

8. Maius dubium est, cum aliquis falsis criminationibus, nomini, & famæ viri probi, aut alicuius ministri regiæ maiestatis apud eundem Regem, vel Principem, & apud viros graues occultè detrahit, ea intentione, vt illum à seruitio Regis amoueat, an tunc licitum sit illi, cuius famæ detrahitur, & ea exclusio, amotióque paratur, detrahentem occidere occultè, si nulla alia via, ac ratione damnum hoc possit auertere? Petrus Na-

uarra *lib.* 2. *de restitut. cap.* 3. *num.* 375. & tandem Nauar. in partem affirmantem inclinat, quam etiam probabilem dicit Bañez 2. 2 *quæst* 64. *dub* 4. addens Bañez. idem esse dicendum etiamsi crimen sit verum, modò sit occultum, & ita occultum, vt in iudicio probari non possit. Probant primò, quia si is alapa, vel baculo velit honorem, & famam huiusmodi viri probi lædere; poterit illum vir probus occidere, si modò aliter suam famam, & honorem defendere non possit: vt iam dictum, probatúmque manet. Secundò, quia contumelias, & verborum iniurias armis impedire possumus, occidendo eos, qui nos apud Principes, & viros graues infamant, quia parum refert, vt illi armis, aut instrumentis à nobis honorem, ac famam nostram iniustè auferant, an verbis tantùm. Tertiò, quia, vt docet Iulius Clarus *lib.* 5 *sentent.* §. *homicidium*, Iul. Clar. *num.* 62. & nos supra latè probauimus, periculum famæ, & honoris, æquiparatur periculo vitæ; sed ad tuendam vitam, quando aliter illam tueri non possumus, licitè possumus alios occidere; ergo ad tuendam famam. Quartò, quia hîc iam non agitur de defensione famæ, & honoris tantùm, sed etiam de defensione nostrarum rerum, nempe valoris, & gratiæ, atque officij, quod quis habet apud Regem, vel Principem, quod iustè, & absque iniuria alterius possidet: quare iustè poterit se suáque liberare, iuxta decisionem capitis secundi de homicid. morte iniusti inuasoris.

Verum hæc quoque sententia licet speculatiuè loquendo probabilis videatur, in praxi tamen nec secura videtur, nec admittenda est: quia multis occultis cædibus cum magna perturbatione Reipublicæ occasionem præbet: nam vel huiusmodi detractionibus iam de facto infamia est illata; vel non est, sed est inferenda. Si iam est illata, non deletur per mortem infamantis, nec dici potest euitatio damni inferendi, sed vindicta damni illati. Si non est illata, non desunt viæ per quas euitari poterit, vnde iniusta planè, & illicita erit talis occisio. Si autem nulla omnino videtur, non improbabilem iudicarem primam opinionem etiam in praxi. Ita docent Lessius *tomo* 1. *de* Lessius. 9.
instit. lib. 2. *cap* 9 *dub.* 12. *num.* 82. Farinacius *to-* Farin. *mo* 4 *quæst.* 125. *de homicidio, tit.* 14. *num.* 42. *&* 98. Claudius *in l. vt vim*, *num.* 75 *ff. de instit. & iure*, Claud. *in lectura, & in repetit. num.* 100. *&* 104. Alexand. Alexand. *consil.* 140. *num.* 9. *lib.* 2. Aretin. *consil.* 34. *num.* 1. Aretin. *iuncto num.* 3. Foller. *in pract. in verbo, recipiatur* Foller. *defensionis; num.* 11. Carrer. *in pract. in tractat. de* Carrer. *homicid. & assassin. num.* 11. Tiraquell *de pœnis cau-* Tiraq. *sa* 1. *num.* 3. Boëtius *decis.* 169. Anton. Gomez Boëtius. Ant. Gom. *tom* 3. *variarum. cap.* 3. *rubr. de homicid. num.* 24. Iulius Clarus *lib.* 5. *sentent.* § *fin. quæst.* 60. *num.* 14. Iul. Clar. Bossius *in tit. de homicid. num.* 60. & plures alij, Bossius. quos citant Prosper, & Iulius Clarus; hi enim omnes iurisperiti hîc allegati affirmant ob fundamentum præcitatum non esse licitum in foro conscientiæ occidere eos, qui verbis nobis, vel proximis inurunt iniurias; in foro tamen externo non esse huiusmodi homicidium puniendum pœna ordinaria, sed extraordinaria ad arbitrium iudicis, quia prouocati fuerunt occisores prædicti, quare cum illi, qui detractionibus & obmurmurationibus, verbis nos offendant, idem de illis dicendum erit, quod de istis.

In casibus verò omnibus in quibus cuique licitum est alterum seruato moderamine inculpatæ tutelæ occidere; licitè poterit permittere se potius occidi, vitam suam, honorem, & bona 10.

D. Ant. Syluest. Lessius. Caietan. Nauarr.

externa perire, quàm ipsum occidere inuasorem, vt docet D. Anton. 3. *part. tit.* 4 *cap.* 3. §. 1. Syluester *verb bellum* 2. § 7. Lessius *tom.* 1. *de iustit lib.* 2. *dub* 9. *cap.* 8. *num.* 55. Caietan. 2. 2. *quæst* 64. *art.* 7. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restitut. cap.* 3. *num.* 62. Ratio est, quia etiamsi charitas ad hoc non obliget, tamen ad hoc magis inclinat, ne proximus in æternum pereat; modò tamen ille, qui occisionem suam permittit, putet se non esse in peccato mortali; nam si sciat se esse in peccato, tenetur omnibus modis se defendere cum morte alterius; magis enim tenemur diligere salutem animæ nostræ, quàm vitam corporalem proximi. imò & magis salutem nostram spiritualem, quàm spiritualem ipsius proximi, quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Nec contra hanc resolutionem facit id, quod diximus *cap.* 3. *num.* 9 vbi resoluimus teneri iniustè inuasum sub mortali se defendere cæteris paribus, & peccare mortaliter contra charitatem si sinat, ac permittat se occidi ab inuasore; quia ibi diximus id peccatum mortiferum esse, si fiat sine iusta, & rationabili causa: satis autem iusta, & rationabilis causa est permittere se occidi, ne alter in æternum pereat, sic enim Christo, ac Martyribus, magis conformatur.

11\. Estque adeo licita cuique, & intrinseca à natura hæc iusta defensio contra iniustum inuasorem vitæ, honoris, famæ, & bonorum nostrorum magni momenti, vt etiam sit licita cum periculo vitæ alicuius alterius innocentis interpositi. Vnde licet nobis occidere aliquem, quem si non occidamus, alius nos occidet. Ita Farinacius *tom.* 4. *quæst* 125. *de homicid tit.* 14. *num.* 139. & patet ex *l. is, cui, C. ad legem Corneliam, de sicar.* vbi dicitur quod constitutus in discrimine vitæ, potest occidere, non solùm aggressorem, sed quemcunque alium, quando aliter se defendere non potest. ibi, *vel quemcunque alium.* & ibi glossa *in verbo, alium*, explicat *siue sit socius aggressoris, siue non.* & cum Farinacio idem docent Angel. *ibi num.* 3. Fabricius *in verbo, quemcunque*, Augustinus ad Angel. *de malefic. verbo, Et dictus Titius se defendendo, num* 34 Iulius Clarus §. *homicidium, num* 31. vbi ait in Senatu Neapolitano fuisse quendam absolutum, qui dum se ab inuadente defenderet, percussit alium saxo, ex quo vulnere postea è vita discessit. Anton. Gomez *tom.* 3. *variarum, cap.* 3 *rubr. de homicidio, num.* 34. & 35. Corduba *lib* 1. *quæst.* 33. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restitut. cap* 3 *num.* 145. & 147. Lessius allegatus. Probatur primò. quia, qui inuaditur ius habet se defendendi, quod ius non amittit ex alterius interpositione, neque inuasus intendit mortem innocentis interpositi, sed intendit suam licitam defensionem, quam non potest alio modo consequi, nisi illum occidat. Secundò, quia, qui vrbem iustè obsidet, potest dirigere tormenta ad turrem, quamuis sciat ab hostibus obsessis aliquos ibi innocentes esse positos, & allegatos, vt interficiantur tormentorum ictibus, vt tenent communiter Doctores in materia de bello. Tertiò, quia, qui iniustè detentus est in carcere, potest iustè illum rumpere, vt fugiat, quamuis sciat alios nocentes simul esse fugituros. Ergo similiter ad nostram licitam defensionem possumus licitè interpositum innocentem occidere, si aliter nos defendere non possumus. Sic poteris sclopetam explodere, sagittam emittere, iaculum contorquere, vt te inuadentem, & iam iam impetentem occidas, etiamsi interpositus sit innocens, qui necessariò prius occidendus est. Poteris similiter pone innocentem te constituere, & illius oppositione te defendere, ne inuasor te occidat, quamuis interpositus occidatur, vt docet Iulius Clarus § *homicidium, num.* 31. An autem, saltem in hoc casu, teneatur fugere ipse impetitus, dicam statim *cap seq.* Similiter si fugias inuadentem te per locum angustum, & non possis aliter euadere, nisi equo, vel pede proteras infantem in via ludentem, licitè potes id efficere, vt docet Lessius *tomo* 1. *de iustit. lib.* 2. *cap.* 9 *dub* 9. *num.* 59. Aragon. 2. 2. *quæst.* 64 *art.* 7. Syluester *verbo, homicidium*, 2. *quæst.* 26. quia non intendis directè pueri occisionem, sed permittis contra voluntatem tuam; directè enim intendis tuam salutem, ad quam tuendam ius habes, quod ius fugiendo vtebas; dabas enim fuga operam rei licitæ, & necessariæ, & mors pueri per accidens contingit, quia à te nullo modo intenta est; neque ius fugiendi amisisti ex interpositione infantis, vt de se patet.

Iul. Clar. Lessius. Aragon. Syluest.

Præcipua dubitatio est, vtrùm liceat latronem fugientem occidere emissa sagitta, iaculo, vel sclopeta, si rem magni momenti, quam furto abstulit, secum deferat, & nolit dimittere, siue sit propria, siue proximi, cum aliter recuperari non potest? Respondeo prius terrendum esse vocibus, &, si nolit rem dimittere, occidi potest à longè, modo præfato. Ita Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 2. *art.* 8. Syluester *verbo, excommunicatio* 6. *notab* 4. *casu* 9. § *ista tamen intellige.* Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *num.* 49. Lessius *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 11. *num.* 75. Et fundamentum est, quia quandiu rem non dimittit, moraliter loquendo, vis durat, iniustáque inuasio, quamuis ipse fugiat, & vim vi repellere omnes leges, omniáque iura permittunt. 12.

Sotus. Syluest. Nauar. Lessius.

Quid si iam latro occultauit rem intra domum suam, & veluti pacificè possidet? Respondet Syluester *verbo, bellum* 2. *num.* 3. tunc non licere illum occidere; quia iam non datur vis actualis quam inferat, & adeptus est veluti pacificam possessionem ipsius rei. Idem tenet Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restitut. cap.* 3. *num.* 411. ex eodem fundamento, ex eo, scilicet, quod iam transacta sit vis ab illo illata; & non detur, moraliter loquendo, iusta inuasio, sed iniusta retentio: ob iniustam autem retentionem non licet alium occidere, alioqui liceret nobis omnes nostros debitores, & retentores iniustos, qui contra nostram voluntatem debita nostra nobis retinent, & soluere nequeunt; quod est inauditum, & iniustissimum. hoc tamen intelligendum est, quando elapsi iam sunt dies aliquot, vel tempus aliquod post occultationem: nam si latronem à longè insequaris, & ille oculos tuos effugiat, & rem occultet, & statim tibi dissimulanter appareat, & tu non desisteres ab illius insecutione, puto licitum esse illum occidere, si rem non vult tradere, & nullo alio medio, ac remedio recuperari possit, quia adhuc actus inuasionis moraliter durat, & moraliter durat actualis vis, quam vi licet repellere. 13.

Nauar.

Vt tamen sciamus quatenus nobis sit licitum, vel illicitum, res nostras, vel proximi cum morte inuasorum prædonum recuperare: has regulas statuamus, vt longissimas disputationes deuitemus. Prima est. Licitum est occidere furem dum se ad furandam rem tuam præparat magni momenti, si aliter illam defendere non possis, vel 14.

fidem

fidem regiam implorando, vel illam postea recuperando. Ita Prosper Farinacius *de homicidio, quæst. 125. num. 195. tom. 4. tit. 14. fol. 219. colum. 2.* Claudius *in l. vt vim, num. 52. in fine, ff. de iustit. & iure, in lect. in repetit num. 58.* post Baldum, quem allegat Alexand. de Neuo *consil. crimin. 88. num. 6. lib. 1. in paruis*, vbi ponit exemplum in fure frangente hostium, vel appoenente scalas causa furandi; Ioannes Andreas *in cap. si perfodiens, extra de homicid. num. 5.* Probatur ex eodem capite, in quo habetur impunè occidi nocturnum furem, quando in actu fodiendi domum ad furandum reperitur, & sic ante furtum, & dum se ad furandum præparat, sine telo & armis. Et idem est de eo fure, qui scalas ponit ad furandum, & idem apud hos auctores est impunè occidere, atque licitè.

15. Secunda regula est; si fur nocturnus sit, siue se telo, & armis defendat, siue non defendat, licitè illum poteris occidere si re, rem tuam, vel proximi magni momenti aliter non possis defendere. Hæc est communior, & verior sententia. Ratio est, quia cum noctu veniat, discerni non potest, an ad furandum, an ad occidendum venerit, & quia nocturno tempore, non potest alia via domino rei auxilium ferre. Dixi *licitè*, non dixi *impunè*, quia vt impunè efficias pro foro externo, opus est, vt fidem regiam priùs implores, vel voces edas, quæ restentur vim tibi, vel alteri inferri. Ita Iulius Clarus *lib. 5. §. homicidium, n. 27.* quamuis alij Doctores absolutè loquantur, dicantque absolutè hoc licitè, & impunè fieri, & nihil addant de imploratione regis. Et hi sont Decius *in l. Vt vim, ff. de iust. & iure, num. 31.* Fortunius Garcia *ibi, num. 25. & 18.* Claudius *n. 43. in lect. in repet. num. 51.* Mantua. *num. 61. & 71.* Bologner. *num. 66.* Boicius *in cap. 2. num. 17. de homicid.* Et hoc patet ex cap. *Si perfodiens, extra de homicid.* & docet Ioannes Andr. *ibi, num. 3. in verbo, Quoquo modo, & in verbo, Et ibi furem, num. 4.* Boicius *num. 1. & 2.* Zabarella *n. 1.* Abbas *num. 2.* Ananias *num. 5.* Mariaous Socin. *num. 6.* Anton. de Butrio *in cap. Olim causam, de rest. spoliatorum, num. 36* Couarr. *Clement. si furiosus, p. 3. §. 1. num. 6.* Bonifacius *in tract. de furtis, §. 1. 1. n. 27. & 32.*

16. Oppones contra hanc regulam legem, *Si ex plagis, §. si tabernarius, ff. ad l. Aquil.* in qua dicitur tabernarium effodientem oculum furi nocturno, eo quod à se de nocte furto abstulerat lucernam, & insuper à fure ipse tabernarius verberari cœpisset, in nulla culpa fuisse; secus si ab eodem fure non priùs verberaretur, quia tunc in culpa fuisset. Ex quo textu videtur colligi non posse furem nocturnum absque culpa occidi, nisi quando ipse verberat, & se telo, vel armis defendit, imò alios offendit. Quod colligitur etiam ex glossa *in l. Itaque. ff. ad legem Aquiliam, in verbo, Permittit*, vbi tunc tantùm furem nocturnum licitè, & impunè occidi affirmat, cum ei sine periculo nostræ vitæ parcere non possumus, & quando se telo, vel armis defendit. Quod adhuc confirmatur ex *l. In furem nocturnum. ff. ad l. Corn. de sicar.* vbi dicitur: *Si quis occiderit furem nocturnum, id tunc impunè faceret, si parcere non potuit sine suo periculo.* Ex quibus verbis duo colliguntur Primum, nocturnum furem pro sola rerum defensione non posse occidi. Secundum, non posse occidi, si sine telo, vel armis venerit; quod iudicant illa verba, *Sine suo periculo*: non periclitatur enim vita, nisi armis, vel telo instructus veniat: periculum autem ad personam refertur, non ad bona. Ita colligit, & docet Iodocus *in lodoc. pract. criminal. cap. 78. num. 3. versu, Ego vero.* & Boulenc. *in repetit. legis, Capitalium. §. famosos, num. 166. ff. de pœnis.*

Sed ad legem, *Ex plagis, §. tabernar. ff. ad l. Aquil.* respondemus eam procedere de defensione rei modici valoris, vt de recuperatione lucernæ, vt dicitur in dicta leg. *Ex plagis*, non de recuperatione, & defensione rei magni valoris. Et verò illa verba citatæ legis, id furem nocturnum, *ff. ad legem Corneliam, de sicar. sine sue periculo*, intelligenda sunt, vel rerum suarum quasi dicant ea verba, sine periculo vitæ suæ, vel rerum suarum, vel famæ, vel honoris sui, vel proximi. Ita interpretantur ea verba Bartol. *in ea leg. in princ. num. 1.* & Farinac. *tom. 4. quæst. 125. de homicid. tit. 14. num 195. & deinceps.* In lege itaque allegata ita tantummodo dicitur: *Lex duodecim tabularum furem nocturnum deprehensum occidere permittit*, quæ verba confirmant nostram regulam, non infirmant. 17.

Tertia regula est. Fur diurnus nisi se, furtumque defendat telo, vel armis, occidi non potest, si furtum dimittat, secus si non dimittat, modò furtum sit rei magni momenti; & sic magnum est discrimen inter furem nocturnum, & diurnum: nam nocturnus si non patiatur se capi, occidi poterit, sine armatus veniat, siue non veniat, & siue se telo defendat, siue non defendat, quia ignoramus, an ad occidendum, an ad furandum veniat; diurnus autem occidi non potest nisi armatus veniat, & se & furtum, telo, vel armis tueatur; si tamen furtum dimittat, occidi, vel mutilari non potest, quia iam res nostra, vel proximi est recuperata. Ita Glossa *in dicta lege, Itaque, ff. ad legem Aquil. in verbo, Et sufficit, & in verbo, Vt tamen.* Fulgosius *in l. Si ferum, num. 4. ff. eodem*, & communiter DD. *in cap. Si perfodiens, extra de homicid.* 18.

Quarta regula est. Si fur, cum re furto ablata, fugiat, nec clamoribus eam vult dimittere, possumus illum insequi, ferire, & si necesse sit occidere, emisso telo, vel sagitta, vel scolpeta, modò res illa non exigui valoris sit, vt semper dixi Ita communiter Theologi Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 2. art. 8.* Lessius *tom. 1. de iust. cap. 9. dub. 11. num. 69. & 75.* Syluester *verbo, Bellum 2. num 3.* quod semper intelligendum est, modò illam aliter recuperare non possimus. 19.

Quinta regula est. Si rem meam, vel proximi furatam habeas positam in certo loco, & te incontinenti insequar, & illuc me volentem ingredi impedias; licitè te potero occidere, quando nullum aliud medium, ac remedium mihi superest, illam recuperandi. Ita Lessius citatus *n. 75.* Syluester allegatus, & Panormitanus *in cap. Sicut tertiè, de iureiurando.* Dixi *incontinenti*, vt habet textus expressus *in l. 3. §. eum igitur, ff de vi & vi arm.* ibi: *Non ex interuallo, sed incontinenti*; quia si ex interuallo fiat occisio, iam non erit rei vendicatio, sed vindicta iniuriæ. Ita præter authores modò allegatos docent omnes, quos citauimus *num. 14.* & Glossa *in cap. Significasti 2. num. 16.* Butrius *ibi, num. 26.* Felinus *num. 12. & 5.* & verò præcipuum fundamentum huius rei est, quia post interuallum non tam datur actuale furtum, quàm iniusta retentio, ob iniustam autem retentionem nemini licet occidere, vt suprà probauimus. 20.

Quando autem res, seu recuperatio fiat in continenti, vel non fiat: diximus *in cap. 5. num. 2* 21.

 doctrina

doctrina enim, quam ibi tradidimus, huc accommodanda est. Planè recuperatio rei mobilis in continenti fieri, quando fur existit in actu furandi, vel statim fugit post factum furtum, & semper insequitur, vt præter authores ibi datos, docet Claudius *in l. Vi vim, n. 56 ff de iust. & iure*, & Prosper Farinacius *tom. 4. quæst. 125. tit. 14 fol. 222. n. 219.* Si autem recuperatio sit rei immobilis furto ablatæ, prædij, castri, vrbis, vineæ, fundi, incontinenti fieri dicitur recuperatio proprietaris, à qua quis deiectus est, quando hoc sit statim à tempore notitiæ vsurpationis, ipsi os proprietaris, licet non exiguum temporis interuallum præcesserit, ex quo res furto ablata fuerit. Patet ex cap. *Olim causam, de rest. spoliat.* ibi: *Vobis ignorantibus possessionem accepit, præsertim cum statim ex quo id vobis innotuit, vim vi duxeritis repellendam.* Ita Farinacius citatus *num. 218.* Claudius *num. 50.* in lege modò allegata, *Vt vim, ff. de iust. & iure*; *in lect. in repet. num. 67.* Curtius *ibi, num. 48.* Bolognet. *num. 40. & 71.* vbi dicit in rebus immobilibus quandoque fieri recuperationem, & defensionem incontinenti, si fiat intra decem annos, quandoque intra annum, & post annum, intra & post triduum, & intra, & post mensem: quod idem ait Menochius *de arbitr. quæst. lib. 2. casu 81.* quod totum arbitrio prudentis iudicis relinquitur, vt docet Glossa *in l. 3. §. cum igitur, in verbo, Continenti. ff. de vi, & vi arm.* & omnes modò allegati.

22. Sexta regula est. Si inuadas, & fureris res meas per famulos vel arte magica, vel dæmonis, nec alia ratione possim impedire, aut recuperare, quam nece tua, tunc in ipsa actuali vi, & violentia si nolis à furto desistere, & aliter nullo modo illas amplius recuperare possim, licitè, & impunè te possum occidere: semper tamen hoc intelligendum est modò sint magni momenti: quæ enim per alios facimus, per nos ipsos facimus. Ita Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. dub. 11. num. 75.* Bañez *2. 2. quæst. 64. art. 7. dub. 4.*

23. Hæc autem rerum furtum defensio, non solùm licita est respectu domini illarum, sed etiam respectu commodatarij, depositarij, feudatarij, emphyteutæ, & aliorum detentorum, ac possidentium alieno nomine. Ita docet Albericus *in dict. l. Vt vim, num. 13. ff. de iust. & iure.* Iaso *ibi, n. 23.* Claud *in repet. num. 125.* Baldus *in l. 1. num. 7. ff. eod.* Ioannes de Lignano *in tract. de bello, cap. 118.* Carrer. *in pract. in tract. de homicid. & assassin. §. quinto excusat. num. 56* Placa *in epitome delict lib. 1. cap. 28. num. 32. versu, Quod quidam adeo, fol. 495.* Ayrer *in tract. de homicid. necess. part. 1. num 186. & 187.* Fundamentum illorum est, quia ad eos spectat reddere rationem harum rerum; ergo ad illos etiam spectabit illas defendere iusta, & permissa in iure tam diuino, quàm humano defensione. Imò alij ita ampliant hanc rerum defensionem, vt dicant licitum esse iniustè illas possidenti, illas defendere contra inuadentes. Ita Angel. *in l. Vi vim, ff. de iust. & iure, num. 9.* Bolognet. *ibi, num. 71.* Carrer. allegatus *num. 17.* Ayrer. *num. 187.* ex eodem fundamento, quia scilicet, etiamsi iniustè possideat, ad illum spectat, illarum reddere rationem.

24. Septimam regulam addit Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. dub. 11. num. 75. v. c.* si impedias iniquè meos creditores, ne mihi satisfaciant, & duraueris in violentia, & damno meo, & nullo alio modo huiusmodi damna euitare possim, quàm nece tua. Sed dura admodum & difficilis hæc opinio, ac regula mihi videtur, & in praxi periculosissima; quare illam omnino reiicio: quia supponit in suppositione falsum, nullum scilicet aliud dari posse remedium, quo huiusmodi damnum deuites, nisi mortem impedientis; adsunt enim tribunalia iustitiæ, quibus hoc modo aliquo poteris impedire, adsunt monitiones amicorum, & viæ aliæ, vt consideranti patebit.

CAPVT VII.

An inuasus, præsertim vilis, & clericus, teneatur fugere si fuga possit euadere instantem mortem, quam sibi intentat insultans, & an quando nobis licet alium occidere, possimus occisionem alteri mandare.

SVMMARIVM.

Quot sint personæ de quibus quæstio procedere potest. num. 1.

Nobiles non tenentur fugere. num. 2. Nec vllam irregularitatem incurrunt, ibid.

De militibus idem prorsus dicendum est. num. 3.

Etiamsi milites, & nobiles sint in loco deserto, & à nemine videantur. num. 4.

An plebei, ignobiles, & mechanici teneantur fugere. Refertur prima opinio affirmans. num. 5.

Refertur secunda negans. num. 6.

Indicium authoris. num. 7. Referuntur tamen casus in quibus viles personæ non tenentur fugere. ibi & num. 8.

Quid de Ecclesiasticis personis, clericis, & religiosis. num. 9.

Quid quando clerici, & religiosi probabiliter mortem timent, si fugiant, vel quia insequentur ab inuasoribus, vel quia ipsi pingues sunt, & fugere non possunt. num. 10. & 11.

Quid si insultantes sint patres, superiores, aut ministri iustitia, & tales, quibus insultati obedientiam, aut reuerentiam debeant. num. 12.

Qua pœna puniendi sunt illi, qui tenentur fugere, si non fugiant, & inuasorem occidant, ordinaria ne mortis & iuris, an arbitraria iudicis. numero 13.

An quando nobis licet alium occidere, possimus etiam eam occisionem alteri mandare. num. 14.

An quando in iure ciuili propter iustum dolorem permittitur patri, & marito filiam, vel vxorem in adulterio deprehensam occidere, possint eam occisionem impunè alijs mandare. num. 15.

Iudicium authoris circa eam quæstionem, & quid in ea tenendum sit. num. 16.

CIRCA titulum propositum, quatuor sunt genera personarum, de quibus quæstio esse potest, an teneantur effugere insultantes ad homicidij, irregularitatis, & excommunicationis capitis, *Si quis*, si forte insultans sit clericus, pœnam euadendam, quando ea fuga vitare possunt mortem, vel percussionem inuadentis. Primum, est nobilium. Secundum, militum. Tertium, ignobilium, seu publicorum. Quartum, Ecclesiasticorum tam regularium, quam non regularium. 1.

De nobilibus omnes ferè affirmant non teneri illos, 2.

illos etiam si possint. Hæc est communis opinio apud Theologos, & Iurisperitos. Eam docet Suarez [Suarez.] *tomo 5 de censuris, disput. 46. sect. 1. num. 5. & 6.* Sotus [Sotus.] *lib 5. de iustit. quæst. 1. art. 8.* Lessius [Lessius.] *tomo 1. de iustit. lib. 2. dub. 12. num 77.* Toletus [Tolet.] *lib. 5. summæ, cap. 6. §. duo hic aduertenda sunt, ad finem capitis.* Aragon. [Aragon.] *2. 2. quæst. 64. art. 7.* Nauarrus [Nauar.] *in summa Latin. cap. 15. num. 3.* Bartolus [Bart.] *in l. vt vim, ff de iustit. & iure, num. 10.* vbi iocosè in gratiam Perusinæ vrbis patriæ suæ, & vituperium Florentinæ (sunt enim huiusmodi vrbes sibi ad inuicem æmulæ) ita ait: *Si est Perusinus ciuis, cui est verecundia fugere, non tenetur fugere. Si est Florentinus, tenetur fugere, quia his non est infamia, aut verecundia fugere.* Iulius Clarus [Iul. Clar.] *§. Homicidium, num. 25. & 26.* Syluester [Syluest.] *verbo, Homicidium 1. quæst. 5.* Mantua *in l. vt vim, ff de iust. & iure, num. 86.* Alberic. *ibi num. 14.* Cynus & Ioannes Faber *n. 4. in principio.* Henric. Boic. [Boic.] *in cap. Suscepimus, n. 3. extra de homicid.* Marian. Socin [Marc. Soc.] *ibi num. 10.* Butrius [Butrius.] *in cap. Significasti 2. eodem tit. num. 26.* Ancharan. [Anchar.] *in clement. 1. de homicid. versu, Idem sentit,* Zabarella [Zabarel.] *ibi num. 26.* Imola [Imola.] *num. 11. in principio.* Iac. Boulec. [Boulec.] *in repet. l. capitalium, §. famosos, n. 142. ff de pœnis.* Angel. [Angel.] *de malefic. in verbo, Et dictus Titius se defendendo, num. 11.* Ioan. de Lignano [Ioan de Lig.] *in tractat. de bello, cap. 127.* Boërius [Boërius.] *decis. 168. num. 1.* Anton. Gomez [Gomez.] *tomo 3. variarum, cap. 3. num. 23.* Graphis [Graphis.] *tom. 1. decis. aurear. cap. 65. num. 12.* Ceuallos [Ceuallos.] *quæst. 551.* & alij. Primò, quia nobilibus inurit fuga grauem notam infamiæ, & dedecoris, & nemo tenetur se infamare, vt alterius sibi nocentis vitam seruet illæsam. Secundò, quia quando aliquis viro nobili insultat, si vir nobilis illum tunc occidat, vel percutiat, nulla est culpa, nec voluntas in ipso viro nobili occidente, vel percutiente, est moralis, sed est moralis necessitas. Quid enim magis necessarium, moraliter loquendo, viro nobili, quàm vitare grauem infamiam, vel amissionem honoris? quamobrem huiusmodi nobilis in ea circumstantia constitutus directè non intendit occidere, mutilare, vel percutere hominem, se iniustè inuadentem, sed directè intendit vitare ignominiam, infamiámque, quæ ex fuga sibi potest contingere: & per accidens est, & inuoluntarium respectu illius, quod sequatur mors, aut percussio aggressoris, cuilibet enim licitum est ius suum prosequi, etiamsi per accidens damnum tertio sequatur. Vnde tale homicidium in foro poli est inculpabile, & omnino licitum, in foro soli est impunibile, & nulla irregularitas propter illud incurritur: vt optimè notat Suarez [Suarez.] *tomo 5. de censuris, disput. 16. sect. 1. num. 6.* Filliucius [Filliuc.] *tomo 1. tractat. 20. cap. 5. num. 134* Bonacina [Bonacina.] *de censuris, disput. 7. quæst. 4. punct. 6. num. 4.* Coninck [Coninck.] *de sacrament. disput. 18. dub. 9. num. 90.* Antoninus Diana [Diana.] *tractat. 1. Miscellan. resolut. 16.* Et hæc est sententia hodie probabilior, licet contrarium cum 19. Doctoribus defendat Sayrus [Sayrus.] *de censuris lib. 6. cap. 17. num. 16.* & Auila [Auila.] *de censuris, part. 7. disput. 5. sect. 4. dub. 2.* Reginaldus [Reginald.] *in praxi tomo 2. lib. 30. tractat. 2. cap. 9. num. 105.* & Fernandes [Fernand.] *in exam. Theolog. moral. part. 2. cap. 10. §. 14. n. 9.* Ex eo fundamento, quod *in Clement. si furiosus*, solùm excusentur ab irregularitate illi, qui aliter se defendere non possunt, nisi alios occidendo: hic autem vir nobilis poterat aliter se defendere fugiendo. Sed est infirmum fundamentum; non enim vir nobilis tenetur fugere, quia ea fuga est illi dedecus, & infamia. Sic licitum est ei, qui iniustum inuasorem fugit, fugam capere cum morte, & damno infantis in platea ludentis, si aliter effugere non potest, vt mortem sibi ab insultante iam iam imminentem euadat, vt suprà probauimus. Tandem, quia nemo tenetur addere animum contra se ipsum suo inuasori; adderet autem illum, si teneretur fugere; ergo nullo modo tenetur.

3. De militibus idem prorsus dicendum est atque de nobilibus, etiamsi ignobilis conditione sint. Cum enim ratione officij, militiam profiteantur, & arma tractent, infamia est illis fuga, & nemo tenetur se infamare, vt iniustum sui inuasorem euadat, siue ille sit clericus, siue laicus. Ita Farinacius [Farin.] *tomo 4. quæst. 125. tit. 14. num. 127.* Bartol. [Bart.] *in l. vt vim, ff de inst. & iur. num. 10.* Parisius [Parif.] *ibi in addit. ad Bart. dict. num. 10.* Albericus [Alberic.] *num. 14* Boicius [Boic.] *in cap. Suscepimus, de homicid. num. 5.* Maria. Socinus [Socinus.] *ibi num. 10.* Antonius Butrius [Butrius.] *in cap. Significasti 2. de homicid. num. 26.* Et idem de militibus debent tenere omnes, qui docent neminem inuasum teneri fugere, cum ei fuga in vituperium, & infamiam cedit, siue nobilis, siue ignobilis, & plebeius sit: quos statim referemus *num. 6.*

4. Procedit autem hæc doctrina etiamsi milites, & nobiles sint in loco deserto, atque solitario, vbi à nemine videantur; neque enim etiam in eo tenentur fugere, quia per accidens est, quòd locus sit desertus, & quòd à nemine videri possint: sufficit enim quod de se, & natura sua fuga militibus, ac nobilibus ignominiæ vertatur, quod etiam debent tenere omnes, qui dicunt nullum inuasum, etiam plebeium, & vilem teneri fugere. Ita Farinacius allegatus.

5. An autem plebeij, ignobiles, & mechanici teneantur fugere? Partita opinio est. Prima affirmat, eam docent Suar. [Suarez.] *tom. 5. de censuris, disp. 46. sectio 1. num. 5.* Aragon. [Aragon.] *2. 2. quæst. 64. art. 7. §. hoc tamen non obstante.* Lessius [Lessius.] *tom. 1. de iust. lib. 2. dubio 12. num. 77.* Sotus [Sotus.] *lib. 2. de iust. quæst. 1. art. 8.* Toletus [Tolet.] *lib. 5. summa cap. 6 §. secundus casus. & §. duo hic aduertenda sunt, ad finem capitis.* Nauarrus [Nauar.] *in summa Latin. cap. 15. num. 3.* & omnes citati *num. 2.* nam cum fuga huiusmodi hominibus non cedat in infamiam, sequitur, vt fugere teneantur.

6. Secunda negat: eam tenet Bartol. sibi contrarius *in l. 1. num. 18. C. vnde vi.* Bald. [Bald.] *in l. vt vim. ff. de inst. & iur.* Iaso [Ias.] *ibi num. 38.* Claud. [Claud.] *num. 66. in lectura.* Mantua [Mant.] *ibidem num. 31.* Bologn. [Bologn.] *num. 38. & 90.* Angel. [Angel.] *in l. Is, qui aggressorem, C. ad leg. Corn. de sic.* Abbas *in cap. suscepimus, de homicid. num. 4.* Anan. *num. 7.* Felinus [Felin.] *num. 2.* Butrig. [Butrig.] *in cap. Olim causam, de rest. spoliat. num. 37.* Imola [Imola.] *ibi num. 12.* Abbas [Abbas.] *num. 17.* Fabricius [Fabric.] *in §. ius autem gentium, num. 4. & 5. Inst. de iur. nat. gent. & ciuil.* Cæpol. [Cæpol.] *consil. crim. 29. num. 19. & cons. 42. num. 3.* Carrer. [Carrer.] *in pract. tract. de homicid. & assassin. § Circa quartum, num. 10.* Iul. Clar. [Iul. Clar.] *in pract. §. homicid. num. 25.* Mascard. [Mascard.] *de probat. lib. 4. conclus. 1126. num. 13.* vbi asserit hanc opinionem esse communi omnium sensu approbatam, & *num. 18. 19. & 20.* Iacobus Ayret. [Ayretius.] *in tract. de homicidij necessit. 1. part. num. 21. & 31.* vbi ait hanc esse magis communem sententiam, in foro fori frequentiorem, & rationi naturali magis consentaneam. Probatur hæc sententia, primò, quia nullus nec etiam ignobilis, & plebeius tenetur dare arma suo inuasori contra se ipsum; ergo neque etiam addere illi audaciam, contra semetipsum; atque si teneretur fugere, animum daret

contra

contra semetipsum, & vires assumeret insultator ea fuga; ergo nullus etiam ignobilis tenetur fugere. Quid enim magis refert aduersus semetipsum dare arma, an dare animum? Secundò, quia in omni genere personarum siue nobilium, siue ignobilium infamia est fugere. Tertiò, quia potest quis dum fugit se exponere periculo cadendi, & cadendo potest ab aggressore percuti, vel occidi; nemo autem tenetur se exponere huic periculo, vt omnes fatentur; ergo non tenetur fugere.

7. Ita se habent huiusmodi opiniones, vtraque probabilis. Ista secunda probabilior, & tenenda omnino, cum his limitationibus. Prima, vt non teneatur inuasus vilis fugam capere, quando est prope insultantem, itaut statim terga vertendo possit occidi vel gladio, vel sclopeta, si forte inuasor illis armatus sit; & huic limitationi nemo contradicit. Ita Abbas *in capite significasti 2. de homicid. num. 9.* Anan. *ibi num. 31.* Bellam. *in cap. olim causam, de restit. spol. num. 24.* Glossa *in clement. 1. de homicid. verbo, Non valens.* & ibi Anchar. *num. 5.* Zabarella *num. 26.* Imola *num. 10. & 11.* Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. 3. rubr. de homicid. num. 23.* Mascard. *de probat. lib. 3. conclus. 1126. num. 14. & num. 19.* Graphis *1. part. decision. aur. cap. 65. num. 11. versic, Sed si fugienti.*

Abbas. Anan. Bellam. Glossa. Anchar. Zabarell. Imol. Ant Gom. Mascard. Graphis.

8. Secunda, vt non teneatur vilis persona effugere, quando potest cito comprehendi, quamuis longo spatio distet, quia scilicet aggressor est velocior cursu, & persona inuasa est homo pinguis, claudus, debilis, vel aliter ad fugiendum ineptus, ita vt facilè ab aggressore percuti, vulnerari grauiter, vel occidi possit. Ita ferè omnes DD. supra citati. Felinus *in cap. Suscepimus, de homicidio in fine.* Anan. *ibi num. 10.* Graphis allegatus *dicto num. 11.* & alij.

Felin. Anan. Graphis.

9. De clericis, personis Ecclesiasticis, & religiosis, communiter affirmant Doctores, teneri illos fugere, si fugiendo possunt euadere inuasorem, siue clericus sit, siue laicus. Ita Suarez *tom. 5. de censur. disp. 46. sect. 1. num. 5. & 6.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. dub 12. num. 77. & 93.* Tolerus *lib. 5. summæ cap. 6. §. duo hic.* Aragon. *2. 2. quæst. 64. artic. 7.* Petr. Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 389.* Nauar. *in summa Lat. cap. 15. num. 3.* Couarr. *in Clem. si furios. fol. 323. post num. 4.* Decius *in l. vt vim num. 35 ff. de iustit. & iure* Salamon *ibi n. 10.* Claudius *num. 68. in lect. & in repetit. num. 84. ad medium.* Marian. Socin. *in cap. ad Audientiam, de homicid. num. 162.* Mascard. *de probat. lib. 3. conclus. 1126. num. 22.* Boërius *decis. 168 num. 5* Ratio est, quia cum huiusmodi personæ Ecclesiasticæ humilitatem, modestiam, & mundi contemptum profiteantur; fuga eis non dedecori, sed honori, non ignominiæ, sed gloriæ verti potest: & ideo tantum abest, vt ob eam rem parui pendantur, vt magni æstimentur.

Suarez. Lessius. Toler. Aragon. Nauarra. Nauar. Couar. Decius. Salamon. Claudius. Socin. Mascard. Boërius.

10. Non procedit tamen hæc doctrina, quando huiusmodi personæ Ecclesiasticæ probabiliter dubitare possunt, se propter fugam fore morituras ob insecutionem inuasorum; cum enim illæ tunc vitam suam periculo mortis exponant, fugere non tenentur: quare si tunc aggressorem occidant, vel mutilent, licitè occidunt, & nullam irregularitatem, nec excommunicationem incurrunt, si fortè inuasor, quem mutilant, vel interficiunt, sit clericus: non enim illæ tenentur fugere, nisi quando fuga vitam suam, vel membra tueri possunt; quare quando illam ea fuga periculo exponunt, non tenentur fugere. Ita Bolognet. *in l. vt vim, ff. de iust. & iur. num 92.* Mantua. *ibi num. 87.* Couarr. *in clem. 1 de homicid part. 3. §. 1 num 4* Felin. *in cap. Suscepimus, de homicid. in fine.* Placa *in epitome delict. lib. 1. cap. 28. num. 10.* Baiardus *in addit. ad Iulium Clarum, §. homicid. num. 92.* vbi generaliter docent huiusmodi Doctores non procedere hanc doctrinam in eo casu, & circumstantia in quo fuga possit esse clerico insultato detrimentum vitæ, vt diximus *num 8.*

Bologn. Mantua. Couar. Felin. Placa. Baiard.

Et idem dicendum est ob eandem rationem, quando clerici, vel religiosi sunt admodum pingues, ac mole corporis grauantur, aggressores verò sunt agiles iuxta ea, quæ de personis vilibus diximus *num. 7. & 8.* tenentur tamen clerici, ac viri religiosi pedem tunc referre si possunt, domum aliquam ingredi, ostium claudere, modò intra domum vitæ etiam periculum non incurrant. Ita Boicius *in cap. Suscepimus, de homicid. n. 1.* Maria. Socin. *in c. ad audientiam, eodem tit. n. 162.* Imola *ibi num. 10.* Boërius *decis. 168. num. 7.* Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. 3. num. 23. rubr. de homicid.* Graphis *lib. 1. decis. 27. cap. 65. n. 11.* Anchar. *in Clement. de homic d. num. 5.* 11.

Boicius. Socin. Imol. Boërius. Ant Gom. Graph. Anchar.

Sed notandum omnino est, omnes insultatos etiam nobiles, nec dum ignobiles, & Ecclesiasticos teneri fugere quãdu insultantes personæ tales sunt, quibus reuerentiam, seu obedientiam debeant, si modò tutè, ac securè fugere possint, aliàs non, vt si essent patres, superiores, Episcopi, Rectores respectu suorum subditorum tantum respectiuè: quia tunc nulla fugientibus ex fuga resultat infamia, nulla verecundia. Dixi *respectiuè tantum*, quia si Episcopus non sit tuus Episcopus, perinde tunc esset, ac si superior non esset. Ita Decius *in l. vt vim, num. 35 in fine ff. de inst. & iure.* Claud. *ibi num. 68 in lectura, in repet. num. 99.* Bolognet. *num. 93.* Farinac. *tom. 4. quæst. 125. de homicid. tit. 14. num. 137.* Baiard. *in addit. ad Iulium Clarum, §. homicid. num 94.* 12.

Decius. Claud. Bologn. Farin. Baiard.

Qui tamen inuasores non fugiunt, in omni casu, & circunstantiis, in quibus tenentur fugere, sed se defendendo illos occidunt, puniendi sunt non ordinaria mortis pœna homicidiis à iure imposita, sed iudicis arbitraria, quia prouocati, & non sponte fecerunt. Ita Anton. Gomez *tom. 3. variorum cap. 3. rubr. de homicid. num. 14.* Placa *in epitome delict. cap. 28. num. 11.* Farinacius allegatus *num. 138.* 13.

Ant Gom. Placa. Farin.

Accedamus tandem ad aliam partem tituli; ea erat, an quando nobis licet aliquem occidere, possimus occisionem alteri mandare? Et verò si loquamur de eo casu, & circunstantia, in qua nobis licitum est proximum defendere, cum occisione iniusti inuasoris illius; certum planè videtur, nobis etiam licitum esse eam defensionem cum prædicta occisione alteri mandare: quia quod nobis licitum est facere per nos ipsos, licitum est etiam facere per alios; & quia eadem obligatio incurrit tunc, defendendi proximum innocentem, mandatario, atque mandanti, quando mandans per se ipsum innocentem proximum defendere non potest. Tandem quia faciens vim tertio iniustam, illumque iniustè aggrediens vel in vita, vel in fama, vel honore, vel in bonis fortunæ magni momẽti, iuxta ea, quæ suprà diximus, illam facit etiam Reipublicæ, cuius ille, qui vim patitur iniustè, membrum est: quare vnicuique de Republica licitum est illam propulsare, cum morte etiam inuadentis, quandu aliter propulsare non potest. Ita docet Farinacius *tom. 4. de homicid. quæst.* 14.

Claud. Bartol. Angel. Castro. Fulgos. Gomez.

quæst. 125. *tit.* 14. *num.* 171. *fol.* 229. *col.* 2. Claudius *in repet. legis, Vt vim, num.* 125. *ff. de iust. & iure.* Bartol. *ibi, num.* 7. *versu, Ego teneo.* Angel. *ibi, num.* 7. Paul. de Castro *num.* 10. Fulgosius *num.* 4. Ioann. de Lign. *in tract. de bello, cap.* 90. *& c.* 109. *in fine.* Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 3. *de homic. num.* 21. *&* 28.

15\. Maius dubium est; an quando in iure ciuili propter iustum dolorem permittitur marito impunè adulterum cum propria vxore in actu adulterij comprehensum occidere, & patri occidere adulterum cum propria filia nupta inuentum, possint eam occisionem impunè alteri mandare. Negant aliqui, quæ opinio fuit Bald. *in cap. Si quis verò, de pace iuram. firmat. in vsib. feudorum.* August. *ad Angel. de malefic. num.* 64. Claudij *in l. Vt vim, num.* 124. *ff. de iust. & iure.* Roland. *consil.* 14. *num.* 29. *lib.* 2. Patet ex cap. *Is, qui, in fine, de filijs presbyter.* & ex regula 28. *de regul. iuris.* Ratio est, quia, quæ à iure communi deuiant, strictissimè sunt interpretanda, & nequaquam sunt amplianda; quare cum hæc permissio sit contra ius commune, & sit veluti quædam dispensatio prædicti iuris communis, ob iustum dolorem solis patribus, ac maritis concessa, nullo modo videtur amplianda ad alias personas de mandato illorum; ea enim dispensatio, & permissio est mors iuris, correctioque illius; correctio autem, & mors iuris communis semper est vitanda, *cap. Ecclesia vestra* 2. *de elect.* glossa in dicta regula 28 *in verbo, Quæ à iure. l. Quod contra rationem ff. de regul. iuris.*

(margin: Bald. August. Claud. Roland.)

16\. Nihilominus dicendum est, posse patres, & maritos huiusmodi homicidia impunè filiis suis demandare, & dominos seruis. Ita docet Baldus sibi contrarius *in l. Gracchus, n.* 3 *ff. ad legem Iul. de adult.* Iulius Clarus §. *Homicidium, num.* 51. *&* §. *finali quæst.* 60. *num.* 16. *in fine.* Couarr. *in* 4. *Decretal. fol. mihi* 140. *num.* 5. Anton. Gom. *in l.* 8. *Tauri num* 6. Et hæc est communis hodie sententia. Imò tenent multi non solùm filiis propriis, & seruis posse huiusmodi homicidia à parentibus, & maritis impunè mandari, sed etiam alijs quibuscumque extraneis. Quæ opinio seruatur hodie in praxi; eam docet Cæpolla *consil. criminal.* 4. *col.* 1. Matthæus de Afflictis 9. *part. const. reg. Neapol. rubr* 46. *num.* 4. Carrerius *in pract. fol.* 445. *n.* 140. *& fol.* 325. *num.* 113. Iulius Clarus *locis modò allegatis*; quia parum refert, an occidant per se, an per alios; nam quæ per alios facimus, per nos ipsos facimus, & cui principale, hoc est, mors, à iure concessum est, necessario etiam minus principale concedi videtur, id est, persona, quæ illam de mandato illius, cui mors, seu principale conceditur, exequatur. Sed de hac re latiùs redibit sermo *cap.* 10.

(margin: Bald. Iul. Clar. Couar. Ant. Gom. Cæpol. Afflict. Carrer. Iul. Clar.)

CAPVT VIII.

Quatenus duellum sit licitum, vel illicitum; & an liceat defendere proprium honorem in illo.

SVMMARIVM.

Quid sit duellum, & quas ob causas à Concilio Tridentino prohibitum. num. 1.

Referuntur verba prohibitoria Concilij. num. 2.

Concilium Tridentinum loquitur tantùm de publicis, non de priuatis duellis. num. 3. *Quamuis contrarium teneat Henriquez.* ibid.

Excommunicatio posita in Concilio Tridentino est ipso facto, & non est reseruata. num. 4. *Pius IV. & Clemens VIII. eam reseruarunt. num.* 5. *Gregorius XIII. an in suo motu proprio eam reseruauerit, resoluitur non eam reseruasse directè, sed indirectè quatenus duellantes, & omnes pœnæ duelli subiecit pœnis impositis à Pio IV. d. numero* 4.

An religiosi mendicantes possint hodie ab illa absoluere. d. n. 5. *versu,* decernitque Clemens VIII. *& versu,* At Fillincius. *ibid. An confessarius electus per bullam cruciatæ semel in vita, & semel in morte, & an bis virtute duarum bullarum, & ter virtute trium bullarum. ibid. versu,* Poterit etiam. *An Episcopi. ibid.* Possunt etiam Episcopi.

An excommunicatio lata in Concilio Tridentino contra patrinos duellorum, consiliarios, spectatores, suasoresque sit latæ sententiæ. Refertur opinio negans. num. 6. *Illa, quia ibi innodantur Principes loca in suis terris ad duella concedentes, est latæ sententiæ.* ibid.

Præfertur sententia affirmans. num. 7.

Quidquid sit de iure Concilij, constat hodie esse latæ sententiæ impositā à multis Pontificibus. num 8.

Omnes pœnæ Concilij Tridentini præter excommunicationem, & interdictum requirunt sententiam iuris. num. 9. *Quid de pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ.* ibid.

Referuntur pœnæ impositæ à Pio IV. num. 10. *&* 11.

Priuat clericos se intromittentes duellis beneficijs obtentis, an ad hoc requiratur iudicis sententia. num. 12. *Et quid de pœna inhabilitatis ad alia obtinenda, an similiter requirat iudicis sententiam. ibid. Pœna irregularitatis, vt incurratur, non requiritur iudicis sententia.* ibid.

Gregorius XIII. in suo motu proprio confirmat pœnas Concilij Tridentini, & Pij IV. & eas etiam ad duella priuata extendit. num. 13. *Et multas addit.* ibid.

Concilium Tridentinum non fuit locutum de mandantibus, & non impedientibus duellum. Gregorius XIII. & alij PP. eos comprehendunt in dictis pœnis. num. 14.

Clemens VIII. edidit plenissimam constitutionem hac de re. num. 15. *Multos casus de nouo circa duella explicat, & duellorum pœnis supponit, & declarat personas, & actiones in speciali, quæ prædictis pœnis subijciuntur.* num. 15. 16. 17.

Circa personas, quas declarat, vide ea quæ continentur in numeris à decimo octauo, & nono vsque ad 22.

Quæ scripta prohibentur in duellis in bulla Clementis VIII. num. 23.

Scribentes, dictantes, diuulgantes, mittentes, deferentes hæc scripta; legentes in locis publicis, & domibus, vbi conuentus fiunt, suadentes, non impedientes, consilium, auxilium ad illa dantes, has pœnas incurrunt. num. 24.

Quid de illis, qui de illa diuulgant, in locis publicis, vel priuatis, vbi multi conueniunt. num. 25.

Quid de illis, qui animo constituunt duellare, non tamen duellant, nec scripta mandant. num. 26.

DVELLVM, quod Græcè *Monomachia* dicitur, est pugna duorum, vel plurium ex condicto in certo, & conuento loco, 1.

ac

ac tempore ad emendam alienins rei veritatem, vel adexpurgandum crimeo, vel infamiam obiectam, vt is nimirum, qui in duello vicerit, probare veritatem credatur; quare duellum non est, propriè loquendo, qoodlibet duorum certamen, sed quando ex condicto suscipitur ad veritatis indaginem, vt victoria testetur, victorem fuisse innocentem. Ita communiter DD. Sanch. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 39. *num.* 1. Axor. *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. *init.* Bonac. *tom.* 3. *disp.* 11. *quæst.* 3. *punct.* 42. *n.* 2. *fol.* 378. *col.* 1. (Sanch. Azor. Bonac.)

Et tale certamen vocatur propriè duellum, & damnatur ab Ecclesia, *cap. Monomachiam* 2. *q.* 5. *& cap.* 1. *&* 2. *de purgat. vulgari*, & illud tanquam superstitiosum damnat. D. Thom. 2. 2. *q* 95. *art.* 8. *ad* 3. Estque etiam probibitum, & damnatum à Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. Causas autem huius damnationis bene multas, ac graues refert Iulius secundus in bulla expedita anno 1508. mense Aprili. Primò est, quia hæc monomachia, seu pugna duorum non fit, nisi instiganti dæmone. Secundò, quia ex illa hominum cædes repentinæ, animarum pernicies, noua odia inter adstantes pugnantium cognatos, & amicos, nouæ pugnæ, ac seditiones oriuntur, & ex vno capite multæ malorum turbæ erumpunt. Tertiò, quia ex suo genere intrinsecè duellum est malum, cum ex propria ratione, mendacium, & repugnantiam cum propria ratione includat; quia in testimonium propriæ innocentiæ assumit id, quod est veluti mendacium, cum multoties iustam causam in duello tuentes succumbere accidat; quamobrem Concilium Trident. hanc prohibitionem ad omnes Christianos toto orbe dispersos extendit. Nam Iulius secundus illud sub excommunicationis pœna, quoad subditos tantùm Romanæ sedis prohibuit, Concilium verò Trident. dicta *sess.* 25. *cap.* 19. loquens de solenni tantum, & publico duello, quod authoritate Principum in suis terris, locis, & territoriis, fieri solebat, non de priuato, & particulari ad omnes Christianos, vt dixi, extendit.

Rursus post Concilium Trident. Gregor. XIII. loquens tam de publicis, quàm priuatis duellis (nam Concilium solùm fuerat locutum de publicis) similiter eam prohibitionem ad omnes fideles totius orbis extendit, vt videre est in illius bulla, quæ incipit, *Ad tollendam detestabilem*, anno Domini 1582. expedita. Vltimò Clemens VIII. hanc etiam duellarem pugnam tam publicam, quam priuatam prohibuit anno Domini 1592. vt videbimus infrà *num.* 15.

2. Verba Concilij Tridentini dicta *sess.* 25. *cap.* 19. hæc sunt. *Detestabilis duellorum vsus fabricante diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucraretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione, & dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur, & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur; qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetua infamia pœnam incurrant, & vt homicida iuxta sacros canones puniri debeant, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam iure, quàm facto dederint, aut quacumque alia ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obstante quocumque priuilegio, seu praua consuetudine, etiam immemorabili.* Hæc Concilium.

3. Notabis primò, id quod iam diximus, vt egregiè etiam notarunt Delrius *lib.* 4. *disquis. magic. cap.* 4. *quæs.* 4. *sect.* 2. Sanch *tom.* 1. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 22. Nauarr. *lib.* 5. *consilior. in vtraque editione de purgat. vulg. consil.* 2. *ad finem.* Suarez *tom.* 5. *de censur. disp.* 23. *sect. vltim. num.* 11. Concilium Tridentinum locutum fuisse de solennibus tantùm, & publicis duellis, qualia olim fieri solebant, authoritate Principum, vel ad purgandam infamiam, vel veritatem indagandam, vt patet ex illius verbis. Quamuis Henriquez *lib.* 13. *de excomm. cap.* 39. *num.* 3. *in commento littera T.* asserat de priuato etiam duello locutum fuisse, & ita explicuisse Cardinalium congregationem: veriùs tamen est de solis duellis publicis, non priuatis, locutum fuisse Concilium. Quidquid tamen sit de iure Concilij, iam Gregorius XIII. in motu proprio edito anno Domini 1582. incipiente, *Ad tollendam detestabilem*, nona die Decembris, vt infrà patebit *num.* 12. & Clemens VIII. in alio motu proprio dato anno Domini 1592. id extenderunt ad duella etiam priuata, quæ sine patrinis, & consensu Principum inter duos priuatos homines committuntur. (Delrius. Sanch. Nauar. Suarez.)

4. Notabis etiam excommunicationem Concilij Tridentini, qua Imperator, Reges, Principes, Duces, & Marchiones feriuntur, esse ipso facto, ibi: *Eo ipso sint excommunicati*, & nulli reseruari, & sic ex vi Concilij posse ab ea absolui prædictos Principes, cæterasque personas in ea comprehensas à quocumque confessario approbato, & exposito: nam quoties Summus Pontifex excommunicationem imponit, si eam nec sibi, nec alteri reseruat, nulli censetur reseruata, & ab ea potest absoluere quilibet confessor ordinarius expositus, & approbatus. Ita Delrius *lib.* 4. *disquis. mag. cap.* 4. *quæs.* 4. *sect.* 2. Graphis 1. *part. decision. aurear. lib.* 4. *cap* 23. *num. vlt.* Sà *verbo*, *Excom. num.* 14. vbi de excom. nulli reseruata. Sanchez *tom.* 1. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 27. *& tom.* 2. *de matrim. disp. disp.* 13 *num.* 1. (Delrius. Graphis. Sà. Sanch.)

An verò Gregorius XIII. in suo motu proprio eam reseruauerit, est dubium. nam Nauarr. *lib.* 5. *consilior. in vtraque editione de purgat. vulgari consil.* 1. *in fine*, Manuel Rodrig. *tom.* 1. *summa in* 2. *edit. cap.* 73. *num.* 3. Salzed. *in additionib. ad Bernardum Diaz, in nouissima edition. cap.* 100. affirmant à Gregorio XIII. fuisse reseruatam in suo illo motu proprio, incipiente, *Ad tollendam detestabilem*, expedito anno Domini 1582. Probant primò, quia Pius IV. in quodam motu proprio edito anno 1560. loquens de duello solenni, eam reseruat, & Gregorius XIII. voluit prædictum duellum subiicere pœnis Pij IV. Cum ergo à Pio IV. sit reseruata in duellis solennibus, & eadem excommunicatio extendatur per Gregorium XIII. ad duella etiam priuata, erit quoque in priuatis reseruata. Secundò, quia Nauarrus allegatus refert quædam verba motus proprij Gregorij XIII. in quibus eam reseruat tam in priuatis, quàm in publicis duellis: quæ tamen verba, vt ait Sanchez *lib.* 2. *Decalog. cap.* 39. *n.* 27. non inueniuntur in motu proprio Gregor. XIII. sed solùm Concilij Tridentini pœnas in eo confirmat, & extendit ad duella etiam priuata, & (Nauarr. Rodrig. Salzed. Sanch.)

ideo

ideo ex vi illius non est reseruata in duellis priuatis, vt tenet Sanchez modò allegatus.

5\. Quidquid tamen sit de iure Concilij Tridentini, & motus proprij Gregorij XIII. Pius IV. vt videbimus *num.* 10. in prædicta constitutione edita anno Domini 1560. & Clemens VIII. in alia edita anno 1592. quæ incipit, *Illius vices*, hanc excommunicationem sibi reseruarunt, & tam hanc censuram, quàm cæteras Concilij pœnas ad duella etiam priuata extendunt.

Decreuitque Clemens VIII. vt virtute nullius priuilegij concessi quibuscumque religiosis, seu personis cuiuscumque status, possint illi, qui illam incurrerint, absolui; & ideo existimat Sanchez *tomo* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 17. nullum hodie religiosum virtute suorum priuilegiorum concedentium omnes casus reseruatos Papæ, posse ab illa absoluere. Sanch.

At Fillíucius *tractat.* 29. *cap* 8. *num.* 167. Paulus Comitol *lib* 4 *quæst.* 17. Bonacina *tom.* 3. *disp.* 11. *quæst.* 3 *punct* 49. *num.* 40. Gaspar Hurtado *de peccatis disp.* 29 *difficult.* 30. *in fine*, expressè aiunt posse hodie religiosos virtute suorum priuilegiorum concedentium casus Papæ absoluere ab excommunicatione ob duellum incursa, etiam ab omnibus casibus, quos Clemens VIII. in sua constitutione addidit, extra Italiam; quia respectu religiosorum existentium in Italia, & per Italiam extra vrbem Romam de facto reuocata fuerunt, quia Congregatio Cardinalium ad explicanda dubia constitutionis Clementis VIII. de mandato illius congregata, prædicta religiosorum priuilegia in quodam decreto, quod incipit, *Sacra congregatio*, reuocauit solum in Italia, & per Italiam extra vrbem. Et ideo extra Italiam, & in vrbe Roma, possunt hodie prædicti religiosi virtute suorum priuilegiorum ab illa absoluere, etiam quoad casus additos à Clemente VIII. Probant primò, quia Clemens VIII. in sua constitutione non solùm prohibet ne prædicti religiosi priuilegiati prætextu facultatum, aut priuilegiorum absoluant; qui autem virtute suorum priuilegiorum iuxta consuetam praxim receptorum absoluunt, non dicuntur prætextu facultatum, aut indultorum absoluere, sed vera facultate, quam habent, & receptis priuilegiis, & addit Fillíucius allegatus ita Romæ doctissimos viros à se consultos respondisse. Iam verò si sermo sit de confessariis nostræ Societatis, videtur extra dubium posse illos virtute nostrorum priuilegiorum nobis omnes casus Papales concedentium ab omni excommunicatione ob duellum incursa absoluere: quia Paulus V qui successit Clementi VIII. illa nobis confirmauit, & innouauit, & verbum illud, *innouauit*, tantùm valet, ac *de nouo concessit*. Quare cum de nouo sint concessa, & non sint reuocata, quoad hoc, quod Summus Pontifex requirit, vt essent, clarum est posse nostros extra Italiam, & in ipsa Italia, in vrbe tantùm Roma, ab illa absoluere. Quod si quæras, qui sint casus, quos Clem VIII. supra Concil. Trident. & alios Pontifices addit? Respondeo esse multos, omnes videlicet, quos infra à *n.* 21. *vsque ad* 25 inclusiuè apponemus. Filliuc. Paul. Comit. Bonacina. Hurtado.

Poterit etiam ab hac excommunicatione absoluere confessarius electus per Bullam Cruciatæ semel in vita, & semel in articulo mortis, quia cum Bulla singulis annis publicetur, & ab eodem Summo Pontifice, & ab aliis illius successoribus concedatur, & nihil in ea circa hoc punctum addatur, aut innouetur, non est verisimile velle prædictos Pontifices priuilegium Bullæ tollere, concedens semel in vita, & semel in morte absolutionem ab omnibus casibus Summo Pontifici reseruatis. ita Sanchez *lib.* 2. *Decalog. cap.* 39. *num.* 27. Imò addit Gaspar Hurtado *de peccatis, disp.* 29. *difficult.* 30. *in fine*, non solùm semel, sed etiam bis virtute duarum Bullarum, posse prædictum confessarium, virtute Bullæ Cruciatæ electum, absoluere semel in vita, & semel in morte ab ea excommunicatione, & directe ter virtute trium Bullarum, & sic deinceps, & citat pro hac sua opinione Petrum Hurtado *sect.* 21. Fundamentum illorum est, quia Bulla singulis annis conceditur tamquam noua gratia, & est noua Bulla, & noua distincta gratia; quare cum quotannis noua gratia concedatur, ea vti possumus de nouo. Deinde, quia priuilegia, & gratiæ sunt amplianda, odia & pœnæ restringendæ, iuxta regulas iuris cõmunes *de reg. iur. in* 6. Quare hæc Gasparis & Petri Hurtadi opinio valde probabilis videtur. Sanchez. Hurtado.

Possunt ab ea absoluere Episcopi, si duellum occultum sit, nec deductum ad forum externum, vt patet ex priuilegio Episcopis concesso in Concilio Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* ita docet Sanchez *lib.* 2 *Decalog cap* 39 *num.* 27. Bonacina *tom.* 3. *disp.* 11. *quæst.* 3 *punct.* 49. *num.* 38. & communiter DD. quia huiusmodi motus proprij Gregorij XIII. & Clementis VIII. non abrogant hoc priuilegium, & decretum Concilij Tridentini Episcopis concessum, cum in illis nulla mentio de illius abrogatione fiat; quæ mentio erat necessaria, vt illud reuocaretur, vt docet Suarez *de pœnit. quæst.* 30. *sect.* 2. *num.* 14. Sanchez modò citatus, *& lib* 3 *de matrim. disp.* 26. *num.* 7. *& lib* 8. *disput.* 35. *num.* 17. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 8. *art.* 10. Peregrinus *quæst.* 37. *num.* 3. & quia clausula generalis reuocatoria, non extenditur ad priuilegia inserta in corpore iuris, vt docet glossa *in l.* 2. *§. legati, ff. de rei vind.* hoc autem priuilegium Episcoporum insertum est in corpore iuris, nempe in corpore Concilij Tridentini: quare possunt Episcopi iuxta sententiam horum Doctorum absoluere ab hac excommunicatione toties, quoties incursa fuerit, virtute huius priuilegij, dummodo delictum occultum sit, & non deductum ad forum externum. quod etiam docet Gaspar Hurtado *de peccatis, diffic.* 30. *in fine*, & est communis & certa sententia. Rodrig. Peregrin. Hurtado.

6\. Dubium tamen est circa excommunicationem, qua in Concilio Tridentino feriuntur pugnantes in duello, patrini illorum, spectatores à consilio, consiliarij, suasorésque, an sit latæ sententiæ, an ferendæ. Nam illa, qua Imperator, Reges, & Principes, Duces, & Marchiones, qui loca ad duella in suis terris concedunt, illaque ibi fieri permittunt, innodantur, est ipso facto, latæque sententiæ, vt diximus *num.* 4. Et hac de re est duplex opinio. Prima ait non esse latæ sententiæ, sed ferendæ. Hanc tenet Petrus Nauarra *lib* 2. *de restit. cap.* 32. *dub.* 13. *n.* 293. *in noua edit.* Rodrig. *tom.* 1. *summa in* 2. *edit. cap.* 73. *n.* 3. Probant primò, quia cum Concilium loquitur de excommunicatione Regum, & Principum concedentium in suis terris loca ad duella, ponit hanc dictionem *eo ipso*, quod perinde est, ac *ipso facto*: quando autem agit de excommunicatione, qua ligantur pugnantes in duello, patrini illorum, consiliarij, ac spectatores à consilio: ait, *excommunicationis, ac omnium bonorum suorum pœnam incurrat.* Et addit: *illi autem, qui consilium in causa duelli, tam iure, quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, excommunicationis, ac perpetua* Nauar. Rodrig.

tua maledictionis vinculo teneantur. quæ verba *incurrant, & teneantur*, cum ſint imperatiui modi, non videntur importare excommunicationem latæ ſententiæ, ſed ferendæ. Secundò, quia Concilium æquiparat pœnam excommunicationis reſpectu harum perſonarum pœnis perpetuæ infamiæ, ac amiſſionis omnium bonorum; cùm autem huiuſmodi pœnæ non incurrantur, niſi poſt latam ſententiam, conſequens eſt, vt nec etiam pœnam excommunicationis incurrant, niſi poſt latam ſententiam. Videtur enim Concilium Trident. maiorem culpam conſiderare in Principibus loca ad duella concedentibus, quàm in pugnantibus in duello, eorum patrinis, reliquiſque perſonis: ſi enim illi ea non permitterent, ceſſarent profectò publica duella, de quibus tantùm agit Concilium, ceſſarent patrini, conſultores, ſuaſores, ſpectatoréſque illorum.

7. Eſt valde probabilis hæc opinio. Verior tamen eſt illa, quę docet, eſſe ipſo iure latam, quam tenet

Suarez. Sanch. Nauarr. Delrius. Tolet. Sà. Graphis.

Suarez *tom. 5. de cenſur diſp. 13. ſect. vlt. n. 11.* Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 39. n. 26.* Nauar. *in ſumma Lat. cap. 27. n. 150* Delrius *lib. 4. diſquiſ. mag. q. 4. ſect. 2.* Tolet. *lib. 5. ſumma cap. 6. n. 31.* Sà *verb. Excommunicatio*, vbi de excom. nulli reſeruatis *n. 14.* Graphis *1. part. deciſ. aur. lib. 4. cap. 23. n. vlt.* Fundamentum illorum eſt. Primò, quia Greg. XIII. in ſuo motu in principio ait, Conciliũ in eas omnes perſonas excõmunicationẽ decreuiſſe: vnde cùm æquè loquatur de excommunicatione lata contra Reges, & Principes duella publica in ſuis terris permittentes, locaque publica ad illa deſignantes, & contra reliquas perſonas, quales ſunt ipſi duellantes, patrini eorum conſiliarij, ſuaſoréſque, & ſpectatores apertè excõmunicationem ipſo facto latam eſſe in omnes inſinuat. Secundò, quia verba illa, *incurrantur, & teneantur*, etſi futuri ſint temporis, non diriguntur ad iudicẽ, nec ad eius actionem, ſed ad reum, qui per efficax imperium ligatur, & hunc ſenſum efficiunt. Vbi primum duellum commiſſum fuerit, & patrini illius extiterint, ſpectatores, cõſiliarij, ſuaſores, eo ipſo excommunicationem incurrant, & vinculo illius teneantur.

8. Sed quidquid ſit de iure Concil. Trid. conſtat liquidò Pium IV. vt videbimus *n. 50.* & Clementem VIII. vt videbimus *n. 55.* omnes huiuſmodi perſonas excommunicatione latæ ſententię innodare voluiſſe, de quo non eſt dubitandum.

9. Omnes pœnæ Concil. Trid præter pœnam excommunicationis, & interdicti, veluti pœna proſcriptionis omnium bonorum, perpetuæ infamiæ, priuationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ eorum, qui in duello moriuntur, requirunt ſententiam iudicis, vt incurrantur, vt dicemus infrà *num. 51.* Infamia enim, proſcriptio bonorũ, amiſſio locorum in quo duella ex conſenſu Principum exercentur, priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, clarè petunt iudicis ſententiam, quia ſunt pœnæ priuantes iure acquiſito: omnes enim fideles ius acquiſitum habent, eo quod ſint fideles, ad Eccleſiaſticam ſepulturam, & ideo non ſolent incurri ante iudicis ſententiam declaratoriam criminis, ob quod incurruntur.

Sanch. Filliuc. Suarez.

Ita Sanch. *tom 1. Decalog. lib. 2. c. 39. n. 32. & lib. 7. de matrim. diſp. 13. n. 1.* Filliucius *tract. 29. cap 9. n. 178.* Suarez *tom. 5. de cenſ. diſp. 40. ſect. 1. n. 12. & diſp. 30. ſect. 5. n. 15. & lib. 5. de legib. cap. 8. n. 15.* & omnes, quos citauimus *cap. 2. n. 6.* Vide *num. 55.* vbi iterum hac de re redibit ſermo.

Bonacina.

Bonacina tamen *tom. 3. diſp. 2. puncto 48. n. 21.* exiſtimat pugnantes in duello, & in illo morientes, priuari Eccleſiaſtica ſepultura, ante vllam iudicis ſententiam. Primò, quia priuatio ſepulturæ eſt pœna Eccleſiaſtica inſtar excommunicationis, quæ ipſo facto incurritur. Secundò, quia ita habet vſus Eccleſiæ, & citat pro ſe Alexandrum

Peregrin.

Peregrinum *quæſt. 7. num. 3.* Sed cum non ſit pœna cenſuræ, & ſit pœna Eccleſiaſtica priuans iure acquiſito, quamuis ipſo facto imponatur, ſententiam ſine dubio requirit, vt docet Gaſpar Hurtado *de peccatis, difficult. 30. §. circa dictum decretum*: maximè, quia de vſu Eccleſiæ non conſtat. Vide *num. 51.* vbi hanc rem iterum vrgemus.

Hurtado.

10. Pius IV. poſt Concilium Trident. in ſuo motu proprio edito hac de re anno 1560. excommunicat ipſo facto omnes Principes & domicellos permittentes in ſuis terris duellum fieri, & diffidationes facientes, inuitantes, prouocantes, auxilium, vel fauorem dantes, intereſſentes, hoc eſt, ſpectatores à conſilio, chartas ſcribentes, publicantes, & de illis ſe intromittentes, & omnes hos, ſi laici fuerint Imperatore, ac Rege inferiores ipſo facto excommunicat: ſi verò clerici, aut perſonæ Eccleſiaſticæ, vltra hanc excõmunicationem punit ipſo iure, & facto priuatione omnium beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum, quæ iam habent obtenta, & inhabilitat ad alia de nouo obtinenda, & tandem reſeruat ſibi, & Sedi Apoſt. prædictam excommunicationem, & omnes alias pœnas, quæ in Concil. Trid. cõtinentur, innouat, & confirmat.

11. Quamuis autem in Bulla Pij IV. Domicelli, & Principes Imperatore, ac Rege inferiores ipſo facto excommunicentur, non ideo tamen Reges, & Imperatorem eximit ab ea excommunicatione, ſed honoris cauſa illos tacet, & in eadem excommunicatione relinquit: qui enim vnum declarat, non reuocat aliud, & alioqui non confirmaret omnes Concilij pœnas, confirmat autem illas, vt patet ex dicto motu proprio Pij IV.

12. Vt clerici priuentur beneficiis obtentis, requiritur ſententia iudicis declaratoria criminis, vt diximus *n 9. & cap. 2. n 6.* de inhabilitate ad alia obtinenda, eſt duplex ſententia. Prima ait non requiri ſententiam iudicis, vt hæc inhabilitas incurratur, ſed ſtatim incurri, ac crimen committitur. Ita docet

Sotus. Cordub. Mexia. Medina. Rodrig. Aragon. Salon. Sanchez.

Sotus *lib. 1. de iuſt. q. 6. art. 6. poſt 4. concl. verſ. Ex hac autem.* Cordub. *lib. 1. q. 36. paulo poſt princ. & in ſolut. ad 7.* Mexia *taxa panis, concl. 6. num. 108.* Medina *1. 2. q. 96 art. 4. ad 4.* Rodrig. *tom 1. ſumma in 2 edit. cap. 195. n. 2.* Aragon *2. 2. q. 31. art. 3. concluſ. 2.* Salon. *2. 2 q 63. art. 4. fine.* Sanchez *tomo 1. Decalog. lib. 2. cap. 39. n. 32.* Fundamentum illorum eſt. Primò, quia hæc inhabilitas non eſt pœna priuatiua, quæ priuet aliquo iure quæſito: ſed eſt ſolùm mera inhabilitas impediens ius quærendum. Ergo nullam iudicis ſententiam requirit criminis declaratoriam, vt incurratur, ſed vitiat pœnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſuam ſecum executionem affert. Secundò, quia motus proprius Pij IV. aſſerit, *eo ipſo incurrant inhabilitatis pœnam, eo ipſo ſint inhabiles ad alia obtinenda*, quæ verba eſſent ſuperuacanea, ſi adhuc ſententia iudicis requireretur, vt incurratur.

Secunda docet, requiri ſententiam iudicis, vt ea inhabilitas incurratur.

Nauar. Molin. Filliuc. Sanchez.

Hanc tenet Nauarrus *de datis, & promiſſis pro iuſt. vel grat. num. 44.* Molin. *tom. 1. de iuſt. diſp 96. pag. 590.* Filliucius *tract. 29. cap. 8. num* [illegible]*8.* & Sanchez pro prima allegatus dicit eſſe ſatis probabilem, & in ſimili de inhabilitate incurſa ab ſcholaſticis ad ſuffragium ferendum docet

Sotus. Ledeſm. Syluest.

Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 6. art. 3. ad finem.* Ledeſma *2. part. quæſt. 18. art. 2. dub. vlt.* Et facit pro hac opinione Syluester *verb. Aſſaſſi-* [illegible]

nio, *num.* 4 vbi ita ait: *Omnia iura mundi, quæ dicant ipso facto, vel ipso iure pœnam imponi (excepta excommunicatione) debent intelligi dummodo sit secuta sententia declaratoria, per quam declaratum sit, fuisse commissum crimen propter quod illa pœna ipso facto imponatur.* Probant. Primò, quia licet hæc pœna consistit in mera inhabilitate ad ius futurum acquirendum, & non priuet iure acquisito; tamen est pœna valde acerba, & ideo requirit iudicis sententiam. Secundò, quia ea particula, *ipso facto, vel eo ipso sit inhabilis ad alia officia, vel beneficia de nouo obtinenda.* Id tantum importat, vt non requiratur sententia iudicis, in qua iudex dicat: *Declaramus illum incurrisse pœnam inhabilitatis ad alia beneficia obtinenda.* Sed sufficit sola declaratoria sententia, qua iudex declaret illos commisisse duella, consuluisse, suasisse, aut illis interfuisse authoritatem facto præbentes. Tertiò, quia sola pœna excommunicationis, suspensionis, & interdicti suam secum executionem affert, & nullam requirit iudicis sententiam, vt statim incurratur, vt latè probat Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 30. num. 2.* Et vso etiam receptum iam est, quòd pœna irregularitatis non requirat etiam sententiam aliquam iudicis, vt incurratur iuxta Molinam, & Sancium, velle autem id quòd peculiare tantùm est pœnæ excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis extendere ad pœnam inhabilitatis ad officia, vel beneficia obtinenda, est omnino extra omnem rationem. Ita se habent huiusmodi sententiæ, vtraque probabilis, sequere quam malis.

13. Dixi suprà Pium IV. Concilium Tridentinum & Iulium etiam secundum in motu proprio expedito anno 1509. locutos fuisse de duellis publicis, non particularibus, quod verum omnino est. At Gregorius XIII in bulla incipiente, *Ad tollendum detestabilem*, anno Domini 1582. expedita nona die Decembris, easdem pœnas Iulij secundi, Pij IV. & Concilij Tridentini ad duella etiam priuata extendit, his verbis: *Crescente hominum malitia, facinorosi non desunt, qui quod publicè prohibitum est, priuatim exequi non dubitent, dum sic pœnas prædictas eludere se posse arbitrantur. Nos ad hæc euitanda plenius, euidentiusque prouidendum esse rati, considerantesque duellum priuatum non minus cruentum, & animæ, & corpori noxium esse, quam quod publicè perpetratur, authoritate Apostolica statuimus. Primò, illos qui ex condicto, statuto tempore, & loco conuento, monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini, sociique ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæue prouocatoriæ literæ, aut denunciationis chartulæ præcesserint: censuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis, teneri perinde, ac si publico, & consueto abusu, singulare certamen iniuissent. Secundò, volumus etiam locorum dominos, si certamen ex condicto huiusmodi permiserint, aut quantùm in se fuerit, non prohibuerint; omnesque illud fieri mandantes, instigantes, consilium, vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia huiusmodi subsidia scienter subministrantes, & ex composito spectatores, vel socios quouis modo se præbentes, censuris, ac pœnis subiacere, etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserint, impediti pugnam non commiserint, si per illos non steterit, quominus illa committatur. Non obstantibus, &c.*

14. Notabis modò Concilium Tridentinum dicta *sess. 25. cap. 19.* nihil fuisse locutum de mandantibus, & non impedientibus duellum; solum enim locutum fuit de consiliariis, suasoribus, spectatoribusque ex proposito, & hos voluit suis pœnis affici. Patet ex illis verbis, ibi: *Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam iure, quam facto dederint, aut alia quacumque ratione, ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis vinculo teneantur.* Imò neque etiam Pius IV. in suo decreto aliquid de huiusmodi mandantibus, & non impedientibus locutum fuit, vt patet ex *num.* 10. At Gregorius XIII. hic prouidentissimè voluit comprehendere prædictis pœnis, tam mandantes, quàm non impedientes, ibi: *Volumus etiam locorum dominos, si certamen ex condicto huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes censuris, ac pœnis subiacere.*

Vltimò Clemens VIII. anno Domini 1592. edidit alium motum proprium incipientem, *Illius vices*, vbi confirmat Concilij Tridentini decretum, & omnes motus proprios omnium suorum prædecessorum, Iulij secundi, Pij IV. & Gregorij XIII. contra duella, & deinde explicat singulatim personas, quæ prædictas pœnas incurrunt; actiones ob quas incurrantur; & tandem excommunicat ipso facto omnes singulares personas horum delictorum reas; & si in ipso conflictu obierint, priuat Ecclesiastica sepultura: ciuitates verò, oppida, terras, loca, in quorum territoriis duellum committitur, scientibus dominis illorum, illudque vel tacitè, vel expressè permittentibus, interdicto supponit; cuius relaxationem sibi tantùm, & successoribus suis reseruat, ita vt nullus alius illud relaxare valeat prætextu quarumuis facultatem, tam Ecclesiasticis cuiuscumque ordinis, militiæ, dignitatis, quàm sæcularibus etiam regali, aut Imperiali dignitate fulgentibus concessarum, in genere, vel in specie. 15.

Interdictum hoc non indiget sententia iudicis declaratoria criminis, vt incurratur, quia est latæ sententiæ, & quia est censura; & hæc est natura censuræ, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, quando sunt latæ sententiæ, vt statim incurrantur, & nulla alia egeant sententia; vt fatentur omnes, & docet Sanchez *tom. 1. Decalog. lib. 2. cap. 39 num. 32.* 16.17. Sanch.

Personæ, quæ prædictas pœnas incurrunt, sunt istæ. *Primò*, milites, qui in bello publico etiam iustè indicto contra alterum contrarij exercitus, ob priuatas inimicitias, & simultates in singulare certamen descendunt ex condicto, aut ad illud prouocant, etiam ducum permisso, & idem de militibus, qui in castris, præsidiis, stationibus & propugnaculis degunt; de aliis verò militum duellis, quæ succedunt loco belli, dicemus infrà *num.* 46. 18.

Secundò, qui pactiones, & fœdera ineunt de dirimendo certamine cum primum alteruter duellantium ictum acceperit, vel vulneratus fuerit, aut cum primum certus ictuum numerus vtrinque illatus fuerit. 19.

Tertiò, si conueniant, aut pactiones ineant, vt non solùm singuli cum singulis, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent, & descendant in certamen, tali loco, die, hora, & tempore. 20.

Quartò, Duces, capitanei, locum tenentes in castris, vel extra ea in alieno, vel hostili solo, qui cum militibus exercitus aduersariorum, duellum in quocumque casu, per præsentem, aut præteritas constitutiones prohibitum permittunt, vel quantum in ipsis est non prohibent, aut post admissum crimen, veniam, aut impunitatem concedunt. 21.

22 *Quintò*, omnes, & singuli, qui suo, vel alieno nomine, scripta manifesta, vulgo *fides*, appellata, libellos, epistolas, earumve exemplar dictant, componunt, scribunt, mittunt, deferunt, diuulgant, affigunt, exemplant, typis mandant, subscribunt, intimant, vel etiam verbo denunciant.

23. Scripta verò, quæ in hac bulla prohibentur hæc sunt. *Primò*, scripta manifesta, vulgo Hispanico, *Cartelles, de desafio*, quæ vel expressè prouocant ad huiusmodi certamen, vel sunt quasi quædam præparatoria ad chartulas, vel libellos prouocatorios ad duellum, & illorum veluti radices, aut seminaria inimicitiarum, quæ ad duella conducunt. *Secundò*, Chirographa, vel chirographum vnius, vel plurium. *Tertiò*, subscriptiones, aut relationes sub prætextu proprij, vel alieni honoris, & famæ more militari (& vt vulgo dicitur, *como Caualleros*.) seu tuendi, seu lædendi, siue ad tollendam, siue ad inserendam iniuriam, aut suspicionem rei alicuius gestæ ad id pertinentis. *Quartò*, verborum, aut responsionum series, quæ in scriptis narrantur, & in quibus ex simili abusu causa singularis certaminis ineundi aliquid firmiter asseritur, negatur, aut narratur, v.c. vt is, qui contradixerit, siue nominatim, siue in genere, mendacij arguatur, aut mentiri dicatur, aut ad hunc affectum ex militari etiam consuetudine, quæritur, declaratur, respondetur, qua mente, aut quo sensu aliquid eiusmodi, quod ad superiùs expressa, aut ad singulare certamen spectet, gestum, dictumve sit. *Quintò*, scripta, quibus se quisquam offert contra certam, vel incertam personam, vel generatim, contra quemcumque hominem ad probandum armis, & verificandum etiam in singulari certamine aliquid ita esse, fuisse, vel non fuisse.

24. *Sextò*, qui alios ad singulare certamen publicè vel manifestè ineundum, vel ad prouocandum aliquem ad illud, siue sub huius generis scriptis, quæ manifesta, & quæ chartulæ prouocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, consilium, operam, vel fauorem præstiterint, siue id suaserint, aut mandauerint; quive in præmissis, vel eorum aliquo, se quomodolibet intermiscuerint, etiamsi neque pugna, neque certamen effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, nec expressa, & aperta prouocatio subsecuta fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ fuerint, quominus publicatio, aut denunciatio fieret.

25. *Septimò*, qui quascumque denunciationes, declarationes, & testificationes talium rerum suprà dicta quomodolibet concernentium, & ob huiusmodi causas in locis publicis, vel priuatis vbi hominum multitudo conuenire solet, etiamsi scripto factæ non fuerunt, id est, siue verbis, siue scripto fiant.

26. Cætera vide in motu proprio Clementis VIII. ubi etiam spectatores à consilio, non à casu comprehenduntur in prædictis pœnis, vt videbimus infrà *num* 35. quem de verbo ad verbum refert Sayrus *in thesauro, lib. 3. cap. 31. num. 21.* & Bonacina *tom. 3. disputatione 11. quæst. 3. puncto 48. à num. 25.* Sayrus. Bonac.

27. Notabis tamen nullam prædictarum pœnarum, quæ continentur in prædicto motu proprio Clementis VIII. aut aliorum Pontificum, quos omnes confirmat Clemens VIII. in suo incurrere illos, qui animo secum statuunt, ac deliberant, duellare, aut alios ad duella prouocare, quia tam ista constitutio Clementis VIII. quàm omnes aliorum suorum Pontificum prædecessorum constitutiones non puniunt duella mentalia, sed realia. Ita Nauarr. *consil. 1. lib. 5. de purgat. vulgari*, & Nauar. Flauius Cherubinus in recopilatione huius constitutionis Clementis VIII. in scholiis.

SVMMARIVM.

Per quas actiones duellorum pœnæ incurrantur. Quid sit duellum ex condicto. An liceat proprium honorem in duello defendere. Soluuntur alia dubia.

Quid sit duellum ex condicto. num. 28.

Duellantes, & se ad duella prouocantes solùm incurrunt pœnas duelli si actu duellum committant, quare si via aliqua duellum etiam in loco condicto impediatur, illas non incurrunt. num. 29. *Incurrent verò illas patrini illorum, socij, suasores, consultores, mandantes, instigantes, consilium, aut auxilium dantes, spectatores à consilio, non impedientes.* ibid. *Quid de prouocantibus.* ibid.

Quid de illis, qui dicunt, Veni ad talem locum, ibi te expecto, *& illùc eunt & pugnam committunt.* num. 30. *Quid si inter duos repente oriatur rixa, & vnus dicat alteri*, Distringue ensem, hîc sum. ibid.

Quid si inimicus stans in platea, & loco publico dicat inimico suo, Exi inde, eamus ad talem locum, *& alter exit ad locum, & pugnant.* numero 31.

Quid de illo, qui dixit alteri existenti in aliquo loco, Exi inde, hîc sum, *& exit, ac pugnam committunt statim.* num. 32. & 33.

An principes Christiani innodentur his pœnis, qui duobus infidelibus in suis terris locum ad duellum permittunt. num. 34.

An innodetur pœnis duelli illud acceptans effectu pugna non secuto. num. 35.

An spectatores illac transeuntes, & subsistentes dum duellum fit. num. 36.

An liceat propriam vitam, famam, & honorem defendere in duello, & illud acceptare ad ista defendenda. Refertur prima opinio affirmans. numero 37. 38.

Proponitur vera sententia. num. 39.

Quid quando aliquis iratus alteri dicit, Veni mecum, *& ille cum illo pergat statim.* num. 40.

An quando aliquis videt se iniustissimè in iudicio accusari, & certò scit se iniquissimè à iudice damnari, possit licitè accusatorem ad duellum prouocare. Refertur sententia affirmans. num. 41.

Refertur secunda negans, quæ earum sit probabilior. num. 42.

An reus ad mortem damnandus, vel ad mutilationem, &c. possit licitè duellum acceptare, vel ad illud prouocare, si ei iniquus iudex dicat se eum damnaturum, nisi duellum acceptet, vel ad illud prouocet. num. 43. 44.

An licitum sit principi quando duo sunt iustè ad mortem damnandi, duellum illis concedere. n. 45.

An duellorum acceptationes, & prouocationes sint licita inter milites vtriusque exercitus ad ostendendam fortitudinem nationis. num. 46.

An licitum sit duellum acceptare ad sciendam veritatem. num. 47.

Pacis

Pacificator duelli, qui alteri refert, alterum de pace illum non auditurum, nisi prius duellum acceptet, an pœnas incurrat. num 48.
An in illis casibus in quibus duellum est licitum, fas sit conditionem apponere, vt duellantibus nullus succurrat. num 49. & 50.
Pœna duellis imposita, alia sunt spirituales, alia temporales. num. 51.

28. NOtabis hic antequam actiones, & verba per quæ duellorum pœnæ incurrantur, explicemus, in prædictis omnibus constitutionibus relatis, & in Concilio Tridentino solùm duellum siue publicum, siue priuatum, modo iam explicato, ex condicto factum prohiberi. Rogabisque proinde, quid sit duellum ex condicto. Respondeo illa esse duella ex condicto, quæ ex condicto, seu pacto, statuto tempore, & in loco designato, & conuento committuntur, & fiunt, & illos huiusmodi duella prohibita committere, qui ex condicto, seu pacto, statuto tempore, & in loco conuento, singulare certamen ineunt. Patet ex Bulla Gregorij XIII. incipiente, *Ad tollendum detestabilem*, anno Domini 1582. expedita, ibi: *Authoritate Apostolica statuimus primo illos, qui ex condicto, statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini, sociique ad id vocati fuerint*. quibus verbis egregiè explicat Summus Pontifex, quid sit duellum ex condicto. Ita docet Delrius *lib. 4. disquis. magic. cap. 4 sect. 2.* & Sanchez *tomo 1. Decalog. lib. 2. cap. 39. num.* 28.

29. Notabis etiam, ipsos duellantes, & omnes prouocantes, qui se inuicem ad duellum prouocant, solum incurrere has pœnas, cum actu monomachiam committunt: vnde si via aliqua duellum impediatur in loco ad quem ex condicto conuenerunt, non incurrent illas. Patrini verò illorum, socij, fautores, omnesque duellum fieri mandantes, instigantes, consilium, vel fauorem dantes, & alia subsidia ad illud ministrantes, & ex composito spectatores, & locorum domini illud permittentes, aut quantum in se fuerit non impedientes, excommunicationes & cæteras pœnas incurrent, etiamsi duella actu non committantur. Patet ex verbis motus proprij Gregorij XIII. quia cum loquitur de ipsis duellantibus, & de his, qui se inuicem ad duellum prouocant, ita inquit: *Qui monomachiam commiserint*. Non dicitur autem duellum commissum, quando effectus pugnæ non est secutus. Cùm verò loquitur de patrinis, & aliis personis modò relatis, ita ait: *Volumus etiam, locorum dominos, si certamen ex condicto huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes, consilium, vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia huiusmodi subsidia scienter ministrantes, & ex composito spectatores, vel socios, vel patrinos quouis modo se præbentes, censuris & pœnis subiacere, etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserint, impediti, pugnam non commiserint, super illos non stetit, quominus illa committatur*. Patet etiam ex verbis Bullæ Clementis VIII. vt vidimus num 14. ibi: *qui suaserint, mandauerint*. &c. *qui ve in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet intermiscuerint, etiamsi nec pugna, nec certamen fuerit secutum*, & de ipsis duellantibus nihil loquitur; quare relinquit illos in terminis motus proprij Gregorij XIII. quem confirmat. ita docet Sanchez *tomo 1. Decalogi lib 2. cap. 39. num. 31.* Delrius *lib. 4. disquisit. magicar.*

Sanch. Delrius.

cap. 4 sect. 2. Sayrus *in thesauro lib. 3 cap. 31. n. 23.* At Filliucius *tractat. 29. num. 170* existimat prouocantes ad duellum etiam effectu pugnæ non secuto per Bullam saltem Clementis VIII. excommunicationem incurrere: intenditque id probare ex communi existimatione, quæ fuit apud peritos & Prælatos ab initio huius constitutionis, ex qua secuta est praxis & stylus Curiæ Romanæ. Sed Auctores allegati non habent hanc communem existimationem, nec ita sibi persuadent. De stylo Curiæ non nobis constat, & potuit fundari in sinistra persuasione, maximè quia stylus Curiæ quando non est scriptus ex natura sua est varius, vt alibi latè probauimus: & præterea Clemens VIII. confirmat in sua constitutione constitutionem Gregorij XIII. qui solùm voluit excommunicare illos, qui duellum actu commiserint, alioqui non confirmaret, sed hac in parte abrogaret. Et huius opinionis est Bonacina *tom. 3. disput. 2. quæst. 3 puncto 49. n. 41. fol. 383. col. 1.* ait enim pugnantes, seu duellantes non incurrere hanc excommunicationem, nisi actu pugnent.

Sayrus. Filliuc. Bonacina.

30. Ex dictis sequitur primò, innodari hac excommunicatione, etsi illius ignorantia excusentur, illos omnes, qui causa duellandi dicunt, *Veni ad talem, vel talem locum, ibi te expecto*, si ierint, & ibi duellauerint. Quia hi certum tempus constituunt, acceptant nempe illud ipsum præsens, sicuti (?) matutinum, vel vespertinum constituerent, designarentque certú quoque locum; quare est duellum ex condicto, seu ex pacto inuicem inito: conditum enim pactum circa locum, & tempus designatum, & acceptum significat. Ita docet Delrius *lib 4. disquisit. magic. cap. 4. sect. 2.* Sanchez *tomo 1. Decalog. lib. 2 cap. 39. num. 28.* Bonacina *tom. 3. de excommun. extra Bullam Cœnæ, disput. 2. quæst. 3, punct. 48. num 7.*

Delrius. Bonacina.

Si tamen incontinenti orta inter duos, vel plures rixa fuerit, & vnus dicat alteri, *distringe ensem*, & incontinenti pugnent, non est propriè duellum, nec illius pœnis subiacebunt, quia non fit ex condicto ad locum, & tempus designatum, & conuentum. Ita Flauius Cherubi. *in Recopilat. motus proprij Clementis VIII. num. penult.* Ioseph. Ludou. *in decis. Lucens. 11.* Farinacius *quæst. 119. num. 24. tomo 4 & cons. 9. num. 33.* Cardinalis Tuschus *in verbo, Duellum conclus. 803. num 17.* Patet ex verbis Clementis VIII. in suo motu proprio ibi, *ex condicto*, & Gregorij XIII. in suo, *qui ex condicto, statuto tempore, & in loco conuento ineunt singulare certamen*. Quæ omnia verba requirunt tempus, & locum conuentum, & plenam deliberationem circa illud, quæ omnia non dantur in repentina rixa. Secus si in rixa dicatur: *Veni ad talem locum, ibi te expecto*, aut, *eamus ad illum, vel illum locum*, & statim ambo ad illum iter arripiant, proficiscanturque, modò actu pugnent; quia tunc iam ad locum condictum, tempore destinato, nempe præsenti duellum acceptatur, atque committitur, vt supponimus.

Flauius. Farin. Tusch.

31. Sequitur secundò, quando inimicus est in platea, & loco publico, & alteri inimico suo dicit: *Exi inde, eamus ad talem locum, ibi rem armis decidemus, neque enim hic propter circumstantes, qui statim pugnam dirimerent, rem oportet decidere*, incurrere vtrumque his pœnis, si alter exeat ad pugnam, eaque secuta fuerit, secus si exeat, & ad locum destinatum pergant, & pugna secuta non fuerit, quia id verè est condicere locum, & tempus, & acceptare nempe illud præsens, vt diximus,

mus, & ex præmeditato inuitare ad pugnam. ita docet Farinacius *conf.* 9 *in fine, volum.* 1. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib* 2. *cap.* 39. *num.* 28. *in fine.* *Farin. Sanchez.*

32. Sequitur tertiò, non innodari huiusmodi pœnis illum, qui se offendenti dicit, vel existenti in aliquo loco, *distringe ensem, hîc sum, hîc te expecto:* id enim est propriè designare locum antecedenter; id enim solum fit, quando ex condicto, Hispanè *de acuerdo*, vel ex præmeditato locus designatur. Ita Sanchez *d. tom.* 1. *Decalogi*, *cap.* 39. *num.* 28. & patet ex dictis *num.* 30. *Sanchez.*

33. Similiter non incurrentur huiusmodi pœnæ quando offensus videns inimicum suum esse in Ecclesia, vel in loco sibi periculoso, v.c. in domo, vbi alter habet amicos, vel consanguineos, vel famulos ad eum iuuandum, eum ita affatur, *Exeunde, hîc sum*, & alter exit, & pugnam committunt: quia id non est designare locum, & tempus ad pugnam antecedenter, propriè loquendo, nec talis est intentio prouocantis, sed tantùm intendit irreuerentiam loci sacri, & proprium periculum præcauere. Ita Sanchez citatus *dicto num.* 28. & Delrius *lib.* 4. *disquisit. magic. cap.* 4. *sect.* 2. *Sanch. Delrius.* Sic non est etiam duellum quando duo in Ecclesia pugnam inchoarunt, & ob Ecclesiæ reuerentiam gladios non euaginarunt, sed egrediuntur, ibique pugnant, ex eo quòd hi non intendant duellare, sed extra Ecclesiam ob reuerentiam loci sacri pugnam in Ecclesia cœptam continuare. ita Bonacina *de excomm. extra Bullam Cœnæ, disp.* 1. *quæst.* 3 *puncto* 48. *num.* 8. *tom.* 3. *Bonac.*

34. Sequitur quartò, non innodari Principes Christianos his pœnis, qui duobus infidelibus concedunt in suis terris locum ad condictum duellum, quia Concilium Tridentinum *dict. sess.* 25. *cap.* 15. expressè dicit inter Christianos, & hi sunt extra Ecclesiam. Ita Sanchez *dicto tomo* 1. *Decalogi, cap.* 39. *num.* 29. *Sanch.* Innodari verò si concedant locum Christiano ad duellum cum infideli committendum, quia iam concedunt locum ad duellum Christiano. Ita Sanchez modò allegatus. Patet clariùs ex constitutione Clementis VIII. qui inter personas, quæ hanc excommunicationem incurrunt, nomerat militem Christianum duellum cum milite contrariæ partis ineuntem ob priuatam inimicitiam, etiamsi ille sit hostis fidei.

35. Sequitur quintò, non incurrere hanc excommunicationem acceptantem duellum effectu pugnæ non secuto. Patet ex dictis *num.* 29. & ex authoribus, & rationibus ibi allegatis, maximè, quia nusquam in breuibus & bullis relatis id expressum sit. Imò contrarium expressum sit in constitutione Gregorij XIII. ibi, *Si monomachiam commiserint.* Quare non sufficit, bellum acceptare, & ad locum condictum pergere si effectus pugnæ, quocunque modo impediatur, & non secutus fuerit. Contrarium tenet Filliucius *dicto tract.* 29. *cap.* 9. *num.* 176. *versu, Secunda dubitatio*, sed ad illius fundamenta iam respondimus *n.* 29. *Filliuc.*

36. Sequitur sextò, non incurrere excommunicationem spectatores, qui illac transeuntes duellum aspiciunt, vel subsistunt ad illud dirimendum, quia, constitutiones dicunt debere esse spectatores ex composito, seu ex proposito. Vnde Gregorius XIII. in sua const. ait, *ex proposito spectatores.* & Clemens VIII. in sua, *ex consulto, & condicto spectatores.* qui enim illac transeunt, non dicuntur à consulto, & composito spectatores. Ita Delrius *lib.* 4. *disquis. magicar. cap.* 4. *sect.* 2. *ad finem*, Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib* 2. *cap* 39. *numer.* 31. Filliucius *tract.* 29. *cap.* 9. *num.* 177. *Delrius. Sanch. Filliuc.* Illi verò, qui subsistunt ad dirimendum duellum, vel comitantur duellantes, vt pugnam impediant, cur illam incurrent? Cum actum licitum faciant, & plenum Christianæ charitatis? modò tamen quando nullam videot spem impediendi, statim recedant, ne præsentia sua animos addant duellantibus, aut eorum pugnæ fauere videantur. Ita Sanchez & Filliucius allegati. Qui verò causa iuuandi spectatores sunt, aut illos comitantur, sine dubio illam incurrunt etiamsi pugna non sequatur, quia velint, nolint, iam fiunt huius criminis socij, & se se huiusmodi duellis quomodolibet intermiscent, vt patet.

Dubium tamen est, an liceat propriam vitam, famam, & honorem in duello defendere, seu duellum acceptare, ad vitam tuendam, & defendendam famam, & honorem, qui amittitur ex non acceptatione talis duelli. Et verò non desunt aliqui, qui dicant licitam esse talem acceptationem ad tuendam vitam, quia vim vi repellere licet. At negandum omnino est, vt docent communiter Doctores, Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 8. Caietanus 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 8. *ad finem.* Filliucius *tract.* 29. *cap.* 8. *num.* 151. vbi citat Valentiam, & alios Petr. Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 28. & 29. Azor. *tom.* 3. *lib.* 2. *quæs.* 6. Fundamentum est, quia est diuersa ratio de defensione vitæ quando ab iniusto inuasore illam, cum occisione etiam illius, defendimus, atque de defensione vitæ per acceptationem duelli, quia inuasus aliter tueri non potest vitam suam, nisi occidendo inuasorem; at prouocatus potest illam aliter tueri absque vlla ignominia sua, vt statim dicemus, recurrendo ad iudices, & magistratus. Deinde, quia in duello non defenditur vita, imò periculo exponitur, & aleæ fortunæ; nam duellum solum dicitur, quando ex condicto ad certum locum, & tempus pugna indicitur, & acceptatur; per acceptationem autem talis pugnæ non defenditur vita, sed magis periculo mortis exponitur; vnde non cogitur quis illud acceptare ad tuendam vitam; & ideo quando aliquis esset ita prouocatus, vt aliter tueri vitam non possit, nisi se defendendo, & occidendo prouocantem, tunc quidem esset defensio vitæ licita, non acceptatio duelli, vt patet. 37. *Sanch. Caiet. Filliuc. Nauarr. Azor.*

Circa defensionem honoris, & famæ, quæ amittitur ex non acceptatione duelli, & per acceptationem illius talis ignominia depellitur, non desunt etiam aliqui qui ausint affirmare licitam esse talem acceptationem. Primò, quia si vir nobilis, aut miles prouocatus ad duellum, illud renuat, infamiam contrahit: nemo autem tenetur se infamare. Secundò, quia præceptum tuendi honoris, & famæ, est præceptum diuinum; & sic magis obligat quàm præceptum humanum vitandi, & non acceptandi duellum. Tertiò, quia prouocans ad duellum, ideo prouocat alterum ad illud, vt illi auferat honorem, & ei vertatur ignominiæ, si illud non acceptet; at quando honor aliter defendi nequit, nisi inuasorem illius occidendo, licet illum occidere, vt suprà diximus *cap.* 3. *num.* 20 & 21. Ergo licebit etiam acceptare duellum ob defensionem proprij honoris, si aliter illum defendere non possumus, nisi illud acceptando. Quartò, quia fas est inuaso inuasorem occidere, vt honorem tueatur, quando fuga sibi ignominiosa est, vt suprà diximus, etiamsi ipsa fuga vitam possit tueri: at maior ignominia est, duellum oblatum non acceptare, quàm fugere. Quintò, quia acceptans per acceptationem 38.

spem

ſpem ponit in armis, in arte, & dexteritate pugnandi; cur ergo ei non licebit hanc ſpem in his ponere ad vitandam ignominiam, quæ ex repulſa,& non acceptatione duelli ei reſultat?

39. Nihilominus dicendum eſt non eſſe licitum duellum acceptare ob defenſionem honoris, ſeu ad depellendum dedecus, quod cuiquam ex non acceptatione reſultat, & incurrere excommunicationem & cæteras pœnas duelli, qui illud acceptant, quantumuis prouocati ſint. Hanc tenent communiter DD. Sanchez *tom.* 1. *Decalog. cap.* 39. *num.* 9. Azor *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. *quaſ.* 6. Filliucius *tract.* 29. *cap.* 8. *num.* 147. *&* 152 Petrus Nauarra *lib.* 2. *de reſt. cap.* 3. *num.* 286. Bañez 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 3. vbi tamen dicit primam opinionem videri aliquibus probabilem, ſed illos non allegat, & ſic credere licet, videre non licet. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 83. Caietanus 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 8. *circa ſolutionem, ad* 3. *in caſu* 3. *& in ſumm. verb. Duellum*, vbi Armilla *num.* 1. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 8. *verſu, Quod ſi hinc.* Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 17. *puncto* 1. *in* 2. *cauſa.* Petrus de Ledeſma *tom.* 2. *ſummæ, tract.* 8. *cap.* 18. *poſt concluſ.* 9. *difficult.* 4. Manuel Rodriguez *tom.* 1. *ſumma, in* 2. *edit. cap.* 73. *num.* 1. Nauarrus *in ſumm. Latin. cap.* 11. *num.* 39. Azeued. *lib.* 8. *recopilat. tit.* 8. *l.* 10. *num.* 18. Fundamentum eſt, quia ille, qui non acceptat, non ideo honorem, aut famam amittit, nec ei aliqua ignominia apud prudentes, & cordatos viros inde oritur; facilè enim reſpondere poteſt, ſe paratum eſſe ad acceptandum, niſi eſſet per Eccleſiam prohibitum; licet enim id tunc apud leuiuſculos adoleſcentes ignominiæ vertatur, non tamen apud prudentes, & cordatos viros, fama autem, & honor ex horum potiùs exiſtimatione pendet, quàm ex illorum. Vnde non eſt ſimilis de fuga, quando aliquis alium inuadit, quia ex fuga apud prudentes etiam, & cordatos viros ignominiæ vertitur. Secundò, quia ſi ob defenſionem honoris, & famæ, quæ ex non acceptatione illius reſultat, liceret acceptare duellum, liceret etiam ad illud prouocare; cum hæc correlatiua ſint; nullus autem auctor hactenus hoc auſus eſt concedere. Tertiò, quia ipſe prouocans per actum prouocationis, non intendit ignominiam inferre prouocato, nec illum honore ſuo ſpoliare; nec ex natura rei ignominia ſequitur prouocato, ſi non acceptet, ſed per accidens ex malitia hominum leuiſſimorum, qui quod virtuti, & laudi tribuere debebant, tribuunt ignominiæ; quare cùm prouocans non intendat per prouocationem iniuriam inferre, aut ignominiam incurrere prouocato, nec ex natura rei ea ſequatur ex tali non acceptatione, clarum manet, nunquam poſſe eſſe licitam talem acceptationem ad defenſionem honoris, & depulſionem iniuriæ, & dedecoris, quod inde per accidens reſultat, imò nec per accidens reſultat apud prudentes viros, ſed apud leuiuſculos tantùm, vt docet Leſſius citatus *dub.* 12. *n.* 84. fundamenta primæ opinionis iam ſoluta manent ex his fundamentis huius ſecundæ.

Sanch. Azor. Filliuc. Nauar. Bañez. Leſſius. Caietan. Armill. Sotus. Valent. Ledeſm. Rodrig. Nauar. Azeued.

40. Rogas autem, an quando quis iratus vocat alium, ei dicens: *Exi hic, volo te ſeorſum paucis conuenire*, liceat exire, & cum illo ſimul ire. Reſpondeo cum diſtinctione; ſi vocatus credit probabiliter, & moraliter certus eſt, ſe ſuis verbis poſſe iratum placare, licere; aliter non licere; quia id eſt, condicere certum locum, nempe illum ad quem pergunt, & certum tempus deſignare, nempe illud ipſum præſens, atque adeo eſt acceptatio duelli. Ita Bañez 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 3. *in ſolut. ad* 3. & Sanchez *tom.* 1. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 39 *num.* 11.

Bañez. Sanch.

41. Rogabis etiam, an quando quis videt ſe iniuſtè in iudicio accuſari, & moraliter certò præuidet ob iniquitatem iudicis, & accuſatoris, ſe fore iniquiſſima ſententia ad mortem, vel membri mutilationem damnandum, vel ad amiſſionem bonorum temporalium magni momenti, poſſit licitè ad duellum accuſatorem prouocare, vel illud ab eo indictum acceptare. Et hac de re partita eſt ſententia. Prima affirmat Ita Sanchez *tom.* 1. *Decalog. lib* 2. *cap.* 39. *num.* 7. Bañez 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. *in corpore, & in ſolut. ad* 2. Manuel Rodrig. *tom.* 1. *ſumma, in* 2. *edit. cap.* 73. *num.* 1. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de reſt. cap.* 3. *in* 2. *p. dub.* 13. *in noua edit. num.* 289. *&* 290. Caietan. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *circa ſolut. ad* 3. *in* 4. *cauſa, & in ſumma, verbo, Duellum.* Valentia 2. 2. *diſput.* 3. *quæſt.* 17. *punct.* 1. *col.* 2. *verſu, Eſt autem aſſertio.* Nauarrus *in ſumm. Lat. cap.* 11. *num.* 39. *& cap.* 15. *num.* 9. Azor *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. *quæſ.* 10. *verſu, In hac re dico.* At Caietanus, vt hoc liceat, requirit licentiam Principis; Sanchez tamen, & Petrus Nauarra, & ferè omnes alij meritò illam reiiciunt. Fundamentum eſt primò, quia hoc verè, & propriè loquendo non eſt duellum, ſed licita, & iuſta defenſio, quam ius naturale in rebus magni momenti omnibus concedit; nihil enim in re ipſa differt, velle me occidere propriò gladio, an alieno, nempe iudicis, falſis criminationibus. Secundò, quia in anguſtiis, & perplexitatibus licet eligere minus malum ad vitandum maius, quando maius electione minoris effugi poteſt, & aliter non poteſt; at minus malum eſt ſubire dubiæ mortis periculum in duello, quàm pati ipſam mortem iniuſtam certò, & infallibiliter ob iniuſtiam iudicis, & calumniatoris ſubeundam; & quamuis aliqui Doctores ſolum dicant in ea caſus contingentia licere ſolummodo acceptare duellum, non tamen ad illud prouocare, vt Caietanus allegatus; at tam de acceptatione, quàm de prouocatione, loquuntur Sanchez, Valentia, & ferè reliqui, quia eiuſdem rationis eſt ad duellum prouocare, & illud acceptare, ſunt enim hæc correlatiua; quamobrem, ſi vnum licet, licere alterum neceſſe eſt.

Sanch. Bañez. Rodrig. Nauar. Caiet. Valent. Nauar. Azor.

42. Secunda negat omnino: eam tenent Abulenſis 1. *Regum cap.* 17. *quæſt. vltima*, Salon. 2. 2. *q.* 64. *art.* 3. *controuerſia* 3. Fundamentum illorum eſt, quia ille ſolus eſt iuſtus ſui defenſor, qui inuitus ad pugnam cogitur ab inuaſore; hic autem ſi duellum antecedenter oblatum acceptet, ſponte, ex præmeditato, & non inuitus acceptat; ſi verò prouocat, ſponte ad illud prouocat: quare ſiue ipſe prouocet, ſiue prouocatus acceptet, non tanquam iuſtus ſui defenſor excuſandus eſt, ſed tanquam iniuſtus prouocator, & acceptator damnandus. Iſta ſecunda opinio non eſt improbabilis. Prima tamen probabilior videtur, & plures authores habet; videtur enim is eligere minus malum ad vitandum maius, vt prima docet; nec is antecedenter voluntariè, & ſpontaneè prouocat, aut acceptat, ſed prouocatus, & inuoluntariè, quia nullum aliud remedium habet, vt dictum manet.

Abulenſ. Salon.

43. Simile dubium eſt, an ſi iniquus iudex ei, qui falſis criminationibus accuſatur, dicat, ſe eum pro conuicto habiturum, & ad mortem, mutilationem, aut amiſſionem bonorum magni momenti damnaturum, niſi duellum ſuſcipiat, vel illud

acceptet, vel ad illud prouocet, licitè possit huiusmodi reus innocens illud acceptare, vel ad illud prouocare. Et idem est, quando iniquus iudex falsò criminatum, & innocentem hominem damnat, vt vel duellum suscipiat, quo se ab obiecto crimine purget, vel vt mortem subeat, aut iniustam damnationis sententiam in rebus temporalibus magni momenti. Et hæc etiam de re partita est sententia. Prima negat. Ita Syluester *in verbo, Duellum, quæst.2.* vbi pro hac parte citat Hostiensem, Goffredum, Supplementum & Rosellam. Henricus *quodlibet. 5. quæst. 32.* Abulensis 1. *Reg. cap. 17. quæst. vltim.* D. Anton. 3. *part. tit.4 cap vlt. §. vlt.* Tabiena *verbo, Duellum, q.1. num 4* Armilla *num. 5* Fundamentum illorum est, quia ille reus innocens iniuriam non patitur ab eo, cum quo in duellum descendit, sed à iudice; non ergo illud ei licet acceptare, cum eo tertio verè innocente, & eius vitam periculo exponere.

Sylueſt. Henric. Abulenſ. Tabien. Armill.

Azor *tom. 3. lib. 2. cap. 5. quæst. 10. §. in hac re,* ait in causa criminali, si damnatio est ad mortem, vel ad mutilationem membri, probabile esse, id esse licitum. In causa tamen, & pro defensione honoris, vel rerum temporalium magni momenti, ait probabilius sibi videri, quòd non sit licitum, quia sic plures sentiunt, at probabile etiam esse oppositum, quia multi affirmant licitum esse cuique vitam periculo mortis exponere pro defensione sui honoris, & rerum suarum, magni momenti.

Azor.

44. Secunda tamen sententia affirmat in vtraque causa tam criminali, quàm ciuili; & pro defensione honoris, & prædictorum bonorum temporalium hoc licitum esse. Hanc tenet Angelus *verbo, Duellum 2.* Toletus *lib. 5. summæ, cap. 6. num 32.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. in 2. part. dub. 13. in noua edit. num. 295.* Nauarrus *in summa Latin. cap. 11. num. 39. & cap. 15. num. 9.* Caietan. 2. 2 *quæst 95. art 8. circa solutionem, ad 3.* Valentia 2. 2. *disp. 3. quæst. 17. punct. 1. col. 3.* Sanchez *tom. 1. Decalog. lib 2. cap. 39. num. 4. post medium.* Azor citatus, & alij, inter quos est Filliucius *tract. 29. cap 8. n. 109.* Bonacina *tom. 3. de excomm. extra bullam cœnæ. disp. 2. quæst. 5. punct. 48. n. 18. versu, Hinc sequitur.* Fundamentum est Primò, quia etsi innocens non patiatur iniuriam ab illo tertio, cum quo in duellum descendit, sed à iudice, & accusatore; tamen videtur habere tuitius, vt aduersus iudicis iniustiam & iniquam sententiam se defendat, mutans certam mortis sententiã in dubium duelli: maximè quia in eo casu plus se ipsum, quàm alium diligere potest, cum iniquus iudex tertio illo tanquam instrumento ad exequendam iniquam sententiam vtatur. Vnde potest tuta conscientia huiusmodi innocens acceptare, & prouocare ad duellum, non ea praua intentione, qua illud sibi offert iudex, sed intentione tantùm se defendendi; & non solùm id potest efficere in causa criminali vitæ, vel membri, sed etiam, in causa ciuili famæ, vel honoris, & cùm honor, & fama æquè, ac vita æstimetur, & in causa bonorum temporalium magni momenti, à quibus vita pendeat; vt iam suprà diximus *cap. 3. num. 11.* vbi id latè probauimus.

Angel. Tolet. Nauarr. Caiet. Valent. Sanchez. Filliuc. Bonac.

45. Affine etiam huic dubio est illud: An licitum sit Principi, quando duo sunt iustè ad mortem damnati, pugnam illis concedere, vt qui in duello victor euaserit, vita, & libertate donetur. Respondeo id non esse licitum Principi. Ita Azor *tom. 3. lib 11. cap. 5. quæst. 8.* id enim apertè prohibent bullæ de duello à Romanis Pontificibus expeditæ: tùm enim id esset concedere duella, & loca ad illa: & insuper esset contra iustitiam velle iustè ad mortem damnatum medio iniquo à iusta executione sententiæ liberare.

Dubium etiam est, an licitæ sint huiusmodi duellorum acceptationes, & prouocationes inter milites vtriusque exercitus, ex consensu ducum cum spectatoribus, & patrinis. Et breuiter, ac resolutiuè respondendum est, non licere si voluptatis causa tantùm fiant, vel ad robur militum tantummodo ostendendum ob inanem gloriam; in his enim circunstantiis illicitum prorsus est duellum, tam ex parte prouocantium, quàm acceptantium, quia nefas est medio tam periculoso, & atroci ob tam vanum finem vti. Ita docet Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 295.* Caietanus 2. 2. *quæst. 95. art. 8. circa solut. ad 3. in secunda causa, & in summ. verb. Duellum,* & ibi Armilla *num. 1.* Nauar. *in summ. Lat. cap. 15. fine, & num. 17.* Delrius *lib. 4. disquisit. magic. cap. 4. q. 4. sect. 2. ad finem.* Valentia 2. 2. *disput. 3. quæst. 17. punct. 1. in causa 5. & 6.* Manoel Rodrig. *tom. 1. summa, in 2. edit. cap. 37. num. 2.* 46.

Nauar. Caiet. Armil. Nauar. Delrius. Valent. Rodrig.

Licere verò. Primò, si bellum resoluatur in duellum, duorum, trium, vel decem, cum numero pari, vel impari, quia tunc duellum succedit loco belli, & sic tam ex parte acceptantis, si bellum ex parte est iustum, quàm ex parte prouocantis, si bellum similiter ex hac parte iustum est, tale duellum est iustum. Ita Delrius, & Petrus Nauarra modò citati. Caietanus *in summa, verbo, Duellum.* Menchaca *illustr. controuers. lib. 1. cap. 48. num. 18.* Azeued. *lib. 8. recop. tit. 8. l. 10. num. 6.* Valentia proximè allegatus. Azor *tom. 3. lib 2. cap 5. quæst. 4.* Nauarr. *in summ. Lat. cap. 15. num 9. & 27.* Sanchez *lib 2. Decalog. tom. 1. c. 39. num. 14. & 16.* Vnde in eo casu, & circunstantia, in qua Princeps bellum iustum gerens, videt se viribus imparem esse ad bellum committendum, & timet, ne in pleno bello succumbat, & si duello res committatur, spes illi est fore vt victoriam obtineat, potest acceptare, & prouocare ad duellum, inito pacto, vt belli alea committatur certamini paucorum ex vtraque parte; tunc enim iure belli resoluitur in duellum, & prudenter agit ruinam ferè certam in spem victoriæ transferens, vt patet. Secundò, quia licet huiusmodi duella ab hostibus oblata acceptare, & ad illa prouocare principaliter, & per se primò ad conseruandam bonam famam virtutis militaris in militibus; conducit enim hoc plurimum ad victoriam comparandam; quia si non acceptentur, reddentur hostes animosiores, putantes nostros timidos esse, & præ timore effugere certamen. Sic Dauid acceptauit certamen singulare cum Golia 1. *Reg. 27.* Ita Nauarrus, Nauarra, Valentia, Sanchez, & Rodrig. allegati, Nicolaus de Lyra *in glossa super 1. Regum, cap. 27.* Et quamuis Syluester *verbo, Duellum, quæst. 8. § 4* simpliciter dicat non esse licitum resoluere bellum in duellum; tamen contrarium est verius, vt patet; nam ratio ob quam duellum prohibetur, est ne iustitia innocentis pereat, & in hac circunstantia, de qua agimus, magis potest illa perire in pleno bello, quàm in duello, vt ex dictis patet.

Caiet. Menchac. Azeued. Azor. Nauar. Sanch. Golia. Lyra. Sylueſt.

Dubitabis etiam an licitum sit acceptare, vel prouocare ad duellum ad indaginem veritatis, & purgationem calumniæ impositæ, & vt Deus per illud manifestet veritatem. Respondendum est 47.

omnino

omnino negatiuè; quia est tentare Deum, & miraculum frustra ab illo expectare. Ita Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 28. & 29.* & patet ex cap. *Monomachiam 2. quæst. 5.* & ex cap. 1. & 2. *de purgatione vulgari*; tenet Caietanus 2. 2. *q. 95. art. 8. causa 3. dub. vlt.* Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 8.* Et idem dicendum est de impositione manus in ferro candenti, & aqua feruenti, vt habetur in cap. *Consuluisti 2. quæst. 4.* quia vt dixi id est, tentare Deum, & velle, vt miraculum faciat absque necessitate, cum veritas possit aliunde constare, & periculum est, ne innocens pereat, & id tanquam superstitiosum damnat omnino D. Thom. 2. 2. *quæst. 95. art. 8. ad 3.* Henricus *quodlibet 9. quæst. 32.* & Sanchez *tom. 1. Decalog. lib. 1. cap. 39. num. 3.* vbi bene aiunt huiusmodi duellum, & modum certaminis ad indagandam veritatem esse ex genere suo malum, & modum mendacij in testimonium proprij iuris, & innocentiæ defendendæ assumptum: quod non est de se aptum ad eum finem ostendendum, cum sæpè iustissimam causam tuentibus accidat succumbere in duello, vt dicitur *in cap. 2. de purgat. vulgari.*

Caiet. Sotus.

48. Dubitant quoque Doctores, an ille ligetur pœna excommunicationis duello, & suasoribus illius imposita, qui pacificator est duorum, vel plurium à se inuicem odio dissidentium, quando vnus respondet se nequaquam illum de pace auditurum, nisi priùs aduersarius secum in duellum descendat, & responsum alteri refert? Respondeo, mihi videri incurrere. Ita Paulus Comitolus *lib. 4. quæst. 14 art... num. 18.* & patet ex illis verbis constitutionis Clementis VIII. ibi: *Quive in præmissis, vel eorum aliquo, se quomodolibet immiscuerit, etiamsi neque certamen, aut effectus, aut accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, neque aperta prouocatio subsecuta fuerit:* quanto igitur magis, quando prouocatio aperta data fuit, vt hîc fuit ad quam prædictus pacificator aliqua ratione nauauit operam inferendo aduersario prouocantis prouocationem illius?

Comitol.

49. Vltimum dubium est, an in illis casibus in quibus duellum est licitum, fas sit conditionem apponere, vt nullus ex circunstantibus, opem duellantibus ferat; videtur enim contra charitatem esse, non succurrere succumbenti in extremo vitæ periculo. Resoluendum tamen est, si duellum sit ob defensionem vitæ, vel rerum innocentis, & adhuc nocens nolit desistere, licitum esse eam conditionem ponere, & acceptare, & teneri circunstantes iniquo inuasori succumbenti opem non ferre, cum ex parte illius bellum iniustum sit, quia tunc peccatum iniustitiæ erit, illi cooperari: si verò innocens succumbat, tenentur illi succurrere, quia ex parte illius est iniusta conditio; nam quando duellum est illicitum, illicita quoque est conditio. Ita resoluit Sanchez *tom. 1. Decalog. lib. 1. cap. 39. num. 17.* & Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 13. dub. 13. in noua edit. num. vlt.*

Sanch. Nauar.

50. Quando verò bellum commune inter duos exercitus resoluitur in duellum ex pacto, an etiam tunc licitum sit apponere conditionem, vt decertantibus nullum ferant auxilium, etiamsi succumbat altera pars, est dubium. Cui respondet Sanchez allegatus affirmatiuè, etiamsi pars succumbat, quæ iustum bellum gerit, imò addit quod quamuis ea conditio expressè non addatur tali duello, censeri semper tacitè in eo apposita; & ideo teneri milites vtriusque factionis succumbentibus opem non ferre, quia quamuis ex parte iniustè bellantium ea conditio iniqua sit, tamen bonum commune, quod in omnibus præferendum est, postulat, vt fides hostibus seruetur maximè in rebus ad bellum pertinentibus.

Notabis autem ad finem circa pœnas impositas duellis & duellantibus iure nouo Concilij Tridentini, & aliorum Summorum Pontificum Pij IV. & Gregorij XIII. & Clementis VIII. quasdam esse spirituales, quasdam verò temporales. Spirituales sunt quinque. *Prima*, est excommunicatio latæ sententiæ Summo Pontifici reseruata. *Secunda*, priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, si in duello decesserint. *Tertia*, interdictum pro locis in quibus scientibus dominis illorum, duellum commissum est. *Quarta*, priuatio dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, si fuerint personæ Ecclesiasticæ. *Quinta*, inhabilitas ad illa, & alia obtinenda. Temporales sunt etiam quinque. *Prima*, est priuatio statuum, & dominij pro iis principibus, qui sunt subiecti Romanæ Ecclesiæ; vel priuatio iurisdictionis, & dominij eius loci, in quo duellum committitur pro aliis principibus non subiectis. *Secunda*, crimen læsæ maiestatis. *Tertia*, rebellio. *Quarta*, confiscatio omnium bonorum. *Quinta*, perpetua infamia. Omnes pœnæ temporales egent iudicis sententia declaratoria criminis, vt incurrantur, vt iam diximus suprà *num 9. 11. 16. & 17.* 51.

Circa pœnas spirituales certum est pœnas excommunicationis, & interdicti, quia sunt latæ sententiæ, suam secum afferre executionem, & nulla indigere alia sententia. Infamia, proscriptio omnium bonorum, amissio loci, & dominij, in quo duellum committitur, exigunt iudicis sententiam, quia sunt pœnæ, quæ priuant iure acquisito, nec solent incurri ante sententiam iudicis, vti diximus *num 9.* Idem de pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ: nam cum omnes fideles ius habeant acquisitum, vt sepeliantur in locis sacris, similiter requiret hæc pœna iudicis sententiam, vt incurratur, vt diximus *dicto num 9.* Ratio est, quia priuatio sepulturæ non infligitur per modum censuræ, sed per modum iustitiæ vindicatiuæ distinctæ à censura. Et idem dicendum est de priuatione beneficiorum obtentorum: similiter enim requirit iudicis sententiam, cum priuet iure iam acquisito, vti diximus *dicto n 9. & cap. 2 num. 6.* De inhabilitate ad alia obtinenda, est specialis quæstio, & dubitatio, quam resoluimus *num. 11. & 12.* pro parte affirmatiua, vbi iuxta probabiliorem, & receptiorem hodie sententiam, diximus requiri iudicis sententiam.

CAPVT IX.

An quando plures vnum occidunt, & ignoratur occisor, omnes sint eadem pœna puniendi, & omnes culpandi, an omnes accusandi: & quatenus excusetur vulnerans, & occidens allegans vulneratum ex incuria Medicorum, & propria negligentia decessisse.

SVMMARIVM.

Refertur prima sententia dicens omnes esse ad mortem damnandos quando plures vnum occidunt, & ignoratur,

ignoratur, qui eorum occiderit. num. 1.

Refertur secunda negans, sed pœna arbitraria esse puniendos. num. 2.

Quid si omnes homicidium à proposito, & insidiosè commiserint. num. 3.

Quid si omnes socij, & cooperatores fuerunt homicidij à proposito. num. 4.

Quid quando homicidium commissum fuit à pluribus in rixa repente orta. num. 5.

Quid quando dubitatur an fuerit commissum homicidium à proposito, an in rixa repente orta. numero 6.

Qua pœna puniendus sit homicida, quando vulneratus obijt, vel ex culpa sua, vel ex negligentia medicorum. num. 7.

Quæ & qualis negligentia medicorum, vel malè regiminis ægroti sit sufficiens, vt ea mors non imputetur percutienti. num. 8.

Quid quando constat vulnus de se fuisse mortale. num. 9.

Quid quando non constat mortale fuisse. num. 10.

Quid in dubio, an mortale, vel non mortale fuerit. num. 11.

An irregularis fiat vulnerans, si vulneratus obeat ex negligentia medicorum, & propria incuria. numero 12. & 13.

Quomodo possimus agnoscere, an vulnus fuerit leue, an mortale. à num. 14. vsque ad 17.

Quæ signa indicent vulneratum non ex vulnere, sed ex propria incuria obijsse. num. 18.

An probata imperitia chirurgi censeatur probatum vulneratum ex illa obijsse. num. 19. & 20.

1. CIrca primam partem tituli variæ sunt sententiæ. Prima docet omnes esse ad mortem damnandos, quando plures vnum occidunt, & ex cuius vulnere obierit, ignoratur. Ita docet Glossa *in cap. 1. de officio delegati, verb. Pars pœnæ.* Innocentius *ibi, num. 1. versu, Tertius est consensus.* Hostiensis *num. 7. in fine.* Anchatran. *num. 4* Butrius *num. 10.* Ananias *num. 5. col. 3. versu, Tertium membrum* Felinus *num. 13.* Decius *num. 61.* Corneus *consil. 8. colum. 1.* Socinus *consil. 188. num. 3. post medium. lib. 2.* Augustinus ad Angel. *de malef. in verbo, Dicto maleficio semper astitit, post numerum 13* Cæpolla *consil. 34 num. 12. & 15.* Marsilius *in l. Si in rixa, num. 29. versu, Et ideo scias, ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Blancus *in pract. criminal. post num. 4 §. postquam vidimus, fol. 118.* Placa *in epitome delictor. lib. 1. cap. 17. n. 10. versu, Cursus fulcitur, fol. 171. in fine.* Textus expressus *in l. Vulgaris, §. si duo, ff. de furtis, & in l. Si ita vulneratus, §. finali, ff. ad legem Aquiliam, & in l. Si plures serui. ff de extraordinarijs crimin.* ibi: *Si plures serui aliquem simul occiderint, aut conuitium aliquod fecerint, singulorum proprium est maleficium* Ergo, & singulorum propria debet esse pœna. Patet etiam ex *l. Item Mela, ff. ad legem Aquiliam,* vbi de pluribus vnum occidentibus, in §. *Sed si seruum plures percusserint,* inquiritur verùm omnes quasi occiderent, teneantur. Et respondet Iurisconsultus: *Si apparet cuius ictu perierit; ille, quasi occiderit, tenetur. Quod si non apparet, omnes quasi occiderint, Iulius ait teneri, & si cum vno agatur, cæteri non liberantur; nam ex l. Aquilia, quod alius præstitit, alium non releuat, cum sit pœna,* hæc ibi Iurisconsultus. Quasi diceret, si ageretur de interesse, aut de restitutione damni, quod plures vni dederunt, cum omnes tenerentur in solidum ad eam restitutionem; vnius restitutio alios liberaret, vt patet ex *l. Vulgaris, ff. de furtis, §. si duo,* vbi dicitur omnes fures teneri in solidum ad restitutionem furti, etiamsi vnus solus illud tulerit, & consequenter restitutione vnius cæteros liberari, ibi: *Si duo pluresve vnum tignum furati fuerint, quod, & singuli tollere non potuerunt, dicendum est eos omnes furti in solidum teneri.* Et ratio est, quia tunc agitur de interesse, & restitutione furti, & non de pœna: quare generaliter de pluribus quodcumque delictum, vel publicum, vel priuatum committentibus ait Petrus Cabelli *in resol. crim. casu 198. num. 1. & sequentibus,* omnes in solidum teneri ad eandem pœnam, vt principales, vbi optimè hanc materiam discutit. Fundamentum est primò, quia quando plures committunt vnum mortis delictum, vel quodcumque aliud crimen, pœna vnius alium à propria pœna non liberat, nec vnus luit pro alio; quare omnes æqualem pœnam, cum omnes æquales fuerint in delicto, subire debent, iuxta dispositionem legis *Si quis id, quod §. finali, ff. de iurisd. omn. iudicum,* ibi: *Si vterque dolo malo fecerit, ambo tenebuntur, nam etsi plures fecerint, vel corruperint, vel mandauerint, omnes tenebuntur; adeo quidem, vt non sufficiat, vnum quidem eorum pœnam luere,* & glossa ibi, *verbo, Non sufficiat, quia, ait, in pœna vnius alterum non liberat.* Secundò, quia cooperatores, auxiliatores, & omnes, qui opem præstant ad delictum, omnes eadem pœna puniuntur, qua punitur principalis delinquens, vt est communis opinio, quam multis allegatis sequitur Iulius Clarus *in practica, § finali, quæst 90. num. 1.* vbi asserit omnes DD. consentire, ac conspirare in hanc rem. Tertiò, quia ita expedit, vt pax publica in Republica conseruetur; nam metu eiusdem pœnæ, quam cum principali auctore, quisquam luiturus est, nemo delinquentibus animum addere, in delicto sociare audebit, & sic nec tam frequenter, tam grauia, & atrocia delicta in Republica committentur.

Glossa. Innoc. Hostiens. Anchar. Butrius. Ananias. Felin. Decius. Corn. Socin. Angel. Cæpol. Marsil. Blancus. Placa.

2. Secunda sententia docet, nullum esse ad mortem damnandum, quando plures vnum occidunt, & nescitur ex cuius vulnere obierit, sed omnes pœna pecuniaria, aut exilij, arbitrio iudicis puniendos. Ita docet Nata *consil. 140. num. 9.* Alexand. *consil. 15. col. 2. in fine. lib. 1.* Glossa *in l. Item Mela, in verbo, Percusserunt, ff. ad legem Aquiliam,* & ita communi omnium calculo receptum esse testatur Roland. à Valle *consil. 63. num. 10. lib. 2.* Angel. *de maleficijs, in verbo, Et Andreas, num. 11.* Alciatus *de præsumpt. in 3. regul. præs. 44. num. 4.* Placa *lib. 1. delictor. cap. 12.* Grandin. *in titul. de homicid. num. 7.* vbi docet sapientes Bononiæ satis hanc quæstionem disputasse, & tandem resoluisse auxiliatores non debere puniri eadem pœna, qua præcipuus auctor delicti, sed abitraria iudicis, Bonifac. *de furtis, § 3. in verbo, Contrectatio, num. 78. vers.* vbi ait se semper vidisse hanc opinionem in iudiciis obseruari. Tenet denique Ananias *in cap. Sicut dignum, de homicid. §. illi etiam, num. 5.* Aretinus *§. interdum 2. num. 5. Inst. de oblig. quæ ex delicto nascuntur,* & alij plures, quos citat Farinacius *tom 4. quæst. 181. esinl. §15. num. 2.* Rationes, quibus hæc opinio innititur, hæc sunt. Primò, quia iniustum videtur, quod vnius mors plurimorum morte vindicetur, sequerentur enim multorum strages, & Respublica defraudaretur multis ciuibus sibi vtilissimis, si plures ob vnius mortem essent ad mortem damnandi. Secundò, quia ob incertitudinem occisoris, si plures occidendi forent, innocens aliquis periret; & magis expedit

Nata. Alexand. Glossa. Valle. Angel. Alciat. Placa. Grandin. Bonifac. Ananias. Aretin. Farin.

expedit delicta minùs punire, quàm innocentes
damnare in Republica. Tertiò, quia iura, quæ
decernunt omnes auxiliatores eadem pœna esse
puniendos, tanquam principales authores, con-
siderant aliquas circunstantias graues in delictis,
quæ meritissimò eandem pœnam demerentur;
at seclusis huiusmodi circunstantiis, nolunt iura
æquè sæuire in auxiliatores suis pœnis, atque in
auctores.

3. Ad maiorem tamen intelligentiam huius quæ-
stionis, quæ de se satis difficilis est, distinguendi
sunt tres casus. *Primus* est, quando homicidium
ex proposito, & dolo cum atrocibus, sæuis, &
insolitis, ac inauditis circunstantiis committitur;
& in hoc casu procedit prima opinio, quæ ait
omnes eadem pœna mortis esse damnandos,
quando plures vnum occidunt, & ignoratur, ex
cuius vulnere obierit, siue defunctus ex vno tan-
tùm vulnere, siue ex pluribus obeat, & siue con-
stet quòd vnum tantum fuerit lethale, & cætera
non lethalia, siue etiam constet quòd omnes vul-
nerauerint, siue non constet, sed de hoc sit du-
Placa. bium. Ita expressè docet Placa *lib. 1. de delict.*
Couar. *cap. 12. num. 1.* Couarr. *in Clement. si furios. de ho-*
Iul. Clar. *micid. fol. 292. num. 3.* Iulius Clarus *lib. 5. sent. §.*
homicidium, num. 37. vbi dicit omnes pari tortura
debere torqueri, & pari pœna mortis. Sed Placa
ait omnes pari tortura esse torquendos, non ta-
men omnes pari mortis pœna esse damnandos.
Alexand. Alexander *in addit. ad Bartol. in l. Is, qui opem,*
litera D. verbo, Qualiter puniatur, ad finem addit.
cum Iulio Claro consentit. Cum illo etiam con-
Alberic. sentit Albericus *in l. Qui seruo, lect. 2. num 2. ff.*
de furtis. Et ratio est, quia negari non potest, quin
etiam illi, qui non occiderunt, præstiterunt au-
xilium occidentibus, & indubitata res est apud
auctores; quod in atrocissimis delictis omnes
præstantes auxilium ad mortem damnentur; qua-
les autem, & quæ sint circunstantiæ atroces, & gra-
uissimæ, arbitrio prudentis iudicis relinquitur. Sed
his, & aliis similibus oportet iudices habere pro-
pitios, aliter circunstantiæ grauissimæ, leuissimæ
censebuntur.

4. In hoc tamen casu homicidij à proposito com-
missi oportet, vt constet, quod omnes fuerint
auxiliatores, seu cōsocij ipsius homicidij, quia po-
test contingere, quod idem homicidium respectu
vnius commissum fuerit dolosè, & à proposito,
v. c. si quis sciat inimicum suum, quem ex longo
tempore parat occidere, esse in hoc, vel illo lo-
co, & ad illum occidendum, dolosè vocat ami-
cos suos deambulationis gratia, & illos nihil ta-
le opinantes ad eum locum defert, ibique socie-
tate illorum animosior factus, inimicum occidit.
In hoc enim casu solus præcipuus homicidij au-
ctor morte punietur, cæteri verò pœna arbitraria
ad iudicis arbitrium; possunt tamen omnes ad
indagandam veritatem eadem tortura cruciari,
Iul. Clar. quandiu de facto non constat. Ita Iulius Clarus
cit. num. 37. post medium, iniustum enim esset tunc
omnes eiusdem mortis pœnæ pares facere, cum
dispar sit culpa.

5. *Secundus casus est*, quando homicidium com-
mittitur, non à proposito, sed ex subitò orta ri-
xa, idque certò, & liquidò constat: tunc enim
non omnes eadem pœna mortis sunt damnandi,
sed alia mitiori arbitrio iudicis, siue ex vno vul-
nere occisus occubuerit, & ignoretur, quis eo-
rum illud inflixerit, siue ex pluribus, & nescia-
tur ex cuius ictu obierit. Si verò constet quis il-
lum occiderit, aut quis lethale vulnus inflixerit,
licet alij inflixerint non lethalia; tunc quidem
iste punietur grauiori pœna præ cæteris; non ta-
men pœna mortis, quia licèt fuerit homicidium
culposum, seu culpa commissum, non tamen fuit
dolosum, insidiosum, & ex proposito factum:
solum autem homicidium dolosum pœna ordi-
naria mortis punitur. Ita Iulius Clarus *lib. 5. sent.* Iul Clar.
§. homicid. num. 37. Cæpolla *consil. crim. 31. col. 1.* Cæpol.
Maranta *in speculo, fol. mihi 26. num. 59. & 60.* Marant.
Menochi. *illustr. contr. cap. 10. num. 22.* & nos id Menochi.
latè probauimus, *cap. 1. num. 11. & 12.* Parisius Parisius.
consil. 148. num. 3. lib. 4. Practica Carrer. *fol. 210.* Carrer.
num. 75. Alexander *consil. 15. col 2. fine, lib. 1.* & Alexand.
in hoc sensu procedit sine dubio secunda sen-
tentia.

Tertius casus est, quando dubitatur an homici- 6.
dium fuerit à proposito, an ex improuiso com-
missum; & quando dubitatur an auxilium fuerit
casu præstitum, an dolo, & ex præmeditato. Et
tunc quidem existimat Iulius Clarus omnes posse
torqueri super illam animi qualitatem *ex proposi-*
to; & si nihil de illa fateantur, debere omnes non
ordinaria pœna mortis, sed arbitraria iudicis pu-
niri, quia in dubio auxilium præsumitur potius
casu præstitum, quàm dolo: & homicidium etiam
in dubio præsumitur ex improuiso potius quàm
à proposito factum. Ita docet Marsil. *in pract. §.* Marsil.
constante, num. 64. Carrer. *tract. de homicid. &* Carrer.
assassin. § circa secundum, num. 18. versu, Et in
dubio non præsumitur. Parisius *consil. 152. num. 33.* Parisius.
lib 4. & consil. 164. num. 12 eod. lib 4. Folletius Folletius.
in pract. verbo, Capiat informationem, num. 73. Bos- Bossius.
sius *in tit. de homicid. post numerum 23. versu, In*
dubio, & num. 25. Mascard. *de probat. lib. 3. con-* Mascard.
clus. 1139. num. 6. & 11. Petrus Surdus *consil 48.* Surdus.
Farinacius *tom. 4. quæst. 131. de homicid. titul. 15.* Farin.
de consultoribus, num. 32. Et ratio est, quia in du-
bio semper in fauorabiliorem partem inclinan-
dum est, & potius præsumendum est hominem
esse innocentem, quàm nocentem.

Circa secundam partem tituli constat apud 7.
omnes DD. non esse imponendam homicidæ,
siue à casu sit homicida, siue à proposito, pœnam
ordinariam legis, sed aliam mitiorem ad iudicis
arbitrium, quando vulneratus obiit ex culpa sua,
& malo regimine, vel ex incuria, & imperitia
medicorum: qua de re est textus bene hoc à con-
trario sensu probans in *l. Si ex plagis, in principio,*
ff. ad legem Aquiliam, vbi imperitia medici, vel
negligentia infirmi non imputatur percussori,
ibi: *Si ex plagis seruus mortuus esset, neque id me-*
dici inscientia, aut domini negligentia accidisset, re-
ctè de iniuria, occiso eo, agitur. Ita docet Bartol. Bartol.
in tract. de percuss. num. 4. Felinus *in cap. Presby-* Felin.
terum, num. 1. col. 2. de homicid. Boërius *consil. 323.* Boërius.
num. 20. Anton. Gom. *de delict. titul. de homicid.* Ant Gom.
num. 8. Iulius Clarus *§. homicidium, num. 42.* Me- Iul. Clar.
nochius *de arbitr. quæst. lib. 2. casu 275. num. 10.* Menoch.
Mascard. *de probat. lib. 2. concl. 1073. num. 14.* Cæ- Mascard.
polla *consil 40. num. 19 ad medium.* Cæpol.

Non omnis tamen negligentia ex parte regimi- 8.
nis vulnerati, nec omnis incuria medicorum suffi-
cit, vt dicatur ille decessisse ex culpa sua, & incu-
ria medici, sed debet esse considerabilis, & qua-
litati vulneris prædominans, vt pulchrè notauit
Marianus Socinus *in cap. Presbyterum, num. 9.* Socin.
de homicid. vbi notabiliter ait, si grauitas vulne-
ris prædominatur culpæ infirmi, & medici incu-
riæ, vulneratum dici ex vulnere, non ex incuria
medici, aut culpa sua obiisse. Secus verò si cul-
pa, aut incuria prædominatur grauitati vulneris.
Et

Bald. Boërius.

Et idem ipsum docet Baldus *in cap. 1. num. 9 quib. mod. feudum amitt.* & Boërius *decis. 323. num 20. circa medium*, vbi exemplum ponit in vulnerato cui aqua datur, vna tantùm gutta infusa vini; quæ ei ob tantulam vini infusionem nocere non potuit.

9. In hoc tamen negotio tres casus distinguere oportet. *Primus est*, quando liquidò, & certò constat, vulnus inflictum fuisse mortale. Et in hoc casu, si mors accidat, tenetur vulnerans de occisione, nec potest defendi ex eo quòd nullus medicus sit adhibitus, vt ait Socinus *consilio 178. col. 2. lib. 2. versu, Pro cuius conclusionis fundamento*; vel quia adhibitus fuerit imperitus, neque propter defectum regiminis, & culpam infirmi, quia licet mors tunc acceleraretur, non tamen vitaretur, cum vulnus mortiferum omnino fuerit. Verùm hæc opinio Socini vera erit in puncto iuris apud rigorosos & seueros iudices. Secus apud pios, & benignos, quia apud illos ea allegatio bona ex parte eleuabit culpam, & de ordinaria vertet in arbitrariam, vt colligitur ex Iulio Claro *lib. 5. sent. §. homicidium, num. 42.* docet Blancus *in pract. fol. 155. num 97.* Vital. *de malef. in rubr. de insult. num. 16.*

Socin. Iul. Clar. Blancus. Vital.

10. *Secundus casus est*, quando certò, & liquidò constat vulnus non fuisse lethale; tunc enim cum constet vulneratum fuisse mortuum non ex vulnere, quia non erat lethale, sed ex alia causa, medici incuria, v. c. aut culpa infirmi, non tenebitur vulnerans de morte, & occisione, sed tantùm de vulnere. Ita Iulius Clarus citatus *num. 42.* Baldus *in l. Qui occidit, ff. ad legem Aquiliam, §. finali*, Socinus *dicto consil. 178. col. 2.* Riminald. *consil. 81. num. 7.* vbi dicit in hoc puncto neminem discrepare.

Iul. Clar. Bald. Socin. Riminald.

11. *Tertius casus est*, in dubio, an vulnus fuerit lethale, an non lethale; & in dubio, an in eo dubio nulla culpa intercesserit ex parte chirurgi, & vulnerati. Si constat, quòd in dubio, an vulnus fuerit lethale, vel non lethale, nulla culpa intercessit ex parte chirurgi, & infirmi, præsumitur decessisse ex vulnere, & punitur vulnerans ex vulnere, non ex homicidio, & si ex homicidio pœna arbitraria iuxta qualitatem homicidij simplicis, si fuit simplex, vel dolosi, & à proposito si tale fuit, non ordinaria. Si apparet aliquam ibi negligentiam ex parte chirurgi interfuisse, & culpam ex parte vulnerati; tunc vulnerans de vulnere etiam puniendus est, non de occisione, iuxta textum in *l. Si ex plagis. ff. ad legem Aquiliam*, allegatum *num. 7.* non enim imperitia chirurgi, vel negligentia infirmi imputari debet percussori. Ita Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. homicidium, num. 42.* Grandinus *de maleficijs, in tit. de homic. post num. 24.* vbi ponit exemplum in rustico, qui in capite vulneratus, ad arandum in rus, æstuante sole, profectus est: is enim ex culpa sua obiit si obeat; & illius culpa non debet imputari vulneranti: & ita sæpe iudicatum fuit in senatu Lusitano, & idem de Senatu Neapolitano docet Grammat. *consil. 2.* sed hac de re redibit sermo *cap. 13. num. 31.*

Iul. Clar. Grandin.

12. Quoad irregularitatem autem nihil refert, an vulneratus obierit ex vulnere, an ex imperitia chirurgi, & negligentia vulnerati: sufficit enim quòd mortis effectus sit secutus, & quòd vulnerans causam mortis dederit vulnerando, & quoad hunc effectum irregularitatis incurrendæ, non est necesse, quòd de lethalitate vulneris constet: quia quoad illum in dubio præsumitur vulnus fuisse lethale, vt docet Farinacius *tom 4. q. 127. tit. 14. num. 26.* Marsilius *consil. 7. num. 59. versu, Nec similiter.* Carrer. *in pract. tract. 3. de homicid. & assassin. §. 11. versu, Igitur, num. 2. fol. 180.* Conrad. *in pract. in rubr de vulnerantibus, num. 2. folio 418.* Placa *in epitome delict. lib. 1. cap. 12. num. 12.*

Marsil. Carrer. Conrad. Placa.

Quod tamen intelligendum est, modò vulnus illatum non sit adeo leue, vt facili adhibita curatione possit percussus sanari, mortemque euadere, quia tunc si ex imperitia medici, vel ex negligentia infirmi mors succedat, nulla incurritur irregularitas, vt post Hippolytum docet optimè Riminaldus *consil. 121. num. 27. lib. 2.* & Farinacius modò allegatus; non enim in tam aperta re imperitia chirurgi, & negligentia infirmi imputanda est vulneranti, aut percutienti. Vide *cap. 13. num 16.* vbi hac de re redibit sermo. 13.

Riminald.

Ad internoscendum autem, an vulnus fuerit leue, an lethale, ad coniecturas recurrendum est, & ad iudicium chirurgiæ peritorum: quidam enim dixerunt, optimam coniecturam esse quod vulnus fuerit lethale, si vulneratus obiit intra paucos dies ab acceptione illius. Colligunt hanc coniecturam ex textu *in cap. Presbyterum, de homicid.* & eam probat Bartol. *in tract. de percussion. num 2.* Abbas *in eodem cap. num. 3.* Farinacius citatus *num. 19.* Zabarella *num 2.* Albericus *in l. Huic scriptura, § si seruus, num. 3. ff. ad leg Aquiliam.* 14.

Bartol. Abbas. Farin. Zabarel. Alberic.

At verò circa hoc negotium nulla omnino certa regula dari potest: quare totum hoc negotium ad arbitrium iudicis, & iudicium chirurgorum, modò sint in arte periti, relinquendum est. Ita Florianus *in l. Au lex, num. 4. ff. ad leg. Aquiliam.* Marian. Socin. *in cap. Presbyterum, de homicid. num. 8.* Buttius *in cap 2. de cleric. percussor, num. 2.* Bald. *consil. 328. lib. 2. num. 1.* nam hæc quæstio potius est de facto, quàm de iure, & cum sit de facto, arbitrio iudicis, & chirurgi decidenda est: quia tamen iudicio chirurgorum non multum fidendum est, tum quia ipsi commiseratione ducti sæpe solent in sua depositione vulnerantes excusare; tum quia, vt ipsi quoque effugiant malæ curationis notam, totam culpam in incuriam refundunt infirmorum. Ita debet iudex dexteritate, ac prudentia sua omnia attemperare, vt potiùs suo, quàm illorum arbitrio fidat; sic Mascardus *de probat. lib. 2. conclus. 1034. num. 6. fine*, Menochius *de arbitr. quæst. lib. 3. casu 275. num. 1.* & alij. 15.

Florian. Socin. Buttius. Bald. Mascard. Menoch.

Vsus tamen habet, vt semper iudicium chirurgorum requiratur; fraudibus enim illorum facili negotio occurrere potest iudex eligendo chirurgos non suspectos, & probatæ conscientiæ, & alios peritiores, & digniores, si opus fuerit, qui retractent aliorum iudicium, quatenus suspectum, & iniustum videtur. 16.

Sumitur etiam coniectura ad iudicandum, an vulnus fuerit mortale, an non mortale ex parte corporis in qua vulnus impactum fuit, vt alibi diximus. Hæc coniectura patet ex *cap. Significasti 2. de homicid.* ibi: *Tum ratione partis in qua fuit ille percussus*, veluti si vulnus fuerit illatum in caput, cerebrumque offendat, licet modico ictu offendat, quia in cerebro modicus ictus lethalis est. Ita Marianus Socinus *in cap. Presbyterum, de homicid num. 8.* Dicuntur etiam vulnera lethifera, illa, quæ inflicta sunt in facibus, in corde, in intestinis, & in alijs partibus similibus. Sed de coniecturis vulnerum mortalium videatur Farinacius *tom. 4. quæst. 127. tit. 14. num. 53.* vbi nouem ponit, & coniecturam sumit, non solùm ex parte corporis, 17.

Socin. Farin.

corporis, sed etiam ex altitudine, longitudine, & profunditate vulneris. Ex vomitu superueniente, & horrore membrorum in parte læsa, ex genere, & qualitate armorum, ex fama publica, quòd vulnus fuerit lethale, ex superuenientia intensi doloris continui; continuus enim dolor arguit mortalitatem vulneris, iuxta Boërium *decis.* 323. *num.* 16. Menochium *de arbitr. quæst. lib.* 2. *casu* 275. *n.* 7. & Mascardum *de probat. lib.* 2. *concl.* 1073. *num.* 10.

Boërius. Menoch. Mascard.

18. E contrario verò sunt alia signa indicantia non prouenisse mortem ex vulnere, sed ex incuria infirmi, & imperitia chirurgorum: v. c. si vulneratus conualuit, & de lecto surrexit, & post triduum baculo innixus deambulauit; si enim tunc inordinatio hominis vulnerati in potu, & cibo, vel labore probetur, non dicetur ex vulnere, sed ex inordinatione sua mors illi accidisse. Ita Glossa *in l.* 1. *C. de emendat. seruor. verbo, depulsa, in fine*, quam sequitur ibidem Bartol. *num.* 2. & idem Bartol. *in l. finali, num.* 13. *ff. ad legem Corneliam*. Ancharan. *in cap. Presbyterum, num.* 1. Farinacius *tom.* 4. *quæst.* 127. *de homicid. tit.* 14. *num.* 80. Anton. Gomez *de delict. cap.* 3. *num.* 29. Deinde si post sanatum, ac consolidatum vulnus discessit è vita; tunc enim non tenetur vulnerans de homicidio, sed de percussione tantùm, & vulnere.

Glossa. Bart. Anchar. Farin. Gomez.

19. Malum regimen vulnerati, & culpa illius etiam probari solet, si ad curationem vulneris medicum, seu chirurgum non adhibuit, aut adhibuit, sed imperitum; paria enim sunt non adhibere, aut adhibere imperitum, iuxta textum *in l. si ex plagis, ff. ad legem Aquiliam*, per quem notant communiter Doctores imperitiam medici non nocere percutienti. ita Farinacius *num.* 90.

Farin.

20. Mihi tamen non videtur sola probatio imperitiæ medici, vel chirurgi, excusare vulnerantem, & sufficiens ratio esse, vt dicatur vulnerans non obiisse ex vulnere, sed ex mala curatione ex parte vulnerati; sed mihi videtur opus esse probare insuper peculiarem vulnerati culpam, & incuriam, vt dicamus propter illam obiisse, quod videtur de mente textus *in dicta l. si ex plagis, ff. ad legem Aquiliam.* quia textus ibi vtrumque requirit, & imperitiam medici, & incuriam infirmi in curatione, & ideo vtraque probatio necessaria est, vt patet. Deinde quia certum est, si vulnus fuit indubitanter mortiferum, non excusari vulnerantem à pœna mortis ordinaria, etiamsi probetur imperitia medici, & incuria infirmi in curando vulnere. Et ita docet Marianus Socinus *in cap. Presbyterum, de homicidio, num.* 8. Ananias *in cap.* 2. *de cleric. percus. num.* 4. Corneus *consil.* 194. *num.* 10. *lib.* 2. Boërius *decis.* 323. *num.* 11. Conrad. *in practic. rubr de vulnerant. num.* 16. *fol.* 116. Carrer. *in pract. tract.* 3. *de homicid. & assassin.* §. 1. *num.* 5. *fol.* 85. & §. 11. *num.* 15. *fol.* 180.

Socin. Anan. Corneus. Boërius. Conrad. Carrer.

***

CAPVT X.

Vtrùm liceat marito occidere vxorem, deprehensam in adulterio, & patri filiam, & fratri sororem simul cum adulteris. Et quid tunc de excommunicatione capitis si quis, *si adulteri sint clerici.*

SVMMARIVM.

De iure communi Cæsareo, non erat permissum maritis impunè occidere vxores in adulterio inuentas, nisi ipsi adulteri essent humiles, & viles, & nisi etiam eos prius ter admonuissent. num. 1.

Quid de nouo iure Regni Castellæ. num. 2.

In eo regno probato adulterio, traduntur marito adulteri, vt illos occidat, si maritus illos accusauit. num. 3.

Quid de iure Lusitano. num. 4.

An extra adulterium possit maritus de iure Lusitano adulteros impunè occidere, & secum vocare Adiutores ad eam occisionem. num. 5.

Quando maritus occidit vxorem adulteram extra adulterium, non lucratur illius dotem de iure Lusitano. num. 6.

An in actibus proximis ad adulterum coitum inuentam vxorem, & adulterum, possit maritus illos occidere, & qui sint in actus proximi. num. 7.

An possit pater impunè filiam in adulterio inuentam occidere. num. 8.

Quid nomine patris intelligatur. num. 9.

An fratres id possint impunè efficere respectu sororum. num. 10. *An auus, an socer, an filius matrem adulteram.* ibid. *An mater filiam nuptam.* ibid.

An raptor in flagranti possit impunè occidi. num. 11.

Quæ conditiones requirantur, vt pater possit impunè filiam adulterã in scelere inuentam occidere. n. 12. & 13. *Quid si vidua sit.* ibid. *An solum incontinenté inuentam.* ibid. *An possit pater occidere adulterum parcendo filiæ.* ibid.

Quid si non fuerit in potestate patris. num. 14.

Quid si pater non in domo sua, sed generi, aut aliena illos inueniat. num. 15.

Quid si vterque sit adulter vir, & vxor, an tunc possit impunè vir adulter vxorem adulteram occidere. num. 16. *Refertur opinio negans.* ibid.

Prefertur affirmans. num. 17.

Quando vterque vir, & vxor est adulter, an possint ad inuicem separari quoad torum. num. 18. *Et an amittant ad inuicem ius ad dotem alterius.* ibid.

An sicut maritus (& idem de patre respectu filiæ) potest impunè vxorem adulteram occidere, possit etiam licitè, & sine peccato. num. 19. *Refertur opinio affirmans.* ibid.

Præfertur negans. num. 20.

Soluitur obiectio facta pro prima opinione. num. 21.

An maritus, qui priuata authoritate adulteros impunè necat, teneatur ad restitutionem filijs, & vxori hominis adulteri, quem ipse occidit, sicut tenentur alij homicidæ. Respondetur affirmatiuè. num. 22.

Maritus in Regno Castellæ accusans vxorem de adulterio, quando iudex eo adulterio probato illi adulteros tradit occidendos, an peccet, si occidat. num. 23.

Mmm Quid

Quid si post sententiam latam adulteri fugiant, an maritus tunc vbicumque inuentos, illos possit impunè occidere. *num.* 24.

Soluuntur argumenta primæ opinionis asserentis posse maritos vxores adulteras licitè occidere. *num* 25.

Leges permittentes peccata publica, quo sensu non sunt iniustæ *ibid.*

Quamuis non sit licitum maritis vxores adulteras in adulterio deprehensas occidere, est tamen licitum illis, eas in iudicio accusare, licet ob id morte afficiantur, & quare. *num.* 26.

1. PRÆNOTANDVM primò, de iure Cæsareo non esse permissum maritis impunè occidere vxores suas in adulterio deprehensas simul cum adulteris, aut separatim, nisi ipsi adulteri essent viles, & infames; & nisi etiam eos, quos propter suspicionem adulterij, eo quod illos in secreto loco cum vxoribus loquentes reperissent, ter in scriptis admonuissent,
Couarr. vt docet latè Couarr. *in* 4. *Decretalium* 2. *part. cap.* 7. §. 7. *num.* 1. *&* 2. Vnde, si adulter erat vilis persona, poterat à viro impunè occidi in domo propria mariti, non alibi, iuxta textum *in l. Marito. ff. de adulter.* Si erat nobilis, non poterat maritus illum impunè occidere; si tamen occidebat, ob iustum dolorem non puniebatur pœna ordinaria mortis, sed alia minori ad iudicis arbitrium. Nam si maritus erat vilis, & adulter nobilis, damnabatur maritus illum occidens ad metalla; si verò maritus erat persona honesta, & adulter nobilis, relegatur maritus in insulam, iuxta textum. *in l. si adulterium cum incestu*, § *Imperatores*, *ff. de adulter.* vel mittebatur in exilium per annos arbitrio iudicis taxandos. *l. Gracchus*, *C. de adulter.* Vide Iulium Clarum *lib.* 5. *sentent.* §. *homicidium*, *num.* 49.

2. At nouo iure regni Castellæ permittitur viro, adulterum, & vxorem in scelere deprehensos impunè, propria authoritate necare. Constat ex *l.* 3. *tit.* 20. *lib.* 8. *noua Recopilat.* quod etiam verum habet, vt ait Sanchez *lib.* 10. *de matrimon. disput.* 8. *num.* 32. in matrimonio existimato, quod propter aliquod impedimentum dirimens nullum reperitur, modò non sit nullum ex defectu consensus: nam si ex defectu consensus inualidum sit, non permittitur marito impunè vxorem, & adulterum in scelere deprehensos occidere. Ita constat ex *l. citata*, *& l.* 4. *tit.* 20. *lib* 4. docet
Gomez. Anton. Gomez *in l.* 81. *Tauri*, *num.* 48. Barbosa
Barbosa. *l.* 1. *part.* 1. *initio*, *num* 95. *ff. solut. matrim.* Sanchez
Sanchez. *lib.* 10. *de matrim. disp.* 8. *num.* 32.

3. Si autem vir vxorem, & adulterum voluerit accusare, probato adulterio, & sententia mortis super eam rem latam, tradendi sunt à iudice ipsi marito accusatori, vt eos necet, si velit, vt patet ex *l.* 3 *tit.* 20. *lib.* 8. *noua Recopil.* & docet Sanchez allegatus; percrebuit enim hæc consuetudo in regnu Castellæ.

4. De iure autem Lusitano *lib.* 5. *noua ordin. titulo* 38. permittitur etiam viro occidere vxorem suam cum adultero in adulterio inuentos, modò maritus non sit vilis, & adulter nobilis; si enim adulter nobilis, & maritus vilis fuerit, non permittitur ei impunè illum occidere; si tamen de facto occidat propter iustum dolorem, non ordinaria pœna mortis erit puniendus; sed in Africam ad tempus arbitrio iudicis relegandus est. An autem nomine mariti veniat sponsus de futuro, & de præsenti, dicam infrà *numer.* 28.

Imò de iure Lusitano, non solùm poterit maritus vxorem, & adulterum in scelere inuentos 5.
occidere. Sed etiam extra adulterium, modò tamen certus omnino sit illam sibi adulterium commisisse, quo adulterio in iudicio probato, impunitus omnino manebit, non probato autem ad mortem iudicis sententia damnabitur. Patet ex *d. lib.* 5. *noua ordin. tit.* 38.

In omni autem casu, in quo de iure Lusitano maritus potest impunè vxorem, aut adulterum occidere, potest secum deferre, & vocare adiutores, auxiliatoresque, quos voluerit, modò hostes non sint ipsius adulteræ, vel adulteri alia de causa extra ipsum adulterium; qui similiter, probato in iudicio adulterio, impuniti remanent, quemadmodum maritus; si tamen aliunde hostes sint, arbitrio iudicis punientur, licet maritus impunè occidat adulterum, vel adulteram.

In ea verò circumstantia, in qua maritus impunè vxorem extra actum adulterij ob adulterium 6.
occiderit, bona ipsius vxoris, quæ illa dote, hæreditate, vel donatione acquisiuit, non lucratur maritus occisor, sed ad hæredes vxoris pertinebunt; bona verò acquisita constante matrimonio ab ipsa simul, & marito, in solidum ad ipsum maritum pertinebunt, vt lâtiùs *lib.* 5. *noua ordinat. titulo* 38. districtè præcipitur. Sed de hac re infrà redibit sermo.

Nec solùm in coitu adultero potest impunè 7.
de iure Cæsareo, Lusitano, & Castellano maritus adulteram vxorem, & adulterum occidere, sed etiam in actibus proximis, ac præparatoriis ad coitum, & adulterium, veluti in amplexibus, in osculis, vt communiter tenent DD. Surdus *de* Surdus.
aliment. tit. 7. *quæst.* 16. *num.* 32. Barbosa *in l.* 2. Barbosa.
initio part. 2. *num.* 70. *ff. soluto matrim* Molina *de* Molina.
inst. tom 4. *tractat.* 3. *disput.* 91. *num.* 8. Suarez *to-* Suarez.
mo 5. *de censuris*, *disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 37. Syluester Syluester.
verbo Excom. 6. *num.* 6. §. *decimò*, Angelus *eodem* Angelus.
verbo Excommunicatio 5. *num.* 19. Hoc tamen limitat Farinacius *tom* 4. *quæst.* 121. *num.* 110. in con- Farinac.
sanguineo vxoris, qui licet reperiatur in actibus venereis cum vxore à marito, non propterea impunè licebit marito illos occidere, cum consanguinitas omnem malam præsumptionem tollat. Verùm hoc intelligendum est de actibus remotis, non autem de proximis ad copulam; in remotis enim consanguinitas suspicionem tollit, non autem in proximis, quales sunt mutui amplexus, & oscula in suspecto loco. Ita idem Farinacius allegatus, Mascardus *de probat. concl.* 312. Mascard.
numer. 3. *&* 5. Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præ-* Menoch.
sumpt. 17.

Et quamuis nostræ ordinationes Lusitanæ so- 8.
lùm de marito, & vxore adultera loquantur: tamen idem est dicendum de patre respectu filiæ adulteræ, potest enim pater impunè nuptá filiam cum adultero in adulterio repertam occidere, modò illam sub sua potestate habeat, ita Pinellus *in* Pinellus.
rubr. C. de bonis maternis, part. 2. *num.* 19. Patet etiam ex iure communi *in l. Patri*, *ff. de adulter.* vbi dicitur posse patrem impunè filiam adulteram, & adulterum in adulterio inuentos his quatuor circumstantiis concurrentibus, occidere.

Prima est, quòd filia sit nupta Secunda, quòd 9.
eodem impetu illam, & adulterum in actu adulterij (adde, vel in præparatoriis ad illud) occidat. Tertia, quòd filia nupta in potestate patris sit. Quarta, quod occidat in domo ipsius patris, vel

vel generi non alibi. & per has omnes circumstantias de iure communi requisitas discurremus numeris sequentibus.

9. Nomine autem patris in iure ciuili intelligitur pater etiam naturalis respectu filiæ nuptæ naturalis, iuxta Farinacium *tom. 4. quæst. 121. num. 2.* Angelum *de maleficijs, num. 16 versu, Et aduertas* Carrer. *in pract. tract. 3. de homicid. & assassinio, § octauò excusatur, num. 11.* Et idem est dicendum de patre adoptiuo respectu filiæ adoptiuæ, iuxta textum *in l. Nec in ea, ff. ad legem Iuliam de adulter.* ibi: *Nec in ea leg. Naturalis pater ab adoptiuo separatur*, docet glossa *in l. Patris, versu, Item non est vis ff. eodem*; sed hac de re redibit sermo *num. 39.* quem vide omnino.

10. Nemo autem alius à patre, iure ciuili inspecto, secus de iure canonico, vt dicemus *num. 28.* idem impunè facit, quamuis sit frater, vel quæuis alia persona sanguineo coniuncta, nisi sit filius, qui de mandato patris fuerit, vt dicemus infrà *num. 37. & 38.* quia in odiosis, & quæ deuiant à iure communi, non fit in legibus extensio de persona ad personam. Sicut nec de casu ad casum, vnde nec frater poterit impunè sororem, & adulterum in adulterio deprehensos perimere. Ita Glossa *in l. Quod ait lex, in princip. in verbo, Competere, ff. ad legem Iuliam, de adulter.* Albericus *ibi, num. 1.* Marsilius *in l. 1. §. item diuus, num 3. ff. ad legem Corneliam de sicarijs.* Carret. *in pract. tract. 3 de homic. & assassinio, §. nonò quaero, num. 18. & §. octauò excusatur, num. 8.* Iodochus *in pract. crimin. cap. 8. num 23.* Decianus *in tract. crimin lib. 9. cap. 15. num. 18.* Prosper *dicta quæst. 121. num 48. tom. 4.*

Nec auus neptem, quamuis illam nuptam in potestate habeat. Ita Farinacius *num. 45. textus in l. Si enemet, in princip* ibi: *Nec auus, ff. ad legem Iuliam de adulter* Bartolus *in l. Patri, ff. eodem, notabili 2. ante numerum 1.* & ratio est, quia in materia pœnali, & odiosa nomine, & appellatione patris non venit auus.

Nec socer, aut aliter ascendens nurum adulteram cum adultero inuentam. Ita Iodochus *in pract. cap. 89 num. 23 in fine.* Baiardus *ad Iulium Clarum, in additionibus in § homicidium, num. 170.* Decianus *in tract. crimin. lib. 9. cap. 15. num. 18.* Farinacius *num. 45. in fine.*

Nec filius matrem adulteram, & adulterum in adulterio inuentos Ita Farinacius *num. 46.* Angelus *de maleficijs, num. 13.* & ibi Augustinus *in additionibus, num. 22.* Marsilius *in l. 1. §. item diuus, num 3 ff de sicarijs*, vbi dicit, quòd licet filius habeat intensissimum dolorem, sciens matrem esse meretricem, vel adulteram, non tamen ei inte permissum esse, illam impunè occidere. Carret. *in pract. tract. 3. de homicid. & assassinio, num. 18.* Iodochus *dict. cap. 89. in rubr. de adult. num. 23. versu, Sicut nec filio.*

Nec mater filiam nuptam in adulterio inuentam & adulterum illius simul, aut separatim. Ita Angelus *de maleficijs, verbo, Che ay adulterata la mia dona, num. 13.* & ibi August. *in additionibus, num. 22.* Iodochus *in pract. crimin. dict. c. 89. num. 23.* Decianus *tract. crimin. lib. 6. cap 15. n. 18.* & in omnibus his personis hoc procedit de iure ciuili, vt optimè animaduertit Farinac. *dict. tom. 4. quæst. 121. num. 47.* Et ratio, ac fundamentum huius rei est, quia pœnæ sunt odiosæ, & restringendæ, nec extendi possunt ad alios casus similes, & personas, cum locum non habeant, nisi in solis casibus, & personis expressis, *l. Perspiciendum, & l. Hodie, & l. Interpretatione, ff. de pœnis, l. Generaliter, ff de decurionib. l. In quorum, ff. de pignorib. l. Factum cuique, § in pœnalibus*, vbi Decius *num. 5. ff. de regulis iuris, lib. 6.* Bartol. *in l. In testamento 1. in princip. ff. de condit. & demonstrat.* Bald. *in cap. Cum pater, §. pater certam, ff. de legatis 2.* Petalta *in l. Seruus, §. qui fides commissam, num. 88 ff. de hæred. instit.* & communiter DD.

11. Hoc tamen non procedit in fœmina rapta, quia quando fœmina rapitur, & in flagranti raptu inuenitur, omnes illius raptores, & omnes, qui eis auxilium præstant, possunt non solùm ab illius parentibus, sed etiam ab aliis consanguineis, tutoribus, curatoribus, patronis, vel dominis impunè interfici de iure communi, iuxta textum *in l. 1. §. ne igitur, C. de raptu virginum*, & id latè probat Prosper cum multis, quos citat *tom. 4. quæst. 121. num. 52.*

12. *Prima* igitur *conditio*, vt pater possit filiam in adulterio inuentam impunè perimere, modo suprà explicato est, quòd filia sit nupta; vnde si fuerit vidua, id impunè efficere non poterit, quantumuis sit in actu turpitudinis inueniat, cum in acceptatione filiæ viduæ non habeat pater ius præcipuum. Patet ex *l. Nec in ea, §. in accusatione, ff. ad legem Iuliam, de adult.* nec etiamsi filia fuerit virgo, quia omnia iura expressè requirunt, vt hoc impunè fiat, quòd filia sit nupta, non punietur tamen pater ob iustum dolorem pœna ordinaria mortis, sed arbitraria iudicis.

13. *Secunda*, quòd eodem impetu illam simul, & adulterum in adulterio perimat, vel in præludiis proximis ad illud, vt diximus *num. 7. simul*, id est, quod non possit pater adulterum occidere parcendo filiæ; tunc enim non erit ab homicidij pœna liber, vt docet Farinacius *num. 19.* & id probat textus *in l. Patri, ff. ad legem Iuliam, de adulter.* ibi, *Simul cum filia*: & apertiùs *in l. Quod ait lex, ff. eodem, §. finali*, vbi non solùm requiritur, quòd pater vtrumque occidat, sed etiam, quòd incontinenti occidat, *& l. Nihil interest, de adult. ff. ad leg. Iuliam, initio*, ibi: *Dummodo vtrumque occidat; nam si alterum occidat, l. Cornelia reus erit*: vnde *simul* idem valet. Primò, ac *incontinenti*; incontinenti autem occidit, si dum pater adulterum occidit, filia fugam accipit, & persequendo, ac quærendo illam interpositis horis inuentam occidit. Ita probat textus *in dicta l. Quod ait lex ff. ad legem Iuliam, §. finali, ad finem.* Secundò, tantumdem valet *simul*, ac ambos, ita vt non possit impunè vnum occidere, & alteri parcere.

14. *Tertia*, est quòd in potestate patris sit, secus si eam in potestate non habeat, vt quia fuerit emancipata. Ita probat textus *in l. Patri, ff. ad legem Iuliam, de adult.* ibi: *Quam in potestate habet*, & ibi Glossa *in verbo, Patri, initio.* Ita docet Prosper *dicto tom. 4. quæst. 121. num. 34.* Hinc est quod filiusfamilias pater, hoc est, qui pater est, non potest impunè filiam nuptam in adulterio inuentam occidere, quia cum ipse sit in potestate patris, non habet eam in potestate. Ex quo enim ipse est in potestate alterius, in potestate illam non habet. Ita textus expressus *in dicta leg. Patri, ff. ad legem Iuliam*, ibi: *Sed nec filiusfamiliàs pater, su sua enim potestate non videtur habere, qui non est sua potestatis.*

15. *Quarta*, est quòd in domo sua, vel generi, non in aliena inueniat: *Sua*, id est, in qua habitet, siue sit propria, siue conducta, quia maior iniuria fit patri in domo sua, quàm in aliena. Ita habetur

betur *in l. Nec in ea*, §. *ius occidendi*, *ff. ad legem Iuliam, de adulterijs*, & *in l. Quod ait lex*, §. *sufficit*, *versu*, *Quari non vbicumque*, *ff. eodem*. Farinacius cum multis *tom. 4 quæst.* 121. *num.* 26. & 27. Vnde si pater in domo conducta habitet, habeat autem aliam domum propriam in qua non habitet, & ibi filiam in adulterio deprehendat, non poterit illam ibi impunè perimere, si tamen occiderit ob iustum dolorem, non punietur ordinaria mortis pœna, sed alia mitiori arbitraria iudicis: si verò filia è domo patris fugiens in qua in adulterio inuenta fuit, extra domum occidatur, moraliter loquendo in ipsa domo dicetur occisa, dummodo incontinenti perimatur, & in eodem districtu, & territorio, secus forsan si in alio. Ita Farinacius citatus *num.* 28. Angelus *in l. Quod ait lex*, *num.* 4. *ff. ad legem Iuliam, de adulter.*

Farin. Angel

16. Dubitabis tamen, an vir adulter possit impunè perimere vxorem adulteram. Et ratio dubitandi est, quia videtur iniuria per iniuriam in eodem genere compensari. Nihilominus est partita opinio. Prima negat: illam tenet Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 17. *num.* 3. *litera F.* videtur tenere Couarr. *in 4. Decretal.* 2. *part.* §. 7. *num.* 7. quia existimant dari compensationem in adulteriis: idem tenent Palatios *in 4. disp. vnica*, *versu*, *Verum si iudex*, *fol.* 806. Gutier. *lib.* 2. *quæst. canon. quæst.* 1. *num.* 23. Rodriguez *tom.* 1. *summa*, *in 2. edit. cap.* 206. *n.* 9. & Veiga *tom.* 1. *summa cap.* 127. *casu* 3. asserentes non posse iudicem capite damnare vxorem adulteram, si vir quoque adulter sit; quia datur compensatio iniuriæ inter vtrumque. Nauarrus *in summ. Lat. cap.* 16. *num.* 29. Tiraquel *in l.* 1. *connubial. glossa* 1. *part* 1. *num.* 44. Maticoso *lib.* 5. *recopil. titul* 1. *glossa* 1. *rubr.* 102. vbi absolutè dicunt non posse virum adulterum accusare in iudicio adulterium vxoris, quia datur recompensatio iniuriæ ad iniuriam, & posse vxorem hanc exceptionem in iudicio allegare.

Henriq. Couarr. Palat. Gutier. Rodrig. Veiga. Nauar. Tiraq. Maticos.

17. Secunda probabilior, & tenenda affirmat. Illam docet Petrus Barbos. *l.* 2. *p.* 1. *inic. ff. solut. matr. num* 98. Sanchez *lib.* 10. *de matr. disp.* 8. *num.* 35. Azeued. *lib* 8. *recopil. tit.* 20. *l.* 4 *num.* 31. Cened. *collect.* 166. *num* 4. *versu*, *Ex quibus resolue*. Fundamentum est, primò, quia non tanta honestas requiritur in viris, quanta in fœminis; vnde non datur æqualitas, & recompensatio iniuriæ inter vtrumque, quoad accusationem criminalem, secus quoad diuortium. Secundò, quia hæc vxoris occisio propria authoritate facta assimilatur accusationi criminali, in qua non sunt æquales maritus, & vxor; potest enim maritus accusare vxorem criminaliter de crimine adulterij, non tamen vxor maritum, vt docet Sanchez, Barbosa, & Cenedo modò allegati, in hac enim iniuria sunt valde dissimiles, ac dispares ipsi coniuges, & ideo exceptio ex parte vxoris, similis adulterij à marito commissi, nihil illam iuuat, quia non potest fieri compensatio iniuriæ ad iniuriam, cum compensatio requirat æqualitatem, & nō detur æqualitas iniuriæ in adulteriis, quoad accusationem criminalem, cum maior honestas requiratur in fœminis, quàm in viris.

Barbos. Sanchez. Azeued. Cened.

18. Datur tamen æqualitas iniuriæ, quoad diuortium faciendum, & in donatione propter nuptias, & in dote amittenda; tunc enim multum iuuabit exceptio vnius coniugis respectu alterius, vt latissimè probat Sanchez *lib.* 10. *de matr. disput.* 8. *num.* 29. Si enim vxor probet maritum adulterium sibi commisisse, probatam habet causam diuortij, & maritus statim amittit dotem vxoris, & donationes propter nuptias. Et similiter, si maritus excipiat simile adulterium ex parte vxoris, illudque probet in iudicio, dabitur æqualitas iniuriæ, & nec poterunt adinuicem separari, nec dotem, aut donationes propter nuptias amittent. At quoad accusationem criminalem minimè censentur pares. Viro enim conceditur accusare criminaliter vxorem adulteram, non tamen vxori virum adulterum, vt habetur expressè *in l.* 1. *C. ad legem Iuliam, de adult.* & *in l. Regia Castella* 1. *tit.* 17. & *l.* 13. *fine, tit.* 9 *part.* 4. & *cap. Ad misericordem*, §. *publico iudicio* 32. *quæst.* 1. & ita docent Sanchez *lib* 10. *de matrim. disp.* 8. *num* 33. Abbas *in cap. Cum dilectus*, *num.* 28. *de ord. cognit.* & *cap.* 1. *vt lite non contestata*, & *cap. Tuo*, *in 6. de procurator.* vbi Anchar. *num.* 2 Couarr. *in 4. Decretal.* 2. *part. cap.* 7. § 6. *num.* 5. Surdus *de alimentis*, *titul.* 17. *quæst.* 16. *num.* 74. Sotus *in 4. dist.* 36. *quæst. vnic. art.* 4.

Sanch. Abbas. Anchar. Couarr. Surdus. Sotus.

19. Rogas tamen, an sicut in foro fori potest maritus impunè vxorem adulteram, simul cum adultero perimere, & patrem filiam, vt hactenus diximus: ita possit licitè, & absque peccato in foro conscientiæ, & poli id efficere? Partita est opinio. Prima affirmat, dummodo non liuore vindictæ, sed zelo iustitiæ id faciat. Ita docet Anton. Gomez *l.* 8. *Tauri*, *num.* 52, & 55. *fine*, iuncta *lege* 76. Castillo *l.* 82. *Tauri*, *num.* 6. *fine* Menchaca *lib.* 1. *controuers. cap.* 6. *num.* 2. Azeued. *lib.* 8. *recopil. titul.* 20. *l.* 1. *in fine*, & *lib.* 4. *titul.* 10. *l.* 1. *num.* 21. Sà *verbo*, *Homicidium*, *num.* 15. Iulius Clarus *lib.* 5. *sentent.* §. *homicidium*, *num.* 50. & citari etiam potest pro hac parte caput, *Admonere* 13. *quæst.* 2. ibi: *Non inuenisset eam cum alio rem nefariam facientem*; ergo si inuenisset, citra culpam necasset. Probatur. Primò, quia illi occidunt authoritate legum ciuilium, & tanquam ministri legis iustæ: leges autem iustæ in foro conscientiæ seruandas esse nemo dubitat. Secundò, quia si leges ciuiles hoc tantùm permitterent, & non concederent tamquam licitum in pœnam delicti, profectò iniquæ essent, quia permitterent id, quod poterant, renebantur interdicere publica peccata; alioquin fouerent publica peccata, cum illa permittant, cum teneantur illa prohibere. Tertiò, quia leges non solùm permissionem, sed etiam concessionem videntur significare. Ita se habet ista opinio, & non videtur improbabilis.

Ant. Gom. Castil. Menchac. Azeued. Sà. Iul. Clar.

20. Secunda tamen opinio communior, verior, probabilior negat omnino, docetque licet impunè id fiat in foro soli, non tamen fieri licitè in foro poli, seu conscientiæ, & ideo semper peccare mortaliter contra iustitiam, patrem, & maritum, qui adulteros occidunt, sua propria authoritate. Et idem dicendum est, si ante sententiam latam iudex eos illis tradat occidendos. Hanc tenent Sanchez *lib.* 10. *de matrimon. disp.* 8. *num.* 3. D. Thomas *in 4 distinct.* 37. *quæst.* 2. *art.* 1. *in corpore*. D. Bonau. *art.* 2. *quæst.* 1. Victoria *in summa, vbi de matrim. num.* 191. Veracruz 3. *part. speculi art* 4. Sotus *in 4. dist. dist.* 37. *quæst. vnic. art.* 3. *concl.* 1. & *lib.* 5. *de iust. q.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Aragon. 1. 2. *quæst.* 64. *art.* 3. *ad* 2. Rodrig. *tom.* 1. *summæ in 2. edit. cap.* 206. *num.* 9. Sà *in sum. verb. Homicidium, num.* 15. Gutier. *lib.* 2. *quæst. pract. q.* 1. *n.* 82. Petr. Nauar. *lib.* 1. *de rest. cap.* 3. *part.* 2. *in noua edit. dub.* 8 *n.* 206. Nauar. *in sum. Hispan. cap.* 15. *n.* 3. *in fine* Couar. *in 4. Decret.* 2. *p* §. 7. *num.* 9. Probatur ex cap. *Inter hæc* 33. *q.* 2. vbi Nicolaus primus ait licere secundùm leges mundanas, non tamen secundùm Ecclesiasticas vxorem adulteram impunè

Sanch. D. Thom. D. Bonau. Victor. Veracruz. Sotus. Aragon. Rodrig. Sà. Gutier. P. Nauar. Nauar. Couar.

nè interficere. Secundò, quia leges ciuiles solùm ob vehementem dolorem huiusmodi homicidia impunè fieri permittunt, at leges permittentes aliquid impunè fieri, minimè à culpa excusant, vt latissimè, multis adductis exemplis, confirmat
Tiraquel. Tiraquellus *lege 9 connubiali, num. 1. & sequentib.* aliud enim est ad vitanda maiora peccata, & scandala, permittere aliqua minora: aliud illa præcipere, vel concedere licentiam ad illa perpetranda, vt patet in meretricibus publicis; permittunt enim leges ciuiles meretrices in republica Christiana ad euitanda maiora peccata, & scandala adulteriorum, & sodomiæ; non tamen hæc permissio illas à peccato excusat, nec excusare potest, nec illorum actum facere potest licitum. Tandem, quia iniustum est parte non audita, & ante latam sententiam concedere generalem, vel specialem facultatem perimendi reum. Quamobrem iniquissimè faceret iudex, si ante latam sententiam adulterij id concederet parentibus, aut maritis earum, quæ in adulterio reperiuntur.

21. Oppones: leges humanæ expressè concedunt facultatem perimendi bannitos non auditos; ergo poterunt etiam hanc facultatem concedere circa adulteros. Respondeo esse diuersam rationem, quia banniti sunt hostes Reipublicæ, & nec capi, nec accusari possunt. at adulteri non sunt hostes Reipublicæ, & capi, & accusari possunt.

22. Ex dictis sequitur primò, illum maritum, qui priuata authoritate adulteros in scelere deprehensos enecat, teneri damna restituere ad aliorum homicidarum instar. quia peccat contra iu-
Nauarr. stitiam. Ita Petrus Nauarra *lib 2. de restitut. cap. 3.*
Sanchez. *part. 2. in noua edit. dub. 8 n. 207.* Sanchez *lib. 10.*
Bañez. *de matrim disput. 8. num* 41. Bañez 2. 2. *quæst. 64.*
Parif. *art. 3. dub. 2. in solut ad* 3. Parisius *consil.* 154. *n. 12.*
Socin. *& num. 41. lib. 2.* Socinus *lib 2 consil.* 34. asserentes peccatum hoc esse contra iustitiam, & fuerunt omnes citati, *num.* 20. qui asserunt hoc peccatum esse contra iustitiam; si enim est contra iustitiam, necessariò ex illo resultat obligatio restituendi damna ex eo secuta filiis eorum, quos occidunt. Deinde probatur, quia est peccatum homicidij, & omne peccatū homicidij est cōtra iustitiā, vt patet.

23. Sequitur secundò, maritum adulteros interficientem post sententiam latam per iudicem sibi traditos, nullius culpæ reum esse, nec peccatum aliquod committere, nec contra iustitiam, nec contra aliam virtutem. si non liuore vindictæ, sed zelo iustitiæ eos occidat: sicut enim iudex poterat tortori, & carnifici eos tradere, & ille licitè tamquam minister iustitiæ illos enecate: ita potest iudex illos tradere marito tamquam iustitiæ ministro, disponente lege aliqua, vt disponunt leges Castellæ. Nec refert, quòd tortor sit necessarius executor legum, & sententiæ, maritus verò liber, & voluntarius, quia vterque reuera est minister & executor iustæ sententiæ: nam iudex cum post latam iustam mortis sententiam adulteros marito tradit, non solùm illi permittit hanc occisionem, & executionem iustitiæ, sed etiam authoritatem illi præstat, vt hoc tamquam iustitiæ minister absque peccato faciat. Ita Sanchez allegatus *num.* 42. D. Thomas, Durandus, Richardus, & Paludanus *in 4. distinct. 7. quæst. 2. artic. 1. num. 7.* Sotus *lib. 5 de iustit. quæst. 1. art. 3 ad* 1. *& in 4. dist. 37. quæst. vnica, art. 3. concl. 3.* & omnes allegati *num.* 20.

24. Sequitur tertiò, si post sententiam latam adulteri confugiant, & iudex eos ad mortem damnauit committens marito, vel patri, vt illos perimant, vbicumque inuenerint, non peccare, si occidant zelo iustitiæ, quia iam publica authoritate, tamquam publici ministri iustitiæ ad illum casum deputati, id efficiunt ita Sanchez *lib. 10. de ma-* Sanchez.
trim. disput. 8. num. 43. Palatios *in 4 distinct. 37. di-* Palatios.
sput. vnica, fol. 805. Rodriguez *tom. 1. summa. in 2.* Rodrig.
edit. cap. 206. num. 9. Gutierrez *lib. 2. practic. quæst.* Gutier.
quæst. 1. n. 22. Veiga *tomo 1. summa, cap. 127. casu* 3. Veiga.

Sequitur modò, vt soluamus argumenta primæ opinionis. Ad caput *admonere.* respondeo occidere vxorem non inuentam in scelere adulterij 25.
non esse causam immunis, & impunibilis occisionis, sed esse causam crudelioris, & scelestioris occisionis, cum illa innocens esset, & nunquam de adulterio fuerit notata. Ad secundum fundamentum dices, leges permittentes peccata publica, non esse iniustas, nec fouere peccata, quando permittunt ad vitanda maiora scandala; nam potens prohibere peccata, si à prohibitione abstineat, quando ex ea prohibitione non sperat emendationem, sed timet grauiores lapsus, non peccat, imò prudenter agit, vt ait D. Thom. *in 4 dist* 33. D. Thom.
quæst. 2 art. 2. quæstiuncula 2. ad 1. Nec mariti occidunt adulteras vxores authoritate publica hoc illis concedente ante sententiam iudicis, sed authoritate publica, hoc illis permittente ob iustum dolorem, vt patet.

Dices; non licet maritis in foro conscientiæ 26.
vxores adulteras in scelere deprehensas occidere? Ergo non licet etiam illis, eas in eodem foro in iudicio accusare ad mortem, & criminaliter: quid enim refert magis illas occidere gladio publico, & authoritate iustitiæ, illas accusando; quàm gladio priuato, & authoritate priuata? Respondeo negando illationem, quia leges publicæ, & iustè, & expressè concedunt hanc accusationem, & non permittunt tantùm; nam aliud est permittere aliquid, aliud expressè concedere. Concedunt enim leges huiusmodi accusationem iustam, & iuridicam, vt publica iudicis, & iuris authoritate probata in iudicio ad emendationem aliorum puniantur; *non enim Principes, ac Reges sine causa gladium portant*, hoc est, iurisdictionem, vt inquit D. Paulus, *sed ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Et ideo cum Principes, & leges publicæ hanc accusationem licitè, & iustè concedant, licitè, & iustè possunt mariti accusare adulteras, vt hactenus diximus.

SVMMARIVM.

In omnibus casibus in quibus patribus, & maritis permittitur impunè filias adulteras, vxorésque occidere, non incurrunt ipsi irregularitatem, nec excommunicationem, si fortè adulter occisus, sit clericus. *num.* 27.

Nomine vxoris comprehenditur sponsa in matrimonio iam rato. num. 28. *si sponsa de præsenti, non de futuro.* *ibid.*

An nomine filiæ, intelligatur filia adoptata? Refertur opinio negatiua. *num.* 29.

Refertur opinio affirmans. num. 30. *Iudicium authoris.* *ibid.*

An permissum sit patri, & marito impunè occidere vxorē, & filiam adulteras, si prægnantes sint. n. 31. *Refertur opinio affirmans.* *ibid. &* 33.

Refertur negans. num. 32. *Iudicium authoris.* *ibid.*

An patres, & mariti possint huiusmodi homicidia alijs demandare, ita vt ipsi mandatarij impunè id faciant, sicut ipsi impunè efficerent. n. 34. *&* 35. *& speciatim.* *num.* 39.

Refertur tertia opinio circa hanc rem. num. 36.
Iudicium authoris. num. 37.
Solum filij de mandato patris matrem adulteram occidere possunt impunè. num. 38.
Quid senserit Couarruuias in hac re. num. 40.

27. Illud autem notandum est, in omnibus casibus, in quibus permittitur viro vxorem cum adultero occidere, & patri filiam nuptam similiter adulteram, posse illos id efficere absque metu excommunicationis, vel irregularitatis, etiamsi ipsi adulteri sint clerici, religiosi, aut in quauis alia dignitate Ecclesiastica constituti; parcit enim ius canonicum illis in hoc casu propter iustum dolorem, & ideo illos in excommunicatione non vult comprehendere. ita textus *in cap. si verò alicuius, de sentent. excommunicat.* ibi: *Nec ille compellendus est ad Sedem Apostolicam venire, qui in clericum cum vxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inuentum manus iniecerit violentas. Cæterùm si in stupro, vel adulterio, quod committit cum ea, quæ ipsum ita proxima consanguinitatis linea non contingit, ceperit, aut in eum violentas manus iniecerit, non erit à sententia illius excommunicationis immunis.* Hæc ibi. Quare quamuis mortaliter peccent, eos propria authoritate contra iustitiam occidendo, vt diximus *n.* 20. non tamen incurrunt hanc excommunicationem. Ita Toletus *lib.* 1. *summa cap.* 33. *num.* 1. Suarez *tomo* 5. *de censuris, disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 34. Syluester *verb. Excommun.* 6. *num.* 6. §. 10. Cardosus *in praxi de iudicib. verbo, Excommunicatio, num.* 20 Bermond. *in tractat. de concubinatu, fol.* 267. *num.* 5. Couarru. *lib.* 2. *variarum, cap.* 10. *num.* 8. Iulius Clarus *lib.* 5. *sentent.* § *finali, quæst.* 77. *num.* 11. Claudius *in l. vt vim ff. de iustit. & iure, num.* 85. Menochius *de arbitr. quæst. casu* 419 *num* 92. Ceuallos *communis contra communem, quæst.* 833. *num.* 301. Et quamuis istis verbis videatur incurrere illos excommunicationem, sed non reseruatam Papæ; tamen auctores allegati, & omnes alij communiter aiunt ibi excipi huiusmodi personas ab omni excommunicatione, quia etiam Summus Pontifex in hoc capite loquens de his, qui clericos ob suam iustam defensionem, percutiunt, ait, eos non esse compellendos venire ad Sedem Apostolicam pro absolutione, & tamen certissimum est, eos, qui clericos occidunt, vel percutiunt ob suam iustam defensionem, nullam censuram incurrere. Vnde cum Summus Pontifex vtrobique eodem modo loquatur, vtrobique eos ab omni censura tam reseruata Summo Pontifici, quàm non reseruata excusat. Parcit enim Ecclesia tanto, & tam iusto dolori, & non reputat istam occisionem, vel percussionem tanquam suadente diabolo factam, sed tanquam ex vehementissimo, & iustissimo dolore, & ideo non vult homines tanto dolore vulneratos, iterum diro excommunicationis mucrone ferire. Et idem videtur de irregularitate, ob easdem causas, quia textus ita loquitur de huiusmodi percussoribus, & interfectoribus, atque de illis, qui se iustè defendunt. Constat autem eos, qui se iustè defendunt, nullam irregularitatem contrahere occidendo suos inuasores, vt suprà latè probauimus. In eo tamen casu, in quo maritus impune, & absque vlla excommunicatione canonis *si quis suadente*, occidit vxorem & clericum cum illa in adulterio inuentum; dubium est, an si solùm occidat vxorem, an tunc adulter fiat irregularis, quod soluemus *cap.* 13. *num.* 13.

Tolet. Suarez. Syluest. Cardos. Bermond. Couarr. Iul. Clar. Claudius. Menoch. Ceuallos.

28. Nomine vxoris comprehenditur sponsa de præsenti, non de futuro, quia iuxta leges ciuiles possunt sponsi de præsenti sponsas suas accusare ob adulterium. *l.* 3. *ff. de adulter* & non possunt illas dimittere, sponsas verò de futuro possunt dimittere, non possunt accusare. Ita glossa *in dicto cap. si verò alicuius, de sentent. excommun. verbo, Cum vxore.* Suarez *tomo* 5. *de censuris, disput.* 21. *sect.* 1. *num.* 36. Iulius Clarus *lib.* 5. *sentent.* §. *homicidium, num.* 49. Couarr. *in* 4 *decretal fol.* 13. *n.* 12. & alij. Nomine etiam *matris*, non veniunt omnes ascendentes, respectu descendentium, & quia minor in cæteris remotioribus fit iniuria, & quia in iis, quæ deuiant à iure communi, non est extendenda licentia: ita glossa *in dicto cap. citato, verb. Matre*, & nos id iam suprà diximus à *num.* 10.

Suarez. Iul. Clar. Couar.

29. Dubitatur de filia, de matre, & sorore etiam adoptatis, an comprehendantur etiam in hoc *cap. si verò alicuius, de sententia excommun.* Negat Suarez *dicto tomo* 5. *de censuris, disput.* 22. *sect.* 1. *n.* 34. vbi citat glossam *in dicto cap. in verbo, matre, & in verbo, turpiter, & verbo, contingit*, quam dicit communiter receptam: sed glossa ibi non loquitur ad dubium præsens clarè, deducitur tamen ex illa id, quod ait Suarez. Fundamentum illius est, quia hæ omnes, verè, & propriè non sunt filiæ, nec sorores, nec matres, & in intelligentia illius textus sistendum est in proprietate verborum; quia licet ea extensio videatur fauorabilis respectu percutientis, & in fauorabilibus propter iustum dolorem detur extensio, tamen est odiosa respectu clerici, & respectu fœminæ cum qua inuenitur, & quia in his personis non est tam iusta causa doloris, cum linea veræ, & propriæ consanguinitatis eas non contingat.

Suarez.

30. Affirmat autem Farinacius *in praxi tomo* 4. *quæst.* 121. *num.* 2. *&* 5. vbi dicit idem dicendum esse de filia legitima, naturali, & adoptiua: & allegat textum in *l. Nec in ea ff. ad legem Iuliam, de adulter.* vbi textus ita ait: *Nec in ea lege naturalis pater ab adoptiuo separatur*, & idem est de matre, & sorore adoptata, & cum Farinacio idem glossa *in l. Patri, num.* 1. *in verbo, patri. verbo item non est vis ff. eodem.* Concordabis tamen vtramque opinionem perquam facilè, si dicas, in foro Ecclesiastico, & de iure canonico quoad excusationem excommunicationis capitis *si quis*, non venire nomine patris, patrem adoptiuum, nec nomine matris, filiæ, & sororis, matrem, sororem, & filiam adoptiuam. Secus de iure ciuili, quoad excusationem impunitatis homicidij: quamuis probabilis etiam sit opinio Farinacij de iure Ecclesiastico propter textum legis, quam allegat, cuius authoritas debet præualere authoritati glossæ prædicti capitis *si verò, de sentent. excommunicat.* De filia tamen naturali, & non legitima, puto in vtraque opinione comprehendi, & non innodari patrem aliqua excommunicatione, nec irregularitate, si clericum cum ea inuentum perimat, vel percutiat, & tale homicidium esse impunibile in foro ciuili externo, quia pater naturalis verè, & propriè est pater in linea veræ, & propriæ consanguinitatis, vt requirit textus *in d. cap. si verò alicuius de sentent. excommun.*

31. Rogas hîc etiam an permissum sit patri propter adulterium occidere filiam prægnantem in in eodem adulterio inuentam, & marito vxorem similiter prægnantem. Et hac de re partita est opinio. Prima affirmat, eam docet Bart. *in l. Imperator* 2. *num* 2. & ibi etiam Baldus, & Angelus *de statu homin.* & additionatores *in l. Gracchus, in C. in verbo, dum tamen filiam occidas, C. ad legem Iuliam*

Angel. August. Cartes. Ant. Gom. Iodoch. Decian.

Iuliam de adulter. Angel. *de maleficijs, in verbo, Chey adulterato, num.* 1 t. & ibi August. *in addition. num.* 19. *versu, Item adde.* post multos & graues auctores, quos allegat in præfata *l. Imperator. ff. de statu homin.* Carrer. *in pract. tractat.* 3. *de homicid. & assassin §. octauo excusatur, num* 6. *& §. nono excusatur.* Anton. Gomez *in l.* 89. *Tauri, num.* 5. vbi loquitur de marito respectu vxoris prægnantis. Sed eadem est ratio vtrobique. Iodochus *in pract. criminali cap.* 89. *rubr. de adulter. num.* 21. Decianus *tract. crimin. lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 16. Ratio, ac fundamentum illorum est, quia illi vtuntur permissione sibi à iure facta, & solùm intendunt vti iure suo, repellendo iniuriam, & non intendunt occidere partum; per accidens enim est, quod illius occisio sequatur. Secundò, quia iustus dolor propter quem pater impunè potest occidere filiam in adulterio inuentam, æqualiter procedit in filia prægnante, & non prægnante.

Et idem mihi planè videtur dicendum de irregularitate; non enim ob huiusmodi occisionem, irregularitas ex delicto homicidij voluntarij incurritur; sicut enim non incurritur excommunicatio, ita nec irregularitas, parcit enim Ecclesia his pœnis propter iustissimum dolorem; nec reputat hoc homicidium tam ex voluntate, quàm ex vehementissima passione, factum propter iustum dolorem, quia textus ita loquuntur de huiusmodi percussoribus, & interfectoribus, ac de illis, qui se iustè defendunt; constat autem eos, qui alios se iustè defendendo occidunt, nullam excommunicationem, aut irregularitatem incurrere, vt diximus in hoc libro *cap.* 3. *num.* 1. *versu, Quod verò.* Et hæc opinio habet pro se omnes Doctores, qui dicunt licitum esse in foro conscientiæ patri, marito, & fratri, occidere filiam, vxorem, & sororem adulteras simul cum adultero, quicumque ille sit, in adulterio inuentas, quos citauimus in hoc capite, *num.* 20. & hi sunt

Ant. Gom. Castil. Menchac. Azeued. Barbos.

Anton. Gomez *lege* 8. *Tauri, num.* 52. *&* 55. Castillo *l.* 82. *Tauri, num* 6. *in fine.* Menchac. *lib.* 1. *controuers. cap.* 6. *num* 2. Azeued. *lib.* 8. *recopilat. tit.* 20. *leg.* 1. *in fine, & lib.* 4. *tit.* 10. *leg.* 1. *num.* 21. Barbosa *in l. Si ab hostibus, §. finali, num.* 56. *tom.* 2. *pag* 129. *col.* 2. vbi ait leges in ea re maritos, & patres executores facere delicti, quamuis nulla præcedat sententia, & iustissimas esse ob bonum commune, pacemque publicam Reipublicæ, & citat pro hac parte Felinum in cap. *Quæ in*

Iul. Clar. Sà.

Ecclesiar. num. 13. *de const.* idem tenet Iulius Clarus *lib.* 5. *sent. §. homicidium, num.* 5. *versu, Sed hæc quidem*, vbi alios citat, & Sà *verb. Homicidium, num.* 15. vbi sentire videtur hoc esse probabile. Patet ex lege Lusitaniæ *lib.* 5. *tit,* 38. *noua recopil. titul.* 38. *initio.* ibi: *Licitè possunt occidere.* Patet etiam ex lege Castellæ *lib.* 8. *ordinam leg.* 5. *tit.* 20. ibi: *Iustè possunt occidere*, quod perinde est, ac licitè. Et citare possumus pro hac parte caput, *Admonere* 33. *quæst.* 2. ibi: *Non inuenisti eam cum alio rem nefariam facientem*; ergo si inuenisset, citra culpam occidisset.

Et ratio est Primò, quia ad incurrendam irregularitatem requiritur culpa mortalis, in hoc autem casu non adest hæc culpa mortalis, cum actus homicidij sit iustus, & licitus. Nec dicendum est has leges esse iniustas cum bonum commune, & pacem Reipublicæ intendant. Secundò, quia occidens, vel percutiens clericum cum moderamine inculpatæ tutelæ ob defensionem proximi etiam extranei, non incurrit excommunicationem capitis, *Si quis suadente diabolo*, vt communiter tradunt DD. & nouissimè Bonacina *tom.* 1. vbi de irregularitate ob defensionem suam, suarumque rerum, & proximi *disp.* 7. *quæst.* 6. *punct.* 7. *proposit.* 3. *pag.* 408. *col.* 1. ergo neque etiam incurret irregularitatem maritus, pater, & frater, qui vxorem, filiam, & sororem adulteram occiderit; licitum est enim in hoc casu argumentari à simili, cum ista irregularitas non incurratur sine peccato, sicut nec incurritur excommunicatio. Tertiò, quia vt docet Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 22. Suarez. *sect.* 2. *num.* 34. loquens de excommunicatione (vt idem doceret, si loqueretur de irregularitate) quamuis huiusmodi occisores à culpa mortali non excusentur apud Deum, tamen censuram Ecclesiæ non incurrent (& consequenter nec vllam aliam pœnam velut irregularitatem,) quia Ecclesia suo præcepto, & obedientia non vult obligare in casu tam acerbo, in quo vis doloris vehementer hominem commouet, & ideo non reputat hanc percussionem tanquam factam suadente diabolo, sed vt factam ex vehementi passione, & magis iudicat humanam quamdam defensionem, quàm violentam oppressionem, aut vindictam. Et idem dicendum est, addit ibi Suarez, *quando quis inuenit clericum, illumque occidit, turpiter peccantem cum matre, filia, aut sorore, non verò cum alia consanguinea inferioris gradus præter istos*; quod constat ex cap. *Si verò, de sent. excommunicat.* Quartò, quia vt probat Sanchez Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 16. *&* 17. cum multis, quos ibi allegat, excommunicatio, & irregularitas ex delicto (qualis ista est ex homicidio voluntario) pari passu currunt quoad pœnam; ergo si non incurritur excommunicatio in huiusmodi homicidij delicto, neque etiam incurretur irregularitas, cum quod de vna dicitur, de alia etiam dicendum sit, & pari passu procedant.

Secunda opinio negat, addit tamen puniendum esse tunc patrem ob iustum dolorem, non pœna mortis ordinaria, sed ad arbitrium iudicis mitiori alia propter occisionem partus. Hanc tenet Baiardus in additionibus ad Iulium Clarum *in §. homicidium, num.* 167. Farinacius *in praxi tom.* 4. *quæst.* 121. *num.* 5. *&* 47. Fundamentum illorum est, quia in ea occisione exceditur iuris permissio, ius enim solùm permittit occisionem filiæ, non partus illius, qui excessus debet à iudice puniri arbitrio saltem iudicis. Verùm arbitror probabiliorem esse primam sententiam propter suos authores, & fundamenta, maximè, quia partus dum adhuc est in ventre censetur moraliter loquendo vnum cum matre, si impunitas homicidij filiæ conceditur patri illius in hoc casu, simul etiam, & innolutè videtur ei concedi moraliter loquendo occisio partus. 32.

Idem quod diximus de patre respectu filiæ adulteræ prægnantis; dicendum est etiam de marito respectu vxoris grauidæ, ob idem fundamentum. Ita Antonius Gomez allegatus, qui expressè loquitur de marito respectu vxoris, Cynus *in* Cynus. *l. Gracchus, citata, num.* 2. *notabili* 2. & alij communiter. 33.

Rogas rursus, an pater, & maritus possint huiusmodi homicidia filiæ, & vxoris adulteræ aliis demandare, sicut possunt per se ipsos illa exercere; ita vt mandatarij impunè id efficiant, sicut mandantes efficiunt. Et verò si loquamur de iure Lusitano affirmandum est, vt diximus *num.* 5. *versu, In omni autem casu.* Si loquamur de iure communi, affirmat Bellamera *in l. Gracchus, in fine, C. ad* Bellap. Afflict. *legem Iuliam de adult.* Afflictis *in const. Reg.* 3 *p.* 34.

rubr.46.num 4 §. si maritus; nam quamuis Afflictis loquatur eo loco, de illo casu in quo maritus (idem de patre) est senex, vel impotens ad exequendum factum ptuptet imbecillitatem, vel infirmitatem corporis; inde tamen generaliter concludit, id quod est licitum, & impunè mandanri, esse etiam licitum, & impunè in persona mandatarij,

Iul. Clar. Carrer.

Iulius Clarus *in pract. crimin. §. homicid. num.42. & 51.* Carrer. *in eadem practic.tract. 3. de homicidio, & assassinio, num.13. § 8.* vbi id etiam concedit, etiamsi pater, vel maritus pecunia mandatarios conducant.

Cæpoll.

Cæpolla *de seruit. vrba. c.23. circa finem*, & hoc communiter seruari in practica ait Iulius Clarus allegatus *num.51. alias 41.*

Bald Iul. Clar. Angel. Roland. Couarr. Claud. Bolognet.

35. Negant verò loquendo de iure communi, Baldus *in cap. Si quis verò, num.3. de pace iuram. formata.* Iulius Clarus *dict. §. homicidium, num.51.* August. ad Angelom *de maleficijs, verbo, Che ay, num.64.* Rolandus *consil.24. num.29 lib.2.* Marsil. *in l.1. num.4. C. de raptu vir.* Couarr. *in epitome 2. part. cap.7. §.7. num.5.* Claudius, quem allegat, & sequitur Bolognetus *in repet. legis, Vt vim, num.100. ff. de iust. & iure*, vbi generaliter resoluit, quod non in omnibus casibus, in quibus datur in iure impunitas vindicandi se, detur etiam impunitas mandatariis, quamuis Iulius Clarus, & Rolandus loquantur de puncto rigoris iuris, affirmentque practicam esse in contrarium, pro prima opinione sæpè iudicatum fuisse. Fundamentum illorum est, quia id quod odiosum est iuri, & est dispensatio illius, strictè est interpretandum, vt saluentur verba tantùm legis. Vnde cum huiusmodi casus, & hæc permissio à iure communi deuiet, & illi sit odiosa, non est impunitas illius ad alias personas extendenda: nam hæc dispensatio impunitatis, est mors iuris communis, & cum sit illius mors, non est extendenda, ne fories iustum, & innocens ius interficiatur.

36. Alij inducunt tertiam opinionem, & aiunt posse patrem solis filiis mandare, vt sororem, & matrem adulteras cum adulteris inuentas occidant, & si tunc id filius efficiat, patrique pareat, omnino excusari à pœna, & impunè facere. Videtur hæc opinio potere ex *l. Gracchus, §. idemque filij, C. ad l. Iul. de adult.* & id docet ibi glossa *in verbo, Præstandum*, vbi rationem reddit, quia licet filius non teneatur obedire parentibus in peccatis, potest tamen illis impunè obedire, in iis, quæ à iure sibi permissa sunt, cum hac glossa

Buttius. Bellam. Felin. Nouell. Couarr.

idem docet Buttius ad dictam *legem Gracchus, versu, Oppono, ad 2.* Bellamrra *ibi in fine, versu, Si ergo parcitur patri, & per consequens filij.* Felinos *in cap. Si verò alicuius, de sent. excomm. versu, Limita nisi pater mandaret filiji.* Nouellus *in pract. criminali, §. non aliter, num.9.* Couarr. *in epitome 2. part. cap.7. §.7. num.5.* vbi ait hanc opinionem esse vsu frequentissimam, quamuis ipse illam veram non credat, defendatque nec etiam filio hoc mandari à patre impunè posse.

Ant. Gom. Farin.

Anton. Gom, *l.80. Tauri, num.61.* Farinacius *tom. 4. in praxi, quæst.125. num.18.* vbi alios refert. Ratio esse potest, quia pater censetur vna persona cum filio, & quia iustus dolor æquè patrem, ac filium tangit. ergo & iusta impunitas, quæ fundatur in dolore iusto.

37. Ex his tribus opinionibus, sequere quam mauis; omnes enim sunt probabiles. Ista tamen tertia videtur cæteris probabilior propter firmamentum legis, Gracchus, in qua fundatur, in § *idemque filij.* Vnde pater, quòd licet frater non possit impunè occidere sororem in adulterio inuentam, vt diximus *num.10.* nec filius matrem, vt ibidem etiam diximus, hoc tamen fallere, quando facerent de mandato patris.

38. Sequitur, vt soluamus fundamenta primæ, & secundæ opinionis. Ad fundamentum primæ respondeo parum referre, quòd pater, & maritus id per se efficere non possint propter senectutem, aut infirmitatem; nam ex eo quòd id per se efficere non possint, non sequitur, quòd possint id aliis personis extraneis demandare, easque pretio ad eam peremptionem conducere; solùm enim filij id de mandato patris possunt efficere impunè, vt dicimus in tertia opininne. Nec inde sequitur manere patres, & maritos absque vindicta, si filiis careant, cum via iuridica eam vindictam procurare possint. Ad fundamentum secundæ opinionis dices hunc præsentem casum non deuiare à iure communi, cum in dicta *l. Gracchus, C. ad l. Iuliam de adulterijs, in §. denique*, habeatur expressè, quòd patres id filiis demandare possint, ibi: *Denique filij eius, qui patri paruerunt, præstandum est*, hoc est, vt impunè faciant, vt ait glossa *in verbo, Præstandum*, non autem alij à filiis, nec etiam famuli, aut familiares.

39. Ex hac resolutione, resolutum manet etiam illud dubium; an possint patres, & mariti conuocare amicos auxiliatores ad eam rem? Et verò, si sermo sit de iure Lusitano, non est ea de re dubitandum, vt diximus *num.5. §. in omni casu.* Si verò sermo sit de iure communi, mirum est, quod omnes id concedant, etiam illi, qui hoc alteri extraneo mandari posse negant. Et verò authores primæ opinionis *num.32.* relati, consequenter loquendo bene id affirmant; alij verò ex secundi, & tertia opinione, parum consequenter. Ita ex secunda Rolandus *consil.34. num.8. lib.2.*

Couarr. Marsil. Farin.

Couarruuias *in epitome 2. part. §. 7. cap. 7. num.5.* Marsilius *in l.1. num.13. C. de raptu virg.* Ex tertia Farinacius *tom.4. in praxi, quæst.121. num.10. & num 87.* Docent etiam id præter authores secundæ, & tertiæ opinionis

Baiard. Viuius. Odofred. Angel.

Baiardus *in adnotation. ad Iulium Clarum, §. homicidium, num.185.* Viuius *opinione 33. num 9.* Odofredus *in dicta l. Gracchus, in figuratione casus, ante numerum 1. versu, Vnde venit cum filij, & num.20. § item nota*, & ibi Angelus *num. 2. versu, Nota bene pro sociantibus.* Omnes ex eo fundamento, quia quando alicui permissa est in iure vindicta, permissum quoque est ei ad eam exequendam vocare consanguineos, & amicos, & alios quoscumque extraneos; nec enim huiusmodi socij vocati diuersa pœna puniuntur, quàm vocantes, sed omnes impunè faciunt; si enim aliquis impunè aliquid facit, impunè etiam potest iuuari ad illud, sicut qui licitè aliquid facit, licitè etiam iuuari potest, vt est communis Doctorum resolutio.

40. Imò Couarruuias modò allegatus potat posse patres ad id vocare extraneos, extraneosque eos iuuare impunè, non tamen filios, quia nunquam possunt occidere matrem impunè, propter pietatem naturalem, quam filij exercere debent in parentes. Verùm Couarruuias in hoc à via omnium Doctorum deuiat. Aliud est enim filios hoc posse licitè contra matres præstare iussu patrum, aliud impunè; licitè, nec etiam iussu patrum id præstare possunt, sicut non possunt etiam alij quicumque extranei vocati: impunè possunt hoc præstare, quemadmodum & patres propter iustum dolorem, quia cum vna, eademque persona moraliter censeantur cum patribus, si patres hoc impunè præstare possunt; possunt etiam filij,

vt

vt diximus: quamobrem magis hoc possunt impunè facere filij vocati, & iussi à parentibus, quàm alij extranei propter iustum dolurem, quem ius in hoc casu considerat, & ob quem huiusmodi impunitatem concedit, vt bene animaduertit Farinacius *in praxi dicto tomo 4. quæst. 121. num.* 87. & Anton. Gomez *in l. Tauri* 80. *num.* 61. Baiardus allegatus, *num.* 185. quare persisto in nostra vltima sententia, quamuis fatear alias etiam duas probabiles esse. Farinacius. Ant. Gomez. Baiardus.

CAPVT XI.

An liceat alicui se ipsum occidere, patique sui occisionem, & quatenus. An duces nauium Regiarum & arcium se ipsos indirectè perimere possint, ne hostes præda fiant ditiores, animosioresque. Quid de iis, qui se nimiis ieiuniis, & pœnitentiis macerant, & affligunt.

S V M M A R I V M.

Quibus modis se ipsum possit quis occidere. num 1.

Refertur hæresis Circumcellionum affirmantium Martyres esse, qui se ipsos occidebant, vel mandabant alios occidere. num. 2.

Occidentes se ipsos priuantur Ecclesiastica sepultura si in pleno iudicio id faciant. ibid. & 3.

De iure communi occidens se ipsum, aut tentans occidere, etiamsi mors non sequatur, infamis est, num. 4.

An peccet contra charitatem propriam, an contra iustitiam in Rempublicam ille, qui se ipsum occidit. num. 5.

An duces mioparonum classis regiæ, vel nauium Indicarum, quando nec hostiles naues fugere, nec vincere possunt, possint licitè naues igne cremare, se etiam indirectè occidendo intuitu eneruandi hostes. num. 6.

Refertur opinio affirmatiua. ibid.

Potest quis ignem inijcere pulueri tormentario ad solo æquandam turrem hostilem, etiamsi sciat se fore in momento cremandum. num. 7.

Possunt illi, qui patriam iusto bello defendunt, facinus aggredi, quo patriam liberent, etiamsi ipsi eo facinore moriantur, num. 8. *Refertur exemplum Eleazari.* ibid.

In naufragio, si haberes vnam tantùm tabulam apprehensam, qua possis saluari, licitè poteris illam amico dimittere, vt illa saluetur, te tuam mortem permittente, quia intendis bonum amicitia, non mortem tuam. num. 9.

Actiones humanæ liberæ ex fine redduntur bonæ, quicquid sit de eo, quod per accidens, & concomitanter sequitur. num. 10.

Laudatur in sacra Pagina Razias, qui se ipsum interfecit, ne in manus hostium deueniret, ne hostes insolentes fierent. num. 11.

Licitum est minus bonum pro maiori bono periculo exponere. num. 12.

Nonnulli milites bono zelo se indirectè peremerunt, ne hostes ex captis fierent insolentiores, & vt illos diuite præda priuarent, num. 13. *Refertur exemplum, quod contigit in vrbe Tata in Vngaria inferiori.* ibid.

Refertur secunda sententia negans, num. 14. *Iudicium authoris.* ibid.

An possint Reges Catholici, & Christiani iustam legem sancire, ne sui subditi captiui pecuniis redimantur, ne hostes iis pecuniis fiant potentiores, num. 15.

Iudicium authoris. num. 16.

An liceat vitam corporalem ieiunijs, & pœnitentiis decurtare. num. 17.

An vti crudis, & acerbis herbis, & cibis, vt illa decurtetur. num. 18.

Quid de Carthusianis. num. 19. & 20.

1. DVOBVS, vel tribus modis se ipsum quis potest occidere: primò directè & immediatè, ferro, laqueo, igne, sulphure. Secundò, indirectè, & mediatè, ieiuniis, vigiliis, abstinentiis corpus affligendo ea intentione, vt inde mors sequatur. Tertiò permissiuè, idest, permittendo se ab aliis occidi: & de his omnibus modis agemus.

2. Primò ergo dubium esse potest, an liceat alicui in aliquo euentu se ipsum directè occidere: fuit enim olim, vt ait Gabriel Prateolus *in elencho hæresis lib. 3. cap. 19.* tempore Iulij Papæ, & Constantini Imperatoris genus hominum, quos Circumcelliones appellabat antiquitas, famosissimæ audaciæ, docentes quemcumque hominem se occidentem, vel præcipientem alteri, vt se ipsum occideret, esse verè Martyrem, quæ hæresis damnata fuit in Concilio Bracharensi, cap. 34. & refertur in capite Placuit 23. quæst. 5. ibi, *Placuit, vt qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro eis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur.* Patet etiam ex quinto Decalogi præcepto *Non occides:* quibus verbis quælibet occisio tam propria, quàm alterius priuata authoritate facta, & rectæ rationi repugnans directè prohibetur: nihil autem magis rectæ rationi repugnat, quàm se ipsum perimere. Nam sicut homo non est dominus vitæ suæ, vel suorum membrorum, ita neque animæ suæ, quæ est pretiosior corpore. Vtrumque autem quis perdit se ipsum occidendo, & animam, & corpus; ergo grauissimum peccatum committit. Ita docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. Bonauent. *in 3. dist.* 37. *num.* 10. D. Anton. 2 *part. titulo 7. cap. 8. circa medium, §. quantum ad* 1. Farinacius *tomo 4. quæst.* 128. *à numero primo, & sequentibus:* vbi multos citat, quorum allegationibus parcendum puto; res enim adeo clara, & indubitata est, vt nullam allegationem postulet. Prateolus. D. Thom. Bonauent. D. Anton. Farinacius.

3. Solum animaduerto, vt quis se perimens sepultura priuetur, opus esse, quòd in pleno iudicio se perimat: nam si in furore faciat, non priuabitur Ecclesiastica sepultura: non enim solet pia Mater Ecclesia hos illa priuare, nisi sibi plenè constet, sui compotes esse, cum sibi mortem consciuêre: in dubio autem an pleno iudicio vterentur, cum sibi mortem consciuerunt, non sunt priuandi Ecclesiastica sepultura, quia in dubio inclinandum est in fauorem, sed minori apparatu Ecclesiastico sunt sepeliendi, vno scilicet, vel altero Sacerdote sociante, ad aliorum terrorem, ita Farinacius allegatus, *num.* 16. Carrer. *in pract. tract.* 3. *de homicid. & assassinio, num.* 5. §. *modò hic,* Iodochus *in pract. criminal. cap.* 88. *num.* 5. & alij multi, quos citat, ac sequitur Farinacius. Carrer.

4. De iure communi ciuili occidens se ipsum, vel tentans

rentaos occidere, etiamsi mors non sequatur, infamis est Ita textus *in l. si aliquid. §. finali, ff. de pœnis, & in l. omne delictum §. qui se vulnerauerit, ff. de re militari*, quæ loquuntur de militibus, atque adeò de nobilibus se ipsos perimentibus etiam in eo casu, in quo effectus mortis non fuerit secutus, & in eo etiam casu, quo quis tædio vitæ, furore, pudore, aut alia simili causa se voluerit occidere, vt doctè animaduertit. Igneus *in l. 1. § si*

Ioan. Andr. *sibi manus, ff. ad Syllan. num. 17. & 20.* Ioannes And. *in addit. ad Speculatorem titulo, de pœnis, §. 1. in verbo, Præhibimus, in fine additionis*, vbi ait debuisse quemdam aduocatum qui se Paduæ voluit occidere, ea de causa, vt infamem ab aduocatorum nobili officio remoueri. Arbitror tamen hanc pœnam infamiæ non esse in vsu in eo casu, quo quis furore actus id facit; pœna enim infamiæ supponit grauem culpam, quam constat non habere illum, qui ob furorem à mentis ratione statúque deiectus est.

5. Communiter autem resoluunt DD. eos, qui se ipsos occidunt peccare mortaliter contra charitatem erga se ipsos, & contra iustitiam erga Rempublicam, & Deum, quia Reipublicæ, quorum sunt membra, ac partes iniuriam inferunt. Ita

D. Thomas. Sotus. Couarr. Sayrus. Petrus Nau. docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 64 art. 5. ad* 1. Sotus *lib. 4. de iust. quæst. 2 art. 3. conclus. 1. & lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 5. in corpore, & ad* 1. Couarr. *lib. 1. var. resolut. cap. 2. num.* 8. Sayrus *in claui regia lib. 7. cap. 17. num.* 1. Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 34.* sed hic existimat peccare eos solùm contra charitatem in semetipsos, non contra iustitiam in Rempublicam, in quo non bene ait. Animaduertit tamen Sayrus, & bene, peccare eos quidem contra iustitiam lato modo, quatenus scilicet iustitia est virtus generalis ad omnes virtutes; non enim se ipsum perimens peccat contra iustitiam distributiuam, cum nullus honor, nullum officium commune, nulla dignitas distribuatur inter multos Non contra iustitiam commutatiuam erga Rempublicam, cum Respublica non sit domina vitæ suorum ciuium propriè loquendo: non enim restitutio vitæ ciuium iubetur fieri Reipublicæ. Vnde ille, qui se ipsum occidit, non facit iniuriam Reipublicæ, & quamuis faceret, in se minima iniuriam faceret: quid enim quæso interest Reipublicæ vnum, vel tres, vel plures homines amittere, cum tantam illorum habeat multitudinem? Deinde, quia si Respublica haberet verè, & propriè dominium in vitam suorum ciuium, posset illud remittere, & non peccaret remittendo illud, constat autem Rempublicam grauiter peccare, si liberè, & absque causa concederet facultatem ad occidendum aliquem. Cùm igitur constet, non posse Rempublicam hanc facultatē liberè concedere, sequitur non habere verum dominium in homines, sed lato modo, quatenus de illorū vita, & bonis in commune vtilitatem potest disponere, neque etiam ille, qui se ipsum perimet, peccat contra iustitiam commutatiuam erga Deum: nam Dei ad homines nulla est iustitia commutatiua respectu rerum temporalium, vt patet. Quamobrem displicet

Aragon. omninò sententia Aragonij 2. 2. *quæst. 62. tract. de dominio, in dubio de domino vitæ, conclus. 1. in fine*, quatenus ait, eodem prorsus modo peccare contra iustitiam illum, qui se ipsum occidit, ac qui

Aristotel. D. August. alios occidit, citans pro se Aristotelem, *lib. 5. Ethicorum, cap. 11.* & D. Augustinum *de ciuit Dei, cap. 20.* sed Aristoteles, & Augustinus loquuntur de iustitia lato modo, non de iustitia rigorosa, & commutatiua, de qua nobis sermo est, vt patet.

Sed grauissimum dubium est; an duces nopatonum classis regiæ, & nauium Indicarum, quando aliter hostium manus effugere, aut vincere non possunt, possint licitè ignem pulueri sulphureo adhibere, vt ipsi, & naues absumantur, ne in hostium manus deueniant, non eo animo, & intuitu, vt se ipsos occidant, sed animo eneruandi hostes, priuandique ea præda, ne postea insolentiores, & potentiores in nos iis diuitiis, vel armis fiant: quod dupliciter contingere potest. Primò, vel quando sunt iam naues oppletæ hostium multitudine contra quam nostri præualere non possunt. Secundò, vel quando sunt tam magna multitudine hostilium nauium circumuectæ, vt euadere nequaquam possint. Et de vtroque modo procedit quæstio. 6.

Et in hac quæstione duplex potest esse sententia, quæ licet adhuc à nemine, quod sciam, tractetur, præterquam breuissimè à Lessio *tomo 1. de iust. lib 2. cap. 9. dub. 6. num. 32.* illius tamen cognitionem puto hoc tempore fore non iniucundam, quo plurimi hæretici nostris prædis fiunt insolentiores. Pro parte igitur affirmatiua, quam tenet Lessius, hæc militant fortissima fundamenta. Primò quia huiusmodi duces non intendunt se perimere directè, & positiuè, sed pro bono communi, & authoritate sui Regis directè intendunt eneruare hostem contra quem iustum bellum gerimus, illúmque priuare ea præda, ne postea fiat insolentior, licet concomitanter, & per accidens propriam mortem ipso facto sibi inferant; ipsi enim benè optassent, & saluis, hostes perdere, si possent. Lessius.

Secundò, quia potest quis ignem iniicere pulueri tormentario ad solo æquandam hostilem arcem, & si sciat, se momento dissipandum fore; neque enim ipse propriè se interimit, sed ignis impetus, & arcis ruina illius interitum afferunt, cui se ob iustissimam causam exponit; non secus ac is, qui se volanti telo obiicit, vt vitam sui principis tueatur, quæ res in bellis penè est quotidiana, alioqui non esset licitum militibus cum periculo vitæ suffodere turres, & mœnia hostilia; quare si illi excusantur, cur non etiam excusabuntur nostri milites, sociique nauales, qui strenuè cum hæreticis dimicantes, cum iam iam vident nauium in potestatem hostium deuenturam, communi consensu ignem pulueri iniiciunt, & se mari committunt, ne & ipsi, & naues veniant in hostium potestatem? non enim intendunt suum interitum, sed ne hostes publico Reipublicæ Christianæ damno illis potiantur. 7.

Tertiò, quia certissimum est in materia de bello, posse illos, qui patriam in bello iusto defendunt, quando certum vident interitum, & cum aliter euadere non possunt, excogitare, & aggredi facinus aliquod, quod sit patriæ suæ saluti, & hostibus detrimento, etiamsi mors inde sibi certissimè obueniat, vt docet Victoria *in relectione de homicidio ad vltimū*, Aragonius 2. 2. *quæst. 62. tract. 1. de domino vitæ, concl. 1. quæst. 64. art. 1.* Valentia *tomo 3. disp. 5. quæst 8. puncto 2. in fine.* Ludouic. Lopez 1. *part. Instruct. cap. 65.* quod patet in facto Samsonis *Iudic. 16.* qui templi columnas euertit, quò moriens plures hostes perimeret, quàm viuens: nam licet D. Aug. *lib. contra 2. epistolam Gaudentij*, asserat Samsonem id fecisse præmouente Deo, & sic obedientē fuisse Spiritui diuino; tamen absque ea præmotione id poterat Samson efficere 8. Victoria. Aragon. Valentia. Ludou. Lopez. D. August.

Sayrus. Lessius. Caiet. Lud. Lop. efficere intuitu debilitandi hostes, quos effugere non poterat, vt docent Saytus *in claui regia, lib. 7. cap. 9 num 9* Lessius *tom 5. de iust lib. 2. cap. 9. dub 6. num 32* Caiet. *Iudic. 16.* Ludouic. Lopez *1. part. Instruct. cap 65. in fine.*

Patet etiam in facto Eleazari 1. *Machabaeor. 9.* quod sacra pagina commendat. Videns enim Eleazarus in arce lignea dorso elephantis extructa duces hostibus exercitus euehi, & inde magnam stragem in suos edere, intelligensque ea machinatione destructa, hostes perituros, magna animi virtute ob communem sui populi salutem subtus bestiam ingressus, eam gladio confodit, ac peremit, licet videret, se ea cadente, periturum, vt periit, præclaræ huius mortis genus inueniens, ait scriptura sacra, vt populum suum, ea clade liberaret, & consequenter, vt hostes eneruaret, D Ambros. debilitaretque, quod factum laudat D. Ambros. *lib 1. de offic. cap 40.* si ergo hoc licitum fuit, & maximè laudabile in Samsone, atque Elazaro non solum propter reuelationem, & motionem Dei, sed etiam ex natura rei, cur non etiam licitum erit, & laudabile nostris ducibus Indicarum nauium, & classis regiæ mioparonum præclarum mortis genus concrematione nauium inuenire, ne diuitiis, & prædis nostris fiant postea potentiores, & nobis magnam cum illis cladem inferant.

9. Quartò, quia in naufragio, & tempestate, si haberes apprehensam in medijs vndis vnam tantùm tabulam, qua saluari posses, licitum tibi erit illam amico, vel regi, vel proximo dimittere, ac dare, vt ipse, te pereunte, saluetur, vt docet Toletus *lib 5. summæ, cap 6 num. 6.* Lessius *tom. 1. de iust. lib 2. cap 9 dub 6. num 3..* & probabimus infrà *cap. 12. num 1?* Et pro debilitatione hostilis exercitus licitum est militibus iustum bellum gerentibus ad duella prouocare, & illa acceptare, vt diximus *cap 8. num. 26. & 50.* Ergo etiam pro bono communi catholicæ Reipublicæ, pro eneruatione, & debilitatione hostium hæreticorum, licitum erit, mortem sibi permittere, nauem cremando, ne hostes plures ex nostris, postea occidant & fiant potentiores.

10. Quintò quia, quando aliquis se exponit certo mortis periculo pro bono patriæ, non eligit per se & directè mortem propriam, sed eligit mortem hostium, & illorum damnum, & solùm per accidens, & concomitanter permittit mortem propriam, propter bonum commune, quod negari non potest, esse licitum, & honestum ex se, & natura sua; quia actiones humanæ ex fine, & obiecto suo bonæ, vel malæ moraliter redduntur, quicquid sit de illis rebus, quæ per accidens, & concomitanter sequuntur, vt communiter tradunt D. Victoria *in relectione de homicidio in responsione ad vltimum argumentum.* Sotus *lib. 2. de iust quæst. 3 art. 8. & lib. 5. quæst. 1. art. 5. ad 4.* Aragon & Salon. *2. 2. quæst. 64. art. 5.* Valent. *tom. 3. disp. 5 quæst. 8 punct. 2.* & alij.

(margin: Victor. Sotus. Salon. Valent.)

11. Sextò, quia id patet exemplo Rasiæ 2. *Machabæor cap 14* qui cum ab hostibus vndique circumdaretur, nec posset euadere, se gladio percussit, & cum se perimere non posset, de muro se præcipitauit. *Eligens*, inquit sacra pagina, *nobiliter potius mori, quàm subditus fieri peccatoribus*, quod factum licet inculent multi, & Raziam peccasse mortaliter affirment, vt D. Thom. 2. 2. *quæst 64. art 5. ad 5.* Sotus *lib. 5 de iust. quæst. 1 art. 5 ad 4.* Aragon. 2. 2. *dict. quæst. 64. art. 5.* Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst 8. punct. 2.* Petrus Nauarra *lib 2. de rest. cap. 3. num. 30.* Lud. Lopez *1. part. instruct. cap. 65* Sylvester *verbo, Homicidium 1. quæst. 1. in fine*, Paulus Burgensis *lib. 2. Machabæor. cap. 14.* ex eo principio, quod neque se occidit ob bonum commune, neque ob amorem veritatis, aut fortitudinis, cum ipse nec sua morte populum liberare potuerit, cum iam essent omnes capti, nec dici possit actus fortitudinis, sed potiùs ignauiæ: maximè, quia Scriptura sacra dum ait maluisse illum nobiliter mori, quàm subditus fieri peccatoribus, intelligenda est iuxta opinionem ipsius Raziæ, qui in ea re fuit deceptus.

(margin: D. Thom. Sotus. Aragon. Valent. Nauarr. Lud. Lop. Syluest. Burgens.)

Tamen Nicolaus de Lyra 2. *Machabæor. 14.* factum illius laudat, illúmque excusat à peccato, quod etiam probabile putat Victoria *in relect. de homicid. in fine ad vltimum argumentum*: diuinatio enim est sacram Scripturam id dixisse ex opinione ipsius Raziæ, & non factum approbantem. Vnde si Razias à peccato mortali excusatur, & ab Scriptura sacra laudatur, cum id non ex intuitu boni communis, & debilitandi hostes fecerit, sed solùm ne ignominiosam mortem pateretur ab hostibus, qua ratione, quo fundamento factum nostrorum ducum improbabimus, cum bono fine, & intuitu id efficiant? Victor.

Septimò, quia licitum est minus bonum iacturæ exponere, propter conseruationem maioris boni; licitum est enim pati præcisionem pedis, manus, vel brachij, propter conseruationem totius corporis, & capitis; ergo licitum est catholicis ducibus naues, & vitam igni exponere propter maius bonum. Quis autem dubitet maius bonum esse Reipublicæ, quod hostes nostris armis, diuitijs, & prædis non potiantur, quàm paucorum vitam manere superstitem? siquidem illis possunt postea maiores classes contra nos instruere, vt nobis postea grauiora damna inferant. 12.

Tandem, quia id fecerunt nonnulli homines bono zelo, bonaque intentione, quos durissimum est damnare ad peccatum mortale. Nam vt refert Antonius Herrera 3. *part. histor. general. Philippi secundi Regis Hispaniarum, lib 53. cap. 19.* tempore, quo Turcarum Rex arcem Tatæ in Vngaria inferiori sitam vi, & armis ceperunt, volentes Turcæ, illius arcis præfectum viuum capere, quia fuerat Christianus, & abiurata fide Christi ad Turcarum sectam defecerat, & postea ductus conscientia, eiurata ea secta, ad veram religionem incredibili lætitia redierat, vt in illum turcico animo sæuirent, ipse, vt erat strenuo, ac valenti animo, ne in manus Turcarum deueniret, deditione vrbis facta, & in tuto omnibus ducibus, ac militibus saluis, volens morte sua solatio esse imperialibus, & exitio Turcis, in effoso arcis cuniculo, nitrato puluere referto mansit. & cum intellexit reliquos Christiano iam posse esse tutos, iudicans tempus esse aptissimum ad nocendum Turcis dispersis per arcem, animo prædandi, ignem sulphuri applicuit, quo applicito, horrendo fragore, arx, & Turcæ circiter quingenti supra mille euolarunt, & maiori vtilitati Christianis fuit mortuus, quàm viuus? quis ergo poterit, quis audebit hoc factum improbare? cum directè commissum fuerit ad nocendum hostibus fidei potiùs, quàm ad se ipsum occidendum? aut quis audebit tantùm virum damnare ad peccatum? profectò ego id non auderem. Non erit etiam abs re strenuum exemplum, ac pene nouissimum Lusitani cuiusdam ducis, cuius cognomen erat apud Lusitanos, *Pessoa*, patria Conimbrica, qui apud Iapponios, nec in illorum, & Batauorum 13. Herrera.

rum manus, qui illic aderant, & sapponios inuabant, deueniret, videns se vndique circumseptum nauibus hostilibus, euadere omnino non posse, postquam vi tormentorum multas demersit, nam igni iniecto, ditissimis orientis mercibus onustæ, gloriosam mortem oppetiit, mirabili virtutis exemplo, vt hostes tantis mercibus priuaret. Ita se habet hæc opinio, quæ meo plane iudicio est probabilis, illam tamen aliorum iudicio corrigendam submitto.

14. Secunda sententia negatiua vsu communior, & receptior est. Eam docet D. Thom. 2. 2. *q. 64. art. 5.* ex eo fundamento, quod contra naturalem inclinationem, & charitatem propriam sit, seipsum occidere, & quia ad solum Deum pertinet iudicium mortis, & vitæ, iuxta illud Deuter. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam*, quem communiter omnes Thomistæ sequuntur, qui in facto Samsonis, & Eleazari recurrunt ad miraculum, & Spiritum Dei, eos intus mouentem: factum verò Raziæ à mortali non excusant, vt videre est *n. 7. & 10.* & addunt perinde esse se hoc modo interimere, ac se iugulare, vel se in flammam præcipitare, quod omnino est illicitum, absque Dei impulsu. Verùm hæc ratio iam ex dictis manet soluta, quare ad alias quæstiones veniamus, sed quamuis ista sententia sit communior; prima tamen ob sua fundamenta est probabilis.

D. Thom.

15. Quartum dubium huic valde affine est, an possint Reges Catholici, & Christiani legem sancire, ne suos vasallos apud Mauros, & Turcas captiuos se pretio in libertatem asserant, cum eo ij fiant potentiores, & nobis postea maiora damna inferant. Et rationes, quæ partem affirmatiuam suadent, hæ sunt. Prima, quia inde hostes fidei magnam vim pecuniæ colligunt, quam postea in nostram perniciem conuertunt nauigia, celoces, & trireme instruendo, quibus nostram oram maritimam pyrateriis intenti infestant. Secundò, quia nostra regna expilantur auro, & argento, & pecuniis; vnde fit, vt ipsi in dies fiant potentiores in nostrum damnum. Tertiò, quia nostri homines sensim fine sensu molliores, & ignauiores fiunt ad bella, & arma tractanda; cum enim sciant se posse statim vitam, & libertatem pecuniis redimere, nolunt pugnam cum illis conserere, & sic animis cadunt, & sensim fine sensu inhabiles ad tractandā militiam redduntur. Quartò, quia bonum priuatum paucorum, est postponendum bono communi multorum; vnde paucorum hominum libertas, qui culpa sua se defendere nolunt, postponenda est eneruationi totius regni; eneruant enim illi nostra regna duobus præcipuis neruis, quibus Respublica sustinetur, pecunia, fortitudine. Quintò, quia leges, vt iustæ sint, debent respicere bonum commune; iustæ ergo essent leges, si conderentur à Rege præcipientes ob bonum commune, ne quis pecuniis libertatem compararet à pœnis, Turcis, & hæreticis, cum eam pecuniam in nostra damna conuertant. Sextò, quia tenentur Reges, & Principes, quorum in ipsis est dannis suorum vasallorum occurrere; occurrerent autem prænumeratis damnis non incongruè, si prædictam legem sancirent. Neque obstat quod multi si non redimantur, catholica fide abiurata, ad hæresim, & Mahometanam sectam deficient; id enim culpa illorum fit, non regis iustam legem condentis, vt patet.

16. Verùm licet hæ rationes hanc partem videantur reddere probabilem. Ego non audeo illam sequi, quia si non directè, saltem indirectè, & consequenter tollit pietatem, & charitatem inter Christianos, quæ maximè cernitur in captiuis redimendis, est enim captiuorum redemptio vnum ex præcipuis misericordiæ operibus, tot conciliis sanctorum Patrum confirmatum, tot exemplis sanctorum virorum stabilitum, adeo, vt meo iudicio, nonnullam impietatis notam videatur ille admittere, qui ausus fuerit hoc opus charitatis tollere indirectè, nec dum directè. Nam D. Paulinus Episcopus Nolensis in Italia, se ipsum vendidit, vt captiuum redimeret vnicum, ac superstitem cuiusdam viduæ filium; cum enim omnia sua bona iam in captiuorum redemptionem expenderet, tandem hoc insigni, & mirabili charitatis exemplo se ipsum captiuum fecit, & in seruitutem tradidit, vt captiuum redimeret. D. Augustinus calices Ecclesiæ, & ornamenta vendenda præcipit, vt captiui redimantur. Taceo innumera alia exempla charitatis Christianæ, quibus religio nostra abundat.

Nec rationes primæ opinionis adeo sunt validæ, vt præcipua fundamenta nostræ fidei, & catholicæ religionis conuellant: nam ignauiæ, & mollitiei animorum, vasallorum suorum aliis remediis efficacioribus Reges ac Principes Christiani consulere possunt, firmas leges, & inuiolabiles statuendo, ne quis nisi in classium forma nauigationem instituat, & vt nulla nauigia portu soluant, nisi armis, & tormentis bellicis bene instructa, quibus se ab hostibus defendere possint. Et præterea classes nauales instruendo, quæ possint nostram oram maritimam ab hostibus reddere tutissimam. Quo facto sequitur primò, vt non expilentur regnum sua pecunia, cum hostium vires reprimantur, & captiuitas impediatur. Sequitur secundò, vt non pereat bonum commune, vt patet; & consequenter sequitur, vt excusentur eæ leges, quæ contra captiuorum redemptionem excogitantur, & perniciem Christianæ charitatis machinantur.

Hæc breuiter, & summatim dicta sint, ampliores enim rationes ad alios curiosiores relinquimus, ex his tamen tactis satis illustratur intellectus, ad alia, quæ hinc sequuntur agnoscenda: non dubitarem tamen dicere, posse iustissimè Reges Catholicos legem condere inuiolabilem, ne quis diuitiis potens redimatur, nisi pro certæ quantitatis pretio. Est enim aliquando adeo pretium excedens rationem, vt merito dubitari possit, quid conuenientius sit; an regnum, fratres, patrem, & matrem, & filios captiui ea summa depauperari, an captiui libertatem amittere, quare in sanctione huius legis non multum repognarem, cùm illa non obsit pietati, & charitati Christianæ, vt patet.

Quintum dubium est, an liceat vitam corporis afflictionibus, ieiuniis, & pœnitentiis decurtare, & illis ita vti, vt vel illorum causa saluti notabiliter noceatur, vel vita notabiliter decurtetur? Cui sic respondendum censeo. Vti ieiuniis, & pœnitentiis ex directa intentione se occidendi, vel viriis corporis afflictionibus, quas quia videt esse imprudentes, & saluti sui corporis multum nocere, quamuis illis non vtatur ex directa intentione se occidendi, sed satisfaciendi Deo melius pro peccatis; mortale est contra charitatem propriam & contra iustitiam latissimo modo in Rempublicam. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 147. art. 5.* Toletus *lib. 5 summa, cap. 6. conclus 4.* Nauarrus *in summ. Latin. cap. 15. num. 22.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 88.* Couarr. *lib. 1. var. resolut.* 17.

D. Thom. Nauar. P. Nauar. Couar.

Aragonius. Lopez. Saytus. *resolut. cap.* 10 *versicule* 4. Aragooius 2.2. *quæst.* 64. *art.* 5. *ad* 5. Ludonic. Lopez 1. *part. instruct. cap.* 64. Saytus *in claui regia, lib.* 7 *cap.* 9. *num.* 32. Et ratio est. Primò, quia cum castigatio corporis, de se non sit bona, oec mala, seu, vt loquitur Apostolus *prima ad Timotheum* 4. non sit vtilis, nisi quatenus ad pietatem inseruit, sequitur, vt qui ex nimiis ieiuniis, aut corporis afflictionibus inhabilem se reddit ad debita opera pietatis, atque deuotionis, contra rationem operetur, & peccet. Secundò, quia media ad carnis rebelliones reprimendas, & ad mortificationem corporis debent esse discreta, & iuxta prudentiæ regulas applicata, vnde si quis videt, & bene animaduertit, sibi nimium nocere, indiscreta esse iudicat, quare si indiscreta sunt, illicita sunt, & contra rationem, vt de se patet. Tandè quia, vt ait D. Hieron. *in capite, non mediocriter, de consecrat. dist.* 5. *Rationalis homo dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, & vigilias sensus integritati præfert.* Vnde Apostolus 1. *ad Timoth.* 5. illum admonet ne in hac re contra se ipsum crudelis, aut indiscretus sit: dum ait, *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates.* Etenim, vt alibi ait Apostolus, *Rationabile debet esse obsequium nostrum.* (D. Hieron.)

Vti verò illis iuxta prudentiæ regulas applicatis laudabile & meritorium est. Vnde inter religiosos vti vigiliis, ieiooiis, & pœnitentiis, quæ ex regula sunt præscriptæ, valdè meritorium est, quia cum à viris Sanctis, ac prudentibus excogitatæ sint, & à Summis Pontificibus approbatæ, & ad veram, solidamque virtutem & mortificationem comparandam sint accommodatæ, non censentur esse contra rationem, & prudentiæ regulas, sed iuxta illas.

18. Si quis tamen singulari inedia vel cibo nociuo, vel crudis, & acerbis herbis, humanæque valetudini nociuis alimentis vteretur; itavt ipse sibi, vel scienter, vel ex aliorum prudentium hominum iudicio vitam decurtaret, non excusaretur à mortali. Nam quamuis non teneatur quis vti delicatis cibis ad vitam alendam, sed sufficiat vti illis, quibus communiter homines vescuntur, & in ea quantitate, quæ ad conseruandam vitam, & valetudinem sufficit, vt sunt oua, pisces, lacticinia, potus aquæ, non vini, licet ex hoc notabiliter sibi sentiat vitam decurtari, mortaliter non peccet; tamen crudis herbis, & seminibus, & aliis cibis, quæ communiter in vsu hominum non sunt, si sibi sint nociui, à peccato mortali non excusatur: Ita docet Victoria *in relect. de homicidio, num.* 33. *& in relect. de temperantia, num.* 15. *in fine.* Aragonius 2.2 *quæst.* 64. *art* 5 *ad* 5. Ludou. Lopez 1. *part. instruct. cap.* 64. (Victoria. Aragonius. Lopez.)

19. Ex his facilè solui possunt, quæ obiici solent contra Carthusianorum regulam, qui non solùm benè valentes, sed nec etiam in extremo vitæ periculo carnes edunt. Cum enim teneantur vitam alere delicatis alimentis, sed sufficiat illam alere iis alimentis, quæ in vsu hominum sunt, quales sunt oua, pisces, olera, etiamsi inde nobis vitam decurtari sentiamus, inde est, quod licitè, & meritoriè in articulo etiam mortis, voto huius abstinentiæ à carnibus adstringantur, vt optimè docet Saytus *in claui regia, lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 30. Et licet carnes in articulo mortis loco medicinæ sint; tamen nemo tenetur medicinam sumere ad protrahendam vitam. Vnde si medicus tibi consulat, quod, si carnibus, aut vino vtaris, viues amplius, decem annis, quàm cum aqua, & piscibus, non teneris bibere vinum, aut carnibus vesci, vt optimè docet Saytus citatus, *num.* 28. *versu, primum est*, Victoria *in relect. de temperantia conclus.* 1. *num.* 1. *&* 12. *& de homicidio, num.* 33. *&* 34 potus enim aquæ, & esus piscium non est contrarius vitæ, atque adeo, qui biberet aquam, & vesceretur piscibus, non censeretur minuere vitam, aut se occidere, sed non producere illam, sicut si esset locus in quo homines propter singularem aëris temperiem diutius viuerent, nemo teneretur in eo viuere, vt illam producat, neque ex eo, quod eò non proficiscatur, vt inibi viuat, censeretur illam diminuere, sed illam non producere diutius, ad quod nemo tenetur. Vnde etiamsi esset probabile, imò certum periculum mortis, nisi quotannis sumeres pharmacum ad vitandum grauem morbum, non teneris illud sumere, vt docet Victoria *in relect. de homicid. num.* 14. Vnde est illud beatæ Agathæ, *Medicinam corpori meo nunquam exhibui*, relatum à Victoria *in relectione de temperantia, in principio.* (Saytus. Saytus. Victoria. Victoria. Victoria.)

In proposito igitur casu licet Carthusiani propter abstinentiam carnium citius moriantur; tamen non tenentur vitam producere per esum carnium, neque superiores tenentur in esu piscium dispensare, quia si in casibus periculosis, & in mortis articulo inciperet dispensatio, facilè solueretur rigor disciplinæ, & abstinentiæ Monasticæ in esu carnium; quis enim non videt, exinde deduci posse exemplum ad multos alios casus, & omnes graues morbos posse esse causam soluendi prædictum votum? cùm medici sæpè soleant augere timorem mortis in ægritudinibus; atque adeò in valetudinariis Carthusianorum, passim vescerentur carnes ipsi Monachi causa valetudinis: sicque paulatim solueretur votum per vtile, & laudabile circa inediam carnium, quod habent huiusmodi religiosi tantorum annorum cursu stabiliter confirmatum; vt optimè docet Saytus *in claui regia, lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 30. Victoria *in relect. de temperant. initio*, vbi citat Maiorem *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 4. & alios. 20. (Saytus. Victoria.)

CAPVT XII.

Vtrùm licitum sit negatiuè se occidere, non faciendo id, quo vita conseruari potest, non sumendo cibum, non fugiendo hostem, cùm possit; & quid ad fugiendum peccatum, vel vitam beatam citiùs assequendam.

SVMMARIVM.

An liceat directè se perimere, excitantur dubia, num. 1.

Vtrùm ad fugiendum peccatum, ne illud amplius committat, possit quis licitè se occidere, num. 2.

Nec ad fugiendum peccatum futurum, nec ad detestandum præteritum id licet. ibid.

An ad euitandas ærumnas, & infamiam præsentis vitæ. num. 3.

An ad vitandum adulterium, vel fornicationem, in quam quis frequenter labitur. num. 4.

An ad citò adsequendam gloriam. num. 5.

An licitum sit pro vita temporali amici se ipsum vo-

1. DE non sumptione ciborum, de ieiuniis, & abstinentiis, satis diximus capite præcedenti à numero 17. sequitur, vt videamus an licitum sit, & quatenus directè se perimere intuitu fugiendi peccatum, & ad vitam beatam citiùs consequendam; &, vt explicemus alia dubia, quæ in titulo continentur:

2. Sit ergo primum dubium, vtrùm ad fugiendum peccatum, in quod sæpius labimur, nobis licitum sit, nos perimere? Cui breuiter respondendum est, neque ad fugiendum peccatum futurum, neque ad detestandum præsens, seu præteritum iam commissum nobis licitum est nos occidere. ita docet D. August. *lib. 1. de ciuit. Dei, cap 25. & 27.* Sayrus *in claui regia, lib 7. cap 9. num 5.* & alij. Non ad vitandum fugiendumque futurum. Primò, quia, iuxta doctrinam Apostoli, ad Roman. 3 *Non sunt facienda mala vt eueniant bona:* qui autem dubitat malum esse se occidere? Secundò, quia non licet committere maius malum, & magis certum ad vitandum minus, & minus certum. Sed occisio sui ipsius, est maius malum, & magis certum, quàm futurum peccatum castitatis. v.c. quod quis sui occisione vult vitare; incertum est enim, vel saltem dubium, an in illud consensurus sit: potens enim est Deus, quacumque tentatione superuenienti nos liberare; ergo nemini licitum est, se occidere ad vitandum peccatum futurum. Tertiò, quia si aliquando licitum alicui esset ad fugienda peccata se occidere; id maximè licitum esset adultis statim post acceptionem baptismi, quo tempore omnia peccata remittuntur. Quod si admittatur, necessariò etiam admittemus omnes homines monendos esse, vt se ipsos statim post acceptionem baptismi occidant, quod quàm crudele, quàm graue peccatum sit nemo non videt. Non ad detestandum iam commissum primò, quia hæresis est damnata Donatistarum, quam pulchrè confutauit D August. *lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 17. & 27.* Docebant enim Donatistæ perimentem se propter detestationem peccati præteriti non peccare, sed verè Martyrem esse; quod hæreticum omninò est. Secundò, quia potius expedit viuere ad peccata iam commissa per veram pœnitentiam delenda, quàm mori, vt nostra morte illa detestemur. Tertiò, quia est malum intrinsecè se occidere, & ideo, vt ait D. Thom *2.2. quæst. 112. art 6.* homicidium de se, & in se consideratum, non est appetibile, sed magis horribile, quia nos nostro bono intrinseco vitæ priuat: quamobrem, cum bono intrinseco aduersetur, malum intrinsecè est; vnde authoritate propria, & priuata factum, est intrinsecè malum. Tandem, quia Iudas pœnitentia ductus se ipsum suspendens, ad inferos damnatus est, vt constat ex Psalmo 108. *Cum iudicatur exeat condemnatus, & Episcopatum eius accipiat alter.* Quem locum de Iudæ damnatione explicat ad litteram D. Petrus *Actorum* 1. Vltimò, quia hi potius dicendi sunt rei desperationis diuinæ misericordiæ, qui se occidunt, ad fugienda peccata, quàm rei homicidij in se ipsos. Videntur enim dicere cum Caino: *Maior est iniquitas mea, quàm, vt veniam merear*, dicente tamen Domino, Ezechiel 8. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.*

Ex dictis colligitur similiter esse peccatum se ipsum perimere ad vitandam ignominiam, & ærumnas præsentis vitæ. Nam si non licet se ipsum occidere ad fugiendum peccatum, multo minus id licebit ad fugiendas ærumnas vitæ præsentis. Nam vt docet Aristoteles 3. *Ethicorum cap 6. Vltimum*, id est, *Supremum malorum huius vita, & maximè terribile est mors.* Vnde Iob *cap* 2. *Cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua*, id est, *pro vita sua*, & Eccles 30. *Non est census super censum salutis corporis.* Ergo inferre sibi mortem ad alias miserias vitæ euadendas, est maius malum assumere ad vitandum minus; at non licet facere maius malum ad vitandum minus; ergo non licet se ipsum perimere ad vitandas præsentis vitæ ærumnas. Vnde meritò D. Augustin. *lib.* 1. *ciuitatis Dei, cap* 19. reprehendit Lucretiam Romanam, quæ ad vitandum stuprum sibi à Tarquinio inferendum, se peremit. Nam, aut illa consensura erat in adulterio, aut non consensura; si non consensura, sed restitura, quantum poterat, non erat adulterium propriè, & formaliter commissura, ac proinde peccauit se occidendo; si erat consensura, iudex esse non poterat sui ipsius. Vnde concludit actum illum non fortitudinis, sed pusillanimitatis fuisse, eo quod ignominiam illam ferre non valuit. Sicut etiam Brutus, & Cato Vticensis, qui sibi mortem intulerunt, eo quod dominatum Cæsaris ferre non potuerunt, non fortitudinis, sed pusillanimitatis exemplum dederunt; cum virtus, & animi fortitudo non in sui ipsius peremptione, sed in laborum patientia consistat. Ita docent communiter DD. sani, ac Catholici, D. August. *lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 22. 23. & 24.* Sayrus *in claui reg. lib. 7. cap 9. lib. 6.* & alij. 3.

Nec etiam licebit ad vitandum adulterium, aut fornicationem: vbi enim non est consensus, non est peccatum. Vnde beata Lucia ad impium Tyrannum affirmantem se eam ad lupanar ducturum, vt inibi à iuuenibus stupraretur. *Non inquinatur*, inquit, *corpus nisi de consensu mentis; violentia tua duplicabitur mihi ad coronam.* Hinc D. August *lib. 1. de ciuit. Dei, c. 18. Cur homo, qui mali nihil fecit, sibi malè faciat?* Et ratio est, quia pudicitia virtus est animi comitem habens fortitudinem; 4.

Margin notes: D. August. Sayrus. — D. August. — D. Thom. — Aristot. — D. August. — D. August. Sayrus. — D. August.

vnde

vnde eum virtus sit animi, cõsistit in animi coosensu, quare si in impudicitia non consentitur, non amittitur pudicitia, & cum comitem habeat fortitudinem, debet potius quis ex fortitudine quælibet mala tolerare, quàm se ipsum interimere ad vitanda mala.

5. Neque denique licitum est se ipsum occidere ad citius assequendam gloriam, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, iuxta doctrinam Apostoli ad Rom. 3. neque enim pertinet ad homines statuere, ac designare tempus vitæ suæ, cum id solius Dei sit, *mors enim, & vita in manibus Dei sunt*. Prouerb. 18. Vnde D. Aug. *lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 26. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre posse ad fugiendas molestias huius vitæ; ne fugiendo temporales, incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, aliena ne incipiat, habere propria. Neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis indiget vita, vt possit pœnitendine sanari. Neminem propter desiderium vitæ melioris, quia reos sua mortis, melior post vita, non sperat.*

6. Secondum dubium est, an licitum sit pro vita temporali proximi, amici, vel consanguinei voluntariè se morti tradere Est duplex opinio. Prima negat. Illam docet D. Bonau. *in 3 dist. 29. q. 3.* vbi ait stultos illos esse, qui vitam temporalem propriam negligunt, propter vitam corporalem alienam. Durand. *in 4. dist. 17. quæst. 6. ad 2.* Palud. ibi *dist. 15. quæst. 3. art. 2. conclus. 3.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. dub. 3. num. 41.* D. August. *lib. de mendacio, cap. 6.* ibi: *Si quis exponat vitam temporalem propriam, pro vita temporali alterius, iam non diligit proximum sicut se ipsum, sed plus quàm se ipsum, quod regulam doctrinæ Christi excedit.* Probatur, quia magis peccat quis occidendo se ipsum, quàm proximum; ergo magis tenetur homo vitam suam conseruare, quàm alterius; nam charitas bene ordinata incipit à seipso, & propter quod vnum quodque tale, & illud magis tale; vnde si proximus amatur, quia natura nobis est proximus, magis tenemur nos amare, quàm proximum, quia nemo magis est proximus, quam quisque sibi.

D. Bonau. Durand. Palud. Nauar. D. Aug.

7. Secunda affirmat. Eam docet D. Thomas *in 3. dist. 29. quest. 15. art. 5. ad 3. & lib. 1. de regim. princip. cap. 10. & 2. 2. quæst. 26 art. 4 ad 3. & art. 5. ad 3.* Victoria *in relect. de homicid ad 5. num. 27.* Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 6.* Bañes *2. 2. q. 26. art. 4. dub. 3.* Michael Salon *2. 2. quæst. 64. art. 5. ad 5.* Aragon. *ibid. ad 4. & 5.* Gregor. de Valent. *tom. 3. disp. 3. quæst. 4. punct. 3.* Cordub. *lib. 5. q. 38. ad 4.* Toletus *lib. 5. summæ cap. 6. conclus. 3. casu 3.* Sà *verbo, Homicidium.* Saytus *in claui reg. lib. 7. cap. 9. num. 23.* Ratio est, quia in hoc casu non diligit ille, qui vitam suam exponit pro amico, amicum plus quàm se ipsum, sed propter actum honestum virtutis amicitiæ præfert vitam amici, suæ propriæ vitæ, quod sine dubio licitum est: exercet enim actum virtutis, & iactura temporalis vitæ propriæ compensat alio maiori bono, nempe actu virtutis amicitiæ, benefaciendo amico. Et verò propter exercitium alicuius virtutis, certum est posse nos aliquid facere ex quo certò nobis mortem inferendam scimus. Deinde quia dum quis exponit vitam propriam pro amico, magis diligit se ipsum, quàm amicum: quia amicus vult solum conseruationem vitæ temporalis; sibi autem bonum honestum, & actum charitatis, & virtutis amicitiæ, & ideo non violat præceptum charitatis in seipsum, vt supponunt auctores primæ opinionis, & ex hoc fundamento solutum manet fundamentum primæ opinionis.

D. Thom. Victor. Sotus. Salon Aragon. Valent Cordub. Tolet. Sà.

Hæc tamen nostra sententia, ita intelligenda est, vt non temerè vita nostra, pro vita amici exponenda sit, sed prudenter, & rationabiliter. Nam si quis valde vtilis sit Reipublicæ, & amicus non ita sit, licitè tunc vitam suam pro vita amici exponere non potest; quia licet cæteris paribus possit quis vitam propriam pro amico exponere, non tamen quando id vergit in tertij præiudicium: quamobrem si quis similiter filios, & numerosam familiam alendam habeat, quæ sine illius vita ali, & educari non posset, vt non ita bene posset; non potest licitè tunc vitam exponere pro amico, quia cætera non sunt paria: quamobrem in hoc negotio magna prudentia opus est, vt quis prudenter operetur.

Tertium dubium est, quando nobis licitum sit, & quando teneamur vitam nostram temporalem exponere pro salute, & vita spirituali proximorum. Et verò in hac re multa respondeo. In primis certum est teneri nos vitam nostram temporalem pro vita, & salute spirituali proximorum exponere, quando necessitas spiritualis illorum id postulat, iuxta illud Ioannis 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*, id est, pro salute spirituali proximi vitam nostram exponere temporalem, sicut fecit Christus Dominus, qui pro salute spirituali omnium vitam suam morti tradidit, cuius exemplum ibi Ioannes proponit, alludens ad illud Christi Domini Ioannis 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Constat igitur teneri nos ex præcepto Christi, pro vita spirituali, & salute proximi vitam nostram temporalem morti tradere. Quando autem, & in quibus circunstantiis ad id teneamur, & possimus licitè illam exponere, licet ad id non teneamur, non ita constare potest facilè. 8.

Illud certum in primis est teneri virum doctum vitam suam temporalem morti exponere, pro salute spirituali proximorum, si videt ab hæreticis populum Christianum, ac fidelem peruerti, & putat se illis posse proficere, opponendo se hæreticis; tenetur enim tunc id efficere, cum vitæ propriæ periculo, & mortis certitudine. Ita D. Thom. *lib. de perfect. vitæ spiritualis, cap. 14.* Toletus *lib. 4 summæ, cap. 2. fine.* Victoria *in relect. de homicidio, num. 24. in respons. ad 3.* Et est communis omnium resolutio, & maximè si fit pastor, & oues sint propriæ, quia tunc nonsolum ex charitate, sed etiam ex iustitia tenetur ille vitam temporalem pro vita spirituali ouium suarum exponere. Intercedit enim hoc pactum inter oues, & pastores: Ales me spiritualiter, etiam cum vitæ periculo, cum mea vita spiritualis periclitetur; & ego te alam temporaliter; sed de hac re alibi diximus.

D. Thom. Tolet. Victor.

Secundò, ob fidei honorem, & defensionem tenetur quis vitam suam temporalem morti exponere; maximè ne alij à fide cadant. Velut si quis cogatur negare fidem, & videt ob suam negationem, multos eam negaturos; tenetur potiùs mortem subire, quàm illam abnegare; iuxta illud Christi Domini Matth. 10 & Marc. 8. & Lucæ 9. *Qui me erubuerit coram hominibus, hunc filius hominis erubescet.* 9.

Tertiò tenemur vitam nostram temporalem morti obiicere quando in eam circunstantiam adducti sumus, vt si qui hæreticos non reprimat, ac 10.

ac reprehendat, intelligent illi catholicam fidem non esse verum, & putabunt suam esse veram, certam, & nostram deridebunt, arbitrantes esse falsam: tunc enim omissio eius reprehensionis est graue peccatum mortale contra confessionem fidei, & proximorum charitatem: tenemur enim in ea circunstantia illam confiteri cum periculo vitæ manifesto; in illa enim obligat confessio fidei. Patet ex Matth. 10. vt dixi. Marci 8. Lucæ 9. & 12. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram Patre meo, qui est in cælis: qui me erubuerit, hunc filius hominis erubescet: qui amat animam suam*, id est, *vitam, perdet eam.* Ita docent Sayrus. Tolet. Sayrus *in claui regia, lib. 7. cap. 9. num.* 17. Toletus *lib. 5. summa, cap.* 16. Sotus *lib. 5. de iust. q.* 1. *art.* 7. Præceptum enim confitendæ fidei exterius tunc maximè obligat, cum ex omissione confessionis illius intelligent infideles illam non esse veram. Quod autem detur tale præceptum, patet ex illo Pauli ad Roman. 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*: & ex continua traditione Ecclesiæ, & Doctorum in materia de fide, adeo vt hæresis fuerit Helebesaitarum, vt ostendit Eusebius *lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 28. iam priscis sæculis damnata, asserentium satis esse tempore persecutionis tyrannorum, corde credere, etsi externo ore fidem, & Christum negemus: quemadmodum nonnulli ex natione Hebræorum in Hispania satis esse existimant Moysis legem corde retinere etsi exterius asserant, se esse Christianos, & fidem Christi tenere, quam maximè odio habent. Et fundamentum accipiunt tum hæretici tum Iudæi ex illo Dauid, *lex Dei eius in corde ipsius*, quod friuolũ est, neque enim eo loco dicit Dauid aliud esse circa fidem habendum in ore, aliud in corde; imò contrarium ait, fidem scilicet habendam esse in corde, & ore, & esse confitendam externo ore, cum opus fuerit, tanta libertate, & confidentia, vt nobis potius cor euellatur, quàm illa ex corde: quomodo enim vera fides esse potest, si in mendacio, & fictione consistit? sed de hoc alibi.

11. Et verò etiam aliquando, non solùm pro vita spirituali proximi tenemur vitam nostram temporalem morti obiicere, sed pro vita etiam temporali proximorum adstringimur ex præcepto charitatis nostram vitam temporalem morti exponere, propter bonum scilicet commune Reipublicæ. Vnde, si ciuitas obsideretur ab hostibus propter vnum innocentem, & si huiusmodi innocens se tradat inimico, ciuitatem liberabit; tenetur huiusmodi innocens in eo casu se illi sub mortali culpa tradere, non potest tamen licitè Respublica illum occidere, aut tradere inimico, Tolet. Soius. iuxta doctrinam Toleti *lib. 5. summæ, cap. 6.* & Soti *lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 7.* Et fundamentum illorum est, quia Respublica non habet dominium vitæ innocentis; quare non potest illum inuitum licitè ad mortem tradere: tenetur tamen ille aliunde ex charitate se offerre, quia ratio naturalis dictat, maius & commune bonum præferendum esse minori: vita autem plurimorum innocentium, maius bonum est, quàm vita vnius. At doctrina aliorum mihi placet, qui asserunt posse Rempublicam obligare innocentem, vt se tradat, & si nolit se tradere, posse illum tyranno tradere. Lud. Lop. Ita docet Ludouic. Lop. 1. *part. instruct. cap.* 60. Adrianus, quem citat Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num.* 120. Nauar. Lessius. Lessius *tom 1. de iust. lib. 2. cap. 9. dubit. 7. num* 39. Probant, quia tunc ex charitate in patriam ob bonum commune, & ex iustitia legali tenetur se tradere, ergo ad hoc potest obligari, & si se non vult tradere, iam non est innocens, sed nocens, & tanquam nocens tradi potest. Deinde, quia si princeps esset in extrema necessitate, & non esset nisi vnus tantùm panis, quem vnus ciuis haberet, tenetur ille ciuis illum principi dare, & si nolit, potest ad id obligari, etiamsi statim sit moriturus.

Sed ad has rationes respondet Sotus allegatus innocentem non teneri ex iustitia legali se tradere, sed tantum ex charitate, ac proinde non posse iustè cogi per magistratus sæculares se tradere, si nolit: non enim magistratus sæculares iustè possunt subditos ex iustitia obligare, nisi ad illa, ad quæ ex iustitia tenentur. Et eadem est responsio ad panem ciuis, quia ille non tenetur panem ex iustitia tradere principi, ac proinde, nec à principe, aut magistratu publico ad id ex iustitia obligari. Ego dicerem in hac re eam obligationem solùm esse ex præcepto charitatis, & teneri huiusmodi innocentem exonerare suam conscientiam, implendo præceptum charitatis, & posse obligari ad hanc exonerationem conscientiæ per iudicem competentem, hoc est, Ecclesiasticum, & si nolit ei parere, tunc posse iudicem Ecclesiasticum implorare auxilium brachij sæcularis, & tunc non posse iudicem sæcularem post implorationem huius auxilij, illum tradere: quia reuera nullam video obligationem iustitiæ, nec etiam legalis ex parte innocentis, vt se tradat; ministri autem iustitiæ sæculares solùm possunt ex iustitia subditos suos obligare, cum illi ex iustitia illis teneantur parere, vt bene asserebat Sotus, sunt enim hæc correlatiua, vt patet. Nec ex eo quòd huiusmodi innocens nolit implere præceptum charitatis, quo tenetur se tradere, iam factus sit nocens, possunt iudices sæculares illum tradere, quia est nocens & reus contra charitatem, non contra iustitiam; ac proinde est nocens contra conscientiam suam, ad cuius exonerationem solùm per iudicem competentem Ecclesiasticum obligari potest: non dubito tamen opinionem Lessij, & aliorum esse probabilem, sed ista est probabilior.

Dubium etiam est; an reus damnatus ad mortem per iudicis sententiam, vt se ipsum ipse occidat, teneatur parere. Respondeo non teneri, quia est durissimum præceptum, vt quis in se ipsum sententiam mortis exequatur: & est supra vires humanas: quare sufficit quòd teneatur mortem ab alio inflictam pati, non tamen potest obligari, vt ipse reus illam in se ipsum exequatur: tenetur tamen reus mortis ad illam damnatus, omnes actiones exhibere, & facere, quæ sunt dispositiones proximæ ad mortem, non tamen tenetur, nec licitum est illi seipsum occidere. Vnde tenetur scalam ascendere, vt suspendatur, funi collum præbere, & aptare, non tamen potest se deiicere ab scala; potest os aperire, vt liquefactum plumbum in illius os immittatur, si ad hoc mortis genus damnetur, & immissum ab aliis potest illud deglutire, non tamen ipse illud bibere suis manibus. Ita Sayrus *in claui regia, lib. 7.* Sayrus. *cap 9. num.* 22. Maior *in 4. dist. 15. quæst.* 22. Sotus *lib. 6. de iust quæst. 6 art.* 4. Petrus Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 3. num.* 75. Toletus *in summa lib. 5. cap 6.* Caietanus 2. 2. *quæst. 69. art. 4. ad* 1. quia licet hæ actiones dispositiones sint ad mortem, non tamen ipsæ sunt mors, vt de se patet. 12. Maior. Nauar. Tolet. Caietan.

Sed

Aragon. Sa Rodriguez. Toletus.

13. Sed, vt pleniùs circa hanc rem veritatem sciamus, inquirimus: an damnatus ad sumendum venenum, aut scindendam sibi venam, vt sic eo mortis genere moriatur, teneatur ipse venenum sumere, ac bibere, & venam scindere? Partita est sententia hac de re. Prima affirmat modò iustè ad tale mortis genus dānatus sit. Hanc tenet Aragon. 2.2. *quæst* 64 *art*. 4 Sa *in summa verbo iudicialis actus*, §. *de reo*, Rodrig. *in tract. de ordine iudiciar. cap*. 14. *conclus* 2. & fauet aliquantulùm Toletus *in summa lib*. 6 *conclus* 4. *Versu Prima*. Primò, quia licitè potest iudex obligare aliquem, vt alium reum mortis iudicio conuictum suspendat, vel enecet; ergo, & vt ipse se conuictum perimat, tenetur vtrque parere. Est enim tale præceptum iustum à iusto, & legitimo iudice procedens. Secundò, quia si licet damnato ad mortem, tenetur scalam ad suspendium ascendere, & iugulum præbere ad securim, vt modò diximus; cur etiam non tenebitur venenum potare, & venam sibi scindere si ad hoc mortis genus damnetur? Vnde Iosephus, *lib*. 2. *de bello Iudaico*, *cap*. 27. vt ipse de se ipso ait, data sibi optione, vt ipse sibi, vel vnam manum truncaret, vel pateretur ambas ab alio abscindi, elegit potius vnam truncare, quàm ambas ab alio sibi abscindi, in quo prudenter egit.

Iosephus.

Caietanus. Sotus. Banhez. Nauarra. Lud Lopez. Philiarch. Saytus.

14. Secunda verior, probabilior, & tenenda negat. Hanc docent Caietanus 2.2. *quæst* 69. *art*. 4 *dub* 7. Sotus *lib*. 5. *de iust. quæst*. 6. *art*. 4. *controu*. 4. & omnes citati *num* 12. tenent etiam Banhez 2.2. *q*. 69. *art*. 9 *conclus*. 6. Petrus Nauarra *lib*. 2 *de rest. cap*. 3. *num*. 8. Lud. Lopez 1. *part*. *Instruct*. *cap*. 65. Philiarch. *de offi. Sacerdot. part*. 2. *lib*. 4. *cap*. 8. Saytus *in claui regia*, *lib*. 7 *cap* 9. *num*. 16 *versu pro cuius intelligentia*. Illorum fundamentum est iam tactum, *num*. 12. quia scilicet, est duplex genus actionum circa mortem; vnum quod tendit ad mortem, & actiones illius sunt dispositiones ad ipsam mortem, aliud, cuius actiones non tam sunt dispositiones ad mortem, quàm verè, & propriè ipsa mors. Vt v.g. in primo genere ascendere scalam ad mortis suspendium, præbere collum ad ictum securis, aperire os, vt venenum in illud infundatur ab aliis, vel plumbum liquefactum. In secundo genere, præcipitem se dare è furca, venenum, vel liquefactum plumbum propriis manibus haurire, venam sibi abscindere: actiones prioris generis sunt licitæ, & possunt illas iudices præcipere, & tenentur rei iudici parere, imò intrinsecè in ipsa mortis sententia virtute præcipiuntur: actiones secundi generis, sunt illicitæ, quia mortem formaliter in se continent, & sunt merè executiones sententiæ mortis; sunt autem de se illicitæ, quia sunt supra vires humanas, & cū supra vires humanas sint, & de se illicitæ, nec iustè possunt præcipi à iudice, nec exequi à reis, cum id sit se ipsum occidere: solum enim damnari possunt rei ad mortem patiendam, non autem ad illam in se ipsos exequendam.

Ad fundamenta primæ sententiæ dico licitè posse iudicem aliquem obligare, vt alterum occidat, quando deficit publicus iustitiæ minister, ne ex defectu ministri Respublica sceleribus, & sceleratis abundet in damnum commune; non tamen posse obligare reum, vt ipse se occidat, cum huiusmodi actus sit crudelissimus de se, & vires humanas excedat. Ad exemplum Iosephi, quod licitum fuisse docet Toletus *lib*. 5. *summa*, *cap*. 6. *conclus*. 2. *in fine*. Dico illicitum omninò fuisse, & peccasse Iosephum grauiter, eam pœnam in se

Toletus.

ipsum exequendo, & iudices eam illi imponendo; non enim sunt facienda mala, vt eueniant bona; est enim malum, & contra ius naturæ, vt quis se ipsum mutilet, vel occidat, & in suam destructionem agat; nec illud remedium necessarium ex natura sua ad sui ipsius conseruationem, sed potius ex malitia Tyranni; quod ex discussione sequentis quæstionis magis constabit.

Quærimur enim; Vtrùm si Tyrannus minetur alicui mortem, nisi ipse sibi manum, vel brachium abscindat, mutiletque: vel præcipiat, vt ipse sibi vnum membrum amputet, nisi ab alio velit sibi duo amputari, teneatur parere, & licitè id possit efficere. Qua de re est duplex opinio. 15.
Prima affirmat. Eam sequitur Petrus Nauarra *lib*. 2 *de rest. cap* 3. *num* 98. & 99. Lessius *tomo* 1. *de iust. lib* 2. *cap* 9 *dub*. 14. *num*. 10. Toletus *in summa lib*. 5. *cap*. 6. *conclus*. 2. *in fine*; Sà *verbo*, *Homicidium in fine*, Aragonius 2.2. *quæst*. 65 *art*. 1. Fundamentum est. Primò, quia ius naturale dictat, vt minus malum eligatur ad vitandum maius; minus autem malum est, vt quis careat vno membro, quàm duobus, & maius bonum etiam est, respectu huius hominis vnum habere membrum præcipuum, veluti vnam manum, & vitam conseruare, quàm illam amittere, vel ambas manus. Secundò, quia ille qui manum ferro habet alligatam, si videt se igne cremari, potest licitè manum sibi amputare, vt fugiat, mortemque euadat. Item qui à canibus detentus est & mortem timet, nec aliter potest euadere, quàm sibi abscindendo membrum, potest illud abscindere; imò, & tenetur abscindere. Et qui vnum membrum, brachium scilicet, vel pedem putridum, infectumque habet, licitè potest iubere illud sibi amputari, vt vitam tueatur, vel aliud membrum vicinum, quando illud aliter tueri non potest. Tandem quia ille, qui domi est conclusus ab hostibus, vt occidatur; licitè potest cum manifesto periculo frangendi pedes, se per fenestram dimittere, si sic putat se posse mortem effugere. Licitè ergo etiam poterit ipse sibi vnum membrum abscindere, præcipiente Tyranno, vt duo conseruet, vt fecit Iosephus, vt ipse de se refert, *lib*. 2. *de bello Iudaico*, *cap*. 27. de quo agimus *num*. 13.

Nauarra. Lessius. Toletus. Sà. Aragon.

Iosephus.

Secunda negat omnino: eam sequitur D. Thom. 2.2. *quæst*. 65. *art*. 1. magis inclinat in illam Aragonius in prima opinione citatus. tenet Sotus *lib*. 5. *de iust. quæst*. 2. *art*. 1. *conclus*. 3. Salon 2.2. *quæst*. 65. *art* 1. & citari etiam possunt pro hac parte omnes, quos citauimus, *num*. 14. quam etiam tenet Saytus *in claui regia*, *lib*. 7. *cap*. 9. *num*. 37. Fundamentum huius opinionis est. Primò, quia, vti diximus, est contra ius naturæ, vt quis se ipsum interficiat, vel mutilet, & quia peccat Tyrannus mortaliter, quando præcipit ac minatur alicui mortem, aut duorum membrorum abscissionem, nisi ipse sibi vnum præscindat; illeque metus est ab extrinseco agente contra iustitiam illatus, & per iniuriam, & contra ius naturale; nemo enim tenetur esse executor tam seueræ sententiæ, ac præcepti in semetipsum. Quamobrem non licet operari contra ius naturæ, imò cooperaretur cum peccato Tyranni ille, qui tunc ei obediret: quare communiter reprehenditur Ioseph qui vnam manum ipse sibi amputauit, præcipiente Tyranno, ne ambæ ei præscinderentur. Secundò, quia quando medium, quod eligitur ad vitandum maius malum, est de se licitum, aut saltem indiffe- 16.

D Thom. Aragonius. Sotus. Salon. Saytus.

rens, rectè possumus tunc, & licitè eligere minus malum ad vitandum maius: secus quando est extrinsecè malum, quia est cooperari eum iniustitia. & peccato ipsius Tyranni, rem tam iniquam præcipienti. Tertiò, quia ille, qui manum alligatam habet, & qui igne circundatus est, ideo licitè potest illam truncare, & se per ianuam immittere, cum periculo frangendi crura, ne crematur. Et qui membrum putridum habet, licitè potest illius amputationem præcipere, ne vicinum membrum similiter computrescat, quia ab extrinseco, & intrinseco agente sine peccato agentis, & iniuria sibi facta, patitur; ab extrinseco, veluti ab igne naturaliter agente; ab intrinseco veluti à morbo naturaliter similiter operante; at præcipiente id sibi iniquo iudice, id licitè facere non potest, quia cũ iudex iniquè agat, imponendo simile præceptum, iniquè operatur iste, & cooperatur implendo iniquum præceptum illius, illique obediendo in iniquitate. Quartò, quia ille qui domi est conclusus, & circumdatus ab hostibus, vt necidatur, licitè potest se præcipitem dare per ianuam, cum periculo frangendi pedes, quia in ea præcipitatione non concurrit cum peccato suorum hostium, imò fugit illorum iniquitatem. ita docet Maior *in 4. dist. 15. quæst. 25. dub. 1.* D Thom. 2. 2. *quæst. 65. art. 1. ad 1.* Aragonius & Salon *ibi*, Sayrus *in claui regia, lib. 7. cap. 9. num. 35.* Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 2. art. 1.* Toletus *lib 5. summæ cap. 6 concl. 2.* Et sic est diuersa ratio inter hunc casum, & præceptum iniqui iudicis, aut violentiam Tyranni: casus verò Ioseph iam explicatus est, & ostendimus non potuisse Iosephũ licitè id efficere.

Maior. D Thom. Aragonius. Salon. Sayrus. Sotus. Toletus.

Ita se habent huiusmodi opiniones. Ista secunda est probabilior, & omnino tenenda propter illius fundamenta, quæ sunt potiora; fundamenta autem primæ, iam satis soluta manent ex fundamentis huius secundæ.

SVMMARIVM.

Agitur etiam in illo de pharmaco, ex quo sequitur abusus ad conseruandam vitam matris grauidæ.

Pro vita temporali amici potest quis exponere vitam propriam temporalem, non tamen ad id tenetur, explicantur multi casus. num. 17. 18.

Duobus existentibus in extrema necessitate, potest ille, qui vnicum tantum panem habet, illum alteri dimittere, non tamen ad id tenetur. num. 19.

Potest quis licitè inseruire gratis peste infectis, non tamen ad id tenetur, nisi quando non dantur, qui nec gratis, nec pretio illis volunt inseruire, n. 20.

Potest quis in bello ex sua parte iustum ignem immittere pulueri tormentario, etiamsi sciat se momento periturum, & ad id tenetur ex iustitia si miles conductus stipendio sit. num. 21.

Si proximus ægrotus indiget meo auxilio, possum illum iuuare cum periculo mortis. num. 22.

Potest fœmina potius pati sui occisionem, quàm deflorationem. num. 23.

Damnatus iustè ad mortem, vt inedia moriatur, licitè potest cibum clam oblatum sumere, & licitè non sumere. num. 24.

An sit peccatum mortale venenum sumere, vt Vim contraueneni experiamur. num. 25.

An funambuli, & qui in publicis, vel secretis locis artibus vtuntur, in quibus inest vitæ periculum, peccent mortaliter. num. 26.

An licitum sit matri grauidæ pharmacum sumere directè curatiuum vitæ propriæ cum periculo vitæ prolis, quam gestat in vtero, à n. 27. vsque ad 30.

Quid in dubio an medicina sit directè curatiua matris, an sine læsione prolis possit applicari matri, num. 31. & 25.

Quid in dubio an proles sit iam mortua, an tunc possit mater sumere medicamentum directè curatiuum matris, cum periculo nocendi proli, si fortè viuat. num. 32.

Fœtus masculus, vel fœmineus quo tempore animetur. num. 33.

An liceat secare aluum prægnantis, & viuentis matris, quando de vita matris desperatur, vt proles viua ad baptismum extrahatur. num. 34.

Quid si iam mater sit mortua, num. 35. *Et quid si mater ad mortem damnata sit.* num. 36.

SVnt etiam multi casus, in quibus propter vi- 17.
tam temporalem proximi, licitè quis potest suam vitam temporalem periculo mortis obiicere, quin ad id teneatur; & in quibus potest etiam licitè pati abscissionem membri sui corporis, vt proximi vitam tueatur; quin etiam ad id teneatur: de quibus in præsenti summario agemus.

In primis pro vita temporali amici, potest quis 18.
exponere vitam propriam temporalem, vt diximus à num 6. & deinceps Et in naufragio, ac tempestate, si esset vna tantùm tabula, in qua saluari quis possit; potest qui illam iam apprehensam habet, cæteris paribus, proximo dimittere, sui mortem permittendo, sed non tenetur. Dixi, *cæteris paribus*, quia si Princeps, vel persona publica, à qua bonum publicum pendet, veluti dux alicuius exercitus in bello iusto, à quo totus exercitus pendet, tenetur illam non dimittere, si in eodem periculo sit. Item si is, qui tabulam apprehensam habet, filios habeat alendos, quorum vita à patre pendeat, & alter non habeat, tunc non potest illam ei licitè dimittere, imò tenetur non dimittere; si verò filios habeat, & alter sit persona publica, veluti Rex, aut prædictus exercitus dux non solùm potest, vt dixi, sed etiam tenetur. Ita Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap 9 dub. 6. numer. 31.* Toletus *lib. 5. summæ, cap. 6. num 6.* Victoria *in relect. de homicid. num. 26. in respons. ad 5.* Aragonius 2. 2. *quæst. 64 art. 5. ad 4.* Salon *ibidem ad 5.* Petrus Nauarr *lib. 2. de rest. cap. 3. n. 63.* & rationem huius rei dedimus *cap. 11. num 9.* quam ibi videre poteris: ita etiam tenent omnes, quos citauimus, *num. 21.* Nam quamuis Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 6.* & Lud Lopez *1. part. inst. cap. 65.* existiment, id licitum esse cæteris paribus, antequam quis tabulam apprehensam habeat, non tamen postquam illam habet apprehensam; quia tunc illa dimissio erit directa, & positiua sui occisio, & suffocatio: tamen præsens doctrina verum habet, tam ante, quàm post, vt probauimus *dicto cap. 11. num. 9* si tamen ille, qui tabulam apprehendit, sit in peccato mortali publico, vel secreto, illam non potest licitè dimittere, nec etiam Regi, ac Principi, nisi posset conuenienter ad contritionem recurrere, quod rarò accidet. Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua. ita Sayrus *in claui reg. lib. 7 cap. 9. num 20 in fine.*

Lessius. Toletus. Victoria. Aragonius. Salon. Nauarr. Sotus. Lud. Lopez. Sayrus.

Similiter duobus existentibus in extrema ne- 19
cessitate, & vnum tantùm panem habentibus, potest, qui illum habet, alteri dimittere cæteris paribus, & permittere se perire in exercitium charitatis.

Sayrus. Victor. Tolet. Nauar.

tatis. Ita Sayrus *num.* 21. Victor. *in relect. de homicid. num* 25. *in responsione ad* 4. Arag. 2.2.*q.*64. *art.*5. *ad* 4. Salon *ibid.ad* 5. Toletus *lib.*5. *summa*, *cap.*6. *conclus.*3. *casu* 3. Petrus Nauarra *lib. de rest. cap.* 3. *num* 63.

20. Potest quis inseruire peste infectis licitè, & valde meritoriè, non tamen ad id tenetur, nisi pretio ad id conductus sit, tunc enim de iustitia ad id tenetur, & nisi malum esset commune, & non esset, qui hoc vellet efficere, nec pretio, nec gratis; tunc enim propter commune bonum ex charitate tenetetur. Et qui ab alio inuaditur, potest licitè permittere, cæteris etiam paribus, se ab illo occidi iniustè, quamuis licitè possit inuadentem perimere, vt sæpe diximus. Ita Toletus *lib.*5. *summæ*, *cap.* 6. *num.* 7. Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.*1. *art.*6. & 8. Sic inuasus à latrone, si aliter se non posset defendere, quàm illum occidendo, licitè potest permittere se occidi potius à latrone, quàm latronem occidere, non tamen ad id tenetur. Ita præter authores citatos, Salon. 2. 2. *art* 5. *controuers.*1. *ad* 5. Aragon. *ibi*, *art.*5. *ad* 3. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.*6. Caietan. 1.2. *quæst* 64. *art* 7. Sayrus *in claui regia lib.*7. *cap.* 9. *num.* 19. Victor. *in relect. de homicidio*, *num.*24.

Tolet. Sotus. Aragon. Nauar. Caietan. Sayrus. Victor.

21. Potest etiam quis licitè tempore belli ex sua parte iusti immittere puluerem tormentarium ad solo æquandam vrbem hostilem, etiamsi euidenter sciat, se momento periturum; non enim directè intendit suam occisionem, sed illam permittit intendendo hostium captionem: imò non solùm in hoc casu potest hoc licitè efficere, sed etiam de iustitia tenetur id efficere si stipendium in eo bello emeretur. Ita Lessius *tom.* 1. *de iustit. lib* 2. *dub.*6. *à num.*31. & *deinceps*. Syluest. *verb. Bellum* 2. *quæst.*3.

Lessius. Syluest.

22. Item si proximus, vel amicus indigeret meo auxilio in ægritudine, possum licitè illum iuuare cum periculo meæ vitæ temporalis, modò sit probabilis spes, quòd de facto illum iuuabo. Ita Sayrus allegatus *num.*24. Victoria *in relect. de homicid. num.*31. *ad* 9. Aragon. 2.2. *quæst.*64. *art.*5. *ad* 5. Salon *ibid. ad* 5 Lud Lopez 1. *part. instruct. cap.*65. Sà *verbo*, *Homicidium*.

Sayrus. Victor. Aragon. Salon. Sà.

23. Potest licitè fœmina permittere, se occidi potiùs quàm patiatur ab aliquo violari. Ita Sayrus citatus *num.*23. colligitur ex Soto *lib.*5. *de iustit. quæst.*1. *art.*5. *ad* 3. ex Ludouico Lopez 2. *part. instruct. cap.*65. ex Nauarro *in summ. Lat. cap.*16. *num* 1. ex Toleto *lib.* 5. *summæ*, *cap.* 10. docet Petrus Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 104.

Soto. Lud Lop. Nauar. Tolet.

24. Sic etiam damnatus iusta iudicis sententia, vt inedia moriatur, quamuis non teneatur abstinere à cibo oblato, si ei forte clam afferatur, sed licitè possit illum sumere, eo quod sententia iudicis solùm obligat, ne cibus detur, non autem obligat, nec obligare potest damnatum ad inediam, ne ipse illum sumat, si ei offeratur: esset enim illa tunc rigorosa admodum, & præceptum illud abstinendi à cibo in ea occasione in qua ei cibus offertur, durissimum, & supra vires humanas. Licitè etiam potest ab illo abstinere, ex virtute patientiæ. Ita D. Thom. 2.2.*q.*69. *art* 4. *ad* 2. Toletus *lib.*5. *summæ*, *cap.*6. *conclus.*3. *casu* 5. Lessius *tom.* 1. *de iust*, *lib.* 2. *dub.* 6. *cap.*9. *num.*29. Maior *in* 4. *distinct.* 15. *quæst* 22. Couarr. *lib.*1. *var cap.*2. *num.*10. *versu*, *Sextò*. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de iust. cap.*3. *num.* 75. Nam licet D. Thomas, & Couarruuias doceant non posse damnatum ad mortis inediam, licitè abstinere à cibo, si ei clam offeratur, propter rationem modò tactam, & addat D Thomas ibi iustè ad mortem damnatum teneri fugere oblata occasione. Verior tamen est sententia Lessij & Sayri *in claui reg. lib.*7. *cap.*9 *post numerum* 24 & aliorum, qui dicunt vtrumque posse licitè facere, manere in carcere, & non manere, sumere cibum, & non sumere; quia vtrumque ex bono fine potest efficere. Potest enim non sumere cibum, & manere in carcere ex eo fine, vt in eo impleatur iustitia, & vt aliis præbeat exemplum patientiæ, & vt pro suis peccatis Deo satisfaciat: imò, ait Petrus Nauarra, potest se in carcerem conijcere, & iudici præsentare, ob eundem finem bonum. Potest etiam licitè cibum sumere, & fugere ex bono fine conseruandi, scilicet, vitam, quantum potest. Omnia hæc exempla in hoc summario allata ex eo principio defenduntur, quòd homo non tenetur vitam suam producere; sed tantùm eam directè, & positiuè non perdere, se occidendo: nam quamuis homo non sit dominus vitæ suæ, sed tantùm custos, habet tamen ratione huius custodiæ vsum illius acceptum à Deo in exercitium virtutum: vnde quoties datur bonus finis, & exercitium alicuius virtutis, licitè potest cessare, aut non cessare à vita producenda ratione huius boni finis. Vnde bene probat Petr. Nauar. *num.*76. & 68. ex Henrico *quodlibet.*5. *quæst.*31. debere illum, qui scit cibum esse immolatum idolis, ab eo abstinere, etiamsi in extrema necessitate sit, & sit statim periturus; quia illa actio abstinendi non est actio positiua, & occisiua sui ipsius, sed est actio negatiua, seu suspensio, & cessatio à productione vitæ, propter bonum finem vitandi scandali in materia religionis. Quoties ergo datur finis bonus, potest quis vitam non producere, & permittere, se mori, & occidi, & potest illam producere, & extendere, vt dictum manet.

D Thom. Tolet. Lessius. Maior. Couar. P. Nauar. Nauar. Henric.

Dubitabis hìc, an sit peccatum mortale in materia homicidij, venenum sumere, vel brachium, aut manum mordendam viperæ porrigere, ad experiendam vim contraueneni, quando illa est iam experta in aliquo animali. Nauarrus *in summa Latin. cap.*15. *num.*8. affirmat esse peccatum mortale id efficere ante factum prædictum experimentum, post factum non audet, vt tale condemnare; & fauere videtur Michael Salon. 2.2. *quæst.*69. *art.*4 *ad* 5. mortale tamen esse ait ante, & post factam experientiam, Sayrus *in claui regia*, *lib* 7. *cap* 9 *num.*27. Ludouicus Lopez 1. *part. instruct. cap.*63. quia si id est illicitum ante factam, consequenter etiam est post factam experientiam; illa enim experientia non tollit intrinsecam malitiam homicidij, & actionis ad homicidium tendentis: ego dicerem si contrauenum illud compositum fuit ab homine perito, & vis illius iam experta fuit in aliquo animali, ita vt illam sumens credat esse efficacem, nullumque periculum inesse illius sumptioni, non esse id peccatum aliquod. Ita docet Petrus Nauarra *lib.*2. *de rest. cap.* 3. *num.*83. in quam opinionem tandem inclinat Sayrus; quia facto eo experimento, & præeunte bona fide, non videntur illæ actiones illicitæ; abest enim tunc moraliter loquendo omne periculum mortis, ac si forte præter spem, & existimationem detur. Deinde cum illa intrinseca malitia occisiua tam viperæ, quàm veneni sit naturalis, & non moralis, & naturaliter operetur, non moraliter; bene sequitur posse aliam bonitatem naturalem dari, quæ illam malitiam vincat, 25.

Nauar. Salon. Sayrus. Lud. Lop. Nauar.

& vt prudenter, & sine temeritate credamus, quod detur, sufficit scientia, quod medicina illa fuerit composita à viro probo, peritóque, simul cum experimento in aliquo animali facto, quod non noceat; si verò tali experientia probabilitas & bona fides non daretur, vt imprudenter ita cum peccato venenum illud sumeretur, vel manus viperæ porrigeretur.

26. Quæres quid de funambulis, & de iis, qui in publicis, aut secretis iocis, vtuntur artificiis, & artibus, in quibus inest probabile vitæ periculum. Respondeo, si huiusmodi funambuli ita viribus, ac velocitate polleant, vt prudentium hominum arbitrio absit omne periculum, non esse peccatum mortale, nec veniale, namquamuis ex eo ioco aliquando sequatur mors, quia tamen habita ratione personæ, non dabatur periculum illius, non erit id respectu talis personæ peccatum aliquod, cum per accidens, & fortuitò mors tunc contigerit. Ita Nauarrus *in summ. Lat. c.* 15. *num.* 18. *versu*, *Octanò* Lud. Lopez s. *part. instruct. cap.* 63. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 83. Syluester *verbo*, *Ars*, *quæst.* 8. Toletus *lib.* 5. *summa*, *cap.* 3. *num.* 8.

Nauarr. Lud. Lop. Nauar. Syluest. Tolet.

27. Dubium hîc præcipuum est, an licitum sit matri grauidæ, ad conseruandam propriam vitam pharmacum sumere, vel venæ scissionem pati; quando proles, quam gestat in vtero, putatur moritura, & consequenter, an licitè ei tunc huiusmodi medicamenta præberi possint? Respondeo primò, nunquam esse licitum præbere, & sumere pharmacum, vel medicamentum aliquod, siue ante, siue post fœtus animationem, directa, & positiua intentione vt fiat, & procuretur abortus, non post animationem fœtus, quia non licet directè occidere innocentem, vt vita temporalis alterius saluetur: & quia tenemur vitam nostram temporalem periculo mortis exponere propter vitam spiritualem proximi; quare si fœtus est iam viuus, & animatus, cum necessariò viuus prodire debeat vt consequatur vitam spiritualem per baptismum, tenetur mater vitam suam temporalem periculo mortis exponere pro vita spirituali filij. Non ante fœtus animationem, quia procurare aborsum ita videtur omnino illicitum, sicut illicitum est procurare directè pollutionem, ergo vt hoc non licet ob finem sanitatis, ita neque illud, etiamsi vtrumque existimetur medium necessarium ad sanitatem. Deinde, quia directa procuratio aborsus est contra naturam generationis. Ita Couarr. *in Clement. si furiosus* 2. *part.* § 3. *n.* 1. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *dub.* 10. *num.* 61. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 140. Sà *verbo*, *Homicidium*, *num.* 1. & in hoc conueniunt omnes ferè Doctores.

Couarr. Lessius. Nauar. Sà.

28. Respondeo secundò, si dubitatur probabiliter, an proles sit animata, & mater sit in periculo vitæ, & non supersit aliud remedium, potest licitè mater sumere pharmacum, & venæ scissionem, & hæc ei medicamenta licitè possunt applicari, non directa & positiua intentione faciendi aborsus, sed curandæ matris, etiamsi inde per accidens sequatur aborsus. Ratio est, quia mater est in certa possessione vitæ suæ, & certò possidet; filius autem, vel fœtus est veluti in possessione dubia, imò est in nulla possessione; de illo enim dubitatur, an possideat, vel non possideat vitam, & in materia de iustitia, certa & indubitata possessio præualet dubiæ. Et à fortiori hæc medicamenta ei applicari possunt, & mater illa sumere directa, & positiua intentione curandi se, non faciendi aborsum, etiamsi per accidens aborsus sequatur, si proles, seu fœtus nondum sit animatus. Ita Couarr. allegatus. Syluester *verb. Medicus*, *q.* 4. D. Anton. 3 *part. titul* 7. *cap.* 2. §. 2. Lessius, & Petrus Nauarra *num præcedenti* allegati. Nauarr. *in summ. Lat. cap.* 25. *num* 62. Saytus *in claui regia*, *lib* 7. *cap.* 12. *num.* 19. Ratio est, quia mater antequam fœtum concipiat, ius habet vtendi mediis necessariis ad vitæ conseruationem, quod ius non amisit per solam conceptionem ante fœtus animationem. Secundò, quia aborsus fœtus non animati censetur tunc solùm permissus, non intentus, non procuratus, cum præter intentionem sequatur, matre suo iure vtente. Sicut si causa valetudinis vtaris aliquo genere cibi, vel potus, ex quo tibi pollutio sit secutura, non intentione habendi pollutionem, sed procurandæ salutis corporis; tunc enim si pollutio accidat, non intenditur, nec procuratur, sed permittitur, & patitur inuoluntariè, & per accidens euenit.

Syluester. D. Anton. Lessius. Nauar. Saytus.

Respondeo tertiò, si proles iam sit animata, non est licitum matri sumere, nec ei præberi pharmacum, venæ incisionem, vel aliud medicamentum directa, & positiua intentione curandæ matris, non procurandi aborsus, dum probabile est, quod sine eo medicamento, proles viua proditura sit, & cum eo mortua sit egressura; secus si putatur proles iam mortua in matris vtero, quia tunc nullum præiudicium, nullumque nocumentum fit vitæ prolis, quod solùm obstabat. Ita Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *dub.* 10. *num.* 67. D. Anton 3. *part. tit.* 7. *cap.* 2. §. 2. Saytus *in claui regia*, *lib.* 7. *cap* 12. *num.* 22. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 138. & 143. Aragon. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. Et ratio est, primò, quia dum proles est viua, & probabiliter creditur viuere in matris vtero, possidet vitam suam, sine matris iniuria; ergo etiamsi mater intendat suam curationem, & non nocere vitæ prolis, si tamen medicina talis est, quæ proli noceat, iniuria sine dubio ei fit, & illa sumptio licet sumatur sola, & præcisa intentione curandi matrem, est sine dubio occisio filij, & ideo semper est illicita. Secundò, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona; malum autem est prolem occidere, & ei nocere, dum putatur viuere in vtero, licet fiat cum intentione inueniendi bonum corporalis salutis matris. Tertiò, quia tenemur, vt suprà probauimus, vitam nostram temporalem periculo mortis obiicere, pro vita spirituali proximi; igitur si abstinente matre ab eo medicamento, proles creditur viua proditura ad vitam spiritualem baptismi, tenetur mater ab eo abstinere cum vitæ etiã periculo, quamuis proles statim post baptismum moritura sit. Ex dictis patet reiiciendam esse opinionem. Sà *verbo*, *Homicidium*, *num.* 1. qui ausus est asserere, etiamsi credatur fœtus animatus, & viuus, posse matrem sumere medicinam, non ad aborsum, sed ad matris sanitatem, etiamsi præter intentionem aborsus sequatur. 29.

Lessius. D. Anton. Saytus. Nauar. Aragon. Sà.

Animaduerto tamen posse dari medicinam, quæ ex natura sua directè tendat ad curationem matris, sine vlla læsione prolis animatæ: posse etiam dari medicinam quæ directè tendat ad curationem matris, sed cum læsione prolis, & forte, si detur tale genus medicinæ, quæ ex se, & natura, & compositione sua directè tendat ad curationem matris, sine vlla læsione prolis animatæ (de quo valde dubito, & iudicabunt medici) de illa intelligendus erit Sà, & in eo sensu non videtur improbabilis opinio illius. Si verò medicinæ 30.

respectum

respectum habeat aliquem ad læsionem prolis, etiamsi profutura sit matri, & directa intentione ei applicetur, vt illa curetur; non vt abusus fiat, quo sensu cæteri loquuntur authores, vt mihi persuadeo, improbabilis videtur opinio Sà, aut saltem parum probabilitatis habet.

31\. Inquires tamen in dubio, an medicina ex natura sua sit curatiua matris, an tunc sine vlla læsione prolis animatæ, possit applicari matri, & mater licitè illam sumere? Et in hoc dubio respondeo, iuxta id, quod respondimus, *num.* 25. post experimentum semel, aut bis factum, quòd talis medicina non noceat proli animatæ, simul cum bona fide, quòd sit ab homine perito facta, & quod hic, & nunc, non nocebit animato fœtui, mihi videri posse applicari licitè, & posse matrem illa vti, dixi *simul cum bona fide, quod hic, & nunc, non nocebit fœtui*, propter affectionem, & qualitatem subiecti, cui applicatur; nam in vno subiecto propter affectionem corporis, & imbecillitatem, dispositionemque illius, nocebit fœtui, in altero nocebit: qua de re iudicabunt etiam medici. Mihi tamen valde dubium est; an dari possit tale genus medicinæ, quæ prosit matri, & directè sit curatiua matris ex natura sua, & non noceat fœtui: quia vel illa consistit in venæ scissione, & hæc semper videtur nocere proli animatæ, quia illi subtrahit alimentum; vel in pharmaco, aut potu medicabili, & hoc genus medicinæ propter commotionem, & alterationem humorum, ex natura sua semper est nociua proli, de quo tamen iudicabunt medici, ad nos enim præsens speculatio non spectat. Ante experimentum verò factum mihi videtur nec licitè posse tale medicamentum matri applicari, nec licitè ab ea sumi. Et ratio est, primò, quia proles animata habet indubitatum ius ad tuendam vitam suam, & vt in possessione talis vitæ, & iuris conseruetur indemnis, absque vlla læsione, medium autem, & medicina, qua mater vtitur, est dubium; dubitatur enim de illa an ex natura sua nociua vitæ prolis, quamuis non dubitetur, quòd curatiua sit matris. Quare in eo dubio melior est conditio possidentis prolis, cuius dubitatum ius debet seruari incolume.

Dices etiam, mater habet ius indubitatum ad tuendam vitam, & vt in ea conseruetur indemnis: & est potius, ac fortius ius, quàm ius prolis, quia de medicina non dubitatur quòd curatiua sit matris; sed solùm dubitatur, an ex natura sua possit lædere viuentem prolem. Respondeo matrem nullum habere ius, quia si quod habet, est cum præiudicio tertij, nempe prolis, ac proinde non est simpliciter ius. Respondeo secundo potius ius habere prolem, quàm matrem: quia proles habet duplicatum ius, & ad vitam spiritualem, quia si ei non noceatur, viua prodiitura est ad baptismum, & ad vitam temporalem: mater autem solùm habet ius ad vitam temporalem, quam tenetur ex præcepto charitatis exponere certo mortis periculo propter vitam spiritualem filij: vt patet.

32\. Inquires adhuc, vtrum in dubio, an proles sit iam mortua, an viua in matris vtero, & an viua, an mortua exitura sit, possit licitè mater sumere, & licitè ei præberi medicamentum aliquod directè curatiuum matris, cum periculo nocendi proli. Et ratio dubitandi est, quia mater antequam prolem conciperat, & in illius vtero sit animata, habebat ius vtendi medicamentis necessariis ad propriæ vitæ conseruationem, quod ius non videtur amittere saltem in eo casu, in quo æqualiter & practicè dubitatur, an proles sit mortua, an viua. Secundò, quia in probabilitate æquali, an lucraturi simus vitam spiritualem proximi, vel non simus, non tenemur vitam nostram temporalem certo mortis periculo obijcere, nam, vt ea obiectio prudens sit, debet esse cum certa spe lucri spiritualis, alioqui erit imprudens; nullus enim prudens dat certum pro dubio. Respondeo adhuc mihi videri in eo dubio præualere ius prolis, propter rationem numero præcedenti tactam, quia illud dubium cum sit practicum, inducit probabilitatem, quod proles viuat; viuente autem prole, mater nullum habet ius sumendi medicinam cum præiudicio vitæ prolis. Deinde dum probabiliter proles putatur animata, habet duplicatum ius ad tuendam vitam, tam spiritualem, quàm temporalem; dum autem prudentialiter, & practicè dubitatur, an viua, an mortua sit, probabiliter putatur viua, quia possidet vitam suam, qua non debet spoliari per illud dubium: nam cum sit practicum, & prudentiale, & non sit merè speculatiuum, est probabile, & pro ipso fœtu probabilitatem inducit. Et hanc credo esse opinionem eorum, qui dicunt, quòd quandiu probabiliter putatur proles viuere in vtero, non possit mater licitè sumere prædictum medicamentum, nec ei licitè applicari, secus si certò putatur mortua. Et hi sunt Lessius *tom. 1. de inst. lib. 2. dubit.* 10. *num* 67. Sayrus *in claui regia, lib. 7. cap.* 12. *n.* 22. Aragon 2. 2. *quæst.* 64 *art* 7. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 158. & 193. & omnes, quos statim num. 34. allegabimus. Lessius. Sayrus. Aragonius. Petrus Nau.

Ad primam rationem dubitandi, dices matrem, cùm primùm proles animatur in illius vtero, non amittere ius, quod ante animationem prolis habebat conseruandi vitam propriam; ante animationem prolis solum habebat ius conseruandi vitam propriam temporalem sine præiudicio prolis viuentis, & hoc iure posse modo vti licitè, at cum præiudicio viuentis prolis, & animati fœtus non posse tali iure vti, quia ante prædictam animationem illud non habebat, vt patet. Ad secundam dices: In æquali probabilitate an lucraturi simus vitam spiritualem proximi, an non, teneri nos nostram vitam temporalem pro illius vita spirituali certo mortis periculo obijcere, quia, vt ea obiectio sit prudens, satis est, quòd detur probabilis spes lucrandi vitam spiritualem proximi; maximè, quia vita spiritualis excedit tantum vitam temporalem, quantum anima corpus, cælum terram.

33\. Fœtus autem si masculus sit die quadragesimo animatur; si fœmina octogesimo: ita docet Nauarrus *in summa Latina, cap.* 15. *n.* 14. *in fine*, Couatr. *in clement. si furiosus*, 2. *part* §. 3. *num.* 1. Lessius *tomo* 1. *de inst. lib.* 2. *dub.* 10. *num* 67. Sà *verbo Homicidium, num.* 1. In dubio autem, an mas sit, an fœmina, credendum esse marem, docet Couarruuias, & Sà modo allegati. Hyppocrates *lib. de natura fœtus*, docet maris formationem absolui aliquando die trigesimo, aliquãdo quadragesimo, aliquãdo quadragesimo quinto; fœminæ verò aliquando die trigesimo quinto, aliquando quadragesimo, aliquãdo quadragesimo quinto, ordinariè tamen die octogesimo. Et ideò cum nihil certò constet apud Medicos Hyppocratem sequentes, & alij Doctores iuxta probabiliorem opinionem certam regulam statuant, asserentes communiter masculorum fœtus die quadragesimo, fœminarum die octogesimo absolui, illorum opinio sequenda erit, cum in hoc negotio certam regulam sequi

Nauarrus. Couarr. Lessius. Sà. Hyppocrat.

sequi debeamus: nisi ex signis aliter matribus certo, & euidenter constet; si enim de illis constet formationem absolutam esse, cessant opiniones relatæ: sed rarò admodum aliquid certum ex signis constabit.

34 Restat explicandum, vtrum liceat secare aluum prægnantis matris, quando de illius vita desperatur, vt puer viuus extrahatur ad baptismum? Negant communiter DD. D. Th. *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1 ad 4. & in 3 part quæst. 68. art. 11.* Paulus Comitol. *lib. 1. quæst. 14.* Corduba *quæst. 38. dub. 2.* Lud Lopez 1. *part. instruct. cap. 63.* Alensis *4 part. quæst. 8. memb. 7. art. 1. §. 3.* Paludanus *in 4 dist. 6 quæst. 1. art. 1.* Gabriel *in 4. dist. 4 quæst. 2. art. 3. dub 2.* D. Anton. *in 3. part. titul. 4 cap. 13 §. 1.* Syluester *verbo baptismus 4. num. 2.* Sotus *in 4. dist. 5 quæst. unica, art. 11.* Angel. *verbo baptismus 6. num. 2.* Tabiena *verbo baptismus 3. num. 5.* Armilla *ibidem num. 38.* Victoria *in summa de Sacramentis, quæst. 33.* vbi inuehitur in quemdam medicum, qui suo tempore suasit incidendum vterum prægnantis matris, dum viueret, cuius salus desperata iam erat, vt puer viuus ad vitam spiritualem baptismi extraheretur. Fundamentum illorum est, quia dum mater viuit, illa sectio, & apertio, nihil aliud est, quàm occisio; & non sunt facienda mala, vt eueniant bona; neque enim licet alicui se positiuè occidere propter salutem spiritualem alterius; vnde neque etiam matrem occidere, dum putatur viua propter salutem spiritualem filij.

D. Thomas. Comitolus. Corduba. Lopez. Alensis. Paludanus. Gabriel. D Anton. Syluester. Sotus Angelus. Tabiena. Armilla. Victoria.

35\. Si tamen mater iam sit mortua, & filius creditur in vtero illius viuere, fatentur omnes posse illam secari mortuam, vt filius baptizetur. Quæ doctrina patet, *ex l. Posthum ff. de inofficios. testam.* Argues tamen, tenemur vitam temporalem exponere pro salute spirituali proximi; ergo mater tenetur pati aluei sectionem pro salute spirituali filij, quam consequitur per baptismum. Respondeo concedendo antecedens, negando illationem, quia aliud est exponere vitam temporalem pro salute spirituali proximi; aliud positiuè se occidere pro illa. Primum est licitum; secundum omninò illicitum.

36\. Rogabis tamen, an saltem illius matris prægnantis alueus incidi possit, quæ ad mortem damnatur, vt puer baptizetur? Negant Comitolus, Tabiena, D. Antoninus, Victoria, & Gabriel *num. 34.* allegati, & Sotus *in 4 dist. 5. quæst. 7. art. 11.* & Paludanus ibid *dist. 6. quæst. 1. art. 1.* Et ratio est, primò, quia hoc ipsum in iure expressè prohibetur *in l. Prægnantis, ff. de pœnis*, ibi: *Prægnantis mulieris consumendæ damnata pœna differtur, quoad pariat.* Secundò, quia id prorsus esset occidere priuata authoritate matrem, quod omnino illicitum est. Tertiò, quia id fieri non potest sine periculo mortis infantis ante baptismum; quare nequaquam id dicendum est.

Comitolus. Tabiena. D. Anton. Victoria. Gabriel. Sotus. Paludanus.

***

CAPVT XIII.

Soluuntur aliqua dubia: agitur de abscissione membri putridi; quæritur quando teneamur, vel non teneamur illius amputationem pati. Agitur de homicidio casuali, quando sit, vel non sit peccatum.

SVMMARIVM.

Licitum est iudicibus, & potestatibus publicis mutilare reos malefactores, sicut & occidere, num. 1.

An licitum sit mutilare sibi membrum sui corporis sine vrgenti necessitate. ibid.

Qui se mutilat, vel sibi membrum abscindit, si est persona Ecclesiastica, incurrit in excommunicationem capitis Siquis. num. 2.

Castrare se se, vel amputare sibi virilia ob amorem castitatis est peccatum mortiferum de se, & similiter obnoxium excommunicationi capitis Siquis, num. 3.

Tam modicum potest esse membrum, vt non sit mortale illud auellere, aut amputare, veluti dens, aut minimi digiti summitas. num. 4.

An licitum sit fœminæ ad vitandum periculum mortis in partu, venenum sterilitatis sumere, vt securè petere, & reddere possit, non tamen concipere, num. 6.

De iudicio medicorum ad saluandum vitam infirmi potest licitè membrum veluti pes, vel manus abscindi. ibid.

An teneatur quis cum magnis doloribus pati abscissionem alicuius membri; si vita illius est necessaria Republicæ, num. 7. *Quid si sit Rex, aut Princeps,* ibid. *Quid si Religiosus cuius vita est valdè necessaria communitati.* ibid.

Quid de aliis religiosis, quorum vita non ita est necessaria. num. 8.

Quid sit homicidium casuale. num. 9.

Si dans operam rei licitæ, vel illicitæ adhibuit sufficientem diligentiam ne damnum alteri sequeretur, si postea sequatur, non illi est imputandum ad culpam aliquam. num. 10.

Neque etiam illi imputabitur ad culpam homicidij si dabat operam rei illicitæ extra homicidium, num. 11. *An in irregularitate illius homicidij, quo aliquis in rixa subito & repenti orta occiditur, possit dispensare Episcopus.* ibid.

An mors illius, quem clericus peritus Chirurgiæ curauit clerico imputanda sit ad irregularitatem, & in quo casu. num. 12.

An adulter, qui maritum adulteræ se volentem occidere, occidit se defendendo, irregularis fiat, num. 13.

Quid quando homicidium est voluntarium in causa, non in se, v. c. quando aliquis voluit percussionem, non tamen mortem, & nihilominus mors secuta est ex tali percussione, num. 14. *& quid si non posuisti diligentiam ne mors sequeretur, & ne ferires in parte periculosa.* ibid.

Quid si illam posuisti. num. 15.

1\. SVPPONO licitum esse iudicibus, & magistratibus publicis mutilare malefactores, sicut & occidere; imò non solùm

esse

esse licitum ; sed etiam ad id teneri ea iustitia , &
oblig..tione officij ; qua de re modò non agimus,
infrà tamen agemus Sed inquirimus an licitum
alicui sit , amputare sibi membrum aliquod sui
corporis sine vrgenti causa, & necessitate. Et ve-
rò membrum sibi absciodere sine causa & neces-
sitate ea genere suo esse peccatum mortiferum
contra charitatem propriam in semetipsum , &
contra iustitiam lato modo in Rempublicam do-
D.Thom. cent communiter DD. D. Thom. a. 2. *quæst.*65.
Aragon. *art.*1. Saloo , & Aragonius *ibi*. Syluester *verbo*,
Syluest. *Homicidium* 1.*quæst.*1. *versu* , *Primò*. Sotus *lib.*5.
Sotus. *de iust. quæst.*2. *art.*1. *conclus.* 3. Nauar. *in summ.*
Nauar. *Lat. cap.*15. *num.*11. *versu* , *Duodecimò*. Ludou.
Lud. Lop. Lopez 1. *part. instruct.cap.*64.Petrus Nauar.*lib.*2.
P.Nauar. *de rest cap.*3. *num.*94. Toletus *lib.*5. *summa* , *c.*6.
Toletus. *conclus.*2. Sà *verbo* , *Homicidium* , *fine*. Saytus *in*
Sà. *claui regia*, *lib.*7. *cap.*9. *num.*34. *versu*,*Respondeo*.
Sayrus. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.*2. *dub.* 14. *num.*97. Et
Lessius. ratio est , quia sicut nec vitæ , ita nec membro-
rum suorum homo est dominus ; vnde mortali-
ter peccat , qui ex impatieotia , ira vel verecun-
dia , vel quauis alia passione , membrum abscin-
dit , vel mutilat.

2\. Qui autem se mutilat , si clericus sit , religio-
giosus ; vel persona Ecclesiastica, excommunica-
tionem incurrit capitis , *Si quis suadente diabolo*,
Felin. vt docent Ioannes Andr. Panormitanus , & Feli-
nus *in cap.Contingit* 1. *de sent. excommunicationis*.
Nauar. Nauar. *in summa* , *cap.*15. *num.*11. Molin. *tom.*3.
Molin. *de iust.disp.*51.*num.*3.Suarez *tom* 5.*de cens.disp.*22.
Suarez. *sect.*1.*num* 59. Syluester *verbo*, *Excommunicatio* 6.
Syluest. *num.*8. Tabiena *verbo*, *Excommunicatio* 5.*num.*32.
Tabien. Toletus *lib.* 1. *summa* , *cap.* 34. *num.* 7. & *lib.*5.
Toletus. *cap* 6. *conclus.*2. Farinacius *tom.*4. *in praxi*,*q.*128.
Farin. *titul.*16. *num.*27. Iulius Clarus *in pract.* §. *finali*,
Iul Clar. *quæst.*77. *num* 3. Menocb. *de arbitr. quæst. lib.*2.
Menoch. *casu* 284. *num.*37. Carter. *in pract. tract.*3 *de ho-*
Carter. *micid & assassimo* , §. *modò hic*, *num.*5. *in fine*. Et
ratio est , quia canon ille , *Si quis suadente* , non
fuit conditus in fauorem huius , aut illius priua-
tæ personæ Ecclesiasticæ , sed io fauorem ordinis
clericalis. Cum ergo ille clericus , religiosus, vel
persona Ecclesiastica iniuriam inferat toti ordini
clericali , in quo & sacer , & constitutus est ; se-
3\. quitur , vt censuram sine dubio incurrat. Hinc se
castrare , vel abscindere sibi partes viriles amore
castitatis, etiamsi fiat intentione vitandi peccatum
contra castitatem , & ad animi salutem, peccatum
est mortiferum de se , & similiter innodatus ma-
net eadem excommunicatione canonis *si quis*,
si sit clericus. Ita docent Saytus , Lessius *num.* 1.
allegati , & ferè omnes DD. adhuc citati , & ha-
betur in cap. *Si quis à medicus* , *dist.*55. & *in ca-*
none 6.Concilij Nicani. Et rationem optimam hu-
ius rei assignat D.Thom.2.2. *quæst.*65.*art.*1. *ad* 3.
qoia non licet vti mediis de se arduis , & difficili-
bus ad finem bonum consequendom , nisi quan-
do ea sunt omnino vnica, & necessaria , & per se
ordinata ad talem finem. Vnde cum prædictæ
membrorum abscissiones non sint media , vnica,
& necessaria ad vincendas tentationes carnis, sed
potius orationes , ieiunia , flagella , & periculo-
rum visitationes , inde est , quòd ad domandam
carnis rebellionem membrum sibi non liceat am-
putare. Et id ipsum ex eodem fundamento docet
Farin. Farinacius *tom* 4. *quæst.*128. *tit.*16. *num.*3. & Iu-
Iul.Clar. lius Clarus §. *finali* , *quæst.*68. *num.*7. *versu* , *Ca-*
strans se ipsum. Iodocbus *in pract.cap.*88.*num.*11.
& 12.

Nec refert , quòd aliqui viri sancti, id sibi effe-
cerint , vt fecit etiam beatus Marcus Anachore-
ta , qui , vt refert Baronius *tom.* 1. *ad annum* 45.
Natalitij Domini, pollicem sibi ea humilitate am-
putauit , ne sacerdos fieret , quia illi id fecerunt,
ex præuia motione diuina , docente eos intus,&
moouente diuino spiritu ; aliàs peccatent grauis-
simè,iuxta Doctores allegatos,inter quos est etiam
Sotus *lib.*5. *de iust.quæst.*2. *art.*1. *conclus* 3.& Pe- Sotus.
trus Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.*3. *num* 94. Petrus Nauarra.
Aragonius , & Salon 2.2.*quæst.*65 *art.*1. & alij. Salon.

At tam modicum potest esse membrum, vt nec 4.
mortale sit illud amputare , nec excommunicatio
incurratur ob illius amputationem. Veluti si fue-
tit dens , aut minimi digiti summitas cum dimi-
dio vogulæ illius , imò fortè bona pars digiti mi-
nimi manus. Sicut enim in furto , & aliis præce-
ptis nonnullis dantur minima, quæ ad grauitatem
mortalem non attingunt , ita & in hoc quinto
præcepto.

Sed dubium est , an licitom sit fœminæ ad su- 5.
giendum mortis periculum , quòd probabiliter
timet io partu vencoum aliquod sterilitatis sume-
re , vel potationem aliquam ebibere , vt securè
reddat debitum sine conceptiooe fœtus. Negant
communiter Doctores. Primò , quia id ipsum est
ptiuare se potentia generatiua, quod grauissimum
peccatum est. Secundò, quia hic concurruot duo
præcepta , alterum de reddendo debito ; alterum
de non occidendo se ipso , nec se mutilando , &
fortius est præceptum de non mutilando se , aut
occidendo , quàm præceptum de non reddendo
debito : quando autem duo præcepta naturalia
concurrunt, & vtrumque seruari non potest, ser-
uandum est fortius , & minus forte relinquen-
dum. Et nomine mutilationis membri , venit
etiam sterilitas , quid enim magis refert, an muti-
lam manum habeas , & ita sterilem, & aridam fa-
ctam , vt te illa iuuati non possis ? Tandem quia
non sunt facienda mala , vt eueniaot bona ; ma-
lum est sine dubio se ipsum mutilare , aut occide-
re , vt sæpè diximus.

Quando tamen medici in aliqua ægritudine 6.
iudicant ampotatiooem manus , vel pedis , vel
alicuius membri ad vitam hominis infirmi esse
necessariam , potest licitè prædictum membrum
abscindi ? An verò teneatur tunc æger præeunte
iudicio medicorum , eam abscissionem pati , est
dubium ? Optimè respondent Sotus *lib.*5.*de iust.* Sotus.
*quæst.*2.*art.*1.& Lessius *tom.* 1.*de iust.lib.*2.*dub.*14. Lessius.
*n.*96. teneri,modò colores,quos passurus est,non
sint magni , non teneri verò si magni sint. Ratio
illorum est, quia qoando nostra vita periclitatur,
tenemus modis , ac mediis ordinariis illi consu-
lere ; abscissio autem illa in ea circunstantia , est
mediom ordioatium , & non admodum difficile,
si dolores sint faciles ; si tamen illi essent magni,
non teneretur quis eam amputationem pati , nec
ad id poterit obligari ; non enim tenemur cum
tanto nostro dolore , & pœna in incerto euentu,
vitæ nostræ coosulere.

Excipiuntur tamen duo casus , in quibus quis 7.
tenetur amputationem pati cum magnis etiam
doloribus , & ad id potest obligari , & compelli,
si aliqua est spes vitæ non mediocris. Primus est,
si infirmus sit Rex , aut Princeps, vel Dux magni
exercitus , aut persona , ita necessaria Reipobli-
cæ , vt ea emortua , non reperiatur alia similis.
Ita Sotus , & Lessius *numero proximo* , allegati Lessius.
Aragon. a. 2. *quæst.* 65. *art.*1. *initio*. Michael Sa- Aragonius.
lon.2.2. *ibi art.*1.*controuers.*2. Petrus Nauar.*lib.*2. Salon. Nauar.
*de rest. cap.*3. *num.*102. & 103. Sayrus *in claui re-* Sayrus.
gia,

gia, lib. 7. cap. 9. num. 38. versu, Primò si commune. Secundus est, si sit Religiosus communitati valde vtilis, & vita illius sit moraliter certa, tenebitur hanc membri sectionem pati, manus, v. c. vel pedis, & ad id potest obligari à superiore rum magnis etiam doloribus, propter bonum commune suæ communitatis; quamuis id neget Lessius citatus nisi euidens, ac maxima vtilitas religionis ab eo pendeat.

8. De aliis religiosis, quorum vita non ita est vtilis, ac necessaria religioni, dubitant aliqui, an à superioribus possint obligari, ad tolerandam hanc sectionem cum dolore magno? Et communiter respondetur, nec huiusmodi religiosos à suis Prælatis, nec filios à patribus in eo casu posse obligari. Primò, quia illi non tenentur cum tanto dolore vitam conseruare. Vnde illud Marij Romani dictum commendauit antiquitas: *Non est tanto dolore digna salus.* Secundò, quia superiores, & patres non possunt omnia honesta, & difficilia filiis, & religiosus suis subditis præcipere, sed ea tantum, quæ sunt moderata; difficillima enim non cadunt sub obedientiæ præceptum. Vnde ait D. Thom. 2. 2. *quæst. 65. artic. 1. in corpore: Quod membrum totius corporis corruptiuum, & de voluntate eius cuius est membrum putridum, & de voluntate eius ad quem pertinet curare de salute illius, quo habet membrum corruptiuum ob salutem totius corporis, & non aliter, licitè præscindi potest.* Ita docet Sayrus *in claui regia, lib. 7. cap. 9. num. 38. versu, Secundò ad finem.*

D. Thom.

9. Sequitur, vt agamus de homicidio casuali, & videamus quatenus in eo peccatum dari, vel non dari possit, & quatenus sit, vel non sit peccatum. *Homicidium* igitur *casuale*, iuxta D. Thom. 2. 2. *quæst. 64. art. 8. in corpore, illud est, quod præter intentionem fit.* Est autem duplex: alterum mere, & purè casuale, in quo nulla culpa, nullum peccatum est, neque in causa, neque in effectu: alterum mixtum, in quo culpa fuit, & peccatum in causa illius, non tamen in effectu. Pro homicidio igitur casuali, sit hæc regula:

D. Thom.

10. Si dant operam rei licitæ, vel illicitæ, adhibitum sufficientem diligentiam arbitrio prudentis, ne inde mors, vulnus, vel incommodi aliquid sequeretur; tunc quidem etsi fortè secuta sit, non illi imputabitur ad culpam aliquam, quia illa mors neque in se, neque in causa fuit volita. Non in se, & in effectu, quia illam nullo modo intendebat; non in causa, seu occupatione, actioneve, cui dabat operam, si quidem diligentiam adhibuit tantam, quanta arbitrio prudentis erat sufficiens, ac necessaria, ne ex tali actione sequeretur mors, aut vulnus, vel mali aliquid: diligentia enim illa detersit omnem culpam. Vnde cum irregularitas sit pœna, quæ in iure ponitur ob delictum homicidij voluntarij, in quo culpa intercessit; cum ibi nulla culpa fuerit, nullaque voluntas; imò contraria voluntas fuerit, quam testatur prudens diligentia apposita; sequitur vt nulla irregularitas incurratur, si forte homicidium aliquod, aut mutilatio casualis præter spem, intentionemque contingat. Ita Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. dub. 15. num 103.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 45. sect. 5. num 1. & sect. 6. num. 4. ad finem.* Farinacius *tom. 4. in praxi, quæst. 126. num. 74.* Ayterius *in tract. de homic. casuali, part. 3. num. 20.* Toletus *lib. 5. summæ, cap. 7. regula 1. & 2.*

Lessius. Suarez. Farin. Ayterius. Tolet.

11. Dices: dum posuit, adhibuitque illam diligentiam, ne mors aut mutilatio sequeretur, dabat operam rei illicitæ, vt suppono; ergo ibi erat culpa; ergo si postea talis mutilatio, aut homicidium contingat, culpa in eo fuit, ac proinde, vbi fuit culpa, necesse est vt pœna irregularitatis detur. Respondeo illa culpa, si qua erat, nôerat in ordine ad homicidium aut mutilationé, sed erat in ordine ad prohibitioné, quia videlicet illa actio ei prohibebatur ob decentiam status, vel ob alium finem. Exemplis res fiet clara. Primò clericus dans operam venationi clamorosæ, hoc est, cum armis igneis, quæ actio illi est in iure prohibita ob statum, & decentiam personæ, mero casu hominem interfecit, quia sclopetum crepuit, vel hominem putauit feram, & credens esse feram occidit, posuitque antecedenter debitam, ac sufficientem diligentiam, ne aliquam personam læderet: is etiamsi, sic venando peccet contra prohibitionem illi factam ob decentiam status, & propriæ personæ, non peccat tamen contra iustitiam, nec homicidium culpabile committit, nec irregularitatem aliquam incurrit; quia non dabat operam rei illicitæ per ordinem ad culpam homicidij, nec illa mors, aut mutilatio fuit voluntaria, posita ea diligentia, sed merè inuoluntaria, casualis, & per accidens; quia præter intentionem contigit, ac proinde nulla pœna irregularitatis ob eam incurretur, quia, vbi non datur culpa, non datur pœna Ita docent Caietanus 2. 2. *quæst. 64 art. 8.* Lessius, Suarez *num. 10. citati.* Farinacius *tomo 4. in praxi, quæst. 126 de homicidio, num. 77.* cum multis, quos ibi importunè allegat. Dubitant tamen Doctores; an in irregularitate illius homicidij, quo aliquis in rixa subitò, & inopinatè contingenti alium occidit, possit dispensare Episcopus, qui iuxta formam Concilij Tridentini *sess. 14. cap. 7.* potest dispensare super irregularitates contractas ex homicidio casuali occulto? Negant Molina *tomo 4. de iust. tract. 3. disput. 70. num. 7.* & Suarez *in 3 part. tomo 5. de censur. disput 94. sect. 1. num. 3.* quia licet huiusmodi homicidium ex eo quòd contingat in rixa subitò & repentè orta dici possit casuale, & inuoluntarium; potuit tamen in ipsa rixa libera voluntate directè intendi, quare tale homicidium directè, & in se voluntarium erit, & sub hac appellatione in iure venict, nisi fortè induat rationem propriæ defensionis, cuius est alia consideratio. Affirmant Antoninus Diana *tract. 1. Miscellan. Resolut. 19.* Didacus Peres *lib. 8. ordinamenti titulo 13. in Rubrica fol. 256. col. 1. ante medium.* Auila *in tractatu de censuris part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 1. & sect. 5. dub. 5. conclus. 2.* Conink *de Sacramentis, disput. 18. dub. 14. num. 111.* Rodriguez *in summa 1. part. cap. 177. num. 2.* Henriquez, & Salzedo, quos citat Diana allegatus. Fundamentum illorum est. Primò, quia ad irregularitatem homicidij voluntarij, super quam non possit dispensare Episcopus, requiritur, quòd illud homicidium fiat animo deliberato, & ex proposito, & consilio; nam si repente in rixa orta, & casu contingeret fiat, non est voluntarium, sed casuale. Secundò, quia in Concilio Trid. *sess. 14. de reformat. cap. 7.* solum dispensatio irregularitatis homicidij à proposito facti Episcopo eximitur, non verò homicidij casualis, ibi. *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu commissum fuisse narretur, committatur loci ordinario, qui non nisi causa cognita, non aliter dispensare poterit.* Est probabilis ista sententia, & sequi potest. Fundamentum primæ solutum manet.

Caiet. Suarez. Farin.

Molin. Suarez.

Diana. Perez.

Auila. Conink.

Rodrig.

Secundò, clericus peritus arte chirurgiæ, scidit apostema, ex artis præscripto, rustico, monuit illum, ne se vento, aut aëri committeret, 12.

ille negligens monitiones contulit se ad messem, moriturque. Hæc mors non potest clerico imputari ad pœnam irregularitatis, (quamuis operam rei illicitæ dederit, quia prohibitæ; prohibetur enim clericis exercitium artis chirurgiæ ob decentiam status, & personæ:) sicut nec imputabitur laico, si laicus chirurgus eam incisionem, curationemque fecisset, quia monitiones, ac diligentiæ adhibitæ, excusarunt omne periculum. Et quia clericus dabat operam rei illicitæ per ordinem ad prohibitionem ob decentiam status, & personæ, non per ordinem ad homicidium: habetur iste casus sic decisus *in capite, Tua nos, de homicidio*, vbi satis significatur non esse talis clericus irregularis, cum id causa pietatis fecit, & debitam adhibuit monitionem, ac diligentiam. Ita docet Lessius *tomo 1. de iust. dub. 15. num. 103.* & Medina 1.2. *quæst. 73. art. 8.* Lessius. Medina.

13. Tertiò, accedit adulter ad vxorem alterius; venit maritus, aggreditur adulterum stricto gladio; adulter se debito moderamine defendit, & non potens aliter manus mariti effugere, illum occidit; in tali casu non est adulter reus homicidij, sed reus adulterij tantummodo, nec irregularitatem incurrit, sed occisio illa fuit omninò inuoluntaria, & inculpabilis, quamuis enim daret operam rei illicitæ, nempe adulterio, tamen non erat illicita in ordine ad homicidium mariti adulteræ; & alioqui illud homicidium fuit inculpabile, quia fuit factum in suam iustam defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt suppono: ergo carebit culpa, ergo & pœna irregularitatis. Ita docet Lessius *tomo 1. de iust. lib. 2. dub. 9. numer. 166.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. numer. 362.* vbi citat pro se Mercadum, & Syluestrum, & Medina 1.2. *quæst. 73. art. 8.* & nos iam ea de re late egimus *cap. 4. num. 7.* quamuis contrarium teneat Nauarrus *in manuali Lat. cap. 15. n. 7.* Lessius. Nauarrus. Mercadus. Syluester. Medina. Si tamen maritus solam occidit vxorem, & non adulterum, dubium est, an tunc adulter, qui ad illam accessit, fiat irregularis. Et certè Suarez *tomo 5. de censuris disput. 45. sect. 5. num. 7.* ita respondet. Suarez. Si temerè ad illam accessit, exponens illam periculo mortis, irregularis manet, quia moraliter loquendo, fuit causa talis homicidij; secus si accessit cum sufficienti cautela & diligentia, quod maritus eam non inueniret, nec rem sciret, quia illa diligentia effecit, vt tale homicidium respectu adulteræ esset omnino inuoluntarium; & cum Suario idem sentit in simili Couarr. *in clement. si furiosus. 3. part. num. 4. initio*, quamuis Nauarrus *in summa Latina, cap. 27. num. 239.* absolutè dicat fieri irregularem, ex suo fundamento, quia dabat operam rei illicitæ. Suarez. Couarr. Nauarrus. Sed melior, & probabilior est opinio Suarij & Couarruuiæ, quia dabat operam rei illicitæ per ordinem ad adulterium, non per ordinem ad homicidium.

14. Si homicidium fuit culpabile in causa; quia v. c. voluisti percussionem, non tamen mortem, & non adhibuisti debitam, & necessariam diligentiam, ne mors sequeretur; tunc necessariò dabitur peccatum homicidij casualis mortale, vel veniale pro ratione maioris, vel minoris negligentiæ, & verò si negligentia fuit magna, & mortalis, irregularitas incurretur. Ita docet Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. c. 9. n. 108.* & communiter DD. Lessius. & ratio est, quia cum homicidium non sit in se voluntarium, aut intentum, neque in causa, nisi ex defectu diligentiæ appositæ, ne sequeretur; ratione illius tantùm imputabitur ad culpam: si ergo negligentia fuit grandis, erit culpa lethalis; si lenis venialis, quod iudicabit prudens: homicidiumque proinde mortale, vel veniale in causa, ratione huius negligentiæ.

Si posuisti diligentiam necessariam, ne in ea parte corporis vulnerares, ex qua mors communiter sequitur, & inflixisti vulnus non lethale, & mors secuta est, vel ex negligentia, & incuria medici, vel ex incuria percussi, quia noluit apponere remedia opportuna, hoc homicidium erit tibi inuoluntarium omninò, & non eris reus homicidij, sed vulneris, nec vt homicida punieris, sed vt vulnerans, & consequenter in foro conscientiæ non teneberis ad restitutionem, vt homicida, sed tantùm, vt vulnerans. 15. Ita Sotus *lib. 5. de iust. art. 9.* Antonius Gomez *tomo 3. var. cap. 3. num. 25.* Lessius *tomo 1. de iust. lib. 2. dub. 5. num. 102.* Sotus. Gomez. Lessius. estque etiam communis sententia iuris peritorum ad legem, *qui occidisti 30. § finali, ff. ad leg. Aquiliam*, & *in capite, significasti 2. de homicidio*. Et ratio est; quia, etsi vulnus fuit aliqua occasio mortis, tamen reuera non fuit causa illius, sed incuria medici, vel infirmi; tenebantur enim diligentiam adhibere in curatione, vnde illi soli, qui causa fuit negligentiæ, imputandus est effectus mortis: secus tamen, si in ea parte corporis percussisti, in qua vulnera communiter sunt mortalia: & secus etiam, si in quauis alia parte corporis, in qua vulnus fuit lethale; tunc enim reus eris mortis; imò si eo loco, & tempore vulnerasti, in quo non erant medici, qui possent vulnus curare, & læsus debitam diligentiam præstitit, tunc enim tali tempore, & loco vulnus censebitur mortale, & vt homicida punieris. sed de hac re satis supra egimus, *cap. 9.* ad quem te remitto.

An autem tunc irregularis fias, dubium esse potest. 16. Sed certè cum huiusmodi Doctores asserant, te non esse reum homicidij, nec vt homicidam puniendum, aut ad restitutionem obligandum, sed vt vulnerantem, consequenter debent dicere, te non fieri irregularem, quia non fuisti causa mortis, sed causa tantùm vulneris non lethalis; causa enim mortis fuit malitia, vel negligentia medici, vel infirmi: ita docet expressè Farinacius *tomo 4. in praxi de homicidio, quæst. 127. titulo 14. num. 26.* Hippolytus, quem allegat, & Riminaldus *cons. 121. num. 27. lib. 2.* & nos iam hac de re diximus, *cap. 9. num. 13.* Farinac. Hippolytus. Riminald.

CAPVT XIV.

An liceat iudici innocentem damnare ad mortem, qui secundùm allegata, & probata probatur nocens.

SVMMARIVM.

Tenetur iudex ex charitate liberare quantum potest illum, quem priuata scientia scit esse innocentem, quantumuis probetur nocens. num. 1.

Tenetur etiam in auditorio illius innocentiam declarare. num. 2.

Si iudex est inferior, tenetur ex eadem charitate mittere reum, quem scit priuata scientia esse innocentem, ad iudicem superiorem cum sua informatione. num. 3.

Cum nihil horum fieri potest, quæstio est, an liceat damnare innocentem, qui secundùm allegata, & probata, probatur nocens, num. 4. Refertur prima sententia absolutè affirmans. ibid.

Refertur secunda negans tam in ciuilibus, quàm in criminalibus. num. 5.

Refertur tertia distinguens inter causas criminales maioris, & minoris momenti, & inter causas ciuiles, & in omnibus causis ciuilibus maioris momenti, & in omnibus criminalibus tam maioris, quàm minoris momenti id affirmat, negat verò in ciuilibus minoris momenti, num. 6. *Quid in officiis, & bonis Reipublicæ.* ibid. & num. 7. & 8.

Iudicium authoris circa has opiniones. num. 9.

Soluuntur argumenta secundæ, & tertiæ opinionis, num. 10.

Non est intrinsecè malum damnare innocentem, qui secundùm allegata, & probata probatur nocens, ibid.

Leges, & iura requirunt testes, libellos, & accusatores, vt publicè, & in forma publica, & non ex notitia particulari constet de rei veritate. num. 11.

Non potest iudex reum damnare, si sibi notitia particulari certò & infallibiliter constet se non esse iudicem, quamuis in iudicio probetur quòd sit iudex. num. 12.

An sit iusta illa lex, quæ iuberet damnari innocentem ob publicum, & commune bonum. num. 13.

Est de iure naturali procedere iudices in ferendis sententiis, & damnandis reis secundùm allegata, & probata. num. 14.

Intentio, & finis legum, & iuris est, vt constet in iudicio publico de veritate rei secundùm allegata, & probata, & non secundùm scientiam particularem. num. 15.

Tenetur iudex ex charitate facere omnem diligentiam, vt innocentem Religiosum, aut Monasterium, quod priuata scientia scit esse innocens, liberet; quando autem id facere non potest, tenetur iudicare secundùm allegata, & probata, num. 16.

Hoc iudicium non est simile iudicio Pilati, num. 17.

Quid quando ipsemet iudex probationes falsas, testesque, & accusatores falsos induxit, & ordinauit. num. 18.

In quibus causis possint Reges, & Principes liberè disponere de rebus subditorum, & an sit causa sufficiens disponendi de illis obseruatio iuris in publicis iudiciis. num. 19.

Adhuc nec Respublica, nec Princeps disposuerunt de bonis suorum subditorum propter bonum publicum obseruationis publici iudicij. num. 20.

1. HACTENVS egimus de homicidio priuata authoritate facto: nunc agendum est de illo publica authoritate. Et in hac materia, vt distinctè procedamus, quædam fatentur Doctores tamquam certa, & indubitata; alia verò pro vtraque parte disputanda. Ex iis, quæ vt indubitata fatentur, Primum est, teneri iudicem ex charitate sub culpa mortali liberare innocentem à morte, si potest via aliqua, quantumuis secundùm allegata, & probata probetur nocens, siue id faciat accusatores impediendo, honesto modo, siue carcerem siue scandalo, & nota aperiendo, siue testes rigorosè, & personaliter examinando, siue quocumque alio modo sibi honestiori, & meliori id possit sine nota efficere.

2. Secundum fatentur etiam multi teneri iudicem, quando innocentem liberare non potest, coram populo in auditorio illius innocentiam manifestare; quia in hoc nulla fit iniuria accusatoribus, & falsis testibus: nam si illi scienter, & malitiosè accusant, & testificantur, sibi imputent; si bona fide accusant, atque deponunt, maius ius est innocentis, cui bona illorum fides nocere non debet. Ita Sotus *lib. 5. de iust quæst 4. art. 2.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3 num. 153.* Caietanus 2. 2. *quæst. 67. art. 4 ad 2.* Corduba *lib. 1. quæst 37.* & alij communiter.

Sotus. Nauarr. Caietanus. Corduba.

3. Tertium fatetur teneri iudicem inferiorem reũ, quem certò scit innocentem esse, si eum præfatis modis numero primo relatis liberare non potest, mittere ad iudicem superiorem, cum protestatione, informatione, & probationibus, atque indiciis illius innocentiæ, in quo casu potest personam iudicis deponere, & esse testis coram iudice superiore, & superior facta bona diligentia tenetur illum absoluere, si de illius innocentia constet iuridicè, aliàs secundùm allegata, & probata damnabit. Imò etiamsi iudex inferior, nihil id profuturum existimet; tenetur adhuc causam remittere ad superiorem, vt ipse sic se ab ea causa excusat: ita Corduba *lib. 1 quæst. 37.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 155. & 154* Alensis 3. *part. q. 40. membr. 6. art. 2. & quæst. 34 memb. 1 art. 4.* Caietanus 2. 2 *q. 67 art. 2. ad* 4 & communiter omnes.

Corduba. Nauarra. Alensis. Caietanus.

4. His animaduersis, tota difficultas est, cum nihil horum fieri potest an liceat damnare innocentem, qui secundùm allegata, & probata probatur nocens. Et hac de re tres inuenio opiniones. Prima absolutè affirmat, & addit non solùm posse iudicem id efficere, sed etiam teneri in conscientia illum damnare, tam in causis ciuilibus, quàm criminalibus, etiamsi ad mortem damnet. Ita docet D. Thom. 2. 2 *quæst 67. art. 2. & quæst. 64. art. 6. ad 3.* & omnis secta Thomistarum, Caietan *dicta quæst. 67.* Sotus *lib. 5 de iust quæst. 4 art. 2.* Petrus Nauarra *lib 2. de rest. cap. 3. num. 157.* loquens solum de rebus ciuilibus, nam de criminalibus contrarium tenet, vt videbimus in tertia opinione. Couarruuias *lib. 1. var. cap. 1. num. 6.* Nauarrus *in summa Lat. cap. 25 num. 13.* & præcipuè *num. 9.* Bartol. *in l. Illicitas, §. veritas, ff. de offic. præsidis.* Innoc. *in capite venerabilis, de censib.* Archid. *in c. 1. de offic. ord.* Cardinalis & Io. Andr. *in capite Pastoralis, de offic. delegati,* glossa *ibi § quia vere* Syluest. *verbo Iudex 2. num. 5. & 6.* Toletus *lib. 5. summæ cap. 6. num. 11. in fine,* vbi ita ait: *Nec mirum est in isto foro innocentiam pati: nam restat Dei forus, in quo omnis iniustitia castigabitur, cum Christus dicat, cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Et citatur etiam pro hac parte D. Amb. *in Psal. 118.* vbi sic: *Bonus iudex secundùm publicam notitiam debet iudicare, & nihil agit de scientia priuata.* Probatur hæc opinio. Primò, quia iudex, quà iudex est, non est persona priuata, sed publica; ergo non secundùm priuatam notitiam, sed secundùm publicam testium depositionem, & publicum iuris ordinem procedere tenetur: aliter possent iudices facili negotio pecunia corrumpi, & reos absoluere, dicendo se habere priuatam notitiam facti, atque ita summa esset rerum confusio, & perturbatio in Republica. Secundò, quia magis tenetur iudex habere rationem publici iuris, & officij sibi commissi, quam vitæ alterius sibi non commissæ. Sic licitè poteris occidere tuum inuasorem, vt te defendas, quia maiorem curam, & rationem debes habere tuæ, quàm alterius vitæ tibi non commissæ. Omitto alia fundamenta: hæc sunt potiora.

D. Thom. Caietanus. Sotus. Nauarra. Couarr. Nauarrus. Bartol. Ioan. Andr. Innocent. Archidiac. Cardinalis. Syluester. Toletus. D. Ambros.

5. Secunda opinio negat omninò tam in ciuilibus; quàm in criminalibus posse iudicem damnare innocentem; quem certa, & indubitata notitia priuata innocentem esse agnoscit, quamuis iuridicè probetur nocens: sed teneri officium dimittere, etiamsi sciat, se nihil profuturum, quando

nulla

nulla alia via illum liberare non potest, imò addit hæc opinio teneri illum absoluere, etiamsi sciat se vitam amissurum, similiter, & consequenter ait hæc opinio iudicem executorem non posse mandare executioni sententiam mortis, vel mutilationis, imò & bonorum magni momenti, quam certò scit esse iniquam, licet illa sit maioris iudicet. Ita docet Lessius *tom. 1. de iust. dub. 29. lib. 2. n. 78. & 81.* Nicol. de Lyra *Exod cap. 23.* explicans illud, *Innocentem, & iustum, &c.* Adrian. *quodlib. 6. art. 3.* Angelus *verbo iudicare, num. 7.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 161.* Hostiensis, Calderinus, Panormitanus *in capite Pastoralis, de offic. delegati.* Corduba *lib. 1. quæstionum, quæst. 37.* vbi sexdecim argumentis hanc partem confirmat, sed tandem ad finem quæstionis in primam inclinat. Raynuntius *in sua glossa*, teste Syluestro *verbo, Iudex 2. quæst. 5.* asserens, *Debere potius iudicem omnia mala tolerare, quàm condemnare talem ad mortem, vel mutilationem, præcipiente etiam superiore, quia in hac pœna homo non est subiectus dispositioni Reipublicæ, & superioris, cum nec Respublica, nec superior possint eam pœnam innocenti inferre nisi ob culpam veram.* Fundamenta huius opinionis hæc sunt. Primò, quia occidere innocentem directè, & ex proposito tam est intrinsecè malum, quàm est cognoscere non suam, sciendo esse non suam, etiamsi millies probetur esse sua: ergo sicut iudex non potest cognoscere illam, quam certa, & indubitabili notitia priuata scit esse non suam, etiamsi millies probetur esse sua, ita non potest innocentem damnare, quem certa, & infallibili notitia priuata scit esse innocentem, etiamsi millies probetur nocens. Quod autem sit intrinsecè malum, patet; quia per se malum est aliquem sine authoritate publica aliquem ad mortem damnare: iudex autem nullam habet authoritatem contra innocentem, nec ius eam illi potest concedere, cum innocentis vita soli Deo sit subiecta. Ergo eam illi adimere per se, intrinsecè malum est.

Secundò, quia si esset licitum innocentem damnare, qui secundùm allegata, & probata, probatur nocens, ideo esset, quia teneretur iudex sequi publicam iuris, & testium notitiam, & quia ita conueniret ob bonum Reipublicæ; sed leges, quæ requirunt hanc publicam notitiam, ideo illam requirunt, vt constet iudici de veritate rei, & facti & ob nullum Reipublicæ bonum, licet innocentem damnare. Ergo quando aliunde de ipsa veritate facti, certa, & indubitabili notitia constat, non potest iustè hanc publicam, falsámque notitiam sequi.

Tertiò, quia si iudex certa, & priuata notitia sciret se non habere iurisdictionem in reum, non posset eum damnare, etiamsi multi testificarentur, se illam habere, & ei mortem minarentur, nisi illum damnaret: igitur neque etiam potest damnare innocentem. Consequentia patet, quia ad damnandum aliquem ad mortem non minùs requiritur iurisdictio in iudice, quàm veritas criminis in reo. Antecedens est euidens, quia fundamentum iustitiæ est ipsa iurisdictio; quare si hæc deficit in iudice, nullum datur iudicium, nullus iudex, qui casum præsentem iudicet.

Quartò, quia si daretur ius, quod iuberet occidi innocentem, etiamsi probetur nocens, esse iniustum, & impium: ergo impium, & iniustum erit, hoc modo in opere facere, & explere. Probatur antecedens, quia occidere innocentem est contra ius naturale, ius autem, quod est contra ius naturæ, iniquum est; dictat enim ius naturale reos esse damnandos, innocentes absoluendos.

Quintò, quia quando duo præcepta concurrunt, quæ non possunt simul obseruari, fortius est seruandum, minus forte relinquendum: at non occidere innocentem, est præceptum iuris naturalis: procedere autem secundùm allegata, & probata, est præceptum iuris positiui: fortius autem est præceptum iuris naturalis, quàm iuris positiui. Ergo tenetur potius iudex illum, quem scit esse innocentem, absoluere, quàm iuxta allegata, & probata damnare.

Sextò, & vltimò, quia fieri potest, vt multorum sceleratorum conspiratione, non solùm integrum collegium, & monasterium, in quo sanctè, & religiosè Deo obsequium impenditur, sed etiam integra religio, de proditione in Rempublicam, de crimine pessimò sodomiæ, déque similibus grauissimis criminibus insimuletur, & iudex optimè sciat priuata notitia horum religiosorum innocentiam, quis non horreat dicere, non solùm posse illum tunc, sed teneri innocentissimos homines religiosos flammis tradere, & damnare. Et fieri enim potest, vt ipse iudex falsos testes apposuerit, & postea non possit illos impedire: audebis ne asserere teneri illum tunc innocentes istos damnare? profectò audacissimus homo eris.

6. Tertia opinio distinctionem facit inter causas criminales maioris, & minoris momenti, & inter causas ciuiles. In causis ciuilibus, & criminalibus omnibus maioris, & minoris momenti ait, teneri iudicem procedere secundùm allegata, & probata, & innocentes damnare, quando processum non potest impedire. Causas autem criminales minoris momenti appellat illas in quibus solùm agitur de pœna pecuniaria, aut corporali, sed non ita graui, vt de exilio, priuatione officij, vel beneficij. In causis autem criminalibus grauioribus, in quibus agitur de pœna mortis, damnationis ad triremes, mutilationis membri, exilij diuturni, docet teneri iudicem absoluere innocentem, & procedere, secundùm certam, & indubitatam notitiam quam habet, non secundùm notitiam publicam, quam scit indubitatè falsam. Ita docet expressè Lessius *tom. 1. lib. 2. cap. 19. dub. 10. num 84.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3 num. 157.* Aragon. *2. 2. quæst. 60. art. 5. in fine.* Et id probant ex triplici fundamento. Primò, quia Respublica habet authoritatem disponendi de bonis ciuium, in causis iustis, eáque transferre potest de vno in alium, prout bono publico expedire iudicauerit, vt constat ex legibus de vsucapionibus, & de præscriptionibus, & hæc videtur iustissima causa, ne forma publicorum iudiciorum cum scandalo populi peruertatur. Secundò, quia nullus ciuium de iniuria sibi à iudice illata in ea circumstantia queri potest, cum videat se ab illo iuuare non posse, & dutissimum fit quod ille tunc officium teneatur dimittere ne sententiam ferat. Tertiò, quia hæc bona possunt postea recuperari, vel publicè, vel occultis modis per compensationem occultam: neque enim Deus ita per sententiam illis priuatur, vt omne omnino illorum amittat dominium, quamuis enim de facto illud amittat, non tamen amittit de iure, vt docet Arag. *2. 2. q. 60. art. 5. in fine.* Sotus *lib. 5. de iust. q. 4. art. 5.* Lessius citatus *dict. num. 84.* non enim ea est mens Reipublicæ, nec esse iustè potest, cum sententia falsis probationibus innitatur, id

id enim esset absque necessitate calumniatoribus fauere.

7. Hoc tamen intelligendum est de bonis fortunæ, & de re pecuniaria, quæ specialiter sunt ciuium: non de officiis, & beneficiis innocentium, qui secundùm allegata, & probata habentur pro nocentibus, quia cum innocentes huiusmodi officiis, & beneficiis priuantur, amittunt de iure, & de facto in vtroque foro dominium illorum vt possunt validè alteri conferri, vt docet Sotus *lib.3. de iust. quæst.4. art.5.* Lessius *tom.1. de iust. lib.2. cap.29. dub.10. num 84. versu, Tertiò quia.* Panormitanus *in cap.1. de concessione prabenda* & Innocent. *in cap. Quia plerique 8. de immunit. Ecclesiæ*, quia de officiis, & beneficiis est diuersa ratio, atque de aliis bonis fortunæ, quia officia, & beneficia sunt bona publica, de quibus Respublica faciliùs, & liberiùs potest disponere quàm de aliis bonis ciuium. Vnde quando iusta causa datur, potest Respublica non solùm de officiorum possessione, sed etiā de dominio disponere, & ciues suos priuare; hic autem iusta causa datur, ne scilicet peruertatur iuris ordo, & ne dominia, & iurisdictiones officiorum sint incerta. Quæ res sæpe perturbat hominum cœtus; & maximè quia ille, qui officio, aut beneficio eo modo priuatur, non potest postea illa in se recuperare occultè; nam si contingat, quod de illius innocentia postea ennstet, poterit facilè Ecclesia, & Respublica ei aliud officium, vel beneficium per modum recompensationis conferre.

Sotus. Lessius. Panor. Innoc.

8. Hæc quamuis probabilia sint, & iuris principiis inhærendo bene in eodem iure fundata: non video tamen plenam rationem ob quam non possit innocens, probatus nocens, iniustè suo officio, aut beneficio spoliatus sibi de damno occultè compensare à testibus, & accusatoribus, qui illum scienter, & animaduertenter falsis criminationibus, & depositionibus accusarunt, non à iudice, qui secundùm allegata, & probata iudicauit, & iustitiam causæ non potuit impedire, nec à collatore officij, aut beneficij, quia vbi primum seruato ordine iuris publici quisque officio suo, aut beneficio priuatus fuit, iustè illa potuit alteri conferre: est enim communis omnium doctrina, quòd ille, qui alteri est iniusta causa damni, illud ei teneatur restituere, & quod damnificatus de illius valore sibi possit recompensare.

9. Harum opinionum quælibet est probabilis. Prima tamen est omnibus probabilior, in vsu receptior. & tenenda. Secunda est probabilior tertia, propter illius fundamenta. Et ex dictis patet immeritò dixisse Couarruuiam *lib.1. var. resol. cap.1. num.7. §. secundò*; non posse dari congruam distinctionem in hoc negotio inter causas ciuiles, & criminales: cum enim Respublica ob iustas causas disponere possit de rebus ciuilibus, & bonis ciuium, vt de facto disponit per leges præscriptionum, & vsucapionum, non possit autem de vita, & membris, atque corporibus ciuium: mirum non est, si possit statuere, vt iudices iudicent secundùm allegata, probata, & publicam iudicij formam, & nontiam in rebus, & causis ciuilibus, non in causis criminalibus.

10. Reliquum est, vt soluamus modò argumenta secundæ, & tertiæ opinionis suo ordine. Ad primum secundæ opinionis dico non esse intrinsecè malum damnare innocentem, quando secundùm allegata, & probata, probatur nocens, quia ius naturale dictat quod priuatum bonum, vel vitæ, vel pecuniæ innocentis non sit illæsum obseruandum cum publico scandalo, & damno Reipublicæ, publicum autem scandalum, & damnum Reipublicæ sequeretur, si in ea non seruaretur in publicis iudiciis, publica, & ordinaria iuris dispositio, & forma, maximè quia iudex iudicando, procedendóque secundùm allegata, & probata non intendit directè, & positiuè innocentem ad occisionem, vel bonorum amissionem damnare, sed intendit tanquam persona publica, publicum iuris ordinem seruare, quamuis per accidēs sequatur damnatio innocentis. Exemplum de cognitione non suæ non venit ad rem, quia iudex cum cognoscit, non agit tunc personam publicam iudicis, sed personam hominis priuati, ac proinde secundùm notitiam hominis priuati debet procedere, & potius millè mortes pati, quàm tam graue peccatum committere.

11. Ad secundum respondeo, leges, & iura requirere testes, libellos, accusationes, & publici iuris ordinem, vt in forma publica probanti, per publicam notitiam constet de veritate litis siue criminalis, siue ciuilis, ac proinde bene agere iudicem, qui relicta notitia priuata, quam ipse tanquam priuata persona habet, publicam sequitur testium notitiam, publicámque probationem, quamuis per priuatam notitiam sciat seu esse innocentem. Sicut enim ipse duplicem personam agit, publicam, & priuatam, ita duplicem habet scientiam, & conscientiam; alteram publicam, qua iudex est; alteram priuatam, qua priuatus homo est. Vnde in ferendis sententiis, quando aliter liberare innocentem non potest, tenetur sequi publicam scientiam, & conscientiam iudicis, & iudicare seruato iuris ordine, dimissa scientia, & conscientia priuata.

12. Ad tertium dices, verum esse, non posse iudicem damnare reum, si certò sciret se non esse iudicem, & non habere iurisdictionem in illum, quamuis millies in forma publica probetur se illam habere, quia tunc non condemnat vt iudex, sed vt persona priuata, cum sibi certò constet se non esse iudicem; cum autem non sit index, sequitur quòd sit persona priuata, ac proinde tenetur sequi conscientiam, & scientiam priuati hominis, non publici iudicis, vt patet.

13. Ad quartum dico non esse iniquam legem, quæ iuberet damnari ad mortem innocentem, ob publicum, & commune bonum, ius enim naturæ dictat bonum commune priuato bono vnius innocentis esse præferendum; vnde cum iudex in nostris circunstantiis innocentem damnet propter bonum publicum, hoc est, propter publicam, & communem iuris dispositionem: inde est, quòd in facto, & opere bene procedat, cum rectum, ac debitum iudicij ordinem seruare intendat, cui per accidens est cōiuncta mors innocentis, quam nullo modo intendit, & iden supra diximus teneri innocentem ex charitate, se tradere hostibus ex sententia multorum, si propter illud obsideatur vrbs, & vita multorum ciuium periclitetur, & si nolit se tradere, posse iusta lege obligari, & præcepto.

14. Ad quintum respondeo, procedere iudices in ferendis sententiis secundùm allegata, & probata, esse de iure naturali, non positiui. nam quamuis leges statuentes publicam formam iudicij sint positiuæ; tamen, supposito hoc iure positiuo, tenentur iudices iure naturali sequi iuris ordinem, & formam à legibus præscriptam in iudicando, & secundùm allegata & probata iudicare, ne detur scandalum: ius enim naturale dictat vitandum esse scandalum.

Dices,

15. Dices: Nulla lex seruari debet, quando ex eius obseruatione sequitur id, quod est contrarium fini talis legis; cessat enim tunc lex ipsa contradictione; sed finis legum statuentium publicam iudicij formam, est, vt constet de rei veritate; ergo iniustè iudicabit iudex, qui secundùm allegata, & probata iudicauerit, quando sibi de contraria, imò de contradictoria veritate constat. Respondeo intentionem, & finem legum esse, vt constet de veritate criminis, vel litis in forma iudiciali publica probanti; quæ communiter, & regulariter loquendo solet esse verior, quàm priuata, ac proinde non facere iudicem contra finem, & intentionem legum, si secundùm allegata, & probata iudicet, nec iniustè iudicat, sed iustè.

16. Ad 6. & vltimum argumentum secundæ opinionis respondeo teneri iudicem ponere omnem diligentiam iuxta ea, quæ diximus, *num*. 1. 2. 3. vt innocentem Religionem, & Monachorum Conuentum liberet; quando autem id efficere non potest, tenetur iudicare secundùm allegata, & probata, & seruare iuris ordinem; nec mirum esse si Deus permittat in iudiciis humanis aliquando innocentiam pati, cum restet adhuc iudicium diuinum in quo iustitia iudicabit.

17. Dices, tale iudicium esse simile iudicio Pilati, qui Christum innocentem damnauit, sciens esse innocentem, à quo non excusatur Pilatus à grauissimo peccato: nec enim excusatur à sacris Scriptoribus, eo quod publicè, & coram populo in auditorio suo innocentiam Christi attestatus fuerit, dicens: *Nihil inuenio causæ in hoc homine*, Lucæ 23. *Innocens ego sum à sanguine iusti huius*, Matthæi 26. Respondeo diuersissimum esse huiusmodi iudicium à iudicio Pilati: nam de innocentia Christi constabat in forma publica, & probanti; & nihilominus eum ad mortem contra publicum iuris formam damnauit. In causa enim Christi Domini non erant conuenientia testimonia, vt aiunt sacri Euangelistæ: *Non erant conuenientia testimonia illorum*, Marci 14. *Sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum*, & ideo non excusatur Pilatus à grauissimo scelere; cum, vt Iudæis placeret, Christum Dominum, contra omnem publicum iuris ordinem ad mortem damnauit.

18. In eo autem casu, in quo ipse Iudex testes, & falsos criminatores apposuerit, iam leges ciuiles prouiderunt. Præscribunt enim, vt in grauioribus casibus iudices à sua propria sententia appellent ad iudices superiores, & in eis etiam casibus grauioribus dantur alij adiuncti, qui cum ipsis iudicibus causam rectè inspiciant, & sic moraliter fieri non potest, aut raro fieri poterit, vt falsò condemnent: & si in aliquo casu id contigerit, est iudicium humanum, natura sua erroribus subiectum, & restat iudicium diuinum in quo Christus Dominus iustitia iudicabit: ideo enim ille ait Psalmo 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

19. Ad primum argumentum tertiæ opinionis respondeo, verum esse Rempublicam, & Reges habere authoritatem disponendi de bonis subditorum in causis grauissimis, & ob bonum commune: non esse tamen causam sufficientem disponendi de illis obseruationem publici iudicij, cum aliunde huic damno tertij occurri possit, saluis eiuiom bonis. Ad secundum id ipsum respondetur; quamuis enim hæc bona possint postea occulta compensatione absolutè loquendo recuperari: tamen respectu huius, & illius testis, qui falsum testimonium aduersus reum dixit, fieri potest, vt recuperari non possint, eum pauperes sint, & bona non habeant (& idem de accusatoribus) nec si habeant, possint ad manus læsorum ciuium deuenire, vt patet.

Itaque non negamus posse Rempublicam disponere de bonis ciuium ex causis grauissimis; dicimus tamen adhuc de illis non disposuisse propter obseruationem ordinis iudiciarij, ac proinde cum talis dispositio data fuerit, illam seruabimus: interim tamen sine illa iuris communis dispositio, tam in causis ciuilibus, quàm criminalibus obseruabitur. 20.

Caput XV.

Vtrùm iudex possit aliquem non citatum, & non auditum priuata sententia damnare.

Summarium.

Quæ sint solemnitates de iure naturali in iudicio, numero 1.

Citatio partis est de iure naturali. *ibid.*

Quas partes citatio requirat, vt sit valida, numero 2.

Probatio causæ per testes legitimos, & scripturas authenticas est de iure naturali. *num* 3. 4.

Si crimen ita est occultum, vt in iudicio probari nequeat, non potest iudex, nec etiam supremus, & absolutus Princeps aliquem non citatum, & non auditum ob suam scientiam priuatam damnare. num. 5.

Quid quando crimen ita est publicum, & manifestum vt facilè probari possit in iudicio, non tamen expedit, vt quando aliquis ad Reginam ingressus est, aut filius Regis in proditionem abiit, numero 6.

Ordinariè, & regulariter loquendo, non possunt rei damnari, nisi formata, & probata culpa in iudicio. *num.* 7.

In quibus casibus id licitè omitti potest. *ibidem,* & 8.

Peccant Reges, & Iudices contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem, qui reos extra hos casus inauditos, & incitatos damnant. *num.* 9.

Quid si sint iudices executores, & exequantur mandata iudicum superiorum. *num.* 10.

In iis solemnitatibus, in iudicio requiruntur de iure positiuo quales sunt accusatio, oblatio libelli in scriptis, terminus dierum ad respondendum, non potest iudex inferior dispensare, potest autem supremus Princeps. *num.* 11.

Peccant grauiter contra iustitiam iudices inferiores, qui per occultas informationes reos damnant. *num* 12.

Quot numero testes requirantur in iudicio ad probandum capitale crimen, num. 13. *quid de iure naturali, ibidem, quid de iure Canonico, & Ciuili.* *ibid. & num.* 14.

Vt duo testes plenè probent, quid requiratur, num. 15.

PRO resolutione animaduerto, in publico iudicio quasdam esse solemnitates de iure naturali, quasdam de iure positiuo, & humano, de iure naturali duæ sunt. Prima est, 1.

defensionem reo concedere, cum citando, & audiendo in iudicio; est enim defensio iure naturali omnibus concessa. Vnde citatio rei, & auditio illius est fundamentum totius defensionis; & cum sit totius defensionis fundamentum, & de iure naturali ex defectu ipsius citationis omnia nulliter, & iniquè fiunt, quæ absque citatione, & auditione partis fiunt, & quilibet actus iudiciarius absque citatione factus est ipso iure nullus. Patet ex *capite Pastoralis, de re iud.* Doctores communiter ad legem *de vnoquoque, ff. de re iudicata.* Menochius *lib. 2. de præsumpt. præsumpt. 48. num. 12.* Vantius *de nullitate ex defect. citat. num. 9* Maranta *de ord. iud. part. 3. dist. 16. num. 10. fol. mihi 220.* Est hoc adeo verum, vt nec Deus condemnarit Adam, nisi citatum ad iudicium vocatum, & auditum, *Adam vbi es* Genes. 3. nec Princeps possit in citatione dispensare iuxta Menochium allegatum, & Clementinam *Pastoralis* citatam & si statutum fieret, vt in aliquo casu valeret processus absque citatione, tale statutum esset nullum, iuxta authores allegatos.

Menochius. Vantius. Maranta.

2\. Citatio autem, vt sit valida, tres partes requirit iuxta eundem Menochium allegatum *dicto lib. 2. præsumpt. 23. num. 9. Prima* est iudicis mandatum. *Secunda*, Nuntij, seu officialis executio. *Tertia*, relatio Lusitanè *fé*, hoc est, fides publica officialis, qua firmet se talem citationem tali die, & mense fecisse: ex defectu autem alicuius partis, ex his tribus numeratis redditur citatio nulla, processus nullus, & nulla sententia.

Menoch.

3\. Secunda solemnitas de iure naturæ in iudicio requisita, est probatio causæ per testes, & scripturas authenticas. Reliquæ solemnitates, vt accusatio, terminus ad respondendum, scriptura processuum, instrumenta publica, de iure positiuo tantùm, & humano sunt, in quibus Princeps dispensare potest.

4\. Animaduerto etiam crimen vel esse publicum, & manifestum, vel ita occultum, vt non possit in iudicio probari; vel etiam ita esse notum apud omnes, vt probari facilè possit, sed non expediat propter aliquas circumstantias crimini adnexas. His notatis,

5\. Præcipua quæstio, ac difficultas est, an possit Princeps, vel iudex aliquem non citatum, & non auditum in ciuilibus, vel criminalibus damnare. Sit prima conclusio. Si crimen ita est occultum, vt in iudicio probari nequeat, non potest supremus etiam, & absolutus Princeps, ac iudex priuata sua notitia aliquem non citatum, & non auditum damnare. Est communis doctrina Theologorum. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 67. art. 2. ad 3.* Thomistæ omnes *ibidem.* Lessius *tomo 1. lib. 2. cap. 29. dub. 11. num 99.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 181.* Nauarrus *in summa Lat. c. 25. num. 9. & 10.* Sà *verbo iudex*, Summistæ *ibidem.* Couarruuias, *lib. 1. variar. & cap. 1. à num. 4. & deinceps.* Menochius, Maranta, Vantius, *num. 1.* allegati: & communiter omnes. Probatur primò, ex Clement. *Pastoralis, de re iud.* vbi dicitur defensionem esse de iure naturali, ibi, *De crimine graui delato, facultas defensionis, quæ à iure naturali prouenit, adimi non potest, cum illa tollere Imperatoris non licuerit, quæ iuris naturalis existunt.* Vnde formatur ratio in hunc modum: contra inauditam partem non est ferre sententiam, est enim defensio de iure naturali, in quo Princeps dispensare non potest. Secundò probatur, quia delicta occulta non sunt humano iudicio subiecta, sed tantùm diuino, etsi vera, & certa sint: iuxta illud

D. Thom. Thomistæ. Lessius. Nauarra. Nauarrus. Sa. Summistæ. Couarr. Menoch. Marant. Vantius.

Apostoli, *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque ipse veniat, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* nam quamdiu crimen est occultum, potest se homo iustè defendere, &, si licitum esset hominem non auditum damnare, quando crimen est ita occultum, vt in iudicio probari non possit, id esset negare iustam defensionem parti, quod est contra ius naturæ. Etenim iudicium ex natura sua publicum, & ad publicam notitiam, & emendationem publicam tendit. Requirit igitur publicam citationem, & auditionem partis, & talem notitiam criminis, vt in iudicio probari possit, alioqui dum pars non citatur, & non auditur, omnes actus iudiciales erunt nulli.

Secunda conclusio. Quando crimen ita est publicum, & manifestum omnibus, vt facilè in iudicio probari possit, non expedit tamen ob aliquas circumstantias illi adnexas, vt quia redundant in infamiam Reginæ, vel filiæ, aut filij Regis, tunc sine citatione, defensione, & processu potest reus damnari & puniri à Rege, vel Principe absoluto; veneno, suspendio, vel via aliqua secreta, qua voluerit, nullo iuris ordine externùs seruato. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 67. art. 2. ad 3.* Caietanus *ibi*, & clariùs *in summa verbo, Homicidium* Maranta *de ord. iudiciario, part. 6. num. 16. & 17.* Lessius *tomo 1. de iust. lib. 2. cap. 29. dub. 11. num. 99.* Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 181.* Nauarr. *in summa Lat. c. 25. num. 9. & 10.* Vantius *de nullitate ex defectu citationis, num. 9.* Menoch. *lib. 2. præsumpt. 48.* Aragon. 2. 2. *quæst. 67. art. 2.* Couarr. *lib. 1. var. cap. 1. num. 7.* sic publici, & famosi viarum grassatores interdum è vestigio suspenduntur, nullo facto, aut formato processu aduersus illos. Ratio est, quia factum publicum, & notorium habetur loco accusatoris, & testium; publicè enim accusat, & testificatur contra reum publicum, nec relinquit reo ius vllum se defendendi in iudicio, & ideo publicos criminosos ad mortem damnare, quando illorum crimen est publicum, & patens, non est contra iustitiam, neque ad vllam restitutionem obligatur iudex, qui publicè criminosos de speciali mandato, & commissione Principis damnat ad mortem. 6.

D. Thom. Caietanus. Maranta. Lessius. P. Nauar. Nauar. Vantius. Menoch. Aragonius Couarr.

Dixi: *de speciali mandato, & commissione Principis, & à Rege, vel Principe absoluto*: quia regulariter & ordinatè loquendo, non licet damnare publicos criminosos, nisi publica iudicij forma seruata, post citationem, & accusationem, oblato contra illos libello, formatoque processu, & dato loco defensionis. Ita omnes Doctores allegati. Sic volens Deus tradere ordinatiam, & regularem formam in iudicio seruandam, licet flagitia, & crimina Sodomorum ita essent publica, vt publicam vindictam postularint, dixit: *Descendam, & videbo, an clamorem opere compleuerint.* quare ordinatè, & regulariter loquendo, non nisi probato crimine, & examinata causa, datoque ad defensionem loco contra reos, etiam publicè criminosos procedendum est. Sunt tamen aliqui casus in quibus extraiudicialiter, non seruato iuris ordine contra illos procedi potest. 7.

Primus est, vt dixi, quando crimen ita est publicum, & manifestum, vt facilè in iudicio probari possit; non expedit tamen, quia ea probatio cedit in infamiam Regis, Reginæ, filiorumque, aut filiarum Regis, vt quia v. c. Regina adulterium in Regem commisit, aut filium Regis contra patrem rebellionem, mortem, vel insidias parabat. Ita Doctores *num. 6.* allegati. *Secundus est*, quando

quando quis Reipublicæ, vel Principi insidias machinatur, & perniciem, quæ aliter auerti non potest. nisi occulta morte machinantis; hoc enim non tam est punire crimen, quàm iustè se defendere, & malo impendenti obuiare, vt optimè animaduertit Lessius citatus *num.* 100. *Tertius est*, quando datur periculum Rebellionis, turbationis Reipublicæ, aut alia grauissima scandala timentur in Regno, vel domo Regis, si vel crimen in iudicio probetur, vel illius supplicium, concessa forma iudicij, euadatur. Ita Lessius, Nauarrus, & Petrus Nauarra allegati. Syluester *verbo*, *Homicidium* 1. & patebit *infrà*, *num.* 13. *Quartus est*, si crimen soli principi, & tribus aliis notum sit, itavt iuridicè probari possit, quia quando crimen ita est in iudicio probabile, manifestum est reum nullam habere iustam in iudicio defensionem; nam testimonium Regis multis, & grauissimis testimoniis æquipollet. Ita Petr. Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 192. Aragon. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 2. *num.* 7 Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 29 *dub.* 11. *num.* 101.

Syluest. Nauar. Aragon. Couar. Lessius.

8. Et hæc non solùm procedunt in damnatione ad mortem, sed etiam in condemnatione ad mutilationem membrorum notabilium, veluti manus, pedis, & in priuatione bonorum, & officiorum magni momenti, maximè si sit perpetua, & in carcere, & exilio perpetuo, aut diuturno, vt notant specialiter Nauarrus, & Lessius allegati.

9. Et ex dictis patet grauissimè peccare, Reges, Principes, & alios iudices inferiores contra iustitiam, tenerique ad restitutionem, & esse homicidas, qui aliquem subditum non auditum, & non citatum extra hos quatuor casus modo relatos, vel alios, qui ad illos reduci possunt, veneno, suspendio, aut alio secreto mortis genere perimi iubent, vel officiis, aut beneficiis magni momenti priuant sola priuata criminis scientia, & non probata culpa in iudicio Ita Nauarrus *in summ. Lat. cap.* 25. *num* 9. Caietan. *in summ. verbo*, *Homicidium*. Petrus Nauar. *lib.* 2 *de rest. cap.* 3. *n.* 192. Aragon 2. 2. *quæst.* 67 *art.* 1. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 11. *num.* 102. Carrer *lib.* 1. *var. cap* 2. *num.* 7. & multi, quos ibi allegat.

Nauar. Caiet. Aragon. Lessius. Carrer.

10. Patet etiam peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem iudices inferiores executores talium mandatorum, & sententiarum, in defectum superiorum, neque posse excusari obedientia debita suis Regibus, & iudicibus maioribus, si extra hos casus sententiam executioni mandent, in qua Deus inauditus fuit damnatus; quoniam oportet Deo obedire magis, quàm hominibus, & contra ius diuinum non est eis obediendum, cap. *Si dominus*, cap. *Qui resistit* 11. *quæst* 3 Caietanus *in summa*, *verbo*, *Homicidium*. Nauarrus citatus *cap* 25. *num.* 9. cum enim ipsi supremi iudices contra iustitiam, & ius naturale peccent, vt probatum manet; isti illorum peccato cooperantur scienter, & animaduertenter, quod nunquam licitum esse potest.

Caiet. Nauar.

Dices: homo in iudicando debet iudicio diuino conformari, quia iudicium Dei est secundùm veritatem, *Deut.* 1. *ad Rom* 2. Deus autem in iudicandis, & puniendis peccatoribus nō eos citat, nec eos audit, nec vlla vtitur iudicij forma, sed sola inspecta veritate castigat. Vnde Isaias 11. de Christo Domino supremo omnium iudice ita ait. *Non secundùm visionem iudicabit, neque secundùm auditum aurium, arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Vnde videntur non teneri iudices seruare publicam iudicij formam, defensionemque reis concedere, etiam quando crimen est occultum, & in iudicio probari non potest, vt Dei iudicio conformemur. Respondere soli Deo competere iudicare secundùm propriam potestatem, & ideo in iudicando procedere iuxta veritatem, quam solus ipse nouit, non secundùm notitiam, quam ab aliis accipit. Alij autem iudices nec iudicant, nec iudicare possunt secundùm propriam potestatem, sed secundùm potestatem sibi à iure concessam, vel à Republica commissam, & ideo esse diuersam omnino rationem in iudicio humano, & diuino. Patet hoc *Genes.* 3. quando enim Deus formam præscripsit in iudiciis humanis obseruādam, Adam citauit, & audiuit, *Adam vbi es.* Et non priùs dutam in eum protulit mortis sententiam, quàm diligenti facta inquisitione delicti, & sibi de illo in forma publica, & probanti constaret per confessionem partium, seu reorum, Adæ, scilicet & Euæ. Adamus enim vocatus, seu citatus respondit, *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Eua respondit, *Serpens decepit me* Et sic vterque citatus, & auditus publicè confessus fuit crimen, vt patet.

11. Tertia conclusio. In his, quæ in publicis iudiciis requiruntur de iure positiuo, qualia sunt accusatio, oblatio libelli in scriptis, terminus dierum ad respondendum, & alia huiusmodi, non potest iudex inferior dispensare; potest autem supremus Princeps. Ita Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 1. *num.* 7. §. *Tertium est*. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 181. Lessius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap* 29. *dub.* 5. *num.* 46. & communiter omnes Ratio est, quia solum is, qui ius tulit, potest in illo dispensare; cum autem solemnitates de iure humano, & positiuo sint introductæ, per ius conditum à supremis Principibus in suis Regnis, & dominiis, solùm illi possunt ex causa in illis dispensare; non autem iudices inferiores, quia ij tenentur ius sibi præscriptum seruare.

Couar. Nauar. Lessius.

12. Vnde constat peccare grauiter contra iustitiam eos iudices inferiores, qui occultè informationem, & dicta testium accipiunt contra aliquem, & eum non auditum damnant, nisi id faciant ex speciali mandato Principis in casu secundæ conclusionis *num.* 6. exposito, & teneri consequenter ad restitutionem pro damno dato, vt doctè probat Petrus Nauarra citatus *num.* 203. Nam quamuis Alcocer *in summa*, *cap.* 26. *versu*, *Y no basta*, asserat eos peccare grauiter, non tamen teneri ad restitutionem, non est sequendus, quia cum peccent directè contra iustitiam non seruando iuris ordinem, sequitur, quòd ad restitutionem teneantur. Deinde quia quando sequitur damnum tertio ex culpabili omissione illius rei, quam ex officio facere teneris; obligationem restitutionis incurris, vt omnes fatentur: quamobrem cum iudex inferior ex obligatione officij, teneatur iuris ordinem in iudicando seruare, & culpa sua non seruet, tenetur damnum restituere. Tertiò, quia qui alteri est iniusta causa damni, tenetur illud ei restituere; hic autem iudex iniustè & malitiosè est causa damni huiusmodi, ergo tenetur illud restituere.

Nauar. Alcocer.

13. Restat inquirendum, quot numero testes requirantur in iudicio ad probationem capitalis criminis. Et dico imprimis de iure naturali, atque diuino sufficere duos testes, vel tres omni exceptione maiores, seu quibus nihil opponi possit,

iuxta illud Christi Domini, *vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum*, patetque ea *l. vbi numerus 12. ff. de testib.* & ex *cap. Licet vniuersis 23. de testib* & *capite, Cum esses 10. de testament.* docet Lessius *tom. 1. de iustit. lib. 2. cap. 30. dub. 4. num. 24* (Lessius.)

Iure autem ciuili, & canonico plures requiruntur. nam iure canonico ad damnandum Episcopum Cardinalem 72. requiruntur, ad damnandum presbyterum Cardinalem 64. ad damnandum Diaconum Cardinalem 27. patet ex *capit. 2. Præsul. 2 quæst 4.* ex Syluestro Papa; ad damnandos reliquos clericos 7. tum quia isti apud multos sæpe sunt in magna inuidia, eo quod aliorum mores corripere soleant; tum quia multum detrahitur existimationi, reuerentiæque, quæ debetur ministris Ecclesiæ: de hoc tamen numero testium dubito an hodie seruetur in praxi vbique, & verò non seruari testatur Iulius Clarus *de testam. quæst. 66.*

14. In rebus criminalibus de iure ciuili sufficiunt duo testes, omni exceptione maiores, quibus nihil opponi possit, præter accusatorem, vel id, quod vicem accusatoris suppleat. Ita Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap 30 dub. 4. num 25.* Iulius Clarus *dict. quæst 66. de testamentis.* In prædictis tamen testamentis, in clausis requiruntur septem testes, in apertis quinque, in codicillis quinque, quia in huiusmodi testamentis plures sunt insidiatores, & testator mortuus non potest amplius suam mentem explicare. (Lessius. Iul. Clar.)

15. Vt tamen in prædictis causis criminalibus duo testes plenè probent, requiritur primò, quod deponant iurati. Patet ex *cap Tuis, quæst 39 de testib.* & ex *cap. Nuper 51. eodem tit.* ibi: *Nullius testimonium quantumuis religiosus existat, nisi iuratus deposuerit, in alterius præiudicium debet credi.* vbi Panormitanus ita ait. *Nec Episcopo quidem, vt cæsti credi debet in alterius præiudicium, nisi iurato.* Secundò requiritur, vt depoonant de eodem facto, excepto forte crimine hæresis, quia si non deponant de eodem facto, non erunt contestes, sed testes singulares, quoniam alter alterius dictum non confirmat, sed suum tantùm, & sic erit tantùm probatio per vnum testem; debent ergo testes contestes conuenire in tempore, in loco & in delicti facto. nam ex diuerso tempore & loco colligitur non esse idem factum, sed diuersum, de quo deponunt. Si tamen alter exprimat certum diem; alter verò in suo dicto deponat, se non meminisse diei, id sufficit. Tertiò, requiritur, vt sensu externo factum de quo deponunt, perceperint, *l. Sola 4. C. de testib.* vbi glossa, & communiter DD. *cap. Si testes 4. §. solam 4. q. 3.* Ratio est, quia non possunt esse certi de facto externo, de quo deponunt, nisi per aliquem sensum externum illud percipiant, vnde si de auditu deponant; non probant plenè, sed solùm faciunt indicium ad inquirendum de illo.

Quartò, vt sint, vt iam diximus, omni exceptione maiores, quibus nihil in contrarium opponi possit.

***

Capvt XVI.

An liceat iudicibus potestate publica reum aliquem occidere, sine confessione, & Eucharistia; & an possint facultatem concedere ad occidendos bannitos malefactores vbicumque reperti fuerint.

Svmmarivm.

Præceptum diuinum sumendæ Eucharistiæ, obligat omnes fideles capaces in articulo mortis, etiam violentæ. num. 1.

Tenentur iudices sub mortali culpa concedere Deo ad mortem damnatis tempus ad confessionis, & Eucharistiæ sacramentum. num. 2. *Quantum tempus eis ante mortem dandum sit.* ibid.

In ea angustia est valde difficile recurrere ad contritionem. num. 3.

Olim in Lusitania, & Hispania consuetudo erat negandi Eucharistiam huiusmodi reis. num. 4.

Hodie ex noua lege Regni id non licet. num. 5.

Quid si periculum euasionis alicuius rei famosi ad mortem damnati timeatur. num. 6.

An ea consuetudo olim a peccato iudices excusauerit. num. 7.

An possint iudices concedere facultatem occidendi malefactores, ita vt non peccent illi, qui illos occiderint. num. 8.

An licitum sit Principibus concedere facultatem occidendi suos subditos malefactores versantes extra suum territorium, & regnum. num. 9.

An ob propriam defensionem id possint efficere. n. 10.

An si aliquis bannitus fugiat è Lusitania in Angliam, & ibi iussu Regis Lusitaniæ occultè occidatur, possit iustè Rex Angliæ illius occisorem suspendere. num. 11.

Quid si de consensu Regis Angliæ id fiat. num. 12. *An grauiter peccet ille, qui proditori fidem dat, de non occidendo eo, si postea occidat.* ibid.

An dato statuto, quod bannitus possit licitè occidi, possit licitè, & impunè filius patrem bannitum, vel pater filium occidere. num. 13.

An si pater, & filius simul sint ad mortem damnati, & vita concederetur vni, si alterum suspendat, possit ille id licitè acceptare. num. 14.

An testis teneatur testimonium suum falsum retractare, quando fuit datum in damnum tertij. n. 15. *An cum periculo vitæ, vel famæ.* ibid.

Quid si retractatio non creditur profutura. num. 16. *Quid de Iudæis conuictis in tribunali sancti officij.* ibid.

Quid si aliquis ex mera ignorantia, & obliuione falsum testimonium contra aliquem dixit, ob quod damnandus sit ad mortem, an tunc cum periculo vitæ teneatur illud retractare. num. 17.

An ille, qui scit aliquem innocentem falsò ad mortem damnari, teneatur ex charitate se offerre ad testificandum illum esse innocentem. num. 18. *Et an aliquando ex iustitia.* ibid.

An dato statuto, quòd bannitus vbicumque repertus occidatur, possit ille se defendere occidendo illum, qui eum vult occidere. num. 19.

PRIMAM quæstionem in titulo tactam satis explicauimus in primo præcepto, ac mandato sanctæ matris Ecclesiæ, lib. 1. 1.

lib. 1. *cap.* 4. *num.* 3 hic autem ad plenitudinem, & perfectionem materiæ uerum breuiter explicabitur. Suppono igitur præceptum diuinum de Eucharistia sumenda obligare omnes fideles in articulo mortis etiam violentæ, authoritateque publica iustitiæ inflictæ, nisi detur aliqua grauis causa, quæ tunc excuset, vt docet Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 4. *initio*, Sotus *in* 4. *dist.* 12. *art.* 11. Tabiena *verbo Communicare*, §. 16. Sà *verbo Eucharistia initio*, Suarez 3. *part. disput.* 66. *sect.* 5. Nauarrus *in summa Latina, cap.* 21. *num.* 57. Fumus *verbo Communio*, §. 18. & significat Concilium Trid. *sess.* 13. *cap.* 6. citant Concilium Nicenum, *canone* 13. Et ratio est, quia in hoc articulo tenentur homines magis procurare, ac conseruare diuinam gratiam; hoc autem sacramentum peculiariter institutum est à Christo Domino ad illam conseruandam, & augendam: institutum est enim per modum cibi temporalis; & sicut cibus temporalis supponit vitam temporalem, quam alit; ita hic spiritualis cibus supponit vitam spiritualem gratiæ, quam auget, &, si à peccatore sumatur, prærequirit sacramentum confessionis; sacramentum autem confessionis institutum est à Christo Domino ad redeundum in gratiam, & amicitiam cum Deo, quam homines per peccatum mortale amiserunt, vt patet.

Henriquez. Sotus. Tabiena. Sà. Suarez. Nauarrus. Fumus. Conc. Trid.

2. Hoc supposito manifestum fit teneri iudices sub graui culpa lethali concedere reis ad mortem damnatis tempus ad Sacramentum pœnitentiæ, & ad communionem Eucharistiæ, & peccare grauiter si id non concedant. Patet ex *cap.* 13. *quæst.* 2. & ex glossa *in capite, si quis, de corpore*, & in clement. *Cum secundum, de pœnit. & remission.*) idque etiamsi sciant reos in ipso tempore euasuros, vt docet Petrus Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 2. *num.* 23. Syluester *verbo Iudex, quæst.* 13. *dicto* 6. Toletus *lib.* 2. *summa cap.* 28. Sà *verbo Eucharistia*, *num.* 3. Turrecremata *capite de his* 26. *quæst.* 6. Nauarrus *in summa Lat. cap.* 25. *num.* 23. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 5. *num.* 4 Potat autem Henriqoez dandam esse eis Eucharistiam vno die ante mortem: Sà verò existimat posse dari vna hora ante illam, quia hoc tempus sufficit ad perfectam digestionem sacrarum specierum. Et fundamentum huius obligationis est, quia plus est æstimanda salus æterna proximi, quàm punitio corporalis illius: bona enim animæ præferenda sunt temporali punitioni; igitur quamuis timeatur probabilis fuga reis, adhuc ei concedendum est tempus conueniens ad sumenda hæc sacramenta. Nec refert, quòd populo sit scandalum, nisi statim suspendatur, si fuga postea contingat, & quia huiusmodi scandalum est passiuum, & magis prouenit ex malitia, vel ignorantia populi, quàm ex culpa iudicum; tempus hoc concedentium ex obligatione præcepti diuini, & quia huic periculo obuiare possunt iudices, optima custodia. Sed de hac re infra iterum agemus, *num.* 6.

Glossa. Nauarra. Syluester. Toletus. Sà. Turrecremata. Nauarrus. Henriquez.

3. Dices, sufficere ipsis reis ad mortem damnatis, si recurrant ad contritionem. Respondeo præceptum diuinum de sumenda Eucharistia absolutè obligare in articulo mortis, tam naturalis, quàm violentæ; quare cum in eo articulo obliget, necessariò seruandum est, tenerique proinde iudices, & ministros iustitiæ procurare, & dare tempus conueniens, vt huiusmodi reis hoc Sacramentum detur, vt diuinum præceptum illius impleant. Nam est valde difficile in angustiis talis mortis, & tempore, quo totus homo turbatus est, veram habere contritionem: quare grauissimum peccatum erit contra charitatem exponere proximum tanto & tam manifesto discrimini salutis æternæ.

4. Olim tamen in Lusitania, Hispania, & Gallia, consuetudo erat negandi reis ad mortem damnatis Eucharistiæ sumptionem; ratione reuerentiæ tanti Sacramenti, & ne illorum aliquis ignominiosam mortem publica authoritate iustitiæ ei denonciatam, impia sui occisione fortè præueniret; qua planè consuetudine, & bona fide excusabantur olim iudices à peccato mortali, vt docet Victoria *verbo Homicidium*, §. 85. Nauarr. *in summa Lat. cap.* 25. *num.* 23. Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 1. *num.* 11. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 11. §. *Ex his primum*. Ledesma 2. 4. *quæst.* 39. *art.* 2. *in fine*. Paludanus *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 3. Iulius Clarus *in pract. criminali*, § 99. Et verò quamuis prædicti Doctores ob huiusmodi consuetudinem iudices excusent, nunquam tamen hoc laudarunt, imò semper vituperarunt.

Victoria. Nauarus. Couarr. Sotus. Ledesma. Paludanus. Iul. Clarus.

5. Sed iam prædictam consuetudinem, vt diuini iuris corruptelam improbauit, damnauitque Pius V. in quodam motu proprio hac de re expedito, & Philippus II. Hispaniarum Rex post expeditionem illius legem hac de re sanxit anno Domini 1569. qua iubet prædictis iudicibus, vt rei mortis non nisi confessi, & communicari damnentur iuxta motum proprium sanctitatis Pij V. & post promulgationem huius legis ita ad vnguem seruatur in tota Hispania, & Lusitania: de Lusitania testatur experientia; de Hispania docet Henriquez *lib.* 8 *de Euchar. cap.* 5 *num* 4.

Henriquez.

6. Si tamen periculum sit, ne aliquis scelestissimus homo euadat, & maxima inde damna Reipublicæ, vel Principi, vel innocentibus timeatur, vt proditiones ciuitatis, plurimæ mortes ciuium, segetum incendia, aut rebellionis damna: tunc quidem quando aliter optima custodia extrinsecus adhibita euasioni, talis, ac iam scelesti hominis, occurri non potest, sufficiet ei tempus ad solam contritionem concedere, & poterit perimi absque confessione, & Eucharistia, quia tunc non tam proceditur via iuridica ad punitionem rei, quàm via ordinaria defensionis propriæ, & proximi, nec tam de puniendo crimine, quàm de impediendo malo futuro, quod Reipublicæ intentatur, agitur: quo casu potest Princeps, & possunt iudices authoritate illius, iubere interfici authores. ita docet Petrus Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 226. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 11. *num.* 98. & ideo diximus numero 5. *nisi detur aliqua grauis causa excusans.*

Nauarra. Lessius.

7. Hodie itaque iam non est licitum, negare sacramentum confessionis, & Eucharistiæ ad mortem damnatis. Vnde non placet sententia Nauarr. *in summa Lat. cap.* 25. *num.* 13. dicentis posse eis negare Eucharistiam, non tamen confessionem, referentisque ex Rauennate negatam olim fuisse in Gallia Comestabili illios Regni Ludouico Luxemborgensi, qoando anno 1475. iugulatus fuit, & addit: *Et quidem non malè nostro iudicio.* Malè tamen omninò negatam fuisse dicendum est, nisi tunc temporis consuetudo, cum bona fide excusasset, & nisi Rebellionis periculum, aut alia grauissima scandala timerentur. Sed eam opinionem tenuit olim Naoattus ante motum proprium Pij V. & ante legem Philippi II. Nec ratio Nauarri vrget, qoia, inquit, non est tanta ratio concedendæ Eucharistiæ, quanta concedendi sacramentum pœnitentiæ, & quia irreuerentia esset sumere supplicium de aliquo reo, eo ipso die, quo

Nauarr.

quo cõmunicauit, cum non constet species sactas esse digestas: nam, vt diximus, n. 2. non est irreuerentia suspendiũ pati eo ipso die, quo Eucharistia sumitur, eum tota ea irreuerentia oriatur ex eo, quod species non digerantur, & vna, vel duæ horæ sufficiant, vt benè digerantur, & hæc ratio Nauarri non conuincit; nam si opus fuerit expectentur duo, vel tres dies: imò æqualis ratio datur in sumptione Eucharistiæ in vltimo articulo mortis, atque in confessione facienda. Primò, quia de Eucharistia sumenda tempore mortis datur diuinum præceptum. Secundò, quia in eo ipso iure canonico, quo declaratur concedendam esse confessionem reis damnatis ad mortem, declaratur etiam concedendam illis esse Eucharistiam, vt patet ex *capite, quod in te, de pœnit. & remission. ibi, In illo verbo per quod morientibus pœnitentiam non negamus, vtique nunc, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligimus; vt nec illud decedentibus denegetur.* Et quamuis Concilium Basiliense *sess.* 30. videatur dicere non esse dandam Eucharistiam damnatis propter irreuerentiam, id intelligendum est, ita vt supplicio afficiantur ante factarum specierum digestionem. Et verò ego totum Concilium vidi, & nihil tale in prædicto Concilio reperi, quod priùs bene animaduerterat Petrus Nauarra *lib. 2. cap. 3. num. 229 de rest.*

Nauarra.

8. Veniamus ad secundam partem tituli, in qua quæritur, an possint iudices concedere facultatem occidendi malefactores, ita, vt non peccent lethaliter, qui illos occiderint. Et breuiter respondendum est affirmatiuè; interdum enim permittunt iudices, & magistratus vt quiuis de Republica, possit publicos hostes Reipublicæ, & homines scelestos proscriptos, quos bannitos vocant, occidere; & quidem tunc non solùm impunè, sed etiam licitè occiduntur, quia tunc non occiduntur authoritate priuata, sed publica data à Principe, qui illam dare iustè potest in his casibus, & circumstantiis. Primò, quando via alia, malum impendens, quod ipsi moliuntur, auerti nequit: vt accidit in coniurationibus, & conspirationibus contra Principem, & Rempublicam. Secundò, quando aliter puniri non possunt, & illos punire omninò expedit, ne maiora mala, & scandala in dies serpant.

9. An verò possint licitè potestates publicæ, hanc potestatem occidendi huiusmodi nequam homines tam amplam concedere, vt licitè illi possint occidi extra proprium territorium, & regnum, dubium est? Syluester *verbo Homicidium 1 quæst. 3. num. 7.* asserit id licitè fieri non posse, nisi fiat de consensu domini territorij, vel regni: idque probat ex Archidiacono, quia extra suos terminos, nec potestas aliqua, nec ciuitas, nec regnum habet aliquam potestatem, aut iurisdictionem, & iniuria maxima fieret Regi, & ciuitati in cuius terminis alius Rex, vel ciuitas, vellet suum subditum, existentem in alieno territorio occidere; vnde talis occisor si ibi caperetur, iustè, vt homicida à Rege, vel domino territorij, in quo delictum commisit, suspenderetur, nisi de consensu illius tacito, vel expresso id fieret. Nec obstat quòd in tota Italia extent statuta de occidendis bannitis vbicumque inuentis, quæ statuta valent, & interdum præmiis alliciuntur homines ad illos occidendos: fuerunt enim ea statuta de communi consensu Principum facta pro suis ad inuicem territoriis, ob communem pacem, & tranquillitatem Reipublicæ, vt hoc nequissimum genus hominum, cuius ea climata feracissima sunt, extingueretur, vt docet

Syluester.

Bartol. *in l. 2. num. 1. C. quando lic. vnicuique sine iud. se vend.* Alexand. *in l. si plagij*, prout illum refert, ac sequitur Decius *consilio* 317. *num* 3 *in fine* Iaso *in dicta l. si plagij, num.* 3. Anton Gomez *in l. 76. Tauri, post num.* 15. Iulius Clarus *lib* 5. *sent.* §. *Homicidium, num* 52. Quapropter non solùm impunè, sed etiam licitè possunt huiusmodi banniti occidi, modò id fiat ab occisoribus bono zelo iustitiæ, non ob priuatam vindictam, vt optimè animaduertit idem Iulius Clarus, quia vnusquisque particularis occisor constituitur à suo Principe iustus minister iustitiæ, & executor mortis bannitorum.

Bartol. Alexander. Decius. Ant. Gomez. Iul. Clarus.

Ita Syluester; distinctione tamen opus est in negotio: nam vel quis occidit scelestum hominem in alieno territorio ob defensionem proprium; vel in pœnam ptium, & vindictam criminis commissi: si occidat ob defensionem propriam, vel proximi, licitè, & impunè id potest efficere, vt sæpè diximus, nec Princeps, aut dominus territorij homicidium potest impedire, cum non sit actus iurisdictionis, sed puræ, & necessariæ defensionis. Si in pœnam, & vindictam delicti, tunc procedit opinio Syluestri; mortaliter enim peccant non solùm ipsi occisores, sed etiam iudices, qui illum extra proprium territorium mandant occidi absque consensu tacito, vel expresso domini territorij, & ad restitutionem manent obnoxij: cum enim sine iurisdictione illi præcipiant, & isti exequantur, contra iustitiam peccant, & consequenter ad restitutionem tenentur in solidum, & in defectum vnius alterum: ita Petrus Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. num.* 231. & communiter omnes. 10.

Nauarra.

Et insuper si occisor à domino territorij capiatur, quamuis non sit suus subditus absolutè loquendo, iustè, & iuridicè potest suspendi, quia ratione criminis in suo territorio commissi, iam manet subditus. Vnde si aliquis sit bannitus in Lusitania, & fugiatio Angliã aut Castellam, & ibi iussu Regis Lusitaniæ ab aliquo Lusitano occidatur, absque consensu tacito, vel expresso Regis Angliæ, vel Castellæ, huiusmodi occisor iustè potest capi, & suspendi à Rege Angliæ, vel Castellæ, vt colligitur ex Syluestro citato *num.* 9. & ex iis, quæ ibidem diximus. 11.

Syluester.

Dato autem hoc consensu, vel permissũ à Rege Angliæ, vel Castellæ; dubium est an bannitus possit proditoriè, & insidiosè interfici? Affirmat Decius *in capite Quæ in Ecclesiar. de constit. n.* 14. *in fine.* Bossius *in pract. titulo Banniti quid amittant, num.* 1. quia cum ipsi insidiosè etiam, & proditoriè homines innocentes iniustè spolient, & occidant, iustè proditoriè, & insidiosè occidi possunt? Negant Mantua *consil.* 200. *lib. num.* 29. Angel. *in l. finali, C. de delatoribus.* Alexander *in Apostilla ad Bartolum in eadem l. finali*: quia totum ius insidias, & proditiones etiam in hostibus abhorret. Quidquid tamen sit de iure harum opinionum, si aliquis fidem expressè dedisset bannito non offendendi illum, & data hac fide, illum offenderet, vel occideret, siue proditoriè, siue non proditoriè, dignus profectò esset supplicio extremo, vt optimè docet Iulius Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *Homicidium, num* 61. *fine*, quia fides data, hosti etiam seruanda est, quando non est data in præiudicium tertij; alioqui enim totum commercium humanum tolleretur. 12.

Decius. Bossius.

Mantua. Angelus. Alexander.

Clarus.

Posito verò statuto, quod bannitus vbicumque inuentus interficiatur, dubium est, an licitè, & impunè possit filius patrem bannitum occidere? 13.

Partita

Bartol. Marsil. Berous. Angel.

Partita est opinio. Prima affirmat, eam sequitur Bartol. *in l. si adulterium cum incestu, §. liberto, ff. de adult.* Marsilius *in l. 1. §. præterea, num. 33. ff. de quæst.* Berous *in c. Quæ in Ecclesiarum, num. 114.* Angel *de malef. in verbo, Et ex interuallo, num. 17.* Fundamentum illorum est; quia vbi primum pater virtute talis statuti, aut iudicis sententia declaratur hostis Reipublicæ, nulla dari potest ratio cur non liceat filio illum occidere, iuxta textum *in l. Minimè, ff. de relig. & sumptib. funer.* Secundò, quia in eo casu, quo pater iniustè arma sumeret contra suum verum Principem, & contra patriam suam, & actu ei bellum inferret, iustè, & licitè potest à filio occidi in eodem bello sequente partes veri Principis, vt est communis resolutio omnium Doctorum, quem sequitur Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. homicidium, num. 59.* & Claudius *in l. 1. §. ius gentium, num. 13 ff. de iust. & iure*, ergo etiam iustè, & licitè poterit occidi à filio, quando per statutum, aut iudicis sententiam declaratur bannitus, seu hostis Reipublicæ.

Iul. Clar. Claud.

Secunda opinio negat. Illam tenet Iulius Clarus modò allegatus, *dict. num. 59.* vbi primam sententiam appellat duram, crudelem, & impietatis plenam. Claudius *in l. 1. §. ius gentium, n. 13. ff. de iust. & iure.* Albericus *in 4. part. statutorum, quæst. 27.* Cæpolla *consil. criminal. 5. versic. Septimò pro hoc*, quatenus dicunt hi duo vltimi quòd stante statuto, quòd verus, & legitimus Princeps sit bannitus, non potest licitè vasallus illum occidere; at nemo sanæ mentis negabit maius esse ius filiorum in patres, quàm vasallorum in dominos suos. Quamuis enim Reges, & Principes sint patres communes Reipublicæ, & respectu vasallorum instar parentum sint, tamen maius ius est in filiis respectu patrum, quàm in vasallis respectu Principum. Fundamentum præcipuum huius opinionis est, quia licet pater virtute talis statuti, & iudicis sententiæ censeatur bannitus, & hostis communis declaretur, nunquam tamen exuit ius naturale patris, nec illud amittit, nec desinit esse pater; iure autem naturali filij obligantur erga parentes, & veritas iuris naturalis debet præferri fictioni iuris, & iudicis, quia per tale statutum, & sententiam fingitur pater communis hostis Reipublicæ. Nec refert quòd potest pater à filio occidi licitè, & iustè in eo casu, quo pater aduersus Regnum, patriam, & Principem arma sumeret, & iniustum bellum patriæ inferret; quia in ea circunstantia iam ipse pater non ex fictione iuris, & iudicis, hostis fingitur Reipublicæ, sed in rei veritate talis est, vt de se patet. Nec etiam obstat, quòd ob multa incommoda, damna, & maleficia, quæ ipse in rei veritate commisit, tam in ipsam Rempublicam, & patriam suam, quàm in alios ciues extraneos, per tale statutum, & iudicis sententiam fingatur, & declaretur hostis communis illorum, & Reipublicæ; quia cum ea damna non sint commissa simul contra omnes ciues suæ Reipublicæ, nec contra omnes ciues extraneos, sed modò contra hos, modò contra illos; non contra omnes simul: ideo fingitur à iure hostis omnium: at in publico bello iniusto, in quo agitur de publico & communi commodo, & salute Regni, & Reipublicæ, non potest fingi hostis omnium ciuium, & hostis filij iustam partem aduersam defendentis, contra quam pater pugnat, sed in rei veritate publicus hostis est regni, patriæ, & singulorum ciuium illius, atque adeo proprij sui filij, vt de se patet.

Claud. Alberic. Cæpol.

14. Hinc sequitur, si pater, & filius ad mortem essent damnati authoritate publica iustitiæ, & filio daretur vita, si ipse vellet patrem occidere, deficiente tortore, & carnifice, non posse filium licitè id acceptare, & peccare mortaliter filium, si patrem suspendat, quia esset profectò horrendum factum, & impiissimum in parentem; licet enim pater iustè damnatus sit ad mortem; tamen non ideo amittit iura patris, & ius naturale dictat teneri filios honorare parentes, eisque vitam procurare, & non dehonestare, aut eis vitam ignominiosè auferre. Ita tenet Iulius Clarus *dict. lib. 5. sent. §. homicidium, num. 59.* & debent tenere omnes, quos citauimus pro secunda opinione, nempe Claudius Seyssel. Albericus, & Cæpolla. Licet in prima opinione Bartoli, Angeli, Beroi, & Marsilij, consequenter loquendo respondendum esse affirmatiuè, quia ipsi affirmant licitum esse filio parentem bannitum occidere; quanto ergo magis docebunt, licitum illi esse parentem suspendere ad consulendum vitæ propriæ, maximè, quia nemo tenetur consulere vitæ patris nequam, cum dispendio suæ, vt patet in patre, qui est aggressor, atque iniustus inuasor filij, quem filius licitè potest occidere, vt suprà latè probauimus.

Quæ dicta sunt de filio respectu patris banniti, dicta etiam censeantur de patre respectu filij; quia maiori cum ratione procedere debent in patre respectu filij, cum iura naturæ descendant à parentibus in filios; & non ascendant à filiis in parentes, vt de se patet.

Maius dubium est, an testis teneatur suum falsum testimonium retractare, quod est causa efficax damni nondum dati, sed dandi, quando scilicet, propter illius falsum testimonium lædendus est proximus grauiter in vita, fama, vel honore. Cui respondendum censeo cum distinctione: nam vel illius retractatio creditur profutura, vel non creditur. Si creditur profutura, & ob huiusmodi falsum testimonium lædendus est proximus vel in vita, vel in fama, vel in honore, cum eodem periculo respectiuè, hoc est, cum periculo vitæ, si vita proximi periclitatur; honoris, si honor; famæ, si fama; non cum periculo vitæ si fama tantùm proximi, aut honor periclitatur, tenetur ille se retractare. Ita docent communiter DD. Nauarr. *in summ. Lat. cap. 15. num. 16.* Caietan. *2. 2. quæst. 70. art. 4. & 1.* Couarr. *regul. peccatum 1. num. 6. §. 3. adulter.* Cordub. *lib. 1. qq. quæst. 3. art. 3. & in summ. quæst. 17.* Petr. Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 235.* quia eadem prorsus ratio est de fama respectu famæ, & de honore respectu honoris, & ideo qui alterum iniustè infamauit, tenetur cum periculo propriæ famæ, & honoris se retractare, non tamen cum periculo vitæ. Et ratio est, quia licet quis vitæ suæ, & famæ magis quàm alienæ consulere teneatur; tamen id solum verum est, quando cætera sunt paria; at in hoc casu non sunt cætera paria, quia ille est nocens, alter innocens. Deinde quia, qui alter est causa damni iniusta, tenetur illud ei restituere, eique occurrere, & obuiare cum æquali damno; atqui iste per suum iniquum testimonium est causa efficax damni dandi in vita, fama, & honore; ergo tenetur illud impedire cum eodem periculo damni in vita, fama, & honore. An autem ille, qui alterum infamauit suo iniquo testimonio, teneatur cum periculo propriæ vitæ illud retractare, est dubium? Negant communiter Doctores, quos in octauo præcepto, vbi de hac re latiùs egimus, citauimus, quia restitutio

15.

Nauarr. Caiet. Couarr. Cordub.

debet

debet esse ad æqualitatem, non ex superabundantia, esset autem ex superabundantia, si cum periculo vitæ teneretur se retractare: multo enim pretiosior est vita, quàm fama, cum fama sit bonum quoddam recuperabile, vita non sit. Hinc, qui fuit in causa, vt aliqui falsò contra aliquem deponerent, ex quorum depositione graue damnum ei sit euenturum, tenetur ex iustitia illos admonere, vt se retractent: quod si nolint, tenetur eos manifestare: nihil enim refert, an suo, an alieno testimonio innocentem lædat; si tamen non induxit, tenetur tantùm ex charitate citra periculum vitæ, & famæ, & citra magnum detrimentum, quia charitas non obligat cum tanto, & tam graui dispendio, vt alibi diximus.

16. Si verò tetractatio non crederetur profutura, non tenetur quis se retractare, tenetur tamen tunc ad restitutionem omnium damnorum temporalium, quorum iniquissima causa fuit per suum iniquum testimonium. Ex hoc principio excusari potetunt Hebræi, qui è carcere sanctæ Inquisitionis conuicti dimittuntur in Lusitania, & in tota Hispania, si fortè dicant de carcere exeuntes, vt communiter omnes dicere solent, se in carcere metu tormentorum, & torturæ, alios suæ nationis falsò accusasse, si verum est, quòd illorum retractatio apud dominos Inquisitores nihil profutura sit post latam sententiam, qua conuicti, & damnati de hæresi & Apostasia Iudaismi fuerunt. Non tamen hi facile credendi sunt, si quando asserunt suos ex metu mortis velo tormentorum accusasse, id enim possunt facere ex eo vt sanctum Inquisitionis tribunal verè mitissimum, quasi nimium seuerum & crudele ineusent, ac proinde maxima prudentia & cautela confessionibus opus est, hæc tamen de re latiùs redibit sermo *in 2. tomo, precepto* 8. vbi de testibus agemus.

17. Potest tamen qui ex mera ignorantia, & obliuione citra peccatum aliquod falsum testimonium bona fide in iudicio dicere, ob quod proximus ad mortem, vel graue supplicium sit damnandus; & in hoc casu dubium est an cum eodem periculo vitæ, famæ, vel honoris tenetur se retractare? Negant communiter DD. Lessius *tom. 1. de iust. lib 2. cap* 30. *dub.* 7. *num.* 55. Caietan 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 4. Petrus Nauarra *lib. de rest. cap.* 3. *num.* 255, & 253. & ex consequenti dicent non teneri ad restitutionem damnorum. Ratio illorum est Primò, quia is non peccauit, nec formaliter, sed materialiter tantùm falsò testificatus est, putans se rectè, & iustè deponere. Vnde cum à peccato periurij, & Dei offensa excusetur, à fortiori à proximi læsione excusabitur. Quare computanda est hæc materialis damnificatio, inter eas, quæ casu fortuito occidunt, vel ex leuissima culpa, quæ non obligat ad restitutionem; iniustum enim esset obligare aliquem ad restitutionem in eo casu, in quo nullam culpam commisit; & ad summum ex charitate tenetur ad id ad quod tenentur illi, qui sciunt aliquem esse omnino innocentem, & ad mortem falsò damnari. De quibus iam inquirimus in dubio sequenti ad quid teneantur.

18. Petes igitur, vtrùm ille, qui scit aliquem esse innocentem, qui ad supplicium mortis ducitur, vel de crimine pessimo falsò accusatus est, & iudicat se suo testimonio posse illum liberare, teneatur se offerre ad testandum illum esse innocentem. Respondeo cum distinctione: nam vel ille ex parte iustitiæ requisitus est ad ferendum testimonium, vel non est requisitus. Si non est requisitus, scit tamen, si se offerat, profuturum, & proximum à morte, vel supplicio, quod innocenter patitur, liberaturum; tenetur ex charitate sub lethali se ad id offerre Ita Nauarrus *in summa Lat. cap.* 15. *num.* 16. & id probat ex *cap.* 1. *de crimin. fals.* D. Thom 2. 2. *quæst.* 70 *art.* 1. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 6. *art.* 2. *conclus.* 7. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 167. Et ratio est, quia tenemur occurrere malo proximi, cum minimo dispendio nostro; hic autem aut cum minimo, aut cum nullo dispendio nostro illi possumus occurrere. nam licet vterque sit proximus accusator malitiosus, & reus innocens; tamen reus est innocens, accusator nocens, quare fauendum est reo innocenti, & ipse accusator sibi imputet, si mali aliquid inde patiatur, ad id enim, velit, nolit, se à principio exposuit. Si est requisitus, tenetur ex iustitia illum excusare, adeo, vt si veritatem taceat, teneatur ad restitutionem omnium damnorum, tanquam verus homicida, vel damnificator: testis enim vocatus ad testificandum, tenetur ex iustitia veritatem dicere, vt dicemus *tom.* 2. *in octauo precepto.* Sic in dubio præcedenti respondere etiam possumus. nam vel ille, qui bona fide testificauit, falsò tamen materialiter, iterum vocatur ad testimonium ferendum. vel non vocatur: si vocatur, tenetur ex iustitia se retractare, & dare causam suæ deceptionis in priori iuramento: si non vocatur, & putat si se offerat ad reficiendum iuramentum, se posse proficere, & liberare innocentem sine suo magno incommodo, tenetur ex charitate id efficere, vt patet.

Vltimum dubium in hoc puncto, circa bannitos est. An dato statuto de occidendo bannito vbicumque reperiatur, possit ille licitè se defendere aduersus inuasorem eum mortem ipsius inuasoris, seruato debito inculpatæ tutelæ moderamine, qua de re est duplex opinio Prima negat. eam tenet Claudius *in l. Vt vim. ff. de iust. & iure, n.* 25. Primò, quia alioqui daretur bellum iustum ex vtraque parte; alter enim iustè se defenderet, & alter iustè occideret, quod dici non potest. Secundò, quia si bannitus iustè se posset defendere; iustè posset iudex inquirere de aggressore, occisoréque illius, & factum illius punire; at hoc vetat fieri statutum, quia concedit facultatem liberè, & impunè occidendi eum, vbicumque repertus fuerit; de ea autem re, quæ iustè, & licitè fieri potest, iudex non potest inquirere, vt docet Aretinus *in cap. Nulli, de accusat. in* 6. Quare dicendum est, non posse prædictum bannitum licitè se defendere. Tertiò, quia reus iustè ad mortem damnatus non potest se iustè defendere aduersus tortorem, qui illum tanquam minister iustitiæ suspendit, alioqui, si se iustè posset defendere, posset iustè ad eam defensionem iuuari ab amicis, & cognatis, & rarò fieret executio iustitiæ, insurgerent enim illi licitè non solum contra ipsum tortorem, sed etiam contra iudices & alios ministros iustitiæ exequentes iustissimam mortem hominis nequam, illius rei: atqui illi omnes quibus conceditur libera facultas occidendi bannitos vbicumque inuenti fuerint, constituuntur per iudices tortores, seu ministri iustitiæ circa illorum mortem; ergo contra illos se nec iustè, nec licitè defendere poterunt banniti. 19.

Secunda affirmat, illam defendit Iulius Clarus *lib* 5. *sentent.* §. *homicidium, num.* 71. vbi ait opinionem Claudij semper sibi visam fuisse duram. Et addit, *Si casus contigerit, ego illum bannitum non punirem, saltem pæna mortis.* Fundamentum illius

Lessius. Caiet. Nauar. Nauarr. D. Thom. Gab. Biel. Claud. Iul. Clar.

illius est, quia defensio propriæ vitæ est de iure naturali, & ideo lege humana, aut statuto, inaudita parte, tolli non potest. Sed hæc ratio non placet; quia de iure naturali etiam est, vt rei malefactores puniantur iudicis sententia post conuictum crimen, & sententiam latam, vt mala, & scandala timore pœnæ arceantur à Republica, iuxta illud vulgatissimum, *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Quando autem per publicum statutum conceditur libera facultas occidendi bannitos vbicumque inueniantur, est illorum crimen tam publicum, & patens, vt nullam excusationem, & defensionem iudicialem ex parte illorum patiatur, & quando crimina sunt tam publica, & patentia, statim illorum rei à iudicibus suspendi possunt, si publicè etiam constat de reis illa committentibus, maximè quando adhuc in futurum pendent. Præterea statutum concedens liberam facultatem occidendi prædictos bannitos vbicumque fuerint reperti, considerauit mala, & damna imminentia Reipublicæ, & singulis illius ciuibus, quæ ab illis patranda erant, & ob defensionem propriam cuiusque ciuis, & auersionem damnorum in futurum, in vita, aut bonis fortunæ magni momenti rectè quis se defendere potest cum occisione inuasoris, vt sæpe diximus: neque opus est accusare in iudicio malefactores, cum mala impendunt, & ipsi nec citari possunt, nec capi, nec ad iudicium venire queunt, imo crudeliores fient, vt patet si ad illud vocarentur.

Capvt XVII.

Vtrùm mors, mutilatio, aut aliud damnum alicui tua causa datum, tibi imputari possit ad restitutionem.

Svmmarivm.

Explicatur status quæstionis. num. 1.

Qui vnum occidit, & mors alteri imponitur, ad nihilum tenetur in conscientia ei, cui mors imponitur, si non animaduertit ad damnum, quod ei obuenire poterat ex tali impositione. num. 2. & 3.

Quid si animaduertit, & noluit cauere, ne alteri imputaretur mors, non tamen ea intentione fecit, vt damnum ei eueniret, & mors ei imputaretur. Refertur opinio affirmans teneri ei ad restitutionem, num. 4. & 5.

Præfertur negans, & soluuntur argumenta prima, num 6. & 7.

Quid si ea intentione fecit, vt ei illud damnum eueniret, & ea illi mors imputaretur. Ponitur prima sententia docens teneri ad restitutionem. num 8.

Proponitur secunda probabilior negans. num 9.

Qui fodit puteum in agro suo positiua intentione nocendi vicino, & incidendi venas aquarum putei sui, non tenetur ei ad restitutionem. num. 10.

Argumentum è contrario nihil valet, quando contrarium illius, quod infertur, est in iure definitum. num. 11.

Prauus animus quamuis faciat actionem illicitam, & contra charitatem, non tamen facit illam iniustam, & contra iustitiam. num. 12.

Quisque habet ius iustitiæ ne per vim, dolum, & fraudem impediatur à consecutione officij, vel beneficij, quod sibi ab alio conferendum erat, & ad quantam restitutionem ei teneatur ille, qui sic impediuit. num 13.

Proponitur opinio Diui Thomæ in hac materia, & soluitur illius fundamentum fundatum in illa regula, quod quis certò habiturus est statim, iam dicitur illud possidere. num. 14.

1. Vt status quæstionis fiat clarior; ponamus exemplum. Occidisti occultè Petrum, mutilasti, vel vulnerasti illum Imponitur id Paulo, quia cum Petro publicas, & capitales inimicitias gerebat, & ob eam rem innocenter Paulus in carcerem truditur, mulctatur pecuniis, damnatur, occiditur: quæritur an tenearis in foro conscientiæ, restituere Paulo, ea omnia damna, quæ tua causa passus est.

2. Resolutiuè sic respondeo. Vel quando vulnerasti, occidisti aut mutilasti Petrum, non animaduertisti ad damnum, quod inde euenire poterat Paulo; vel animaduertisti: si animaduertisti, vel ea intentione fecisti, vt prædictum damnum Paulo eueniret, eique imputaretur; vel non fecisti tali intentione: si non animaduertisti, non censeris moraliter loquendo causa talis damni, sed occasio merè per accidens, ac proinde ad nullam restitutionem Paulo teneris. Est communis resolutio. Ita docet Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap 9. dub. 16. num. 110.* Sotus *lib. 4 de iust quæst. 6. art 3.* Nauarrus *in summa Lat. cap. 15. num 17. in fine.* Zechius *de casibus reseruatis, casu 12.* Lazarius Papiensis *de quæst. canon. quæst. 6. sect. 3. num. 12.* Ratio est, quia huiusmodi damnum merè per accidens euenit Paulo ex actu tuo: non enim actio occisiua, qua Petrum occidisti, directè tendebat ad damnum Pauli, nec ea intentione fecisti, vnde per se, & directè prædictum damnum imputatur Paulo ex malitia accusatorum, vel testium; non ex tua actione, quia innocens es; quamobrem illis imputanda est prædicta restitutio, non tibi.

Lessius. Sotus. Nauarrus. Zechius. Lazar.

3. Secundò, quia illud damnum, quod Paulo euenit, nec in se, nec in causa à te fuit volitum: non in se, quia non animaduertisti ad illud, & ignorabas aduentum illius: non in causa, quia non fecisti ea intentione, & causa, vt illud damnum Paulo eueniret, & quia effectus non est volitus in causa, nisi frequenter ex ea proueniat; tunc enim, qui vult causam, vult effectum illius; hic autem effectus, quòd, scilicet, Paulo secutum fuerit illud damnum ex tuo facto, non prouenit frequenter, & ordinariè ex tali facto, & actione, sed rarissimè: quod autem raro prouenit ex causa, non censetur in illa magis contineri, quàm non contineri, imo censetur minus in ea contineri. Fuit itaque tuum factum respectu prædicti damni mera occasio contingens sine vlla culpa tua, nec leui, nec leuissima respectu Pauli, vt patet.

4. Dices, tenebaris aduertere. Respondeo neminem teneri ad hanc animaduertentiam damni, quod tertio euenire potest, nisi quando ex facto, & actione sua regulariter solet euenire, & ea obligatio tunc non est ex iustitia ex qua subsultet obligatio restitutionis, sed ex charitate. Vnde cum ex illa tua actione, illud damnum non fuerit solitum aduenire Paulo, vel cuicumque alteri tertio, nullo modo tibi incumbebat obligatio animaduertendi ad illud; imò etsi incumberet, cum ea obligatio tantùm sit ex charitate, non ex iustitia, ex omissione illius, esto culpabilis esset, non consurgeret obligatio aliqua restitutionis.

4 Si animaduertisti damnum inde Paulo potuisse euenire,& noluisti cauere,non tamen ea intentione fecisti,vt ei adueniret.Est partita opinio. Prior affirmat teneri te ad restitutionem. Ita Cotradus *part.1.quæst.118.in additionibus*. Lazarius Papiensis *de quæst. can. quæst.11.sect.13. num.12. in fine.* Fundamentum illorum est, quia licet ea obligatio animaduertendi ad malum, quod inde euenire poterat Paulo in eo casu, quo ille capitalem inimicitiam gerebat cum Petto, à te percusso in ea occasione, & circumstantia, qua ea percussio tribui poterat Paulo, sit ex charitate, & ex obligatione charitatis, nulla resultet obligatio restitutionis, & iustitiæ: tamen negari non potest, quin in ea tua actione aliqua ratio iniustitiæ committeatur: quare cum ibi aliqua ratio iustitiæ commixta sit, necessariò aliqua tibi obligatio restitutionis ex ea actione resultat. Quæ doctrina est Toleti *lib.5. summa cap.19. initio* Nauarti *in summa Lat.cap.17.num.71.& in Apologet.quæst.2. monit.4.* Adriani *in 4.de rest.quæst.10.* & aliorum asserentium ex peccato contra charitatem commisso nullam resultare obligationem iustitiæ, nisi simul in eo aliqua committeatur ratio iniustitiæ.

Cotrad. Lazarius. Toletus. Nauarrus. Adrianus.

5. Sed ad hoc fundamentum facilè respondeo, in ea tua actione qua percussisti, vel mutilasti Petrum, dari rationem iniustitiæ, & consequenter obligationem restitutionis respectu Petri, non tamen respectu Pauli,cui ex errore communi,ob inimicitias, quas ipse Paulus gerebat cum Petro, imponitur percussio Petri; quia licet optimè animaduertisti potuisse ex tua percussione, qua percussisti Petrum,aliquid mali euenire Paulo, & noluisti cauere; non tenebatis cauere,ne illi malum adueniret, nisi ex charitate, & in ea animaduertentia, tota obligatio erat ex charitate,& nulla ratio iniustitiæ admista fuit respectu Pauli, vt patet, & consequenter obligatio tibi insurgit restitutionis erga Petrum, non erga Paulum.

6. Et ideo secunda opinio negat omnino teneri te ad aliquam restitutionem respectu Pauli, cui totum crimen, ob tuam actionem occisiuam Petri,tribuitur. Ita docet Lessius *tom.1.de iust.lib.2. cap.9. dub.16. num.111.* vbi citat Sotum *lib 4 de iust.quæst.6.art.3.ad 4.* Sed Sotus ibi nihil ad eam rem dicit, docet etiam Lud. Lopez *1.p.instr.c.65.* Et ratio illorum est eadem,quæ hactenus repetita est,quia, scilicet, vbi animaduertisti ad damnum, quod inde Paulo poterit aduenire,& noluisti cauere, peccasti contra charitatẽ,nec contra iustitiã; ex peccato autem commisso cõtra charitatẽ,nulla insurgit obligatio restitutionis ex iustitia. Deinde quia natura actionis illius qua occidisti, vel percussisti Petrum, non erat damnosa, & iniusta respectu Pauli,sed respectu tantùm ipsius Petri; & verò quando ex aliqua actione sequitur damnum tertio, non ex natura actionis, sed ex impotatione,vel malitia,vel ignorantia aliorum,non censetur prædicta actio iniuriosa tertio,respectu agentis in foro conscientiæ,licet forte aliud in foro iudiciali præsumatur; quare cum ea actio respectu agentis in ordine ad Paulum, non censeatur iniuriosa, nihil ei tenetur restituere, etiamsi ei tribuatur erroneè damnum, quod in ea occasione Paulo per accidens euenit. Ad fundamenta primæ opinionis iam respondimus.

Lessius. Sotus. Lopez.

7. Replicabis, Ille, qui animaduertit ex actione sua damnum alteri sequi posse,tenetur ex iustitia cauere, ne eueniat; omnis enim prudens hoc facit. Respondeo non teneri ex iustitia,sed ex charitate tantùm, & consequenter, quando quis habet magnam, & iustam causam faciendi, nec ex charitate quidem tenetur cauere ne eueniat,quia charitas non obligat cum tanto detrimento. Exemplis res probatur. Vendis arma homini,quibus malè vsurum putas,alios occidendo, vel percutiendo,non censeris cooperator talium damnorum, nec ad restitutionem illorum teneris; imò nec peccas contra charitatem,si magnam necessitatem habeas vendendi. Item vendis agnum Iudæo,quem scis illum emere ad sacrificandum iuxta ritum Mosaicæ legis, non censeris esse author, aut cooperator impij sacrilegij, & sacrificij, sed vteris iure tuo,quod habes ad vendenda tua. Item furto abstulisti thesaurum à Petro, animaduertens illum ob eam rem dolore nimio perculsum moriturum,de facto moritur,non censeris homicida, nec teneris ad restitutionem pro damno ex morte, sed tantùm pro thesauro furto ablato; nec manes irregularis,quia hoc damnum mortis, non ex illo furto directè secutum fuit, sed ex passione, & nimio dolore animi, quem tenebatur mitius ferre. Ita Lessius *tom.1. de iust.lib.2.cap.9.de iniuriis in corpus proximi,dub.16.num.112.* Ex his exemplis coniice alia. Lessius.

8. Si ea positiua intentione fecisti,vt malum illud Paulo eueniret, & de facto obuenit, de factóque ei mors, aut percussio tua imputatur. Partita est opinio. Prima ait teneri te ei ad restitutionem pro damno ex actione tua illi adueniente. Hanc tenet Sotus *lib.4 de iust.quæst.6.art.3.ad 4.* quem citat Lessius modò allegatus. Caietanus *2.2. quæst 62.art.2.* Corduba *lib.1. quæst.31. art.3.* & videtur fauere D.Thomas *2.2.quæst.62.art.2.ad 4.* quatenus dicit teneri ad restitutionem beneficij illum, qui de facto alterum à consecutione illius per dolum impediuit, si certò,& indubitanter illud erat habiturum, nisi impediretur falsis criminationibus. Fundamentum huius opinionis est: quia actus ex odio, & malo animo factus includit obligationem restitutionis in eo casu, in quo illam non includeret, si bono animo fieret,& absque odio. Vnde cùm tu in eo casu ex odio in Paulum, Petrum occidas, in ea occasione, vt tua illa Petri occisio, Paulo imputetur, propter inimicitias, quas ille cum Petro gerebat, teneris sine dubio ad talem restitutionem damni illati.

Sotus. Lessius. Caietanus. Corduba. D.Thom.

9. Secunda probabilior, & tenenda asserit, non teneri te ad talem restitutionem: eam docet expressè Lessius *dicto tom.1. lib.2. cap.9. dub.16. num.113.* Nauarrus *in summa Lat.cap.17.num.71.* & omnes, qui dicunt ex peccato contra charitatem commisso nullam resultare obligationem restitutionis, nisi simul aliqua ratio iniustitiæ ei admisceatur, quos supra citauimus. Fundamentum huius opinionis est. Primò,quia etiamsi damnum tertio per illam positiuam intentionem intendas inferre, si tamen actio illa exterior, qua illud inferre intendis,& de facto infers,nun est iniusti natura sua respectu illius, cui ex odio illud inferre vis, licet sit aliunde peccaminosa ex odio, erit quidem peccatum contra charitatem, non contra iustitiam: ac proinde non incurres obligationem restitutionis. Intentio enim mala non facit actum externum iniustum, & contra iustitiam respectu alicuius, quando ille ex natura sua respectu illius talis non erat. Sed facit illum illicitum.

Lessius. Nauarrus.

Sic lictor mala intentione suspendens reum ad mortem damnatum, animo inferendi illi hoc damnum, non peccat contra iustitiam,nec tenetur illi ad

ad aliquam restitutionem, sed tantùm contra charitatem. Sic miles in bello iusto occidens hostes, & diripiens vrbes mala, & positiua actione illis nocendi, non tenetur ad restitutionem, quamuis contra charitatem peccet. Cum igitur illa actio mortis Petri, qua Petrum voluisti occidere, animaduertens potuisse illam mortem Paulo inimico Petri imputari, & ea positiua intentione Petrum occidisti, vt Paulo ea mors imputaretur, & de facto imputata fuit, sit contra iustitiam tantùm respectu Petri, quem occidisti, & respectu Pauli contra charitatem; sequitur vt nullam obligationem restitutionis incurras respectu Pauli, cui ex malitia aliorum imputatur, sed solum illam incurras respectu Petri, quem iniustè voluisti occidere, & respectu Pauli sit illud damnum merè per accidens.

10\. Sic etiam, qui fodit puteum in agro suo ea mala, & positiua intentione, vt venas aquarum incidat, & damnum vicino inferat, non tenetur vicino de damno, si forte aliquod ei eueniat, quia iure suo vtitur, & illa mala, & positiua intentione, qua id facit, solum facit, vt peccet contra charitatem, vt habetur in *l. Proculus, ff. de dam. infect. & l. flumin. ff. eodem, §. finali*, docet Nauarrus *in summa Latin. cap. 17. num. 71.* Lessius *tom. 1. lib. 2. dub. 16. num. 114. fin.* Nauarr. Lessius.
non enim damnum dare videtur ille, qui facit, quod lex permittit: quoniam, qui vtitur iure publico sibi à lege concesso, nulli facit damnum, nec iniuriam. *l. Iniuriam, §. is qui iure*, vbi Doctores *ff. de iniuriis, l. Nemo damnum, ff. de reg. iur. l. Quemadmodum, §. si quis tamen, ff. ad leg. Aquiliam.* Sic tandem iudex, qui ex allegatis, & probatis iustè reum ad mortem damnat, etiamsi ex odio, & mala, positiuaque intentione inferendi illi damnum faciat, non tenetur ad restitutionem, quia propter illam positiuam intentionem nocendi solum contra charitatem peccat. Habemus igitur in his omnibus exemplis ob positiuam intentionem nocendi solùm dari peccatum contra charitatem, & non contra iustitiam. Quare cum illa tua actio, qua occidisti Petrum, ea positiua intentione nocendi Paulo, vt ei ea mors imputaretur, non tibi solùm sit iniuriam contra iustitiam respectu Petri, quem occidisti, & contra charitatem respectu Pauli; sequitur, vt solùm Petro & non Paulo ad restitutionem tenearis.

11\. Sed videtur hæc resolutio contra dispositionem *l. 1. ff. de aqua plun. arcend. §. denique*, vbi asseritur, eum qui fodit puteum in agro suo, vel aliud opus facit, vnde damnum vicino veniat, non teneri ad restitutionem, reparationémve damni, si absque animo nocendi faciat: ergo si animo nocendi faciat, tenebitur. nam argumentum à contrario est validum. Respondeo cum Nauarro allegato, quod licet argumentum à contrario sensu, sit validissimum in iure, vt patet *in cap. Apostol. de iis qua fiunt à Prælatis sine capituli consensu*; nihil tamen valere, quando contrarium quod infert in iure, est iam dispositum, iuxta Glossam communiter receptam *ibi*, & Felinum *in cap. Significasti, de for compet.* vnde cum iam in iure dispositum sit, eum, qui facit puteum in suo, non teneri vicino de damno; argumentum à contrario propter positiuam intentionem nocendi nihil valet.

12\. Nec fundamentum primæ opinionis vrget, quia vt iam plenè ostensum est, prauus animus quamuis faciat actionem illicitam, & contra charitatem, non tamen facit illam iniustam, & contra iustitiam, si illa absque eo animo iniusta non erat, respectu illius personæ, erga quam malo animo fit. Nec argumentum à restitutione beneficij deductum quidquam valet, quia vnusquisque habet ius, vt per vim, & fraudem à consecutione illius non impediatur, & talis actio impediendi per vim, & fraudem est contra iustitiam, simul, & contra charitatem. Contra iustitiam, quia damnum infert, & ex natura sua est illatiua illius, quod necessariò est reparandum. Contra charitatem, quatenus ex odio, & mala intentione procedit. Ita docent communiter DD. Toletus *lib. 5. summa, cap. 19. §. Altera est, vt impeditus.* Nauar. *in summa Lat. cap. 17. num 69.* Adrianus *in 4. de rest. quæst. 10.* Caietan. 2. 2. *quæst. 62. art. 2.* & alij. Tolet. Nauarr. Adrian. Caiet.

13\. Notabis tamen duplici modo posse aliquem impediri à consecutione officij, vel beneficij quod alter ei conferre volueras: vel à legato, quod per testamentum ei relinquendum erat. Primo modo suadendo congruentibus rationibus volentem conferre, & legare, vt id non faciat; imò, vt alteri faciat, ac conferat, dirigendúque illum precibus. Secundo modo vi, fraude, & dolo imponendo ei, cui conferendum erat tale officium, aut beneficium, & cui relinquendum erat tale legatum, falsum crimen, aut occultum, licet verum, manifestando. Si primo modo quis impediat, non tenetur ad vllam restitutionem, licet malo animo, & ex odio faciat, quia in ea re nullam iniuriam facit impedito, nec contra iustitiam, sed contra charitatem ex prauo animo impedit. Si secundò, tenetur ei ad restitutionem arbitrio prudentis faciendam, pro tanto, quanto arbitrio prudentis valebat illa spes, quam habebat consequendi illud officium, beneficium, vel legatum, quia contra iustitiam falsis criminationibus impeditus fuit; vnusquisque enim ius habet, ne à consecutione alicuius rei impediatur vi, & fraude, & per iniuriam sibi illatam. Dixi *pro tanto, quanto arbitrio prudentis valebat illa spes, quam habebat consequendi illud officium, legatum, aut beneficium*, & non pro tanto, quanto illa in se valebant; quia ipse impeditus nullum ius firmum habebat in tali officio, beneficio, aut legato; pendebat enim hæc ex voluntate aliena, quæ mutari poterat, & totum ius, quod habebat, erat veluti deambulatorium fundatum in mutabili voluntate volentis conferre, & legare, & ideo non erat firmum, & stabile. Deinde, quia restitutio reponit eum, cui fit ipsa restitutio, in eodem statu, in quo antea erat; ante prædictus impeditus, non habebat ipsum officium, beneficium, vel legatum, sed habebat spem consequendi illa; ergo, vt reponatur in eodem statu, valor tantùm illius spei, illi restituendus est.

14\. Opponces eum D. Th. 2. 2. *quæst. 62. art. 2. ad 4.* & eum Toleto *lib. 5. summa, cap. 19. versu, Altera, vt impeditus.* & Nauarro *in summa Latin. cap. 17. num. 69.* Quod parum distat, nihil distare videtur, & quòd quis statim habiturus est, iam potest dici ab illo possideri; quam regulam approbat D. Thomas modò allegatus in negotio præsenti, & Caietanus ibi, *in quinto dubio*, & est deducta ex Aristotele 2. *Physicor. textu 56.* quare si Episcopo, vel patrono ita firmum erat illi dare officium, vel beneficium, & legatario, illi legare in testamento legatum, vt necessariò illa consequeretur, nisi ea vi, & fraude impediretur, restituendus ei est totus valor illorum, & non valor tantùm Tolet. Nauarr.

tantùm illius spei quam habebat, arbitrio prudentis, vt dictum manet. Respondeo illam regulam, Quod parum distat, nihil distare videtur, & quod statim quis habiturus est, iam potest dici ab eo possideri, non semper veram esse, quia, qui parum abfuit, vt diues fieret, non potest dici fuisse simpliciter diues nec, qui parum abfuit, vt occideretur, non potest dici fuisse simpliciter occisus. Et quamuis D. Thomas, & Caietanus ea regula vtantur in hoc negotio, non vtuntur illa tanquam medio, & argumento irrefragabili ad hoc persuadendum, sed arguendo tanquam ad præsentis negotij intelligentiam accommodata: quare reuera illa restitutio non est facienda, pro toto valore officij, beneficij, vel legati, ac si illa impeditus iam possideret, sed pro valore maioris, vel minoris spei, quam ad illa possidenda habebat. Deinde si spes adeo proxima fuit vt pro ipso beneficio & legato haberi prudenter debuit, non negamus tunc temporis tantundem fore restituendum, quantum ipsum beneficium, vel legatum valet; sed id prouenit, quia ex suppositione in eo casu tantum valebat ipsa spes quod vel nunquam, vel saltem rarissimè accidet, propter rationes prædictas.

Capvt XVIII.

Ad quid teneatur homicida pro homicidio, & mutilator pro mutilatione; & an vltra pœnam mortis, vel aliam afflictiuam corporis à iudice impositam teneatur hæredibus occisi, vel mutilati ad damna, & interesse; & quomodo facienda sit æstimatio occisionis respectu vitæ.

Svmmarivm.

Mutilator, & homicida, vel vulnerans tenetur in conscientia hæredibus etiam occisi, & mutilati ad expensas curationis. num. 1.

Item ad æstimationem operarum, lucrique officij, artis, vel exercitij. num. 2.

Detrahenda tamen est æstimatio valoris victus quotidiani, quem sanus sumpturus erat. num. 3.

Quomodo æstimandi sunt anni vitæ, quam habiturus erat occisus in ordine ad æstimationem lucri operarum. Refertur illorum opinio, qui asserunt vitã occisi æstimandam esse vsque ad sexaginta annos. n. 4.

Refertur opinio docens vsque ad centum annos. n. 5.

Improbatur vtraque opinio. num. 6. & 7.

Præfertur opinio asserens æstimationem futuræ vitæ pro foro conscientiæ faciendam esse arbitrio prudentis, attentis circunstantijs, valetudinis occisi, artis, officij, vel exercitij, lucri cessantis, & damni emergentis. num. 8.

An iure iam sit æstimatus valor quinquaginta aureorum pro valore operarum futuræ vitæ, vt voluit Nauarrus. num. 9.

An tenearis ad æstimationem operarum illius, quem iniustè occidisti, si ille statim naturaliter erat moriturus, vel à iudice ad mortem damnandus. n. 10.

Quid si illi iniustè mors infligenda erat à iudice. n. 11.

Si occisor, vel mutilator è vita discedat ante hanc restitutionem factam, hæredes illius ad illam teneantur non solum ipsis occisis, & mutilatis, sed etiam hæredibus illorum. num. 12.

Quid si super eam rem in vita occisi, vel mutilati non fuit lis contestata. num. 13. *Pœna pecuniaria, ad quam damnandus erat reus delicti, non debetur, si lis super illam non fuit contestata ante illius mortem.* ibid.

An aliquid detrahendum ac minuendum sit de restitutione operarum pro quiete, & labore, quia non laborauit occisus, vel mutilatus dũ ægrotabat. n. 14.

An homicida, vel illius hæredes ad aliquid teneantur occiso, illiusve hæredibus, quando ipse homicida iuridicè ad mortem damnatur, vel mutilator pœna corporali punitur. num. 15. *Refertur prima opinio negans.* ibid.

Refertur secunda affirmans cum omnibus suis corollarijs, à num. 16. vsque ad 18. Qui non habet pecuniam, punitur corporaliter. num. 17.

Iudicium authoris fundatum in consuetudine totius fere orbis. num. 19.

Æstimatio lucrorum ex modo viuendi, officij, vel artificij non habet locum in viro nobili, qui ex suis redditibus viuit. num. 20.

An homicida, & mutilator teneantur ad damna in conscientia, quando occiderunt, vel mutilarunt in rixa repente orta sine insidijs, & dolo. num. 21.

Si rixa à pluribus excitetur, & iuridicè non constet, quis eorum occiderit, vel mutilauerit, sciat tamen vnus se occidisse, & mutilasse, is tenetur in conscientia ad omnia damna. num. 22.

Quid si homicidium, vel mutilatio commissa fuerunt absque vlla culpa lata, leui, & leuissima. num. 23. *Vide cap. 21. num. 4.*

Non oritur obligatio restitutionis ex homicidio facto ob iustam sui defensionem. num. 24. *An detur si iustè se defendens alium intermedium occidat, feriat, vel mutilet, tam in foro conscientia, quàm externo.* ibid.

Primo tenetur homicida, mutilatórque ex iustitia, hæredibus etiam occisi, 1.
vel mutilati ad expensas victus, & medicorum pro curatione factas, medicinarumque, & ad aliarum rerum impendia, quæ occisus, vel mutilatus tempore curationis pro se medicando fecit. constat ex *l. Qua actione, in princip. ff. ad leg. Aquiliam*, ibi: *impendia, quæ pro eius curatione fecerit.* & *l. Ex hac lege. ff. si quad. paup. fecisse dicatur.* ibi: *Et impensarum in curatione factarum.* Glos. *ibi, verbo, Impensarum*, & optimus est textus *in l. finali ff. de his qui deiece. vel effud.* ibi: *Cum liberi hominis corpus ex eo quod deiectum, effusúmve erit, læsum fuerit, iudex computabit mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt.* Et de iure etiam canonico id manifestum est ex textu *in cap. 1. de iniur. & dam. dat.* & ibi Glossa *in verb. Operas.* Hostiensis etiam ibi: *Nec non & id, quod dedit in medicinis.* Ioann. Andr. *n. 1.* Anchar. *num 1. notab. 2.* Ant. de Butr. *n. 2. in 2. notab.* Mar. Socin. *num 56. & 57* Speculator *in tit. de iniur. & damn. dat. § sequitur, n 3. & 4.* Ant. Gum. *de delict. cap. 3. rubr. de homic. n. 37.* Iul. Clar. *in pract. §. homic. n. 18. versu, Tenetur etiam.* Placa *in epit. delict. cap. 10. lib. 1. n. 12.* Roland. *consil. 39. num. 8. lib. 2* Carrer. *in pract. tract. 1. de appellat. §. in textu, n. 27.* Nauar. *in sum. Lat. cap. 15. n. 23* Couar. *lib. 2. var. c. 10. n. 7. vers. Quartò, concl. 2.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 9 dub. 19. n. 124.* & alij communiter. Probatur facilè, quia horum omnium damnorum causa ipse iniusta, & efficax est; & qui alteri est causa damni, tenetur illud ex iustitia restituere.

Glossa. Hostiens. Ioan. Andr. Anchar. Butrius. Socin. Specul. Gomez. Clarus. Placa. Roland. Carrer. Nauarrus. Lessius.

Secundò,

2. Secundò tenetur etiam occisor, ad lucrum, æstimationemque operarum, officij, artis, vel exercitij, quas occisus, vel mutilatus nisi occisi, mutilative fuissent, lucraturi erant toto vitæ suæ tempore. Eidem dicendum est de vulnerante, respectu vulnerati. & operarum, quas facturus erat, nisi vulneratus esset, toto tempore curationis. Ita textus *in l. qua act. in princip. ff ad l. Aquiliam*, ibi, *quod minus ex operis*. Qui textus licet loquatur solùm in vulnerante, extenditur tamen iuxta DD ob eandem rationem ad occidentes, & mutilantes. Patet etiam ex textu *in l. ex hac lege, ff si quad. paup. fecisse dicatur*, ibi: *Et operarum amissarum, quasque amissurus quis esset*, & ibi Alber. *num. 1. notab. 1. & num 2. versu, Item facit.* & ex textu *in l. finali, ff. de his, qui deiecer. vel effud.* ibi: *Præterea operas quibus caruit, & cariturus est.* Vnde constat teneri non solùm homicidam, sed etiam percussorem ad omnes expensas, quas percussus in se medicando fecit, & ad quidquid insuper lucri fecisset ex arte, vel officio suo, quandiu malè habuit, & ad quidquid magis in reliquo vitæ tempore suo labore lucraturus erat, si è vita non decessisset. Ita Nauarr. *in summa Lat. cap. 15. num. 23.* Albet. *in l. ex hac Lectata num. 1. versu, habetur etiam ratio.* Constat denique ex *textu in §. ob hominem, versu, Iudex, Inst. de oblig. quæ quasi ex delicto nascuntur.* Et in iure canonico est etiam textus *in cap. 1. de iniur. & dam. dat.* docet Marsil. *singular. 575.* Maranta *de ordine iud part. 4 dist. 1. n. 4.* Plot. *consil. diuers. 73. lib. 2.* vbi loquitur de Doctore occiso, vel vulnerato, Duce, mercatore, vel operario. Speculator *in titulo de iniur. §. sequitur, num. 3. & 4.* vbi ponit exemplum in mercatore, & Aduocato occiso, vel vulnerato. Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 9 dub 19. num. 124* Adrian. *quæst. vltim. de rest. ad finem* Couarr *lib 2 variar. resol. cap. 10. num. 7.* Sotus *lib. 4. de iust. quæst. 6 art. 3. ad 3.* Panormita, *in cap. 1. de iniur. & dam. dato, col. 1.* Probatur etiam facilè, quia huius quoque damni causa efficax, & iniusta fuit vulnerator ipse, & occisor; quamobrem tenetur de iustitia illud resarcire, vt patet.

Alber. — Nauarr. Alber. — Marsil. Marant. Plot. — Specul. — Lessius. Adrian. Couarr. Sotus Panorm.

3. Æstimanda est itaque illa spes lucri & operarum, quas quisque ex officio, vel artificio suo faciebat, & tantumdem restituendum est vulnerato, vel hæredibus occisi, quantumdem illud lucrum valebat detracta tamen æstimatione victus quotidiani, quem ipsi, dum benè habebant, insumpturi erant: quæ enim victu suo ordinario insumebant, non possunt cum lucro computari. Ita Couarruuias, Sotus & Lessius proximè citati, v.c. spes lucri officij, vel artificij valebat 100. medicinæ & impensæ curationis 50. id quod ipsi infirmi dum in infirmitate fuerunt, si rectè valerent, in cibo, & potu ordinario insumpturi erant, æstimatur 20. supersunt solum 130. restituenda hæredibus occisi, quia iniusta causa fuit occisor huius damni, vt patet.

4. Sed, quoniam communiter ignoramus, quandiu quis sit victurus, dubitabis quomodo æstimatio lucri facienda sit, respectu vitæ futuræ? Couarr. *lib. 2 var cap. 10. num. 7. in medio, versu, quarto eodem.* Angelus *verbo Restitutio 1. §. Homicida.* Panormitan. *in cap Olim. de iniur.* Maranta *de ord iudiciar. 4. part. dist. 1. num. 4.* Gratianus *consil 91. part. 2. num. 12. ad finem*, Anton Gomez *de delictis cap. 6. rub. de iniuriis, post numerum 11. & cap. 3. rub. de Homicidio, num. 38.* Placa *in epitome delict. lib. 1. cap. 6. num. 32. versu, Postremò contra Maiorem.* Roland. *consil. 39 num. 14. lib. 2.* Farinacius *tom. 4 quæst 119 de Homicidio. num. 99.* existimant faciendam esse hanc æstimationem iuxta dispositionem legis computationis, & legis *Hereditatem, ff. ad legem falcidiam*, in quibus legibus tempus vitæ æstimatur vsque ad 60 annos. In hunc modum, v.c vt si necisus sit 30 annorum, putetur adhuc victurus alios 30 si sit 35. æstimetur victurus 25. si sit 40. credatur amplius victurus 20. si sit 50. consideretur adhuc victurus 10 semper vitam terminando vsque ad 60. annos, non amplius.

Couarr. Angel. Panorm. Marant. Gratian. Gomez. Placa Roland. Farinac.

Alij volunt faciendam esse hanc æstimationem vsque ad 100 annos, ita vt vita occisi putetur duratura vsque ad centesimum annum, plus, minúsve, *argumento textus in l. finali, C de sacros. Ecclesf.* & legis *An vsusfructus, ff. de vsufruct.* ita Floria. *in l final. in verbo, cariturus, ff. de his, qui deiecer. vel effud.* Alexander de Neuo *consil. crimin. diuers. 85. num. 13. lib. 1 in paruis.* Iaso *in l. Eum, qui ita, §. qui item, col. 7. n 11. ff. de verb. oblig.* Suar. in repet. *legis, quoniam in prioribus, C. de inoff. test. fol. 12 col. 1. versu, Secundò infertur ex hoc.* 5.

Florian. Alexand. Iason. Suarez.

Verùm neutra ex his opinionibus placet. Non prima, quia leges citatæ in illa loquuntur solùm in certa materia de alimentis ad vitam legatis pro foro externo iudicandis; vt optimè docet, notatque Lessius *tom 1 de iust. lib. 2. cap. 9 dub. 20 n. 228.* & id notarunt priùs Alexander, & Vincentius *in l. Hereditatem, ff ad legem falcid.* Vnde cum sit dispositio limitata ad certam materiam, non est extendenda ad aliam, in qua diuersissima ratio datur. Tandē, quia in priori opinione, qui occiderit hominē 59. annorū, non teneretur restituere, nisi lucrum vnius anni, quod videtur ridiculum. Deinde qui occiderit senem 60. annorum, nihil in foro conscientiæ de quo agimus tenebitur restituere, quod quàm absurdum sit, vides. Fieri enim potest, vt sit viribus, ac corpore strenous, & putetur secundùm prudentem æstimationem adhuc victurus 20. annos. 6.

Lessius.

Non secunda; quia leges ibi in ea allegatæ loquuntur etiam in materia certa, & pro foro tantùm externo, videlicet de vsufructu alicuius proprietatis, vel prædij relicto pro legato ad vitam hominis alendam, ac proinde loquuntur de legatis pro foro externo iudicandis, non de foro interno, in quo multæ circumstantiæ considerandæ sunt, quæ in foro externo non considerantur. Deinde, quia in ista secunda opinione si quis occiderit senem centum annorum, nihil hæredibus illius tenebitur restituere, quod est contra rationem; poterit enim senex ille esse tam strenuus mercator, vt vnus, aut alter annus illius industriæ in mercatura pro multis laboribus aliorum hominum, quoad lucrum æstimetur, & ipse tam valens viribus putabitur, vt credatur adhuc victurus sex, aut septem annos. 7.

Dicendum ergo est æstimationem futuræ vitæ, pro foro conscientiæ, faciendam esse arbitrio prudentis viri, attentis, consideratisque omnibus circumstantiis, valetudinis occisi, artis, & officij, & rationibus lucri cessantis, & damni emergentis ex occisione, mutilationeve, aut vulneratione resultantibus. Ita Lessius *tom 1. de inst. lib. 2. cap. 9. dub 20. num. 129.* Imò & pro foro externo ita faciendum esse docet Menochius *de arbitr. quæst. lib. 2. casu 112.* Placa *de delictis, lib. 1. cap. 6. num 32.* Farinacius *tom. 4. quæst. 119. de homicid. num. 113.* Alberic. *in l. ex hac lege, in fine ff. si quadr. paup fecisse dicat* Fundamentum huius opinionis patet ex his, quæ diximus *n. 6. & 7.* neque enim necesse est illud iterum repetere. 8.

Lessius. Menoch. Placa. Farinac. Albet.

9. Nauarrus. Nec obstat id, quod ait Nauarrus *in summa Lat. cap. 15 num. 21.* spem illam lucri, quam occisus toto tempore vitæ suæ poterat habere, iam videri in iure æstimatam valore quinquaginta aureorum, *in l. 1. § 5. ff. de his, qui deiecer. vel effud.* Non obstat, inquam, quia huiusmodi lex, vt benè ait Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 9. dub. 20. num 131.* non loquitur de restitutione damni in conscientia & foro facienda, & quæ debetur ante omnem iudicis sententiam, de qua nobis sermo est: sed loquitur de pœna, seu mulcta, qua condemnantur rei. Sic enim ait lex, *Si ea re homo liber perisse dicetur, quinquaginta aureorum iudicium dabo.* Et immediatè antea dixerat, *ſe in duplum datur iudicium, ſi ex eiecto, vel effuſo damnum datum eſſet.* Vnde manifestè constat legem loqui de homicidij pœna dumtaxat, non cuiusuis, sed repentè orti, non autem de homicidio ex eiecto, vel effuso, hoc est, à proposito, neque de damno ex homicidio resultante, vt optimè animaduertit glossa *in cap. 1 de iniur. & damno dat.* dicens: *Si liber homo perijt, quinquaginta aureis fit damnatio.*

10. Si occidas aliquem iniustè, qui statim vel naturaliter erat discessurus, vel à iudice iustè ad mortem damnandus; non teneris ad restitutionem, nisi pro illa acceleratione. Ita & rectè Petrus Nauarra *lib 4 de rest. cap. 1. num 78.* & Lessius allegatus *num. 130.* vbi pro se Sylvestrum allegat, & Nauarrum. Ratio est, quia pro eo solùm tempore damnum aliquod iniustè ei intulisti, vt patet.

11. Si tamen mors iniustè, & iniquè à iudice, vel latrone illi erat infligenda, & tu præueniens illam, illum iniustè occidendo, teneris omnino hæredibus necessaria restituere damna pro toto tēpore vitæ, quod ille iuxta prudentis arbitriū erat victurus. Ratio est quia iudex, vel iniquus latro, qui illum erat iniustè occisurus, eam obligationem incurrerit; ergo & tu, si illos præuenias, iniustè occidendo, similiter incurres: nam quando aliquis naturaliter emoritur, aut iustè per sententiam à potestate publica damnatur ad mortem, naturaliter definit ius ad lucrum, quod toto vitæ suæ tempore comparare poterat, & ideo si præuenias huiusmodi mortes, solùm teneris ad illius restitutionem, pro tempore accelerationis mortis prædictæ: at quando iniustè, & iniquè erat damnandus ad mortem, vel illam à latrone passurus erat, non amittit huiusmodi ius pro toto tempore vitæ suæ, nec naturaliter definit, sed iniustissimè illo violenter priuatur: quare eo ipso, quod iniustè præuenis hanc mortem, iniustà velis, nolis, tenens ad restitutionem spei lucri pro toto vitæ tempore, quod ille, quem iniusta morte præuenis, erat facturus Ita Lessius citatus, *num. 131.* & Petrus Nauarra *lib. 4. de rest. cap. 1. num. 78.*

Lessius. Nauarra.

12. Quæ quidem restitutio, si facta non fuit ipsis occisis, vulneratis, vel mutilatis, dum adhuc viuebant, illorum hæredibus facienda est, iuxta ea, quæ diximus *num. 1. & 2.* Et inter damna computandæ etiam sunt expensæ factæ, pro expediendis custodibus, si fortè illi iam carpti erat, & stipendium datum Aduocato, ita Couarr. *lib. 2. var. resol. cap. 10. num 7.* Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2 cap. 9. dub 19. num. 127.* Farinacius *tom. 1. quæst. 19 de Homicidio, num. 101.* Anton. Gomez *de delictis, cap. 3. in rub. de Homicidio, num. 37.* Maraota *de ord. iudiciar part 4. dist. 1. num. 4.* Iulius Clarus §. *Homicidium, num. 18. versu, tenetur etiam.* Ratio est, quia bona defuncti transierunt ad hæredes illius cum suo onere, & illa iam erant obnoxia oneri restitutionis omnium damnorum, quæ defunctus ex iustitia tenebatur restituere; & ideo si prædicta restitutio illorum omnium damnorum, non fuit facta per homicidam, vel mutilatorem iniustum, ipsi occiso, vel mutilato, tenentur hæredes occisoris, vel mutilatoris illam efficere hæredibus occisi, & mutilati.

Couarr. Lessius. Farin. Ant Gomez. Maraot. Clarus.

13. Oppones decisionem legis *ex iudiciorum, ff. de accusationib.* in qua decidi̇tur pœnam pecuniariam, quæ descendit ex delicto, non transire ad hæredes, lite non contestata; transire verò contestata lite. Respondeo primo hanc legem solùm intelligi de pœna pecuniaria, qua condemnandus erat in foro iudiciali occisor, vel mutilator, quia hæc non debetur ante sententiam latam, nec sententia ferri potest circa prædictam pœnam, nisi lis ante mortem occisi fuerit contestata; non de restitutione in tribunali veritatis, & foro conscientiæ, quæ ante litem etiam inceptam debetur, & ita intelligit prædictam legem Couarruuias loco allegato. Respondeo secundò, per hanc legem solùm negari hæredibus occisi, vel mutilati actionem in foro externo contra hæredes occisoris, vel mutilatoris, nisi lis fuerit contestata, atque incepta, in vita ipsius mutilatoris, & occisoris, vt benè docet Anton. Gomez *tom. 3. var cap. 3. n. 57.* quare dispositio illius legis non liberat prædictos occisores, & mutilatores, neque hæredes illorum in foro conscientiæ à prædicta restitutione; nihil enim facit ad obligationem coram Deo, quod lis ante illorum mortem contestata, vel non cōtestata, cœpta, vel nō cœpta fuerit, vt docet Lessius *tom. 1. de iust lib. 2. cap. 19. n. 127. §. Nec obstat.* Gomez. Lessius.

14. Sed quoniam necessus, & mutilatus dum ægrotat, & causa vulneris, & mutilationis non laborat; dubitabis an aliquid minus de valore suarum operarum arbitrio prudentis detractum, ei soluendum sit, v. c. erat lucraturus centum si laboraret, si sine labore ei quisque daret septuaginta; illos acceptaret: quæres, an ei soluendi sint septuaginta pro lucro? Maior *in 4. dist. 15. quæst. 19.* ait soluendos esse septuaginta. Ratio illius est, quia cessatio laboris, quem non posuit, erat pretio æstimabilis; ergo illa æstimatio arbitrio boni viri detrahenda est. Contrarium dicendum. Primò, quia fortè vulneratus noluisset redimere hanc quietem. Secundò, quia abundè ille labor compensatur, per laborem dolorū, qui est etiam pretio æstimabilis. Tertiò, quia si detrahatur hæc æstimatio, & æstimatio cibi, & potus, quem erat insumpturus, dum bene habebat, ferè nihil remanebit. Ita tenet Couarr. *lib. 2. var. c. 10. n. 7. versu, quarto, eodem iure.* Lessius *tom. 1. de iust lib. 2. cap. 9 dub. 20 num. 125.* contra eundem Maiorem. Maior. Couarr. Lessius.

15. Sed dubium est, an postquam homicidæ, vel mutilatores puniuntur ad mortem, ad pœnam pecuniariam, vel exilium per iudicis sententiam, teneantur adhuc ipsi in conscientia ad omnia damna lucri cessantis, & damni emergentis, & expensarum curationis, operarúmque mutilato, occiso, vel percusso? Partita est opinio. Prima negat omninò. eam docet Rosella *verbo, Restitutio 3.* & idem sentire videtur Scotus *in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 2.* Gabriel *ibid. quæst. 15. art 2.* Angel. *verbo Restitutio 1. §. Homicida.* Adrian. *quæst. vlt. de rest.* Fundamentum illorum est, quia ex quo ad pœnam ciuilem, & punitionis corporalis reus fuit accusatus, & damnatus, & nihil in iudicio de restitutione, aut reparatione damni petitum fuit, videtur damnum hoc ab ipso mutilato, vel vulneratu fuisse mutilatori condonatum. Rosella. Scotus. Gabriel. Angel. Adrian.

Secunda

16. Secunda opinio affirmat, & ait in rigore iuris vltra pœnam mortis, exilij, vel condemnationis pecuniariæ, quam iudicis sententia statuit, teneri reum homicidam, mutilatorem, vel occisorem in conscientia ad restitutionem prædictorum damnorum. Ita docet Nauarrus *cap.15. num.22.* Lessius *tom.1.de iust. lib.2.cap.9.dub.22.num.138.* Couarr. *lib.2. var. cap.10. num.7. circa medium.* Ant. Gomez *tom.3.cap.3. num.37.* Nauarra *lib.4. de rest. cap.1.num 81.* Farinacius *tom.4. quæst.119. de homicid. num.93.* Marsilius *singulari 575.* vbi irascitur in iudices, quibus videtur satis reos homicidas mortem damnare, nulla habita ratione restitutionis faciendæ filiis, & hæredibus eorum, quos prius iniustè occiderunt. Et idem tenent *consil.115. num.18. & sequentibus.*Maranta *de ord. iudic.4 part. dist.1. num.3.* Iulius Clarus *§. homicidium, num.18. versu, Tenetur etiam.* Alexand. de Neuo *consil. crim. diuers.85. num. 11. lib.1. in paruis,* vbi docet huiusmodi restitutionem deberi in conscientia, & propterea non debere confessarios absoluere homicidas, nisi satisfaciant filiis eorum, quos iniustè occiderunt: quod tenet etiam Ledesma *2. 4. quæst.20.art.2.dub.2.* Et fundamentum est, quia lex naturalis, & diuina obligat reos ad restituendum damnum parti antequam à iudice puniantur; nec satisfaciunt per publicam punitionem mortis, aut exilij, quia per eam punitionem satisfecerunt Reipublicæ, non illorum damnis, vt constat ex *l. Item vulneratus, ff. ad leg. Aquiliam,* & ex *cap. Vestrames, de sent. excomm.* per pœnam enim publicam satisfaciunt Reipublicæ,& per satisfactionem peculiarem debent satisfacere damna in particulari data;neque enim si diuersis hominibus diuersas res debeas, vtrique satisfacies, si vni tantùm suum debitum solueas.

17. Neque obstat id, quod ait Felinus *in cap. Ad liberandam,de Iudæis,* eum qui ob delictum punitur in corpore, eo quòd bona non habeat vnde soluat, ad pœnam pecuniariam non teneri, si postea multa bona habeat,ex quibus possit soluere; non obstat,inquam, quia aliud est dicere excusari quemquam propter pœnam temporalem à pœna pecuniaria, quod Felinus ait, & probat Glossa in regula *peccatum,de regulis iuris, in 6. & capitis, Sicut dignum,de homicidio,§ eos,& capitis, Si res,aliena 14. quæst.6.* aliud dicere excusari aliquem à restitutione damni emergentis, & lucri cessantis,impensarum,curationis, & recompensationis operarum, quorum omnium iniusta causa fuit,propter corporalem pœnam, qua Reipublicæ iudicis sententia satisfecit.

18. Ex hac doctrina sequitur hæredes illius, qui iudicis sententia suspensus fuit, obligari ex iustitia in foro conscientiæ ad restitutionem damnorum, quod illi, quem occidit, & hæredibus illius iniustè, & iniquè dedit, vt docet Nauarrus citatus, & patet ex *l.1. C. ex delict. defunct.* Imò & fiscus si eius bona publicata fuerunt, ad restitutionem huiusmodi damni tenetur, *l. Non possunt, & l. in summa, ff.de iure fisci.*

19. Et verò quamuis hæc secunda sententia in puncto, & rigore iuris vera sit; prima tamen de consuetudine est probabilis, & consentanea æquitati, saltem cum hac moderatione, vt hæredes homicidæ, vel mutilatum non teneantur ad hanc restitutionem, quando ipsi occisor & mutilator iudicis sententia ad mortem fuerunt damnati, vel in exilium, aut triremes amandari, aut aliter in corpore puniri, nisi hæredes occisi id exigant, Ita enim consuetudo totius ferè orbis habet, vt hæredes pœnæ talionis acquiescant Ita docet Michael Salon *2.2. quæst.62. art.2.* Lessius *tom.1.de iust. lib.2. cap.9. dub.22. num.139.* si enim postulent aliam compensationem, præter pœnam temporalem (quod honesti homines facere non solent) tenentur ad illam hæredes homicidæ ante omnem sententiam,& post illam. Vide Molinam *tom.4. de iust. disput.84.* & Saytum *in claui regia, lib.11. cap.2. à num.16.*

20. Æstimatio verò operarum, quoad lucrum ex modo viuendi, officio & artificio non habet locum in viro nobili occiso, vel mutilato, qui ex reditibus suorum bonorũ viuit, vt optimè docet Prosper Farinacius *tom.4. quæst.119. de homicidio, num.96.* Ayora *consil.119. num.5. versu, Aut volunt agere ratione operarum.* Bajardus *in additionib. ad Iulium Clarum, in §. homicidium,num.69* Marsilius *singulari 575.* Lessius *tom.1. de iustit. lib.2. cap.9. dub.23. num.145.* Nauarrus *in summa Lat. cap.15. num.2. versu, Quinto dicimus.* Vnde mirum, sed certum est id, quod infert, Maior *in 4. dist.15. quæst.19. in fine,* maiori restitutioni obnoxium esse illum homicidam, qui occidit sutorem, quàm qui virum nobilem occidit, licet grauius peccatum admittat,quia grauitas peccati accrescit ex nobilitate personæ; obligatio autem restitutionis ex damno dato. Si tamen nobilis talis fuerit, vt partim ex reditibus suorum bonorum, partim ex industria sua viuat, computabitur lucrum industriæ,& illud tantummodo in conscientia restituetur; nam vbi nullæ sunt operæ, nulla illarum restitutio debetur, & vbi aliquæ sunt, illarum tantùm æstimatio restituenda est.

Et verò homicidæ, & mutilatores, non solùm tenentur ad damna, quando mutilatio, seu homicidium dolo, & per insidias commissum fuit, sed etiam quando culpa aliqua mortali fuit patratum absque dolo, & insidiis, v.g. quando patratum fuit in rixa repente orta, cuius calor omnem dolum excludit, non tamen omnem culpam mortalem, vt probat egregiè textus in *cap. Si prius, verbo, Si rixati fuerint, extra, de iniur. & damno dato.* & ibi Anton. de Butrio *num.1. notabili 1. & 2.* Abbas *num.1. notabili 1.* Carrer. *in pract. tract. de appellat. §. in textu, num. 76.* vbi docet, quod etiam ex culpa leui debentur operæ, & expensæ. Farinacius *tom.4 quæst.119. de homic. num.108.* Ioseph. Ludouic.*consil 39.in secunda ampliatione,* facit id, quod docet Menochius *de arbitrar. quæst, lib,2.casu 122.*,& patet Exod.21. ibi: *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lecto, si surrexerit, & ambulauerit foris super baculum suum, innocens erit, qui percusserit,* (intellige immunis pœna mortis,) ita tamen, vt operas eius, & expensas in medicos restituat.

21. Vnde si rixa à pluribus excitetur, aut in illa plures inueniantur, & vnus in illa occidatur, vel mutiletur, & non constet quis illorum illum occiderit, vel mutilauerit, sciat tamen aliquis egregiè se illum occidisse, mutilasseve, non alium, cui fortè id imponitur, ille solus tenetur in conscientia ad damnum,& interesse, non alij,nec ille, cui id imponitur, quia conscientia est tribunal veritatis. Ita Farinacius *tom.4.quæst.119 de homic. num.109.* Nouel. *in pract. crimin. regula 118.fallentia 1.*Claudius *in adnotationibus ad Bartaxium, consilio 18. littera B. initio & versu, In primo casu,*

Si

Nauarr.
Lessius.
Couarr.
Gomez.
Nauarr.
Marsil.
Marant.
Clarus.
Alexand.
Ledesma.
Salon.
Lessius.
Molin.
Saytus.
Farin.
Aymo.
Bajardus.
Marsil.
Lessius.
Nauarra.
Buttrius.
Abbas.
Carrer.
Farin.
Ios Ludou.
Menoch.
Farin.
Nouellus.
Claud.

23. Si verò homicidium casu commissum fuerit absque vlla culpa lata, leui, & leuissima, ex illo nulla resultabit obligatio restitutionis. Ita Nouellus *regula* 128. *in tertia fallentia*, & communiter iuris ciuilis interpretes in *l. Scientiam*, §. *qui cum aliter*, *ff. ad leg. Aquiliam*. Angelus *de malef. in verbo*, *Et dictum Titius*, *num.* 2. & 7. Carrer. *in pract. tract.* 1 *de appellat.* §. *in textu*, & *num.* 26. *versu*, *Secus si casu*. Farinacius *tom* 4. *quæst.* 119. *de homicidio*, *num.* 120. Licet contrarium, quod etiam in homicidio casuali locum habeat restitutio expensarum, operarum, & aliorum damnorum, docent Rolandus *consil.* 39. *num.* 12. *lib.* 2. re tamen vera in homicidio mero casu, & absque culpa leui, & leuissima commisso, non videtur locum habere restitutio, quia non iniuria factum censetur, sed casu fortuito; & solum illud damnum recompensare per restitutionem tenemur, quod per iniuriam inferimus; omnis enim actio, quæ mero casu fit, & culpa vacat, vacat etiam obligatione restitutionis orta ex culpa, vide *cap.* 21. *n.* 4. vbi de hac re iterum agemus.

Nouel. Angel. Carrer. Farin. Roland.

24. Sic non oritur restitutio ex eo homicidio & percussione, quæ facta fuit ob necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia sine vlla culpa facta fuit quando percussio ob sui defensionem facta censetur, licet antecedenter aliqua culpa data fuerit ex parte iustè se defendentis, vt quia cum vxore se volentis occidere in adulterio inuentus fuit, vt patet ex lege, *Scientiam*, § *qui cum aliter*, *ff. ad leg. Aquiliam*, ibi: *Qui cum aliter tueri se non possent, damnum culpa dederint, innoxij sint* & ibi Fulgosius, & Florian. *in summa*. Ioannes Andr. *in cap* 1. *de iniur. & dam. dat. verbo*, *Percusserit*. Anchartanus ibi *in princip. versu*, *Et istud*. Anton. de Butr. *num* 3. Socinus *num.* 62. Farinac. *tom.* 4. *quæst.* 119. *de homicidio*, *num.* 122. qui omnes DD. & dispositiu prædictæ legis in hoc casu non solùm de obligatione restitutionis in foro externo, sed etiam in foro interno intelligendi sunt. Datur tamen actio ad restitutionem iuxta dispositionem prædictæ legis, *Scientiam*, in eo casu, quo quis volens se defendere contra suum iniustum aggressorem, tertium aliquem ibi adstantem vulnerat, ibi in dicta lege. *Sed si defendendi mei causa lapidem in aduersarium misero, & non eum, sed prætereuntem percussero, leg. Aquilia tenebor, illum enim solum, qui vim vt infert, ferire cōceditur.* Sed in hoc secūdo casu loquitur prædicta lex de actione concessa percusso in foro externo in prædicta lege Aquilia aduersus coniicientem lapidem, nō de obligatione in foro conscientiæ nam in foro conscientiæ non tenetur ille, qui lapidem in suam iustam defensionem conicecit ad aliquem restitutionem si forte illo tertium aliquem percussit. Primò, quia, vt suprà probauimus, licitum est nobis ob nostram iustam defensionem inuasorem occidere, cum morte etiam alterius interpositi, quando aliter nos defendere non possumus absque vlla obligatione restituendi aliquid ei, qui fortuito occiditur. Quod etiam docet Iulios Clarus §. *homicidium*, *num.* 31. Farinacius *tom.* 4. *quæst.* 125. *de homicid. num.* 159. Cordob *lib.* 1. *quæst.* 33. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap* 3. *num.* 145. & 147. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *dub* 9. *cap.* 8. *num.* 55. *& deinceps.* quia iure nostro vtimur nos defendendo, & non intendimus damnum aliquod alteri inferre; ex actione autem iusta, & non iniuriosa alteri, & quæ omni culpa vacat, nulla nobis resultat obligatio restitutionis. Secundò, quia si quis fugiat iniustum inuasorem per locum angustum, & non possit aliter illum euadere, nisi pede, vel equo hominem, vel puerum ibi adstantem proterat, vel occidat, licitè id potest efficere, vt docet Lessius citatus *num.* 59 Syluester *verbo*, *Homicidium*, 2. *quæst.* 126. Aragon. 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. quomodo enim obligationem restitutionis incurret, ob actionem iustam, licitam, & omni iniuria carentem. Quare prædicta lex *scientiam*, in prædicto §. *sed si defendendi mei causa*, loquitur sine dubio in foro externo, & de actione concessa in prædicta lege Aquilia aduersus coniicientem lapidem: quia in eo foro præsumitur aliqua culpa, & malitia in ea proiectione, non de restitutione in foro interno, de qua nos loquimur.

Florian. Andr. Anchar. Buttius. Socin. Farin. Iul. Clar. Farin. Corduba. Nauarra. Lessius. Lessius. Syluester. Aragon.

Caput XIX.

Quibus hæredibus occisi, & mutilati facienda sit restitutio ab occisore, & mutilatore; & an etiam facienda sit creditoribus occisi, atque mutilati. An teneatur homicida ad interesse animæ defuncti pro bonis spiritualibus: & an pro expensis funerum aliquid sit restituendum.

Summarium.

An restitutio operarum, expensarúmque facienda sit hæredibus occisi, & mutilati, quando illi non sunt filij, nec vxor, nec patres. Refertur prima opinio docens faciendam esse hanc restitutionem ijs hæredibus tantùm, quos occisus, vel mutilatus de iustitia alere tenebatur, veluti filijs, vxoribus, & patribus, non alijs. num. 1.

Quid dicendum sit in hac opinione de fratribus occisi. num. 2. *Quid de vxore, quando illa æquè bene potest nubere sine tali restitutione. ibid. ad finem.*

Præfertur vera opinio docens omnibus hæredibus institutis ab ipsis occisis, & mutilatis etiam extraneis faciendam esse hanc restitutionem. numero 3. 4. & 5.

Iudicium authoris præferens hanc secundam opinionem. num 6.

An homicida, & mutilator teneantur ad aliquam restitutionem illis, quos mortuus, & mutilatus liberaliter alebant. Refertur opinio affirmans. numero 7.

Præfertur negans. num. 8.

An homicidæ teneantur creditoribus eorum, quos iniustè occiderunt. num. 9. *Refertur prima opinio negans.* ibid.

Refertur secunda affirmans. num. 10.

Iudicium authoris, & soluuntur argumenta primæ opinionis. num. 11.

An possint læsi, & occisi remittere eam restitutionem homicidis & mutilatoribus, si ipsi occisi filios habeant. num. 12.

An pro expensis funerum aliquid restituendum sit ab homicida. num. 13.

An animæ defuncti pro precibus, & pijs operibus, quæ facturus erat, teneatur homicida aliquid restituere. num. 14. *Refertur opinio affirmans. ibidem.*

Quid tandem resoluendum sit. num. 15.

Quærunt

1. QVÆRVNT tamen Doctores, an homicidæ & percussores teneantur restituere hæredibus occisi, mutilati, vel percussi æstimationem operarum, & impensarum, quando huiusmodi hæredes non sunt filij, vxores patresve, aut tales, quos mortui vel mutilati alere de iustitia tenebantur. Et hac de re partita est sententia. Prima docet huiusmodi restitutionem faciendam esse iis hæredibus tantùm, quos defuncti, vel mutilati de iustitia alere tenebantur, velmti filiis, vxoribus, & patribus; non autem aliis extraneis, nec etiam propinquitate coniunctis, quos ipsi alere de iustitia non tenebantur. Hæc opinio videtur probari ex *l. Qua actione, ff. ad legem Aquiliam*, quæ loquitur de patre petente in iudicio æstimationem operarum amissarum filij sui occisi, vel mutilati, & sic videtur hæc lex requirere, quòd occisi, mutilatique sint patres, mariti, vel filij, vt hæredes illorum possunt petere hanc operarum æstimationem, & vt de iure sint tales hæredes, quòd se alere inuicem teneantur, non alij extranei. Ita docet Masuer. *in practica, rubrica de expens. & interesse, tit. 35. num. 19* vbi ait propter mortem, aut mutilationem læsi, solùm admittendos esse ad petenda dãna, & interesse. *Primo* vxorem illius, qui occisus est, vel mutilatus. *Secundo*, patrem. *Tertiò*, filios, vbi illa particula, *tantum*, est taxatiua, & exclusiua aliorum hæredum, tam illorum qui sunt extranei, quàm eorum, qui sunt consanguinei. Et hinc opinionem sequitur Aymo *consil. 19. num. 6.* Ioseph. Ludouic. *conclus. 62. num. 34 & conclus. 39. num. 3.* Illam etiam tenet ex Theologis Lessius *tom 1. de iust. lib 2 cap. 9 dub. 26 num. 155.* Sotus *lib. 4 de iust. quæst. 6 art 3. ad 3.* Ludou. Lopez 5. *part. instr. c. 62.* Salon 2. 2 *quæst. 62 art. 2.* Banhez *ibid quæst 6* Fundamentum illorum est, quia solus pater, vxor filius, & maritus cẽsentur vna persona in iure cum occiso; quamobrem homicida, mutilator, vel vulnerator Petri damnum infert vxori, liberis, & patri illius, cum in iure vna persona censeantur cum illo, quoad hanc restitutionem, eoque in re sua contra iustitiam lædit, quam læsionem tenentur resarcire. Vnde si filius interfectus fuit, & pater debeat succedere in bonis illius, eo quòd filius prolem non habeat, patri facienda est ea restitutio. Idem de vxore, & patre si ipsi sint occisi respectu mariti, & filiorum, quia ea commoda repetere possunt filij, patres, & vxor hominis occisi ab homicida illius, quæ ipse occisus illis præstare de iustitia tenebatur.

Masuer.

Aymo.
Iol. Ludou.
Lessius.
Sotus.
Lopez.
Salon.
Banhez.

2. Quod si occisus sit frater, affirmat hæc opinio probabile esse, nihil teneri homicidam illius restituere fratribus illius, nec posse illos hanc restitutionem in iudicio petere. Primò, quia frater non est necessarius hæres fratris, nec censetur læsus in vna persona cum fratre occiso, vnde propriè loquendo non censetur læsus in re sua. Secundò, quia communi omnium iudicio, si frater viuus successiuus erat in bonis fratris occisi, non dicitur ei damnum aliquod fuisse illatum in morte fratris, sed commodum; citiùs enim fruetur illius bonis, &, si vixisset, forte alios hæredes instituisset. Ita docent Lessius, Banhez, Sotus, & Salon *numero præcedenti* allegati *in 4 præcepto*, de iustitia tenetur frater diues alere fratrem, & sororem pauperem, & potest in iudicio à fratre diuite alimenta, & dotem proratione alimentorum petere, vt ibidem diximus. Addit etiam Lessius allegatus *num. 157.* probabile etiam esse homicidam ad nihil teneri vxori à se occisi, quando illa ex morte mariti nullum notabile detrimentum accepit, & æquè commodè potest nubere, ac si ille non interficeretur, sed morte naturali moreretur; quod idem tradunt Banhez, & Sotus allegati, quibus assentio, quia restitutio in hoc casu facienda est pro damno considerabili, & non pro minimo quoque detrimento. De minimis enim non curat iudicialis Prætor.

3. Secunda sententia docet hanc æstimationem operarum, & damnorum locum habere in omnibus hæredibus defuncti, & mutilati absolutè, siue illi sint tales, quos occisus, & mutilatus alere teneretur, siue sint extranei; eam tenet Farinacius *tom 4 quæst. 119 de Homicidio, num 127.* Abbas *in cap. 1 de iniur. & dam. dat. num. 6* Marianus Socinus *ibid. num. 57. & 63.* Speculator *in titulo de iniur. §. sequitur, num. 3. & 4.* Marsilius *singul. 575. & consil. 115. num 48.* Plotus *de in litem iurand. § 41. num. 7. & 8.* vbi asserit homicidam teneri non solùm ad operas, & interesse patris, matris, filiorum, vxoris, & propinquorum à se interfecti, sed etiam aliorum hæredum, quos interfectus instituit, licèt illos alere non teneretur. Nec dissentit Ioseph Ludouicus *conclus. 62. num 35.* vbi declarat consilium Aymonis non procedere, quando occisus de facto alebat nepotes transuersales, hoc est, filios ex fratribus, aut alios coniunctos pauperes, quia tunc etiam illis sunt reficienda damna, non aliter ac si essent personæ, quas occisus alere teneretur. Et idem docet etiam Puteus *decis. 280. num 4 lib. 3.* tenent etiam ex Theologis Sotus, Lessius, Banhez, Salon, Ludouicus Lopez allegati pro prima opinione, quatenus dicunt hanc etiam esse probabilem. Probatur hæc opinio. Primò, quia hanc restitutionẽ, & æstimationẽ damnorum & operarum de iustitia debet occisor, & mutilator mutilato, & occiso, per mortem enim iniustam, & mutilationem illorum, illis iniusta causa fuit talium damnorum; ergo de iustitia illam etiam debet hæredibus illorum, quicumque illi sint, si eis in vita facta non fuit. nam omne ius defuncti ipso facto transit ad hæredes illius, à se institutos, vt omnes fatentur: quare si homicidæ, & mutilatores, eam restitutionem non fecerunt illis, quos occiderunt, & mutilauerunt iniustè, tenentur eam facere illorum hæredibus, & hæredes possunt eam petere in iudicio, aduersus illos, & hæredes eorum, vt probauimus *cap. præcedenti, num. 52.* Secundò, quia debita non computantur cum bonis creditoris, cui ea debita debentur; igitur cum homicidæ, & mutilatores teneantur de iustitia ea damna restituere occisis, & mutilatis, non computatur illorum æstimatio cum bonis illorum, sed cum bonis creditorum. Vnde cum ipsi creditores, seu occisi, & mutilati transmiserint sua omnia bona ad hæredes à se institutos, manifestum est, ea illis de iniustitia deberi.

Farin.
Abbas.
Socin.
Specul.
Marsil.
Plotus.
Ios. Ludou.

4. Nec refert, quòd hæredes instituti, nullum ius habeant ad bona instituentium, nisi post mortem illorum; occisique, & mutilati non acquirant ius ad bona eorum, qui eos occiderunt, & mutilarunt, nisi post mortem; vt multi fingunt, vt inde inferant, non potuisse ipsos occisos, & mutilatos transmittere illud ius ad hæredes à se institutos, quod nunquam in vita habuerunt; cum illud non acquirant, nisi post mortem. Nam hoc falsum omninò est, quia ipsi occisi, & mutilati, viui mortale vulnus acceperunt, & per iniustam acceptionem illius statim ius acquisierunt ad omnia damna sibi ex illo iniustè illata, & homicidæ, atque mutilatores, statim, ac vulnera iniustè inflixerunt,

xerunt, hanc obligationem, velint, nolint, contraxerunt, & illorum bona ad illam obligata fuerunt.

5. Nec etiam refert, quòd communi omnium iudicio, *vt num. 2.* authores primæ opinionis dicebant, non censeatur hæredibus ab occisis, & mutilatis, institutis damnum illatum, sed commodum quando ipsi moriuntur, quatenus citiùs fruuntur bonis illorum, quia loquimur de iure, & omni pertis, non autem eum vulgo imperito nam cum ipsi mutilati, & occisi, quoad hanc æstimationem damnorum sint creditores respectu illorum qui eos iniustè mutilarunt, vel occiderunt, & omne ius ad ea, quæ sibi de iustitia erant debita, ad hæredes suos transmiserint; clarum est teneri de iustitia ipsos iniustos occisores, mutilatorésque hæredibus ea debite de iustitia soluere, quæ tenebantur soluere iis, qui eos hæredes ex testamento instituerunt.

6. Ita se habent huiusmodi opiniones: vtraque est probabilis; sed ista secunda, omnibus consideratis, est probabilior; habet enim fortiora fundamenta, & est iuris principiis magis conformis, quare illi adhæreo, & fundamenta primæ opinionis, quatenus nobis contraria erant, iam sunt soluta, vt ex dictis patet.

7. Dubitabis, ac etiam occisor, & mutilator teneantur ad restitutionem illis, quos ipse occisus, & mutilatus liberaliter dum viuerent, alebant, quia pauperes erant, siue eos hæredes instituerint, siue non instituerint? Et hac de re est etiam duplex opinio. Prima affirmat. Eam tenet Adrianus *in 4. vbi de rest. quæst. vltima* Farinacius *tom. 4. quæst. 119. num. 127.* Plot. *de in lite iurand.* § 41. *num. 7.* Ioseph. Ludouicus *decisione Lucensi 62. num. 37* Fundamentum illorum est. Primò, quia, qui per vim, & iniuriam impedit, ne quis alteri benefaciat, tenetur ei illud damnum restituere; sic qui per vim & iniuriam impedit legatum, quod sine dubio erat alicui relinquendum, tenetur illud ei restituere; habet enim vnusquisque ius ne per vim, & fraudem à bono aliquo consequendo impediatur: atqui huiusmodi occisor, & mutilator per vim, & iniuriam, iniustè occidendo, & mutilando, impediuit, ne ipsi, quos ex liberalitate, & eleemosyna occisi, mutilatique alebant, à consecutione alimenti, quo alebantur; ergo tenentur eis illud in conscientia resarcire.

Adrianus.
Farinac.
Plot.
Ios. Ludou.

8. Secunda opinio verior, & tenenda negat omnino. Eam tenet Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 9. dub. 26. num. 154. versu, Dico 2.* & communiter Doctores Lud Lopez *1. part. instruct. cap. 63.* Sotus *lib. 4. de iust quæst. 6. art. 3.* Fundamentum, quo stabilitur, est. Primò, quia hoc damnum merè per accidens illis euenire iudicatur; nam licet homicidæ, & mutilatores per vim, & iniuriam occidant eos, qui pauperes alebant, non tamen per vim, & iniuriam illis impediunt hoc alimentorum bonum, propriè loquendo; cum id per accidens resultet ex iniuria, & vi illata aliis; alioquin enim tenerentur homicidæ sustentare omnes pauperes, quos illi sustentabant, quos ipsi iniquè occiderunt, & tenerentur etiam restituere omnes eleemosynas, quas ipsi faciebant, quod non est in vsu receptum. Secundò, quia si illi pauperes alebant, & multas eleemosynas faciebant; forte illorum hæredes multo plures alent, & facient. Tertiò, quia illi non tenebantur ex iustitia eos pauperes alere, & eleemosynas facere; ergo neque illorum occisores ex iustitia tenentur illos alere, vt ex se patet. Ex dictis fundamentum primæ opinionis iam solutum manet, per accidens enim, & non per se impediuit homicida bonum, quod ille, quem ipse occidit, alteri faciebat, vt de se patet.

Lessius.
Lopez.
Sotus.

Maius dubium est, an homicidæ teneantur creditoribus eorum, quos iniustè occiderunt. v. c. iniustè occidisti Petrum, qui erat creditor Pauli in ducentis aureis, quos ipse ei, vel ex furto, vel aliunde ex iustitia debebat; viuus poterat illos Paulo soluere, mortuus non potest, quia non reliquit bona ex quibus soluantur, quæritur, an tenearis Paulo eos ducentos aureos soluere. Partita est opinio. Prima negat. Eam tenet Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 9. num. 151 dub. 26.* Sotus *lib. 4. de iust quæst. 6 art. 3.* Lud. Lopez *1. part. instruct. cap. 63.* Ratio illorum est; primò, quia per accidens illud obuenit damnum creditoribus; non enim homicida illud eis inferre intendebat; neque enim illa actio, qua occidisti Petrum, erat ex natura sua damnosa creditoribus illius; ergo non est illis iniuriosa. Secundò, quia creditor non est ita coniunctus debitori, vt damnum creditori illatum, censeatur illatum debitori; nam solum per accidens, seu ciuili modo, quoad hanc obligationem debiti illi coniunctus censetur; videtur autem absurdum dicere, qui cum illo contrahunt habere ius iustitiæ in ipsius inimicum, ne illum occidat. Tertiò, quia si teneretur homicida creditoribus debitoris à se occisi, sequeretur, quod eis teneretur soluere plus quàm debitori, eis deberet. Ponamus enim, quod debitor occisus creditoribus debebat duo aureorum millia. Si ergo occisor debitoris teneretur illius creditoribus pro his duobus aureorum millibus, profectò teneretur ad plus, quàm tenebatur occiso, cum lucrum occisi vel industria, ratione cuius solùm illi tenebatur, valeret centum v. c. non plus. 9.

Lessius.
Sotus.
Lopez.

Secunda opinio affirmat, modò tamen non multum excedant. Hanc tenent omnes Doctores numero tertio pro secunda opinione citati. Fundamentum illorum est. Primò, quia quamuis creditor occisus bona non habeat, vnde soluat creditoribus suis, habebat tamen fortassis tantam, & talem industriam, vt breui posset acquirere vnde solutionem faceret suis creditoribus, & in ea spe damnum intulit occisor creditoribus illius, quare de iustitia illud eis tenetur restituere. Secundò, quia præcipua ratio ob quam homicida tenetur filiis occisi restituere damnum emergens, lucrum cessans, & æstimationem operarum, impensarúmque omnium, est, quia parens occisus tenebatur de iustitia filios alere; sed ex iustitia etiam tenebatur creditoribus suis soluere illorum debita; ergo etiam creditoribus tenetur. Tertiò, quia si viueret debitor, & non esset occisus, sine dubio solueret debita suis creditoribus; ergo homicida illum iniustè occidendo, iniustè etiam damnificauit illius creditores; qui autem iniustè alteri est causa efficax damni, tenetur illud ei in conscientia restituere. 10.

Ex his duabus opinionibus, hæc secunda videtur probabilior, & tenenda: Argumenta primæ iam penè manent soluta ex fundamentis huius secundæ. Ad primum dicimus, non per accidens, sed valdè per se euenire huiusmodi damna creditoribus debitoris, ex iniusta, & iniqua morte debitoris, tam per se, vt amplius debita sua recuperare non possint: quare siue homicida sciat, siue non sciat illum, quem iniquè vult occidere, habere creditores, quibus ex iustitia sit obligatus, eo ipso, quòd illum 11.

lum deliberatè vult iniustè occidere, obligationem iustitiæ, quam ille habebat erga suos creditores, in se suscipit. Ad secundum respondeo, sufficere, quòd debitor sit quoad hanc obligationem iustitiæ ciuili, & naturali, modo coniunctus suis creditoribus, vt illius occisor, eo ipso, quòd deliberatè illum vult occidere, in se suscipiat obliganonem illius. Ad tertium dico hanc obligationem, quam homicida in se suscipit erga creditores per iniustam occisionem debitoris, esse prudentialem arbitrio prudentis definiendam, attentis debitis, quibus debitor erga suos creditores obligatus erat, attentáque, & considerata industria debitoris iniustè occisi, æstimationeque illius, & attenta etiam æstimatione impensarum, & operarum, quæ de iustitia ab homicida debitori à se occiso debebantur, & restitutionem faciendam esse arbitrio prudentis iuxta æstimationem valoris huius industriæ, & harum operarum, impensarúmque, non iuxta quantitatem debitorum, quando illa notabiliter excedit, quæ omnia solerti iudicio pensanda sunt, vt vnicuique suum, quantum fieri possit, detur.

12. Si tamen læsus, & occisus debitor remittat homicidæ suo omnia, ad nihilum tenebitur homicida ipsius creditoribus, imò nec filiis, & hæredibus illius, quia quisque potest cedere iuri suo: peccabit tamen læsus grauiter, si filios habeat, quos aliunde alere non possit, aut non habeat vnde etiam suis creditoribus soluere possit, si hanc remissionem faciat; valebit tamen in conscientia ea Lessius. Bañez. Sotus. Lud. Lop. Salon. remissio, vel donatio. Ita docet Lessius *tom.* 1. *de iust. cap.* 9. *dub.* 26. *num.* 158. Bañez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *dub.* 6. Sotus *lib.* 4 *de iust quæst.* 6. *art.* 3. Ludouicus Lopez 1. *part. instruct. cap* 62. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. Et ratio est, quia filiis, & creditoribus non fit iniuria in bonis fortunæ, nisi quatenus filiis in patribus, creditores in debitore læduntur contra patrum, & debitoris voluntatem; igitur quando patres, & debitor condonant huiusmodi damnum, & iniuriam, nullum amplius ius prædictis filiis, & creditoribus remanet; sicut enim per eos ius acquirunt, ita per eos illud possunt amittere. Si tamen lege aliqua positiua non permittatur eis nisi alicuius certæ portionis bonorum dispositio. v. c. tertiæ, quartæ, vel quintæ; tunc non valebit remissio, & condonatio, nisi iuxta hanc moderationem: quia stante hac prohibitione non possunt patres filiis in legitima sua portione præiudicare; nec debitores creditoribus suis, vt quidam volunt. Alij tamen non admittunt hanc limitationem, quia tale debitum ex iniuriis, & morte iniustè illata acquisitum, cum ab honestis viris vt plurimum soleat condonari, non censetur computari inter bona creditoris, de quibus loquuntur leges, portionem illam dari prohibentes; nemo enim cogitur huiusmodi actiones ex delicto in bonis suis numerare.

13. Veniamus tandem ad secundam partem tituli. Et in primis dico ordinariè, & regulariter loquendo pro expensis funerum, nihil restituendum esse ab homicida hæredibus occisi. Ita communiter DD. Lessius. Lessius *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 24. *num.* 147. Ratio est, quia si naturali morte discessisset, nihilominus eædem expensæ essent faciendæ; vnde non censetur ex hac parte damnum aliquod datum esse, nisi fortè ex acceleratione sumptuum, eo quod citius faciendi sint, quibus adhuc aliquid lucrari defunctus poterat; vel nisi extra patriam, aut alieno in loco occisus sit, vbi maiores sumptus funerum cogatur efficere, quia id tunc erit restituendum, cum ad damnum pertineat emergens. Nauarrus tamen *in summa Lat. cap.* 15. *num.* 22. existimat sumptus funerum esse restituendos, sed id, quod diximus, est certius. Nauar.

An verò animæ defuncti teneatur homicida aliquid restituere pro interesse bonorum spiritualium. v. c. pro orationibus, & eleemosynis, quas facturus erat, nisi occideretur, est dubium. Affirmat Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. Farinac. *tom.* 4. *quæst.* 119. *num.* 104. Mansuet. *in pract. rub. de expensis, & interesse, titul.* 35. *num.* 29. *in fine.* Plot. *consil. crimin. diuers.* 73. *num.* 53. *lib.* 2. vbi asserunt teneri homicidam ex iustitia orare pro anima occisi, & illi statuere anniuersarium, eleemosynasque dare, si verisimile est, quòd occisus id fecisset, & hac de re dandum esse in hoc casu moribundo iuramentum, seu illius hæredi ad litem Quod etiam docet Roland *consil.* 39. *n.* 5. *lib.* 2. *versu, Tenetur etiam,* & Ioseph. Ludouicus *conclus.* 39. *in ampliatione* 6. Fundamentum illorum est, quia his bonis, illum iniustè priuauit, ergo tenetur ad illorum restitutionem; maximè cum homines magis indigeant illis, quàm temporalibus. 14. Scotus. Farin. Mansuet. Plot.

Dicendum tamen est non teneri homicidam, vel illius hæredes de iustitia in foro conscientiæ facere aliquam restitutionem animæ defuncti pro bonis spiritualibus, quamuis id efficere salubre sit consilium, & honestas naturalis id postulet, & ideo meritò hoc à confessariis in foro pœnitentiæ potest iniungi. Est communis inter Theologos. Ita Sotus *lib.* 4 *de iust. quæst.* 6. *art.* 3 *ad* 3. Syluester *verb. Rest.* 3. *quæst.* 2. Petrus Nauar. *lib* 4. *de rest. cap.* 1. *num.* 44. *&* 94. *in antiqua edit.* Lessius *tom* 1. *de iust. cap* 9 *dub.* 25. *num.* 149. Ratio est, quia bonum spirituale, est alterius ordinis superioris, & non videtur compensabile. Deinde, quia non constat, quantum occisus meriturus esset, vt sciamus quantum ei restituendum sit. Restitutio autem debet fieri pro certo, & non incerto, seu vt loquuntur Iuristæ pro liquido: nam de liquido ad non liquidum nulla fit restitutio. Tandem, quia facultas merendi est irreparabilis, & meritum similiter amissum irreparabile est, quia meum meritum non potest ita alteri donari, vt fiat ipsius: nec potest in his certa mensura constitui, quæ lege iustitiæ debeatur. 15. Sotus. Syluester. Nauar. Lessius.

Caput XX.

An præcisè pro deformitate cicatricis, & pro ablatione sensus, vel vitæ aliquid vltra expensas, interesse lucri cessantis, damni emergentis restituendum sit. Et quantum teneatur restituere qui modum iustæ defensionis excessit.

SVMMARIVM.

Refertur prima opinio docens pro deformitate cicatricis, priuatione vitæ, & sensus præcisa à damno aliquid restituendum esse. num. 1.

An heredes vulneratoris, & homicidæ ad hanc restitutionem pro hac deformitate, & priuatione præcisa

eisa à damao in hac opinione ad hanc restitutionem teneantur. num. 2.

Præfertur opinio negans. num. 3. & 4.

Pro homicidio viri nobilis, qui viuebat ex suis redditibus, & nullam industriam habebat, nihil in conscientia est restituendum. num 5.

Quo vulnus maiorem cicatricem, & deformitatem reliquit, maior pœna à iudicibus imponenda est in foro externo vulneraati. num. 6.

An pro deformitate cicatricis fœmina impressa maior restitutio facienda sit, quando ob id maior dos eis constituitur. num. 7.

In foro externo dupliciter petere possumus satisfactionem vulnerum, & iniuriarum, vel ciuiliter, hoc est, satisfactio fiat in pœna tantùm pecuniaria, vel criminaliter, hoc est, vt delinquens puniatur corporaliter, & quid iudices de consuetudine faciant. num 8.

Soluuntur argumenta pro prima opinione aumero primo explicata facta à numero noao vsque ad vndecimum. num. 9. 10. & 11.

Quantum teneatur restituere ille, qui modum iusta defensionis excessit. num. 12. *Si te alter pronocet ad pugnam verbis coatumeliosis, vel factis, si sic prouocatus illum ferias, occidas, vel vulneres, ad nullam restitutionem ei teneris in conscieatia.* ibid.

Quid quando duo se ad inuicem prouocant, & pari consensu pugnant, & se ad inuicem lædunt. numero 13.

Ille, qui ab alio inuaditur, quin ab illo fuerit prouocatus, an ad aliquam restitutionem ei teneatur, si modum iusta defensionis excedens, eum lædat. num. 14. & 15

Ille qui ab altero inuaditur, & potest fugere, & non fugit, sed se iustè defeadit cum læsione inuadentis, an ad aliquam restitutionem pro ea læsione ei teneatur. num. 16. & 17.

1. CIRCA primum titulum huius capitis partita est opinio. Prima docet vltra expensas pro curatione factas, æstimationemque interesse lucri cessantis, & damni emergentis restituendum aliquid esse in foro interno arbitrio prudentis pro deformitate cicatricis, pro ablatione vitæ, pro alicuius membri mutilatione, aut priuatione sensus. Hanc tenet D. Thom 2. 2. *quæst. 62. art. 2. ad 1.* Caietanus *ibi*, Sotus *lib. 4. de iust. quæst. 6. art. 3. ad 3.* Syluester *verb. Restitutio 3. quæst. 2.* Couarr. *lib. 2. var. cap. 10. num. 7. versu, Tenetur.* Petrus Nauarra *lib. 4 de rest. cap. 1. num. 80. in prima edit.* vbi citat Mercadum, Armillam, Adrianum, Maiorem. Probant primò, quia ille iniuriam accepit iniustè, ergo pro illa iniuria, & iniustitia aliquid restituendum est ei, qui iniuriam accepit; plurium enim differt æstimatio iniuriæ ab æstimatione aliorum omnium damnorum. Secundò, quia etsi iniuria deformitatis in cicatrice, aut debilitatis ex mutilatione aut priuationis sensus, aut ablationis vitæ non recipiat æstimationem ad æqualitatem; tamen vt fieri potest, aliqua fieri debet compensatio pro illa, ne huiusmodi iniuria maneat sine restitutione; sicut si quis non potest damnum aliquod ad æqualitatem restituere, tenetur restituere partem, quam potest.

D. Thom. Caiet. Sotus. Syluest. Couar. Nauar.

2. Et ex hac opinione infert Sotus allegatus, & bene, licet occisores, mutilatoresque teneantur restituere aliquid in foro conscientiæ pro ipsa ablatione vitæ, & deformitate cicatricis præcisa à damno, non tamen teneri illorum hæredes; quia iniuria ex deformitate cicatricis, debilitate membri, aut priuatione sensus præcisa à damno, est iniuria personalis, ad quam regulariter loquendo non tenentur hæredes illius, qui illam irrogauit: sicut si aliquis multis nominibus infamibus aliquem dehonestasset, & nullum ei omnino damnum dedisset, ille solùm tenebitur hanc iniuriam compensare vel petendo veniam, vel alio modo, non tamen illius hæredes, quia iniuria personalis erat, præcisa ab omni damno.

3. Secunda opinio probabilior, & tenenda, docet, neque in foro conscientiæ, neque in foro externo aliquid restituendum esse pro iniuria deformitatis ex cicatrice, pro ipsa ablatione vitæ hominis liberi, pro priuatione sensus præcisa à damno, licet pro vita serui, equi, vel bouis ea restitutio facienda sit. Hanc tenent Lessius *tom. 1. de iust. lib 2. cap. 9. dub 23. num.* 141. Nauarrus *in summ. Latin. cap. 15. num. 20.* Glossa *in cap. 1. de iniur. & dam. dat.* Toletus *lib. 4. summæ, cap. 16, post num. 3.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstition. cap. 14. num. 12.* Couarruuias pro prima opinione allegatus *num. 7. circa medium*, vbi dicit hanc esse probabilem. Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. 6. num. 12.* Farinacius *tom. 4. quæst. 119 n. 118.* Aretinus *Instit. de obligat. quæ ex quasi delicto nascuntur, num. 5. §. item is.* Innocent. *in cap. 1. de iniur & dam. dat in verbo, Restituat.* Ancharranus *ibi, num* 2 Butrius *num. 5.* Marianus Socinus *n. 58.* Alexander de Neuo *consil. crimin. diuers. 85. n. 10. lib. 1.* Speculator *in tit de iniurijs, §. sequitur, n. 3. versu, Non autem æstimatio libertatis, vel cicatricis.* Glossa *in l. liber homo, ff. ad leg. Aquiliam, in verbo, Nec*, & est optimus textus *in l. Ex hac l. ff. si quad. paup. fecisse dicatur. Non scilicet, ut deformitatis ratio habeatur, cum liberum corpus æstimationem non recipiat. & l. finali, ff. de his, qui deiecerint, vel effud.* ibi: *Cum liberi hominis corpus læsum fuerit, iudex computet mercedes medicis præstitas, atque impendia, quæ in curatione facta sunt, præterea stipendia, quæ suam lucrifecisset; cicatricum autem, & deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem*; nam vita serui, & deformitas serui, & animalis recipit æstimationem, & ideo in illis est diuersa ratio. Fundamentum est, quia hæc in homine libero sunt alterius ordinis, & nulla pecunia compensari possunt, & si aliquis velit, vt hæc compensatio sibi fiat, vilis est, & abiectus homo, & prorsus irrationabilis, nam quod non est in vsu, rationabiliter peti non potest.

Lessius. Nauarr. Glossa. Tolet. Suarez. Couarr. Gomez. Farin. Aretin. Innocent. Anchar. Butrius. Socin. Alexand. Specul.

4. Ex hac secunda opinione, cui vt probabiliori adhæremus, sequitur primò solum damnum in fortunis, & interesse lucri cessantis, & damni emergentis secutum ex homicidio, mutilationeve, aut vulneratione esse de iustitia compensandum, pro ablatione verò vitæ, mutilatione membri, deformitate ex vulnere, priuatione sensus solùm deberi satisfactionem quandam apud Deum ex signis doloris, & petitione veniæ erga proximum, si iudicatur talis petitio conueniens.

5. Sequitur secundò, si vir nobilis viuens ex suis redditibus, qui nihil lucrifaciebat, neque ex arte, aut industria viuebat, occisus mutilatusve fuerit, nihil in conscientia ei esse restituendum præter expensas curationis, mercedémque medicis præstitam, vt optimè notarunt Lessius *tom. 1. de iust. lib. 2. cap. 9. dub 23. num* 145. Nauar *in summ. Lat. cap. 25. num. 22. versu, Quintò dicimus.* Maior *in 4. dist. 15. quæst. 19. in fine.* Farinac. *tom. 4. quæst. 119. n. 96.* Baiard *in adnot. ad Iulium Clarum, §. homicidium, num. 69.* Aymo *consil. 119. num 5.*

Lessius. Nauarr. Maior. Farin. Baiard. Aymo.

Non

6. Non est tamen negandum debere iudices in foro fori, quando vulnus est cum cicatrice illatum, maximè secundùm faciem, maiorem, & grauiorem pœnam imponere vulnerantibus, quàm imponenda esset, si sine cicatrice infligeretur, vt docet Farinacius allegatus, *num.* 118. *in fine, & tom.* 1. *de delictis, & pœnis, quæst.* 18. *num.* 97. Placa *in epitome delict. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 32. *in fine.* Rolandus *consil.* 39. *num.* 3. *lib.* 2. Ioseph Ludouicus *decisione Lucensi* 62. *num.* 23. *concl* 39. *in secunda limitatione*, quia pœnæ respiciunt grauiorem culpam, grauiusque delictum; vnde consequens est, vt grauius delictum, grauiores pœnas expostulet.

Farin. Placa. Roland. Iof. Ludou.

7. Excipiunt verò multi, & graues Doctores illas mulierum cicatrices, quæ illas deformes reddunt, quia tunc pro ipsa deformitate aliquid eis restituendum est, si nuptiis tradendæ erant, cum propter illam oporteat longè maiorem dotem illis constituere, & hi sunt Anton. Gomez *de delict. cap.* 6. *in rub. de iniuriis, num.* 12. *versu, Adde tamen.* Placa *in epitome delict. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 33. Albericus *in l. ex hac lege, num* 1. *ff. si quad. paup. fecisse dicatur.* Marianus Socinus *in cap.* 1. *num.* 6. *de iniur. & dam. dat.* Farinacius *tom.* 4. *quæst.* 119 *de Homicidio, num.* 119. Verùm hæc restitutio reducenda est ad interesse damni emergentis, & ideo cum hoc damnum sit extrinsecum à cicatrice, nihil pro illa restituendum est.

Ant. Gomez. Placa. Alber. Marianus. Socinus. Farinac.

8. Sciendum etiam est de iure in foro fori dupliciter posse agi ad satisfactionem iniuriæ, vulnerum, mortis, & percussionum. Vel *ciuiliter*, vel *criminaliter. Ciuiliter*, vt iniuria reficiatur pœna pecuniaria. *Criminaliter*, vt reficiatur pœna afflictiua corporis, talionis, vel quasi talionis, si erat mors: exilio, vel aliis pœnis temporalibus si erat percussio, aut vulnus, vt deducitur ex § *Pœnæ, & ex* §. *Atrox, instituta de iniuriis*, & docet Felinus *cap. Ex tenore de sent. excom.* & Abbas *in cap.* 5. *de iniur. & damno dato.* Hodie tamen de consuetudine, & vsu iudicum puniuntur iniuriæ criminales, & crimina partim pœna pecuniaria, partim pœna exilij, vel alia afflictiua corporis, qui vsus optimus est, & receptissimus.

Felinus. Abbas.

9. Sequitur, vt soluamus argumenta pro prima opinione facta. Ad primum iam dictum est æstimationem honoris pro vita præcisa à damno, & deformitate esse alterius generis, & nullo esse pretio compensabilem. Sicut enim fama, & honor sunt alterius rationis, & non recipiunt æstimationem pretij temporalis; ita & deformitas cicatricis, priuatio vitæ, membri, vel sensus, nullo etiam pretio æstimari possunt.

10. Ad secundum respondeo, eum, qui non potest restituere totum, teneri restituere partem, quam potest, quando totum est partibile, & est eiusdem ordinis; at verò in rebus diuersi ordinis non datur vera restitutio, & æqualitas, sicut non datur inter res temporales, & spirituales, quia spirituales sunt diuersi ordinis: nec inter famam, & pecuniam, quia fama est est superioris ordinis, vt dixi, & non recipit pretij æstimationem, iuxta illud, *melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.*

11. Ad tertium dico mirũ non esse, si pro vita serui, & animalis restitutio fiat, nun autẽ pro vita hominis liberi, cum illa recipiat, hæc non recipiat æstimationem. Ad id quod addebatur, sequi ex hac opinione maiorem æstimationem faciendam esse pro vita mechanici, quam pro vita nobilis, non iuus inficias, quia hic non consideratur damnum ablationis vitæ præcisum ab alio damno, sed consideratur interesse damni emergentis, aut lucri cessantis, & damnum expensarum curationis proueniens ex ipsa ablatione, & priuatione vitæ, vt sæpe diximus. Vnde si industria mechanici hominis, & interesse damni emergentis, & lucri cessantis erat maior respectu illius, quàm respectu hominis nobilis, quid mirum si maior illi restitutio facienda sit, quàm viro nobili? Non negamus tamen posse industriam hominis nobilis superare industriam mechanici, & in eo casu ratione maioris lucri cessantis, & damni emergentis maiorem restitutionem faciendam esse nobili, quàm mechanico.

Alterum dubium est in titulo tactum: quantum restituere teneatur ille, qui modum iustæ defensionis excessit. Qua de re breuissimè has regulas statuo. Prima est. Si te alter prouocet ad pugnam verbis contumeliosis, aut conuitiis, etiamsi modum in te defendendo excedas, ad nullam restitutionem ei teneris in conscientia, si sic prouocatus illum ferias, occidas, vel mutiles. Ratio est, quia prouocans, dum tibi potestatem facit, vt contra eum accedas, videtur tibi, velit, nolit, remittere totum, quod potest; potest autem remittere totam restitutionem. Ita Lessius *tom.* 2. *de iust. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 21. *num.* 133. Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 38. Sotus *lib.* 4. *de iust. quæst.* 6. *art.* 3. Syluester *verbo, rest.* 3. *quæst.* 2 Banhez 22. *quæst.* 62. *dub.* 6. 12.

Lessius. Ant. Gomez Sotus. Syluester. Banhez.

Quando verò duo se ad inuicem prouocant, & pari consensu, & prouocatione pugnam aggrediuntur, vterque sibi ad inuicem remittit ius suum, si se ipsi percutiant, vel occidant, vel mutilent, & ideo vnus alteri in foro conscientiæ non tenetur ad aliquam restitutionem iuxta authores allegatos. 13.

Secunda regula est. Ille, qui ab alio inuaditur, absque vlla prouocatione ipsius, si in se defendendo modum iustæ defensionis excedat notabiliter, ita vt mortiferè peccet occidendo, mutilando, vel lædendo suum aggressorem, tenetur ei ad omnia damna lucri cessantis, & damni emergentis, æstimationem operarum, & omnium expensarum, quæ in curatione sunt factæ: Ita Nauarrus *in summa Lat. cap.* 15. *num.* 24. & 27. Lessius suprà allegatus *num.* 134. & est communis hæc regula hoc tempore, vt testatur Lessius. Ratio est, quia, qui ita occidit, vel mutilat, aut percurit, infert grauem iniuriam percusso, & consequenter per iniuriam illi est causa efficax damni accepti, ergo tenetur illud ei restituere. 14.

Nauarr. Lessius.

Dices, qui alterum inuadit, nulla prouocatione præcedente, censetur ei tacitè remittere omnem iniuriam, & omnia damna data, si ipse aggressus ita excedat modum suæ defensionis, vt in eo excessu mortaliter peccet? Respondeo negando sequelam: nam huiusmodi aggressur per hanc iniustam aggressionem, qua non prouocatus ab alio illum aggreditur, non censetur tacitè illi condonare, aut remittere damnum, si fortè aggressus per excessum suæ defensionis, illud sibi inferat: solùm enim ea tacita condonatio censetur fieri, quando aggressus aggressorem prouocat: sed censetur tantùm ipse aggressor maiorem iniuriam facere aggresso, pro qua iniuria, seclusa à damno, maiorem pœnitentiam in foro conscientiæ, & maiorem pœnam in foro externo demeretur, iuxta hactenus dicta. 15.

Tertia regula est. Ille, qui ab altero inuasus est, & 16.

& potest fugere, & id non fecit, sed cum debita alioquin moderatione se, vel sua defendens, inuasorem occidit, vel lædit, ad nullam ei in foro conscientiæ restitutionem tenetur. Hæc regula est verissima, & illam proponit Lessius *tom. 1. de iustit. lib. 2. cap. 9. dub. 21. num. 136.* Probatur primò, quia non peccat contra iustitiam illum non fugiendo, aut aliter declinando, & fortasse, nec etiam contra charitatem, quia cum tanto dedecore sibi ex fuga resultante, nemo tenetur alium fugere, ergo non obligatur ad aliquam restitutionem; se enim, suáque iustè defendit. Secundò, quia nemo ex sua propria nequitia, qua alterum iniustè inuadit, acquirit ius in illum, quo illum obliget ad fugiendum; ita vt si non fugiat, teneatur ei inuasus ad aliquam restitutionem, in eo casu, quo aggressus iustè se defendens inuasorem suum vel occidat, vel mutilet: iustè enim id facit in suam iustam defensionem: quare etiamsi sit persona Ecclesiastica, non tenetur inuasus fugere ex lege iustitiæ, sed ex lege tantùm decentiæ status, & religionis; ex peccato autem contra religionem commisso nulla resultat obligatio restitutionis, vt suprà diximus. Lessius.

17\. Quarta regula est. Qui alium conuitiis affecit, si ab illo aggressus iusto moderamine se defendat, eum læsione ipsius aggressoris, nullam ei tenetur restitutionem facere. Ita Lessius citatus *num. 137.* Petrus Nauarra *lib 2. de restit. cap. 3. num. 362.* Syluester *verb. restitutio 3. quæst. 2.* quamuis contrarium teneat Nauarrus *in summa Lat. cap. 15. num. 7. aliter 4.* Probatur primò, quia dum se iusto moderamine defendit, non peccauit contra iustitiam. Secundò inuasus prouocatus non habet ius iustitiæ, ne prouocans se aduersus illum iusto moderamine defendat; solùm enim per illam prouocationem visus fuit ei remittere damnum, si fortè illud ei prouocatus dedit, dum illum aggressus est, vt diximus in regula prima *num. 12.* non autem se priuauit iure naturali, quod habebat ad se iustè defendendum cum moderamine inculpatæ tutelæ cum morte etiam, & læsione aggressoris: quare dum seruauit prædictum moderamen, nihil ei tenetur restituere, vt de se patet. P Nauarra. Syluester. Nauar.

Caput XXI.

Quatenus homicidium, vel aliud damnum datum per nostrum mancipium, vel animal, nobis imputetur ad restitutionem.

SVMMARIVM.

Damnum alteri dupliciter inferri potest, vel cum culpa tua, vel sine culpa; quæ sit culpa lata, leuis, & leuissima. num. 1.

Damnum alteri datum nostra culpa lata per nostrum mancipium, vel animal, tenemur in conscientia ante vllam sententiam restituere. num. 2.

Non sufficit dare animal, vel mancipium pro damno, si damnum pretium illorum excedat. ibid.

Læsus quatenus retinere possit animal dum sibi læso non refarcitur. num 3.

An illud damnum, quod nostra culpa leui, & leuissima per nostrum animal vel mancipium datur, teneamur in conscientia restituere, saltem sub peccato veniali. num. 4. 5. 6. & 7

Si nulla tua culpa, nec lata, nec leui, nec leuissima prædictum damnum per tuum animal, vel mancipium datum fuerit, ad nullam restitutionem teneris in foro conscientia: datur tamen actio noxalis depauperationis contra te in foro externo. num. 8. 9. & 10.

Quid si mancipium, vel animal desierit esse sub tua potestate ante hanc actionem in iudicio intentatam, an possit intentari sub alio domino, & quid si mancipium fiat liber. num. 11

Quid si damnum datum fuerit alteri per tuum filiumfamilias. num. 12

Quid si per bouem cornupetam. num. 13

Quid si inuenisti animal alienum in tuo agro, & illud occidisti. num. 14

1\. Pro resolutione notandum est duobus modis posse inferri damna aliis ab animalibus, mancipiis, imò & filiis nostris. Primò, sine culpa nostra. Secundò, cum culpa nostra in illorum custodia, vigilantia, & cautione. Est autem triplex culpa, *lata, leuis, leuissima.* Culpa *lata*, est omissio eius curæ in custodienda re, quam passim homines mediocriter diligentes, ac prudentes adhibere solent in custodiendis rebus suis: vt si quis librum accommodatum relinquat ante fores. Culpa *leuis*, est omissio eius diligentiæ, curæque, quam homines diligentiores ponere solent in custodiendis rebus propriis, vt si quis è domo foras egrediatur, & hostium sera non claudat. *Leuissima*, est omissio eius diligentiæ, quam homines diligentissimi solent apponere in seruandis, conseruandis, ac custodiendis rebus suis: vt si quis dum domo egreditur, non videat, an suum scrutinium sit clausum, & iudicet clausum manere.

2\. Sit *prima regula.* Si tua culpa lata homicidium fuit commissum, vel aliud damnum datum à tuo mancipio, filio, vel animali, veluti si iusseris homicidium committi, damnum dari suaseris, aut consensum præstiteris, vel post admonitionem negligens fueris in custodiendo tuo animali, teneris in foro conscientiæ ad restituendum damnum, & in foro externo ad id obligaberis iudicis sententia, nec sufficiet dare animal, aut mancipium pro damno, si damnum ipsum pretium illorum excedat. Ita Lessius *tom. 1. de iustit. lib. 2. cap. 9. dub. 17. num. 115.* Syluester *verb. restitutio 3. quæst. 4. & verb. restitutio 2. versus finem.* Toletus *lib. 5. summa, cap. 19. in fine.* Constat ex *l. 2. si seruum §. de noxalibus action.* ibi: *Dominus, qui seruum in sua potestate esse confitetur, aut exhibere eum debet, aut absentem defendere: quod nisi faciat punitur, ac si præsentem non noxæ dederit.* Et ex *cap. si culpa 9. de iniuriis, & damno dato.* Probatur, quia iam tua culpa causa fuisti efficax, & iniusta damni dati, quare teneris in conscientia illud restituere, & in foro fori ad id obligaberis Prætoris edicto. Lessius. Syluester. Tolet.

3\. Læsus autem, & damnificatus à bruto, vel animali tuo, potest illud capere, & tenere, non loco pignoris donec sibi satisfactum fuerit, sed donec sciat illius dominum contra quem in iudicio agat, vt sibi damnum resarciat, & donec testes inquirat, qui illud agnoscant. Ita Syluester modò allegatus, Speculatórque, quem citat.

4\. *Secunda regula.* Si tua culpa leui, vel leuissima homicidium, aut aliud damnum datum fuerit alicui per tuum mancipium vel animal, nihil teneris in foro conscientiæ restituere, nisi ex officio tenearis

neatis illud impedire, aut ex contractu alicui obligatus sis. Ita communiter DD. Angelus, Innocentius *in cap. sicut dignum, de homicidio.* Sotus *lib. 4. de iustit. quaest. 7. art. 2. & lib. 5. quaest. 1. art. 9.* Lessius *tomo 1. de iustit. lib. 2. cap. 7. dub. 6. num. 24.* Gabriel *in 4. distinct. 15. quaest. 4. art. 3. dub. 2.* Syluester *verb. culpa, num. 6.* vbi citat Panormitanum & alios, & *verb. restitutio 2.* Probatur primò, quia nemo tenetur ponere maiorem diligentiam in suis operibus, ne alteri noceat, quàm homines diligentes in suis rebus, ne eis nocumentum afferatur, ponere solent; nemo enim tenetur esse diligentior, prudentior, & circumspectior in rebus alienis, quàm in suis propriis: ergo damnum alteri obueniens, datúmque per tuum mancipium, vel animal ex tua culpa leui, & leuissima, non debet tibi imputari ad restitutionem, saltem pro foro conscientiæ, sed censebitur inuoluntarium. Secundò, quia non teneris ratione contractus, sicut tenetur ille, qui ignorans vitium alteri vendit rem vitiosam; non ratione rei acceptæ, cum ex illo damno nihil extet, & nihil commodi acceperis; non ratione iniustæ acceptionis, aut læsionis, quia læsio illius damni citra vllam culpam tuam, quæ tibi ad peccatum imputetur contigit; ergo ad illius restitutionem non teneris, alioqui teneretis etiam de casu fortuito, quod nemo dicet. Quòd autem ratione culpæ leuis, vel leuissimæ non interueniat peccatum, nec etiam veniale, patet, quia non tenebaris eam diligentiam, & circumspectionem habere, ne alteri tuum mancipium, vel animal, noceret, quam prudentiores, aut prudentissimi homines solent habere, ne suis rebus noceatur, sed solùm tenebaris habere eam, quam prudentes homines habere solent; igitur hanc habendo, & illam omittendo, non peccasti.

5\. Dices, sicut in culpa lata datur communiter peccatum mortale in damno dato, nisi aliunde constet non dari, vt communiter asserunt DD. Syluester *verb. culpa, num. 8.* Sotus *lib. 4. de iustit. quaest. 7. art. 2. ante solutionem primi argumenti* Petrus Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 1. num. 48.* Henriquez *in tractat. de irregularitate, cap. 15.* vbi citat alios. Emanuel Sà *verb. restitutio.* Et ideo datur obligatio restituendi damnum alteri datum: ita in culpa leui sub veniali saltem peccato dabitur obligatio restituendi damnum alteri datum: nam sicut cum nulla est culpa, nulla est obligatio; cum est culpa lethalis, est obligatio sub peccato lethali; ita cum est culpa venialis, erit obligatio sub veniali, & sicut culpa lata inducit peccatum lethale, ita culpa leuis, veniale. Respondeo culpam leuem non inducere peccatum veniale, sicut culpa lata semper inducit mortale, vt iam diximus; & quamuis induceret, nullam induceret in materia restitutionis obligationem restituendi rem grauem sub veniali tantùm peccato: nam obligatio in materia graui non potest esse, nisi sub graui, & mortali peccato; pendet enim obligatio mortalis ex grauitate materiæ, posito præcepto naturali, vel positiuo; ridiculum enim esset, hominem sub veniali dumtaxat, obligari ad restitutionem millium aureorum. Et ratio est, quia cum solùm ea venialis culpa, ex animi inaduertentia, & inconsideratione proueniat, censetur quasi fortuitò prouenisse, quoad obligationem restitutionis damni.

6\. Replicabis adhuc, non teneri quidem ex culpa leui, nisi quis animaduerterit, *damnum secuturum, vel illud intenderit.* Verùm hæc replicatio hîc ad rem non venit: nam si animaduertit ex actione sua alteri damnum secuturum, tenetur maiorem diligentiam ponere, ne sequatur, &, si non ponit, iam culpa leuis vergit in culpam latam, & mortiferam: quiuis enim prudens tunc illam poneret. Si autem illud intendat, iam peccat mortiferè, vt patet; si enim facit aliquid vt noceat, quomodo sufficientem adhibet diligentiam, ne noceat?

Ex dictis patet non esse veram opinionem Angeli *verb. culpa, num. 6.* & Adriani *in 4. de restitut. §. verùm in foro animæ*, & aliorum antiquorum, qui sentiunt ex quauis culpa etiam leuissima, nasci obligationem restitutionis, quod probant ex quibusdam Canonibus antiquis. Sed id quod diximus est verius, & prædicti canones consilium continent, non obligationem. 7.

Tertia regula. Si nulla tua culpa nec lata, nec leui, nec leuissima, homicidium, aut damnum alteri illatum fuerit à tuo mancipio, seruo, vel animali, nihil teneris ei in conscientia restituere, sed censetur ei fortuitò euenire. Datur tamen contra te actio in foro externo depauperationis, & teneberis damnum restituere in conscientia post sententiam latam, vel dare brutum, aut mancipium, quod nocuit. Liberum enim tibi manet, vel damnum compensare, vel rem, quæ nocuit pro illo dare. Ita Lessius *tomo 1. de iustit. lib. 2. cap. 9. dub. 17. num. 116.* Syluester *verb. restitutio 2. ad finem. & restitutio 3. quaest. 4.* Toletus *lib. 5. summa cap. 19.* Patet ex *cap. vltimo, de iniuriis, & damno dato.* Ratio est, quia non teneris hîc ratione tui, cùm nulla culpa tua damnum datum fuerit: sed ratione rei tuæ, quæ suo modo etiam manet restitutioni obnoxia: animal, ratione legis ita disponentis: mancipium, ratione culpæ suæ. Cùm autem mancipium, & animal nihil habeant à se distinctum, quo damnum compensare possint; concessa est ei, qui damnum accepit, in foro externo, actio depauperationis in illorum dominos, vt de illorum corporibus sibi compenset, cum sint pretio æstimabilia, & suo modo (vt dixi) maneant etiam restitutioni obnoxia. 8.

Dices, qui læsus est per meum animal, vel mancipium absque vlla mea culpa, iure naturali sibi potest occultè compensare de damno accepto; ergo teneor in conscientia illud restituere ante sententiam iudicis. Respondeo negando assumptum; solùm enim læsus ius habet capiendi, & retinendi animal, vel mancipium, donec sciat dominum eius contra quem agat in iudicio, & donec testes quærat, per quos damnum probare possit, vnde non potest sibi occultè compensare, nisi post sententiam iudicis in eo casu, quo post illam dominus damnum restituere noluerit. Ita Syluester *verb. restitutio 3. quaest 4.* Imò & quamuis læsus sciat, & cognoscat dominos mancipij, vel animalium, adhuc illa poterit capere, & retinere, dum non intendit litem, vt dominis constet de tali damno: nam quia læsus potest rationabiliter timere, ne domini illa distrahant irreparatu sibi damno, ideo ius illi meritò concedit, vt ea possit capere, & retinere, donec constet à se fuisse in damno comprehensa, vt illud postea dominus, quamuis illa distrahat, sibi reparet. 9.

Oppones: *in cap. vltimo, de iniuriis, & damno dato,* sic dicitur: *Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus teneris ad satisfactionem, nisi ea* 10.

Angel. Innoc. Sotus. Lessius. Gabriel. Syluest. Panorm.

Syluest. Sotus. P. Nauarra. Henriq. Sà.

Angel. Adrian.

Lessius. Syluest. Toletus.

dando passis damnum, velis te liberare. vbi apertè indicatur obligatio restituendi ante iudicis sententiam. Respondeo negando id, quod infertur: quia verba hæc intelligenda sunt de obligatione in foro externo, quod indicant illa verba: *Nisi velis teipsum liberare.* nempe à petitione actoris, & actione in iudicio contra te intentata: vel certè si intelligenda est decisio huius capitis pro foro interno, intelligenda erit post sententiam latam, aliter non est recepta.

11. Si mancipium, vel animal cœperint esse extra potestatem domini ante actionem in iudicio intentatam: quod fieri potest, vel per venditionem, vel quia mancipium adeptus est libertatem: tunc quidem desinit erga priorem dominum actio, & non poterit is, qui damnum passus est, illam intentare contra illum: sed habebit actionem contra secundum dominum in cuius potestatem venerint; & si mancipium libertatem fuit adeptum, desiit prior actio, ac finita est, & aget cum illo læsus, tamquam cum homine libero per aliam actionem. Patet ex §. *omnis autem, Institut. de noxalibus actionib.* docet Lessius *tom 1. de instit. lib. 2. cap. 9. dub 17. num. 120.* Et ratio est, quia animal, & mancipium, quando damnum inferunt, absque vlla culpa domini sui manent per se primò obligata ad huiusmodi damnum, vt suprà diximus; animal quidem ratione iuris ita disponentis, mancipium ratione culpæ. Quare quando transeunt ad alios dominos, cum ipsa animalia, & mancipia, nihil habeant à se distinctum, quo solucre possint, contra illorum dominos actuales ex dispositione iuris agere debent illi, qui damnum passi sunt: maximè, quia priores domini, quando illa vendunt, vel permutant, tenentur vitium iudicare ementibus, & si non indicarunt, possunt posteriores domini agere contra priores, eo quòd sibi vitium non indicarunt.

Lessius.

12. *Quarta regula* Si filiifamilias damnum dederint sub potestate parentum constituti, non tenentur parentes illud resarcire, si absque illorum culpa illud dederint, secus si ipsorum culpa lata illud dederint, non leui, nec leuissima; nec tenentur filios noxæ dare pro eodem damno. Ita habetur *Institut. de noxalib. actionib. §. vltimo.* Ratio est, quia iniustum prorsus est, vt imputetur patribus illud damnum, quod filij, illis inscijs, dederunt, nec parentes tenentur dare filios pro noxa, cum illorum corpora sint libera, & pro suis delictis conueniri, & damnari possint: vt habetur *in §. citato.* manent ergo filij ex suo delicto obligati prædictæ restitutioni, quia si sunt capaces dominij ad acquirendam hæreditatem ex testamento relictam, erunt quoque capaces restitutionis ad soluendum: ita Lessius allegatus *num.* 121. Syluester *verb. rest 2 ad finem.*

Lessius, Syluester.

13. De bobus cornupetis est specialis dispositio in iure canonico, & sic consequenter ad doctrinam traditam de illis dicendum est: Si bos fuerit cornupeta, id est, qui cornibus feriat, & in illius custodia dedit culpa lata, tenetur in conscientia dominus illius, si occiderit bouem, vel animal alienum, dare domino bouis occisi alium bouem æquiualentem, & occisum sibi poterit retinere. Patet ex *cap si bos, de iniurijs* & habetur Exod 21. ibi, *quod si bouem cornupeta fuerit, ab heri, & nudiustertius, & contestati sunt dominum eius, nec reclauserit eum dominus, occideritque virum, vel mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident, si sciebat quòd bos cornupeta esset, ab heri, & nudiustertius, & non custodiuit eum dominus suus: reddet que bouem pro boue accisso, & cadauer eius accipiet.* Intellige, vel aliter damnum bouis restituet. Itaque quando dominus bouis cornupetæ, fuit admonitus, & in culpa custodiæ; sciendo cornua iam illi fuisse nata, quod præsumitur seire intra tres dies, tenebatur olim in lege veteri bouem alium viuum pro boue mortuo, domino mortui dare; quando verò ignorabat illum esse cornupetam, aut si non ignorabat, non fuit commissa culpa lata in illius custodia, sed leuis tantùm, aut leuissima, nihil ei tenebatur restituere.

14. Hodie verò tenetur vel bouem alium, vel cornupetam occisorem dare pro noxa, vel aliter damnum restituere, post sententiam iudicis. Si verò bos cornupeta in montibus errabat sine custode, tunc non tenetur dominus illius scite intra tres dies illum esse cornupetam, nec tenetur ad vllam restitutionem, si alium bouem occidat, eum dominus illius non teneatur, nisi ratione negligentiæ in custodia, & illi agrestes erant, & sine custodibus in montibus errabant. In eo tamen casu in quo dominus bouis tenetur de damno illius, id intelligendum est quando bos occisor fuit inuasor, secus si inuasus fuit ab alio, & in suam defensionem illum occidit, quia ius naturale etiam in animalibus quodammodo vim habet. Ita Syluester *verb. restitutio 3. quæst. 4.* Glossa *in cap. bos, de iniurijs, verbo, reddet.* Quod patet ex *l. 1. §. arietes ff. ad legem Aquiliam.*

Syluester. Gloss.

15. Ex dictis colliges eum, qui inuenit animal alienum in agro suo, & illud occidit, vel lapidibus ita adegit, vt sepimenta transiliens crura fregerit; teneri in conscientia de damno dato. Ratio est, quia si culpa lata domini, damnum dedit, tenebatur dominus illius damnum reficere in conscientia, ante vllam sententiam: si verò culpa lata non fuit commissa in illius custodia, solùm dominus agri habebat actionem contra dominum animalis depauperationis ad refectionem damni sibi dati, & solùm dominus agri retinere poterat animal quoadusque nosceret dominum illius, & testes inquireret, vt actionem aduersus illum in iudicio indiceret, vt suprà diximus.

Caput XXII.

An coniux occidens coniugem perdat dotem illius, & omne lucrum ex dote sibi prouenient, ita vt in conscientia teneatur restitutionem facere, & cui facienda sit.

Summarium.

Qui

Quid de iure Lusitano. *num.4*

Donationes inter virum, & vxorem facta, non confirmantur morte, quando vnus coniux alterum occidit illicitè. *num.5*

An coniux occidens coniugem ita priuetur bonis intuitu coniugis occisi acquisitis, vt statim teneatur in conscientia ante vllam sententiam ea hæredibus occisi dimittere. *num.6.*

Et an post latam sententiam teneatur statim ea illis dimittere, antequam illi ea petunt. *num.7*

Post petitionem illorum à die lata sententia tenentur illis ea dimittere cum omnibus fructibus perceptis à die prædicta sententia lata, quia ab eo die constituuntur possessores malæ fidei. *num. 8. & 7.*

Bona hæreticorum post latam sententiam restituẽda sunt fisco cum omnibus suis fructibus à die commissi criminis, non lata sententia. *ibid. num. 8.*

Cur hæc distinctio reperiatur inter bona hæreticorum, & homicidarum. *num.9.*

In materia pœnali non datur extensio de casu ad casum, nec de persona ad personam, etiam ob paritatem, vel maioritatem rationis, & quare. *ibid.*

Peccant mortaliter hæretici occulti, qui sua bona vendunt, dotant, vel titulo oneroso distrahunt, propter præiudicium, quod illis ad quos ea transeunt, patiuntur, eo quòd ab illis per fiscum auferri postea possunt à die commissi criminis ipsorum hæreticorum, *num.10.*

Quid si titulo gratuito ea alienent. *ibid.*

An coniux homicida, qui falsis probationibus se defendit, teneatur ad restitutionem bonorum, quæ intuitu coniugis occisi acquisiuit. *num.11.*

Quid de hæretico respectu fisci, quando se falsò defendit. *num.12.*

Quando pater occidit vxorem, ad quem pertineant bona illius, ad filiósne vxoris occisæ, an ad fiscum, an ad alios hæredes vxoris. *num.13. & 14.*

1. NOTANDUM est primò, licèt ab omni homicida auferatur tamquam ab indigno omnis hæreditas, donatio & bona, quæ illi obuenerunt ex parte occisi, & intuitu illius, & statim fisco applicentur, iuxta graues Doctores *in l. hæreditas, C. de his, quibus vt indignis.* & ibi glossa magna *in verbo, in secundo est statim locus fisco.* Bellapera *col. a. in fine. & col. fin.* Cynus *post numerum* a. Barthol. *num.* 3. Angelus *col. 2 in initio.* Odofredus *colum. penult. post num.6.* Paulus de Castro *num. 5.* Alexander *a.4.* Salicetus *col. a. in fine, num. 5.* Ias. *num.10.* Albericus *in l. si ab hostibus, §. si vir. post num.3.* ex eo quòd nisi ita fieret, darentur multa scandala in orbe, & multæ occasiones insidiandi illorum vitæ, quorum morti ditari possumus. Tamen deficit hoc ex parte in marito vxorem occidente, & in vxore maritum perimente, quia huiusmodi bona, hæreditas, dos, donationes & quidquid commodi ex parte occisi homicidæ quomodolibet prouenire potuit, ab ipso coniuge homicida tamquam ab indigno auferontur, & non applicantur fisco, sed statim cedunt hæredibus coniugis occisi, vt patet ex *l. si ab hostibus, ff. soluto matrimonio, §. si vir,* ibi : *si vir vxorem suam occiderit, dotis actionem hæredibus vxoris dandam esse Proculus ait, & rectè; non enim æquum est virum ob facinus suum dotem sperare lucrifacere.* Docet Farinacius *tom 4. quæst. 120. sect. 3. num.72.* Menoch. *de arbitrar. quæst. in additionem ad casum 356. num. 109. & cons. 502. num. 3. & 537. num.19.* Gloss. *in dict. l. si ab hostibus, in verb. si vir, ante finem.*

Glossa. Bellapera. Cynus. Bart. Angel. Odofred. Caste. Alex. Salicet. Ias. Albert. Farin. Menoch. Glossa.

2. Et quamuis hæc verba huius legis solùm loquantur de viro occidente vxorem; tamen idem est dicendum de vxore occidente virum, vt probat textus *in eadem lege, infrà*, ibi: *Idémque è contrario statuendum est, si vxor virum occideret.* & ibi glossa *in verbo, si vir, in fine, & in verb. statuendum est.* docent Farinacius allegatus *num. 59. & 60.* Menochius item citatus *num. 110.* Decianus *tractat. crimin. lib. 9. cap. 11.* Iulius Clarus §. *homicidium, num. 22. vers. priuatur etiam*; vbi ait transigere statim dotem, & lucrum ad hæredes coniugis occisi, siue lucrum ipsi coniugi occiso deferatur ex pacto, siue ex conuentione, siue ab intestato, siue ex dispositione iuris, siue quouis alio modo: contra Bartholum, quem allegat in *l. fin. ff. de his, quibus vt indignis*, qui dicebat, deberi huiusmodi bona occisi fisco in eo tantùm casu, quo lucrum ex legis, & iuris dispositione deferebatur occiso. Sed resolutio contra Bartholum est communis, vt communiter tenent DD. Iulius Clarus modò allegatus, Ruinus *cons. 11. in fine lib. 5.* Decius *consil. 525.* Farinacius citatus *dicta quæst. 120. num. 59. & 60.* Boërius *decis. 262. num. 2. vers. nam verum est.* Et ratio est, quia non est credendum, quòd coniux per iniuriam à coniuge occisus, velit vt bona sibi vel ex dispositione iuris, vel quocumque alio modo, & via pertinentia, vel ad coniugem suum iniustum occisorem, vel ad fiscum deueniant, sed ad suos hæredes; & nisi ita esset, facilè mariti vxores, & vxores maritos occiderent, vt occisi bonis ditarentur; nam si ad fiscum etiam peruenirent, facilè cum fisco compositionem facerent, vnde sine dubio ex maleficio suo ditarentur; cum tamen totum ius resistat malitiæ sui authoris, nec malitiis hominum sit indulgendum. *cap. si autem, de rescriptis in decretal. cap. Apostolica. cap. ex tenore eodem. cap. ex literis, de dolo, & contumacia. l. quoties, §. qui dolo, ff. de probat.* Quare quando maritus occidit vxorem de iure communi, statim bona vxoris transeunt ad filios illius, modò pater homicida renunciet vsuifructui, quem habet in bonis filiorum, ne ex malitia sua commodum reportet, vt infrà dicemus; vel ad hæredes illius, si filios non habeat.

Glossa. Farin. Menoch. Decian. Iul. Clar. Ruin. Decius. Farin. Boërius.

3. Dubium tamen est, an hæc doctrina procedat in viro occidente vxorem suam inuentam in adulterio, ita quòd in eo casu bona vxoris occisæ non ad fiscum, sed ad hæredes illius pertineant? Affirmant communiter Doctores; ita docet expressè Iulius Clarus §. *homicidium, num. 22. in fine*, cuius verba refero, quia in hoc casu medullata sunt. Ita enim ille: *Et hoc locum habet etiam, quando maritus vxorem occidit propter adulterium, iure, vel consuetudine id permittente; nam neque in eo casu lucratur dotem iuxta formam statuti, quidquid dixerit Barthol. in l. si ab hostibus, §. si vir, num. 5. ff. soluto matrimonio, contra quem tenent ferè omnes.* Et cum Iulio Claro ita tenet Ias. *in dicta l. si ab hostibus, §. si vir, circa finem.* Anton. Gomez *l. 80. Tauri, num. 63. & 64.* Farinacius suprà citatus *d. tomo 4. quæst. 120. num. 64. sect. 3.* Couarruuias *in epitome, part. 2. cap. 7. §. 7. num. 7.* Et ratio est, quia licet lex, vel consuetudo marito permittat, vt impunè vxorem adulteram occidat, non tamen illum excusat à peccato; vnde

Iul. Clar. Ias. Gomez. Farin. Couarr.

eum hoc illi sit illicitum, ideo nec dotem, nec dotis lucrum lucratur, ne ex peccato suo commodum assequatur; quia vtrumque poterat lucrari, si eam de adulterio in quo illam comprehendis accusasset, iuxta terminos legis *consultiss*, *C. de repudijs*.

4. Hæc de iure communi. Nam de iure Lusitano *lib. 5. noua ordin. tit. 38. num. 2.* non solùm permittitur viro occidere impunè vxorem adulteram in adulterio inuentam, sed etiam ei conceduntur omnia bona vxoris, dos, & lucrum illius, & quidquid ex parte illius obtinere potest. Et dicendum est nostram legem iustam esse, & omnino obseruandam, & fortè id quidem est, quod dicebat Bartholus *in l. si ab hostibus, § si vir, num. 5. ff. soluto matrimonio*; maritum scilicet dotem, & bona vxoris per occisionem illius causa adulterij obtinere, in eo videlicet casu, quo lex aliqua alicuius regni vltra impunem occisionem, eam dotem illi tribueret, vt tribuit nostra lex Lusitana, quæ ita habet ex Lusitano idiomate in Latinum fidelissimè translata. Barthol.

Et in eo casu, quo maritus occiderit vxorem suam non inuentam in adulterio, nihil omnino obtinebit ex bonis dotalibus quæ illi causa dotis data fuerunt; vel qua donatione, aut successione, ipsa illius vxor obtinuit. Et si alia bona acquisita habuerint, quæ constante matrimonio ambo acquisierint, hæc in solidum maritus obtinebit, quin hæredes vxoris partem aliquam illorum obtineant; quia tantummodo obtinebit vir bona omnia vxoris, quando illam de adulterio accusauerit, & propter illud ad mortem fuerit damnata; vel quando illam simul cum adultero deprehensam occiderit. Hæc nostra lex citata, quæ quidem iusta est, & non fauet peccatis coniugum occidentium coniuges; sed in odium tanti delicti hoc maritis concedit. Intentum enim præcipuum legis est fauere tranquillitati Reipublicæ, procurare pacem publicam, & adulteriis occurrere. Quod euidenter etiam patet ex grauissimis pœnis, quas imponit ipsis maritis vxores occidentibus causa adulterij, quando adulterium illarum clarissimè non probant.

5. Nec contra doctrinam hactenus iactam refert quòd donationes inter virum, & vxores factas morte alterius confirmentur, iuxta legem 1. & 3. & legem *si maritus, in principio, ff. de donat. inter virum & vxorem*; quia huiusmodi donationes, non confirmantur morte, quando vnus coniux alterum occidit; non enim censetur voluisse coniux donans, vt talis donatio confirmaretur per iniustam sui ipsius occisionem intentatam, illatámque sibi à coniuge, cui post mortem suam omnia donauit; ita Rolandus *de lucro dotis, quæst. 61. n. 9. & 10.* Farinacius *tom. 4. quæst. 120. sect. 3. num. 61.* & alij plures, quos allegat. Roland. Farinac.

6. Præcipuum dubium est, an coniux occisor coniugis, ita illius dote, bonis, donatione, hæreditatéque priuetur, vt statim post occisionem ante vllam iudicis sententiam teneatur illa hæredibus occisi in conscientia dimittere? Respondeo non teneri, sed desiderari iudicis sententiam, quia amissio horum bonorum est pœna; omnis autem pœna iudicis sententiam, saltem criminis declaratoriam desiderat: sic etiam constans est omnium iudicium, coniugem adulterum ipso iure post adulterium commissum perdere donationem propter nuptias sibi à coniuge factam, & tamen non tenetur in conscientia eam sibi statim ipsi coniugi dimittere, sed requiritur iudicis sententia declaratoria criminis, vt docet Sanchez *lib. 10. de matrim. disput. 8. num. 13.* Ioannes Lupus *in rubr. de donat. inter virum & vxorem, §. 34. num. 5.* Couarr. *in 4. decretal. 2. part. cap. 7. §. 6. num. 1.* Cenedo *collectan. 54. num. 8.* & multi, quos refert, ac sequitur idem Sanchez *d. num. 13.* Sanchez. Lupus. Couarr. Cenedo.

Imò nec statim post latam sententiam tenetur coniux occidens in conscientia bona dimittere hæredibus coniugis à se occisi, sed poterit illa retinere, quoadusque à se petantur ab illis, & à se auferantur. Petita autem tenetur illa restituere cum omnibus fructibus à die latæ sententiæ perceptis, quia ab eo die respectu prædictorum fructuum cœpit esse possessor malæ fidei, quia non tenebatur prædicta bona dimittere, nisi post latam sententiam, & ideo respectu illorum ab eo die constituitur malæ fidei possessor. Sic in omnibus casibus, in quibus occidens priuatur bonis occisi, & applicantur fisco, iustè potest illa retinere, & cum effectu omnes actiones hæreditarias exercere, vsque ad tempus latæ sententiæ, & post latam sententiam vsque ad tempus petitionis illorum, & tunc post illorum petitionem, tenetur restituere omnes fructus perceptos à die latæ sententiæ, quia ab eo die possessor est malæ fidei respectu illorum. Ita Baldus *in l. sororem, n. 4. C. de his, quibus vt indignis.* Salicetus *ibi num. 70.* Farinacius *tomo 4 quæst. 120. sect. 3. num. 36.* Ruinus *consil. 129. num. 1. lib. 2.* Barbatius *consil. 8. num. 4. lib 3.* Rolandus *consil. 56. num. 1.* Peregrinus *de iure fisci lib. 2. tit. 3. num. 1. in fine.* Alexander de Neuo *cons. 91. num. 12.* Menochius *cons. 502. num. 13. & cons. 557. num. 18. lib. 6.* Iulius Clarus *§. homicidium, num. 22. initio.* Et ratio est, quia fiscus post sententiam latam petit auferri ea bona ab homicida tanquam ab indigno, ergo illis non priuatur ipso iure, nec redditur illorum inhabilis, nisi postquam fiscus eam petit, & aufert post latam sententiam. Vnde optimè animaduertit Iulius Clarus modò allegatus priuari quidem homicidam successione illius, quem interficit, siue ex testamento, siue ab intestato; sed non ita, vt si iam sit possessor bonorum occisi, ipso iure, & facto ab illis excludatur, tanquam inhabilis, & incapax illorum, sed postquam post latam sententiam criminis declaratoriam ab illo petuntur, & auferuntur per hæredes occisi, vel per fiscum, tamquam ab indigno, iuxta textum *in l. cum ratio, §. fin. ff. de bon. damn.* 7. Bald. Salicet. Farin. Ruinus. Barbat. Roland. Peregrin. Al. de Neuo. Menoch. Iul. Clar.

Dixi, *à die lata sententia*, non à die commissi criminis, ad differentiam amissionis bonorum hæreticorum; hæretici enim post latam sententiam declaratoriam criminis hæreseos, amittunt bona, & fructus illorum à die commissi criminis, vt patet ex *cap. cum secundum, de hæreticis in 6.* & *ibi glossa verb. ipso iure. l. Manichæos 1. C. de hæreticis*, docet Directorium Inquisitorum *part. 3. q. 109. commento 158.* Azor *in summa 1. part lib. 8. cap. 12. quæst. 1. & 6.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 14. num. 1.* Simancas *de Cathol. instit. tit. 9. num. 7. 8. & 12.* & communiter DD. Retrotrahitur enim sententia ad diem commissi criminis, quia ab eo die inhabiles redduntur ad liberam possessionem suorum bonorum, sub ea conditione, *Si postea per sententiam de crimine conuincantur.* Lata tamen sententia, non tenentur bona statim in conscientia, & fructus illorum fisco tradere, nisi petente fisco, vt tradit Simancas citatus *n. 157. vsque ad 162.* & Sanchez allegatus *cap. 12. num. 6.* 8. Direct. Inq. Azor. Sanchez. Simanc.

Nec mirum, quod hæc distinctio reperiatur 9.

intor

inter bona hæreticorum, & homicidarum, quia sumus in materia pœnali, & legislatores voluerunt diuersis criminibus diuersas pœnas imponere, vnde non datur, nec valet argumentum in pœnis, nec à paritate, nec à maioritate rationis de casu ad casum pœnalem, nec de persona ad personam, vt docet Sanchez *lib. 10. de matrimon. disput. 4. num. 3.* Anton. Buttius *in cap. fin. num. 58. de consuetudine.* & Castro *lib. 1. de lege pœnali, cap. 7. documento 3.* Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 176. §. quartò euertit.* sicut datur, & valet extra pœnas, & materiam pœnalem, quia aliæ leges, quæ non sunt pœnales pendent à ratione, & ideo in illis à paritate, & maioritate rationis datur illatio; est enim ratio illarum mens, & anima. Leges autem pœnales non pendent omnino à ratione, sed primariò pendent à voluntate legislatorum, secundariò à ratione; quamuis enim recta ratio dictet crimina esse punienda, non dictat tamen, quibus pœnis; & ideo legislatores in legibus pœnalibus pro suo prudenti arbitrio, voluntateque diuersis criminibus, & personis diuersas pœnas, quæ sibi visæ fuerunt conuenientes, ac rationabiles ad illa compescenda, imponunt.

Sanchez. Buttius. Castro. Molina.

10. Ex dictis sequitur peccare mortaliter hæreticos occultos, qui sua bona ante sententiam latam dotant, vendunt, distrahunt, alienant, titulo oneroso propter damnum, & præiudicium, quod afferunt iis, quibus illa eo titulo transmittunt: siquidem certò sciunt prædicta bona sic alienata, posse ab emptoribus, & possessoribus illorum, probato crimine suæ hæresis per fiscum vindicari, cum fructibus illorum à die commissi criminis hæreseos, pretio non restituto; sunt enim in hoc causa damni maximi ipsis emptoribus; secus si illa donauerint gratuitò, aut alio lucratiuo titulo alienauerint. Ita Farinacius *de hæresi quæst. 119. num. 82.* Simancas *de Cathol. instit. tit 9. num. 28.* Anton. Gomez *de delictis cap. 2. de crimin. læs. maiest. diuin. & human. num. 5.* Graphis *lib. 2. aur. decis. cap 11. num. 27.* Syluest *verb. hæreticus 1. n. 14. vers. & ideo.* Azor *1. part. lib. 5. cap. 7. quæst. 2.* Sanchez *tom. 1. Decalog. lib. 2. cap. 22. num. 38.* vbi benè animaduertit non peccare prædictos hæreticos occultos, qui antequam per sententiam de hæresi conuincantur, bona sua vendunt, dotant, vel titulo oneroso alienant, quando sua hæresis ita est occulta, vt probari nunquam possit in iudicio, & de hoc moraliter loquendo certi sunt, quia tunc nullum morale periculum inferendi damnum alteri datur.

Farin. Simancas. Ant. Gomez. Graph. Syluest. Azor. Sanchez.

11. Sed quid quando homicidæ se falsis testibus in iudicio defendunt, ita, vt conuinci non possint; teneuturne in foro conscientiæ bona coniugum, quos occiderunt, illorum hæredibus restituere? Resolutiuè respondeo non teneri: nam quamuis probabilis sit opinio, quæ docet teneri, probabilior tamen est illa, quæ docet non teneri, quam tenent Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 8. num. 14.* Graphis *1. part. decis. aur. lib. 3. cap. 27. num. 25.* Ludouic Lopez *1 part. instruct. cap. 159. §. at Nauarrus.* Medina *lib. 1. summa cap. 14 § 35.* Angles *in florib. 2 part. quæst. de rest. leg pœnal differentia vnica, concl. 3.* Aragon. *2. 2. quæst. 62. art. 3. fol. 228. col. 1.* & ibi Salon. *controuers. 2.* Banhez *ibi art. 3. conclus. 6. fol. 215.* Nauarrus *in summa Hispana, cap. 28. in addit. ad num. 46. Latina cap. 18. num 46.* Hi enim omnes Doctores docent teneri homicidas in conscientia restituere partibus impensas litis, quando se falsis testibus, & probationibus in iudicio defenderunt, non tamen pœnam amissionis bonorum: quia illi non tenentur sua bona tradere, nisi post sententiam latam, qua de crimine in iudicio conuincantur; at dum se falsis testibus defendunt, nunquam de illo conuicti sunt, neque actores, & accusatores ius habent directum, & immediatum ad pœnam bonorum illorum, nisi mediante sententia iudicis. Ex quo fit, quòd homicidæ iniustè se defendentes per falsos testes, delinquant contra iustitiam legalem, & ius, quod habet Respublica, vt crimina in iudicio probata, puniantur; non tamen contra iustitiam commutatiuam in ordine ad pœnam amissionis bonorum partibus, vel fisco applicandam: quod verum existimat Sanchez allegatus, etiamsi post sententiam latam homicidæ rei ab illa appellarent, & in ipsa appellatione se falsis testibus, & probationibus defenderent: solùm enim tenerentur tunc in conscientia, vel appellationem non prosequi, vel expensas litis restituere, & non tenerentur pœnam amissionis bonorum soluere, donec iudex ad quem appellatum fuit, priorem sententiam confirmet, quia prior sententia per appellationem suspensa est, ac proinde non obligat.

Sanchez. Graphis. L. Lopez. Medin. Angles. Aragon. Salon. Banhez. Nauar.

Et quidem tradita doctrina locum etiam habet in crimine hæresis, quando hæreticus se defendit falsis probationibus, & testibus, & illis absolutus fuit ab eo crimine. Quod patet ex generalitate, quâ loquuntur Doctores pro omnibus criminibus; pendet enim hæc resolutio ex illa quæstione, vtrùm reus falsis testibus se defendens teneatur pœnam restituere, qua condemnandus erat, & quam teneretur restituere, nisi ita se falsò defenderet, quam pro negatiua parte defendunt Doctores allegati: licet etiam affirmatiua sit probabilis, vt latè ostendit Sanchez allegatus; sed negatiua est hodie, propter rationes tactas, probabilior. 12.

Sed petes, an quando pater occidit vxorem, ad quem pertineant bona ipsius vxoris, ad filiósne illius, an ad fiscum, an ad alios hæredes vxoris? Si ad filios, sequitur, quòd pater occidens commodum habeat ex sua iniquitate, & peccato; nam cum patres habeant administrationem & vsumfructum in bonis filiorumfamilias, sequitur euidenter inde maximum commodum patri ex sua iniquitate euenire. Respondeo in hoc casu, & similibus practicari posse remedium, quod multi Doctores afferunt, quòd teneatur pater renunciare in eo casu vsufructui, quem in bonis filiorum habet; & hoc remedium, & cautelam approbant communiter grauissimi Doctores, Angel. *in l. adoptiuum, §. patronorum, n. 5. ff. de in ius vocando.* Cæpola *cautela 52.* incipit, *propter delictum patris.* Anton. Gomez *de delict. cap. 3. rubr. de homicidio, num. 52. in fine.* Placa *in epit. delict. lib. 1. cap. 20. & 14* Farinacius *tom. 4 q. 120. de homicid. num. 48.* Non habita verò hac cautela, communiter DD. asserunt bona ad fiscum pertinere, ne pater lucrum reportet ex peccato, & iniquitate sua. Ita præter authores allegatos Ruinus *cons. 8. lib. 2.* Phanucius *de lucris dotis, gloss. 1. n. 13. & 14.* Farin. allegatus *n. 70.* Fortassis dici poterat pertinere in eo casu huiusmodi bona ad alios hæredes vxoris occisæ, veluti ad fratres illius; sed ius non considerat collaterales hæredes, quando dantur filij, &, si in eo casu bona filiis aufert, & fisco applicat iuxta aliam opinionem, quæ non admittit hanc renunciationis cautelam, quanto magis auferet quando illi non dantur? 13.

Angel. Cæpola. Gomez. Placa. Farin. Ruin. Phanuc. Farin.

34. Similiter si frater habens filios, occidat fratrem suum liberis carentem, non potest hæreditate bona fratris à se occisi, sed ea bona pertinebunt ad filios occisoris, qui sunt hæredes occisi, si eis valeat cautela prædicta, qua pater occisor renunciet vsuifructui talium bonorum; alioqui ad fiscum pertinebunt. *l. Lucius Titius, ff. de iure fisci*, ibi: *Eorum, quæ scelere acquisita probari possunt, fisco competunt*. Barthol. *ibi num.2. notabili 2. & 3. in fine*. Farinacius *tomo 4. quæst.120. num.33*. Alexand. *in l. hæreditas, num.6*. Iacobinus *ibi num.8*. Ias. *in l. sororem, num.4. C. de his, quibus vt indignis*. Anton. Gomez *de delict. cap.3. rubric. de homicidio, num.52*. vbi ait ita communiter teneri Doctores. Iulius Clarus §. *homicidium, num. 58*. Peregrinus *de iure fisci, lib.2. titulo 3. num.4*. Menochius *consil.557. num.16. & sequentibus*.

Barthol. Farin. Alex. Iacob. Ias. Ant. Gom. Iul. Clar. Peregr. Menoch.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERVM
OMNIVM, QVÆ IN HOC
primo Tomo de decem præceptis
Decalogi continentur, ordine
alphabetico digestus.

Litera P. præceptum; litera L. librum; litera C. caput; litera N. numerum marginalem; litera F folium ostendit.

A

Iudicem

C

An

Index Rerum,

Custos

Quid

Deliberatio.

Delictum.

Denunciatio, Denunciare.

Desiderare.

Desperare, Desperatio.

Deuotio.

An

Index Rerum,

Dos, Dotare.

Dubius, Dubitans, Dubium, Dubitare.

Duellum.

Quid

Dux.

E

Ecclesia.

Effectus.

Emancipatio.

Emphyteusis, Emphyteuta.

Emens, Emptor, Emere.

Ensalmus, Ensalmadores.

Episcopus, Episcopatus.

hæresi

Error.

Euangelium.

Excommunicatio.

interrogen

Quid

Index Rerum,

Geomantia

An

Herus.

Homo.

Homagium.

Homicida.

Quare

An

Index Rerum,

Israëlitæ.

Itali.

Iubilæum.

Iudæus.

Quid

Iuramenti formæ.

De variis formis iuramenti habentibus, & non habentibus coniunctam blasphemiam.

Iuramentum assertorium.

Quid

vnum

Non

L

Labia Iudæ.

Laicus.

Lamiæ.

Latro.

Legatus, Legatum.

Legens.

Mandans.

Mandatum

Maritus.

O.

Obedientia.

Obiectum.

Obligatio, Obligatus.

Obsequium.

Occidere, Occisio, Occisor.

falsis

An

An

dant

Prædicator.

Prædictio, Prænuntiatio.

Prælatus, Prælati regulares.

An

Procurator.

Professio fidei.

An

Religio

Quid

Quid

Cousultoriæ

An

Supplicationes publicæ.

Suspensus, Suspensio.

Sydera.

Symbolum.

T

Tactus.

Templum.

Tempus.

Tentatio.

Testamentum.

Testis, Testes.

Qui

Quid

Votum castitatis.

Votum religionis, & perseuerandi in illa.

debeant

Vox.

Vsura, Vsurarius.

Vxor.

resti

F I N I S.